# COMMENTARIA F. LAURENTII BRANCATI DE LAURAEA ORDINIS MINORUM...

Lorenzo Brancati, F. T. incisore sec. 17 Moncornet, ...

Digitized by Google

37
29 D
21

Digitized by Google

F.93.

Digitized by Google

Digitized by Google

# COMMENTARIA

## F. LAVRENTII BRANCATI

## DE LAVRAEA

ORDINIS MINORVM CONVEN. S. FRANCISCI
In Romana Sapientia Professoris Theologi, SS. Congreg. Rituum,
ac S. Officij Consultoris, & Episcoporum Examinatoris.

In Quartum Librum Sent.

MAG. FR. IOANNIS DVNS SCOTI

Eiusdem Ordinis Doctoris subtilissimi.

## TOMVS QVARTVS.

In quo continetur

DISPVTATIONES XXVII.

## DE OMNIBVS NOVISSIMIS,

Necnon de Medio Statu Animarum, & Paruulorum,

ROMÆ, Ex Typographia Hæredum Corbelletti. M.DC.LXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMIS, AC REVERENDISSIMIS D.D.

# S.R.E. CARDINALIBVS IN SVPREMO ORBIS CONTRA HÆRETICAM PRAVITATEM TRIBVNALI

*Generalibus Inquisitoribus*

FRANCISCO BARBERINO.
MARTIO GINETTO.
HIERONYMO COLVMNÆ.
VINCENTIO MACVLANO.
PETRO OTTOBONO.
IACOBO CORRADO.
FRANCISCO ALBITIO.
FLAVIO CHISIO.
HIERONYMO FARNESIO.
IVLIO ROSPIGLIOSO.
SFORZIÆ PALLAVICINO.
PASCHALI DE ARAGONA.
CÆLIO PICCOLOMINEO.
RAYNALDO ESTENSI.

ET ANGELO CELSO.

*D. D. D.*

QVAE me duæ impulerunt causæ ad opus hoc suscipiendum, eædem nunc perstingunt ad dedicandum: studium, s. veritatis, & desiderium vtilitatis. Quid enim Religiosius, quam veritatem, in qua nititur Religio, vel in medium producere, vel tueri? Quid officiosius, quam doctrina alijs prodesse, tum Catholicis, vt confirmentur, tum Heterodoxis, vt reducantur? Vtrumque ad operis susceptionem induxit; Nec alius me herclè fuit scopus dedicandi. Quærebam Patronos, veritatis fidei, & vtilitatis fidelium cupidissimos; Ipsi vos Eminentissimi, & Reuerendissimi Patres occuristis, qui & vindices fidei, ac assertores estis, & Christianæ Reipublicæ Curatores, ac Protectores: quorum quidem est, quid tenendum sit discernere; & cum per Petri Sedem statutum fuerit, tueri, ac propagare. Nec ve-



Digitized by Google

rò incongruum, alienumuè quis putet, me, qui de Nouiſſimis ſcribo, primos Patres appellare, eiſq; huiuſmodi opus conſecrarē. Nam Iſthęc *Nouiſſima*, tempore tantum ſunt vltima; dignitate autem, ac neceſſitate, prima. Ad hæc cætera omnia, velut ad finem referuntur. In his quippe *Nouiſſimis* Cardo ſalutis vertitur Hæc ſi quis mēte intueatur, & animo, cogitando infigat, Gloriæ ęternitati litabit. Tanti eſt hæc *Nouiſsimorum* tractatio, vt non, niſi primis Eccleſiaſticę Reipublicæ Patribus dedicari, ac deuoueri debuerit. Deus ipſe Optimus Maximus, qui *Alpha, & Omega*, ideſt *Primus, & Nouiſsimus* dici voluit, hoc ſchemate perſpicuè docuit, *Nouiſſima* Primos decere. Per hęc fit aditus ad æternitatem, ad quam veſtrę omnes, & actiones, & cogitationes, Patres Eminentiſſimi, referuntur. Equidem, cum veſtrum in hoc Sacro. Sancti Officij cœtu conſeſsum grauiſſimum, ac Iudicium expendo integerrimum, ac ab omni auaritiæ, cupiditatis, odij, amoris, & ambitionis ſtudio alienum, & vltra mortalem conditionem euectum; illos videre videor Apocalypſis *Seniores, qui ſtabant ante thronum Dei in veſtimentis albis, coronatis auro capitibus*; ita fidei cauſas iudicantes, quaſi coram Deo ſitis, ac deliberetis, miro candore animi ſuffragia ferentes, & tamquam Reges, nemini obnoxij, incorrupti iudicetis; maturè, & grauiter, quod auri eſt proprium, omnia ponderetis: & quamuis numero pauciores, nihillò tamen ſitis pondere, & authoritate minores, immò, & ipſe veſtri numerus ſacratior eſt, quod Apoſtolorum, ac Euangeliſtarum quindenum repreſentet. Et ſi verò in vno loco ſedetis congregati; non idcirco Apoſtolorum, qui miſſi ſunt, munia non exercetis. Quo enim paſsibus non itis; cura, & cogitatione intenditis; & omnes vniuerſi orbis partes animo peragratis; ſimiles *ſeptem illis Agni oculis*, qui in Apocalypſi viſi ſunt in eius capite firmi, & immobiles inhærere, de quibus tamen ibi dicitur *eſſe miſſos in omnem terram*, quod licet ex loco non recederent, mentis tamen intuitu omnia luſtrabant, animoq; vbiq; aderant, & quemvolatu orbem percurrere non poterant, cogitatione, curiſq; permeabant. Qua de re *ſpiritus*,



Digitized by Google

& *oculi* ibi appellantur; ſpiritus affixi, oculi emiſſi, vt nec prę ſentiæ deeſſent, nec prouidentiæ. Haud ſecus vos Eminentiſsimi Principes, Throno Summi Pontificis Chriſti Vicarij aſſidetis; coram ipſo cauſas fidei, & morum agitis, re quidem, corporeque prę ſentes; ſed veſtra conſulta, atque decreta hinc emanantia, vniuerſum in orbem mittuntur, quem doctrina ſalutari inſtruitis, & in Fide, ac ſanctitate continetis; ſpirituum inſtar, & oculorum; ſpirituum; quod ea, quæ ſunt ſpiritualia, quæ non reuelauit caro, & ſanguis, tractatis; Oculorum, quod in ſpæcula Eccleſię poſiti, omnia circumſpicitis, & quod in oculis fidem habetis, & quod Vos Pontifex Summus fert in oculis, diligit, & permagni æſtimat, quos qui lędat *tangit pupillam oculi Dei*, Accedit, quod, cum in Concilium conuenitis, ſpiritus à carnis concretione liberos imitamini; vt, cum fertis ſuffragia, nullo componi corpore, ſed ſolo conſtare ſpiritu videamini. Nam quid ego humanitatem veſtram in cauſis accipiendis, Candorem in tractandis, Fidem in agendis, Iudicium in decidendis commemorem? cum ad veſtrum iſtum conſeſſum plurimę, ipſæque graues cauſæ, arduę, ac diuerſæ offerantur, quæ omnes, & accuratè examinantur, & fęliciter expediuntur. Et quidem, quod ad meum prę cipuè facit inſtitutum, ſicut oculi animorum, ſenſa intima penetratis, & vſq; ad nouiſſima prouidetis. Itaque, ſi materies libri à veſtra non eſt dignitate aliena; ego certè Author patrocinium veſtrum iure quodam videor poſtulare, eo nomine, quod Sacrę iſtius Congregationis ſingulari Sanctiſſimi beneficio, Conſultor ſum, & ad veſtram ſæpe Cortinam venio, & intra eam admiſſus, tantorum Principum fruor, & Præſentia, & Sapientia. Oraculis Veſtris aſſuetus, ac fretus, Tomum hunc *de Nouiſsimis* compoſui, ac edidi, qui omnino iuris veſtri eſt, cum, quę in illum documenta conieci, à veſtris ſint fontibus deriuata. Spero, Vobis, Eminentiſſimi Patres, non ingratum fore, tum propter Argumenti nouitatem, tum propter officij rationem. Quod ſi minus perfectum eſt, ac politum opus; certè opero-

ſum

sum est, ac laboriosum, & multis vigilijs confectum: Cui si Vos optatum, iustumque patrocinium præstetis, dignum illud amplitudine, ac splendore vestro efficietis; habet hoc enim Illustrissimarum dignitas Personarum, vt sicut, quę ex abdito, & tenebroso loco palam proferuntur, ab ipso, cui exponuntur Sole, illuminantur; ita & quę ex obscuro in lucem eduntur opera, ab ipsorum, quibus dedicantnr, dum Solis instar eminent, & rutilant, radijs illustrantur. Valete diù fęlices Purpurati Principes. Ex Conuentu SS. Apostolorum die 30. Decembris 1664.

*Humillimus, & obsequentissimus Seruus*

Fr. Laurentius Brancatus de Laurea, Min. Ord. Conu.

FR.

Digitized by Google

OPus, quod inscribitur *Commentaria in quartum Librum Sentent. Scoti, de quatuor nouissimis, necnon de medio statu animarum, & paruulorum*, ab eruditissimo viro P. Magistro Laurentio Brancato de Laurea S. Congregationis S. Officij, & Rituum Consultore, & promouendorum ad Episcopatum Examinatore, ac in Romana Sapientia publico Sac. Theologiæ Lectore elaboratum, ex commissione Reuerendissimi P. Magistri Iacobi Fabretti de Rauenna totius Ord. Min. Conu. S. Francisci Generalis Ministri, perlegi; cumque in eo nihil, Sanctæ fidei, aut bonis moribus aduersum adsit, existimo dignum, vt publici iuris fiat, typisque mandetur. Ita subscripsi in Conuentu nostro Sanct. XII. Apostolorum de Vrbe. Hac die 20. Decembris 1663.

*Fr. Angelus à Sonneno S. Theol. Doctor, & Romanæ Prouinciæ Minorum Conu. S. Francisci Minister Prouincialis.*

*FR. IACOBVS FABRETTVS A RAVENNA ART. & S. Theol. Doctor, Vniuersi Ordinis Min. S. Francisci Conu. Minister Generalis.*

OPus inscriptum *Commentaria in quartum Librum Senten. Scoti, de quatuor nouissimis, necnon de medio statu animarum, & paruulorum*, à P. Magistro Laurentio Brancato de Laurea SS. Congreg. S. Officij, & Rituum Consultore, Episcoporum promouendorum Examinatore, necnon publico Rom. Sapientiæ Theologo affabrè compositum; cum ex relatu Patris Magistri Angeli de Sonneno Prouinciæ Romanæ Ministri Prouincialis, ac S. Congregationis Indicis Consultoris, cui illud lustrandum commisimus, nil à sacris Dogmatibus dissonum, nilue Christianis, seu Catholicis moribus doceat aduersum; vtilitati fidelium, studiosorum præsertim, quibus id plurimum profuturum speramus, quantum in nobis est, consulentes, vt in lucem prodeat, ac typis mandetur, seruatis seruandis, Authori authoritatem impartimur. In fidem, &c. Datum Romæ die 8. Maij 1664.

*F. Iacobus de Rauenna Minist. Gen.*

Fr. Bonau. de Iano Secr. & Assistens Ord.

*Imprimatur*,
Si videbitur Reuerendiss. P. Magist. S. P. Apost.

*O. Archiep. Patracen. Vicesg.*

*Imprimatur*.
Fr. Hyacinthus Libellus S. P. Apost. Magist. Ord. Præd.

INDEX

# INDEX
## DISPVTATIONVM,
## ET
## ARTICVLORVM,
## Quæ in hoc quarto Tomo continentur.

### DIPVTATIO PRIMA.

De Antichristo.


1 AN futurus sit Antichristus. pag. 1.
2 Quando venturus sit Antichristus vbi de fine mundi. 4
3 An Romani Imperij defectio sit signum aduentus Antichristi. 10
4 De alio Antichristi aduentus signo, &c. pag. 16
5 De genealogia Antichristi, & damone eius priuato. 20
6 De moribus Antichristi. 23
7 De regno Antichristi, origine, & sede. pag. 26
8 De extensione, seu magnitudine regni Antichristi. 29
9 De doctrina, & dogmatibus Antichristi. pag. 31
10 De Templo Antichristi. 34
11 De miraculis Antichristi. 36
12 De tyrannide Antichristi. 39
13 A quibus recipietur, & adorabitur Antichristus. 41
14 De apparitione prima, & durationc Antichristi, eiusque regni. 43
15 De charactere Antichristi. 46
16 De nomine Antichristi. 48
17 De Gog, & Magog, &c. 49
18 Quid sint de Ecclesia tempore Antichristi. pag. 53
19 An Sedes Apostolica futura sit sub iugo Antichristi. 54
20 An tempore Antichristi officia Ecclesiæ, & sacrificia cessabunt. 56
21 De fine seu exciato Antichristi. 57
22 An deleto Antichristo statim sit futurum iudicium. 60


### DISPVTATIO II.

De Morte.


1 AN omnes homines sint ante iudicium morituri. 62


### DISPVTATIO III.

De Resurrectione Mortuorum.


1 AN resurrectio generalis hominum sit possibilis. 67
2 An sit possibile, vt alia creata corrupta reproducantur. 68
3 An resurrectio hominum sit futura. pag. 70
4 An per rationem naturalem probari possit resurrectionem esse futuram. 72
§.1. An sit per se notum naturaliter hominis resurrectionem esse futuram. 73
§.2. An ex parte materiæ probari possit naturaliter resurrectionem esse futuram. pag. 74
§.3. An per animam hominis possit naturaliter concludi futuram resurrectionem. pag. 74
§.4. An ex animæ immortalitate probari possit resurrectionem esse futuram. 76
§.5. Quibus medijs probatur resurrectio futura. 78
§.6. In quo satisfit Philos. argumentis. 79

## DISPVTATIO IV.

### De causa efficiente Resurrectionis.


1 AN resurrectio mortuorum fieri possit virtute naturæ. 81
§.1. Vtrum virtute agentis naturalis res aliqua possit eadem numero redire. 82
§.2. An virtute naturæ hominis corpus possit redire idem numero. 86
§.3. An causa naturalis possit saltem reunire animam corpori. 88
2 Quænam erit causa efficiens resurrectionis. 90
3 An Christus futurus sit causa efficiens resurrectionis, & quomodo. 90
4 An resurrectio fiat ministerio Angelorum. 95
5 De Tuba, & de Voce. 98


## DISPVTATIO V.

### De causa materiali Resurrectionis.


1 AN omnes homines resurgent. 99
2 An abortivi resurgant vivuntes. 102
3 An monstra debeant resurgere. 106
4 An omnia membra, & partes, quæ sunt in homine resurgent. 107
5 An resurget in homine totum id quod fuit in eo de veritate naturæ. 108
§.1. An, quæ, & quomodo partes in nutritione producantur. 109
§.2. An partes additæ per nutritionem sint de veritate naturæ humanæ. 110
§.3. Vtrum omnes præfatæ partes quæ in homine fuerunt, resurgent. 112
6 An humores, capilli, ungues, &c. resurgent. 114
7 An resurgent qualitates omnes, etiam deformitates, quæ inerant corporibus vivis. 116


## DISPVTATIO VI.

### De causa formali Resurrectionis.


1 AN resurrectio hominum sit naturalis. 118
2 An omnes homines simul resurgent. 120
3 An resurrectio erit in instanti. 123
4 In qua hora fiet resurrectio. 124
5 In quo loco fiet resurrectio. 125
6 An omnes resurgent in proprio sexu. pag. 126
7 An quilibet homo resurget idem numero. pag. 129
8 In quo ætate mortui resurgent. 132
9 An omnes mortui in eadem statura resurgent. 134
10 An omnes partes corporis redibunt ad suà loca. 135


## DISPVTATIO VII.

### De qualitatibus nouis corporum resurgentium.


1 AN omnia corpora resurgent incorruptibilia, & immortalia. 136
2 Quæ, & qualis erit incorruptibilitas resurgentium. 137
3 An, & quomodo corpora resurgentium erunt spiritualia. 139


## DISPVTATIO VIII.

### De causa finali Resurrectionis.


1 CVr omnia corpora resurgent. 141


## DISPVTATIO IX.

### De Iudicio Vniuersali, seu finali.


1 AN Iudicium vniuersale sit futurum. pag. 144
2 Cur faciendum sit vniuersale iudicium, pag. 148
3 In quo tempore erit iudicium. 150
4 Quænam sint signa indicantia tempus iudicij. 151
5 In quo loco fiet iudicium vniuersale. pag. 158


## DISPVTATIO X.

### De Iudice, eius aduentu, ac potestate, & forma Iudicij finalis.


1 AN Christus futurus sit Iudex in finali iudicio. 156
2 Quali apparatu, ac maiestate Christus apparebit. 157
3 In quo loco apparebit Christus; vbi sistet, & quali situ. 159
4 In qua forma apparebit Christus, & an omnibus visibilis. 160
5 Cum qua potestate Christus iudicabit. pag. 162

6 An alij coniudices iudicabunt cum Christo. 166
7 Qui nam sint iudicandi in finali iudicio. pag. 168
8 Quanam causa iudicabuntur. 172
9 An omnia hominum facta erunt omnibus manifesta. 174
§.1. An etiam bona reproborum opera in die iudicij erunt nota. 176
§.2. An etiam electorum delicta in die iudicij erunt nota. 176
10 Quomodo omnium opera in iudicio fient omnibus nota. 177
11 An, & qui accusatores erunt in iudicio, & quomodo accusabunt. 179
12 An iudicium fiet vocaliter, vel intellectualiter. 181
13 An iudicium fiet in instanti. 182
14 An, & qui libri aperiendi sint in iudicio, & qui sit liber vitæ. 184

## DISPVTATIO XI.

### De conflagratione Mundi tempore Iudicij.

1 AN mundus sit conflagraturus per ignem. 188
2 An mundi conflagratio incipiet ante iudicium. 189
3 Quænam res conflagrabunt per ignem. pag. 191
4 An ignis, de quo conflagrabunt. 193
5 An animantia, & plantæ, &c. igne conflagrabunt. 194
6 Quale, quantusque erit hic ignis. 195
7 An Cœli etiam igne conflagrabunt. 197
8 An etiam homines igne conflagrabunt. pag. 199
9 An etiam electi viventes igne conflagrabunt. 200
10 An electi resurgentes igne conflagrabunt. pag. 202
11 An Reprobi resurgentes sint ab igne tangendi in iudicio. 206

## DISPVTATIO XII.

### De statu Mundi post Iudicium.

1 AN Mundus post iudicium destruetur. pag.
2 An mundus destruetur secundum substantiam. 211
3 An mundus post iudicium sit renouandus. pag. 215
4 An cœli post iudicium sint renouandi, & quomodo. 217
5 An stellæ post iudicium casura sint de cœlo. 222
6 An motus calorum cessabit post iudicium. pag. 224
7 An terra post iudicium sit innouanda, & quomodo. 228
8 An aer post iudicium sit innouandus. pag. 230
9 An ignis, & aqua innouari debeant post iudicium. 231

## DISPVTATIO XIII.

### De inferno damnatorum.

1 AN detur, & quid significet infernus
2 In qua parte mundi situs sit infernus. pag. 237
3 Vtrum in inferno adsit ignis. 239
4 An ignis inferni sit corporeus. 240
5 An, & quomodo ignis corporeus agere possit in spiritus. 243
§.1. An spiritus, & anima separata crucientur per apprehensionem tantum ignis. pag. 244
§.2. An spiritus cruciantur ab igne per aliquem habitum receptiuum passionis. pag. 244
§.3. An ignis cruciet spiritus ratione tristitiæ, & vt obiectum disconuenions. 245
6 An post iudicium omnes damnati, hoc igne sint cruciandi. 246
7 Quanam ab pœna sensus reperiantur in inferno. 250
8 An, & qua sit pœna vermis in inferno. pag. 254
9 An pœna sensus damnatorum sint æqualis. 255
10 An, & qua pœna damni adsit in inferno. pag. 257
11 An pœna damni sit æqualis in omnibus damnatis. 260
12 An pœna damnatorum in inferno sint æterna. 261
13 An, & quomodo pœna æterna proportionetur peccato damnati. 263
14 An in punitione damnatorum Deus vtatur iustitia, & misericordia. 265
§.1. An admittenda sit iustitia in Deo, & quæ 266
§. An in Deo sit misericordia. 268
§.3. An iustitia, & misericordia in Deo sint eadem res. 270
§.4. In quo consistat, & à quo sit damnatorum punitio 271
§.5. An hæc damnatorum punitio sit iusta. pag. 273
§.6. An, & quomodo in hac æquissima punitione concurrat misericordia. 276
15 An damnati habeant pœnas aliquod bonum secum 278
16 De alijs quibusdam damnatorum miseriis. 281

# DISPVTATIO XIV.

## De Beatitudinis humanæ existentia.


1 Quid accepta. 285
2 An admittenda sit beatitudo. 286
3 An beatitudo vita sit in possessione boni creati. 287
4 An beatitudo admittenda sit in hac vita. 289
5 An, & pro quo tempore admittenda sit vera beatitudo. 291
6 An statim post mortem conferatur beatitudo. 293
7 An admittenda sit beatitudo saltem naturalis. 301
8. An detur aliqua species beatitudinis in presenti vita. 302
9 An Beatitudo in æternum sit duratura pag. 305
10 An perpetuitas, sive æternitas sit de intrinseca ratione Beatitudinis. 308
11 An de ratione vera Beatitudinis sit securitas perpetuitatis. 312
12 An & quomodo vera Beatitudo possit compendio explicari. 314
13 An vera hæc beatitudo possit in vita mortali obtineri. 320
14 An de facto quis in hac vita fuerit beatus per Dei visionem claram. 321


# DISPVTATIO XV.

## De Appetitu Beatitudinis;


1 AN Omnes homines habeant naturalem appetitum Beatitudinis. 326
2 An omnes appetitu elicito appetant beatitudinem. 327
3 An omnes homines necessario appetãt beatitudinem. 329
§. 1. An voluntas liberè appetat beatitudinem in universali apprehensam. 329
§. 2. An voluntas velit necessario beatitudinem in particulari apprehensam. 331
§. 3. An clarè viso in via obiecto beatitudinis 333
4 An appetitus elicitus Beatitudinis sit naturalis. 334
5 An talis sit beatitudinis appetitus, vt omnia amentur propter eam. 336
6 An homo ex suis naturalibus possit consequi beatitudinem. 337
§. 1. An naturalibus viribus homo fieri possit Beatus. 338
§. 2. An hæc impotentia proveniat ex hoc quod Deus non sit in cognoscente 340
§. 3. An hæc impotentia oriatur ex hoc quod Deus non est in intellectu, modo competenti. 341
§. 4. An hæc impotentia oriatur ex supernaturalitate. 342
§. 5. Vnde præcisè oritur quod homo naturæ viribus nequit beatificari. 343
7 An appetitus hominis satietur per Beatitudinem. 346


# DISPVTATIO XVI.

## De Beatitudine formali.


1 An formalis beatitudo consistat in illapsu Dei in beatum. 349
2 An beatitudo consistat in operatione aliqua. 352
3 An beatitudo consistat in una vel pluribus operationibus. 354
4 An beatitudo essentialiter, & principaliter consistat in actu intellectus. 357
5 An beatitudo principalius consistat in actu voluntatis, & quo. 360
6 An voluntas in homine sit nobilior intellectu. 364
7 An [illegible] sit de essentia beatitudinis. 366
8 An beatitudo formalis æqualis sit in omni beato. 370
9 Vnde oritur hæc inæqualitas in beatitudine. 372


# DISPVTATIO XVII.

## De visione beata secundum se.


1 AN Deus esse à beatis videri, & an actu videatur. 373
2 An visio beata terminetur ad Dei essentiam immediatè. 380
3 An visio beata sit intuitiua, & an scientifica. 383
4 An Dei visio sit practica, vel speculativa. 385
5 An visio beata sit comprehensiua. 388
6 An visio beata sit verbum mentis, vel effectiua verbi. 394
7 An visiones beatæ Angelorum, & hominum sint eiusdem speciei. 398
8 An visiones beatorum sint inæquales, & quæ sit causa inæqualitatis. 401
9 An qualibet visio expleat appetitum beatorum. 405
10 An Deus videndus sit, vel saltem possit oculis corporeis videri. 408


# DISPVTATIO XVIII.

## De causis visionis beatæ ex parte potentiæ.


1 AN intellectus conueniat actiuè ad [illegible] 414

2 An intellectus possibilis vel etiam agens efficiat visionem beatam. 417
3 An ad eliciendam visionem beatam intellectus egeat lumine aliquo 420
4 An lumen gloriæ concurrat ad recipiendam visionem. 425
5 An lumen gloriæ gerat vicem speciei impressæ. 427
6 An lumen requiratur ad recipiendam essentiam divinam. 429
7 An lumen actiuè concurrat ad visionem beatam. 431
8 An lumen det totam actualitatem intellectui ad videndum Deum. 433
9 An lumen habeat aliam causalitatem circa visionem. 438
10 An absolutè possit produci visio beata sine lumine gloriæ. 440
11 An visio beata sit connaturalis intellectui illustrato lumine gloriæ. 444
12 An fieri possit intellectus qui ex sua natura Deum videre possit. 449
13 An fieri possit intellectus cui sit connaturale lumen gloriæ. 452
14 An intellectus perfectior cum æquali lumine intensius videat. 456
15 An ponenda sit species impressa Dei pro visione beata. 460
§. 1. An sit possibilis species impressa Dei. 461
§. 2. An de facto in beatis detur species impressa Dei: 465
§. 3. An species impressa Dei concurrere possit ad visionem beatam. 467

## DISPVTATIO XIX.

### De obiecto beatæ visionis.

1 QVodnam sit obiectum primarium & [illegible] 475
2 An videri possit essentia non visis personis. 471
3 An ex hypothesi visio essentiæ sine personis esset beata. 478
4 An possit videri una persona non visa alia. 482
5 An beati in essentia divina videre possint creaturas. 486
6 An beati de facto videant in Deo alia omnia quæ videt Deus. 489
7 An de possibili beatus aliquis videre possit in Deo omnia etiam possibilia. 491
8 An beati ex vi beatæ visionis vel aliter videant aliqua obiecta secundaria in Deo. 496
9 Quænam de facto beati videant in Deo de obiectis secundarijs. 501
10 An beati videant in Deo orationes fidelium. 506
11 An beati videant in Deo pœnas damnatorum, & quomodo 509

## DISPVTATIO XX.

### De fruitione, & principijs illius.

1 QVid sit fruitio & an actus voluntatis. 510
2 Cui competat frui. 513
3 An beati de facto fruantur. 516
4 Quodnam sit vera fruitionis obiectum. 517
5 Quodnam sit beata fruitionis obiectum pag. 521
6 An possit quis frui essentia absque personis vel una persona sine alia. 524
7 An voluntas ad fruendum egeat aliquo habitu supernaturali. 527
8 An habitus charitatis actiuè concurrat ad fruitionem beatam. 529
9 An charitas det voluntati actualitatem simpliciter, vel qualem. 532
10 An voluntas de potentia absoluta possit frui sine charitate. 538
11 An fruitio sit actus liber. 541

## DISPVTATIO XXI.

### De beatitudine corporum, eorumque perfectionibus.

1 AN corpus humanum sit beatificandum. 545
2 An corporum beatitudo sit de essentia beatitudinis. 549
3 An beatorum corpora erunt impassibilia, pag. 551
4 An beatorum corpora erunt agilia. 557
§. 1. An corpora beata moueantur solum organicè, vel aliter. 560
§. 2. An beatorum corpora obiecta grauitatis erunt leuia. 563
§. 3. De positione, seu situ corporum beatorum. 566
5 An beatorum corpora erunt clara, & lucida. 568
6 An beatorum corpora erunt subtilia, & quomodo. 574
§. 1. An eadem sit spiritalitas corporis, & subtilitas, & quinam effectus eius, pag. 576
§. 2. An subtilitas seu penetrabilitas sit forma positiua, vel quid sit. 578
7. An, & quomodo corpora beatorum erunt spiritalia. 580
8 An omnes sensitiuæ potentiæ suos actus exercebunt in beatis. 582
9 An beatitudo corporum futura sit inæqualis. 586

## DISPVTATIO XXII.

### De Aureolis, et alijs Beatorum præmijs.


1 AN detur in beatis aureola, & quid sit. 488
2 Quotuplex est aureola, & quibus personis competat. 590
3 An angelis B. Maria, & ipsi Christo competat aureola. 597
4 An detur in beatis præmium fructus, qualesit, & cui competat. 600


## DISPVTATIO XXIII.

### De permanentia habitum in beatis.


1 VTrum in beatis remaneat fides infusa. 605
2 An habitus Spei, & Charitatis permaneant in beatis. 609
3 An in beatis remaneant virtutes morales, pag. 613
4 An in beatis remaneant dona & fructus Spiritus Sancti. 616
5 An beati retineant habitus acquisitos vel infusos intellectuales. 621


## DISPVTATIO XXIV.

### De statu, & modo cognoscendi animæ separatæ.


1 AN anima rationalis sit immortalis. 625
2 An ratione naturali vel sola fide tenetur immortalitas animæ. 629
3 De origine ac natura animæ rationalis, pag. 636
§. Vnicum. A quo producantur animæ rationales. 636
4 An anima sit forma corporis, & propria in quolibet homine. 642
5 An anima sit corporea seu divisibilis, pag. 645
6 An anima separata sit in statu violento, vel naturali. 647
7 An anima separata possint cognoscere res prius notas. 650
8 An anima separata recordetur præteritorum. 653
9 An anima separata possit cognoscere aliquod prius ignotum. 659


## DISPVTATIO XXV.

### De beatorum locum viatoribus Commuuione.


1 AN beati sit orandi, & invocandi, pag. 663
2 An beati orent pro viatoribus. 668
3 An beati vel alij Defuncti appareant viatoribus, & quomodo. 673
4 Quot, & quibus modis Sancti, vel alij apparent viatoribus. 677
§. 1. An anima alicuius sancti appareat viatoribus. 677
§. 2. An Sancti appareant cum corpore, et quali. 679
§. 3. An apparens aliquo Sancto in corpore semper adsit anima eius in illo. 681
§. 4. An apparitiones aliquando fiant imaginariæ, & quomodo. 684
§. 5. De apparentijs in somno, & quomodo fiant. 689
§ 6. De apparentijs extaticorum, & quomodo fiant. 691
§ 7. Quænam sint signa veracium apparitionum, & revelationum. 696
§. 8. Corollaria pro vera, & falsa apparitione, extasi, & revelatione. 706
5 An solum Diuina, an etiam creata virtute anima aliqua possit apparere. 710
§. Vn. An Demens virtute animæ possit apparere, vbi de Samuele. 712


## DISPVTATIO XXVI.

### De medio statu animarum seu de Purgatorio.


1 QVid nomine Purgatorij importetur, pag. 716
2 An detur status, vel locus qui dicitur, Purgatorium, & unde constet. 717
§. 1. An ex Sacra Scriptura probetur dari purgatorium 723
§. 3. An ex Patribus Latinis probetur dari statum medium purgatorij. 716
§. 4. An ex conciliis concludatur status medius, seu purgatorium. 728
§. 5. An ex suffragijs defunctorum probetur purgatorium. 729
§. 6. An rationibus concludi possit status medius seu purgatorium. 731
§. 7. Ex apparitionibus, probetur status medius. 731
§ 8. An ex Iudæorum Rabinis probari possit status medius purgatorij. 733
§. 9. Examinantur aliqua argumenta contra statum medium seu purgatorium. 734
3 De causa finali purgatorij. 737
4 Quis quotuplex, vbi, & qualis sit locus purgatorij. 745
§. 1. In quo situ mundi est locus cõmunis purgatorij. 747


§. 1.

§. 2. Qualis sit purgatorij locus. 749
5 Qualis ignis sit in loco purgatorij. 751
6 An præter ignem sint alia pœnæ in purgatorio. 754
7 Quandiu durant pœnæ purgatorij. 754
§. 1. Quanto tempore duret cuiuslibet purgandi pœna. 759
8 Quam grauis sit purgatorij pœna. 761
8 De nonnullis ad statum purgandorum spectantibus. 764
§. 1. An pœnæ purgatorij sint voluntariæ, pag. 765
§. 2. An animæ purgatorij sciant quæ fiunt in mundo. 767
§. 3. An animæ purgatorij rogandæ sint vt orent pro viatoribus. 767
§ 4. An animæ purgatorij sint certæ, & securæ de propria salute. 678
§. 5. Vtrum animæ existentes in purgatorio possint edere miracula. 770
9 An animæ purgatorij mereantur vel demereantur. 772
10 An & quomodo animæ purgatorij iuuari possunt: 774
11 Quibus suffragijs iuuantur existentes in purgatorio. 776
§. Vn. An iuuentur alijs medijs. 580
12 Quomodo suffragia prosunt animabus purgatorij. 782
§. 1. An suffragia prosint Defunctis vt satisfactiones. 783
§. 2. An suffragia prosint Defunctis ex impetratione. 786
13 An soli viatores possint animabus purgatorij suffragari. 789
14 An impertiens suffragia debeat esse in gratia, vt prosint. 790
15 An suffragium quodlibet omnibus purgandis prosit. vel quomodo. 795
16 Quid obtineant suffragia pro animabus purgatorij. 798
17 Vtrum animæ purgatorij iuuari possint per indulgentias. 800
§. 1. Aliqua supponenda pro breui indulgentiarum notitia. 801
§. 2. In quo disputatur, an reuera indulgentiæ concedi possint, animabus purgatorij, pag. 808
§. 3. An defunctis indulgentiæ concedantur per modum suffragij, vel absolutionis. pag. 812
§. 4. De requisitis ad indulgentias pro mortuis. 820

## DISPVTATIO XXVII.

### De statu paruulorum decedentium cum originali.

1 AN paruuli cum originali decedentes recipiantur in cœlo. 824
2 An paruuli cum originali extra cœlum habeant beatitudinem. 825
3 An eiusmodi paruuli damnentur. 827
4 An paruuli isti damnentur ad pœnam damni. 829
5 An præfati paruuli aliqua pœna sensus sint cruciandi. 830
6 An paruuli isti, saltem tristitiam aliquam patiantur. 835
7 Qui nam sit paruulorum locus, an infernus, & qui. 837
8 De perfectione intellectus, ac voluntatis talium paruulorum. 841

# INDEX
# PLVRIVM LOCORVM
## Sacræ Scripturæ, quæ in hoc Tomo explicantur.


Ex Geneſi.

*Fiat Dan coluber in via &c. c.49.p.2.n.4. & p.21.n.179. & p.26.n.230.*
*Dan iudicabit populum ſuũ &c.c.49.p.2.n.4.*
*Enoch ambulauit coram Deo &c. c.5 p.16. num.104.*
*Donec reuertaris in terram &c. c.3.p.61 n.4.*
*Sint in ſigna & tempora, dies et annos &c. c. primo, p.225.n.160.*
*Fiat firmamentum et diuidat aquas &c. c.7. p.565. n.184.*
*Expauit Iſrael ſtupore vehementi &c.c.27. p.692.n.228. et 238.*
*Maſculus cuius preputij caro circumciſa non fuerit &c. c.17.p.824.n 5.*

Ex Exodo.

*Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente &c. c.21.p.103.n 35.*
*Dele me de libro tuo quem ſcripſiſti &c.c.32. p.187. n.439 ad 439.*
*Oſtende mihi Domine gloriam tuam &c. c.33 p.320.n.330. et 331.*
*Non poteris videre faciem meam. c.33.p.321. num.343. & p.332 num.350. et 351.*
*Non videbit me homo & viuet &c. c.33.ibid.*
*Facies ſuper illam, aliam coronam aureolam, &c.c.25. p.590.n.21.*

Ex Leuitico.

*Ignis vitè perpetuus. qui nunquam deficiet in altari &c. c.6. p.348. n.187.*

Ex Numer.

*Deſcenderunt viui in infernum &c.c.16.p. 235.n.6. & p.237,n.79.*
*Ore ad os loquar ei et palam, et non per enigmata &c.c.12. p.324.n.362.*

Ex Deuteronomio.

*Ignis accenſus eſt in furore meo, &c.c. 32.n. p.188.n.4.et p 235.nu.7. et p.239. nu.68.*
*Secundum menſuram delicti erit et plagarum modus &c. c.25.p.277.n.491.*

Ex lib. Iudicum.

*Miſerunt ergo filij Dan &c.c.18. p.2.n.4.*

Ex lib. Regum.

*Aſcendit Elias per turbinem in cœlum 4. Reg. c 2. p.16. n.109.*
*Et audiuit Dominus vocem Eliæ &c. 3. Reg. c.17.p.89.n.66.*
*Suſcita mihi Samuelem &c.1.Reg.c.28.p.118. nu.6.*

Ex lib. Tobiæ.

*Panem tuum, et vinum tuum ſuper ſepulchrum &c.c.4.p.720.nu.41.*

Ex Iob.

*Cum apprehenderit eum gladius &c.c.41.p.2. n.4.p.36.n.350.*
*Dulcis fuit glareis Cociti &c.c.21 p.24.n.213*
*In die eius ſtupebunt &c. c.18.p.36. n.351. et p 39. n.384.*
*Qui regnare facit hypocritam &c. c.34. p.41. n.406.et 418.*
*Pauper fui Discipulus &c.c. 30 p. 56. n.528.*
*Homo cum dormierit non reſurget &c. c.14. p.71.n.37. & 38.*
*Momento quod ſicut lutum feceris me &c. c. 10. p.101.n.23.*
*In nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum &c. c.19. p.129. n.96. & 99. et p.140.n.39. 331 & 54.*
*Reuelabunt cœli iniquitatem eius &c.c. 20. p.174. n.286.*
*Antequam vadam ad terram tenebroſam &c. c.10 p.237. n.41.*
*Io profundiſſimum infernum deſcendet anima mea. c.17 p.237. n.43.*
*Ab aquis niuium tranſeant ad calorem nimium &c. c.24. pap.248. n.162.*
*In carne mea videbo, & oculi mei conſpecturi ſunt &c. c.19.p.412.n.n.272.*
*Quis reuelabit faciem indumenti eius &c. c.41. p.702. n. 295.*

Ex lib. Pſalmorum.

*Orphano tu eris adiutor. &c. pſal.9 p.2. n.4.*
*Dixit inſipiens &c. 42. p.32. n.284.*
*Inciderunt impij ambulant &c. 11.p.82.n.3.*
*Ad veſperã demorabitur fletus &c. 29. p. 93. num. 105.*
*Ignis grando, nix &c. 10. p.239 n.69.*
*Congregate illi iuſtos eius &c. 49.p.97 num. 134. ad 139.*

*Dominus in ira sua turbabit eos &c.* 20. *p.* 239. *n.*70.
*Dabit voci suæ vocē virtutis &c. p.*99.*n.*155.
*Neque omnes qui descendunt in infernum.*113 *p.*238. *n.*46.
*Non resurgent impij in iudicio &c.* 1. *p.*100. *n.*16. *et p.*147.*n.*13.
*Illuxerunt coruscationes tuæ &c.* 76.*p.*154. *n.*105.
*Operatus es salutem in medio terræ &c.* 73. *p.*159. *n.*61.
*Cum accepero tempus &c.*74. *p.*163.*n.*124. *et p.*164.*n.*141.*et p.*172.261
*Delicta iuuentutis &c.*24 *p.*172. *n.*260.
*Existimasti iniquè quod ero tui similis &c.* 49.*p.*180.*n.*355.
*Deleantur de libro viuentium &c.* 68 *p.* 186. *n.*423. *In libro omnes scribentur &c.* 138. *ibid.n.*424.
*Ignis ante ipsum præcedet &c.* 96.*p.*188.*nu.*6. 189.*n.*32.*ad* 34.
*Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt &c.* 101.*p.*197. *n.*140.*ad* 142.
*Insultumabit in circuitu inimicos eius &c.*96. *p.*199. *n.*163.
*Ignis in conspectu eius exardescet &c.* 49. *p.* 199.*n.*164. *et p.*200.*n.*188. *et* 191. *et p.*203. *n.*211. *et p.*188.*n.*5.
*Sicuti operatorium mutabis eos &c.* 101. *p.*217. *num.*90.*et* 91.
*In inferno autem quis confitebitur &c.*6 *p.* 235.*n.*8.
*Dolores inferni circumdederunt me &c.* 13. *p.* 235.*n.*9.
*Eruisti animam meā ex inferno inferiori &c.* 85. *p.*235. *n.*12. *et p.*837. *n.*129.
*Parturijt in iniquitatem, concepit dolorem &c.* 7. *p.*271. *n.*417.
*Ascendit in altum cæpisti captiuitatem &c.* 37. *p.*296. *n.*143.
*Filij autem hominum subtegmine &c.* 35. *p.* 338 *n.*123.
*Quoniā apud te est fons vitæ &c.*35.*ibid.n.*124
*Gratiam et gloriam dabit Dominus &c.* 35. *ibid.n.*125.
*Satiabor cum apparuerit gloria tua &c.* 16, *p.*307. *n.*188. *et* 189.
*Qui replet in bonis desiderium tuum &c.* 102. *ibid.n.*191.*ad* 195.
*Exultabunt Sancti gloria &c.* 149. *p.* 367. *num.*149.
*Minorasti eum Paulo minus ab Angelis &c.* 8. *p.*397. *n.*170.
*Inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ &c.* 35.*p.*407. *n.*231.*et p.*517.*n.*77.
*Sicut lætantium omnium &c.*86.*p.*407.*n.*233.
*Signatum est super nos lumen vultus tui &c.* 4. *p* 420.*n.*45. *et p* 421.*n* 53.
*In lumine tuo videbimus lumen &c.* 35. *p.* 422.*n.*66. *ad* 69. *et n.*71.
*Quis est iste Rex gloriæ &c.*23.*p.*489.*n.*187.
*Caro mea requiescet in spe &c.*15.*p.*550.*n.*51.
*Qui fixit sigillatim corda eorum &c.*32. *p.* 642. *n.*146.
*Ego dixi in excessu meo &c. psalm.*115.*ibi Omnis homo in ventis excessa &c.* 67. *pag.* 691.*n.*229.
*Spiritus vadens & non rediens &c.*77. *p.*710. *num.*327.

Ex lib. Prouerbiorum.

*Et in profundis inferni conuiua eius &c. c.*9. *p.* 235. *n.*13.

Ex Ecclesiast.

*Enoch placuit Deo &c. c.*44.*p.* 16.*n.*106.
*Nemo natus est qualis Enoch &c. c.*49. *p.*16. *num.*107.
*Vnus est hominum ex iumentorum interitus &c. c.*3. *p.*71.*n.*34.
*Nihil habet homo iumento amplius &c. c.* 3. *p.*71.*n.*34.*et p.*617.*n.*25. *ad* 27.
*Quis nouit si spiritus filiorum Adæ &c. c.*3. *p.* 71. *nu.*31.
*In quocumque loco ceciderit lignū ibi erit &c. c.*11. *p.*147.*n.*22. *et p.*273.*n.*442.*et p.*719 *n.*30. *et p.*734.*n.*157. *ad*160.
*Pro omnibus adducet te Deus in iudicium &c. c.*11. *Cuncta quæ fiunt adducet Deum in iudicium &c. c.*12.*p.*172.*n.*255. *et* 258.
*Generatio præterit, & generatio aduenit &c. c.*1. *p.*212.*n.*30.
*Non est in inferno accusatio vitæ &c. c.*41. *p.*235.*n*17.
*Qui viuit in æternū creauit omnia simul &c. c.*18. *p.*635. *n.*99.
*Nec ratio, nec Sapientia &c. apud Inferos &c. c.*9. *p.*735. *n.* 162. *ad* 164.*et p.*773. *num.*509.
*Laudaui magis mortuos, quam viuentes &c. c.* 4.*p.*841. *n*158.
*Mortui verò nihil non erunt amplius &c. c.* 9. *p.*772. *nu.*504.
*Non est apud Inferos inuenire cibum &c c.*14 *p* 773. *n.*506. 507.
*Melior est canis viuus leone mortuo &c. c.*9. *p.*773. *n.*508.

Ex lib. Sapientiæ.

*Iudicabunt nationes &c. c.*3. *p.*167.*num,*178.
*Vt faciant in eis iudicium conscriptum &c. ibid. n.*179.
*In cogitationibus impij interrogatio eius &c. c.*1.*p* 172. *n.*259.
*Venient in cogitatione peccatorum suorū &c. c.*4.*p.*180.*n.*357.
*Disrupet illos in flatos sine voce &c. c.*4.*p.* 183.*n.*391.
*Potentes potenter tormenta patientur & c.*6. *p.*256.*n.*239. *et* 240.
*Impijs sine misericordia ira supervenit &c. c.* 19.*p.*277. *n.*492.
*Post hoc erimus quasi non fuerimus &c. c.*2. *p.*637. *n.*24.

Ex lib. Canticorum.

*Dura sicut Infernus æmulatio &c. c.*8. *p.* 235. *n.*15.
*Curremus in odorem vnguentorum tuorū &c. c.*13. *p.*585. *n.*345.

Ex Isaia.

*Reliquiæ conuertentur &c. c.*10*p.*50.*nu.*488. *et p.*55. *n.*524.
*Calamitas opprimet portas &c. c.*24.*p.*159. *n.* 63. *et* 70.

De-

*Dominus ad iudicandum veniet cum senibus &c. c.3 p.166 n.162 et p. 167 n. 180 et pag. 145 nu.6*
*Ego autem opera eorum et cogitationes eorum &c. c.66 p.173 n.278*
*Reuelabitur ignominia vestra, et videbitur &c. c.47 p.174 n.284*
*Cœli sicut fumus liquescent &c c.51 p.188 n. 7 et p.199 n.166*
*Dominus in igne veniet &c, c.65 p.188 nu 8 et n.35 et p.201 n.186 et p.203 n.210*
*Complicabuntur sicut liber cœli &c. c. 34 p. 198 n.155 et 156*
*Et erit lux Lunæ sicut lux Solis &c. c.30 p. 212. n.31 et p.219 n.213 ad 117*
*Non erit tibi amplius sol ad lucendum &c. c 60 p. 222. n.135*
*Non occidet vltra sol tuus &c. c.60 p.225. n. 161. 162*
*Propterea dilatauit infernus animam suam &c. c.5 p.235 n.19*
*Flatus Domini sicut torrens sulphuris etc. c.30 p.237 nu.40*
*Pete tibi signum etc. c.7 p.239 n.62*
*Vermis eorum non morietur etc. c.66 p. 251 nu.190 et 191 et p 254 n.220 ad 223 et p. 204 n 212 ad 217*
*Oculi tui videbunt Ierusalem etc. c. 33 ibid. nu.214*
*Sedebit populus meus in pulchritudine pacis etc. c 32 p.313 n.274*
*Letitia sempiterna super capita eorum etc. c. 35 p.367 n.148 et p 517 n.78*
*Quis est iste qui venit tinctis vestibus etc. c.63 p.489 n.127 et 128*
*Abraam nescivit nos &c. c.63 p.508 nu.295 et p 668 n.40*
*Et erit mensis ex mense sabatum ex sabato etc. c.66 p.509 n.303*
*In terra duplicia possidebunt etc. c. 61 p. 550 num.46*
*Vt aquile volabunt etc. c.40 p.561 n.158*

Ex Hieremia

*Si steterint Moyses et Samuel coram me etc. c.15. p.669 n.47*

Ex Ezechiele

*Pone faciem tuam super Gog et Magog etc. c. 38 p.43 n.425*
*Nunc reducam captiuitatem Iacob &c. c.39 p.50 n.488*
*Dabo Gog locum nominatum etc. c. 39 p. 50 n.499*
*Post menses autem septem etc. c.39. p.61 n.593*

Ex Daniele

*Considerabam cornua etc. c.7 p.2 n.4*
*Aspiciebam donec Throni positi sunt etc. c.7 p. 145 n.7*
*Ecce bestia quarta terribilis etc. c.7 p 15 n.94 ad 100 et p.26 n.231*
*Stabit in loco eius despectus etc. c. 11. pag. 21 n.171*
*Consurget Rex impudens facie &c. c.9 p.24*
*Multiplicabit gloriam etc. c.11 p. 24 n.214*
*Deum autem Maozim etc. c.11 p.25 nu. 217*
*Et post Regnum eorum etc. c.8 p.26 n.232*
*Eleuabitur et magnificabitur etc. c.11 pag.26 num.233*
*Et mittet manum suam etc. c.11 p128 n.246*
*Et introibit in terram gloriosam et c.11 p. 28 n.247 et 248*
*Dissimilis erat cæteris bestijs etc. c.7 p. 29 nu. 257 et 258*
*Et ecce oculis etc. c.7 p.36 nu.352*
*Ruent in gladio et in flammas etc. c. 11. p. 39 nu. 385*
*Porro docti intelligent etc. c.12 p. 44 nu. 428 et p.45. n.437 et 438*
*Beatus qui expectat et peruenit vsque ad dies mille etc. c.12 p.56 n.537 et p 60 num.584 ad 586 et 592*
*Et tradentur in manu eius vsque ad tempus et tempora etc. c.7 p.57 nu.551*
*Et figiet tabernaculum suum Apadnò etc. c. 11 p.57 nu.558 et 559*
*In tempore autem illo consurget Michael etc. c.12 p 58 n.565*
*Multi de his qui dormiunt in puluere etc. c. 12 p.100 n.17*
*Iudicium sedit et libri aperti sunt etc. c.7. pag. 184 n.396 ad 401 et 403 et 404*
*Qui autem docti fuerint fulgebunt etc c. 12 p.592 n.39*

Ex Osea

*De manu mortis liberabo eos etc. Osc 13 p. 748 nu.265 et 267*

Ex Ioele

*Magnus enim dies Domini et terribilis valde etc c. 2. p.145 n.8*
*Deducam eos in vallem Iosaphat etc. c.3 pag. 159 n.169*
*Et disceptabo cum eis ibi etc. c.3 p. 181 n. 367*
*Ante faciem eius ignis vorans etc. c.2. p. 188 num.9*

Ex Nahum.

*Reuelabo pudenda tua in facie etc. c.3 p. 174 num.285 et p.178 nu.335*

Ex Habacuch.

*Non consurget duplex tribulatio etc. c.3. pag. 743 nu.214*

Ex Sophonia

*Scrutabor Ierusalem in lucernis etc. c.1. pag. 173 n.276*

Ex Zaccharia

*Et erit dies vna quæ nota est Domino etc. c. 14 p.225 n.160*
*Sedebit Ierusalem secura etc. c.14 p.312. n.278*

Ex Malachia

*Ecce ego mittam vobis Eliam etc. c.4 nu.22. pag.18*
*Elias conuertet cor Patrum ad Filios etc. c.4 p.19 n.135*
*Ecce enim dies veniet succensa etc. c.4 p. 199 nu.167*
*Dominus exercituum quasi ignis conflans sedebit &c. c.3 p.203 n.211.*

Ex lib. Machabeorum.

*Elias dum zelat &c. c.1. c.2.p.16.n.110.*
*Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis &c. c.2.c.12.p 710.n.33.*

Ex Matthæo.

*Cum videritis abominationem &c. c. 24. p. 2. n 5 et p 34. n. 316. et p.35.n.342.*
*De die autem illa & hora &c. Matt.24.p.8.n. 47 & 48.*
*Quid ergo scribæ dicunt quod Elias c.17 p.18. n. 22.*
*Ecce hic est Christus aut illic &c. c.24 p.32. n.292. et p.36.n.354.*
*Erit tribulatio magna &c. c.24.p.39.n.386.*
*Sicut autem in diebus Noe &c, c.24. p. 61. n.590. & p 66. n.23. & 24.*
*Tiro & Sidoni remissius erit &c. Matt. 11, p.175. n.300.*
*Mittet Angelos suos cum tuba &c. c.24.p.96. n.118. et p.97 n.139. et p. 98. nn.148.*
*Mittet filius hominis Angelos suos &c. c.13.p. 97. n.142. et 143.*
*Esurivi & dedisti mihi manducare &c. c.25. p.100.n.18.*
*Media nocte clamor factus est &c. c. 25.p. 124. n.61.*
*Erant septem fratres &c. c.22.p.127 n.79. et 80.*
*Neque filius hominis scit &c. c.24.p.150. nn. 66. et p.151.n 72.*
*Et prædicabitur Euangelium in universo orbe &c. c 24. p.151. n.77. & 78.*
*Stellæ cadent de cœlo &c. c.24.p.222. n.138. ad 145.*
*Omne verbum otiosum &c. c.12 p.171.n.262.*
*Cælum & terra transibunt &c. Matt. 24. p. 214.n.56. et p.101. n 166.*
*Angeli eorum semper vident faciem Patris &c c 38 p.389.n.32.*
*Conventione facta cum illis de denario diurno &c. c.20.p.401. n.204 ad 206.*
*In resurrectione non nubent neque nubentur &c. c.22.p.582.n.311.*
*Aliud cecidit in terram bonam &c. c.13.p.601 n.93.& 94 a et à n.97. ad 104.*
*Non exies inde donec reddas novissimum &c. c.5 p.712. à n.53.*
*Quodcunque solveris super terram &c. c. 16. p.814.n.825.*
*Sinite parvulos venire ad me &c.c.19.p.825. n 13.*

Ex Marco.

*Vestri capilli capitis &c. c. 10. p.114. n.139.*
*Cœlum & terra transibunt &c. c.13. p. 197. sub n.142.*
*Videbitis filium hominis sedentem &c. c.14.p. 567.n.195. ad finem §.*
*Apparuerunt ei Moyses & Elias &c. c. 9. p. 680.n.143. 144.& 151.*

Ex Luca.

*Capillus de capite vestro non peribit &c. c.21. p.107.n.69.*
*Erunt signa in Sole Luna &c. c. 21.p.154. n.100. et 104.*
*Regina Austri surget in judicio &c. c.11.p.175 n.199.*
*Servus qui cognovit, & non fecit &c. vapulabit multis &c. c.12 p.256.n.243.*
*Pater Abraham mitte Lazarum &c. c. 16. p. 258. n.270.*
*Ligatis manibus ex pedibus mitte eum in tenebras &c. c.13. p.259. n.289.*
*Eadem mensura qua mensi fueritis &c. c.6. p.275.n.467.*
*Ut edatis & bibatis super mensam meam &c. c.22. p.568. n.200. et p. 586.n.348.ad 350*
*Redde rationem villicationis tuæ &c. c.12. p. 772. n.502.*

Ex Ioanne.

*Ego veni in nomine &c. c.5.p.32. nn.193. et p. 41. n.405.*
*Dedit eis potestatem Civitas Dei fieri &c. c.1. p.635. n.96.*
*Pater gratias ago tibi quoniam audisti me &c. c.11.p.89 n.66.*
*Sicut Pater resuscitat mortuos &c. c.5.p 91. n.83.*
*Venit hora in qua &c. c.5. p.92. n.87. & p. 99. n.4.*
*Sicut Pater habet vitam in semetipso &c. c.5. p 94.n.107.*
*Non potest filius à se facere quicquã &c. c.5. p.95.n.109.*
*Ostendit eis manus et latus &c. c.20. pag.117. n.173.*
*Videbunt in quem transfixerunt &c. c. 19. p. 117.174. et p.161. n.88. et 97.*
*Nunc judicium est mundi &c. c.12.p 174. n.19.*
*Qui credit in eum non judicatur &c. c.3.pag. 147.n.21.*
*Et potestatem dedit ei judicium &c. c.5.p.161. n.89 et 114.*
*Pater non judicat quemquam &c. c.5. p.163. n.120. et n.126. ad 132.*
*Qui verbum meum audit &c. in judicium venit &c. c.5. p.170. n.227. ad 230 et 235.*
*Hæc est vita æterna ut cognoscant te &c.17. p.358.n 82.*
*Domine ostende nobis Patrem &c. c.14. p.359 n.86. p.484. n.95. ad 100.*
*Neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis &c. c.6. p.381. nn. 39.*
*Similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est &c. c.13 p.461.n.342.*
*Omnia quæcumque audivi à Patre meo &c. c.15. p.505. n.258.*
*Venit nox quando nemo potest operari &c. c. p.735. n.167. et n.509.*

Ex Actis Apost.

*Quam Deus suscitavit à mortuis &c.c.2.p.89 n.65.*
*Non est vestrum nosse tempora &c. c.11 p.151 n.70.*
*Cecidit super eum mentis excessus &c.c.10. p. 693.n.230.*
*Cum multo tempore magijs suis dementasset eos &c. c.8. p.693. n.234.*

Ex Ep. Ad Rom.

*Per peccatum mors intravit &c. c.5.p.62. n.9*
*Christus Jesus qui mortuus est &c. c.8. p.93 n.96.*

*Si enim vnius delicto mortui sunt &c. c.5.p. 93.n.98.*
*Quos præscivit et prædestinavit &c. c.8. pag. 128. n 90.*
*In omnem terram exivit sonus &c. c.10.p.152 n.86 ad 91.*
*Mihi flectetur omne genu &c. c.14. p. 160. num.76.*
*Ipsa creatura liberabitur à servitute &c. c. 8. p.225.n.163.*
*Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei &c. c.5. p.303 n.200.*
*Gratia Dei vita æterna, c 6 p.338. num. 128. et 131.*
*Spes, quæ non videtur non est spes &c. c.8.p. 611.n.58.*
*Sine pœnitentia sunt dona Dei &c. c.11. pag. 741.n.210.*
*In Adam omnes peccaverunt &c, c.5. p. 827. nu.41.*

Ex Ep. Ad Corinthios

*Præterit figura hujus mundi &c.c.7 p. 212. n.32. et 13.*
*Omnes quidem insurgemus &c.c.15. p 63.nu. 10. et 19 et p.99 n.26 et p.121.n.27.*
*Sicut in Adam omnes moriuntur &c. c. 15.p. 63.n.11.et p.92.n.93 et p.93 n.97.*
*Ut non simus fidentes in nobis &c.c. 1 p. 71. num.60.*
*Christus surrexit à mortuis primitiæ dormientium &c. c.15 p 92.n.9:. et 92.*
*Si Christus prædicatur quod resurrexi &c. c. 15.p.93.n.97.*
*Canet enim tuba &c.c.15 p.98.n.149.et p.107 num 63.et p.136.n.1.*
*Omnes nos manifestari oportet &c.c.5.p. 101. n 20.et p.772. n.501.*
*Mortui resurgent incorrupti &c. c.15. p. 116. n.162. et 165.et p.117.n.182.*
*Deus dat unicuique seminum proprium corpus &c. c.15.p.127.n.81.*
*Seminatur corpus animale surget corpus spirituale &c.c.15.p.139.n.38.*
*An nescitis quia Sancti de hoc mundo judicabunt &c. c.6. num.181,*
*Nescitis quoniam Angelos judicabimus &c. c. 6 p. 169 n.215.et 234.*
*Illuminabit abscondita &c. c.4.p.171. n. 252.*
*Nolite ante tempus judicare &c.c.4.nu.288.*
*Dies Domini in igne declarabit &c.c.3.p 188. n.10.et 36. et p.201.n.187. ad 190.et p.202, 206.ad 209. et 212.*
*Ipse enim salvus erit sic quasi per ignem &c.c. 3.p.201.n.192.et p.722.n.51.& 52.*
*Unius cujusque opus quale sit ignis probabit &c.c.3. p.208.nu. 265. ad 267. et p. 209. num.272.*
*Scit hominem raptum usque ad tertium Cœlum &c c.12.p.324.n.364. ad 367. et pag. 693.n.231*
*Per fidem ambulamus, et non per speciem &c. c.5.p.381.n. 39. et p.469. n.402. et p. 604. n 9.ad 12.*
*Tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum &c. 13. p. 361. 41. ad 46.*
*Charitas numquam excidit &c. c.13. p. 327. n.179.ad 184.*
*Seminatur corpus in ignobilitate surget in gloriam &c c. 15.p.346. num. 7. et 8. p 581 n.302. ad 307.*
*Cum venerit quod perfectum est evacuabitur &c. c 13. p 605.n.13.ad 22.*
*Scientia destruetur &c.c. 13.p 615. num. 79. et p.652.n.241.ad 243.*
*Sive in corpore sive extra corpus nescit &c. c.15.p.678. n.138.*
*Satbanas transfigurat se in Angelum lucis &c. c.11.p.698.n.261.et 262. et p.699.n.273.*
*Alij descriptio spirituum &c.c 12.p.701. n.291.*
*Judicavi tradere hujusmodi Satbanæ &c. c.5 p.757.n.364*
*Si quis super ædificat aurum &c. c.3.p. 758. n.367. et p 761. n.395.*

Ex Ep. Ad Ephesios.

*Deus qui Dives est in misericordia &c. c.2. p. 93 n.99*
*Convivificavit nos in Christo &c. c.2. pag. 93 nu. 104.*
*Donec occurramus omnes in virum perfectum c.4. p 107 n.68 et p.116 n. 161 et p.128 nu. 88 et p.133 n.136 et p.134 n.156*
*Ut innotesceat Principatibus et potestatibus in cœlestibus &c. c.3. p.488 n. 126*

Ex Ep. Ad Philippenses.

*Si quomodo occurram ad resurrectionem &c. c.3. p. 97 n.140 et p.205 n.240.ad 243*
*Reformabit corpus humilitatis nostræ &c. c.3 p.569 n.206 et p.587.n.303*

Ex Ep. Ad Colossenses.

*Ipse est caput corporis Ecclesiæ &c. c.1.p. 92. num. 95*
*In quo sunt omnes Thesauri Sapientiæ &c. c.2. p.492 n.151*

Ex Ep. Ad Thessalonicenses.

*Ne quis vos seducat ullo modo &c.c.2.p.2 n.6*
*Nisi venerit discessio primum &c. c.2. p.10 n. 59 ad 61 et p.13 & 14 n.84 ad 89 et p. 151 num.75*
*Et revelatus fuerit homo peccati &c. cap. 2. p. 25 n.223 et p.34 n. 317 et p.31 n.271*
*Et tunc revelabitur ille iniquus &c. c.2. p.28 n.250 et p.58 n.563*
*Cujus adventus secundum operationem Sathanæ in omni virtute &c c.2 p.36 n 355*
*Si enim credimus quod Jesus mortuus est &c. c.4 p.89 n.58*
*Non prævenietmus eos qui dormierunt &c.c.4 p.89 n.59*
*Deinde nos qui vivimus &c. c.4 p.202 n. 203*
*Quoniam ipse Dominus imperio &c. c.4 p. 92 n.88 et p.97 n.130 et p.196 n.115 et 119&c.*
*In voce Archangeli et in tuba &c. c. 4 p. 98 num.147*
*Dies Domini sicut fur in nocte &c c.5 p. 124 num.62.*

Ex Ep Ad Timotheum.

*Spiritus manifestè dicit &c. c.4 p.25 n.218*
*Deum lucem inhabitat in accessibilem &c.c.6 p.320 n.333*
*Deum quem nullus hominum vidit &c. c.6 p. 322 n.353 ad 355*
*Regi sæculorum invisibili &c. c.1 p. 378.n.29 et 59*

Ex

Ex Ep. Ad Hebræos

*Fide Enoch translatus est &c. c.11 p.16 nu. 108*

*Statutum est hominibus semel mori &c. c.9 p. 62 nu.8*

*Hi omnes testimonio fidei probati &c. c.11. p. 300 n.170 et 171*

Ex Ep. Iacobi.

*Iudicium sine misericordia fiet &c. c.2 p. 277 n.493*

Ex Ep. Petri

*Elementa calore soluentur &c. 2. Petri c. 3 p. 188 n.11 et p.193 n.81 et 86*

*Cœli magno impetu transient &c. c.3 p.199 n.160 et p.212 n 34 et 35*

*Nouos verò cœlos et nouam terram secundum promissa ipsius &c. c.3 p.216 n.67 et 70 et p.214 n.57*

*Spiritu Sancto misso de cœlo in quem desiderant Angeli &c. c.2 p.379 n.32.*

*Vt diuinæ efficiamur consortes naturæ &c. c. 1 p.635 n.96*

*Dabo operam frequenter vos habere post obitum meum &c. c.1 p.659 n.48*

*In quo et his qui in carcere erant Spiritus &c. c.3 p.748 n.267*

Ex Ep. Ioannis

*Antichristus venit &c. c. 2. Nunc iam est in mundo c.4 hic est Seductor & Antichristus &c. c.7 p.4 n.21*

*Deum nemo vidit vnquam &c. c.1 p.320. n. 332 et p.332.n 352*

*Perfecta charitas foras pellit timorem &c. 4 p. 620 n.117*

*Omnis Spiritus qui soluit Iesum &c. 1 p. 706 num.311*

Ex Ep. Iudæ

*Prophetauit autem septimus ab Adam Enoch &c. p.170 n.230*

*Angelos vere qui non seruauerunt suum principatum &c. p 170 n.233*

Ex Apocalypsi

*Habeo claues mortis & Inferni &c. c. 1 pag. 236 n.24*

*Et si quis adorauerit bestiam &c. c.14 p.2 n. 5*

*Soluitur Satbanas &c. c.20 p.2 nu.5 et p.50 nu.489*

*Alligauit Draconem mille annis &c. c. 20 p. 7 nu.37*

*Et dabo duobus testibus meis &c. c.11 p.19 num.127*

*Faciet aduersus eos bellum &c. c. 11 pag. 28 num.249*

*Cum consumati fuerint &c. c.20 p.29 n.267*

*Et ciuitatem Sanctam calcabunt mensibus &c. c.11. p.45 n.440*

*Nisi quis habeat characterem bestiæ &c. c. 13 p.47 n.465*

*Et faciet eos pusillos et magnos &c. habere characterem in dextera manu sua &c. c. 13 p.46 n.455*

*Et factum est vulnus sæuum et pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ &c. c.16 p.46 n.457*

*Et apprehensa est bestia, et cum ea pseudo propheta &c. c.19 p.46 n.458*

*Vidi Angelum habentem clauem abyssi &c. c.20 p.307 n.236*

*Hic sapientia est, qui habet intellectum &c. c.13 p.48 n.474*

*Vt non seducat gentes donec &c. c. 20 p. 307 n.236*

*Et mulier fugit in solitudinem &c. c.12 p. 53 num.506*

*Descendit ignis de cœlo &c. c. 20 p. 58 n.564*

*Et vidi vnum de capitibus Bestiæ &c. c. 3 p. 59 n.581 et p.2 n.3*

*Ceteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille annis &c. c.20 p.122 n.37 ad 42 et p.307 nu.236*

*Vidi Thronos etc. et iudicati sunt mortui &c. c.20 p.160 n.77*

*Et vidi mortuos magnos et pusillos &c. c. 20 p. 173 n.303 et 304 et p.177 nu.313 et 323. et libri aperti sunt &c. ib.p.184 n.398 ad 401*

*Vidi cœlum nouum, et terram nouam &c. c. 21 p.190 n.56 et 66 et p.192 n. 74 et p. 216 nu.68 et p.214 n.57*

*Stella cœli de cœlo ceciderunt &c. c. 6. p. 223 n.145 et 146*

*Cecidit de cœlo stella magna &c. c.6 pag. 223 num.147*

*Quantum glorificauit se &c. Et duplicate duplicia secundum &c. c.18 p. 257 n.244 et 245 et p.278 nu.494*

*Regnabunt cum Christo mille anni. pag. 307 num. 236*

*Beatus qui habet partem in resurrectione prima etc. c.20 ibid.*

*Ipsa Ciuitas aurum mundum etc. c.21 p. 574 num.240*

*Et audiui vocem de cœlo tamquam vocem aquarum etc. c.14 p.584 n.339*

*De Trono procedebant septem lampades etc. c 4. p.617 num.94 ad 100*

*Lignum vitæ afferens fructus duodecim etc. c.12 p.618 n. 109*

Ex Symbol. Apost.

*Qui venturus est iudicare viuos et mortuos exponitur quatrupliciter, p.66 n.25 ad 28.*


DI-

# DISPVTATIO PRIMA DE ANTICHRISTO.

CTVRI de Nouissimis, quæ in Mundi fine accident, scilicet de omnium morte, Resurrectione, Iudicio, Inferno, & Gloria, alijsque ijs connexa; operæpretium duxi, de quibusdam præuijs discurrere: eò vel maxime, quia nullus vmquam aptior occurret locus, in quo de ijs differamus. In horum autem discussione cautè procedemus; nec aliquid pro certo asseremus, quod vel ex Sacra Scriptura, vel ex Sanctorum Ecclesiæ Doctorum placitis desumptum non fuerit. Et primò de Antichristo loquemur. Ideo sit

## ARTICVLVS I.

### *An futurus sit Antichristus.*

Antichristi Aethimologia.

DVERTO primo. Ex *S. Augustino in tract. de Antichristo. Hieron. ad Algasiam, quæst. 11. Ambrosio in cap. 13. Apocal.* & omnibus Scripturistis *in c. 1. ep. 1. Ioan.* quod hoc nomen Antichristus, idem est, ac *Christi aduersarius*, seu contrarius. Ideoque sumitur primò, generaliter pro omni eo, qui aduersatur Christo, eiusque legi, sicut sumitur à *Ioanne in epist. 1. cap. 2. versu 18. Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* & *versu 22. Qui negat, quoniam Iesus est Christus, hic est Antichristus.* & in eadem *epist. cap. 4. vers. 3.* ait. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc in mundo est.* & *in epist. 2. cap. 7. Qui non confitetur, Iesum Christum venisse in carnem, hic seductor est, & Antichristus*, & ita de alijs,

Multis modis sumitur.

& in hoc sensu plerique scelesti dicti sunt Antichristi, vt Antiochus Epiphanes persecutor Sinagogæ, Herodes Antipatris filius, Simon Magus, Apollonius Thianæus, Nero Iulianus Apostata, Arius, &c. alij. Secundo sumitur Antichristus pro certa, ac determinata persona contraria Christo in omnibus, quæ persona perhibetur futura circa mundi finem, de qua loqui videtur *Apostolus 2. ad Thessal. 2. Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne id, quod dicitur Deus*, & post aliqua, *tunc reuelabitur ille iniquus, &c.* quæ de Antichristo singulari persona pronunciari, Patres omnes communi calculo subscribunt. De hac ergo persona inquirimus, an ventura sit ante mundi finem.

Scelesti quidam dicuntur Antichristi, & quare.

2 Aduerto. Apud antiquos Patres nullam fuisse controuersiam de futuro aduentu Antichristi, paulò ante mundi finem; sed solum dubitasse quosdam de persona, & moribus eius. Quidam enim quos citant *Augustinus lib. 20. de Ciu. Dei cap. 19 Hieron. in cap. 11. Danielis*, & alij, putarunt Neronem esse futurum Antichristum, & quod resuscitabitur in fine Mundi. Alij, vt refert *Hieronymus in cap. 7. Daniel.* dixerunt futurum esse dæmonem aliquem incarnatum. Alij alia, vt dicetur passim; sed omnes docuerunt, Antichristum esse futurum; soli Moderni, & effrontes hæretici, dixerunt, nullam circa finem mundi venturam de nouo personam, quæ sit, aut dicatur Antichristus, sed Antichristum multò iam ex tempore venisse in mundum, & hunc (proh nefas) esse Romanum Pontificem, qui est, & facit omnia Christo contraria, & extollitur super omne id quod dicitur Deus. Ita impius Caluinus *lib. 4. Instit. cap 7 §. 25*, eiusque Gregales. Item Lutherus *in supputationes temporum, art. 28. & 36.* omnesque eius perfidiæ assecłæ, qui tamen, cum spiritu vertiginis, & confusionis sint inebriati, neque inter se conueniunt, quisnam cœperit in Ecclesia esse Antichristus, cum plures, veros, & Sanctos Pontifices fateantur, sed de his postea aliqua dicam. His positis

Sententiæ de persona Antichristi

Hæretici moderni negant futurum Antichristum, sed dicunt iam venisse

Antichristus singularis persona veniet.

3 Dico. Singularis quædam persona circa finem Mundi ventura est, quæ verè, & realiter est, & dicitur Antichristus.

4 Prob. 1. Ex scripturis veteris testamenti, in quibus iuxta Glossarum, & Patrum explicationem prædicitur Antichristi aduentus circa finem Mundi *Genes.* 49. dum Iacob benedicit filijs, sic loquitur de Dan: *Dan iudicabit populum suum, sicut, & alia tribus Israel. Fiat Dan coluber in via Cerastes insomita, &c. Glossa interlin.* Verbo, *Dan coluber*, ait, *Antichristus. Glossa ordin.* dicit, hæc omnia de Antichristo prædici, *qui contra Sanctos, morsu pestifero prædicationis, & cornu potestatis armabitur.* Secundo, ex *Iudicum* 18. *Miserunt ergo filij Dan.* Vbi *Glossa, Lyrani*, ait. Per Tribum Dan potest Antichristus cum sibi adhærentibus designari; per viros autem de Tribu Dan, missos ad considerandum terram, designantur eius prænuncij ad prædicationem, & dilatationem sui imperij. Tertio, ex *cap.* 18. *Iob. Expellet eum de hac, &c.* Vbi *Glossa ord.* ait, *Hæc de Antichristo accipienda sunt, & in hoc aperit, dum dicit, in die eius stupebunt, quia tanta tunc signa demonstraturus, & crudelia, ac dura facturus est, vt ad stuporem adducat, quos in fine Mundi inuenerit; & priores Patres Eliam, & Enoch, &c.* Quarto, ex *Iob cap.* 41. *Cum apprehenderit eum gladius, &c.* Glossa ordin. ait. In Antichristum diabolus veniens, tantæ virtutis apparebit, vt si supernum adiutorium desit, & prædicantium acumen obtundat, & longanimitatem patientium destruat. Quinto, ex *Psal.* 9. Verbo, *Orfano tu eris adiutor.* Glossa Lyrani, ait, Populo Christiano, qui Antichristi tempore videbitur, quasi sine patre protegente; & prosequitur, reliqua eidem applicando. Sexto, ex *Daniel* 11. *A tempore cum posita fuerit abominatio desolationis.* Glossa interlin. ait; *Cultus Antichristi.* Glossa ordin. inquit, Antichristus exhibitus hominibus ad adorandum, & prosequitur cum Glossa interlin. declarare initium durationem, & deiectionem Antichristi: & *Dan.* 7. clarius prædicitur eius aduentus, *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius.* Vbi Interlin. ait, Antichristus ignobilis, obscuro loco natus, tres reges primò humiliabit, &c. Idque diffusè prosequitur Glossa Lyrani, & infra in eodem capite, sic loquitur Angelus ad Danielem. *Porrò cornua Regni decem, ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Interlin. ait, hunc potentiorem, esse Antichristum, qui in fine Mundi consurget. Idemque prosequitur latè Lyranus. Septimo, ex *Zacharie* 12. in principio, vbi comminatur vltimum excidium Ierusalem, Lyranus totum hoc de persecutione Antichristi declarat, dicens, quia Iudæi noluerunt recipere Christum, ideò iustè permittentur à Deo recipere Antichristum, qui falsò dicet, se esse Christum, & sic ab eo decipi. Et ex alijs locis Veteris Testamenti in sequenti art. & per totam Disputationem adducendis, Antichristi aduentus confirmatur.

Ex veteri testam. arg.

5 Prob. 2. Ex nouo testamento. *Matth.* 24. vbi ex contextu totius textus Saluator prædicit excidium mundi; at inter cætera habetur. *Cum ergo videritis abominationem desolationis, &c.* Glossa Interlin. Verbo, *Erit tunc tribulatio magna*, ait, *hoc propriè temporibus Antichristi.* Sequitur textus, *tunc, si quis vobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere, surgent enim Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.* Interlin. ait membra eius, qui se efferet super omne, quod dicitur Deus. Primo Antichristus, ex 2. *Thessal.* 2. Secundo, ex *Apocal.* 13. in principio. *Vidi vnum de capitibus, quasi occisum*, vbi Interlin. ait, *Antichristum fingentem se, quasi mortuum.* Glossa ordin. Simulabit se Antichristus mortuum, & per triduum latens, post apparebit, dicens se suscitatum. & Verbo, *Qui in captiuitatem*, ait, tandem à salute captinabit homines Antichristus. Verbo, *Qui in gladio*, dicit Antichristus, & sui occidunt in gladio materiali, &c. Verbo, *Vt vidi aliam bestiam.* Glossa ordin. ait, descripta tribulatione, quæ erit per Antichristum, & suos socios subiungit aliam, quæ fiet per suos Apostolos, quos ipse per totum diuidet mundum, &c. Verbo, *Loquebatur sicut Draco*, dicit Interlin. omnes modi quibus Antichristus decipit. Ordin. verò dicit Pseudo Apostoli, ita loquuntur, sicut diabolus in Antichristo. In fine autem eius capitis fit mentio de charactere, quo bestia signabit suos gregales, & de nomine bestiæ. Et tam Glossa Interlin. quam Ordin. totum hoc explicant de Antichristo, vt nos in proprio loco aperiemus. Tertio, ex *cap.* 14. *Apocal. versu* 9. *Et si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu.* Interlin. Verbo bestiam, ait Antichristum. & Verbo, *Nec habent requiem, qui adorauerunt bestiam.* Glossa ordin. ait. Non mirum si illi, qui Antichristum adorauerunt, tempore ipsius punientur. Et tandem, vt alia pluspuam centum loca omittam *in cap.* 20. *Apocal. Soluetur Satbanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, &c.* quem locum Glossæ, & Sacrosanctæ Ecclesiæ Doctores, explicant de Antichristo, & eius sequacibus. Igitur futurus est Antichristus.

Ex nouo testam. arg. de Antichristo aduentu.

6 Prob. 3. Ex 2. *ad Thessal. cap.* 2. vbi Apostolus præmonet fideles, ne terreantur ex vanis aliorum prædictionibus, *quasi inquit instet dies Domini. Nè quis vos seducat vllo modo, quoniam, nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Et post aliqua. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,*

Thessal. 2.

*sui, & destruet illustratione aduentus sui eius cuius est aduentus secundum operationem Satanæ.* Et prosequitur Apostolus significando opera Antichristi, eiusque progressum, & finem. Glossa autem Interlin. Verbo, *Ille iniquus*, ait, *Antichristus*, & Verbo, *Aduentus*, ait, scilicet *Antichristi*, & Lyranus, Verbo, *Iniquitatis*, ait, *Antichristus, qui dicitur iniquitas in abstracto, propter excessum suæ malitiæ.* Ergo.

Concil. Later. 5. 7 Prob. 4. Ex *Concil. Lateran. 5. sess. 11. constit. 1.* vbi supposito futuro Antichristi aduentu, prohibetur tantum, nè prædicetur tempus aliquod determinatum, in quo venturus sit. Ergo ex Concilio est futurus.

Ex S. Ioann. Chrysost. 8 Prob. modo ex PP. & primo, ex *S. Ioan. Chrysost. in Matt. cap. 24. homil. 78. Cum Antichristus venerit, licentius omni turpi voluptate inigui, & qui salutem suam desperabunt, vtentur. Tunc ad explendum furorem meritis multi ludebunt*; & post aliqua. *Sic Antichristus apparebit, post quem consumatio, & intolerabilis pœna sequentur.* Ergo.

Ex eodem. 9 Conf. ex eodem *in c. 24. Matt. hom. 49. operis Imperfecti. Quoniam autem tribus annis, & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum multa Scripturæ significant maximè tamen in reuelatione sua Ioannes*: & post. *Vsque in finem tenebis Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. De hoc enim Apostolus Thessal. 2.* ait, *Nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, &c.* replicans, quod supra diximus. Deinde, *licet ex quodam qua exposuit supra dicta signa fuerunt præcedentia diruptionem Ciuitatis Ierusalem, & templi, hoc autem, quod dicit, Cum videritis abbominationem desolationis stantem in loco Sancto, & omnia quæ dicuntur deinceps signa sunt consummationis futura, & venturi filij Dei, qui & in abbominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum.*

Ex eodem. 10 Conf. 2. Ex eodem *Chrysost. orat. 4. in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* sic *Quando Romanum Imperium de medio fueris sublatum, tunc ille Antichristus veniet*, & post multa, sic sequitur. *Propterea dicebat Christus, Ego veni in nomine Patris mei, & me non suscepistis, si alius venerit in nomine suo illum suscipietis. Atqui de hoc Antichristo multa quidem fuerunt prædicta, nempe quod iniquus, quod filius interitus, quod esset eius aduentus secundum operationem Satanæ.* Hæc Chrysostomus.

Ex S. Cypriano. 11 Prob. Ex *S. Cypriano lib. 3. cap. 118. Item de Antichristo, quod in hominem veniat; ad Esaiam hic homo, qui concitat terram, & commouet Reges, qui ponit orbem terræ totum desertum.* Secundo *in adhortatione ad Tibaritanos*, ait, *Scire debetis, & pro certo credere, ac tenere præsura diem super caput esse cœpisse, & occasum sæculi, atque Antichristi tempus appropinquare.* Igitur tenebat esse futurum; licet sibi videbatur, præludia eius aduentus iam incœpisse.

12 Prob. Ex *S. Hilario cap. 25. in Matt. Antichristus abbominatio à Daniele ex eo dictus, quod aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vindicet.* S. Hilario.

13 Prob. Ex *S. Ambrosio in epist. 1. ad Cor. cap. 4.* De passione Apostoli loquens, ait, *Sicut passim sunt Enoch, & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim debent ante Christum, ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias, ad resistendum Antichristo: quos, & persecutiones pati, & occidi lectio Apocalypsis testatur.* Secundo, ex eodem *in cap. 2. epist. 2. ad Thessal. Non prius veniet Dominus, quam Regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet Sanctos, &c.* Ergo. S. Ambros.

14 Prob. Ex *S. Augustin. tract. 29. in Ioan.* super illud, *qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit*, sic habet, *hic erit ille, qui vocatur Antichristus extollendo se, sicut Apostolus ait supra omne, quod dicitur Deus, & colitur.* Secundo, ex eodem *lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 19.* super illud, *Mittet illis Deus operationem erroris, &c.* ait, *Nulli dubium est eum de Antichristo ita dixisse, dicque iudicij.* S. Augustin.

15 Prob. Ex eodem *Augustin. in tract. de Antichristo*, qui habetur in originali antiquo in *par. 10. tract. vlt.* sic. *Antichristus*, sic vocatur, *quia Christo in cuncta contrarius erit, & Christo contraria faciet*, & post aliqua, *humiles deijciet; peccatores magnificabit; impios exaltabit; semperque vitia docebit: legem Euangelicam disrumpet, dæmonum culturam in mundo renouabit, vel reuocabit; gloriam vanam quærens, omnipotentem Deum se nominabit.* Et sic prosequitur, de progressu, & fine eius, de quibus nos infra. Idem Augustinus, alias sæpe de Antichristo loquitur *lib. 16. de Ciuitate cap. 24. lib. 18. cap. 53. lib. 20. cap. 8. 12. 19. 23.* Item *in epist. Ioann. tract. 3.* in medio *tract. 6.* post medium, & alibi frequenter. Ex eodem. Idem sæpè.

16 Prob. Ex *S. Hieron. ad Algasiam q. 11.* vbi insinuat, quæ præcedere debent ante Christi aduentum, & ait, *tunc sciant Antichristum, id est hominem peccati, & filium perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, esse venturum*: & post aliqua, *filius perditionis est, scilicet diaboli, ipse est enim vniuersorum perditio, quia aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus*; & prosequitur diffusam narrationem morum progressus, & finis illius. Ex S. Hier.

17 Prob. Ex Prospero Aquitanico, *De promissionib. & predictionib. Dei lib. 4. cap. 9.* vbi declarans locum *Daniel. 11. Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & elevabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica*; dicit, *His ostenditur quod ex Iudæis de Tribu Dan, quæ hodieque in Perside est, veniat Antichristus, &c.* & post, *statimque verum Christum Dominum venturum ostendit, dicens saluator tuum expectabo Domine*, loqui- Ex S. Prospero.

tur hic de Iacob *Gen 49* prædicente aduentum Antichristi ex Tribu Dan.

Ex Beda. 18 Prob. Ex *Beda in cap. 48. Gen.* declarante prophetiam Iacob de Dan: & post multa, sic habet, *Serpens ille cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristus asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestifera prædicationis æmabitur, etiam cornibus potestatis*, & post, *cum venerit Antichristus occurret post illius vestigia Christus celeri aduentu, vt illum interficiat spiritu oris sui.* Idem habet *Beda in Marcum lib. 4. cap. 13. lib. 6. in Lucam cap. 23.*

Ex Cyrillo Hierosol. & Cyril. Alex. Iræn. Athan. Greg. Nanz. Tertull. Orig. Theophil. Lactant. Ansel. Haim. Eucher. 19 Prob. tandem aduentus Antichristi futurus, ex *Cyrillo Hierosolymit. Catechesi 13.* ex *Cyrillo Alexandr. lib. 3. in Ioan. cap. 16. lib. 11. in Gen.* & *quæst. 109. in Genes.* & tandem *in Epitome Diuinorum decret. cap. De Antichristo.* ex *Ioan. Damasc. lib. 4. Fidei orthod. cap. 27.* ex *Iran. lib. 5. cap. 25. & cap. 30.* ex *Athanasio quæst. 20. & 30.* ex *Greger. Nanziane. orat. 14. orat. 47.* ex *Origene Homil. 3. in Psal. 36.* ex *Tertull. lib. de Resurrect. car. cap. 27.* ex *Ephrem tract. de Consumat. sæculi, & Antichristo*, ex *Theophilacto in cap. 2. ad Thessal. 2.* ex *Lactantio Fir. lib. 7. diuin. Institut. cap. 16.* ex *Eucherio in Dom. 2. Aduent.* ex *Haimone in cap. 11. Zacharia*, ex *Anselmo in enarratione Euangelij*, & alijs innumeris PP. quos recensere tædium esset.

Ex S. Tho. S. Bonau. Bernardino Sen. Gersone. 20 Prob. Ex Scholasticis *D. Bonau. in 2. sent. dist. 7. par. 2. quæst. 2. num. 83. & in d. 11. par. 2. quæst. 1. num. 26. D. Thom. de humanit. Dei cap. 29. & in cap. 13. Apocal.* ex *D. Bernardino Senen. de Iudicio Gen. ser. 11.* ex *Gersone in Summa lib. 6. de Gaudijs Paradisi*. Ergo Antichristus est venturus.

Arg. contr. Ob. contra Cathol. thesim. In nullo Scripturæ loco fit mentio de Antichristo futuro in fine mundi: ergo. Anteced. prob. Loca potissima, quæ adduci possunt, quod sit futurus, sunt *in epist. 1. Ioan.* vt *cap. 2. versu 18. ac 22. & cap. 4. versu 3.* & tandem *in epist. 2.* eiusdem *Ioann. vers. 7.* sed loca ista non sunt ad rem, nam in primo loco dicit *Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.* In secundo loco, ait, *Qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, & nunc iam in mundo est.* In tertio tandem habet: *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carnem; hic est seductor, & Antichristus.* Ex quibus omnibus, vt patet, vel colligitur, quod Antichristus venit; vel, quod non sit danda aliqua singularis persona, quæ proprio vocabulo dicenda sit Antichristus; imò omnes infideles Christum negantes dicendi sunt Antichristi.

Conf. Nullus alius assignari potest Scripturæ locus, in quo prædicatur Antichristus vt singularis aliqua persona; & si ex aliquo loco potest colligi, non intelligitur de illa, quæ asseritur futura in fine mundi, sed de alia persona Christo contraria, vt solent intelligi Apocalypsis loca 13. 14. ac 20. de Mahometo: de illo enim ea intelligit Lyranus. Igitur compertum non est ex Scriptura, quod venire debeat Antichristus.

Resp. clara. 21 Resp. dist. anteced. *In nullo scripturæ loco fit mentio verbis explicitis tranſeat, verbis æquiualentibus, & implicitis, nego.* Ad probat. concedo totum; quia ex ijs Ioannis Epistolarum locis, aliud non colligimus, nisi quod contrarius Christo dicatur Antichristus; & multi fuerunt in mundo ex istis, nè dum tempore Ioannis, sed post, & nunc etiam adsunt. At ex illis locis non deduximus futuritionem Antichristi singularis personæ, qui erit in fine mundi Princeps, atque tyrannus sæuus, & qui extollet se supra omne id, quod dicitur Deus, aut colitur, & sedebit in templo tamquam Deus cum cæteris Antichristi proprietatibus: sed hoc probauimus ex alijs scripturæ locis, præsertim ex *epist. 2. ad Thessal. cap. 2.* & ex *Matth. 24.* in ijs enim locis ita describitur persona hæc singularis, vt quasi acu tangatur; vt, nè dum in hoc, sed in sequentibus articulis palam fit.

Licet aliqua loca declarari possint mistice de hæresiarchis, & inimicis fidei, litteraliter tamen de Antichr. loquuntur, 22 Ad confirm. Iam dixi, & attuli loca, ex quibus deducitur, quod futurus sit Antichristus, singularis persona; & licet omnes, nè dum Ezechielis, sed & Danielis, Zachariæ, &c. veteris testamenti, verum, & Apocalypsis loca in aliquibus possint declarari de alijs tyramnis, & hæresiarchis, fidei Catholicæ hostibus, vt illæ veteris testamenti de Antiocho Synagogę sæuissimo inimico, & destructore; & Apocalypsis de Nerone, & alijs post eum tyramnis; tamen, vt optimè Glossa ordinaria, & Lyranus in ijs locis euincunt, non omnia, quæ inibi prædicuntur, possunt aptari prædictis tyramnis; & de singulis euidenter probant. At estò sic, homo peccati, & filius perditionis futurus in mundo, tempore defectionis totalis Romani Imperij, qui in signis falsis, & mendacijs mirabilibus operabitur, & pro Deo coli volet, & in templo sedebit, vt Deus, & interficietur tandem spiritu oris Christi, à Paulo prædictus, nulli istorum potest aptari. Adde tandem, comunem Ecclesiæ sensum, Patrumque concordiam, docentium, Antichristum singularem personam esse in fine mundi venturum. Ideo ad alia transeamus.

Conuincens discursus,

## ARTICVLVS II.

### *Quando venturus sit Antichristus. Vbi de fine mundi.*

Maxima difficultas de tempore aduentus Antichristi. 23 ADuerto 1. Maximam esse difficultatem de tempore aduentus Antichristi, & de fine mundi, nè dum inter Catholicos, & hæreticos, verum etiam inter ipsos met Catholicos, cum ex scriptura, nihil certi de alte-

alterutro habeatur, imò maxima incertitudo, vt patebit, dicente Saluatore, *non est vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate*. Et licet plerique Sancti Patres conati sint ex Sacra Scriptura colligere totam mundi periodum, seu durationem fore sex millium annorum, quod & Hebræi defendunt, tamen & hoc incertum est; & dato quod certum esset, adhuc est incertum quando finiet mundus, quia est incertum quando inceperit, seu quot anni præterierint, ex quo conditus est; maxima enim inter Chronistas de initio mundi, & de præterita duratione est controuersia, & tanta, vt *Fridericus Husmannus in ep. ad Electorem Palatinum*, dixerit quadraginta extare Chronologorum opiniones de anno mundi, in quo natus sit Christus. Adducam tamen aliquorum Patrum sententias de hac præfinita sex millium annorum mundi ætate, vt appareat, quid de hoc senserit, estò nutans antiquitas.

De initio mundi magna controuersia.

Antiqui dixerunt sex millibus, mundum duraturum.

24 Adu. 2. Quod licet, vt dictum est aliqui, & magni nominis, vt patebit Ecclesiæ Doctores senserint, sex millibus annis mundum fore duraturum; nullus tamen eorum ausus est assignare, post quot annos eius finis aduenret; neque quonam certò anno, vel sæculo apparebit Antichristus, licet si viuerent, possent conuinci, quod sequentes hanc sententiam sexti millenarij, tenerent etiam sententiam de anno, vel sæculo saltem determinato, in quo finietur mundus, & in quo veniet Antichristus. Nam, vel loquentes de Christiana Epocha iuxta Hæbraicam, & valde ab aliquibus laudatam supputationem, dicerent Christum natum esse anno à *creatione mundi 3938*, vel iuxta septuaginta interpretum supputationem, quam in Martyrologio sequitur Ecclesia, natum esse, anno à creatione mundi 5199. si dicerent primum, conuincerentur consequenter tenere, quod post 2062. à natiuitate Christi erit finis mundi per hanc enim summam complentur sex millenarij: si dicerent secundum, conuincerentur docuisse, quod anno 801. post natum Christum debuisset finire; & ita de falso. Verumtamen, qui eam secuti sunt sententiam, neque de principio, neque de fine aliquid certi dixere.

Qui loquutus sit de tempore determinato finis mundi,

25 Adu. 3. Quod primus, quem ego comperiam, qui temere de tempore determinato aduentus Antichristi, & finis mundi locutus sit, fuit *Gerbertus* quidam, & alij ex ipso, vt refert Cæsar Baronius in tomo 11. anno 1001. & Abbo Floriacensis in Apologetico ad Reges Francorum missio; hi ergo testantur, prafatos Nebulones prædicasse, quod post annos mille à natiuitate Christi, venturus erat Antichristus, qua de re prædictus Abbo consolatus est Reges, & ne terrerentur admonuit, quoniam fabula erat, quæ per eos sicofantas diuulgabatur. Bartholomæus Iannouesius de Insula Maioricæ ex *Eimerico in direct. par. 2. quæst. 11.* prædicabat, Antichristum futurum anno à natiuitate Christi 3060. Alij alia eructarunt mendacia, quæ non sunt ad rem.

Hæretici quid de Antichr. dicant in odium Catholicæ Ecclesiæ.

26 Adu. vlt. Hæreticos nonnullos docuisse, quod Antichristus iam venerit, & in odium Romanæ Ecclesiæ blasfemarunt, Romanum Pontificem esse Antichristum; sed & adhuc discordant. *Illyricus* enim *Cent. 6. cap. 1.* dicit anno 600. id est tempore Gregorij I. id accidisse. *Henricus Bullingerus in præfat. homil. in Apocal.* dicit contigisse anno 763. nempe sedente Paulo I. *Musculus in locis tit. De Ecclesia cap. 12.* dicit accidisse anno 1200. videlicet sedente Innocentio III. Alij, vt reliquos omittam dixerunt Antichristum venisse Apostolorum tempore, sed regnare cœpisse sub Phoca Imperatore, scilicet post annum 600. & tandem reuelatum esse tempore Lutheri, ita *Gabriel Possellus lib. 1. cap. 1. §. 8.* Lutherus autem ad *cap. 49. Gen.* vbi ex Glossa prædicitur Antichristi aduentus, ait, *falsissimam esse hanc opinionem, & diabolum huius fabulæ fictorem fuisse, & finxisse hanc Glossam*, docet tamen anno 600. in Gregorio I. eum venisse; ita ex Prateolo, Gualterio, & Alfonso de Castro. Verbo, *Papa*. Hos autem omnes egregie confutat *Cardinalis Bellarminus in tom. 1. lib. 3. de Roman. Pontif.* His autem notatis.

Lutherus dicit esse fabulam aduentũ Antichr.

Non est de fide, neque certum quod mundus durabit sex millenis annis.

27 Dico 1. Licet plerique SS. Patres docuerint, Mundum per sex annorum millia duraturum; tamen hoc neque de fide est, nec vllam habet certitudinem.

Licet aliqui PP. id dixerint,

28 Prob. 1. pars. Ex relatione *D. Hieron. in epistolari expos. Psal. 89. ad Cypr.* exponens enim illud, *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies externa, quæ præterijt*, inquit. *Ego arbitror ex hoc loco, & ex epistola, quæ nomine Petri inscribitur mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium numerum, & octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus.* Igitur ipse refert aliquos tenuisse durationem mundi esse sex millium annorum, imo & ipsemet videtur approbare.

Hieron.

29 Prob. 2. Ex *S. Irenæo lib. 5. contra hær. cap. 28. Quotquot diebus factus est mundus, tot & millenis annis consumatur, & propter hoc ait scriptura, & consumata sunt Cælum, & terra, & omnis ornatus eorum, & consummauit Deus die sexto omnia opera sua, quæ fecit, & requieuit in die septimo. Hæc autem est antefactorum narratio, & futurorum prophetia. Si enim dies Domini, quasi mille anni: in sex autem diebus consumata sunt, quæ facta sunt; manifestum est quoniam consumatio istorum sextus millesimus est:* Ergo.

Ir æn.

30 Prob. 3. Ex *S. Iustino Mart. lib. Quæstionum ad Gent. quæst. 71.* sic habente. *Ex plerisque scriptura verbis intelligere, licet verum pronunciare, qui sex annorum millia tempus, nunc ab Orbe condito esse tradunt. Aliquando enim dicit Paulus in quos fines sæculorum*

Iustinus.

*lorum denenerent, interdum quoque cum venit expletio temporum. Hæc autem omnia in sexies millesimo anno dicta sunt.* Ergo.

Lactantius. 31 Prob. 4. Ex *Lactantio Firmano lib. 7. cap. 14.* sic docente. *Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto consummationem fieri necesse est.* Et postea recolens, quod in sex diebus Deus mundum creauit; & in septimo requieuit, inquit, *Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex, id est annorum sex millia manere in hoc statu mundum necesse est; dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat Propheta, qui dicit ante oculos tuos mille anni, tamquam dies vnus. Et vt Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laborauit; ita & religio eius, & veritas in his sex millibus annorum laborare necesse est, malitia prævalente, ac dominante. Et rursus quoniam perfectis operibus requieuit die septimo eumque benedixit, necesse est, vt in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur à terra, &c.*

Hilarius. 32 Prob. 5. Ex *S. Hilar. in cap. 17. Matth.* Vbi declarans illud, *& post sex dies transfiguratus est*, ait, *Cum post sex dies gloria Dominica habitus ostenditur, sex millium scilicet annorum temporibus euolutis, Regni cœlestis honor præfiguratur.* Ergo perspicuum est, hos Doctores id tenuisse de mundi ætate.

2. pars. 33 Prob. 2. pars. *Primo* nullus est scripturæ locus, nullumque Concilij decretum, quo hæc sex millium annorum doctrina firmetur: ergo. Secundo, Actor. Apostol. 1. habetur, Christum dixisse Apostolis percontantibus de restitutione Regni Israel, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, vbi Glossa Interlin. ait, *id est non est hominum diem iudicij nosse, vt quasi suspensi semper iudicium expectent.* Igitur si eis non erat notus finis mundi, quando scilicet futurum est iudicium, sequitur non esse veram doctrinam sex millium annorum; nam probabilissimum est, eos sciuisse, quo mundi anno Christus natus sit, & si per sex mille annos esset duraturus mundus, detractis annis, qui præcesserant, ex semetipsis, absque alia reuelatione potuissent concludere, quando deberet finire mundus, & fieri iudicium: ergo.

Nullus scrip. aut Concilij locus asserit durationem mundi per sex annorum millia.

Ex absurdo argum. 34 Prob. 2. Si esset de fide, vel saltem certa hæc doctrina erassent S. Ambrosius, & Augustinus, qui contrarium asseruere: ergo. Antec. quo ad secundam partem prob. *Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 2.* hos Commentarios scribens circa anno Domini 370. Loquens de assumptione Iacobi, & Ioannis *Matth. 17.* dicit. *Sed Matthæus, & Marcus post dies sex assumptos esse hos memorarunt. De quo possemus dicere post sex millia annorum, mille enim anni in conspectu Dei, tamquam dies vna, sed plures quam sex millia computantur anni.* Ergo tenebat Ambrosius, iam ante Christum natum, vel saltem ante sua tempora præcessisse sex mille annos; & tamen mundus adhuc durabat. Igitur si esset de fide sequeretur, eum tenuisse contra fidem. Idem de Augustino dicendum. Ipse enim *in Psal. 89.* declarans citata verba: *Mille anni ante oculos tuos, sicut dies, &c.* sic ait. *Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum quod scire cupientibus discipulis Dominus, ait non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate; & definierunt, hoc sæculum sex annorum millibus, tamquam sex diebus posse finiri, nec attenderunt quod dictum est, tamquam dies vnus, qui præteriit. Non enim quando hoc dictum est soli mille anni præterierant; & quod eos maxime debuit admonere, ni tempore luderentur incerto illud est; sicut vigilia in nocte: neque enim sicut de sex diebus, aliquid verisimile videntur opinati propter sex primos dies, quibus Deus perfecit opera sua, sic etiam sex vigilias, id est horas decem, & octo, possint illi opinationi coaptari.* Ex quibus concluditur, quod non adhæret sententiæ sex millium annorum.

Ambrosius docet contrarium, Augustinus idem tenet.

Sent. de sex millibus annis est Talmudica; 35 Prob. 3. Hæc opinio est Hæbraica, & Talmudica, quam Rabini tenent esse traditionem ex Elia Profeta deriuantem. Sic enim habet Rabi Iacob *in Collect. de Christo ex Talmud tract. Sanhedim cap. Helec*, ex Genebrardo. *Docet* demus 1. secta Eliæ, *sex mille annis erit mundus, duobus mille inanitas; duobus mille lex; duobus mille dies Christi.* Et prosequitur declarare, quomodo iam transierint anni inanitatis, & quotus annus legis currebat. At ego dico, quod si hanc teneant sententiam Hebræi, coguntur fatere Christum iam venisse, etiam si propriam supputationem annorum mundi sequantur. Ergo, cum Ecclesia Talmudicis fabulis aurem non præbeat, hæc sententia sex millium annorum, nec pertinet ad fidem, nec est certa.

Argum. ad impossibile, 36 Prob. 4. Si huic sententiæ adhæreret Ecclesia, facile posset conuinci de falsitate. Ergo non est doctrina fidei, neque certa. Prob. sequela. Ecclesia sequens supputationem septuaginta Interpretum vtitur Martyrologio per Baronium notis multis illustrato, asserente Christum natum anno mundi 5199. Si autem in sexto millesimo deberet esse finis mundi, cum in hoc anno 1663. post Christum natum vltra sextum millenarium præterierint anni 862. Ecclesia conuinceretur errare circa annum natiuitatis Christi ab orbe condito, & teneretur Epocham illam corrigere. Ergo quidquid sit de veritate talis Epochæ, euidentissimum est, sententiam hanc sex millenariorum non habere, neque veritatem fidei, neque certitudinem naturalem, aut moralem.

Validum ex Aug. arg. 37 Dices. Estò non sit fidei, est tamen receptissima inter Doctores Ecclesiæ, vt patuit; & ipsemet *D. Augustin.* alicubi eam approbat: ergo. Saltem est maximè probabilis. Antecced. prob. *Aug. lib. 20. de Civ. Dei cap. 7.*

*cap. 7. B.* declarans locum *Apoc. 20. & alligauit draconem mille annis, & misit illum in abyssum, &c.* ait. *Qui propter hæc huius libri verba primam resurrectionem futuram suspicati sunt corporalem; inter cætera maximè numero annorum mille permoti sunt, tamquam oporteret in Sanctis illis, eo modo velut tanti temporis fieri Sabatismum vocatione, scilicet sancta post labores annorum sex millium, ex quo creatus est homo, & magni illius peccati merito in huius mortalitatis ærumnas, de Paradisi fœlicitate dimissus est. Vt quoniam scriptum est vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus, sex annorum millibus, tamquam sex diebus impletis, sequitur velut, Sabbati septimus in annis mille postremis, ad hoc scilicet Sabbatum celebrandum resurgentibus Sanctis. Quæ opinio esset vtcumque tolerabilis, si aliquæ delicias spirituales in illo Sabbato affutura Sanctis per Domini præsentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Et confutans hanc intelligentiam de sabbatismo, seu quiete, & voluptatibus carnalibus; adducit suam sententiam de mille annis, & ita alloquitur; *mille autem anni possunt intelligi; aut, quia in vltimis annis mille ista res agitur, id est sexto annorum millenario, tamquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora volumntur, futuro deinde sabbato, quod non habet vesperam, requiem scilicet Sanctorum, quæ non habet finem, vt huius milliarij, tamquam diei nouissimam partem, quæ remanebit vsque ad terminum sæculi, mille annos appellauerit.* Ex quibus habetur, Augustino probari sententiam sex millenariorum: ergo.

Vera, & accurata resp.

38 Resp. neg. consequ. Estò enim concederetur hanc sententiam aliquando Augustino visam fuisse non improbabilem, vt ipse loquitur, non proinde sequitur eam tenuisse tamquam certam. Loquitur ergo Augustinus in aliorum sententia, dum ait sex diebus correspondere sex annorum millia iuxta illud, *mille anni tamquam dies externa, &c.* Idemque alij dixerunt; at certa sententia non est, & multò minus de fide, cum Ecclesia eam non sequatur, sed permittat, sicut accidit in alijs permultis, quæ ad fidem non pertinent.

Etiam si teneretur dicta sententia adhuc incertum est quo tempore finiet mundus.

39 Dico 2. Licet teneretur sententia, quod sex tantum annorum millibus duraturus sit mundus; tamen adhuc incertum esset, quoto ab hinc anno, vel sæculo sit finiturus, & Antichristus venturus.

40 Prob. Data illa sententia, adhuc incertum est, quot anni, vel sæcula ab orbe condito præterierint: ergo nequit certò supputari, quot deinceps remaneant. Anteced. prob. Tanta est Authorum diuersitas in assignando, quoto mundi anno Christus natus sit, vt *Fridericus Husmannus in epist. ad Electorem Palatinum*, inter Christianos, quadraginta enumeret Chronologorum opiniones de primo anno Æræ, seu Epochæ Christianæ ad annos mundi applicando. Et vt patet, aliqui ex Catholicis Hebraicam, alij septuaginta Interpretum supputationem sequuntur: & est inextricabilis concertatio de ætate, seu Epocha mundi inter Chronistas, vt refert *Setbus Caluisius in cap 27 suæ Chronologiæ*. Si ergo assignari non potest certò, quot ex sex millibus præterierint anni, neque poterit assignari, quot adhuc remaneant.

Arg. ex absurdis.

41 Prob. 2. Ex absurdis, in quæ incidere necesse est, si certum aliquid prænuncietur. *Lactantius* enim *lib. 7. cap. 25.* sic habet. *Iam superius ostendi completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, & iam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem quando tamen compleatur hæc summa, docent hi qui de temporibus scripserunt, colligentes eam ex litteris Sanctis, & ex variis historijs quantus sit numerus annorum ab exordio mundi. Qui licet varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen expectatio, non amplius, quam ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa* Lactantij deceptio. *declarat lapsum ruinamque rerum breui fore,* & tamen, vt patet enormiter deceptus est, ipse enim in tertio sæculo tempore Constantini viuebat, imo, & magister Crispi, Imperatoris filij, erat; & post eum mundus per 1341. annos duranit, & durat. Ergo.

Apollinarij deceptio.

42 Apollinarius, ex *Hieronymo in cap. 9. Dan.* sic docuit. *Ab exitu Verbi, quando Christus de Maria generatus est Virgine, &c.* narrat annorum seriem vsque ad Claudium Imperatorem, & postea addit. *Cum autem quadringenti triginta quatuor anni post hoc fuerint euoluti, id est sexaginta duæ hebdomadæ, tunc ab Elia, qui venturus est iuxta sermonem Domini Saluatoris, vt restituat cor Patrum ad filios in vltima hebdomada ædificandum Ierusalem, & Templum per annos tres, & semis venturumque Antichristum.* Sed hic etiam enormissimè deceptus fuit. Claudius enim anno Christi 70. erat & tamen mundus post 1599. durat.

Aliorum deceptio.

43 Alij, quos refert *Photius lib. de Hæres.* dixerunt, *quod ex quo venit Dominus, vsque ad consummationem sæculi non plus, nec minus fieri annorum numerum, nisi trecentorum sexaginta quinque vsque ad Christi Domini, iterum de cœlo diuinam præsentiam.* Sed patet falsitas.

Augustinus refert alios deceptos circa hoc.

44 Alij vt refert *S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 53.* alias summas annorum assignarunt, vt meritò eos derideat Augustinus, inquiens, *Frustra annos qui huic sæculo remanent computare, ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alij quadringentos, alij quingentos, alij etiam mille ab Ascensione Domini, vsque ad eius vltimum aduentum complere posse dixerunt. Quemadmodum autem quisque eorum affirmat opinionem suam longum est demonstrare, & non necessarium; coniecturis quippe vtuntur humanis, non ab eis certum aliquid de scriptura canonica authoritate proferetur.*

Arg. à priori.

*fertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet, qui dicit non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.*

45 Alij, quos ad ludum ferè refert *S. Vincentius Ferrerius in epist. ad Benedictum*, docebant, *tot annos futuros à natiuitate Christi, vsque ad finem mundi, quot versus sunt in Psalterio, quia quilibet versus est prophetia vnius anni*, quæ tamen somnia sunt, nulli fundamento innixa.

Est Ecclesiæ ignotum in quo anno finiet mundus,

46 Dico 3. Est penitus Ecclesiæ ignotum quoto post anno, vel sæculo futurus sit mundi finis, aduentusque Antichristi. Est de fide certa.

47 Prob. 1. Ex *Matth. 24. vers. 36.* vbi de iudicio finali loquens Saluator, ait, *De die autem illa, & hora, nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi Pater.* Glossa Interlin. ait, *in quo filius, & Spiritus Sanctus intelligitur.* Glossa autem ordin. sic inquit. *De die nouissima post quot annos, vel dies ventura sit, nolite solliciti esse.* Et post aliqua, subdit, *in quibusdam codicibus additur, neque filius, qui quidem omnia scit cum Patre, sed non facit bominis scire, quia inutiliter sciretur, sed semper simus incerti de aduentu iudicis, &c.* Lyranus verò, ait, sicut principium mundi à solo Deo fuit prægnitum, ita & finis mundi soli Deo est cognitus, & homini Christo reuelatus, ad quem pertinet iudicare de omnibus. Hęc Lyranus.

48 Conf. Ex *Marci 13. De die illa, neque filius hominis scit.* Glossa Interlin. ex *Hieron*, ait, *id est corpus eius, quod est Ecclesia.* Glossa autem ordin. replicat, quod supra, addens, *quia nobis scire non expedit, non enim est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; in quo ostendit, quod sciat, sed nosse Apostolis non expediat, vt semper incerti simus, de aduentu iudicis. Scit ergo filius hominis sibi, sed non nobis, vt simus solliciti.* Ergo. & licet de die iudicij loquatur Saluator, tamen eadem est ratio de anno, de fine mundi, & de Antichristo.

Ex Concil. Later. 5.

49 Prob. 2. Ex *Concil. Later. 5. sess. 11. conft. 1. Superna*, post medium, sic habente, *Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentus, aut certum iudicij diem prædicare, vel asserere, nequaquam præsumat, cum veritas dicat non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, ipsosque, qui hactenus asserere similia ausi sunt, mentitos.* Inhibetque hæc prædici sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruatæ. Ergo.

Arg. contr. 1.

Ob. contra 1. Innumeri Ecclesiæ Doctores tenent totam mundi periodum non esse, nisi sex millium annorum: ergo. Anteced. prob. Præter allatos in probat. primæ conclusionis, eam tenent *S. Germanus Episcopus Constantinop. lib. de Theoria rerum Eccles.* idem *S. Cyrillus, & S. Ioann. Chrysost. de Antichristo*, idem *Gaudentius Episcopus Brixiæ tract. 8. in Exod.* & alij.

50 Resp. consequentiam esse probandam, estò enim id plerique Patres putauerint, non proinde ad fidem spectat; vel certitudinem concludit. Imò si ad dicta postremorum respiciamus, contrarium tenere necesse est. Nam *S. Germanus ex Cyrillo, & Chrysostomo*, sic habet in loco citato, *Quod Pontifex obsignet populum, id subindicat, futurum aduentum Christi anno sexies millesimo quingentesimo, ex supputatione digitorum significante sexies millesimum quingentesimum. Id & Hippolytus è Roma, & S. Cyrillus dicunt in libris suis de Antichristo, anno sexies millesimo quingentesimo futurum aduentum fore, itemque Chrysostomus.* Licet aliqui negent hæc inueniri in operibus præfatorum Patrum, vel dicant ea esse falsata. At non est necessarium ad hæc effugia recurrere, cum non communis Ecclesiæ sensus is fuerit, sed aliquorum opinio, quam admittimus, sed dicimus non pertinere ad fidem, neque esse certam. sed relinquimus eam in suo statu. Idem dico ad Gaudentium, qui eiusdem fuit opinionis, sed non facit fidem, aut certitudinem.

Licet aliqui PP. conceserint post sex mille annos futurum iudicium non concludunt,

Ob. contra 2. Ex *Habacuch cap. 3.* habetur, *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, In medio annorum notum facies.* Ergo cum opus Dei (id est incarnatio) in medio annorum sæculi, seu mundi fuerit, potest concludi quando erit finis mundi, & aduentus Antichristi. Consequ. prob. Nam Glossa Interl. *in cit. cap. vers. 1. Domine audiui auditionem tuam*, ait, *quod Deus homo*, & Verbo, *Timui*, ait, *quia mirum*, & prosequitur, tam ipsa, quam Glossa ordinaria, applicando omnia illa ad incarnationem Verbi. Si ergo scitur numerus annorum, qui præcessit primum aduentum, scitur etiam numerus, qui præcedit secundum.

Arg. contr. 2. Validum,

51 Prob. 1. Ex *Lyrano* ibi, non esse sermonem de incarnatione, sed de Caldæorum, seu Babyloniorum destructione, in præcedenti enim id est secundo capite audierat, seu reuelatum sibi fuerat à Deo, eos destruendos; vnde prorumpit in hæc verba, *Domine audiui auditionem tuam, & timui, Domine opus tuum*, id est hæc destructio per Cirum, quæ fieri non potest virtute humana, sed sola diuina, *in medio annorum viuifica illud*, id est in medio tempore captiuitatis, seu à destructione templi, vsque ad reparationem per Zorobabel; Balthasar enim in tempore illo medio fuit occisus. Hunc autem fuisse sensum literalem, & intentionem Habacuch, patet ex anteced. & consequentibus, sequitur enim, *cum iratus fueris, misericordia recordaberis, &c.*

Locus Habacuch non intelligitur de incarnatione.

52 Resp. 2. Quod si locus ille prophetię explicetur allegoricè de aduentu Christi, eiusque natiuitate, Glossa Interlin. Ly *in medio*, sic explicat *in plenitudine temporis.* Lyranus verò mistice explicando hunc textum, de redemptione hominis, & deiectione diaboli facta per Christum, sic ait, *Domine audi-*

2. resp. De Christo intelligitur locus ille, sed non est ad rem.

*auditui*, per prædicationem tuam, & discipulorum tuorum. *Auditionem tuam*, id est obedientiam tuam Deo Patri de salute generis humani. *Et timui* amore filiali, quia tanta pro me fecisti. *In medio annorum vivifica illud*, Christus enim trigesimotertio anno, quod est quasi medium ætatis humanæ passus est, & tunc per mortem suam vivificauit genus humanum. *In medio annorum notum facies, &c.* tunc enim liberando Patres de Limbo notam fecit misericordiam suam contra iram suam de peccato Adæ, Hæc *Lyranus*.

3. resp. Data opinione nihil sequitur.

53 Resp. 3. Etiam si intelligatur de mysterio incarnationis, & de redemptione facienda in medio annorum mundi, neque sequitur proinde, quod in mathematica vtrinque medietate annorum mundi id acciderit; sed sufficit si verificetur post principium, & ante finem mundi; voluit enim Propheta innuere, quod ante quam finietur mundus, fiet redemptio. Nam etiam *Ezechias*; *Isa.* 38. inquit, *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*, vbi Glossa Interlin. ait, *quia non implebo cursum annorum meorum, sicut Patres mei*. Et Glossa ordin. per dimidium dierum intelligit, quamlibet mensuram non completam, quam aliquis sibi præfixit. Et hoc clare patet ex Lyrano ibi, quia, inquit, Ezechias, erat tunc in trigesimonono anno vitæ suæ, & post infirmitatem quindecim annis regnauit, qui quidem comparati ad 54. non sunt medietas. Innumera pariter habemus scripturæ loca, in quibus medium alicuius quanticatis numeri, vel loci non semper significat notam duarum partium æqualium *Genes.* 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum*, id est inter aquas. *Exodi* 3. *Vocauit eum de medio Rubi*, id est de Rubo. *Exod.* 14. & alibi sæpè, *per medium ficci maris*, id est per mare siccum. *Exod.* 25. *Habitabo in medio eorum*, id est inter eos, seu cum eis. *Leuitici* 18. 20. *&c. peribit de medio populi sui, succidam eum de medio populi, &c. Num.* 3. *In medio filiorum Israel.* sic. 4. 8. 11. 12. 16. *&c. Deuter.* Sexcenties *in medio castrorum, de medio nationum, &c.* & ita de alijs infinitis locis, in quibus facere, seu esse in medio non importat præcisam, & æquilibratam medietatem. Sit pro coronide locus *Psalmi* 73. *vers.* 12. vbi dicitur. *Operatus est salutem in medio terræ*. Est autem ibi sermo de incarnatione, & redemptione hominis facta per Christum, vt exponit Glossa Interlin. quæ in terræ medio facta est, nempe in Ierusalem, quæ, licet dicatur esse in medio terræ, vt notat Glossa ordin. & *Lyranus*, ait in medio terræ habitabilis; & iterum, inquit in medio climate; imò licet à Geografis dicatur vmbillicus terræ, non proinde iuxta Geografiæ regulas est punctualiter, & ad amussim in medio terræ habitabilis, ita vt sit veluti centrum respectu totius terræ, quæ ad eam se habeat, vt circumferentia; patet ex inspectione planisferij Geografici, ab Ierusalem enim Orientem versus, vsque ad orientalissimam partem Asiæ numerantur in æquinoctiali gradus, plusquam 90. Occidentem versus vsque ad primum meridianum circa 70. ex parte Australi vsque ad oras Indici maris gradus circa 20. ex parte septentrionali vsque ad oras maris glacialis, circa 50. Ergo non ad amussim est in medio terræ. Ita prorsus dicendum est de medio annorum, in quo facienda est incarnatio, vel redemptio, quod scilicet intra ipsam mundi durationem ex propheticq oraculo erat peragenda, non verò in fine; parum autem refert, si dicatur paulò, vel multò post principium; aut paulò, vel multò ante finem: omnibus enim hisce modis, dicitur in medio annorum.

Infantiæ manifestę de medietate annorum, quomodo intelligatur

Ierusalem; quomodo dicatur in medio terræ.

vlt. resp.

54 Resp. tandem, quod licet allegoricè intelligatur, scilicet de opere redemptionis, & de medio ad amussim, quod scilicet tot anni debeant succedere post eam, quot præcesserunt; adhuc tamen incertum nobis est, quoto nam anno, vel sæculo finiet mundus; cum iuxta Augustini, & communem Ecclesiæ sententiam incertum ei sit, quot omnino iam ante Christum præcesserint.

Coroll. confirmans incertitudinē finis mundi, & Antichristi aduentū.

55 Collige ergo ex his cum *Chrysostomo homil.* 9. *in epist.* 1. *ad Thessal* docente ignotum, prorsus esse tempus finis mundi, & Antichristi aduentus, sic autem habet, *Properat itaque animus noster ad multa quidem iam cognoscenda, & comprehendenda, maximè tamen ad sciendum consummationis tempus; & quid mirum si nobis hoc accidit? ipsi namque Sanctissimi omatum potissimi idem perpessi sunt, audi igitur, quæ idem Beatus Paulus dicat* 1. *Thessal.* 5. *De temporibus autem, ac temporum articulis, fratres non opus habetis, vt vobis scribam. Quod enim dicit non opus habetis opus, tamquam superfluum, & velut inutile non permittit, vt quærant*. Idemque prorsus *Beda*, qui in *lib. De Ratione temporum cap.* 66. monet esse prorsus impossibile id naturaliter scire sine reuelatione, sic, *Cunctis suademus, vt, sive quis ex Hebraica veritate, sive ex septuaginta Interpretum translatione, sive ex vtriusque commixto opere codicibus, vt sibi visum fuerit temporum cursum notauerit, sive prolixiora, sive breuiora transacti sæculi tempora signauerit, aut signata reperierit, nullatenus tamen ex hoc longiora, vel breuiora, quæ restant sæculi tempora putet, memor semper dominicæ sententiæ de die illa nemo scit*. Hæc *Beda*.

## ARTICVLVS III.

### *An Romani Imperij defectio, sit signum aduentus Antichristi.*

56 ADuerto totam huius articuli difficultatem habere ortum, ex *epistola 2. ad Thessal. cap. 2.* vbi prænonens eos, ne timeant, quasi iudicium de proximo instaret, ait, *Rogamus vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, ne terreamini quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.* Ex quibus verbis colligitur, quod ante aduentum Christi ad iudicandum, venire debeat filius perditionis, &c. id est Antichristus; & ante eum præcedere debet *discessio*. De hac discessione est maxima difficultas; quia communiter SS. Patres per *discessionem* videntur intelligere defectionem ab Imperio Romano; & tamen multæ, ac notabiles factæ sunt discessiones à Romano Imperio, neque proinde Antichristus apparuit. Id ergo videndum: an, & qualis defectio, seu discessio à Romano Imperio sit signum proximi aduentus Antichristi.

Sensus art. & ratio dubitandi, est ex Apost. Paulo

57 Aduert. Quod cum sententia communis doceat ex Paulo, Antichristum non venturum, nisi deficiant populi à Romano Imperio, est etiam discutiendum quid intelligatur per hoc Romanum Imperium. Num potentia, & dignitas illa, ac iurisdictio Imperialis, quæ olim erat in Principibus, qui succedentes Reipublicæ Regimini dicuntur Imperatores, & Augusti, vt Octauianus, Tiberius, Claudius, &c. vsque ad Constantinum, qui sedem transtulit Constantinopolim, an etiam alij post eum in Oriente manentes, vel in Occidente, vt Carolus Magnus, & alij Successores; aut in Septentrione, & Germania, vt Otho Primus, & Successores, vsque ad nostra tempora, etsi hi omnes post Constantinum, & verius post Ludouicum Primum Imperatorem, numquam potiti sunt Roma, aut in ea imperauere, vel eius ditionem iure turbauerunt, vel nomine Imperij Romani intelligatur dignitas, & iurisdictio Imperialis circa sæcularia in Ducatu Romano translata à Constantino, & Ludouico Primo in Papam; vel tandem intelligatur Pontificia in spiritualibus iurisdictio. Hæc ergo breuiter, & distinctè sunt inuestiganda; an Antichristi aduentus futurus non sit, nisi deficiat Rom. Imperium. Secundo, quod nam sit hoc Imperium. Tertio, quomodo sit defecturum. Quarto, an statim post eius defectionem, sit venturus.

Quid intelligatur nomine Romani Imperij.

Puncta discutienda.

58 Dico 1. Antequam Antichristus veniat, deficere debet Romanum Imperium; Est communis. Ante aduentum Antichristi deficiet Rom. Imperium.

59 Prob. 1. Ex eit. *Pauli loco in ep. 2. ad Thessal. cap. 2. Nisi venerit discessio primum*, vbi Glossa Interlin. ait. *Sed non instat dies Domini, nisi prius genus à Romano discedant Imperio, sed non statim post.* Glossa ordin. ait, *Occultè loquitur de destructione Imperij Romani, nè irritaret eos ad persecutionem Ecclesiæ:* & in Verbo, *Stetit*, ait, *qui scire quid desinat*, id est ne veniat Antichristus, *nec apertè exponit, nisi quod quidam suspicantur de Romano Imperio dictum fuisse, donec tollatur, vel de medio fiat. Et ideo Apostolum non apertè id scribere voluisse, ne calumniam*, Ex Gloss. *scilicet incurreret, quod Romano Imperio male optauerit, cum speraretur æternum.*

60 Prob. 2. Ex *S. Ambrosio in epist. 2. ad Thessal.* qui explicans illa verba. *Et tunc reuelabitur ille iniquus*, ait, *Post defectum Regni Romani apparitorum Antichristum dicit, sicut memoratum est, deficiente autem Regno Romano, & ille de cœlis mittetur, deorsum proiectus in terram.* Idem habet *in cap. 9. Danielis.* Ex S. Ambr.

61 Prob. 3. Ex *S. Ioanne Chrysost. orat. 4. in ep. ad Thessal. cap. 2. Quando Romanum Imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille veniet*, id est Antichristus, *quando enim fuerit motus huius Imperij, nemo ei se subiungetur, quando autem hoc fuerit euersum, & vacans, inuadet Imperium, hominumque, & Dei Imperium aggredietur rapere, quomodo enim euersa sunt, quæ ante id fuerunt Regna, vtpote Medorum à Babylonijs, & Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, & Macedonum à Romanis, ita hoc quoque ab Antichristo, & ille à Christo, & non amplius retinebit.* Ex S. Ioann. Chrysost.

62 Prob. 4. Ex *S. Hieron. Ad Algasiam quæst. 11. Nisi venerit discessio primum, vt omnes gentes, quæ Romano Imperio subiacent, recedant ab eo, & reuelatus fuerit id est offensus, quem omnia Prophetarum verba prænunciant homo peccati, &c.* & post aliqua: *Nisi fuerit Romanum Imperium desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet, qui ideo ita venturus est, vt Antichristum destruat.* Et declarans illa alia Apostoli. *Et nunc quid detineat scitis*, ait, *hoc est, quæ causa sit, vt Antichristus in præsentiarum non veniat, optimè nostis. Nec vult apertè dicere Romanum Imperium destruendum, quod ipsi qui imperant æternum putant, vnde secundum Apocalypsim Ioannis in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est Roma æterna. Si enim apertè dixisset non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur Imperium, iusta causa persecutionis in tunc Orientem Ecclesiam consurgere videbatur. Quodque sequitur tantum, vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, hunc habet sensum; tantum, vt Romanum Imperium,* Ex S. Hier.

quod

*quod nunc universas gentes tenet recedat, & de medio fiat, & tunc Antichristus veniet.* Idem *in cap. 25. Hieremiæ*, ait, *Eum, qui tenet Romanum Imperium ostendit, nisi enim hoc destructum fuerit, sublatumque de medio iuxta Prophetam Danielis Antichristus antea non veniet.* Hæc Hieronymus placuit omnia adducere, vt liqueat eius clara intentio.

Ex S. Augustino

63 Prob. 5. Ex *D. Augustino* qui licet *in lib. 20. de Civit. cap. 19.* videatur prima facie de hoc ambigere, tamen, & ibi & alibi id defendit, ait enim ibi, *qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus. Ego prorsus quid dixerit, fatear, me ignorare. Quidam putant 1. Hieron. &c. hoc de Imperio dictum fuisse Romano; & propterea Paulum Apostolum id apertè scribere noluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quod Romano Imperio malè optaverit, cum speretur æternum.* Sed ibidem postea, ex sua sententia, ait. *Tantum, qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat, id est de medio tollatur, non absurdè de ipso Romano Imperio creditur dictum, tamquam dictum sit, tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio tollatur. Et tunc revelabitur iniquus, quem significari Antichristum nullus ambigit.*

Ex eodem S. Augustino clarissimè.

64 Conf. Ex eodem Sancto Doctore in *tract. de Antichristo*, circa medium clarè loquente, vbi ait, *Tempus quidem quando Antichristus veniet, vel quando dies iudicij apparere incipiat Paulus in epist. 2. ad Thessal. 2. Rogamus vos per aduentum Domini nostri Iesu Christi manifestat eo loco, vbi ait. Quoniam, nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, &c. Scimus enim, quod post Regnum Græcorum, siue etiam post Regnum Persarum ex quibus vnumquodque suo tempore magna gloria viguit. Ad vltimum quoque post cætera Regna, Regnum Romanorum cæpit, quod fortissimum omnium Regnorum superiorum fuit, & omnia Regna terrarum sub dominatione sua habuit, omnesque populorum Nationes Romanis subiacuerunt, & eis sub tributo seruierunt. Inde ergo dicit Apostolus Paulus Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit primum discessio, id est, nisi discesserint omnia regna à Romano Imperio, cui priùs subdita erant. Hoc autem tempus nondum aduenit, quia licet videamus Romanum Imperium ex maxima parte destructum, tamen quandiu Reges Francorum duraverint, qui Romanum Imperium tenere debent Romani dignitas ex toto non peribit, quia in Regibus suis stabit.* Ergo secundum Augustinum discessio, quæ debet præcedere Antichristi aduentum, à Paulo prædicta, est defectio totalis Romani Imperij. Imò ipse met Augustinus ibidem post modo allata, statim refert quorumdam sententiam de vltimo Rege Romano: sic. *Quidam verò Doctores nostri dicunt, quod vnus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum vltimus, qui postquam Regnum suum feliciter gubernauerit, ad vltimum Hierosolymam veniet & in monte Oliueti sceptrum, & coronam suam deponet. Hic erit finis, & consumatio Romanorum, Christianorumque Imperij, statimque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli, Antichristum dicunt futurum. Et tunc quidem revelabitur homo peccati, Antichristus videlicet.* Ex quibus patet, Augustinum, ne dum adhærere sententiæ, quod defectio Imperij Romani debeat Antichristi aduentum præcedere, sed neque respuit secundam sententiam de vltimo Romanorum Rege.

Quinam dicitur à quibusdam futurus vltimus Rex Romanorum.

65 Prob. 6. Ex *Oecumenio in epist. 2. ad Thessal. cap. 2. Vbi enim Romanorum Regnum fuerit dissolutum, tunc Antichristus rebellione irruet, ac obtinere conabitur, non hominum solum, verum etiam Dei Imperium*, & replicat Chrysostomi verba, supra recitata. Ex Oecumenio.

66 Prob. 7. Ex *Theophylacto in idem cap. epist. 2. ad Thessal. Romanum Imperium, quando sublatum fuerit è medio, tunc ille*, id est Antichristus *veniet.* Ex Theophil.

67 Prob. 8. Ex *Lactantio Firmano lib. 7. cap. 15. & 16.* vbi loquens de extrema mundi calamitate, ait, *cuius vastitatis, & confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur Orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & Imperium in Asiam reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens seruiet.* Et prolixè de hoc argumento discurrit. Ex Lactantio

68 Prob. tandem ex *Tertulliano*, qui proximus fuit Apostolorum temporibus, à quibus fortasse hæc traditio est accepta; ipse autem in *Apologetico cap. 32.* vbi assignat rationem, cur pro Romano Imperio sit orandum, inter cætera, ait, *Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij, rebusque Romanis, quod vim maximam, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem Romani Imperij commeatu scimus retardari, itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romana diuturnitati fauemus.* Ergo pari passu incedunt duratio Imperij Romani, & mundi. Ex Tertull.

69 Conf. Ex eodem *in cap. 2. ad Scapulam*, vbi sic proloquitur pro Romano Imperio, *Christianus, nullius est hostis, nedum Imperatoris quem sciens à Deo suo constitui, necesse est, vt ipsum diligat, & reuereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio, quousque sæculum stabit, tandiù enim stabit.* Et hinc est, quod, vt notauit *Optatus Milevitanus lib. 3. contra Parmenianum*, Ecclesia ex antiqua consuetudine orat pro Romano Imperio, non enim vult experiri, vt ait *Tertullianus*, acerbitates, & tyrannidem Antichristi; imò docet idem Optatus ex Pauli consilio id prouenire. *Sic enim*, ait, *docet Beatus Apostolus Paulus, Rogate pro Regibus, & Potestatibus, vt quietam, & tranquillam vitam cum ipsis agamus, non enim Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Re-* Ex eodem Tertulliano clarissimè. Quare oratur pro Romano Imp.

*publica, id est in Imperio Romano, quod Libanum appellat Christus in Cantitis Canticorum cum dicit, veni sponsa mea de Libano, id est de Imperio*, & similia his subnectens, concludit, *Meritò Paulus docet orandum esse pro Regibus, & Potestatibus, etiam si talis esset Imperator, qui gentiliter viueret*.

Ex alijs Scholasticis, & Scripturistis.

70 Idem denique docent omnes Doctores, qui Epistolam Pauli ad *Thessal. 2. cap. 2.* commentantur, etiam moderni, vt *S. Thomas*, ibi, *Sanderus de Visibili Monarchia Eccl. lib. 8. cap. 3. Iacobus Pamelius ad lib. Tertull. de Resurrect. car. num. 101.* &, vt alios omittam *Belar. lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 5.*

Ex Belar.

Omnes autem vnanimiter docent, vnum ex signis finis mundi, & aduentus Antichristi esse defectionem Romani Imperij. An autem defectio ista procedere debeat opera Antichristi, eò quod ipse debellaturus sit Imperatorem Romanum; an verò alio modo, ita quod vel tempore, in quo iam natus est Antichristus, vel ante eius natiuitatem ex alio casu omnino deficere debeat; & ita ipsum sic vacans inuadet Antichristus, dicetur infra.

Nomine Imperij Rom. non intelligitur potestas Papæ, vt dicunt quidam, sed potestas sæcularis Imper.

71 Dico 3. Licet aliqui nomine Romani Imperij intellexerit potestatem Papæ, & nomine defectionis recessum ab obedientia, & fide, seu fidelitate Papæ, alij à fide recessum; tamen intelligi debet de deficientia Imperialis sæcularis potestatis existentis in Cæsaribus Augustis. Est communis.

2. part. De recessu à fide non approbatur.

72 Prob. 1. pars. Ex *Lyrano in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* vbi intendens explicare quid nomine defectionis intelligatur, refert aliquos sic habentes. *Alij exponunt de recessu ab obedientia Ecclesiæ Romanæ*, & hanc sententiam postea secutus est *Dominicus Soto in 4. sent. dist. 48. quæst. 1. art. 1.* Quod quidem impugnat *Lyranus*, sed egrè, dum obijcit, quod iam diù recessit à Græcia. Nam, vt postea dicam; defectio, de qua loquitur Paulus est defectio potestatis; at potestas Papæ numquam cessabit in Ecclesia Romana. Secundo, defectio de qua loquitur Paulus est totalis; licet autem Ecclesia Græca defecerit ab Ecclesia Romana, non proinde, aliæ defecerunt, neque sola Græca conficit vniuersam Ecclesiam. Ideo ex probatione tertiæ partis patebit huius primæ impugnatio.

73 Prob. 2. pars. Ex eodem *Lyrano* ibidem. Postquam enim aliorum sententias retulit, sic ait. *Sed salua meliori iudicio mihi videtur melius intelligendum de recessu à fide Catholica, sicut exponunt aliqui, non tamen intelligendo, sicut exponunt aliqui quod omnes à fide Catholica sint recessuri, quia durabit in aliquibus vsque ad finem mundi, sed quia maior pars credentium recedet ab ea.* Ergo secundum Lyrani sententiam nomine recessus intelligitur recessus à fide. Sed patebit Apostolum loqui de alia defectione.

74 Prob. 3. pars. Patres omnes adducti in præcedenti conclusione vnanimi consensu intelligunt locum Pauli de sæcularis potestatis defectione. Ergo de hac defectione, & cessatione loquitur.

75 Prob. 4. Ex dicendis in *art. 18. & 19.* vbi quæretur, an Sedes Apostolica Antichristi tyrannidi succumbere debeat; ibique dicetur, stabilem, & firmam futuram, ac permansuram; omnesque electos saltem in eius obedientia perseueraturos, alioquin non essent electi, cum extra Ecclesiam non sit salus, ex *Concil. Later. 4. in can. 1.* & habetur *in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Cath.* & de necessitate salutis sit subesse Papæ, Extra, *Vnam sanctam*, in fine, *de maiorit. & obed.* Secundo, quia, ex *cap. Loquitur, & cap. Alienus*, quæ sunt Cypriani, ab Ecclesia recedentes, nullo modo saluari possunt; ergo fieri non potest, vt omnes recedant ab obedientia Papæ. Tertio, ex Saluatoris Oraculo *Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. & porta inferi non præualebunt, &c.* ostenditur Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ firmitatem à diaboli insidijs non fore conuellendam. Quinto, quia tempore Antichristi, maxime patebit constantia fidelium circa Ecclesiam, eiusque caput. Ergo, tunc non recedent ab eo. Concluditur ergo, quod cum locus Pauli de discessione ab Ecclesia, & Papæ non possit intelligi, à sufficienti remaneat intelligendus de Imperio Romano.

De Ecclesia, an subiacebit Antichristo dicetur postea, art. 18. & 19.

Multæ rationes ad idem.

Defectio Imperij Rom. intelligitur separatio ab Vrbe Roma.

76 Dico 4. Per defectionem Imperij Romani, post quam dicitur venturus Antichristus, non intelligitur auulsio, seu diuisio Imperij ab vrbe, seu territorio Romæ.

77 Prob. Si hæc intelligeretur, iam venire oportuisset Antichristum; & tamen ad huc non venit: ergo. Anteced. prob. Hæc auulsio, & separatio dominij, seu Sedis Imperialis ab Vrbe, & territorio Romæ iam facta est; nam de anno 318. habetur; Constantinum transtuliſſe sedem Imperij Bizantium, & ex suo nomine, Vicum illum à Seuero in eam formam redactum, *Constantinopolim* nuncupasse, & iura omnia, quæ in Vrbem, eiusque territorium possidebat Sancto Syluestro, ac Successoribus concessit, vt habetur ex *cap. Constantinus 1. & 2. dist. 96.* & licet hæc capita habeantur pro palæis quò ad donationes, & cessiones, quia post eum filij, & alij successores disponebant de Vrbe, & dominio Romano, tamen vt ab hoc nunc abstineam, quia longum exigit discursum, translatio sedis negari non potest. Ergo defectio prædicta à Paulo non est auulsio Sedis Imperialis à Roma.

Constantini donatio facta Papæ.

78 Quod autem Constantinus Magnus in quarto sæculo secedens Bizantium, omnino se spoliauerit ditione Romæ, ac territorij ipsius, & contulerit Papæ, licet non sit præsentis speculationis, verissimum tamen est, cum tale edictum habeatur apud *Anselmum lib. 4. in Rubrica cap. 32. Quod Constantinus Imperator Papæ concessit coronam, & omnem regiam dignitatem in Vrbe Romana, & in Italia, & in alijs partibus Occidentalibus.* Sed quia id non spectat ad nostrum institutum,

tum, pro nunc ab eo abstinemus. Dato autem, & non concesso, quod Constantinus non transtulerit in re, seu facto hanc potestatem, seu dominium sæculare; non potest id negari de Ludouico Primo Imperatore, qui ex *cap. Ego Ludouicus, dist. 63.* sic habet. *Ego Ludouicus Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Paschali Summo Pontifici, & Vniuersali Papæ, & Successoribus eius in perpetuum, sicut à Prædecessoribus nostris vsque nunc in vestra potestate, & ditione tenuistis, & dispositistis Romanam Ciuitatem cum ducatu suo, & suburbanis, atque vinculis omnibus, & territorijs eius montanis, & maritimis, portubus, & litoribus, seu cunctis Ciuitatibus, castellis, oppidis, ac vallis in Tuscia partibus*, quod quidem dicitur Patrimonium Sancti Petri. Ergo non solum hic Imperator diuidit à potestate Imperiali Romam, & ducatum eius, sed enunciat id etiam à prædecessoribus suis factum. Hæc autem auulsio, ac diuisio accidit in nono sæculo, si quidem hic Imperator coronatur anno 813. & Paschalis Primus eligitur anno 817. & moritur anno 824. Ergo Sedes Imperialis à Roma in quarto sæculo, & cum ea dictio, vel ad summum hæc in nono sæculo fuit auulsa à potestate, & dominio Imperatoris, & tamen Antichristus adhuc non venit.

Alia donatio facta à Ludouico.

79 Conf. A tempore Momilij Augustuli, qui fuit vltimus Collega, & Imperator Occidentis, spoliatus purpura de anno 476. vsque ad Carolum Magnum, qui anno 800. coronatur, non solum auulsum fuit dominium, & sedes ab Vrbe Roma, sed nullus in *Occidente fuit Imperator, alijs in Oriente* successiuè regnantibus: imò à tempore Constantini, vsque ad Augustulum nullus Romæ resedit. Ergo defectionis nomine à Paulo prædictæ non venit auulsio Imperij, seu dominij ab Vrbe Roma; alioquin Antichristus iam venisset.

Ex Chronologijs arg.

80 Dico 5. Per defectionem ab Apostolo prædictam, non intelligitur quælibet secessio, aut rebellio ab Imperatore Romano; neque quæuis esto grauis diminutio. Sed totalis deficientia, & abolitio imperialis dignitatis.

Non omnis rebellio venit nomine secessionis, sed totalis deficientia Imp. Rom.

81 Prob. 1. pars. Si ita esset, iam multis ante sæculis venisset Antichristus. Nam de anno 383. Gallia defecit à Romano Imperatore cum Maximus Brittannus Dux militiæ ibi existens, eleuat se in Imperatorem. Maior defectio occidit in Africa de anno 398. dum Gildo tyrannus insurrexit contra Theodosium, inuasitque Regionem illam. Quo victo insurrexit Gainas tyrannus, & ex Africa excurrit vsque ad Calcedoniam, imperante Arcadio. Deinde Gallia inuaditur ab Alanis, & Vandalis, ex proditione Stiliconis Romanæ militiæ Ducis de anno 407. Idem fit in Hispania; & paulò post vtrobique creantur proprij Reges. De anno 444. Hunni Duce Attila secunda vice inuadunt Illyricum, & ad eam calamitatem imperium fuit redactum, vt Theodosius Imperator ei tributum soluerit. Picti, & Scoti inuadunt Brittanniam de anno 446. vocantes in auxilium Saxones cum suo Rege Vertigerno. De anno 476. Odracer Rex Herulorum spoliato Momilio, ironicè Augustulo, vltimo Occidentis Imperatore, inuasa Italia regnat ibi. In Oriente verò cœpit Imperium diminui ex anno 540. cum Cosroes Rex Persarum totam inuasit Siriam, & potitus est Mesopotania. Deinde ex anno 631. ab Arabibus, & Saracenis, tam dirè, tamque iniquè per continuas clades allisum, confractum, & extenuatum est, vt tandem de anno 1453. per inuasionem Mahometis Secundi Saracenorum Regis, fuerit omninò in Oriente extinctum. In Occidente denique in solam Germaniam se recepit, in partes ferè innumeras diuisa, & adeo restricta Imperialis Romanorum ditio, vt Onus Imperij vix sustineri possit contra eiusdem Imperij hostes, nisi regnans Imperator Patrimonij proprij regalis, vel ducalis, alteriusue similis locupletis ditionis redditibus, subleuetur. Et tamen hac maxima existente diminutione Imperij, mundus perseuerat, & Antichristus nondum venit. Ergo defectio illa postquam venturus est Antichristus, non est quæuis diminutio, ac defectio, quamuis maxima.

Discursus de inuasione Imperij.

82 Prob. 2. pars. Primo à sufficienti. Si enim tanta, tamque ingens diminutio, seu discessio, ac defectio talis Imperij non est sufficiens initium finis mundi, & aduentus Antichristi, alia non remanet expectanda defectio, nisi totalis. Secundo, Patres allegati pro prima conclusione, vt legenti patet, loquuntur de abolitione, & abrogatione Romani Imperij: alioquin ex multo iam tempore venire oportuisset Antichristum.

2. pars.

1. pars clara.

83 Dico 6. Licet certum non sit quanto: nam, post defectionem totalem Romani Imperij tempore, venturus est Antichristus, tamen ex probabile, quod non statim, sed paulò post id contingere debeat; sed hoc etiam est incertum.

Non est certum quanto tempore post Imperij defectionem veniat, sed opinio est, quod non statim.

84 Prob. 1. Ex ipso textu Pauli: *Ne quis vos seducat vllo modo, quasi instet dies Domini, quoniam nisi venerit discessio primum*, vbi Glossa Interlin. vt supra notauimus, ait, *sed non instat dies Domini, nisi prius gentes à Romano discedant Imperio, sed non statim post.* Ergo.

85 Conf. Nam ipsemet Apostolus ibidem, prædicens aduentum Antichristi, ait, *& nunc quid detineat*, id est ne veniat, *scitis*, & post, *tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*, modus autem hic loquendi, *aliquid non fit, donec res alia pereat*, significat post destructionem rei illud esse faciendum, vel statim, vel paulò post: ergo.

86 Prob. 2. Nisi saltem paulò post totalem abolitionem Imperij Romani esset venturus

turus Antichristus, frustrà defectio illa data fuisset ab Apostolo in signum. Nam si post vnum, vel plura sæcula post defectionem id accidere debuisset; fideles id scientes non præmerentur anxietate se præmuniendi contra Antichristum, quia existimarent post plura sæcula esse venturum, & ita frustra datum tale signum.

Ex textu Apostoli pluries colligitur conclusio.

87 Prob. 3. Ex modo loquendi *Pauli: Ne terreamini quasi instet dies Domini, quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, &c. Et tunc revelabitur ille iniquus, &c.* Ergo si quando est discessio, id est Romani Imperij defectio instar dies Domini; multò magis dicendus est instare Antichristi aduentus, qui præcedit diem Domini, estque quid medium inter eam, & discessionem. Quod autem instare dicitur alicui, vel statim, vel paulò post venturum est.

Ex modo loquendi Patrum.

88 Prob. 4. Ex modo loquendi Patrum, qui tenent defectionem Imperij Romani esse signum aduentus Antichristi. *Tertullianus* enim ait, *quousque sæculum stabit, tandiu Romanum Imperium stabit*, sed antequam sæculum, id est mundus deficiat, futurus est Antichristus: ergo vel statim, vel paulò post defectum Imperij veniet. Augustinus verò eatenus dicit (à posteriori) Antichristum non venisse, quia non defecerat Imperium; igitur si defecisset, iam eum aduenisse diceret: ergo non multo post defectionem id continget.

Ex successione Regnorũ,

89 Prob. 5. Sancti Patres præcitati successionem Regnorum assignantes, vt Chrysostomus, &c. dicunt, quod sicut Babylonij successerunt Medis, auferendo eis Regnum; & Babylonijs Persæ: his autem Macedonij; & Macedonijs Romani: sic Romanis Antichristus, & Antichristo Christus. Sed successio trium priorum, non paulo post, sed statim, & immediata fuit. Sic etiam Christus non multo post, sed statim, & immediatè Antichristo succedet. *Spiritu oris sui eum interficiens*, vt ait Apostolus. Ergo, & successio Antichristi ad Romanos, si non erit immediatè ad eorum dominium, erit saltem paulo post: quæ quidem ratio mihi videtur euidens.

Arg. contra.

Ob. contra 1. S. Methodius Pataræ Episcopus, qui in tertio sæculo florebat *in tract. de rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, quæque deinde contingere debent*, loquens de Antichristo, hæc habet. *Post hæc descendet Rex Romanorum, & demorabitur in Ierusalem septimana temporum, & dimidia, quod est decem anni, & dimidius, apparebit filius perditionis. His nascetur Coronatus, & nutrietur in Bethsaida, & regnabit Capharnaum, & cum apparuerit hic filius perditionis, ascendet tunc Rex Romanorum in Golgotha, in quo confixum est signum Sanctæ Crucis, & tollet Rex coronam de capite suo, &c.* Ergo Imperium Romanorum non deficiet ante aduentum Antichristi si fuerit in flore. Imo ipsemet *Augustinus in tract. de Antichristo*, refert hanc sententiam, vt antiquam.

Methodius singularis in sent.

90 Resp. in primis Methodium fuisse singularem in hoc puncto, & estò aliquis alius idem sentiret, communis sententiæ est contraria. Quod autem dicitur de Augustino, respondetur eum non esse huius sententiæ, sed referre sententiam aliorum tantæ enim erat modestiæ, vt neminem auderet impugnare, placet eius verba referre, qui sic loquitur. *Quidam verò doctores nostri dicunt, quod vnus ex Regibus Francorum Romanum Imperium ex integro tenebit, qui in nouissimo tempore erit, & ipse erit maximus, & omnium Regum vltimus, qui postquam Regnum suum fœliciter gubernauerit, ad vltimum Hierosolymam veniet, & in Monte Oliueti sceptrum, & coronam suam deponet hic erit finis, & consummatio Romanorum, Christianorumque Imperij, statimque secundum prædictam sententiam Apostoli Pauli Antichristum dicunt futurum:* hæc refert *Augustinus*, sed non est eius sententia. At esto concederetur sic futurum, nil aliud concluderetur, nisi quod immediatè post Imperij cessationem per vltimum Imperatorem euenturam, apparebit in sua potestate Antichristus. Sed re vera communis Patrum sensus est, quod prius delendum sit totaliter Imperium, quam Antichristus aduenias.

Arg. quod apparet validum,

Ob. contra 4. Successio Antichristi ad Romanos Imperatores comparatur successionibus aliorum Imperatorum ad priores dominantes nationes; sicut enim ait Chrysostomus, Babylonij successerunt Medis, Persæ Babylonijs, Persis Macedones, & Macedonij Romanis, ita Antichristus cum suis gregalibus succedet Romanis. Sed illi successerunt antecessoribus in flore, & vigore existentibus non autem post totalem eorum potestatis contritionem: ergo ita succedet Antichristus, antequam scilicet totaliter confractum sit Romanum Imperium.

Comparatio Chrysostomi non fit in omnibus circa successiones dominij.

91 Resp. neg. consequ. Comparatio enim non est in omnibus facienda, cum neque ita fiat à Chrysostomo, sed sufficit si fiat in substantialibus, quod scilicet ita successit dominium, vt prius regnarunt Medi, deinde Babylonij; post Persæ, hinc Macedones; mox Romani, ita tandem Antichristus regnare debeat. Et ita saluatur melius Pauli dictum, & Patrum sententia.

Instantia.

92 Dices. Nullum habet fundamentum in scriptura hoc totale Romani Imperij exitium ante Antichristi aduentum, sicut habet alia considerabilis diminutio: Paulus enim ait, nisi venerit discessio primum; sed si maxima pars à fidelitate, & subiectione recedat est vera discessio: ergo.

Duplex resp. de discessione per diminutionem

93 Resp. neg. anteced. ad probat. Resp. 1. Quod discessio pro diminutione etiam notabilissima, imò ingenti, accepta, debilius habet in scriptura fundamentum; & à posteriori probatum iam est, quia talis diminutio iam facta est, & tamen Antichristus non com-

compáruit, prædictio autem Pauli vera fuit; si ergo non verificatur in tali discessione, non intelligitur de ista, igitur de totali: id autem non potest verificari, nisi in fine mundi.

94 Resp. 2. neg. anteced. Nam, vt dicetur in *art.* 8. de extensione Regni Antichristi. Nam *Hieronymus in cap. 7. Dan. Lactantius lib. 7. cap. 16. Cyrillus Hierosolymit. in Catech. 15. Hippolytus de Consumat. mundi. Tertullianus de Resurr. car. cap. 14. & 15.* & alij, quorum antesignanus est *Irenæus l. 5. adu. hæres. cap. 25. & 26.* explicantes *cap. 7. Danielis*, & præcipuè visionem illam Bestiæ quartæ, & cornuorum decem, & alterius cornu, ex ipsis deriuantis, quæ iuxta Angeli declarationem id significabant, scilicet Bestia quarta, quartum Imperium, & decem cornua decem Reges: aliud cornu alium Regem potentiorem illis, qui eos superabit. Prælati DD. intelligunt de Imperio Romano, quod figuratur in quarta Bestia; & de decem Regibus, qui in fine diuident sibi Romanum Imperium delentes Imperialem dignitatem; & de Rege, qui eos superabit, & hunc docent esse Antichristum; ergo defectio totalis ante aduentum Antichristi, habet maius fundamentum in scriptura, quam alia defectio.

Ex scriptura colligitur totalis defectio ante aduentum Antichristi.

95 *Sanctus* enim *Irenæus lib. 5. cap. 26.* sic habet: *Manifestius de nouissimo tempore, & de his, quæ sunt in eo decem Regibus in quos diuidetur, quod nunc regnat Imperium significauit Ioannes Domini discipulus in Apocalypsi edisserens, quæ fuerint decem cornua, quæ à Daniele visa sunt*, & post aliqua: *Diuidi igitur, & regnum, & ciuitatem, & domum oportet in decem, & propterea eam partitionem, & diuisionem figurauit, & diligenter Daniel quarti Regni digitos, ait pedum esse eius imaginis, quæ à Nabuchodonosor visa est, in quos venit lapis sine manibus præcisus, & quemadmodum ipse ait. Pedes pars quidem aliqua fictilis, quoad vsque abscissus est lapis, sine manibus, & percussit imaginem in pedes ferreos, & fictiles, & comminuit eos vsque ad finem.* Et post aliqua. *Ergo decem digiti pedum sunt decem Reges in quibus diuidetur Regnum, &c.* Ergo secundum Irænеum prius debet Imperium diuidi in decem Reges, & postea venturus est Antichristus, qui omnes debellabit. Quod & confirmat S. Hippolytus, vbi supra.

S. Irænеus docet totalem defectionem.

96 *Tertullianus* vero loco citato, declarans verba Pauli *tantum, qui nunc tenit, teneat, donec de medio fiat*, subdit, *Quis, nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges dispersa Antichristum superinducet*, Ergo.

Idem Tertull.

97 *Cyrillus*, vbi supra, ait. *Decem, simul Reges Romanorum exsultabunt in diuersis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes post istas autem undecimus Antichristus per magicum maleficium Romanorum potestatem rapiens tres quidem ante se Reges deprimet, reliquos autem septem sibi subijciet.* Ergo destructo, & penitus deleto Imperio, & per decem Reges intrusos abrogato, veniet Antichristus.

Idem Cyrillus.

98 *Lactantius in lib. 7. cap. 16.* sic habet, ostendens quo ordine finire debeat mundus, inter cætera, ait, *Multiplicabitur Regnum, & summa rerum potestas per plurimos concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit, donec Reges decem pariter existant, qui Orbem terræ non ad regendum, sed ad consumandum partiantur.* Et post aliqua, dicit, tunc venturum Antichristum.

Idem Lactantius.

99 *S. Hieronymus in cap. 7. Dan.* ait, quod supra relatum est. *Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se diuidant, & undecimum esse surrecturum Regem parnulum, qui tres de decem Regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum Regem, Africæ, & Æthiopiæ; quibus interfectis etiam septem alij Reges Vrbi colla submittent.* Igitur secundum Hieronymum prius abolendum est Imperium Romanorum, eruntque decem Reges in Romano Imperio, id est in toto ambitu, qui prius pertinebat ad Romanum Imperium cum erat in flore, & postea apparebit Antichristus, qui illis subactis, solus, & Monarcha regnabit.

Idem Hier.

100 Collige autem ex his primo contra *Riberam in cap. 14. Apocal. numer. 51. & 54.* Defectionem vltimam à Romano Imperio, & intrusionem decem Regum non esse sic intelligendam, quod, scilicet circa mundi finem Vrbs Romæ electura sit Summum Pontificem Christi Vicarium, & statim exorituros decem Reges, qui ea primum subiugata, cæteras Prouincias, quæ sub Romano sunt Imperio, igne, ac ferro sint destructuri, & nomen, ac rem Imperij deleturi; quia, vt in proprio articulo dicetur, sub speciali Dei protectione Sedem Apostolicam, vsque ad finem mundi fæliciter regnaturam speramus. Sed hoc modo intelligenda est hæc discessio, ac defectio totalis à Romano Imperio, quod scilicet circa mundi extrema permittet Deus in toto Orbe, qui aliquando fuit sub Romanorum ditione, cum scilicet in auge, & in flore fuit, nimirum tempore Octauiani, vel Traiani, aut etiam Constantini, sub his enim maximè creuit Imperium; in toto inquam ambitu illo decem potentissimi consurgent seque intrudent Reges, qui omnimodè etiam ex Germania angulo Imperialem abrogabunt potestatem; ijs autem sic regnantibus, nascetur parnulus, & vilis, primò, vt in suo loco dicetur Antichristus, qui postea in adulta ætate signis, & magicis miraculis se reddet admirabilem, populusq; ad se trahet, à quibus Rex eligetur. Mittetque suos Pseudo-Apostolos per Orbem vniuersum, & armorum vi Reges illos superabit,

Riberæ sent. de electione Rom. Pont. reijcitur.

Quomodo intelligitur totalis discessio in Rom. Imp.

bit, & omnium euadet Monarcha; & post tres annos cum dimidio, dum in monte Oliueti se in Cœlos conscensurum iactabit, videntibus omnibus in aëra per dæmonem eleuatus, spiritu oris Christi per Michaelem Archangelum interficietur. Hæc est summa vitæ eius, sed de singulis breuiter, ac distinctè in suis locis agetur.

Consilium authoris.

101 Qui autem diffusè, & exactè eiusmodi defectionem; & Danielis, ac Apocalypsis loca de decem Regibus, intrudendis in Romano Imperio, & de vndecimo istos decem subiugaturo scire vult, legat Opus P.M. Thomæ Maluendæ Ordinis Prædicatorum eruditissimi, & ingenui Theologi, de Antichristo in libros vndecim distinctum, in cuius confectionem duodecim annos, se insumpsisse testatur. Et re vera fœliciter insumpsit, omnes enim huius materiæ difficultates, inextricabilesque nodos, plana, ac vere digna explicatione, & Sanctorum Patrum contextu, enucleat. Nos autem, qui Scholastico fungimur munere, obiter aliqua de Antichristo, signisque aduentus ipsius innuere voluimus. Cupimus enim nostros tirones Scotistas, Scholasticis materijs addictos, aliqua saltem eruditionum dogmaticarum incitamenta præbere, nè vt puri scholares nullo, vel ad summum exiguo laborum fructu Ecclesiæ Sanctæ deseruiant.

## ARTICVLVS IV.

### *De alio Antichristi aduentus signo, scilicet Enoch, & Eliæ apparitione; vnde, & ad quid veniant.*

Dubia soluenda,

102 ADuerto, præsens quæsitum plura tangere; primum, an isti serui Dei apparere debeant in mundo, antequam Antichristus aduenias. Secundo, vnde mittendi sint, & consequenter locus in quo nunc sunt inquirendus. Tertio, ad quid mittendi sint: & tandem quanto tempore in mundo manebunt, & quid eis occurret. Quæ omnia brevibus discutiemus, & incipiendo a termino à quo.

Enoch, & Elias viuunt in Paradiso terrestri.

103 Dico 1. Enoch, & Elias mortui non sunt, sed adhuc in carne viuunt in Paradiso terrestri. Est communis.

De Enoch, ex script.

104 Prob. de Enoch, ex *Gen. 5. vers. 24. Et facti sunt omnes Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitque coram Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* vbi Glossa ordin. ex Isidoro habet. *Enoch septimus ab Adam placens Deo, qui, & translatus est septimam requiem significat ad quam transferentur, qui tamquam sexta die, id est sexta ætate sæculi per Christi aduentum formatur.* Igitur tunc non est mortuus, de omnibus enim alijs nouem vsque ad Noe inclusiuè legitur in Genesi, & mortuus est, non autem de Enoch, sed *tulit eum Deus.*

Ex Lyrano.

105 Conf. Ex *Lyrano* ibi, qui referens prauam sententiam Iudæorum, quod Enoch, licet esset iustus, & bonus, tamen propensus ad malum, & ideo Deus tulit eum, id est fecit, vt morereretur ante terminum suæ vitæ naturalis, nè malitia mutaret intellectum eius; addit *Catholici autem dicunt, quod propter excellentiam suæ virtutis assumptus fuit à Deo, & positus in Paradiso terrestri, vt & Elias postea raptus est, & inde exiturus ad prædicandum contra perfidiam Antichristi, & hoc magis videtur sonat litera, quia de eo non dicitur hic quod sit mortuus, sunt de alijs, sed quod non apparuit.*

De eodem Enoch ex Eccl.

106 Prob. 2. De eodem Enoch, ex *Ecclesiastici 44. versu 16. Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus sapientiam*, vbi Glossa ordin. ait, Enoch, qui ambulauit cum Deo translatus est in Paradisum, *& hic creditur in fine mundi venturus, vt det hominibus consilium pœnitendi.* Ex Gloss. ord.

*Lyranus* vero, ait, Enoch propter sanctitatem singularem translatus est, *fuit enim missus viuus in Paradisum terrestrem, inde tamen rediturus est cum Elia circa finem mundi ad prædicandum contra Antichristum, ideo subditur, vt det gentibus sapientiam, scilicet Antichristi perfidiam detegendo.* Ex Lyrano.

107 Conf. Ex eodem *Eccles. c. 49. v. 16. Nemo natus est in terra qualis Enoch; nam, & ipse receptus est à terra.* Vbi Glossa ordin. dicit fuisse figuram Christi, qui in cælum susceptus est. *Lyranus* autem remittit se ad id, quod dixerat in *cap.* 44. nuper relato.

Aliud arg. de Enoch.

108 Prob. 3. de eodem Enoch, ex *Heb 11. vers. 5. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus.* Vbi Interlin. ait, *qui*, id est Deus *poterat abscondere eum*, & *Lyranus* ait, Enoch translatus est, ne videret mortem, scilicet aliorum in diluuio, & etiam suam, quia non est mortuus, morietur tamen in fine mundi, & post, transtulit illum Dominus in Paradisum terrestrem, vbi conseruatur vita eius vsque ad finem mundi. Et rationem assignat, quia, inquit, vetus testamentum ordinatur ad promissionem noui; in nouo autem expressè promittitur vita æterna; & ideo, vt in veteri daretur spes vitæ æternæ, mors Enoch dilata est tempore legis naturæ, & mors Eliæ tempore legis datæ; totum autem vetus testamentum decurrit per ista duo tempora. hæc *Lyranus*. Ergo non est mortuus Enoch.

De Elia i

109 Prob. nunc de Elia, ex *lib. 4. Regum cap. 2.* vbi diffusè narratur eius historia, & quod Elisæus, alijque filij Prophetarum sciebant Eliam à Domino esse tollendum, discurrente autem eo cum Elisæo: *Postula, quod vis, vt faciam tibi, antequam tollar à te*, & dicente Elisæo, *obsecro, vt fiat in me duplex spiritus tuus*, Elias ait, *rem difficilem postulasti*,

*lassi, attamen si videris me, quando tollar à te erit tibi quod petisti, si autem non videris non erit, eumque pergerent, & incedentes fermocinarentur ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cælum, Eliseus autem videbat, & clamabat, Pater mi, Pater mi currus Israel, & auriga eius, & non vidit eum amplius.* Vbi *Lyranus* ait, ascendit in cælum non sydæreum, vel empireum, sed aereum tantum, vt Elias per aerem portaretur in locum distantem. Locus autem, ad quem deportatus fuit Elias secundum Doctores Catholicos, & Hebræos est Paradisus terrestris, ad quem Enoch ante fuerat translatus, & inde circa finem mundi ambo processuri sunt ad prædicandum contra perfidiam Antichristi. Hæc *Lyranus*.

110 Conf. Ex 1. *Macbab. cap. 2. vers. 58. Elias dum zelat zelum legis receptus est in cælum.* Idem ex *Ecclesiastici* 48. *vers* 13. vbi de Elia loquens, ait, *qui receptus es in turbine ignis in curru equorum igneorum*, vbi Glossa Interlin. ait, *qui venturus es ante diem iudicij secundum Malachiam prophetam*. Glossa vero ord. comparans Eliam, & Enoch ad Christum in ascensione in cælum, ait, *Elias homo purus adiutorio egebat alterno, id est angelico; qui nec ad cælum aereum per se ascendere poterat. Christus autem non curru, &c. Enoch translatus vsque ad cælum aereum Elias sublenatus; quos ascensionis sua prænuncios, & testes voluit habere, vnum ante legem, alium sub lege, vt quandoque veniret, qui cælos viriliter penetraret.* Hæc Glossa. Ex quibus concluditur, quod vterque viuit adhuc in Paradiso terrestri.

Ex Patribus de vtroque signum.

111 Prob. nunc de vtroque ex Patribus, ex *August. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 6. Neque enim arbitrandum est Eliam, vel sic esse tam sicut erunt Sancti, quando peracto operis die, denarium pariter acceptari sunt: vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita non dum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit. Iam itaque aliquid melius habet, quam in hac vita posset, quamuis nondum habeat, quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus est.* Ex post aliqua. Aug. *Nam si Enoch, & Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes; quod debitum, vt soluant, creduntur etiam reditari ad hanc vitam, & quod tamdiu delatum est morituri, nunc tamen in alia vita sunt; vbi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spirituale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt.*

Idem Aug.

112 Conf. ex eodem *lib. 1. de Pecc. mor. & remiss. cap. 3. Neque enim Enoch, & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt, nec tamen credo eos iam in illam spiritualem qualitatem corporis commutatos qualis in resurrectione promittitur, qua in Domino prima præcessit; nisi quia illi fortasse, nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt; sed ex quo translati sunt ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis 40. diebus, quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis sine cibo vixit; aut si his sustentaculis opus est ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam, priusquam propter peccatum exinde exire meruisset, habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ habilitatem contra vetustatem.* Ex quibus habes, & quod non sint mortui, & quod viuant, & quomodo viuant.

113 Conf. 2. Ex eodem *August. lib 1. de Mirab. S. Scrip. cap. 4. Enoch sine morte per totius pene sæculi tempus remotus ab hominum conuersatione custoditur, vt in eo qualiter homines si non peccarent generata prole commutarentur in vitam spiritualem, sine morte ostenderetur, sed licet longo seruatus tempore adhuc viuat mortis tamen debitum, quod omnes in Adam sumpsimus vitare non poterit.* In *lib. de pecc. origin in cap. 23.* sic habet. *Enoch, & Eliam non dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere.* Idem Aug.

114 Conf. Ex eodem *lib. 20. de Ciu. Dei cap. 29.* infra adducendo. Item ex *lib. 2. de Mirabil. S. Scrip. cap. 22. Elias baltenus, sicut Enoch in testimonium nouissimi temporis, adhuc sine morte seruatur.* & in fine huius capitis, ait, *Caterum verò quod de Enoch in ipso libro prædiximus, Elia etiam conuenire videamus*, & prosequitur eius historiam. Idem dixerat in eodem *lib. cap. 3.* & *in lib. 83. qq. quæst. 58.* Idem Aug.

115 Prob. Ex *D. Ambrosio tom. 1. tract. de Parad cap. 3. Enoch autem, qui translatus est, & mortem non vidit, &c.* de Elia habet *in to. 1. lib. 1. cap. 2. Elias, qui translatus curru est non sepultus, nec mortuus legitur, vixit enim, qui cum Dei filio est.* Idem replicat de Enoch, *in tom. 3. in Euang Lucæ cap. 17.* de vtroque *in tom. 3. in Euang. Lucæ cap. 9.* post initium, ait, *quamuis de Enoch, & Elia, nullam mortem corporis acceperimus, &c.* Ambros.

116 Conf. Ex eodem *tom. 4. tract. in Symbolum Apostol. fol.* mihi 102. vbi loquens de resurrectione futura hominum, ait, *Cuius testes sunt Elias, & Enoch, qui per tot annorum curricula, & vsque ad secundum Domini aduentum in carne permanebunt.* Idem Ambr.

117 Prob. Ex *Hieron. in epist. ad Pammachium. Enoch translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cælum, nec dum mortui, & Paradisi iam colent.* Hieron.

118 Prob. Ex *Epiphanio in Ancorato*, vbi loquens de Enoch, & Elia, habet, *bi duo permanent in corpore, & anima, propter spem.* Epiphanio.

119 Prob. Ex *Tertull. in lib. de anima cap. 50. Translatus est Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, delata scilicet. Caterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* Idem habet *in lib. contra Iudæos cap. 2.* Tertull.

120 Prob. Ex *S. Irenæo lib. 5.* vbi differens de his duobus Dei seruis Enoch, & Elia, ait, *dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum* S. Irenæo.

*discipuli, eos, qui translati sunt illuc in Paradysum terrestrem* (de hoc enim loquitur) *translatos esse, & ibi manere vsque ad consummationem*. Ergo viuunt adhuc, & venturi sunt contra Antichristum, vt mox dicetur.

Enoch, & Elias venient tempore Antichr. ad prædicandū contra eius falsitatem.

121 Dico 2. Enoch, & Elias tempore aduentus Antichristi venturi sunt in mundum ad prędicandum contra eius doctrinam. Est communis.

122 Prob. 1. Ex *Malachia* 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*. vbi Interlin. ait, si Elias non ante cor patrum conuertet ad filios, & filiorum ad patres eorum, cum venerit dies Domini magnus iustis, horribilis, impijs, percutiet vnus iudex, non cælum, non eos qui in cælo versantur, sed terram anathemate, id est eos, qui faciunt opera terrena. Et Verbo, *Veniam*, ait, *iudicaturus*, Verbo, *Percutiam anathemate*, ait, *separando eum ab hedis*. Glossa autem ordin. ait, *hic Elias conuertet cor patrum Abraham, Isaac, & Iacob, & cæterorum ad institutionem posterorum de fide Saluatoris in quem, & ipsi crediderunt, & cor filiorum ad patres eorum, quia suscipient fidem, quam illi habuerunt. Vel cor patris ad filium, id est Dei ad omnes, qui spiritum adoptionis acceperint, & cor filiorum ad patres eorum, vnde Iudæi, & Christiani, qui nunc inter se discrepant pari in Christum Religione consentient*. Hæc Glossa. Ergo Elias venturus est ante finem mundi, cum instat Antichristus.

Ex Script.

Arg. contr. Ex oraculo Christi, quod Elias venit.

123 Dices. Huic scripturæ contradicit dictum Saluatoris *Matt.* 17. *vers.* 10. & *Marci* 9. *vers.* 12. vbi interrogatus à discipulis, *quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire*? Respondit *Elias iam venit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt ei, sicut voluerunt, sic & filius hominis passurus est ab eis*. Ergo non est amplius venturus. Imò ex hoc colligitur, quod fuerit occisus, alioquin comparatio Eliæ exitus, cum Christi passione, non quadraret.

Christus dicit, quod veniet Elias,

124 Resp. Ex ipsomet textu, vtrobique enim Christus, dicit hoc primò, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia, dico autem vobis, quia Elias iam venit*, &c. vt supra. Quæ quidem egregiè declarant Glossæ, Lyrani in dictis locis, in Matthæo, sic. *Sicut est duplex aduentus Christi, ita & duplex Elias, scilicet in spiritu, & persona, prædicator autem Euangelij gerit officium vtriusque, nam disponendo populum ad suscipiendum Christum per gratiam venientem gerit officium primi, scilicet Ioannis Baptistæ; disponendo verò populum ad suscipiendum Christum iudicem venturum gerit officium secundi, scilicet Eliæ personaliter*. Hæc *Lyranus*. Id ergo dicit Christus, & quod Elias venturus est, scilicet in persona, & quod venit, scilicet in officio, hic enim fuit Ioannes Baptista, ideo sequitur textus Matthæi, *Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis*. Quod confirmatur ex eodem *Matth. cap.* 11. *vers.* 14. vbi Christus de Ioanne Baptista loquens, postquam eum mirificè exaltauerat super prophetas, & super omnes, digno illo Elogio, *inter natos mulierum non surrexit maior*, &c. ait, *hic est Elias, qui venturus est. qui habet aures audiendi audiat*. Dicit Glossa Interlin. Hoc esse mysticum, & indigere intelligentia, ostendit, cum subdit, qui habet aures, &c. Glossa verò ordin. declarat mysterium, sic. Ipse est Elias in virtute non in persona; par in vitæ seueritate, mentis rigore, præcedens Christi primum aduentum, ille secundum. *Lyranus* tandem ait, Elias fuit non in persona, sed in spiritu, & hoc in tribus, scilicet in asperitate pœnitentiæ, quia Elias erat vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus, *pilosus*, id est habebat, ait, vestem hirsutam, & asperam, sic de Ioan. qui habebat vestem de pilis Camelorum, ex Matth. 4. Secundo in constantia, quia Elias arguebat Acab, & Ocoziam, sic Ioannes Herodem. Tertio in doctrina, quia sicut Elias venturus est per prædicationem denuncians Christi aduentum secundum; sic Ioannes præuenit primum: hæc *Lyranus*. Quod egregiè confirmat *Gregorius Magnus hom.* 7. *in Euang. super cap.* 1. *Ioan.* vbi interrogatus *Ioan. Elias es tu*, respondit, *non sum*, & tamen Saluator dicit de eo, *omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetarunt, & si vultis recipere ipse est Elias*, hic autem *Gregorius*, ait, *sunt valde diuersa ipse est, & non sum, sed si subtiliter requiratur, quomodo contrarium non sit inuenitur. Ad Zachariam namque de Ioanne Angelus dicit, ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ; quia sicut Elias secundum Domini aduentum præuenit, ita Ioannes præuenit primum*, & post. *Ioannes in spiritu Elias erat in persona non erat, quod ergo Dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona*. Ex quibus concluditur, quod tantum abest, vt dictum Christi tollat aduentum Eliæ, imò potius adstruat.

Declarat Gloss.

Comparatio Io. ad Eliam in multis,

Ex Greg. Magno,

125 Conf. de vtroque, Enoch, scilicet, & Elia ex dictis in prima conclusione, cum probatum sit ex Glossis, & DD. Ecclesiæ, quod reseruentur viui in carne, vt veniant in fine mundi ad prædicandum contra Antichristi doctrinam, & ad patiendum per eum martyrium.

Mirificè venit in officio prædicatoris, id est Io. Baptista.

126 Prob. 2. Ex *D. Aug. lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 29. vbi declarans dictum *Malach.* 4. ait, *Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam expositæ sibi legi vltimo tempore ante iudicium Iudæos in Christum verum, id est in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus, cordibusque fidelium. Ipse quippe ante aduentum iudicis Saluatoris non immerito speratur esse venturus, qui etiam nunc viuere non immerito creditur; Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissimè Sancta Scriptura testatur*. Cum vi-

Ex Aug. de vtroque arg.

*venerit ergo exponendo legem spiritualiter, quia nunc Iudæi carnaliter sapiunt conuertet cor patrum ad filios, & est sensus, vt etiam filij sic intelligant legem, quemadmodum patres eam intellexerunt, id est prophetæ, in quibus erat, & ipse Moyses*, & subdit aliam lectionem 70. interpretum de conuersione patris ad filium, quam & aptè declarat. Idem habet *in lib. 83. qq. quæst. 58.* Idem docet *Augustinus in lib. 2. de mirab. S. Script.* supra cit. vbi de Eliâ, & Enoch, ait, *Hactenus ipse sicut Enoch in testimonium nouissimi temporis adhuc sine morte seruatur, vt scilicet horum in ore duorum testium nouissimi testimonij sermo consistat, quando in extremo tempore, paulo ante quam damnetur Satbanas, quam humanum genus aperto bello deprimat*, & in fine, *Quod de Enoch in ipso libro prædiximus, Eliæ etiam conuenire videamus.*

Duo docet Augustinus.

Ex Apocal. 127 Prob. 3. Ex *Apocal. 11. vers. 3. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Glossa ordin. ait, *de Elia, & Enoch agitur.* Id idem docet *Ambrosius* in seq. conclus. adducendus.

Ex Tertull. 128 Prob. 4. Ex *Tertull. in lib. de anima cap. 50.* allato in conclus. prima.

Ex Lactan. 129 Prob. 5. Ex *Lactantio lib. 7. diu. Instit. cap. 17.* idem confirmante. Idem ex *Alcuino in lib. de S. Trin. cap. 19.* in seq. conclus. adducendo.

Ex Aretâ. 130 Prob. 6. Ex *Aretâ in Apocal.* docente, *inuariabiliter ab Ecclesia creditum Enoch, & Eliam venturos, vt se Antichristo opponant.*

131 Prob. 6. Ex omnibus authoritatibus, & rationibus in seq. conclus. adducendis, quæ quidem, vt apparebit ad idem sunt.

Enoch, & Elias mittentur ad prædicandum Christi fidé, 132 *Dico 3.* Ante exortum Antichristum, id est ante manifestationem suæ potestatis, & impietatis, mittentur Enoch, & Elias in mundum, vt prædicent veram Christi fidem, Iudæis præsertim.

133 Prob. Ex *D. Aug. lib. de Antichristo*, qui est vltimus in *p. 10.* apud me, vbi circa finem, sic habet, *Subitò autem, & improuisè Antichristus venit, & totum simul humanum genus suo errore decipiet, & perdet. Ante eius exortum duo prophetæ mittentur in mundum Enoch, scilicet & Elias, qui contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis præmunient, & instruent eos, & confortabunt, & præparabunt electos ad bellum, docentes, & prædicantes tribus annis, & dimidium. Filios autem Israel quicunque eo tempore fuerint inuenti, bi duo maximi Prophetæ,* Ex Aug. *& Doctores ad fidei gratiam conuertent, & à pressura ante turbinis in parte electorum inseparabiles reddent; tunc implebitur quod Scriptura dicit Isa. 10. & ad Rom. 9. Si fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris, reliquiæ saluæ fiant.* Hæc *Augustinus* quibus clarè, & breuiter concludit, duo, primum quod venient ante exortum Antichristum, id est antequam incipiat suam potestatem exercere; si enim tribus annis cum dimidio debent prædicare, & postea interfici ab eo, vt sequitur narrare ibi Augustinus, non potest intelligi de ortu; id est de natiuitate naturali, sed de ortu, id est apparentia in virtute, & hic est modus loquendi etiam scripturæ de hoc negotio 2. *ad Thessal. 2. Nisi reuelatus fuerit homo peccati*, id est nisi manifestè apparuerit, & *Matth. 24. Cum videritis abbominationem desolationis stantem in loco Sancto, &c.* & tamen non statim, ac nascetur Antichristus prædicabit, & se extollet supra omne id quod dicitur Deus. Secundum, quod docet Augustinus est, hos prophetas esse mittendos ad prædicandum fidem Christi, præsertim Iudæis, qui expectantes Messiam cum tanta anxietate, videntes mirabilia, quæ faciet Antichristus, proculdubio reciperent eum, vt Messiam, vt ergo ipsi veritatem aliquando capiant de Messia, & alij infideles de eodem doceantur; & fideles non decipiantur, Enoch, & Elias præcedent Antichristi prædicationem.

134 Conf. ex eodem *Augustino ex lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 29.* supra in 2. conclusione allato, vbi de hac prædicatione eorum præcedente apertè loquitur.

2. pars ex Malachia. 135 Prob. 2. pars. Ex dicto *Malachiæ 4.* supra allato, *Elias conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*, quæ verba ex Glossa Interlin. Ordin. & *Lyran.* declarantur, quod debeant Iudæi ad prædicationem Eliæ credere, & habere fidem, quam illi habuerunt de vero Messia.

Ex Ambros. 136 Conf. 1. Ex *Ambrosio to. 3. in epist. 1. ad Cor. cap. 4 fol* mihi 354. *Passuri sunt Enoch, & Elias qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli; mittit enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos & persecutiones pati, & occidi lectio Apocal. testatur.*

137 Conf 2. ex eodem *to. 4. de Virginibus lib. 1. fol. 459. Elias Dominici venturus est præcursor aduentus.*

138 Conf. 3. ex *D. Ambros. to. 5. in cap. 11. Apocal. Confitas Iudæos in fine mundi prædicatione Eliæ, & Enoch ad fidem Christi esse reuersuros:* & post, *Testes duos Eliam, & Enoch vocat, qui aduentum eius secundum præcurrent, sicut Ioannes præcucurrit primum.*

Ex Eucher, 139 Prob. 3. ex *S. Eucherio Lugdunen. in Domin. 2. Adu.* vbi de Antichristo, ait, *Præliabitur autem contra Sanctos, quia veniet Enoch, & Elias tunc, quos quia ratione superare non poterit, gladij interimi faciet.*

Ex Beda. 140 Prob. 4. ex *Beda in Samuelem c. 11.* *Enoch, & Elias, tum venient Iudæis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichristo mortem credantur esse susceptur.*

Ex Alcuino, 141 Prob. 5. ex *Alcuino lib. 3. de S. Trinit. cap. 19. Eliam, & Enoch maximos prophetas venturos Ecclesia habet fides, per quorum doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad fidem.*

Enoch, & Elias prædicabunt fidē Christi, per tres annos, & dimidiū.

142 Dico 4. Enoch, & Elias prædicabunt veram Christi fidem, & pœnitentiam contra Antichristi dogmata, per tres annos cum dimidio; deinde ab ipsomet Antichristo occidentur.

Ex Apocal.

143 Prob. 1. pars. ex *Apocal.* 11. vbi sic habetur. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis.* Vbi Glossa Interlin. Verbo, *Diebus*, ait, *id est tribus annis, & dimidio, sicut ipse Christus prædixit.* Glossa Ordin. Verbo, *Duobus testibus*, dicit, *de Elia, & Enoch agitur.* Idem docet *Ambros.* vbi supra, hos duos testes esse Enoch, & Eliam. Imò Glossa Ordin. ibi notat, *quod hi dies non perficiunt tres annos, & dimidium, sicut, & Christus non perfecit dimidium annum prædicationis suæ.*

Ex August.

144 Prob. 2. ex *D. August. in tract. de Antichrist.* circa finem. *Enoch, & Elias contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis præmunient, & instruent eos, & confortabunt, & præparabunt electos ad bellum, docentes, & prædicantes tribus annis, & dimidium.*

Ex omnibus Scripturistis.

145 Prob. tandem ex omnibus Sacræ Scripturæ interpretibus *in cap.* 11. *Apocalyp.* idem prorsus docentibus, & vltimo loco ex Ludolpho Carthusiano Saxone, *in Vita Christi p. 2. cap.* 87. sic habente. *Interea cultum aduentum Antichristi, qui est per natiuitatem, & manifestum, qui erit per prædicationem, & apertam persecutionem venient Enoch, & Elias, vt ipsi repugnent, & errantes ad viam veritatis reducant, prædicabunt diebus mille ducentis sexaginta, id est tribus annis cum dimidio.*

2. pars. quod ab Antichr. occidentur.

146 Prob. 2. pars. ex eodem *Apocalyp. cap.* 11. *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abyssо faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Vbi Glossa Interlin. Verbo, *Et cum finierint*, ait, *quod erit per tres annos, & dimidium*, & Verbo, *Occidet*, inquit, *corporaliter.* Idem ait *Ambros. loco cit. in Apocal. Antichristus vincet illos non superando verbis, sed interficiendo.*

Ex August.

147 Prob. 2. ex *August. tract. de Antichristo*, circa finem. *Postquam autem per tres annos, & dimidium prædicauerint, mox incipient exardescere Antichristi persecutiones, & contra eos Antichristus primum sua arma arripiet, eosque interficiet, sicut in Apocalypsi dicitur, & cum finierint testamentum suum, & e. interficiet illos.*

Ex Tertull.

148 Prob. 3. ex *Tertull. lib. de anima cap.* 50. *Translatus est Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, delata scilicet, cæterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.*

Ex Damasc.

149 Prob. 4. ex *Damasc. lib.* 4. *Orthod. fidei cap.* 27. *At vero mittentur* Enoch, *& Elias Thesbites, & Patrum corda in filios, hoc est Synagogam ad Dominum Iesum Christum, & Apostolorum prædicationem conuertent, ab eoque trucidabuntur.*

Occidentur in Ierusalem

150 Dico vlt. Enoch, & Eliæ occisio post prædicationem, accidet in Hierusalem.

Ex Apocal.

151 Prob. ex *Apocal.* 11. vbi postquam Ioann. retulit interfectionem horum prophetarum, ait, *& corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Ægyptus vbi, & Dominus illorum crucifixus est.* Vbi Glossa Interlin. Verbo, *Ciuitatis*, ait, *Ierusalem*, quam Glossa Ord. dicit vocari Ægyptum, id est tenebrosam, absque cognitione Dei.

Ex Ambros.

152 Prob. ex *D. Ambros. in cit. cap. Apocal.* sic. *Si per ciuitatem magnam Ierusalem terrestrem voluerimus intelligere propter hoc, quod dicit, vbi & Dominus eorum crucifixus est, a veritate non aberrabimus, eo quod illa Ierusalem vsque ad solum destructa sit, & ista, quæ pro ea ædificata est, non in eo loco, sed in alio sita esse dicitur:* & post aliqua. *Ciuitas verò diaboli non inconuenienter Sodoma, & Ægyptus nominatur, eo quod Sodoma cæcitas Ægyptus tenebræ interpretentur.* Hæc & alia ad Enoch, & Eliam spectantia abunde prosequitur.

153 Qui de Enoch, & Elia eorumque successibus plura percupit adeat Sacræ Scripturæ interpretes, sed Ambrosium, & Augustinum, nullatenus relinquat.

## ARTICVLVS V.

### *De Genealogia Antichristi, & dæmone eius priuato.*

Multa dubia

154 ADuerto, sub hoc titulo multa esse discutienda. Primo, an erit homo, sicut reliqui; an potius dæmon in forma humana. Secundo, an concipietur, & nascetur, sicut reliqui. Tertio, de qua gente, vel natione nascetur. Quarto, vbi nascetur, & nutrietur.

Multi decepti circa personam Antichristi.

155 Adu. 2. Iam ex principio Ecclesiæ non defuisse, qui docerent Antichristum iam venisse, & fuisse Neronem, eumque iterum apparituros; Authores suppresso nomine citat Glossa Ordin. *in cap.* 11. *Daniel.* & in *cap.* 1. *Malachiæ*, nec non *in cap.* 2. *epist.* 2. *ad Thessal. vers.* 6. his verbis: *Et hoc quod dixit iam enim mysterium operatur iniquitatis Neronem voluerant intelligi, cuius facta velut Antichristi videbantur; Vnde nonnulli, vel visum raptum, occultari, donec suo tempore reueletur, vel occisum resurrecturum, & futurum Antichristum suspicabantur.* Hæc Glossa, & præter eam idem refert ab alijs dictum *Augustinus lib.* 20. *de Ciuit. c.* 19. idemque refert de alijs *Hieron. cap.* 11. *in Daniel*, & ad *Algasiam cap.* 11. Alij dixerunt esse futurum dæmonem apparentem in carne, ita Hippolytus Martyr de Consumatione Mundi; alij dæmonem incarnatum sic Theodoretus. Ideo

Di-

Antichristus erit homo,

156 Dico 1. Antichristus erit homo, nondum natus, nec qui vnquam in mundo apparuit. Est communis nunc in Ecclesia.

Ex Ephrem;

157 Prob. 1. ex *S. Ephrem Syro*, qui in *lib. de consumat. saculi, & Antichristo*, de ipso loquens, ait, *Apostata erit, nascetur perfecte illius organum ex spurcissima, & fallacissima muliere, atque in isto habitu amictus veniet scelestissimus ille, vt sur, &c.*

Ex Hieron.

158 Prob. 2. ex *S. Hieron. in cap. 11. Daniel. Antichristus nasciturus est de populo Iudaeorum, & de Babylone venturus, &c.* ergo erit aliquis homo, qui adhuc natus non est, non vt aliqui putarunt de Nerone.

Ex Hieron;

159 Prob. 3. ex *Hieron. in cap. 7. Daniel*, vbi de *Antichristo*, ait, *Ne putemus cum iuxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel damonem, sed vnum de hominibus, in quo totus Sathanas habitaturus sit corporaliter.*

160 Prob. 4. ex *Augustin.* in seq. adducendo.

Ex Theofil,

161 Prob. 5. ex *Theophylacto in ep. 2. ad Thessal. cap. 2.* vbi de Antichristo loquens, ait, *Quis autem ille est, numquid Satanas i hand quaquam, sed homo quispiam, omnem Satana operationem recipiens.*

Ex Oecumenio.

162 Prob. 6. ex *Oecumenio in idem cap. Neque enim Satanas erit ipse Antichristus, sed homo obsessus, & directus à Satana.*

Nascetur ex parentibus, sicut alij.

163 Dico 2. Antichristus nascetur ex patre, & matre, sicut reliqui homines.

Ex Augustl.

164 Prob. ex *D. August. in tract. de Antichr.* post initium, sic habente. *Nascetur autem ex copulatione patris, & matris, sicut alij homines, non vt aliqui dicunt ex sola Virgine, sed tamen totus in peccato, concipietur in peccato generabitur, & in peccato nascetur.*

Ex Ephrem;

165 Prob. 2. ex *S. Ephrem tract. de consumat. saculi, & Antichr. Nascetur perfectè illius organum ex spurcissima, & fallacissima muliere.*

Ex Hieron.

166 Prob. 3. ex *Hieron. in cap. 7. Dan. Ne cum putemus iuxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel damonem, sed vnum de hominibus, &c.*

Ex Hieron, iterum,

167 Prob. 4. ex *Hieron. in ep. ad Algas. quast. 11.* vbi improperans Iudæis, quod expectent Antichristum, ait, *& quidem si Antichristus de Virgine natus esset, & primus veniret in mundum potterant Iudai habere excusationem, & dicere quod putauerint veritatem, &c.* & *in cap. 7. Danielis*, vbi dicit eum futurum esse vnum de hominibus: ergo sicut alij natus.

Ex Beda.

168 Prob. 5. ex *Beda lib. in Lucam c. 23.* *Filius diaboli Antichristus non ab ipso nascendo, sed vt cateri peccatores illum imitando vocatur.*

Ex Theoph.

169 Prob. 6. ex *Theophyl.* vbi supra in prima conclusione. *Antichristus erit homo quispiam, sed omnem operationem Satana recipiens.* ergo, sicut alij natus.

*S. Io. Damascen.* verò dicit *in lib. 4. fidei Orthod. cap. 27.* eum nasciturum ex fornicatione. Sed paucos video huius esse sententiæ.

De Iudæorum gente nascetur.

170 Dico 3. Antichristus nascetur de Iudæorum natione.

171 Prob. 1. ex Glossa Ordin. *in cap. 11. Daniel.* super illis verbis enim, *& stabit in loco eius despectus*, sin habente: *Antichristus in fine mundi consurget de gente modica, id est de populo Iudaeorum, tam humilis, atque despectus, vt ei non detur honor regius, &c.* & in versu, *& comedentes, &c.* idem replicat.

Ex Ambros.

172 Prob. 2. ex *Ambrosio to. 1. de Bened. Patriarch. cap. 7.* mox adducendo, qui probat eum de tribu Dan nasciturum. Idem replicat in *Psal. 40. vers. Etenim homo pacis, &c.* & *in cap. 2. ep. 2. ad Thessal. ex circumcisione, aut circumcisum illum venire sperandum est, vt sit Iudais credendi illi fiducia.*

Ex Augusti.

173 Prob. 3. ex *August. tract. de Antichr.* post initium, *Sicut authores nostri dicunt Antichristus ex populo Iudaeorum nascetur de tribu Dan secundum prophetiam dicentem, fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita.*

Ex Hippol.

174 Prob. 4. ex *Hippol. Mart. orat. de consumat. mundi, & Antichr.* vbi explicans visionem *Daniel 7.* comparationem iniquam Antichristi cum Christo adducens, ait inter cætera, quod sicut Christus natus est de tribu Iuda, sic Antichristus ex tribu Dan, & post multa, *Demonstratus est Saluator, vt agnus; ipse quoque nascetur in circumcisione; ex Hebræis ortus est Christus, hic quoque nascetur à Iudais:* & sic prosequitur reliqua.

Ex Hieron.

175 Prob. 5. ex *Hieron. in cap. 11. Daniel. Nostri autem, & melius interpretantur, & rectius, quod in fine mundi hac facturus sit Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est de populo Iudaeorum, & tam despectus erit, vt ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat Principatum, &c.* quod paulò inferiùs replicat.

Ex Haimone

176 Prob. 6. ex *Haimone in cap. 2. ep. 2. ad Thessal.* vbi dicens: *Antichristum de tribu Dan nasciturum*, sequitur, *& cum venerit Hierosolymam circumcidet se, dicens Iudais: ego sum Christus vobis promissus, tunc confluent ad eum omnes Iudai, & readificabunt templum, quod destructum est à Romanis.*

Ex Prosp.

177 Prob. 7. ex *S. Prospero Aquitan. de promiss. & praedict. Dei*, ex *Iudais de tribu Dan, qua in Perfide est venient Antichristus.*

Nascetur ex tribu Dan,

178 Dico 4. Antichristus nascetur ex tribu Dan. Est communis inter PP.

179 Prob. ex *Gen. 49. vers. 17.* Vbi Iacob de filijs propherizans, ait, *Dan coluber in via Cerastes in semita.* Glossa Interlin. ait, *Antichristus, veneno consumens eos, quos ad vitæ latitudinem provocat.* Glossa Ordin. super verbis: *Dan iudicabit populum*, ait, *alij ad Antichristum hæc transferunt, quem de tribu Dan venturum asserunt, quia Dan, & coluber mordens dicitur.* Idem habet *in c. 33. Deuter.* Verbo, *Dan catulus Leonis.*

Ex Ambr.

180 Prob. 2. ex *Ambros. tom. 1. de Bened. Patriar. cap. 7.* vbi declarans illa, *Dan iudicabit populum*, ait, *fuit & Sampson de tribu Dan, & in-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*& iudicauit Israel viginti annis, sed non hunc prophetia significat, sed Antichristum, qui futurus est ex tribu Dan, ferus iudex, & tyrannus immanis.* Idem replicat in eodem tomo *in Psal.*40. *Etenim homo pacis. Legimus quidem, quod Sampson de tribu Dan iudex fuerit in Israel, sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus, populum supplicijs sacrilega impietatis affliget, Antichristus ille, qui sedebit in templo, tamquam sit Deus, &c.* ergo.

Ex Hippol. 181 Prob. 3. ex *Hippol. Mart. in cap.*7. *Daniel. Quemadmodum è tribu Iuda natus est Christus, ita nascetur è tribu Dan Antichristus, &c.*

Ex Primasio. 182 Prob. 4. ex *Primasio lib.*3. *in Apocal. De tribu Dan Antichristus traditur nasciturus, &c.*

Ex Beda. 183 Prob. 5. ex *Beda in cap.* 49. *Genes.* vbi de prophetia Iacob circa Dan loquens, ait. *Alij hanc prophetiam ad Antichristum transferunt, pro eo quod hoc loco Dan, & coluber assimilatur, & mordens.*

Ex Haimone 184 Prob.6. ex *Haimone in cap.*2. *epist.*2. *ad Thessal.* sic habente. *Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod Iacob dicit, Fiat Dan sicut coluber in via.*

Ex Rabano. 185 Prob.7. ex *Rabano Mauro lib.* 2. *de Vniverso cap.*2. Andr. *Cæsar. in Apocal. cap.*18. *Anastasio Sinaita lib.* 10. *in examin.* & alijs omnibus Scripturistis in *cap.* 49. *Genes.* ergo ex Patrum traditionibus, à principio Ecclesiæ, vsque ad nos, habetur, de hac tribu esse nasciturum Antichristum.

Ex S. Thom. 186 Prob. ex *D. Thoma, de humanitate Dei cap.*29. *Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod ait Iacob fiat Dan coluber, &c.*

187 Prob. item ex *S. Gregorio I. lib.* 31. *in Iob cap.*18. sic interpretante eius prædictionem *fiat Dan, &c.*

Antichr. nascetur in Babylonia. 188 Dico 5. Antichristus nascetur in Babylonia: est etiam communis.

189 Prob. ex Glossa Ordin. *in cap.*2. *ep.*2. *ad Thessal.* (quod ex Haimone accepit.) Verbo, *In templo. Nascetur autem Antichristus in Babylonia, de tribu Dan, & cum venerit Hierosolymam circumcidet se, &c.*

Glossa.

Ex S. Augustí. 190 Prob. 2. ex *Augustí. tract. de Antichristo*, paulo post initium. *Audite etiam locum, vbi nasci debeat. Nam, sicut Dominus, ac Redemptor noster Bethleem sibi prouidit, vt ibi pro nobis humanitatem assumeret, & nasci dignaretur; sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum natis aptum, vnde radix omnium malorum oriri debeat, scilicet Ciuitatem Babyloniæ. In hac enim Ciuitate, quæ quondam inclyta, & gloriosa Vrbs gentibus, & caput Regni Persarum erat Antichristus nascetur, & in ciuitatibus Bethsaidæ, & Corozaim nutriri, & versari dicitur.*

Hieron. 191 Prob. 2. ex *Hieron. in cap.*11. *Daniel. Antichristus nasciturus est de populo Iudæorum, & de Babylone venturus, primumque superaturus est Regem Aegypti, &c.*

D. Th. 192 Prob.3. ex supra adducto loco *D. Th. de humanitate Dei cap.*29. expressè dicente. *Antichristum nasciturum in Babylone.*

Rupertus; 193 Prob.4. ex *Ruperto Tuitiensi in c.*13. *Apocal.* vbi de Antichristo loquens ait. Tradunt nonnulli, quod ille locus maris, vnde nasci debeat, Babylonia sit; vbi repetit Augustini verba.

Vincentius. 194 Prob. 5. ex *Vincentio Bellouacensi in Speculo naturali lib.* 32. *cap.* 103. *Legitur Antichristus in Babylone de tribu Dan nasciturus, iuxta id quod ait Iacob pater eius fiat Dan coluber, &c.*

Epiphan. 195 Prob. 6. ex *S. Epiphanio in vita Danielis*, sic dicente: *Ille propheta, id est Daniel in excelsis montibus Babylonis monstrum annunciauit, & exhibuit dicens, vbi cernetis montem ex parte Boreæ fumo denigratum pro foribus Babylonis terminus imminebit, quando verò ipsum flagrantem igne videbitis aderit totius Orbis terrarum finis, sed cum ad meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrium solum, & condetur Hierusalem late, &c. Quod si denique mons iste sanguine cruentus manet, stragem portendit ipsius Belial in vniverso terrarum Orbe.* Et ita multis declarat ex Babylone venturam mundi ruinam, id est Antichristum.

Antichr. habet dæmonem assistentem ab initio conceptionis. 196 Dico 6. Antichristus ex initio conceptionis suæ in vtero matris habebit diabolum sibi ex tunc assistentem.

Aug expressè. 197 Prob.1. ex *D. Augustin. in tract. de Antichristo*, post initium totidem ferè verbis: *In ipso verò conceptionis initio diabolus, simul introibit in vterum matris eius, & ex virtute diaboli confouebitur, & contutabitur in ventre matris, & virtus diaboli semper cum illo erit: & sicut Spiritus Sanctus in matrem Domini nostri venit, & eam sua virtute obumbrauit, & diuinitate replenit, vt de Spiritu Sancto acciperet, vt quod nasceretur diuinum esset, & Sanctum, ita quoque diabolus in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, totam interius, exteriusque possidebit, vt diabolo per hominem cooperante concipiat, & quod natum fuerit totum sit iniquum, totum perditum, vnde & ille homo peccati, filius perditionis appellatur, quia in quantum poterit genus humanum perdet, & ipse in nouissimo die perdetur.* Hæc Augustinus, vbi nota, quod supra concluſ.2. ex eodem diximus, licet dicat Augustinus in eius conceptu, diabolum fore cooperaturum, tamen ex congressu, seu copula patris, & matris, sicut reliqui homines concipietur, *non vt aliqui dicunt, ex sola virgine.* verba eius sunt. Idemque dicit *Hieronymus in ep. ad Algas. quæst.*11.

Ex Glossa. 198 Prob. 2. ex Glossa *in cap.*2. *epist.* 2. *ad Thessal.* Verbo, *Tamquam sit Deus*, dicente. Sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis habitauit, ita in Antichristo plenitudo malitiæ, & omnis iniquitas habitabit, quia in ipso erit caput omnium malorum, sci-

scilicet diabolus. Ita Glossa ex *Haimone*.

Ex eid. Glos. 199 Prob. 3. ex eadem Glossa *in cap. 25. Isa.* Verbo, *Et triturabitur*, sic habente, *Antichristus erit totaliter à dæmone obsessus, & opera eius fient virtute dæmonis, &c.*

200 Conf. ex *Lyrano in cap. 9. Daniel.* Verbo, *Et intelliget propositiones*, vbi inquit, *Quia Antichristus erit callidissimus, ingenio naturali, & auxilio diaboli familiaris sibi, quia habebit dæmonem principem.*

Ex Hippol. 201 Prob. 4. ex *Hippol. Mart. orat. de consumat. mundi, & Antichr.* vbi ita à dæmone Antichristum ab initio conceptionis obsessum dicit, non vt plerique tenuerint Hippolytum velle, quod diabolus incarnatus sit futurus Antichristus, *de tribu Dan*, inquit, *nascetur diabolus*, & certè nascetur, si enim ab initio conceptionis assistet Antichristo, cum eo quoque nasciturus est.

Ex Hier. 202 Prob. 5. ex *Hieron. ad Algasiam q. 11.* sic habente, *Antichristus homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est, & filius perditionis, id est diaboli.* Et quia posset quis eum explicare de alia assistentia, facilè refellitur hæc explicatio ex ijs, quæ ipsemet S. Doctor docet in *cap. 7. Danielis*, dicens, *non eum putemus iuxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem; sed vnum de hominibus, in quo totus Satbanas habitaturus sit corporaliter.*

Ex Eucherio 203 Prob. 6. ex *S. Eucherio Lugdunen.* in Dominica 1. Aduentus, vbi de Antichristo loquens, ait, *Plenus etiam erit spiritu Satbanæ virtutes, multas, & miracula, arte diabolica operabitur.*

Ex Theofil. 204 Prob. 7. ex *Theophylacto in epist. 2. ad Thessal. cap. 2.* qui explicans verba illa, *cuius aduentus est secundum operationem Satbanæ*, ait, *quisnam ille sit nos docet, nimirum, homo, Satbanam in se habens per se operantem.*

Ex Oecum. 205 Prob. 8. ex *Oecumenio in d. cap. ad Thessal.* sic habente, *Non enim Satbanas erit ipse Antichristus, sed homo obsessus, & directus à Satbana.*

Ex Vincentio Belluac. 206 Prob. 9. ex *Vincentio Bellouacensi in Speculo Natur. lib. 32. cap. 103.* vbi sic de Antichristo. *Totum facit, diabolo, qui illum possidebit instigante; non tamen ita possidebit eum ex toto, vt vniatur ei sicut humanitati diuinitas in Christo; nec ita vexabit eum, vt careat rationis iudicio, alioquin non imputaretur ei, quid quid ageret.*

Coroll. & notabiles. 207 Pro coronide huius articuli, & intelligentia aliorum pertinentium ad natiuitatem, & exaltationem Antichristi, notandum est, primo ex *Ioseffo Iudæo lib. 11. antiquit. cap. 5.* Quod Iudæi eum ex permissione Ciri Regis Persarum (vt habetur Esdræ 1.) omnes possent in Ierusalem reuerti, audita Epistola Esdræ eos conuocantis in Babylone, vt deliberarent de itinere, multi ex eis inerunt cum suis facultatibus in Babylonem, & cupientes reuerti in Ierusalem ad iter se accinxerunt. Reliqua verò Israelitarum multitudo noluit solum relinquere. Quapropter duæ tantum Tribus per Asiam, & Europam sub Romano degunt Imperio decem autem Tribus nuno quoque vltra Eufratem sunt infinita hominum millia, quæ vix numerari possunt. Et idem *Ioseph in lib. 18. cap. 12.* mentionem facit de Nearda Ciuitate in territorio Babyloniæ, in qua florebant olim in studijs Iudæi, vbi multæ Synagogæ, multæque erectæ erant Academiæ, & in ea conflatum est purulentum illud Talmud Babylonicum de anno 505. Ibi ergo Iudæorum præcipui consistentes, existimantes se Imperium Dauidis adhuc tenere, noluerunt reuerti, sed expectant, donec Messias veniat, & magno pretio à Babylonijs solent eiusmodi fictum principatum redimere; & conseruant eius Magistratus, seu Reipublicæ speciem, vt sibi blandiantur, se adhuc Principatum in captiuitate conseruare, caput autem huius vmbratilis Magistratus vocatur *Rassi Galyoth*, id est capita captiuitatum, siue Res Galuta, quod lingua Caldaica importat *Caput*, seu *Princeps* exulum. Ex hac ergo Ciuitate existimatur proditurus Antichristus, cessante consueto Iudæorum Principe; quæ obiter dixisse sufficiat.

De Iudæis, qui sunt in Babylone, & vltra.

Decem tribus sunt vltra Eufratem

## ARTICVLVS VI.

### *De Moribus Antichristi.*

208 ADuerto, quod licet ex Apostolo *ad Thessal. 2. cap. 2.* paucis, sed solidis hisce verbis, *cum reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus* videatur plenissimè epilogare omnem morum improbitatem, ac nequitiam. Placet tamen aliqua propria ex Sanctis PP. accepta de Antichristi moribus enarrare.

209 Dico ergo. Aliqui SS. Patres existimant Antichristum ab initio esse simulaturum virtutes; ideoque Hippocritam. Alij semper improbum futurum.

Antichr. simulabit virtutes.

210 Prob. 1. ex Glossa Ordin. *in cap. 34. Iob vers. 30. Qui regnare facit hominem hippocritam, propter peccata populi*, sic habente. Omnium hippocritarum caput Antichristum designat, quem Iudæa exigentibus meritis accipiet, quia super se verum regem regnare noluit.

211 Prob. ex *S. Hippol. orat. de consumat. mundi, & Antichr.* sic habente. In primordijs suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus; qui odio prosequatur iniustitiam, detestetur munera, idolatriam non admittat, amet scripturas, reuereatur sacerdotes canitiem honori habeat fortationem repudiet; viduis opem ferat, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines ad amicitiam:

Vita Antich. ex Hippolito.

Non

Non possidebit aurum, nec diliget argentum, diuitias non amplectetur. Atque hæc omnia faciet consilio simulato, ac fraudulento, quo circumueniat omnes. vt se Regem credat. Hæc Hippolytus, qui prosequitur eius promotionem in Regem, vt nos infra, & sequitur. Atque initio quidem mendax, & iniquus ille subdolè gloriam hanc repudiabit, at perseuerantes homines, & obsecrantes illum declarabunt Regem. Postea extollet animum, & qui prius erat mansuetus euadet ferox; qui dilectionem complectebatur fiet immisericors, qui animum gerebat submissum superbus, atque inhumanus euadet, &c.

Idem Ephrē. *S. Ephrem* infra cit. ait se humilem simulabit, atque quietum, iniustitiæ osorem, euersorem idolorum, magnum pietatis æstimatorem supra modum Iudæorum gentem honorabit, quod scilicet hi maximè expectent illius aduentum, tamquam ipsius veri Christi.

Idem Iren. *S. Irenæus in lib. 5. cap. 25.* sic de Antichristi loquitur moribus. *Ille enim omnem susciens diaboli virtutem veniet, non quasi Rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus, sed impius, & iniustus, & sine lege, quasi Apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro diabolicam apostasiam in se recapitulans, & idolo quidem seponens ad suadendum, quod ipsemet sit Deus, se autem extollens vnum Idolum habens in semetipso reliquorum Idolorum varium errorem. Vt hi, qui per multas abhominationes adorant diabolum, hi per hoc vnum Idolum seruiant ipsi.*

Idem Ephrē *S. Ephrem in tract. de consumat. sæculi, & Antichr.* ait Apostata erit, nascetur perfectè illius organum ex spurcissima, & fallacissima muliere, atque in isto habitu amictus veniet scelestissimus ille, vt fur, & vt cunctos decipere possit, falsus, & irreligiosus impostor.

Greg. Nanz. *S. Gregorius Nazianzen. orat. 4. in 2. ad Thessal. 2.* ait, quando Antichristus venerit, & nihil bonum, & rectum, sed omnia iniqua, & regibus contraria imperans, &c.

Cyrillus Alexandr. *S. Cyrillus Alex. lib. 11. in Gen.* ait. Hic certè Sanctis repugnabit, & inter eum, feraſque immanes, nihil intererit.

Lactan. *Lactantius lib. diuin. Instit. cap. 16.* ait. Hic Insustentabili dominatione vexabit orbem diuina, & humana miscebit; infanda dictu, & execrabilia molietur, noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi constituat imperium. Leges commutabit, & suas sancict, contaminabit, diripiet, spoliabit.

Hieron. *S. Hieron. ad Algas. quæst. 11.* ait homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est, & filius perditionis, id est diaboli, ipse est enim vniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus, & in *cap. 11. Dan.* ait. Simulabit castitatem, vt plurimos decipiat; quos autem terrore non quiuerit, subiugabit auaritia.

Augusti. *S. Augustin. in tract. de Antichr.* diffusè de eius moribus, & gestibus, sic de eo loquitur. Christo in cunctis contrarius erit, & Christo contraria faciet; humiles deijciet peccatores magnificabit, impios exaltabit; semperque vitia, quæ contraria sunt virtutibus docebit. Legem Euangelicam dissipabit dæmonum culturam in mundo renouabit, vel reuocabit. Gloriam vanam quærens Omnipotentem Deum se nominabit: & post aliqua. Sicut serpens in via sedebit; & in semita erit, vt eos, qui per semitam iustitiæ ambulant feriat, & veneno suæ malitiæ occidat. Et post, ille, homo peccati filius perditionis appellatur, quia in quantum poterit genus humanum perdet, & ipse in nouissimo perdetur: & post aliqua. Habebit autem Antichristus magos, maleficos, diuinos, incantatores, qui eum diabolo inspirante nutrient, & docebunt in omni iniquitate, falsitate, & nefaria arte; & maligni spiritus erunt duces eius, & socij semper, & comites indiuisi. Deinde Hierosolymam veniens omnes Christianos, quos ad se non poterit conuertere per varia tormenta iugulabit, & suam sedem in Templo Sancto ponet. Templum etiam Sanctum, quod Salomon Deo ædificauit in statu suo restaurabit; & filium Dei omnipotentis se esse mentietur. Reges autem, & Principes primum ad se conuertet; deinde per illos cæteros populos. Loca vero per quæ Christus Dominus ambulauit, priùs destruet, deinde per vniuersum mundum nuncios, & Prædicatores suos mittet. Deinde idem Augustinus prosequitur narrare potentiam, miracula, & tyrannidem eius, aliosque progressus, & finem, quæ nos distinctè in proprijs locis adducemus. En quales secundum Augustinum erunt Antichristi mores.

Tota ex Augustino Antichr. vita,

Lyranus. *Lyranus in cap. 9. Daniel.* Verbo, *Consurget Rex impudens facie*, ait, quia Antichristus ad omne malum erit inuerecundus; *& intelligens propositiones*, ait textus, Lyranus explicat, quia Antichristus erit callidissimus ingenio naturali, & auxilio diaboli familiaris sibi, quia habebit dæmonem principem, textus *Roborabitur fortitudo eius*. *Lyranus*, quia excedet omnem terrarum potentiam tempore suo, textus, *sed non iuribus suis*, & sic prosequitur diffusè declarationem illius prophetiæ, quæ mirabilis est.

Theophyl. *Theophylactus in ep. 2. ad Thessal. cap. 2.* explicans verba illa, *homo peccati*, ait, hominem autem peccati illum vocat, vt qui omne peccatorum genus peracturus sit, & alios ad peccatum supplantaturus, filius etiam perditionis est quandoquidem, & ipse sit perditus. Hæc *Theoph.*

Ioa. Damasc. *S. Ioannes Damasc. lib. 4. fidei Orthod. c. 27.* inter alia ait de eo, *in Regni quidem sui, vel tyrannidis potius præludij bonitatis speciem præseferet, cum autem rerum potitus fuerit, tum Ecclesiam Dei persequetur, peruersitatemque suam omnibus deprome.*

Di-

Erit amarus cum electis, & suauis cũ iniquis, &c.

212 Dico 2. Inter alia Antichristus amarus erit cum electis, & dulcis, ac suauis cum reprobis dona illis dabit, ipsos exaltabit, eisque habenas concupiscentiæ laxabit.

213 Prob. ex *Iob cap. 21. versu penult. Dulcis fuit glareis Cociti, & post se omnem hominem trahet.* Glossa Ordin. ait, Glareæ Cociti sunt, qui contra voluptates fortiter resistere nolunt, & suis quotidie lapsibus ad luctum tendunt. Antichristus ergo, qui amarus est electis, & contemptus, suauis per dona, & miracula est reprobis. Hæc Glossa.

Ex Script;

214 Prob. 2. ex *Dan. 11. vers. 39. Multiplicabit gloriam, & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuitò.* Quod quidem caput, Glossæ omnes, vt sæpè diximus totum de Antichristo intelligunt, quia de nullo alio verificantur, quæ ibi prædicuntur; sic Interlin. *Lyranus* pariter ait, hic ponitur processus Antichristi contra colentes Deum, qui erit in exaltatione malorum, qui ei obedient, & in persecutione bonorum, qui ei resistent; & hoc est quod dicitur hic & multiplicabit gloriam sibi obedientibus, eos exaltando, & terram gratuito diuidet familiaribus suis.

Vacabit concupiscentijs.

215 Prob. de concupiscentia ex eodem *cap. 11. Dan. vers. 37. Et Deum patrum suorum non reputabit. Et erit in concupiscentijs fœminarum, nec quemquam Deorum curabit.* Quod Interlin. & *Lyranus* de Antichristo intelligunt; licet Glossa Ordin. intelligat de Antiocho, quam tamen perspicuè impugnat *Lyranus*, quia Antiochus coluit Deos Græciæ, quos coluerunt Patres sui, & præcipuè Iouem, cuius simulacrum introduxit in templum Iudæorum, eosque attrahere volebat ad eius cultum, ex 1. & 2. *Machabæor.* Ideoque de Antichristo loquitur Daniel, qui extollet se super omne, quod dicitur Deus, ipseque in templo sedebit, tamquam sit Deus. Ita docet etiam Glossa Interlin. Verbo, *Aduersum. Et erit in concupiscentijs*, sequitur *Lyranus*, quia licet Antichristus finget castitatem, vt decipiat facilius, tamen non erit verè castus, vt dicunt aliqui, quia erit plenus omni malitia, & per consequens erit luxuriosus, propter quod significatur per bestiam ascendentem de abysso *Apocalyp. 17.* in bestia autem significatur carnalis lasciuia.

Notáb. dignum.

Ansel.

216 Prob. ex *S. Ansel. Cantuar. in ep. 1. ad Thessal. & cap. 5.* de tempore Antichristi, sic ait. Qui ad vitam prædordinati non sunt, nec morte Principis sui corrigentur (id est Antichristi) sed toto corde mundanis inhærentes gaudebunt, vxores ducent conuiuia facient, & domos ædificabunt dicentes, Pax nobis, & securitas est, licet Princeps noster sit mortuus, &c.

Antichristus mittet suos ministros ad prædicandũ.

217 Dico 3. Antichristus mittet suos ministros, tamquam prophetas ad prædicandum suam doctrinam per vniuersum mundum.

218 Prob. ex 1. *ad Timoth. 4. Spiritus manifestè dicit, quod in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hipocrisi loquentium mendacium*, vbi *Lyranus*, ait. Sicut Saluator præmisit discipulos in omnem ciuitatem, & locum, quo erat ipse venturus, & illi loquebantur in Spiritu Sancto; sic & Antichristus præmittet prophetas suos, loquentes spiritu diabolico.

Hippol.

219 Prob. ex *S. Hippol. orat. de consumat. mundi, &c.* Christus mittit Apostolos ad omnes gentes; Antichristus mittet Pseudo-Apostolos, &c.

Augustin.

220 Prob. ex *S. Augustino tract. de Antichr.* Loca vero per quæ Christus Dominus ambulauit, prius destruet, deinde per vniuersum mundum nuncios, & prædicatores suos mittet. Prædicatio autem eius, & potestas tenebit à mari vsque ad mare, ab Oriente vsque ad Occidentem, ab Aquilone vsque ad Septentrionem. Hæc *Augustinus.*

221 Prob. ex Glossa *Lyran. in cap. 20. Apocal.* Versu, *Soluetur Sathanas de carcere suo, exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ:* sic habet, quia de omnibus mundi partibus adhærebunt Antichristo, seducti à suis prædicatoribus diabolo cooperante mendacibus signis.

Omn's vitia habebit.

222 Dico 4. Antichristus erit omnium vitiorum, & malorum fons, & origo, ipsaque alios docebit.

223 Prob. 1. ex 2. *ad Thessal. cap. 2. Nisi reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis*, vbi *Lyranus*, ait, *id est homo totaliter deditus peccato*, & textus de eodem Antichristo, ait, *ideo mittet illis Deus operationem erroris.* Glossa Interlin. ait, *Eum qui est ipsa malitia, quia pater omnis malitiæ, & iniquitatis*, & *Lyranus*, de primo ait, dicitur iniquitas in abstracto, propter excessum suæ malitiæ; de secundo dicit, id est operationem inducentem in errorem.

Ambros.

224 Prob. 2. ex *S. Ambros. in c. 13. Apocal.* in fine. *Discipuli Antichristi laudatores erunt vitiorum, docebunt enim ideo creatum vitium, & diuitias, vt eis homines vtantur.*

Augustin.

225 Prob. 3. ex *S. Augustino tract. de Antichr.* circa finem. *Antichristus, licet sit homo, erit tamen fons omnium peccatorum, & filius perditionis. Hic est filius diaboli, quia per omnia adimplebit voluntatem suam, quia plenitudo diabolicæ potestatis, & totius mali ingenij corporaliter habitabit in illo, in quo erunt omnes thesauri malitiæ absconditi; qui contrarius est Christo, omnibusque membris eius, &c.*

Antich. adorabit dæmonem.

226 Dico 5. Antichristus occultè adorabit dæmonem priuatum, quem habebit in se.

227 Prob. ex *Dan. 11. versu 38. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem ignorauerunt patres eius colet auro, & argento, & lapide pretioso, & rebus pretiosis; & faciet vt muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, &c.* vbi Glossa Interlin.

lin. Verbo, *Deum*, ait, *diabolum, vel seipsum, quem prædicabit esse Deum*. Glossa Ordinar. ait, *Diabolum, scilicet in seipso*. *Lyranus*. V. *Deum*, ait, hic ponitur processus Antichristi contra Deum per cultum idolatriæ; quia, licet se faciat adorari, sicut Deum, in palam; tamen dæmonem priuatum, quem habebit, occultè adorabit. Hæc *Lyranus*.

Maozim, quid sit,

*Maozim* dicitur præsidium ex Glossa Ord. quia Antichristus in Ierusalem constructurus est præsidium. *Lyranus* verò dicit Maozim dicitur præsidium, & locus construendus ab Antichristo, vbi colet illum dæmonem occultè, & in illo loco reponet Antichristus diuitias pretiosas, tamquam in loco secretissimo, & fortissimo. Et verbo cum Deo alieno, ait *Lyran.* per familiaritatem, & pacta cum eo inita; quia habebit pactum cum illo dæmone, qui alienus debet esse ab omni homine. Hæc *Lyran.*

Cætera autem de moribus Antichristi in *art. de dogmatibus, de tyrannide, & alijs* habentur.

## ARTICVLVS VII.

### *De Regno Antichristi, eius origine, atque sede.*

Multa discutienda,

228 ADuerto multa hic esse videnda. Primo, an Antichristus reuera futurus sit Rex. Secundo, à quo habebit hoc Regnum, num per electionem, & à quibus faciendam, an alio modo. Tertio, vbi eligetur Rex. Quarto, vbi incipiet regnare, id est quos nam primo subiugabit. Alia verò de eius dominio infra dicentur. Hæc autem ex scriptura, & explanatione eius per Ecclesiæ Doctores facta, eruemus.

Antich. erit Rex.

229 Dico 1. Antichristus reuera erit Rex, & in effectu regnabit.

Genes. ex Glossa.

230 Prob. 1. ex *Gen.* 49. *Dan iudicabit populum suum, sicut, & alia tribus Israel*, quæ quidem prophetia, licet à plerisque de Sampsone intelligatur, qui fuit de tribu Dan, & per annos 20. fuit iudex in Israel; tamen Glossa Ordin. ex *Isidoro*, & *Hieron.* sicut, & alij vniuersaliter id intelligunt de Antichristo, qui erit de tribu Dan, vt visum est, & populum Iudaicum à quo eligetur in Regem iudicabit: ergo.

Ex Dan. 7.

231 Prob. 2. ex *Daniel.* 7. vbi explicante ei Angelo visionem quatuor bestiarum, & optante Daniele distinctius scire, quid significaret quarta bestia alijs horribilior, quæ cæteras conterebat, in *versu* 23. Angelus sic alloquitur. *Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus Regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam. Porro cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit. Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem, Regnum autem, & potestas, & magnitudo Regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi, cuius Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient.* Placuit totam visionem adducere, quia distinctè rem explicat. Certum est autem ex Glossa ibi, & ex omnibus Scripturistis, quatuor illas bestias significare quatuor Regna Medorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, & quartam terribiliorem, quæ contriuit, & comminuit omnia, significare Regnum Romanorum, quod omnia subiugauit, vt ex Chronicis clarè constat; sed quia sub Romano Imperio decem Reges erant futuri, & post eos alius consurget, qui tres humiliabit, eritque omnibus potentior, videndum erit, quis iste sit futurus. Glossa Interlin. Verbo, *Decem Reges*, ait, *tempore Antichristi*. Verbo autem, *alius consurget*, ait, *Antichristus*, deinde declarat, tres Reges ei subiugandos, esse Regem Ægypti, Æthiopiæ, & Lybiæ. Glossa vero *Lyran.* ait, futurum est, vt Romanum Imperium diuidatur in decem Regna, simul existentia imminente tempore Antichristi, vt habetur *Apoc.* 17. & in Versu *Considerabam, & ecce cornu paruulum, de medio eorum ortum est*, ait id est Antichristus, qui erit vndecimus Rex respectu decem prædictorum, paruus quantum ad potestatem in principio, sed postea crescet diaboli adiutorio. Hæc *Lyr.* quæ replicat in Verbo, *Bestia quarta*, dicens Regnum quartum, scilicet *Regnum Romanorum*. & Verbo, *Porrò cornua decem*, decem Reges erunt, qui sibi diuident Regnum Romanorum, & Verbo, *Et alius consurget post eos*, ait *Antichristus*, & prosequitur declarare textum consequenter ad dicta.

Quatuor bestiæ significant quatuor regna.

Gloss.

Lyr.

Ex Dan. 8.

232 Conf. ex eod. textu *Dan cap. 8. vers.* 24. idem confirmante. *Et post Regnum eorum, cum creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet; & interficiet robustos, & populum sanctorum, &c.* & post, *& contra Principem Principum consurget*, quam prophetiam, licet aliqui de Antiocho Rege Siriæ intelligant, qui fuit Antichristi figura; tamen Glossa Interlin. Verbo, *Prosperabitur*, & Glossa Ordin. intelligunt eam de Antichristo, & meritò, quia Angelus loquens Danieli dicit ibi, *Ostendam tibi, quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, quoniam habet tempus finem suum, in quo illa complebuntur*. Antiochus autem non fuit in nouissimo, vel in fine temporum; at quidquid sit de hac declaratione

tione huius prophetiæ, prima est inconcussa.

233 Prob. 5. ex *Dan. 11. vers. 36. Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & elevabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & dirigetur, donec compleatur iracundia, & Deum patrum suorum non reputabit, &c.* vbi Glossa Interlin. Verbo, *Deum patrum*, ait, Abraham, Isaac, & Iacob, de quorum progenie nascetur Antichristus in Babylone; & Verbo, *Suorum*, ait, Iudæorum, scilicet Deum Deorum. Glossa etiam Ordinar. ac *Lyrani*; itemque *D. Hieron.* & alij SS. Patres de Antichristo, dicunt Prophetam loqui ergo certum est eum futurum esse Regem, imò vt infra dicetur, alios Reges subiugaturum.

Dan. 11.

234 Prob. ex *Hieron. in cap. 7. Dan.* confirmante præfatam declarationem, sic. *Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consumatione mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se diuidant, & vndecimum surrecturum esse Regem parualum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus est, id est Ægyptiorum Regem, & Africæ, & Æthiopiæ; quibus interfectis, etiam septem alij Reges Victori colla submittent:* & post. *Ne eum putemus iuxta quorundam opinionem, vel diabolum esse, vel dæmonem, sed vnum de hominibus, in quo totus Satbanas habitaturus sit corporaliter.* Igitur cum hic sit Antichristus, vt ex eodem Hieronymus diximus, hic erit Rex.

Hieron.

235 Conf. ex eodem *Hieron. in cap. 11. Dan. In fine mundi hæc facturus est Antichristus, vt per insidias, & fraudulentiam obtinet Principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo, & conterantur:* & post aliqua, *Superaturus est Regem Aegypti, qui est vnus de tribus cornibus; quos autem terrere non quiuerit subiugabit auaritia; multæ ei Vrbes, vel Prouinciæ datæ sunt manus:* ergo regnabit.

236 Conf. ex *Augustin. in lib. 20. de Ciuit. c. 23.* vbi explicans Dan. visionem in *c. 7.* ait, *Antichristi tamen aduersus Ecclesiam sæuissimum Regnum, sed exiguo spatio temporis sustinendum, donec Dei vltimo iudicio Regnum Sancti accipiant sempiternum, qui vel dormitans hæc legit dubitare non sinitur.* & ad hoc citat *S. Hieron.* nuper allatum. Et reuera sic est; omnia enim, quæ dicit Angelus Danieli sic quadrant cum ijs, quæ futura sunt in fine mundi, tempore Antichristi, vt nullus possit dubitare ad eum dirigi Regnum illud sæuum, quod consurget ex illis decem, quod erit vltimum inter homines, sed cæteris truculentius, post quod Christus veniet ad iudicandum, & Regnum gloriæ conferet Sanctis.

Augustin.

Prob. ex *Ambros. c. 2. in caput 2. epist. 2. ad Thessal.* vbi de Antichristo, sic loquitur, *Scitens enim venturum Dominum ad se comprimendum, vt Regnum eius verum esse videatur, attrahet secum qui simulcum operentur, &c.* & *de bened. Patr. cap 7. Antichristus sæuus Rex erit, atque immanis.*

Ambros.

237 Prob. ex *S. Eucherio in Dom. 2. Adu.* Antichristus erit alijs Regibus fortior, & potentior, qui postquam illos tres Reges superabit, & illorum regna subiugabit, in tantam superbiam elevabitur, vt contra Altissimum loqui, & ore nefario Deum traducere non timeat.

Eucher.

238 Prob. ex *S. Brunone in Psal. 9.* Antichristus non solum se terrenum Regem, sed etiam rerum omnium Deum prædicabit.

Bruno.

239 Prob. ex *Gregor. Nanzianz. orat. 47.* Aiunt fore, vt Hierosolymitanum templum rursus extruatur, atque Antichristus à Iudæis Christus credatur, in eoque sedeat, totiusque Orbis terrarum Rex esse videatur.

Greg. Nanz.

240 Prob. ex *Cyrillo Alex. trat. 7. in Dan.* vbi explicans illud paruum cornu ortum post decem cornua, ait futurum Antichristum, qui Rex erit, & tres ex decem subiugabit, & post. *Paruum ipsum cornu vocat, vt à parua Iudæorum tribu natum, conspicuum autem, vt qui deinde futurus sit illustris.*

Cyrillus Alexandr.

241 Prob. ex *Lactantio lib. 7. diuin. inst. cap. 17.* vbi de Elia, & Antichristo sic loquitur: *His prodigijs, atque virtutibus, Elias, conuertet multos ad Dei cultum, peractisque operibus ipsius, alter Rex orietur ex Syria malo spiritu genitus euersor, ac perditor generis humani, &c. Hic pugnabit aduersus prophetam Dei, & vincet, & interficiet eum, & insepultum iacere patietur.*

Lactan.

242 Prob. ex *Oecumenio in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* Romanorum autem Imperium ipse Antichristus perfectè abolebit, quemadmodum enim Medorum Imperium à Babylonijs dissolutum est, & Babyloniorum à Persis; Persarum à Macedonibus; Macedonum à Romanis: ita Romanorum ab Antichristo; & Antichristi à Domino nostro. Ergo Antichristus, in re erit Rex.

Oecumen.

243 Dico 2. Antichristus eligetur Rex à Iudæis, ac gentilibus.

Eligetur Rex à Iudæis.

244 Prob. ex *S. Hippolyto orat. de consumat. mundi, & Antichr.* qui postquam de vitijs, simulatione, atque hipocrisi Antichristi multa pertexuit, sic prosequitur. *Vbi populi, ac multitudines tantas tuas virtutes, ac facultates perspexerunt, vno consensu conuenient omnes vnum in locum ad creandum illum Regem, ac potissimum hebræorum genti præ omnibus ipsi tyranno cara erit, dicentque alius alij, numquid in generatione nostra talis, ac tam bonus, ac iustus homo inueniri potest. Iudæi præcipuè, vt iam dixi sperantes se spectaturos illum Regem tali in Imperio, eum adeuntes, his verbis alloquentur, omnes tibi obtemperamus, agnoscimus te iustum super omnem terram. Omnes à te salutem nos consecuturos*

Hippol.

*speramus, & ex ore tuo iustum, ac incorruptum iudicium accipiemus, Atque ab initio, quidem mendax, & iniquus ille subdolè gloriam hanc repudiabit; at perseuerantes homines, ac obsecrantes illum declarabunt Regem.* Hæc *Hippolytus*.

Electus Rex veniet in Iudæam.

245 Dico 3. Antichristus electus iam Rex, postquam aliquas Prouincias, seu Regna debellauit, in Iudæam veniet, ac in ea sedem Regni collocabit.

246 Prob. 1. pars. Pro nunc (nam in sequenti art. iterum probabitur) ex *Dan.* 11. *versu* 42. *Et mittet manum suam in terras, & terra Aegypti non effugiet, & dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti, per Lybiam quoque & Aethiopiam transibit, &c.* Glossa Interlin. ait, *hæc sunt tria cornua, quæ à facie Antichristi tollentur Rex Aegypti, Rex Lybiæ, & Rex Aethiopiæ*. Idem confirmat Glossa Ordin. & Glossa Lyrani ibidem, sed de hoc in sequenti.

2. pars. quod in Iudæa veniet.

247 Prob. 2. pars. Primo ex ipsomet *cap.* 11. *Dan.* vbi supra. Sic enim habet, *& introibit in terram gloriosam, & multi corruent.* Glossa Interlin. Verbo, *Terram*, ait, *Iudæam*. Glossa Ordin. dicit. *Nostri ad Antichristum hæc referentes, dicunt, quod primum pugnaturus sit contra Regem Austri, id est Aegypti, & postea Lybios, & Aethiopes superaturus, & quod venturus sit in Iudæam, & multæ ei Vrbes, vel Prouincia daturæ sint manus. Lyranus* tandem ait, & introibit in terram gloriosam, id est in Iudæam, quæ dicitur gloriosa, propter mirabilia ibi facta à Deo, & propter opera nostræ salutis ibi facta à Christo. Hæc *Lyranus*. Ergo post aliqua prælia in Iudæam ibit.

Ex Daniele Glos.

248 Prob. 3. pars. ex eodem *cap. Dan.* in fine. *Et figet tabernaculum suum Apadnò inter maria super montem inclytum, & sanctum, &c.* vbi Interlin. sic ait, mare mortuum, scilicet ab Oriente, & magnum, in cuius littore Cæsaræa, & Ioppe, quæ prius Emmaus vocabatur, vbi etiam incipiunt Iudææ Prouinciæ montana consurgere, & Verbo, *Montem inclytum*, ait, *Oliueti*. Idem dicit Glossa Ordin. & *Lyranus*, ita discurrit ibid. Secundum *Hieron. Apadnò*, idem est, quod Emmaus, qui locus est inter mare mortuum, & mare Mediterraneum. Et Verbo, *super montem*, dicit, id est montem Oliueti, vel montem Sion; quando enim Antichristus ponet tabernaculum suum in Emmaus, ponet ipsum quodammodo super montem Oliueti, vel montem Sion, qui sunt propinqui distantes tantum per milliare, quia ab Emmaus incipiunt montana Ierusalem. Ergo in Ierusalem figet sedem.

Apadnò quid.

Ex Apoc. 11.

249 Prob. 2. ex *Apocal.* 11. *versu* 7. vbi loquens profeticè de Enoch, & Eliæ occisione, ait, *faciet aduersus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos, & corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.* Cum ergo in Ierusalem sit occisurus suos eximios aduersarios Enoch, scilicet ac Eliam, signum euidens est eius sedem Regiam ibi esse futuram.

Thessal. 2.

250 Prob. 3. ex *Thessal.* 2. *cap.* 2. vbi de Antichristo hæc habentur: *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ, &c.* vbi Glossa Ordin. ait, *Occidetur autem, vt Doctores tradunt in monte Oliueti in Papilione, & solio suo, in illo loco contra quem Dominus ascendit in cælos.* Ergo signum est, eum in Ierusalem sessurum.

Ex eod. text. Glossa.

251 Prob. 4. ex eodem Apostolo ibid. *Antichristus sessurus est in templo Dei ostendens se tamquam sit Deus.* vbi Glossa Interlin. ait, *in Ecclesia, vel in templo à Romanis destructo, quod tunc Iudæi reædificabunt.* Glossa autem Ordin. ex *Haimone*, ait, *Nascetur autem Antichristus in Babylone de tribu Dan, & cum venerit Ierosolymam circumcidet se, dicens Iudæis, Ego sum Christus vobis promissus, tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & reædificabunt templum à Romanis destructum, sedebitque ibi dicens se esse Deum.* Quod argumentum iterum adducetur infra cum de Templo hoc sermo erit.

Andreas Cæsarien.

252 Prob. 5. ex *Andrea Cæsariensi c.* 30. *in Apocalyp.* vbi de Antichristo, ait. *In hac namque ciuitate*, id est Ierusalem, *ad imitationem Dauidis Regni sedem, vt probabile sit constituet. In cuius quoque confinio Iesus Christus Deus, & Dominus noster natus est secundum carnem, quo vel hac ratione fidem facias, se verum esse Christum impietque propheticum illud instaurabo tabernaculum Dauid collapsum; quod Iudæi errore decepti ad illius aduentum transferunt.*

Ex comparatione cum Christo.

253 Prob. 6. Antichristus ex *Hippol. orat. de consum. mundi*, in omnibus curabit Christo se comparare, & postquam multas refert comparationes, ait, *Ex Hebræis ortus est Christus hic quoque nascetur è Iudæis. Christus ostendit carnem suam, tamquam templum, ac suscitauit tertia die, sic iste Ierosolymis suscitabit templum lapideum, &c.* ergo ibi moraturus est, sedemque fixurus, vbi, vt plurimum commoratus est Christus prædicationis, & aliorum mysteriorum tempore.

Cyril. Hier.

254 Conf. ex *Cyrillo Hierosol. catech.* 15. vbi loquens de templo Antich. Hierosol. ait; *Antichristus ad Iudæos veniet, & ab eis adorari volet; & vt illos maxime decipiat studiosissimum se esse ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipse sit reædificaturus.* Si ergo totum Antichristi studium erit, vt se Messiam Iudæorum ostendat; istique pro Messiæ signo expectent templi reædificationem, & legalium, nec non regni restaurationem, quæ in Ierusalem contendenda sunt; per necessarium consequens fatendum est, in eadem Ciuitate debere Antichristum, tamquam in Regia residere,

quò

quò perfidiam à se conceptam opere compleat.

## ARTICVLVS VIII.

### *De extensione, seu magnitudine Regni Antichristi.*

Dubia solvenda.

255 ADuerto hoc in loco quærendum esse, quomodo incipiet extendi, & ampliari Regnum Antichristi; quomodo progredietur; quantum se extendet, & quibus medijs. Quæ omnia ex Sacra Scriptura à SS. Patribus explanata excipiemus.

Ampliatio Regni Ant.

256 Dico 1. Regnum temporale Antichristi modicum in principio, incipiet ampliari per violentam subiugationem trium Regum Aegypti, Aethiopiæ, & Lybiæ, seu Africæ, & aliorum decem, qui tunc erunt in Orbe. Inter SS. Patres esse communem dicit *Hieron. in cap. 7. Dan.* vt infra.

Ex Hier.

257 Prob. 1. ex *Daniele cap. 7. versu 8.* Certissimum autem supponendum est locum hunc à tota Ecclesia de Antichristo intelligi, omnia enim in eo prædicta ipsi quadrant; nec non tempus, nimirum consumatio mundi. Sic autem ibi loquitur de qqarta bestia, quam vidit. *Dissimilis autem erat cæteris bestijs, quas videram ante eam, & habebat cornua decem. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie eius.* Glossa, & PP. omnes, vt infra, declarant, quartam illam bestiam alijs potentiorem, esse Regnum, seu Imperium Romanorum, quod fuit potentius Medo, Persico, & Græco. Decem cornua ex ea bestia orta, Glossa Interlin. Verbo, *Cornua decem*, dicit, significare decem Reges diuisuros Regnum, quod ad Romanos pertinebat, & hoc tempore Antichristi. Ita etiam Glossa Ord. sic, *dicamus ergo, quod in consumatione mundi, quando Romanorum Regnum destruetur futuri sunt decem Reges.* Verbo, *Ecce cornu*

Ex Glos. Lyr.

*aliud parvulum*, dicit Interlin. *Antichristus ignobilis, obscuro loco natus.* Verbo, *Et tria de cornibus primis evulsa*, ait Interlin. *Tres Reges primo Antichristus humiliabit, Aegypti, Africa, & Aethiopiæ.* Glossa Ordin. ibid. ait, *undecimum surrecturum esse Regem parvulum, & tres Reges de decem superaturum, id est Aegyptium, Africanum, & Aethiopicum:* ergo.

Ex Dan.

258 Prob. 2. ex eod. *cap. Dan. versu 17.* Cum enim Daniel cupidus esset scire declarationem Visionis, bestiarum, &c. Angelus ait, *Hæ quatuor bestiæ magnæ, sunt quatuor Regna, quæ consurgent de terra.* Et quoniam magis vrgebatur Daniel de quarta, quæ erat horribilior, & multa horrenda ex ea oriebantur, dicit, *Volui diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde omnibus, & terribilis nimis, & Angelus sic ait. Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus Regnis, &c. Porro cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*, hæc textus. Glossa Interlin. Verbo, *Regnum quartum*, ait *Romanorum*. Verbo, *Decem Reges*, ait, *tempore Antichristi*. Verbo, *Tres Reges humiliabit*, ait, *Aegypti, Aethiopiæ, & Lybiæ*, Idem habet Glossa Lyrani. *Dan. 7.* idem habetur.

Ex Hippol.

259 Prob. ex *Hippol. Mart. orat. de consumat. mundi, & Antichr.* vbi inter cætera habet. *Deinde sublatus in Regnum suum bellum instruet traque peritus tres magnos Reges percutiet Aegyptiorum, Afrorum, & Aethiopum.*

Ex Cyrillo Alex.

260 Prob. ex *Cyrillo Alex. orat. 7. in Daniel*, ibi. *Ecce cornu aliud parvum*, ait, *Hic Antichristum innuit, qui inter decem cornua exoritur, atque ipsum tria cornua radituri asserit annullasse, quo significat, illum ex decem, qui illo tempore regnabunt tres Reges eversum ire, & parvum ipsum cornu vocat, vt à parva Iudaorum tribu natum, conspicuum autem, &c.*

Ex Hier.

261 Prob. ex *Hieron. in cap. 7. Dan.* *Dicamus, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi; quando Regnum destruendum est Romanorum decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse Regem parvulum, qui tres Reges de decem Regibus superaturus sit, id est Aegyptiorum Regem, Africæ, & Aethiopiæ, quibus interfectis, &c.* Hæc *Hieronym.* Idem fere repetit in *cap. 11. Dan.* sic. *In fine mundi hæc sit facturus Antichristus, qui consurgere habet de modica gente, id est de populo Iudaorum, & tam humilis erit, atque despectus, vt ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat Principatum, & brachia pugnantis populi Romanorum expugnentur ab eo, & conterantur.* Ergo fiet Rex, seu Monarca per Regum aliorum subiugationem.

Cor. Hier.

Non est certa dilatatio Regni Ant. sed decem Reges subiugabit.

262 Dico 2. Licet non sit certum quantum se dilatabit Regnum temporale Antichristi; tamen & decem Reges, qui tunc erunt sibi subiugabit; & maximè se extendet eius temporale dominium. Ita ex SS. PP. colligitur.

263 Prob. 1. pars. Nullus scripturæ locus; nullaque SS. PP. authoritas præscribit terminos dilatationis Regni Antichristi: ergo.

Ex Gloss.

264 Prob. 2. pars. ex Glossa Ordin. in *cap. 7. Dan. vers. 8.* supra relato. vbi enim dixit, quod tres Reges de decem superabit, Aegyptium, Afrum, & Aethiopicum, ait, *quibus interfectis, septem alij colla submittent.* Quæ quidem authoritas desumpta est, ex *Hieron. in cap. 7. Danielis*, de verbo ad verbum.

265 Prob. 2. ex eodem *Hieron. in cap. 11. Dan.* vbi enixè probans illam prophetiam de

de alio non posse intelligi, quam de Antichristo, eiusque vastissimo Regno, sic ait, *Per insidias, & fraudulentiam obtinebit Principatum, & brachia pugnantis populi Romani expugnentur ab eo, & conterantur. Et hoc faciet, quia simulabit se ducem esse fœderis, hoc est legis, & testamenti Dei. Et ingredietur Vrbes munitissimas, & faciet, quæ non fecerunt patres illius; nullus enim Iudæorum absque Antichristo in toto vnquam Orbe regnauit, &c.* hæc *Hieron.* ex quibus habetur, quod Regnum eius in toto Orbe dilatabitur.

Hieron.

Dilatabitur Orbem non syncathegorematicè,

266 Prob. 3. ex *Aug. tract. de Antichr.* sic habente: *Reges autem, & Principes primum ad se conuertet, deinde per illos cæteros populos. Loca verò, per quæ Christus Dominus ambulauit prius destruet, deinde per vniuersum mundum nuncios, & prædicatores suos mittet. Prædicatio autem eius, & potestas, tenebit à mari vsque ad mare, ab Oriente vsque ad Occidentem, ab Aquilone vsque ad Septentrionem.* hæc *Augustinus*. Ex quibus patet, quod, siue mediatè, siue immediatè dominium Antichristi se extendet per totum Orbem, iuxta Augustini sententiam.

Aug.

267 Prob. 4. principaliter ex *Apocal.* 20. sic habente. *Cum consumati fuerint mille anni soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam, & ascendit ignis de cœlo, & deuorauit eos; & diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulfuris, vbi, & bestia, & Pseudo-propheta cruciabantur die, ac nocte in sæcula sæculorum. hæc textus.* Hæc autem visio communiter à Scripturistis intelligitur de vltima persecutione, quæ futura est in Ecclesia; illa autem est persecutio Antichristi; patet autem, quod sit vltima; quia nullam aliam refert post eam Ioannes. Secundo, quia Sathanas, & Pseudo-prophetæ in infernum dicuntur omittendi, vbi manebunt in sæcula sæculorum. Sic autem breuiter explicatur ab omnibus, sed à Glossa, & Lyrano præsertim. Per mille annos, qui intercedent à resurrectione prima, id est à Christi redemptione, vsque ad solutionem Sathanæ, ait Glossa Ordin. intelligitur tempus indeterminatum; sicut per 24. Seniores, intelligitur Episcoporum vniuersitas. Sathanas soluetur post hoc tempus, quia, vt supra dictum est, & infra dicetur ex Augustino, in fine mundi, & Antichristi tempore Sathanas exercebit totam suam potestatem in terrâ, vt inducat homines ad sui cultum, siue deceptionibus, & fictis miraculis, siue potius mirabilibus signis, siue terroribus, quæ in suo loco explicantur. Sed quod facit ad præsentem materiam, est, quod *seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ*, quod declarans *Lyranus*, ait, *quia de omnibus mundi partibus aliqui adhærebunt Antichristo seducti à suis prædicatoribus*, sequitur textus, *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam*. Glossa Interlin. Verbo, *Latitud.* ait, *in omni Orbe*, & Verbo, *Ciuitatem*, ait, *Ecclesiam Sanctorum*. *Lyranus* verò, Verbo, *Et ascend.* ait ad cogendum omnes Antichristo obedire, & loquitur de futuro per modum præteriti, propter certitudinem prophetiæ, sicut fit in prophetis. Verbo, *Et circumierunt*, ait, Christianorum, ad eos destruendum. Verbo, *Et ciuitatem dilectam*, ait, id est Ierusalem, quæ tunc à Christianis habitabitur: & prosequitur declarationem huius visionis, vsque ad Antichristi occisionem, & aliorum sequacium destructionem.

Ex Apocal.

Mille anni post quos soluetur Sathanas, quid significent.

Ex qua prophetia clarè colligitur, quod dominium, siue temporale, siue saltim spirituale Antichristi, per subiectionem, scilicet falsæ credulitatis se extendet, ac dilatabitur per totum mundum, non quidem syncathegorematicè, vt omnes mundi partes totales credituræ sint in eum, eique parituræ; sed cathegorematicè, id est in toto mundo habebit subditos temporaliter, & spiritualiter, qui in eum sint crediturí, eique parituri.

268 Notandum autem est, ex *Ezechiele 38. vers. 3.* hæc haberi: *Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog, Principem capitis Mosoch, & Tubal, & vaticinare, & dices ad eum, hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ad te Gog Principem capitis Mosoch, & Tubal.* & post aliqua. *Perse Aethiopes, & Lybes cum eis, omnes Scutati, & Galeati, Gomer, & vniuersa agmina eius, domus Togorma latera Aquilonis, & totum robur eius.* Hanc propheciam, ait ibi *Lyranus*, intelligi de vltima mundi per Antichristum persecutione. Omnia autem nomina præfata, dicit esse nomina nationum Antichristo adhærentium, ac proinde ei iam subiectarum; duces enim eius militiæ, & exercituum futuri perhibentur. At *S. Hieron.* vt habet Glossa Ordin. ibi, declarat, qui sint eiusmodi populi, saltem ex aliorum sententia, sic, Iudæi, & nostri Iudaizantes putant Magog, & Gog Scyticas esse gentes innumerabiles, & immanes, quę trans Caucasum montem, & meotidam paludem, & propter Caspium mare ad Indiam vsque tenduntur, & has post mille annorum Regnum esse à diabolo commouendas, vt veniant in terram Israel, & pugnent contra Sanctos gentibus secum multis coniunctis. Primum Mosoch, quos Ioseffus Cappadoces dicit, deinde Tubal, quos idem Hiberos, vel Hispanos, Hebræi Italos suspicantur, habentes secum Persas, Aethiopes, & Lybes. Gomer quoque, & Togorma, quos Galatas, & Phrygas dicunt; Sabæos quoque, & Dedan, & Carthaginenses, siue Tharsis, &c. & post aliqua. Idem *Hieron.* ex propria sententia, ait, Notandum quod in Ezechiel Gog Princeps terræ Magog dicitur, In Apocalypsi verò Gog, & Magog nationes,

Notabile ex Ezech.

Hieron. declarationes de quibusdã nationibus ex aliorum sent.

Hieron. propria sent.

tiones, quæ egrediuntur de quatuor angulis terræ, & quomodo à Iacob, qui primus dictus est Israel omnis populus Hebræus Israel vocatus est, & ab Aram Siria, à Mesraim Aegyptus, quorum in Genesi scripta sunt nomina; sic & à Principe Gog, omnes, qui ei subditi sunt Magog appellantur.

1 *Lyranus* vero ibid. Verbo, *Principem capitis*, ait, *Quia isti Reges subjicientur ei, scilicet Cappadocia, Iberia, &c.* igitur populi Regnorum, quos nominat Ezechiel, sub ditione Antichristi erunt.

Alij alios populos per hæc nomina dicunt significari, qui Antichristi adhærebunt, quorum sententias exactè discutit *Thomas Malvenda lib. 5. de Antichristo cap. 12. & 13. &c.* sed de his non curamus, sufficiat nobis scire, dominium Antichristi, per omnes fere mundi populos esse extendendum; sed in *art. 13.* aliqua dicentur de populis, qui per hæc nomina significantur.

## ARTICVLVS IX.

### *De doctrina, & dogmatibus Antichristi.*

269 ADuerto, quod licet ex nomine, & re Antichristi, colligi possit vniuersalis conclusio, quod ipse docturus sit dogmata, ex diametro contraria legi, ac dogmatibus Christi. Placuit tamen aliqua ex scripturis, & SS. Patribus colligere, quæ in specie docebit Antichristus. Ideo

1. Dogma Antichr. quod sit Deus.

270 *Dico 1.* Antichristus omnium primo docebit se esse Deum, & vt Deum colendum.

271 Prob. 1. ex 2. *Thessal. cap. 2.* vbi de eo loquens Paulus, ait, *filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tamquam sit Deus.* Vbi Glossa Interlin. Verbo *Aduersatur*, ait, *Christo, & membris eius, vnde Antichristus dicitur.* Verbo, *Extollitur*, ait, *effert se.* Verbo, *Dicitur Deus*, ait, *vel falsa opinione, vt dij gentium, vel beneficij gratia, vt Sanctis.* Et tandem, Verbo, *Quod colitur*, ait, *vt Deus Trinitas*, idem dicit Glossa in *c. 9. Dan.* itaque Antichristus efferet se, & super Deos falsa opinione à gentibus adoratos, & super Deum verum; ideoque in templo sedebit, vt sibi latriæ cultus exhibeatur.

Ex script. clare.

Ex Ambr.

272 Prob. 2. ex *S. Ambrosio in ep. 2. ad Thessal. c. 2.* vbi de Antichristo, ait, *Subornabit sibi in quo, & per quem signa quædam virtutis permissu tantùm Dei faciens se commendet, vt adoretur, quasi sit Deus*, & post aliquæ, *cum apparebit Antichristus cognoscetur ipse esse, quasi rerum Deus*: & post, *vt in domo Domini in sede sedeat Christi, & ipsum Deum se asserat, non filium Dei*, quod ex *Io: 5.* probat.

273 Prob. 3. ex *S. Augustin. tract. de Antichristo*, sic habente de eo. *Templum etiam Sanctum, quod Salomon Deo ædificauit in statu suo restaurabit, & filium Dei omnipotentis se esse mentietur.* Ex August.

274 Prob. 4. ex *S. Hieron. ad Algasiam, quæst. 11.* de Antichristo sic loquente, *Qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus, & extollitur super omne, quod dicitur Deus, vt cunctarum gentium Deos, siue probatam omnem, & veram religionem suo calcet pede.* Idem confirmat in *cap 7. Danielis.* Ex Hier.

275 Prob. 5. ex *S. Irenæo lib. 5. cap. 25.* de Antichristo sic dicente. *Suscipiens omnem diaboli virtutem, &c. idola quidem seponens ad suadendum, quod ipse sit Deus, se autem extollens vnum idolum habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem, &c.* Iren.

276 Prob. 6. ex *S. Hippol. orat. de consum. mundi, & de Antichr.* inter cætera enim, ait. Eum in omnibus conaturum se comparare Christo, eiusque actionibus suas adapturum, *nam per omnia*, ait, *seductor ille vult imitari filium Dei*, & post multa, quod ita dicet populis ibi credentibus: *Perspicite populi tribus, ac gentes magnam meam potestatem, ac potentiam vtrefque imperij mei. Quis Princeps, tam potens, atque ego? Quis Deus magnus præter me? Potentia mea, quis resistet? &c.* Hippol.

277 Prob. 7. ex *S. Cyrillo Hierosol. Catech. 15. Si enim tamquam Christus ad Iudæos veniet à Iudæis sane adorari volet, vt illos maxime decipiat, studiosissimum se ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum ipse sit redificaturus.* Cyril. Hier.

278 Prob. 8. ex *S. Ephrem de consumat. sæculi, & Antichristo. Quando videris confusionem totius mundi, populumque vndique ab vltimis finibus terræ venientem ad adorandum Antichristum, clamantemque magno cum timore, & tremore tu es Saluator mundi, ac filius Dei.* Ephrem.

279 Prob. 9. ex *Cyrillo Alexandrino in epist. 2. ad Thessal. cap. 2.* vbi de Antichristo à diabolo obsesso, ait, *Ille eum elegit hominem, qui possit eius omnem suscipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, se ipsum Christum, & Deum nominans, & Deos, qui vocantur falsos esse arguens, &c.* Cyril. Alex.

280 Prob. 10. ex *Lactantio lib. 7. divin. instit. cap. 17.* de Antichristo, vbi ait Rex ille teterrimus, erit quidem, & ipse, sed mendaciorum Propheta, & se ipsum constituet, ac vocabit Deum, & se coli iubebit, vt Dei filium, &c. Lactan.

281 Prob. 11. ex *Brunonis in Psal. 9.* supra illud, *exasperauit Dominum peccator*, ait, hoc est ad iracundiam concitabit sua superbia, quod proprie de Antichristo datur intelligi, qui irritat verum Dominum, quando se sua fallacia, non solum terrenum Regem, sed etiam rerum omnium Deum prædicabit. Hæc *Bruno*. Non duxi necessarium Brunone.

alia adducere, cum scriptura satis aperte loquatur.

2. Dogma Antic. quod Christus non est Deus.

281 Dico 2. Secundum Antichristi dogma erit, quod Christus non sit Deus.

Ex epist. Io.

283 Prob. 1. ex *ep. 1. Ioann. cap. 2. ver. 22. Quis est mendax nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus; hic est Antichristus, qui negat patrem, & filium*, vbi Glossa Ordin. ait, *Ecce admoniti sumus, quomodo cognoscamus Antichristum, scilicet quicumque negat Christum*. Et licet hoc sit commune etiam Iudæis, & Paganis, erit tamen peculiare Antichristo; quia hic præterea dicet se esse verum Christum.

Ex Glossa.

284 Prob. 2. ex Glossa in addit. 2. in *Psal. 42.* super versu, *dixit insipiens in corde suo non est Deus*, ait. In hoc Psalmo agitur de Antichristo cuius principalis, & propria nequitia consistit in negando, Christum esse Deum. Nam licet in ore suo Deum profiteatur esse in mundo, cum legem Pentateucham asserat veram esse, cuius legis cæremonialia, & iudicialia restaurare tentabit, in qua lege vera testimonia sunt de Deo, tamen in corde Deum negat verum, negando Christum esse verum Deum, hæc Glossa.

Damasc.

285 Prob. 3. ex *S. Ioanne Damasceno lib. 4. fidei Orthod. cap. 27.* vbi de eo sic dicit. Non enim nobis, sed Iudæis veniet non pro Christo, sed aduersus Christum, qua etiam de causa Antichristus dicitur.

Ambros.

286 Prob. 4. ex *S. Ambros. in cap. 13. Apocal.* vbi de Antichristo, ait, blasphemabit & nomen Dei dicens Christum non esse Deum. Blasphemabit & tabernaculum Dei, id est Ecclesiam Dei dicens, nihil prodesse Religionem Christianam.

Hier.

287 Prob. 5. ex *Hieron. ad Algasiam, qu. 11.* de Antichristo vbi ait, *ipse enim vniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus, & extollitur super omne, quod dicitur Deus.*

Augus.

288 Prob. 6. ex *Augus. tract. de Antichr.* in principio, vbi quærit quare sic vocetur, & ait, *quia Christo in cunctis contrarius erit, & post aliqua legem Euangelicam dissipabit, damonum culturam in mundo renouabit, vel renouabit.*

Isidoro.

289 Prob. 7. ex *Isidoro Hispal. lib. 8. Originum c. 11.* Antichristus græcè dicitur, quod est latinè contrarius Christo; Christum enim se mentietur, & contra eum dimicabit, & aduersabitur Sacramentis Christi, vt veritatis eius Euangelium soluat. Hæc *Isidorus*.

Cyril. Alex.

290 Prob. 8. ex *S. Cyrillo Alexandr. in Epit. diuin. decret. cap. de Antichr.* Christi Domini, ait appellatione vsurpata omnes quidem, vt semel dicam decipiet, multis quoque imponet ex ijs, qui sanctum, & venerabile nomen accipere, dicens se esse Christum, quem diuini vaticinantes Prophetæ appariturum prædicabant.

3. Dogma Antich. erit quod ipse sit Christus.

291 Dico 3. Tertium Antichristi dogma erit, quod ipse sit Christus in lege, & prophetis promissus.

Ex Matt. 24.

292 Prob. 1. ex *Matth. 24.* vbi Saluator prædicens mundi finem, & Antichristi aduentum, ait, tunc si quis dixerit vobis: *Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere, surgent enim multi Pseudo Christi, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi. Lyranus*, ait, discipuli Antichristi venient ad seducendum populum dicendo, quod ipse sit vere Christus, in lege, & prophetis promissus; & ideo hoc prædicit ne fideles, tunc decipiantur. Ideo subdit Saluator, *Ecce prædixi vobis, si dixerint ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus nolite credere*. Igitur ministri Antichristi docebunt eum esse Christum, & proinde Saluator monet, ne eis credatur, quia, *sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; ita erit aduentus filij hominis*, subdit ibi Saluator.

Io. 5. & Glos.

293 Prob. 2. ex *Ioann. 5. versu 43. Ego veni in nomine patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Glossa Ordin. Verbo, *Si alius*, ait, Antichristus, qui propriam gloriam quærit, non Dei, id est non in nomine Dei veniet; hoc est, quod Apostolus ait, vt credant mendacio, qui non crediderunt veritati. Hæc Glossa.

Olimpiod.

294 Prob. 3. ex *Olimpiodoro in cap. 4. Ecclesiastici*, sic habente. Vidi inquit cunctos iuuenes, qui ambulant sub hoc visibili Sole, hoc est ipsos peccatores, cum adolescente secundo, hoc est Antichristo, qui exurget pro ipso Domino nostro Iesu Christo, &c. hæc *Olimpiod.*

Augus.

295 Prob. 4. ex *Augus. tract. de Antich.* circa finem. *In Ciuitate Babyloniæ natus veniens Ierosolymam circumcidet se dicens, Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni; vt qui dispersi estis congregem, & defendam.* hæc *Augustinus*.

Iren.

296 Prob. 5. ex *Irenæo lib. 5. cap. 25.* In templo Dei sedebit, seducens eos, qui adorant eum, quasi ipse sit Christus. hæc *Irenæus*.

Cyril. Alex.

297 Prob. 6. ex *Cyrillo Alex. in Epit. diuin. decret. cap. de Antichr.* Ita Christi Domini appellatione vsurpata, omnes quidem, vt semel dicam, decipiet, multis quoque imponet ex ijs, qui sanctum, & venerabile nomen accipere, dicens, se esse Christum, quem diuini vaticinantes prophetæ appariturum prædicabant.

298 Prob. 7. ex *Ioanne Gerson in lib. 6. de Gaudij Paradisi.* Post hæc veniet in Ierusalem, & circumcidet se, dicens, se esse Christum, seu Messiam illis promissum.

299 Prob. tandem ex præced. Eatenus enim sedebit in templo, & vt Deum se venditabit, quia in animo eius est abrogare Christum.

Prob.

4. Dogma. De renouatione legalium.

300 Dico 4. Aliud dogma Antichristi erit, esse renouanda legalia, ac cæremonialia, & Sabbathum legis Mosaicæ.

Ps. 42. Glos.

301 Prob. 1. ex Glossa in *Psal. 42. addit. 1. Antichristi principalis, & propria nequitia consistit in negando Christum esse Deum; qui legem Pentateuchum asseret esse veram, cuius legis cæremonialia, & iudicialia, & huiusmodi restaurare tentabit, vt Doctores communiter dicunt, &c.* hæc Glossa.

Greg. clare

302 Prob. 2. ex *S. Gregorio lib. 11. epist. 3.* vbi ait, Antichristus veniens diem Sabbathum, atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia mori se, & resurgere simulat; haberi in veneratione vult Dominicum diem; & quia Iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat, colli vult Sabbathum.

Isidorus.

303 Prob. 3. ex *S. Isidoro lib. 8. Originum cap. 11.* Nam, & templum Ierosolymis reparare, & omnes veteris legis cæremonias restaurare tentabit Antichristus.

S. Martinus.

304 Prob. 4. ex *S. Martino Turon. apud Seuerum dial. 2. de Vita S. Mart.* Antichristus imperabit, vt omnes secundum legem Moysis circumcidantur.

Hieron.

305 Prob. 5. ex *S. Hieronymo in cap. 11. Danielis*, vbi de Antichristo in hoc negotio sic dicitur, *simulabit se ducem esse fœderis*, hoc est, ait *Hieronymus legis, & testamenti Dei*.

Cyrill. Hier.

306 Prob. 6. ex *Cyrillo Hierosol. Catb. 15. Antichristus tamquam Christus ad Iudæos veniet, & studiosissimum se ostendet illius templi; vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone extructum, ipse sit reædificaturus. Nam credunt Iudæi à Messia restaurandum templum, & sic explicant Iudæi caput 9. Amos vers. 11. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid.* Glossa enim Ordinaria dicit, Iudæos credere quod omnia ista euenient literaliter. Frustra autem conaretur Antichristus decipere Iudæos in restauratione templi, & erectione solij Regalis Dauidis, si non curaret renouare omnia legalia; cum optimè calleat, Iudæos, insita cordi habere cæremonialia Legis Moysis, quam, vt à Deo descendentem volunt esse æternam, & immutabilem. Igitur hic erit præcipuus Antichristi scopus.

Euincens discursus.

Chrysost.

308 Conf. ex *Chrysost. hom. 49. in cap. 24. Matth. Operis imperf.* dicente, legi quemdam exponentem, quod staturus sit in loco Sancto, hoc modo, *Reædificaturus est Sanctuarium, quod fuit in Hierosolymis quondam, & ibi staturus, vt videntes Iudæi credant in eum, non solum propter signa, sed etiam propter reparationem templi.* Igitur oblationes in templo faciendas restaurabit; si enim de solo templo materiali, & non de ritibus intelligeretur, Iudæi in eum non crederent, imò potius abijcerent, quia putarent esse templum Gentilium, sicuti putant Ecclesias Christianorum, eò quod in eis non exerceantur sacrificia, & alia, quæ à Deo sunt in lege Moysi præcepta.

5. Dogma; opera vitiosa esse licita.

309 Dico 5. Antichristus, & ministri eius docebunt vitiosa opera esse licita, & ad hunc finem fuisse facta, vt eis homo vtatur.

Ambros.

310 Prob. ex *S. Ambros. in cap. 13. Apocal.* circa finem. *Discipuli Antichristi laudatores erunt vitiorum; docebunt enim ideo creatum vitium, cæteraque diuitias, vt homines ijs abundanter, & efficienter vterentur. Cum autem istam nefandam doctrinam virtutibus affirmauerint terrenos homines, qui proni erunt ad malum magis, quam ad bonum facile decipient.* hæc *Ambr.*

Augusl.

311 Prob. ex *S. Augusl. tract. de Antichr.* in principio. *Antichristus sic vocatus, quia Christo in cunctis contrarius erit, & Christo contraria faciet, humiles deijciet, peccatores magnificabit; impios exaltabit, semperque vitia, quæ sunt contraria virtutibus docebit, &c.* & circa finem, ait: *& tunc reuelabitur homo peccati Antichristus, videlicet, qui licet sit homo, fons tamen erit omnium peccatorum, & filius perditionis, hic est filius diaboli quia per omnia adimplebit voluntatem suam, &c.* ergo vitia omnia docebit. Vitiorum enim disseminator est diabolus.

Albertus Staden.

312 Prob. ex *Alberto Stadensi in Chron. ann. 1150.* sic habente, Antichristus omnia, quæ Deus in antiqua lege, & noua constituerat, destruet, & incestum, & alia similia peccata, non esse peccata affirmabit, affirmans, quod omnia castitatis præcepta per ignorantiam facta sunt, &c.

Euidens ratio.

313 Prob. tandem *Antichristus* ex *S. Irenæo lib. 5. c. 25. veniet non quasi Rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus, sed impius, & iniustus sine lege, quasi Apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro diabolicam Apostasiam in se recapitulans, &c.* ergo cum diabolus, & Apostata à Dei lege doceat, & faciat omnia aduersa, & contraria legi diuinæ, euidens sequitur consequentia, sic esse docturum, & facturum Antichristum. Addo ex hoc dicitur Antichristus, quia in omnibus erit Christo contrarius. Ergo, cum Christus doceat, sectandas virtutes, & fugienda vitia; Antichristus docebit contrarium. At non posset homines inducere ad vitia sectanda, si diceret esse mala, quia sic hortaretur ad sequendum, quod est fugiendum; ergo docebit ea, quæ nos dicimus, & sunt vitia, esse licita, ac honesta, & ideo sequenda.

## ARTICVLVS X.

### *De Templo Antichristi.*

Quale sit Antich templum. & alia dubia.

314 ADuerto, quod licet sit communis sententia, Antichristum esse in templo sessurum, tamquam Deum, est tamen controuersia, quale nam futurum sit hoc templum, num Christianorum, vel Gentilium, aut aliquod tunc existens, vel à se faciendum, & vbi erit hoc templum. Ideo more solito ex SS. Patribus prius videbimus, an in templo sit mansurus, & ad quid; deinde, quodnam, & vbi erit.

Sedebit in templo, vt se ostendat Deum.

315 Dico 1. Antichristus sedebit in templo, vt se ostendat Deum.

Ex Script.

316 Prob. 1. ex *Matth. 24. vers. 15. Cum ergo videritis abhominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco Sancto. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, &c. orate autem, &c. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet, & nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur.* Hic autem, vt patet prædicitur finis mundi, & tribulatio immittenda per Antichristum, vt omnes Scripturistæ, & ipsa Glossa Interlin. Verbo, *Erit enim tunc*, vbi ait, *hoc proprie temporibus Antichristi*, abhominatio autem desolationis in loco Sancto, ex phrasi Iudæorum in

Abhominatio, quid sit.

cap. 9. Dan. intelligitur Idolum in templo positum, quod accidit tempore Adriani, qui iussit suam statuam poni in loco templi, vbi steterat arca, quam statuam Indæi vocant abhominationem, sicut & quodlibet aliud idolum: & erat Iudaicæ desolationis signum manifestum; ita *Lyranus in fine cap. 9. Dan.* Prædicit ergo Saluator, quod Antichristus, vt idolum in templo erit, & tunc erit mundi finis.

317 Prob. 2. ex *cap. 2. ad Thessal. 2.* vbi expresse ait Paulus: *Nisi reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne id, quod dicitur Deus, aut, quod colitur; ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.*

318 Conf. ex Glossa Ordin. & Interlin. in seq. adducendis.

Aug.

319 Prob. ex *August. in lib. 20. de Ciuit. Dei*, qui licet dubitet ibi de templo, in quo sessurus sit, docet tamen in eo sessurum, *sed in quo templo Dei, vt Deus sit sessurus incertum est, vtrum in illa ruina templi, quod à Rege Salomone constructum est, an verò in Ecclesia, non enim templum alicuius idoli, aut damonis, templum Dei Apostolus diceret*, & in *tract. de Antichr.* vt in sequenti conclus. dicit, *suam sedem in templo Sancto ponet*, & declarat, quod nam erit hoc templum.

Cyrillus Alexandr.

320 Prob. ex *Cyrillo Alex. lib. 11. in Gen.* vbi de Antichristo, sic ait. Atque ita fit, vt in templo Dei sedeat, & se ipsum Deum esse ostendat, &c.

Ambros.

321 Prob. ex *Ambros. in Psal. 40. versu, Etenim homo pacis meæ*, explicans enim verba Iacob *Dan iudicabit*, ait, sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus, populum supplicijs sacrilegæ impietatis affliget Antichristus ille, qui sedebit in templo, tamquam sit Deus. hæc *Ambros.*

Hieron.

322 Prob. ex *Hieron. ad Algasiam qu. 11.* in sequenti concluf. adducendo, qui inquirens, quod nam sit templum in quo sessurus sit Antichristus, & ostensurus se tamquam Deum, licet teneat esse veriorem opinionem, quod non erit templum Gentilium, aut Iudæorum, sed quod erit Ecclesia, dicit tamen expressè eum in templo sessurum.

Hilar.

323 Prob. ex *Hilario in Matth. cap. 25. Antichristus abhominatio à Daniele ex eo dictus, quod aduersus Deum veniens honorem sibi Dei vendicet. Desolationis autem abhominatio, quia bellis, & cædibus terram cum populo desolaturus sit, atque à Iudæis susceptus loco sanctificationis insistet, vt vbi Sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.*

324 Prob. tandem ex authoritatibus in sequenti concluf. adducendis; ipsæ enim probant, non solum sessionem Antichristi in templo; sed etiam speciem templi, in quo sessurus est, scilicet ipsum esse templum Iudæorum restaurandum tempore suo: ergo.

Templi hos ab Antichr. & Iudæis ædificabitur.

325 Dico 2. Templum in quo sedebit Antichristus erit templum ab ipsomet, ac Iudæis reædificatum, quod fuerat à Romanis destructum.

326 Prob. ex Glossa Interlin. in *epist. ad Thessal. cap. 2.* Ver. *In templo Dei*, vbi ait, *id est in Ecclesia, vel in templo à Romanis destructo, quod tunc Iudæi reædificabunt.*

327 Prob. 2. ex Glossa Ordin. ibid. quæ est ex Haimone, & sic habet de Antichristo: *Et cum venerit Ierosolymam circumcidet se dicens Iudæis: Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & reædificabunt templum à Romanis destructum, sedebitque ibi dicens se esse Deum.*

August.

329 Prob. ex *Augustino in tract. de Antichristo*, vbi ait, *Suam sedem in templo sancto ponet. Templum etiam sanctum, quod Salomon Deo ædificauit in statu suo restaurabit, & filium Dei Omnipotentis se esse mentietur.*

Cyrill, Hier.

330 Prob. ex *S. Cyrillo Hierosol. Catech. 15. Si enim tamquam Christus ad Iudæos veniet, à Iudæis sane adorari volet; vt illos maximè decipiat studiosissimum se esse ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum ipse sit reædificaturus, veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidem non manebit, &c.* hæc Cyrillus.

Greg. Nanz.

331 Prob. ex *S. Gregor. Nanzianz. or. 47.*

Quò ad

*Quòd ad hunc locum attinet abbominationem desolationis stantem in loco sancto, aiunt fore, vt Hierosolymitanum templum rursus extruatur, atque Antichristus à Iudæis credatur, in eoque sedeat.*

Chrysost. 332 Prob. ex *Chrysostomo in cap. 24. Matth. homil. 49. Oper. imperf.* vbi ex alio authore, ait, *legi quendam sic exponentem; omnia, quæcumque expositi supra, signa fuerunt præcedentia diruptionem ciuitatis illius, & templi; hoc autem quod dicit, cum videritis abbominationem desolationis stantem in loco sancto, & omnia quæ dicuntur deinceps signa sunt consumationis futura, & venturi filij Dei, qui, & in abbominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum, quod autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo. Readificaturus est sanctuarium, quod fuit in Hierosolymis quondam, & ibi staturus, vt videntes Iudæi credant in eum, non solum propter signa eius, sed propter reparationem templi ipsius æstimantes Prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Ierusalem prophetauerunt.* hæc *Chrysost.*

Damasc. 333 Prob. ex *Ioanne Damasc. lib. 4. fidei Orthod. cap. 27.* vbi explicans verba Pauli supra relata, *tamquam Deus in templo Dei sedeat,* ait. Porrò per Dei templum, non templum nostrum intelligit, sed vetus Iudaicum; non enim nobis, sed Iudæis veniet. hæc *Damasc.*

Iren. 334 Prob. ex *Irenæo lib. 5. cap. 25.* vbi de Antichristo, & templo Ierusalem loquens ait, in quo aduersarius sedebit, tentans semetipsum Christum ostendere, & adducit ad hoc loca *Matth. 24.* & *Dan. 7.* alias à nobis perpensa.

Hippol. 335 Prob. ex *Hippol. orat. de consumat. mundi, & Antichr.* vbi explicans visionem *Dan. 7. Ecce ad decem cornua, ascendit alterum cornu pullulans, &c.* post multa, alias adducta ex eo, ait, Christus ostendit carnem suam, sicut templum, ac suscitauit tertia die, sic ille Hierosolymis, suscitabit templum lapideum, &c. hæc *Hippol.*

Ifid. Hispal. 336 Prob. ex *Isidoro Hispalen. lib. 8. Originum cap. 11.* Antichristus, & templum Hierosolymis reparare, & omnes veteris legis cæremonias restaurare tentabit.

D. Thom. 337 Prob. ex *D. Thoma lib. de Humanitate Dei cap. 29.* vbi de Antichristo loquens, ait, *Et cum venerit Ierosolymam circumcidet se, dicens Iudæis, Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & readificabunt templum à Romanis destructum, & ibi sedebit, ostendens se tamquam sit Deus.* hæc D. *Thom.* quæ à D. *Augustin. in tract. de Antichr.* circa finem accepit.

Ex Ambr. 338 *Ambrosius* autem, licet sessionem Antichristi in templo intelligat moraliter explicans *cap. 21. Lucæ*, vbi habet. Ergo sedebit in templo, & in templo interiore Iudæorum, qui Christum negabunt, & in templo non inuiolabili, sed corruptelæ obnoxio, id est in animabus, quia inducens eos ad sui fidem, vt Dominus sedebit in parte eorum in terra: tamen in *Psal. 40.* vbi supra, de vero templo, & literali loquitur. Imò hic etiam locus potest quoad primam partem explicari de templo materiali, & quoad secundam de mistico, & morali, vt sit sensus sedebit in templo ædificando, & in templo interiore Iudæorum, scilicet in cordibus eorum.

Ex Hier. 339 *Hieronymus* verò *ad Algasiam qu. 11.* de materiali, sicut omnes, intelligit locum Pauli, sensus enim obuius talis est, at de Ecclesia potius, quam de alio, sic. *Vt sanctarum gentium Deus, siue probatam omnem, & veram Religionem suo calcet pede, & in templo Dei, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesia, vt verius arbitramur, sederit ostendens se tamquam ipse sit Deus.* Et credo, quod ex horum Sanctorum reuerentia *Augustin. lib. 20. de Ciuit. cap. 19.* dubius hæserit quodnam futurum sit templum, in quo sessurus est Antichristus; tamen re melius perpensa ait, Hierosolymis excitandum esse hoc templum. Et meo videri cum maximo fundamento, si enim Antichristus destruet omnia quæ sunt Christi, & vt à Iudæis credatur verus Christus, verusque Messias eis promissus, Christianorum ritus, ac cæremonias, tamquam prophanas abolere tentabit, & legalia, ac cæremonialia Pentateuchi renouabit, seu reuocabit: quomodo potest suaderi, vt sit sessurus in aliqua Christianorum Ecclesia, quas omnes Iudæi tamquam prophanas, sacrilegas, & abhominabiles execrantur. Imò hoc esset vnum forte motiuum retrahens Iudæos à credulitate ipsius, cum adhuc viderent Christianorum sacras ædes coli; potiusque ex hoc suspicarentur, Christum à Christianis receptum rediuiuum redijsse, & ex legalium renouatione eos velle decipere.

Augustin. Euidens discursus.

340 Conf. præterea ex *Dan. 12. vers. 11. Cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abbominatio in desolatione, dies mille ducenti nonaginta.* Hic prædicitur tempus, & duratio Antichristi, vt in suo loco dicetur. Glossa autem Interlin. Verbo, *Abbominatio*, ait, *cultus Antichristi*, & Verbo, *Desolationem*, ait, scilicet in templo desolato, hoc autem est Iudæorum: ergo.

Ex Script. cum Glossis.

341 Conf. 2. ex eodem *Dan. cap. 11. v. 31.* vbi ex sæpè dictis est sermo de Antichristo, dicitur autem ibi dabunt abbominationem in desolationem, & Glossæ explicant de Idolo, seu Antichristo ponendo in templo.

342 Conf. 3. ex Glossa Interlin. in *cap. 24. Matth. Ibi cum ergo videritis abbominationem desolationis stantem in loco Sancto*, ait Glossa, *in templo vbi non debet*, nomine autem templi nullum aliud venit, nisi templum Iudæorum.

343 Conf. 4. Nisi de templo Iudæorum intelligeretur; frustra conaretur Antichristus persuadere Iudæis, se esse Messiam promissum, cum ipsi teneant Messiam reparaturum templum à Romanis destructum.

Euidentia motiua.

344 Conf. 5. Si non de templo Iudæorum, sed de Ecclesia Christianorum intelligeretur Paulus, non loqueretur singulariter *in templo*, sed pluraliter in templis, nam cum Antichristus totum fere Orbem subiugaturus sit, & multa in Orbe sint Ecclesiæ: si Deum se volet ostendere, non vnam, sed plures eligeret, in quibus adorabilem se exponeret: si ergo omnes Ecclesias Christianorum est demoliturus, & templum nouum in antiqua Hierusalem erecturus, hoc erit templum Iudaicum à Salomone primum ædificatum, deinde à Zorobabel restauratum, & postremo ab Herode excitatum, & sub Tito, & Vespasiano in Hierosolymitanæ Vrbis excidio, iuxta Saluatoris *Luca* 21. oraculum omnino deletum, ac desolatum. Eò vel maximè, quia neque in scriptura, neque in SS. Patribus inuenitur, quod apud Christianos Ecclesiæ vocentur templa, sed hoc nomen, vel Gentilium Phanis, vel antonomasticè vni Iudæorum sacro conuenire dignoscitur.

## ARTICVLVS XI.

### *De Miraculis Antichristi,*

345 ADuerto hic esse videndum, an & quæ miracula faciet Antichristus; & si erunt vera miracula, an tantum apparentia, & mirabilia quædam, quæ insolita sunt, sed tamen fieri possunt à natura, vel à diabolo.

Miraculum genericè, quid sit.

346 Adu. 2. Quod miraculum, vt conuertitur cum mirabili, in sua generica ratione, vt præscindit à vero, & apparenti, à diuino, & dæmoniaco, ex *D. Augustin. par. 3. de vtilitate credendi ad Honorat. cap. 16.* dicitur, *quidquid arduum, aut insolitum supra facultatem, seu speciem mirantis apparet*; & ex eodem in *lib. 21. de Ciu. Dei cap. 8.* miraculum dici solet monstrum, portentum, & prodigium. Monstrum, quia demonstrat aliquid significando. Portentum à portendendo, seu præostendendo. Prodigium, quia procul dicit futura; ita *Augustinus*, quæ quidem nomina etiam veris, ac diuinis miraculis conuenire ex Sacra Scriptura compertum est. De primo patet *Eccles. 48.* vbi de Eliæ miraculis, sic habetur: *In vita fecit monstra, & in morte mirabilia.* Idem *Machab. 2.* vbi narrantur visiones exercituum, & equorum, &c. quæ per 40. dies in aëre Hierosolymis videbantur, cum imminebat Antiochi sæua persecutio, & proinde Iudæi precabantur *in bonum monstra conuerti*. De secundo habentur innumera exempla. *Deuter. 4. vers. 34.* vbi est sermo de gestis à Deo pro Iudæis in Ægypto, & sic habetur *per signa, atque portenta*, idem in *cap. 7. 13. 26. 29. & 31. Isaiæ 8. & 10. Ezech. 12. Marci 13. & Habr. 2.* De tertio habetur *Deuter. 6. Fecit Deus signa, atque prodigia. Psal. 45. Quæ posuit prodigia*, idem *Psal. 70. 77. 104. & 134. Ioel. 2. Dabo prodigia in cælo sursum. Matt. 24. Ioan. 4. Act. 2. 4. 5. &c.* sæpè.

Species miraculi ex Augustin.

347 Adu. 3. ex eodem *Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 6.* quod præter diuina, & vera miracula dantur quædam magica, id est dæmoniaca per homines facta; & quædam dæmoniaca per ipsos dæmones patrata.

Quare fit miraculum, verum iucundum.

348 Adu. vlt. Verum, & diuinum miraculum illud censendum esse à posteriori, quod pro veritate fidei, vel alicuius sanctitate fit, non enim frustra Deus operatur miracula. Et illud est verum, ac diuinum miraculum, quod à natura absolutè patrari non potest; vel saltem in determinatis circumstantijs, & illico, sicut de sanatione febrium socrus Petri dicimus. Quæ verò non superant omnes naturæ vires dicuntur mirabilia, sed de hoc alias.

Antichr. miracula faciet vt credatur Deus.

349 Dico 1. Antichristus, tam per se, quam per alios multa faciet miracula, seu verius mirabilia, vt se ostendat Deum, & credatur talis ab omnibus ea videntibus. An tamen vera, dicetur in sequenti conclusione.

350 Prob. 1. ex Glossa Ordinar. in *cap. 41. Iob.* Versu, *Cum apprehenderit eum*, sic habente: *In Antichristum diabolus veniens tanta virtutis apparebit, vt si supernum adiutorium desit, & prædicantium acumen obtundat, & longanimitatem patientium defirmat.*

351 Conf. clarius ex eadem Glossa in *cap. 18. Iob.* Ver. *In die eius stupebunt nonissimi*, sic dicente, *Antichristus tanta tum signa erit demonstraturus, & crudelia, ac dura facturus, vt ad stuporem perducat, quos in fine mundi inuenerit.*

351 Conf. 2. ex Glossa *Lyr. in cap. 7. Dan. vers. 9.* Verbo, *Et ecce oculi*, sic dicentis, Antichristus faciet tanta mirabilia, vt ab aliquibus credatur Deus, tamen erit homo purus.

Glossæ.

353 Conf. 3. ex Glossa Interlin. in *cap. 24. Matth.* Versu, *Et multi Pseudo-prophetæ, &c.* ait Glossa, *vt miraculis seducant, & hoc plenè tempore Antichristi.* Ergo faciet per se, & per suos ministros miracula.

Ex Script.

354 Prob. 2. ex ipsomet textu *Matt. 24.* vbi prædicitur finis mundi, & inter alia dicitur: *Surgent enim Pseudo-christi, & Pseudo-prophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Vbi *Lyran.* ait, multi discipuli Antichristi venient ad seducendum populum dicendo, quod ipse sit verè Christus in lege, & prophetis promissus, & post quod facient signa, quia virtute dæmonum multa fieri possunt mirabilia, quando permittuntur à Deo.

355 Prob. 3. ex 2. *Thessal. cap. 2.* vbi Antichristi aduentus, natura, & operationes, vt sæpè dictum est describuntur; & sic ait: *cuius aduentus est secundum operationem*

Sa-

*Sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs*, & prosequitur, vt infra, ea futura esse fallacia.

Glos. Aug. 356 Prob. 4. ex Glossa ibidem, vbi ex *August.* docet miracula Antichristi, futura esse mendacia, vel quia non vera, sed phantastica; vel si vera Dei permissione ad mendacium trahunt. At nota, quod illa, quæ erunt vera, propriè non erunt miracula, sed mirabilia, quia non superant vires dæmonis, vt postea dicetur.

Mirabilia erunt.

Ambros. 357 Prob. 5. ex *Ambros. in d. c. 2. Thessal.* *Sathanas in virtutibus mendacij ostendet se esse Deum*, & post aliqua, *quod signorum virtutibus faciet credibile. Ideo vero portenta mendacij dixit, quia hoc vult se credi per signa, quod non est, vt decipiat quos circumuenturus est.*

358 Conf. ex eodem *in cap. 14. Apocal.* circa finem. Diabolus, qui loquetur per Antichristum, ipse loquetur, & per discipulos eius, & omnem potestatem prioris bestiæ faciet in conspectu eius, quod dicit, in conspectu eius significat in nomine eius. Non enim præsens poterit esse Antichristus in omnibus locis, vbi fuerit prædicatus à suis. Faciet namque miracula Antichristus arte diabolica, facient & discipuli eius, &c. hæc *Ambros.*

Ex Hier. 359 Prob. 6. ex *Hieron.* in sequenti conclus. adducendo, vbi docet, Antichristum esse operaturum signa, & prodigia, & ea esse mendacia; & tandem causam, cur Deus permittet eum ista facere: *Faciet*, inquit, *hæc omnia, non sua virtute, sed concessione Dei, propter Iudæos, vt qui noluerunt charitatem recipere veritatis, hoc est spiritum Dei per Christum, &c. mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est fontem erroris, vt credant mendacio, quia mendax est ipse, & pater eius.* hæc *Hieronym.* quæ, & *Ambros.* vt in suo loco, docet.

August. abunde, 360 Prob. 7. ex *S. August. tract. de Antichristo*, circa medium. *Faciet quoque* signa multa, magna, mirabilia, & inaudita, arbores scilicet subito florere, & arescere, mare turbari, & subito tranquillari; naturas in diuersas figuras mutari; agitari aera ventis, & multimodis commotionibus; & cætera innumerabilia, & stupenda; mortuos in conspectu hominum suscitari, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi. Nam quando tanta, ac talia signa viderint etiam illi, qui cælestes, & perfecti Dei sunt, dubitabunt, vtrum ipse sit Christus, qui in fine mundi venturus est. Sed subdit, hæc omnia esse falsa per artem magicam, vt dicetur in sequenti conclusione ex eodem, hæc *Augustinus*.

Falsa erunt.

Hippol. dixit. 361 Prob. 8. ex *S. Hippol. Mart. tract. de consum. mundi, & Antichr.* sic. Postea edet prodigia leprosos mundando, paraliticos excitando, expellendo dæmones, longinqua non aliter, quam præsentia denunciabit, excitabit mortuos: & post multa inquit. Transferet montes ante oculos spectantium; siccis pedibus ambulabit super mare, deducet ignem è cælo, conuertet diem in tenebras, & noctem in diem, solem circumaget quò libuerit: & vt semel dicam, elementa omnia terræ, marisque vi oblatæ apparitionis, à se coram spectantibus obtemperare sibi demonstrabit. Hæc & alia his similia *Hippol.*

Athanas. 362 Prob. ex *S. Athanasio quæst. 30.* *Quod Apostolus de Antichristo dicit; cum se exhibiturum in omnibus signis, & virtutibus mendacij, liquet, quod etiam mortuum à se excitatum ostentabit.*

Lactan. 363 Prob. ex *Lactantio cap. 17. div. instit.* vbi de Antichristo sic loquitur, dabitur ei potestas, vt faciat signa, & prodigia, quibus visis irretiat homines, vt adorent eum. Iubebit ignem descendere de cælo, & solem à suis cursibus stare, & imaginem loqui; & fient hæc sub verbo eius; quibus miraculis, etiam sapientium plurimi allicientur ab eo, hæc *Lactantius*.

Eucher. 364 Prob. ex *S. Eucherio in Dom. 2. Advent.* de Antichristo, sic dicente. Plenus spiritu Sathanæ virtutes multas, & miracula arte diabolica operabitur, & alios quidem signis; alios verò gladijs ad suam voluntatem conuertet. hæc *Eucherius*.

Ephrem. 365 Prob. ex *S. Ephrem in tract. de consum. mundi, & Antichr.* vbi præ cæteris habet, Magna fratres in illis diebus erit tribulatio, quando signa, & prodigia in magna potestate à sceleratissimo dracone perficientur, quando se ipsum, vt Deum ostentabit formidabilibus portentis per aera volitans, cunctisque dæmones in forma Angelorum cum timore coram tyranno in aere sublime, volitare conspicientur. Clamabit enim cum fortitudine etiam formas immutans ad immensum terrorem cunctis incutiendum hominibus. hæc *Ephrem*.

366 Prob. tandem ex dicendis in sequ. quæ, vt patebit ad idem sunt.

Miracula Antichr. erunt falsa. 367 Dico 2. Miracula, aliaque signa, quæ supra naturæ vires ab Antichristo fieri videbuntur, erunt fallacia, & apparentia. Per naturæ vires, intelligo etiam vires diaboli. Illa enim quæ facere potest diabolus, licet videantur esse supra naturæ elementaris, & humanæ vires, dicam esse realia.

Glossæ. 368 Prob. concl. ex *epist. 2. cit. ad Thessalon. cap. 2.* *Cuius aduentus est secundum operationem Sathanæ, in omni virtute signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.* Glossa autem Interlin. Verbo, *Mendacibus*, ait, *quia per magicam artem, non veram, sed per phantasiam deludet homines, sicut Simon Magus quendam, qui se eum occidere putans arietem decollauit.*

Glossa autem Ordin. in eodem Verbo, *Mend.* ait ex Augustino, vel quia non vera, vt videntur, sed phantastica. Vel si vera, Dei permissione ad mendacium trahunt.

Glossa Lyran. Ver. *Et signis, & prod.* ait.

Ali-

Aliqua fient per illusionem sensuum à dæmone, quæ videbuntur esse, & non erunt, & aliquæ erunt res veræ, sicut dæmon super oues Iob fecit ignem verum descendere. Dicuntur tamen signa mendacia, quia fient in assertionem mendacij. Et vt ait Glossa Interlin. ad ostendendum, quod sit verus Christus.

Ambros. 369 Prob. 2. ex *Ambrosio in Commentar. cap. 13. Apocal.* circa finem. *Miracula Antichristi, & discipulorum eius falsa erunt, & non vera, Non enim credibile est, vt eos quos Deus excæcauerit, aut debilitauerit sanitati possint restituere. Sed eos tantummodo, quos ipsi læserint ladentes in occulto, sanantes in aperto.*

Hieron. clarè. 370 Prob. 3. ex *Hieron. ad Algasiam q. 11.* sic habente. *Sicut in Christo plenitudo diuinitatis fuit corporaliter, ita & in Antichristo omnes enim fortitudines, & signa, & prodigia; sed vniuersa mendacia. Quomodo enim signis Dei, quæ operabatur per Moysem, magi suis restitere mendacijs, & virga Moysis deuorauit virgas eorum, ita mendacium Antichristi, Christianitas deuorabit.* hæc & ampliora ibidem *Hieron.*

Augus. 371 Prob. 4. ex *D. Augustin. lib. 20 de Ciuit. Dei cap. 19.* sic. Tunc soluetur Sathanas, & per illum Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quod solet ambigi, verum propterea dicta sint signa, & prodigia mendacij, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, vt quod non facit facere videatur. An quia illa ipsa, etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse, nisi diuinitus fieri virtutem diaboli nescientes, maximè quando tantam, quantam nonquam habuit accipiet potestatem. hæc *Augustin.* Ergo ex eo faciet falsa, & vera, sed ducentia ad falsum. De quibus infra loquemur.

Aliqua vera, sed ducentia ad falsum.

Idem Aug. 372 Conf. ex eodem *tract. de Antichr.* allatato in præced. concl. vbi postquam concessit mirabilia multa, & prodigia patranda ab Antichristo, concludit. *Hæc autem omnia miracula omnibus modis falsa erunt per incantationes diabolicas, sed peccatoribus, & incredulis videbuntur esse vera.*

Athan. 373 Prob. 5. ex *S. Athanasio*, vt in præcedenti concluf. *Antichristus etiam mortuum à se excitatum ostendet, id autem non verè, sed in phantasia.*

Methodius. 374 Prob. 6. ex *S. Methodio, de rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, & quæ deinceps contingent*, vbi circa finem de Antichristo, ait. In omnibus phantasijs, & mendacibus sermonibus, & operibus suis, quæ fient ab eo. Faciet enim tunc signa, & prodigia multa super terram, inertia, vel imbecilla, sophistica, & falsa; cæci enim respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, & dæmoniaci curabuntur, conuertet Solem in tenebras, & Lunam in sanguinem apparenter; in omnibus signis suis fallacissimus, & falsissimus deceptionum prodigijs seducet, si fieri potest etiam electos. hæc *Methodius.*

Cyrill. Alex. 375 Prob. 7. ex *S. Cyrillo Alex. orat. 7. in Danielem*, vbi de Antichristo sic loquitur. Sicut Dominus per humanam naturam apparens nostræ salutis author fuit; ita etiam diabolus sumpto suæ improbitatis idoneo instrumento (id est Antichristum) per ipsum propriam virtutem ostendet mendacibus signis, & prodigijs, & falsa miraculorum specie otiosos homines seducens. hæc *Cyrillus.*

Damascen. 376 Prob. 8. ex *S. Ioann. Damascen. lib. 4. fidei Orthod. cap. 27.* circa finem, de Antichristo sic dicente. Veniet autem in fine in signis, & prodigijs mendacij, fictis, & non veris, eosque quorum imbecilla, parumque firmo fundamento nixa mens est, in fraudem inducet, atque à Deo viuo abstrahet, ita vt scandalizentur etiam si fieri potest electi. hæc *Damasc.*

Et ita docent omnes, qui de Antichristi signis, ac miraculis loquuntur, non enim esse possunt vera miracula, loquendo de proprijs, quæ sola Dei virtute fieri possunt; alias Deus esset author mendacij; confirmaret enim signo supernaturali falsa dogmata Antichristi, eiusque mendacem diuinitatem.

Aliqua mirabilia erunt vera; 377 Dico 3. Aliqua ex mirabilibus, quę facturus est Antichristus, & quæ non superant vires diaboli erunt vera, & realia.

Ambros. 378 Prob. 1. ex *S. Ambrosio in c. 13. Apocal.* circa finem, vbi explicans verba illa, *vers. 13. Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de cælo descendere in terram in conspectu hominum*; Ea intelligit de Antichristo, & inquit cum veritate hoc faciendum, & sic probat, *legimus ex libro Iob*, diabolum ex permissione Dei ignem fecisse de cælo descendere, & oues Iob, pueroſque consumpsisse. Quod ergo illic per semetipsum fecit, hoc per Antichristum, & sequaces eius extremo tempore faciet. hæc *Ambrosius.* Igitur quædam signa erunt vera, & realia. Sicut illa, quæ fecit tempore Iob.

Ex August. 379 Prob. 2. ex *S. Augustin. lib. 20. de Ciu. Dei cap. 19.* erga finem, vbi mouens dubium in præced. concl. resolutum, an miracula Antichristi erunt falsa, vel vera; de aliquibus non ambigit futura mirabilia quædam, sed vera, sic. *Non enim quando de cælo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum Sancti Iob vno impetu absumpsit, & turbo irruens, & domum deijciens filios eius occidit phantasmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera Sathanæ. Propter quid horum ergo dicta sunt prodigia, & signa mendacij, tunc potius apparebit.* hæc *Augustin.*

Aliqua verè, alia falsa ex August.

Sed potest responderi cum Glossa supracitata, quod maxima signorum pars erit fallax, & mendax; aliqua tamen erunt vera, sed ista vera adhuc dici debent signa mendacij, quia ipsa fient in ostensionem mendacij, quod scilicet Antichristus sit Christus, & verus

Etiam vera dicuntur mendacia ratione finis.

rus Deus. Ita egregiè *Lyranus in cap. 2. ad Thessal.* Verbo, *Et signis, prodigijs, &c.*

Andr. Cæs. 380 Prob. ex *Andrea Cæsariensi cap. 30. in Apocal.* Cum enim Antichristus in omnibus prodigijs, signisque mendacibus, veneficiorum omnium Princeps, omniumque præstigiatorum coriphæus futurus sit, vtpotè vniuersa diaboli fraude, & energia perfectè imbutus, Deus mittet Enoch, & Eliam, &c. qui ipsum impostorem Antichristum palam reuincant, publiceque confundant.

Anselm. 381 Prob. ex S. *Anselm. Cantuar. in enarrat. Euangelij.* Timens incipiet mergi, quia propter admirationem fallacium signorum, quæ per sequaces Antichristi fient aliquantulum in corde suo fluctuans ab inferiore parte animæ sentiet aliquid, quod nisi Christi dextera leuauerit, facilè totus demergi poterit. hæc *Anselm.*

## ARTICVLVS XII.

### *De tyrannide Antichristi.*

382 ADuerto, quod Antichristus, vt finem obtineat finem, nimirum, vt credatur esse Christus, verusque Deus, diaboli sui tutelaris auxilio, omnem mouebit lapidem, nihilque relinquet intentatum, quod ad istud proficere putabit; dominium & vires temporales augere studebit, vt quos miraculis falsis allicere non poterit; donis, & tandem minis pertrahat. Ideoque hic videndum quid SS. Patres de eius tyrannide dicant.

Tyrannidē exercebit. 383 *Dico 1. Antichristus immanem* crudelitatem exercebit contra eos, qui ipsum non recipient, & in eum non credent. Ita SS. Patres.

Ex scripts. 384 Prob. 1. ex *Iob cap. 18.* in fine, sic habente. *In die eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror*, vbi Glossa Ordin. ait. *Hæc de Antichristo accipienda sunt, quia tanta tunc signa demonstraturus, & crudelia facturus est, vt ad stuporem perducat, quos in fine mundi inuenerit, & priores Patres Eliam, & Enoch (qui in eius expugnationem seruati sunt) carnalis mortis timore, & dolore transfigat; quia etsi electi tormentis vinci nequeunt, tamen quia homines sunt, metuunt tormenta, quæ vincunt.* hæc Glossa.

Crudelior omnibus erit 385 Prob. 2. ex *Dan. 11. vers. 33. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum.* vbi Glossa Interlin. ait, *hæc prædici de temporibus Antiochi, vel Antichristi.* At Glossa Lyrani, ait. Istud perfectius complebitur in Antichristo, & maximè illud, quod dicitur, faciet, quæ non fecerunt Patres eius, & Patres Patrum eius; quia nullus de Regibus mundi fuit, vel faciet talia, qualia facturus est Antichristus: & post aliqua. Erit maior persecutor Ecclesiæ, quam Antiochus fuerit synagogæ, & multò plures per eum à fide auertentur, & multò plures in fide stantes cruciabuntur, quam per Antiochum.

Ex nouo testam. 386 Prob. 3. ex *Matth. 24. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro.* Sæpè diximus cum omnibus Sacræ Scripturæ interpretibus hic esse sermonem de tempore Antichristi, ita Glossa Interlin. Verbo, *Erit enim tunc, hoc propriè tempore Antichristi.* Idem Glossa Lyrani. Igitur maior erit crudelitas eius, quam Antiochi contra Iudæos, Neronis, Decij, vel Diocletiani, & aliorum contra Christianos: & tanta, vt si multum duraret, omnes, etiam perfecti caderent, succumbendo tormentis, & cruciatibus. Et certè grauiori stylo describi non poterat sæuissima omnium persecutio, & crudelitas.

Ambros. 387 Et *S. Ambr. in ep. 2. ad Thessal. cap. 2. Ver. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, &c.* ait mysterium iniquitatis à Nerone inceptum vsque ad Diocletianum, & Iulianum, qui non potuit complere, quia sibi non fuit permissum, his enim ministris vtitur Sathanas, sed per Antichristum erit perficiendum. Igitur erit crudelitas maior illis præcedentibus, aut futuris, cum illæ fuerint inceptiones quædam crudelitatis, postrema vero erit complementum.

Aug. validē argum. 388 Prob. 4. ex *D. Augustin. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 8.* vbi subtilissimo, & valido argum. colligit, quanta sit futura Antichristi crudelitas, cum eo tempore soluendus sit diabolus, id est permittendus, vt totam suam exerceat potestatem. Si enim ligatus à Christo, adeò immaniter persecutus est Ecclesiam mediantibus Tyrannis, & Hæresiarchis etiam Principibus sæculi, quid faciet solutus?

Idem Aug. 389 Conf. ex eodem in tractatu de Antichristo, circa medium. *Excitabit verò persecutionem sub omni cœlo super Christianos, & omnes electos: eriget itaque se contra fideles tribus modis, hoc est, terrore muneribus, & miraculis dabit credentibus in se abundantiam auri, & argenti. Quos vero non poterit decipere muneribus, superabit terrore, & quos terrore non poterit vincere, signis, & miraculis tentabit, seducere, quos autem, nec signis poterit illudere, in conspectu omnium miserabili morte tentabit necare. Tunc omnis Christianus, qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut siue per ferrum, siue per ignem fornacis, siue per serpentes, siue per bestias, siue per aliud quodlibet genus tormenti interire videbit, si in fide permanserit. Hæc autem tam terribilis, & tremenda tribulatio, tribus annis manebit in toto, & dimidium.*

Hippol. 390 Prob. 5. ex *S. Hippol. erat. de consumat. mundi, & Antichr.* vbi ait. Iniquus ille elato animo dæmones suos congregabit humana specie, & eos, qui illum ad regnum inui-

inuitauerunt, fastidiet, animasque multas inquinabit, quippe principes eis constituet ex dæmonibus. Nec iam velut Religiosus, sed plane austerus, seuerus, iracundus, plenus excandescentiæ, truculentus, inconstans, terribilis, grauis, odiosus, contemptor, immitis, exitiosus, nequam, in eo studium, & operam collocans, vt vniuersum genus humanum in fossam interius conijciat signa falsa multiplicabit. hæc *Hippol.*

Ephrem. 391 Prob. 6. ex *S. Ephrem tract. de consumat. sæculi, & Antichr.* Magnum fratres charissimi, tunc cunctis hominibus, maximè verò fidelibus, & sanctis erit certamen, magnaque tribulatio in diebus illis: & post multa. quando vniuersum mundum conspexeris turbatum, alios quidem famæ perire, alios vero grauissima siti instar ceræ liquescere, & qui eorumdem tunc misereatur, nullum adesse, &c.

Ephrem. 392 Idem *S. Ephrem* cum dolore prosequitur. Non erit in illo tempore vlla in terris requies, sed tribulatio magna, turbatio, atque confusio mortesque, & fames in cunctis finibus terræ, Sancti tunc profundent lachrymarum flumina, & ad deserta confugient. In montibus, & vallibus occultabuntur, puluere, ac cinere capita sua aspergentes, orantes, vt à dracone liberentur. Lugebunt montes, & colles, & signa syluarum. Lugebunt, & cæli luminaria, quod homines defecerunt à Deo Sancto, & tyramno crediderunt.

Hieron. 393 Prob. 7. ex *D. Hieron. in cap. 7. Daniel.* Ver. *Et sanctos altissimi conteret*, vbi ait. *Præliabitur enim Antichristus contra Sanctos, & superabit eos, in tantamque erigetur superbiam, vt Dei leges, & cæremonias mutare conetur, &c.*

Remig. Anthodor. 394 Prob. 8. ex *Remigio Antisiodorensi in Psal 9.* sic habente. Antichristi crudelitas quadam adulatoria prædicatione, & quibusdam miraculis multos seducet, & quos hoc modo seducere non poterit, varijs supplicijs, velut Leo violenter inuadet. hæc *Remigius.*

Ansel. 395 Prob. 9. ex *S. Anselmo Cantuar. in enarratione Euangelij*, sic dicente. Quis vel perfectorum non timebit, quando sub Antichristo immanis illa persecutio, vbique seruiebit. Timens autem incipiet aliquantulum mergi, quia propter horrorem atrocitatis suppliciorum, quæ Sanctis inferentur, & propter admirationem fallacium signorum, &c. facile totus mergi poterit. hæc *Ansel.*

Beda. 396 Prob. ex *Beda in Samuelem cap. 11.* Relegens historiam Ecclesiasticam, infinita martyrum gesta reperies, quibus cunctis immanior temporibus Antichristi concisi plaustri huius, hoc est Ecclesiæ perturbatio non dubitatur esse ventura. Et idem *lib. 4. cap. 13. in Marcum*, habet. Tribulatio Antichristi quantò cæteris, quæ præcessere præsuræ pondere grauior, tantò est temporis breuitate moderatior futura.

Lactan. diffuse. 397 Prob. ex *Lactantio lib. 7. cap. 17. diu. institut.* vbi de Antichristo ait. Iustum populum persequetur, & erit præsura, atque contritio, qualis numquam fuit ab initio mundi, quicumque crediderint, atque accesserint ei, signabuntur ab eo tamquam pecudes; qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem iustos homines obuoluet libris prophetarum, atque ita cremabit, & dabitur ei desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, in quo iustitia proijcietur, & innocentia odio erit, quo mali bonos hostiliter prædabuntur; non lex aut ordo, aut militiæ disciplinæ seruabitur; non canos quisquam reuerebitur non officium pietatis agnoscet, non sexus, aut infantiæ miserebitur; confundentur omnia, & miscebuntur contra fas, contra iura naturæ; ita quasi vno communi, grauique latrocinio terra vniuersa vastabitur. His exprimit *Lactantius* eius crudelitatem.

Cirill. 398 Prob. ex *S. Cyrillo in Catbec. 15.* sic de Antichristo. Deceptos verò deinceps omnis generis iniquitatis, & inhumanitatis malis omnes circumscribet, ita vt omnes, qui ante illum improbi, & impij fuerunt excellat malitia, mentemque habebit homicidiarixm, præfractam, immisericordem, & variam, tum contra alios, tum verò maxime contra Christianos. Quid potest dici crudelius?

Ex Apoc. 399 Prob. insuper ex *Apocal. 13.* in fine, vbi de Antichristo hæc dicuntur. *Et faciet, ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Vbi maximè explicatur eius crudelitas, cum non permittet, vt qui eum non adorant, possint emere, aut vendere, quæ ad vitam sunt necessaria. Quod exagerans *D. Ambros. in cap. 13. Apocal.* circa finem, ait. *Eò itaque Antichristi persecutio erga fideles crudelius grassabatur, quò eis hoc interdictum fuerit, sine quo viuere non poterunt. Facient autem hoc ministri Antichristi, vt in tempore necessitatis, eos, qui Christianitatis fidem obseruare voluerint deprehendant.* hæc *Ambros.*

Maxima crudelitas.

400 Prob. ex *Ambrosio Ansberto lib. 2. in Apocalyp. cap. 3.* vbi loquens de Antichristi tempore, ait. Tunc veniet illa tentatio, quæ non per partes, sed totum simul examinabit mundum; tunc quod nusquam in retroactis temporibus apparuit, persecutores eiusdem Ecclesiæ miraculis corruscabunt, & hinc tormenta sæuient, illinc miracula suadebunt. In illis verò Regionibus, in quibus traditur crucifixus, in quibus malorum caput Antichristus sedebit, atque regnabit, immanior persecutio Ecclesiam vexabit.

401 Collige autem ex his, quod si iuxta SS. Patrum placita immanior erit Antichristi persecutio, quam omnium, quæ retroactis temporibus Ecclesiæ acciderunt, in-

ineſplicabilis plane redditur huius iniqui tyrannis, atque crudelitas. Et certè non hiperbolicè, ſed verè, & cum omni proprietate intelligendum Saluatoris oraculum *Matth.24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, neque fiet.* Et euidenter apparet cauſa; alij ſiquidem perſecutores, ſuorum idolorum zelantes Religionem, id peregerunt. At Antichriſtus, non aliorum, ſed ſuum zelabit cultum. Ex quo igitur concepit animo, velle ſe pro Deo haberi, & omnium qui Dei nomen in mundo vſurpant, immò & veri Dei, atque Chriſti delere memorias; & aliunde diaboli poteſtate ſtipatus (quæ tanta eſt, vt nulla ſuper terram ſit ei comparabilis) ea ad libitum vti permitteretur, quæ nam dira, atque immania contra veros Dei cultores, alioſq; idolorum adoratores ſit operaturus, quiſque poterit contemplari.

Cauſa tantæ crudelitatis, quæ?

402 Collige 2. Eccleſiam (fideles nempè) ijs temporibus fugandam, ex *Apocal.12. Et data ſunt mulieri ala duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Irenæus lib.5. cap.25.* ait. *Et fugabunt Eccleſiam. Lactantius lib.7. cap.17.* ait. *Cum hæc facta erunt, tunc iuſti, & Sectatores veritatis ſegregabunt ſe à malis, & fugient in ſolitudines. S. Ephrem ſerm. de Antichr.* dicit. Plurimi Sanctorum, qui tunc reperientur confugient maximo cum ſtudio ad deſerta, & occultabuntur timore perculſi in ſolitudinibus, & montibus, atque ſpeluncis, capitibuſque ſuis terra, ac cinere conſperſis cum eiulatu, ac lachrymis orabunt die, noctuque in maxima humilitate cordis, donabiturque eis à Deo Sancto, quod orantes petierint, deducetque eos gratia ipſius ad loca definita, & ſaluabuntur occultati in cauernis, & ſpeluncis, hæc *Ephrem*. Quæ de tyrannide innuiſſe ſufficiant.

Eccleſia, id eſt fideles tunc fugandi

Ad deſerta confugient.

## ARTICVLVS XIII.

### *A quibus recipietur, & adorabitur Antichriſtus.*

403 ADuerto duo hic eſſe videnda: Primo à quibus acceptabitur Antichriſtus ſtatim, ac ex falſis virtutum actibus falſiſque ſignis in principio apparebit. Secundo, qui nam, tam in principio, quam in progreſſu operationum eius, ſiue ex ſignis, ſiue ex terroribus crediturí ſunt in eum.

404 *Dico* 1. Antichriſtus omnium primò à Iudæis, qui erunt in Palæſtina, & præſertim in Ieruſalem recipietur.

Antichr. à Iudæis Paleſtinis ante omnes recipietur.

405 Prob. ex *Ioannis 5. ver.43. Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo illum accipietis.* Gloſſa Interlin. Verbo, *Si alius*, ait, *qui dicat ſe eſſe Deum*. Gloſſa Ordin. ait. *Si alius, id eſt Antichriſtus, qui propriam gloriam quærit non Dei, in nomine ſuo veniet, & hoc eſt, quod ait Apoſtolus, vt credant mendacio, quia non crediderunt veritati.* hæc Gloſſa. *Lyranus* autem ait, ibi de Iudæis; hoc perfectè complebitur, quando recipient Antichriſtum pro vero Deo, qui faciet ſe circumcidi, & dicet ſe eſſe eis promiſſum, & ei adhærebunt quouſque eius falſitas detegatur per Enoch, & Eliam.

1 x Io. 5.

406 Prob. 2. ex *cap.34. Iob ver.30. Qui regnare, &c.* vbi Gloſſa Ordin. ait. *Antichriſtum deſignat, quem Iudæa exigentibus meritis accipiet, quia ſuper ſe verum Regem regnare noluit, ſicut in Euangelio dicitur. Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, & illum accipietis.* Ex Iob Gloſ.

407 Conf. ex *Ambroſ. in cap.13. Apocal.* circa finem, vbi ſic habet. Beſtia itaque duo cornua ſimilia agni habebit. Quia quamuis multi credent ex Iudæis per prædicationem Eliæ, in Chriſtum, maxima tamen pars eorum Antichriſtum ſecutura eſt, ſicut dicit Dominus in Euangelio, *Ego veni in nomine patris mei, & non accepiſtis me; alius veniet in nomine ſuo, & illum recipietis.* hæc *Ambroſ.* Ambroſ.

408 Prob. ex *Auguſt. tract. de Antichr.* circa finem; ſic docente. *Nam ſicut ſupra diximus in ciuitate Babylonia natus Ieroſolymam veniens circumcidet ſe, dicens, Ego ſum Chriſtus vobis repromiſſus, qui ad ſalutem veſtram veni, vt, qui diſperſi eſtis congregem, & deſindam. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi æſtimantes Deum ſuſcipere, ſed ſuſcipient diabolum.* hæc *Auguſtinus*, quem ſequutus eſt *D. Thomas* referens eiuſdem verba, & ſententiam *cap.29. de humanit. Dei*, idemque docet *Auguſt. tract.29. in Ioan. D.* dicens, eum à Iudæis eſſe ſuſcipiendum. Auguſt.

409 Prob. ex *S. Ephrem Syro, de conſum. ſæculi, & Antichr. Supra modum Iudæos honorabit, quod bi maximè expectent illius aduentum, tamquam ipſius veri Chriſti.* Ephrem.

410 Prob. ex *Hippol. orat. de conſumat. mundi, & Antichr.* qui docens prius Antichriſtum in Ieruſalem iturum, & ibi templum excitaturum, ſic ſequitur; populi vno conſenſu conuenient in vnum locum ad creandum illum Regem. Ac potiſſimum Hebræorum gens, præ omnibus ipſi tyranno cara erit, dicentque alius alij: Numquid in generatione noſtra talis, ac tam bonus, & iuſtus homo inueniri poteſt. Iudæi præcipuè, vt iam dixi ſperantes ſe ſpectaturos illum Regem tali in Imperio, his verbis alloquentur. Omnes tibi obtemperamus, agnoſcimus te iuſtum ſuper omnem terram, omnes à te ſalutem nos conſecuturos ſperamus, & ex ore tuo iuſtum, ac incorruptum iudicium recipiemus. hæc *Hippol.* Hippol.

411 Prob. ex *Gregor. Nanzian. orat.47.* ſic habente. Quod ad hunc locum attinet ab- Greg. Nanz.

abhominatio desolationis, aiunt fore, vt Ierosolymitanum templum rursus extruatur, atque Antichristus à Iudæis Christus credatur, &c.

Damasc. 412 Prob. ex *Ioan. Damasc. lib. 4. fidei Orthod. cap. 27.* sic dicente. Ergo Iudæi Dominum Iesum Christum, ac Deum, Deique filium, haud quaquam receperunt; impostorem contra, diuinitatem sibi arrogantem recipient: & post aliqua. Porro per Dei templum, non templum nostrum intelligit, sed vetus Iudaicum, non enim nobis, sed Iudæis veniet. hæc *Damasc.*

Hilarius. 413 Prob. ex *Hilario in Matth. cap. 25.* Antichristus bellis, & cædibus terram cum piaculo desolaturus est, atque à Iudæis susceptus, loco sanctificationis insistet, &c. hæc *Hilar.*

Gerson. 414 Prob. ex *Gerson lib. 6. de Gaudijs Paradisi.* Antichristus veniet in Ierusalem, & circumcidet se, dicens se esse Christum, seu Messiam illis promissum; vnde plebs iudaica specialiter adhærebit ei.

Ex omni natione, & Sectis erunt, qui recipient Antichristum. 415 Dico 2. Ex omni natione, Secta, seu Religione erunt, qui recipient, & adorabunt Antichristum, vt verum Christum.

416 Prob. 1. ex Glossa *Lyran. in cap. 20. Apocal.* Versu, *Soluetur Satbanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ.* Vbi ait, quia de omnibus mundi partibus aliqui adhærebunt Antichristo, seducti à suis prædicatoribus, diabolo cooperante mendacibus signis. Ergo, cum in omnibus mundi partibus sint Sectæ, & Religiones, nationesque diuersæ, ex omnibus his multi credent, & adhærebunt ei.

Ex Script. Gloss. 417 Prob. 2. ex 2. *ad Thessal. 2.* vbi, vt sæpè dictum est loquens Apostolus de aduentu Antichristi, ait. *Cuius est aduentus secundum operationem Satbanæ in omni virtute signis, & prodigijs, & mendacibus, in omni seductione iniquitatis his, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non acceperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Glossa Interlin. Verbo, *Vt credant mendacio*, ait, *Quod Antichristus Deus sit.* Glossa Ordin. Ver. *Ideo mittet*, ait ex *Augustino lib. 20 de Ciuit. cap. 19. Deus, diabolum ista facere permittit, iusto quidem iudicio, quamuis fatuo illo, maligno que consilio. Proinde iudicati seducuntur, & seducti iudicabuntur, sed iudicati iudicio Dei occultè iusto, & iustè occulto seducentur. Seducti autem iudicabuntur nouissimè, manifestoque iudicio per Christum iustissimè iudicatum.* hæc Glossa.

Ambros. Duas assignat causas, cur Deus permittat Antichr. ea signa facere. 418 Et *Ambrosius* declarans hunc locum, ait, *Operatio erroris est falsis fidem committere, vt qui claritatem luminis diem esse consentire noluerunt, putent diem tenebras dici debere, vt possint propensiori delicto rei fieri, sine contradictione damnati veritatis inimici fautores, autem iniquitatis, in cap. vero 13. Apocalyp.* vbi quærens, quare Deus permittat, vt Antichristus tanta sit operaturus in signis mendacibus; & duas assignat causas; vna est, quia tantum malitia hominum excrescet, & Deum ita pro suis sceleribus ad iracundiam prouocabunt, vt digni sint, quatenus tam pessimo homini subijciantur, atque ab eo decipiantur, testante Scriptura, qui regnare facit hominem hypocritam, propter peruersitatem populi. Tradet enim illos Deus in reprobum sensum, vt faciant, quæ non conueniunt, & quibus nihil peius erit, tantum vt quidquid mali cogitauerint, expleant iustissima Dei permissione fiet, vt ab Antichristo decepti, deterius pereant. Permitteret etiam hoc Deus fieri, propter probationem electorum suorum, vt sicut aurum probatur per ignem, ita & illi in persecutionibus Antichristi probentur, & examinentur. hæc *Ambros.*

Ex quibus habemus, quod omnes reprobi credent in Antichristum, eique adhærebunt. Sed de omni Secta Religione, ac natione erunt reprobi: ergo.

Ex Christi oraculo. 419 Prob. 3. ex *Matth. 24.* vbi Saluator prædicens maximam tribulationem futuram tempore Antichristi, & damnationem reproborum, ait, *Et nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Id est nullus saluaretur ex hominibus, si multum duraret illa Antichristi tribulatio; signis enim, & prodigijs, ac terroribus induceret omnes ad sui fidem, etiam electos, si fieri posset: sed ne isti tali periculo subsint, breuiabuntur dies illi. Igitur præter electos, omnes credent Antichristo.

Augustj. 420 Prob. ex *D. Augustin. lib. 20. de Ciuit. cap. 19.* in fine, vbi explicans locum relatum 2. *ad Thessal. cap. 2. Mittet illis Deus operationem erroris*, ait, *seducentur ei signis, atque prodigijs, qui seduci meruerunt, pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent.* Et sequitur dicens, ea quæ attuli ex Glossa in secunda probatione. Ex quibus manifestè concluditur, quod, ne dum de omni natione, Secta, & Religione erunt, qui recipient, & credent Antichristo, sed omnes reprobi, qui tunc viuent: isti enim sunt, qui dilectionem veritatis recipere noluerunt, vt salui fierent.

Idem Aug. clarissimè. 421 Conf. ex eodem *in tract. de Antich.* vbi de eius potestate loquens, ait. *Prædicatio autem eius, & potestas tenebit à mari, vsque ad mare, ab Oriente, vsque ad Occidentem, ab Aquilone, vsque ad Septentrionem:* & post multa, ait. *Tunc omnis christianus, qui inuentus fuerit, aut Deum negabit, aut per ferrum, siue ignem fornacis, &c. interire subibit.* Ergo, cum in omnibus illis mundi partibus sint populi omnis Religionis, etiam Christianæ, de omnibus erunt, qui eum recipiant, eique credant.

422 Prob. ex *Ambros. in cap. 13. Apocal.* vbi

Ambros. iterum, & clarissimè,

vbi Versu, *Et admirata est vniuersa terra post bestiam*, habet, *Per terram, peccatores homines designantur, & adorauerunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, dicentes, quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea*. *Quomodo adorabunt draconem, id est diabolum, quem non videbunt?* & respondet. *Sed adorabunt Antichristum illi, qui per terram designantur, & in Antichristo diabolum dicentes, nullum esse Antichristo similem, nec esse, qui eius fortitudini possit coæquari*. Et paulo post dubitare, sic incipit. *Difficile videtur, vt in tam paruissimo tempore, id est in tribus annis, & dimidio omnes gentes sibi subijcere, & ad cultoram suam genus humanum, præter paucos electos possit adducere. Erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde paruissimi*. Et respondet ad dubium, sicut in sequenti art. Quod tempus triennij incipit mensurari ex die iniquo in templo incipiet, sedere vt adoretur pro Deo. Ex quibus Ambrosij verbis infero, non solum de omni natione, & secta esse credituros Antichristo, sed omnes homines, exceptis electis.

Hier.

423 Prob. ex *D. Hieron. ad Algas. qu.* 11. vbi inter alia de Antichristo, ait. *Seducentur autem eius mendacio, qui perditioni sunt præparati:* & post aliqua addit. *Qui ergo charitatem, & veritatem non receperunt, vt Saluatore susceptо salui fierent, mittet illis Deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est fontem erroris, vt credant mendacio*. Igitur omnes, qui Christum non receperunt, vt Iudæi, & Pagani, alijque præparati ad damnationem ex Christianis, Antichristum recipient, eique credent.

Lactan.

424 Prob. ex *Lactantio lib. 7. cap. 16.* vbi de fine mundi, & discordijs inter homines, donec Reges decem fient, qui totum partiantur orbem, sic prosequitur. *Tum repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septentrionalis orietur, qui tribus ex to numero deletis, qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem à ceteris, ac Princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem diuina, & humana miscebit, infanda dictu, & execrabilia molietur*. Si ergo ab omnibus Regibus, qui tunc erunt assumetur in societatem ab ijs omnibus nationibus recipietur.

Ex Ezechiel interpretatione.

425 Prob. tandem ex vaticinio *Ezech. cap. 38.* quod à Glossa Ordinar. ex Hieron. & à Glossa Lyrani, vt diximus de extensione Regni Antichristi, intelligitur de temporibus, Regno, societate, ac progressu ipsius Antichristi. Ex eo autem colligitur, omnes fere mundi nationes, estò non omnes personas, recepturas esse Antichristum; sic autem habet. *Et factus est sermo Domini ad me dicens, fili hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog Principem capitis Mosoch, & Tubal, & vaticinare de eo, & dices ad eum, hæc dicit Dominus Deus, ecce ego ad te Gog Principem capitis Mosoch, & Tubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, & educam te, & omnem exercitum tuum, equos, & equites vestitos loricis vniuersos multitudinem magnam hastam, & clypeum arripientium, & gladium Persæ, Æthiopes, Lybes, cum eis omnes Scutati, & Galeati, Gomer, & vniuersa agmina eius domus Togorma, latera Aquilonis, & totum robur eius, populique multi tecum*. Hæ igitur nationes erunt cum Antichristo confœderatæ, & in eius exercitibus militabunt. *Mosoch à S. Hieron. in cap. 28. Ezech. & in 60. Isaiæ*, significat Cappadociæ Ciuitatem, in *quæst.* autem *Hebr. in Gen.* dicit significare ipsos Cappadoces. Tubal ex *Hieron. in cap. 27. Ezech.* significat Iberos Orientales, vel de Occidentis partibus Hispanos ab Ibero flumine, & in *cap. 38. Ezech.* ait. Thubal, quos Iosephus Iberos, vel Hispanos, Iudæi Italos suspicantur. Æthiopes, & Lybes noti sunt, Lybes enim sunt Africani. Gomer ex *Hier. in quæst. Hebr. & cap. 38. Ezech.* ait significare Galatas, *& Genebrardus lib. 1. Chronograf.* dicit significare Gallos, Gomer enim ait pater Galatarum, seu Gallorum, & Galli à Græcis dicuntur Galatæ. Togorma ex Caldæo interprete, & Vatablo in *cap. 38. Ez.* significat Germaniam. Sabba ex *Hieron. in quæst. Hebr.* significat Sabbam Arabiæ. Dedan tandem ex *Hieron. in quæst. Hebr.* Æthiopiam in Occidentali parte significat. De Gog, & Magog dicetur in proprio *art. 17.* Estò autem Authores non concordent in significatis horum nominum, parum ad nos refert. Sed sufficit, ex eis concludere, quod omnes istæ nationes, quæcumque illæ sint, erunt cum Antichristo confœderatæ; & sic concluditur, quod gentes, seu nationes de omni Secta, ac Religione recipient Antichristum.

Mosoch, &c. Ex Hieron. quid sint.

Tubal.

Lybes.

Gomer,

Togorma,

Sabba,

Euidens conclusio,

## ARTICVLVS XIV.

### *De apparitione prima, & duratione Antichristi, eiusque regni.*

Plura dubia.

426 ADuerto plura sub hoc titulo venire examinanda. Primum est in quo statu ætate, ac gradu Antichristus incipiet innotescere, ait enim Apostolus, *tunc reuelabitur ille iniquus, &c.* quasi prius fuerit quidem, sed in occulto. Secundum est, ex illo tempore primæ apparitionis, seu reuelationis, quantumnam durabit eius imperium, & vita. Tertio, quomodo in tam breui tempore fieri poterunt, quæ ab eo dicuntur facienda.

Quando Antichristus apparebit primò.

427 Dico 1. Licet Antichristus in ætate, vt putatur virili incipere debeat homines ad se allicere, & regnum procurare, & signa falsa, ac impostoras operari; eius tamen prima apparitio, seu manifestatio, ex qua tempus suæ durationis incipere debet, dicenda

est, quando in templo sedebit, tamquam Deus. Ita ex SS. PP.

Ex Dion. cum Gloss

428 Prob. 1. ex *Dan. 12. versu 10. Porrò docti intelligent, & à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abbominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta.* Glossa Interlin. ait. *Cum Antichristus orbem possidens Dei cultum interdicet, vsque ad mortem eius.* Verbo autem, *Abbominatio*, ait, *cultus Antichristi.* & Verbo, *Desolationem*, ait, *scilicet in templo desolato.* Glos. sa autem Ordin. Verbo, *A tempore*, ait, *id est, cum ablato Dei cultu, & desolato, Antichristus abbominabiliter exhibebit se adorandum, tunc erunt dies tot, id est tres anni, & semis.* *Lyranus* tandem in Verbo, *Et à tempore* dicit, hic, Angelus instruit Danielem de termino à quo incipiendi sunt prædicti tres anni, cum dimidio, dicens, à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, id est à tempore illo, quo sacrificium altaris cessabit celebrari sollemniter. *Et posita fuerit abbominatio*, id est Antichristus exhibitus hominibus ad adorandum, ab illo tempore mille, &c. Et paulo post ita concludit, sic igitur patet, quod tres anni cum dimidio, persecutionis Antichristi non sunt incipiendi ab illo tempore, quo se incipiet ostendere, & aliquos ad se attrahere, sed ab illo tempore, quo iam erit tantæ potestatis, quod se exhibebit adorandum hominibus, & quo fideles non audebunt in palam sacrificium altaris conficere propter timorem eius. hæc *Lyranus*, ex quibus fit euidentissima conclusio.

Vnde incipiant tres anni, & semis.

Lyr.

429 Prob. 2. ex *D. Ambros. in cap. 13. Apocal.* vbi habet. *Difficile videtur, quod in tam paruissimo tempore, id est in tribus annis, & dimidio, omnes gentes sibi subijcere, & ad suam culturam genus humanum præter paucos electos possit adducere. Erunt enim multi electi, sed in comparatione infidelium valde pauciissimi. Verum potest fieri, vt primò omnes gentes sua ditioni subijciat, postea verò in superbiam elatus se pro Deo coli instituat. Nam sicut mihi videtur, in tribus annis, & dimidio persecutionis tempus tantummodo comprehenditur; in quo & per se, & per discipulos suos, & per ostensionem signorum mirabilium totus laborabit, vt culturam deitatis omnes homines sibi impendant.* Ergo clarissima est conclusio.

Ambros.

430 Prob. ex *D. August. in tract. de Antichr.* vbi exactissimè loquitur de eius inceptione progressu, & fine. Sic autem loquitur versus finem. *Ita se extollet, vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus, nam sicut supra diximus in ciuitate Babyloniæ natus, Ierosolymam veniens circumcidet se dicens, Ego sum Christus vobis repromissus, qui ad salutem vestram veni, vt qui dispersi estis congregem, & defendam. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi æstimantes Deum suscipere, sed suscipient diabolum, sine etiam in templo Dei sedebit Antichristus, id est in Ecclesia Sancta: omnes christianos cupiens martyres efficere, & magnificabitur, quia in ipso erit caput omnium malorum diabolus, qui est Rex super omnes filios superbiæ. Subito autem, & improuisò Antichristus veniet, & totum simul humanum genus suo errore decipiet. Ante eius exortum duo prophetæ mittentur in mundum, Enoch scilicet, & Elias, qui contra impium Antichristum fideles Dei diuinis armis præmunient, &c.* & paulo post sequitur. *Postquam autem per tres annos, & dimidium prædicauerint mox incipient exacerbescere Antichristi persecutiones, & contra eos primum Antichristus sua arma arripiet, eosque interficiet.* Placuit totum *Augustini* textum adducere, vt clarè liqueat nostra conclusio. Cum ergo Antichristus iam natus, grandisque factus, & Ierosolymam se conferens, multa beneficia incolis præstans, eosque sibi concilians, Rex eligetur; & tamen post hæc omnia dicat Augustinus ipsum subitò, & ex improuiso fore appariturum, seu venturum, hoc non potest intelligi de natiuitate eius naturali, sed de ipsius apparitione, vt Deus, seu de exigentia cultus latriæ ab omnibus.

August.

Clara authoritas.

431 Confirmatur ex eodem *Augustini* discursu, nam ante exortum eius comparebunt Enoch, & Elias prædicantes contra impiam doctrinam Antichristi, at fideles præmuniantur, & durabit eorum prædicatio per tres annos cum dimidio, quod accipit ex *Apoc. 11.* & postea occidentur opera Antichristi, At est inuerisimile, quod Antichristus trimulus possit opus suum peragere, & occidere eos propheras. Ergo non intelligitur de ortu physico, sed de morali, cum scilicet apparebit sedens in templo, tamquam Deus, & talis haberi volet.

Ex eodem Aug. concludenti discursu,

432 Confa. Quia vt in sequenti dicetur, Antichristi persecutio tribus annis cum dimidio durabit, postquam Enoch, & Elias occiderit. Igitur eius manifestatio, seu reuelatio prima intelligenda est de illa, à qua incipiet persequi eos, qui recusabunt illum adorare; quæ quidem erit ex tempore quo in templo, vt Deus sedebit, & ob contradictionem Enoch, & Eliæ, eos primò occidet, deinde in reliquos reluctantes incipiet excandescere. Et hoc modo saluatur prima eius, & subita reuelatio, quia, vt de moribus eius diximus non statim apparebit malus, aut Christo contrarius, sed multa opera bona faciet, vt omnes decipiat. Ideoque maxima cum ratione, & Apostolus, & Patres dicunt, eum (esto grandæuum) subitò, & improuisè venturum, id est ex improuiso manifestabit se Christo contrarium, negans eum esse Deum, asserens se esse Christum, & prætendens latriæ adorationem; & quia per tres sequentes annos cum dimidio, sic semper procedet, ac prosequetur esse Christo contrarius, deinde spiritu Christi occidetur; ideo, dicemus, durationem Antichristi esse trium annorum, & semis; cum nihilominus ipse in ætate triginta trium annorum, quar-

Euidens cõclusio.

to

to incepto, sicut Christus, debeat occidi & mori, vt infra.

Iren. 433 Conf. ex *Irenæo lib. 5. cap. 25.* dicente, *Manifestè igitur Apostolus ostendit aduentum eius, & quoniam extollitur super omne, quod dicitur Deus, vel quod colitur, id est super omne idolum.* Igitur nomine aduentus intelligitur eius manifestatio, seu præsumptio in forma, seu persona Dei.

Athan. 434 Prob. ex *S. Athanasio qu. 20. Si non venit ex improuiso, nec in toto mundo conspicuus, sed reperiatur in vna tantum regione, vel ciuitate, quod tali sine dubio sit Antichristus.* Igitur iste aduentus ex improuiso, non est natiuitas eius, sed manifestatio sui tamquam Dei.

435 Prob. tandem ex dicendis in sequ. conclus. quæ ad idem sunt.

Durabit Regnum, & persecutio per annos tres, & dimidium. 436 Dico 2. Antichristus, eiusque regnum, ac persecutio, ex tempore in quo incipiet adorari in templo tamquam Deus, durabit per tres annos cum dimidio, & 12. dies.

437 Prob. 1. ex *Dan. 7. Porrò cornua decem ipsius Regni, decem Reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit, & sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret. Et putabit, quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & disperat vsque in finem.* Quæ prophetia, vt in *art. 6.* dictum est, tota ad literam de fine mundi, & de Antichristo intelligitur absque vlla contradictione, vt omnes tres Glossæ, & Patres SS. Ecclesiæ, defendunt. Solum restat explicanda duratio. Ideo Glossa Interlin. ait, *Per tempus intelligi annum; per tempora, duos annos; per dimidium temporis semi annum.* Et tanto tempore duraturum dicit Antichristum, *Lyranus*, idem habet inquiens vsque ad tres annos, & dimidium, quia tantum durabit persecutio Antichristi.

Ex Dan.

Iterum ex eodem. 438 Conf. ex eodem *Dan. cap. 12.* vbi sic interrogans Angelum: *Vsquequo finis horum mirabilium?* ait. *Audiui, &c. & cum iurasset per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis.* & post multa, *à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abbominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Hic pariter Glossæ omnes de Antichristo loquuntur. Et Interlin. sicut supra explicat durationem eius per tres annos, & semis. Glossa Ordinar. ait, *vnde patet, tres istos, & semis annos, de Antichristo dici, qui tribus, & semis annis, id est mille ducentis nonaginta diebus sanctos persequetur, & postea corruet in monte Sancto.*

439 *Lyranus* tandem idem dicit, quod, scilicet Antichristi persecutio durabit per tres annos, & dimidium quantum durauit prædicatio Christi. Infertus autem Verbo, *Et posita fuerit abbominatio*, ait, id est Antichristus exhibitus hominibus ad adorandum; ab illo inquam tempore dies mille ducenti nonaginta, qui faciunt tres annos cum dimidio, & duodecim dies, vt patet consideranti. Et sic illud idem spatium temporis, quod prius expressit per tres annos cum dimidio, hic exprimit per dictos dies. Hæc *Lyran.*

Apocal. 440 Prob. 2. ex *Apoc. 11. Et ciuitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Glossa Ordin. ait, *Ciuitatem Sanctam, id est Ecclesiam ad iustè viuendum congregatam, & virtutibus imbutam persequentur mensibus 42. id est tribus annis, & dimidio, quibus regnabit Antichristus:* ergo.

Ambros. 441 Prob. ex *Ambros.* in præcedenti allato, vbi manifestè docet hanc Antichristi durationem per tres annos, ac dimidium; & terminum à quo tempus istud incipiet illud esse, ex quo adorari incipiet, vt Deus.

August. 442 Prob. ex *August. tract. de Antichr.* vbi postquam narrauit conceptionem eius, natiuitatem, manifestationem, & sessionem eius in templo, ac signa fallacia, vt inducat homines ad se adorandum, & persecutionem, atque crudelitatem exercendam contra eos, qui renuent adorare, inquit, *hæc autem tam terribilis tribulatio tribus annis manebit in toto, & dimidium*, & circa finem idem replicat, sicut in præcedenti conclusione patuit.

Idem Aug. 443 Conf. ex eodem *August. lib. 20. de Ciuit. cap. 23.* vbi explicans *Daniel cap. 7.* de duratione Antichristi, sic habet: *Tempus quippe, & tempora, & dimidium temporis annum vnum esse, & duos, & dimidium, ac per hoc tres annos, & semissem, etiam numero dierum posterius posito diluceret, aliquando in scripturis, ac mensium numero declaratur, videntur enim tempora indefinitè hic dicta lingua latina, sed per dualem numerum dicta sunt, quem Latini non habent, sicut autem Græci, ita hanc dicuntur habere, & hebræi.*

Iren. 444 Prob. ex *S. Irenæo lib. 5. cap. 25.* vbi declarans locum allatum *Dan. 7. Et dabitur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ait, *hoc est triennium, & sex menses in quibus veniens regnabit super terram.*

Hippol. 445 Prob. ex *S. Hippol. tract. de consum. mundi, & Antichristo*, sic habente. *Dimidium hebdommada, hoc est tres annos cum dimidio regnabit Antichristus super terram, post auferetur Regnum illius, & gloria.*

Chrysost. 446 Prob. ex *S. Ioann. Chrysost. homil. 29. Oper. imperf.* sic habente, *Quoniam autem tribus annis, & sex mensibus protendendum est Antichristi Regnum, multa Scriptura significant, maximè tamen in reuelatione sua Ioannes, & solitudinem illum consumatio occupauit. Nam vsque in finem tenebit Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.*

Lactan. 447 Prob. ex *Lactantio cap. 17. diuin. instit.* vbi de Antichristo loquens, ait. *Et erit præf-*

*pressura & contritio, qualis numquam fuit, &c. Et dabitur ei desolare orbem terra mensibus quadraginta duobus.*

Ex Hier. 448 Prob. ex *S. Hieron. in cap. 11. Dan.* sic dicente de Antichristo, *tribus cum dimidio annis, hoc est mille ducentis nonaginta diebus Sanctos persecuturus est, & postea corruiturus in monte inclito, & Sancto.*

Idem Hier. 449 Conf. ex *Hieronym. in cap. 7. Dan.* Verbo, *Et tradentur.* vbi habet. *Tempus annum significat; tempora iuxta hebraici sermonis proprietatem, qui & ipsi duplex numerum habent, duos annos prefigurant; dimidium autem temporis sex menses, quibus Sanctis potestatis Antichristi permittendi sunt, vt condemnentur Iudæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium. De quo tempore, & Saluator in Euangelio loquitur, nisi breuiati fuissent dies illi, nequaquam saluus esset omnis caro.*

Beda. 450 Prob. ex *Beda in Marcum lib. 4. c. 13. Tribulatio Antichristi, quanto cæteris, quæ præcessere pressura pondere grauior, tanto est temporis brevitate moderatior futura, nam tribus annis, & dimidio, quantum de prophetia Danielis, & Apocalypsi S. Ioannis conijci potest Ecclesiam per orbem impugnatura esse creditur.*

Otho I 451 Prob. ex *Othone Frisigensi in lib. 8. Chron. cap. 6.* Tempus quoque tentationis, tribus annis, & dimidio, totidem scilicet, quot & dominus prædicauit, ex hoc quod ibidem dicitur vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis protendi, latenter innuitur. Euidentius autem ex illa authoritate *Apocalypsis* 11. Ciuitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus, declaratur, &c. hæc *Otho.*

Ludul. 452 Prob. ex *Ludulpho Saxone Carthusiano*, qui in *lib. Vita Christi part. 2. cap. 87.* rem totam sic confirmat. *Inter occultum aduentum Antichristi, qui est per nativitatem, & manifestum, qui erit per prædicationem, & apertam persecutionem, venient Elias, & Enoch, vt & ipsi repugnent, & errantes ad viam veritatis reducant, prædicabunt diebus 1260. id est tribus annis cum dimidio:* & post aliqua. *Post tres autem dies, & dimidium resurgent, & in cælum in nube ascendent. Antichristus autem regnabit tribus annis, & dimidio, & post Dominus potestate sua occidet eum, sive per se, sive per Michaelem Archangelum, &c.*

*

## ARTICVLVS XV.

### *De Charactere Antichristi.*

Plura discutienda. 453 ADuerto plura esse hic inquirenda. Primo, an Antichristus vtetur aliquo reali charactere, & signo, ad signandum suos gregales, & in qua parte. Secundo, quale nam id erit. Tertio ad quem effectum, signabit.

Antich. vtetur aliquo signo sensibili ad signandũ sequaces. 454 Dico 1. Antichristus vtetur signo, seu charactere sensibili ad signandum suos sequaces in dextera, vel fronte. Ita ex Scriptura à Patribus declarata.

455 Prob. ex *Apocal. 13. versu 16.* vbi, vt sæpè dictum est sermo sit de Antichristo sub specie bestiæ, eiusque progressibus, & sic dicitur. *Et faciet eos pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu, aut in frontibus suis, & ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem bestiæ, aut numerum nominis eius.* Vbi Glossa Interlin. habet, *quia signati sunt nomine eius, & Deum fatebuntur.* Glossa Ordin. Verbo, *Habere charact.* ait. In manu, & in fronte ponent signa, vt omnes Deum confiteantur suum, verbo, & opere. hæc Glossa.

456 Prob. 2. ex *cap. 14. Apocal. versu 9. Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne, & sulphure.* Vbi Glossa Interl. Verbo, *Bestiam*, ait, *id est Antichristum.* Verbo, *Characterem*, ait, *signum nominis eius.*

Apocal. & Gloss. sæpè. 457 Prob 3. ex *Apocal. 16. versu 2. Et factum est vulnus sæuum, ac pessimum in hominis, qui habebant characterem bestiæ.* Glossa Interlin. Verbo, *Homines, qui, &c.* ait, scilicet qui pro Christo recipient Antichristum.

458 Prob. 4. ex *Apocal. 19. versu 20. Et apprehensa est bestia, & cum illa Pseudo-propheta, & qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, &c.* Glossa Interlin. in versu anteced. scilicet 19. *Et vidi bestiam*, dicit, *Antichristum.* Glossa Ordin. Verbo. *Vini missi sunt*, ait: *Antichristus, & sui Apostoli, maiores pœnas, &c.*

459 Prob. 5. ex *Apocal. 20. versu 4.* vbi de Sanctis, ait, *Et animas eorum, qui non adorauerunt bestiam, neque acceperunt characterem in frontibus, aut manibus suis.* Glossa Interlin. Ver. Bestiam dicit, id est *Antichristum*, Ver. *Characterem*, ait signum eius.

Ambros. 460 Prob. ex *S. Ambros. in cap. 13. Apocal.* circa finem, vbi declarans characterem Antichristi dicit, *Potest fieri, vt sicut nos habemus characterem Christi, id est crucem qua signamur, ita habeat Antichristus proprium cha-*

*characterem quo signentur ij, qui in eum crediderint.*

Chrysost. 461 Prob. ex *S. Ioan. Chrysost. hom. 49. in cap. 14. Matth. Cum enim multi Christianorum credentes Antichristo signum nominis eius in manu dextera, & in fronte susceperint, tunc exibunt Angeli cum igneis curribus volantes per aera, & inuisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inuentum non fuerit signum Antichristi.*

Lactan. 462 Prob. ex *Lactantio lib. 7. diuin. instit. cap. 17.* vbi de Antichristo loquens, ait, *Quicumque crediderint, atque assenserint ei, signabuntur ab eo, tamquam pecudes, qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut exquisitis cruciatibus necabuntur.*

Consensus communis Eccles. 463 Prob. Deinde ex communi consensu omnium Apocalypsis interpretum, neque enim possunt Scripturæ contradicere, apertè de Antichristi charactere testificanti; licet dissensio sit de qualitate characteris; quidam enim docent esse nomen eius; sed quia adhuc est dubium, quod nam sit tale nomen, in diuersas inclinant sententias; quidam verò docent esse numerum, seu calculum 666. à Ioanne prædictum: Quidam esse dictionem compositam ex literis, quæ correspondent illis græcis numeris. Et quia numeri illi, vt in sequenti multas dictiones reddere possunt, adhuc remanet incertum tale nomen: tamen in hoc generali omnes conueniunt, debere Antichristum isti characte aliquo sensibili ad signandum sequaces. An verò sit nomen, vel numerus nominis, vel signum diuersum correspondens nomini, mox dicetur.

Diuersi sent. de figura characteris.

Quisnam sit character, quo vtetur Antichristus. 464 Dico 2. Character, qui imprimetur in dextera, vel fronte sequacium Antichristi, vel erit ipsum met nomen Antichristi, seu numerus nominis eius, vel aliud signum nobis ignotum.

465 Prob. 1. pars, ex dicto *cap. 13. Apocal.* in fine, *nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* Idemque confirmat. Glossa Interlin. in Ver. *Characterem*, dicens, *quia signati sunt nomine eius, & cum fatebuntur*, & Ver. *Aut numerum nominis*, ait, *vel nomen.*

466 Conf. ex Glossa Interlin. in *cap. 14. Apoc. versu 9.* Ver. *Characterem*, dicente, *id est signum nominis eius.*

Areta. 467 Prob. ex *Areta in cap. 13. Apocal.* sic habente. Et quid nam sit iste character, nempè nomen bestiæ: at huius duplex cognitio est, vel per illationem ipsius nominis, aut per calculum. Quasi dicat, vel erit calculus numeri, vel nomen confectum ex literis, seu elementis, quæ reddunt illum numerum; quæ sint autem hæ litteræ, quinc hic numerus, dicetur in proprio loco.

Hippol. sent. notanda. 468 Prob. ex *S. Hippolyto orat. de consumat. mundi*, sic habente. Sigillum Antichristi, tam in fronte, quam in manu dextera est calculus 666. At vt opinor, neque certo hoc scio, quod in scriptura, quæ est in calculo illo permulta reperiantur, quæ numerum illum habeant: at dicimus fortasse scripturam illius sigilli esse *Nego*, nam antea quoque hostis ille aduersarius opera idolatrarum, Christi martyres hortantium, *Negate*, aiebat, *Deum tuum crucifixum*, tale erit tempore illo Osoris sigillum, *nego creatorem cæli, & terræ, nego baptisma, nego adorationem à me Deo præstari solitam, tibi adhæresco, in te credo.* hæc *Hippolytus.*

Ambros. Ansbertus. 469 Prob. ex *Ambrosio Ansberto in c. 13. Apocal.* cui alij subscripsere, vt *Ribera*, & *Viega* ibid. docent autem characterem Antichristi, futurum esse vnum *P*, cum vno *X*, adiecto ad basim ipsius *P*, sicut olim delineabatur nomen Christi. Hoc enim signo ex tempore Constantini in Labaris, & militaribus vexillis exercitum præcedentibus, Christiani Imperatores vti consueuerunt. Neque existimo à re alienum, cum Antichristus, vt in suo loco dictum est, se Christum esse, prædicaturus sit. Igitur, & Christi omnia propria, & appropriata assumpturus, vt ne Iudæos tantum, sed & Christianos decipiat. Et facilè huius Doctoris dicto, potest quis se conformare, cum protestetur, quod quæ de Antichristo scripsit, à Deo existimare reuelata, sic enim ait: *Et ecce dum loquor orans, præsentiam tuam adesse cognosco, qui etiam innocantes te, pia munera largiturus præoccupas, dicens, antequam me inuocauerint, dicam, ecce ad sum, quæ ergo à te mihi eluceat, perducam necesse est ad cognitionem lucis.* hæc *Ansbertus.*

Chrisi nomen solitum delineari per P. ex X.

470 Dico 3. Signatio facta per characterem erit in signum populorum, ac nationum credentium in illum.

Signatio fiet ad dignoscèdos sequaces

471 Prob. 1. ex *Apocal. cap. 13.* supra relato. *Et faciet omnes, &c. habere characterem bestiæ, &c. ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.* versu autem præcedenti ait, *& faciet, vt quicumque non adorauerit imaginem bestiæ occidatur.* Glossa Interlin. Verbo, *Et faciet eos*, ait, *quia dicent Deum suum, & omnes recipere, & neminem abijcere.* Verbo, *Characterem*, ait, *quia signati sunt nomine eius, & cum fatebuntur.* Glossa vero Ordinar. Ver. *Habet charact.* ait, *in manu, & in fronte ponet signa, vt omnes Deum confitentur suum, verbo, & opere.* Sicut enim Iudæi circumcisionis signo ab alijs nationibus discreti, & Deo consecrati habentur, & Christiani inuisibili characteris baptismalis in anima, & visibili signo Crucis in corpore, Deo sunt addicti; sic & gregales Antichristi aliquo visibili signo, quo à cæteris secernantur, erunt signandi. Eò vel maxime, quia cum sæuam moturus sit infideles, omnesque refractarios, Antichristus persecutionem, & impediturus eisdem commercia emptionis, & venditionis, vt ex Apocal. patuit, erit vtique necessarium, suos sequaces signare, vt cum non signatis exerceatur tyrannis.

Apocal. & Gloss.

ARTI-

## ARTICVLVS XVI.

### *De nomine Antichristi.*

472 ADuerto 1. Quod occasione characteris, quo signandi erunt Antichristi sequaces, qui iuxta literalem sensum textus, est nomen Antichristi, discutiendum venit dubium de eius nomine.

Nouum testamentum, græcè scriptorum,

473 Adu. 2. ex Glossa Ordin. & Lyrani *in cap. 13. Apocal.* in fine, librum Apocalypsis sicut, & cæteras scripturas canonicas, noui præsertim testamenti græco idiomate fuisse conscriptum. Ratio autem est, quia Græca lingua literalis vigebat in partibus Orientis Siria, at Palæstina, vbi Apostoli, & Euangelistæ scribebant. Supponendum autem ex *Lyrano* ibidem, & Glossa Ordin. omnes græcas literas importare aliquam figuram, & aliquem numerum arithmeticum; & è contra figuras arithmeticas poni solitas loco græcarum literarum. Ideoque in Concilio Nicæno in fine ad euitandam falsitatem literarum Ecclesiasticarum statutum est, vt literæ formatæ græcis characteribus, loco numerorum, consignarentur, vt plenè habetur ex *Baron. tom. 3. ann. 325.*

Græcæ literæ numeros etiam important.

Textus ex quo dicitur nomen Antichristi.

474 Adu. 3. ex *Apocal. 13.* in fine, sic haberi: *Hic sapientia est, qui habet intellectum computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vbi Glossa Interlin. Ver. *Hic sapientia est*, ait, *quia res obscura attentos facit.* Verbo, *Computet numerum*, ait, *vel nomen.* Et tandem Ver. *Numerus enim hominis est*, ait, *licet per hoc Deus videatur, sapienti purus homo apparebit.* Intelligentia autem huius difficilimi textus, hæc est. Volens Ioannes enigmaticè significare nomen Antichristi, ait, *hic sapientia est*, id est in hoc loco est necessaria maxima sapientia ad intelligendum, quale futurum sit nomen eius: ideo, qui habet intellectum, id est hanc sapientiam computet numerum, id est a me mox assignandum; *numerus enim hominis est*, id est ex characteribus componentibus nomen hominis, non Dei, construendum est. Ille autem numerus ex quo Antichristi nomen conficiendum est, est numerus 666. id est sunt ij characteres, qui græcè importare possunt talem numerum.

Intelligentia textus,

Quomodo nomen Antichristi fiat per 666.

475 Adu. vlt. Quod nomen Antichristi esse numerum 666. sic intelligitur; cum characteres græci importent numerum, tales accipiantur, qui reddant hanc summam 666. & nomen ex illis resultans est, nomen Antichristi. At quia diuersimodè potest hic numerus nasci ex characteribus græcis, ideo remanet semper dubium, & est necessaria sapientia, id est reuelatio, qualis nam characterum combinatio reddens illum numerum, constituat nomen Antichristi. His positis

Est incertum quale nomé resultet ex 666,

476 Dico. Licet nomen Antichristi sit illud, quod resultat ex characteribus græcis facientibus numerum 666. tamen adhuc est incertum, quale nam sit proprium nomen eius.

477 Prob. 1. pars ex ipso met textu, eo tempore, *faciet Antichristus, vt nullus possit emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum eius*; & post *numerus eius est 666.* ergo,

1. pars.

478 Prob. 2. pars. Characteres græci importantes numerum, diuersum nomen possunt efficere. Ergo non est certum, quod nam sit tale nomen. Anteced. prob. ex Glossa Ordin. ibi. *Iste numerus 666. nasci potest primo ab his literis Antemos, id est Christo contrarius*: A, *siquidem vnum importat*, N, 50; t, 300; e 5; m, 40; o, 70; s, 200. *& sic reddunt summam 666.*

2. pars. Quod sit incertum quale nomen efficiatur per characteres numericos.

Glossa,

Secundo ex eadem Glossa ibidem. *Ille numerus potest resultare ex hoc nomine Arnoym, quod interpretatur, nego. Quia, à significat vnum*; r, 200; n, 50; o, 70; y, 400; m, 40; e, 5.

Tertio ex eadem Glossa Ordin. *Ex hoc nomine Teitan potest insurgere ille numerus 666. Teitan autem*, ait Glossa, *dicitur Gigas, quod nomen, Christo verè competit, vsurpatiuè Antichristo; Nam T, dicit* 300; e, 5; i, 10; t, 300; a, 1; n, 50.

Multa nomina faciunt 666,

Quarto ex eadem Glossa. *Numerus ille 666. potest resultare ex nomine Latino, cuius characteres important numerum, v.g. Dic Lux, & hoc etiam nomen Antichristo potest competere, quia dicet se esse lucem. Nam D, significat* 500; i, vnum; c, 100; l, 50; v, 5; x, 10.

Aretas,

Quinto ex *Areta* hoc nomen Græcum *NiKetis*, quod dicitur *Victor* reddit numerum 666.

Sexto ex eodem *Areta Cacos odigos*, id est malus dux, reddit illum met numerum 666.

Septimo ex eodem, hoc nomen *Alubis Blaberos* facit eundem numerum 666. & interpretantur *Verè nocens.*

Octauo ex eodem hoc nomen *Amnos Adi-Kos*, id est Agnus nocens facit hunc numerum; & ita alijs multis modis possunt græca elementa combinari ad faciendum talem numerum.

Lyrani documentum,

479 Imo *Lyranus in cap. 13. Apocal.* in fine, sic habet. *Sciendum, quod liber Apocalypsis fuit scriptus in graco, in quo habetur hoc nomen Antemos, vbi dicitur hic sexcenti sexaginta sex, cuius significatum proprium est contrarius.* Et post aliqua, sequitur. *Sciendum, quod sicut in latino aliqua litera accomodata sunt ad significandum numeros; sicut litera C, ponitur pro centum, L, pro 50, & sic de aliquibus alijs, ita in graco litera aliqua ponuntur pro numeris; & illa quibus scribitur hoc nomen Antemos, in graco significant hoc modo latinè 666. propter quod in aliquibus bibliis ponitur sic, numerus enim hominis, & numerus eius*

est

*est Dic lux, quæ dictio apud Latinos significat numerum prædictum per literas, quibus scribitur.* Ergo cum tot sint nomina, & multò plura possint Græcè formari, quæ faciunt numerum illum 666. non est nobis certum, quod nam eorum Antichristi sit proprium.

Ambros. confirmat hanc incertitudinem;

480 Prob. idem ex *D. Ambrosio in cap. 13. Apocal.* in fine, sic habente. *De hoc numero multi multa dixerunt, pluraque nomina reperierunt, in quorum literis hic numerus inuenitur, tamen si aliquod ex ijs nominibus Antichristus possideat fraudare non poterunt; sed de re tam incerta, nihil audeo definire. Quis enim scit, si nomen, quod ei à parentibus imponetur hunc numerum continet.*

Idem Iren,

481 Prob. ex *Irenæo lib. 5. adu. Hæres. cap. 30.* inter alia multa, quæ de hoc nomine dicit, sic habentes: *Subsequetur autem, & aliud non quodlibet periculum eos, qui falsò præsumunt scire nomen eius. Si enim aliud quidem ÿ putant; aliud autem illud habens aduenerit, facilè seducentur ab eo, quasi nec dum adsit ille quem canere nouerunt. Oportet itaque tales discere, & ad verum recurrere nominis numerum, vt non in Pseudo-prophetarum loco deputentur, sed scientes firmum numerum, qui à Scriptura annunciatus est, id est sexcentorum sexaginta sex, sustinerant primum quidem diuisionem Regni in decem, post deinde illis regnantibus, & incipientibus corrigere sua negotia, & augere suum Regnum, qui de improuiso aduenerit Regnum sibi vindicans, & terrebit prædictos habens nomen continens prædictum numerum, hunc verò cognoscere esse abbominationem.* Et post nonnulla, sic sequitur. *Certus ergo, & sine periculo est, sustinere adimplectionem prophetiæ, quam suspicari, & diuinare nomina qualibet, quando multa nomina inueniri possunt habentia prædictum numerum. Et nihilominus erit quidem hæc eadem quæstio, si enim multa sunt, quæ inueniuntur nomina habentia numerum hunc, quod ex ipsis portabit qui venit, quæritur. Quoniam autem non propter inopiam nominum habentium numerum nominis eius, dicimus hæc, sed propter timorem erga Deum, & zelum veritatis. Euantbas enim nomen habet numerum de quo quæritur, sed nihil de eo affirmamus.* Et idem prosequitur de alijs nominibus, sed de nullo affirmat. Fatendum ergo est, incertum esse nomen proprium Antichristi.

Abunde rem discutit,

Tex. ipse id docere videtur.

482 Conf. ex ipsis Ioannis verbis, *hic est sapientia, qui habet intellectum computet numerum bestiæ*, per quæ voluit innuere, quod non est facile, inuenire huiusmodi proprium nomen, nisi adsit *sapientia, & intellectus*, id est, nisi reueletur; imò talia sunt omnia prophetarum oracula, vt sine reuelatione, vel nisi ponantur in effectu, quæ prædicuntur, capi nequeant. Id autem non fuit necessarium reuelari, quia non spectat ad fidei dogmata, neque aliquid confert ad salutem animarum, vel ad Ecclesiæ vtilitatem Antichristi proprium nomen scire.

Non fuit necessarium reuelari nomen Antic.

483 Colligetamen ex his, quod quamuis Apocalypsis græco idiomate fuerit conscripta, & antichristi nomen græcis literis designetur; non proinde sequitur, quod græcum nomen habiturus sit. Poterit enim Syriacum, Hebraicum, vel Caldaicum, aut etiam poterit græcum nomen à parentibus eidem imponi, vt ait Irenæus supra relatus, sed sufficit ad Ioannis prophetiæ veritatem, si talibus characteribus componatur, vt in græcum translati, reddant numerum 666. Verisimile autem existimo, ipsum met aliquod insigne, & Hebraicum nomen sibi assumpturum, quod Deum, aut diuinum, aut Altissimum, aut Omnipotentem, siue aliud simile significet, & græcis redditum literis 666. conficiat.

Coroll. notabile.

## ARTICVLVS XVII.

### *De Gog, & Magog, an venturi sint, & qui sint.*

484 ADuerto ex sacris litteris *Ezechielis 38. ac 39.* pluries, & *Apocalyp. 20.* pro fine mundi prædici aduentum *Gog & Magog*, ideo videndum, qui sint isti, an personæ ab Antichristo diuersæ; & ad quid venient.

Sent. plures de Gog, & Magog.

485 Adu. 2. Plures esse sententias de Gog, & Magog. Prima est Iudæorum, ex Glossa Ordin. *Hieron. & Lyrani in cap. 38. Ezech.* & ex *Petro Galat. lib. 5. Arcan. cap. 12.* & ex Rabbi *Iacob in libro Ab Kat Rochel*. Dicunt Iudæi, in tempore aduentus Messiæ, quem ipsi expectant, reædificandam fore Ierusalem, & multa futura bella inter eum, & Gog, ac Magog, qui erunt populi omnium nationum venientium ad pugnandum cum Messia. Sic habet *Hieron in cap. 38. Ezech.* Igitur Iudæi, & nostri Iudaizantes putant Gog gentes esse Sciticas, immanes, & innumerabiles, quæ trans Caucasum montem, & Meotidem paludem, & prope Caspium mare ad Indiam, vsque tendantur, & has, post mille annorum Regnum, esse à diabolo commouendas, quæ venient in terram Israel contra Sanctos multis secum gentibus congregatis; & hoc est quod Ioannes quoque in sua ponit Apocalypsi. Secunda sententia est, quam refert, & sequi videtur *Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 11.* docet per *Gog*, intelligi Antichristum, seu diabolum, per *Magog* verò, gentes quæ ei adiungentur. Tertia sententia est *D. Ambrosij lib. 2. de fide ad Gratian. cap. vlt.* docentis, prophetiam de Gog, & Magog non esse verificandam in aduentu Antichristi, sed in tempore Gratiani Imperatoris, & per *Gog* intelligi *Gothorum nationem*, quæ debebat contra eum pugnare, & ab ipso Imperatore superari. *Eusebius Cæsariensis lib. 9. demonstr. Euang. c. 3.* docet per *Gog* intelligi Imperatorem Roma-

Hier. quid de ijs dicat.

Augustin. sent.

Ambr. sent.

Euseb. Cæs. sent.

num; per *Magog* verò ipsum Imperium, quia in aduentu Christi etiam Romanum Imperium adauctum est. Quinta sententia est Authorum ab Augustino, vbi supra, suppressis nominibus relatorum, docentium *Gog* esse Getas, Magog verò Messagetas; has autem nationes contra Ecclesiam commouendas. Sexta sententia est *Genebrardi lib. 1. Chronogr. fol. 147. & lib. 4. fol. 662. & Hecloris Pinelli in cap. 38. Ezechielis* docentium *Gog, & Magog*, esse Saracenos, seu Turcas Mahometanos, Ecclesiæ hostes. Septima sententia est *Lyrani, & Vatabli* docentium, Gog esse Antichristum, Magog verò esse exercitum eius, ex diuersis nationibus conflatum. Octaua sententia est eorum, qui dicunt per Gog intelligi non Antichristum, sed Regem terræ Magog, quia docent per Magog intelligi Regionem. Licet postea inter se discordent de Regione dicta *Magog*; aliqui enim putant esse Scithiam vtramque, Europeam scilicet, & Asianam; & primam incipere à Tanai flumine, & extendi vsque ad Daniam, & ex parte Borex versus Moscouiam, Lituaniam, Liuoniam, &c. Asianam verò comprehendi intra Immaum montem vsque ad Indiam, atque vltimam Tartariam, & Promontorium Tabin. Has ergo gentes dicunt esse Magog, & Regem earum esse Gog. & has esse venturas ad se confœderandum cum Antichristo. Authores huius sententiæ adducuntur à *Thoma Malaenda lib. 5. de Antichristo cap. 16.* diffusè, quos & ipse sequitur.

Alio.ũ sent. Genebrardi sent. Lyr. & Vatabli. Alia sent.

486 Dico ergo 1. Circa mundi finem mundi venturi sunt Gog, & Magog.

Gog, & Magog venient circa finem mundi.

487 Prob. 1. ex *Ezech* 38. & 39. prædicitur aduentus Gog, & Magog, *in cap. 38. ver. 1. Fili hominis pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog*, & post aliqua. *Ecce ego ad te Gog Principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis tuis, &c.* prædicens maximam tribulationem, direptionem, crudelitatem, &c. tempore Gog exercendam, in *cap. 39. ver. 1. & 2. Ecce ego super te Gog principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & educam te, & ascendere te faciam de lateribus Aquilonis*, & post. *Super montes Israel cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui tecum sunt, feris auibus, omnique volatili, & bestijs terræ dedi te ad deuorandum, &c.* multa de eius destructione, & post. *Et erit in die illa dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel, &c. & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog.*

Script. clara de aduentu eorum.

488 Quod verò in fine mundi id accidet prob. ex ipso met *cap. 39.* vbi postquam talia dixit de prælio, crudelitate, & destructione Gog, & Magog, sic prosequitur. *Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miserebor omnis domus Israel*, & post multa eiusmodi beneficia conferenda Israelitis, ait. *Et scient quia ego Dominus Deus eorum, eò quod transtulerim eos in nationes, & congregauerim eos super terram suam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi. Et non abscondam vltra faciem meam ab eis, eò quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus Deus.* Ista autem vltima reconciliatio Dei cum Iudæis, postquam amplius eis non irascetur, erit in fine mundi, ex *Isaiæ 10. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ in quam Iacob ad Deum fortem; si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Ergo Gog, & Magog, qui venturi per Ezechielem prædicuntur, quicumque illi sint, in fine mundi venient, cum scilicet Deus Iudæi reconciliabitur; quod in fine mundi continget.

In fine mundi venient.

Euidens conclus. de aduentu earũ.

489 Prob. 2. ex *Apocal.* 20. vbi finis mundi, sic prædicitur: *Soluetur Sathanas de carcere suo, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris, & ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra Sanctorum, & ciuitatem dilectam, & descendit ignis à Deo de cælo, & deuorauit eos, & diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris, vbi & bestia, & Pseudo-propheta cruciabuntur.* Hæc autem solutio Sathanæ, vt diximus ex Augustino in proprio loco, fiet in fine mundi, cum mediante Antichristo Orbem totum vexabit. Item condemnatio Antichristi, & Pseudo-prophetarum eius accidet in fine mundi. Ergo Gog, & Magog, quicumque illi sint in fine mundi erunt.

Ex Apoc.

490 Dico 2. Probabile est, quod per Gog intelligatur Antichristus, & per Magog exercitus eius ex diuersis nationibus conflatus: videtur autem probabilius, quod per Gog intelligatur, persona aliqua ab Antichristo distincta, quæ sit Princeps, seu Rex terræ, seu nationis Magog.

Probabile est quod Gog sit Antichr. Magog verò gens eius, sed probabilius est, quod Gog sit persona diuersa, & Magog terra eius,

491 Prob. 1. pars ex *Lyrano in cap. 38. Ezech.* vbi postquam retulit sententiam Iudæorum dicentium per Gog, & Magog intelligi gentes, quæ venturæ sunt ad prælianduni contra Messiam, & debellandam Ierusalem nouiter ædificandam, quod dicit esse fabulam; & sententiam eorum, qui dicunt per Gog, & Magog intelligi generaliter Ecclesiæ persecutores, dicit. *Saluo meliori iudicio videtur mihi per Gog intelligi Antichristum, dicitur enim Gog à gag, quod significat tectum in hebræo; quia licet Antichristus sit futurus homo inhabitabitur tamen totaliter à diabolo, & sic erit quasi eius tegumentum sub specie humana. Magog autem significat de tecto, per quod intelliguntur adhærentes Antichristo, tamquam de eius familia, seu populo.* Idem replicat *Lyran. in cap. 20. Apocal.*

1. pars probabilis. Lyr.

492 Prob. 2. ex *S. August. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 11.* sic declarante *caput 20. Apoca. lyp. Soluetur Sathanas de custodia sua ad seducendas nationes, quæ sunt in quatuor angulis ter-*

August.

*terra Gog, & Magog, & trahet eos in bellum, &c.* & post, *Hæc enim erit nouissima persecutio nouissimo imminente iudicio, quam Sancta Ecclesia toto terrarum Orbe patietur, vniuersa ciuitas Christi ab vniuersa ciuitate diaboli, quantacunque erit vtraque super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog, & Magog non sunt accipiendæ, tamquam sint in aliqua parte terrarum barbari constituti, siue quos quidam suspicantur Getas, & Massagetas, propter literas horum nominum primas.* Et postea sic prosequitur. *Nationes, quæ sunt in quatuor angulis terræ eas que subiecit esse Gog, & Magog, quarum interpretationem nominum esse comperimus. Gog tectum, Magog detectum, tamquam domus, & qui procedit de domo. Gentes igitur sunt, in quibus diabolum velut in abysso, superius intelligebamus inclusum, & ipse de illis, quodammodo se offerens, & procedens, vt ille sicut tectum, ipse detectum.* hæc *Aug.*

Ex Haimone

493 Prob. 3. ex *Haimone in cap. 7. Amos*, sic, Gog Rex locustarum, qui secundum 70. Interpretes positus est interpretatur tectum, & superba, & arrogans quædam fortitudo Antichristi significatur, qui in fine mundi cum innumerabili infidelium multitudine veniens, velut in Scrutino, cunctam herbam terræ, hoc est omnia infirma, & tenera humani generis consumpturus est.

Bellarm.

494 Prob. 4. ex *Bellarm. lib. 3. de Roman. Pont. cap. 17.* vbi tria hæc docet. Primo, asserimus *Gog, & Magog* prælium, esse prælium Antichristi contra Ecclesiam, vt rectè Augustinus docuit. Secundo, dicimus probabile esse ad modum per *Gog* significari ipsum Antichristum, per *Magog* exercitum eius. Tertio, dicimus probabile esse *Gog dici à Magog* non è contra, ita vt Antichristus dicatur *Gog*, quia est princeps gentis, quæ vocatur *Magog*.

2. pars. Vera probabilior. Ex Apoc. 20

495 Prob. 2. pars. Ex *Apocal. 20. vers. 7. Et cum consumati fuerint mille anni, soluetur Satbanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris.* Ex quibus habetur, quod diabolus per Antichristum operans, seducet gentes *Gog, & Magog*. Ergo Gog est, qui seducitur ab Antichristo, & proinde est persona ab Antichristo distincta. Imo Glossa Interl. Ver *Congregabit eos*, ait, *per quos apertè pugnabit.* & Verbo, *Quorum*, ait, *Gog, & Magog. Igitur ista, siue gentes, siue persona cum gente, erunt seducenda*; & sic non potest per *Gog* intelligi Antichristus, quia ipse ab initio suæ conceptionis, erit à diabolo obsessus. Ergo *Gog* erit alia persona ab Antichristo diuersa.

Gog seducendus ab Antichr. igitur non est Antich.

Clarè ex Ez.

496 Prob. 2. Gog de quo loquitur Ioannes in Apocalypsi, est idem cum *Gog*, de quo loquitur *Ezechiel in cap. 38. & 39.* sed in his locis intelligitur persona aliqua diuersa. Nam ait in *cap. 38.* in principio. *Ecce ego ad te Gog Principem capitis Mosoch.* Vbi Glossa Ordinar. ex *Hieronym.* ait. *Gog, & Magog contraria sunt genti, & inimica Sanctorum, quæ egrediuntur ab angulis terræ.* Ergo *Gog* est vnus Princeps, qui exibit ab angulis terræ, non verò Antichristus, qui eo tempore, vt patuit in proprio articulo erit in Ierusalem, quæ est in medio terræ, vt dicitur.

Ex eod. iterum.

497 Conf. ibid. *vers. 14. Propterea fili hominis vaticinare, & dices ad Gog. Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis; tu & populi multi tecum, ascensores equorum vniuersi cœtus magnus, & exercitus vehemens, & ascendes super populum meum Israel, quasi nubes.* Sed Antichristus non consurget de lateribus Aquilonis, cum ipse nasciturus sit in Babylonia, & se conferet in Ierusalem. Igitur Princeps iste *Gog*, qui de Aquilone veniet, nempe de Scythia Europæa, & Asiana erit persona diuersa ab Antichristo.

Ex eod. tertio.

498 Conf. 2. ex *cap. 39.* in principio idem prorsus habente, *Ecce ego super te Gog Principem capitis Mosoch, & Thubal, & circumagam te, & educam te, & ascendere te faciam de lateribus Aquilonis, & adducam te super montes Israel.* Igitur Gog, est alia persona, quæ veniet ad se coniungendum cum Antichristo.

Ex eod. 4i

499 Conf. 3. ex eodem *cap. 39. vers. 11. Et erit in die illa dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel vallem viatorum, &c. & sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, & vocabitur vallis multitudinis Gog. & sepelient eos domus Israel, vt mundent terram septem mensibus.* Ergo Gog non est Antichristus, sed Princeps aliquis ab eo diuersus. Euidens est consequentia: nam ex Glossa Interlin. & Ordin. nec non *Lyrani in cap. 12. Daniel* in fine, & nos dicemus in suo loco mortuo Antichristo post dies 45. ex communi opinione Christus veniet ad iudicandum, & finis erit mundi. Igitur cum post mortem *Gog* terra erit mundanda per septem menses, *Gog* non potest dici Antichristus.

Euidentes conclus.

Ex Hiero.

500 Conf. 4. ex *Hieron.* vt habet Glossa Ordin. in *cap. 38. Ezech.* sic. *Illud quoque breuiter notandum, quod in Ezechiel Gog Princeps terræ Magog dicitur, &c.* quæ referam in sequenti ratione. Sed Antichristus non est Princeps terræ *Magog*; imò hic ad eum confluet: ergo.

Magog quid

Quod verò per *Magog* intelliguntur gentes, seu nationes, vel subditæ ipsi Gog, vel ei confœderatæ, & confluentes in adiutorium Antichristi. Prob. Ex *Ezechiel 38. Pone faciem tuam contrà Gog, & terram Magog.* Vbi Glossa Ordin. *Hieron.* habet. *In Ezechiele Gog Princeps terræ Magog dicitur; in Apocal. verò Gog, & Magog nationes, quæ egrediuntur de quatuor angulis terræ. Et quomodo à Iacob, qui primus dictus est Israel, omnis populus hebræus Israel vocatus est, & ab Aram Asia, à Mesraim Ægyptus, quorum in Genesi scripta sunt nomina. Sic, & à Principe Gog omnes qui ei subditi sunt Magog appellantur.* hæc *Hieronym.* igitur per Magog

Subditi Gog dicuntur Magog.

intelliguntur nationes, seu populi subiecti, aut confœderati cum Gog.

Ex Ezech. 501 Conf. Nam *Ezechiel* postquam in *cap.* 38. semel nominauit *Magog* terram, in eo capite loquitur semper de *Gog* cum populis, vel gentibus, vel exercitibus. *Et venies tu, & populi multi tecum:* ergo.

Ex cod. loco. 502 Conf. 2. Idem Propheta *in cap.* 39. *vers.* 6. ait. *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in insulis confidenter.* & *vers.* 11. *Et sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius*, & in *Apocalyp.* 20. *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabo eos in prælium*; vbi, vt patet, per *Magog* semper intelliguntur populi, vel nationes, aut regiones eorum, quæ vt supra adnotauimus ex Hieronymo denominationem ducunt à Gog; sicut ab Israele Israelitæ, ab *Agar Agareni*, à Sara Saraceni, &c. neque de hoc est controuersia inter Doctores; sed de regione, seu natione, quæ significatur per Magog.

Diuersi sent. De regione significata per Magog. 503 Quas tandem gentes, seu populos significat *Magog*, variæ sunt sententiæ; quæ quidem curiositati potius consulunt, quam necessitati, sed adducamus communius Doctorum placitum. *Sanctus Hieronymus in cap.* 30. *Isaiæ*, & *cap.* 38. *Ezechielis*, *Genebrardus lib.* 1. *Chronogr. fol.* 30. & ante eum *Theodoretus in cap.* 38. *Ezechielis*, docent Magog significare Scythas, sed ipsi à *Ioseffo hebr. lib.* 1. *Antiquit. cap.* 6. id didicerunt, ibi enim sic alloquitur, loquens de Magog filio Iaseti, qui denominationem indidit regioni, quam incoluit, *Magoges verò Magogarum à se denominatorum fuit author, qui ab ipsis Græcis vocantur Scythæ*. Ex quibus concluditur, Gog Principem, & caput *Magogorum*, seu Scytharum (qui maximus Rex erit) venturum in terram Israel, & cum Antichristo coniungendum.

De Scythis semper difficultas fuit, qui nam sint. Sed qui sint populi dicti nunc Scythæ semper fuit difficultas. De Scythis mentionem prima vice fieri video *in* 2. *Machab. cap* 4. in fine, sed sub titulo crudelium, *etiam si apud Scythas causam dixissent, innocentes iudicarentur, morte damnauit*, secunda vice fit de eis mentio in eodem *lib. cap.* 12. *vers.* 29. *Ad ciuitatem Scytharum abierunt, quæ ab Hierosolymis sexcentis stadijs aberat; contestantibus autem his qui apud Scythopolitas erant Iudæis, quod benignè ab eis haberentur, &c.* tertio fit de eis mentio *in epist. ad Coloss.* 3. *Barbarus, & Scytha, &c.* sed ex his non potest colligi, qui nam populi sint. Calepinus, Verbo, *Scythia*, ait, est Regio Septentrionalis latissima in duas diuisa partes Europæam, & Asiaticam, quarum Europæa à Tanaidis ripis per Mæothidis, & Ponti Euxinia littora, vsque ad Istri Ostia expanditur. Asiatica a limitibus oppositorum littorum in Orientem procurrit, Oceano à Septentrione, à Meridie Tauro terminata. Sed Additionator Calepini in eodem loco dicit non bene à Calepino describi Scythiam Asiaticam, quod scilicet inchoetur à Palude Mœothide, & littoribus Euxini maris; nam inter Scythiam Europæam, & Asiaticam, Sarmatia Asiatica amplissima Regio est interposita. Et addit, quod Scythia Asiatica apud Ptolemæum duplex est; vna inter Immaum montem in Occid. vergens inter oram maris Caspij ad Austrum, & Laxartem fluuium, ac oram Oceani Scythici ad Boream latè patens, in plures Tartarorum regiones diuisa. Altera Scythia, est extra Immaum in ortum valde protensa. Concludit tamen, Scytharum gentes generali nomine Tartaros appellari solere. *Philippus Ferrarius in suo Lexicon*, ait Scythas Tartaros absolutè dici, sed diuidit eam in Europæam, & Asiaticam; quo de Scythis pro nostro instituto scire, sit satis.

Calepinus de Scythis, quid dicat.

Sed ei contradicit Additionator eius.

Quæ sit Scythia ex Additione.

Ferrarius de Scithia.

504 Sed vnum annotatione dignum est, quod maxima Scytharum, seu Tartarorum pars à Iudæis est propagata, eosque genitores agnoscit. Nam certum est, ex 4. *Reg. cap.* 17. *quod anno nono Oseæ cœpit Salmanasar Rex Assiriorum Samariam, & transtulit Israel in Assirios, posuitque eos in Hala, & in Habor iuxta fluuium Goram in ciuitatibus Medorum*. Sed *Esdras in lib.* 4. (esto putetur apocriphus) *cap.* 13. *num.* 41. ita loquitur de istis decem tribubus translatis, *hæ decem tribus, quæ captiuæ factæ sunt de terra sua in diebus Oseæ Regis, quem captiuum duxit Salmanasar Rex Assiriorum, & transtulit eos trans fluuium, & translati sunt in terram aliam; ipsi autem sibi dederunt consilium hoc, vt derelinquerent multitudinem gentium, & proficiscerentur in vlteriorem regionem, vbi numquam inhabitauit genus humanum, vel ibi obseruare legitima sua, quæ non fuerant seruata in regione sua, &c.* narrans miraculum factum à Deo, vt transirent introitum Euphratis, itinere vnius anni cum dimidio, &c. & post. *Sed & qui derelicti sunt de populo tuo, hi sunt, qui inueniuntur intra terminum meum. Factum erit ergo, quando incipiet perdere multitudinem earum, quæ collecta sunt gentes, proteget eos, qui superauerunt populum; & tunc ostendet eis multa plurima portenta.* hæc *Esdras*. Quam historiam amplectitur *Genebrardus lib.* 1. *Chronogr. fol.* 138. sic de Iudæis transmigratis loquens. Vnde itinere anni vnius cum dimidio per angustias Euphratem transgressi venerunt in Arsereth regionem hactenus inhabitatam ibi commoraturi, Colchidis partem, aut regionem aliquam ibi propinquam, nonnulli suspicantur, quod Colchi more Iudæorum infantes circumciderent: & post; ego ait puto esse veterem Tartariam. Et post ex *Annalibus Rabbi Scelemonis in c.* 27. *Isaiæ*, decem tribus in Oriente fuerunt perditæ; & concludit facilè amplexæ sunt Mahometismum, quod iam ab æuo circumciderentur, & corruptæ lege, quadam Mosaicæ Religionis specie tinctæ essent. Ita *Genebrard.*

Maxima Scythiæ pars a Iudæis est propagata,

Iudæi translati de Samaria, quas regiones habitarunt.

Genebr. de Iudæis transmigratis,

Ex

Conclusio generalis.

505 Ex quibus omnibus, colligitur, quod Gog sit caput, seu Princeps terræ *Magog*. Et quod terra hæc sit vtraque Scythia, seu Tartaria. Et quod maxima harum gentium pars à Iudæis sit oriunda. Et tandem, quod facilè Magoges cum suo Principe Gog cum Antichristo se coniungent, quia Iudaismo aliqualiter tincti, Messiam expectantes, renouatorem dominij Iudæorum, ad eum, legalium zelatorem circumcisum, Sabbatizantem, & in Iudæa regnantem confluent.

Magog est Scythia, seu Tartaria vtraque.

## ARTICVLVS XVIII.

### *Quid fiet de Ecclesia tempore Antichristi.*

Ecclesia quid sit.

506 ADuerto, quod Ecclesiæ nomine, nil aliud intelligitur, nisi fidelium cœtus, seu collectio, ex *cap. Ecclesia, de consecrat. dist.1.* & Græcè idem sonat Ecclesia, quod Latine *conuocatio*, ex *cap. Relatum, de Testamentis*, & *Extra, de celebr. Miss.* Hic ergo quæritur, quid faciet Ecclesia in tempore illo Antichristi. Neque hic est sermo de tota fidelium congregatione, quia hæc numquam potest simul conuenire. Sed est sermo de singulis Ecclesijs in qualibet mundi parte; vt sensus sit, quid facient fideles existentes in Gallia, quid illi existentes in Hispania; quid existentes in Italia, &c. quid tandem existentes in Palæstina, vbi magis sæuiet Tyramni furor.

Quid facient fideles tempore Antich.

507 Dico. Probabilissimum est, quod Antichristi tempore cœtus fidelium in omni mundi regione in deserta, & speluncas, & similia solitaria loca pro maiori parte recedent.

Apocal.

508 Prob. 1. ex *Apocalyp. 12. vers. 6.* habetur. *Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam, diebus mille ducentis sexaginta.* Et infra *num. 14.* additur, *& data sunt mulieri ala duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie serpentis*, & post aliqua. *Et iratus est draco in mulierem, & abijt facere bellum cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Iesu Christi.* Quæ quidem dicta iuxta multorum SS. sententiam congruunt euentibus futuris tempore Antichristi inter eum, & Ecclesiam; ergo. Minor prob. *S. Methodius, & Andreas Cretensis in cap. 12. Apocal.* sic docent. *Mulier amicta sole est Ecclesia*, & post nonnulla. *Itaque necesse est fateri, Ecclesiam esse eam, quæ parturit eos, qui redimuntur.*

Methodius, & Andreas Cretensis.

Ireo.

509 Confir. ex *S. Ireneo lib. 5. cap. 25.* vbi de gestis sequacium Antichristi loquens, ait, *hi fugabunt Ecclesiam.* Igitur de ea verificatur Ioan. prophetia, *Et mulier fugiet in solitudinem, &c.*

Hippol.

510 Prob. 2. ex *S. Hippolyto orat. de consumat. mundi*, inter alia, sic dicente, *Confestim mittet dæmonum cohortes ad montes speluncas, & cauernas terræ, qui scrutentur eos, qui subduxerunt sese ab oculis eius, & adducent eos ad adorandum illum, ac sibi obtemperantes sigillo suo notabit, recusantes vero Imperium ipsius pœnis incomparabilibus, acerbissimisque tormentis, & machinis absumet, &c.* & post aliqua sequitur, *Cuncti enim aufugere conabuntur, & abscondi, nusquam tamen latere poterunt à malis aduersarij.* Ergo Ecclesia in solitudines fugiet.

Lactan.

511 Prob. 3. ex *Lactantio lib. 7. cap. 17. Iustum populum persequitur, & erit pressura, & contritio, qualis numquam fuit à principio mundi. Quicumque crediderint, atque acceserint ei, signabuntur ab eo tamquam pecudes, qui autem recusauerint notam eius, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur:* & post. *Cum hæc facta erunt, tunc iusti, & Sectatores veritatis, segregabunt se à malis, & fugient in solitudines:* ergo.

Ephrem.

512 Prob. 4. ex *S. Ephrem in serm. de Antichr.* vbi post enarrationem plurium immanitatum, habet: *Plurimi Sanctorum, qui tunc reperientur, confugient cum maximo studio ad deserta, & occultabuntur timore perculsi in solitudinibus, & montibus, atque speluncis, capitibusque suis terra, ac cinere conspersis, cum eiulatu, ac lachrymis orabunt die, noctuque cum maxima humilitate cordis, donabiturque illis à Deo Sancto, quod orantes petierint, deducetque eos gratia ipsius ad loca definita, & saluabuntur occultati in cauernis, & speluncis:* ergo.

Areta.

513 Prob. 5. ex *Areta in cap. 12. Apocal.* sic habente, *Arripient fugam Ecclesiæ coriseissimi, ac præcipui Præsules:* ergo.

Ex verisimilitudine arg.

514 Prob. 6. ex verisimili. Nam aliarum persecutionum temporibus, fideles in speluncis, & criptis se abscondebant, innumera suppetunt Chronologiæ Ecclesiasticæ exempla. Quod ex Christi exemplo, & doctrina se facturos meritò existimabunt, Saluator enim cum Iudæi *Ioan. 8. Tulissent lapides, vt iacerent in eum abscondit se, & exiuit de templo.* & *Ioan. 1. Nolebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere*, & hoc tamdiu distulit, donec aduenientè hora, fuit comprehensus. Itaque licitum est latitare tempore persecutionis, & ipsemet Saluator *Matth. 10. Discipulis, & sequentibus se dixit, cum vos persequentur in ciuitate illa, fugite in aliam.* & proinde Apostolus *Act. 13. Cum Iconij factus esset impetus Gentilium, & Iudæorum cum Principibus suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad Ciuitates Licaoniæ, Lystram, & Derben, &c.* idemque fecerat ex *cap. 9.* Damasci, quod etiam refert in *epist. 2. ad Cor. 11.* Cum enim ibi ad necem quære-

Licet fugere tempore persecutionis.

retur

retur à Principe Damascenorum, ab eius manibus se subduxit, dum à fratribus insporta demissus est per murum.

Fit fugiendũ sed quando siltendum,

515 Ex quibus patet, non solum esse licitam fugam tempore persecutionis, sed eam esse arripiendam, donec instet tempus necessitatis moriendi, quando, scilicet quis comprehensus, & victus ante iudicem causam dicere, debet fidem profiteri. Vnde *Cyprianus in epist. 56. ad Tiberitanos*, ait, *Nemo cum populum nostrum fugari conspexerit metu persecutionis, &c. spargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, nec tractantes Episcopos audiat, simul tunc omnes esse non possunt, quibus occidere non licet, sed occidi necesse est. Vbicumque in illis diebus vnusquisque fratrum fuerit à grege interim necessitate temporis corpore non spiritu separatus, non moueatur ad fugę illius horrorem, nec recedens, & latens deserti loci solitudine terreatur, solus non est, cui in solitudine Christus comes est.* & *in serm. de lapsis*, ait: *Qui exit de Babylone, & cedit, delicti particeps non fit. Plagis verò, & ipse percutitur, qui socius criminis inuenitur, ideo Dominus in persecutione secedere, & fugere mandauit, atque vt id faceres, & docuit, & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi, nisi fuerit hora sumendi, quisquis in Christo manens interim cadit, non fidem denegat, sed tempus expectat, qui autem cum non cesserit cecidit negaturus remansit.* Contra Montani, & Tertulliani doctrinam, vt *Baron. refert ann.* 205. dicentium non esse fugiendam persecutionem. Sed de hoc satis.

Tertull. & Montani dogma circa fugam.

Concluditur ergo, Ecclesiam, tempore persecutionis Antichristi ex Christi præcepto, atque exemplo, se absconsuram, donec Altissimo placeat.

## ARTICVLVS XIX.

### *An sedes Apostolica futura sit sub iugo Antichristi.*

516 ADuerto de necessitate hoc dubium fuisse discutiendum. Tum in ordine ad hæreticorum blasphæmias, dum effutiunt de facto Ecclesiam Romanam esse sub iugo Antichristi, quorum insaniam egregiè retundit *Bellarminus in lib. 3. de Roman. Pontif.* & nos per modum Epilogi, & conclusionis vniuersalis in fine huius Disputationis delibabimus: tum etiam in ordine ad veritatem de futuro, cum re vera Antichristus erit totius Orbis Princeps, eumque per se, & per suos administros subiugabit; etiam remotissimas regiones; quid tunc fiet de Romana, nempe Apostolica Sede, cum adeo vicina sit Palæstinæ, Romana regio.

Hæret. insania de Eccl. Rom.

517 Adu. 2. Quod sicut Romanus Pontifex duplicem habet Principatum, spiritualem, scilicet ac temporalem; ita potest moueri quæstio de vtroque. An scilicet Antichristus subiugaturus sit Pontificem, quò ad vtrumque Principatum, vt impediat ei dominium temporale trahendo subditos ad sui obedientiam, ac imperium; & præterea dominium spirituale, id est iurisdictionem in spiritualibus, cogendo christianos recedere toraliter ab eius obedientia. Et an id obtinebit, vt scilicet omnes Christiani decessuri, seu defecturi sint ab obedientia Papæ.

Duplex Papæ principatus,

518 Adu. 3. Quod ex omnibus, quos videre potui Theologos Catholicos, vnum tantum offendi Dominicum à Soto *in 4. sentent. dist. 46. quæst. 1. art. 1.* docentem, eo tempore, totum mundum recessurum à fide Sedis Apostolicæ. his verbis. *Abscessio, & defectio ab illa sede, signum erit consummationis sæculi.* Et post aliqua. *Extincta fide per discessionem ab Apostolica Sede, totus mundus vanus erit, ac deinceps in cassum processurus.* & post. *Ex amore sui emanat elatio, & superbia, qua sub ductu tandem Antichristi ciuitatem Dei labefactabit.*

Sotus singularis in hoc.

519 Dico ergo. Quidquid sit de dominio, & Principatu temporali; secundum Principatum spiritualem, Romanus Pontifex non subiugabitur ab Antichristo.

Papa in spirituali dominio non subiugabitur Antichr.

Dixi quid sit de temporali, nolo enim de hoc differere, quia, nec est quid pertinens ad fidem; neque video Doctores in hoc puncto multum laborare.

520 Prob. conclusio de spirituali. 1. *Matthæi* 16. Saluator ait, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Ergo non poterit Antichristus deijcere Hierarchiam Ecclesiæ, alioquin Christi oracului euaderet falsum, quod est hæreticum.

521 Prob. ex *Matth.* 24. vbi prædicens Saluator finem mundi, ait, *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet. Et nisi breuiati fuisset dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Ergo si permanebunt perseuerantes in fide electi, aderit Ecclesia, & consequenter cum subordinatione, & obedientia ad caput. Consequ. prob. Ex *Concil. Later. 4. can. 1.* Extra Ecclesiam non est salus; igitur si electi constantes saluabuntur, intra Ecclesiam erunt. Ecclesia autem, vt patet ex *Concilio Ephesino in epist. Cœlestini Papæ ad Clerum Constantinopol.* est vnum corpus, cum suo capite, ita etiam ex *Vigilio epist. 11. & Extra, de maiorit. & obed. Vnam sanctam.* Huius autem Corporis caput inuisibile, est Christus ex *Concil. Paris. 6. lib. 1. cap. 2.* Visibile verò est Papa, & hoc caput debet habere Ecclesiæ, vtrumque definitur *in Concilio Constantiensi contra art. 27. Io: Hus, & contra art. 29. Io: Vvicleff.* Ergo à primo ad vltimum concluditur, quod si electi aderunt, tempore Antichristi, de

Valida arg.

Electi erunt tunc intra Ecclesiam.

de necessitate est admittendum, quod aderit Ecclesia, quæ aliud non est, quam cœtus, & conuocatio fidelium, ex *Iulio I. ep. 3. c. 8.* & ex *cap. Ecclesia, de consecrat. dist. 1.* ideoque isti fideles electi facient corpus hoc, quod dicitur Ecclesia, & habebunt subordinationem ad suum caput visibile, Romanum, scilicet Pontificem. Et sic patet Regnum istius spirituale non esse defecturum.

Ecclesia vsq; ad mundi finem durant.

522 Prob. 3. Ecclesia Catholica vsque ad finem mundi est duratura: ergo & Romani Pontificis spiritualis Principatus. Anteced. prob. ex *Concilio Vormatiensi 1. in professione fidei*. Consequ. prob. Romana Ecclesia per antonomasiam dicitur Catholica, ex *Pelagio II. epist. 13.* igitur, si vsque ad finem mundi debet Catholica, seu Romana Ecclesia durare; ita etiam caput illius, cum potestate, seu influentia ad eam. Patet autem, quod etiam post Antichristi mortem, mundus per dies quadraginta quinque durabit: ergo ne dum eo viuente, sed post eius mortem, Ecclesia cum suo capite durabit. Et proinde sub iugo Antichristi, Romani Pontificis Principatus non mittetur.

Ex August. argum.

523 Prob. 4. ex *D. Aug. lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 11.* in fine, vbi loquens de persecutione Antichristi, dicit, *Quod vero, ait, Apocal. 20. Cinxerunt castra Sanctorum, & dilectam Ciuitatem, non vtique ad vnum locum venisse, vel venturi esse significati sunt, quasi aliquo vno loco futura sint castra Sanctorum, & dilecta Ciuitas, cum hæc non sit, nisi Christi Ecclesia toto Orbe terrarum diffusa, ac per hoc vbicumque tunc erit, quæ in omnibus gentibus erit, quod significatum est nomine latitudinis terræ, ibi erunt castra Sanctorum, ibi erit dilecta Deo ciuitas eius; ibi ab omnibus inimicis suis, quia & ipsi in omnibus gentibus cum illa erunt persecutionis illius immanitate cingetur; hoc est in angustia tribulationis arctabitur, vrgebitur, concludetur.* Sed ita concludit S. Doctor. *Nec militiam suam deseret, qua vocabulo est appellata castrorum:* ergo ex *D. Aug.* in persecutione Antichristi sæuissima, Ecclesia Dei, id est fideles in fide vniti, ab eo cingentur, vt debellentur, sed Deus non derelinquet Ecclesiam ab eo superari, ac subiugari. Et proinde euidenter sequitur, Regale sacerdotium, seu spiritualem in Ecclesiam Principatum, non fore, nec quoad actum primum, nec quoad actum secundum abrogandum, aut delendum.

Ex conuers. Iudæorum optimus argum.

524 Prob. 5. ex *Isaia 10. Reliquiæ Iacob conuertentur ad Deum fortem, si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo.* quod confirmat Apostolus *ad Rom. 9. vers. 27. Augustinus autem tract. de Antichr.* explicans vtrumque locum de salute Iudæorum, ait, *filios autem Israel quicumque eo tempore fuerint inuenti, hi duo maximi Prophetæ, & Doctores* (id est Enoch, & Elias) *ad fidei gratiam conuertent, & a pressura tanta turbinis, in parte electorum inseparabiles reddent. Tunc implebitur, quod Scriptura dicit, si fuerit numerus filiorum Israel, quasi arena maris reliquiæ saluæ fient.* Imò ad hoc etiam tempus aptari potest dictum Saluatoris *Ioan. 10. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.* His autem sic stantibus, ita argumentor; omnes Iudæi in fine mundi venturi sunt ad fidem Christi, & reliquiæ illæ saluabuntur. Ergo de necessitate admittenda est Ecclesia Christi pro illo tempore, & consequenter caput eius cum suo principatu, & potestate. Consequ. est euidens duplici medio, primum supra tactum est, quia extra Ecclesiam Christi, non est salus, ex *Cypriano*, & habetur *in cap. Loquitur, 24. quæst. 1.* ex *Concil. Later. 4. can. 1.* ex *Constantiensi in constitut. Martini V.* & tandem ex *Gregor. I. lib. 9. ex reg. ep. 40.* ideoque ab eo ibidem assimilatur Arcæ Noe, sicut enim illæ solum octo animæ rationales, quæ in arca erant, id est octo personæ, saluæ factæ sunt ex diluuio, & aliæ omnes perierunt; ita illi tantum, qui intra Ecclesiam sunt, saluantur, quæ verò extra damnantur. Secundum medium est, quia ex *cap. Vnam Sanctam, Extra, de maiorit. & obed. est de necessitate salutis subesse Papæ:* igitur si reliquiæ Israel erunt saluandæ in fine mundi, cum scilicet regnabit Antichristus, & vnum erit ouile, vnusque Pastor, aderit firmum, & stabile hoc ouile; & hæc Ecclesia, & eius Pastor subsistentes erunt.

Extra Eccles. Christi non est salus.

Gregor. I.

525 Prob. 6. ex dictis in præced. & dicendis in sequ. art. Ecclesia, seu fidelium, & præsertim Præsulum cœtus, Antichristi tempore in desertis, ac speluncis magna ex parte latitabit, & ibi pascetur doctrinis veris, & sanctis scripturis, ex *Apocal. 12. Et mulier fugit in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo, vt ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*, quod est totum fere tempus prædicationis Antichristi. Ergo si alij Præsules à Deo conseruabuntur pro pascenda Ecclesia latitante, multò magis conseruabitur Pastor Vniuersalis, à quo omnes possint pasci inerrabiliter; cæteri enim possunt in scripturarum intelligentia decipi; non verò Romanus Pastor. Igitur in fidelium omnium solatium, & electorum adiutorium singulare, Romanus Pontifex ab Antichristi manibus seruabitur incolumis.

Ex eo quod Præsules latebunt arg.

ARTI-

## ARTICVLVS XX.

### *An tempore Antichristi officia Ecclesiæ, & sacrificia cessabunt.*

Officia publica Ecclesiæ cessabunt.

526 ADuerto sermonem hic fieri posse de officijs, ac sacrificijs publicis, id est publicè celebratis, & de priuatis.

527 Dico 1. Probabile est, quod tempore Antichristi persecutionis, officia Ecclesiæ publica cessabunt.

528 Prob. ex *cap.* 30. *Iob*, in fine. *Frater fui draconum, & socius struthionum. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.* Vbi Glossa Interlin. ait. *Datur quandoque malis potestas contra Ecclesiam, & cum prædicatio filet electus dolet.* *Lyranus* verò ibid. ait. Aliqui Christiani ab Antichristo decepti Christianos grauiter persequentur; & aliqui, qui fortes videbantur, in furore tribulationis Antichristi peruertentur. Verbo autem, *Versa est in luctum, &c.* dicit, id est cantus deuotionis, in fletum desolationis, tunc enim officium Ecclesiæ cessabit.

Lyran.

529 Prob. 2. ex dicendis in sequenti conclusione de sacrificio, quia ad idem sunt, vt patet.

530 Prob. 3. ex *S. Hippolyto in tract. de consum. mundi, & Antichristo*, circa finem, sic. *Tunc lugebunt Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus, nec cultus Deo gratus, sed Ecclesiarum ædes sacra tugurij instar erunt; pretiosumque corpus, & sanguis Christi non tractabit in illis diebus. Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit, scripturarum recitatio non audietur, &c.*

Hippol.

531 Prob 4. ex *Ephrem Siro serm. de Antichr. Lugebunt Ecclesiæ Christi luctu maximo, eo quod non amplius offeratur Deo oblatio diuina, & sanctificatio, Sanctorumque sacerdotum cesset ministerium.*

Ephrem.

532 Prob. 5. ex *Theodoreto orat. 10. in Daniel. Et ab eo tulit iuge sacrificium, &c.* vbi ita habet: *Abbominationem autem desolationis, ipsum vocat Antichristum, mutationem continuitatis Ecclesiastici cultus ordinem ab illius insania, & rabie dissipatum, & abolitum.*

Theodor.

533 Prob. 6. ex *S. Hieron. in cap. 7. Dan.* vbi explanans illud, *Et sanctos Altissimi conteret*, sic ait, *Præliabitur enim Antichristus contra sanctos, & superabit eos, in tantumque erigetur superbiam, vt leges Dei, & cæremonias mutare conetur, & eleuetur supra omne, quod dicitur Deus, Religionem cunctam sua subijciens potestati.* Ergo prohibebit ritus Ecclesiasticos.

Hieron.

534 Prob. 7. Persecutio, & tribulatio, quæ ex Antichristo aduenient, erit maior omnibus; quæ fuerunt, vel futuræ sunt, vt in suo loco de tyramnide dictum est ex Christi oracluo *Matth. 24. Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet, &c.* Sed in alijs Ecclesiæ persecutionibus, siue tempore Sinagogæ ante Christum; siue tempore legis Euangelicæ, non fuerunt permissa diuina officia: ergo, neque permittentur tempore Antichristi. Hæc enim esset maxima fidelium consolatio.

A pari arg.

535 Prob. 8. ex sæpè citato loco 2. *ad Thessal. 2.* Antichristus extolletur supra omne id quod dicitur Deus, aut colitur, & in templo sedebit ostendens se, tamquam sit Deus. Ergo nullo modo permittet, vt fideles publicè officia diuina faciant. Consequ. prob. Nam tollet omnia idola, non permittens ea coli, & hoc intelligitur per illud *omne quod dicitur Deus*, ait Glossa Interlin. *Vel falsa opinione, vt sunt Dij gentium, vel beneficij gratia, vt sunt Sancti.* Extolletur pariter supra id quod colitur, id est mæretur cultum, nempe Christum, ita omnes Interpretes cum Lyrano ibi. Ergo absolutè non permittet, neque verum Deum, & Christum Dominum, neque falsos Deos coli Religionis exercitio, sed omnem cultum, omnemque adorationem sibi tribuendam imperabit. Ergo prohibitum erit fidelibus, synaxes publicè celebrare aliaque Ecclesiasticas cæremonias exercere.

Ex moribus Antich. arg.

536 Dico 2. Antichristi tempore, probabile est, quod cessabit sacrificium publicum.

Sacrificium publicum cessabit.

537 Prob. 1. ex *Danielis* 11. *versu* 12. vbi prædicitur tempus durationis Antichristi. & sic habetur. *Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abbominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & peruenit vsque ad dies mille ducentos triginta quinque, &c.* Patuit autem in præcedentibus hic prædici aduentum, & opera Antichristi. Glossa ergo Interlin. in hoc loco sic ait, *Cum Antichristus orbem possidens, Dei cultum interdicet vsque ad mortem eius.* & in Ver. *Beatus, qui expectat*, ait, *dies quietis, & pacis post mortem Antichristi quadraginta quinque, &c.*

538 Prob. 2. ex Glossa Ordin. in præcit. locum Ver. *Et à tempore*, sic, *Repetit de tempore Antichristi, sed alijs verbis, cum ablato Dei cultu, & desolato, Antichristus abbominabiliter exhibebit se ad adorandum, tunc dies erunt tot, id est tres anni, & semis.*

Glos. clarè.

539 Prob. 3. ex *Lyrano ibid. Et à tempore cum ablatum fuerit iuge sacrificium*, hic Angelus instruit Danielem de tempore, à quo incipiendi sunt prædicti tres anni cum dimidio, dicens, Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, &c. id est à tempore illo, quo sacrificium Altaris cessabit celebrari sollemniter, hæc *Lyranus*.

Lyran.

540 Prob. 4. ex *S. Hippol.* doctrina allata in præcedenti conclusione.

Hippol.

Prob.

541 Prob. ex *S. Ioan. Chrysost. hom. 49. in cap. 24. Matth. oper. imperf. Abominationem autem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obtinere loca Ecclesiarum Sanctis sub specie Christi, &c. In dimidio hebdomadis, hoc est tribus annis, & sex mensibus, hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo confugientibus ante eum per loca deserta, non erit, qui, aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo.*

Chrysost.

542 Prob. 5. ex *S. Irenæo lib. 5. cap. 25.* qui de Antichristo inter cætera hæc dicit. *Quapropter Daniel dicit, & sanctum desolabitur, & datum est in sacrificium peccatum. Deinde tempus tyrannidis eius significat Daniel, in quo tempore fugabuntur Sancti, qui parum sacrificium offerunt Deo, & in dimidio hebdomadis, ait, tolletur sacrificium, & libatio, & in templo abbominatio desolationis.*

Iren.

543 Prob. 6. ex *Primasio lib. 3. in Apocalyp.* vbi ait, *Tribus annis, & mensibus sex persecutionem Antichristi occisa Elia grassantem, tamquam in medio hebdomadis dicit, sacrificiumque desisere, quod in Ecclesia sollemniter immolatur, Antichristi sedente malitia prævalente.*

Primasius.

544 Prob. 7. ex ex dictis in præced. concluſ. Antichriſtus non feret alteri offerri ſacrificia, vel actus adorationis circa alium exerceri, quam circa ipſum, & in hoc erit maxima eius peruerſitas. Imò eſt probabiliſſimum, omnes Eccleſias eius imperio, ac miniſtrorum exercitio diruendas, ne Chriſtus, eiuſque Sancti in eis adorentur: ergo vniuerſaliter ceſſabunt publica ſacrificia.

Ex moribus Antichr.

545 Prob. 8. In proprio articulo dictum eſt, Eccleſiam Antichriſti opera, & perſecutione fore fugandam, & fideles in loca deſerta, & ſpeluncas ſe recepturos: igitur, ſi publicè non conuerſabuntur, multò minus publicè ſacrificabunt.

Ex latitatione fidelium.

546 Prob. 9. à pari in alijs Eccleſiæ perſecutionibus vetitum eſt fidelibus publicè ſacrificare. Ideoque in cauernis, & cryptis conuentus, & alia diuina fiebant, vt ex Chronicis Eccleſiæ eſt manifeſtum. Ergo id idem putandum eſt futurum tempore Antichriſti, nomine, & re aduerſarij Domini noſtri Ieſu Chriſti. Igitur non fiet fidelibus copia publicè ſacrificandi. Exiſtimo tamen priuatè, omnia officia diuina peragenda, ſicut in alijs perſecutionibus contigiſſe iam ſcimus.

A pari.

## ARTICVLVS XXI.

### *De fine, ſeu excidio Antichriſti.*

547 Aduerto titulum clarum eſſe, quid nimirum fiet de Antichriſto, & eius miniſtris. Quomodo morietur, & cuius opera. Quæ breuiter, ac diſtinctè ex SS. Patrum ſententijs aperiemus.

548 Dico 1. Poſtquam Antichriſtus per trés annos cum dimidio orbem vexauerit, ipſemet occiderur, & exercitus eius diſſipabitur.

Poſt tres annos cum dimidio occidetur.

549 Prob. 1. ex Gloſſa Ordin. *in cap. 5. epiſt. prima ad Theſſal.* Verbo, *Cum enim*, vbi ſic habet. *Nam ſicut in verbis Danielis inuenitur, regnabit Antichriſtus, & miniſtri eius tribus annis, & dimidio, & interficientur ab illo Elias, & Enoch, ſicut & in Apocalypſi habetur, & tunc erit talis tribulatio, qualis antea non fuit, nec poſt erit. Poſtea interficietur à Michaele, & maxima pars ſuorum.* hæc Gloſſa.

Ex Theſſal.

550 Prob. 2. ex Gloſſa *in cap. 39. Ezechiel.* Verbo, *Gladius vniuſcuiuſque.* vbi de eius deiectione, ait, *Fulminato Antichriſto in monte Oliueti, & magna parte exercitus ſui inter reſiduos erit bellum*: & poſt. *Aliqui de eius exercitu morientur peſtilentia; aliqui gladio, & aliqui tempeſtatibus deſcendentibus de cœlo.* Et deinde in Verbo, *Magnificabor*, ait, *& magnus, & Sanctus apparebo in deiectione mirabili ſuperbi, & exercitus ſui.* & tandem Verbo, *Percutiam*, dicit, *Deijciam ſagittarios tui exercitus, ita quod non poterunt tenere arcum in ſiniſtra manu, nec ſagittas in dextera.* hæc Gloſſa.

Ex textu, & Gloſſis in Ezechiel,

551 Prob. 3. ex *Danielis 7.* vbi de Antichriſti duratione eſt ſermo, & ſic dicitur. *Et tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, & iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & deſperet vſque in finem, Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne cœlum detur populo ſanctorum Altiſſimi, cuius Regnum ſempiternum eſt.* Gloſſa autem Interlin. vt ſæpe in ſuis locis dictum eſt, ait, *poſt tres annos, & ſex menſes.* & Verbo, *Conteratur*, ait, *amiſſo Regno*, idemque dicit Gloſſa Ordinar. Verbo, *Vſque ad tempus.*

Ex Dan.

552 Prob. 4. ex Gloſſa Lyrani *in cap. 20. Apocal.* infra adducenda, docente quod eo pereunte magna pars exercitus ipſius peribit cum eo.

553 Prob. 5. ex *D. Auguſt. tract. de Antichr.* in fine. *Hic itaque Antichriſtus diaboli filius, totius malitiæ artifex peſſimus, cum per tres annos, & dimidium, ſicut prædictum eſt magna perſecutione totum mundum vexauerit, & omnem populum Dei variis pœnis cruciauerit, poſtquam Elias, & Enoch in-*

Auguſt.

*perfecerit, & electos in fide permanentes martyrio coronauerit ad vltimum ira Dei veniet super illum, &c. vt in seq. concluſ.*

Hippol. 554 Prob. 6. ex *S. Hippol. orat. de conſumat. mundi. Tres annos cum dimidio regnabit Antichriſtus ſuper terram, poſt auferetur Regnum eius, & gloria.*

Hieron. 555 Prob. 7. ex *S. Hieron. in cap. 11. Dan.* vbi de Antichriſto ſic loquitur, *Tribus annis cum dimidio, hoc eſt mille ducentis nonaginta diebus ſanctos perſecuturus eſt, & poſtea conteritur in monte inclito, & Sancto.*

Ex eodem; 556 Conf. ex eodem *in cap. 7. Danielis.* Verbo, *Et tradetur in manus eius*, vbi ſic habet, *Tempus annum ſignificat; tempora (iuxta hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent) duos annos præfigurant; dimidium autem temporis ſex menſes.* Et ſic proſequitur explanationem totius prophetiæ, docens, poſt hoc tempus defecturum Antichriſtum.

Occidetur in Ieruſalé, & quomodo 557 Dico 2. Antichriſtus occidetur in Ieruſalem in monte Oliueti Chriſti ſpiritu, ſeu virtute immediatè, vel mediante opera Michaelis Archangeli in conſpectu ſuorum Gregalium.

558 Prob. 1. ex *Dan. 11.* in fine. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montem inclitum, & ſanctum, & veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei.* Vbi à Gloſſis Interlin. & Ordin. finis Antichriſti prædicitur. in Verbo, *Apadno*, dicit Interlin. *Soliſſui, quia figet tabernaculum, & thronum ſuum inter maria ſuper montem inclitum, & ſanctum.* & Verbo, *Montem incl.* ait. *Oliueti, qui inclitus eſt, (quia ex eo Chriſtus aſcendit ad Patrem) Domino irascente contra eum aſſerunt, quod ibi ſit periturus, vnde Dominus aſcendit in cœlum.* Gloſſa Ordin. ait, *Quod Antichriſtus veniet vſque ad ſummitatem montis ſancti, & inclyti Iſaias oſtendit in cap. 25. & præcipitabit Dominus de monte ſancto ſuo eum dominatoris, vel Principis tenebrarum.*

Ex Dan. & Gloſſ.

Lyran. 559 *Lyranus* autem Verbo, *Et veniet*, ait, quia habebit exercitum maximum. Verbo, *Et figet*, ait Apadno idem eſt, quod Emmaus, qui locus eſt inter mare mortuum, & mare Mediterraneum, Verbo, *Super montem inclitum*, ait, *montem Oliueti, vel montem Sion. Quando enim Antichriſtus ponet tabernaculum ſuum in Emmaus; ponet ipſum quodammodo ſuper montem Oliueti, & montem Sion, qui ſunt montes propinqui, diſtantes tantum per milliare, quia ab Emmaus incipiunt montes Ieruſalem.* Verbo, *Et veniet vſque ad ſummitatem*, ait, quia Antichriſtus veniet vſque ad ſummitatem montis Oliueti, vnde aſcendit Chriſtus in cælum, tamquam inde aſcenſurus in altum virtute dæmonis ipſum portantis. hæc *Lyranus*.

Theodor. 560 *Theodoretus*, ſic habet *orat. 10. in Daniel. Apadnum vocat locum quendam ita nominatum, nec procul ab Hieroſolymis poſitum, vbi Antichriſtus exitio perdetur.*

Hieron. 561 *Hieronymus in cap. 11. Dan.* explicans hæc verba, *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montem inclitum, & ſanctum*, ait, *Tunc veniet Antichriſtus vſque ad ſummitatem montis eius, hoc eſt montana Prouinciæ, id eſt verticem montis Oliueti, qui inclitus vocatur, quia ex eo Dominus, atque Saluator aſcendit ad Patrem, & nullus Antichriſto poterit auxiliari contra ſe Domino ſeuiente. Et aſſerunt ibi Antichriſtum eſſe periturum, vnde Dominus aſcendit in cælos.*

Haimo; 562 *Haimo in cap. 11. Iſaiæ*, de Antichriſto ait, *Licet à Michaele, vt quidam aſſerunt interficiatur, &c. Occidetur autem, ſicut Doctores tradunt in monte Oliueti in Papilione, ac ſolio ſuo; illo in loco, circa quem Dominus aſcendit.*

A Chriſto occidetur & quomodo 563 Prob. 2. pars, ex *epiſt. 2. ad Timoth. cap. 2. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Gloſ. ſa Interlin. Verbo, *Interficiet*, ait, *præcepto, & virtute.* At Gloſſa Ordin. inquit, *Spiritu oris, id eſt virtute ſpiritus Sancti, quia ab eo procedit. Et ſpiritu oris ſui, id eſt potentia iuſſionis ſuæ, ſiue per ſe, ſiue per Michaelem, occidetur autem, vt Doctores tradunt in monte Oliueti, in Papilione, & ſolio ſuo, in illo loco, contra quem Dominus aſcendit in cœlos. Lyranus* inquit, ſpiritu oris ſui, quia de mandato eius fulminabitur per miniſterium Michaelis Archangeli.

Ex Apocal; & Gloſſ. 564 Prob. 2. ex *Apocal. 20. Et deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit eos, & diabolus, qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi & beſtia, & Pſeudo-propheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Interlin. in Ver. *Deſcendit*, ait, *repentinus interitus.* Gloſſa Lyrani ait, fulminabitur per Michaelem Archangelum Chriſto præcipiente, & magna pars ſui exercitus peribit cum eo. ergo.

Ex Dan. Gloſſ. 565 Prob. 3. ex *cap. 12. Danielis*, in principio, (ibi autem continuatur hiſtoria Antichriſti cum capite antecedenti.) Sic autem habet. *In tempore autem illo conſurget Michael Princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, & veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad illud.* Et prædicitur aduentus Antichriſti, reſurrectio, vniuerſalis, & iudicium. Gloſſa Interlin. ait, Ver. *Tempore illo*, id eſt Antichriſti, Ver. *Michael*, ait, *vt ſanctis refrigerentur.* Lyranus autem doctiſſimus antea Rabinus, & poſtea frater Franciſcanus, ſic explicat. Conatus Angelorum circa fideles tempore Antichriſti, erit neceſſarius ad duo, ſcilicet ad fidelium defenſionem, & aduerſarij deſtructionem, quia licet Antichriſtus verbo Chriſti ex Dei ſententia interficietur, vt dictum eſt; hoc tamen erit authoritatiuè; ſed per Michaelem qui eſt Princeps Eccleſiæ, ſicut fuit antiquitus Princeps Sinagogæ, hoc fiet executiuè, & hoc eſt, quod dicitur hic in tempore illo, id eſt Antichriſti, quando, ſcilicet Angeli mali, conabuntur omnes cor-

Lyr. de occiſione Antichr. quid ſentit,

rum

Archangelus Michael cõsolabitur electos.

rumpere, & à fide subuertere, etiam electos, si fieri potest, consurget Michael ad fortificandum electos per se, & Angelos sibi subditos. hæc *Lyr.*

Ambros.

566 Prob. 4. ex *D. Ambros. in Symbol. Apostol. cap. 7.* in fine, vbi de spiritu Christi sic habet, *Iste est spiritus oris Domini, qui in fine mundi Antichristum potentia sua interficiet.*

Hier.

567 Prob. 5. ex *D. Hieronym. ad Algas. quæst. 11. Tunc Antichristus veniet filius iniquitatis, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, videlicet potestate, & suæ maiestatis imperio, cuius insistet, faciet est; non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in Angelorum auxilio, sed statim, vt ille veneris, interficietur Antichristus, & quomodo tenebræ Solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentus sui, illum Dominus destruet.* hæc *Hieron.*

Ex eodem.

568 Conf. ex eodem *in cap. 11. Daniel.* Vbi de Antichristo sic loquitur, *post tres annos, &c. corruiturus est in monte inclito, & Sancto.*

August.

569 Prob. 6. ex *D. August. lib. 20. de Ciuit. Dei, c. 12. Quando interficiet Antichristum spiritu oris sui, ignem appellauit de cælo descendentem Isaiæ 11.*

Ex eodem.

570 Conf. ex eodem, *tract. de Antichristo*, in fine sic habente, *postquam cæteros in fide permanentes martyrio coronauerit, ad vltimum veniet ira Dei super illum, sicut Beatus Paulus scripsit, dicens, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.*

Chrysost.

671 Prob. 7. ex *S. Ioan. Chrysost. in c. 2. epist. 2. ad Thessal.* sic. *Quemadmodum enim ignis irruens passim minuta animalcula, etiam antequam plane aduerniat, procul adhuc diffusus torpefacit, & consumit, ita & Christus, vel solo imperio sistet, afflatu spiritus Sancti plenè delebit, & obscurabit ipsum, soloque aduentu suo abolebit hoc est omnino torpentem faciet, sufficiet enim solum iubere, & adesse illum, atque ista omnia peribunt. Seductionem sistet, quam primum dumtaxat comparuerit.*

Theodor.

572 Prob. 8. ex *Theodor. in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* sic habente, *Cum enim de cælo apparuerit Dominus loquetur tantum, & scelerato isti afferet omnino interitum.*

Haimone

573 Prob. 9. ex *Haimone in cap. 11. Isaiæ. Antichristum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, hoc est potentia iussionis suæ, nam licet à Michaele, vt quidam asserunt, confligatur, Domini tamen iussu hoc totum implebitur.*

Damasc.

574 Prob. 10. ex *S. Ioan. Damasc. lib. 4. de fide orthod. cap. 27. At cum Dominus, quemadmodum Sancti Apostoli in cælum euntem viderunt, hoc est Deus perfectus cum gloria, & potentia veniet, peccati hominem, perditionisq; filium oris sui spiritu interficiet.*

Beda.

575 Prob. 11. ex *Beda in cap. 48. Genes. Cum venerit Antichristus occurret post vestigia illius Christus cælesti aduentu, vt illum interficiat spiritu oris sui.*

576 Prob. 12. ex *S. Ansel. Cantuar. in cap. 2. epist. 2. ad Thessal. Occidetur Antichristus, sicut è volumine Danielis, intelligimus in monte Oliueti in Papilione in solio suo, illo videlicet loco, quo Dominus in cælum ascendit.* Ansel.

577 Prob. 13. ex *S. Brunone in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* sic habente, *Dicit Beatus Ambrosius Iesum se ostensurum Antichristo, & clamante Iesu interficietur hic impius, sed quid clamaturus sit nescimus. Alij dicunt, quod Michael solo terrore suo interfecturus sit hunc Antichristum; Iesus quidem interficiet eum, & destruet eum damnatum in corpore, & in anima.* Brunone.

578 Prob. 14. ex *D. Thoma in cap. 13. Apocalyp. Cum Antichristus per aliquod tempus, scilicet per tres annos, & dimidium in magna potestate regnauerit vili morte interficietur in monte Oliueti in Papilione, in loco contra quem ascendit Christus ad cælos.* D. Th. Aqu.

579 Prob. 15. ex *D. Bernard. Senensi tomo 2. de Iud. gener. serm. 11.* vbi loquens de Antichristo, ait, *quem secundum Apostolum Dominus noster Christus interficiet spiritu oris sui, quia secundum Nicolaum de Lyra de mandato eius fulminabitur per ministerium Archangeli Michaelis, qui etiam interficiet exercitum eius secundum Methodium.* Bernar. Sen.

580 Prob. 16. ex *Ludolpho Saxone lib. Vita Christi cap. 87. Antichristus regnabit tribus annis, & dimidio, & post Dominus potestate sua occidet eum, siue per se, siue per Michaelem Archangelum, &c.* Ludol.

581 Collige autem mortem Antichristi sic futuram, ex *Alberto Stadensi in Chronicis anno 1150.* Perditionis filius populum conuocabit, & in cælos ire tentabit; sed cum diabolica arte se sursum extulerit diuina virtute ejicietur. Ex *Petro Comestore in hist. Scholast. in 2. Thessal. cap. 2.* sic describitur. Antichristus spectante infinita hominum turba ascendet in verticem montis Oliueti, & simulabit se velle in cælum redire, vnde descenderat ad homines, atque ipsum extollentibus specie Angelorum dæmonibus, per aera in cælum euehetur, cunctis mirantibus, & diuinitati eius acclamantibus: sed eo ipso temporis puncto, ascendente per aera Antichristo, vox Christi audietur de cælo missa; Morere, & confestim fulmine percussus interibit. Id idem docet *Pererius lib. 14. in Danielem*, Ex *Haimone*, *Ruperto*, *Anselmo*, *ac Riccardo*, explicantibus locum illum *Apocal. 13. Et vidi vnum de capitibus Bestiæ, quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est*, habetur, Antichristum inter alia prælligia hoc insigne ostensurum. Simulabit se mori, & post diem tertium resurgere; deinde post dies aliquot in cælum, sicut Christus ascendere, & tum multitudine spectante occidetur. Et *S. Gregor. lib. 11. epist. 3.* de eiusmodi prælligio sic loquitur, *Antichristus veniens, diem Sabbathum, atque Dominicum ab omni facit opere custodiri. Quia enim mori se, & resurgere simulat haberi in generatione*

Antichristi mors qualis futura,

Multorum concordes sent. in hoc.

Antichristus simulabit mori, & resurgere, ac ascendere.

*tione vult Dominicum diem*. Glossa autem, Interlin. Verbo, *Et vidi vnum*, ait, *Antichristum*. Verbo, *Quasi occisum*, ait, *fingentem se mortuum*. Verbo, *Plaga mortis curata est*, ait, *simulatorie per ascensionem*. Glossa Ordin. Verbo, *Quasi occisum*, dicit, *simulabit se Antichristus mortuum, & per triduum latens, post apparebit dicens se suscitatum*. Verbo, *Et plaga mortis*, ait, *Arte magica ascendet in aera ferentibus eum dæmonibus, & sic curabitur plaga mortis, quia prius mortuus credebatur, post vivus reputabitur*. Et verisimile est, ita futurum; nam Antichristus, vt docet *Hippolytus de consumat. mundi*. *In omnibus seductor ille vult imitari filium Dei*, Si ergo in natiuitate, progressibus, signis, &c. fallacibus prodigijs, Christum imitari conabitur; multò magis in insigniori miraculo mortis, ac resurrectionis, nec non, & in cœlos ascensionis, in qua apparenti functione mendax, & deceptor detegetur, cum innumera deceptorum videnti multitudine, spiritu id est virtute oris Christi per Michaelem Archangelum occidetur.

## ARTICVLVS XXII.

### *An deleto Antichristo statim sit futurum Iudicium.*

582 ADuerto, quod licet vt ex scriptura colligitur, post Antichristi mortem, transactis 45. diebus, venturus sit Christus ad iudicandum; tamen valde dubium est, an dies intelligantur pro diebus vsualibus, an pro annis, vel hebdommadibus saltem. Ideo

583 Dico 1. Interfecto Antichristo, non statim futurum est iudicium, sed probabile est quod erit post dies quadraginta quinque; neque hoc est certum,

Occiso Antichristo, post post dies 45. futurum est iudicium.

584 Prob. ex Dan 12. in fine. *Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abbominatio in desolationem dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque*. Vbi Glossa Interlin. ait, *Dies quietis, & pacis post mortem Antichristi quadraginta quinque superioribus adduntur ad refrigerium Sanctorum, & pœnitentiam subuersorum*. Glossa vero Ordinaria. Ver. *Beatus*, &c. dicit, *Interfecto Antichristo supra præfatum numerum*, id est 1290. *dies quadraginta quinque præstolatur, post quos Dominus in maiestate venturus est. Quare autem post mortem Antichristi quadraginta quinque dierum silentium sit, Dei scientia est. Sed forte Regni delatio sanctorum patientiæ est probatio*, & hæc Gloss. est Hieronymi in præfatum locum Danielis.

Ex Script.

585 *Lyranus* Ver. *Beatus*, ait, hic ad numerum præcedentem adduntur quadraginta quinque dies, qui post mortem Antichristi dabuntur à Deo ante iudicium; vt decepti in persecutione Antichristi possint pœnitere; & ideo dicit Beatus, qui peruenit vsque ad dies 1335. id est, Beatus, qui in tribulatione Antichristi stabit, quæ durabit per tres annos cum dimidio, siue per dies 1290. & adhuc vltra viuet per dies 45. quia si non fuerit deceptus per Antichristum, vt perfectus coronabitur, si autem fuerit deceptus poterit pœnitere in illis diebus sequentibus, quia tunc eius falsitas erit omnibus manifesta, & sua potestas ablata. hæc *Lyranus*.

Lyran.

586 Prob. ex Glossa *in epist. 1. ad Thessal. cap. 5.* Ver. *Cum enim dixerint*, sic habente, *Postea interficietur à Michaele, & maxima pars suorum, Post mortem verò Antichristi quadraginta quinque dies concedentur ad pœnitentiam hominum, qui titubauerunt in persecutione illa*. Et iterum Glossa *in cap. 2. epist. 2. ad Thessal.* Ver. *Spiritu oris*, ait, *Illo interfecto non statim veniet Christus, sed vt in Daniele intelligitur, concedentur electis ad pœnitentiam dies 45. Quantum post Dominus venturus sit, penitus ignoratur*.

Glossa ad Thess. clarè.

587 Prob. ex *Theodoreto in eit. locum Daniel*, qui licet circa mortem Eliæ discordet, tamen idem dicit de 45. diebus sic. *Innuit & declarat fore, vt Antichristo diuina plaga percusso permaneat magnus Elias reliquos quinque, & quadraginta prædicans dies, tum appareat Dominus veniens in nubibus cœli*. Putat ipse, Eliam non esse ab Antichristo occidendum; at de duratione mundi per dies 45. post Antichristi obitum, idem docet, quod *Hieronym.*

Theodor.

588 Prob. ex *S. Ansel. in epist. 1. ad Thessal. in caput 5. Post mortem Antichristi quadraginta quinque dies concedentur ad emendationem his, qui ad vitam prædestinati sunt, & in Antichristi persecutione offenderunt, sed qui ad vitam præordinati non sunt, nec morte Principis sui corrigentur, &c.*

Ansel.

589 Prob. ex *S. Antonino in Compend. Theolog. lib. 7. cap. 14. Interfecto Antichristo, non statim Dominus veniet ad iudicium, sed concedentur secundum Danielem 45. dies ad refrigerium Sanctorum, & ad conuersionem, & pœnitentiam subuersorum quantum autem spatium sit inter illos 45. dies, & finem mundi nemo scit*.

S. Antonin.

590 Quod verò sit incertum, an statim post dies 45. à morte Antichristi venturus sit Christus ad iudicandum, præter ea, quæ in præcedenti conclusione dicta sunt, probatur insuper. *Matth. 24.* Saluator prædicens suum aduentum in fine mundi, ait, *Sicut autem in diebus Noe, ita erit, & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem quo intrauit in arcam Noe, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis*. Et ante hæc verba iam dixerat; *de die autem illa, & hora, nemo scit, neque*

Est incertum an dies sint vsuales.

Ex script.

Angeli

*Angeli Colorum, nisi pater solus*. his positis sic discurro. Post Antichristi mortem, erunt homines, sicut in diebus Noe edentes, & bibentes, & nubentes; & Christi aduentus erit repentinus. Igitur non est certum, quod venturus sit statim post dies 45. Consequ. probatur; nam si post tale tempus; non esset repentinus, quia scirent homines, quod post dies 45. venturus esset. Imò eo ipso, quod Antichristus publicè esset manifestatus, sciret Ecclesia certum diem aduentus Christi. Nam sciret Antichristum post tres annos, & dimidium fore occidendum; sciret insuper post dies 45. à morte eius, Christum apparituram: ergo. Secundo Elias, & Enoch inter cætera pro consolatione Sanctorum prædicare deberent, quot nam post dies, Christus esset venturus; si post 45. in termino id esset futurum, igitur non esset repentinus eius aduentus. Igitur signum est, eos non scituros, nec prædicaturos determinatum diem adudntus Christi. Tertio, si post tot dies præcisè tenerent, eum esse venturum, qui nam darent operam commessationibus, potationibus, & matrimonijs? potius incumberent orationibus, & vigilijs. Et licet hæc omnia referri possent ad tempus ante mortem Antichristi, vt ex multis refert *Lyranus in cit. locum Matthæi*; tamen addit, *secundum alios illud refertur ad tempus post mortem Antichristi; ipso mortuo, & per consequens hominibus in securitate existentibus subito apparebunt signa iudicij, & iudicij aduentus*. Si ergo mortuo Antichristo, inconsiderantibus hominibus, Christus descendet ad iudicandum; non est certum, quod istud accidet post dies 45. præcisè.

Multæ rationes ad idem.

591 Conf. hæc incertitudo. Quia non omnes interpretes sic intelligunt locum illum Danielis, in quo fundatur ista sententia de aduentu Christi post dies 45. *Ribera* enim *in cap. 10. Apocal.* discutiens hunc Danielis locum *num. 73.* ait, *Quis nouit, Danielem illis verbis, Beatus qui peruenit ad dies 1335. loqui de die Iudicij? Potest satis probabiliter intelligi dictum esse, quoniam post dies 1335. id est intra 45. dies à raptu Antichristi occidentur, quotquot supererunt hostes Christiani nominis, & persecutores Sanctorum, atque ideirco beatus ille dicitur, qui vsque ad id tempus manet, quia tunc extinctis persecutoribus, ij, qui metu à Christo recesserant, redire poterunt ad eum, & omnes qui fleterant sine illo metu persecutionis, pietatem colere poterunt*. Igitur est incertum, an statim post 45. dies à morte Antichristi, apparituras sit Christus ad iudicandum.

Alia motiua incertitudinis.

Ex discordia authorum.

592 Conf. 2. Ipsimet authores, qui locum Danielis intelligunt de aduentu Christi non adhærent firmiter suæ sententiæ, cum non intelligant 45. dies pro diebus vsualibus: ergo. Anteced. prob. *Lyranus*, qui ejus est sententiæ in fine *cap. 12. Danielis*. Ver. *Beatus*, post illa, quæ retulimus in principio huius articuli de diebus 45. & quod post eos dies aduenict Christus, subdit. *Licet autem hoc dictum sit satis commune, tamen per hoc non dicitur, quod aduentus Christi ad iudicium sit futurus immediate post 45. dies naturales computandos à morte Antichristi, etiam non est certitudinaliter determinatum, quod illi 45. dies sint vsuales, vel annales, secundum illud Ezech. 4. diem pro anno dedi tibi. Et dato quod esset determinatum de vsualibus tamen per hoc non habetur, quod post illos immediatè sit aduentus ad iudicium, imò videtur quod futurum sit tunc maius spatium temporis intermedium, per illud quod dicitur Matt. 24.* quod nos etiam supra consideranimus, *sicut enim erant ante diluuium edentes, & bibentes, &c.*

Lyran.

593 Conf. 3. ex *Ezech 39.* post occisionem Gog, qui ex dictis est Princeps collegatus cum Antichristo, & excidium exercitus illius sic sequitur Propheta, *Et erit in die illa dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel.* & post alia, *& sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem eius, &c. Et sepelient eos domus Israel, vt mundent terram septem mensibus.* & post multa. *Post menses autem septem, quærere incipient, & circuibunt peregrantes terram.* Ergo, cum destructo exercitu Gog, qui erit maximum Antichristi adiutorium, & maior pars multitudinis ei adhærentis, & ipsemet Antichristus destruendus sit; & post hæc, septem menses insumendi sint ad mundandam terram; sequitur euidenter aduentum Christi non esse futurum post dies 45. vsuales præcisè, ab Antichristi morte.

Ex Ezech. colligitur.

594 Conf. 4. ex *S. Bernard. Sententia 2. de Iudicio gen. serm. 11.* sic habente de fine mundi post Antichristi mortem. *Mortuo Antichristo, quem secundum Apostolum 2. ad Thessal. 2. Dominus noster Christus interficiet spiritu oris sui per ministerium Michaelis Archangeli, qui etiam interficiet exercitum eius secundum Methodium, &c. ab illo tempore vsque ad finem mundi secundum quosdam paruum non debet esse tempus secundum communem cursum. Nam videntes Iudæi se deceptos ab Antichristo, per Enoch, & Eliam sum de conuertentur. Ex hoc manifestè patet, quod ab illo tempore vsque ad finem mundi tantum spatium temporis debet interuenire, quod totus populus Israel, atque totus mundus conuertatur ad Christum.*

Bernar. Sen.

595 Et hæc S. Bernard. obseruatio maximè est notanda pro incertitudine aduentus Christi post mortem Antichristi. Nam in fine mundi, vt supponimus, nedum omnes Iudæi, sed & omnes electi conuertentur ad Christum. Superius autem dictum est, quod Iudæi cæteruatim Antichristum recipient, eumque pro Messia habebunt, donec per eius internecionem, & infelicem exitum ab eo se deceptos conspicient. Sunt autem Iudæi per totum Orbem dispersi; ideoque maximum debet intercedere tempus, vt de pessimo Antichristi fine certiores reddantur.

Discussio notabilis.

Et

Et deinde ad Christi fidem per baptismum conuertantur, & sic ad vnitatem ouilis, & pastoris reducantur, cum iuxta Christi oraculum *Ioan.10. Et fiet vnum ouile, & vnus pastor*. Igitur, nè dum videtur incertum, quod post dies 45. à morte Antichristi, Christus veniet; sed potius, videtur certum, quod post eos dies præcisè, non statim veniet; sed Deo soli notum est, quonam die, aut mense, vel anno aduenier. Et hæc de Antichristo dixisse summariè sufficiat; qui plura cupit perlegat Thomam Maluendam exactissimum huius materiæ scriptorem.

# DISPVTATIO II.

# DE MORTE.

## ARTICVLVS VNICVS.

*An omnes homines sint ante iudicium morituri.*

Propositum Authoris,

1 PRIVSQVAM ad Disputationem de Resurrectione, & Iudicio transeamus, de morte est nobis loquendum; resurgere enim non potest, qui semel mortuus non est. Neque hic curo de causa mortis Originaria loqui, suppono etenim cum Apostolo *ad Rom.5. per peccatum, mortem intrasse in mundum*; sed de ipsamet morte, quæ aliud non est, quam animæ a corpore separatio; an omnibus hominibus debeat accidere, antequam Christus ad iudicandum veniat, neque de ijs, qui passim moriuntur est sermo; sed de ijs, qui adueniente Christo erunt viui.

Motiua dubitandi,

2 Adu. motiua dubitandi plura esse. Primum est, quia de hominibus, qui reperientur in aduentu Christi, sacra scriptura videtur apertè docere, quod non omnes morientur. Ita colligitur ex *Matth.24. Tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, &c.* & post aliqua, *sicut autem fuit in diebus Noe sic erit aduentus filij hominis, sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad illum diem quo intrauit Noe in arcam, &c. sic erit aduentus filij hominis, tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur duæ erunt molentes in mola, vna assumetur, & alia relinquetur, &c.* ex quibus patet, quod multi inuenientur viui. Secundo, ex 1. *ad Thessal.4.* vbi de resurrectione loquens eorum qui præcesserunt, induens personam eorum; qui tunc existent, ait, *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Tertio, quia ex Symbolo habetur, Christum esse venturum ad iudicandum viuos, & mortuos. Quarto, quia DD. Ecclesiæ in hoc non conueniunt. Plerique enim non infimæ notæ docent, electos saltem, qui in fine mundi in aduentu Christi reperientur viui, esse in vita occursuros Domino, & sic semper cum eo mansuros. Ita *Hieronymus in epist. ad Minervium*, & ipsemet refert huius opinionis fuisse Origenem, Diodorum Tarsensem, Didimum Alexandrinum, Theodorum Herocleotum, Acacium Cæsariensem, & Apollinarium, qui omnes declarantes locum Pauli ad *Corinth.1. cap.15. Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, legunt ex ijs aliqui, *Omnes non dormiemus, alij non omnes dormiemus*, quod idem est, & conueniunt in hoc, vt dicant non omnes esse morituros, seu dormituros. Et, quod considerabile est, Hieronymus, sicut & Oecumenius vtramque admittunt lectionem, & *Omnes resurgemus, & non omnes dormiemus*. Sed quo medio, & qua morte sint morituri omnes, dicetur in Disputatione de conflagratione mundi. His positis.

Ex epist. ad Thessal.

Diuersæ sent. circa mortem eorum, qui reperientur viui in aduentu Christi.

Omnes ante Christi aduentum, sunt morituri.

3 Dico 1. Omnes homines ante Christi aduentum, & vniuersalem resurrectionem sunt morituri. Ita *Scotus in 4. dist. 43. qu. 5. L. & S. Ad argumenta Q. Ricardus dist. 43. art.4. quæst.1. D. Bonauent. in 4. dist.43. dubio vlt. liter. D. Thom. distinct.43. quæst. V n. art.1.*

4 Prob. 1. ex *Gen.3.* lata est contra Adamum eiusque posteros sententia mortis vniuersalis, absque alicuius exceptione. *In sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in pulueren reuerteris*. Peccante enim Adamo omnes homines, & animæ, & corporis incurrerunt mortem, ex *Augustino lib.4. de Trinit. cap.3.* Si enim non peccasset Adam homines non fuissent morituri, ex eodem sæpè, sed præcipuè *lib. 6. Gen. ad lit. à cap.22. vsque ad 24. & lib.9. cap.10. lib.11. cap.32.* Ergo, cum omnes homines per propagationem Adæ huic pœnæ sint subiecti, etiam postremi sunt eiusdem conditionis.

Ex multis Script. locis fit euidens hæc conclusio.

5 Prob.2. ex 2. *Regum cap.14. Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur super terram*.

6 Prob.3. ex *Ecclesiastici 14. vers.18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi.*

7 Prob.4. ex *Isaiæ 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius velut flos agri*. Ex quo loco accepit Petrus, vt in *epist. 1. cap.1. v.24. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, &c.*

8 Prob. 5. ex *Hebr.9.* in fine. *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*,

*cium*, Vbi Interlin. sic habet, *Lege natura statutum est. Ambrosius* verò, ait, *statutum est quippe hominibus semel mori, & post mortem iudicabitur vnusquisque. Lyranus* verò, statutum est ex diuina sententia, quod homines semel moriantur; & posteà in iudicio diuino manifestè præsentabuntur. Ergo cum sententia hæc omnes comprehendat, omnes debent mori.

Idē ex Conciliis, & PP. habetur.

9 Prob. 6. ex *Rom.* 5. *Per peccatum mors intrauit in mundum, & ita in omnes homines mors pertransijt.* Nam si non peccasset Adam homines non fuissent mortui, sed translati. Ita ex *Concil. Milevit. cap.* 1. & 2. & nunc habetur in *cap. Placuit, vt quicumque, de consecr. dist.* 4. ex *Concil. Diospolit. cap.* 1. & ex *Africano cap.* 76. quod confirmat *Augustinus* ne dum in locis supra citatis; sed in *lib.* 3. *de peccat. mer. &c. c.* 11. quia mors est pœna peccati, vt ex Apostolo ibi docet *Augustinus lib. de prædestin. & grat. cap.* 3. *lib.* 4. *de Trinit. cap.* 12. *lib.* 13. *cap.* 16. *lib.* 4. *contra Faustum cap.* 14. & talis pœna est, vt eam etiam beatificandi, subire debeant, ex eodem *Augustin. lib. de vera Innoc. cap.* 148. & *lib. de gratia noui testam. cap.* 6. pœna inquam adeo irremissibilis, vt nec charioribus amicis eam Deus condonauerit, sed tamquam naturæ debitum sit omnibus annexa.

10 Prob. 7. ex 1. *ad Corinth. cap.* 15. *v.* 51. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, Vbi Glossa Interlin. ait, *Tam boni quam mali, quia etiam vivi reperti, Christo veniente morientur*, idemque confirmat *Lyranus*. Ergo omnes sunt morituri.

11 Prob. 8. ex eodem ibid. *ver.* 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*. vbi Interlin. habet Ver. *Adam, à quo mortem, & meritum mortis traxerunt*. Glossa Ordin. ait ex *Augustin. Sicut per Adam omnes mortales, & pœna facti sunt filij seculi, ita & per Christum omnes immortales, &c.* Et eadem Interlin. Ver. *Moriuntur omnes*, ait, *corporali morte*. Igitur cum futuri in fine mundi debeant esse verè homines, hanc veram sententiam sunt subituri; omnesque morituri.

12 Prob. nunc 9. ex Patribus, & omnium 1. ex *Ambrosio in epist.* 1. *ad Cor. c.* 15. sic docente: *Omnes resurgemus, quia in aduentu Christi mortui inuenimur?* ergo. Secundo ex eodem in *cap.* 4. *epist.* 1. *ad Thessal.* qui locus est vnum ex potiuis dubitandi cum dicat Apostolus, quod Sancti qui tunc erunt viui ibunt obuiam Christo, & ita semper erunt cum eo. Sic autem hunc locum declarat *Ambros. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur vna cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, &c. In ipso enim raptu mors proueniet; & quasi per separem, vt egressa anima in momento reddatur; cum enim soluntur morientur, vt peruenientes ad Dominum præsentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt.* Quam expositionem sequuta est Glossa Ordinar. in

Ambros.

cit. caput: & ipsemet August. mox adducendus, qui licet in multis magnificiat Hieronymi sententias, in hoc tamen puncto Ambrosium est sequutus.

13 Prob. 10. ex *August. lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 20. cuius verba omnia placuit adducere absque meo tædio, quia digna sunt, & vt appareat humilitas tanti Doctoris, qui, ne Hieronymo contradiceret cum perplexitate aliqua loqui videtur, sic autem habet. *Sed quæri solet, vtrum illi quos hic viuentes inuenturus est Christus, &c. ad immortalitatem per mortem mira celeritate transibunt.* Et post aliqua. *Existimamus etiam illos, quos hic vivos inuenturus est Dominus, in ipso paruo spatio, & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipse Apostolus nos videtur vrgere, vbi dicit, in Christo omnes viuificabuntur. Cum alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat, Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, quomodo igitur, quos viuentes hic Christus inueniet, per immortalitatem in illo viuificabuntur, & si non moriantur, cum videamus, & propter hoc esse dictum, tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Aut si rectè non dicimus seminari, nisi ea corpora hominum, quæ moriendo quoquo modo reuertuntur in terram, sicut sese habet illa in transgressorem Patrem generis humani diuinitus prolata sententia terra es, & in terram ibis; fatendum est istos quos nondum de corporibus egressos cum veniet Christus inueniet, & istis verbis Apostoli, & illis de Genesi non teneri, quoniam sursum in nubibus rapti non vtique seminantur, quia nec sunt in terram, nec redeunt, sine vllam prorsus experiantur mortem, sine paululum in aere moriantur. Sed aliud rursus occurrit, quod idem dicit Apostolus, cum de Resurrectione corporum ad Corinthios loqueretur omnes resurgemus, vel sicut alij codices habent, omnes dormiemus. Cum ergo nec resurrectio fieri possit, nisi mors præcesserit, nec dormitionem possumus illo loco intelligere, nisi mortem, quomodo omnes, vel dormiunt, vel resurgent, si tam multi quos in corpore inuenturus est Christus, nec dormient, nec resurgent. Sergo Sancti, qui reperientur Christo veniente viuentes, tique in obuiam rapientur, credideremus in eodem rapta de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia reddituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, sine vbi dicit, Tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur; sive vbi dicit omnes resurgemus, aut omnes dormiemus, quia nec illi per immortalitatem viuificabuntur, nisi, quamlibet paululum, tamen ante moriantur, ac per hoc, & à resurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamuis brevissima non tamen nulla. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter, atque incorruptibiliter reuiuiscere, cum credamus, quod idem Apostolus alibi dicit in ictu oculi futuram resurrectionem, & in membra sine*

Augustin. dictum.

Obsequium Aug. in Hier. facit vt cum perplexitate loquantur.

Omnes sunt morituri nullo excepto.

*fine*

*fine victura, tanta facilitate, tantaque inenarrabili velocitate redditurum antiquissimorum cadaverum pulverem; nec ab illa sententia, quæ homini dictum est, terra es, & in terram ibis, futuros illos esse Sanctos arbitremur immanes, si eorum morientium in terra non recident corpora, sed ficut in ipso raptu morientur, ita & resurgent, dum feruntur in aera. In terram quippe ibis, id est, in hoc ibis amissa vita, quod erat antequam sumeres vitam, id est hoc eris exanimis, quod erat antequam esses animatus. Hoc sunt, & antequam putrescant omnia corpora mortuorum, quod erunt, & illa si morientur vbicunque morientur cum vita carebunt, quam continuo receptura sunt.* His & alijs similibus prosequitur manifestare suam sententiam Augustinus de ijs, qui viuentes inuenientur in aduentu Christi, quod scilicet morientur omnes, esto parum duratura sit eorum mors, idest separatio animæ à corpore. Vbi, vt patet, ne dum subtiliter, sed prudenter, & fundatæ totum hoc negotium declarat, & difficultates, quæ ex scriptura cum vrgere videbantur euidenter explanat.

Etiam; qui tunc viuent morientur.

14 Prob. 11. ex *Tertulliano in lib. de anima cap.* 50. sic habente. *Publica totius generis humani sententia mortem naturæ debitum pronunciamus. Hoc stipulata est Dei vox hoc spopondit omne quod nascitur, vt iam hinc non Epicuri supor suffandatur negantis debitum illud ad nos pertinere, sed hæretici magi Menandri Samaritani furor conspuatur dicentis, mortem ad suos, non modo non pertinere, verum nec peruenire,* & post aliqua. *Translatus est Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, delata scilicet, cæterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant. Obijt, & Ioannes, quem, & in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes.* Ergo omnibus, siue præsentibus, siue futuris ex Tertulliani sententia communis est mors.

Tertull.

Ioannes etiã mortuus est.

15 Prob. ex *Didimo Alexandrino*, qui Origenis fuit discipulus, qui in *comment. epistol. 1. ad Cor.* & refertur à *S. Hieron. in epist. ad Minerium, & Alexandrum*, sic habet inter cætera, *Quamobrem ita legendum est, omnes quidem dormiemus*, non omnes autem immutabimur. Si enim in *Adam omnes morientur, & in morte dormitio est, omnes ergo dormiemus, sine moriemur.* Ergo omnes sunt morituri.

Didimus.

16 Prob. ex *Acacio* Cæsareæ Episcopo, qui Eusebio Pamphili successit, hic ex *Hieron.* in eadem epistola sic habet. *Ecce mysterium dico vobis; omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Mysterium dixit, vt attentos faceret auditores plenius de resurrectione disserturus, dormitio autem mortem ipsam, quæ communis est omnium significat; vnde rectissimè posuit, quod omnes dormiamus, id est moriamur, sicut supra dixit, quomodo in Adam omnes morientur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Cum ergo omnes morituri sint audite Sacramenta, quæ dico; omnes quidem moriemur, sed non omnes immutabimur, &c.* Ergo in fine mundi omnes sunt morituri.

Acacius.

17 Conf. ex *Hieron.* qui postquam retulit Acacij sententiam, ait, *Cui sententiæ magis acquieuit Ecclesia, vt omnes communi more moriamur, & non omnes mutemur in gloriam, &c.* & licet referat etiam sententiam legentium, *non omnes dormiemus*, tamen eam non sequitur, quia post quam eam ad bonum sensum reducere est conatus, ait. *Hoc autem sciendum, quod magis conueniat veritati, ita legere omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur, maximè quia sequitur mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur, &c.*

Hier. dicit hunc sent. Ecclesiam acquieuisse.

18 Probari posset hæc conclusio ex *S. Athanasio orat. 2. contra Arrianos*, ex *S. Basilio homil. 5.* ex *S. Gregor. Nanzianzeno orat. 19.* ex *S. Cyprian. epist. 52.* ex *Theodoreto de prouidentia ser. 6.* ex *S. Hilario lib. 10. de Trinit.* iterum ex *August. de Verb. Dom. ser. 21. c. 2.* & ex *epist. 80. ad Esichium*. Sed quia hi Doctores in citatis locis loquuntur de necessitate, & debito communi moriendi, nullo excepto, & non tangunt difficultatem nostram de ijs, qui inueniendi sunt viui in Christi aduentu, eorum authoritates non adduco, cum pro nostra sententia sufficiant adductæ.

Athan.

Ob. 1. Præcipuus locus scripturæ, quo hæc sententia fulcitur est ille *epist. prima ad Corinth. cap. 15. Omnes resurgemus*, resurrectio enim supponit mortem: sed locus iste non est authenticus: ergo. Min. prob. Nam non solum Theodorus, Heracleotes, Diodorus, & Apollinarius sequuntur contrariam lectionem. *Non omnes dormiemus*, sed *Chrysostomus homil. 42. in cap. 15. epist. 1. Corinth.* Theodoretus, Theophylactus, & alij. Imò Didimus, Oecumenius, & ipsemet *Hieron. in epist. ad Minerium, &c.* recipiunt vtramque lectionem *Omnes dormiemus, & non omnes dormiemus*: ergo.

Validũ arg.

19 Resp. neg. min. ad probat. de primis dico, sequutos fuisse lectionem Codicum, quos habebant; eorum tamen lectionem non facere regulam fidei. Quod verò Oecumenius etiam, & Hieronymus vtramque recipiant lectionem, dici posset idem de istis; sed quia agitur de Hieronymo, de Ecclesia tam benè merito, & Doctore adeo insigni, & in linguis Græca, Hebræa, ac Latina eruditissimo, ac versatissimo, maiori cum patientia eius dicta sunt contemplanda. Dico ergo, quod *Hieron. in epistola ad Minerium*, sic se introducit. *Quæritis, quo sensu dictum sit, & quomodo in prima ad Corinth. epistola Pauli sit legendum, omnes quidem dormiemus, aut iuxta quædam exemplaria non omnes dormiemus, vtrumque enim in Græcis codicibus inuenitur.* Et statim incipit adducere sententias aliorum, & primo Theodori Heracleotis legentis, *omnes quidem*

Aliqui PP. sequuti sunt lectionem codicũ quos habebant.

non

Hieron. vindicatur.

*non dormiemus*, deinde Diodori, & Apollinarij idem sentientium. Postea sententiam Didimi; sic. *Didimus non pedibus, sed verbis in Origenis transiens sententiam, contraria via graditur*, & adducit rationes etiam Didimi dicentis esse morituros omnes, & eas approbat. Hinc adducit sententiam Acacij, dicentis, *Dicamus primum de eo*, quod magis in plurimis codicibus inuenitur, *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*, & refert totum Acacij discursum, tam in hac lectione, quam in alia non omnes dormiemus; ex qua quædam colliguntur absurda ab ipsomet Acacio. Sed his omnibus prolixè relatis, ait *Hieronymus*, *Hoc autem sciendum, quod magis conueniat veritati, ita legere omnes quidem dormiemus non omnes autem immutabimur, maxime quia sequitur mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur; quando autem dicit nos, sanctos quosque significat*. Ergo licet Hieronymus ob antiquorum reuerentiam, ipsorum placita referat, non propterea eos sequitur. Stabilis ergo est sententia, quod locus Pauli ita sit legendus, *omnes quidem resurgemus*. Igitur, cum loquatur ibi Paulus de omnibus, qui in fine mundi erunt, de necessitate concludendum est, omnes fore morituros; resurgere enim non potest, nisi mortuus. Hæc autem diximus, vt Hieronymum aliosque magistros, qui pro nobis insudarunt, debito prosequamur obsequio. Nam stricta, ac peremptoria responsione, sic diceretur illi Doctores legunt *non omnes dormiemus*, concedo: ergo locus *omnes resurgemus*, non est authenticus, nego consequ. Nam authenticatio scripturę non à priuatis Doctoribus, sed à fidei magistra, est accipienda, Ecclesia scilicet. At Ecclesia Tridenti congregata in *sess. 4. cap. 1.* post quam libros omnes canonicos enumerauit, inter quos, & epistolæ Pauli ad Corinthios inseruntur, sic concludit. *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & canonicis non susceperit, &c. anath. sit*. Ergo, cum editio Latina, & noua, & vetus habeat, omnes quidem resurgemus (teste Hieronymo qui de Græcis tantum codicibus ait variare,) sequitur, sic esse de fide tenendum. Estò igitur ex Græcis aliqui olim iuxta variam editionem potuerint aliter tenere, quia adhuc Ecclesia decretum eiusmodi non protulerat; nunc tamen nullo modo potest aliter legi. Adde, quod etiam ante decretum, & in primis sæculis ita legebant, vt Origenes, quem, etiam in verbis, vt patuit ex Hieronymo, sequitur Didimus, & Tertullianus *lib. de Resurrect. car. cap. 42.* Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, & Latini omnes.

Aliorũ sent. prius adducit Hier.

Vera sent. Hieron.

Euidens conclusio.

Fortis ratio pro authenticae epist. ad Corinth.

Obiect. 2. *S. Hieron. in cap. epist. ad Minerium*, post medium, loquens de ijs, qui inuenientur viui in aduentu Christi, docet sic esse transituros ad immortalitatem; & ita, ait,

Arg. 2. ex Hieron.

esse intelligendum Pauli locum 1. *ad Thessalon. cap. 4. Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini non præuenietmus eos qui dormierunt, &c. Sed simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*. Ergo saltem Sancti, seu electi, qui reperientur viui non morientur, sed ad immortalitatem transibunt.

20 Resp. 1. Quod veritas non contradicit veritati. Si ergo de fide est, omnes esse resurrecturos, vt in præcedenti patuit; omnes etiam sunt morituri; & verba illa Pauli, consequenter ad dicta sunt explananda, quod pro Hieronymo exequemur. Ideo

Veritas non contradicit veritati,

21 Resp. 2. Quod *Hieron.* in loco citato hoc argumento adducto diuersas Doctorum sententias pro responsione adducit, sic. *Super quo quamuis superior Acacij disputatio plenius ventilarit, tamen dicendum est quid videatur alijs Theodoro, videlicet Apollinario, & Diodoro*. Supposita autem doctrina Acacij, quam supra retulerat, quæ est, quod omnes ad vnum morientur, sic concludit *Cui sententiæ magis acquieuit Ecclesia, vt omnes communi morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriam*. Et licet ad hunc locum Acacius ibi non respondeat; cum tamen Hieronymus, vt ad eum respondeat dicit Acacium plenius ventilasse; certè nil aliud vult innuere, nisi, quod, viui quidem veniente Christo inuenientur multi, tamen morientur, deinde resurgent. Alioquin per doctrinam Acacij non fuisset satisfactum argumento, quod tamen ex illa, Hieronymus dicit esse solutum. Deinde adducit sententiam aliorum, quod *non omnes dormient*, id est non omnes morientur; & ita sic viuos esse occursuros Christo, & literaliter non tropologicè intelligunt Pauli locum. Postea adducit sententiam Origenis, à quo dicit Acacium suam libasse; Origenes ergo pro viuentibus intelligit iustos, quod prolixè ex sacra Scriptura confirmat; eos autem dicit, secundum Apostoli dictum, esse Domino occursuros. Deinde iterum adducit sententiam aliorum, qui locum illum de viuis declarant literaliter, & prosequitur narrare eorum comprobationes. Ipse tamen S. Doctor non videtur aliam approbare sententiam, nisi Acacij ex Origene desumptam. Nam in fine Epistolæ protestatur se eruditorum attulisse sententias, addens *neque enim tanta est mea pusillitatis authoritas, qui nihil sum, & inuidorum tantum morsibus pateo, quanta eorum, qui nos in Domino præcesserunt. Nec iuxta Pithagoræ discipulos præiudicata Doctoris opinio, sed doctrina ratio ponderanda est. Si quis autem contraria factionis immurmurat, quare eorum explanationes lego, quorum dogmatibus non acquiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire, omnia probate, quod bonum est tenete; & Saluatoris verba dicentis: Estote probati nummularij, vt si quis nummus aduiter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur*. Placuit adducere

Sensus Hier. verus.

Discursus Hieron.

Origenis sent. quæ.

Acacij sent. tenet Hier. quod omnes moriemur.

Totus adducitur Hier. discursus.

totum Hieronymi discursum, vt appareat, eum tenuisse sententiam Acacij de omnium morte communi, alias autem sententias pro maiorum tantum reuerentia attulisse, & ita *S. Bonau. in 4. dist. 43. dubio vlt. liter.* respondet ad locum *Hier.*

S. Bonau, sic explicat Hier.

Addendum nunc est, quod eatenus potuit Hieronymus aliorum sententias, vt probabiles adducere, quia adhuc Ecclesia non firmauerat, quam lectionem ex duabus *omnes resurgemus*, & *non omnes dormiemus*, acceptaret, stante enim vtriusque probabilitate, liberum videbatur remanere, quomodo explicaretur alius Thessalonicensium locus, *deinde nos, qui viuimus, qui residui sumus, simul rapiemur*: Nunc autem ex quo Ecclesia, vt patuit firmauit, biblia secundum veterem latinam editionem continere libros canonicos: cum latina habeat *Omnes resurgemus*, hic sensus literalis de omnium resurrectione, vel non admittit, vt ille locus *Thessal. qui viuimus, &c.* explicetur literaliter, quia esset contrarius illi vniuersali *Omnes resurgemus*, cum multi non essent morituri, sed admittere potest sensum tropologicum, iuxta declarationem Acacij, & Origenis, quam approbare videtur Hieronymus. Vel si admittit literalem sensum, dicendum quod tunc viuentes occurrent Christo, sed in occursu morientur, vt dicit *Ambros.* Neque video quomodo aliter intelligi, aut declarari possit locus iste, cum Ecclesia iam primum sensum firmauerit: & iam ante Ecclesiæ decretum Ambrosius, & Augustinus, alijque supra relati vtrumque locum sic intellexerint, vt omnes sint morituri, etiam qui in fine sæculi erunt deinde resurrecturi, electi scilicet in ipso actu obuiandi Christum obituri, & iterum corpora reassumpturi, eo vel maximè quia Apostolus dicit residuos ituros obuiam Christo, sed non dicit sine morte præuia.

Ideo Hier. adducit sent. probabiles tunc quia Ecclesia nihil decreuerat.

Ob. 3. Locus *Matth. 24.* non videtur admittere alium sensum, quam literalem: ergo multi viui inuenti non morientur. Anteced prob. Comparatur ibi aduentus Christi cum gestis à Deo tempore diluuij, sic. *Sicut autem in diebus Noe sic erit aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, & nubentes &c. & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes ita erit aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur; duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquuntur. Vigilate, ergo, &c.* ergo aliqui non morientur.

Arg. 3. ex loco Matth.

23 Resp. concesso anteced. nego consequ. Esto enim diceretur, quod Christo veniente, non omnes inuenientur mortui, sed in ipso aduentu aliqui morientur, alij non. Non proinde sequitur; quod in sequenti tempore, qui remanserunt, esto sint soli electi, non sint morituri. Quia isti, vt diximus ex Ambrosio, & Augustino in ipsomet raptu ad Christum, morientur, & postea resurgent.

Euidés resp.

24 Resp. 2. Totum id quod ibi prædicitur gerendum tempore aduentus Christi, intelligi potest, quod antequam aduenias, sit exequendum. Ita Glos. Ordin. Verbo, *Tunc.* Omitto expositionem Glossæ Ordinariæ, & Lyrani, & Interl. quæ locum illum explicant Tropologicè. Dici ergo potest, quod antequam Christus aduenict homines se vsualqs vacabunt nuptijs, commessationibus, potationibus, alijsque, & operibus carnalibus veniente autem eo, morientur, & hoc fiet per segregationem malorum ab electis. Deinde ipsimet electi, vt docent Ambrosius, & Augustinus rapientur obuiam Christo, & in ipso raptu morientur.

2. resp.

Intelligitur locus Matt. de tempore antequam veniat Christus.

Ob. 4. Est fidei articulus in symbolo dispositus, quod Saluator venturus est iudicare viuos, & mortuos. Ergo aliqui saltem non morientur.

Arg. 4.

25 Resp. 1. sicut in præced. Quod scilicet viui, qui inuenientur veniente Domino, erunt à Deo, sicut, & mortui iudicandi; at non sequitur ex hoc, quod inuenti viui non sint morituri. Ita *August. in Enchirid. c. 55.* vbi dupliciter respondet, vt infra.

26 Resp. posset 2. cum *Ruffino in commentario Symboli*, per viuos intelligi animas; per mortuos intelligi corpora; ista enim coniuncta cum illis iudicanda sunt, & præmijs, vel supplicijs addicenda.

Multæ resp. ad arg. & ad rem quoc modis accipitur viuus.

27 Resp. posset 3. per viuos intelligi existentes in gratia, per mortuos verò intelligi peccatores; ita ex Origene, & alijs intelligi locum illum Thessal. *qui viuimus* refert, nec improbat *Hieronymus in epist. ad Minerium, & Alexandrum*, & *August. in Enchirid. c. 55.*

28 Responderi potest 4. & forte melius ex *Leonardo Coquæo in lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 20.* qui recitans symbolum per mortuos intelligit omnes, qui præcesserunt; per viuos verò intelligit omnes, qui actu viuunt, vel viuent vsque ad finem mundi.

Leonardus Coquæus

Ob. 5. Non est certum saltem de fide, quod omnes, etiam postremi, sint morituri: ergo. Anteced. prob. Nam multi Patres, & fere maior pars ante Augustinum, & Ambrosium tenebat contrarium, vt patet ex *Hieronymo*, qui licet *in epist. ad Minerium* suam non dicat sententiam, tamen in epistola ad Marcellam, quæ est 148. sic habet, *Hoc ex ipsius loci continentia fieri potest, quod sancti, qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehensi in corpore in ijsdem corporibus occurrant ei, ita tamen vt in gloriam, & corruptionem, & mortale, gloria & incorruptione, & immortalitate mutetur, &c.* Et ipsemet *S. Augustinus lib. 2. de peccat. mer. & remissione cap. 34.* docet. *Denique hoc quibusdam in fine largietur, vt mortem istam repentina commutatione non sentiant, sed simul cum resurgentibus rapiantur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino viuant.* Ergo saltem est probabilis vtraque sententia.

Arg. 5.

29 Resp. 1. Me non dixisse sententiam nostram semper fuisse de fide, quia numquam

Ec-

Prius sent. hæc nó erat de fide, at nunc post decretum Ecclesiæ est de fide.

Ecclesia definiuit de fide. Sed vtramque opinionem permisit, iuxta diuersam, piamque Patrum intelligentiam: tamen negare non possumus, quod ex quo Ecclesia definiuit, Bibliam secundum veterem latinam editionem continere libros canonicos, cum in tali editione habeatur in 1. *Cor.* 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quia *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum* ibidem, non video, quomodo hæc doctrina nunc non sit consequentia fidei, si enim omnium resurrectio est de fide, explicitè; omnium mors videtur consequentia fidei; dato enim, quod omnes non moriantur, non potest esse vera vniuersalis illa *Omnes resurgemus*. Mirum autem non est, si antiquitus æquo pede vtraque incedebat sententia, quia locus ille *Omnes resurgemus* non erat adhuc firmiter, & absque dubietate ab Ecclesia receptus, quia neque editio vetus latina, sic declarata, sed tam illa, quam græca habens *non omnes dormiemus* æquè ferè recipiebatur. Et proinde ipsimet Sancti Patres modo in vnam, modo in aliam inclinabant sententiam; si autem nunc viuerent, cum tenerentur sequi latinam editionem dicentem *omnes resurgemus* cessaret apud eos problema.

Non est verum, quod olim maior pars sequebatur *sent. contrariam*,

30 Ad illud verò quod olim maior pars sequebatur oppositam. Respondeo non esse verum, in primis enim *Hieron.* de Antecessoribus æqualiter affert pro vtraque Doctores. Alij tamen idem tenuerunt, quos non refert, & sunt *Tertullianus de Resurrect. carn. cap.* 18. 41. & 42. & Methodius apud Oecumenium. Imò Acacius à Hieronymo relatus, dicit, *Ecclesiam magis acquieuisse, vt omnes moriamur morte communi, & non omnes mutemur in gloriam*. Et Gennadius, qui do anno 458. successit Anatolio in Episcopatu Constantinopolit. *lib. de Eccles. dogm. cap.* 6. docet turbam Doctorum dicere contrarium, sic. *Omnium hominum erit resurrectio si omnium erit, ergo omnes moriuntur, vt mors ab Adam ducta, omnibus filijs eius dominetur, & maneat illud priuilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Hanc rationem, maximæ Patrum turbæ tradentis suscepimus.* Ergo non minor, sed maxima pars id defendebat, ante Hieronymum.

Quia Patres antiqui asserunt oppositum.

31 Ad testimonium Hieronymi, & Augustini, dico de primo, dubium fuisse, cum modo vni, modo alteri acquieuerit sententiæ iuxta duplicem scripturæ lectionem *Omnes resurgemus, non omnes dormiemus*, quæ tamen nunc cessauit.

Ad Augustinum patuit, eum docuisse, cum Ambrosio, sed contrarium. Ad illud verò, quod adducitur *de Peccat. mer. &c.* dicimus iam firmasse sententiam in *lib. de Ciuit. Dei*, vbi docuit, electos viuentes in ipsomet raptu morituros, & statim resurrecturos. Neque credo aliter dici posse post receptionem latinæ editionis Bibliorum, quæ habet *omnes resurgemus*, sed *non omnes immutabimur*.

# DISPVTATIO III.

## DE RESVRRECTIONE MORTVORVM.

### ARTICVLVS I.

### *An Resurrectio generalis hominum sit possibilis.*

Scoti mens,

SCOTVS *in 4. sent. dist.* 43. acturus de Resurrectione mortuorum in *qu. 1. art. 1.* à possibilitate illius exordiens, affirmatiuè cum fide Catholica concludit.

Aliqui hæretici ei negarunt possibilitatem resurrectionis.

1 Adu. 1. Quod licet hæretici innumeri in sequenti articulo referendi negarint, resurrectionem hominum futuram esse; possibilitatem tamen resurgendi Deitæ tantum negarunt; & fateor, me alios pro hac sententia reperire non potuisse. Hi autem, vt refert *Prateolus*, Verbo, *Dissa nu.* 5. & *Sabellis Reg.* 305. ex Lutherana Secta exorti in Polonia anno 1564 inter alia dogmata execrabilia id asserebant, non esse scilicet possibile idem corpus corruptum aliquando resurgere. Supponitur autem ex *Damasc. lib. 4. cap.* 19. quod resurrectio sic definitur. *Est secunda eius, quod solutum est surrectio.*

Quid sit resurrectio.

2 Adu, 2. Quod, licet inter catholicos de re nulla sit controuersia, cum sit fidei articulus; de ratione tamen possibilitatis, est difficultas; quidam enim, vt Scotus notat, & in margine tribuitur (estque D. Th.) docent ideo esse possibilem resurrectionem hominũ, non verò aliorum animalium, quia anima rationalis est subsistens, & dat esse subsistens corpori, ideo cum illa non corrumpatur, sed possit corpori reuniri esse poterit idem homo non sic de cæteris formis, ideo alia composita corrupta non possunt in identitate numerica reproduci. Alij, vt Ægidius Romanus, &c. docent, esse possibilem, quia Deus non agit per motum, & mutationem, sed in instanti; ideo per creaturæ potentiam nihil potest reproduci idem numero. Qua de causa Scotus, vt has sententias impugnet diuersas quæstiones exagitat in seqq. discutiendas; tandem ipse suam firmat sententiam in non repugnantia obiecti.

Catholici concordes in re, sed nõ in ratione.

Est possibilis resurrectio hominum,

3 Dico. Ergo est possibilis hominum resurrectio. Est *Scoti* ibi. *D. Thom. in 4. sent. distinct.* 44. *quæst.* 1. *D. Bonau. in 4. dist.* 43.

*par. 1. quæst. 1. 2. &c.* & communis de fide.

4 Prob. 1. ex dicendis in seqq. Resurrectio est futura: ergo & possibilis, quod enim est futurum extractum est per Dei liberum decretum ex numero, & ordine possibilium, vt suppono ex tractatu de scientia, & voluntate Dei. *Omnia enim Deo sunt possibilia Matt. 19. Et quæcumque voluit fecit, Psal. 113.* Ergo, si est futura, est etiam possibilis.

Ex non repugnantia arg.

5 Prob. 2. Ex *Scoto sub F.* non repugnat, neq; ex parte potentiæ Dei, neque ex parte hominis qui est resurrecturus: ergo. Consequ. prob. Impossibilitas rerum fundatur in repugnantia prædicatorum cum subiectis; possibilitas verò in non repugnantia. Antec. prob. Ex loco cit. *Matth. 19. & Luc. 18.* vbi loquens Saluator de difficultate salutis diuitum, inquit *facilius est Camelum in foramen acus intrare, quam diuitem intrare in Regnum Cælorum*, & quia de hoc mirabantur discipuli subdit, *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*, & *Marci 9.* sanaturus quendam habentem ab infantia spiritum mutum ait, *Omnia possibilia sunt credenti*. Ergo ex parte Dei, est possibile. Prob. quod etiam ex parte hominis resuscitandi sit possibile. Non repugnat, vt qui numquam fuit aliquando, sit; ergo neque, vt, qui aliquando fuit, & desijt, iterum sit; nam negatio alicuius rei, vt dicetur in *seq. art.* est eiusdem rationis, siue præcedat rem, siue eam sequatur, sed negatio hominis, antequam esset, non ponebat repugnantiam adesse: ergo eiusdem negatio post esse, non facit repugnantiam, quin possit iterum esse.

Ex Tertull.

6 Prob. 3. Ex *Tertull. lib. de resurrect. carnis c. 11.* contra negantes Dei potentiam in resuscitando, dicente. *Et vtique idoneus est reficere qui fecit, quanto ptius est fecisse, quam refecisse initium didisse, quam redidisse.* Secundo, ex *S. Cyrillo Hieros. Catech. 18. qui ex nihilo res fecit Deus, numquid iam existentes, & cadentes rursus seruare non poterit.* Tertio, ex *S. Irenæo lib. 5. adu. hæres. Refutant potentiam Dei, & non contemplantur quod est verbum, qui infirmitatem intuentur carnis, virtutem autem eius, qui suscitet cum à mortuis non contemplantur. Inuenietur perceptrix, & capax caro virtutis Dei, quæ ab initio percepit artem Dei.* Ergo.

Alia ratio ex conseruatione.

7 Conf. ex parte obiecti, scilicet hominis resurrecturi non repugnat, vt postquam primo à Deo habuit esse, ab eo conseruetur in tali esse: ergo neque, vt post esse, & non esse, iterum ponatur in esse, nam conseruatio rei, est quasi noua, & frequens eiusdem rei reproductio,

Arg. contr.

Ob. 1. ex *Phil. 5. Phisic. com. 36.* quod corrumpitur secundum substantiam non potest redire idem numero; idem confirmat *in 2. de gener. com. vlt.* Ergo impossibile est aliquid destructum reparari.

8 Resp. dist. antec. Est impossibile naturæ, concedo: Deo, nego. Hic autem quærimus, an sit possibilis resurrectio; non autem cuius virtute sit possibilis; nam infra id examinabitur.

Ob. 2. Quod est interruptum, non potest redire idem: ergo. Anteced. prob. Interruptio facit numerum; identitas excludit numerum,

Quando interruptio facit numerũ.

9 Resp. neg. anteced. ad probat. pariter nego antec. Nam licet interruptio alicuius quanti, siue homogenei, siue etherogenei exigat dualitatem extremorum, inter quæ cadit, tamen destructio alicuius rei id non exigit, cum virtute diuina reuiuiscit. Alias homines per miraculum resuscitati, non essent ijdem, qui ante. Et si membrum abscissum, virtute diuina alicui restituatur, non esset idem, vt de S. Ioanne Damasceno, cui ex intercessione B. Mariæ manus dextera iussu Principis Saraceni, ex insidijs Leonis Isauri Imper. Iconoclastæ fuerat amputata, & noctu restituta,

Instantia.

10 Dices, In his miraculis non apparet interruptio; nam anima, quæ dat esse corpori, non destruitur, & sic non dabitur numerus, sed identitas. Contra, vt in sequenti, Lazarus enim quatriduo non fuit homo; non enim fuit in mundo illud concretum viuum, per dies quatuor, vnio animæ ad corpus fuerat destructa. Et tamen resuscitatus fuit idem Lazarus numero, qui prius non obstante interruptione. Sic vnio dexteræ Damasceni ad brachium, fuit verè destructa, & tamen reunita dextera, fuit eadem. Idem de corporibus omnium hominum in resurrectione dicendum, omnes enim vniones membrorum inter se, & formarum, ossium, cartilaginum, &c. & ipsemet formæ à suis materijs separatæ, & destructæ, vsque ad diem iudicij sic manentes, veram interruptionem patiuntur, quia non manent incorruptæ, licet anima incorrupta maneat, & tamen eædem reddibunt. Igitur argumentum de interruptione nullius est ponderis.

Interruptio non impedit identitatem

## ARTICVLVS II.

### *An sit possibile, vt alia creata corrupta, reproducantur.*

Scoti mens?

SCOTVS *in 4. dist. 43. qu. 1. §. De primo*, docet, quamlibet rem creatam esto toraliter corruptam, & annihilatam, posse à Deo reproduci.

De omnibus Sco. disputat.

11 Adu. quod occasione possibilitatis resurgendi in homine, Scotus pensatis rationibus D. Thom. quibus probat possibilitatem resurrectionis hominum, & negat hanc possibilitatem de alijs, acriter hoc secundum impugnat, & firmat, omnia creata, siue substantialia, siue accidentalia, siue absoluta, siue relatiua, posse virtute diuina reproduci.

Adu. 2.

Ratio D Th. cum negat de aliis,

12 Adu. 2, quod D. Tho. asserens possibilitatem resurrectionis hominis cum identitate numerica, & negans in aliis, hanc assignat disparitatem, quia esse hominis per mortem eius non interrumpitur; substinet enim quod totum esse sit ab anima intellectiua, quæ quidem non corrumpitur; & sic eius esse non interrumpitur. At cætera creata corrumpuntur, quia formæ eorum destruuntur. Interruptum autem esse, non potest redire idem numero: ideo alia creata non possunt eadem reproduci. His positis

Deus potest omnia reproducere.

13 Dico 1. Virtute diuina omnia creata, siue animata, siue inanimata, siue simplicia, siue mixta possunt reproduci. Est *Scoti loco cit.* quem sequuntur omnes fere moderni.

Negatio præcedens à sequens esse est eiusdem rationis,

14 Prob. 1. ex *D. Aug. lib.* 22. *de Ciuit. Dei cap.* 20. vbi loquens de carne reddenda homini in eius Resurrectione, ait, *Etsi omnibus perÿsset modis, nec vlla eius materia in vllis naturæ latebris mansisset, tamen si vellet, eam repararet omnipotens.* Ergo res quælibet totaliter destructa potest reparari.

15 *Prob.* 2. ex *Scoto sub A.* si res creata destrueretur per annihilationem, nihil, sequens eius esse, esset eiusdem rationis cum nihil præcedente illud esse, Sed nihil præcedens rei creationem non repugnabat, quin positiuum sibi oppositum posset creari: ergo nihil neque sequens repugnare potest, quin possit recreari. Maior patet, nam in vtroque processu, seu actione, terminus à quo est nihil rei, & terminus ad quem est res negata à nihilo: ergo sunt eiusdem rationis: & per accidens se habet, quod res negata, *aliquando fuerit.*

16 Conf. Ex parte Dei remanet eadem potestas ad reficiendum rem destructam, quæ aderat in eo antequam faceret. Ex parte verò rei reficiendæ, adest eadem possibilitas, ante, & post, nam non esse lapidis v. g. destructi æque negat eius esse, post quam destructum est, sicut ante quam primo poneretur, impossibilitas enim ab hac negatione, est ratione contradictionis, quæ æqualiter militat ante, ac post.

Arg. à paritate hominis validum est,

17 Prob. 3. à pari. Possibile est hominem reparari: ergo & alia. Consequ. prob. in homine præter animam, quæ non destruitur, adest forma corporis, & ipsa entitas hominis, quæ destruuntur, & tamen non obstante destructione, & interruptione reparantur. Assumptum, licet in Philosophia sit firmatum, adhuc tamen probatur, corpus enim quod resoluitur in cineres, non est anima, neque est materia; & licet diceretur (sed nescio quo fundamento) quod recedente anima, alia forma corporis producatur in cadauere, ista est, quæ in cineres resoluitur, & ista iterum reducenda, est in materia cum corpus resurget antequam informetur ab anima; cum hæc non sit informatura materiam primam. Igitur, estò concederetur, per animam corpus habere formam, tam in vita, quam in resurrectione, adhuc est admittenda forma illa corporis, quæ in cadauere remanet anima recedente, & iterum aderit, cum ad corpus in resurrectione redibit anima; alioquin non idem corpus, sed aliud resurgeret. Ergo, ista intermedia forma corporis destructa, poterit reparari. De entitate autem hominis fortius apparet argumentum, homo enim moritur: & tamen, neque anima, neque corpus. Quia corruptio substantialis, est ad substantiam terminata. Et hic homo, qui formaliter, seu realiter non est anima, aut corpus, licet essentialiter constans, ex anima, & corpore, hic inquam post destructionem reparabitur. Ergo non implicat, rem destructam, post suum non esse reparari.

Forma corporis destruitur, & tamè resurget.

18 Prob. 4. Si Deus ab instanti A conseruaret rem aliquam vsq; ad instans completiuum vnius horæ, res illa in toto tempore intermedio haberet idem numero esse. Ergo si in tempore intermedio non conseruet, sed destruat, & iterum in fine reproducat habebit idem numero esse. Prob. consequ. Identitas numerica rei, non pendet à coexistentia eius cum toto tempore ab A vsque ad finem horæ, sed à prædicatis proprijs eisdem numero. Alioquin, quod à Deo creatur in vno instanti, non posset creari in alio, & sic non potuisset creare animam meam ante decem sæcula. Secundo, quia duratio in hoc, vel illo tempore, cum sit posterior ad substantiam rei, non potest eam variare. siue ergo res duret, siue interrumpatur, & cum eadem forma, ac materia reparetur, erit eadem numero.

Arg. à paritate conseruationis,

19 Prob. 5. Si cætera, præter hominem, non possunt reparari eadem numero sequitur, quod Deus non posset resuscitare Brutum, quod est falsum. Nam de S. Syluestro legitur, quod Romæ resuscitauit taurum mortuum.

Euidens arg.

20 Prob. 6. ab absurdis. Si interruptio impediret ne idem numero possit redire sequeretur, quod Deus, non posset reparare eadem numero accidentia; imò in resurrectione hominis non redirent omnia accidentia, quæ aderant in vita eius; neque passiones propriæ, quæ erant hominis, ratione totius, non autem ratione formæ. Hęc enim omnia corrupta sunt, at corrupta sunt ad corruptionem hominis. Sequela autem est falsa; omnia enim quæ aderant in sanctis martyribus vulnera in eorum gloriam apparebunt in resurrectione, vt in suo loco infra dicetur.

Ex absurdis optima arg.

Ex potentijs organicis argum.

21 Prob. 7. Si interruptio impediret, nè idem numero rediret, sequitur, quod potentiæ organicæ, quæ sunt in homine, vt visiua, auditiua, &c. imò, & omnia organa non essent reditura eadem numero; quod, est falsum. Prob. sequela, ista organa non sunt ab anima, sed præcedunt animæ infusionem; tunc enim ea infunditur, quando corpus est perfectè arganizatum, vt suppono

ex

ex physicis. Igitur quando anima à corpore separatur, corrumpuntur. Et proinde identitas eorum nequit saluari per identitatem animæ, sicut intendit D. Thomas saluare identitatem corporis, quod dicit habere esse per animam. Falsitas minoris probatur, nam si aliæ numero potentiæ, & alia numero organa redibunt, iam aliæ potentiæ erunt beatæ beatitudine sibi proportionata (vt in suo loco dicetur) non illæ, quæ passionibus fuerunt suppositæ.

Arg. contr.

Ob. 1. Quod ex parte obiecti repugnat, ex parte Dei repugnat, sed repugnat ex parte creaturæ, vt redeat eadem. Ergo ex parte Dei. Min. prob. Non potest redire idem, nisi eadem adsit passiua potentia. Hæc autem non manet, nam in aduentu nouæ formæ corrumpitur, neque potest redire, quia neq; priuatio.

Eadem potentia passiua manet incorrupta,

21 Resp. neg. min. ad probat. ex *Scoto ibi in quæst. 3. G.* in fine, dico manere eamdem potentiam sumendam potentia fundamentaliter, quia manet idem principium potentiale. Et si velis etiam potentiam pro formali, id est respectum ad formam fundatum in potentiali principio cum alijs dispositionibus requisitis pro receptione formæ, potest, & hunc Deus reparare, nam sequitur naturam receptiui, nati recipere determinatam formam; si ergo Deus reparat materiam cum omnibus requisitis pro formæ receptione, reparat etiam respectum illum potentiæ, seu appetitus talis formæ. Addit *Scotus*, posse dici, quod adueniente actu, seù forma, potentia ad eam non corrumpitur, sed remanet cum illa, quia potentia ante actum, non est ad formam pro illo eodem nunc, pro quo inest actus, sed pro alio, quia pro tunc habet actum. Vel posset dici, quod respectus ille potentiæ ad formam, destruitur aduenient forma; non tamen destruitur potentia, quæ semper manet cum actu, & forma, & cum illo respectu prioritatis, quem habebat ante formam. Vel, ait *Scotus*, potest dici, quod

Multæ resp. Scoti.

à principio creationis, in principio potentiali tot sunt potentiæ, quot formę receptibiles, non solum specie, sed numero distinctæ; imò ad eamdem formam tot sunt potentiæ, quoties illa potest induci, & vnaqueque potentiarum definit esse aduenient suo proprio actu, & licet illa non redeat eadem, tamen forma potest redire, quia ad eam non erat vnica potentia, sed alia, & alia, sicut erat alias, & alias inducibilis. Et sub *L* dicit posse negari tot potentias, & nihil sequitur, quia potentia materiæ ad formam semper reditet.

Dices. Non potest redire eadem priuatio: ergo neque eadem potentia.

Instantia soluitur:

23 Resp. negando anteced. Quia si redeat illa forma antecedens, quam comitabatur priuatio formæ sequentis, potest redire eadem potentia. Vel estò non redeat eadem numero relatio, cum iuxta nuper dicta, plures ad eamdem formam sint numero distinctæ relationes potentiæ, etiam si vna, quæ erat respectu vnius inductionis sit destructa, remanent aliæ, penes quas subiectum potentiale potest eandem formam respicere.

Ob. 2. Ad præteritum non est potentia, & ideo ab *Arist. 6. Ethic. cap. 3.* commendatur pronunciatum Agathonis dicentis. *Hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt.* Si autem possent reparari destructa, daretur potentia ad præterita, & fieri posset, vt præteritum non esset præteritum.

Ex hoc non sequitur dari potentiá ad præteritũ

24 Resp. ex *Scoto in dist. 43. quæst. 3.* K. concedendo totum, sed neg. conseq. Quia ex hoc quod possit Deus, vel aliquando creatura reparare eundem effectum, non sequitur, quod detur potentia ad præteritum, & quod hoc possit non esse præteritum. Sed sequitur, quod detur potentia ad præteritum specificatiuè, & quatenus potest esse futurum. Id est, quod præteritum est, & nunc non habet esse, potest Dei virtute habere idem esse, quod habebat.

## ARTICVLVS III.

### *An Resurrectio hominum sit futura.*

Scoti mens;

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. qu. 1. sub P. 5. Quantum ad istum*, cum fide Catholica docet, esse articulum fidei, quod resurrectio sit futura.

Articulus resurrectionis ante Christum aliquibus tantum notus.

25 Adu. 1. Quod articulus iste resurrectionis, licet ante Christi aduentum, & prædicationem, aliquibus tantum ex speciali Dei reuelatione, vt mox dicetur fuerit reuelatus; tamen non erat inter alios explicitè ab omnibus credendus, vt egregiè Chrysostomus in concione prima de Lazaro ergà finem, sic dicens. *Possum, & bis aliud addere, videlicet, quod Lazarus, ne de resurrectione quidem quicquam potuerit philosophari, sed huius vitæ res credebat, huius vitæ finē terminari, erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præcesserunt.* Et post aliqua, subdit, *Ille tale nihil vnquam philosophari potuit, eo quod nondum aduenisset tempus huiusmodi dogmatum.* Et hoc maxime comprobatur ex *Matth. 22. v. 31. & Marci 12. v. 24.* vbi Saducæi in lege periti, tamen aiunt *Matth. & Marcus, Saducæi dicunt resurrectionem non esse*, Christus autem eos conuincit, dicens. *De resurrectione autem mortuorum non legistis in libro Moysi super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob? non est Deus mortuorum, sed viuorum, vos ergo multum erratis.* Hæc Marcus; & Matthæus ferè eadem refert. Igitur si erat reuelatum, implicitè tantum id factum erat; at per hoc non escusabantur Saducæi, quia ipsi erat legis Doctores, quos non latebant eloquia Dei, quia Pharisæi cum credebant ex mox dicendis

act. 23.

act. 23. Idem tenebunt omnes Gentiles ex *Lorino in cap. 4. v. 29. act.* sed hæc satis de hoc puncto.

Saducæi omnium primi in Script. videntur negasse resurrectionem.

26 Adu. 2. Post Christi prædicationem, primi qui resurrectionem futuram negarunt fuerunt ipsimet Saducæi ex *Act. 23. v. 8. Facta est dissentio inter Saducæos, & Pharisæos*, Saducæi enim dicunt, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum; Pharisæi autem utraque confitentur.* Eamdem hæresim sequebantur Samaritani, teste *S. Ioann. Damasc. lib. de hæres.* & præcipuè Simon Magus, & Hermogenes ex *Tertull. de Resurr. cap. 4.* Inter christianos verò omnium primi negarunt Alexander ex Iudæo christianus, deinde Apostata, & Himeneus, de quibus Paulus Apostolus *1. ad Timoth. 2. Sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Himeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse factam, & subuerterunt quorumdam fidem*, de Alexandro, & Himeneo antea dixerat, *quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus isti Himeneus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut discant non blasphemare.* Eam negarunt Basilidiani, ex *Salelle reg. 219.* Saturniniani, Carpocratiani, & Gnostici, ita ex eodem *reg. 220.* Deinde Manichæi, ex *reg. 233.* postea Priscilliani-stæ, ex *reg. 240.* mox Albigenses, ex *reg. 260. & 273. August. lib. de hæres. cap. 20. 21. & 24.* dicit, quod Cordeniani, & Archontici negarunt Resurrectionem carnis, & Manichæi quoque ex *lib. 4. contra Faust. cap. 2.* tandem Caluinus negauit futuram corporum resurrectionem. Ita in errore 73. Caluini, excentum quos refert Gualterius, & ex eo *Salell. in reg. 292.* his autem notatis.

Idem dicebant Samaritani.

Inter christianos quis primò negauit resurrectionem,

Resurrectio hominum est futura.

27 *Dico. De fide est futuram* resurrectionem hominum. Ita *Scotus ibi D. Thom. D. Bonau* & omnes Catholici.

28 Prob. 1. ex veteri testamento. *Iob 19. Scio, quod Redemptor meus vivit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Secundo, ex *Macbab. 2. cap. 7. v. 14.* Vnus ex pueris ab Antiocho cruciatis, ait. *Potius est ab hominibus mortis datos spem expectare à Deo iterum ab ipso resuscitandos, tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* Tertio, ex *cap. 12. v. 43. Vir fortissimus Iudas collatione facta misit duodecim mille dragmas argenti Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium fuisse, & religiosè de resurrectione cogitans, nisi enim eos, qui ceciderant resurrecturos speraret superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Ergo ex veteri testamento habetur, à Deo reuelatam fuisse resurrectionem futuram omnium hominum, cum suis corporibus.

Ex Script. vtriusque testam. clara argum.

29 Prob. 2. ex nouo testamento *Matth. 22. v. 31. & Marcus*, vt patuit in notabili primo, & *Lucas* idem refert *cap. 20. v. 37. Quia vero resurgent mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, & Deum Abraham, & Isaac, & Iacob, &c.* item *Io. 11. v. 24.* Martha fatetur resurrectionem, dicens de Lazaro mortuo, *Scio, quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* Ergo ex Euangelio habetur, futuram esse resurrectionem.

Ex nouo testam. multo argum.

30 Prob. 3. ex *Actibus Apost. cap. 17.* vbi Paulus resurrectionem carnis futuram prædicat. Idem in *cap. 24. & 26. Rom. 6. ad Timoth. 2. cap. 2. & Heb. 6. 1. ad Cor. 15. Omnes resurgemus, 1. ad Thessal. 4. &c.*

Ex Symbolis.

31 Prob. 4. ex Symbolis Apostolorum, Nicæno, Constantinop. & Athanasij, in quibus creditur mortuorum resurrectio futura.

32 Prob. 5. ex *lib. 4. constit. Apost. cap. 6.* ex *Concil. Later. 4. cap. 1.* & habetur in *cap. 1. de fide, & summa Trinit.*

Ex Patribus.

33 Prob. tandem ex omnibus Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus, ex præsertim ex *Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 21. lib. 19. contra Faustum cap. vlt.* vbi ait ex lege veteri quoque hæc veritas habetur, *lib. de Catheebiz. rudib. cap. vlt. lib. 4. de Trinit. cap. 3. & lib. 14. cap. vlt. lib. 10. in Gen. ad lit. cap. 5. & lib. de grat. noui testam. cap. 34.* & alijs innumeris locis infra pro alijs circumstantijs resurrectionis, & resurgentium citandis. Item ex *Irenæo lib. 5. aduer. hæreses cap. 14. Tertull. de Resurr. carnis*, per totum: alijsque omnibus Patribus adducendis in seqq.

Ob. 1. argum. à *Scoto* contra se allatis. *Ecclesiastes 3.* habetur vnus est hominum, & iumentorum interitus. Sed ista non resurgent: ergo.

Arg. contr. validum ex Salomone,

34 Respondet *Scotus sub H.* Salomonem concionatum sibimet fuisse, & aliquando loqui, tũ pro stultis, aliquando pro sapientibus; cum autem istud dixit nomine stultorum loquebatur; & inde patet, quod in capitulo vlt. contradicit illi sententiæ, dicens, *ibit homo in finem æternitatis suæ, & finem loquendi omnes pariter audiamus Deum time, &c.* Optima est hæc solutio, sed ego addo, quod Salumon considerat miseriam hominum, dicens, *dixi in corde meo de filijs hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestijs, idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, sicut moritur homo, sic & illa moriuntur similiter spirant omnia, & nihil habet homo amplius iumento, omnia pergunt in vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur.* Comparat ergo hominem ad inmenta, quantum ad corruptionem, & passiones mortis; cum autem dicit, *omnia pergere in eumdem locum*, ait Glossa Ordinaria, *Non hoc dicit, quia animam hominis putaret perire cum corpore, vel vnum locum cum bestijs hominibusque præparari. Sed quia ante aduentum Christi omnes animæ hominum pariter descendebant ad inferos, vnde hominis pecorisque spiritus eiusdem vilitatis videbatur; & licet alter cum corpore periret alter non, non mul-*

Duplex resp: 1. Salomon cõsiderabat miseriam humanam. 2. Loquebatur in persona stultorũ, & ignorantium.

*multum intererat cum corpore perire, & ad inferos descendere.* Et *Lyranus ibid.* ait, *Obiectio hæc procedit ex errore eorum, qui negabant vitam aliam, cuiusmodi fuerunt Sadducæi, qui negauerunt spiritum, & Angelum, & resurrectionem.*

Nomine iumentorum intelligitur peccatores.

Dices. Sequitur ibid. Ecclesiastes. *Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum.* Ergo dubitat de Resurrectione.

35 Resp. 1. (quod potest etiam pro præcedenti difficultate inseruire) ex Glossa Interlin. quæ per *iumenta*, dicit intelligi peccatores, qui vere iumenta sunt; vel idiotas. Sed quia neque id tollit difficultatem, & dubium.

36 Resp. 2. ex Glossa Ordinar. *quis nouit, Non dicit inter hominis, & pecudis dignitatem nihil interesse, sed per quis difficultatem rei demonstrat, quis enim non impossibile, sed difficile in scripturis sanctis sapissime significat:* & post, *inter homines igitur, & bestias, hæc differentia est, quod spiritus hominis ascendit in cælum, & iumenti descendit in terram cum carne dissolutus. Lyranus* verò dicit, per hæc verba, *quis nouit, &c.* remouetur prima obiectio, quia procedit ex carnalitate hominum, vitam præsentem tantummodo considerantium. Quod verò animam immortalem crediderit Salomon, sequitur Lyranus, *clarius id dicit in cap.* 12. dicens de morte hominis, *Reuertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus reddeat ad eum, qui dedit illum.* Ex hoc ergo Salomonis dicto non colligitur aliquid contra fidem resurrectionis.

Salomon credidit animam immortalem.

Ob. 2. Ex *Iob.* 14. *Homo cum dormierit non resurget; donec atteratur Cælum non euigilabit.* Sed Cælum numquam atteretur: ergo homines numquam resurgent.

37 Respondet *Scotus* ad min. Quod licet Cælum numquam atteretur quoad substantiam, atteretur tamen quoad influentiam in hæc inferiora, quia posit iudicium non influet in rerum generationes, & corruptiones, & sic tunc erit resurrectio.

Cælum aereum atteretur,

38 Respondeti potest secundo, quod verè in hoc loco prædicit resurrectionem, & tempus in quo fiet, quod scilicet erit cum cælum atteretur, idest cum ex incendio ignis extremi, Cælum aereum destruetur, vt in proprio loco dicetur; nisi iuxta Glossam Ordin. in illud cap. teneatur destructio aliorum Cælorum, ait enim, super illud donec atteratur Cælum; *nisi finis huius Mundi aduenerit, humanum genus à somno non euigilabit,* sed *August. lib. de Eccl. dogm. cap.* 7. dicit Cælum, & terram non esse abolenda per ignem, sed in melius commutanda, & *lib.* 20. *de Ciu. Dei cap.* 18. de Cælo aereo intelligit destructionem, sed de his latius infra. *Lyran.* verò ibi ait, *Donec Cælum atteratur, &c. Est sensus quod sicut Cælum quod est incorruptibile per naturam impossibile, est atteri per corruptionem naturalem, sic nec homo resurgere potest à morte per naturam.* Quocumque ergo modo accipiatur, resurrectionem Iob confitetur, eo vel maxime, cum in *cap.* 19. supra adducto fateatur, se resurrecturum in carne sua, & circundandum rursus pelle propria, & visurum in carne oculis proprijs Saluatorem.

Quomodo cæli destruuntur in fine mundi, sed in suo loco de his erit sermo,

Ob. 3. Ex *Ph.* 2. *de Gener.* 1. *& com. vlt.* quæ corrumpuntur, non redeunt eadem numero, sed specie ergo.

39 Resp. in primis *Ph.* loqui de reditione naturali, quam in rebus fit, cum aliqua destruuntur, deinde in illa specie rerum alia, producuntur: nos autem loquimur de reditione, quæ supernaturaliter eueniet. Secundo, sufficit, quod possit fieri; an autem in identitate numerica, videbimus postea. Tertio, plus probaretur, quam intenditur, nimirum, quod posset naturaliter homo redire idem secundum speciem, id autem vt in seq. patebit, latuit Philosofos.

Phylosofos latuit resurrectio.

Patet, ergo nihil posse huic thesi obstare, nisi hæresim.

## ARTICVLVS IV.

### *An per rationem naturalem, probari possit, Resurrectionem esse futuram.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. quæst. 2. sub lit. X.* ait, *nec à priori, per rationem principij intrinseci in homine; nec à posteriori, puta per rationem alicuius operationis, vel perfectionis congruentis homini potest probari necessario resurrectio innitendo lumini naturali: ergo hoc tamquam omnino certum non tenetur, nisi per fidem,* hæc *Scotus.*

Scoti mens.

40 Adu. 1. Dupliciter aliquid dicitur notum lumine naturali; vt docet *Scotus* sæpe, & præsertim in 4. *dist.* 17. *quæst. V n. A.* & in *d.* 26. *quæst. V n. F.* Quod aliquid potest esse lumine naturæ notum dupliciter, vel per modum principij practici per se noti ex terminis, vel per modum conclusionis dependentis à tali principio, & hoc docet in ordine ad legem naturæ. Hic autem, docet dupliciter aliquid posse dici demonstrabile naturaliter, vel à priori, & demonstratione, *propter quid*; vel à posteriori, & demonstratione, *quia*. Primus modus demonstrandi, vt supponitur, ex secundo Poster. desumitur à principijs intrinsecis, seù definitione rei, de qua aliquid demonstratur, vt si de homine demonstretur risibilitas per rationalitatem. Secundus verò ab effectibus necessario connexis cum aliqua re, de qua fit demonstratio. Vno ergo, ex his modis deberet demonstrari futura hominis resurrectio ad hoc, vt diceretur per rationem naturam demonstrabilis.

Quid dicitur lumine naturali notum.

Demonstrationis duæ species.

41 Adu. 2. Quod præter modum naturalē

pro-

Argum. topicum quid.

probandi posteriorificum, per principia per se nota inferentia euidentem conclusionem, datur modus probandi topicus, & persuasiuus, qui frequens, est in scholis, nè dum Philosoficis, ac Theologicis, sed etiam Rethoricis, ex 1. *Ethic.* Et licet de omnibus his modis, quæri possit, an Resurrectio futura naturaliter proberur, tamen difficultas, est de modo probandi demonstratiuo, & posterioristico, siue *propter quid*, & per causam, siue *quia*, & per effectum.

Demonstratio a priori sumi debet ab intrinsecis subiecti, de quo demonstratur aliquid,

42 Adu. 3. Quod, vt supponimus demonstratio à priori, seu propter quid desumi debet, ex intrinsecis subiecti, de quo aliquid demonstratur; quia procedit per definitionem eius, quæ est medius terminus in tali demonstratione; ideo de necessitate in compositis fieri debet, vel ex intrinsecis materiæ, aut formæ, vel vtriusque. Et quia forma hominis est anima intellectiua, & materia, vel est prima, vel secunda, eadem prima scilicet prædita forma corporea; confusa procederet disputatio, si omnia simul confunderemus, placuit per distinctos §§. rem differere; Inquirendo primò, an sit, ex terminis notum, Resurrectionem hominum futuram. Secundo, an demonstrari possit medio desumpto ab intrinsecis materiæ. Tertio, an medio desumpto, ex parte formæ. Et quoniam controuertitur, an sit naturaliter notum, formam specificam hominis esse animam intellectiuam, id etiam incidenter discutiemus. Quarto, dato etiam, quod sit naturaliter notum, animam esse formam hominis specificam, videndum erit, an sit naturaliter notum eam esse immortalem, nam non ex alio capite, ex principijs animæ concludit posset naturaliter, debere hominem resurgere, nisi quia cum anima sit forma, & æterna, non potest æternaliter manere sine materia. Igitur distinctionis gratia hæc omnia per diuersos §§. distribuemus.

Ordo disputationis præsentis.

## §. 1.

## *An sit per se notum naturaliter, hominum Resurrectionem esse futuram.*

Non est naturaliter per se noua futura resurrectio.

43 DIco non est per se notum naturaliter. Est *Scoti in 4. dist. 43 quæst. 2.* & communis omnibus catholicis.

Principia per se nota sunt inuariabilia,

44 Prob. Si esset, per se notum, semper sic fuisset; nam principia per se nota naturaliter sunt propositiones æternæ veritatis, & inuariabiles, vt quod totum sit maius sua parte, quodlibet, vel est, vel non est. Sed talis non sic fuit, nec est hæc propositio, futura est hominum resurrectio: ergo. Prob. min. Si talis esset Saducæi peritissimi in lege, non fuissent ausi eam negare, & tamen eam negabant, cum Christo de ea disputantes *Matth. 22. v. 31. Marci 12. v. 18. & Luc. 20. à v. 19.* neque Alexander Hymeneus, & Philetus, ausi essent eam negare, quod tamen fecerunt, ex 2. *Timoth. 2.* quia hi omnes ad oculum potuissent de falsitate conuinci.

Facilè potuissent conuinci eam negantes, si esset natur. nota.

45 Prob. 2. Si esset per se notum naturaliter, Paulus eam prædicans Athenis non fuisset conuicijs affectus, vt author nouitatum, *Actuum* enim 17. *v.* 18. eo prædicante *Stoici Philosofi differebant cum eo*, ait textus, *& quidam dicebant, quid vult semi verbius iste? alij verò nouorum Damoniorum videtur annunciator esse, quia Iesum, & resurrectionem annunciabat eis, & apprehensum eum ad Areopagum duxerunt dicentes, Possumus scire, quæ sit hæc noua, quæ à te dicitur doctrina nouæ, enim quædam in feris auribus nostris.* Et post multa *v. 32. cum audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum*, & *cap. 24.* conqueritur Paulus cum Felice, sic, *quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor à vobis hodie*, & *cap. 26.* Cum eamdem prædicaret fuit ei dictum à Festo *insanis Paule*. Si autem esset doctrina per se nota, non fuisset tanta concertatio inter eum, & Philosofos Stoicos Athenienses, viros doctissimos; sed vel fuisset superfluum eam insinuare; vel palmario argumento potuisset eos conuincere.

Si ita esset Philosofos, nó latuisset,

46 Prob. 2. Philosofi quantumuis sapientissimi, hoc mysterium penetrare non potuerunt; ergo futuritio resurrectionis, nè dum non est per se nota, sed neque noscibilis per demonstrationes naturales. Antec. prob. Nullus Philosoforum de hoc puncto est loquutus, vno excepto Platone, qui legens Athenis, docuit, quod post magnum annorum numerum redeunt iidem effectus, qui aliquando fuerunt; & ita hoc modo ipse redituus, aliquando in eadem schola cum eisdem discipulis erat futurus, & lectionem eamdem relecturus. Quod quidem pro fabula ab omnibus semper est habita; & *S. Augst. lib 4. de Trin. cap. 16.* id idem dicit hoc scilicet ignotum fuisse Philosofis, de his enim loquens, ait, *hi etiam resurrectionem carnis nos credere reprehendunt, sibique potius etiam de his rebus credi volunt.* & postquam eos decipi dixit, prosequitur, *nullo modo potuisse prolixiorem seculorum seriem vestigare, & quamdam metam huius excursus, quotam quam fluuio genus discurrit humanum, atque inde conuersionem ad suum cuique debitum terminum; ista enim nec historici scribere potuerunt longe futura, & à nullo experta, atque narrata.* Ergo non est naturaliter per se notum, futuram esse hominum resurrectionem.

Nullus Philosofos eam nouit.

A priori arg:

47 Prob. 3. Hæc propositio, *homo mortuus, & in pulueres conuersus resurget*, non est nota ex terminis: ergo. Anteced. prob. Nam natura adeo refugit regressum, vt sit commune axioma à priuatione ad habitum non dari regressum, ex *lib. Prædicament. in*

*cap. De oppoſit. to. 3.* & Phyloſofus 2. *de Generat. com. vlt.* & *vlt. Phyſ com.* 36. reſtetur, quod *qua corrumpuntur ſecundum ſubſtantiam, non redeunt eadem numero, ſed ſpecie:* ergo. Neque vmquam experta eſt natura, hominem aliquem, via naturali, poſt corruptionem redire eundem: ergo.

Eſt myſterium, & art. fidei, ideo non nota naturaliter.

48 Prob. 4. Si eſſet naturaliter per ſe notum, non eſſet myſterium, neque caderet ſub fide. Sed vtrumque eſt falſum: ergo. Prob. minor ex 1. *Cor.* 15. *v.* 51. *Ecce myſterium vobis dico, omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, & licet ratio myſterij poſſit cadere ſuper diuerſitatem reſurgendi, quod ſcilicet non omnes immutabuntur damnati enim non habebunt immutationem ad gloriam; vt in ſuo loco dicam; tamen etiam ipſa reſurrectio, myſterium eſt, quia, vt Gloſſa Interlin. ſuper verbum *Ecce myſterium* dicit, quia multis occultum. Secundo, eſt articulus fidei reſurrectionem eſſe futuram: ergo non eſt res per ſe naturaliter nota, fides enim habet pro obiecto reuelatum, & obſcurum; alioquin de eo haberetur ſcientia, & non fides. Concluditur ergo, non eſſe quid per ſe notum naturaliter, quod reſurrectio hominum futura ſit.

## §. 2.

## *An ex parte materiæ probari poſſit naturaliter, reſurrectionem eſſe futuram.*

Ex parte materiæ non poteſt concludi natur. reſurrect. eſſe futuram.

49 Dico: Non poteſt hæc propoſitio demonſtratione, *propter quid* deſumpta ex materia componente hominem, ſiue prima, ſiue ſecunda, concludi, quod reſurrectio ſit futura. Eſt communis cum Scoto, nullo excepto.

50 Prob. Quod homo conſtet ex materia prima, non ſufficit ad probandum, eum eſſe reſurrecturum: ergo. Anteced. prob. Primo, quia non eſt naturaliter notum, materiam numquam eſſe deſtruendam. Secundo eſto ſic, non valet hoc argumentum materia eſt incorruptibilis: ergo homo conſtans ex ea, & iam corruptus eſt reſurrecturus. Nam neque illatio eſt neceſſaria; neque concluderetur id de ſolo homine, ſed de omni compoſito, ſiue animato, ſiue inanimato, cum omnia conſtet ex materia.

Etiam pro alijs probaretur.

51 Prob. 2. Quod demonſtratur, ſe habet, vt propria paſſio ſubiecti, de quo demonſtratur; & proinde debet probari ex principijs proprijs illius ſubiecti, non verò ex communibus, quia ſic non concluderetur, vt proprium eius, ſed vt proprium generis, ſeu traſcendentis ad ſubiectum. Igitur per materiam demonſtrari non poteſt hominum futura reſurrectio.

52 Prob. 3. Neque ex materia ſecunda, id eſt ex ratione corporis poteſt id demonſtrari. Ex eiſdem rationibus, quia ratio hæc eſt omni elemento, & mixto communis. Secundo, quia eatenus per materiam probaretur, quia hæc eſt incorruptibilis, ex ſuppoſitione ſaltem phyloſofica. Ergo ſi ex ea, vt tali non concluditur, neque ex ea, vt prædita forma corruptibili. Corruptibilitas enim non eſt radix reparationis, aut reditus, ſed fouet deſtructionem, & conſequat rei negationem, & non exiſtentiam: igitur cum hæc non poſſit eſſe principium redditus, ſeu regreſſus, non poteſt eſſe alteri, nempe materiæ, ratio, cur hæc exigat hominem redire.

Si ex materia non latuiſſet Phyloſofos.

53 Prob. 4. Si ex materia, ſiue prima, ſiue ſecunda demonſtrari poſſet futuritio reſurrectionis, hæc non latuiſſet Phyloſofos, vt Ariſtotelem, Platonem, alioſque ſimiles, in demonſtrationibus, naturaliumque omnium perueſtigatione aſſuetos; ſed hos latuit: ergo. Minor prob. Nam Saducæi Legiſperiti, Simon magus, omnes Samaritani, & Gentiles vniuerſi eam negarunt, licet, vt notat *Lorinus in cap. 4. Act. Apoſt. v. 29.* non eſſet capitale ſi Gentiles aliquis eam doceret, quia ad bonum publicum conferebat hæc doctrina, vt ſcilicet peruerſi à delictis, & facinoribus retraherentur. Neque eam negaſſent Manichæi, Seleuciani, Albigenſes, ipſemet Caluinus, & alij, qui licet de fidei articulo non potuiſſent conuinci, niſi cum doctrina fidei; de iſto tamen, ſi eſſet naturaliter demonſtrabilis, potuiſſent conuinci per rationem naturalem demonſtratiuam. Et tamen hoc, neque factum eſt, neque potuit fieri. Ergo euidens eſt, per compoſitionem hominis ex materia, non poſſe concludi futuram eſſe reſurrectionem.

Gentiles nõ curabant ſi aliquis docebat reſurrectionem, ob finem poſtremum.

## §. 3.

## *An per animam hominis poſſit naturaliter concludi futuram reſurrectionem.*

Quomodo per animam poſſet aliquis id probare.

54 Aduerto hoc tantum modo poſſet quis formare argumentum, ſi vellet per animam probare futuritionem reſurrectionis; *anima eſt forma ſpecifica hominis, ergo, cum ipſa ſit æterna, debet aliquando vniri cum corpore.* Duo ergo deberent eſſe naturaliter euidentia, & quod anima ſit forma ſpecifica hominis, & quod ſit immortalis. Nunc examinabimus primum.

Eſt naturaliter notum, animam eſſe formam hominis ſpecificam.

55 Dico ergo primo. Eſt naturaliter notum, animam intellectiuam eſſe per ſe formam hominis ſpecificam. Eſt *Scoti in 4. diſtinct. 43. quæſt. 2. A. & E. D. Tho. in 3. par. quæſt. 75. art. 2. quæſt. 76. art. 1.* & communis.

56 Probari ſolet hæc concluſio primo. Om-

Omnes Philosophi id asserunt, tamquam naturaliter notum, cum Aristot. 2. *de anima to.* 6. dicente, *Anima est actus corporis organici*. & in 3. *de anima in principio tex.* 1. dicit animam, quæ cognoscit, & sapit, esse partem subiectiuam, nempe speciem animæ in communi: & ideo Philosophi omnes in definitione hominis posuerunt *rationale*, tamquam differentiam propriam, intelligentes, animam intellectiuam esse partem essentialem eius. Sed illa rationes non concludunt; nam neq; est naturaliter per se notum illud Arist. principium, quod anima sit actus corporis organici physici, alioquin Auerroes excellens Philosophus *in* 3. *de anima com.* 5. non fuisset ausus illud negare. Secundo, si esset naturaliter notum animam esse per se, seu specificam formam hominis non fuisset necessarium id definire, vt fidei articulum in *Concil. Vienn.* vt habetur in *Clement.* 1. *de fide catbol.* §. *Porrò*. Igitur, licet sit verum, & de fide, non tamen adeo naturaliter euidens, vt à puro Philosopho, & ab alijs ante Ecclesiæ definitionem non potuerit negari.

Rationes quæ non probant,

Arg. ex operationibus non probat.

57 Probari solet 2. ex operationibus hominis, hoc modo. Intelligere est propria operatio hominis; ergo est à propria forma eius. Sed intelligere procedit ab anima intellectiua, ergo hæc est forma hominis. Sed contra, ait *Scotus*, ista ratio non est euidens. Imò patitur instantiam; quia diceret aduersarius Philosophus intellectum non se habere actiuè respectu intellectionis, sed passiuè, obiectum verò, seu phantasma se habere actiuè, & causare speciem, & intellectionem in intellectu.

Aliud arg. ab aliqua operatione non concludit.

58 Probari solet 3. à libera operatione hominis. Homo cognoscit actu cognoscendi, non organico: ergo intelligit propriè. Consequ. prob. Nam intellectio transcendit omnem cognitionem organicam; omnis autem sensatio est cognitio organica, ex 2. *de anima to.* 122. & 130. Igitur operatio ista intelligendi est à propria forma hominis: hæc autem nequit esse, nisi anima intellectiua: ergo hæc est eius forma. Anteced. primum, quod homo cognoscit actu cognoscendi non organico, probant; omne organum determinatum est ad certum genus sensibilium, ex 2. *de anima t.* 118. sed homo experitur in se aliquam cognitionem, quæ sibi non competit secundum determinatum organum, vel ad determinatum sensibile, nam per talem actum cognoscit differentiam illius sensibilis, quod cognoscit ab omni alio alterius generis: igitur non est cognitio organica. Sed contra, inquit *Scotus*, hæc ratio non est euidens, quia patitur instantiam. Primò, quia cognitio organica illa est, quæ inest homini ex determinata parte corporis (aduersarius autem diceret,) illa verò cognitio, qua cognoscuntur omnia sensibilia, & qua ponitur differentia inter illa, & qua distinguimus sensibilia à non sensibilibus, non conuenit homini ratione partis corporis, sed ratione totius; & ideo non est propriè organica, sed non transcendit omne genus cognitionis sensitiuæ secundum perfectionem, quia inest primò toti, & sic est materialis, sicut illud quod inest toti per partem.

Ideni impugnatio.

59 Probari solet 4. sic. Aliqua operatio immaterialis inest homini, sed nulla potentia sensitiua, potest esse immaterialis; ergo datur aliqua forma, quæ sit talis: igitur, cum hæc sit anima concluditur eam esse hominis formam. Et hæc ratio secundum aliquem sensum valet: nam si immateriale sumitur pro incorporeo, petitur principium, hoc enim est probandum. Si sumitur pro inextenso; adhuc est probandum dari in homine operationem inextensam. Tertio, sumitur immateriale in ordine ad obiectum pro operatione, scilicet abstrahente à conditionibus obiecti, hic & nunc, quæ dicuntur conditiones materiales, quia scilicet experitur homo se cognoscere obiectum præscindendo à conditionibus indiuiduantibus, & hoc non potest cognosci, nisi quatenus homo reflectit super actum suum cognoscendi, cum illa præcisione ab obiecti conditionibus, & hoc modo ratio ista concludit, quia actus sensitiuus non est reflexiuus. Sed vt patet magna cum difficultate concluditur inesse homini operationem non sensitiuam, & proinde debere procedere à forma, quæ non sit formaliter sensitiua.

3. Arg. ex operatione non bene probat,

Difficile cõcluditur naturaliter inesse homini operationẽ non sensitiuam.

60 Prob. tamen à *Scoto in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 2. *E.* sic adest in homine aliqua obiecti cognitio sub aliqua ratione, sub qua non potest tendere actus sensitiuus: ergo datur in homine forma non sensitiua: hæc est anima; ergo. Antec. prob. Homo cognoscit actu vniuersale; experitur enim se cognoscere ens, vel qualitatẽ sub aliqua ratione communiori, quam sit ratio sensibilis vt sic, etiam respectu primæ potentiæ sensitiuæ. Item experitur homo, se cognoscere relationes consequentes naturas rerum, etiam non sensibilium. Item, se distinguere omne genus sensibilium ab aliquo, quod non est sensibile. Experitur se cognoscere relationes rationis, nimirum secundas intentiones, vt vniuersalia generis, speciei, &c. item oppositionis, & aliarum intentionum logicalium. Experitur se cognoscere actum illum quo cognoscit ista, & actum reflexum cognoscendi. Experitur quod assentitur complexionibus sine possibilitate errandi, vel contradicendi, vt dum cognoscit prima principia. Experitur, se cognoscere ignotum per notum ex discursu, ita quod non potest dissentire euidentiæ discursus, neque conclusionis illatæ. Sed impossibile est, quod sensus possit aliquod eorum cognoscere: ergo datur in homine potentia aliqua, & forma non sensitiua. Min. Ista à *Scoto* probatur, quod scilicet nullus ex his actibus esse possit à potentia sensitiua. De primo sic; vniuersale cognosci potest sub tanta indifferentia sub quanta est dicibi-

Ratio Scoti, quæ concludit.

Homo experitur multa insensibilia se cognoscere.

Vniuersale non cognoscitur a potentia sensitiua,

le de omnibus singularibus. Est autem dicibile simul de omnibus ergo sic cognoscibile: sensus verò non potest sic cognoscere, quia in determinatum singulare tendit: ergo. De secundo, sic probatur nulla potentia potest cognoscere sub ratione vniuersaliori, quam sit suum obiectum; & patet, nam visus v. g. non cognoscit aliquid sub ratione indifferenti ad colorem, & sonum, ita nec auditus, &c. De tertio, etiam patet, quia nulla sensatio

Nec potentia aliquid vniuersalius suo obiecto.

potest esse distinctiua primi obiecti sensibilis, ideſt communissimi, ab eo quod non est tale, cum non possit esse vtriusque extremi. Idem apparet de relationibus præsertim rationis, vt vniuersalitatis, genereitatis, &c. Quia sensus non se extendit ad aliquid non sensibile, & non existens. Istæ autem relationes, nè dum non existunt, sed nec possunt existere, & ita dicendum de reflexione, ac discursu, cum sensus hæc non habeat.

Optimum argum.

61 Ex quibus euidens, ait *Scotus*, sequitur consequentia, quod dari debeat aliqua forma, per quam habeatur, & recipiatur ista intellectio, quæ quidem forma non est organica, aut extensa, sed inorganica, & inextensa; sed nil aliud inextensum, & in organicum est in homine, nisi anima intellectiua: ergo. Vel, ait *Scotus*, aliter formari potest consequentia. Quælibet forma inferior intellectiua tēdit in obiecta sub rationibus oppositis ad prædictas. Ergo si habemus operationem circa obiecta sub his rationibus, ineſt nobis secundum formam, non aliam ab intellectiua. Igitur ista forma ineſt homini; alioquin non esset formaliter operans secundum illam operationem.

Aliud arg. ad hoc, ex libertate.

62 Probatur viterius conclusio ex alia operatione hominis. Homo est ita dominus suorum actum, vt possit se determinare ad hoc, vel oppositum; quod non solum ex fide, sed ratione naturali notum est. Sed ista indeterminatio non potest poni in aliquo appetitu organico, aut extenso, quia omnis talis est ita determinatus circa suum obiectum, actum, & modum operandi, vt præsente obiecto cum omnibus requisitis, non possit non operari. Igitur potentia illa, quæ habet appetitum indifferentem excedit omnem organicam; & sic est intellectiua; & cum appetitus ille sit formaliter in homine, sequitur, quod forma, à qua est, sit forma hominis. Hæc autem, vt patuit est intellectiua: ergo, quod forma intellectiua sit specifica forma hominis est naturaliter notum.

Ex anima nō potest naturaliter probari resurrectio.

63 Dico 2. Esto sit naturaliter notum, quod anima intellectiua sit per se forma hominis; tamen ex hoc non potest naturaliter probari, resurrectionem hominum esse futuram. Est communis cum *Scoto in 4. dist. 43. quæst. 2. sub T.*

64 Prob. quod forma hominis sit immaterialis, spiritualis, ac intellectiua, nil aliud concludit, nisi quod possit tendere in obiecta spiritualia, & operari modo indifferenti, & inorganico. At vnde sequitur consequentia, quod homo destructus, per hoc, quod fuit intellectiuus debeat resurgere? certè non sequitur. Sed sequeretur ad summum si naturaliter cognosceretur, quod anima est incorruptibilis, & æterna. Sed hoc non cognoscitur naturaliter: igitur ab ignoto non potest procedi ad ignotum. Minor per sequentem §. fiet manifesta.

## §. 4.

## *An ex anima immortalitate probari possit Resurrectionem esse futuram.*

Duo discutienda.

65 ADu. quod, qui conaretur probare naturali via, futurā esse resurrectionem hominis; alio fortiori medio vti non posset, nisi hoc. Anima est immortalis, & æterna, Ideoque, cum pars, æternaliter non possit stare, siue toro, de necessitate confitendum est esse reuniendam cum corpore, & sic resurget corpus. Ideo hic duo sunt videnda, primum, an ratione naturali probari possit animam esse immortalem. Secundo dato, quod probaretur an ex eo principio possit concludi, quod homo resurget. Ideo

Naturaliter nō potest demonstrari animam rationalem esse immortalem.

66 Dico 1. Non potest ratione naturali probari demonstratiuè, & euidenter animam intellectiuam esse immortalem, sed rationibus probabilibus. Est *Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 2. §. Posset dici 1.* Fide enim id notum certò est.

67 Prob. Omnia argumenta quibus vti possumus ad id probandum, vel non concludunt, vel sunt persuasiones, & probabiles rationes: ergo. Antec. probatur.

68 Prima ratio, quæ solet adduci ad illam probandum est. Philosophi cum *Arist. 2. de omnia comm. 21.* docent quod *intellectus separatur à cæteris, sicut perpetuum à corruptibili.* Et hoc, nè dum secundum operationem, sed secundum esse, ex 1. *de anima 8. & com. 12.* Sed hæc ratio non conuincit, quia intelligitur de separatione in vsu, quod scilicet intellectus, dum operatur, non vtitur corpore, & ideo est incorruptilis ea incorruptione, qua carent organicæ potentiæ. Neque ex hoc sequitur, quod sit incorruptibilis in essendo, quia licet non esset corruptibilis sicut organum; tamen esset corruptibilis interiori aliquo corrupto, quia, cum sit principium operandi in toto, eo corrupto, diceret Philosophus purus, quod intellectus corrumperetur. Secundo, estò id dixerit Arist. etiam de incorruptibilitate simpliciter, vnde id ipse sciebat; si ratione naturali; hac ergo vtendum est, non authoritate, seu dicto Arist.

Arist. non potuit id demonstrare,

69 Secunda ratio, quæ potest adduci ad probandum via naturali, quod anima sit immortalis, est desumpta, ex 3. *de anima 8.7.* Vbi hæc differentia ponitur inter sensum,

& in-

& intellectum, quia excellens sensibile corrumpit sensum, & ideo postea minus sentit minus sensibile; non ita se habet intellectus; imò postquam intellexit summa intelligibilia, magis intelligit inferiora. Ergo, cum intellectus non debilitetur in operando, sequitur, quod sit incorruptibilis in essendo. Sed

2. Ratio nõ videtur Scoto concludens.

hæc ratio non concludit, ait *Scotus sub L.* quia excellens sensibile per accidens corrumpit organum, quia soluit illam mediam proportionem, in qua consistit bona organi dispositio: Et per oppositum intellectus, quia non habet organum ab excellenti obiecto non patitur. At per hoc, non sequitur, quod sit omninò incorruptibilis, nisi probetur, quod in esse non dependeat à toto, quod corruptibile est.

3. Scotus nõ approbat.

70 Tertia ratio, qua probatur Philosoficè conclusio; est Arist. 12. *Metb. cap.* 1. *t.* 16. & 17. ait, *mouentes causa velut prius existentes, quæ autem vt ratio, id est forma simul sunt cum causato, vt toto, quando enim sanatur homo tunc sanitas est, si autem posterius aliquid manet perscrutandum est; in quibusdam enim nihil prohibet, vt si anima est talis, sed non omnis, sed intellectus.* Ex quo sequitur, quod intellectus est forma manens post corruptum sed non ante. Sed hæc ratio, inquit *Scotus sub L.* non concludit, quia Arist. loquitur dubitatiuè *forsan manet intellectus*; quia dubitat omnem animam manere post corruptionem. Sed etiam si loquatur absolutè, nihil sequitur, quia ipse non demonstrat, hoc ratione naturali, sed ratione probabili id sibi persuadebat. Vel adducatur ratio naturalis id demonstrans.

4. Neque probatur.

71 Quarta ratio est *Arist. lib. de Animal. cap.* 4. & de *gener. animal. cap.* 3. dicit, *relinquitur solum intellectum de foris aduenire.* Ergo non accipit esse per generationem, sed à causa extrinseca. Igitur neque potest corrumpi per aliquam causam corruptiuam naturalem, cum illis subiaceat. Sed hæc ratio non concludit, ait *Scotus*; quia est valde dubium quid senserit Arist. de inceptione animæ intellectiuæ. Cum enim ponat Deum nihil immediate agere de nouo, sed tantum motu sempiterno mouere cælum; non potest assignari, à quo agente separato diceret animam produci, & in hoc prolixè discurrit *Scotus* excludendo in sententia Arist. omne agens extrinsecum. Secundo, dato, quod hoc dixerit Arist. quomodo id cognouit, aut probauit? Igitur si asseritur à Philosophis immortalitas animæ ex dicto Arist. ab authoritate, & forte à ratione illius probabili, non demonstratiua, & euidenter inferente. Sed hoc quæro.

Ratio ex naturali desiderio ad semper esse non probat.

72 Quinta ratio qua probari solet. In anima est naturale desiderium ad semper esse. Sed naturale desiderium ex Philos. 3. *Metb. cap.* 1. non est frustra: ergo. Sed hæc ratio, neque concludit, ait *Scotus sub P.* Quia desiderium naturale non est actus elicitus, sed sola inclinatio naturæ ad aliquid. Sed probari non potest talis inclinatio in aliquo subiecto, nisi probetur possibilitas rei, ad quam est. Vel estò esset actus elicitus, & concors inclinationi naturali, adhuc probanda est possibilitas illius rei, ad quam est inclinatio. Si autem probetur adesse naturale desiderium immortalitatis in homine, quia refugit mortem; Sequeretur ex hoc capite, quod, & bruta, & omnia alia composita habeant illud, quia inclinant ad semper esse, & tamen immortalia non sunt.

Philosoficè, quomodo probatur immortalitas.

73 Sexta ratio, qua probatur immortalitas Philosoficè est, quia ex 6. *Eth. cap.* 11. fortis debet se exponere morti pro Republica, & 9. *Eth. cap.* 9. idem docet, addens, hoc esse secundum iudicium rationis naturalis. Ergo secundum rationem naturalem, potest cognosci immortalitas. Consequ. prob. quia nullus propter quodcumq; bonus virtutis, siue in se, siue in alio, nec etiam communitatis, debet, aut potest appetere non esse suum. Si autem anima non esset immortalis, fortis se exponens morti pro Republica, sicut debet, acciperet non esse totaliter. Sed hæc ratio, ait *Scotus sub P* non concludit, magna est enim controuersia, an fortis secundum rectam rationem debet se exponere morti. Tamen tenendo, quod sic, potest responderi cum Philosopho 9. *Ethic. cap.* 9. quod fortis exercens illum actum virtutis, magnum bonum lucratur; & hoc bono se priuaret, imò vitiosè viueret, si ille actu virtutis omisso, saluaret suum esse. Cum melius sit, aut simpliciter, maximum bonum momentaneum, quam remissum bonum virtutis, vel vita vitiosa per magnum tempus. Et ex hoc principio concluditur, quod bonum commune est maius, quam proprium, & ideo magis diligendum, quam proprium. Et sic, etiam si nesciat fortis animam esse immortalem, adhuc suum esse deberet perdere, quod est bonum priuatum, vt saluetur publicum. Igitur hac ratione non probatur immortalitas.

Scoto non placet ratio.

74 Septima ratio est hæc. Quod corrumpitur, aut per contrarium corrumpitur, aut per defectum alicuius necessariò requisiti ad eius esse, sed anima intellectiua non habet contrarium; neque corpus est simpliciter requisitum ad eius esse; cum anima habeat proprium esse per se, idem in corpore, & extra corpus, cum hac sola differentia, quod dum est in corpore, se illi communicat, extra verò, nequaquam. Sed *Scotus sub P.* ait, hanc rationem non probare, cum enim in minori dicitur, quod anima extra corpus habet esse per se, sicut in toto, vel intelligitur de per se, quod distinguitur ab accidente, & sic etiam forma ignis si esset extra materiam, haberet esse per se, & tamen non est incorruptibilis; vel pro esse per se, intelligitur id, quod competit composito in genere substantiæ; & ita falsum est, quod anima habeat esse per se, alias esse eius non esset communicabile. Secundo contra. Hæc

Scoto displicet hæc ratio.

ra-

ratio petit principium; naturaliter enim non potest sciri, quod anima extra corpus habeat esse, hoc enim importat esse incorruptibile in anima, sola autem fide habetur hoc: ergo.

Scotus impugnat hanc rationem,

75 Octaua ratio est, quod corrumpitur, per separationem alicuius ab alio corrumpitur; sed in anima non potest aliquid ab aliquo separari, quia est simplex, & non potest separari à se ipsa: ergo. Sed hæc ratio non concludit, quia sic solum composita corrumperentur, non autem formæ; quod est falsum. Formæ siquidem simplices, neduum accidentales, sed substantiales, sunt corruptibiles. Item si Angelus destrueretur, id fieret sine separatione alicuius ab alio: ergo. Contra secundo Aristotelis 7. *Metb. tex. 6.* docet, omnes partes, quæ possunt manere extra totum, esse elementa, id est partes materiales; & præter tales, necesse esse, dari in toto aliquam formam, qua totum est id quod est, quæ non potest manere separata à parte materiali, toto non manente. Ergo, si concedit, animam intellectiuam, esse formam hominis, non concedit, eam posse manere separatam à materia, toto non manente. Contra 3. ex Arist. *quod incipit esse, desinit esse.* ideo 1. *de cælo t.* 102. *& t.* 126. contra Platonem habet pro impossibili, quod aliquid incæperit, & sit perpetuum, ac incorruptibile, & tandem 3. *Phisic. De infinito t.* 60. habetur, *cuius est principium, eius est finis.*

Ex Scoto probatur concl.

76 Prob. præterea conclusio ex doctrina *Scoti §. De tertia.* Etiam si admitteretur, ratione naturali probari animæ immortalitatem, non proinde concluderetur futura resurrectio. Nam rationes illæ, quod forma extra totum est imperfecta, & non est conueniens, quod forma tam nobilis maneat perpetuò imperfecta, & separata à toto: item illa alia, *nullum violentum est perpetuum*, ex 2. *de cælo, &c. t.* 17. & proinde cum anima naturaliter inclinetur ad perficiendum corpus, esset in statu violento extra illud, & ideo deberet vniri; inquit *Scotus* non concludunt naturali demonstratione. Nam si Arist. posuisset animam immortalem, magis posuisset eam manere extra corpus, quam in corpore, quia omne compositum ex contrarijs, est corruptibile. Neque prima ratio vrget; nam illa propositio pars extra totum est imperfecta, est vera, quando recipit perfectionem in toto; at anima non recipit, sed dat, ideo formari potest ratio ad oppositum, quia non repugnat alicui perfecto, in se manere, absque eo, quod alteri communicet perfectionem suam, igitur anima esse potest sine toto. Neque secunda ratio conuincit de inclinatione naturali. Nam hæc inclinatio, vel est ad actum primum, & sic imperfecti ad perfectum, & concomitatur potentiam essentialem, vel est ad actum secundum, & est perfecti ad perfectionem communicandam, & comitatur potentiam accidentalem. Et licet de prima verum sit, quod oppositum est violentum, & ideo non perpetuum, vt esset, verbi gratia, potentia alicuius subiecti ad esse ignem, lapidem, &c. Tamen de secunda, nulla sequitur violentia, nec imperfectio, quia potest manere causa absque eo quod se alteri communicet. Inclinatio autem animæ ad esse in corpore, esset huius generis. Imò, secundum Auicennam, appetitus animæ ad esse in corpore, satiatus est per hoc, quod semel perfecit corpus: nam coniunctio illa desideratur ad hoc, vt acquirat suas perfectiones (id est notitias) per sensus corporeos. Cum autem semel in eo fuit, acquisiuit iam quæ poterant eo modo acquiri. Ergo non adest alia inclinatio eius ad corpus.

Etiam si immortalitas ratione naturali probaretur adhuc ex eâ non concluditur futura resurrectio.

Omnes rationes naturales Scotus impugnat.

Corollaria

77 Concluditur ergo à *Scoto*, quod per rationem naturalem euidentem, necessariam, ac demonstratiuam nequit concludi, quod anima sit immortalis; & ideo, ex immortalitate nequit concludi naturali ratione demonstratiua, quod futura sit hominum resurrectio.

78 Conf. Ex *Scoto sub X.* Ex *August. 13. de Trinit. cap. 9.* quod anima non sit corruptibilis, non habetur per rationem (id est conuincentem) sed per Euangelium *Lucæ 13. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.*

## §. 5.

## *Quibus medijs probatur Resurrectio futura.*

Naturaliter sola ratione probabili potest probari resurrectio futura.

79 Dico primo. Rationibus probabilibus naturalibus, non tamen necessarijs, seu euidentibus potest probari naturaliter Resurrectio futura. Est *Scoti in 4. dist. 43. quæst. 2. T. V. & X.*

80 Prob. Rationes adductæ in præced. §. à priori id persuadent, tamen non cogunt, vt patuit: ergo.

Ratio desumpta à iustitia retributiua, est valida, sed non cogit.

81 Prob. Ratio desumpta à iustitia retributiua, & punitiua valida est, sed non cogit: ergo. Maior prob. Illa talis est; in hac vita Virtuosi maiores patiuntur pœnas, quam vitiosi, ideo *Apost. 1. Cor. 15.* ait, *si in hac vita tantum sperantes essemus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*; ideoque, naturaliter videtur notum, dandam esse aliam vitam, in qua fiat retributio præmiorum, & supplicio rum; & sic resurrectionem. Minor prob. Quod hæc ratio non est necessaria; nam, ait *Scotus sub V.* non apparet secundum rationem naturalem, quod detur vnus Rector hominum, secundum leges iustitiæ retributiuæ, & punitiuæ. At subdit estò id concederetur, neque sequitur euidens conclusio naturalis, quod duranda sit alia vita, in qua fiat remuneratio, & punitio; nam vnicuique in bono actu suo fit retributio sufficiens; sicut de supplicio, ait *August. lib. 1. Confess. cap 12. Iussisti domine, & ita est, vt sibi sit pœna omnis* pecca-

*peccator*, ita, quod ipsum peccatum, est pœna peccati.

82 Prob. 2. Ex *Scoto sub V.* Sancti probantes à posteriori resurrectionem ratione naturali, non intendunt facere, nisi persuationes probabiles. Et ideo S. *Greg. lib. 4. Moral.* in fine, positis ad hoc quibusdam persuasionibus, ait, *qui propter istas rationes noluerit credere, propter fidem credat.* Ita prorsus sunt illæ, quibus vtitur Paulus *Act.* 17. & 26. sic & 1. *Cor.* 15. de grano cadente. Et de exemplo Resurrectionis Christi, si *Christus resurrexit, & mortui resurgent.* Et omnes aliæ eius persuasiones, ex motiuo iustitiæ retributiuæ, proceduat, vel ex creditis, vel sunt rationes naturales probabiles, non necessariæ, & euidentes. Sed vt patebit hæc veritas est certa per fidem.

Resurrectio per fidem probatur.

83 Dico ergo secundo futuritio Resurrectionis est veritas certa, & infallibilis per fidem, seu reuelationem habita. Et communis cum *Scoto in 4. dist. 43. quæst. 2. X.*

84 Prob. Hæc veritas est certissima: & contrarium dicere, est hæresis. Sed non potest per viam naturalem haberi hæc certitudo: ergo per viam fidei, seu reuelationis.

85 Prob. 2. Vt patuit in *art.* 3. in Sacra Scriptura est reuelata, & in Symbolis fidei præscripta: ergo.

86 Prob. 3. ex alias adducto Chrysostomi loco in concione prima de Lazaro, circa finem. *Credebat Lazarus huius vitæ rei, huius vitæ finis terminari; erat enim ex eorum numero, qui gratiam Euangelij præcesserunt, quod si nunc his temporibus post tantam Dei cognitionem post egregiam resurrectionis spem, &c. adeo deiectis animis, ac miseris sunt nonnulli, vt ne horum quidem expectationis corrigantur, quid tandem est putandum Lazaro accidisse, etiam hæc desistito ancbora? nam ille, tale nihil vnquam philosophari potuit, eo quod non dum aduenisset tempus huiusmodi dogmatum.* Ergo est certa hæc veritas, quia dogma fidei post Euangelium, licet etiam ante saltem implicitè credebatur.

Fides cum ratione naturali suadet tantum; at cum reuelatione concludunt infallibiliter.

87 Prob. 4. *S. Ambrosius in libello de fide Resurrect.* licet multis exemplis persuadeat gentilibus, resurrectionem futuram, eò quod arduum quoddam eis apparet, quod corrupta corpora à piscibus deuorata, & in eorum substantias conuersa debeant aliquando resurgere: id tamen non rationibus naturalibus concludit, sed multis scripturæ locis. Et sic omnes alij Ecclesiæ Doctores probant hoc mysterium. Ergo veritas, & certitudo eius, etiò persuasibilis sit, tamen ex principijs fidei firmiter concluditur.

88 Hinc *Scotus in 4. dist. 43. quæst. 2.* in calce, postquam ostendit non potuisse Philosophos via naturali certò cognoscere, nec animæ immortalitatem, nec resurrectionis futuritionem, sic concludit. *Ex his apparet quanta sint gratia referenda misericordia creatoris, qui nos per fidem certissimos reddidit in his, quæ pertinent ad finem nostrum, & ad perpetuitatem sempiternam, ad quæ ingeniosissimi, & eruditissimi quasi nihil poterant attingere, vnde Augustin. lib. 13. de Trinit. c. 9. ait, vix pauci magno præditi ingenio vacantes otio, ad indagandam animæ immortalitatem potuerunt peruenire; sed si fides adsit, quæ est in eis, quibus dedit Iesus filius Dei fieri, nulla quæstio est, quia ipse suos credentes in hoc certissimos reddidit.*

## §. 6.

## *In quo satis sit Philosophorum argumentis.*

89 Non omnis dicta à Philosophis, erant ab eis probata per rationem; demonstratiuè.

ADuerto ex *Scoto in 4. dist. 43. quæst. 2. sub I.* quod non omnia dicta à Philosophis, erant ab eis probata per rationem necessariam, sed frequenter alias non habebant, nisi quasdam probabiles persuasiones, vel vulgarem opinionem præcedentium Philosophorum. Ideo Arist. 2. *de cælo t. 60. in cap. De duabus quæstionibus diffinitionibus*, sic loquitur. *Tentandum dicere, quod videtur dignum, reputantes promptitudinem imputari, magis verecundiæ, quam audaciæ, si quis propter Philosophiam stare, & parum sufficientias dilexit, de quibus maximas habemus dubitationes; vnde parua semper sufficientia sufficerunt Philosophis, vbi non poterant ad maiora peruenire, ne contradicerent principijs Philosophiæ.* Et addit ibid. Arist. *t. 60. in fine. De alijs astris dicunt Aegyptij, & Babylonij, à quibus multas credulitates habemus de vno quoque astrorum.* Ex quibus concludit *Scotus*, quod probationes Philosophorum in aliqua materia, non semper sunt demonstratiuæ, & euidentes, sed persuasiones probabiles.

Arg. Phyl.

Obijcitur 1. ad probandum naturaliter, quod resurrectio sit futura. Desiderium naturale non potest esse frustra, ex 2. *Meth.* sed homo appetit semper esse: ergo, cum hic appetitus naturaliter cognoscatur, sequitur, quod cognoscatur etiam futura resurrectio, per quam homo semper sit.

Desiderium naturale ad semper esse, an probetur.

90 Resp. *Scotus sub Y*, quod, vel desiderium est actus elicitus, vel naturalis propensio. Si primum non potest probari, quod natura hominis habeat rectè tale desiderium, nisi probetur in natura possibilitas æternæ existentiæ. Si autem arguatur naturaliter è conuerso, à possibilitate ad desiderium, ait *Scotus*, est petitio principij. At si sit sermo de naturali, idem dico, quod non potest asseri in hominis natura, nisi probetur, quod sit possibile.

91 Dices. Statim desideratur id quod apprehenditur: ergo dari potest desiderium naturale, imò est actus elicitus ex sola apprehensione æternæ durationis.

Quando aliquid cognoscatur non sem-

Resp. *Scotus*, desideratur secundum rationem rectam, vel erroneam, concedo;

semper appetitur secundam rationem rectam

emper secundum rectam, nego. Multa enim apprehenda impossibilia appetuntur, patet de Angelorum appetitu. Etiò autem homo appetat semper esse, non sequitur, quod naturaliter sit notum, dari hoc sempiternum existere; neque est notum naturaliter, quod homo sic appetens, non sequatur rationem erroneam. Hoc ergo probandum, quod semper esse apprehensum à natura; probetur per eamdem esse possibile, vt desiderium illud inferat conclusionem.

Si adesset in homine desiderium naturale ad semper esse, etiam in bruto esset,

92 Respondet *Scotus* 2. Si hoc desiderium naturale concludit æquè probaret de homine, & bruto. Tertio, quia Philosophus subdit. *Hoc autem in omnibus impossibile existere continuè, propter longe distare à principio; & ideo reliquo modo Deus complevit naturam continuam facere generationem.* Quasi dicat, cum desiderium naturale sit ad semper esse, in quibus est, hoc impossibile est in se ipso, sicut est possibile in continuatione speciei in diuersis individuis. Et ita conceditur in homine, sicut in alijs speciebus, id est non in vnico, sed in successione, & sic nihil concluditur. Cum dicitur fugiens vnum appositum, non fugit, nisi ob amorem alterius, inquit *Scotus*, verum esse pro illo nunc in quo fugit, & de quolibet signato, non verò pro infinito. Quia probandum esset, quod naturaliter notum sit, esse possibile sempiternum existere in homine.

Ob. 2. Est notum naturaliter appeti beatitudinem à quolibet naturaliter, ex 1. *Eth. cap.* 17. de generati, & 10. *Ethic. cap.* 10. de beatitudine in speciali. Sed naturaliter notum est, beatitudinem esse non posse, nisi sempiternam: ergo notum est naturaliter, hominem esse ordinatum ad beatitudinem sempiternam. Minor prob. ex *Aug.* 13. *de Trinit. cap.* 8. vbi probat non esse in hominis potestate nolle vitam beatam.

Naturaliter omnes appetunt beatitudinem, sed in genere si datur, non verò illam, quam fide credimus;

93 Resp. *Scotus sub Bb.* dist. min. est notum naturaliter appeti illam beatitudinem, quam credimus in speciali, nego, alio modo transeat. Non enim potest appeti beatitudo, quam nos Catholici credimus, nisi cognoscatur; at cognosci non potest ratione naturali, sed tantum per fidem. Ergo ex appetitu beatitudinis creditæ, non concluditur esse naturaliter notam resurrectionem futuram.

Ad illud Arist. de beatitudine speciali, dicendum, non esse eam quam nos credimus, sed illam, quam Arist. admittebat, scilicet speculationem altissimarum causarum perfectissimam, homini possibilem; quæ est valde vniuersalis. Imò ipse loquitur de speculatione possibili homini in vita ista. Nam ita subdit 10. *Ethic. cap.* 10. *Oportet, & corpus sanum esse, & cibum, & famulatum esse, non æstimandum multis, & magnis indigere fœlicem.* Ergo fœlicitas illa specialis, & contemplatio, quam nos credimus, cum sit perfectior quacunque possibili in vita ista, non est naturaliter nota, neque, quod sit finis vltimus noster; neque naturaliter notum, quòd à nobis absque principijs creditis, ac reuelatis appetatur. Ad illud Aug. dicendum, quod naturaliter appetitur vita beata, quæ cognoscitur naturaliter esse homini possibilis; & hanc non potest, non appetere homo; & naturaliter non est notum, quod semper existere sit homini possibile: ergo neque appeti potest.

Beatitudo possibilis appetitur.

Ob. 3. Naturaliter notum est, quod tota species non caret suo fine, quin eum in aliquo individuo consequatur. Sed naturaliter notum est, beatitudinem esse finem speciei humanæ, saltem in aliquo individuo. Ergo est per consequens notum, quod post has miserias, habebit homo operationes perfectas; sed non in sola anima, alioquin natura specifica non consequeretur finem suum; igitur in anima, & corpore; & sic naturaliter concluditur, aliquando futuram esse hanc vnionem.

Quæ adducuntur non concludunt naturaliter cognosci fœlicitatem.

94 Resp. *Scotus sub Cc.* dist.ma. Fine sibi possibili concedo, alio nego. Sed beatitudo credita non cognoscitur à natura esse sibi possibilem. Sic ad min. Cum dicitur est impossibilis in vita ista. Respondetur hoc non esse notum per rationem naturalem: Cum dicitur de infortunijs, ac miserijs, infirmitate corporis, imperfectione scientiæ, &c. ait *Scotus* concludi, quod ista repugnant perfectæ fœlicitati, quæ nota est competere intelligentiæ, non quæ nota est posse competere homini.

Ob. 4. Ratione naturali notum est, quod omnis species, quæ est de integritate vniuersi, est perpetua, quia totum integrum, est perpetuum. Sed homo est species perfectissima inter sublunaria, cum sit quodammodo finis omnium, ex 2. *Phys. t.* 24. Ergo esse deberet perpetuus; & sic est naturaliter notum, debere aliquando animas corporibus reuniri.

95 Resp. *Scotus* in via Philosophi esset respondendum, quod species humana perpetuatur per successionem generationum continuam non verò per continuationem alicuius, vel aliquorum in specie.

Ob. 5. Gentilibus erat notum quod corpora essent resurrectura: ergo antec. prob. omnes rationes in more habuerunt, reliquias, cineresque mortuorum seruandi; & hoc non alio ex capite, nisi quia naturali lumine cognoscebant, ea aliquando resurrectura. Imò *Sanctus Augustinus lib de cura pro mortuis gerenda cap.* 3. ait, *curam sepulturæ mortuorum esse propter fidem resurrectionis adstruendam.* Et S. *Cyrillus Hierosolymit. in Catech.* 18. volens gentiles conuincere, quod etiam ipsi resurrectionem cognoscant, inquit, *si non est resurrectio mortuorum, cur mortuorum spoliatores condemnas; si enim periit corpus, & desperata est resurrectio, cur prædo mortui maledicatur? videsne quod etiam si neges labijs infracta, tamen apud te manet resurrectionis conscientia.* Ergo naturali ratione probari potest futuram esse resurrectionem.

Resp. 1.

Gentiles cō-seruando cineres mortuorum tenebant corpora esse resurrectura, sed non euidenter hoc cognoscebant.

96 Resp. 1. Erat notum euidenter, nego. Coniecturaliter, vel quia ab aliquo fideli id acceperant, transeat. Tantum enim abest, vt Gentiles hoc mysterium scirent, vt ne possibile quidem putarent; & Doctissimi Athenienses inter quos, tunc Dionysius versabatur prædicante Paulo Resurrectionem mortuorum, eum deriderent, & tamquam anilia narrantem, vel fabulas, aut insanias à se ejicerent *Act.17.* fieri autem potuit, vt in aliquibus populis aliquod dogma fidei ex antiquis fidelibus, vel genitoribus, vel conciuibus, vel aliter secum conuersantibus, & sic Resurrectionis articulus inter eos teneretur, non tamen, vt quid naturaliter scibile; sed vt quid traditum, sicut, & alia à pluribus nationibus futura creduntur, quæ ab alijs didicerunt, nec tamen probare possunt.

2 resp. Illa conseruatio cinerū non fiebat ob resurrectionem, sed ob charitatem, & pietatem.

97 Resp. 2. neg. anteced. ad probationem, in primis, dico actum illum conseruandi cineres, aliasue defunctorum reliquias, vt arma, vestes, &c. non inferre notitiam resurrectionis, sed actum Religionis, pietatis, vel charitatis, seu amoris erga mortuos. Secundo, quia insignes quidam Philosophi id neglexerunt, vt apud Ciceronem, Theodorus, Cirænæus, Diogenes, Cinicus, & alij, qui sui corporis curam negligendam præceperunt. Imò de pessimis quibusdam hominibus, docuit Seneca *lib. de consolat. ad Martiam cap.* 25. animam, & corpus totaliter perire, his verbis. *Pessima mortui illius filij, & ipsi molestissima istic iacere ossa, cineresque non magis illius partes, quam vestes, aliaque tegumenta corporum; integer ille, nihilque terris relinquens fugit, & totus excessit.*

Aliqui enim insignes viri id neglexerunt.

August. est pro nobis.

98 Ad illud Augustini dico, non deduci ex eo, quod gentiles resurrectionem futuram cognouerint; sed totum oppositum; loquitur enim de cura, quæ de mortuis geritur inter Christianos, & dicit, *hoc esse propter fidem resurrectionis astruendam*. Ergo fide cognoscitur, seu astruitur resurrectio.

Cyrillus non conuincit fideles euidēter.

99 Ad illud Cyrilli dico in primis non esse argumentum demonstratiuum, quo infideles conuincat; facile enim potuissent respondere, quod leges puniunt mortuorum spoliatores, quia furtum, & spoliatio ex se est delictum puniendum; & certè non potest inferri consequentia resurrectionis ex tali lege, eiusmodi delicta puniente. Quod enim corpora defunctorum sint cum indumentis custodienda non infert ea esse resurrectura, quasi ijs debeant indigere. Secundo, qualemcunique vim habeat argumentum Cyrilli, aliud non infertur ex eo, nisi quod infideles humana credulitate; fideles verò diuina fide teneant mortuos resurrecturos; ac proinde eorum cadauera nulla temeritate, vel iniuria esse violanda. Et ita concludit argumentum eius, quod si index punit spoliatores mortuorum, certum est, eum credere, quod debeant resurgere; etiam si id labijs, seu ore neget. At hoc, non concludit, iudicem, euidenter, aut certò id scire. Ad fidem ergo pertinet notitia resurrectionis.

# DISPVTATIO IV.

## DE CAVSA EFFICIENTE RESVRRECTIONIS,

## ARTICVLVS I.

### *An Resurrectio mortuorum fieri possit virtute naturæ.*

SCOTVS *in 4. sent. dist.* 43. *qu.* 3. in principio, negatiuè respondet, docens eam esse supra naturam. Sed pro intelligentia.

Scoti mens.

1 Adu. 1. Nomine naturæ nos hic intelligere omnia entia creata; ita vt sensus sit, an per vires alicuius creaturæ, siue spiritualis, siue corporeæ, fieri possit hominum resurrectio.

Quid intelligitur nomine naturæ.

2 Adu. 2. Quod pro adæquata huius quæsiti solutione multa sunt videnda. Cum enim in resurrectione, ijdem numero, qui fuerant homines debeant resurgere, videndum primo est, an per vim naturæ res aliqua eadem numero possit redire. Secundo concesso, quod res aliqua, vel multæ redire possint eædem, quæ prius; an hoc concedendum sit de homine. Tertio, cum in resurrectione prius debeat reparari mixtum corporeum capax animæ, videndum an hoc saltem ab agente creato possit reproduci. Quarto, quia reparato mixto, animæ capaci, statim anima ei vnitur, videndum an hæc vnio fieri possit à causa creata.

Multa dubia soluenda.

Quæ quidem distinctionis gratia per plures §§. inuestigabimus.

## §. 1.

### *Vtrum virtute agentis naturalis res aliqua possit eadem numero redire.*

SCOTVS *loco cit.* tres adducit opiniones, vna Platonicis tribuitur ab *Aug. lib.* 12. *de Ciuit. cap.* 13. dicentibus cum Platone post annum magnum, id est post 36. millia annorum, omnia esse eadem reditura; quia hoc circuitu completur integer motus stellati Cœli intra Zodiacum; eo quod iuxta Ptolomæum in Almagesto in centum annis vnũ tantum gradum Zodiaci pertranſit. Secunda opinio, quæ est *Gotfredi quodlib.* 6. & Ægydij Rom. docet impossibile esse, quod aliquid idem numero redeat per virtutem naturalem. Tertia docet, posse quidem per naturæ virtutem, aliquid idem numero reparari, sed non omnia; neque homines, & hæc est *Riccardi in* 4. *diſt.* 43. *art.* 3. *q.* quam approbat *Scotus*.

Platonicorũ sent. de reditu hominum.

3 Dico 1. Virtute agentis naturalis, non solum non redibunt omnia eadem numero, sed neque possunt redire. Est communis cum *Scoto* ibi, & de fide. Contra Platonicos, aliosue Phylosofos, Ptolomæum, &c.

Virtute naturæ non possunt omnia redire eadem numero.

4 Prob. 1. principijs creditis. Si vera esset hæc sententia Platonica, sequitur, quod pluries foret ventura mors, & resurrectio; hoc est contra fidem: ergo. Sequela patet, nam si post 36. millia annorum homines ijdem redibunt; decursu temporum, secundum eosdem Phylosofos peribunt, deinde post alium similem circuitum, iterum redibunt. Minor ab August. probatur. Ex *Rom.* 6. *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*, Secundo, ex 1. *ad Thessal* 4. *Et sic semper cum Domino erimus*. Tertio, ex *Psal.* 11. *Tu autem Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum*. Et addit *August. loco cit. De sic opinantibus, benè subdit Psalmista in circuitu impij ambulant*; id est docent reditiones circulares.

Argum. ad impossibile.

5 Prob. 2. ex eodem *August.* Si vera esset Platonis sententia, beatitudo non foret vera, & perfecta. Nam rediturus esset homo ad huius vitæ miserias; & ita dum beatus esset, aut crederet se numquam rediturum; & sic esset falsa opinione beatus, vel crederet se rediturum; & tunc, cum timeret de miserijs futuris, non esset beatus.

Arg. de beatitudine.

6 Prob. 3. à *Scoto*. Fundamentum acceptum à Ptolomæo de tali motu improbatur per *Thebit*, qui probat, cælum stellatum non sic moueri ab Occidente in Orientem, vt prætendit Ptolomæus; quia tunc aliquando foret in principio Cancri noni cæli, stella illa, quæ alias fuit in principio Capricorni noni cæli. Et ideo ponit motum octaui cæli, vel stellati, esse in quibusdam circulis descriptis super principium Arietis, & Libræ noni cæli, & quod ille est quidam motus accessus, & recessus, secundum quod principium Arietis mobilis in suo circulo ascendit; & per oppositum caput Libræ mobilis in suo circulo descendit; & alius è conuerso capite Arietis descendente caput Libræ ascendit, & sic mouentur stellæ in octauo cælo, secundum latitudinem, & longitudinem simul. Vnde *Scotus* concludit, quod si ille motus probaretur in aliquo tempore compelli, in quo tempore non possent omnes orbes inferiores redire ad eumdem situm, quem habuerunt in principio illius motus, sequeretur propositum. Hæc *Scotus*.

1 Platonis sect. de motu cæli stellati nõ subsistit.

7 Prob. 4. Ad eum reditum eiusdem numero rei, non concurrit solum causa efficiens, sed etiam materia. Sed materia potest non esse eadem accidentaliter saltim, quia potest habere alium situm sub cælo, cum ex arbitrio agentis liberi possint corpora huc, atque illuc impelli. Secundo, quia potest esse diuisa, seu dispersa in plura frusta.

Ex parte materiæ,

8 Prob. 5. ex eodem *Scoto*. Ex hac positione sequuntur multa absurda in natura humana; primum, quod discere aliud non sit, quam reminisci, quod pro inconuenienti habet Arist. 2. *Poster.* t. 4. asserere, scilicet quod nobilissimi habitus sunt in nobis, & latent nos. Secundum est, quod actus liberi arbitrij subessent causalitati calorum; alioquin non possent ijdem redire. Et tamen id docuit Plato, ex Augustino, vbi supra dicente, *Sicut in hoc sæculo Plato, & in schola, quæ Academica dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro sæcula, & idem Plato, & eadem ciuitas, & eadem schola, ijdem discipuli reperti*. Sed addit *August. sed absit, vt ista credamus*.

Ex absurdis argum.

Concluditur ergo, falsam esse Platonicorum sententiam, quod post magnum sæculorum circuitum, ijdem redibunt, effectus.

9 Dico 2. Non est impossibile, quod aliquis effectus idem numero redeat per virtutem naturæ. Est *Scoti in* 4. *dist.* 43. *qu.* 3. *§. Quantum B. Riccardi ibid. art.* 3. *quæst.* 1. *in sol. ad* 6. *Bassolij dist* 43. *quæst.* 2. *art.* 3. *§. Quantum ad* 3. Nota autem, quod *Scotus* id tenet probabiliter.

Non est impossibile aliquem effectum redire eumdem numero virtute naturæ,

10 Prob. ex *Scoto* ibid. Radius, qui à Sole producitur ab instanti *A.* v. gr. & continuatur vsque ad *D.* est idem numero; tempus enim intermedium non destruit identitatem. Igitur, si in tempore intermedio destruatur, adhuc erit idem, si in sequenti producatur. Et ita concludi potest de omni effectu, qui continuè dependet ab agente.

11 Prob. 2. ex Riccardo, vbi supra, & ex Bassolio, qui accepit ab eo, & à Scoto, referente Riccardum. Licet in his, quæ per propagationem producuntur, natura non possit idem numero reproducere, in alijs tamen multis, id non videtur posse negari. Nam si terra inclusa in aliquo vase conuerte-

Fuidens arg. quod natura possit idem numero reproducere.

retur

retur in aquam; & iterum aqua illa in terram non videtur negandum, quod eadem terra producatur. Ita, si ignis incluſus in vaſe deſtruatur, deinde non diſperſa illa materia in eodem vaſe generetur ignis, non videtur negandum, quod idem eſſet numero ignis.

12 Prob. 3. ex eiſdem. Sicut ſe habet agens increatum ad reparandum aliquid ex nihilo, ita creatum ad reparandum ex aliquo. Sed agens increatum poteſt recreare ex nihilo aliquid iam annihilatum: ergo, & agens creatum.

13 Confirmatur ex eodem Baſſolio. Omne poſitiuum cauſabile de materia, eſt in ſe reparabile idem numero, ſicut prius. Alioquin Deus non poſſet illud reparare. Sed poteſt poni eadem materia, & idem agens, ergo poterit ab agente naturali idem reparari. Conſequ. prob. Ex 8. *Meth* 1.11.& 12 ſi idem agens, & materia eadem, effectus eſt idem: ergo.

14 Dices Ariſt. debet intelligi ſic, quando alia etiam ſunt idem, & præſertim tempus; nam ex 5. *Phiſ. tex* 11. *in fine*, & 12. *in principio*. *Non tantum eſt numeratio propter alietatem ſpeciei, & ſubiecti, ſed & temporis*;

Diuerſitas temporis nó ſemper ſequit diuerſitatem numericam ſubiecti.

15 Reſp. ex *Scoto* §. *Tertia opinio*, quod diuerſitas temporis non ſemper facit ad diuerſitatem numericam, ſi adſit idem agens, & idem ſubiectum, nam ſi agens aliquid producere vellet in inſtanti *A*; ſi tunc non cauſet, ſed cauſet in inſtanti *B*. idem erit cauſatum. Igitur, ſi cauſet in *A*, & in tempore intermedio vſque ad B, illud cauſatum deſtruatur, & iterum reproducatur in *B*, erit idem. *Nam tempus intermedium nihil facit ad identitatem rei permanentis*, quia permanens habet idem eſſe in tempore, & in terminis illius.

Inſtantia de influentia diuerſa ſolutus.

16 Inſtabis non eſſet idem, quia non adeſt eadem influentia agentis, ſed diuerſa. Contra dupliciter, ait *Scotus*, ſimilis influentia ſufficit ad identitatem effectus; nam ſi in inſtanti A, aliud agens approximaretur paſſo, produceret idem numero, quod hoc agens producit, & tamen influentia non eſſet eadem, ſed ſimilis. In noſtro autem caſu Influentia in inſtanti *A*, & *B*, eſſet ſimilis. Contra 2. influentia illa non eſt aliquid abſolutum receptum in cauſa ſecunda, alias hæc per illud receptum poſſet agere ſine cauſa prima, cuius influentiam recipit, quia iam haberet in ſe totum illud, propter quod indiget cauſæ primæ actione. Igitur non eſt aliquid receptum in cauſa ſecunda, ſed tantum ordo iſtius ad primam in cauſando continuè, & quantum eſt de ſe coagentem.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. In natura cuiuslibet rei adeſt potentia paſſiua ad reparari in identitate numerica. Ergo datur in natura etiam potentia actiua: alioquin paſſiua eſſet fruſtratoria. Ergo

17 Reſp. ex *Scoto ſub* 2. diſt. Conſequens adeſt actiua inter cauſas naturales, id eſt creatas, nego. Adeſt actiua in tota entium coordinatione concedo. Et per hoc potentia illa paſſiua non eſſet fruſtra.

Entia creata habent potentiam paſſiuam circa reparationé, ſed in ordine ad omnes,

Ob. 2. In natura datur duplex proceſſus, vnus reſolutionis, alter compoſitiuus. Ergo poſt deſtructionem alicuius rei factam à natura, poterit per eamdem res illa reparari.

18 Reſp. *Scotus ſub R.* diſt. ant. Datur proceſſus compoſitiuus ante reſolutiuum, concedo: poſt, nego. Et aſſignat inſtantiam. Poteſt enim quis diuidere in plures partes ens aliquod ſolidum, & tamen non poteſt illud reunire, ſeu continuare. Poteſt quis aliquem interficere, nec propterea poteſt viuificare. Eſto ergo aliquis effectus poſſit idem numero reparari, vt ſupra non tamen omnes.

Ob. 3. Si corrupitur aer, & ex eo fit ignis, deinde ignis corrumpatur, & fiat aer, & rurſum aer in ignem cõuertatur; ſecundus ignis eſt idem cum primo, non enim eſt diſperſa materia, & fieri poteſt vt adſit idem efficiens cum primo igne. Patet autem, quod ſecundum Phyloſ. 3. *Meth.* t. 11. & 12. ſi materia ſit eadem, & efficiens idem, effectus ſit idem.

Quando idẽ effectus reparatur,

19 Reſp. *Scotus* in fine quæſtionis, quod in eiuſmodi mutationibus, vel materia, eſt prorſus eadem, & non eſt diſperſa, idemque agens. Et ſic in hoc caſu idem eſſet effectus. Si vero iſtæ cauſæ non ſunt eadem, neque effectus eſt idem.

Ob. 4. Ex ſecunda concluſ. Poteſt virtute naturali aliquis effectus idem numero redire. Ergo & omnes non enim eſt maior ratio.

Quare non ſemper natura poteſt reparare omnes effectus,

20 Reſp. neg. conſequ. Diſparitas eſt, quia non ſemper virtute naturæ poſſunt haberi eadem omninò materia numero, neque idem agens. Si enim hæc omnia eadem, effectus ijdem ex Ariſt. doctrina redirent. Sed quoniam in corruptionibus rerum, materia diuiditur in plures partes, & ſic ſucceſſiue diſpergitur, vt colligi, & vniri naturaliter non poſſit; ideo ex parte ipſius non redit idem effectus. Idem de agente dicendum, quia ipſum quoque, vel deſtructum eſt, vel ſi ſit idem, non agit in eadem materia.

Arg. contr. 1, & 2. concl.

Ob. contra vtramque. Ex Ariſt. 2. *de Gen. t. vlt. Quorum ſubſtantia perit, non reuertitur eadem numero*. Et ideo de ſanitate perdita ex 5. *Phiſ. t.* 36. habetur, quod non reddeat eadem numero. Secundo, ex Ariſt *in Prad. cap. De oppoſitis*, à priuatione ad habitum impoſſibilis eſt regreſſio; quod, vt patet intelligitur de priuatione ſubſequente formam præcedentem in aliquo ſubiecto. Tertio, quia idem Ariſt. 8. *Meth. t.* 14. de vino, & aceto loquens, negat etiam de identitate ſpecifica. Quarto, in 6. *Bibie.* commendat dictum Agathonis Phyl. dicentis, *hoc ſolo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta ſunt*, ergo non poſſunt reduci præterita, quia tunc non ſolum fieret, vt præterita, non eſſent

præterita, sed de facto essent præsentia.

Arist. loca declarantur.

21 Resp. ad tria prima loca Arist. loqui de corruptione, quæ regulariter fit cum dispersione materiæ, & destructione agentis, vel cum identitate agentis, sed non causantis in eadem materia. Et *Scotus* soluit hoc argum *in dist. 43. quæst. 1. in solut. 3.* dicens, quod in primo loco Arist. distinguit circulationem in corporibus cælestibus, à circulatione corporum inferiorum, quæ fit per corruptionem; quia corpora cælestia, licet per motum, circulationem perficiant, tamen quia ibi non est destructio substantiæ, eadem numero redeunt corpora; in inferioribus verò, quia circulatio fit cum corruptione substantiæ, si reddeunt res non sunt eædem numero, sed specie; Patet autem, quod fiat circulatio rerum; aliquæ enim destruuntur, vt de aqua fit aer, & postea redeunt, quia aer in aquam conuertitur, de ligno fit ignis, & cinis, deinde ex cinere, ac terra fit iterum lignum, & sic de alijs. In his profecto, cum non adest identitas materiæ, & formæ, non adest identitas effectus reparati. Et propterea cum in 3. *Meth.* vbi supra, inquit, si materia est eadem, & agens est idem, effectus est idem, intelligendus est de identitate numerica, nam de specifica iam constabat.

Quando effectus est idem.

Cum autem negat, identitatem numericam, semper intelligitur, si materia, & agens non sint eadem. Ad secundam patet per idem, quia neque istæ causæ, neque dispositiones sunt eædem. Ad tertiam, de vino & aceto, vtique negandum est illa duo esse eadem specie, sed non dicit Arist. quod si eadem materia vini, idemque esset agens, ex corruptione aceti, non posset idem redire vinum. *Scotus* verò ad hæc ait, ideo à priuatione ad habitum non dari regressum, quia non redit eadem priuatio, quæ est terminus à quo. Si autem hæc rediret, quod quidem fieret, si rediret illa forma, quam comitabatur priuatio, tunc existente eodem termino à quo, eadem materia, & eodem agente, idem rediret effectus. Ad quartam,

Omnia obiecta ex Arist. desumpta, soluit Scotus

Respondet *Scotus* neg. consequ. Licet enim, neque Deus possit facere, vt quæ facta sunt, facta non sint, non proinde negatur, facere posse, vt quæ facta olim sunt, & destructa, redeant: quia non repugnat fuisse facta, & nunc esse præsentia per aliam factionem, etiam si in tempore medio destructa sint, cum identitas, vt sæpe dictum est, non pendeat à tempore intermedio. Ideoque ad illud de sanitate discontinuata, ait *Scotus*, sequi oppositum, non enim dicit Arist. quod sanitas in mane, & sero, si discontinuetur in die, non sit eadem; sed eadem prorsus dicenda est, quia discontinuatio non tollit identitatem.

Ob. 2. In omni corruptione materia diuiditur, ita quod ingenito numquam remaneat tota materia, quæ fuit in corrupto. Et sic deinceps in circulationibus generationum, & corruptionum. Ergo numquam poterit idem numero redire: quia ad identitatem numericam, ex 12. *Metb. cap. 2. t. 27.* requiritur eadem materia, & eadem forma.

Semper remanet aliqua pars materiæ, dum aliæ dispergantur incorrupto;

22 Resp. Ex *Scoto sub F.* in primis neg. consequ. Quia licet materia diuidatur in corruptione alicuius compositi, non tamen tota est dispersa, quia semper remanet ex ea aliqua pars. Igitur si idem agens applicetur illi materia effectus in ea productus esset idem; & si pars illa esset coniuncta cum alijs partibus, quæ non fuerunt in priori composito effectus ille secundum partem esset idem numero, & secundum alias non; & sic argumentum istud Ægydij non concludit vniuersaliter.

23 Resp. 2. neg. antec. Quia aliquando conseruari potest eadem materia absque diuisione, vt si, ait *Scotus*, in vase aliquo clausus ignis conuertatur in aerem; deinde denuò conuertatur aer in ignem, ibi non esset facta dispersio materiæ, ergo ex duplicì capite hoc argumentum non probat.

Ob. 3. Agens naturale agit per mutationem; sed non potest redire eadem mutatio: ergo neque idem effectus.

Vnitas rei nõ pendet ab vnitate mutationis,

24 Resp. neg. consequ. Quia non est in forma. Supponit enim, quod vnitas totius dependeat ab vnitate mutationis per quam factum est totum; nam dependet ab vnitate partium: ex locis enim Philosophi sæpe citatis, numquam ad vnitatem compositi requiritur vnitas actionis, vel mutationis. Imo si hoc esset verum, neque homo resurgeret idem numero. Certum est enim, quod actio illa, qua reunietur, vel forma corporis materiæ, vel anima corpori, non est actio, qua, vel forma corporis, vel anima producta est Item, nec illa mutatio materiæ, quæ erit per receptionem formæ corporis organici, vel animæ, erit illa numero, quę mutata fuit cum ex forma hominis transiuit ad formam corporis; vel cum à priuatione animæ transiuit ad formam animæ.

Manifesta instantia, & absurdum.

Instabis argum. à commutata proportione. Sicut se habet hoc productum ad productum, ita hæc productio ad productionem. Ergo à mutata proportione, sicut productum ad productionem: ita hoc productum ad hanc productionem. Sed non potest esse productum sine productione: ergo neque hoc productum sine hac productione. Sed hæc productio non potest redire eadem: ergo neque hoc productum.

Arg. à mutata proportione.

25 Resp. *Scotus sub G.* Commutata proportionem valere, tantum in quantitatibus proportionabilibus, ex *lib. 5. Euclidis prop. 16.* quod scilicet, si aliquæ quantitates sunt proportionales, permutatim quoque proportionales erunt, v. g. dicendo, sicut se habent quatuor ad duo, ita sex ad tria. Commutetur proportio comparando primum tertio, & secundum quarto (sic enim fit in commutata proportione), sic ergo sicut se habent quatuor ad sex ita duo ad tria. Sed quatuor

In quantitatibus proportionalibus.

ad

ad sex habent proportionem in sex qui altera; ergo etiam duo ad tria, in hac materia admittitur ab Euclide proportio.

16 At quia Arist. sæpè vtitur argumento à commutata proportione, præsertim in 2. *Priorum t. & cap.* 21, Si *A*, & *B*, conuertuntur, & *C*, ac *D*, conuertuntur; si *A*, & *C*, contradicunt *B*, & *D*, contradicunt. *Scotus* assumit declarationem huius regulæ arguendi à commutata proportione, sic. Valet hoc argumentum quoad conuerti, & contradicere. Id est, si quatuor extrema, seu termini ita se habeant, vt primum conuertatur cum secundo, & tertium cum quarto; si primum conuertitur cum tertio, secundum etiam conuertitur cum quarto, item si primum contradicit tertio, secundum pariter contradicit quarto; & in 2. *Peribermen* Arist. hoc aliud adducit exemplũ, sicut se habet ista *homo est homo*, ad istam *non homo est non homo*; ita ista *homo non est homo* ad *istam non homo non est homo*. Ergo per locum à transmutata proportione, sicut ista homo est homo contradicit isti, homo non est homo; ita ista non homo est homo, contradicit isti, non homo non est homo. Itaque commutata proportio valet quoad conuerti, & contradicere, quando termini conuertibiles sunt; vel sibi contradicunt. Si autem, ait *Scotus*, quis vtatur argumento commutatæ proportionis, quoad sequi, vel antecedere, committitur fallacia consequentis, vt si dicatur, *sicut se habet homo ad non hominem, ita animal ad non animal*; ergo permutando, *sicut homo ad animal tenet secundum consequentiam, sic, non homo ad non animal, esset vtique fallacia consequentis.*

Declaratio arg. à commutata proportione.

17 Ad rem autem accedendo non valet ista consequentia, quod non possit productum sine hac productione, quando commune determinat sibi aliquod commune, & inferius sub communi non determinat sibi inferius sub alio communi; quod possibile est; quia, ex eo, quod commune determinat sibi aliud commune, non sequitur, nisi quod inferius determinat sibi idem commune. Vt verbi gratia in hoc exemplo, sicut superficies se habet ad hanc superficiem, ita color ad hunc colorem; & è conuerso. Ergo permutando, sicut superficies non potest esse sine colore, ita hæc superficies sine hoc colore, non sequitur consequentia. Quia si commune aliquod determinat sibi commune, non tamen singulare determinat sibi singulare. Aliud exemplum; sicut se habet corpus ad hoc corpus, ita locus ad hunc locum: sed corpus non potest esse sine loco; ergo, neque hoc corpus sine hoc loco, non valet. Quia non eodem modo, hoc corpus determinat sibi hunc locum, sicut corpus, vt sic locum, vt sic. Ita in casu, licet productum esse non possit sine productione, & è contra; non tamen sequitur, quod esse non possit hoc productum sine hac productione; quia, neque productio in communi, neque productum in communi determinat sibi hanc productionem.

Ad rem arg. falsum est, quod productum non possit produci sine hac productione

Plura exempla.

18 Vnde concludit *Scotus* pro generali regula. Permutatio non tenet, nisi secundum idem, secundum quod prius præfuit proportio, vel secundum proportionale includitur in prima proportione, sicut proportionale esse secundum conuertibilitatem, includit esse tale secundum repugnantiam, seu contradicentiam. Quod dicit non euenire in argumento Ægydij, quia in hoc, quod est proportionale esse secundum superius, & inferius, vt productum ad hoc productum, & productio ad hanc productionem; non concluditur vniuersaliter esse proportionale à secundum inseparabilitatem talem in inferioribus, qualis est in superioribus: & proinde fallacia consequentis committitur, cum ex vna proportione, in qua extrema sunt proportionalia, infertur alia proportio, in qua non sunt proportionalia; plus enim concluditur, quam concedat medium.

Commutata proportio non valet, nisi remaneat idem commune, quod inest proportioni.

Ob. 4. Non potest redire eadem potentia rei destructæ in ordine ad formam: ergo neque eadem res. Anteced. prob. Vel potentia illa numquam fuit destructa, vel sic, & postea reparata est: neutrum potest dici. Non primum, quia potentia corrumpitur in aduentu formæ: & sic post primam reductionem ad actum, non manet eadem potentia. Neque secundum quia, sicut formæ succedit alia priuatio diuersa ab illa, quæ præcessit eam, ita resoluitur in aliam potentiam, si in aliquam resoluitur. Tandem quia ad præteritum non est potentia.

19. Resp. hoc argum. esse solutum in *disp. 1. art. 2* nam, *Scotus in hac dist. 43. q. 3. sub K.* dicit hoc argum. militare etiam de Deo, quia adest repugnantia ex parte obiecti, ne idem possit reparari. Propterea breuiter, dico iuxta diuersas responsiones *Scoti* circa pluralitatem potentiarum pro formali acceptarum: quod principium potentiale, seu subiectiuum manet semper idem potentia vero formalis, quæ est respectus realis materiæ ad formam, & è contra, redit eadem si forma redit, & sic cessat omnes difficultas, per hanc enim potentiam respicit formam, & eandem, etiam infinities reducibilem. Secundo dicitur, quod si præter istam potentiam, seu habitudinem vniuersalem principij subiectiui ad formam, conceduntur potentiæ aliæ, seù respectus formales ad singulas formas, potest etiam concedi, quod à principio creationis adfuerunt in materia, tot potentiæ nedum specie, sed numero distinctæ, quot sunt possibiles formæ specie, & numero distinctæ; imò tot potentiæ numero respectu eiusdem formæ, quot vicibus hæc forma est inducibilis in materia. Et ita estò corrumpatur vnus ex his respectibus, seù potentijs, remanet alia, & ita deinceps. Alias responsiones, vide in *art. 2. disput. 1.* Imo addit *Scotus sub L.* Qui negaret istas potentias, seù respectus, & concederet tantum po-

Arg. solutum in 1. disp.

Potentia duplex pro subiecto, & pro formali.

Quot potentiæ totales in materia.

potentiam illam, quæ dicit respectum recipientis ad formam receptam, expediret se breuiter de tota illa briga, quia quot ponantur nihila, non est cura. Illa autem quæ est realis relatio formæ ad materiam, & è contra redit eadem si forma redit eadem.

30 Ad illud de præterito responsum est in citato *art.2. disp.1.* quod ad præteritum, vt præteritum, non est potentia; sed ad rem præteritam, quatenus de nouo futuram; & hoc non repugnat, quia dicitur specificatiue præteritum.

Ob. 3. Si posset virtute agentis naturalis aliquid destructum redire, possent omnia. Sed hoc est falsum: ergo. Prob sequela, quia non videtur maior ratio de vna, quam de alia.

Quare per agens naturale potest aliquid reproduci, & non omnia.

31 Resp. neg. sequ. & probationem. Maior autem ratio est, quia in aliquibus fieri potest, vt inueniantur simul coniuncta eadem materia, & idem agens cum alijs dispositionibus requisitis ad identitatem: Quod est impossibile respectu omnium; imò difficillimum, vt de vno etiam verificetur hæc doctrina, & defendit eam *Scotus* tamquam casum Metaphysicum: quia re vera est talis cum sit fere impossibile, vt eadem materia non dispersa, sed omnino eadem numero supponatur eidem agenti numero, & ideo numquam per naturam redit idem effectus numero, sed si illa duo vnirentur, rediret. *Bassolius*, tamen *in dist.43. quæst.2. §. Quantum ad 3.* ait posse fieri, sed numquam fiet.

## §. 2.

## An virtute naturæ hominis, corpus possit redire idem numero.

32 Adu. duo hic posse inquiri. Primum, an sit quid implicans, & naturæ repugnans, vt aliquod corpus humanum possit redire idem. Secundum, an sit repugnans naturæ, vt per eam corpus humanum redeat idem, eo modo, quo redibit in resurrectione generali; sed nota quod *Scotus* id tenet, vt casum Metaphysicum.

Casus metaphysicus, nó repugnare naturæ, vt corpus humanum redeat idem numero.

33 Dico 1. Non est Metaphysice repugnans naturæ, seu impossibile virtuti naturali, vt aliquod corpus humanum mixtum redeat idem numero. Ita *Scotus in 4. dist.43. quæst.3. §. de 2. Bassolius Scoti discipulus in 4. dist. 43. quæst.2. §. Quantum ad 3. Fataresius in Comment. huius quæst.* & Scotistæ omnes. Sed tenent hoc numquam esse futurum, quia Deus impedit.

34 Prob. Ex dictis in præced. conclusione. Potest effectus aliquis redire idem numero, si eadem materia applicetur sub eodem agente non impedito. Igitur si eadem materia seminis rediret in matricem virtute naturæ posset idem corpus mixtum redire. Igitur non est naturæ repugnans hæc reditio.

Quid esset necessarium, vt corpus redeat idem numero,

35 Prob.2. Si eadem materia seminis ex qua constabat corpus humanum, poneretur in diuersa matrice, & per diuersum numero agens, adhuc corpus ex ea formatum, esset idem numero: sed possibile est, vt naturaliter per multas transmutationes redeat eadem seminis materia in alia matrice: ergo possibile est metaphysicè idem corpus numero, per naturam redire, licet numquam ex impedimentis, Deus permittet redire.

Omnes arg. propositiones probatur

36 Maior, quæ assumit aliquod difficile sic probatur. Ad saluandam identitatem numericam effectus, non est necessaria identitas numerica agentis, sed sufficit identitas numerica materiæ, & identitas specifica agentis, quæ æquiualet numericæ, & sic probat. Si hic ignis in aliquo instanti, ex aliquo ligno deberet generare ignem, & pro illo instanti applicetur tali ligno alius numero ignis, idem numero ignis producitur ex hoc igne, sicut produceretur ex illo; idem probat *in 2. distin.20. quæst.2.* C. ex Arist. 8. *Met. t. cap.11.* Et ideo defendit cum *Greg.4. Moral. cap. 22.* quod si innocentia stetisset ijdem solum nati fuissent electi, qui etiam nunc nascuntur, licet nunc non nascantur omnes ex parentibus electis, sed innumeri ex damnatis. Neque ista varietas parentum, variat, aut diuersificat numero electorum corpora, quia eadem seminis materia, quæ nunc in matrice parentis damnatæ inducitur per parentem etiam damnatum, fuisset in statu innocentiæ inducta in matricem electæ per parentem electum; & qui nunc est filius reprobi hoc modo, fuisset filius electi.

Agens non facit ad identitatem numericam effectus,

37 Minor prob. Non videtur impossibile naturaliter, quod per diuersas transmutationes, materia hominis corrupti posset euadere iterum semen humanum, & esse in matrice: quod esse possibile, Tataretus sic demonstrat; quia, si parentes occiderent, & manducarent filium, iam materia illa posset in seminis naturam transire, & iterum in matricem decidere. Potest item casus formari alio modo supposita sententia nuper firmata, quod pro identitate numerica effectus sufficiat identitas specifica agentis, caro humana posset per multas transmutationes in cibum ferarum, vel piscium conuerti in aliam substantiam, & quæ materia fuerat sub forma carnis, &c. esse sub forma piscis, vel feræ, aut fructuum; deinde substantia piscis, feræ, vel fructus fieri cibus, & substantia hominis; & sic cum semen supponatur esse superfluum alimenti, vel purior sanguis hominis, posset iterum materia illa esse: sub forma seminis, & sic redire idem corpus organicum per aliud agens idem specie, sed numero diuersum.

Modus redeundi idem semen.

Dices. Est absolute impossibile, quod omnes partes materiæ redeant; & præsertim illæ primigeniæ, quæ primo fuerunt sub formæ seminis: Secundo materia ossium medullæ-

sum

rum, &c. non videtur posse aliquando reduci in naturam seminis, cum ista hæc omnia in terram, aerem, aquam, & alia mixta resoluantur.

Difficile est talem reditū, sed non impossibilis.

38 Resp. vtique difficile esse; at non videtur impossibile, saltem est casus metaphysicus. Agnosco difficultatem, quia esto puer aliquis à pisce, vel apro deuoratus, conuerti possit in substantiam apri, & substantia huius in substantiam hominis, imò patris eiusdem pueri, tamen nec tota illa materia, nec omnium partium æterogenearum conuerteretur in substantiam feræ, vel piscis, nec tota materia horum in substantiam hominis; Verum negari non potest, quod aliqua, vel aliquæ partes possint conuerti; & sic haberetur intentum, quod eadem materia, hæc enim est homogenea, & subderetur formæ seminis agentis eiusdem sine numero, sine specie, & sic esset possibile in casu metaphysico, vt rediret idem corpus organicum.

39 Sed re vera, licet subtilissima sit hæc speculatio, & casus metaphysicus; tamen certissimum existimo, cum Bassolio Doctore Plano, ac profundissimo in 4. *sent. distin.* 43. *qu.* 2. *S. Quantum ad* 3. quod licet esset possibile, vel mixtum corporis humani, vel etiam alium effectum corporeum iam destructum per multas mutationes idem redire; tamen Deus impedit, nè natura perueniat ad talem terminum, in quo fieri posset illa vltima transmutatio, quia ordinauit numquam se cooperaturum creaturæ, sed hoc opificium suæ virtuti reseruauit. Ideoque numquam perueniet natura ad operandum, vt effectus idem numero redeat.

Ratio validior negandi sit vnquam posse fieri à natura.

40 Et certè id maximè dicendum est de reditione eiusdem corporis humani; quia si natura posset in effectu id ponere, iam dari posset resurrectio hominis naturaliter. Cum enim statuerit Deus, secundum communem prouidentiam, ad positionem corporis organici, statim producere animam; si corpus illud esset idem numero, eandem exigeret animam numero; & sic, sicut naturaliter per hoc dicitur homo producere hominem; ita per idem naturaliter reproduceret, quod est absurdum. Secundo, si ad positionem talis mixti, reproducti virtute agentis naturalis, alia anima deberet ei dari. Sequitur, quod in resurrectione generali, vel duæ animæ essent futuræ in eodem corpore, vel vna remaneret sine suo corpore, & vtrumque est absurdum: ergo dicendum, quod, licet in casu metaphysico esset possibile, quod per diuersas mutationes, natura posset reproducere aliquando idem corpus; numquam tamen à Deo permitteretur id euentu-rum.

Ex absurdo.

Est impossibile, quod natura reproducat aliquod corpus humanum, sicut in resurrectione Dei virtute fiat.

41 Dico 2. Est omnino impossibile, quod agens naturale, vel tota coordinatio causarum naturalium possit efficere, vt vnum, vel plura corpora possint in identitate numerica redire, eo modo quo redibunt in resurrectione generali. Ita *Scotus in* 4. *dist.* 43. *quæst.* 3. *S. De secundo M. & N.* & omnes Sententiarij ibidem, & communis.

Arg. ex perfectione mixti humani.

42 Prob. ex *Scoto ibid. N.* Tota natura actiua, in transmutatione est alligata cuidam ordini formarum, vt non possit immediate transire ad vltimam, quam intendit: ergo. Anteced. prob. Non potest natura facere ex acero vinum immediate; neque vinum ex aqua, neque è contra; nam semper procedit ab imperfecto ad perfectum. Solus autem Deus non est limitatus ad hunc agendi modum; sed immediatè ex vno subiecto producit quamcumque formam, conuertendo quodlibet in quodlibet. Consequ. primi argumenti probatur; nam mixtum corporeum humanum est perfectissimum inter omnia corruptibilia, & ad ipsum est iam decretus magnus formarum numerus, vt ponatur in esse, puta seminis, sanguinis, carnis, &c. At non ita reparabuntur humana corpora in resurrectione, sed immediatè ex cineribus, vel puluueribus, vel ex omnibus alijs rebus, in quas fuerant resoluta humana corpora, & subito reparabuntur. Ergo non potest tota natura creata hoc modo reparare.

Arg. cont. 2.

34 Prob. 2. ex mox dicendis de causa efficiente resurrectionis.

Ob. contra 2. Omne quod corrumpitur resoluitur in id de quo factum est, ex 1. *Phis. tex. & com.* 66. & 3. *Phis. tex. & com.* 45. igitur remanet eadem possibilitas in tali subiecto in ordine ad formam corruptam; & sic, ab eadem natura poterit reproduci.

Cur non possit corpus human. reproduci, sicut in resurrectione.

44 Resp. dist. consequ. Poterit fieri, sicut prima vice factum est, concedo, alio modo, nego. Hoc enim est probandum, quod possit natura subito collectis cineribus, vel destructis alijs substantijs, in quas fuerat conuersa humana caro, formari corpus perfectè organizatum; quod est impossibile, potentia autem illa, quæ remanet in tali materia, est remota; & sufficit, si ab aliquo agente possit reduci ad actum, saltem ab increato.

Ob. 2. Potest natura reducere, seu reparare eandem terram numero: ergo, & idem corpus. Anteced. prob. Potest terram in aliquo vase inclusam conuertere in aquam; deinde eandem aquam immediate conuertere in terram.

Disparitas cur terra in aquam à natura conuertatur.

43 Resp. neg. conseq. & paritatem. Quia, licet terra possit immediatè conuerti in aquã, & è contra: non tamen potest conuerti in corpus humanum, quia huius formatio requirit multo plures transmutationes. Et licet per multum temporis spatium posset id perfici: non tamen eo modo, quo in resurrectione vniuersali fiet. Et ideo hæc erit totaliter miraculosa, vt infra apparebit.

*

## §. 3.

### *An causa naturalis possit saltem reunire animam corpori.*

46 ADuerto sensum esse; supposito, quod natura non possit reparare corpora hominum in resurrectione, sed hoc fiet à Deo: an quando virtute diuina, corpora erunt perfectè reparata, natura possit animas vnire corporibus.

Natura non potest reunire animas corporibus a Deo perfectè reparatis

47 Dico. Natura neque poterit vnire animas corporibus perfectè reparatis per Dei virtutem. Est *Scoti in 4. dist. 43. quæst. 3. §. De tertio O, & P.* & communis.

48 Prob. Ex *Scoto sub O.* Anima, nec à se ipsa, nec ab alia creatura potest illis corporibus reuniri: ergo. Antec. prob. de primo, actio reunitiua, est actio causæ efficientis. Sed forma, & efficiens non coincidunt in idem numero ex 2. *Phisi. & com.* 70. ergo, cum anima sit causa formalis hominis non potest esse causa efficiens eiusdem. De vtroque probatur in sequenti.

Multæ rationes ad idem.

49 Prob. 2. Causa æquiuoca debet esse perfectior effectu: ergo, nec ab anima, nec ab alia creata forma, potest fieri reunitio animæ. Consequ. prob. quia totum, quod ex reunitione resultat, est perfectius sola anima, & omni alio composito creato, siue animato, siue non. Anteced. prob. Nam ex *Augustin. lib. 83. qq. quæst. 2. omne, quod fit ei, à quo fit par esse non potest; alioquin iustitia, qua sua vnicuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est.* Igitur de causa æquiuoca loquitur, nam iustitia, ait *Scotus* in causa vniuoca requirit æqualitatem, in æquiuoca vero eminentiam. Et confirmat hoc *Aug. lib. super Gen. cap.* 12. quod est etiam Auic. 6. *Metb. cap.* 3. Agens est præstantius passo, quod dependet ex alio principio, scilicet agens est perfectius suo effectu formali. Ideoque, cum homo sit simpliciter perfectior anima, & quolibet alio creato ente, præsertim inanimato, non potest reparari ab anima, vel alio creato ente.

A pari arg. de prima vnitione.

50 Prob. 3. Secunda vnitio non est inferioris, aut imperfectioris ordinis à prima. Sed hæc non potuit fieri ab aliqua creatura: ergo neque illa. Maior prob. Nam resurrectio ex *Damasc. lib. 4. fidei Orth. cap. 19. Est ista, quod cecidit, ac dissolutum est secunda surrectio:* ergo necesse est, vt ab eodem agente, à quo anima fuit prima vice vnita corpori, vniatur in secunda.

Ex Dionysio rgum.

51 Prob. 4. Ex *Dionys. de diu. nom. c. 6.* vbi de Resurrectione loquens ait, *Res vitalitati visa est contra naturam; mihi autem & veritati supra naturam:* sed principalius, quod in resurrectione adest, est vnitio animæ cum corpore; nam corpus secundum se potest à natura formari; ideo hæc actio non est contra naturam: vnitio vero animæ non fit à natura, sed à Deo: ergo neque reunitio.

A pari ex Riccardo.

52 Prob. 5. Ex *Riccardo in dist. 43. ar. 3. quæst. 2. ratione 3.* ex *Mag. Sentent. lib. 2. dist. 1. cap. pen.* Adeptio gloriæ non est maioris difficultatis, quam animæ ad corpus vnitio, eo quod per dictam vnionem homo potest scire, Deo non esse impossibile sublimate creaturam rationalem ad suæ gloriæ participationem: sed adeptio gloriæ non potest effici à natura. Ergo neque animæ reunitio.

Arg. contra.

Ob. 1. Anima naturaliter, & cum propensione vnitur ad corpus: ergo per naturam.

Plura requiruntur ad construendū quam destruendum.

53. Resp. dist. antec. Naturaliter, id est secundum inclinationem, & non violenter; concedo. Naturaliter, id est per actiuam virtutem id causantem, nego. Dicetur autem infra, quomodo anima naturaliter in hoc casu se habebit, & quare resurrectio non sit dicenda naturalis, sed supra naturam.

Ob. 2. Anima separatur à corpore ob indispositionem mixti. Ergo eodem modo vniri potest, sicut separata est. Sed est separata naturaliter. Ergo poterit vniri naturaliter.

54 Resp. neg. consequ. Plura enim requiruntur ad construendum, quam ad destruendum, & præsertim in ijs, quæ non fiunt à sola natura. Quia ait *Dion. lib. 4. de diuin. nom. Bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.* Esto ergo statuerit Deus, sicque humanum opificium disposuerit, vt quoties mixtum amittit semetriam humorum requisitam ad perfectæ organizationis conseruationem, anima separetur, & Dei ipsius virtute ad locum sibi destinatum transferatur: tamen non reliquit in animæ potestate, vt si corpus reparetur, ex semetipsa accedendo illud informet, ac viuificet, sed in sua retinuit potestate, vt sicut prima vice eam corpori vniuit, ita & in secunda reuniat.

## ARTICVLVS II.

### *Quanam erit causa efficiens resurrectionis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. qu. 1. sub F. quæst. 2. A.* & explicatius in *qu. 3. O. & P. & quæst. 4.* per totam, docet; causam efficientem resurrectionis, Deum esse, quod est de fide.

Plures causæ resurr.

55 Adu. Quod respectu resurrectionis plures causæ efficientes possunt assignari, quædam principalis, seu physica, quæ propriè efficiens est, quædam ministerialis, quædam meritoria, & quædam exemplaris. Hic de prima agimus in sequentibus de reliquis.

56 Adu. 2. ad resurrectionem efficiendam

ex

ex parte termini, hæc sunt necessaria. Primò collectio omnium partium materiæ, quæ fuerunt de necessitate, & integritate corporum humanorum, essò sint sub formis diuersis, terræ, ligni, aquæ, &c. Secundo est necessaria corporum formatio, cum perfecta organizatione. Tertio tandem animarum, cum corporibus resurrectio. De his ergo omnibus operationibus, siue collectiuè, siue disiunctiuè acceptis, à quo fieri quærendum est. Has enim faciens dicitur efficiens causa resurrectionis. Ideo

Requisita ad resurrectionem.

57 Dico causa efficiens physica, & principalis resurrectionis vniuersalis hominum erit Deus, scilicet Sanctissima Trinitas. Ita *Scotus* locis cit. *S. Thom. in 4. dist. 43. q. Vn. art. 2. quæst. 1. D. Bonauent. in 4. dist. 43. q. 3. & vlt.* & omnes Ecclesiæ DD.

Deus erit causa efficiés resurrect.

58 Prob. 1. ex 1. *ad Thessalon 4. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo.* Glossa Interlin. ait, *non solum suscitabit, sed adducet.* Glossa Ordinar. ait, *eos, qui dormierunt, & si incinerati adducet.* Glossa Lyran. ait, *ita & Deus, qui suscitauit Iesum*, & post. *Eos qui dormierunt*, ait, *somno mortis.* Ergo Deus est causa principalis efficiens resurrectionis.

59 Conf. ex eadem Glossa Lyrani, quæ super illud, *Non præueniemus eos, qui dormierunt*, iterum ait, *citius illis resurgendo, qui iam ante diu mortui sunt, quia resurrectio fiet virtute diuina, qua operatur in instanti:* ergo.

60 Prob. 2. ex 2. *ad Cor. cap. 1. Vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos.* & *cap. 4. Scientes quoniam, qui suscitauit Iesum, & nos cum eo suscitabit, & constituet vobiscum.* Ergo cum Deus suscitauerit Iesum, ipse erit efficiens causa nostræ suscitationis.

S. Dionysius.

61 Prob. 3. ex *S. Dionysio de diu. nomin. cap 6.* sic de resurrectione loquente. *Res resuscitati visa contra naturam, sed mihi, & veritati supra naturam, qua secundum nos est natura fortissima diuina vita:* ergo resurrectio est opus Dei.

Iren.

62 Prob. 4. ex *S. Irenæo lib. 5. adu. hæres. cap. 3.* dicente, *Refutant potentiam Dei, & non contemplantur, quod est verbum, qui infirmitatem intuentur carnis, virtutem autem eius, qui suscitat eam à mortuis non contemplantur*, & post, *inuenietur perceptrix, & capax caro virtutis Dei, qua ab initio percepit artem Dei.*

Ambros.

63 Prob. 5. ex *S. Ambrosio lib. 4. in Lucam cap. 4.* in fine, *liberare à dæmone, & homines, sed in verbo Dei possunt; resurrectionem mortuis imperare, diuinæ solius est potestatis:* ergo.

Augus.

64 Prob. 6. ex *D. Augustin. serm. 139 de tempore*, sic loquente. *Vnde fieri potest, vt homo resurgat? dico ego Deus est, qui facit, & tu dicis fieri non potest. Non dico da mihi Christianum, da mihi Iudæum, sed da mihi paganum, multorum idolorum cultorem dæmonum seruum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem negare Christum potest, negare Deum omnipotentem non potest quem tu ergo credis Deum omnipotentem, ipsum ego dico mortuorum suscitatorem.* Ergo Deus est causa efficiens resurrectionis.

65 Prob. 7. Omnium cæterorum, quæ miraculosè fiunt resurrectiones à Deo fiunt, & ipsamet Christi resuscitatio à Deo facta est: ergo etiam vniuersalis. Anteced. prob. De resurrectione Christi humanitatis à Deo factæ *Act. 2. v. 24. Quem Deus suscitauit à mortuis*, & Glossa Ordin. ait, *suscitauit secundum humanitatem, quam maximè oderant. Act. 3. v. 15. Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis.* Glossa Lyrani ait, *Deus suscitauit sua omnipotentia.* & *v. 26. Vobis primum Deus suscitans filium suum.* Glossa Ordin. ex *Beda* ait, *intuendum est, quod eumdem filium Dei, quem semen Abrahæ nuncupauit, propter duas eiusdem naturas, ne vel hominem tantum Christum, vel alterum hominis, alterum Dei crederent filium.* Glossa verò Lyr. ait, filium suum, quia inter Iudæos fuit natus, & conuersatus. Idem habetur in *cap. 4. v. 10.* idem ex *cap. 10. v. 40. Hunc Deus suscitauit tertia die*, ait Glossa Interlin. *Deus* id est *Pater, vel diuinitas*, in *cap. 13. v. 30.* vbi dicitur de Christo iam mortuo, *Deus verò suscitauit eum tertia die*, ait Glossa Interlin. *Diuinitas sua, quæ cum Patre, & Spiritu sancto vna est.* Idem sexcenties habetur in Sacra Scriptura *Act. 17. Rom 4. 8. & 10. 2. Cor. 1. & 4. Gal. 1. Ephes. 1. Philipp. 1. Coloss. 2. 1. Thess. 1. ad Heb. 11. 1. Petri 1.* & alibi, in quibus habetur, resuscitationem Christi esse effectum diuinitatis omnipotentis, non autem humanitatis Christi; nisi, vt dicetur meritoriè, & moraliter.

Humanitas Christi a Deo resuscitata.

Clarum arg.

66 De resuscitatione aliorum mortuorum, quod sit opus Dei. Prob. 1. ex generali ratione *D. Ambros. supra in rat. quinta*, allata. Secundo ex 3. *Reg. cap. 17.* vbi Elias suscitaturus pueruum viduæ, ter orat ad Deum, *Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius, & exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* & Glossa Lyr. ait tribus vicibus eum orasse, quia profitebatur fidem Trinitatis, quia fides hæc maxime operatur in operibus miraculosis. Idem ferè habetur *in 4. Reg. cap 4.* de resuscitatione alterius pueri patrata ex meritis Elisæi. Sed præclarissimum est argum. quod ex ipsomet Christo desumitur in suscitatione Lazari *Io. 11.* vbi suscitaturus Lazarum hæc facit, *Iesus elevatis sursum oculis dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset voce magna clamauit, Lazare veni foras, &c.* Glossa Ordin. ait, *sed propter populum. His verbis se gloriam Patris quærere, sicut in aliis operibus ostendit. Nam,*

Omnes resuscitationes mortuorum sunt à Deo.

Aliquæ narrantur.

*qui secundum hominem minor erat Patre, ab eo petit suscitationem Lazari, & ideo se exauditum dicit propter circumstantes, vt sic crederent Dei filium.* Glossa vero Lyr. ait, Christi oratio ponitur in suscitatione Lazari, quod facit ad declarationem miraculi, quia Iudæi Christo imponebant, quod faceret miracula virtute dæmonis: quod ostendit falsum, per hoc, quod faciendo, orat Deum. Et post assignans causam, quare in hoc miraculo gratias egit, antequam fieret, cum potius debuisset petere, vt fieret, dicit Lyran. Deus enim Pater cælestis magnificentissimus est: & ideo ex gratiarum actione de præteritis, ad beneficia sequentia provocatur. Hoc enim est proprium magnifici, vt habetur 4. *Ethic.* & post. *Ego autem sciebam, &c.* ait Lyran. In his enim quæ Christus absolutè volebat, deliberatiua voluntate conformabatur diuinæ voluntati, & sic exaudiebatur: sciendum tamen, quod orate Patrem conuenit Christo ratione humanitatis, in qua est minor Patre. Et sic de alijs mortuis à Christo suscitatis dicendum, quod vt Deus eos suscitabat physicè, & efficienter, vt homo verò meritoriè, sicut de alijs eius miraculis diximus de virtutibus Christi hominis.

Christus quare ante resuscitationem Lazari egit gratias Patri

67 Ex quibus infertur euidenter, quod si neque Christo, vt homini competit mortuorum suscitatio effectiuè, & principaliter, sed vt Deo, multò minus competit alteri puræ creaturæ. Et minimè potest eis competere vniuersalis resuscitatio.

68 Prob. tandem à sufficienti. Resurrectio fiet in instanti: omnium corporum materiæ, etiam si in substantias ferarum, vel in elementa, lapides, ligna, aliaue mixta conuersæ, erunt simul colligendæ. Corpora omnia in ossa, neruos, carnis, humores, &c. perfectè sistenda, & organizanda. Animæ omnium, è cælo, limbo, purgatorio, ac inferno, alioue si adhuc adsit locus, in quo aliquæ sint condemnatæ euocandæ, adducendæ, & corporibus in instanti vniendæ. Quænam autem creatura tantæ virtutis est, vt hæc omnia possit simul efficere, si neque vnum corpus per innumeras mutationes potest reparare. Remanet ergo, vt sicut resurrectionem futuram, fide diuina, Deo reuelanti credimus, ita & totum hoc negotium ab ipsomet Deo perficiendum credamus.

A sufficienti ratio:

✠

## ARTICVLVS III.

### *An Christus futurus sit causa efficiens Resurrectionis, & quomodo.*

Scoti mens

SCOTVS *in 4. sent. dist. 48. quæst. 1. §. Ad argumenta, ad 2.* hæc habet. *Resuscitatio corporum, & iudicium possunt competere Christo homini, vt imperanti, licet imperio subauctentico; quia respectu illorum potest habere dominium minus principale; saltem accipiendo resurrectionem pro illis præambulis, quæ fiunt ministerio Angelorum, quia Christus habet imperium efficax respectu potestatis Angelorum, similiter habebit imperium efficax illius sententiæ ferendæ etiam ipse secundum naturam humanam.* Hæc *Scotus*.

69 Adu. artic. titulum esse clarum: videndum ergo est, an Christus, vt homo, concurrat effectiuè ad resurrectionem: & si non effectiue, quot modis concurrat: an meritorie, instrumentaliter, exemplariter, imperatiuè, vel aliter.

Quomodo Christus cócurrit ad resurrectioné,

70 Adu. 2. quod hæc quæstio supponit aliam in *tr. de Incarnat.* agitari solitam de potestate humanitatis Christi circa opera miraculosa; supponimus enim, vt certissimum in nostra sententia, diuinitatem operatam in eo miracula efficienter, humanitatem verò meritoriè, quatenus ad eius præces, nutum, & efficacem voluntatem, Deus operabatur maxima, & dignissima miracula, vt ipsemet testatur *Io.* 11. in resuscitatione Lazari, ibi enim, *elevatis oculis sursum, dixit; Pater gratias ago tibi quoniam audisti me; ego autem sciebam quia semper me audis.* Ideo *Luc.* 22. ait, *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Ioan.* 17. *Nunc autem pro eis rogo tantum. Io.* 14. *Rogabo Patrem, & alium paraclitum mittet vobis Heb.* 5. *Exauditus est pro sua reuerentia.* Et in communi cæna esset operaturus conuersionem panis, & vini in suum corpus, & sanguinem, orauit, gratias, agens; & ex alijs scripturæ locis multis supponimus sic ad miracula humanitatem concurrisse, & deprecatorie, & meritorie de condigno ea petrasse, diuinitate verò efficienter Physice, quia diuinitatis est per se, & realiter omnipotentia, cui virtus miraculorum, & præcipuè resurrectionis competit, vt ex præced. art. his positis.

Potestas Christi circa miracula.

71 Dico 1. Christus, vt Deus erit causa efficiens Physica resurrectionis. Est de fide, & ideo sine controu.

Christus, vt Deus erit causa efficiés physica resurrectionis,

72 Prob. ex præced. artic. Deus ratione suæ omnipotentiæ mortuos suscitabit: ergo. Consequ. probatur. Nam opera Trinitatis ad extra, sunt indiuisa, & omnes personæ ad extra operantur, ex *Marcellino in epist.* 1. &

ex

ex *Concil. Ephes. in epist. Cyrilli ad Reginas*. & ideo etiam incarnationem filij tota Trinitas operata est, ex *Concil. Later. 4. can. 1.* & nunc habetur *in cap. 1. de Summa Trinit. & fide Catbol.* licet non tota Trinitas, sed solus filius descenderit in vterum Virginis, ex *August. lib. 1. de Trinit. cap. 4.* & nunc habetur *de consecr. dist. 3. cap. fin.* ergo Christus, vt Deus, efficiens causa Resurrectionis erit.

Christus, vt homo non erit causa physica efficiens resurrectionis.

73 Dico 2. Christus, vt homo non erit efficiens causa Physica resurrectionis. Est *Scoti* vbi supra. *D. Bonau. in 4. dist. 43. quæst. 6. D. Tho. in 4. dist. 43. quæst. V n. art. 2.* & communis.

74 Prob ad resurrectionem Physice omnium hominum causandam, est necessaria omnipotentia, vt dictum est in præced. art. Sed humanitas Christi, formaliter, vt distincta à diuinitate non est omnipotens: ergo.

A priori rationes,

75 Prob. 2. Neque potest concipi quomodo humanitas Christi possit efficere resurrectionem, cum neque erit vbique, sed de cælo descendet *Matth. 24. videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate*, idem ad ex 1. *Thessal. c. 4.* imo in aere sistet, ibid. *simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera*, operatio autem Physica effectiua in toto mundo requirit coexistentiam cum effectibus in locis productionis eorum, ideoque immensitatem, quæ humanitati Christi per se, & formaliter non competit. Ergo non potest dici causa efficiens Physica resurrectionis vniuersalis ratione humanitatis, sed solum ratione diuinitatis.

Conc. Ephes.

76 Prob. 3. Ex *Concil. Ephes. in epist. Cyrilli ad Nestorium*, Christus, vt Deus homo faciebat, & sic fecit redemptionem: ergo ita faciet efficienter resurrectionem; non enim minor virtus sequitur in hoc excellentissimo, & penè infinita includente, miraculo, quam in illis determinatis, & paucis factis in vita mortali: ergo.

Christus, vt Deus suscitauit se vt hominem,

77 Prob. 4. Ex eodem *Concil. in epist. Cyrilli ad Reginas*, Christus, vt Deus, simul cum Patre, & Spiritu Sancto suscitauit se ipsum, vt hominem; & pluribus id probatum est in præcedenti art. ergo vt homo non est efficiens causa Physica resurrectionis: sed vt Deus.

August.

78 Prob. 5. Ex *D. August. tract. 19. in Ioan. Animas suscitat Deus per Christum filium Dei, corpora suscitat Deus per eundem Christum filium hominis*, & post. *Resurgunt nunc in mente per verbum Dei filium Dei. Resurgent tunc in carne per verbum Dei carnem factum filium hominis*. Ergo Christus, vt homo Deus, & ratione diuinitatis peraget effectiue Physice resurrectionem; alijs autem modis ad eam concurret ratione humanitatis, vt mox patebit.

Christus, vt homo non fuit causa instrumentalis physica resurrectionis

79 Dico 3. Christus, vt homo non erit causa instrumentalis physica resurrectionis vniuersalis mortuorum; sed alijs modis. Colligitur ex *Scoto in 4. dist. 48. quæst. 1. G.*

instrumentalis physica resurr.

80 Prob. Ratione generali alias in primo tomo super 4. Sent. refricata, de causalitate instrumentali. Instrumentum, vel attingit effectum principalem, vel non: si non, nihil operatur physice in effectu, sed tantum tollit prohibens. Patet de securi, serra, &c. si sic. Ergo est causa efficiens principalis. In hoc enim stat principalitas causæ, vt scilicet attingat physice entitatem effectus. Sed humanitas Christi id non habebit: alioquin esset dicenda causa principalis.

81 Dices erit causa attingens resurrectionem, sed in virtute verbi diuini, cuius est organum. Sed

2. ratio principalis,

Contra, & est secunda ratio principalis. Non est intelligibile, quomodo humanitas Christi physice etiam, vt causa minus principalis attingat effectum omnipotentiæ, vt est mortuorum resurrectio, quomodo conuertat physice puluerem, terram, aquam, & alia mixta, in quæ conuersa erant humana corpora, in veram organicam, & perfectam carnem. Et sicuti Deus non eget instrumento in creatione: neque in reparatione.

Christus in sua resurr. non fuit caus. instrumentalis physica

82 Confirmatur. Anima Christi non fuit instrumentum physicum verbi in ordine ad suam propriam resurrectionem nam, & supra, & in præced. art. dictum est, Deus suscitauit Christum hominem: ergo multo minus erit instrumentum physicum in resurrectione aliorum: Etenim anima illa sanctissima, quæ à primo instanti suæ creationis, & vnionis cum verbo habuit omnem virtutem, & excellentiam, quam Deus præordinauerat ei communicare: igitur si posset instrumentaliter physice mortuos suscitare se ipsum suscitasset hoc eodem modo. Sed hoc non fecit: ergo, nec ita concurret ad mortuorum resurrectionem.

Validæ ratione ex Christi doctrina,

83 Conf. 2. Christus *Io. 5.* ait, *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic, & filius quos vult viuificat*. Glossa Ord. ait, *filius secundum quod est æqualis Patri*. Et post. *Quia vna voluntas, & eadem potestas, & eadem viuificatio mortuorum. Hæc sunt maiora quæ operatur Pater per filium, scilicet resurrectio mortuorum, vnde honorandus probatur filius, sicut & Pater*. Imo sic ipsemet Saluator ibid. ait, *vt omnes honorificent filium sicut, & Patrem*. Ergo physice efficiens cooperatio ad resurrectionem competit ei, vt Deus, & Patri æqualis, neque vt homo est.

84 Conf. 3. Ex *Rom. 8. Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis viuificabit, & mortalia corpora vestra*. Glossa Lyrani ait, *Similiter suscitabit vos ad vitam immortalem*, sed diuinitas suscitauit Christum: ergo eadem suscitabit homines immediate, & absque causa instrumentali physica: cum nequeat assignari hæc causalitas physica in quo consisteret, etiam si vellemus eam admittere.

A sufficiens ratio.

85 Conf. 4. Nequit assignari in quo consistat ratio ista physici instrumenti in humanitate Christi respectu Resurrectionis vniuer-

uersalis: ergo. Antec. prob. vel enim esset instrumentum in spoliatione materiarum, quæ olim erant corporum, vel in formatione corporum, vel in animæ vnitione. Omnia autem ista requirunt omnipotentiam, quæ Christo competit quatenus Deus est. Ergo

Christus erit causa imperatiua resurrectionis.

86 Dico 4. Christus erit causa imperatiua resurrectionis. Ita expresse *Scotus in 4. dist. 48. quæst. 1. G. S. Bonau. in 4. dist. 43. quæst. 6.*

87 Prob. 1. ex *Ioan. 5. Venit hora in qua omnes, qui monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij.* Quomodo autem, hæc vox emittetur, & quid sit dicetur in seqq. Concluditur ergo, quod ipse filius Dei in carne imperabit resurrectionem: & hoc modo, ait Lyran. ibi, *Humanitas Christi est organum diuinitatis, & ideo vox eius operabitur ad resurrectionem generalem futuram, per modum instrumenti coniuncti.* Sed hoc modo dicitur instrumentum, quia exequitur quidquid Deus præcipit, & hoc modo intendit loqui *S. Bonau. in 4. dist. 43. quæst. 6.* in corpore; imperando, scilicet vt ait Scotus ipsam resurrectionem.

Quomodo imperabit.

88 Prob. 2. ex 1. *ad Thessal. 4. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi.* Vbi Glossa Interlin. in Verbo, *Iussu*, ait, *imperio.* & Glossa Ordinar. Verbo, *Descendet*, ait, *Non humilis, sed inbenti voce, vel sui ipsius, vel Archangeli, &c.* Lyranus verò ait: In iussu dicendo surgite mortui; & in voce Archangeli, scilicet Michaelis, qui est Princeps Ecclesiæ, sub quo intelliguntur Angeli alij, qui ministerium adhibebunt in resurrectione, colligendo cineres, & magnum sonum facient, tamquam iudicis præcones. Et sequitur idem Lyran. Potest etiam aliter exponi, vt illud dictum *surgite mortui*, ad iudicium, sit Michaelis executiuè, & Christi imperatiuè, cuius infinita virtute fiat resurrectio. hęc Lyran. Ergo Christus, vt homo imperabit resurrectionem.

Imperium quale sit,

Ambros.

89 Prob. 3. ex *D. Ambr. in cap. 4. epist prima ad Thessal.* sic habente, *Ipse enim Christus Dominus voluntate Patris, quasi primus Angelus Dei cum exercitu cælesti, sicut continetur in Apocalypsi descendet de cœlo ad gerendum bellum contra Antichristum quo extincto, iussu eius resurgent mortui. Hoc est ergo in tuba Dei descendere, nomine Dei bellum gerere, &c.* ergo.

Christus est etiam causa meritoria nostræ resurrectionis.

90 Dico 5. Christus est etiam causa meritoria nostræ resurrectionis. Hæc debet esse communis.

91 Prob. 1. ex 1. *Cor. cap. 15. Christus resurrexit à mortuis primitia dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* Glossa Ordin. ait, *Homo ad vitam, & homo ad mortem, sed ille non nisi homo, iste Deus, & homo,* addens, *Per, sicut notatur similitudo, & causa, quia sicut ex corruptione Adæ ad mortem, ita ex spiritu Christi ad vitam;* ergo, sicut Adam fuit causa meritoria corruptionis omnium, & mortis, nedum spiritualis, sed & corporalis; ita Christus secundum humanitatem est causa meritoria vtriusque resurrectionis, scilicet spiritualis ad gratiam, & corporalis ad vitam immortalem.

Glossa idem probant.

92 Conf. ex Glossa Lyrani ibidem idem confirmante. Vbi notat, quod expressus est textus Pauli, de resurrectione mortuorum, eum loqui, quæ per Christum erit.

Conf. 3. ex Glossa Interlin. Ver. *Quoniam. per Christum hominem poterunt surgere, quia per hominem multo minorem venit mors.* Igitur, cum Adam meritoriè mortem induxerit, Christus, vt homo meritoriè inducit resurrectionem.

Ex August. clare habetur.

93 Prob. 2. ex eodem *cap. 15. prima ad Corinth. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Christo omnes viuificabuntur.* Vbi Glossa Ordinar. ex *Augustino*, habet, *Omnes in Adam moriuntur; in Christo viuificantur, quia nemo ad mortem, nisi per illum; nemo ad vitam nisi per ipsum: quia sicut per Adam mortales, & pœna facti sunt filij saculi, ita & per Christum omnes immortales in gratia fiunt filij Dei.* Ergo cum Adam demeritoriè intulerit posteritati vtramque mortem, corporis, scilicet, & animæ, vt supponimus ex eodem *Augustino lib. 4. de Trinit. cap. 3. lib. 2. de pec. mer. cap. 30. & lib. 3. c. 11. & lib. 6. Gen. ad lit. cap. 22.* & alibi; vtramque vitam, & spiritualem, & corporalem immortalem meruit pro tota humanitate Christus.

Ex eodem.

44 Conf. ex eodem *Sancto Doctore lib. 2. de pec. mer. & c. c. 30. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur, neque enim aliunde, quam de corporis resurrectione dicebat. Omnium ergo corporis mortem factam per vnum hominem dixit, & omnium corporis resurrectionem in vitam æternam per vnum Christum futuram esse prouidit, quomodo ergo plus nobis nocuit ille peccando, quam iste profuit redimendo, cum per illius peccatum temporaliter moriamur, per istius autem redemptionem non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgamus.* Ergo Christus meruit toti humano generi resurrectionem corporum ad vitam immortalem, sicut Adam pro eis mortem demeruerat.

Sicut meruit alia, ita & resurrectionem.

95 Prob. 3. ex *cap. 1. ad Colos. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Vbi vt omnes Glossæ notant, multa de Christo vt Deo, & multa etiam de eo, vt homine dicuntur, vt scilicet quod sit caput Ecclesiæ, & sic influens in omnia bona, quæ obtinet Ecclesia a Deo per eius merita; dicitur etiam primus ex mortuis; nam, licet, vt notat Lyranus, ne dum hic, sed in *cap. 15. Cor.* nuper cit. alij ante Christum à Deo fuerint resuscitati, non tamen ad vitam immortalem; & subdit idem, quia

pri-

primum in aliquo genere, est causa aliorum in illo gerere; ideo resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis: hæc Lyranus. Ergo est causa huius beneficij, sicut & aliorum, nempè meritoriè; meruit enim nobis omnia bona, quæ habemus.

96 Prob. 4. ex *Rom. 8. vers. 34. Christus Iesus, qui mortuus est, imo, qui & resurrexit,* vbi emphaticè loquitur, vt clarè apparet, & Glossa Interlin. Ver. *Imò*, ait, *quod maius est, vt nos resurgamus*. Ergo Christus mortuus, & resurgens fuit causa meritoria nostræ resurrectionis.

Apostoli arg. quod sit causa meritoria.

97 Prob. 5. ex 1. *Cor. 15.* vbi Apostolus, sic arguit contra negantes resurrectionem. *Si Christus praedicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in nobis, quoniam resurrectio mortuorum non est; si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Arguit ergo à causa ad effectum constructiue, & à negatione effectus ad negationem causæ. Quod bene aduertit Lyranus. Dicens resurrectio Christi est causa sufficiens effectiua nostræ resurrectionis, posita autem causa efficiente ponitur effectus: hæc Lyran. Sed resurrectio Christi aliam efficientiam non videtur posse habere circa resurrectionem hominum, nisi qualem habet passio, & omnia alia eius opera meritoria circa nostram iustificationem, gratiam, & viuificationem, ait enim Apostolus, ibidem, *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*, vbi notanda est particula, *sicut*, velut notat Glossa Interlin. Ver. *Adam à quo mortem, & mortis meritum traxerunt, quia eius filij, & mortem corporalem*. Igitur paritas stat in hoc, quod per meritum Christi homines trahunt viuificationem spiritualem, & corporalem, sed immortalem.

Ex ratione doni, arg.

98 Confirm. ex *Rom. 5.* vbi comparatur Christus in meritis cum Adamo in demeritis, sic. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multò magis vnius gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in omnes homines abundauit*. Igitur cum resurrectio mortuorum sit magnum Dei donum, ex meritis Christi hominis est. Igitur est causa meritoria illius.

99 Conf. ex 2. *ad Ephes.* vbi dicit Apostolus, quod, *Deus qui dives est in misericordia conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, & conresuscitauit, & consedere fecit in caelestibus in Christo*. Sed omnia hæc præstitit Christus meritoriè, vt homo, vt Deus autem efficienter, eò vel maximè, quod pro tempore vitæ Christi, hic nos conresuscitauit, quod non potest intelligi, ait Lyranus, nisi in spe. Ergo meruit nobis eam.

Christus est etiam causa exemplaris resur.

100 Dico 6. Christus est etiam causa exemplaris nostræ resurrectionis. Est communis cum Magistro, D. *Bonau. in 4. dist. 43. quæst. 6.* D. *Thom. distinct. 43. quæst. V n. art. 2. Riccardi in 4. distinct. 43. art. 3. quæst. 4. in fine*.

101 Prob. 1. ex *eit. cap. 1. Cor. 15. Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium*. Ergo primus resurrexit ad vitam immortalem, tamquam prototypon omnium, qui sic resurgent.

102 Conf ex D. *Aug. lib. 5. de Trin. c. 3.* vbi loquens de suscitatione Christi, ait primo. *Huic duplæ morti nostræ, Saluator impendit simplam suam, & ad faciendam vtramque resuscitationem nostram in Sacramento, & exemplo praposuit, & proposuit vnam suam*: & post multa, habet, *Et ad exemplum resurrectionis exterioris hominis, nostri pertinere inuenitur resurrectio corporis Domini, &c.* Ergo est verè exemplum, & causa exemplaris resurrectionis: in hoc enim consistit causalitas huius causæ, vt sit id, ad cuius instar alia sunt facienda, vt ex *cap. 25. & 34. Exodi*, & *Deuter. 11.* colligitur. August.

103 Conf. 2. ex eodem *Augustino in lib. de sex quæst. contra Pag. cap. 1.* dicente, *Non Lazari resurrectionem, sed Christi congruere promissa resurrectioni, quia Lazarus ita surrexit, vt iterum moreretur, Christus autem surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltra non dominabitur, quod etiam promissum est resurrecturis in fine saeculi, &c.* ergo ipse Christus resurgens, est verè exemplaris causa nostræ futuræ resurrectionis. Aug. iterum

104 Prob. 2. ex *Ephes. 2.* vbi dicitur, *conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis, & conresuscitauit, &c.* vbi Glossa Interlin. ait, *tamquam perfectum enunciat, quod futurum est*. Et Lyran, ibi conresuscitauit in spe, quia resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis futuræ; sed non potuit pro tunc esse causa, nisi meritoria, & exemplaris: ergo.

105 Prob. 3. ex Glossa Interlin. *in Ps. 29. ver. 6. ad Vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum laetitia*, vbi sic habet, *vsquequo resurrectio futura est, qua in matutina Christi resurrectione praefiguratur*: ergo fuit prototypon nostræ resurrectionis.

Conf. ex *Riccardo in dist. 43. art. 3. quæst. 4.* Resurrectio Christi quamuis sit nostræ resurrectionis exemplaris causa, non tamen efficiens.

Arg contr. 2

Ob. contra 2. ex *Tertull. in lib. de Resurr. carnis cap. 37. Meritò carnem resuscitaturus Christus, quod factus est ipse, & ex morte, quam passus est ipse, & ex sepulchro, quo illatus est ipse*, ergo Christus, vt homo physicè resurrectionem efficiet.

Arg. est ad oppos. tum.

106 Resp. neg. consequ. imò argum. adducit solutionem, dicit enim Christum factum esse carnem; sed Christus, vt Verbum ex *Io. 1.* caro factus est: igitur, vt Verbum, seu, vt Deus physicè resurrectionem efficiet. Multa enim de Christo dicuntur prædicata, quæ per se, & formaliter aliquando competunt diuinitati, aliquando humanitati; quando autem per se conueniunt vni ex illis naturis, alteri conueniunt per communicationem idiomatum, & hoc sufficit ad dogma-

tum

tum veritatem; modus postea loquendi relinquitur sub Theologorum, & sapientum disputatione.

Ob. 2. ex *Ioan.* 5. habetur, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*, & post. *Venit hora in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicij*: ergo Christus est causa efficiens resurrectionis.

De potestate Christi, vt Dei fit sermo.

107 Resp. ex dicendis de Iudicio, vbi est proprius locus huius potestatis Christi, hunc locum esse clarum de Christo, vt Deo: quia sic habet potestatem in se, vt pater, sicut ait Glossa Ordin. *In semetipso, non aliunde, sed ipse est vita sic & filius in semetipso est vita, sed differunt, quia Pater est vita non nascendo, filius est vita nascendo*: & post aliqua, ex *Augustino*, ait, *Dedit ei potestatem in carne mittendo, per verbum enim filium Dei fit animarum resurrectio, per Verbum factum in carne fit hominum resurrectio*. Lyranus autem, sic habet, super illud, *& potestatem, &c.* Sciendum, quod tota Trinitas in iudicio futuro iudicabit authoritatiuè, Christus inquantum homo iudicabit executiuè. Et hanc assignat rationem, quia iudex debet esse manifestus omnibus iudicandis, Deus autem Pater, vel filius secundum diuinam naturam non videbitur in iudicio ab omnibus, quia tunc omnes essent beati; & ideo executio iudicij data est Christo, vt possit ab omnibus videri. Idemque fere dixerat Glossa Ordinar. *Quia in forma carnis à bonis, & malis videbitur*. Ergo ex paritate huius collatæ iudicandi potestatis, non colligitur potestas principalis efficiendi resurrectionem in humanitate Christi, sed potestas potius executiua, quia efficientia illa principalis, cum sit effectus omnipotentiæ, competit ei, vt Deus, seu vt Verbum est.

Arg. contra 3.

Ob. contra 3. Communiter SS. Patres docent, Christum, vt hominem esse causam instrumentalem resurrectionis, eò quia eius humanitas est organum diuinitati coniunctum. Ita *S. Tho. in 4. dist. 43. quæst. 1. ar. 2.* & in *3. par. quæst 56. art. 1.* D. *Bonauent. in 4. dist. 43. par. 1. quæst. 6.* & *Lyranus in cap. 4. epist. prima ad Thessal.* & alij multi.

Christus est causa instrument. physica circa præambula resurrect. non tamen circa actum resuscitandi, nisi meritorie.

108 Resp. dist. antec. Est causa instrumentalis moralis, concedo. Physica, distinguo, circa præambula resurrectionis, transeat circa actum ipsum suscitandi: nego. Ratio primi est; quia Christus per sua opera, & mortem meruit nobis Resurrectionem, *sicut enim in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo omnes viuificabuntur* 1. *Cor.* 15. immortalitas enim corporum est maximum Dei donum; neque ex alio motiuo, nisi ex Christi merito nobis conferendum. Ratio secundi est, quia licet humanitas Christi dicatur organum diuinitatis, hoc tamen intelligi debet modo sibi proprio, ac proportionato, scilicet ad exequendum diuinitatis decreta, ac præcepta modo possibili humanitati, vt, scilicet humanitas sit exequens iussu, diuinitas imperans; at est euidens, humanitatem, vt exequentem non posse creare, neque transubstantiare, aut annihilare, quia hoc est proprium diuinitatis. Sicut licet sensus externi totumque corpus sint organum animæ, non proinde sequitur, quod sensus, aut aliæ partes corporis possint amare, vel intelligere. Ita de humanitate Christi dicendũ, quod Dei iussu exequens, non poterat, vt humanitas, excedere sferam suæ actiuitatis; & sicut nunc non concurrit ad creandum, & transubstantiandum, neque ad alia facienda, quæ vires humanitatis excedunt; quia tunc Christus operatur, vt Deus; ita nec in resurrectione hominum poterit physice eam operari, nec principaliter, vt omnes concedunt, quia Deus eam hoc modo efficiet, neque instrumentaliter, loquendo de effectu principali. Quod si ab aliquo ex his SS. Magistris, vel etiam ab alio minoris notæ mihi declaretur, in quo consistat ista causalitas instrumentalis physica humanitatis Christi circa resurrectionem, forte ei acquiescam. Sed, quia non video quomodo possit habere rationem physici instrumenti, & in quo; non enim in separatione formarum à materijs, quibus erunt coniungenda corpora, quia humanitas Christi non erit vbique; Secundo, quia formæ illæ, vel erunt annihilandæ, vel alijs subiectis idoneis coniungendæ; & hoc præstare non poterit humanitas, quia non competit annihilare, nec alia subiecta creare. Tertio; quia hæc causalitas non esset, nisi ministerialis. Vel consistit in collectione earum materierum, seu cinerum; & hæc non est causalitas instrumentalis, sed principalis, & famulitia, Angelorum propria, vt dicetur in sequenti. Vel consistit in vnitione animarum ad corpora; & in hoc nullum est necessarium instrumentum; se ipsis enim animæ suis corporibus vnientur, cum à Deo ad ea adducentur; aliud non video, in quo possit inseruire instrumentalis causalitas. Ergo, nec exercebitur, nec erit necessaria. Addo, quod si admittatur ad aliquod istorum eam concurrere, vt ad separationem materierum, vel vnitionem animarum, iam erit causa principalis, quia attingit effectum principalem resurrectionis, siue partialem, siue totalem.

Apta exempla.

Humanitas Christi non concurrit ad creandum, &c, quædam

Discursus notabilis,

A sufficienti non videtur in quo consistat causalitas instrum.

Ad alia verò præambula, vt ad iussionem resurrectionis, ad missionem Angelorum pro collectione materierum, siue cinerum, & intimationem iudicij, concedo physice debere humanitatem Christi concurrere, vt Dei organum, seù instrumentum, quo diuina iussa manifestentur.

Validũ arg

Ob. 2. Ex *D. August. tract. 19. in Ioan. Animas suscitat Deus per Christum filium Dei. Corpora suscitat Deus per eumdem Christum filium hominis*, & paulo post. *Resurgunt nunc in mente per verbum Dei filium Dei, resurgent tunc in carne per verbum Dei carnem factum*

filium

*filium hominis*. Ergo per Christum tamquam instrumentum saltem fiet hominum resurrectio.

Nihil contra concl. infertur,

109 Resp. ad primum, nihil ex Augustini doctrina contra conclusionem concludi. S. Doctor in eo *tract.* 19. quærit quomodo intelligantur verba illa *Io. 5. v. 19. non potest filius à se facere quicquam, nisi, quod viderit Patrem facientem*, & exactissime id declarat, Patrem scilicet omnia facere per Verbum, ex *Io. 1. omnia per ipsum facta sunt*. Deinde explicat illa Verba, *sicut Pater vitam habet in semetipso, sic dedit, & filio vitam habere in semetipso, & dedit ei potestatem, & iudicium facere*. Et sæpe replicat quod Pater omnia operetur per filium; ideo, vt saluet modum istum operandi Patris per filium, dicit, *Animas ergo suscitat Deus per Christum filium Dei, corpora suscitat Deus per eumdem Christum filium hominis*: & ita est, quia cum suscitatio corporum facienda sit dum Christus veniet in forma hominis ad iudicandum, certè Pater per Christum, id est verbum humanatum, corpora suscitabit. Et ex hoc notatur in Patre authoritas, vt dicunt Theologi, quia à se operatur, & in filio subauthoritas, quia licet operetur per eandem Patris virtutem, & potentiam, tamen, vt acceptam à Patre: & hoc modo Pater omnia per ipsum facit. Ex hoc autem non sequitur, quod humanitas Christi sit vel causa principalis, vel instrumentalis Physica resurrectionis. Quia Augustinus non dicit Deus suscitat corpora per humanitatem Christi, sed per Christum filium hominis. Idem autem significat Christus in hac secunda propositione, quod in prima, dum dicit: *Animas suscitat Deus per Christum filium Dei*. Et confirmatur, nam ibid. statim quærit *Augustinus quid est Christus*, & respondet, *verbum Dei habens hominem*. Cum ergo dicit, Deus suscitat corpora per Christum filium hominis, vult dicere quia Pater per filium omnia operatur: resurrectionem, per filium, habentem humanitatem, operabitur: quod mihi videtur euidentissimum.

Clara mens Augustini,

Authoritas, & subauthoritas in diuinis personis.

Quomodo Pater facit omnia per filium.

Christus quid ex Aug.

110 Ad secundum per idem resp. quia operatio illa resuscitandi fiet à Deo per verbum carnem factum.

Instantia,

Dices. Etiam nunc Verbum est caro factum, & Deus omnia operatur per illud habens carnem: non enim eam deponit, dum operatur cum Patre. Ergo Augustinus non potest intelligi de operatione authoritatiua Patris, & subauthoritatiua filij, in carne, quia hoc modo etiam animas suscitat. Igitur aliquid aliud tribuit homini in Christo circa resurrectionem.

Aliquid aliud facit Christus in resuscitatione corporũ, quod non facit in resuscitatione animæ,

111 Resp. Vtique aliquid aliud tribuit Christo, respectu resuscitationis corporum, quod non tribuit ei, respectu resuscitationis animarum à culpis: & est, quia in resuscitatione corporum ipsemet Christus, vt dicetur in suo loco visibiliter in humana forma apparens, vt homo, totius Trinitatis decretum exequens, iubebit mortuos resurgere: & ad hunc effectum, Angelis imperabit, vt puluueres, seù cineres hominum, vbicunque dispersorum, colligant. Et sic notatur hic aliquid, quod in animæ resuscitatione non intercedit. Vbi enim Christus apparet visibilis, dum homo resurgit à morte peccati ad gratiam: vbi auditur sensibile eius imperium, quod præcipiat? Et ita optime dicit Augustinus, quod Deus suscitat corpora per Christum filium hominis, ob actiones hasce sensibiles, quas, vt homo in resuscitatione hominum exercebit. At series rerum ita se habet, tota Trinitas ad extra operabitur illud miraculum Christo apparente visibiliter, & imperante sensibiliter resurrectionem. Neque est congruum tribuere Christi humanitati, quod eidem repugnat. Si enim per totum mundum sparsis cineribus, in loco cinerum fiet resuscitatio, quia inde ituri sunt electi, Angelorum Ministerio, in occursum Christi, reprobi verò in eumdem locum Palæstinæ, sed in terra mansuri, vt in suo loco; certum est autem, quod Christi humanitas, tunc non erit vbique: ergo non poterit physice principaliter resuscitare: efficiens enim debet esse in eodem loco cum effectu, quo tempore hic ab eo emanat.

Quomodo fiet resuscitatio à Trinitate,

Non est Christi humanitati tribuendum, quod ei repugnat,

## ARTICVLVS IV.

### *An Resurrectio fiet ministerio Angelorum.*

Scoti mens:

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. quæst. 5. §. De primo*, ait, *fiet resurrectio ministerio Angelorum*, quod probat ex *Matth. 24.* idemque confirmat in *dist. 48. quæst. 1. G.*

Plura discutienda,

112 Adu. plura hic esse videnda. Primum, an Deus in resuscitatione mortuorum facienda, vtetur ministerio creaturarum, saltem Angelorum. Secundum, in quo consistet hoc ministerium, num in sola intimatione mortuorum ad iudicium; nunc in collectione cinerum, ossium, aliarumue rerum, in quas conuersa sunt mortuorum corpora; & quomodo fiet separatio talium materierum à formis, quibus tunc inuenientur indutæ. Præterea, num res ipsæ cum suis formis adducendæ sint ante Christi conspectum, ibique spoliandæ ijs formis, & vniendæ cum animabus; an spoliandæ in proprijs locis, & sic spoliatæ deferendæ. De primo tantum hic agetur, de alijs verò in *disput. 5. & 6.*

Christus vtetur ministerio Angelorum in resurrectione hominum,

113 Dico 1. Christus, Deus homo, in resurrectione vniuersali hominum vtetur Angelorum ministerio. *Est Scoti vbi supra. D. Tho. in 4. dist. 43. qu. 1. a. 2. D. Bonau. in 4. dist. 43. dub. 2. literali.*

114 Prob. ex *Matth. 24.* vbi Saluator loquens de fine mundi, ait, *Tunc videbunt filium*

*dum hominis venientem in nubibus cæli, &c. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, &c.* idem habetur *Marci* 13 ergo.

115 Prob. 2. ex *epist.* 1. *ad Thessal cap* 4. *Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* Glossa Interlin. Ver. *Archangeli*, ait, vel *Angelorum*. *Lyran.* autem ait, *Sancti Michaelis, qui est Princeps Ecclesiæ, sub quo intelliguntur alij Angeli*: ergo.

Ex Script. clare.

116 Prob. 3. ex *S. Ioann. Chrysost. homil.* 8. *in* 1. *ad Thessal. cap.* 4. *Quod autem dicitur, quod congregantur, ubique quidem resurgunt, sed congregantur ab Angelis, atque illud quidem Dei potentia iubentis terræ, vt dimittat depositum, &c. adducere autem, & congregare est ministrorum.*

Primum ministerium Angelorum erit sonus tubæ vocantis ad iudicium,

117 Dico 2. Primum ministerium Angelorum, erit sonus tubæ quo ex toto mundo mortui ad iudicium vocabuntur. Est communis.

118 Prob. 1. ex citatis *Matth.* & *Marci locis. Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.* vbi Glossa Interlin. ait, *à mundi climatibus ab Oriente, Occidente, Aquilone, & Austro.* Glossa Ordinar. ait, *à summo terræ vsque ad summum cæli, id est ab extremis terræ finibus per directum vsque ad vltimos terminos eius, vbi à longe aspicientibus, circulus cæli videtur terræ insidere.* Idem ait Lyranus ibidem, qui diffusè id prosequens concludit, ab omni parte mundi, quæ sub cælo est congregandos esse mortuos per Angelos.

Ex Script. & Glossis.

119 Prob. 2. ex 1. *ad Thessal.* 4. vbi narrans, quæ facienda sunt à Christo statim, ac apparuerit in secundo aduentu, dicit, *ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet, &c.*

120 Prob. 3. ex dicendis in sequenti articulo de tuba, eiusque significato, & vsu.

121 Prob. 2. pars. ex Glossa Interlin. in eis. cap. *ad Thessal.* Ver. *In voce*, vbi ait, *Surgite mortui*. Lyranus autem in Ver. *In iussu*, ait, *dicendo, surgite mortui*, & paulo post, *illud dictum surgite mortui potest exponi, quod sit Archangeli Michaelis executiuè, & Christi imperatiuè.* Igitur sono tubæ, Angeli hoc tantum intonabunt, *surgite mortui, & venite ad iudicium.*

2. pars.

122 Prob. vtraque pars ex Mag. Sent. relato etiam à *S. Bonav. in* 4. *d.* 43. *de voce tubæ*, in litera, sic autem ait Magister. *Causa resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu Iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent*: & post aliqua, *si verò quæritur, cuius, & qualis erit vox illa; Apostolus dicit, erit Archangeli, &c. vel erit vox alicuius, vel plurium Angelorum*: ergo.

Ex Magist. Sent. vtraq; pars.

123 Prob. 3. vtraque pars ex *Haimone in epist.* 1. *ad Thessal. cap.* 4. *Tuba erit magna vox Angelorum*, & Lyr. in eundem locum. Tuba ista, nil aliud est, quam vox illa, *surgite mortui, & venite ad iudicium*, & in *c.* 24. *Matth.* Ver. *Cum Tuba*, idem Lyran. ait, audietur sanitus virtute Angelorum factus; ergo hoc erit primum Angelorum ministerium in resurrectione.

Ex Haimone

124 Dico 3. Secundum Angelorum ministerium in resurrectione Vniuersali erit collectio cinerum, seu puluerum, & omnium materiarum, seu elementorum in quæ inuenientur, tunc dispersæ partes materiarum Corporum omnium defunctorum. Est *Scoti in* 4. *dist* 43. *quæst.* 3. *A. D. Thom in* 4. *dist.* 43. *art* 3. in fine, & in primo scripto eiusdem *art.* 2.

Secundum ministerium Angelicum, erit collatio cinerum.

125 Prob. ex eodem *Scoto Matth.* 24. ait Saluator, *Filius hominis mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, &c.* quod est dictu, quomodocunque dispersæ fuerint partes materiæ corporis in elementa, siue in ignem, siue in terram, à summis cælorum vsque ad terminos eorum; siue in quodcunque corpus medium, aqueum, aereum, vel imperfectè mixtum, à quatuor ventis: omnes ille materiæ partes recolligentur, & reunientur. Hæc *Scotus*.

126 Conf. ex eod. *sub N.* sic habente. Voco autem puluercs, corpora quæcunque, in quibus est vltimatè facta resolutio, puta si in tantam partem ignis, in tantam partem aquæ, & in tantam partem terræ, & ista pars ignis sit immediate iuxta globum lunare super punctum quemcunque terræ; & alia pars sit directè in extremitate opposita diametraliter in sphæra ignis, & tertia pars in infimo, vel medio, vel supremo aquæ, & huiusmodi. Hæc omnia, & si huiusmodi sint mille millia, intelliguntur, cum dicuntur puluercs, vel cineres. Cum enim dixit Christus à summis cælorum, & à quatuor ventis, non intellexit ipse puluercs, quos vsitatè accipimus in sepulchris vsque ad tantam distantiam esse dispersos, sed intellexit generaliter in quæcunque tota, vel partes facta sit resolutio illa, colligentur, & ex illis collectis, id est ex materia, in eis quæ fuit prius materia corporis corrupti reparabitur iterum idem corpus. Hæc *Scotus*. Fuit necessarium omnia hæc adducere, vt apparent, quid ex eius sententia, Angeli colligent.

Puluerum nomine intelliguntur partes corporis, quæ fuerunt in homine.

127 Prob. 2. Ex Glossa Lyrani *in cap.* 4. *epist.* 1. *ad Thessal. V. & in voce Archang.* dicente, *scilicet Michaelis, qui est Princeps Ecclesiæ sub quo intelliguntur Angeli alij, qui ministerium adhibebunt in resurrectione colligendo cineres.*

Christi oraculum de congregandis omnibus, quomodo intelligitur.

Ex Lyran.

128 Conf. ex eod. Lyr. *in cap.* 24. *Matt.* Ver. *Et mittet Angelos suos*, quia inquit ministerio Angelorum colligentur cineres eorum. Ergo.

Ex eodem Lyr.

129 Prob. 5. Ex *D. Thoma in* 4. *sent. dist.* 43. *quæst. V n. art.* 2. sic habente, *quantum ad collectionem puluerum, & præparationem eorum ad reparationem corporis humani in resur-*

Ex D. Th.

re-

*rectione vtitur Deus ministerio Angelorum, &c.*

Ex Riccarde

130 Prob. 4. Ex *Riccardo in 4. sent. dist. 43. ar. 3. quæst. 4.* in corpore, vbi declarans illa tria, quæ *Paulus 1. ad Thessal. 4. commemorat in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei*, ait, quia primo Christus in suo descensu, iubebit pulueres, seu partes quascunque corporum recolligi mortuorum, per ministerium Angelorum; & hoc notatur cum dicitur *descendet in iussu*. Hæc *Riccard.*

Ex August.

131 Prob. 5. Ex *D. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 4. A.* generali ratione. Quemadmodum corpora crassiora, & inferiora per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per spiritum vitæ; & spiritus vitæ irrationalis per rationalem; & spiritus vitæ rationalis desertor, atque peccator, per spiritum vitæ rationalem, pium, & iustum, &c. vult Sanctus Doctor docere, quod Deus vtitur ministerio creaturarum ad regendas alias inferiores. Et ita cum in eo tempore aliæ creaturæ non adsint, quæ cum velocitate, & scientia exercere possint hoc ministerium collectionis pulverum, nisi Angeli, ijs vtetur.

*Tertium est congregare electos.*

132 *Dico 4.* Tertium Angelorum Ministerium in resurrectione mortuorum erit congregare, seu adducere ad locum iudicij electos iam resuscitatos. Vt eorumdem DD. *Scoti* scilicet *D. Bonau. & D. Th. vbi supra*. Et est de fide.

Ex Euang. Matth.

133 Prob. 1. Ex *Matt. 24. & mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis à summis cælorum vsque ad terminos eorum*: ergo.

Ex August.

134 Prob. 2. Ex *S. Aug. lib. 20. de Ciu. cap. 24. P.* vbi de iudicio agens, & de separatione ouium ab hædis introducit illud, *Psal. 49. Congregate illi sanctos eius*; & sic habet, *Profectò enim per ministerium Angelicum tanta res peragenda est. Si autem quærimus, quos sanctos ei congregaturi sunt Angeli.* Et post aliqua. Vnde congregatis sibi iustis, *suis, & ad suam dexteram constituit, &c.* Ergo per Angelos fiet hæc adductio, seu congregatio electorum ad locum iudicij,

Ex eodem August.

135 Prob. 3. Ex eod. *August. in Psal. 49. ver. 11. congregate illi Sanctos eius*, vbi sic habet. Vox diuina, & Prophetica videns futura, tamquam præsentia, exhortatur Angelos congregantes, mittet enim Angelos suos, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. ergo opera Angelorum iusti resurgentes congregabuntur ante Christum.

Ex Hieron.

136 Prob. 4. Ex *Hier.* in eundem locum, sic habente, *congregate, &c. O quam mirabiliter hæc Euangelio Sancto conueniunt. Dominus enim post dispositionem finis, audi quid dicit mittet filius hominis Angelos suos, & concongregabunt electos eius à quatuor ventis à summo cælorum, & hic dicit congregate illi omnes sanctos eius. Intelligite ergo per hæc, vnum veteris, nouique testamenti esse dispositorem.* Ergo per Angelorum ministerium



Sancti vtriusque testamenti, in resurrectione congregabuntur ante Christum.

Ex Glossa Ord.

137 Prob. 5. ex Glossa Ord. in eundem locum. Ver. *Congregate*, Messores Angeli, quosdam portabunt in sinu, quosdam in manibus. In sinu contemplatiuos, in manibus actiuos; quasi saluos per bonam voluntatem, & operationem. Ergo

Ex Lyrano.

138 Conf. ex Glossa Lyr. ibid. Congregate illi id est Christo Sanctos eius sicut membra capiti. Et dirigitur hoc verbum ad Angelos Sanctos, qui erunt executores diuini iudicij in hoc. Ergo

Ex eod. Lyr.

139 Conf. 2. Ex eod. Lyran. in *cap. 24. Matth.* Ver. *Et congregabit electos eius*, dicente. Licet enim omnes adducantur ad iudicium tamen electi specialiter adducentur ministerio sanctorum Angelorum, quia erunt conciues eorum.

Ex Glossa Ordin. ad Philipp.

140 Prob. 6. Ex Glossa Ord. *ad Philip. 3.* Ver *Si quo modo occurram ad resurrectionem, &c.* sit dicente, licet omnes resurgant in die iudicij, soli tamen iusti immutabuntur gloriosè, & occurrent Domino in aera, deportati, ab Angelis. Impij vero manebunt in terra, &c.

Non est certum, an reprobi deferentur per Angelos, sed est probabile,

141 Dico vlt. Non est certum, an etiam Reprobi Ministerio Angelorum, Sanctorum vel potius malorum congregabuntur in loco iudicij; non videtur tamen improbabile, quod hæc congregatio facienda sit per eosdem Angelos qui cineres collegerunt.

Ex Glossa Lyrani.

142 Prob. Ex *Matt. 13. ver. 41. In consumatione sæculi, mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de Regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittet eos in caminum ignis. Tunc iusti fulgebunt, &c.* in quem locum Lyran. ait, colligent, &c. hæreticos qui generant scandalum in Ecclesia, & eos qui faciunt iniquitatem, quia non solum condemnabuntur hæretici, sed etiam fidem tenentes, habentes tamen opera malæ: ergo collectio malorum in iudicio fiet per Angelos.

Paritate rationis.

143 Prob. 2. Ex eod. *cap. Matt. v. 49. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, &c.* Ergo Angeli boni separabunt ducendo bonos in aera mox regnaturos cum Deo; malos autem in terram Vallis Iosaphat, mox mittendos in ignem æternum.

144 Prob. 3. Patres, & interpretes Sacræ Scripturæ, ac Scholastici, vt patuit in tertia conclusione, & ex *Augus. in 4.* collectionem cinerum omnium hominum, indifferenter tribuunt Angelis. Ergo si Angeli, speciali, & triumphali quodam modo congregaturi sunt electos, quorum cineres collegerunt; si reproborum etiam cineres colligent, eosdem resurgentes congrebabunt ad iudicium relinquentes eos in terra Vallis Iosaphat. Eo vel maxime, quia Saluator *Matt. 25.* dicit, *sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes*. Ergo eodem modo. Neque officit, quod in *cap. 24.* dicit,

Angelos congregaturos omnes electos; quia modo ſpeciali, & glorioſo iſti congregabuntur. non ſic reprobi. Sed doctiorum iudicio me ſubmitto.

## ARTICVLVS V.

### *De Tuba adhibenda ad conuocandos mortuos, & de voce.*

Scotus de hoc non loquitur diffuſè,

SCOTVS de hoc puncto nullum verbum facit, ſed in 4. *diſt.* 43. *quæſt.* 5. *ſub* A. refert locum *Matthæi* 24. *Mittet filius hominis Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, &c.* nihil dicens de ſignificato tubæ.

Duæ ſent. de tuba,

145 Adu. de vocabulo Tubæ in præſenti materia duas fuiſſe ſententias, prima, quod erunt veræ, & propriæ tubæ, quibus vtentur Angeli conuocantes mortuos ad iudicium. Secunda ſententia docet in præfato loco, ſicut, & in 1. *ad Theſſal. cap.* 4. vbi eſt de tuba ſermo, quod accipitur cauſa pro effectu per figuram metonimiam, & idem ſignificat tuba, ac vox, ſeu clamor ſimilis illi, qui per tubam emittitur. Sed alia adhuc ſupereſt declaranda difficultas, an præter ſonum tubæ, ſeu clamorem ei ſimilem, alia audietur vox; nam ait *cum tuba, & voce magna*, ſic *ad Theſſalon. in voce Archangeli, & in tuba Dei, &c.* igitur duo erunt ſtrepitus, ſeu clamores. Hoc ſuppoſito

Tuba non erit materiale inſtrumentum, ſed magna vox.

146 Dico. Tuba, qua vtentur Angeli ad conuocandum mortuos pro reſurrectione, & iudicio, non erit materiale inſtrumentum, quod dicitur *tuba*, ſed magna quædam vox, Angelorum miniſterio formata.

147 Prob. 1. ex Gloſſa Interlin. *in epiſtola* 1. *ad Theſſalon. cap.* 4. Ver. *Et in tuba*, ſic habente. *Vox erit, quaſi tuba, ſuos excitans.* Gloſſa Ordinar. ex *Haimone*, ait, *Tuba erit magna vox Angelorum. Vel in tuba, quia manifeſtè. Vel, ſicut tuba in bellis, quia tunc inimicos debellabit, & ſicut tuba in feſtis amicos ad feſtiuitatem æternæ gloriæ inuitabit.* Gloſſa Lyrani, ait. Iſta tuba non eſt aliud, niſi vox prædicta (id eſt ſurgite mortui ad iudicium,) quæ dicitur tuba propter ſimilitudinem tubæ materialis veteris teſtamenti, qua fiebat vocatio ad Conſilium, & præparatio ad bellum, & inuitatio ad feſtum; quia tunc omnes congregabuntur ad iudicium: & armabitur creatura in vltionem inimicorum, & inuitabuntur iuſti ad feſtum Angelorum. hæc *Lyranus*.

Quare dicitur tuba.

148 Confirm. ex eadem Gloſſa Interlin. *in cap.* 24. *Matth.* Ver. *Cum tuba, & voce magna*, vbi ait, *de qua Apoſtolus loquitur, tam aperta, & intenſa voce, vt vbique audiatur. Lyranus* ibidem ait. Cum tuba, ſicut enim in datione legis auditus eſt ſonitus terribilis, vt habetur *Exodi* 19. ita audietur, tunc ſonitus conſimilis virtute Angelorum factus in elementis.

Gloſſæ ſæpe in hoc ſenſu loquuntur.

149 Conf. 2. ex eadem Gloſſa Inter. in *epiſt.* 1. *Cor. cap.* 15. Ver. *Canet enim tuba*, ſic dicente. *Iſt hoc per tubam, id eſt per vocem magnam, & manifeſtam, poſt quam non erit alia.* Gloſſa Ordinar. ait. *Hæc tuba eſt clamor, vnde dicitur media nocte clamor factus eſt, &c. Tuba nomine aliquod præclarum, & euidens ſignum dicitur, quod vox Archangeli, & tuba Dei alibi dicitur.* & *Lyranus* idem dicit, quod in præcedenti ad Theſſalon.

150 Conf. 3. ex *Ioan.* 5. *Veniet hora in qua omnes, qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, &c.* hic autem loquendi modus conformis eſt modo loquendi Pauli in *tuba Dei deſcendet de cælo; & in nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent.* Ergo nomine tubæ in his locis, nil aliud intelligitur, quam magna vox, qua mortui conuocabuntur ad iudicium.

Aug. clarè;

151 Prob. 2. ex *S. Auguſt. de Gratia noui teſtamenti ad Honorat. cap.* 34. dicente. *Clamor iſte ipſe eſt tuba illa, quam commemorans Apoſtolus dicit, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, tuba nomine aliquod præclariſſimum, & euidentiſſimum ſignum vult intelligi, quam vocem Archangeli, & tubam Dei alio loco dicit, quæ etiam vox ipſius Domini Ieſu Chriſti in Euangelio dicitur, quam audient ij, qui in monumentis ſunt, & procedent. &c.*

Ambroſ.

152 Prob. ex *S. Ambroſio lib. de fide Reſurrect. Tuba quidem & pro voce accipitur, quia habes quoniam tecto oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audiui, ſicut tubam loquentem mecum, & dicentem, Aſcende huc. & oſtendam tibi quæ oportet fieri; legimus etiam, canite initio menſis tuba;* ſed alibi, *Laudate eum in ſono tubæ, &c.* proſequens cum eadem metaphora declarare ſignificatum tubæ docens eſſe vocem magnam, & in *cap.* 19. *Apocal.* ait, *Tuba magna Chriſtum ſignificat, Vox tubæ prædicatio eſt Euangelij.* Ergo ex S. Doctore eſt frequens in ſcriptura vſus vocabuli tubæ pro magna voce.

Hieron.

153 Prob. ex *D. Hier. in epiſt. ad Miner. & Alex.* poſt principium, vbi referens ſententiam Didimi de vniuerſali reſurrectione, ait, *Quodque iungit, & dicit in nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, &c. duplicem habet intelligentiam, vt clangor tubæ, aut vocis indicet magnitudinem iuxta illud quod ſcriptum eſt, ſicut tuba exalta vocem tuam: aut apertam reſurrectionem omnium, iuxta illud quod in Euangelio legimus. Tu autem cum facis eleemoſynam noli tuba canere ante te, hoc eſt abſcondite fac.* & circa finem idem confirmat, comparans ſecundum Domini aduentum, cum primo, cui antecеſſit tuba Ioannis, *Ego vox clamantis in deſerto*; ita & ſecundo præceſſura eſt vox, ſeu tuba, ſic dicens: *Nunc autem*

Comparatio tubæ primi aduẽtus, quę fuit vox Ioannis cum tuba ſecundi.

ne-

*nequaquam vox prophetæ in deserto erit, sed vox Archangeli parantis vias, non in carnis humilitate venienti, sed ei, qui est apud Patrem Verbum Deus*, & post aliqua. *Sin autem magna est vox Angeli, & tuba, & Archangeli, quantò maior erit tuba Dei, quæ parat vias primum dormientium, & mortuorum in Christo, &c.* Nolo tamen omittere, quod sequitur, ne infidelis iudicer in Authorum relatione, sic ergo subdit. *Forsitan simplicis tubæ clangor dormientibus, & mortuis in Christo necessarius est, vox autem Archangeli, & tuba Dei his, qui viuunt, & in præsentia Dei reseruantur*. Quasi duos sonos, & strepitus agnoscat, vnum ex clangore tubæ, alium ex voce Archangeli, & tubæ Dei. Sed non proinde contradicit conclusioni: tum quia dicit *forsitan*; tum etiam, quia non negat, clangorem tubæ esse vocem magnam: sed si vera esset hæc sententia de duobus clamoribus, dicendum esset, quod duæ essent formandæ voces, vna qua mortui vocantur, alia verò, qua viui. Sed verior videtur sententia communior, quod vna, & eadem voce, seu tuba, vel clamore valido, omnes conuocabuntur ad iudicium.

Fidelitas authoris circa relationem Patrum.

Idem Hier.

154 Conf. ex eodem *Hieron. in cap. 27. Isaiæ*, in fine, vbi declarans, *Et erit in die illa canent tubæ magna*, sic habet. *Tuba autem magna potest intelligi sermo Euangelicus, de quo & in hoc eodem Propheta legimus super montem excelsum ascende, qui euangelizas Sion; exalta vocem tuam, qui euangelizas Hierusalem.*

Ex Magist. Sent.

155 Prob. ex *Magist. Sent. distinct. 43.* Causa resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur; & *cuius virtute excitabuntur mortui*, & de monumentis resurgent, vnde Propheta, *dabit voci suæ vocem virtutis*, id est effectum resuscitandi mortuos; & addit. Si verò quæritur, cuius erit illa vox. Apostolus dicit, quod erit Archangeli id est ipsius Christi, qui est Princeps Archangelorum. Vel erit vox alicuius, vel plurium Angelorum, eademque dicitur tuba, quia manifesta, & notissima. Et post aliqua refert Augustinum supra adductum inter alia dicentem; quod vox Archangeli, & tuba Dei ab Apostolo dicitur, in Euangelio, vox filij Dei, & clamor appellatur. Hæc Magister.

Ex Ricardo

156 Prob. ex *Ricardo in 4. dist. 43. ar. 3. quæst. 3.* inter alia, sic docente. Archangeli qui fuerunt custodes Prouinciarum, in Prouincijs, quas custodierunt clamabunt fortiter, & sensibiliter sono articulato, & mediante aliqua sensibili creatura formato, quod omnes coram iudice compareant corporaliter. hæc *Ricard.* licet ipse dicat, illa tria *in iussu, in voce Archangeli, & in tuba*, esse tria diuersa. Sed parum hoc refert, cum dicat per vocem magnam esse vocandos mortuos ad iudicium. Ergo tuba erit vox magna, qua mortui vocabuntur ad iudicium.

# DISPVTATIO V.

## DE CAVSA MATERIALI RESVRRECTIONIS,

## ARTICVLVS I.

### *An omnes homines resurgent.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43.* cum fide catholica docet, ex 1. *Corinth. 15.* & ex Athanasij Symbolo omnes homines mortuos esse resurrecturos. Scoti mens.

1 Adu. Quod, licet in prima Disputatione abunde sit probatum, resurrectionem hominum vniuersalem esse futuram; tamen ad singularia deuentum non est. Ideo, cum hic sit agendum de causa materiali, siue obiectiua, siue subiectiua resurrectionis, & de toto eo, quod debet resurgere, ab hoc fuit inchoandum, qui nam scilicet debeant resurgere. Ratio cur hic artic. apponatur.

2 Adu. 2. sensum quæsiti esse, an omnes, tam electi, quam reprobi, tam adulti, quam paruuli, ac etiam abortiui debeant resurgere. His positis Sensus quæsiti.

3 Dico 1. Omnes, tam electi, quam reprobi sunt resurrecturi, ita fides Catholica, & DD. omnes. Omnes indifferenter resurgent.

4 Prob. 1. ex *Ioan. 5. Venient hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij*. Glossa Interlinear. Ver. *Omnes*, ait, *tam boni, quam mali*: ergo.

5 Prob. ex *Matth. 25. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, &c. congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet quidem oues à dextris suis, hædos autem à sinistris, Tunc dicet Rex his qui à dextris sunt venite benedicti, &c. Tunc respondebunt ei iusti dicentes, &c. Tunc dicet his, qui à sinistris erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.* ergo boni, & mali se sistent ante faciem Christi: igitur omnes resurgent. Ex Euang.

6 Prob. 2. ex 1. *Corinth. 15. Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. Glossa Interlin. Ver. *Omnes*, dicit, *tam bonos, quam malos*, & hoc est mysterium, quod boni, seu electi, vt

dicetur *in Disput. de causa formali*, resurgent glorioſi, immortales, & impaſſibiles, ideo ait, *non omnes immutabimur*.

Symbol. Ath. 7 Prob. 3. ex *Symbolo Athanaſij*. *Omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*. ergo omnes indifferenter.

Ex epiſt. ad Ro. &c. alijs. 8 Prob. 4. ex *Rom.* 14. *v.* 10. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti*, & poſt. *Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo, &c.* ergo omnes reſurgent.

5 Prob. 5. ex 2. *Cor. cap.* 5. *v.* 10. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum*.

Ex fine 10 Prob. 6. Finis reſurrectionis eſt, vt vnuſquiſque iudicetur ſecundum opera, quæ egit in via, vt ait Apoſtolus; & iuſti ne dum ſecundum animam, ſed ſecundum corpus recipiant præmium; reprobi verò ſecundum vtrumque pariter ſupplicium, ergo neceſſe eſt, vtroſque reſurgere.

Paruuli omnes reſurgẽt. 11 Dico 2. Omnes paruuli mortui, ſiue cum originali, ſiue ab eo mundati reſurgent.

12 Prob. ex modo allatis ſcripturæ locis, quæ de omnibus probant; paruuli enim homines ſunt. Secundo, ex *Ioan.* 5. *Mortui audient vocem filij Dei*, deinde, *qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei*. Sed paruuli, & mortui ſunt, & in monumentis ſunt: ergo, cum de talibus audientibus vocem filij Dei, dicatur, *Et qui audierint viuent*, paruuli etiam viuent.

Auguſt. 13 Prob. ex D. *Auguſt. lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 16. *Reſurgent itaque omnes, tam magni corpore, quo vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate, quamuis nihil oberit, etiam ſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma*.

14 Prob. 3. ex dicendis de ætate, & forma, in quibus omnes reſurgent; ibi enim dicetur, omnes, etiam vnius diei conceptos, in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti eſſe reſurrecturos: ergo.

Ex fine reſurrectionis argum. 15 Prob. 4. ex fine reſurrectionis, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ Dei, & liberalitatis illius præmiantis, & punientis, ac glorificantis. Paruuli enim capaces ſunt gloriæ, & ſupplicij.

Arg. contr. 1 Ob. contra 1. ex *Pſal.* 1. *Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum*. Ergo electi tantum reſurgent.

16 Reſp. ex Gloſſis ſic intelligi locum illum. Interlin. ait, *non reſurgent in fide à peccatis. Vel impij ſunt, qui cum reſurgent non iudicabuntur, quia iam iudicati peccatores, qui non in conſilio, vt iudicent, ſed iudicabuntur*.

Quomodo intelligitur, quod impij non reſurgent in iudicio. Gloſſa Ordinar. poſt aliam explicationem, ait, *Ideo non reſurgunt in futuro, vt iudicent, vel vt iudicati in conſilio id eſt in collegio iuſtorum quieſcant*. Deinde, Ver. *In iudicio*, ait, *In iudicio quatuor erunt ordines; alij iudicabunt, & non iudicabuntur, vt perfectiſſimi. Alij nec iudicabunt, nec iudicabuntur, vt damnati infideles. Alij iudicabuntur, & ſaluabuntur, vt mediocriter boni, alij iudicabuntur, & pereunt, vt fideles mali*, & ſequitur, *In conſilio id eſt in iudicio, vt cum eis iudicent, &c.* ergo impij, & peccatores non reſurgent quidem ad iudicandum cum alijs ſanctis, ſed vt iudicentur ab eis, & à Chriſto. Vel dicas cum Scholaſticis, vt infra, non reſurgent in iudicio actiuo, quia non iudicabunt alios.

Arg. contr. Ob. 2. *Dan.* 12. vbi fit mentio de Antichriſti aduentu, ac perſecutione, & de fine mundi habetur. *Et multi de his qui dormiunt in puluere euigilabunt, alij in vitam æternam; alij in opprobrium*. Ergo ſi multi non omnes. Eſt autem ibi ſermo de Reſurrectione,

Dictio multi ſæpè ſonat idem, ac omnes, 17 Reſp. neg. conſequ. Nam per ly *multi*, intelliguntur omnes, ita Gloſſa Interlin. Ver. *Multi*, idem dicit Lyranus ibi, *Per hoc autem quod dicit multi, intelliguntur omnes, vt dicit Auguſtinus, & hic modus loquendi benè inuenitur alibi in ſcriptura. Vel aliter dicit multi propter pueros damnatos, qui licet reſurgent, non tamen dicuntur proprie euigilare, quia non ſunt habituri ſenſum pœnæ, vel gloriæ; vigilia autem eſt ſolutio ſenſus*. Ita Lyranus, & *S. Auguſtinus* à Lyrano citatus *lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 23. explicans hunc Danielis locum, ait. *Non autem diuerſum putetur, quod cum ibi poſitum ſit id eſt Ioan.* 5. *Omnes qui in monumentis ſunt, hic non ait Propheta omnes, ſed multi dormientium. Ponit enim aliquando ſcriptura pro omnibus multos. Propterea Abrahæ Gen.* 17. *dictum eſt, Patrem multarum gentium poſui te, cum tamen in alio loco Gen.* 22. *de ſemine inquit tuo, benedicentur omnes gentes*: ergo nihil contra nos.

Auguſt. reſp. clara de multis, & omnes

Contra 2. Validũ arg. Ob. contra 2. Chriſtus *Matth.* 25. loquens de reſurrecturis in iudicio apertè indicat, adultos tantum fore. Illi etenim erunt quibus dicet, *Eſurtui, & dediſtis mihi manducare, &c.* & è contra, *Eſurini, & non dediſtis, &c.* quique reſpondebunt, *Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem*. id autem non congruit paruulis: ergo. Secundo, ex 2. *Cor.* 5. Illi tantum reſurgent, qui relaturi ſunt, quæ geſſerunt in corpore, ſiue bona, ſiue mala. hæc autem ſunt impropria paruulis: ergo.

Quare Saluator, & Apoſtolus de adultis tantũ videntur loqui. 18 Reſp. diſt. anteced. Eos tantum indicat excludendo alios, nego. præſcindendo in eo loco ab alijs, concedo: idem dico ad locum Pauli. Ratio autem vtriuſque loci eſt, quia tam Saluator, quam Apoſtolus loquebantur cum adultis, quorum intererat benè operari, & vt eos ad bona opera hortarentur; opera in medium proferunt, tamquam ea de quibus eſſent rationem reddituri. At non proinde excludunt alios à reſurrectione.

Ob. 2. Finis reſurrectionis, & iudicij eſt retributio meritorum. Sed hæc ceſſat pro paruulis ergo non reſurgent.

Aliud validũ argum. Conf. ex 2. *Cor.* 5. *Omnes enim nos manifeſtari*

*stari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* Paruuli autem neutrum istorum gesserunt: ergo.

19 Resp. neg. consequ. Paruulis enim qui cum remedio contra originale pro lege veteri, vel baptismo pro noua decesserunt gloria decernetur, ijs verò, qui sine illo; eiusdem priuatio.

20 Ad confirmat. respondet Glossa Ordinar. ibi, *Vt referat vnusquisque etiam pueri, qui si non per se per alios gesserunt, dum per eos crediderunt, vel non crediderunt, secundum quod iudicantur, non secundum quod gesturi erant si viuerent.* Lyranus verò clarius ibi. *Nec per hoc excluduntur pueri à iudicio, qui nihil in proprio corpore meruerunt, vel demeruerunt, quia dijudicabuntur secundum ea, quæ circa eos ab alijs sunt facta, vel omissa in quantum sunt ab alijs baptizati, vel non.* Itaque non secundum gesta iudicabuntur proprie, sed pro peccato originali, vel carentia eius.

Optima respon. Glossæ

21 Idem docet *Anselmus ibid. cap. 5. ad Cor.* Referet vnusquisque etiam paruuli, qui non per se ipsos, sed per alios gesserunt. Nam si in illa paruæ ætate moriuntur, vtique iudicantur secundum gesta corporis, id est secundum ea, quæ gesserunt, dum essent in corpore quando per corda, & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt, quando baptizati, vel non baptizati sunt, &c. hæc *Anselm.*

Idem ex Anselm.

## ARTICVLVS II.

### *An abortiui debeant resurgere?*

Scotus de hoc non loquitur. Sed ex eius principijs colligitur eius mens.

SCOTVS ad hoc indiuiduum non descendit, sed ex duobus principijs doctrinæ ipsius infertur eius intentio. Primum est, quod supposita perfecta organizatione substantiali fœtus in vtero materno, immediatè à Deo infunditur anima, ita in *3. sent. dist. 2. quæst. 3. §. Quantum ad secundum, B.* Alterum principium est, quod *Resurrectio ex Damasceno est iterata surrectio eius, qui prius cecidit per separationem animæ intellectiuæ à corpore, & secundario illud corpus mixtum cecidit per conuersionem in aliud, &c.* ex quibus infertur, quod si abortiua erant animata, & sunt mortua, debeant resurgere; secus verò si inanimata.

Quare difficilis hæc quæstio.

22 Adu. quod huius articuli solutio facillima esset per se; quia si abortiui sunt mortui, non excluduntur ab vniuersali resurrectione. Sed per accidens redditur difficilis, ob aliam controuersiam, an omnia abortiua sint animata. Et quia alius non occurret aptior pro hac difficultate locus, hic eam discutiemus.

23 Adu. ergo 2. Maximam semper inter Philosophos, nec non inter Theologos fuisse quæstionem de tempore, in quo anima rationalis infunditur in embrione. Omnes fere in hoc conueniunt, quod non statim emisso per marem, & fœminam semine, & in matrice bene disposita, recepto, anima infundatur. Conueniunt secundò in hoc, quod facta mixtione duorum seminum, conglutinatur quædam substantia, quæ dicitur placenta, seu genitura; quæ quidem placenta illico subtili quadam pelle, velut oui putamine operitur, atque concluditur. Deinde tres tunicæ producuntur, scilicet Chorion, secunda dicta Allanthoides, tertia Amnæa. Postea formantur tres ampullæ, velut vuarum grana in quarum media formatur corpusculum quodam, quod secundum Aristotelem est cor; secundum Galenum est Iecur, & ex hoc corpusculo formanda, & inchoanda sunt filamenta totius humanæ organizationis; de quo iam dicto opificio distinctè discurrunt Anotomici, & præceteris *Riolanus lib. 1. Antopograf. cap. 6.* quem globum, seu placentam, seu genituram in hoc statu consideratam, appellant ouum conceptionis; & referunt, tale ouum, seu placentam, non esse magnæ quantitatis; sed Riolanus qui supra, docet, vix esse ponderis vnius dragmæ. in his omnes conueniunt; sed contendunt de animatione. Quidam enim docent, tunc infundi animam rationalem, & virtute animæ formari corpus perfectum; quæ quidem primo exercet actus vegetandi; secundò actus sentiendi; & tertio tandem intelligendi; & ita saluant, quomodo vna tantum anima sit in homine ab initio: quod maxime confirmant exemplo formationis Adæ; inlutum enim animam primo Deus immisit, deinde sunt membra formata, vnde *Iobe. 10.* ait, *Memento quæso quod sicut lutum feceris me, sicut caseum me coagulasti, pelle, & carnibus vestisti me, &c.* Et ita putant intelligendum *Aristotelem lib. 2. de generat animal. c. 3. Homo prius viuit vita plantæ, deinde animalis, & tandem hominis*, id est inquiunt habet quidem ab initio animam intellectiuam, sed ratione materiæ indispositæ exercet actus illos successiuè quousque perfecta sit organizatio. Hæc sententia tribuitur *Alberto Magno in Summa de homine, quæst. 18. Philopono in comment. lib. 2. de an. ad tex. 3. & 24.* & alijs citatis à *Dand. lib. 2. de an. comm. 13. digress. 8. p. 3.* tribuitur etiam *Hugoni de S. Victore t. 1. lib. 4. Allegor. in Euang.* super illud Lucæ *Exultauit infans*, item Galeno, & Auicennæ. Nunc eam defendere videntur *Petrus Gorc. disp. 38. cap. 2. Hurtadus de generat. disput. 2. sect. 8. num. 108. &c. Theoph. Raynaudus lib. de ortu infant. cap. 10.*

Sent. plures in quo conueniunt.

In quo differunt varia principia habeat.

Ouum conceptionis.

De animationis tempore est lis. Prima sent. dicit infundi ante perfectam organizationem.

Alberto Magno tribuitur, & Philopono, & alijs

24 Secunda vero, & communior sententia, est, Animam non infundi, nisi in corpore perfectè organizato, id est formatis iam principalibus membris, corde, hepate, cerebro, alijsque, quibus humanum corpus ab alijs discerni potest. Ita *Scotus D. Thom.*

2. sent. & cõmunior, quod anima infunditur in corpore perfecte organizato.

*D. Bonau.* vt suppono ex *libris de generat. & corrupt.* ac *libr. de anima*, qui tamen omnes ex D. Augustino, ac Hieronymo, Origene, &c. Hi autem ex Sacra Scriptura videntur hauxisse, vt in conclusione patebit. Isti enim omnes distinguunt semper abortiuum humanum animatum ab inanimato: igitur non existimant in ouo generationis infundi animam, sed in perfecto embrione. His autem præmissis, vt ad intentum nostrum accedamus.

Non omnia abortiua humana sunt animata, & sic non omnia mortua.

25 Dico 1. Non omnia abortiua humana sunt animata; & ideo non omnia dici possunt mortua.

26 Prob. 1. Ecclesia semper cum hac suppositione iudicat: ergo ita est. Euidens est conseqn. alioquin deciperetur, existimans innocentem, homicidam, vel saltem in re grauissima hallucinaretur, existimans, non in aliquo casu particulari, sed generaliter, fœtus omnes conceptos, non esse animatos, sed aliquos sic, alios non. Anteced. prob. ex *cap. Sicut ex literarum, de homicid.* vbi interrogatus Innocentius III. quid agendum de Presbytero, qui occasionaliter per zonam arripiens mulierem quandam abortum procurauerat, & proinde prudentum consilio pro irregulari se gerebat, Respondit, *Nos verò Insinuatione præsentium respondemus, quod si nondum erat viuificatus conceptus, ministrare poterit, alioquin debet ab altaris officio abstinere.* Idem habet Glossa ibi, Ver. *Viuificatus.*

Ecclesia sic tenet ex sac. can.

27 Conf. ex *cap. Quod verò, cap. Moyses, & cap. Sicuti semina*, 32. *quæst.* 2. mox adducenda ex SS. Patribus Hier. & Augustino, in quibus distinguuntur fœtus animati ab inanimatis per hoc, quod illi habent corpora, & membra formata; isti verò, nequaquam.

Ex constit. Apost.

28 Prob. 2. ex Constitut. Apostolicis in quibus fœtus animati ab inanimatis distinguuntur. Nam *Sixtus V. const. 87. Effrenatam*, cupiens abortus omnes impedire, pœnis grauissimis impositis, in §. 1. ait, *qui de cætero per se, aut interpositas personas abortus, seu fœtui immaturi, tam animati, quam inanimati, formati, vel informis eiectionem procurauerint.* & *Greg. XIV. in const. 8. Sedes*, licet pœnas grauissimas, quas Sixtus contra hoc delictum statuerat ad terminos iuris antiqui reducat; tamen semper vtitur hac distinctione fœtuum animatorum, & inanimatorum; nam in 1. §. ait, *Sixtus zelo accensus contra procurantes abortum fœtus, tam animati, quam inanimis, &c.* in §. 2. restringens pœnas, ait, *vbi nec de homicidio, nec de animato fœtu agitur, pœnas non imponere duriores, &c.* in §. 3. ait, *quòd verò ad pœnas procurantium abortum fœtus inanimati, &c.*

Pœnæ pro abortibus semper grauior pro animatis.

29 Ex quibus habetur, quod leges canonicæ, quemlibet abortum, siue animatum, siue non, sub graui pœna semper prohibuere, etiam pœna homicidæ, quia licet animatus non esset fœtus, tamen erat dispositus ad animationem, eratque in via, vt fieret homo, diuersæ autem pro omni aborto statutæ sunt pœnæ in *Concilio Ancyr. c. 21. Illerdensi c. 2. & Vormatien. 1. c. 25.* idemque statuit lex Ciuilis pro omni abortu indifferenter, *ff. ad leg. Cornel. de Sicar. si mulierem*, & *ff. ad leg. Aquil. si seruus*, §. *Si mulier.* Grauior tamen semper fuit pœna contra procurantes abortum fœtus animati; quia, vt patuit ex *cap. Sicut ex liter.* isti incurrunt irregularitatem; sunt enim veri homicidæ, quia hominem iam existentem viuum occidunt. Ergo admittenda est distinctio inter fœtus animatos, & inanimatos.

Hier. clare:

30 Prob. 3. ex *S. Hieron. ad Algasiam quæst. 4.* & nunc refertur in *Causa 32. qu. 2. cap. 10.* sic autem habet. *Sicuti semina paulatim formantur in vteris, & tandiu non reputatur homo, donec elementa confecta suas imagines membraque susciperint, ita sensus, ratione concepti, nisi in opera prorupit adhuc in ventre retinetur, &c.* ergo semina non reputantur homo, nisi habeant imagines, seu membra humana; & sic non omnes fœtus sunt homines, nisi formati sint.

Augusti. diffuse,

31 Prob. 4 clarius ex *August. in quæst. Exodi quæst* 80. & nunc refertur in *cap. 8. 32. qu. 2 quæst. Quod vero non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputauit, quod tale in vtero geritur. Hic de anima quæstio solet agitari, vtrum quod formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi, & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Si ergo illud informe puerperium tam quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum, (quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententia) ideo lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viua in eo corpore, quod sensu caret.* Vbi nota, quod licet *Augustinus* agnoscat difficultatem de tempore animationis ratione cuius puerpertium abortiuum procurans dicitur homicida; tamen fatetur distinctionem inter animatum, & non animatum inter formatum, & informem.

Idem Aug.

32 Conf. ex eodem *libr. qq. vet. & noui testam. cap. 23.* & adducitur ibidem *cap. 9.* sic autem habet, Moyses tradidit *(Si quis percusserit mulierem in vtero habentem, & abortierit, si formatum fuerit det animam pro anima, si autem informatum fuerit mulctetur pecunia)* vt probaret *non esse animam ante formam, itaque si tam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur, cum semine derivata. Nam si cum semine, & anima exisset exanima, multæ anima quotidie pereunt cum semen fluxu quodam non profuit nativitati; sed si propius respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur factum Adæ. In Adam enim exemplum datum est, vt ex eo intelligatur, quia iam formatum corpus accipit animam. Nam polluerat animam limo terræ ad miscere, & formare corpus. Sed ratione*

*informabatur, quia primum oportebat domum compaginari, & sic habitatorem induci, anima erit, quia spiritus est in sicco habitare non potest. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima?* totam authoritatem adducere fuit necessarium, vt appareret elegans conclusio, & tota Augustini mens in hoc negotio. Firmiter ergo docet, animam in corpus non immitti, nisi illud sit membris humanis lineatum, & formatum. Igitur non omnia abortiua sunt animata. Quonam autem tempore homo in vtero incipiat viuere, *August. in Enchirid. cap.* 86. dicit se ignorare an ab homine id possit sciri.

33 Conf. 2. ex eodem in *lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 12. *&* 13. adducendis in sequ. concluſ. ibi enim probat Augustinus, fœtus, qui habuerunt animam esse resurrecturos, alios verò nequaquam: ergo.

34 At quoniam *Augustinus*, & tota Ecclesia in hoc negotio differentium abortiuorum in citata Exodi scriptura fundatur, est maximè necessarium eius scripturæ pondus considerare. Ideo

In declaratione loci Exodi est tota difficultas

35 Prob. 5. conclusio ex *cap.* 21. *Exodi*, vbi Deus per Moysem statuit pœnas pro delictis, & in *vers.* 22. sic habet. *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit subiacebit damno quantum expetierit maritus mulieris, & arbitri iudicauerint, sin autem mors eius fuerit subsecuta, reddit animam pro anima; oculum pro oculo; dentem pro dente.* His locus iuxta prælatam editionem nihil probaret, quia nulla fit mentio de abortiui morte, vel animatione. Sed, vt notat Glossa Ordinaria ex Origene (qui editiones omnes S. Scripturæ in octaplis posuit, & à Hieronymo commendatur eius collectio, & interpretatio) sic habet textus 70. Interpretum. *Quod si litigabunt duo viri, & percusserint mulierem prægnantem, & exierit infans eius nondum formatus detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris, & dabit pro anima sua.* Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, &c. *Primum videamus de eo, qui non formatus exiuit, quomodo iubetur damno pecuniæ, petenti, vnus ex litigantibus, cum duo dicantur, &c. Quod si infans iam formatus exierit, animam dare pro anima, facilè intelligimus, morte scilicet vindicetur peccatum, &c.* Eadem Glossa ibidem refert lectionem Augustini ad eundem sensum, quam ex Origene accepisse putamus. Sic autem habet, vt supra retulimus, *quod non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputauit, hic de anima quæstio est vtrum, quod formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi; & non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habet. Sequitur enim, & dicit si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima, id est morietur, &c.* hæc Glossa.

Author assumit graue pretium, sed tacitè absolut.

Textus 70.

Conf. ex Augst.

36 Ex quibus habes, quod textus canonicus iuxtà editionem 70. Interpretum distinguit fœtum animatum ab inanimato, & hoc per esse formatum, & informem.

37 Conf. ex Philone Iudæorum peritissimo, *in libro de Specialibus legibus*, explicante caput 21. Exodi, sic autem habet. *Sin autem quis rixando cum mulieri grauida pugnos in ventrem infixerit, ita vt abortus sequatur. Si abortiuum informe fuerit, multetur, tum propter violentiam; tum quia fuit impedimento naturæ hominis animalis pulcherrimi opificium exorsæ. Quod si formatus fœtus absoluta membra, & in ordinem digesta habuerit, morietur percussor, iam enim erat homo, qui in naturæ officina interruptus est, &c.* ergo etiam ipse ex Sacro textu agnoscit fœtum animatum, & inanimatum ex sola differentia formati, & informis.

Ex Philone Iudæo doctissimo, ex Script.

38 Conf. 2. ex *S Gregor. Nisseno lib. de homin. cap* 29. *&* 30. ex *S Ioan Chrysost. homil.* 12. *&* 13 *in Gen.* ex *Damasc. lib* 2. *de fide Orthod. cap.* 12. ex *Lactantio de Opific. Dei cap.* 7. ex *D. Tho.* 1. *par. quæst.* 91. eodem modo locum prælatum Exodi sustinentibus: ergo.

Greg. Niss.

39 Prob. 6. conclusio. Communis Theologorum primæ notæ sententia est, animam infundi à Deo in corpore perfectè organizato, seu formato. Ergo fœtus vsque ad illud tempus est inanimatus. Euidens est conseq. Anteced. prob. ex *D. Hier & August. supra cit.* ex *D. Tho. lib.* 2. *contra Gent. cap.* 89. *Henrico Gandauensi quodlibet.* 13. *quæst.* 13. *Scoto* 2. *dist.* 17. *quæst.* 1. *B.* ex *D. Bonau. in* 2. *distinct.* 17. ex *Ouamo lib.* 2. *de generat. animal.* & alijs innumeris. In ò *Scotus in* 2. *sentent. dist.* 18. organizationem perfectam quoque à Deo formari docet, cum semen vnigeneum, eam non possit attingere.

Communis sent. animá infundi corpori perfectè organizato.

40 Prob. 7. Licet discordent Philosophi in assignando mensuram temporis necessarij ad formandum fœtum cum perfecta organizatione capaci animæ rationalis; tamen concorditer docent, eam præire debere ad animationem: ergo. Anteced. prob. Nam *Hippocrates in lib de natur. puer.* diuersis in locis docet masculum intra 30. dies, ad summum, fœminam verò intra 42. formari; & à posteriori id infert à purgatione, scilicet sic. *Nam, & purgatio à partu fit mulieribus, vt plurimum, ijs quidem, quæ fœminam susceperant, duobus, & quadraginta diebus; in masculo verò purgatio diebus triginta contingit. At purgationes à partu ea de causa mulieribus contingunt, quod primo tempore ad duos, & quadraginta dies in fœmina, in masculo verò ad dies triginta pauciſſimus sanguis in pueri alimentum cadit, ex eo vero ad partum vsque, copiosior:* & multò post. *Plerasque autem iam mulieres fœtum masculum paulò ante trigesimum diem abortione reddidere, sed is distinctus conspectus est; qui verò paulo post, aut eo ipso die reiecti sunt, omnes distinctis membris visi sunt.* Arist. autem *lib* 7. *de hist. animal. cap.* 3.

Discordant Philosophi circa tempus org. tamen docent debere præire,

*cap.* 3. docet, mares circa quadrageſimum diem formari, fœminas verò circa nonageſimum. Aſſignant autem præfati Phyloſoforum anteſignani rationem huius diuerſitatis in formandis fœtibus, Hippocrates enim *de nat. pueri*, ait, *Quod autem ſamella poſterius conformatur, ac coarticulatur, cauſa hæc eſt, quod genitura fœminea debilior eſt, ac humidior, quam maſcula, & iuxta hanc rationem neceſſe eſt poſterius conformari puellam, quam maſculum.* At Ariſtoteles *lib. 4. de generat. animal. cap. 6.* ſic inquit, *Sunt enim fœmina ſua natura debiliores frigidioreſque, & ſexum fœmineum, quaſi læſionem naturalem, & detrimentum eſſe putandum eſt. Intus igitur tardè præ ſua frigiditate diſcernuntur, hæc etenim diſcretio concoctio eſt, calor autem concoquit, & quod calidius id concoctu facilius eſt:* & de hoc argumento ſatis. Conſtat tamen ex his formationem membrorum præcedere animationem, ac proinde fœtus dari quoſdam animatos, alios non.

Quare in breuiori tépore organizatur mas, quam fœmina.

41 Prob. 8. Ex leg. ciuil. quibus Iuriſconſulti vtuntur circa ſucceſſionem agnatorum in bonis defuncti. *Vulpian* enim in *lib. 1. §. Si quis proximior D. Vnde cogn.* habet. *Sed hoc ita demum accipiendum, ſi hic qui in vtero eſſe dicitur, viuo eo, de cuius bonorum poſſeſſione agitur fuit conceptus, nam ſi poſt mortem, non obſtabit alij, nec ipſe admittitur, quia non fuit proximus cognatus ei, quo viuo nondum anima*, ſeu vt Pandectæ Florentinę legunt *animatum*, & *Papin. in comment. ad l. Falcid. D. ad l. Falcid.* fœtum viuentem adhuc vita plantæ, vocat expertem animæ rationalis.

Ex lege ciu. arg. validum

42 Conſ. ex *l. Diuus, ff. De extraord. crim. & l. penult. C. Ad l. Corneſ. de Sicar. & l. Si mulierem, ff. Eo, & l. Cicero, ff. de pen.* quæ quidem iura ſtatuunt, illum tantum eſſe pœna mortis puniendum, qui abortus animati fœtus fuit cauſa. Ergo aliqui ſunt animati, alij non.

Ex alijs leg. ciu.

43 Ex quibus infertur primo, improbabilem eſſe, vel ſaltem communi Doctorum Sanctorum, & Eccleſiæ ſenſui contrariam, eorum ſententiam, qui dicunt fœtus humanos anima rationali pollere, antequam ſint perfectè organizati, quidquid ſit de tempore requiſito ad perfectam organizationem.

Improbabilis eſt ſent. oppoſita, quod ante organizat. infundatur.

44 Infertur 2. Improbabiliorem eſſe ſententiam dicentem, animam infundi in ouo, quod dicunt generationis, id eſt in placenta illa, ſeu maſſa ſeminea formata in vtero poſt ſeptem ad ſummum dies ab emiſſione ſeminis.

Et multo magis eam quæ dicit infundi ouo generationis.

45 Infertur 3. Nedum improbabilem, ſed hæreticam eſſe ſententiam docentem animam fœtus in ſemine parentis contineri, & cum ſemine immitti in vterum; & hoc, ſiue dicatur à Patre animam generari, ſiue à Deo, ſed in teſtibus, vt quidam dicunt, ſeu in ſemine paterno. Ratio eſt, quia decretum eſt in *Concil. Later. 4. can. 1.* & habetur in *cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide cathol.* animam à Deo creari; & in *Concil. Bracharen. 1. cap. 6.* decernitur hæreſim eſſe, dicere, quod anima antequam corpori vniatur organizato, ſit creata extra.

Anima non continetur in ſemine patris.

46 Ad omnes autem probationes, quibus euidenter concluſum eſt, Eccleſiam, & Iura ciuilia, & ſacram Scripturam diſtinguere fœtum animatum ab inanimato per eſſe formatum membris, & non formatum, & proinde ſtatutam eſſe homicidij pœnam contra procurantes abortum fœtus animati, non verò contra procurantes abortum non animati. Reſpondere ſolent primò, quod nedum iura ciuilia, ſed canonica pro cuiuslibet fœtus abortu aliquando ſtatuerunt, pœnas homicidij, ita ex *cap. Si aliquis, de homicid. volunt.* in quo ſtatuitur, *vt ſi quis mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non poſſit generare, aut concipere, vel naſci ſoboles, vt homicida teneatur.* Ergo ex pœna concluditur, omnem fœtum eſſe animatum; homicida enim non eſt, niſi qui animatum occidit.

Aduer. reſpõ. ad dictas rationes, & vtraque lege ſumptas.

47 Secundo & eſt notanda reſponſio, dicunt ex legibus illis, ſtatuentibus pœnas homicidij contra authores abortus animati, non concludi intentum; quia loquuntur de animatis habentibus ſenſum, & motum, qui quidem actus corporibus animatis congruunt. Id ergo ſtatuerunt leges, ſiue diuina, vt *Exodi* 21. ſiue ciuiles, & canonicæ, vt ſi quis procuret abortionem fœtus exercentis opera animæ in actu ſecundo, puta motum, & ſenſationem, vt ſi pungatur ſe retrahat, &c. homicidij pœna plectatur, quia hic occidit animatum in actu ſecundo. At ex hoc non ſequitur, quod fœtus opera illa non exercens, animam non habeat in actu primo, vt ita dicam, & in formantem talem corpus.

2. reſp. adu. quid pœnæ ſtatutæ ſunt contra procurantes abortum eorum qui poſſunt ſentu, & motu.

48 Sed contra primum. Eſtò leges ciuiles, & canonicæ pœnam homicidij ſtatuerint contra impedientes generationem, quia impediunt formationem hominis: non proinde ſequitur eſſe homicidas, & ſic neque ſequitur, quod ſemper opprimant fœtus animatos. Ratio primi eſt, quia multa delicta puniuntur ſimili pœna, neque per hoc ſequitur eſſe eiuſdem generis, licet quoad punitionem exiſtimentur talia. Sicut patet de fautoribus hæreticorum, qui pœna iſtorum puniuntur, & tamen non ſunt hæretici. Ratio ſecundi, quia canon ille, pœna homicidij punit dantes remedium ne aliqua generet, aut concipiat, quod poteſt etiam accidere, ſi procuretur, vt ipſa, vel non ſeminet, vel receptum viri ſemen non retineat, & tamen nullus dicet, ſic facientem eſſe reum homicidij, niſi fatuus aliquis, qui diceret ſemen deciſum eſſe animatum. Eſto ergo canonicum ius in loco citato, abhorrens abortus omnes, & impedimenta generationum, pœnam homicidij ſtatuerit contra eiuſmodi; ca-

Euidenter eliduntur.

Multa delicta puniũtur eadem pœna, & tamen non ſunt eiuſdem ordinis.

Pœna differens abortus animati fœtus ab alijs.

tamen non taxauit contra eos irregularitatem, quæ est pœna sequens verum homicidium, vt optimè notat Glossa ibi. Verbo, *Vt homicida*, & deinde ipsemet textus iam allatus in *cap. Sicut ex literarum*. Cum ergo, vt patuit, adeo clarè textus canonicus distinguat inter fœtum animatum, & inanimatum, idemque ex S. Scriptura iuxta 70. Interpretum editionem, habeatur; nullus restat scrupulus de hoc dubio.

2. resp. non subsistit, & euidenter patet,

49 Ad secundum. Fateor ingeniosam esse inuentionem, sed non video quantum subsistat. Nam si Deus statuit in Exodo pœnam contra homicidas, inter quos computat procurantes abortum fœtus formati, non verò procurantes abortum fœtus non formati; de necessitate sequitur non hunc, sed illum esse animatum. Qua enim de causa voluit magis consulere fœtui animato exercenti sensationem, & motum, quam animato non exercenti; si vtrumque anima rationali præditum est; non ne in vtroque fieret separatio animæ à corpore, in quo consistit mors? non ne vterque fœtus priuabatur remedio instituto contra originale, & sic damnabatur. Si ergo in vtroque par damnum, quare putandum est, Deum iustissimum, & pijssimum, alterutrum ex ijs homicidijs tantum, pœna seueriore prohibere? Secundo, sæpissime prohibitio hæc Ex absurdis argum. frustratoria euaderet, non enim posset discerni, an fœtus vita in actu secundo polleret, an in actu primo tantum. Posset enim, vt sæpè accidit suffocatus, & extinctus emitti fœtus; sæpè etiam viuus emitti, sed medio tempore, quo fieri deberet experimentum sensationis per punctionem, extingui. Quomodo ergo in ijs casibus deueniri posset ad executionem *pœnæ contra homicidam*, si de homicidio non constaret. Voluit ergo Deus regulam vniuersalem infallibilem pro eiusmodi delictis constituere, vt qui animatum fœtum abortiri curaret, pœna mortis multaretur; qui verò inanimatum, pœna pecuniaria: voluit pariter certum distinctionis signum inter eiusmodi fœtus significare, cum innuit, si fuerit formatus, vel informis. Ideo, cum hac distinctione, ciuilia, & canonica iura ab initio Ecclesiæ processere.

Friuolitia, & prouidentia Dei arg.

50 Alia argumenta, quæ contra hanc thesim, & contra hypothesim de tempore animationis fieri possent multa sunt; sed ad nostrum institutum minimè spectantia; quæ enim nuper diximus, in ordine ad resurrectionem abortiuorum prælibauimus; sed qui exactam eius rei discussionem desiderat, legat Tractatum Alphonsi Caranze I. C. Hispani *de partu naturali, & legitimo*, hic enim eruditissimè omnia, quæ fieri possunt in hoc negotio argumenta, considerat. Et nos ad nostra transeamus.

Alia argum. ex allegatis.

51 Dico 2. Abortiui omnes animati resurgent in Resurrectione Vniuersali, alij verò nequaquam.

Abortiui animati resurgent omnes.

52 Prob. ex *D. Augustin. in Enchirid. c. 85.* sic habente. *Primò occurrit de abortiuis fœtibus quæstio, qui iam quidem nati sunt in vteris matrum, sed nondum ita vt possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui iam formati sunt, tolerari potest vtcunque quod dicitur. Informes verò abortus, quis non procliuius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerint:* ergo. Augustin.

53 Prob. 2. ex eodem *cap. 86. Enchirid. Inter doctissimos quæri, ac disputari potest; quod vtrum ab homine inueniri possit, ignoro, quando incipiat homo in vtero viuere. Vtrum sit vita occulta, quæ non dum motibus viuentis appareat; nam negare vixisse puerperia, quæ præterea membratim execantur, & eijciuntur ex vteris prægnantium, ne matres quoque si mortua ibi relinquantur occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere ex illo vtique mori potest. Mortuus verò, vbicunque illi mors potuit euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum reperire non possum.*

54 Prob. 3. ex eodem *lib. 22. de Ciuit. cap. 12.* sic habente. *Si enim æqualitas corporum erit, vnde habebunt, quod hic non habuerunt in mole corporis abortiui si resurgent; & ipsi, aut si non resurgent, quia nec nati sunt, nec effusi.* Ergo supponit animatos resurrecturos, cæteros, nequaquam. Augustin.

55 Prob. 4. ex eodem *lib. 22. c. 13. Abortiuos fœtus, qui cum iam vixissent in vtero ibi sunt mortui, resurrecturos, vt affirmare, ita negare non audeo, quamuis non videam, quomodo ad eos non pertineat resurrectio mortuorum, si non eximuntur de numero mortuorum, aut enim non omnes mortui resurgent, & erunt aliqua humana anima sine corporibus in æternum; quæ corpora humana quamuis intra viscera materna gestarunt. Aut si omnes anima humana recipiant resurgentia sua corpora, quæ habuerunt vbicunque viuentia, & morientia reliquerunt, non inuenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in vteris matrum.* Ergo regula generalis Augustini est, quod fœtus, qui in vteris vixerunt, id est, qui animam rationalem aliquando habuerunt resurgent; secus verò qui non vixerunt, id est ea caruerunt, Idem Aug.

✠

## ARTICVLVS III.

### *An monſtra debeant reſurgere.*

Monſtrum quid ſit.

56 ADu. quod nomine monſtri, hic aliud non intelligimus, niſi hominem habentem deformitatem toti humanæ ſpeciei extraneam. De cauſis, & varietate monſtrorum omnium abundè agit *Ariſtot. libr. 4. de genr. animal. cap. 4. & 8. Galenus lib. de hiſt. Phyloſof. c. 113. Plinius lib. 7. Natural. hiſt. cap. 4.* Euentus autem monſtruoſos fere innumeros adducit *Georgius Schenchius in 4. par. ſui oper.* dicitur autem monſtrum, quia ex nouitate rei monſtrari dignum eſt. Not. autem, quod omnia monſtra, vel declinant in toto à ſua ſpecie, vel in parte. & ſic omnia ad hæc duo genera reducuntur. Tunc declinant in toto, (loquendo in noſtro caſu) quando fœtus à muliere productus nullum haberet membrum humanum, vt refert *Herod lib. 1.* de pellice Regis Sardium, qui Leonem enixa eſt: De alijs verò animalibus fœtus ſpecie differentes parientibus innumera adduci ſolent ab authoribus exempla. Tunc autem declinant in parte, quando genitum eſt eiuſdem ſpeciei cum generante, ſed defectum aliquem patitur, ſiue poſitiuum, ſiue negatiuum. Rurſus defectus poſitiuus eſt duplex quidam ſecundum diuerſitatem ſpeciei, quidam ſecundum identitatem. Primus eſt, ſi fœtus humanus naſcatur cum aliquo membro alterius animalis, ſicut refert *Zonar. to. 3.*: de puero quodam ſub Mauritio Imperatore in Tracia nato, cum cauda piſcis vſque ad coxendices; & de puero in ſpeciem vrſi vngulis armato, & villoſo tempore Martini IV. Pontificis orto, refert *Sabell. libr. 7. Enn. 9.* & *Arnaldus Sorbinus* refert *lib. de monſtr.* in Albania; ortum puerum bicipitem vnum tamen caput erat caninum, alterum humanum. defectus verò poſitiuus ſecundum identitatem eſt quando naſcitur fœtus humanus cum duplicatis membris; ſicut refert *Celius libr. 24. cap. 3. A. L.* de infante nato ſub Conſtantio I. cum ore geminato, quatuor oculis, & binis dentium ordinibus, *& Arnaldus*, qui ſupra refert anno 1389. natum puerum cum quatuor brachijs. idemque dicendum de hermafroditis, alijſque, qui membris, ſed tamen humanis abundant, & communi vocabulo appellantur bimembres. Defectus tandem negatiuus, eſt, cum fœtus oritur aliquo carens membro, ſicut de quodam refert *Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 8.* habente binos tantum digitos in qualibet manu, & pede. De his ergo omnibus inquirimus, an debeant reſurgere. In qua verò forma huiuſmodi monſtra ſint reſurrecturà, dicemus in Diſputatione de cauſa formali.

Dicitur tale, quia monſtrari dignũ erat.

Monſtrum, vel in toto, vel in parte declinat à ſpecie.

Diuerſa monſtra.

57 Dico. Monſtra omnia quemcumque defectum patientia, ſi anima rationali aliquando fuerunt prædita, reſurgent. In qua verò forma dicetur infra *art. 7.* Monſtra animam reſurgent.

58 Prob. 1. ex *D. Auguſtin. in Enchirid. cap. 87.* ſic habente. *Neque enim monſtra, quæ naſcuntur, & viuunt quantumlibet cito moriantur, aut reſurrecturà negabuntur, aut ita vitiata reſurrecturà credenda ſunt, ac non potius correcta. Abſit enim, vt vnum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat ſi gemini naſcerentur reſurrecturos exiſtimemus. Ita cætera, quæ ſinguli quoque partus, vel amplius, vel minus aliquid habendo, vel quadam nimia deformitate monſtrando dicuntur ad humanæ figuræ naturam reſurrectione reuocabuntur, ita vt ſingula anima ſingula ſua corpora obtineant, nullis coherentibus etiam quæcunque coherentia nata fuerant, ſed ſeorſum ſibi ſingulis ſua membra geſtantibus, quibus humani corporis completur integritas.* hæc *Auguſtinus.* Ex Auguſt.

59 Prob. 2. ex *Othone Friſigenſi libro 8. Chron. cap. 13.* ſic habente. De monſtruoſis verò, & abortiuis id ſentiendum reor, quod cui hæc definitio animal rationale, & mortale congruit, vel ad vitam, vel ad mortem reſurrecturum eſſe credamus. Si ergo ſunt aliquæ gentes monſtruoſæ, quæ rationales ſunt, & mortales, vel abortiui, qui iam animam habere cœperunt, huic legi ſubiacent. Otho Friſigen.

60 Prob. 3. De fide eſt mortuos omnes eſſe reſurrecturos *Ioann. 5. Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in reſurrectionem iudicij.* & *primo Corinth. 15. Omnes quidem reſurgemus, &c.* Sed monſtra humana, ſiue homines, vt ſupponimus cum anima polleant rationali. Ergo reſurgent; ſed vt in articulo 7. dicetur, in perfecta natura humana. Ratione.

ARTI-

## ARTICVLVS IV.

### *An omnia membra, & partes, quæ sunt in homine resurgent.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 44. qu. 1.* exactissimè inquirit, an resurgere debeat in homine totum id, quod fuit de integritate naturæ humanæ. Et per varias conclusiones decernit, quænam debeant resurgere, & quæ non.

Sensus art.

61 Adu. Quod in homine plura possunt considerari. Primò partes essentiales sine quibus homo non consisteret. Secundo partes integrales permanentes, vt brachia, coxendices, &c. sine quibus homo consisteret, sed non esset perfectus. Tertio partes integrales, quæ continuò fluunt, & de nouo fiunt. Nam, vt supponimus ex *lib. de gener. &c.* ob actionem caloris naturalis in humidum radicale continuè homo diminuitur, & reficitur per nutritionem. Quæri ergo potest, an omnes illæ partes, quæ aliquando fuerunt in homine, sine vt partes essentiales, sine, vt integrales, siue permanentes, siue fluentes debeant resurgere. Ac quia confusio esset si de omnibus promiscuè ageremus; de primis tantummodo hic, de reliquis in seqq. agemus.

Partes essentiales resurgent.

62 Dico ergo. Omnes partes essentiales, quæ erant necessariæ ad formandum humanum organum, sine quibus anima non poterat informare, resurgent. Est communis de fide.

Ex Script.

63 Prob. 1. ex 1. *Cor. 15. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Glossa Interlin. Verbo, *Incorrupti*, ait, *sine diminutione membrorum*. Lyran. idem repetit, addens, *Quidquid pertinet ad integritatem naturæ omnibus dabitur*: ergo.

64 Prob. 2. De fide est, hominem debere resurgere; sed sine membris illis, non est homo: ergo est etiam de fide, cum illis debere resurgere.

Ex iustitia arg.

65 Prob. 3. & capite diuinæ Iustitiæ membra illa, vel fuerunt in delicijs vitæ præsentis, & instrumenta hominis ad peccandum; vel fuerunt in passionibus, & instrumenta ad mærendum: ergo, vt exerceatur distributiua iustitia, omnia debent resurgere, vel vt patiantur pœnam, vel vt fruantur præmio.

66 Confex mox dicendis. Omnes enim debent resurgere in virum perfectum ad mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed absque præfatis membris, non est vir perfectus: ergo.

Membra integrantia hominem resurgent.

67 Dico 2. Omnia membra integrantia hominem debent cum eo resurgere. Est etiam communis.

68 Prob. 1. ex *Ephes. 4. Omnes occurramus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vbi Glossa Ordinar. inter cætera ait, *In virum perfectum, vt quod caput, & membra: omnes simus vnus perfectus vir, cui nihil desit vt non sit corpore perfectus, qui membris caret*; ergo. Ex Script.

69 Prob. 2. ex *Luca 21. Et capillus de capite vestro non peribit.* Vbi Glossa Lyr. ait, hoc addidit Saluator ad declarandum veritatem futuræ resurrectionis, per quam resurgent in electis, non solum illa quæ sunt de necessitate naturæ humanæ, sed etiam ea, quæ faciunt ad decorem, &c. ergo, cum membra faciant ne dum ad decorem, sed ad necessitatem integritatis, omnia resurgent.

70 Prob. 3. ex *D. Augus. lib. 22. de Ciu. cap. 12.* vbi sic habet, *Et vbi iam erit capillus de capite vestro non peribit, si de ipsa corporis quantitate, tam multum peribit.* Ergo multò minus verificarentur Christi verba, si membra essent peritura. Augus.

71 Prob. 4. ex eodem *Augus. in Enchir. cap. 90. Sed si hoc est in consilio Creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas, & discernibilis similitudo struatur. In cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur illa modificabitur illa in vnoquoque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit operari*: & post aliqua, *Indecorum quippe aliquid ibi non erit, quia quod futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.*

72 Prob. 5. ex eodem *lib. 22. de Ciuitate cap. 19. Neque hoc ideo dixerim, quod aliquid existimem corpori cuique periturum, quod naturaliter inerat, sed quod deforme natum fuerat, non vtique ob aliud, nisi, vt hinc quoque ostenderetur, quam sit pœnalis conditio ista mortalium; sic esse rediturum, vt seruata integritate substantiæ sola substantiæ deformitas pereat.* Et alijs multis, vt in suo loco, prosequitur *Augustinus* narrare, in qua integritate, & perfectione, homines resurgent. Ex eodem Aug.

De his non est difficultas, sed de alijs partibus quæ fluxerunt.

Neque de membris spectantibus ad integritatem, est difficultas, quia potius supplebuntur (vt dicetur) si qua deficiunt, quam deficiant necessaria: sed est difficultas de omnibus partibus, quæ fuerunt in membris, & continuò fluxu perierunt.

Ephrem.

73 Prob. 6 ex *S. Ephrem in serm. de Resurrectione. Restituet terra corpus hominis, quale susceperit, siue id à fera discerptum, siue ab aue comestum, aut à quouis animante deuoratum fuerit, nec vllus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit.*

Greg. Niss.

74 Prob. 7. ex *S. Gregor. Nisseno orat. 3. de Resurrect.* inter cætera, sic dicente, *Propter hunc diem*, id est iudicij, *pars corporis, quam ante mille annos carnivora auis comederint integra reperientur, & quam, vel canes, vel cete, cæteraque animalia marina deuorauerint vna cum homine resuscitato resurget; quin etiam quod ignis consumserit,*

*quod vermis in sepulchris absumpserit, & omnia denique corpora quotquot corruptio abolenerit, & è medio sustulerit, integra, nullaque sui parte carentia redddentur è terra.*

Ambros. 75 Prob. 7. ex *S. Ambrosio orat. de fide Resurrect.* qui longo discursu inuehitur contra Gentiles, qui in eo perturbantur circa fidem resurrectionis, quod terra restituat quos mare absorbuerit, ferae dilacerauerint, bestiae deuorauerint. Eosq; conuincit exemplo seminum putrefactorum emittentium viridantia folia; & Phenicis, quae per eos reuiuiscit: & latè prosequitur, integrum corpus resurrecturum: ergo.

Hieron. 76 Prob. 8. ex *Hieron. epist. 61. ad Pammach. cap. 7. Sicut surrexit Dominus corpore, quod apud nos in Sancto Sepulchro conditum fuerat; ita & nos in ipsis corporibus, quibus nunc circundamur, & sepelimur, in die iudicij resurrecturi sumus:* ergo & in *cap. 12.* ait, *Resurrectionem carnis, omniumque membrorum si velim probare, & ad singula testimonia explanationes adiungere multis libris opus erit.*

Eucherio. 77 Prob. 9. ex *Eucherio Lugdunensi in Natal. plur. mart. homil. 2. Necesse quidem est, vt totus homo resurgat, sed non est necesse, vt tota hominis substantia in ea parte resurgat, vbi prius in corpore fuerat*, & adducto exemplo vasis aurei decolati, & iterum conflati, (quod nos in suo loco adducemus ex Augustino) replicat, *ita & in homine substantia tota resurget, ac per hoc nihil superfluum, nihil minus, nihil indecens, & inconueniens resurget in homine. Quod enim in alijs partibus superabundat, alijs supplementum dabis.*

Reliquae rationes adducentur in sequentibus, nam sunt ad idem.

## ARTICVLVS V.

### *An resurget in homine totum id quod fuit in eo de veritate naturae.*

Scoti mens. SCOTVS resoluit hoc dubium *in 4. sent. dist. 44. quaest. 1. §. De secundo*, vbi docet, *Non quidquid fuit in Petro pro tota vita eius de veritate naturae, reuera resurget in eo.* & paulo infra, ait, *sed resurgent partes tantae densitatis, quantae futurus esset in fine trigintà annorum si vixisset*, &c. & post; *hoc autem est probabile, quod corpus illud reparabitur ex partibus parioribus, quae fuerunt in eo*, &c.

Corruptio corporis organici. 78 Adu. 1. ex *Scoto vbi supra §. Circa istam quaestionem.* Quod, cum corpus organicum componatur ex multis partibus ætherogenei, & homogeneis; & ipsemet ætherogeneæ componantur ex multis homogeneis, v. nerui ex multis partibus nerui; caro ex multis partibus carnis; os ex multis partibus ossis: videndum est, an omnes partes istæ, quæ præfuerunt in homine, & fuerunt de natura eius, informatæ quomodocumque ab anima, debeant resurgere.

De homogeneis est difficultas. 79 Adu. 2. Difficultatem non esse de ætherogeneis, quia omnes conueniunt debere resurgere; sed esse de homogeneis, ex quibus componuntur ipsemet ætherogeneæ. Supposito enim, vt euidens est, quod caro v. g. constat ex natura carnea, ex arterijs, neruis, venis, &c. & tota caro cum his omnibus ex continua actione caloris in humidum decrescat, & per nutritionem iterum crescat, quæritur, an omnes partes non solum, quæ ab vtero exierunt, sed etiam aliæ, quæ creuerunt, & aliquando fuerunt in aliqua persona, debeant resurgere.

Opiniones de conuersione partiũ. 80 Adu. 3. Ex *Scoto vbi supra §. Circa istam*: Plures fuisse opiniones de partibus, quæ per nutritionem acquiruntur, an transeant in veritatem naturæ ipsius nutriti, & ab huius solutione pendet solutio principalis quæsiti. *Magister Sent. in 2. dist. 30. cap. Quibus res*, docet, id solum, quod à parentibus contrahitur, & in se multiplicatur spectare ad veritatem naturæ humanæ; id autem, quod per nutritionem acquiritur, nequaquam. Quod exemplificat, per multiplicationem panum à Christo factam; panes enim illi noui non transierunt in veritatem naturæ præcedentium panum; & partes auctæ per nutritionem adhærent calori naturali, ne extinguatur sicut oleum adhæret lichno; at non transeunt in veritatem humanæ naturæ. *Henricus de Gandauo quodlib. 2. quaest. 9. & quodlib. 12. quaest. 36.* docet, carnem primò formatam, & à parentibus inductam, esse de veritate naturæ; nutrimentum verò transire in illud, quod est de veritate; sed hoc modo, quia conuertitur quidem in præexistens non recipiendo nouam formam, neque secundum totum, neque secundum partem, sed tantum per hoc, quia deficiente ibi forma nutrimenti, succedit in illa materia forma carnis præexistens; quod declarat per hoc exemplum; cum anima intellectiua de nouo perficit materiam, quæ fuit sub forma alimenti, ipsa tamen in se non est noua, neque secundum totum, neque secundum partem; & confirmat per textum 35. *libri primi de gener.* vbi habetur, *Caro secundum speciem augetur, non caro secundum materiam, & caro secundum speciem manet.* ita à pari. *Scotus* autem, & alij Doctores, vt infra, docent partes acquisitas per nutrimentum spectare ad veritatem naturæ nutriti, quomodo autem, dicetur postea.

Exempla alijqua ad idem

Scotus cum alijs.

In nutrito considerantur partes duplicis generis. 81 Adu. 4. ex *Scoto ibid. §. De secundo M.* In homine nutrito possunt considerari partes duplicis generis; quædam necessariæ ad augumentationem, quædam verò necessariæ ad restaurationem. Ex quo enim in vtero ex genitura, seu placenta illa, quæ per septem dies à receptione seminis formatur, di-

diciturque ouum generationis, incipit mutari in corporis humani naturam, incipit augeri, & nutriri, augumentum durat vsque ad ætatem virilem perfectam; quæ est 33. annorum; nutrimentum verò per totam vitam. Et sic in embrione, & successiuè homine, continuò producuntur partes, quæ augeant, & quæ nutriant; eiusdem tamen rationis. In viro autem producuntur partes, quæ tantum nutriunt, seu restaurant partes deperditas per actionem caloris in humidum. Ideo videndum, an omnes istæ partes debeant resurgere in homine.

Notanda doctrina.

Ratio distinguendi.

82 Et quoniam valde confusa euaderet huius quæsiti discussio, si omnia simul tractarentur, placet in plures §§. rem secare. Et licet, quæ de nutritione dicenda sunt, ad Phylosophiam spectent; quia tamen cum quæsito principali maximè sunt connexa, & non iniucunda, libuit breuiter ea cum Scoto attingere, vt expeditius nostrum institutum prosequamur.

## §. 1.

## *An, quæ, & quomodo partes in nutritione producantur.*

83 DIco 1. In nutritione quacunque, siue pueri, siue viri fit aliqua generatio, seu aggeneratio. Est communis cum *Scoto in 4. dist. 44. quæst. 1. C. §. Quantum ergo. D. Bonau. in 2. sent. dist. 30. par 3. qu. 2. D. Tho.* & communis omnibus Phylosophis, & Theologis.

84 *Prob. 1. pars. In nutritione alimentum non remanet sub forma alimenti, sed transit in aliam formam substantialem, imò & in formam nutriti. Ergo est generatio substantialis.* Hæc enim à forma substantiali specificatur, vt suppono. Anteced. est euidens, cibus enim siue sit panis, siue caseus, siue piscis, &c. conuertitur in aliam naturam, & transit in substantiam aliti. neque de hoc est quæstio.

Quæ nutritio dicitur aggeneratio.

85 Prob. 2. pars. Productio illa, quæ fit in nutritione non est alicuius per se totius, sed alicuius partis, quæ vnitur cum toto præexistente, & ad hunc finem fit: igitur in rigore dicenda est potius aggeneratio, seu ingeneratio, ad differentiam generationis, quæ terminatur ad aliquod per se totum primò, ex intentione naturæ.

Pars aggenerata in nutritione est noua,

86 Dico 2. Pars illa, quæ per nutritionem generatur, seu aggeneratur est pars noua. Est *Scoti ibid sub D.* & communis.

87 Prob. euidenter. Pars illa prius non adfuit; secundo actio illa generatiua est, & noua: ergo ad terminum nouum.

Euidentia arg.

88 Prob. 2. Experientia, ne dum in pueris, & adolescentibus, qui augentur, sed etiam in debilitatis, & macie confectis. In his videtur noua caro; in illis verò nouitas in omnibus partibus, ossium nèruorum, pellis, venarum carnis, &c.

89 Prob. 3. Alimentum, quotidie ad hunc effectum sumitur, vt producantur partes substantiæ nouæ ad restaurandam antiquam iam debilitatam: ergo.

Pars illa noua est similis aliis & dissimili.

90 Dico 3. Pars adueniens nutrito de nouo per nutritionem, in aliquo est similis præcedentibus, & in aliquo dissimilis. Est *Scoti ibid sub D.*

91 Prob. 1. pars. Est eiusdem speciei cum forma corporis præcedente: ergo. Anteced. patet à posteriori; eosdem enim parit effectus. A priori vero, quia, nisi ita dicatur, à primo instanti conceptionis vsque ad vltimum vitæ, humanum corpus infinities mutaretur secundum speciem. Secundo, productio illa est vniuoca, ergo est carnis, eiusdem speciei.

Quare dissimilis, quia impurior,

92 Prob. 2. pars. Pars genita in nutritione est impurior, & debilior partibus præexistentibus: ergo est dissimilis. Anteced. prob. Agens naturale, quò magis agit in contrarium, eò magis debilitatur, quia ab ipso contrario patitur; & sic virtus eius non est ita fortis, sicut prius. Et ita quò magis protenditur in homine longæuo nutritio, eò impurior semper generatur caro.

93 Conf. ex 1. *de generat. t. & cap. 42.* Quantò magis vinum agit in aquam sibi mixtam, tantò est impurius; in tantum, vt tandem propter impuritatem, totum fiat aqua: neque de his est difficultas; cum agens in agendo repatiatur, & repatiendo debilitetur, & tandem consumetur.

Ipsum met totum fit impurius.

94 Dico 4. Nedum pars adueniens est impurior; sed ipsum met totum cui adiungitur euadit impurius. Est *Scoti B.*

Discursus Phylosophicus de nutritione,

95 Prob. facilè. Pars adueniens non remanet segregata à toto nutrito, sed facit vnum cum eo, sicut cum partes aquæ, vino miscentur. Ergo, cum virtus, seu qualitates partis superuenientis sint imperfectiores, & vniantur alijs perfectis, & cum processu temporis istæ repatiantur, ipsæ quoque fiunt debiliores; & sic successiuè totum nutritum præexistens semper euadit impurius; & cum ab hoc toto fiat conuersio nutrimenti, semper deficit in conuertendo, & ita semper impuriores generantur partes; vt tandem fiant ita impuræ, vt non sint aptæ ad nutriendum, & restaurandum, & sic accidat mors naturalis.

## §. 2.

### *An partes addita per nutritionem sint de veritate naturæ humanæ.*

Non est verum, quod solæ partes habitæ à parentibus sint de veritate naturæ humanæ.

96 DIco 1. Non bene defenditur, quod illud tantummodo sit de veritate naturæ humanæ quod à parentibus accipitur, partes verò, quæ per nutritionem acquiruntur, sese habeant, vt fomentum, in quod agit calor naturalis, nè extinguatur; vel sicut oleum in lucerna fouens lichnum. Est *Scoti in 4. distinct. 44. quæst. 1. §. Circa istam*.

97 Prob. à *Scoto ibid.* Vegetatiua non minus est perfecta in homine, quam in bruto: sed in hoc conuertit alimentum in substantiam aliti: ergo.

98 Conf. ab eadem. Homo eodem modo, quo brutum generatur, & primo est imperfectæ quantitatis, & eodem modo crescit, & augentur partes in eo eiusdem naturæ, vt patet ad sensum. Ergo verè partes nutrimenti conuertuntur in substantiam corpoream hominis.

Ex absurdis argum.

99 Prob. 2. Si hoc modo procederet hominis nutritio, & augumentatio, esset miraculosa, sicut multiplicatio panum facta à Christo, cum panes additi non fuerint conuersi in substantiam præcedentium. Quod est falsum, à natura enim fit nutritio, & augumentatio carnis, & aliarum partium in homine.

100 Conf. Non potest assignari disparitas, cur in natura brutali, non fiat hoc modo nutritio, sed natura eius conuertit alimentum in aliti substantiam, in homine verò debeat fieri hoc vt miraculum: ergo.

101 Prob. 3. Si ita se haberet hominis augumentatio, sequeretur, quod in homine adesset aliqua caro incorruptibilis per totam hominis vitam, vel si corrumperetur, numquam posset restaurari: sed vtrumque est falsum. Prob. sequela, totum id, quod habetur à parentibus, in hac sententia duraret per totam vitam, quia se haberet, sicut lichnum lucernæ; & si corrumperetur, non apparet via restaurationis, cum per nutrimentum non posset fieri conuersio in simile. Minor prob. Nam partes corruptibiles essent diuersæ speciei ab illa incorruptibili. Et si posset fieri restauratio, quò magis procederetur vlterius, eò minus partes illæ participarent de natura humana.

A priori arg. ab vnitate animæ, quæ omnes partes informat.

102 Prob. 4. Partes, quæ generantur ex nutrimento, sunt vere animatæ anima intellectiua: ergo sunt verè de substantia viuentis talì vita. Anteced. prob. Nam quælibet pars, quæ est in homine vegetatur, & sentit: istæ autem operationes omnes sunt ab anima intellectiua; vna enim & eadem est anima sensitiua, ac vegetatiua cum intellectiua in homine, licet actus ex diuersitate organorum sint diuersi. Quod vero vna tantum anima sit in homine, supponit *Scotus* probatum ex 2. *sent. dist.* 1. *quæst* 6. & *distinct.* 11. *quæst.* 1. *art.* 2. & ex *Concil. Constantinopol.* 4. *generali tamen* 8. *cap.* 11. statuitur vnam tantum animam esse in homine, & in *Concil. Vienn. Generali* 15. & modo habetur in *Clement.* 1. *de Summa Trinit.* statuitur, animam intellectiuam esse per se formam hominis, idemque confirmatur ex *Concil. Lateran.* 5. *Gener. penult. in sess.* 8. & contrarium dicens est hæreticus, ex eodem ergo, omnes illi actus à per se forma hominis proenientes supponunt omnes partes corporis facere corpus idem, quod ab anima per se informatur: ergo non sola pars illa seminalis habita à parentibus pertinet ad formam corporis; sed omnes illæ, quæ ab anima informantur. Istæ autem habentur per nutritionem: ergo.

Non bene dicitur, pars addita non recipiat nouam formam, &c.

103 Dico 2. Neque potest defendi quod nutrimentum conuertitur in præexistens absque receptione nouæ formæ; sed quia deficiente forma nutrimenti, in eius materia, succedit forma præexistens. Est *Scoti sub B.* contra Henricum.

Arg. à priori.

104 Prob. Forma corporis, seu carnis non respicit materiam indiuisibiliter, sicut anima intellectiua. Ergo nutrimentum non potest informari à forma carnis, seu corporis præexistente in nutriendo, seu nutrito. Anteced. est cuidens. Alioquin forma corporis esset simplex, & indiuisibilis, sicut anima, & informaret materiam non per extensionem, & commensurationem, sed per replicationem. Consequ. prob. Addito nutrimento, caro, seu alia forma corporea habet maiorem extensionem, quam habebat antea. Et consequenter, cum partes priores maneant in suo esse, & extensione, ista maior extensio non potest fieri, nisi per partes nouas. Ergo implicat dicere, quod nutritio fiat per additionem solius materiæ nutrimenti, informatæ à forma præexistente in nutrito.

A posterioci argum.

105 Prob. 2. Per nutritionem, plures sunt partes in toto, quam essent prius. Igitur, nè dum per nouas partes materiæ, sed etiam per nouas partes formæ. Prob. consequ. nisi ita dicatur, sequitur, quod, vel nouæ partes materiæ essent sine forma; vel, quod sub forma præexistenti. Vtrumque est falsum. Minor de primo prob. Absurdum est per Phylosofum, & per omnem scholam, posse materiam esse sine forma. De secundo etiam probatur, quia si sic, forma carnis, nel nerui, &c. migraret de subiecto in subiectum, vel simul perficeret duo subiecta, quorum vtrumque est sibi adæquatum.

Ex natura carnis arg.

106 Prob. 3. Caro nata est fluere, & diminui per actionem calidi in humidum: & hic fluxus est, nè dum secundum formam, sed etiam secundum materiam, quia partes ali-

aliquæ carnis conuertuntur in excrementa, furfures, partes aqueas, &c. igitur reparatio fit secundum materiam, & formam. Et sic nequit asseri, quod materia tantum nutrimenti superadatur nutrito, & hæc informetur à præexistente carne nutriti, quia sic, supponeretur; materiam tantum eius, non verò formam fluxisse.

Omnes partes nutriti sunt de veritate humanæ naturæ.

107 Dico 3. consequenter ad dicta: Omnes partes, quæ acquiruntur in nutrito per nutritionem sunt de veritate naturæ hominis. Est *Scoti sub B. F. & seqq. Ricardi in 4. dist. 44 quæst. 4. S. Bonau.*

108 Prob. Totum corpus, quod ab anima intellectiua animatur, est de veritate naturæ humanæ. Sed partes adductæ per nutritionem integrant illud corpus: ergo. Maior est euidens; natura enim humana ex anima, & corpore conflatur. Corpus autem non est quid indiuisibile, sicut anima; ergo cum sua extensione, & partibus concurrit ad constituendum hominem. Minor ex modo dictis est euidens. Igitur conclusio est necessaria.

109 Prob. 2. Non minus partes additæ, quam præcedentes, vegetantur, & sentiunt; ergo *non minus istæ*, quam illæ sunt de veritate naturæ. Consequ. patet, illæ enim partes pertinent ad speciem aliquam, vel indiuiduum naturæ, quæ informantur à forma talis naturæ, & sunt instrumenta, quibus medijs natura illa exercet suas operationes.

Argum. ad impossibile.

110 Prob. 3. Nisi ita dicatur, sequitur, vel quod corpus carneum ætherogeneum, quod habet homo non pertineret ad naturam eius; vel quod, secundum eas tantum partes, quas habebat, cum erat in statu embrionis *pertineret: vtrumque est falsum*: ergo. Prob. sequela de primo. Totum corpus, quod habet homo, formatum est per nutritionem in vtero, (siue hæc nutritio facta sit exuegetatiua materna, siue ex propria fœtus; etiam ante animam rationalem, non curo) cum enim primò semen conuersum est in carnis humanæ formam, in minima erat quantitate, vt supra notauimus, & ad summum vnius dragmæ. Totum ergo augumentum, donec peruentum est ad debitam quantitatem, capacem animationis, per nutritionem habitum est: ergo, si dicatur, quod partes per nutritionem acquisitæ non pertinent ad veritatem naturæ, tota moles humani corporis ad eam non pertineret. De secundo probatur; embrio fuit primò ab anima informatus: ergo ipse tantum concurrebat ad constituendum hominem. Si autem illa sola caro, quæ erat in embrione pertinet ad veritatem naturæ: tota alia superueniens est à natura humana extranea. Et sic, neque caro corporis Christi in ætate 12. vel 30. annorum erat de veritate naturæ Christi.

Discursus notabilis de nutritione fœtus in vtero.

Maximum absurdum,

111 Prob. 4. Tota caro, quæ est in boue trienni, est de veritate naturæ bouinæ, & sic de alijs; vel assignetur, ad quam naturam spectet. Ergo etiam tota caro, quæ est in homine decenni, sed tota per nutritionem habetur: ergo.

Arg. cont. 2. ex Arist.

Ob contra 1. Ex Arist. 1. *de gener. cap De augumento t 35.* habetur. *Caro secundum speciem augetur, non caro secundum materiam, & caro secundum speciem manet.* Certum est autem, quod caro secundum materiam fluit, & refluit. Sed si inducetur forma noua carnis in nutritione, & pariter desineret pars carnis præexistentis, cum fit deperditio; non solum materia carnis flueret, ac reflueret, sed etiam forma, quod est contra Arist. Ergo dicendum est, quod in nutritione, noua tantum materia addatur, quæ à præexistenti forma informetur.

Caro secundum speciè, est compositum, non solam formam, &c,

Conf. Exemplo animæ intellectiuæ, quæ quidem de nouo informat materiam, quæ fuit sub forma alimenti, & tamen absque nouitate sui, neque secundum partem, neque secundum totum. Ergo idem dicendum de carne præexistente, poterit enim absque augumento sui informare materiam alimenti sibi adiunctam, destructa forma alimenti.

Arist. sensus,

112 Resp. ad 1. ex *Scoto sub I.* declarando doctrinam Arist. Per carnem secundum speciem, non intelligi tantum formam carnis, sed compositum carneum. Per carnem verò secundum materiam, non intelligi solam materiam carnis, sed partem aliquam integrantem illud totum carneum. Explicatur, inquit *Scotus sub F* quælibet pars carnis habet determinatam, seu certam periodum in toto, & tanto maiorem, quantò est purior; tantò minorem quantò impurior; tantò enim magis potest se conseruare quantò magis resistit contrario. Et subdit *Scotus*, quod hæc periodus est maior in parte prius genita, quam in alijs posterius genitis, nisi hæ sint æquè puræ. Hoc stante, dicit Arist. caro secundum speciem augetur, id est totum carneum, est id, cui fit additio, & denominatur auctum; & illud etiam est, quod denominatur dimminutum per deperditionem; non verò caro secundum materiam, id est partes illæ, quæ adduntur toti carneo, quia istæ fluunt, & refluunt. Vel dicas, quod caro secundum speciem, est caro illa purior, quæ habet virtutem validiorem ad se conseruandum in toto; caro verò secundum materiam, est illa impurior, quæ nequit se conseruare; & secundum hunc intellectum, ista, non autem illa est, quæ fluit, & refluit. Et ita nihil contra nos.

Arg. in confirm. est ad oppositum.

113 Ad conf. dico, illud de anima intellectiua esse ad oppositum; nam cum modo indiuisibili, & inextenso respiciat materiam non potest augeri, aut minui. At corporis forma extensa est, ac diuisibilis, & augeri potest, ac minui: ideo, si aliquid magis extensum videmus in corpore, quod prius non aderat, fateri debemus aliquid nouiter factum, non autem idem, quod prius erat minus extensum, postea sit magis extensum:

alias

alias sequerentur absurda iam dicta in probat. conclusionis secundæ.

Arg. ex absurdis.

Ob. 2. Si per nutritionem acquireretur noua pars formæ addita præexistenti, sequitur, quod non fieret aliquod vnum ex carne præexistente, & noua, sed quodam contiguum, seu continuum: & ita additio illa esset quædam iuxtapositio carnis ad carnem. Sequitur secundò, quod non quælibet pars nutriti esset nutrita, nec quælibet pars auctæ aucta. Quia non cuilibet iuxtaponeretur pars noua.

In nutritione fit vnum vnitate integrali.

114 Resp. ad 1. dist. Non fieret vnum vnitate integritatis, nego, vnitate essentiali, concedo. Ad illud de iuxta positione dicit *Scotus*, vtique in nutritione aliquam fieri iuxtapositionem per ingenerationem, seu aggenerationem; neque ex hoc vllum sequitur inconueniens. Imò hoc idem sequeretur, si dicatur in nutritione, solam materiam alimenti acquiri, ista enim iuxtaponeretur alteri, & faceret vnum contiguum, vel continuum: & omnia, quæ inferuntur, vt absurda ex iuxtapositione formæ, sequuntur ex iuxtapositione materiæ.

Quomodo fit nutritio.

115 Vt autem benè percipiatur, quomodo fiat nutritio, & quomodo partes omnes dicantur auctæ. Sciendum est ex *Scoto ibi sub K.* totum corpus vegetetabile, siue humanum, siue aliud, esse sic dispositum, vt venis totum circumuoluatur, & intersecetur ipsum autem frequentissimos habeant poros, per quos in partes vicinas aliquid possit inuehi. Certum est autem, quod alimentum per os in stomachum immissum, multis, ac varijs concoctionibus, modo in chilum, modo in sanguineam massam, modo in alias naturas, & tandem in rem quandam mutari, quæ dicitur à medicis gluten, seu ros; siue autem hic ros fiat in venis, siue prope partes nutriendas, parum refert; hoc enim delato per poros ad partes nutribiles, istæ virtute sua natiua rorem illum in suam propriam conuertunt formam; & ita fit restauratio, seu nutritio. An autem singulæ partes, etiam minimæ alias partes minimas recipiant, vel partes præexistentes maiores recipiant minimas, parum refert: sed primum est verum alioquin semper omnes partes in duplo crescerent, quod est falsum, nisi in augumentatione.

Et partes quomodo restaurentur

116 Alterum quod *Scotus* monet est; quod in eiusmodi processu, duo sunt consideranda; & ipsa partium nouarum adductio, & hæc in tempore fit, quia est motus; & ipsamet aggeneratio, seu vnitio ad partes præexistentes, & hæc est instantanea.

Sed de his hactenus.

*

## §. 3.

## *Vtrum omnes præfatæ partes, quæ in homine fuerunt, resurgent.*

Non omnes partes, quæ aliquando fuerunt in homine, resurgent.

117 DIco 1. Non omnes partes homogeneæ, quæ fuerunt de veritate naturæ humanæ toto tempore vitæ resurgent in quolibet homine. Est *Scoti in 4. dist. 44 q 1. §. De secundo M.*

118 Prob. Si omnes tales resurgerent in quolibet, sequitur, quod qui per centum annos, v. gr. vel 500. vel 700. vt in primis sæculis vixerunt, essent resurrecturi in maxima, immoderata, imò deformi quantitate: ergo.

Dixi notanter *in quolibet homine*. Nam in ijs, qui ante ætatem perfectam 33. annorum mortui sunt, est verisimile, & probabile, quod cum debeant resurgere in quantitate perfecta, & partes nouæ formandæ sint; potius reassumendæ sunt etiam illæ, quæ deperditæ sunt per actionem continuam caloris in humidum, & restauratæ sunt per nutritionem; quam aliæ nouæ adiungantur. Nam re vera illæ, etiam si fluxæ, & deperditæ, tamen fuerunt in homine, & de veritate humanæ naturæ.

De mortuis ante 33. annos aliter dicendum.

Augustinus

119 Prob. 2. Ex *D. Augustin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 12.* in medio, sic habente, *de macie quoque, vel pinguedine similiter disputant; nam si æquales omnes erunt, non vtique macri aliqui, alij pingues*, & respondet. *Accedet ergo alijs aliquid, alijs minuetur, ac per hos non quod erat recipiendum, sed alicubi addendum est, quod non fuit, & alicubi perdendum quod fuit.* Ergo aliquæ partes, quæ aliquando fuerunt de veritate naturæ non resurgent.

Idem Aug.

120 Prob. 3. ex eodem *ibid. cap. 15. Restat ergo, vt suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in iuuentute, etiam si senex, est mortuus, vel fuerat habiturus, si antea est defunctus.* Et post ad id quod ait Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, inquit, *Si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra tantamdem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate, ac robore vsque ad quam Christum hic peruenisse cognouimus.* Ergo non omnes partes, quæ per nutritionem additæ, fuerunt de integritate naturæ, resurgent.

Partes habitę à patribus resurgent in homine.

121 Dico 2. Partes illæ, quæ à parentibus habitæ sunt in conceptione, & creuerunt in augumentatione resurgent in homine: Ita *Scotus in 4. distin. 44. quæst. 1. O. P. & S. Riccard. dist. 44. quæst. 4. Magister Sentent. & Henr. vbi supra D. Tho. &c.*

122 Prob. Ex *D. Aug. in Enchirid. c. 88.*

Non

Ex August. *Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet pulverem cineremve soluatur, in quoslibet habitus, auraſque diffugiat; in quamcumque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur; in quorumcumque animalium etiam hominum cibum, carnemque mutetur; illi anima humana puncto temporis redit, qua illam prius, vt homo fieret, erat, viueret, animauit.* Ergo caro illa, quæ primò infuit, & creuit, erit in homine reſurgente.

123 Prob. 2. Non omnes partes, quæ aliquando fuerunt in homine reſurgent, vt dicetur. Ergo illæ, quæ magis fuerunt intentæ à natura. Sed iſtæ ſunt illæ, quas primò natura poſuit in homine, quæ quidem ſunt primordiales, ſicut & aliæ augentes hominem vſque ad debitum terminum.

Diſcurſus non rabilis, 124 Prob. 3. Homo reſurget in debita quantitate, ac denſitate, ideoque tot partes habebit, quot ſufficiunt ad integrandam eiuſmodi proportionem. Igitur probabilius eſt, quod cum aliquæ non poſſint reaſſumi, iſtæ ſint illæ, quæ non fuerunt primo à natura intentæ; cum enim nutritur homo, id fit vt reparetur, quod fuit deperditum. Si autem, ait *Scotus ſub N.* poſſet natura conſeruare eas partes, quas primo poſuit in homine perfectè iam aucto, non curaret alias formare. Igitur illæ primigeniæ ſunt de eius intentione.

Arg. contra; Ob. contra 1. Omnes partes fuerunt humanæ: ergo. Conſequ. prob. Non eſt maior ratio de vna, quam de alijs.

125 Reſp. neg. conſequ. Sufficit enim ſi reaſſumantur illæ, quæ integrant naturam in perfecta menſura ad conformitatem cum Chriſti corpore. Ad diſparitatem reſpondet *Scotus ſub S. in fine quæſt. 1.* debere reſurgere partem organicam, cum ijs partibus homogeneis, quæ prius in ea fuerunt, & quia puriores, & quia magis intentæ à natura.

Diſparitas de corpore Chriſti, quia non fuit corruptum. Ob. 2. Chriſtus cum eiſdem partibus reſurrexit, quæ erant in corpore in fine vitæ. Ergo cum illis debet quilibet reſurgere.

126 Reſp. in primis hoc non infringere hanc concluſionem, ſed ſecundam, ſed dico negandam eſſe conſequ. Diſparitas autem eſt, quia corpus Chriſti non fuit corruptum, ideo eædem reſurrexerunt. Et idem puto faciendum de ijs, qui occurrentes Chriſto viui, per occurſum morientur. At de reliquis, quorum corpora reſoluta ſunt in alia mixta, & elementa aliter eſt dicendum, cum enim reparandæ ſint partes, veriſimilius eſt, vt priores, & puriores reparentur.

Corpora eorum, qui viuent tempore aduentus Chriſti cum quibus partibus reſurgét, Ob. 3. Si non omnes ergo non reſurgeret idem numero homo. Prob. ſequela. Nam eædem partes faciunt idem totum.

Ex abſurdo arg. 127 Reſp. neg. ſequelam. Ratio euidens eſt, quia quilibet eſt idem numero à principio vſque ad finem vitæ: & tamen non habet eas omnes partes in fine vitæ, quas habuit per totum vitæ curſum. Ad identitatem ergo numeritam, vt dicemus de cauſa formali, non eſt neceſſarium, vt partes omnes materiales adſint ſemper eædem, ſed ſufficit, ſi adſint partes principales.

Ob. 4. *Lucæ* 21. promittitur electis, capillus de capite veſtro non peribit. Ergo multò minus tot partes carnis. Igitur omnes reſurgent.

Arg. ex Aug. eſt ad oppoſitam. 128 Reſp. ex *Aug. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 20. D.* vt infra *num. 131.* Corpora humana eſſe reſurrecturа cum menſura perfecta, decore ſeruato. Addens, quod ſi enormiter in vna carne eſſet non deceret: ad id de capillis dicetur infra. Vult enim innuere Saluator, quod partes illæ, quæ ſpectant ad decorem, & ornatum hominis reſurgent.

Arg. contr. 2 Ob. contra 2. Si ſic, ergo, vel Eua non reſurget, vel Adam mancus reſurget, verumque eſt falſum. Prob. maior. Eua formata fuit de coſta Adæ. Hæc autem coſta fuit ratio ſeminalis in Eua, & à principio vitæ fuit in Adamo.

Reſp. 1. vel quod coſta ablata Adæ erat ſuperflua ipſi, ſed ex Dei intẽtione appoſita. 129 Reſp. neg. ſequelam ad probat. reſpondet *Scotus ſub Q. 3. Ad argumenta.* Quod Adam præter coſtam illam habuit alias coſtas, quæ erant de integritate naturæ ipſius. Illa autem erat ſuperflua, appoſita tamen ex intentione naturæ; ſicut ſemen in habente illud, eſt ſuperfluum, ordinatum tamen ad aliud à natura. Vel dici poteſt ex eodem, quod illa coſta fuit vna ex neceſſarijs Adæ, ſicut pars integralis; at Deus repleuit carnem pro ea, id eſt loco eius aliam fecit. Sed addit *Scotus* primum eſſe verius. Itaque, & Eua reſurget, & Adæ nihil deficiet ex neceſſarijs ad integritatem.

2. Quod fuit pars integralis, & tamen loco eius ſubſtituta eſt caro. Ob. 2. Fieri poteſt, vt id, quod fuit de veritate naturæ in vno fuerit etiam eodem modo in alio: ergo. Prob. ſequela. Fieri poteſt, vt caro alicuius per diuerſas mutationes conuerſa ſit in alimentum, & ſemen alterius, maximè ſi caro pueri comederetur. In quo caſu non videtur, quomodo poſſit reaſſumi totum id, quod fuit de veritate naturæ, vſque ad proportionatum augumentum.

Eſt fere impoſsibile, vt id quod fuit ſemen in vno ſit ſemen in alio. 130 Reſp. ex *Scoto vbi ſupra ſub R.* eſſe fere impoſſibile, quod id quod fuit ſemen in vno ſit ſemen in alio, vel pars illa primordialis, in altero idem geſſerit officium. Si tamen hic caſus detur, inquit pars illa reſurget in primo, quia in eo fuit prius animata. In ſecundo verò illa non reſurget, ſed aliæ, quæ in eo fuerunt per additionem, & nutritionem; quod ſi nec iſtæ ſufficiant ad debitam menſuram, & quantitatem reſurgentis, ſupplebit vnde voluerit Deus, & idem in Diſputatione de cauſa formali dicemus de paruulis.

Notanda doctr. S. Aug. de reſurgentibus, circa additionem, & diminutionem partium, 131 Addendum ex *Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 20. C. Illa quæſtio ſolucnda eſt, quæ eſt cæteris difficilior, vbi quæritur cum caro mortui hominis etiam alterius ſit viuentis caro, cui potius eorum in reſurrectione reddatur. Si enim quiſpiam confectus fame, atque compulſus veſcatur cadaueribus hominum, quod ma-*

*lum aliquotiens accidisse, & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infelicia docuerunt experimenta. Non quisquam veridica ratione contendet, totum digestum fuisse per imos meatus, nihilque inde in eius carnis mutatum, atque conuersum, &c. iam itaque aliqua paulo ante promissi, quæ ad istum quoque nodum soluendum valere debebunt. Quidquid enim carnium exhausit fames, vtique in auras est exhalatum, vnde diximus omnipotentem Deum posse reuocare quod fugit. Reddetur ergo cuique illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit, abillo quippe alitro, tamquam mutuo sumpta deputanda est. Quæ sicut ei alimonium reddibenda est, vnde sumpta est. Suæ vero illi quem fames extinauerat abeo, qui potest etiam exhalata reuocare reddetur.* Et subdit vniuersalem doctrinam de omni carne, quæ perijt. *Quamuis, etsi omnibus modis perijsset; nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remansisset, vnde vellet eam reuocaret omnipotens.* Placuit totam hanc doctrinam adducere, quia digna est, & multas soluens difficultates de partium perditarum restitutione,

Hæc doctrina iuxtè omnis difficultates soluit.

## ARTICVLVS VI.

### *An humores, capilli, vngues, &c. resurgent.*

Scoti mens.

SCOTVS de huiusmodi exactè non loquitur, sed innixus oraculo Saluatoris *Luc.* 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, concludit, hominem integrum, ac perfectum resurrecturum.

Hic art. comprehendit omnia dubia circa integritatem resurgentium.

132 Adu. sub hoc vno titulo nos comprehendere omnia, quæ dici possunt de integritate resurgentium. Not. autem ex *D. Bonauent. in 4. dist. 44. par. 1. quæst. 1.* & ex *Ricardo ibid. quæst. 2.* quod humor differt in humano corpore ab humiditate. Humor enim est massa illa sanguinea, seu cremor, qui intra venas reperitur. Quæ quidem massa quatuor mixtos comprehendit humores, nempe sanguinem, flauam bilem, atram bilem, & pituitam. Addo, quod in quibusdam humanis membris reperiuntur in propriis vasis puri humores extra venas, vt sunt bilis in cisti fellea, & atra bilis, seu melancolia in liene, & pituita in cerebro, hi enim sunt veri, & puri humores. Humiditas autem est quælibet aquosa, seu serosa materia, quæ extra venas in humano corpore reperitur, siue sit nutrimentalis, conuertenda scilicet in substantiam hominis, siue excrementitia, & expurganda. De his omnibus humoribus est quæstio, an resurgent in homine.

Humor; quid.

Humiditas, quid.

133 Adu. 2. Quæstionem etiam esse de capillis, vnguibus, intestinis membris genitalibus, ac semine. an debeant resurgere.

134 Dico 1. Humores adscititij, seu innati, qui verè humores dicuntur, & sunt necessarij ad integritatem humanæ naturæ resurgent. Est *D. Bonau. & Riccardi vbi supra*, & communis.

Humores innati resurgent.

135 Prob. 1. Resurrexerunt in Christo: ergo. Anteced. patet, de fide enim est vinum per consecrationem conuerti in sanguinem Christi, ergo adest in eo sanguis. Nomine autem sanguinis venit tota massa, seu totus cremor. Consequ. prob. Christi resurrectio est forma, idea, seu exemplar nostræ resurrectionis.

Ex paritate Christi.

136 Prob. 2. Humores innati sunt de integritate Corporis humani: ergo. Consequ. prob. Quia integer homo resurget, eò vel maximè, quia nulla læsio fiet in corpore, ex *Hieron.* infra adducendo.

Humores sunt de integritate corporis.

137 Prob. 3. Humores sunt medium vniendi animam corpori organizato: ergo. Anteced. patet, si enim effluant omnes humores, imo in quantitate notabili, anima statim separatur.

Sunt mediũ vniendi.

138 Prob. 4. Ex *August. lib. De Spiritu, & anima cap. 15.* ante medium, sic dicente, *Corpus constat ex membris officialibus; officialia ex consimilibus; consimilia ex humoribus; humores ex cibis; cibi ex elementis.* Ergo magis pertinent ad corporis constitutionem humores, quam elementa: ergo resurgent.

Ex August.

139 Dico 2. Capilli etiam, & vngues resurgent in homine, in debita proportione.

Capilli, & vngues resurgent in homine.

Prob. 1. Ex *Matt.* 10. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* & *Luc.* 21. *Capillus de capite vestro non peribit*, quod explicans Lyranus, ait, *Hoc addidit Saluator ad declarandam veritatem futuræ Resurrectionis, per quam resurgent in electis non solum illa, quæ sunt de necessitate naturæ humanæ, sed etiam illa, quæ faciunt ad decorem, cuiusmodi sunt capilli.*

140 Prob. 2. ex *Augustino lib. 22. de Ciu. cap. 12.* vbi difficultates Gentilium, affert. *Et vbi iam erit capillus capitis vestri non peribit, si de ipsa corporis quantitate multum peribit. Quamuis, vt de ipsis capillis possit inquiri, vtrum redeat quidquid tondentibus decidit, quod si redditurum est, quis non exhorreat illam deformitatem, nam hoc & de vnguibus videtur necessario secutarum; vt redeat tam multum, quod corporis creatura deseruit, & vbi erit decus, quod certè maius quam in ista corruptione esse potuit in illa iam immortalitate esse debebit, &c.* alia eiusmodi gentilium dubia, de excrementis adducit: & vnica solutione resoluit, dicens; *accedet ergo alijs aliquid, alijs minuetur, ac per hoc non quod erat recipiendum, sed alicubi addendum est, quod non fuit, & alicubi perdendum, quod fuit.* & in *Enchirid. cap. 89.* ait, *aliquin, si capillus capitis reddit, quod tam crebra tonsura detraxit; si vnguibus, quod toties dempsit exectio immoderata, & indecens, cogitantibus, & id eo non credentibus occurrit informitas, &*

August.

Ex August. Capilli, & vngues quales resurgent in homine.

in

in fine eius capitis, inquit: *Nec aliquid attinebit ad eius reintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perieras mutetur in carnem, & in partes alias corporis remoueatur curante artificis prouidentia, ne aliquid indecens fiat.* Ergo ex *August.* redibunt capilli, & vngues in decenti quantitate, & parum refert, si ex materia vnguium fiant capilli, & è contra. Dummodo ista redeant.

Idem Aug.

141 Conf. ex eodem in *lib. 22. de Ciuit. cap. 19. Quapropter si capilli toties tonsi, vngues sue defecti ad sua loca deformiter redeunt non redibunt; nec tamen cuique resurgenti peribunt, quia in eandem carnem, vt quemcumque ibi locum corporis teneant seruata partium congruentia, materia mutabilitate vertentur. Quamuis quod ait Dominus capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multò aptius possit intelligi; vnde & alibi dicit capilli capitis vestri numerati sunt.*

Ex Eucherio.

142 Prob. 3. ex *Eucherio Lugdun. in Natal. plur. mart. hom. 2.* In hoc, quod eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiam resurgere, & nihil de ea perire significat, si enim omnes capilli numerati sunt, omnesque resurgent, quare & non toti resurgerent? quis enim credat, vt capillus ex parte resurgat, & ex parte pereat? sed fortasse inconueniens tibi videtur, vt tam longi capilli in homine resurgant? & postea concludit. At nihil superfluum nihil minus, nihil indecens, & inconueniens resurget in homine. Quod enim alijs partibus superabundat, alijs partibus supplementum dabit.

Ex Beda.

143 Prob. 4. ex *Beda in cap. 12. Lucæ*, idem ex Augustino repetente.

A paritate Christi arg.

144 Prob. 5. Christus Dominus cum capillis, & vnguibus resurrexit. Ergo, cum eius resurrectio sit idealis, seu exemplaris causa futuræ omnium resurrectionis, cum eisdem corporis partibus omnes resurgent, cum quibus surrexit & Christus.

Alia membra hominis, quæ faciunt ad integritatem resurgent.

145 Dico 3. Alia membra, quæ sunt de integritate corporis, etiam si nullum habitura sint actum, adhuc in homine resurgent. Est communis eisdem *DD.*

146 Prob. Resurrectio ex sæpè dictis, est eius, quod cæcidit iterata surrectio. Sed cæcidit homo cum prædictis membris: ergo.

Ex Hieron.

147 Prob. 2. ex *D. Hieron. in epistola ad Pammach. cap. 11.* vbi postquam probauit vtrumque sexum esse resurrecturum esto, non sit nuptijs vacaturus: sic habet. *Mea rusticitas sic credit, & sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus, hominis resurgere, & sic eos Angelis adæquari. Nec statim superflua videbitur membrorum resurrectio, quæ cariturа sint officio suo, cum adhuc in hac vita positi optamus opera non implere membrorum, &c.*

Ex Rufino.

148 Prob. 2. ex *Rufino Aquileien. in Apologia pro fide sua ad Anastasium.* Carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè futuram; & post aliqua. Hanc ipsam nullo omnino eius membro amputato, vel aliqua corporis parte desecta, sed cui nihil omnino ex omni natura desit, nisi sola corruptio. Hæc *Rufinus.*

149 Prob. 3. Nisi omnia membra resurgerent, non esset integer homo. Ergo, cum de fide sit cum suo corpore quemque resurrecturum, sequitur per consequentiam eiusdem fidei, corpus illud membris omnibus prædictum futurum.

Aug.

150 Prob. 4. ex Regula generali *Augustini, qui in epist. 146. ad Cosent.* vbi loquens de carne, & ossibus in quibus Christus resurrexit, non curat discurrere de sanguine, & alijs, & ita ait, *Non ergo, & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere, & de compendio si placet finita sit quæstio, sed quodlibet quisque addat, corruptionem addere caueat, ne fidei sua sanitatem, & stabilitatemque corrumpat.* Quasi dicat, admitto, quaslibet partes, & quælibet membra resurrecturа, dummodo incorruptibilia prædicentur. Ergo præcisa corruptione, totum, quod est in homine resurget. & in *lib. de Ciu. 22. cap. 19.* dicit nihil corporis humani periturum.

Arg. contra 1

Ob. contra 1. Homo resurget ad vitam: ergo cum ijs membris, quæ sunt capacia vitæ, sed humores non viuunt.

Humores, quomodo viuunt,

151 Resp. dist. min. Non viuunt formaliter, concedo, dispositiuè nego. Humores enim disponunt ad vitam, & sunt vitæ fomentum; eis enim ablatis accidit mors.

Ob. 2. ex 1. *Cor. 15. Sanguis non possidebit regnum Dei:* ergo.

152 Resp. 1. si hoc probaret, concluderet etiam de carne, quia ait Apostolus, *caro, & sanguis non possidebunt, &c.*

Causa possidebit regnũ Dei, quomodo intelligitur.

153 Resp. 2. Loqui Apostolum de passionibus carnis, & sanguinis nimirum de corruptione, quia incorrupti resurgent. Imo subdit, neque corruptio in corruptionem; sed de hoc dicetur suo loco, ex *August. in Enchirid. cap 91.*

Ob. 3. Sequitur, maximam sanguinis quantitatem debere redire.

154 Resp ficut diximus de partibus alijs; sanguis in ea quantitate redibit, quæ sufficiat ad integritatem naturæ: eodem prorsus modo, sicut de carne dictum est; eas scilicet humorum partes, quæ in corruptione adfuerunt, & alias, quæ per nutritionem vsque ad proportionatum augumentum fuerunt productæ, & puriores.

Arg. contra 2

Ob. contra 2. Capilli, & vngues generantur, ex superfluitatibus: ergo. Consequ. prob. Alioquin alia excrementa, vt sudor, & vrina, quæ ex superfluitatibus fiunt, deberent resurgere.

Quare capilli, & vngues redibant, & non alia superfluitates.

155 Resp. dist. ant. Ex superfluitatibus necessarijs, & retentis à natura concedo, ex reiectis: ergo. Sunt enim quædam superfluitates quas secum natura ad aliquem finem,

saltem ad ornatum corporis retinet, vt patet de pelle in cilli, &c. quædam vero, quas reijcit, vt vrina, fæces, &c. Capilli, & vngues sunt de illis primi generis, non de istis.

Ob. 2. Capilli, & vngues non participant esse humanum, quia non animantur: ergo

156 Resp. neg. ant. Nam saltem participant esse vegetatiuum, quod non potest esse, nisi à forma hominis, nempe anima, dum nutriuntur, & crescunt.

Ob. 3. Si capilli, & vngues deberent resurgere, immoderata esset eorum quantitas.

Non erit immoderata quantitas capillorum, & vngulum, ex Aug.

157 Resp. ex *August. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 19.* illos capillos, & vngues, id est eas partes resurrecturas, quæ decent ornatum naturæ; hic autem habet, *quæ propter si capilli toties tonsi, vngues que desecti, ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt*, & post aliqua. *Quamuis quod vis quod ait Dominus capillus capitis vestri non peribit non de longitudine, sed de numero capillorum dictum multo aptius possit intelligi. Vnde, & alibi dicit capilli capitis vestri numerati sunt. Neque hoc ideo dixerim, quod aliquid existimem corpori cuique perituru, quod naturaliter inerat, sed quod deforme natura fuerat, &c.* idem fere dicit *cap. 20. sub D.*

## ARTICVLVS VII.

### *An resurgent qualitates omnes, etiam deformitates, quæ inerant corporibus viuis.*

Sensus art.

158 ADu. hic sermonem fieri de qualitatibus naturalibus omni homini communibus. Et sensus est; an qualitates omnes, siue decorantes, siue deturpantes corpora, resurgent in eisdem.

Deformitates sunt duplicis generis.

159 Adu. 2. Qualitates deformantes duplicis esse generis, quædam sequuntur ipsam substantiam; quædam ad qualitatem, seu quantitatem, & sunt monstruositas in natura; vt si quis in vita fuit bimembris, vel membrum habens non humanum: item si mutilatus, claudus, cæcus, &c. Item si turpis horrendus, &c. huiusmodi. Item si vulneratus, &c.

Deformitates deformates naturam substantialiter, non resurgent.

160 Dico 1. Qualitates, seu conditiones substantialiter deformantes naturam non resurgent in nullo homine.

161 Prob. 1. Ex *Epist. 4. donec occurramus omnes in virum perfectum, &c.* vbi Glossa Ord. V. *In virum*, ait, *vt vnusquisque sit vir perfectus.*

Ex Script. multa arg.

162 Prob. 2. Glosa Interl. *in epist. 1. ad Cor. cap. 15.* Ver. *Et mortui resurgent incorrupti*, vbi sic habet, *sine diminutione membrorum.* Et Lyranus ibid. ait, *Quidquid enim pertinet ad integritatem naturæ omnibus dabitur, vt communius dicitur.*

163 Prob. 3. Singulariter de electis, ex *D. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 20. Nec idcò tamen si aliqua martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est capillus capitis vestri non peribit.*

164 Prob. 4. De omnibus ex *Eucherio Lugdun. in Natali plur. mar. hom. 2.* vbi de Resurrectione loquens, ait. Ac per hoc, nihil superfluum, nihil minus, nihil indecens, & inconueniens resurget in homine, quod enim in alijs partibus superabundat, alijs incrementum dabit.

165 Prob. 5. Ex *Mag. sent.* quem omnes sententiarij sequuntur *in 4. dist. 43.* credendum est etiam, quod omnes resurgent incorrupti, non vtique impassibiles, quia reprobi mentem patientur æternam; sed sine diminutione membrorum, omnia humani corporis habituri membra, &c.

Aliæ deformes qualitates non resurgent in electis.

166 Dico 2. Aliæ deformes qualitates, siue ratione compositionis corporis, siue passionum eius, vt diminutiones membrorum, turpitudines naturales, aliæue deformitates non resurgent in Electis.

Ex August.

167 Prob. Ex *D. Aug. in Enchir. cap. 90. In cæteris autem corporibus bonis æqualia cuncta reddantur.* Et post aliqua, *quod bominem reddat æqualem Angelicis cætibus, & nihil inconueniens eorum ingeat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit:* ergo.

Ex eodem

168 Conf ex eodem *ibid. cap. 91. Resurgent igitur Sanctorum corpora sine vllo vitio sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione onere difficultate:* ergo.

Ex eodem

169 Conf. ex eodem *lib. 22. de Ciuitate cap. 19. Semel quippe intellecto nihil esse perituru de corpore, vt deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur, ea, quæ forma facturæ fuerant enormitatem massæ ipsi accessura esse, non locis in quibus membrorum forma turpatur:* & post multa subdit. *Ergo ne poterit quæque deformitates humanorum corporum, non modo ægritatis, verum etiam rarat, atque monstruosas, quæ huic misera vitæ congruunt abhorrent autem ab illa futura felicitate Sanctorum sic auferre, aut perdere, vt quacumque earum faciunt, etsi naturalia, indecora tamen, excrementa substantiæ corporalis, nulla eius diminutione tollantur:* & post aliqua. *Proinde nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium. Vbi, & quæ prauæ sunt corrigentur, & quod minus est quam decet, vnde creator nouit, inde supplebitur; & quod plus est, quam decet materia seruata integritate detrabetur. Coloris pomo suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt, sicut Sol in regno patris sui.* Hæc *Augustinus*, quem secutus est Alcuinus infra citandus.

Ex Ansel. qui ab August. accepit.

170 Prob. 2. ex *S. Ansel. Cantuar. in epist. 1. ad Cor. cap. 15.* Resurgent sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, onere, deformitate,

in

in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.

171 Prob. 3. Ex omnibus rationibus adducendis in Disputatione de Gloria corporum beatorum.

Electicum vulneribus, quæ pro Deo pacti sunt refurgent.

172 Dico 3. Probabilissimum est, quod corpora electorum resurgent cum vulneribus, quæ pro Deo passi sunt in hac vita.

173 Prob. 1. ex *Io.* 20. Christus cum plagis resurrexit, easque discipulis ostendit. & Glossa Interlin. Ver. *Ostendit eis manus, & latus*, ait, *ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt seruata vestigia*, & Lyranus ibi ait. Cicatrices in Christi corpore remanserunt, non ad defectum, sed magis ad gloriam propter victoriam ex illis vulneribus consequutam; idem docet Glossa Ordinar. *in cap. 24. Luc.* Ver. *Ostendit eis manus*. Ergo, cum resurrectio futura sit conformis Christi resurrectioni, tamquam idem, & exemplari, sequitur, electos pariter, ad gloriam cum cicatricibus vulnerum pro eo passorum esse resurrecturos.

Ex Glossis.

174 Conf. ex *cap. 19. Io. Videbunt in quem transfixerunt*, vbi Glossa Ordinar. ex *Hieron.* ait. *Illa transfixio propria fuit lancea vulneratione. Sed hæc videbitur à Iudæis in iudicio futura, quia cicatrices vulnerum reseruatæ sunt in corpore Christi resurgente, non solum ad certificationem suæ resurrectionis, sed etiam ad conuincendum Iudæos de peccato suæ mortis.* Hæc Glossa; ergo idem dici potest de martyrum, vt gr. vulneribus, quæ à Tyrannis passi sunt, quod scilicet ei reseruabit Deus ad conuincendum Tyrannorum perfidiam in confusionem eorum, & martyrum gloriam.

Augustin.

175 Prob. 2. ex *Augustin. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 20.* sic habente. *Nescio quo autem modo sic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo Regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt, & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis erit, sed dignitas, & quædam quamuis in corpore non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit.* & subdit, quod si amputata sint membra, tamen integra resurgent: & post. *Sed si hoc decebit in illo nouo sæculo, vt inditia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne seruentur, vbi membra, vt præciderentur percussa, vel cæsa sunt, ibi cicatrices; sed tamen eisdem membris redditis non perditis apparebunt. Quamuis itaque omnia, quæ acciderunt corpori vitia, tunc non erunt. Non sunt tamen deputanda, vel appellanda vitia, sed virtutis inditia.*

De reprobis incertum est an debeant cum deformitatibus resurgere.

176 Dico vlt. Incertum est, an corpora reproborum debeant cum deformitatibus accidentalibus resurgere asserentibus aliquibus, negantibus alijs.

177 Prob. ex *D. Augustin. in Enchirid. cap. 92.* sic habente. *Quicumque verò ab illa perditionis massa, quæ facta est per hominem primum non liberantur, resurgent quidem etiam ipsi vnusquisque cum sua carne, &c. Vtrum sanè ipsi cum vitijs, & deformitatibus suorum corporum resurgent quicumque in eis vitiosa, & deformia membra gestarunt; inquirendo laborare, quid opus est. Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo, quorum erit certa, & sempiterna damnatio.* Ergo per *Augustin.* est incertum hoc.

Ex S. Bonau.

178 *S. Bonau. in Breuiloquio tract 7. c. 5.* tenet contrarium. sic autem habet. *Mali resurgent cum suis deformitatibus, & penalitatibus, miserijs, & defectibus, quos habuerunt in statu vitæ.*

Ex Alcuino.

179 *Alcuinus* verò *Augustin.* sententiam secutus *lib. 3. de Trinit. cap. 20.* sic habet. *Resurgent, & impij, &c.* Et post, *Vtrum sanè ipsi cum vitijs, & deformitatibus eorum corporum resurgent, quæcumque in eis vitiosa, & deformia membra gestauerint inquirendo laborare, quid opus est, neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, vel pulchritudo.* Sed de electis docet contrarium.

Ex S. Thoma

180 *S. Thomas in expos. Symb. cap. 14.* videtur negare deformitates in omnibus, sic: *Omnes homines boni, & mali resurgent cum omni integritate, quæ ad perfectionem hominis pertinet. Non enim erit ibi cæcus, vel claudus, vel aliquis defectus.*

Ex Vincent. Beluac.

181 *Vincentius Beluacensis*, ita docet *l. 32. Speculi Natur. cap. 105.* Mortui resuscitabuntur, boni quidem in gloriam immutati, & in multis bene dispositi: mali vero quantum ad diminutionem membrorum incorrupti: sed prauis, & passibilibus corporum qualitatibus deprauati.

Ex epist. ad Cor.

182 Probari potest vlt. Ex 1. *Cor. 15. Omnes resurgent incorrupti*, id est, vt Glossæ omnes dicunt, sine diminutione, quia omnes, boni, & mali habebunt communia naturæ. Ergo probabile est, quod habebunt omnes naturales perfectiones. Si enim ætatem, staturam, & integritatem omnium membrorũ; non videtur cur eis negandę sint aliæ naturales qualitates. Secundo, quia in resurrectione potius attenditur naturæ integritas, & perfectio, quam conditio, quæ prius adfuit in corpore. Neque vllum apparet motiuum cur deformia hæc corpora sint resurrectura, nisi dicatur in pœnam: sed alia miseris super est grauior pœna. Ergo non videtur hæc superadenda; alias eadem esset ratio de membrorum defectu, de quantitate incongrua, de ætate decrepita, &c.

# DISPVTATIO VI.

## DE CAVSA FORMALI RESVRRECTIONIS.

### ARTICVLVS I.

*An Resurrectio hominum sit naturalis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. qu. 4.* docet, quod si resurrectio consideratur in ordine ad agens, non est naturalis, sed supernaturalis; si verò in ordine ad passum est naturalis, id est non violenta. Ideo

Naturale æquiuocum est, ede diuiditur.

1 Adu. & suppono toties decantatam doctrinam de *naturali*, quod vocabulum hoc naturale est æquiuocum, & tripliciter sumitur; primo, vt opponitur supernaturali. Secundo, vt opponitur libero. Tertio, vt opponitur violento. Ratio autem huius diuisionis est, quia naturalitas aliquando reperitur in principio actiuo, aliquando in principio passiuo. Si reperitur in principio actiuo, vel distinguitur contra liberum, vel contra supernaturale. Si primo modo illud principium, est naturale, quod agit modo intrinsecè determinato ad vnum, seu necessitate naturali: & è contra, liberum, quod est intrinsecè indeterminatum, & se determinat ad agendum, & de hoc loquitur Philosophus 2. *Phis. t.* 49. diuidens naturam contra agens à proposito: & 9. *Metth. cap.* 2. & 4. distinguens potentiam actiuam in irrationalem, & rationalem, seu liberam. Alio modo principium actiuum dicitur naturale, vt distinguitur à supernaturali, & sic, quia solum agens increatum dicitur supernaturale, omnia agentia creata dicuntur naturalia, ideoque agens excedens omnem regularem ordinem actiui, dicitur supernaturale: & è contra seruans illum, & non potens excedere, dicitur agens naturale. Tandem si naturalitas sit in principio passiuo, id dicitur naturale, quod habet inclinationem ad aliquam formam: illud verò violentum, quod non habet inclinationem, sed repugnantiam ad eam. Illud tandem neutrum, quod non habet, neque inclinationem, neque repugnantiam. Hæc *Scotus*.

Ratio huius diuisionis.

Naturale respectu principij passiui.

2 Adu. 2. Ex *D. Bonauent. in 4. sent. dist.* 43. *par.* 2. *quæst.* 1. *num.* 26. quod in resurrectione plura sunt consideranda. Primo formatio corporis ex cineribus, alijsuè elementis, vel mixtis, in quæ corpus fuit conuersum per putrefactionem. Secundo, vnio animę cum corpore sic reformato. Tertio perpetua colligantia talium vnitorum, ideſt materiæ cum forma corporis, & omnium membrorum inter se: & tandem ipsius corporis cum anima. His positis

Multa in resurr. corporis obseruanda.

3 Dico 1. Resurrectio sumpta pro actione, vt idem sit, ac resuscitatio actiua non est naturalis, pro vt naturale contradicit libero, sed est libera. Est *Scoti loco cit. sub F.* & communis.

Resuscitatio actiue accepta est libera, non naturalis.

4 Probatur sic accepta est actio diuina ad extra: ergo est actio libera. Anteced. Quoad primam partem probatum fuit in Disputatione de causa efficiente Resurrectionis, & iterum in sequenti conclusione probabitur. Quoad secundam, patet, Deus enim est indifferens ad resuscitandum omnes mortuos: &, licet post decretum ab æterno stabilitum, videatur de necessitate illam exequi, hæc tamen necessitas est suppositionis, non absoluta: ad extra enim Deus operatur liberè: hinc miratur *Scotus*, quod Arist. docuerit causam primam operari necessario, deinde admittebat contingentiam in rebus: nam radix omnis contingentiæ est libertas in prima causa, & de hoc non est difficultas.

5 Dico 2. Resurrectio sumpta pro actione, vel etiam pro passione respiciente agens, est supernaturalis, non naturalis, est *D. Th. in 4 sent. dist.* 43. *quæst.* 1. *ar.* 3. *D. Bonau.* 4. *dist.* 4. *p.* 2. *quæst.* 1. *Scoti sub F.* & de fide.

Resuscitatio actiue accepta, vel passiuè, respectu agentis est supernaturalis.

6 Prob. hæc actio, & passio non potest ab aliquo agente creato produci: ergo. Antecedente prob. Ab effectu, nullum enim agens potest ad hoc pertingere, vt mortuum aliquem resuscitet: & licet dæmon sit tantæ virtutis, vt non sit potestas, quæ comparetur ei super terram, excedatque omnes omnes in scientia, non potest tamen mortuum vnum suscitare ex *cap. Nec mirum* 26. *quæst.* 5. Imo, quod refertur 1. *Reg. cap.* 28. de Samuele per Pythonissam resuscitato, falsum est, quod verè resuscitatus sit, sed præstigio Pithonis apparuit species, seu phantasma quodam repręsentans Samuelem, ita ex eod. *cap. Nec mirum*: ergo.

Dæmon non potest resuscitare mortuum,

7 Prob. 2. ex abunde dictis in *art.* 2. *disp.* 4. de causa efficiente, solus enim Deus potest mortuos omnes suscitare, & cum SS. Patres, vt *Aug. in Enchirid. à cap* 84. *vsque ad* 92. *& in lib.* 22. *de Ciuit. à cap.* 12. *vsque ad* 24. *Ambrosius in orat. de fide Resur. & in ep.* 1. *ad Cor. cap.* 15. *Hier. in ep.* 61. *ad Pammach. cap.* 11. *Ioan. Damasc. lib.* 4. *fidei orth. cap. vlt.* & alij omnes, nullo prorsus excepto, qui confutantes Gentilium sententiam negantem mortuorum resurrectionem, semper recurrunt ad omnipotentiam facientis.

Iterum probata fuit hęc concl. in disp. 4. ar. 2.

8 Prob. 3. Ex *Dionysio de diu. nom. c.* 14.

*Resur-*

*Resurrectio vetustati visa est contra naturam, vnibi vero supra naturam*: ergo non est naturalis.

9 Prob. 4. A priuatione ad habitum non datur regressus naturaliter: ergo.

Multæ rationes ad idem.

10 Prob. 5. Ad notitiam effectus naturalis pertingi potest naturaliter. Sed ex dictis in *disp.* 3. *art.* 4. non potest naturali via cognosci, non solum, quod resurrectio sit, sed nec quod futura sit; ergo.

11 Prob. 6. Quod naturaliter fit, euenit, vt in pluribus, non tantum suppositis, sed etiam temporibus, quando scilicet causa eius non est impedita. Sed resurrectio, non, vt in pluribus, sed vnica vice eueniet: ergo.

A sufficienti ratio,

12 Prob. 7. Assignari nequit ista causa naturalis, à qua resurrectio omnium, vel alicuius, possit fieri: ergo. Anteced. patet. Non enim corpora in diuersas naturas conuersa, ex se ipsis poterunt in pristinum redire; neque vnum virtute alterius: neque virtute elementi, aut alicuius mixti. Igitur supernaturali virtute.

Ex puritate resurrectionis Christi.

13 Prob. tandem. Christi resurrectio facta est supernaturali virtute, ex 1. *Thessal.* 1. & alibi sæpissimè. *Quem Deus suscitauit à mortuis*, & tamen corpus eius non erat corruptum: ergo multò magis corpora incinerata, & in alia mixta conuersa, indigent Dei supernaturali virtute, vt resuscitentur, & sic actio illa, & passio ei correspondens ab agente supernaturali erunt.

Animæ productio debita naturæ, ex Dei decreto.

14 Conf. Resuscitatio non est debita naturæ. Non enim causas naturales, neque principales, neque dispositiuas Deus instituit pro illa. Sicut v.g. animæ productio, licet à Deo sit; tamen debita naturæ, & ideo ad eius infusionem instituit Deus naturales causas facientes embrionem; cum enim hic peruenit ad perfectum statum, illicò Deus animam causat: at nulla adest causa disponens ad resuscitationem. Non enim potest sublunarium, imò, nec creatarum omnium causarum cursus ad eam disponere, vel puluerem hominum colligendo, vel eorum substantias in aliorum naturas conuersas adunando: neque ad statum carneum, osseum, nerueum, &c. vt olim erat restituendo. Igitur, nec principaliter, nec dispositiuè concurrit natura. Et proinde resuscitatio, tam actiuè, quam passiuè considerata, est supernaturalis.

Neque datur causa naturalis disponens ad resurr.

Resurrectio comparata ad passiuam potentiam.

15 Dico 3. Si resurrectio comparetur ad passiuam potentiam, est solum naturalis, pro vt naturale distinguitur à violento. Est *Scoti sub E. & F.*

Declaratio concluſ.

16 Probatur, & declaratur, in resuscitato considerantur, vel materia prima, quæ olim fuit in homine, & postea sub forma cineris, vermis, piscis, &c. vel ipsum met corpus iam reformatum, sed ante animationem; vel continuatio status talis corporis iam reformati, & animati: sed omnia ista non sunt violenta: ergo naturalia. Maior est sufficiens, nam certum est ex dictis, quod materia illa, quæ fuit in corpore humano sub forma carnis, ossis, nerui, &c. redibit. Materia autem habet inclinationem ad suam antiquam, & perfectam formam. Idem dicendum de corpore respectu animæ, ad quam inclinatur, & à qua perficitur. Idem tandem de perseuerantia, nam quodlibet subiectum naturaliter exigit esse sub suo perfectiuo: igitur ad illud inclinatur. Et sic ratione propensionis ad formam, quæ habetur ex præfatis actionibus concurrentibus in resurrectione; hæc est, non violenta, sed naturalis.

Inductio adæquata.

Ob. contra 2. Primo, omne quod est commune omnibus in eadem specie, est naturale: ergo. Anteced. est *Damasc. lib. 3. de fide orthod. cap. 14.*

Arg. cont. 2.

17 Resp. 1. dist. anteced. Est naturale, id est non violentum, concedo. naturale, vt contradistinguitur à supernaturali, nego.

18 Resp. 2. dist. anteced. Quod est sic commune, & est ab intrinsecis naturæ principijs, est naturale, transeat. Quod est commune, sed est ab agente extra naturæ ordinem operante, est naturale, nego. Ratio est, quia, licet omnes animæ à Deo iustificarentur per gratiam sanctificantem, sicuti omnes habent passiuam potentiam ad iustificari, non proinde iustificatio esset naturalis, sed supernaturalis. Ita, si omnes simul glorificaret, adhuc tamen glorificatio est supernaturalis.

Friuolâ arg. Male applicetu doctrina Damasc.

Ob. 2. Resurrectio est ad formam naturaliter perficientem subiectum: ergo est naturalis.

19 Resp. dist. anteced. est ad formam naturaliter perficienter, sumendo ly naturaliter, vt distinguitur à violento, concedo; vt distinguitur à supernaturali, nego. Estò enim passum puta materia, respectu formæ corporis, vel corpus respectu animæ inclinentur ad eas formas; tamen, quia ab agente supernaturali eas habent, earum receptio est supernaturalis. Ita *Scotus sub E.*

Quomodo anima dicitur naturaliter perficere subiectum,

Ob. 3. Sancti Patres, & ipse met Apostolus 1. *ad Corinth.* 15. *v.* 37. comparat resurrectionem productioni herbarum ex semine corrupto, ait enim *Insipiens tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur; & quod seminas, non corpus quod futurum est, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius caterorum, Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* & *Gregorius Magnus in hom.* Paschæ, comparat hominis resurrectionem productioni arboris ex paruo semine; & *S. Aug. lib. de quantitate animæ*, ait, *si ad rerum naturalium attendamus, certius est nobis resurrectionem esse futuram, quam Solem oriri erat.* Ergo, cum per comparationem ad naturalia, hæc reunitio explicetur, sequitur, esse naturalem.

Arg. ex ss. PP comparantibus resurrectionem generationibus naturalibus.

20 Resp. neg. consequ. Ratio est, primo, quia

Arg. Si est à minori ad maius, vt probant esse Deo possibilem.

quia SS. Patres arguunt à minori ad maius; si enim natura potest viuificare, quod mortuum est, nempe semen corruptum; multo magis hoc potest facere Deus; numquam enim quisquam hominum dixit, naturam posse hominem resuscitare. Secundo, quia SS. Patres, loquuntur suppositâ fide Resurrectionis, & declarant possibilitatem, per comparationem ad semina putrefacta, ex quibus nascitur herba viua, sicut ex fide Trinitatis conantur probare possibilitatem. Et huc collimat doctrina Pauli, Gregorij, & Augustini.

Ob. 4. Si non esset naturalis, non posset eius terminus perpetuò durare: sed reunitio illa erit æterna: ergo.

Ideo æterna erit vnio, quia non violenta.

21 Resp. dist. Si non esset naturalis, vt contradicit violento, concedo; si non esset naturalis, vt contradicit supernaturali, nego, & nego consequ. Nam solum non naturalia primigeneris nequeunt esse perpetua. Non autem non naturalia secundi generis, quia glorificatio erit perpetua in beatis, & tamen est supernaturalis. Præterea etiam si de non naturalibus primi generis loqueremur, adhuc tamen, in ordine ad causam supernaturalem, est falsa propositio, quod quę non sunt naturalia, non sunt æterna. Nam certissimum est, quod corpora damnatorum contra naturalem inclinationem æterno igne cruciabuntur, & tamen æternaliter durabunt, quia speciali Dei prouidentia, & virtute conseruabuntur: ergo à pari, Et ideo dicit Paulus 1. *ad Corinth.* 15. ait, *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti*, id est incorruptibiles, vt dicemus de qualitatibus resurgentium. Hæc enim specialis Dei prouidentia, vt iustitia vindicatiua, & distributiua exerceatur.

Et etiam si violenta adhuc posset esse æterna ex Dei potentia.

Ob. contra 3. Pulueres, aliaue mixta, vel elementa, in quæ conuersa fuit caro, non habent inclinationem ad esse hominis, seu ad animam: ergo ratione principij passiui non est naturalis. Anteced. prob. Nullum compositum habet inclinationem ad suum non esse. Secundo, quia non habens dispositionem alicuius formæ, non inclinatur ad eam.

Pulueres ratione materiæ habent potentiam non violentâ ad resurr.

22 Resp. dist. anteced. Pulueres secundum formam, concedo, secundum materiam, nego; & ita ad probationem, estò enim compositum aliquod ratione formæ non habeat inclinationem ad aliud esse, quia sic inclinaretur ad sui non esse; eam tamen habet ratione materiæ. Et si contendatur, neque materiam habere eiusmodi inclinationem, quia, vt est sub forma pulueris, vel piscis, vel alterius animalis, aut mixti non est disposita ad humanitatis formam, dico sufficere potentiam neutram, alioquin omnes mutationes naturales essent violentæ, vel dicamus cum *Augustino in Enchirid. c.* 87. *Non deficere Deo terrenam materiam, de qua mortalium creatur caro, &c.* quasi dicat materia illa est in potentia obedientiali respectu Dei, vt de ea fiat caro humana, & alia spectantia ad corpus organicum. Et tandem sequeretur ad summum, quod licet spoliatio illa materiæ à forma pulueris, alteriusue rei, esset violenta, informatio tamen per corporis formam esset naturalis, quia secundum inclinationem materiæ.

Sufficit potentia reuera.

Et materia pulueruem est in potentia obedientiali Dei.

## ARTICVLVS II.

### *An omnes homines, simul resurgent.*

Scoti mens.

SCOTVS supponens in eadem die, & hora omnes esse resurrecturos, in vno tantum sensu quæsitum hoc exagitat *in 4. sent. distinct. 43. quæst. 1. §. Restant duo dubia*, an scilicet omnes electi simul resurgent, & ex Augustino concludit, quod licet in eodem tempore omnes dicantur resurrecturi, ij tamen, qui ante Christi aduentum in iudicium, mortui sunt, resurgent priores illis, qui viui inuenientur. Ideo

Plures art. sensus.

23 Adu. 1. Quæsitum hoc plures habere sensus; primus est, an electi, in aliquo tempore notabiliter præcedente, resurrecturi sint ante reprobos. Secundo, an saltem in aliquo breui spatio ante eosdem. Tertio, an inter ipsos met electos aliquis ordo prioritatis seruandus sit.

Millenariorum error, quis esset.

24 Adu. 2. Antiquum fuisse quorumdam fidelium errorem dictum *millenariorum*, seu Chiliastarum, Chile enim græcè idem sonat, ac latinè mille. Hi ergo docebant in aduentu Christi ad iudicium resurrecturos esse omnes electos, eosque cum Christo in Ierusalem regnaturos per annos mille, & voluptatibus omnibus operam daturos; deinde resurrecturos cæteros, & futurum iudicium. Huius erroris primus author à *Gualterio in cap. 8. fac. 131.* asseritur Cherintus. *D. Hieron.* illum tribuit Victorino Pitabionensi, ita ad *Anatolium*, tribuit etiam Papiæ Hierapolitano, & Nepoti Episcopo Ægypti, quem confutatum à Dionysio Alexandr. Episc. refert Baronius initio anni 264. imo ab eodem *Hieronymo in præfat. libri 18. in Isaiam*, & *in 4. in Hieremiam*, & *in libro de Viris Illustribus*, tribuitur etiam Irenæo Lugdun. Episcopo, Tertulliano, Lactantio Apollinario, Seuero Sulpitio, alijsque antiquis Doctoribus; imo ex Disputatione Iustini Martyris cum Triphone colligitur Iustinum opinionis millenariorum fuisse. Fundamentum autem huius bipartitæ resurrectionis, & præcessionis vnius, nempe bonorum ad aliam, nempe reproborum, desumptum, est ex loco *Ioannis Apocalyp.* 20. qui talis est. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima in his erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Cæterum catholica sententia semper fuit, eadem hora omnes simul electos, ac reprobos esse resurrecturos. his positis.

Cherintus author illius.

Multi secuti sunt in hoc Cherintum.

Di-

Omnes simul in eodem momento resurgent;

25 Dico 1. Ne dum in eadem hora, sed in eodem paruo temporis momento omnes homines, siue electi, siue reprobi resurgent. Est de fide.

26 Prob. 1. Ex *Matth.* 24. *Marci* 13. *& Luca* 17. eadem est dies in qua filius hominis veniet ad iudicandum, & in qua omnes resurgent, tam boni, quam mali. Ergo non erit duplex resurrectio vna precedens aliam per annos. Tunc enim homines resurgent, quando iudicandi sunt, sed vna erit dies iudicij iuxta Christi oraculum *de die illa, &c. Matth.* 24. *& Luca* 17. ergo.

Ex Script. arg. clara.

27 Prob. 2. Ex *prima ad Cor.* 15. *Ecce mysterium vobis dico omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, & in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Glossa autem Interlin. Ver. *Omnes*, ait, *tam boni, quam mali.* Ver. *In momento* cad. Glossa dicit, *in breuissimo, & minimo, & angustissimo temporis spatio.* Ex Pauli autem verbis clara est fidei conclusio. Nam in momento temporis debent simul resurgere, & qui immutabuntur, nempe electi, (quia sic, vt dicemus glorioſi resurgent) & qui non immutabuntur, nempè reprobi. Ergo omnes simul resurgent.

28 Prob. 3. Ex 2. *ad Thessal.* 4. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini non preueniemus eos qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos, qui viuimus, &c.* Ergo aduenìente Christo ad iudicandum omnes resurgere debent, & qui præcesserunt, & qui adhuc viui sunt. & sic præcessio illa resurrectionis per mille annos, est falsa.

Ex Athan. Symb.

29 Prob. 4. Ex *Symbolo Athanasij.* Tunc omnes, siue boni, siue mali sunt resurrecturi quando iudicandi sunt; sed simul omnes in die extrema mundi iudicandi sunt: ergo simul omnes resurgent. Mai. prob. Symbolum, sic habet, *inde venturus est iudicare viuos, & mortuos, ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala in ignem æternum.* Ergo hæc omnia in eadem die sunt facienda, omnium scilicet resurrectio, & iudicium.

Ex Concil. Later.

30 Prob. 5. Ex *Concil. Later.* 4. *can.* 1. & habetur *de summa Trin. & fide Catol. cap.* 1. vbi de Christo habetur, *venturus est in fine sæculi iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundum opera sua, siue bona fuerint, siue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, vti cum Christo gloriam sempiternam.* Ergo hæc omnia simul, sed ordinatè sunt facienda, venturus est Christus ad iudicandum: boni, & mali iudicandi resurgent, & statim; præmium, vel supplicium obtinebunt.

Augustin.

31 Prob. 6. Ex *D. Augustino lib. de Eccles. dogm. c.* 6. *Erit resurrectio mortuorum omnium hominum, sed vna, & insimul, & semel; non prima iustorum, & secunda peccatorum vt fabula est somniatorum, sed vna omnium.*

Chrysost.

32 Prob. 7. Ex *Chrysost. hom.* 8. *in epist.* 1. *Thessal. cap* 4. *Primi resurgent, qui excesserunt, & sic simul fiet occursus, Abel qui ante omnes decessit, tunc simul ibit obuiam cum omnibus, quamobrem in hoc, alijs nihilo erunt superiores. Sed qui interijt, qui tot annos fuit in terra cum illo ibit obuiam, & omnes alij in momento; &c.*

Licet omnes in paruo tempore electi tamen qui præcesserùt, resurgent primi.

33 Dico 2. Esto in momento temporis electi omnes, & reprobi sint resurrecturi, tamen certissimum est, quod electi qui præcessunt cum morte aduentum secundum Christi, sint resurrecturi prius quam alij, qui eo veniente reperientur viui. Ita *Scotus in* 4. *distin.* 43. *quæst.* 3. *L. Riccardus ibid. art.* 3. *quæst.* 1. & alij ex *August. lib.* 20. *de Ciuit. c.* 20. *& de Eccles. dogm. cap.* 7. *&* 8.

Ex Script.

34 Prob. ex insigni loco 1. *ad Thessal.* 4. *Quoniam ipse Dominus in iussu Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi, deinde nos qui viuimus, &c.* vbi *Ambrosius* habet, *Resurgentibus ergo primis, qui in Christo mortui sunt deinde nos, qui viuimus rapiemur vna cum illis obuiam Christo in aera, &c.* At vt diximus in Disput. de morte Ambrosius ipse (& Augustinus postea ex eo) docet vbi supra electos iirinentes viuos, in occursu morituros, & statim resurrecturos; sic, *In ipso enim raptu mors proueniet, & quasi per soporem, vi egressa anima in momento redatur; cum enim tollentur, morientur, vt peruenientes ad Dominum præsentia Domini recipiant animas, quia cum Domino mortui esse non possunt, idque abundantius ex Augustino probatum est in citata Disputatione.* Ergo, si ex Apostolo electi, qui præcesserunt resurgent primi; deinde electi, qui erunt viuentes, obuiam ibunt Christo in aera, & in ipsa obuiatione morientur, ac resurgent; clarum fit, quod inter hos, & illos electos erit ordo prioritatis, licet fere momentaneus.

Ambros.

Riccard.

35 Prob. ex *Riccardo vbi supra*, sic declarante locum Pauli, *mortui, qui in Christo sunt resurgent primi. Non enim mihi videtur intelligendum de primitate dignitatis, quia, &c. Sed propter paruam moram inter resurrectionem illorum, & istorum, quandoque dicuntur tam illi, quam isti simul resurrecturi. Quod autem parua sit mora patet sic, quia secundum Glossam super illud 1. Cor. 15. omnes quidem resurgemus, &c.* Et probat paruulam moram interceſſuram inter vtramque resurrectionem.

Aug. diffuse

36 Prob. 3. Ex *D. Augustin. lib.* 20. *de Ciuit. c.* 20. vbi proponens dubium, an electi alijque viuentes tempore aduentus Christi morientur, dicit, *neque enim dicendum est*

*fieri non posse, vt dum per aera in sublime portantur in illo spatio, & moriantur, & reuiuiscant.* Et post aliqua, *ad hunc autem sensum, quo existimamus etiam illos, quos hic viuos inuenturus est Dominus, in ipso paruo spatio, & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, ipse Apostolus nos videtur vrgere, vbi dicit in Christo omnes viuificabuntur, &c.* multa. ex quo discursu, inquit, *Scotus sub L.* clarum habetur, quod mortui in Christo resurgent, primi, vt coram Christo in aere appareant; illi verò electi, qui viuentes sunt ibunt quidem obuiam Christo in aere apparenti, per viam tamen morientur, & statim resurgent; ergo illorum resurrectio præcedet resurrectionem istorum.

Contra 1. Valida arg. pro millenarijs.

Ob. contra 1. *Apocal.* verba clara sunt, duas futuras esse resurrectiones, & primam præcedere secundam per mille annos: ergo. Antecced. prob. Ex *Apoc.* 20. *ver.* 5. vbi loquens de electis, ait, *qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis, cæteri mortuorum non vixerunt, donec consumentur mille anni. hæc est resurrectio prima. Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habent potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum eo mille annis. Et cum consumati fuerint mille anni, tunc soluetur Sathanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, &c.* ergo duæ resurrectiones sunt confitendæ, vna præcedens aliam per annos mille.

Variæ, & notab. declarationes. loci de mille annis.

37 Resp. ex *D. Ambros.* Sic declarante hunc locum *in cap.* 20. *Apocal.* Animæ interfectorum, & quæ non adorauerunt Bestiam, intelliguntur illi qui pro Christo interfecti, cum eo regnant in cælesti beatitudine. Mille autem anni, dicendum est totum tempus, quod intercedit ab ascensione Christi, vsque ad finem mundi, quod per mille annos designatur, & omnibus electis deputatum est, vt in eo sine corporibus gloria cælesti, cum Domino perfruantur. Cæteri autem reprobi non vixerunt, quia post mortem, non ad vitam ducuntur, sed in infernum demerguntur, quæ in hoc libro mors secunda vocatur. Ita prolixe *Ambr.*

Ambros. sent.

Resurrectio prima per Ambros.

38 Ad illud de resurrectione prima, idem *Ambr.* ibidem respondet, vbi assignat plures vitas, & plures mortes; & post aliqua, ait, tertia vita tota bona est, quæ à passione Christi, vsque ad finem mundi extenditur, in qua Sancti cum Domino vita æterna perfruuntur, & hanc, primam resurrectionem, Ioannes vocat. Quarta erit vita Sanctorum post receptionem corporum, quæ nullo fine terminatur, & sic concludit. *Igitur, quia vita præsens comparatione vitæ cælestis mors recte dici potest, Sancti prima resurrectione, tunc resurgent, cum ab hac misera vita subtracti in cælesti beatitudine collocantur. Et sicut hæc est prima resurrectio Sanctorum. Ita est & prima mors impiorum, quando præsentem vitam deserunt, & in pœnis demerguntur. Secunda verò mors est vltima damnatio.* Et prosequitur post aliqua. *Nomine sacerdotum omnes electos comprehendit, omnes namque electi sacerdotes vocantur, siue quod sint membra summi sacerdotis; siue, quod ipsi offerre semetipsos eo per bona opera non desistant.* Hæc & plurima alia *Ambros.* igitur duæ resurrectiones anagogicè interprætantur pro duabus glorijs, animæ, scilicet & corporis electorum.

Anagogicè declarat duas resurrect.

39 Glossa Ordin. in cit. locum *Apocal.* Verbo, *Hæc est resurrectio prima*, ait, diabolus ita ligatus est, & quod à peccatis resurgunt homines, & quod ipsis mortuis statim animæ fruuntur æterna requie. Dicitur prima, ad differentiam illius, quæ erit simul in anima, & corpore.

Glossæ sent. de duplici resurrect.

40 Lyranus ibid. Verbo, *Per mille annos*, ait per mille annos intelligitur tempus Christi, quod currit vsque ad Antichristum, & ponitur hic numerus determinatus pro indeterminato, &c. & Verbo, *Hæc est resurrectio prima*, ait, hoc refertur ad illud, quod dicitur de Christianis, & vixerunt, vita gloriæ in animabus suis, quæ gloria vitæ, dicitur hic resurrectio prima. Secunda verò erit, quando resurgent in corporibus gloriosis. Et quia isti sunt securi de beatitudine, quam iam habent in anima, & postea habebunt in corpore, &c. Verbo autem, *Et regnabunt cum eo mille annis*, ait, hoc est vsque ad resurrectionem generalem, & sic patet, quod loquitur de gloria, quam habent Sancti, vsque ad diem iudicij. hæc Ly-

Lyran. de mille annis, & duplici resurrect.



41 *S. Augustinus lib. 20. de Ciuit. Dei c. 9.* diffuse hoc punctum declarat, dicens, *Interea dum mille annis ligatus est diabolus Sancti Dei regnant cum Christo, etiam ipsis mille annis, eisdem, & eodem modo intelligendis, id est isto iam tempore prioris aduentus eius:* & post multa sequitur, *& de hac prima resurrectione, qua nunc est liber iste loquitur:* & post alia. *Quamuis ergo cum suis corporibus non sunt, iam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt:* & post alia. *Reliqui eorum non vixerant, donec finiantur mille anni, intelligendum est, quod eo tempore non vixerunt, quo viuere debuerunt ad vitam, scilicet de morte transeundo: & ideo cum dies venerit quo fiet, & corporum resurrectio, non ad vitam de monumentis procedent, sed ad iudicium, ad damnationem, scilicet quæ secunda mors dicitur:* & sequitur. *Donec enim finiantur mille anni, quicumque non vixerit, id est isto toto tempore quo agitur resurrectio prima, non audierit vocem filij Dei, & ad vitam de morte non transieris profecto in secunda resurrectione, qua carnis est, in mortem secundam cum ipsa carne transibit,* & alia. Volui totam fere authoritatem adducere, quia decurtata vigorem amittere videbatur. Igitur nihil vrget contra veritatem catholicam de vna,

Augusti. sent.

Mille anni sunt totum tempus à Christi asce. sione vsque ad iudicium,

Resurrectio prima, est animæ viuificatio.

& si-

& simultanea omnium corporum in fine mundi resurrectione,

## ARTICVLVS III.

### *An resurrectio erit in instanti?*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. q. 5.* tria docet. Primum in *§. De primo A.* collectionem cinerum ministerio Angelorum faciendam, futuram in tempore. Secundum in *§. de 2.* formationem corporum futuram in instanti. Tertio in *§. de 3.* etiam inductionem animarum in corporibus iam formatis futuram etiam in instanti.

Sensus art. non discordat ab antecedente.

42 Adu. sensum huius quæsiti esse, an omnium hominum reformatio fiet in vno, & eodem instanti. Et hoc quæsitum procedit, etiam si dicamus, vt in præcedenti, quod electi resurgent ante reprobos; in hac enim hypothesi sensus est, an omnium electorum resurrectio, in vno instanti erit. Sic & reprobòrum omnium in alio.

Motus in resurrect. concurrent.

43 Adu. 2. Quod, vt ex *Scoto* notaui, tria sunt in corporum reformatione consideranda; collectio partium, seu puluerum, aut cinerum, aliorumuè, in quæ fuerunt resoluta corpora (hæc enim veniunt nomine puluerum, ait *Scotus sub N.*) Secunda destructio talium partium, vel puluerum, & formatio corporum ex illorum materijs. Tertio tandem, animatio corporum, & de his omnibus quæritur, an facienda in instanti. His positis

Collectio puluerum fiet in tempore.

44 Dico 1. Collectio puluerum, seu partium, *in quas fuerunt conuersa corpora*, & earumdem adductio ad locum iudicij, vel ad alium, in quo sunt formanda corpora fiet in tempore. Est *Scoti vbi supra §. De primo sub A.* & vt credo debet esse communis.

45 Prob. Ex *Scoto* ibi. Hæc collectio, vel adductio fiet Angelorum ministerio, vt supra dictum est in *disp. 4. art. 4.* ergo non potest fieri in instanti. Angelus enim non potest mouere corpus localiter in instanti.

46 Prob. 2. ex Lyrano in sequenti conclusione adducendo idem prorsus docente in 1. *Corinth. cap. 15. In momento in ictu oculi, &c.*

Quæ actiones erunt in instanti.

47 Dico 2. Destructio puluerum, productio formæ corporis, & formatio omnium corporum erunt in instanti. Est *Scoti §. De secundo. D. Bonau. in 4. dist. 43. par. 1. qu. 3. Riccardi dist. 43. art. 5. quæst. 2.*

Quia à Deo fient.

48 Prob. à *Scoto sub B.* omnia hæc fient non virtute Angelica, sed Diuina. ergo in instanti. Consequ. prob. Licet Deus possit operari successiuè, & in instanti; tamen magis congruit, quod eius virtus faciat in instanti, ea, quæ sic possunt fieri. Quod enim aliquod sic passibile, fiat in tempore, refunditur in agentis imperfectionem, propter quam mobile sibi resistit. Dei autem virtuti nihil resistit: & ex alio capite, omnes istæ actiones fieri possunt in instanti, quia formæ illæ, siue destruendæ, siue producendæ, possunt in instanti, & simul destrui, ac produci; ergo.

Aliæ rationes ad idem, & à priori.

49 Prob. 2. Resurrectio ex *Damasc.* aliud non est, nisi *surrectio eius, quod ceciderat*, sed cæcidit primariò homo per separationem animæ intellectiuæ à corpore, secundo etiam totum mixtum per conuersionem in alia. Igitur surrectio consistit in hac reparatione, quæ exigit destructionem illam cinerum, &c. ac formationem corporum: hoc autem stante. Habetur, istam reparationem faciendam in instanti: nam ex 1. *Cor. 15.* habetur: *Omnes resurgemus, &c. in momento in ictu oculi.* Quod explicans Lyranus, ait, momentum dupliciter accipi, & pro nunc indiuisibili, & pro aliquo breui tempore, idem dicendum de ictu oculi: & sequitur, *vtrumque concurret in resurrectione; quia collectio puluerum, quæ fit ministerio Angelico per motum localem, fiet in tempore quasi imperceptibili, sed reformatio corporis, & vnio animæ ad ipsum fiet virtute diuina, & in instanti, & hoc est, quod dicitur in momento in ictu oculi, &c.*

Ex Greg. Niss. euidentissime,

50 Prob. ex *Gregor. Nisseno or. 3. de Resurrect.* Propter hunc diem (loquitur de iudicio, & resurrectione) pars corporis, quam ante mille annos carniuarę aues comederint, integra reperietur, & quam, vel canes, vel cetæa, cæteraque animalia marina deuorauerint vna cum homine suscitato resurget. Quin etiam, quod ignis concremauerit, quod vermis in sepulchris absumpserit; &, vt rem in summam conferam, omnia denique corpora, quotquot post generationem corruptio aboleuerit, & è medio sustulerit, integra, nullaque sui parte carentia reddentur è terra, & vt Paulus docet, in momento oculi perficietur resurrectio. Ictus autem, seu momentum oculi, clausio est palpebrarum; atque hac velocitate, nulla res alia celerior esse possit, &c. ergo subito, & instantanea erit corporum reformatio.

Ex parte diuinæ potentiæ.

51 Prob. tandem. Nihil resistit diuinæ potentiæ quin hæc omnia operetur in instanti. Nam in instanti formare potuit corpus Christi in vtero Virginis, illudque animare: ergo. Secundo, quia in instanti formauit Adam, & in alio Euam: ergo.

Animæ infusio in instanti erit.

52 Dico 3. Animæ infusio fiet etiam in instanti. Est communis cum *Scoto in 4. distinct. 43. qu. 3. §. De tertio.*

A priori;

53 Prob. Vbi nulla potest esse successio, debet admitti instantaneitas; sed in animatione corporum reformatorum nulla potest esse successio: ergo. Minor prob. vbi non est resistentia partium, non est successio; nam hæc est, vel propter partes formæ inducendæ, vel propter partes subiecti, quarum vna prius, quam alia recipit formam. Hoc autem in animatione non potest contingere. Non primum, quia anima partes non habet. Non secundum, quia licet multa

corporis partes, quæ non sunt simpliciter necessariæ ad animationem, vt manus, pedes, &c. animari possint hoc ordine, vt vna animetur prius alia, tamen aliquod totum est in corpore, quod est animabile primò, ita quod non possit, nisi totum, & simul animari. Ita discurrit *Scotus sub F.*

A pari de prima vnione.

54 Prob. 2. Anima cum primo vnitur corpori perfectè organizato in instanti vnitur. Ergo cum reunitur eidem eodem modo organizato, in instanti reunitur. Conseq. prob. Non est maior ratio de hac, & illa vnione. Neque de hoc vlla est difficultas.

## ARTICVLVS IV.

### *In qua hora fiet resurrectio.*

Scoti mens

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. quæst. 3. sub O. & P.* de hora resurrectionis, loquens ait, *nihil certum haberi ex scriptura; sed ait forte fiet resurrectio in ea hora, qua Christus resurrexit, vel qua iudicatus est à Pilato, vel qua expirauit in cruce*, & quodcumque horum dicatur, inquit; exponendum est, quod dicitur *Matthæi 25. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, &c.* & illud 1. *Thessal. 5. Dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet, &c.*

Dubium ex scripturæ locis oritur.

55 Adu. Quod ratio dubitandi oritur ex citatis, & alijs scripturæ locis, in quibus prædicitur aduentus Domini. Sæpè enim dicitur eum esse venturum media nocte, vel saltem in nocte; & assimilatur aduentui furis *Lucæ 12. & 1. Thessal. 5.* fures autem, vt ipsemet Apostolus innuit, de nocte accedunt ad loca, in quibus furta committunt. Ex alio capite, tempus aduentus, seu apparitionis Christi ad iudicandum, dicitur *dies* Domini, per antonomasiam, de *die illa, &c.*

Incerta dies & hora, probabile tamé est, quod in hora resurrectionis Christi, vel, &c.

56 Dico ergo, licet incerta sit dies, & hora tamen probabile est, quod resurrectio mortuorum erit de die; & in hora qua Christus resurrexit, nempe diluculo, vel in qua fuit à Pilato iudicatus, vel in qua expirauit. Prima pars est nedum *Scoti, vbi supra*, sed *D. Bonau. in 4. dist 43. dubio 2. Iter. Riccardi de Media Villa in 4. distin. 43. art. 6. quæst. 2.* secunda verò est ipsius *Scoti ibid.*

57 Prob. 1. pars. Ex *Matth. 24. v. 27.* vbi Saluator prædicens aduentum suum ad iudicandum, ait, *sicut enim fulgor exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, ita erit, & aduentus filij hominis:* & post aliqua subdit, *de die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus pater.* Ergo, licet sit incerta dies anni, vel mensis, tamen de die erit. Consequ. prob. Nam in eodem capite, & loco habetur, quod in aduentu *Christus mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabit, &c.* ergo si de die erit aduentus, de die erit resurrectio.

58 Conf. ex alijs pluribus locis in quibus mentio fit de iudicij die, vt *Matth. 25. v. 13. Nescitis diem. Lucæ 10. v. 12. & cap. 17. v. 22. cap. 21. v. 34. 1. Cor 1. & 1. Thessal. 5. dies Domini, sicut fur in nocte, &c.*

De die resurrectio erit.

59 Prob. 2. ex *Ioan. 6. v. 40. & 55.* vbi Christus habet, *Qui manducat meam carnem, &c. & ego resuscitabo eum in nouissimo die.* vbi Lyranus habet, *& patet ex dictis, quod nouissimus dies erit dies resurrectionis generalis.*

60 Prob. 3. Ex Lyrano in *cap. 5. epist. prima ad Thessal.* Verbo, *Dies Domini, sicut fur in nocte*, vbi sic habet, *Non per hoc est intelligendum, quod Dominus venturus sit ad iudicium tempore noctis, sed magis clara die; sicut in cælum ascendit Act. 1.* idem dicit *Matth. 25.* Ver. *Media autem nocte.*

Soluuntur arg. ex Scriptura desumpta.

61 Prob. 4. Si quid obstat, quia dicatur resurrectionem de die faciendam maxime est, quia in parabola decem Virginum sponsus venit media nocte, & quia alibi dicitur, diem Domini esse, sicut aduentum furis. Fur autem de nocte solet furta committere: sed hæc non obstant. Ergo min. prob. Nam ad parabolam de sponso *media nocte veniente Matt. 25.* Glossa Interlin. ait, *in inopinato.* Glossa Ordin. dicit, *nullo sciente, vel sperante, vnde dies Domini, sicut fur in nocte.* Lyranus ibidem dicit, *Non est intelligendum per hoc, quod iudicium extremum fit celebrandum de nocte.* Similiter dicendum ad locum *Thessal. cap. 5. Dies Domini, sicut fur in nocte.* Nam nox non refertur ad diem Domini, sed ad modum operandi furis; ideo Glossa Interlin. Ver. *Nocte*, ait, *ita latenter.* Ver. *Sicut fur*, dicit, *quia incautos.* Glossa Ordin. *Sicut fur, quia improuisus*, & sequitur; *sicut fur, non dies die, sed nocte cum latentius venit, & homines dormiunt, tunc omnia surripit, vt qui se putabat diuitem, vigilans nihil inueniat*, & *Augustinus in epist. ad Ephesium*, declarans hunc locum, inquit. Non ergo post quantum temporis hoc futurum sit, sed quomodo futurum sit, opus est scire, vt curent filij lucis esse, & parato corde vigilare, qui nolunt ab illa hora, sicut à nocturno fure comprehendi; & Lyranus in hunc locum, vt supra diximus, ait, non de nocte, sed clara die faciendum iudicium, *dicit autem Apostolus dies Domini, sicut fur in nocte, quia veniet subitò hominibus hoc non prænidentibus.*

Media nox, quomodo intelligitur.

Paritas de fure in nocte quomodo declaratur.

62 Conf. ex *Ambros.* explicante dictum Pauli locum, *dies Domini, vt fur in nocte veniet, hoc est, quod in Euangelio Dominus locutus est, dicens vigilate, quia nescitis horam, qua Dominus vester veniet, &c. Subitò enim, & ex inspirato apparebit.*

Ambros.

63 Prob. 2. pars, ex verisimilitudine, & coniecturis. Nam ex *Rabano Mauro lib 5. de Vniuerso c. 8.* habetur, *Christus eadem hora qua resurrexit ad iudicandum venturus est.* Ergo cum aduenientc Christo, in momento in ictu oculi mortui resurgent, sequitur, quod in hora qua resurrexit Christus fiet resurrectio.

2. pars ex coniecturis.

Qui

Qui autem eiusmodi sententiæ non acquiescit, contra fidem non operatur; cum Ecclesia nihil de hoc definierit, nec scriptura vllum de hoc puncto verbum faciat. Placuit tamen adducere, quę aliqui de eo dixerunt, & maximè *Scotus*, vt in principio articuli dictum est.

## ARTICVLVS V.

### *In quo loco fiet Resurrectio.*

Scoti mens problematica.

SCOTVS dubium hoc problematicè soluit *in 4. sent. dist. 43. qu. 5. §. De tertio sub M.* dicens. *Transferentur, vel post resurrectionem completam, vel ante per translationem pulverum collectorum: vtrumque enim est possibile Deo, vel vt pulueres de singulis locis colligantur ad locum vnum, vbi debent post resurrectionem omnes ad iudicium conuenire, & in illo loco fiat resurrectio.* Hæc *Scotus*

Sensus art. notandus.

64 Adu. ex *Scoti* adnotatione sensum huius articuli esse, an facta per Angelos, vt supponimus cinerum collectione in locis, in quibus prætati cineres, (seu partes, vel pulueres,) reperiuntur, ibidem reformabuntur per Dei virtutem corpora, ac viuificabuntur. An potius collecti cineres adducentur ad locum, in quo fiet iudicium, ibique formabuntur corpora, & suscitabunt per animarum vnionem. Not. tamen ex *Sco. ibid. sub N.* nomine cinerum intelligi, vel pulueres in quos resoluta sunt corpora, vel partes omnes, quæ adhuc integræ perseuerant sub propria forma, vt ossa v. gr. vel sub alia in alio mixto. Not. præterea, quod ex S. Scriptura explicitè colligi non potest solutio dubij; proinde ex coniecturis, ab ipsamet Scriptura desumptis, rem ipsam concludemus.

Cineres quid significent.

65 Dico ergo, licet probabile videatur aliquibus, quod resuscitatio facienda fit in eodem loco iudicij post translationem pulverum ad illum locum: probabilius tamen est, quod facienda fit in eisdem locis, in quibus reperiuntur Defunctorum cineres, vel maior eorum pars. Eam expresse tenet *Riccard. in 4 sent. dist. 43. ar. 5. qu. 3.*

Est probabile quid in loco iudicij probabilius est, quod in eodem loco, vbi sunt cineres fiat resuscitatio.

Prima pars prob. ex figura Ezzec.

66 Prob. 1. pars. ex figura visionis *Ezzechielis cap. 37. Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini, & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, & circumduxit me per ea, &c. & dices eis ossa arida, audite verbum Domini*, ita fecit, & resurrexerunt corpora illa. Hæc autem actio ex communi sensu fuit figura futuræ resurrectionis. Igitur prius partes omnes, seu cineres adduci debent in campum, seu locum vnum, & postea formabuntur corpora, & viuificabuntur. Hoc enim Deo possibile est, nullaque adest repugnantia, nihilominus in eodem capite habetur. *Aperiam tumulos vestros, & ducam vos de sepulchris vestris populo meus:* ergo.

2. pars.

67 Prob. 2. pars. Ex *1. Thessal. 4.* electi omnes tam, qui mortui sunt ante diem iudicij, quam qui erunt tunc viui rapientur, & ibunt vna cum illis obuiam Christo in aera. Ergo resuscitatio electorum, qui antea sunt mortui non fiet in loco iudicij, sed ante in loco sepulturæ, vel in alio vbi sunt pulueres, & ex eo viui ibunt obuiam Christo. Si autem id confitemur de electis, de omnibus idem est confitendum; cum non sit maior ratio.

Ex nouoteſt.

68 Prob. 2. ex *Ioan. 5. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij*. Ergo videtur hic ordo seruari, vt audita voce filij Dei, *surgite mortui, & venite ad iudicium*, collectis cineribus, seu partibus per Angelos, vt in suo loco diximus, diuina virtute reformanda sint, & viuificanda corpora. Deinde procedent ad locum iudicij, adhuc per Angelos eò transportata, qui quidem sensus mihi obnius est.

Ordo resurgendi.

Ex Hippol.

69 Prob. 3. ex *S. Hippolyto orat. de consumat. mundi. Tunc sonabit tuba, & excitabit dormientes de profundissimis terræ, tam iustos, quam peccatores, omnisque gens, natura, lingua, & tribus resurgent in ictu oculi, & astabunt super faciem terræ expectantes iussi, atque terribilis iudicis aduentum in trimore, & tremore inenarrabili*. Ergo immediatè post exitum à terra astabunt super faciem terræ, & sic in loco tumulationis resuscitabuntur.

Greg. Niſſ.

70 Prob. 4. ex *S. Gregor. Nisseno de homin. opif. cap. 25. Apostolus prodidit Dominum ipsum, quadam quasi cum militari conclamatione per vocem diuinorum nunciorum Principis, ac tuba clangorem mortuos ad conditionem interitus expertem suscitaturum; sic nunc etiam Lazarus tumulo conditus, ad vocem imperiumque Domini mortem instar somni excutiens, & putrefactione, qua mortuum continuo occupauerat abiecta integer, & incolumis de sepulchro prodijt*. Cum ergo ad instar Lazari resurrectionem, nostra omnium sit futura, de loco ipso, in quo cineres, seu partes corporum resident resurgemus, non amplius dilata actione vsque ad locum communem iudicij.

Exemplum Lazari.

Ex ambroſ. optimũ arg.

Conf. ex *S. Ambrosio in cap. 20. Apocal.* vbi loquens de resurrectione, & declarans illud *Ioan. 5. Venit hora, quando omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, &c.* sic ait *Ambros.* Ad imperium igitur Domini, de monumentis suis procedent mortui, quia corpora omnium mortuorum pro receptione animarum viuificata, de sepulchris suis exient. Ergo, ex Ambrosio resuscitatio fiet in sepulchris, id est in locis, in quibus erit maior pars pulverum, seu cinerum mortuorum.

Prob. 5.

Ex Ephrem clarissimè.

71 Prob. 5. ex *Ephrem in libr. de pœnit. cap.4.* vbi post auditum sonitum tubæ, dicit, *Tunc omnia ex tumulis humanæ conditionis ossa, vbi vox tubæ resonuerit exilient, atque discurrent, artus suos, iunctura sque cum festinatione requirentia cum viderimus omne hominum genus resurgere, quemlibet ex loco suo, congregarique ad iudicium.* Non poterat clarius loqui. Prius ergo resurgent ex tumulis homines integri, deinde congregabuntur ad iudicium.

Chrysost.

72 Prob. 6. ex *S. Ioanne Chrysost. hom. 8. in epist. 1. ad Thessal. cap. 4. Abel, qui ante omnes decessit, tunc simul ibit obuiam cum omnibus, &c. Et qui interijt, & tot annos fuit in terra cum illo ibit obuiam, & omnes alij, in momento enim fiet resurrectio in ictu oculi, quod autem dicitur, quod congregantur, vbique quidem resurgunt, congregantur autem ab Angelis; atque illud quidem est potentia Dei imbentis terra, vt dimittat depositum, nec est vllus qui inferatur, sicut tunc vocauit Lazarum, Lazare veni foras. Adducere autem, & congregare est ministrorum.* Aurea quidem tota est sententia, sed pro nunc valde notanda pars illa, *vbique quidem resurgunt, congregantur autem ab Angelis.* Ergo in omnibus locis in quibus sunt cadauera fiet resurrectio; ab Angelis vero postea homines, qui surrexerunt adducentur in locum iudicij.

Notanda doctrina,

Cyril. Alex.

73 Prob. 7. ex *Cyrillo Alexandr. lib. 2. in Ioan. cap. 145. Quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei; nam, qui à nihilo cuncta produxit, quomodo non poterit, quæ semel producta sunt ab interitu, rursus ad vitam reuocare? Processuros autem vtiquissimè de monumentis subiecit, peccatores quidem in supplicia æterna sempiterna, iustos vero in vitam æternam.* Ergo è monumentis dicit eos processuros; hoc, quid est aliud, quam dicere, quod inibi resurgent, & inde procedent?

Theodor.

74 Prob. 8. ex *Theodoreto in epist. 1. Thessal. cap. 4. Adeo citò, & celeriter, & in momento temporis omnes, qui mortui sunt resurgent, vt eos qui illo tempore adhuc erunt superstites præueniant, & eant obuiam Seruatori Vniuersorum.* Ergo ex monumentis ipsis resurgent, & ita inde ibunt obuiam Christo venienti, & non adducentur ante Christum pulueres, vt resuscitentur.

Euthymio.

75 Prob. 9. Ex *Euthymio in cap. 5. Ioann. Quia venient tempus, in quo, &c. Tempus dicit consummationis sæculi, & vniuersalis iudicij, eos autem, qui sunt in monumentis dicit mortuos, quos simul omnes repente, ac virtute arcana coaptabit voci sua, sine iussu, quo tunc per Archangelum clamabit.* Ergo simul, ac audietur Christi vox, de monumentis resurgent corpora coaptata.

Theophyl.

76 Prob. tandem ex *Theophylacto in cap. 6. Ioann. Peccatores resurgent quidem ex sepulchris in terram, de terra autem non exurgent in aerem;* Ergo à primo ad vltimum concluditur, resurrectionem faciendam esse in locis, in quibus sunt cadauera, vel maior pars corporis, Ea autem facta congregabuntur, seu adducentur Angelorum ministerio in locum iudicij.

## ARTICVLVS VI.

### *An omnes resurgent in proprio sexu.*

Scoti mens.

SCOTVS de hoc puncto explicitè non agit; ex ijs tamen, quæ docet *in dist. 43. quæst. 3.* de identitate numerica resurgentium; & *in dist. 44. quæst. 1.* de resurrectione omnium partium, quæ fuerunt de integritate naturæ humanæ, euidenter infertur, omnes in proprio sexu esse resurrecturos. Neque officit Scoticæ doctrinæ, illud extra quod habetur *in 2. dist. 20. quæst. 3. in fine*, vbi dicitur, quod sola Beata Virgo resurget in sexu fœmineo, cæteræ autem mulieres in sexu virili. Quia, vt notum est omnibus Scotistis, & alijs in eius doctrina assuetis, quædam responsiones reperiuntur in Scoto, quæ non sunt ipsius, sed additionatoris; & omnes eiusmodi, quæ frequentes sunt in toto eius opere, notantur quadam linea complectente totam doctrinam à Scoto alienam. Ideo

Malè imponitur Scoto sent. negatiua;

Notab. pro discernenda doctrina Scoti.

77 Adu. rationem dubitandi, esse locum *Pauli ad Ephes. 4 Donec occurramus omnes in vnitatem fidei agnitionis filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, ex quo aliqui deduxerunt, omnes homines esse resurrecturos in sexu virili. Authores huius erroris suppresso nomine referuntur à *S. Augustino lib 22. de Ciuit. c. 17.* sed Guido tribuit hunc errorem Armenis, dicens, esse vigesimum inter errores eorum. *Baronius to. 3.* inter errores Origenis numerat istum, non esse futuram sexus distinctionem in resurrectione. At cuiuscumque fuerit hæc doctrina, inter hæreticas computatur ab *Alphonso de Castro.* Ver. *Resurrectio, S. Quinta hæresis.* Nec alio ex capite, vt conijcio, nisi quia ex scriptura implicitè infertur opposita. His præmissis

Ratio dubitandi.

Auth. sent. contr.

78 Dico ergo. Mares, & fœminæ in proprio sexu resurgent. Est communis, & de fide.

Omnes resurgent in proprio sexu

79 Prob. 1. ex sacra historia *Matth. 22.* Saducæi enim non credentes resurrectione existimant hoc valido argumento Christum conuincere. *Erant apud nos septem fratres, & primus vxore ducta defunctus est, & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo, similiter secundus, & tertius vsque ad septimum: nouissimè autem omnium, & mulier defuncta est. In resurrectione ergo, cuius erit de septem vxor: omnes enim habuerunt eam.* Christus autem sic respondet. *Erratis nescien-*

Ex Script. optimâ arg.

*scientes scripturas, in resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Ex qua responsione Augustinus, & Gelasius Papa talia inducunt argumenta. *Augustinus*, sic in *lib. 22. de Ciuit. cap. 17. Cum aptus locus esset, vt diceret de qua enim me interrogatis, vir erit ipsa non mulier, hoc non dixit, sed, in resurrectione, neque nubent, neque vxores ducent, sed erunt, sicut Angeli Dei in cælo, æquales vtique Angelis immortalitate, ac felicitate non carne, &c. Nuptias ergo Dominus futuras negauit esse in resurrectione non fœminas, & ibi negauit, vbi talis quæstio vertebatur, vt eam negato sexu muliebri celeriore facilitate dissolueret, si eum ibi pernoscceret non futurum. Imo etiam futurum esse firmauit dicendo non nubent, quod ad fœminas pertinet, neque ducent vxores, quod ad viros:* & ita concludit Sanctus Doctor. *Erunt ergo, quæ vel nubere hic solent, vel ducere vxores, sed ibi hoc non facient.*

Gelas Papa I

80 Gelasius vero Papa I. eodem prorsus vtitur argumento in *epist. contra hæresim Pelagianam*, circa finem. *Dominus ait, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli. Quod vtique si in vnam speciem corporis vnumquemque sexum omnes fuerunt suscitandi cur diceretur, causa penitus non fuisset. Quia potius cum fœmineo sexui magis competat nubere, non illic defuturum, sed cessaturum prorsus à nuptijs indicatur. Cum autem scriptum sit, vt capiat vnusquisque propria corpora, siue bona, siue mala, quomodo id fiet, nisi vterque sexus in sui corporis proprietate, vel iudicium subeat, vel præmium beatæ resurrectionis accipiat.* Ergo quilibet in suo sexu ex Christi oraculo à Papa declarato, resurget.

Ex Apost. Valdū arg.

81 Prob. 2. Ex 1. *Cor. 15. Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur, & quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, &c. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus, &c* quem quidem locum eleganter expendit Gelasius Papa in præcitata epistola, & multa docet de sexuum diuersitate resurgenda, inter quæ, *Vnicuique seminum proprium corpus, vt quod vna species cuiuslibet grani discreto sexu, qui ei nullus extimare non posset exprimenda corporum proprietati*, & post multa, ait. *Si verò proprium corpus resuscitatus quisque suscipiet, indubitanter est consequens, vt vnicuique sexui corpus proprium reformetur, quia sicut dictum est, & vnicuique semini proprium corpus restituetur attributum; per quæ vtique semina in vtroque sexu omne genus hominum designatum est, sequitur vt omne genus humanum, quod in vtroque sexu illis est seminibus designatum proprium sit corpus, &c.* ergo quilibet in suo sexu.

Ratione prob.

82 Prob. 3. Ratione ab eodem Pontifice, & Augustino in præfatis locis tacta. Sexus fœmineus non est vitium, vel culpa, sed natura: & tam fœmina; quam vir sunt Dei creatura, & ex viri costa accepta fœmina, sicut ex Christi latere formanda erat Ecclesia; id enim ad vnitatem spectat. Ergo, concludit *Augustinus qui vtrumque sexum instituit vtrumque restituet: & melius mihi sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant.*

Hieron.

83 Prob. 4. ex *Hier. epist. 61. ad Pamm. cap. 10.* vbi explicans verba illa Iob. *Quem visurus sum ego ipse*, ait. *Is si non in sexu suo resurrecturus est, si non eisdem membris, &c. vbi erit ergo Iob? & cap. 11.* clarius. *Ego libere dicam, & fidem Ecclesiæ confitebor:* & post aliqua. *Vbi caro & ossa, & sanguis, & membra sunt ibi necesse est, vt sexus diuersitas sit, ibi Ioannes, Ioannes, Maria, Maria, &c. Mea rusticitas sic intelligit, & sic credit, sexum confiteri sine sexuum operibus homines resurgere, & sic eos Angelis adæquari.* hæc & alia *Hieron.*

Isidoro Hispal.

84 Prob. 5. Ex *Isidoro Hispal. de offic. Eccles. lib. 2. cap. 23. Eam spem resurrectionis habemus, vt eodem ordine, & ea forma, qua & ipse Dominus resurrexit à mortuis, & nos resurrecturos credamus; in eodem corpore in quo sumus, vel viuimus non naturam, vel sexum mutantes, sed tantum fragilitatem, vel vitia deponentes.*

Alphonso de Castro.

85 Prob. 6. Ex *Alphonso de Castro*, Ver. *Resurrectio*, in fine dicente, inter Ecclesiastica dogmata hoc in septuagesimo loco haberi. *In resurrectione ex mortuis sexus forma non mutabitur, sed vir mortuus resurget in forma viri, & fœmina in forma fœminæ.*

Ex Symbolo Athan.

86 Prob. 7. ex *Symbolo Athanasij*, habetur. *Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem.* At corpus proprium fœminæ non est virile, sed fœmineum, & cum eo redditura est fœmina, rationem.

Ratione.

87 Prob. 8. Eua creata est cum sexu fœmineo nuda, & talis permanebat in Paradiso, & absque confusione ante peccatum. Talisque erat transferenda in Cælum si non peccasset; decor enim ait Gelasius, vbi supra est naturæ humanæ fœmineus sexus. Igitur in resurrectione, & in gloria talis apparebit, qualis creatus est: non enim quid indignum, nec indecorum creauit Deus, ergo talem resuscitans sexum nil indecorum resuscitabit.

Arg. contr.

Ob. Ex *Ephes. 4. Donec occurramus omnes in virum perfectum, &c.* ergo omnes resurgent in forma viri.

Vir non significat, non semper sexū, sed perfectionem, vel ætatem.

88 Resp. ex Glossa Interl. Ver. *Virum*, dicente, *non sexu, sed perfectione virtutis, hic enim paruuli summi viribus corporis, & animi.* Glossa Ordinar. dicit in virum perfectum ratione ætatis, quia omnes resurgent in ea ætate, in qua Christus mortuus est, Vel in virum perfectum, vt, quod caput, & membra,

bra, omnes simus vnus perfectus vir cui nihil desit *Lyranus* vero *ly in virum* refert ad Christum, dicens, *id est occurramus Christo venienti ad iudicium, qui est vir omnino perfectus*. Imo ni fallor eumdem intellectum tenuit *Ambrosius* in citatum locum. *In virum perfectum, ita elaborandum hortatur, vt perfectio fidei apprehendatur, cuius haec ratio, vt Christum perfectum, & plenum Deum teneat fides, nec mensura humana metiatur, sed in plenitudine diuinitatis, quasi perfectus Deus habeatur*. *Augustinus* vero *lib. 22. de Ciuit. c. 18.* plenius explicans Pauli locum, dicens ex ipso contextu, *& ipse dedit quosdam Apostolos, &c. donec occurramus*, significat Apostolus corpus Ecclesiæ constans ex capite Christo, & membris, fidelibus, & alijs. *Ecce*, inquit, *qui est vir perfectus, caput, & corpus, quod conflat omnibus membris, qua suo tempore complebuntur*, quotidie tamen eidem corpori accedunt, *dum adificatur Ecclesia, cui dicitur, vos estis corpus Christi, & membra, &c.* alia, & post. *Ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in adificationem corporis Christi. Ac deinde subiectum est, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, &c.* ac si diceret, *Augeamur in illo per omnia, qui est caput Christus ex quo totum corpus connexum, & compactum per omnem actum sub ministrationis secundum operationem vnius cuiusque partis, sicut ergo mensura vnius cuiusque partis, ita totius corporis, quod omnibus suis partibus constat, est vtique mensura plenitudinis, &c.* Omnes ergo partes, & omnia membra, cum capite Christo formant virum perfectum. Egregie quidem. Imò elegantèr subdit *Augustinus*. *Verum si hoc ad resurrectionis formam, in qua erit vnusquisque, referendum esset; quid nos impediret nominato viro, intelligere, & fœminam, & virum pro homine positum accipieremus, sicut in eo, quod dictum est. Beatus vir qui timet Dominum, vtique ibi sunt, & fœmina, qua timent Dominum*, & potest hoc alijs scripturæ locis comprobari. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, &c. Psal. 1. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum Psal. 31.* & tamen de fœminis etiam est sermo.

Allegorica expositio.

August. explicat locum Pauli in virum, sed allegoricè, deinde aliter.

Tota Ecclesia cum capite Christo format virũ perfectum,

Ex August. vir significat hominem, & sic etiam fœminam.

89 Gelasius vero, id est Pontifex in cit. epistola in fine, ait. Falluntur autem, qui putant illud Apostoli testimonium sibi met suffragari, quo videntur asserere in virilem formam omnes resuscitandos, vbi ait, donec occurramus omnes in vnum virum perfectum. Quid ergo facient, cum rursus idem dicat, despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Et post longum discursum, concludit; cum verò dicitur, donec occurramus omnes in virum perfectum, nec diuersum est, nec diuisum: quoniam quidquid in Ecclesiæ corpore continetur, quæ cum Christo vna caro est sacri lege coniugij etiam ipsius caro modis omnibus in sexu fieri vtraque quod dictum est, siue illic virginem castam, siue huic virum perfectum, vt ita sint in Ecclesia catholica intemerata fide viuentes, & Sancto proposito continentes; licet adhuc possit in infirmitate conditionis humanæ, vt tamen per vnam carnem Ecclesiæ, & Christi, id est coniugis, & viri in ipso quoque virilem accipiat firmitatem, vigoremque perfectum, &c. multa. In quibus habetur, quod omnes fideles, siue viri, siue fœminæ vnum corpus sunt in Christo, & merito omnis Ecclesia in hunc virum perfectum, cuius est vna caro perhibetur occurrere: sic explicit epistola Gelasij. Ergo nihil contra Catholicam thesim.

Gelasius egregie Apostolum explicat,

Fœmina dicitur etiam vir quia vna caro cum eo

Ob. 2. Omnes resurgent conformes filio Dei. Nam ex *Rom. 8. vers. 29. Quos præscijt, & prædestinauit conformes fieri virginis filij sui*. Igitur in morte, & resurrectione.

90 Resp. neg. antec. & probat. Tum, quia non loquitur de sexu, alioquin omnes deberent nasci mares; tum etiam, quia loquitur de prædestinatione ad gratiam, & gloriam; cuius quidem est caput, & exemplar Christus Dominus, qui ex Apostolo ibi dicitur *primogenitus*, id est prædestinatorum caput.

Ad hominẽ soluitur arg.

Ob. 3. ex *Basilio Magno homil. in Psal. 114. In resurrectione, nec mas, nec fœmina erit, sed vna quadam omnibus, ac vniformis vita ratio his, qui suo complacent Domino*.

91 Resp. Basilium se ipsum declarare. Loquitur enim de officijs maris, & fœminæ. Vnum enim erit tunc exercitium, nempe frui Deo. Non verò de sexu, & est conforme dicto Saluatoris *non nubent, neque nubentur*.

Basilius declaratur.

92 Ob. 4. Frustra erit sexuum diuersitas: ergo.

Resp. neg. anteced. Nam erunt ad decorem, & ornatum personarum, quæ in sexu fœmineo Dei seruierunt: & ad confusionem eorum, qui in eo offenderunt. Adde, erit de integritate naturæ, sicut alia membra, & intestina, humores, &c. quæ ad nil aliud inseruient.

*

## ARTICVLVS VII.

### *An quilibet homo resurget idem numero, etiam ratione corporis.*

Scoti mens.

SCOTVS resoluere videtur hoc quæsitum *in 4. distinct. 43. quæst. 3.* vbi quærit incidenter, an per causam naturalem possit aliquid idem numero redire; & generaliter concludit, hoc esse solius diuinæ potestatis, vt redeant omnia corpora humana eadem numero, quæ fuerunt in via, & *in dist. 44. quæst. 1.* docet totum id, quod fuit de veritate naturæ humanæ, debere resurgere. Ideo

Ratio cur hoc dubium proponatur.

93 Adu. Quod licet ex præcedentibus videatur solutum præsens dubium; fuit tamen specialiter discutiendum. Nam concesso, quod debeat homo cum omnibus membris, & partibus, quas prius habuit, resurgere; adhuc tamen, remanet scrupulus, an idem numero. Et quidem, qui tenent in homine vnam tantum esse formam, nempè animam, facilè se extricarent ab hoc dubio, cum eadem anima sit corpus informatura; sed quomodo possit negari forma corporis, ipsi videant, cum SS. PP. adeo laborent, vt probent idem corpus esse resurrecturum, eandem carnem, oculos, neruos, &c. & tamen de eadem materia, & eadem anima, quæ entia sunt incorruptibilia, nullo modo dubitent.

Resurrectio quid.

94 Adu. 2. & recolo definitionem resurrectionis ex *Damasc. lib. 4. fidei cap. 19. Resurrectio est eius, quod cecidit, & dissolutum est surgendo surrectio.* Est ergo de ratione eius, vt qui cecidit surgat. At quia posset identitas saluari in materia, & anima; videndum est, an hæc sufficiant, an aliquid aliud requiratur, vt homo dicatur idem numero in via, & in resurrectione.

Corpus resurget idem numero.

95 Dico ergo 1. Quodlibet corpus humanum resurget idem numero, quod fuit viuum. Est communis *Scoti, vbi supra, D. Thom. in 4. sent. distinct. 43. qu. V. n. art. 2. D. Bonauentura in 4. dist. 43. par. 1. qu. 4.*

96 Prob. 1. ex *Iob 19. In nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* Glossa Interlin. Ver. *Carne mea*, ait, *non in aere, vel alio corpore, sed in eadem carne.* Glossa Ordin. Ver. *Quem visurus*, ait, *Caro nostra post resurrectionem eadem erit, & diuersa; eadem per naturam, diuersa per gloriam.* Et Ver. *Ego ipse*, ait, *Non enim alius moritur alius resurgit, sed idem ipse*, Lyranus. Ver. *Et non alius*, dicit, hoc inquit contra Arist. 1. *de Gener.* qui dicit, ea, quæ corrumpuntur redire non eadem numero, sed specie tantum.

Ex Symbolis

97 Prob. 2. ex Symbolis Apost. Nicæno Constantinopol. & Athanasij; in quibus omnibus habetur carnem esse resurrecturam, id est corpora; & *Athanasius*, dicit, *resurgere habent cum corporibus suis, &c.* ergo idem numero corpus, quod fuit viuum debet resurgere. Consequ. prob. Ex definitione resurrectionis, quæ *est eius, quod cecidit surrectio.* Si ergo non esset futurum idem numero, iam corpus mortuum non surgeret, sed aliud pro eo fieret.

Ex absurdis argum.

Ex Tertull.

98 Prob. 3. Ex *Tertulliano lib. de resurrect. car. cap. 18. Sed nunc proprietas vocabuli vindicanda est suæ sorti; iam quidem eo ipso, quod resurrectio caduca rei est, id est carnis, eadem erit, & in nomine mortui, quia caduca rei est resurrectio, quæ dicitur mortuorum:* ergo idem numero, quod cadit.

Ex Hieron.

99 Prob. 4. ex *S. Hieron. epistol. 61. ad Pammach. cap. 10.* vbi explicans dictum *Iob 19. Circundabor, quando omnis caro videbit saluatare Dei, id est Iesum Deum, tunc & ego videbo Redemptorem, &c. videbo autem in ipsa carne, qua me nunc cruciat, qua nunc pro dolore distillat. Quem visurus sum ego ipse. Is si non in sexu suo resurrecturus est; si non in eisdem membris, quæ iacuere in stercore; si non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos, vbi erit ergo Iob:* ergo idem corpus.

Ex Augusti.

100 Prob. 5. Ex *D. Augusti. in Enchirid. cap. 88. In quemlibet pulueren, cineremue soluatur, in quoslibet halitus, auraſque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur; in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi anima humana in puncto temporis reddit, quæ illam primitus, vt homo fieret, creseeret, viueret, animauit.*

Ex eodem Augusti.

101 Conf. ex eodem *lib. 22. de Ciuitate cap. 20.* vbi discurrens de vulneribus martyrum, ait, *Sed si hoc deerit in illo nouo sæculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne seruantur, vbi membra, vt praciderentur percussa, vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis non perditis apparebunt:* & post aliqua. *Absit autem, vt ad resuscitanda corpora, vitaque reddenda non possit omnipotentia Creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit, vel in puluerem, cineremue collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum:* & post alia. *Et si omnibus periisset modis caro humana, nec vlla eius materies in natura latebris remansisset, vnde vellet, eam repararet omnipotens.* Ergo eadem numero membra, cum ijsdem cicatricibus sunt reparanda, eademque caro, & sic idem corpus.

Ex Gregor. Magno.

102 Prob. 6. Ex *D. Gregorio Magno in lib. 14 Moral. in cap. 30. Iob cap. 33. Si post resurrectionem corpus palpabile non erit profecto, aliud surgit, quam moritur, quod dictu*

*nefas est credere, quia ego morior, & alius resurgat?*

Ex Isidoro Hispal. 103 Prob. 7. Ex *Isidoro Hispalen. de offic. Eccles. lib. 2. cap. 23. Eodem ordine eademque forma, qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoque resurrecturos credamus in eodem corpore, in quo sumus, vel vivimus, non naturam, vel sexum mutantes, sed tantum fragilitatem, vel vitia deponentes.*

Ex Rabano. 104 Prob. 8. Ex *Rabano Mauro lib. 4. de Vniverso cap. 10. Si id resurgere*, dicitur, quod cadit, caro nostra in veritate resurget, sicut in veritate cadit; & non secundum Origenem immutatio corporum erit, id est aliud nouum corpus pro carne; sed eadem caro corruptibilis, tam iustorum, quam iniustorum incorruptibilis resurget, &c.

Ex S. Th. 105 Prob. 9. ex *S. Thoma in 4. sent.* vbi supra, vbi dicit hæreticum est dicere, quod non idem numero resurgat, & in *Compendio Theologia cap. 13. Resumet anima corpus humanum ex carnibus, & ossibus compositum, corpus organicum, ijsdem organis, quibus nunc constitit.*

Ex Iren. 106 Prob. 10. ex *S. Irenæo lib. 2. cap. 62. Omnes quicumque sunt descripti in vitam resurgent, sua corpora, & suas habentes animas, ac suos Spiritus in quibus placuerunt Deo. Qui autem pœna sunt digni abibunt in eam, & ipsi suas habentes animas, & sua corpora, &c.* ergo idem.

Ex Athanas. 107 Prob. 11. ex *S. Athanasio in Vita S. Antonij. Confido in Domino, quia necessariò resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum:* ergo idem.

Ex Gregor. Nis. 108 Prob. 12. ex *S. Gregor. Niss. orat. 3. de resurrect. Propter hunc diem pars corporis, quæ ante mille annos carnivora aues comederunt integra reperitur, &c.* ergo idem.

Ex Concil. Tolet. 109 Prob. 13. ex *Concil. Tolet. 11.* quod in *confessione fidei*, sic habet. *Confitemur veræ fidei resurrectionem omnium mortuorum; nec in aerea vel alia qualibet carne, vt quidam delirant resurrecturos nos credimus, sed in ista qua viuimus consistimus, & mouemur:* ergo idem.

Ex communi sensu PP. 110 Prob. 14. Omnes PP. Ecclesiæ, qui de Resurrectione loquuntur totam vim faciunt in vocabulo *Resurrectio*, quæ est eiusdem qui cæcidit surrectio, & in hoc maximè efferunt Dei omnipotentiam. Si autem idem numero non deberet corpus resurgere; non surgeret, quod cæcidit: nec esset adeo mirandum de resurrectione; cum alia noua corpora de eadem materia essent formanda, quia hoc dictum contingeret; & quod eædem animæ ea noua corpora insornarent, mirum non esset, cum & Pithagoras Phylosofus transmigrationem animarum crediderit. Cum ergo adeo celebretur corporum resurrectio, ideo fit quia eadem quæ cæciderunt surgent, quod ex *Concil. Lateranen. 4. cap. 1.* in fine adducendo mire confirmatur.

Ex absurdis argum. 111 Prob. 15. ex absurdis. Quia repugnat diuinæ iustitiæ, vt vnum numero corpus patiatur, & aliud numero glorificetur: vnum fuerit in delitijs sæculi, & aliud in pœnis inferni; Ergo idem numero corpus inquolibet resurget.

Idem prorsus numero homo, resurget. 112 Dico 2. Idem prorsus numero homo resurget. Est communis eisdem DD. & de fide.

113 Prob. facilè. Identitas totius est ab identitate partium essentialium, sed eadem anima, & idem corpus ex modo dictis erunt in homine: ergo idem homo.

Ex Iob. 114 Prob. 2. ex *est. cap. Iob 19. Quem visurus sum, ego ipse, & non alius.*

Ex constit. Apostol. 115 Prob. 3. ex *Clemente Rom. lib. 5. constitut. Apostol. cap. 6. Ipse enim nos excitabit à mortuis Deus omnipotens; excitabit inquam nos cum cæteris omnibus, quicumque à primordio sæculi mortui sunt tales, qualis modo sumus:* & post multa. *Inaniter calumniantur cum confitemur, qui potuit quod non erat efficere vt esset, posse eumdem post dissolutionem suscitare. Quia compertum, & exploratum hoc habemus ideircò, & verbera, & persecutiones, & mortes substinemus, siquidem frustra illa sufferremus, nisi hæc nobis constarent, quorum præcones esse profitemur:* ergo ijdem homines, qui hæc sufferunt resurgent.

Ex Origene, 116 Prob. 4. ex *Origene lib. 2. de principijs cap. 10.* Quia ergo certum est, quod corporibus nostris vtendum sit, & corpora quæ cæciderunt resurgere prædicantur. Non enim propriè resurgere dicitur, nisi id, quod ante cæciderit; nulli dubium est idcircò ea resurgere, vt his iterum ex resurrectione induamur: & post aliqua subdit. Et si necesse est nos esse in corporibus, non in alijs, quam in nostris corporibus esse debemus, &c. hæc Origenes: ergo idem prorsus homo resurget.

Ex Chrysost. 117 Prob. 5. Ex *Chrysostomo homil. 1. de Resurrect. Homo non constat ex anima sola, sed ex anima, & corpore. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, & ita non integrum, sed & de anima non propriè dicitur resurrectio. Resurrectio enim est eius, quod cæcidit, & quod dissolutum est. Anima autem non dissoluitur, sed corpus, &c.* Ergo idem erit homo, nedum secundum animam, sed secundum corpus, quod fuerat corruptum.

Ex Cyprian. 118 Prob. ex *S. Cypriano lib. de Cardin. Christi operib. serm. de Christi resurrectione*, inter alia sic habente. *Resurrectio quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare, & impios, Dei hoc dictante iustitia, vt pietas, & impietas in operatoribus debitis stipendijs donarentur, & qui finem habere contempserunt in malis, infinita cruciarentur vltione in pœnis; & qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes, beati fierent perennitatis participes.* Ergo ijdem numero homines, qui pro Christo passi sunt cum eo regnabunt, & ijdem, qui eum contempserunt, cruciabuntur.

Prob.

Ambros. 119 Prob. ex *S. Ambrosio orat. de fide resurrect.* inter alia id docente. *Hæc est enim resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur, vt quod cecidit hoc resurgat; quod mortuum fuerit reuiuiscat. Et hæc est series, & causa iustitia, vt quoniam corporis animique communis est actus, quæ animus cogitauit corpus efficit; vtrumque ad iudicium veniat, vtrumque aut pœna dedatur, aut gloria reseruetur.* Ergo idem qui bene, vel malè operatus est resurget.

At fortasse grauc. 120 Posset probari innumeris Patrum authoritatibus, sed adductæ, tam in hac, quam in prima conclusione, sufficiant. Præcipuum enim fundamentum est, natura ipsa resurrectionis, quæ est corrupti, seu lapsi, surrectio. Ergo, si vnus cecidit, alius verò surgit, non est surrectio verò, & in rigore, sed noua aliqua productio. Et sic falsa esset Pauli doctrina, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Imò nullus resurgeret ex mortuis, sed alij apparerent, & omnes immutati.

Arg. contr. 1. Ob. contra 1. Corporis forma resoluitur in non ens: ergo non potest redire eadem numero. Consequ. prob. Ex S. Phil. sanitas interrupta non redit eadem numero.

Solus Deus quod à resuscitare. 121 Resp. neg. consequ. ad probat. iam dixi in superioribus *disp. 3.* id esse verum de virtute creata. Deus autem, sicut ex nihilo facit aliquid, ita potest ex eodem nihilo reficere. Secundo quia, sicut ex materia, virtute agentis naturalis facta est forma illa corporis, ita ex eadem numero materia potest virtute diuina eadem refici. Et ideo SS. Patres semper recurrunt ad Dei omnipotentiam in hoc puncto præsertim *Augustinus in Enchiridio cap. 88. & 89. lib. 22. de Ciuit. cap. 14. 15. 16. 17. & seqq.*

Ob. 2. Multæ partes corporis deficient corpori resurgenti: ergo. Consequ. prob. Identitas totius integralis oritur ex identitate partium. Anteced. prob. Non omnes partes, quæ fuerunt in hominibus resurgent; alioquin immensæ essent quantitatis.

Partes integrantes resurgent, non aliæ superfluæ. Paritas integritatis hominis in vita hoc, & in resurrectione. 122 Resp. distin. anteced. Multæ partes materiales, & non pertinentes ad integritatem deficient, concedo, multæ formales, & pertinentes, nego. & nego consequ. in præcedenti enim Disputatione dictum est, non omnes partes, quæ aliquando fuerunt in homine, surrecturas, quia partes illæ, quæ per nutritionem quotidie acquiruntur, & deperduntur non omnes pertinent ad integritatem in fine vitæ: ergo neque in resurrectione. Et sicut homo, licet in fine vitæ multas partes perdiderit, multasque è contra acquisierit, & perditas non habeat, tamen non proinde dicitur non esse idem homo, qui fuit in iuuentute: ita, licet non habeat in resurrectione eas omnes materiales, quæ fluxerunt toto vitæ processu, non proinde negabitur esse idem numero; quia sufficit si ex eis partibus, quæ olim sibi insuerunt tot insint, quot sufficiunt ad integrandum hominem; quæ autem, qualesuè adesse debeant, ex ijs, quæ insuerunt iam dixi in *disp. praced. art. 5.* nempe eas, quæ ab initio conceptionis, & successiuè vsque ad terminum augumenti in homine puriores extiterunt.

Ob. 3. Multæ partes corporis transierunt in substantiam aliorum animalium, & forte hominum. Ergo non poterunt redire cum vtroque homine, igitur non idem numero homo, vel primus, vel secundus.

Quid si eadem caro fuit de veritate duorum hominum. 123 Resp. ex dictis, vbi supra *art. 5. § 3.* neg. consequ. ad probat. dico, quod caro illa, quæ fuit de veritate duorum hominum, si pertinet ad integritatem primi redibit cum primo. Secundus autem adhuc idem numero erit, quia alias partes Deus supplebit, si illæ, quæ fluxerunt in hoc secundo, reparatæ non sufficerent.

Ob. 4. Non potest redire eadem vnio numero: ergo neque idem corpus. Anteced. prob. Vnio esset interrupta; ergo non eadem, sed iterata rediret, iteratio autem facit pluralitatem, non identitatem.

Eadem vnio redibit. 124 Resp. ex *Scoto dist. 43. quæst. 5. in solut. argum. 1.* neg. antec. & probat. nam interruptum potest redire idem, sic & eadem vnio. Ita de relatione maternitatis Mariæ respectu humanitatis Christi, docet, quod licet in morte Christi ex defectu termini deperdita sit, & in morte Mariæ ex defectu fundamenti. Tum Christo resurgente eadem redijt maternitas, sicut & ipsa matre resurgente, & in cælum assumpta. Ita de vnione formæ corporis ad materiam, & animæ ad corpus dicendum est; nulla enim est repugnantia, quin eadem redeat.

Relatio maternitatis Christi in Virgine eadem redijt.

Ob. 5. Ex Arist. *lib. 2. de gener.* in fine, quæ habent speciem corruptibilem motam, non redeunt eadem numero. Talia sunt corpora humana, hæc enim corrumpuntur: ergo.

Arist. loquitur de virtute naturæ cum dicit corrupta redire eadem specie non numero. 125 Resp. dist. ma. loquendo de virtute naturali, concedo, de supernaturali, nego. Arist. enim loquitur ibi de motu cæli comparatiuè ad motus generationis, & corruptionis rerum dicens, quod istæ non redeunt eædem numero, sed specie; si enim ex igne fiat aer, & rursus de aere, per varias mutationes fiat ignis, estò adsit eadem numero materia, quæ fuit in primo igne, non tamen eadem numero forma. Secus in motu circulari cæli; hoc enim idem numero reddit, quia non corrumpitur per motum circularem. At in nostro casu, non agens naturale, sed supernaturale reparabit perditam formam. Ideo nihil contra nos.

Ob. 6. Si statua ex eodem ære liquato, iterum reficiatur, non est eadem numero. Ergo multò minus corpus reparatum. Consequ. prob. Quia in ære fuso adest materia, & forma æris totalis, non sic in corpore reformando.

Duplex resp. de statua liquata, & reparata. 126 Resp. 1. neg. anteced. Nam *S. Augustin. in Enchiridio cap. 89.* hoc prorsus exemplo statuæ fusilis vtitur ad concludendam

hominis integritatem, & identitatem in resurrectione.

Resp. 2. neg. consequ. Nam in reformatione statuæ cereæ, multum adest de casu, & contingentia; partes enim fluxiles ita miscentur, vt videatur, ne dum difficile, verum, & impossibile, vt reddeant ad proprium locum, in quo prius erant, vt quæ ex capite statuæ fluxit, & cum alijs mixta est, non redibit ad eundem locum. Secus est de corpore à Deo reformato. Potest enim quamlibet proprio loco aptare.

Arg. Augusti. qui vtitur exemplo statuæ.

Instabis *S. Augustinus in Enchiridio cap. 89.* Vtens exemplo statuæ liquatæ, vel commixtæ, *Si vellet*, inquit, *artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, qua particula materiæ cui membro redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restitutæ resumeret, ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex de toto quo caro nostra constiterat, ea mirabili, & ineffabili celeritate restituet, Nec aliquid attinebit ad eius reintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis revocetur.* Ergo si statua reformata non dicitur eadem numero ob diuersam partium locationem, multò minus corpus humanum, in quo, non solum hæc diuersitas reperietur, sed & alia nempè partium in alias partes commutatio.

Responsio 1. quod arg. est ad oppositū.

127 Resp. in primis hoc argumentum, vt supra innui esse ad oppositum, quia *Augustinus* non obstante partium locatione diuersa in statua, dicit, eandem esse statuam. Ergo idem esset dicendum de corporis identitate. Sed

Resp. 2. ex hypothesi loquitur Aug.

128 Resp. 2. Dato, quod ita faceret Deus, ex hypothesi *Augustini*, quod scilicet non restitueret carnem loco carnis, & vnguem loco vnguis; vel non restitueret partem carnis in parte corporis, vbi erat prius; adhuc non impeditur identitas numerica: nam hæc habetur ab identitate carnis, ossium, neruorum, &c. quæ prius aderant, non ab illa situatione earumdem partium homogenearum in eodem loco, in quo prius erant. At ego puto easdem partes homogeneas formæ, ac materiæ eiusdem locis reddendas. Et tandem si diuersitas aliqua situs aderit, hæc erit merè materialis, non diuersificans identitatem substantialem corporis, & multo minus hominis, qui ab anima specificatur.

Partes redibunt ad eadem priora loca.

Alia resp. ex Hieron.

129 Adde, quod eleganter docet *Hier. in epist. 27. ad Eustochium. Aetatum diuersitas non mutat corporum veritatem, cum enim corpora nostra quotidie fluant, aut crescant, aut decrescant, ergo tot erimus homines quot quotidie commutamur, aut alius fui cum decem annorum essem, alius cum triginta, alius cum quinquaginta, alius cum iam toto cano capite sum.* Igitur varietas illa materialis partium, non variat numericam vnitatem essentialem corporis, nec hominis.

Ob. contra 2. Neque ex Scriptura, neque ex Concilijs concludi potest vnitas numerica resurgentium. Ergo cum ex alia parte non possit saluari, neque sit necessaria, non est astruenda.

Ex Script. & Concilijs, ac PP. fuit probata idē. titas corporis numerica

130 Resp. neg. anteced. Patuit enim ex Iob, quod ipsemet qui tunc vlceratus viuebat est resurrecturus. Patet etiam ex *Concil. Later. 4 cap. 1.* & est *in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, &c. Venturus in fine saeculi iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant.* Ergo eadem numero corpora, quæ nos habemus hic, resurgent in vniuersali resurrectione. Ideoque conclusio hæc de identitate numerica corporum de fide est.

## ARTICVLVS VIII.

### *In qua ætate mortui resurgent.*

Scoti mens

SCOTVS *in 4. sent. dist. 44. §. De secundo M.* docet cum sententia Ecclesiæ communi, *quemlibet esse resurrecturum in tanta densitate, & magnitudine, quanta futurus esset in fine triginta annorum si vixisset, quia tanta quantitatis ponitur quodlibet reformandum in resurrectione.* Ideo

Duplex art. sensus notandus,

131 Adu. Quæsitum hoc duplicem habere sensum. Primus est, quænam erit ætas cuiuslibet resurgentis. Secundus est, quænam erit constitutio corporis cuiuslibet resurgentis, an talis, vt eamdem ætatem videatur in omnibus demonstrare. Et profectò hic est sensus exagitandus. Nam, qui bimus mortuus est, non habebit ætatem Matusalem, & ita de alijs: ingenita enim facere, quæ facta sunt, nemo potest, ne Deus quidem, est axioma commune, sed ex Agathone Phylosofo acceptum, & sic, quod bimus nō fit mortuus bimus, & centenarius non decesserit talis, Deus non potest facere. At, quod centenarius reformetur in carne, & constitutione corporis florente, in eo scilicet statu, in quo erat cum triginta annos haberet, & quod bimus reficiatur in ea corporis forma, & constitutione, quam habuisset, si peruenisset ad ætatem 33. annorum, potest pariter Deus facere. Id ergò quæritur, in qua corporis constitutione, seu habitudine homines resurgent.

Status art. declaratur.

De omnibus etiam reprobis mouetur quæstio.

132 Adu. 2. Dubium esse, ne dum de electis, sed etiam de reprobis, an eodem modo, & in perfectione ætatis 33. annorum, etiam ipsi resurgent:

Ætas virilis.

133 Adu. 3. Ætatem virilem ex *Augustino lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 15.* Esse ætatem 30. annorum. *Circa triginta quippe annos, diffiniuerunt esse etiam saeculi huius doctissimi ho-*

*homines iuuentutem, quæ cum fuerit spatio præfinito terminata, inde iam hominem in detrimenta vergere grauioris, ac senilis ætatis*. Hoc autem dicit *Augustinus*, quia diuersimode fuit humana ætas diuisa; sed Varro Iuuentutem ab anno 30. incipere docet, & vsque ad 45. protrahi. Iuuentutem autem ætatem florentem, & fortem dicit *S. Greg. lib. 11. moral. cap. 25.* Ipse tamen *August.* non damnat sententiam contrariam in *cap. 16.* vbi supra.

Ex Script. & Concilio, ac PP. sua probata identitas corporis numerici

Omnes mortui resurgét cum constitutione corporis anno. rum 33.

134 Dico ergo. Omnes mortui resurgent cum constitutione, seu habitudine corporis annorum 30. seu 33. est communis *Scoti vbi supra*. *D. Th. in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 2. D. Bonau. in 4. dist. 44. par. 1. in dub. litter. L. Riccardus*, & omnes Sententiarij ex *Magist. in dist. 44.*

135 Prob. 1. ex *Magistr. Sent. in 4. dist. 44.* Omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit, cuiuscunque ætatis mortui fuerint. Et ideo *Apostol. Ephes. 4.* Virum posuit, non vt distingueret sexum, sed vt significaret perfectionem virium, quam tunc habebunt.

Ex Apost.

136 Prob. 2. ex *Ephes. 4.* vbi Paulus loquitur de dispositione, & progressu Ecclesiæ, vsque ad finem sæculi, & sic habet, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Vbi Glossa Interlin. ait. *Non sexu, sed perfectione virtutis*. Gloss. Ord. Ver. *In virum*, ait, *vt vnusquisque sit vir perfectus, & habens eandem ætatem, quæ est mensura, & mera ætatis vltra quam non accrescit aliquid naturaliter homini, in qua ætate Christus habuit plenitudinem annorum, & corporis, in qua de hoc mundo transiuit. Omnes enim in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit cuiuscunque ætatis mortui fuerint*. Et post pauca. Ver. *In mensuram ætatis*, ait, *ex Augustino. Non in mensuram corporis, vel staturæ. Ætas verò illa erit ad quam peruenit Christus, id est iuuenilis circa 30. annor.* Lyranus vero ibid. Ver. *In mensuram ætatis*, dicit, *omnes enim resurgent in ætate triginta trium annorum quæ est ætas plena, & perfecta, & in qua Christus passus fuit*.

Scoti sen

Duplex vir. sensus nou. dus,

137 Prob. 3. ex *Augustino lib. 22. de Ciuit. cap. 15.* Declarante prætatum Pauli locum in duplici sensu, nempe mystico, & litterali, pro secundo, ait. *Si hoc de resurrectione corporis dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum, sed in ea ætate, & robore vsque ad quam Christum hic peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos definiuntur esse, etiam sæculi huius doctissimi homines iuuentutem*: ergo.

Status ætatis declarat.

Ex August.

138 Prob. 4. Ex *Hieronymo in Epist. 27. ad Eustochium*, sic habente. *Iuxta Ecclesiarum traditiones, & Apostolum Paulum illud respondendum est, quod in virum perfectum, & in mensuram ætatis plenitudinis Christi resurrecturi sumus, in qua, & Adam Iudæi conditum autumant, & Dominum Saluatorem legimus surrexisse*. Ex quibus habetur, quod tempore Hieronymi erat etiam traditio Ecclesiæ, quod in hac ætate debent omnes resurgere.

Hieron.

De omnib. etiam bis mere qualitas

139 Prob. 5. Ex *S. Bonau. in Breuiloquio tract. 7. cap. 5. Omnes resurgent integro corpore, & plena ætate, & mensura membrorum.*

Ex Bonau.

140 Prob. 6. ex *d. D. Th. in sequent. concl.* adducendas.

Ex D. Tho.

141 Prob. 7. ex *Hieremia Constantinopolitano Respons. 1. cap. 1.* Resuscitabit vniuersam nostram naturam, ita vt animæ priscinis cum quibus vixerant, coadunentur corporibus vna ætate, & statura, vt præmia persolnantur vitæ actæ, &c.

142 Dico 2. Etiam pueri, & alij omnes qui ad ætatem iuuenilem non peruenium, cũ constitutione, seu habitudine, ac perfectione ætatis iuuenilis, ficut cæteri debent resurgere.

Illi etiã hac resurgent, qui ad ætatẽ iuuenilem non peruenerunt,

143 Prob. 1. Apostolus in loco citato indifferenter loquitur de omnibus dicens, *donec occurramus omnes*. Eodem modo loquuntur Glossæ; & Patres supra citati: ergo.

144 Prob 2. Specialiter ex *August. lib. 22. de Ciuit. cap. 14. Quid de infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro, atque cito vltimo recepturi. In sententia quippe Domini, vbi ait capillus capitis vestri non peribit, dictum est non defuturum esse, quod fuit, non autem negatum est affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas suæ corporis, &c.*

August.

145 Prob 3. ex *Beda lib. .. in Ioh. cap. 3. Si conceptus morimur in vtero, necesse est, quia viuunt, resurgere. Et ita, quod in membris, fœtus natura, minus dederit, hoc in resurrectione in integrum reparabitur.*

Beda.

146 Prob. 4. ex *Hieron. in Epist. ad Pammach. cap. 11.* vbi inter cætera habet. *Mirari si de infantibus, & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat, cum de limo terræ absq; vllis ætatum incrementis consummatus homo factus sit*,

Ex Hieron.

147 Prob. 5. Ex *Magistro Sententiarum, dist. 44.* Omnes in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est, & resurrexit, cuiuscumque ætatis mortui fuerint.

Mag. Sent.

148 Prob. 6. Ex *Diuo Thoma in exposit. Symboli Apostol. cap. 14.* Omnes resurgent in ætate perfecta, id est triginta trium, vel duorum annorum. Culus ratio est, quia, qui nondum peruenerunt ad hoc, non habent ætatem perfectam, & senes iam hanc amiserunt, & ideo iuuenibus, & pueris additur, quod deest; senibus verò restituitur ex *Eph. 4. Donec occurramus omnes*, hæc *D. Th.*

Ex D. Th.

149 Prob. ex *S. Bonau. in Breuiloq. tract. 7. cap. 5.* supra relato.

D. Bonau.

150 Dico vlt. Non solum electi, sed etiam reprobi resurgent in habitudine, seu constitutione ætatis annorum 30. vel 33.

Etiã reprobi in illa ætate 33. annorum resurgent.

Prob. 1.

151 Prob.1. Apostolus *Ephes.* 4. & Glossa ibi loquuntur indifferenter de omnibus, non distinguentes in hoc reprobos ab electis, *donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Et sicut ex eo, quod 1. *Cor.* 15. dicit, *omnes resurgemus* euidenter concluditur, quod tam electi quam reprobi resurgent, ita cum dicit, donec omnes occurramus in virum perfectum, concludendum est, omnes includere.

Indifferēter loquuntur omnes, tam Paulus, quam PP.

152 Prob. 2. SS. Patres omnes adducti in præced. conclus. indiscriminatim omnes comprehendunt, & in ætate non secernunt electos à reprobis, sed in deformitatibus, vt dicetur postea, quod scilicet absque vlla deformitate electi resurgent, reprobi verò cum suis deformitatibus.

153 Prob. 3. ex *Magistro Sentent. dist.* 44. vbi tria docet, & quod omnes in eadem ætate resurgent, quicumque isti sint, & quod non omnes in eadem statura. Et tandem, quod electi, absque vlla deformitate, reprobi verò cum suis deformitatibus: ergo, quo ad ætatem est certum, omnes futuros eiusdem ætatis, seu constitutionis ætatis 33. annorum circiter.

Mag. Sent.

## ARTICVLVS IX.

### *An omnes mortui in eadem statura resurgent.*

Scotus de hoc non loquitur explicitè, sed implicitè.

SCOTVS de statura non loquitur, sed docet solummodo omnes in debita quantitate esse resurrecturos, ad quā peruenissent in ætate triginta annorum, ita in 4. *distinct.* 44. *quæst.* 1. §. *De secundo M.*

154 Adu. Sensum clarum esse, an omnes erunt staturæ septem palmorum vlnæ v. gr. etiam si gigantes erant in vita, vel si pigmei aut infantes vix concepti mortui sunt, an eiusdem staturæ erunt.

Non omnes erunt eiusdē staturæ, nec etiam electi

155 Dico ergo. Resurgentes, siue electi, siue reprobi non omnes erunt eiusdem staturæ, sed alij alijs grandiores, hoc ordine seruato, vt qui iuuenes, vel senes cum proportionata statura decesserunt, in ea resurgant, qui verò paruuli, vel senes cum parua, vel deformi, resurgant, cum debita, & decenti. Secus autem de reprobis adultis dicendum. Prima pars est communis *Scoto*, vbi supra, *D. Bonau. in* 4. *dist.* 44. *p.* 1. *in dub. litter. D. Th. in* 4. *dist.* 44. *q.* 1. *art.* 2. & omnes, cum *Mag. Sent. dist.* 44.

Glossa clare id docet.

156 Prob. prima pars ex Glossa in *cap.* 4. *ad Ephesios*, in illa verba, *donec occurramus*, in Verbo enim. *In mensuram ætatis*, ita habet, *non ait mensuram corporis, vel staturæ, quia vnusquisque recipiet suam mensuram, quam habuit in iuuentute etiam si senex obijt, vel fuerat habiturus si ante est defunctus. Non est autem fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo, quam non habuit, nec maiora corpora redigenda sunt ad modum dominici corporis, periret enim multum de eis, cum neque capillus periturus sit. Nihil enim detractum de corpore humano, quodlibet modo periturum est, ita enim modificabitur illa in vno quoque materies, vt aliquid ex eo non pereat, & quod alicui defuerit, ille suppleat, qui de nihilo fecit, quod voluit, etsi quid in parte aliqua enormiter abundauit, per totum spargetur. Indecorum quippe nihil ibi erit, sed quidquid futurum est hoc decebit. Resurgent igitur corpora mortuorum, sine deformitate.* Hæc Glossa, sed ex *Augustino* accepta sunt in *Enchirid. cap.* 90.

157 Prob. 2. ex eodem *Augustino lib.* 22. *de Ciuit. Dei cap.* 14. vbi loquens de infantibus, ait, *non negauit* Saluator *affuturum esse, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis.* Et post aliqua docens, quod omnes habent in semine quantitatem ad quam debent peruenire si viuunt, sicut habent dentes, & alia, ait. *In qua ratione vnuscuiusque materia indita corporali, iam quodammodo, vt ita dicam innatum esse videtur, quod non dum est, imò quod latet. Sed accessu temporis erit, vel potius apparebit: in hoc ergo infans, iam breuis, aut longus est, qui breuis longusue futurus est. Secundum hanc rationem profecto in resurrectione corporis, detrimenta corporis non timemus, quia & si æqualitas futura esset omnium, ita vt omnes vsque ad gigantas magnitudinem peruenirent, nec illi, qui maximè fuerunt minus haberent, aliquid in statura, quod illis contra sententiam Christi periret, creatori vtique qui creauit cuncta ex nihilo, quomodo deesse posset vnde adderet, quod addendum esse minus artifex nosset.* Hæc *Augustinus*.

Ex Augustino diffuse.

158 Conf. ex *eod. ibid. cap.* 15. vbi docens, omnes in habitudine corporis eadem, esse resurrecturos conformes plenitudini ætatis Christi, ait. *Restat, vt suum quisque recipiat mensuram, quam habuit, vel fuerat habiturus, si defunctus est,* & obseruans verbum Apostoli. *In mensuram ætatis, &c.* ait, *ideo non esse dictum in mensuram corporis, vel staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Et *cap.* 16. declarans, quomodo resurgentes debeant Christo conformari ex *Rom.* 8. ait, *sicut illa mensura, ita, & ista conformatio non quantitatis intelligenda est, sed ætatis. Resurgent itaque omnes, tam magni corpore, quam vel erant, vel futuri erant in iuuenili ætate, quamuis nihil obesset etiam si esset infantilis, vel senilis corporis forma.*

Ex eodem Aliud arg.

159 Conf. 2. ex *eod. ibid. cap.* 20. *in fine*. *Quibus omnibus consideratis hæc summa perficitur, vt in resurrectione carnis in æternum eas mensuras habeat corporum magnitudo, quas habebat perfecturas, siue perfectæ vnicuique indita corpori ratio iuuentutis in membrorum, quoque omnium modulis congruo decore seruato. Quod decus, vt seruetur si aliquid dempsum fuerit indecenti alicui granditati in parte ali-*

Ex eodem Aug. 3. arg.

qua

*qua constituta, quod per totum spargatur, vt neque id pereat, & congruentia partium vbique teneatur, non est absurdum, vt aliquid inde etiam statuæ corporis addi posse credamus; &c.*

Idem, 4. 160 Conf. 3. ex *eod. in Enchir. cap. 90.* vbi post allata supra ex Glossa, sic dicit S. Doctor, si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas inerit, sicut est vocum, quibus cantus impletur, hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod & hominem reddat æqualem angelicis cætibus, & nihil inconueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est hoc decebit, quia, nec futurum est, si non decebit, ergo non omnes in eadem.

## ARTICVLVS X.

### *An omnes partes corporis redibunt ad sua loca.*

Sacri mens. *SCOTVS in 4. dist. 44. qu. 1.* in calce, docet, *quod partes homogeneæ sufficientis ad quantitatem toti debitam resurgent in illa parte organica, &c.* Hæc *Scotus*. Ideo

Sensus art. qui, & valde notandus. 161 Ad. Quæstionem non esse de partibus heterogeneis; an scilicet auris, nasus, manus, pes, &c. resurgent in eisdem partibus corporis, in quibus prius fuerant, quia hoc supponimus certum, alias monstruosa fierent corpora. Sed est quæstio de partibus homogeneis, v.g. an eædem partes ossis, quæ fuerunt in cranio redibunt, in eodem cranio, & ita de alijs, an sufficiat, si eædem formæ ossium redeant, & quæ prius fuerant in materia cranij sint in materia tibiæ, & ita de partibus nerueis, carneis, &c.

SS. PP. comparant resurrectionem corporis statuæ liquatæ, & restitutæ. 162 Adu. 2. A SS. DD. & præsertim *Augustino*, & *Beda*, alijsq; mox adducendis, reformationem corporis humani in resurrectione comparari statuæ liquefactæ, deinde nouiter reformatæ; & proinde ipsi saluant identitatem corporis per identitatem formæ, & materiæ, parum curantes, an eædem partes formæ redeant ad eumdem locum, in quo prius erant; ac proinde oritur dubium, an ad sua primæua loca singulæ partes homogeneæ sint reddituræ. Vnde

Licet saluaretur identitas tamen probabilius est quod ad easdem partes redeant, 163 Dico. Licet saluaretur identitas, & perfectio corporis humani, etiam si partes homogeneæ non redirent ad easdem partes organicas; in quibus olim fuerunt: tamen videtur probabilissimum, quod ad eas redibunt.

164 Prob. prima pars ex *D. August. in Enchirid. cap. 89. Terrena materies quæ discedente anima fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias rerum species, formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde lapsa sunt ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit*, nota, quod dicit non esse necessarium, vt redeant ad easdem; non tamen negat hoc esse futurum. Et post aliqua subdit. *Sed sicut si statua metalli igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materia quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem, qua particula materiæ cui membro statuæ redderetur. Dum tamen totum ex quo statua constituta erat, restituta resumeret. Ita Deus mirabiliter, atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat eam mirabili, & ineffabili celeritate restituet, nec aliquid attinebit ad eius reintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, &c.*

Augustin. saluat identitatem, etiã si partes non redeant ad eumdem prorsus locum.

165 Conf. ex *eodem lib. 22. de Ciuit. cap. 19.* Si de limo vas fieret, quod rursus in eumdem limum redactum, totum de toto iterum fieret, non esset necesse, vt illa pars limi, quæ in ansa fuerat: ad ansam rediret, aut, quæ fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum, dum tamen totum reuerteretur in totum, id est totus ille limus in totum vas, nulla sui perdita parte reuearet: & post aliqua. Quia in eamdem carnem, vt quemcumque ibi locum corporis teneant seruata partium congruentia materiæ mutabilitate vertentur. Idem alibi.

166 Prob. 2. ex *Beda in cap. 12. Lucæ* ad verba illa, *Capilli capitis vestri numerati sunt*, vbi replicat totam doctrinam *August.* acceptam ex *Enchirid.* & à nobis iam allatam. Ex Beda.

167 Prob. 3. ex *Eucherio Lugdun. in Natal. plur. mart. Hom. 2.* Qui doctrinam *August.* refricat paucis mutatis, sed vasis similitudine vtitur, ait enim. *Sicut in vasis aureis, & argenteis eum iterum conflantur, materia quidem tota seruatur partium tamen positio non eadem seruatur, vt quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat hoc in eisdem subsequentibus partibus fiat, ita, & in homine substantia tota resurgit, tota tamen in eisdem partibus necessario non resurget*, vbi nota, quod eadem *Augustini* phrasi vtitur, *necessario non resurget*. Eucherio.

168 Prob. secunda pars 1. Ita est Deo facile restituere membra, & eorum formas, ac partes omnes suis locis, sicut, & totum hominem, imò facilius est situationem illam partium seruare, cum sit quid accidentale, reformare autem illas, quid essentiale: ergo. Secundo, si hoc pro dubio relinquatur, orietur Philosofo scrupulus, quod Deus non cognoscat antiquum ordinem partium, vt eumdem seruet, quod est hæreticum. Tertio, dicemus in Disputat. sequenti cum *Augustin. lib. 22. de Ciuit. cap. 20.* Quod sanctorum martyrum corpora cum cicatricibus apparebũt, & hoc in gloriam. Et è contra reproborum corpora in ignominiam. Cicatrices autem in partibus determinatis corporis sunt. Ergo illæ

2. pars: Probabilior, quod redibunt ad eadem loca.

Absurdum:

go illæ partes; quibus fuerunt olim cicatrices impressæ, in suis locis reponentur, si autem istæ: ergo & aliæ.

Ex constitut. Apost. 169 Prob.2. ex *lib.5. Constit. Apost. cap.6.* vbi inter alia habetur. *Excitabit nos cum cæteris omnibus, quicunque à primordio sæculi mortui sunt, tales quales modo sumus, & in eadem forma, qua nunc consistimus, ita vt nihil mutilum, aut mancum habeamus, aut corruptum, &c.* Ergo omnes partes corporis in proprijs pristinis locis erunt.

Ex Rufino, 170 Prob.3. ex *Rufino Aquileien. in Apolog. pro fide sua. Carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè, & perfectè futuram.* Ergo partes cum priori ordine resurgent.

171 Conf. ex *eod. in expositione Symboli*, vbi multa differens de resurrectione, ait, *reparat illam speciem, quam mors aliquando dissoluerat:* ergo.

# DISPVTATIO VII.

## DE QVALITATIBVS NOVIS OMNIVM CORPORVM RESVRGENTIVM.

### ARTICVLVS I.

*An omnia corpora resurgent incorruptibilia, & immortalia.*

Scoti mens. SCOTVS sub his terminis quæsitum non exagitat, sed supponit omnium corpora, tam electorum, quam reproborum fore incorruptibilia, & in æternum duratura. De primis *in dist. 49. quæst. 13.* vbi docet, corpora beatorum, nedum incorruptibilia esse, sed impassibilia. De secundis loquitur *in 4. dist. 44. quæst. 3. & in dist. 46. quæst. 4.* vbi de æterna pœna damnatorum, quos incorruptibiles, sed passibiles, docet.

Sensus art. 1 Adu. Hic nos agere de qualitatibus communibus omni resurgenti; in proprijs postea locis acturi singillatim de qualitatibus proprijs electorum; quæ quidem dotes eorum dicuntur; & de qualitatibus corporum reproborum. Omnium autem primo loquemur de incorruptibilitate; deinde de specie incorruptibilitatis, & postea de spiritalitate. Hoc stante.

Omnia corpora resurgent incorrupta, 2 Dico. Omnia humana corpora resurgent incorrupta, id est integra, & incorruptibilia. Est communis de fide.

3 Prob. 1. pars. Ex 1. Cor. 15. *vers. 52. canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.* Glossa Interlin. ait, id est *sine diminutione membrorum*, idem docet Lyranus ibid. & nos in *disput. de causa materiali*, abunde probauimus, hominem integrum secundum omnes partes fore resurrecturum, & infra confirmabitur.

Resurgent etiam incorruptibilia, 4 Prob.2. pars ex citato loco *ver. 42. Seminatur corpus in corruptione surget in corruptione.* Interlin. ait, *omnes communiter incorrupti resurgent.* Idem Glossa Ord. & Lyrani. & *versu* 53. textus, ait, *oportet enim corruptibile hoc induere in corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Interlin. ait, *vt iam vltra non moriatur, aut dissoluatur.* Glossa Ord. ait, non erit corruptio, & mortalitas, & hoc non ad tempus tantum. Lyranus ait, oportet naturam humanam resurgere incorruptibilem, & hoc erit omnibus commune.

5 Conf. ex *Concil. Toletano 6. cap. 1.* id definiente, scilicet corpus fore incorruptibile, & ex *lib. 4. const. Apost. cap. 6.*

Ex capite æternitatis. 6 Prob.2. Corpora omnia resurgent, vel ad præmium æternum, vel ad pœnam æternam: ergo debent resurgere incorruptibilia alias non possent sempiternè durare. Vnde autem orietur incorruptibilitas hæc, an ex sola extrinseca Dei conseruatione, an vero ex intrinseca aliqua qualitate, vel ex impedimento agentis contrarij, dicetur postea.

S. Ephrem; 7 Prob.3. ex *S. Ephrem ser. de resur. Namque diuina voluntatis imperio incorruptionem imitantur omnes, corpusque incorruptum recipient singuli:* ergo.

Chrysost. 8 Prob. 4. ex *S. Ioanne Chrysostomo homil. 1. de Resurr. Etenim peccatorum, quoque corpora incorruptibilia resurgunt, & immortalia, sed hic honor, fomentum, & viaticum ipsis erunt supplitiorum, & vltionis incorruptibilia enim resurgunt, vt semper vrantur, nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ & ipsa numquam consumantur.*

Ambros. 9 Prob.5. ex *S. Ambrosio in Epist. 1. ad Cor. cap. 15. Quamuis ergo generalem tribuerit resurrectionem, vt sicut in Adam omnes, siue iusti, siue iniusti moriuntur, ita & in Christo omnes, tam credentes, quam diffidentes resurgant, licet ad pœnam; increduli tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine.*

Ex eodem. 10 Conf. ex eodem *erat. de fide Resurr.* Et mortale hoc oportet induere immortalitatem, & incorrupt. hoc incorrupt. Flos resurrectionis immortalitas est. Flos resurrectionis incorruptio est. Hæc *Ambr.*

Aug. 11 Prob.6. ex *S. Augustin.* qui de vtrisque electis, scilicet, & reprobis duobus in locis, loquitur distinctè, de reprobis in *Enchirid. cap. 92.* & sic ait, *Nec te moueat quomodo in eis erit corpus incorruptibile si dolere poterit, aut*

quo-

*quomodo corruptibile, semori non poterit. Non est enim vera vita, nisi vbi felicitèr viuitur, nec vera incorruptio, nisi vbi salus nullo dolore corrumpitur. Vbi autem infelix mors non finitur, vt ita dicam mori ipsa non moritur; & vbi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corruptio non finitur. Hæc in sanctis scripturis (Apoc. 20.) dicitur mors secunda.* De eisdem reprobis loquitur in *lib. 21. de Ciuit. cap. 3. Quis enim eorum crederet, si quemadmodum dicimus futura hominum viua corpora, quæ semper arsura, atque dolitura, nec tamen aliquando moritura sunt, &c.* loquitur de gentilibus, qui miracula non credunt; idem docet in *lib. 14. de Trinit. cap. vlt. de pecc. mer. lib. 1. cap. 5. & 6.* de electis vero loquitur in *Enchirid. cap. 91. Resurgent igitur Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione. & libro 22. de Ciuitate cap. 20. in fine: Aberit omnis deformitas omnisque corruptio, &c.* idem docet in *lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 19. & 24.*

De reprobis loquitur.

De electis etiam hic.

Resurgent etiam incorruptibilia.

22 Prob. 7. Ex *Bucherio lib. 1. in Gen. cap 12.* Illud corpus, quod in resurrectione credimus futurum immortale semel effectum mori vltra non poterit.

Ex Bucher.

23 Prob. 8. Ex *Haimone in feria 3. Paschæ.* Credendum est, carnem nostram in resurrectione, absque corruptione, vel fragilitate mortis in veritate substantiæ esse resurecturam.

Ex Haimone

Ex capite æternitatis.

24 Prob. 9. Ex *Magistro Sent. in 4. lib. dist 43.* Credendum est, quod omnes resurgent incorrupti, non vtique impassibiles, quia reprobi mortem patientur æternam; sed sine diminutione membrorum, &c.

Mag. Sent.

S. Ephrem;

25 Prob. 10. Ex *S. Thoma in 4. sent. distin. 44. q. 1. art. 4.* verba Magistri referente.

Ex D. Th.

26 Prob. 11. Ex *Rufino Aquileien. in expositione Symboli.* Vniuscuiusque carnis substantia, quamuis variè, diuersèque dispersa sit, ratio tamen ipsa, quæ inest vnicuique carni, est vniuersalis; & in *Apologia pro fide sua*, sic ait. Carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè, & perfectè futuram: & post aliqua. Nullo omnino eius membro amputato, vel aliqua corporis parte defecta sed, cui nihil omnino ex omni natura desit, nisi sola corruptio.

Chrysost.

Ex Rufino.

Ambros.

27 Prob. 12. Ex *Theophylacto in cap. 15. Marci.* Erit resurrectio, & non corporalis, sed diuinus quidam vitæ status, Angelicus videlicet, incorruptibiles enim erimus, & ijdem, qui sumus manentes, &c. & in *epist. ad Cor. cap. 15.* ait, corruptibile enim hoc inquit, & mortale hoc, non aliud sed hoc, itaque corpus quidem idem manet, ipsum est, quod induitur; mortalitas, & corruptibilitas aboletur, & euanescit; immortalitate, & incorruptibilitate ipsum continente, & amplectente: & in *epist 1. ad Thessal. cap. 4.* ait, iussio Dei faciet reddere terram corpora ad immortalitatem transformata, &c.

Ex Theofil.

Ex codem

Aug.

28 Prob. 13. Ex *Cyrillo Hierosoly. cateh. 18.* explicante illud Apostoli, *oportet corruptibile hoc, &c. Hoc enim corpus excitatur, & inductum in corruptione transformatur. Resurget igitur hoc corpus, sed non manet tale, verum est æternum. Si verò peccator est, accipit corpus æternum susceptiuum pœnæ peccatorum, vt in perpetuo igne ardeat, & nunquam dissoluatur.*

Ex Cyrillo Hierosol.

29 Prob. 14. Ex *Tertulliano cap. 37. de resurr.* explicante dictum Pauli, *oportet corruptibile hoc, &c.* dicente, *oportet fieri resecissionem mortis obliterationem corruptelæ, & per vim demutationis illius conditionem corporis, non naturam reformari, dum & passiones auferuntur, & munitione conferuntur.* & in *cap. 36.* dixerat, *non nupturi, quia nec morituri, sed transituri in Natum Angelicum per indumentum illud incorruptibilitatis, per substantiæ resuscitatæ, tamen demutationem.*

Ex Tertull.

30 Conf. tandem ex dicendis in sequ. art. vbi de specie, & causis incorruptibilitatis corporum, agetur.

## ARTICVLVS II.

### *Quæ, & qualis erit incorruptibilitas resurgentium.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 13. S. Dico ergo.* Corporis impassibilitatem, dicit esse à voluntate Dei non coagente causæ secundæ corruptiuæ, vt dicetur de corp. glorioso.

Scoti mens.

31 Adu. sensum quæsiti hunc esse. De fide diximus esse, quod omnia humana corpora, numquam desinent, aut corrupentur, neque poterunt corrumpi. Videndum nunc est, vnde proueniat ista incorruptibilitas, Num à sola externa Dei protectione impediente agens externum nè agat in ea. Num per dotem, seu qualitatem, aliamuè formam existentem in corporibus, & resistentem actioni corruptiuæ. nam ex alio capite. Not. tamen, quod de impassibilitate erit postea sermò, cum loquemur de corporibus Beatorum, ista enim sola sunt impassibilia.

Sensus art;

32 Adu. 2. Corpus humanum generatim loquendo intrinsecè esse mortale, & corruptibile, duplici corruptibilitate, vna quidem omnibus sublunaribus, siue simplicibus, siue mixtis communi; alia verò propria, & solis viuentibus conueniente; quæ ex Philosofia, & de necessitate sunt supponenda. Prima communis omnibus compositis, est ex ipsa compositione, quia nimirum materia est capax aliarum formarum, & proinde ab agente extrinsecò destrui potest forma actu ei inexistens, & qualitates, quæ ad eam conseruandam erant necessariæ; & ita regulariter oritur corruptio. Altera corruptibilitas corporis humani, quæ est viuentium propria, oritur, ex eo, quod compositum est ex tali qualitatum mixtione, ac temperamento, vt, etiam si multum adsit externum corrumpens;

Corpus naturaliter est ex duplici corruptibilitate corruptibile.

pens; adhuc per causam internam possit corrumpi, vel ex defectu alimenti, vel ex pugna qualitatum, & excessu caloris in humidum, & è contra; quæ quidem accidit, nedum in sene, in quo non potest reparari quantum fuit deperditum, & sic per defectum corrumpitur, sed in iuuene ob excessum alterutrius qualitatis.

Corruptibilitas ab extrinseco.

23 Adu. 3. Præter hanc intrinsecam corruptibilitatem viuentium aliam adhuc reperiri, nempe ab extrinseco per diuisionem partium. Et ita patet, quod duplex reperitur in homine, & vegetante quolibet corruptibilitas, & ab intrinseco, per alterationem partium, seu qualitatum, & ab intrinseco, per diuisionem partium. Ideoque videndum, quomodo his corruptibilitatibus prouideatur reformatis in resurrectione corporibus. His præmissis

Incorruptibilitas post resurrectionem nó erit, sicut Adæ, & Euæ innocentium,

24 Dico 1. Incorruptibilitas corporum resurgentium non erit, sicut incorruptibilitas Adæ, & Euæ in statu innocentiæ, & quæ alijs fuisset communicata, si status ille permansisset.

A priori ratio, quia intrinsecè potentant mori,

25 Prob. 1. Primus homo, licet non esset moriturus ex necessitate naturæ, ex *cap. Placuit vt quicumque, de Consecr. dist. 4.* Nec fuisset mortuus, si non peccasset ex *Concil. Diospolit. cap. 1.* ex *Milenit. cap. 1.* & *Afritano cap. 76. Quia per peccatum mors intrauit in mundum Rom. 5.* Tamen intrinsecè erat potens mori si vellet, vt experimento accidit. Sed corpora resurgentium non possunt mori, neque destrui etiam si velint; hoc enim maximè eligerent damnati si possent, vt se ab extremis doloribus liberarent, vt dicetur in suo loco: ergo, illa incorruptibilitas non est illi similis.

26 Prob. 2. Et redit in idem ex *August. lib. 6. Gen. ad litter. cap. 24.* Primus homo, corpus habebat animale, id est mortale, sed non fuisset mortuus, si non peccasset.

Ex August, clarissimè.

27 Prob. 3. ex eodem *lib. 13. De Ciuitate Dei cap. 24. Corpus animale in quo primum hominem Adam factum esse dicit Apostolus erat factum, non vt mori omnino non posset, sed vt non moreretur, nisi homo peccasset.* Et postea de corpore resurgente, ait, *Nam illud quod Spiritu viuificante spirituale erit, & immortale, mori omnino non poterit.*

Ex eodem.

28 Conf. ex eodem *in Epist. 146.* vbi declarans illud 1. *Corint. 15. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem*, dicit, *in vno quoque homine vtrumque compleatur, vt primus Adam sit in corpore mortali, nouissimus Adam idem ipse in corpore immortali.* Ex quibus habetur nullo modo posse corporis resurgentium incorruptibilitatem comparari, cum illa Adami, nam corpus Adami intrinsecè mortale erat, id est potens mori, corpora verò resurgentium, non potentia mori, neque ab intrinseco, neque ab extrinseco, vnde autem id proueniat, quæritur, & assignabitur, si Deus dabit.

29 Dico 2. Vna causa proxima intrinsecæ incorruptibilitatis erit spiritalitas corporis.

Vna causa incorruptibilitatis erit spiritualitas.

30 Prob. ex seq. art. patebit corpus resurrecturum esse spirituale, non quia sit futurum spiritualis substantia, sed quia modo spiritali viuet, non egens alimentis, sicut nunc, sed viuet ex sola animæ informatione: ergo. Consequ. probatur, vna ex causis, ob quas nunc corpus moritur, est, quia deficiunt alimenta, vel non reparatur, quantum per continuam actionem calidi in humidum, & è contra deperditur: ergo, si cibis, & alimento non egebit, hæc erit vna ex internis causis incorruptibilitatis. Est *Scoti, vbi supra.*

Dei protectio erit alia causa, & hoc per se, vel per qualitatem additá.

31 Dico 3. Altera, eaque principalis causa internæ, & externæ incorruptibilitatis corporum resurgentium (præscindendo à dote electorum) est externa Dei protectio impediens externas, internasque causas, ne in ea agant corruptiuè, vel eis addita qualitate resistente.

Ex August. vterque modus exemplo rium puerorum,

32 Prob. 1. ex *S. Augustin. in Epist. 146.* sic habente. *Quod si quisquam dicit, non carni trium illorum virorum* (loquitur de traditis igni Babylonico) *additam contra ignem incorruptionem, sed ipsi igni detractam corrumpendi facultatem, quid verear, ne carnem facere nequiuerit non posse corrumpi, qui fecit ignem non posse corrumpere?* Et postea sequitur. *Valet igitur diuina potentia de ista visibili, atque tractabili natura corporum quibusdam manentibus auferre, quas voluerit qualitates; ac per hoc valet etiam membra mortalia forma lineamentis manentibus corruptione verò mortalitatis emortua, stabili vigore formare. &c.* Ergo altero ex his modis credendum est corpora fieri incorruptibilia, vel per ablationem vigoris agentis contrarij, vel per additionem vigoris contrarij in ipsis corporibus. Totum autem hoc ad Dei protectionem spectat.

Ex eod. Aug. exemplo vestimentorũ Iudaicarum,

33 Prob. 2. ex eodem *Augustin. lib. 1. de pecc. merit. & rem. cap. 2.* Idem docente de vestimentis Iudæorum in deserto, quod appropriat conseruationi etiam hominis vsque ad prægrandem senectutem, si innocentia stetisset. Sic autem habet. *Sicut vestimenta filiorum Israel attrita non sunt quadraginta annis per desertum, nec calceamenta pedum sunt vetustate consumpta, vt Deuter. 29. habetur Deo supra id quod illorum natura poterat tolo illo tempore, & conseruante; sic animali, & mortali corpori hominum in statu innocentiæ contulisse Deum statum quemdam, quo sine defectu esset annorum, quousque ad omnimodam immortalitatem peruenirent, &c.* Ergo multo magis id erit dicendum de præseruatione corporum illorum spiritalium in æternum duraturorum, vel ad præmium, vel ad supplicium.

Ex Tertull.

34 Prob. 3. ex *Tertull. lib. de resurr. carn. cap. 58.* vbi multa adducit exempla Sacræ Scripturæ ad insinuandum, quomodo resurgentium corpora seruabuntur illæsa, & primo

mo de Iudæis in deserto, ait, *quod, & in ipsis corporibus unguium, & capillorum facilia cremata habilitatis, & dignitatis iustitia defixit, ne etiam deformitas corruptela reputaretur.* Deinde de pueris, *ita tres pueros in fornace Babylonica illæsos seruauit Deus*, postea de Iona. *Ita Ionas deuoratus à bellua maris, in cuius aluo naufragia digerebantur, triduo post incolumis exputur.* Tandem de Enoch, & Elia, *ita denique bodie Enoch, & Elias non dum resurrectione dispunctis, quia nec morte functis, quia tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis ediscunt.* Ergo sicut isti per Dei protectionem seruati sunt incorrupti, sic erit dicendum de incorruptione resurgentium, in æternum, Dei protectione, sic duraturorum.

Vna ratio incorruptibilitatis est spiritualitas.

Multis exemplis Tertull. concludit intentum.

35 Prob. Tandem assignari non potest, quonam alio modo durare possint corpora humana cum incorruptibilitate externa. Esto enim interna saluetur per spiritalitatem adhuc est difficultas, quomodo possint persistere sine alimentis. Et sic videtur semper recurrendum ad Dei extrinsecam protectionem, vel per traditionem resistentis qualitatis, quæ quidem non repugnat. Vel detur mihi alius modus saluandi æternam incorruptibilitatem, & acquiescam: quia de non reuelatis non contendo, sed libenter ab alijs disco.

Dei protectio erit alia causa, & hoc per se, vel per qualitatem additã.

Ex Auguſt. vterque modus exemplorum pucrum.

## ARTICVLVS III.

### *An, & quomodo corpora resurgentium erunt spiritalia.*

Duplex dubium.

36 A Du. Duo hic esse videnda. Primum, an corpus resurget animale, seu vegetabile, sicut nunc est, an vero spirituale, seu spirituale. Secundum in quo sita sit, hæc spiritalitas; non enim nomine spiritales intelligitur spiritus, seu substantia non corporea; nam de fide est, corpus humanum post resurrectionem futurum esse corporeum & palpabile; contra hæresim Eutychij; spiritus autem carnem, & ossa non habet ex *Luca* 24. ideo declaranda est ratio spiritalitatis, corpori resurgenti competens.

Ex eod. M. exemplo trimenon Iudæorum

Omnia corpora surgent spiritalia, nõ animalia.

37 Dico 1. Corpora omnia tam electorum, quam reproborum surgent non animalia, sed spiritalia, est communis, de fide.

Ex Script.

38 Prob. 1. ex 1. *Corint. cap.* 15. *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est & corpus spirituale, sicut scriptum est factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale est.* Et licet textus clarissimus sit Glossæ tamen Interlin. Ordin. & Lyrani in seq. concl. adducende mirè id confirmant, & declarant.

Ex Tertul.

39 Prob. 2. ex Glossa Ordin. in *cap.* 19. *Iob. Versu quem visurus sum*, vbi ait. Caro nostra post resurrectionem eadem erit, & diuersa. Eritque spiritualis, quia incorruptibilis; & palpabilis, quia non amittet essentiam veracis naturæ. Hæc Glossa.

Glossa;

40 Prob 3. ex *Tertullian lib de Resurrect. carn. cap* 60. vbi ait. *Officia ista membrorum necessitatibus vitæ huius eousque consistere donec, & vita transferatur à temporalitate in æternitatem, sicut animale corpus in spirituale, dum mortale illud induat immortalitatem, & corruptiuum in incorruptelam.*

Ex Tertull.

41 Prob. 4. ex *Augustino lib. 6. Gen. ad litt. cap.* 19. & 20. Docente corpus humanum formatum esse animale, & in melius renouandum esse post resurrectionem, quia fiet spiritale. Idem docet in *cap.* 24. his verbis. *Renouabimur ergo à vetustate peccati non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale cum efficiemur æquales Angelis Dei.* Et post aliqua. *Renouabimur spiritu mentis nostræ secundum imaginem eius, qui creauit nos, quam peccando Adam perdidit. Renouabimur etiam carne, cum hoc corruptibile induet incorruptionem, vt sit spirituale corpus in quod non dum mutatus, sed mutandus erat Adam, nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset*, idemque confirmat in *cap.* 27.

Ex Auguſt. diffuse.

42 Conf. ex eodem *in lib.* 1 *de pecc. mer. & r. cap.* 5. & in *lib. de videndo Deum cap.* 22. *in lib.* 22 *de Ciuit. Dei cap* 21. & in *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 25.

Ex eod. Aug.

43 Prob. 5. ex *Isidoro Pelusiota lib.* 3. *Epist.* 77. Spiritualia futura esse in resurrectione corpora duabus his de causis à D. Paulo dictum est. Altera, quia leuia, & ætherea, atque ab omni perpessione, & grauitate libera futura sunt. Altera, quia diuino dumtaxat spiritui cessura sunt. Nunc enim, quamuis ipse adsit, eorum tamen, quæ geruntur, arbitrium anima obtinet, &c.

Ex Isidoro Pelusiota, quare spiritalia,

44 Prob. 6. ex *Theophylacto in c.* 24. *Luca.* Corpus, quod nunc habemus animale est; hoc est ab anima regitur, & à naturalibus, ac animalibus qualitatibus, & viribus viuificatur. Quod autem post resurrectionem habebimus spirituale nominauit Paulus, hoc est, quod à diuino spiritu viuificetur, & gubernetur modoque indicibili, & spirituali, ad incorruptionem alteratum sit, & in ea conseruatum. Hæc *Theoph.*

Theophyl.

45 Prob. 7. ex *Dionysio Areopag. In Eccles. hist cap.* 7. Idem fere dicente. *Casta Sanctarum animarum corpora pro sacris fudoribus suis in animarum immutabili secundum diuinam vitam firmitate, ac sede resurrectionem, quoque una recipient propriam, inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Christi effectu membra diuinam, atque immortalem beatamque recipiant requiem*, & licet de corporibus electorum, hic loquatur, dicens habitura vitam, sicut Deus, (id sonat

Ex Dionyſio Areop.

spiritale, vt dicemus,) id est alimentis non egentem: tamen omnibus id erit commune.

Ex Origene, 46 Prob. 8. Ex *Origene lib. 3. de principijs cap. 6.* vbi prolixè de resurrectione carnis loquens, inter cætera, dicit, *quæ primò fuit caro de terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, & iterum facta cinis, & terra, rursum resuscitetur à terra, & post hæc iam verbis meritum inhabitantis animæ proposcerit in gloria corporis proficiet spiritalis.*

Ex Hilario. 47 Prob. 9. ex *Hilario in Psal. 2. Vt corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatem conditione demutet; non enim aliud corpus, quamuis in aliud resurget, dicente Apostolo seminatur corpus animale resurget corpus spirituale: fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio, &c.*

Ambros. 48 Prob. 10. Ex *Ambrosio* in sequ. adducendus, qui in 1. *Cor. cap.* 15. declarans verba Apostoli *surget corpus spirituale*, docet, & tale resurrecturum; & declarat, in quo consistat spiritalitas ista corporis. Ergo, ne dum ex Sacra Scriptura, sed ex communi Sanctorum Patrum sensu corpus erit spiritale.

Non mutabimur in spiritum, spiritalitas in quo consistit. 49 Dico 2. Corpus, quod resurget dicitur spirituale, non quia conuertendum sit in spiritum, seu spiritualem substantiam; sed quia cibo non indigebit, & sic à solo spiritu, nempe anima viuificabitur; & etiam quia spiritui totaliter subdetur. Hæc conclusio tres habet partes, sed prima est de fide.

Corpus non fiet spiritus. Eutychij hæresis erat sent. opposita. 50 Prob. 1. pars. Doctrina contraria fuit hæresis Eutychij, qui docebat, carnem humanam in resurrectione futuram inuisibilem, & impalpabilem; de qua convictus est à Sancto Gregorio Legato Apostolico Constantinop. ac proinde morti proximus detestatus errorem, carne manus assumpta confessus est, in eadem carne omnes esse resurrecturos.

Ex S. Greg. 51 Conf. Ex *S. Gregor. in cap. 19. Iob.* expresse docente in eadem carne omnes esse resurrecturos corporea, scilicet ac visibili. Et de hoc convincit Eutychium Constantinop. Archiep.

Ex paritate Christi. 52 Prob. 2. Christus in carne non spiritu resurrexit. Ideoque *Luca* 24. dubitantibus Apostolis, an ipsemet esset, an phantasma, cum eis apparuit post resurrectionem, inquit, *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere.* Ergo, cum eius resurrectio sit causa exemplaris etiam nostræ resurrectionis, nostra quoque corpora resurgent in suo esse corporeo, & sensibili; & non fient spiritus.

Vtraq; pars concl. prob. ex Glossa. 53 Prob. vtraque pars, nempe prima, & secunda ex Glossa *in cap. 15. prima ad Cor.* in Verbo enim *Surget spiritu.* Glossa Ordinar. ait primo, *transiens in naturam spiritus, quia agile, leue cibis non indigens.* Secundo dicit, *Surget spirituale, non dicit spiritus, vt corpus vertatur in spiritum, vt quidam putant. Vnde Dominus palpate, & videte, quia spiritus, &c. Sed spirituale, quia spiritui plene subdetur, nec tam repugnabit, nec alimentis egebit, vt & homo ante peccatum egit.* & paulò post, sequitur. Sicut enim animales sumus, quia pater noster carnalis factus est in animam viuentem, sic erimus in resurrectione spirituales, quia Pater noster spiritualis factus est in sua resurrectione in spiritum viuificantem: & sequitur. Scriptum est in Genesi, nos esse animales ab animali Patre procreatos in animam viuentem, id est potentem viuere tantum per sustentamenta non viuificantem; Christus in spiritum viuificantem, qui ita corpus viuificaret, vt vltra non egeret aliqua sustentatione, nec esset solubile. Hæc Glossa Ord. quæ multa alia addit, sed idem significant.

Esse animale quid sit,

Et quid spiritale.

Gloss. Interlin. 54 Glossa Interlin. ibid. Verbo, *Corpus animale*, ait, *verè viuum, & vegetatiuum, quod cibis sustentatur.* & Verbo, *Spirituale*, ait, *quod tam his non egeat:* & in sequ. verbis textus, inquit Interlin. *hic declarat, quid sit corpus animale id est viuere potens, & dare vitam corpori, per sustentationem tamen ciborum viuificantem.*

Lyranus non recipitur. 55 Et licet aliqui, vt Lyranus, & alij per ly spiritale intelligant spiritum sanctificantem, hæc tamen expositio non quadrat textui. Primo, quia dicit *surget corpus spirituale*, corpus autem non viuificatur gratia sanctificante, nisi valde improprié ex viuificatione animæ. Secundo, quia gratia sanctificans non erit noua in animabus, quæ receserunt in charitate. Tertio, quia hoc est proprium electorum; Apostolus autem loquitur de omni corpore resurgente.

Ex Ambros. vtraq; pars. 56 Prob. ergo vtraque pars 2. ex *Diuo Ambros. in 1. Cor. cap. 15. Seminatur, inquit corpus animale, surget corpus spirituale. Animale corpus est dum cibis sustentatur, vt viuat spirituale autem, cum horum nihil indigebit conuersum in vitam.*

Ex Augustin. tota conclusio probatur. 57 Prob. 1. 2. & 3. pars, ex *S. Augustin. lib. 6. Gen. ad lit.* supra relato *cap. 24. Renouabitur non in corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale, &c. vbi esca, quæ corrumpitur non egebimus.*

58 Conf. ex eodem *in lib. 13. de Ciuitate cap. 20. Sicut spiritus carni seruiens, non incongruè carnalis; ita caro spiritui seruiens recte appellatur spiritalis, non quod in spiritum conuertatur, vt quidam putant ex eo quod scriptum est seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale, sed quia spiritui summa, & admirabili obtemperandi facilitate subdetur, vsque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta. Non solum enim non erit tale, quale nunc est in quauis optima valetudine, sed nec tale quidem quale fuit in primis hominibus ante peccatum, qui licet mori non essent, nisi pec-*

Ex eodem iterum.

*peccassent, alimentis tamen, vt homines vtebantur, non dum spiritales, sed adhuc animalia corpora terrenagestantes, &c.* Ex quibus patet, quod spiritalitas corporis consistet in hoc, & quia alimentis non egebunt, & quia totaliter spiritui, nempe animæ parebunt.

Quid spiritalitas ex August.

59 Conf. ex eodem *lib. 9. Gen. ad litter. cap. 3.* vbi loquens de corporibus primorum parentum, & de eorum perfectione si non peccassent, ait. *Si istè omnes obedienterque viuerent, tunc fieret illa commutatio, vt sine vlla morte animalia corpora conuersa in aliam qualitatem, eò quod ad omnem nutum regentis spiritui deseruirent, & solo spiritu viuificante sine vllis alimentorum corporalium sustentaculis viuerent, spiritalia vocarentur.* Ergo ex hoc duplici capite corpus humanum, quod immortale resurget, dicitur spiritale.

Ex cod. 3.

60 Conf. ex eodem *lib. 12. Gen. ad litt. cap. 7.* sic. *Spiritale autem pluribus modis dicitur, nam & corpus, quod futurum est in resurrectione Sanctorum spirituale appellat Apostolus, eo quod miris motus modis ad omnem facilitatem, & incorruptionem spiritui subdatur, & sine vlla indigentia corporalium alimentorum solo viuificatur spiritu: non quod incorpoream substantiam sit habiturum, &c.*

Ex cod. 4. August.

61 Conf. ex eodem *in Enchirid. cap. 91. Propter quod corpora spiritalia dicta sunt cum procul dubio corpora sint futura non spiritus; sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non est anima, ita tunc spirituale corpus erit, corpus tamen non spiritus erit:* & post multa, sequitur. *Sed ideo ait Apostolus, seminatur corpus animale, resurgent corpus spirituale, quoniam tanta erit tunc concordia carnis, & spiritus viuificante spiritu sine sustentaculis alicuius indigentia subdita carne, vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut fortis nemineminus ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.*

Ex cod. 5.

62 Conf. ex eodem *lib. 22. de Ciuit. c. 21. Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis, sed tamen caro non spiritus, sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus non caro;* & post aliqua. *Et homo spiritalis sic in hac vita dicitur, vt tamen corpore adhuc carnalis sit, & videat aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, erit autem etiam corpore spiritalis, cum eadem caro sic resurrexerit, vt fiat, quod scriptum est seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale. Qua sit autem, & quam magna spiritalis corporis gratia, quæ non dum venit in experimentum, vereor, ne temerarium sit omne, quod de illa profertur eloquium.*

Ex cod. 6.

63 Si ergo *Augustinus*, post iam dicta in declaranda corporis post resurrectionem, spiritalitate, timuit vltra procedere, imò, ait, se vereri, esse temerarium omne, quod de illa proferetur eloquium; siltamus hic, & nullum aliud de ipsa verbum proferamus, cum ad fidem vlterior notitia necessaria non sit, nec aliam à SS. Ecclesiæ Doctoribus traditionem de ipsa habeamus.

# DISPVTATIO VIII.

## DE CAVSA FINALI RESVRRECTIONIS:

### ARTICVLVS VNICVS.

*Cur omnia corpora resurgent.*

SCOTVS *in 4 dist. 43. quæst. 1. §. De secundo articulo*, ex Symbolo Athanasij, docet, finem resurrectionis, *omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, & redituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona, &c.* vt scilicet, sicut homo cum anima, & corpore mæruit, aut demeruit in hac vita; ita cum eisdem præmium, aut supplicium habeat in alia.

Scoti mens.

1 Adu. vt suppono ex *tract. de Voluntate Dei*, Deum non habere pro fine per se aliquod creatum, non enim à creaturis dependet in operando, sed se ipsum habere pro fine in omnibus suis operibus, in quibus iustitiam, vel misericordiam, vel omnipotentiam, aliaque sua attributa exercet, quod quidem de fide est *Prou. 16. vers. 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*, quasi dicat, quod iudicium impij, eiusque punitio ad ipsum etiam Deum referuntur. Et licet multæ solent assignari causæ, ob quas Deus operari dicitur ad extra, quas quidem aliqui vocant fines; alij abhorrentes finalitatem respectu Dei, appellant motiua: re tamen vera propriè, & in rigore, neutrum sunt, quia ab eis non mouetur. Sed materiæ occasiones, & obiecta; in quibus aliquod Dei attributum relucet; & sic propter eiusmodi attributi relucentiam in ijs materijs Deus operatur, haberque seipsum pro fine, & iuxta nostrum consuetum loquendi modum dicere solemus Deum ob hunc, vel illum finem creatum aliquid facere, assignantes materiam attributi diuini pro fine operum Dei.

Deus non potest habere pro fine per se aliquod creatum.

Res creatæ non sunt fines Dei, sed materiæ, & obiecta circa quæ versantur attributa Dei.

2 Adu. Eandem esse causam finalem iudicij, & resurrectionis. Ideoque aliqua hic, alia in Disputatione de Iudicio dicenda sunt; ad quid scilicet faciendum sit iudicium, cum quilibet in morte iudicatus sit. Hoc ergo stante, quæritur, *quam* ob causam Deus suscitabit hominum corpora, quod est quæ-

Eadem causa finalis resurrect. & iudicij.

quærere ob cuius attributi diuini exercitium fiet resurrectio.

Finis resurr. est ostentio iustitiæ Dei.

3 Dico ergo. Resurrectio corporum fiet in ostentionem, & exercitium diuinæ iustitiæ in præmio bonorum, & supplicio malorum in anima, & corpore. Est communis, & debet dici de fide.

Ex Script.

4 Prob. 1. ex 2. Cor. 5. ver. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum.* Glossa Ord. ex *August.* ait, *quia nullus meretur, nisi dum in corpore est*, & alia translatio, ait ex eadem Glossa. *Per corpus quippe, non quod omnia gerantur motu corporis, sed per corpus, id est per tempus, quo quis vixit in corpore, hic enim omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam, quisquam, releuari, vel grauari.*

5 Lyranus vero ibid. ait oportet manifestari ante tribunal Christi, id est ante iudiciariam eius potestatem. Et verbo, *vt referat vnusquisque propria corporis*, inquit, pœnam, vel præmium pro his, quæ gessit, viuens in corpore.

Ex Cyprian.

6 Prob. 2. ex *S. Cypriano, de Cardin. Christi oper. ser. de Resurrect.* vbi alludens ad prælibatum Pauli locum, ait, *Resurrectio quidem communis est, & ante Tribunal Christi necesse est iustos stare, & impios, Dei hoc dictante iustitia, vt pietas, & impietas in operatoribus debitis stipendijs donarentur; & qui finem habere contempserunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis, & qui gloriati sunt in Cruce cum crucifixo regnantes, beata fierent perennitatis participes.* Hæc Cyprianus, ergo in ostensionem iustitiæ.

Ambros.

7 Prob. 3. ex *S. Ambros. qui in epist. 2. ad Cor. cap. 5.* Declarans verba Apostoli, *vt recipiat vnusquisque facta corporis*, habet. *Consentiunt, & optant excedere de corpore, vt requiescant vsque ad diem resurrectionis:* & post aliqua. *Igitur si iudicanti Christo vnusquisque facta corporis recipiet, non vtique sine corpore adiudicabitur bonus, aut malus, & non dixit facta carnis, quia carnis vitia punienda semper, sed facta corporis, quia aliquando spiritaliter, aliquando carnaliter operatur.* Ergo in ostensionem iustitiæ erit resurrectio.

Idem Ambr. diffusius.

8 Conf. ex eodem in *orat. de fide Resurr.* vbi inter cætera habet; *Ratio euidens est; quia cum omnis vita nostra vsus in corporis animaque consortio sit, resurrectio autem, aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cum de suo, & corporis contubernio ratio præstanda sit.* Et post multa. *Et hæc est series, & causa iustitia, vt quoniam corporis, animique communis est actus quæ animus cogitauit corpus efficit, vtrumque in iudicium veniat, vtrumque, aut pœna detur, aut gloria reseruetur.* Hæc *Ambros.* idem repetit *in cap. 20. Apocal.* ergo in ostensionem iustitiæ.

Chrysost.

9 Prob. 4. ex *S. Ioan. Chrysostom. in psal. 3.* vbi explicans verba illa; *misericors, & miserator, & virtus Deus*, habet. *Eos, qui se recte gerunt non relinquet incoronatos postquam hinc exesserint, sed & si hic non reddat omnino illic reddet. Deinde subiungit etiam iustus, significans, quod si iustus sit, vt est, reddet vnicuique secundum merita, etiam si hic non reddat, quod est, vel maximum argumentum futuræ resurrectionis. Quando enim multi ex his, qui sunt virtute præditi seruantur malis multa perpessi, & improbi impuné, & securè viuere, vbi nam recipiet vnusquisque pro meritis, si non sit futura resurrectio, & alia vita iudicium, & remuneratio?* Ergo ob iustitiam.

Idē Chrys. qui in persona alterius arguit contra se.

10 Conf. ex eodem *homil. 1. de resurrect.* vbi cum multa de communi resurrectione dixit, confirmans per illud Apost. *omnes resurgemus*, ita obijcit contra se, in persona alterius, quidnam est hoc? ego, qui multo studio labore, & miseria vixi resurgo; & Græcus, & impius, & idolatra, & qui ignorat Christum etiam ipse resurgit, & simili honore mecum fruitur. Vt ne talia dicens conturberis, audi quid dicit, si quidem induti non nudi inueniamur: & post aliqua. *Etenim* peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt, & immortalia; sed hic honor fomentum, & viaticum ipsis erunt supplicio rum, & vltionis; incorruptibilia enim resurgunt, vt semper vrantur. Nam cum ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ, & ipsa numquam consumantur. Hæc *Chrysost. & hom. 5. ad 2. Timot. cap. 2.* ait, si tollitur resurrectio, tollitur meritorum retributio. Ergo in ostensionem iustitiæ erit.

Ex S Io. Damasc. clarissime rem demonstrat.

11 Prob. 5. ex *S. Ioanne Damasc. lib. 4. fidei Orthod. cap. 28.* vbi diffusè disserens de communi resurrectione assignans causam cur futura sit, sic habet inter alia. Si non est resurrectio non est Deus, nec prouidentia, verum omnia casu temerè aguntur, & feruntur. Ecce enim plurimos iustos homines cernimus, qui egeant, & iniuria afficiantur; neque vlla in hac vita ope subleuentur: peccatores, contra, & flagitiosos, opibus, atque omni deliciarum genere circumfluentes; Ecquis autem mente præditus hoc æqui iudicij, aut sapientiæ, ac prudentiæ esse existimet? Erit igitur resurrectio, nam cum Deus iustitiæ laude præstet, ijs quoque qui eum patienti animo expectant, mercedem persoluet. At si quidem anima sola in virtutis palæstra decertauit, sola quoque coronam obtinebit. Et si sola in voluptatum cæno se volutauit, sola quoque meritò pœnas luet. At cum, nec substantiam inter se discretam habuerint, nec anima virtutem, vel vitium, sine corpore coluerit, meritò proinde ambo simul, aut præmijs, aut pœnis afficientur. Hæc *Damasc.* Ergo in iustitiæ ostensionem.

Ex Irenæo.

12 Prob. 6. ex *Irenæo lib. 2. cap. 51.* Corpora quæ participauerunt iustitiæ cum animabus, quæ similiter participauerunt, obtine-

tinebunt refrigerij locum. Si quidem potens est iustitia, illuc transducere ea, quæ participauerunt ei, & verus, & firmus emerget de resurrectione corporum sermo, quem quidem credimus nos, quoniam, & mortalia corpora nostra custodientia iustitiam resuscitans Deus incorrupta, & immortalia faciet, &c. Hæc *Irenæus*.

Ex Constit. Apost.

13 Prob. 6. ex *lib. 6. constit. Apostol. cap. 11.* *Iustos, & iniustos à mortuis excitandos, & mercedem ijs soluendam confitemur*. Ergo ob iustitiæ ostensionem.

Ex Dionysio Areop. euidenter.

14 Prob. 7. ex *Dionys. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 7.* *Casta sanctarum animarum corpora pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili, secundum diuinam vitam firmitate, ac fide, resurrectionem quoque una recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Christi effecta membra diuinam, atque immortalem beatamque recipient requiem*. Ergo, vt talis iustitia distributiua exerceatur circa corpora, quæ pro Deo talia, tantaque perpetiuntur, erit eorum resurrectio.

Ex Athan. Symbolo.

15 Prob. 8. ex *Athanasio in Symbolo. Resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*. Ecce finis resurrectionis.

Ex Cyrillo Alex.

16 Prob. 9. ex *Cyrillo Alex. lib. 4. in Ioan.* Nonne vniuersum humanum genus, quod in mortem cæcidit, ad vitam resurget? omnino, ita futurum respondebimus, resurgent enim mortui, sed, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Ergo ad hanc retributionem faciendam erit resurrectio.

Ex Gennad.

17 Prob. 10. ex *Gennadio Scholario, de SS. fruitione, cap. 4.* Secundum scripturarum traditionem credimus in fine sæculorum resurrectionem futuram, quando omnis humana natura resurget, & vnusquisque condigna suis operibus reportauerit, siue ea bona, siue mala fuerint.

Ex Alcuino,

18 Prob. 11. ex *Alcuino lib. 13. de Trinit. cap. 20.* Resurgent quidem sanctorum corpora ad gloriam, sine vitio, sine vlla deformitate, in quibus tanta facilitas erit, quanta fœlicitas. Resurgent, & impij, & vnusquisque cum sua carne, vt cum diabolo, & Angelis eius puniatur. Ergo propter iustitiæ diuinæ in corpora exercitium, erit resurrectio.

Ex Ansel.

19 Prob. *ex Anselm. Cantuar. in ep. 1. ad Cor. 15.* Vnusquisque resurget in ordine suo, id est in suorum meritorum dignitate, &c. sequitur. Quemadmodum ex vna impensa diuersarum animalium, vna caro est; ita & vnius carnis homines diuersi erunt ex dignitate cum resurrexerint, vt talis vnusquisque appareat, qualis meriti fuerit. Ergo ad præmianda merita, & punienda demerita, erit resurrectio.

20 Prob. ex *Hugone Pratensi in Dominica Resurrect.* Qui rem confirmat, & rationem assignat. Plura assignat motiua; cur resurrectio corporum sit futura, & ait. Primò ratione iustitiæ Dei; iustum est enim apud Deum, & apud homines, quod ille puniatur, vel præmietur, qui peccauit, vel mæruit. Sed omnia opera nostra sunt animæ, & corporis simul. Coniunctum enim ex anima, & corpore operatur, non anima vel corpus. Sed vt videmus in vita ista, nec boni præmiantur, nec mali puniuntur. Multa etiam patiuntur iusti. In separatione autem animæ à corpore, anima vadit ad gloria, vel pœnam, corpore hic in terra remanente. Vt igitur iuxta sit retributio, oportet dicere, quod anima iterum coniungatur, corpori, vt simul cum ipso præmietur, vel puniatur iuxta stipendia meritorum, quod per resurrectionem fiet. Egregie quidem.

Ex Hugone Paten. Plura motiua assignante, sed primum est iustitia Dei.

21 Prob ex *Concil. Later. 4. cap. 1.* & habetur nunc, *in cap. Firmiter, de summa Trin. & fide cathol.* vbi inter cætera, sic habetur de Christo *venturus est in fine sæculi, iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis, quam electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundum opera sua, siue bona fuerint siue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo, gloriam sempiternam*. Ergo ad eiusmodi iustitiam exercendam circa corpus humanum; imò circa totum coniunctum ex corpore, & anima fiet resurrectio.

Ex Concil. Later.

22 Prob. ex *Rufino Aquileien. in expos. Symboli.* Vbi post multa de Resurrectione, sic habet; Et ita fit, vt vnicuique animæ non confictum, aut extraneum corpus, sed suum quod habuerat reparetur, vt consequenter possit pro agonibus vitæ præsentis cum anima sua caro, vel pudica coronari, vel impudica puniri. Ergo

Ex Rufino.

23 Prob. ex *Oecumenio in c. 3. epist. 2. Petri.* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, non animis corporibus nudatis, sed vna cum corporibus, ipsisque incorruptibilibus. Quomodo enim nuda anima referet ea, quæ per corpus peccata sunt? siquidem non est iusti iudicis, cum duo in eodem peccauerant vnum dimittere, totumque crimen in alterum transferre. Ergo ob iustitiam exercendam in vtrumque, resurrectio futura est.

Ex Oecumenio.

24 Prob. ex *Isidoro Pelusiota lib. 1. ep. 222.* Per id, quod viuos, & mortuos iudicandos esse, ait scriptura, illud significatur fore, vt anima, & corpus simul in iudicium veniant, nec alterum ab altero seiungatur: verum quemadmodum in hac vita communem coniunctionem habuerunt, sic etiam futurum iudicium subeant. Ergo in diuinæ iustitiæ ostensionem futura est corporum resurrectio.

Ex Isidoro Pelusiota.

25 Prob. ex *Tertull. in Apologetico aduers. gent cap. 48.* Certè, quia ratio restitutionis destinatio iudicij est, eò quod omninò de iudicio

Ex Tertull.

dicio Dei pati debent, necessario idem ipse qui fuerat exhibebitur, vt boni, seu contrarij meriti iudicium à Deo referat. Ideoque repræsentabuntur, & corpora, quia neque pati quicquam potest anima sola sine stabili materia, id est carne; & quod omnino de iudicio Dei pati debent animæ, non sine carne mæruerunt, intra quam omnia egerunt. Ergo ad iustitiam Dei pertinet corporum resuscitatio.

Alia argumenta, quæ ad hoc probandum adduci deberent, ex articulo secundo sequ. Disput. quia sunt ad idem, sumantur.

# DISPVTATIO IX.

## DE IVDICIO VNIVERSALI, SEV FINALI.

### ARTICVLVS I.

*An iudicium vniuersale sit futurum.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distin. 47. quæst. 1.* cum fide Catholica, docet in fine mundi faciendum esse iudicium vniuersale, ante tribunal Christi.

Iudicij nomẽ multa significat.

1 Adu. ex *Scoto ib. A.* quod hoc vocabulum *Iudicium* generaliter accipitur pro quacumque certa noticia distinguente vnum obiectum ab alio, & hoc modo ex 2. *de an. t.* 145. sensus communis dicitur iudicare de sensibilibus diuersorum sensuum. Secundò sumitur iudicium pro intellectuali certa apprehensione, & sic definitio rei dicitur iudicium de veritate illius, & in hoc sensu in 1. *Ethic. cap.* 3. habetur, quod vnusquisque bene iudicat, quæ cognoscit, & hic est bonus iudex. Tertio sumitur iudicium pro notitia alicuius veri complexi reduplicatiuè, quia in cognitione complexi, vnum comprehenditur per aliud, id est per terminos, ideo ex 1. *Poster. t. & cap. 6. Principia cognoscimus in quantum terminos cognoscimus.* Quartò sumitur pro notitia veri complexi per modum conclusionis, cuius quidem veritas, nedum per terminos, sed per principia cognoscitur. Quintò ait *Scotus* specialius sumitur pro conclusione practica, quia iudicium est dictamen intellectus practici. Sextò pro concluf. legis dictantis, reddenda esse præmia bene meritis, & supplicia male meritis. Septimò magis propriè sumitur iudicium pro determinatione certa de præmijs, & supplicijs reddendis. Vltimò strictissimè sumitur pro determinatione authentica alicuius habentis authoritatem de reddendo alijs secundum eorum merita, quæ quidem determinatio includit determinationem intellectus, & etiam voluntatis efficacis ad exequendum determinationem intellectus. Et hoc modo acceptum iudicium, inquit, *Scotus* diuiditur in approbatiuum, & condemnatiuum. Cum enim iudici est manifestum, aliquem esse præmiandum, quia meruit, & determinat esse dandum ei præmium, atque in effectu dat, est iudicium approbatiuum. Si verò est ei manifestum, aliquem habere demerita, & ideo mereri supplicium, exercet iudicium condemnatiuum. De hoc vtroque iudicio quærimus, an sit aliquando futurum tale iudicium vniuersale, quo boni omnes in conspectu malorum sint approbandi digni præmio, illudque consequentur; mali verò cogniti digni supplicio, ad illud damnabuntur.

Iudicium in quo sensu sumitur hic,

Notandahęc significata iudicij.

Iudicium in Scriptura pro condemnatione sumptum,

2 Adu. 2. Quod nomen iudicij in Sacra Scriptura interdum sumitur pro condemnatione tantum passiua. Et ideo *Ioann.* 5. dicitur: *Amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui me misit habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, Augustin. lib. 20. de ciuit. cap.* 5. In fine dicit in condemnationem, alias contradiceret loco, *Matth.* 24 *ver.* 31. vbi Saluator loquens de resurrectione, & futuro iudicio, ait. *Et mittet Angelos suos, cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis,* & *cap.* 25. His autem qui à dextris sunt, idest electis dicet. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, &c.* Interdum sumitur pro damnatione actiua, vt *Psal.* 1. *Non resurgent impij in iudicio*, id est ad iudicandum, & condemnandum alios. Interdum sumitur pro discretione, seu electione bonorum à malis, vt habetur *Ioan.* 12. *Nunc iudicium mundi est.*

Aliquando pro actiua,

Aliquando per electione.

3 Adu. 3. Quod Deus, vt *Augustin.* notat *lib. 20. de ciuitate Dei cap.* 1. ab initio mundi semper iudicauit, & nunc iudicat, & in fine mundi iudicabit. Ab initio quidem cum contra rebelles Angelos sententiam mortis æternæ tulit. Et contra ipsum hominem primum, & eius posteros sententiam mortis, aliarumque calamitatum pronunciauit. *Maledicta terra in opere tuo, in sudore vultus tui vescêris pane tuo, &c.* Iudicat etiam nunc nedum propter originale peccatum, sed de singulis proprijs factis, ob quæ, vel occultè, vel publicè pœnas temporales, & in morte etiam similes, vel æternam luunt. De quibus, ait, *Apost. Rom.* 11. *Inscrutabilia sunt iudicia eius.* Et tamdem iudicabit finaliter, id est, in fine mundi. Et de hoc iudicio est præsens Disputatio. Quod proinde appellari solet proprio nomine nouissimum, seu generale, vel finale.

Deus semper iudicat,

Adu.

Iudicium nō est naturaliter notus re surrectione,

4 Adu. 4. Ex *Scoto dist. 47. De secundo*, quod minus notum est, futurum esse iudicium, quam resurrectionem (id est minus notum naturaliter; quia ait, non posse haberi de eo demonstrationem, sed congruentias.) Ideoque fuit communior, vel saltem æque communis hæresis circa iudicium, & circa resurrectionem. Omnium primi, qui iudicium negasse videntur in lege noua sunt Saducæi, qui, vt patuit resurrectionem negabant, & proinde iudicium. Eos postea

Negantes iudicium.

secuti sunt Simon Magus, Menander, Carpocras, & Gnostici, vt postea dicetur ex Augustino. Idem tenuerunt Manichæi, vt refert Philastrius; quod postea Albigenses renouarunt. Hæretici autem moderni, vt Caluinistæ, & Lutherani circa modum errarunt, licet futurum vniuersale iudicium confessi sint. His positis

Futurum est iudicium.

5 Dico. Futurum est iudicium vniuersale, in quo post resurrectionem corporum, omnes homines sunt iudicandi. Est communis de fide.

Ex Isaia.

6 Prob. 1. ex *Isaiæ 3. cap. 13. Dominus ad iudicium veniet, cum senibus populi, & principibus eius.* Vbi Glossa Interlin. ait, cum Prophetis, & Patriarchis, & Apostolis, quos constituit eos Principes, &c. Secundo, ex eodem *cap. 13. ver. 9. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoresque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de terra, quoniam stellæ cæli, & splendor earum non expandent lumen suum, &c.* vbi apertè prædicitur dies iudicij. Idem confirmant Glossæ Interlin. & Ordin. Tertio, ex eodem *cap. 66. vers. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, &c. Reddet in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit, &c.* vbi, vt notant Glossæ Interlin. Ordin. ac Lyr. de vltimo vniuersali iudicio futuro loquitur Propheta.

Ex Daniele;

7 Prob. 2. ex *Dan. 7. Aspice eam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, &c. Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus, &c. Millia millium ministrabant ei, &c. iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Vbi Glossa Interlin. sæpè replicat, in hac visione explicari seueritatem, & ordinem iudicij. Idemque prosequitur Glossa Ordin.

Ex Ioele;

8 Prob. 3. ex *Ioel. 2. Venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, & caliginis, &c.* & post multa: *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* & post alia. *Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* in *cap. 3.* idem Ioel habet, *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis super populo meo, &c.* & post alia. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Vbi Glossæ omnes docent de iudicij vniuersalis die Ioelem loqui.

Ex Zaccharia.

9 Prob. 4. ex *Zachar. 14. Et veniet Dominus Deus meus, omnesque Sancti cum eo, & erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu, & erit dies una quæ nota est Domino, &c.*

Ex Malachia

10 Prob. 5. ex *Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Hæc & alia ex veteri testamento loca adduci possunt ad concludendum iudicium vniuersale in fine mundi futurum.

Ex nouo test.

11 Prob. modo ex scripturis noui testamenti à Diuo Augustino ingeniosè congestis in *lib. 20. de Ciuit. cap. 5.* Primo, *Matth. 11. Verum tamen dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die iudicij, quam vobis:* & paulò post alteri Ciuitati, ait. *Amen dico tibi, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.* Secundo, *Matth. 12. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam:* & post. *Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam.* Tertio, *Matth. 19. Vos qui secuti estis me, cum sederit filius hominis in regeneratione sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Quarto, *Matth 24. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate, & mittet Angelos suos, &c.* & post. *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Tandem *Matth. 25.* omnium apertissimo. *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis. Et statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris, tunc dicet his, qui à dextris erunt, venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum à constitutione mundi, esurijui enim, & dedistis mihi manducare, &c. Tunc dicet his, qui à sinistris eius erunt, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius, &c.* Item *Ioann. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Quæ quidem loca clarissima, & euidentia sunt, neque possunt negari, aut in alium sensum extorqueri.

Matt. Euang. sæpe, & alij Euangel.

Augustinus hæc loca in vnum congessit.

Ex Act. Ap.

12 Prob. 2. ex *Act. Apost. cap. 10. Præcepit nobis prædicare, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* 2. *Act. 17. Statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate.*

Ex Paulo Apost.

13 Prob. 3. ex Apostolo *Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi.* & 2. *Corint. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Secundo ex 1. *Thessalon. 4. Nos qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi. Deinde nos,*

*qui viuimus, &c. simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.*

Ex Petri ep. 14 Prob. 4. ex 2. *Petri cap 2. Nouit Dominus pios detentatione eripere; iniquos verò in diem iudicy reseruare cruciandos.* & *cap. 3.* sic habet. *Cæli autem, qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum,* & post aliqua. *Aduenict autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur:* & post aliqua. *Expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur.*

Ex Iudæ ep. 15 Prob. 5. ex *epist. Iudæ. Prophetauit autem de his septimus ab Adam, Enoch dicens, Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis, eorum &c.*

Ex Symbolis 16 Prob. 6. ex Symbolis Apostolorum, Nicæno, Constantinop. atque Athanasij in quibus definitur, & prædicatur, Christum esse venturum ad iudicandum viuos, & mortuos.

Ex Concilijs 17 Prob. 7. ex Concilij Nicæno 1. & Constantinop. 1. in quibus id definitur de fide, vt de Symbolis dictum est. Secundo, ex *Concil. Lateran. 4. cap. 1.* & habetur nunc in *cap. 1. de summa Trinit. & fide cathol.* item ex *Concil. Tolet 6. cap. 1.* in quibus omnibus definitur Christum in fine mundi venturum ad iudicandum omnes.

Ex PP. Clemens I. 18 Prob. Ex PP. concordia in hoc dogmate, ex *lib. 3. recognit.* vbi Clemens I. sic habet. *In die iudicij, dum iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abijcientur foras, tunc etiam iniustitia Dei ostendetur.*

Origenes. Secundo, ex *Origene lib. 2. de Princip. c. 9.* dubium non est, diem iudicij futurum, quo separentur boni à malis, vt iusti ab iniustis, & singuli quique pro merito per ea loca, quibus digni sunt distribuantur iudicio Dei.

Athanas. Tertio, ex *D. Athanas. de Humanit. Verbi,* vbi Christum venturum secundò dicit, *vt fructus sua crucis omnibus retribuat immortalitatem videlicet, & incorruptibilitatem, vt iudicet secundum ea, qua quisque in corpore gesserit, siue bona, siue mala sint, vbi bonis quidem Regnum cælorum repositum est, malorum verò designatoribus ignis æternus, & caligo extrema.*

Tertull. Quarto, ex *Tertull. de Spectaculis cap. 30.* Supersunt alia spectacula, ille vltimus, & perpetuus iudicij. Dies, ille nationibus insperatus ille derisus cum tanta sæculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igni haurientur.

Cyprian. Quinto, ex *S. Cypriano in epist. ad Demetrianum. Retro est iudicij dies, quem Scriptura Sancta Esa. 13. Denunciat dicens, vlulate proximus est enim dies Domini, & obtritio à Deo aderit, Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis, & ira ponere orbem terra desertum, & peccatores perdere, ex eo,* & post aliarum scripturarum citationes, subdit, *qua tunc erit fidei gloria, qua pœna perfidiæ, cum iudicij dies venerit, qua lætitia credentium, qua mœstitia perfidorum!*

Hippol. Sexto, ex *S. Hippolyto orat. de consumatione mundi,* vbi inter alia, ait, *auditis dilecti responsionem Domini; cognouistis sententiam iudicis; didicistis quam in horrendum iudicium & dies, & hora nos manet, de eo solliciti cogitemus quotidie, &c.* multa.

Ephrem. Septimo, ex *S. Ephrem Siro, qui de extremo iud.* inter multa habet, *dies nostri, & anni instar somnij præterent, vt subito tremendus, ac magnus Domini aduentus acceleret, verè enim formidabilis erit dies illa cunctis peccatoribus, qui voluntatem Domini pro salute sua exercere noluerunt; nihil nobis in illa hora proderit præter bona, qua hinc detulerimus opera, &c.* multa.

Ambros. Octauo, ex *S. Ambros. lib. de fide resurrect. Hæc est series, & causa iniustitia, vt quoniam corporis animique communis est actus, qua animus cogitauit, corpus effecit, vtrumque in iudicium veniat; vtrumque aut pœna dedatur, aut gloria reseruetur.*

Chrysost. Nono, ex *S. Ioann. Chrysost. homil. 5. in epist. ad Rom.* & *hom. 47. ad pop. Antiochen.* vbi præ cæteris habet. *Si quis verò futurum non credat iudicium, qua sunt hic videat, in vinculis positos, in metallis, in sterceribus, in fame viuentes, irreparabilibus consternatos luctibus in captiuitate positos. Non enim hi nunc passi essent, nisi & omnes alios, qui talia peccarunt vltio maneret, atque supplicium.*

Hieron. Decimo, ex *S. Hieron. in epist. ad Elidorum cap. 9. Veniet, veniet dies illa, qua corruptiuum hoc, & mortale incorruptionem induat, & immortalitatem. Tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet; tribus ad tribum pectora ferient, &c. adducetur, & cum suis stultus Plato discipulis, & Aristotelis argumenta non proderunt:* & alia per multa.

Theodoret. Vndecimo, ex *Theodorito de Gracarum affect. curat. lib. 11. de Iudicio.* Nos iudicem eum expectamus, qui & nos fecit: & post aliqua. Iudicabit autem nos huius nostræ humanitatis vestem indutus, &c.

Ex August. Duodecimo, ex *S. August. lib. 20. de Ciu. cap. 30. Nullus, vel negat, vel dubitat, per Iesum Christum, futurum esse nouissimum iudicium, nisi qui eisdem litteris, nescio qua animositate, seu cæcitate non credit. In illo itaque iudicio, vel circa illud bas res didicimus,* & explicat signa proximi iudicij.

Leo I. Decimoterzo, ex *S. Leone I. ser. 4. de collectis. Veniet in maiestatis sua gloria Dominus:* & post aliqua. *Congregabuntur ante thronum potentia eius omnium gentium populi, & quidquid hominum vniuersis sæculis toto terrarum orbe progenitum est in conspectu iudicantis apparebit. Separabuntur ab iniustis iusti, &c.* multa.

De-

Symmacho. 13 Decimoquarto, ex *Symmacho Papa I. in Apolog. contra Anastas. Imper* qui inter multa habet *sic recessit ab humanis mentibus Deus, vt obstinantes contra eius voluntatem non aspiciant, & in isto seculo diuinum non desse posse iudicium, & post huius vitæ cursum illi sit tremendo non defuturus examinis sub quo pernicioforum studia modis omnibus patefiant, & patefacta puniantur, &c.* Et post multa subdit. *Nam talem ausum, neque hic confidimus euasurum, & in illo magno Dei iudicio recepturum, quod ijs temeritatibus diuina retributione debetur.*

Greg. I. Decimoquinto, ex *D. Greg. Magno* pluribus in locis, & præcipuè *Homil. 1. in Euang.* sic, *districtionem venturi iudicis Paulus considerans*, ait, *horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Hanc Psalmista exprimit, dicens, Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Illum ergo diem fratres charissimi ante oculos ponite, & quidquid modo grane creditur, in eius comparatione leuigatur. De illo etenim die per Prophetam dicitur iuxta est dies Domini magnus, iuxta, & velox nimis. Dies iræ, dies illa dies tribulationis, & angustiæ, dies calamitatis, & miseriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris.* Et alia per multa.

Omnes DD. idem docerent cum fide Catholica. Possent adduci ad hoc idem probandum omnes Patres, Doctores, Scholastici, & quicumque de Ecclesiæ dogmatibus, vel minimum, quid scripserunt. Sed nolo tempus terere, cum Scriptura, & Concilia expresse de futuro iudicio loquantur.

Arg. contr. Ob.1. Contra Catholicum dogma. *Ioan.* 12. Saluator ait. *Nunc iudicium est mundi.* Ergo non est expectandum aliud iudicium, *non enim consurget duplex tribulatio. Naum* 1.

Iudicium discretionis factum iam à Christo cum eiecit diabolum. 19 Resp. neg. consequ. iudicium enim illud, de quo ibi loquitur Christus, non est iudicium retributionis, quo datur præmium mærentibus, & supplicium malis; Sed vt ait Glossa Interlin. *Est iudicium discretionis*, & Glossa Ord. ait. *Iudicium est discretionis, scilicet, quod est ante vltimum damnationis, quia nunc per passionem iure diaboli destructo multi liberabuntur, vnde subiungit Patior, turbor, &c.* Iudicium ergo illud erat de eijciendo diabolo à mundi possessione, ideo subdit, *nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum:* igitur non est ad rem nostram.

20 Ad probat. consequ. respond. infra, cum iudicium hoc non sit de hominum meritis, ac demeritis.

Validũ arg. Ob.2. ex *Io.3. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnigeniti filij Dei.* Ergo nunc fit imò factum est iudicium.

Quomodo homines ex nunc sunt iudicati. 21 Resp. ex Glossa *Lyran.* ibi, *non iudicatur, id est non habet causam condemnationis* item qui non credidit, *iam iudicatus est, id est habet causam manifestam suæ damnationis.* Et postea subdit. *Verumtamen causa huius damnationis dabitur executionis in secundo aduentu Christi.* Clarius, qui non credidit iam in mente Dei iudicatus est, sed non est positum in executione hoc iudicium; sicut alibi, ait. *Nondum apparuit iudicium, sed factum est iudicium*, id est in Dei mente. *Nouit enim Dominus, qui sunt eius.*

Arg. forte. Ob.3. In morte cuiuslibet hominis fit iudicium: ergo non est necessarium aliud. Antec. prob. ex *Ecclesiastes* 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Glossa Interl. declarat hunc locum de fine hominis in morte, dicens, *vbi ceciderit homo ibi erit in æternum.* Et *Lyranus* eodem modo loquitur, ad Austrum, aut Aquilonem ad partem electorum, vel reproborum, ibi erit, id est immutabiliter manebit. Si ergo moriente homine, fit eius iudicium, & segregatio in partem electorum, vel reproborum, non est necessarium aliud iudicium. Alias bis puniret in id ipsum, & sic duplex tribulatio.

In morte fit iudicium particulare, neque per hoc est duplex pœna. 22 Resp. neg. consequ. licet enim in morte cuiuscumque fiat iudicium particulare quo quilibet ad pœnas siue æternas, siue temporales, vel ad præmium transmittitur, adhuc tamen aliud restat vniuersale; neque est duplex punitio, quia rei ad eamdem pœnam cum corporis consortio, sed iudicio publico damnantur. Motiuum autem faciendi vniuersale iudicium in seqq. adducetur.

Impij quare dicuntur nõ resurgere in iudicio. Ob.4. ex *Psal.* 1. *Non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in Concil. iustorum*: ergo. Consequ. prob. si faciendum est iudicium maximè fiet pro impiorum punitione. Sed isti non aderunt, ergo.

Quatuor ordines in iudicio. 23 Resp. ex Glossa Interlin. & Ordin. Impios esse quidem resurrecturos, sed non in iudicio actiuo, id est non vt iudicent, sed vt iudicentur. Quia quatuor erunt ordines in iudicio, ait Glossa, ibi, quidam iudicabunt, & non iudicabuntur, vt perfectissimi, quidam, nec iudicabunt, nec iudicabuntur, vt damnati infideles; alij iudicabuntur, & saluabuntur, vt mediocriter boni, alij iudicabuntur, & pereunt, vt fideles mali. Sed quidquid sit de ista Glossæ diuisione, concorditer SS. Patres docent reprobos resurrecturos quidem, quia ijs dicetur, *ite maledicti in ignem æternum*, sed resurgent, non ad iudicandum, sicut Apostoli, &c. vt infra.

## ARTICVLVS II.

### *Cur faciendum sit Vniuersale iudicium:*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. quæst. 1. §. De secundo*, docet, non posse per demonstrationem probari, quod iudicium vniuersale sit futurum, sed via naturali, quatuor posse assignari congruentias, cur faciendum sit: Fide verò creditur faciendum, & adducit congruentias, vt infra.

Deus operatur propter finem increatum. 24 Adu. Vt alias dixi de Resurrectione, Deum ex *Prou.* 16. propter semetipsum omnia operari, ideoque nullam pro eius operibus assignari posse causam finalem creatam, quæ sit vera, & propria causa: sed causam finalem omnium operum ipsius ad extra, esse ostensionem alicuius proprij attributi, misericordiæ, iustitiæ, potentiæ, &c. quod quidem à posteriori colligimus, cum nemo consiliarius eius fuerit, sciatque decreta consilij sui. Et licet aliquando in sacris scripturis assignari videatur finis aliquis operum Dei, is non est propriè finis, sed terminus, vel obiectum, aut materia, in qua eius attributa exercentur. V.gr. cum *Ioan. 3.* habetur, *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret*. Non mundi bonitas, sed Dei Charitas est finis illius dationis filij sui. Ita, cum dicitur, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*, non hominis bonum, sed Dei misericordia, & charitas est finis incarnationis; homo verò est terminus, seu obiectum, circa quod Charitas illa, seu misericordia exercetur. Hic ergo, cum inquiritur causa finalis iudicij, in rigore, nil aliud quæritur, nisi propter quam Dei perfectionem exercendam, fiet iudicium & quidnam erit obiectum, seu terminus, ac effectus talis exercitij. Licet Doctores, alias, vt infra afferre soleant, congruentias, cur fiat iudicium.

Loca Script. in quibus aliquid creatus dicitur finis operum Dei.

Causa finalis iudicij, & ostensio iustitiæ diuinæ 25 Dico ergo 1. Causa finalis iudicij vniuersalis est ostensio, & exercitium diuinæ iustitiæ distributiuæ. Est communis.

Ex Script. multa loca. 26 Prob. 1. ex *Ecclesiast. 11. ver. 9. Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum; & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium*. Ergo ad exercendam iustitiam.

Eccles. 27 Prob. 2. ex *Ecclesiastici 16. ver. 18. Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus & vniuersa terra, & quæ in eis sunt in conspectu illius commouebuntur; montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cum conspexerit illa Deus tremore concutientur; & in omnibus his insipiens factum est cor*, & post aliqua. *Nam plurima illius opera sunt in absconsis, sed operæ iustitiæ eius quis enunciabit, aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est*. Vbi Glossa Interlin. notat hæc de fine mundi, & iudicio intelligi, quando reddet vnusquisque rationem de factis suis. Et tamen dicitur, *opera eius iustitia*, quis enunciabit & quis sustinebit.

Malach. 28 Prob. 3. ex *Malach. 3. ver. 5. Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, adulteris, & periuris, qui calumniantur mercedem mercennarij, & viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me dicit Dominus exercituum*.

Ex Sap. 29 Prob. ex *Sap. 12. Quis stabit contra iudicium tuum, aut quis in conspectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum, aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas fecisti. Non enim est alius Deus, quam tu, cui est cura de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium*. Ergo in ostensionem iustitiæ iudicabit.

Ex sententia iudicij. 30 Prob. 4. Ex sententia iudicij: Sententia enim indicat finem causæ. *Matth. 25.* habetur. *Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi, esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui, &c. nudus eram, &c.* Hac autem lata approbationis sententia pro electis. Veniet ad condemnatoriam contra reprobos, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere, &c.* & inquit textus, *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, & ita completum erit iudicium. Patet autem, quod nil aliud sibi apparebit, quam diuinæ iustitiæ manifestatio.

Ex Clem. I. 31 Prob. 6. ex *lib. 3. Recognit. Clem. I.* In die iudicij, cum iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abijcientur foras, tunc etiam iustitia Dei ostendetur.

Ex Athan. 32 Prob. 7. ex *Athanasio, de humanitate Verbi*. Te latere nolim, alterum Christi aduentum gloria magnificum in expectatione esse cum redditurus sit, vt fructus suæ crucis omnibus retribuat, nec vt iudicetur, sed vt iudicet, secundum ea, quæ quisque in corpore suo gesserit, siue bona, siue mala sint: vbi bonis quidem regnum cælorum repositum est, malorum verè designatoribus ignis æternus, & caligo extrema. Hæc *Athanasius*, ergo ob iustitiam.

Ex Terrull. 33 Prob. 8. ex *Tertull. de præscript. cap. 13.* Regula est fidei, &c. Christum venturum cum claritate ad sumendos sanctos in vitæ æternæ, & præmissorum cælestium fructuum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resuscitatione, &c. Hæc *Tertull.*

Ambros. 34 Prob. 9. ex *S. Ambros. de fide resurr.* Hæc est series, & causa iustitiæ, vt quoniam corporis, animique communis est actus, quæ animus cogitauit corpus effecit. Vtrumque in iudicium veniat, vtrumque, aut pœnæ de-

dedatur, aut gloriæ reseruetur. Hæc *Ambrosius*.

Ex Hieron. 35 Prob.10.ex *Hieron.in regula Monach. cap.*30. Semper tuba illa terribilis vestris obstrepet auribus, surgite mortui, venite ad iudicium. Ecce Rex in manu potenti venit exigere vult à cunctis rationem certe de cogitationibus minimis, certè de leuibus, & otiosis verbis, &c. Ita *Hier.*

Ex Ioan Dam. 36 Prob.10. ex *Ioan. Damasc. orat. de defunctis*. In amplissimo illo, ac generali theatro, quemadmodum actiones omnium detectæ, ita omnium quoque facies omnibus notæ quousque omnes in eum, quem sibi locum parant mittantur, ac iusti quidem cum Deo, & secum vna erunt: peccatores autem in exteris, & miseris locis, &c. Ita *Damasc.*

Ex August. 37 Prob.11. ex *Aug.lib.*20. *de Ciuit. Dei, cap.*1. in fine, de nouissimo iudicio disputabo, *quando Christus de cælo, venturus est, viuos iudicaturus, & mortuos. Ille quippe dies iudicij propriè vocatur, eo quod nullus ibi erit imperita quæstio locus cur iniustus ille sit fœlix, & cur iustus ille infœlix. Omnium namque tunc, non nisi bonorum vera, & plenissima fœlicitas. Et omnium non nisi malorum digna, & summa infœlicitas apparebit.* Ita *August.*

Ex Bernardo 38 Prob.12. ex *Bernardo ep.*1. *ad Robert.* Veniet, veniet, qui malè iudicata reijudicabit; illicitè iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus, qui iudicabit in iustitia pauperes, & arguet pro mansuetis terræ. Veniet pro certo, qui per Prophetam minatur in Psalmo dicens, cum accepero tempus ego iustitias iudicabo, quid faciet de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit, &c.

Ex Cassiod. 39 Prob.13.ex *Cassiodoro in Psalm.*1. Resurget iustus, vt iudicetur impius, vt fine iudicio puniatur.

Ex Concil. Tolet. 6. 40 Prob.14. ex *Concil. Toletan. 6. cap.* 1. *Christum venturum in fine expectamus sæculorum cum resurrectione omnium æquissimo suo iudicio reddituru iustis præmia, & impijs pœnas.* Ergo in ostensionem iustitiæ.

Ex Concil. Later. 4. 41 Prob. Tandem ex *Conc.Later.4.can.*1. & nunc habetur *in cap.Firmiter, de summa Trinit.& Fid. Cathol.* vbi hoc de Christo inter alia de fide statuitur. *Venturus est in fine sæculi iudicaturus viuos, & mortuos; & redditurus singulis secundum opera sua tam reprobis, quam electis; qui omnes resurgent cum suis propriis corporibus, quæ nunc gestant, vt recipiant secundum opera sua, &c.* Ergo hic est finis Christi in faciendo Vniuersali iudicio, vt scilicet iustitiam retributiuam exerceat.

*Instantia de iustitia, quæ in morte fit.* Dices. Eiusmodi iustitia exercetur in morte cuiuslibet; nam *vbi ceciderit lignum ibi erit Ecclesiastes* 11. Et de fide est morientes immortali, damnari in gehennam, morientes verò in gratia, vel ad Cælum conuolare, si nullius temporalis pœnæ sunt debitores, vel ad Purgatorium transmitti: ergo asseri non potest, quod ex motiuo exercendæ iustitiæ Deus facturus est iudicium.

Ex morte fit iustitia circa animam, & priuatim. 42 Resp.1. dist. anteced. exercetur circa animam concedo; circa corpus, seu totum coniunctum, nego.

43 Resp.2. Exercetur in morte cuiuslibet, priuatim concedo; publicè nego, tunc enim publicè manifestabitur, quod Deus iustè iudicat, & non sit personarum acceptator, quod plerique impij blasphemant.

Aliæ causæ cur faciendū sit iudicium. 44 Dico 2. Aliæ assignari possunt congruentiæ cur faciendum sit iudicium. Ita *Scotus in* 4.*dist.*47 *q.*1. *§. de secundo.*

Prima est separatio bonorum a malis. 45 Prob. ex *Scoto ibidem*. Congruum est, vt boni à malis finaliter separentur, non enim mali communicant cum bonis, & è contra, nisi vt mali corrigantur, vel, vt boni exerceantur, vt docet *August. in Psal.*54. Vt autem separatio ista, quæ æternaliter permansura est, appareat omnibus iuxta, est necessarium, vt omnes congregentur ad eam audiendam. Ergo congruum est ex hoc capite, vt vniuersale iudicium fiat.

2. Vt publicè omnibus appareat Dei iustitia, 46 Secunda congruentia est. Vt manifestetur iustitia sententiæ circa iudicia particularia. Nam in morte cuiuslibet, & in hac vita multa Deus iudicat iustè, sicut omnia iustè facit. Horum autem iudiciorum, & sententiarum iustitia non est omnibus, imò nulli manifesta, nisi ex coniectura fidei, quia credimus Deum iustè omnia operari, & iniquitatem apud eum non esse. Ergo congruum est, vt omnibus aperiatur in finali iudicio.

3. Generalis reductio ad vnum, 47 Tertia est, quia, sicut res omnes ab vno, & primo efficiente sunt, ita necesse est, vt omnes ad eumdem vltimum finem reducantur. Sed præter speciales hominum exitus à Deo fuit vnus specialis in prima creatione; Igitur præter speciales reductiones electorum, qui in dies ad Deum reducuntur, congruum est, vt fiat vna generalis reductio per finalem sententiam discretiuam, mali enim non reducuntur. Et sic congruum est fieri hanc vniuersalem discriminationem.

Ex possessione Regni decreti multitudini bonorum 4. 48 Quarta congruentia, quæ *Scoto* melior videtur, est; Quia tota multitudo præuisa ad regnum, debet aliquando determinari ad possidendum illud. Et tota alia multitudo relinqui carceri, vt sic fit sequestratio duarum familiarum. Et licet de facto nunc iste, nunc ille adscribatur regno: nunc iste nunc ille carceri. Tamen est congruum, vt aliquando aliquod generale iudicium fiat, per quod tota multitudo præuisa ad regnum, mittatur in possessionem regni, & tota alia relinquatur carceri. Hæc *Scotus*, placuit fideliter omnia eius verba adducere.

Origenis sent. 49 *Origenes*, aliquam ex his assignat in *lib.* 2. *de Principijs cap.* 9. dicens, *dubium non est diem iudicij futurum, quo separentur mali à bonis, & iusti ab iniustis, & singulis quisque pro merito per ea loca, quibus digni sunt distribuantur iudicio Dei.*

Isidori sent. 50 *Isidorus Peluf. lib.*1. *epistola* 222. hanc

assi-

assignat, *Vt anima & corpus in iudicium veniant, nec alterum ab altero seiungatur. Verum quemadmodum in hac vita communem coniunctionem habuerunt sic etiam futurum iudicium subibunt.*

Bernardi sent. 51 *Bernardus in epist. 1. ad Robertum*, ait, *Venit, veniet, qui male iudicata retiudicabit, illicitè iurata confutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus, qui iudicabit in iustitia pauperes, & arguet pro mansuetis terræ.*

Lyr. sent. 52 *Lyranus in ep. 1. ad Cor. cap. 6.* Ver. *Nescitis*, dicit, licet enim Angeli mali, & boni habuerint suum principale iudicium à principio mundi, tamen de hominibus, quos ad malum incitauerunt mali, & ad bonum sancti, recipiant pœnam, & præmium, &c. Hæc *Lyran.*

Glossa Inter. 53 Glossa Interlin. in *Epist. Iuda, ver. 14. Ecce venit Dominus facere iudicium.* Ver. *Arguere*, ait, *conuincere eos, qui prius latebant, ostendendo opera impietatis eorum, quæ prius occultabant.* Et pro hoc argumento habes omnia, quæ afferuntur in *disp. 10. art. 8.*

Sed omnia hæc, & similia motiua reducuntur ad principalem Dei finem, nempe ostentionem iustitiæ suæ. Quæ de hac re dixisse sit satis.

## ARTICVLVS III.

### *In quo tempore erit iudicium.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 48. qu. 2.* cum fide Catholica, docet, in fine mundi futurum esse vniuersale iudicium.

Duplex sensus. 54 Adu. art. hunc duplicem habere sensum. Primus est, an ante mundi finem fiet iudicium. Secundus est, quantum ad hoc superfit tempus, vsque ad finem mundi, si enim id constet, certe scietur tempus iudicij. Et licet in Disput. *De Antichristo, art. 2.* & in Disput. 3. *De Resurr. art. 3.* Pro hoc argumento multa sint dicta. Aliqua tamen pro vtroque dubio hic adijcientur,

55 Adu. 2. Quod licet de fide firmetur, iudicium vniuersale futurum esse in fine mundi, adhuc supereſt difficultas, an prius destruetur mundus, & postea fiet iudicium, an è conuerso prius erit iudicium deinde mundus conflagrabit. Sed hæc in Disputat. 10. discutientur.

Iudicium fiet in fine mundi. 56 Dico 1. Iudicium vniuersale fiet in fine mundi. Est de fide.

Eccles. 57 Prob. 1. ex *Ecclesiastici 18. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersione faciei.* Ergo in consummatione mundi ira, & indignatio Dei, quæ per iudicium designatur, exercerebitur.

Ioel, 58 Prob. 2. ex *Ioel. 2. Venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, & caliginis dies nubis, & turbinis.* Et post aliqua. *Similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis, & generationum,* & *cap. 3.* ait, *mouebuntur cæli, &c.* Igitur in mundi fine fiet.

Sophon. 59 Prob. 3. ex *Sophoniæ 3. Effundam super eos indignationem, omnem iram furoris mei in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.* Ergo, cum terra, id est mundus destruetur, erit iudicium.

Isa. 60 Prob. 4. ex *Isaiæ 13. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores conterendos de ea:* ergo.

Ex Euang. Matt. clare. 61 Prob. 5. ex *Matt. 24. ver. 29.* Vbi interrogatus de aduētu suo ad iudicium Saluator, *quod est signum aduentus tui, & consummationis sæculi*, post multa ait. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Statim autem post tribulationem illam Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, &c. tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.* Ergo in fine mundi erit aduentus Christi ad iudicandum.

62 Conf. ex eodem *cap. Matthæi. Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Ergo

Ex epist. Petri. 63 Prob. 6. ex 2. *Petri cap. 3. Veniet autem dies Domini, tamquam fur in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, &c.* & post aliqua, *expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent*, & paulo ante dixerat. *Cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.* Ergo tempore consummationis mundi erit iudicium.

Ex Concil. Later. 4. 64 Prob. 7. ex *Concil. Later. 4. cap. 1.* & habetur nunc in *cap. 1. De summa Trinit. &c.* vbi hæc inter alia de Christo statuuntur de fide: *Venturus in fine sæculi iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera sua.* Ergo de fide est, in fine mundi faciendum esse vniuersale iudicium. Hinc in festo S. Petri de eo canit Ecclesia, *in fine mundi iudicabis sæculum.*

Tempus determinatum iudicij est incertum. 65 Dico 2. Præcisum, seu determinatum tempus, vt annus mensis, vel dies, in quo ab hinc erit iudicium est omnino incertum. Est etiam de fide.

Matt. Euang. 66 Prob. 1. ex *Matth. 24.* vbi, postquam Saluator, prædixit suum aduentum ad iudicandum, ait. *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater, & Marci 13.* additur, *neque filius.* Et Glossa Ordin. in *Matth. 24.* ait, in quibusdam codicibus additur, neque filius, qui quidem omnia scit cum Patre, sed non facit homines scire, sicut Apostolus, ait in eo esse absconditos thesauros sapientiæ, & scientiæ.

Non

Non facit scire, quia inutiliter sciretur. Sed semper simus incerti de aduentu iudicis, vt sic quotidie viuamus, quasi in alia die iudicandi simus. Hæc Glossa.

Quomodo intelligitur, quod neque filius hominis scit.

67 Prob. 2. ex eodem cap. *Matthæi*. *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*. Et post aliqua. *Ideo, & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est*.

Scrip. claræ.

68 Prob. 3. ex *Luca* 21. *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & supereniat in vos repentina dies illa. Tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem terræ. Vigilate itaque, &c.* Ergo incertum est tempus, & hora iudicij.

Ex Luca.

69 Prob. 4. *Prima ad Thessal.* 5. *De temporibus, & momentis fratres non indigetis, vt scribamus vobis, ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte ita veniet.*

Ex Apost.

70 Prob. 5. ex *Act. Apost.* 1. vbi Iesus dixit Apostolis, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, vbi Glossa Interlin. Verbo, *Non est vestrum*, ait non est hominum, diem iudicij nosse. Et Verb. *Momenta*, dicit, numerum temporum, vel momentorum vsque ad finem sæculi. Glossa Ordin. Ver. *Non est neutrum*, dicit, ostendit, quod ipse sciat, cuius sunt omnia, quæ Patris, sed eis non expedit nosse, sed ita viuant, quasi quotidie sint iudicandi. *Lyran. ibid.* ait non pertinet ad vos hoc scire, nec quærere.

Ex Act. Ap.

71 Prob. 6. ex *Concil. Lateran.* 5. *sess.* 11. *consil.* 1. prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ nequis audeat prædicere certum tempus, seu diem futuri iudicij. Ergo est nobis incertum.

Ex Concil. Later. 5.

72 Prob. 7. ex *Augustin. lib.* 1. *de Trinit. cap.* 12. *De die, & hora nemo scit, neque Angelis in cælo, neque filius. Hoc enim*, ait *Augustin. Nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, vt tunc discipulis indicaret*. Et in *Epistol. ad Euthychium*, ait. Non ergo post quantum temporis futurum sit, sed quomodo futurum sit, opus est scire, vt curent filij lucis esse, & parato corde vigilare, qui nolunt ab illa hora sicut à nocturno fure comprehendi. Nam si ad cauendum hoc malum, id est, ne hora Domini tamquam fur inueniat imparatum, opus est nosse temporum spatia, non diceret Apostolus non esse opus, vt hoc sciberet, &c. Hæc *Augustin.* ex quibus habetur, quod non solum, id est incertum, sed congruum fuit, vt sic esset, ad hoc, vt homines se præpararent ad illud, & in continuo essent timore.

Ex Augustin.

Non est quærendum hoc sed quomodo futurum sit.

## ARTICVLVS IV.

### *Quænam sint signa indicantia tempus Iudicij.*

Signa iudicij sunt duplicis generis.

ADu. Quod de duplici signorum genere fieri potest quæstio. Nempè de signis remotis, & de proximis, ac immediatis. De aliquibus primi generis iam diximus sufficienter in Disp. *De Antichristo*. Hic ergo de eisdem breuiter loquemur, & aliud remotum, & proxima afferemus. Vbi de prædicatione Euangelij aliqua dicemus.

74 Dico ergo 1. Primum signum remotum iudicij venturi est totalis Imperij Romani defectio.

Defectio Imperij Rom. est signum remotũ venturi iudicij.

75 Probata, iam fuit hæc conclusio in *art.* 3. *De Antichristo*, vbi ex SS. PP. explicantibus locum illum 2. *ad Thessal.* 2. *Ne terreamini, quasi instet dies Domini, Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, &c.* hęc intelliguntur pro defectione Romani Imperij. Ita Glossa Interlin. Ordinaria. Ambr. Augustin. Hier. Chrysost. Tertull. Lactantij, Theophil. &c. vt ibi, imò Glossa Ordinaria, quæ est Hieron. & Augustini assignat rationem, cur Apostolus enigmatice sit de discessione locutus, nè scilicet calumniam incurreret, quod Romano Imperio male optauerit, cum speraretur esse æternum. Vt ibidem abundè diximus iuxta ergo ibi dicta, defectio totalis Romani Imperij, est vnum ex signis appropinquationis Iudicij.

Cur Apost. id apertè nõ dixit.

Promulgatio Euang. in toto orbe est alterum signum remotum.

76 Dico 2. Alterum signum (estò remotum.) Approximationis iudicij est promulgatio Euangelij in toto orbe. Est communis de fide.

77 Prob. ex *Matth.* 24. vbi interrogantibus Apostolis, *dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui. Et consummationis sæculi:* Christus ait, *Videte ne quis vos seducat*, & prædicens multa præcurrentia, postea *ver.* 14. habet, *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.*

Et licet Glossa Interlin. Ordin. & Lyrani intelligant de consummatione Ierusalem, & dicant, ante destructionem illius per Apostolos in toto mundo fuisse prædicatum Euangelium, id est in potioribus mundi, tunc notis nationibus, quia in Africa, Asia, & Europa. Tamen non videtur sic posse intelligi, quia interrogatio fuit de aduentu Christi, & consummatione sæculi, quæ tunc accidet, ergo ad eam est referenda responsio. Ideo *Lyran.* Ver. *Et tunc*, limitat, quod docuerat, dicens, ante consummationem Ierusalem, fuisse quidem prædicatum Euangelium in ijs partibus mundi; sed ante consummationem

nem mundi, Euangelium erit prædicandum omnibus gentibus.

Ex Prophetis. 78 Prob. ergo 2. Prophetæ iam sæpè prædixerunt Christum dominaturum in toto mundo, dilatandum eius ditionem in omnes gentes; recipiendum ab vniuersis: ergo ante iudicij diem, hoc debet esse verificatum. Anteced. prob. ex *Psal.* 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* *Psal.* 71. *dominabitur à mari, vsque ad mare, & à fluminibus, vsque ad terminos orbis terrarum.* *Psalm.* 85. *omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine.* Item *Sophon.* 2. *Adorabunt eum omnes de loco suo, omnes insulæ gentium.* *Malach.* 1. *Ab ortu Solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Ex Psal. 2. 71. 85. &c. Ex Sophon.

Quæ loca sic interpretantur à Glossis Interlin. Ordin. & *Lyran.* vt semper doceant Christi Regnum per orbem vniuersum dilatari oportere.

Ex Hieron. 79 Prob. ex *S. Hieron. in cap.* 24. *Matth.* Ver. *Et prædicabitur hoc Euangelium, &c.* sic habente. *Signum dominici aduentus, est Euangelium in toto orbe prædicari, vt nullus sit excusabilis.* Licet ipse putaret suo tempore esse hoc adimpletum, vel in proximo adimplendum, dicit enim, *quod aut iam completum, aut breui terminus esse complendum.* *Non enim puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret, & quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare.* Esto ergo in hoc secundo *Hieron.* sic putauerit, certum tamen docet, Euangelium in toto mundo esse prædicandum ante Christi aduentum.

Hier. putabat suo tempore hoc fuisse adimpletum,

Ex Cyrillo. 80 Prob. 3. ex *S. Cyrillo Hierosol. catb.* 15. vbi differens de signis aduentus Christi, & iudicij, inquit, *habes, & hoc signum. Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc erit finis.*

Ex Chrysost. 81 Prob. 4. ex *S. Ioanne Chrysost. homil. in* 2. *epist. ad Thessal.* vbi præ cæteris habet. *Ponit autem multa ipse Dominus signa aduentus eius, vnum quidem maximum dicens quando prædicabitur euangelium apud omnes gentes.* Ergo.

Ex Damasc. 82 Prob. 5. ex *S. Ioan. Damasc. lib.* 4. *de fide Orthod. cap.* 27. sic docente. *Primum itaque, vt Dominus dixit Euangelium apud omnes gentes prædicari necesse est, &c.*

Ex Theodor. 83 Prob. ex *Theodoreto in* 2. *ad Thessal. cap.* 2. Cum dedicisset Apostolus dixisse Dominum oportere Euangelium prædicari in omnibus gentibus, & tunc finem futurum, videret autem adhuc vigere cultum idolorum, dixit, sequens doctrinam Domini fore, vt prius euertatur dæmonum cultus, & vbique fulgeat diuina prædicatio, & tunc appareat veritatis aduersarius.

Ex Prospero 84 Prob. ex *S. Prospero, de Prædictionibus promissi Dei p.* 3. *cap.* 40. Qui confirmat hanc sententiam his verbis, firmat hæc Dominus in Euangelio Matthæi dicens, Et prædicabitur Euangelium hoc in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Ergo.

Omnes Ecclesiæ DD. eodem modo explicat locum Matthæi.

85 Probari posset ex omnibus Ecclesiæ Doctoribus, qui hunc Euangelistæ locum explicarunt; sed libet primorum sæculorum aliquem adducere. *Origenes tract.* 28. *in Matth.* Præ cæteris sic habet, & in hoc statu nempe prope finem rerum constitutis rebus, Euangelium, quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo, tunc prædicabitur, vt omnis gens Euangelicam audiat prædicationem, & nemo derelinquatur, & tunc erit sæculi finis. *Origenes*, autem mortuus est anno Christi 256.

Origenes.

Tatianus ante Orig.

Ante *Origenem* idem docuerat Tatianus in Harmonia Euangeliorum his verbis, dum Euangelium Vniuersos Gentium fines occupauerit, tunc finem instare mundi. Iste autem de anno 172. viuebat, quia tunc lapsus est in hæresim. Hic dicitur fuisse Magister Pantheni, Panthenus verò *Origenis*. Ergo semper fuit dogma fidei in Ecclesia, ante finem mundi, & iudicium, fore prædicandum Euangelium in toto mundo.

*Augustini* vero mihi familiarissimi Magistri authoritatem in solutione difficillimi sequentis argumenti, adducam.

Arg. validũ; quod Euangelium tempore Apostolorum fuit prædicatum in toto orbe.

Dices hoc signum non esse authenticum, nam iam inde ex tempore Apostolorum, Euangelium fuit prædicatum in vniuerso orbe, & tamen iudicium adhuc nen est factum: ergo: Assumptum probatur, ex *Roman.* 10. *ver.* 18. *Sed non omnes obediunt Euangelio, &c. Sed dico numquid non audierunt, & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Solutio 1. quod præteritum stat pro futuro ob certitudinem rei.

86 Resp. ad hoc argum. varias esse solutiones. Prima est ex Glossa Ordin. Ver. *In omnem*, dicente. Nec hoc tempore Apostolorũ impletum est, sed spiritu Sancto reuelante videt implendum in posteris: Locutus est igitur præteritiuè propter certitudinem prophetiæ; dicendo igitur *eorum*, non solum de Apostolis, sed & de eorum posteris intelligi voluit. Sic & illud testes mihi eritis vsque ad vltimum terræ. Hæc Glossa, & valde quadrat, quia dicens illis vobiscum sum, *vsque ad consummationem sæculi*, intelligitur, etiam de successoribus.

87 *Lyranus*, ait ibid. hoc adimpletum, esse tempore Apostolorum, qui dispersi sunt per principales mundi partes ad Occidentem, Orientem, &c. idemque repetit in *cap* 24. *Matth.* Ver. *In vniuerso orbe.*

Hieron. videtur putare, quod Apost. tempore fuit impletum.

88 *S. Hier.* Licet in *cap.* 24. *Matth.* putet fuisse adimpletum Apostolorum tempore, vel saltem breui esse complendum, tamen, nec firmiter tenet de tempore Apostolorum. Et in cit. *cap.* 4. *ad Rom* 10. dicit. *In omnem terram, &c. vult hoc testimonium per allegoriam de vocibus intelligi Prophetarum.* Ergo sic litteraliter non accipit. Ibi autem non tenet cer-

certè igitur ex *Hier.* non est adeo clarum, quod oraculum Christi, *prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, & tunc erit consummatio*, fuerit adimpletum litteraliter tempore Apostolorum. Ideo optime ex absurdo arguit Origenes loco citato, si dicatur tempore Apostolorum fuisse prædicatum Euangelium in vniuerso mundo, dicere quis posset finem fuisse mundi, quod est ridiculum.

Sed non ita ex.

89 *S. Ambrosius* refert Apostoli dictum in *cit. cap.* 10. *Rom.* in omnem terram ad iudæos, sic dicens. Vsque adeo prædicationem Dei à iudæis auditam esse testatur, vt etiam impletum orbem diuina annunciatione prænunciet. Quod enim Psalmographus de creatura dixit hoc Apostolus de Euangelistis, quia vbique audita est, & peruenit in omnem locum prædicatio nominis Christi. Vbi enim præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama peruenit, sicut peruenit opinio Virturum factarum in Ægypto ad omnes gentes, teste Rahab meretrice. Si enim in omnem locum peruenit, non potuerunt non audire iudęi Apostolicam prædicationem, vt nemo ex his excusatus sit à crimine diffidentiæ. Hæc *Ambrosius*, ex quibus habes, quod iudæi omnes qui erant in toto orbe, vel per præsentiam Apostolorum, vel per famam de opinionibus varijs de Messiæ aduentu iam secuto, audierunt Euangelium: at ex hoc non colligitur, quod totus orbis gentilium id audierit, quia fama ad eos non poterat in vniuersum peruenire, cum non essent solliciti de Messiæ aduentu.

Ambros. declarat de iudęis dispersis in toto orbe; ipsi enim omnes audierunt Euãgelium tempore Apost.

Non verò omnes gentiles.

90 *S. Augustinus epist.* 80. ex qua Glossa Ordinar. accepit, dicit, Paulum more prophetico prę̃rerito modo dicit exijsse sonum Apostolorum, quia exire debebat suo tempore etiam per suos successores. Nisi sequi velimus opinionem *Vigerij in Institut. cap.* 1. §. & *Caiet. ad Rom.* 10. quod pro omni terra intelligit Apostolus, omnem subiectam Imperio Romano, sicut *Luæ* 2. exijt edictum, vt describeretur vniuersus orbis; sed reuera priores intelligentiæ magis quadrant. Certum est enim, quod in nouis Indijs America, scilicet retroactis sæculis non fuerat prædicatum Euangelium: & multæ aliæ reperiuntur ibidem regiones, quæ nihil audierunt de Euangelio. Intelligitur ergo Apostolus, vel de futuro, vel de notitia iudæorum, vel de vniuersa terra, id est præcipuis terræ partibus, at in omnibus mundi Prouincijs, tempore Apostolorum non fuit prædicatum.

August. quod præteritum accipitur pro futuro.

Aliorum opiniones.

91 Dico 3. Tertium signum minus remotum iudicij est Antichristi aduentus. Est etiam de fide.

Aliud signum minus remotum est Antichristi aduentus.

92 Prob. 1. ex *Ioan.* 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Igitur Antichristus veniet; quod verò veniet ante secundum aduentum Christi probatur, ex

Ex Script. ex Io.

2. *ad Thessal.* 2. *Quoniam nisi reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens tamquam sit Deus:* & post multa. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui, &c.* Hæc autem de Antichristo dicuntur, vt in Disputatione *de Antichristo*, diffusè demonstratum est ex SS. Patribus. Ergo ante Christi aduentum ad iudicium, veniet Antichristus.

93 Prob. 2. ex *Matth.* 24. Interrogatur Saluator, *quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Respondens Iesus dixit eis, videte ne quis vos seducat multi enim venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent; audituri sunt enim prælia, & seditiones præliorum, videte ne turbemini oportet enim primum hæc fieri, sed non dum est finis. Surget enim gens contra gentem, & regnum in regnum, &c.* alia multa, quæ vt de tyramnide Antichristi diximus verificabuntur in huius aduentu, & post ista, ait, ibidem Saluator, *surgent Pseudo Christi, & Pseudo Prophetæ, & dabunt signa magna, &c. Et nisi breuiati fuissent dies illi non fieret salua omnis caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Et tandem. *Statim post tribulationem dierum illorum, Sol obscurabitur, &c. Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.* Ergo ante eius aduentum præcedet Antichristus. Et hoc est vnum ex signis.

Ex Matth.

94 Dico 4. Aliud signum minus remotum erit aduentus Enoch, & Eliæ ad prædicandum contra peruersam Antichristi doctrinam. Est etiam de fide.

Aduentus Enoch, & Eliæ erit minus remotũ signum.

95 Probata fuit in Disput. de Antichristo *art.* 4. diffusè. *Ex Malachia* 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres, &c.* & ex *Matth.* 17. vbi iudæis dicentibus. *Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire.* Respondens Saluator, ait illis. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia,* & *Apocal.* 18. *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis, &c.* Et ex innumeris SS. Patribus, vt in præfato *art.* 4. Hi autem, vt ibidem, sunt Enoch, & Elias.

Alias probata concl.

96 Quod vero hoc signum sit minus remotum patuit, ex dictis in *art.* 4. & 14. nam sicut multo antea tempore venturus sit Antichristus per tres annos cum dimidio durabit eius tyramnis, post ipsius mortem erit iudicium. Elias autem, & Enoch de illo tempore apparebunt ad prædicandum, scilicet tribus annis, & dimidio ante mortem illius: ergo magis proxima est eorum apparitio, quam Antichristi natiuitas.

Quare minus remotũ,

97 Dico 5. signa proximiora iudicij sunt.

Multa signa proxima iudicij.

sequentia; primum est. Multa signa apparebunt in cælo, paulo ante Christi aduentum, nempe in Sole, Luna, & Stellis. Est de fide.

98 Prob. 1. ex *Matth.* 24. Vbi prædicens Saluator maximam orbis vexationem per Antichristum, ait. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & virtutes cælorum commouebuntur; & tunc parebit signum filij hominis in cælo, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate, &c.*

Ex Script. clarè.

99 Conf. ex *Luca* 21. *Et erunt signa in Sole, Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.*

Obscuratio Solis, & Lunæ, & casus stellarum à Lyrano declarantur.

100 *Lyranus*, autem in *cap.* 24. *Matt.* explicans eiusmodi signa, ait, Sol obscurabitur non per priuationem luminis cum sit ei naturalis. Corpora autem cœlestia, tunc manebunt in sua natura integra. Ista autem obscuritas erit respectu nostri per interpositionem alicuius corporis opaci, sicut fit in Eclipsi. *Et Luna, &c.* sequitur, dupliciter potest intelligi, vno modo, quia erit interposita inter Solem, & terram, & sic pars Lunæ, quæ est versus terram obscurabitur. Alio modo, per interpositionem nubium obscurarum. Deinde ait. *Et stellæ cadent*, non quantum ad earum substantiam, cum sint incorruptibiles, sed secundum apparentiam, quia veræ stellæ abscondentur per nubium densitatem, & de nubibus versus terram descendent exhalationes ignitæ, quæ dicuntur stellæ cadentes. *Et virtutes cælorum mouebuntur*, ait hi sunt Angeli de medio ordine secundæ Hierarchiæ & tunc ipsi frequentius solito mouebuntur ex diuina voluntate ad faciendum miraculosas transmutationes, ad incutiendum hominibus terrorem iudicis venientis. Hæc *Lyran.*

Quid per stellas intelligitur;

Virtutes, quæ

101 Prob. 2. ex *Ioel.* 2. in fine. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis:* ergo.

Ex Ioele;

102 Prob. 3. ex *Ioelis* 3. *v.* 14. vbi postquam prædixit, Dominum venturum in Vallem Iosaphat ad iudicandum, ait. *Populi, populi in Valle concisionis, quia iuxta est dies Domini in Valle concisionis. Sol, & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum, & Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam, & mouebuntur cæli, & terra, etc.*

Aliud signū, alterationes magnæ in elementis.

103 Dico 6. Aliud proximum aduentus signum erunt alterationes magnæ in elementis. Est etiam de fide.

104 Prob. ex *Luca* 21. *Erunt terremotus magni per loca, terroresque de cælo, & signa magna erunt*, & post multa. *Et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate.* Glossa Ordin. Ver. *Sonitus*, ait, appropinquante extremo iudicio, sonitus maris, & fluctuum confunditur, terrarumque orbis præmentibus, vndique colonis inficitur: maxima cæli luminaria nouo horrore percussis radijs turbatam faciem velant, quia appropinquante termino suo, elementa, quasi pauentia nutant, & tremunt. Hæc Glossa.

Ex Psal.

105 Prob 2. ex *Psalm.* 96. vbi secundus Christi aduentus prædicitur, & inter alia habetur. *Illuxerunt coruscationes tua orbi terræ, vidit, & commota est terra. Lyran.* ait, quia ante iudicium fient multę impressiones igneę, & ideo subditur, vidit, & commota est terra, quia videntes talia commouebuntur commotione timoris.

Quindecim signa iudicij desumpta per Lyranū ab annalibus Iudæorum.

106 Notandum ex *Lyr. in cap.* 21. *Lucæ*. *Et erunt signa*, vbi refert historiam ex annalibus iudæorum exceptam de signis iudicij, sic. In scholastica historia ponuntur quindecim signa præcedentia quindecim diebus aduentum iudicis, sed vtrum illi dies quindecim futuri sint continue, vel interpolatè se habentes, ibidem sub dubio relinquitur. Primo die erigetur mare 40. cubitis super altitudines montium stans in loco suo quasi murus. Secundo, tantum descendet, vt vix videri possit. Tertio, marinæ beluæ apparentes, super mare, dabunt rugitus vsque ad cælum. Quartò, ardebit mare, & omnes aquæ. Quinto, herbæ, & arbores dabunt rorem sanguineum. Sexto, ruent ædificia. Septimo, petræ ad inuicem collidentur. Octauo, fiet generalis terremotus. Nono, æquabitur terra. Decimo, exibunt homines de cauernis, & ibunt velut amentes, nec mutuo poterunt loqui. Vndecimo, surgent ossa mortuorum, & stabunt super sepulchra sua. Duodecimo, cadent stellæ. Tertiodecimo morientur viuentes, vt cum mortuis resurgant. Quartodecimo, ardebit cælū, & terra. Quintodecimo fiet nouum cælum, & noua terra, & resurgent omnes. Et subdit *Lyran.* dicitur etiam ibidem, quod *Hieron.* inuenit illam in annalibus Hebræorum, in quibus licet sint multa vera, sunt tamen multa falsa admixta. Et concludit, de veritate, seu falsitate istorum signorum iudicium, maioribus derelinquo. Id idem ego asserо, placuit ea adducere, vt sciant omnes, quid antiqui dixerint, non vt omnia amplectamur, sed quæ probat Ecclesia. Et ideo satius erit dicere cum *August. lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 20. in fine, *qua fient in die iudicij, & quo ordine, tunc scietis.*

Non est docetina authetica, ideo sub dubio relinquitur.

107 Not. 2. Quod de mundi conflagratione præcedente iudicium, erit propria Disputatio, quæ erit vndecima in ordine.

ARTI-

## ARTICVLVS V.

### *In quo loco fiet iudicium vniuersale.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. dist. 47. qu. 1. §. De loco*, ait, dicunt aliqui, quod erit in Valle Ioſaphat, ſecundum illud *Ioelis 3.* Sed planè vult Apoſtolus 1. *Theſſal. 4.* quod boni rapientur obuiam Chriſto in aere; mali relinquentur in terra, & boni non erunt in Valle Ioſaphat. Mali forte erunt ibi vel in circuitu in tanto loco, quantus poterit eos capere, &c. Hæc *Scotus*.

Ratio dubitandi, quæ. 108 Adu. De loco iudicij pauca haberi ex ſacra ſcriptura excepto loco *Ioelis 3.* in quo cuncti conueniunt. Difficultas eſt quomodo paruus ille locus, qui eſt circuitus paucorum ſtadiorum capere poſſit tot millia miriadum corporum. Dicetur autem poſtea vbi apparebit, & vbi ſedebit Chriſtus, num in terra, num verò in aere, & quomodo, atque cum quibus.

Iudicium fiet in Valle Ioſaphat. 109 Dico ergo 1. Iudicium vniuerſale fiet in Valle Ioſaphat. Eſt communis. *Scoti* vbi ſupra. *D. Th. in 4. ſent. diſt. 48. art. 1. D. Bon. ibid. in dub. 3. litter.*

Ex Ioele, 110 Prob. ex *Ioelis 3. Congregabo gentes, & deducam eas in Vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hæreditate mea Iſrael.*

Ex Origene, 111 Prob. ex *Orig. lib. 9. c. 14. in ep. ad Rom.* In duodecim Prophetarum libro dicitur, quia in Valle Ioſaphat Dominus populum ſuum iudicet, ipſam autem Vallem Ioſaphat, paulo poſt, Vallem iudicij nominat. Hæc *Orig.*

Ex Hieron. 112 Prob. ex *S. Hieron. t. 6. in cap. 3. Ioel.* poſt medium. Ver. *Conſurgant*. Vbi ait. Et hæc iuxta priorem ſententiam interpretanda bifariam. *Alij enim gentes aſcendere in vallem Ioſaphat, quæ interpretatur Domini iudicium, & ſedere ibi Deum, vt dijudicet omnes gentes, quæ in circuitu veniunt, in bonam partem intelligunt, quo ſcilicet ſancti contra aduerſarios congregentur, & mittant falces ſuas, vt maturam boſtium meſſem demetant, &c. Alij autem conſurgere gentes, & conuenire in Vallem Ioſaphat, & ſedere Dominum, vt omnes iudicet nationes ideo aſſerunt, vt parent ſe, & aſſumant vniuerſa arma pugnantium, & in Valle Ioſaphat Domini falcibus demetantur, veniſſe enim contra eos tempus iudicij, &c.* Et proſequitur huius loci declarationem quo ſententiam ſuam de iudicij loco firmare videtur. Ergo

Ex Haimone in aere ſedebit Chriſtus. 113 Prob. ex *Haymone lib. 2. in Iſaiam.* Multi autumantes dicunt, quod Dominus ſuper montem Oliueti ſedebit, ex quo aſcendit ad cælos. Dominus non deſcendet in terram ad iudicium, ſed in aere ſedebit in nube contra montem Oliueti, &c. Ergo cum mons Oliueti ex deſcriptione Terræ Sanctæ, & ex infra dicendis ſit prope Vallem Ioſaphat, hoc in loco fiet iudicium.

Quomodo intelligitur, quod Vallis Ioſaphat ſit locus iudicij. 114 Dico 2. Locus iudicij non ita intelligitur eſſe Vallis Ioſaphat, quaſi omnes iudicandi ibi capere poſſint; ſed quod in ea, & circa eum erunt reprobi. Ita expreſsè *Scotus* vbi ſupra, & *D. Th. ibid. in reſp. ad 5.*

115 Prob. ex *Gloſſa Lyrani in cap. 3. Ioelis. Et deducam eos in Ioſaphat, quæ eſt inter montem Oliueti, & Ieruſalem, non quod omnes ibi capiantur, ſed quia Chriſtus deſcendens ad iudicium apparebit in aere ſuper montem Oliueti, vnde aſcendit in cælum, & iudicandi apparebunt circa illum locum; ita quod aliqui erunt in Valle Ioſaphat, alij circa.* Hæc *Lyranus*.

Ex D. Th. In Valle, & circa eam erunt peccatores. 116 *D. Thom. in 4. diſt. 48. art. 1. ad 5.* ait, *dicendum, quod creditur Chriſtus circa montem Oliueti deſcenſurus ad iudicium, vnde aſcendit cui monti ſubiacet Vallis Ioſaphat, vbi peccatores congregabuntur, vel etiam omnes iudicandi, & circa illum locum, quantum ſufficiens erit. Iuſti autem &c.* Hæc *D. Th.*

117 *Scotus*, vt patuit in principio articuli idem docet. Ergo

Electi non in Valle, ſeu terra, ſed in aere manebunt. 118 Dico 3. Electi præſentes iudicio non manebunt in terra, ſed in aere cum ipſo Chriſto, reprobi autem in terra. Eſt *Scoti §. De loco. D. Th.* vbi ſupra *ad 5. D. Bonau. in dub. 3. litter.*

Ex Theſ. ep. 1 119 Prob. ex 1. *ad Theſſal. 4.* vbi Apoſtolus narrans ordinem reſurgentium, ait. *Et mortui, qui in Chriſto ſunt reſurgent primi, deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Loquitur, vt Gloſſa notant, & nos ſæpè cum *Auguſt.* De electis, qui viui reperientur in aduentu Chriſti, & dicit, ſe, cum alijs electis mortuis reſurgentibus ituros obuiam Chriſto venienti ad iudicandum, in aere in quam, occurrent, & ibi ſemper cum Domino erunt. Igitur Chriſto iudicante, & exiſtente in aere ſupra montem Oliueti, ibi etiam erunt corpora electorum. Et ita loquuntur ibi Gloſſæ.

Ex Ambroſ. 120 Prob. ex *Ambroſ. in præfat.* Pauli locum. *Reſurgentibus ergo primis qui in Chriſto mortui ſunt, deinde nos qui viuimus rapiemur vna cum illis baiulis nubibus obuiam Chriſto in aere, vt omnes cum Domino veniant ad prælium, & quos occiderat videat viuos, quia ſicut Domino famulatæ ſunt nubes, ita, & hi quos fratres ſuos dignatus eſt appellare, & ſic ſemper cum Domino erimus, &c.* Hæc *Ambr.* qui, & mortem in ipſo raptu futuram docet, & reſuſcitationem eorum coram ipſo faciendam aſſeuerat, vt ſic viui ſemper cum Domino eſſe poſſint. Ergo in aere manebunt Electi, vbi manebit Chriſtus, alioquin non eſſent ſemper cum eo.

Ex Haimone 121 Prob. ex *Haymone in cap. 3. ad Philippen.* Licet omnes in momento reſurgant, iuſti, & impij in die iudicij, ſoli tamen iuſti

occurrent Domino in aera deportandi ab Angelis, impij verò manebunt in terra, quo vsque percipient terribilem illam sententiam iudicis, *Ite maledicti in ignem aeternum, &c.*

Ex Theofil. 122 Prob. ex *Theofilac. in cap. 6. Ioann.* *Duplex est resurrectio. Vna quidem communis, & generalis, qua omnes etiam peccatores resurgunt, altera, qua soli iusti assumuntur in occursum Domini in aera. Hanc autem resurrectionem Paulus exurrectionem nominat propter elevationem à terra; peccatores enim resurgent quidem ex sepulturis in terram, de terra autem non exurgent in aerem: infra enim manebunt sicut condemnati. At ita iusti resurgunt, & exurgant, qui rapiuntur in nubibus in occursum Domini in aera. Peccatores autem resurgunt tantum in terra manentes.*

Idē Theofil. 123 Conf. ex eodem 1. *ad Corinth. 15.* Est enim par, vt iusti priuilegio quopiam gaudeant in resurgendo, cum enim rapiendi sint in aera in occursum Domini, præ alijs excitantur; nam peccatores infra expectant iudicem, ceu condemnati. Hæc *Theofil.*

Ex Oecumenio, 124 Prob. ex *Oecumenio in 1. ad Thes. 4.* Etenim credentes, & qui hoc nomen in nullo fucatum habent, in nubibus obuiam Christo rapientur; increduli vero deorsum expectabunt ipsum venientem, indigni, qui occurrant. Hæc *Oecum.*

Ex Ioā Dam. 125 Prob. ex *Ioann. Damasc. orat. de defunctis*, vbi de iudicio loquens, dicit, iusti quidem, cum Deo, & secum vna erunt, peccatores autem in exteris, & miseris locis.

Beda. 126 Prob. ex *Beda lib. 4. in Marcum 13.* Nullus remanebit electus in die iudicij, qui non venienti ad iudicium Domino in aera non occurrat, siue viuens, adhuc in corpore repertus, siue de morte iam resuscitatus ad vitam. Veniunt ad iudicium reprobi, & ipsi, alij in corpore viuentes inuenti alij de morte resuscitati, sed ea nimirum distantia, quod iusti congregantur ad gaudium Domini sui; inimici autem eius dissipentur in iudicio, & pereant à facie Dei. Hæc *Beda.*

Ex August. 127 Prob. ex *Aug. lib. 20. de Ciuit. cap. 24.* vbi explicans illud. *Psal. 49. Aduocauit cælum de sursum*, ait, inter alia, *nil melius intelligi existimo, quam homines, qui rapientur obuiam Christo in aera.* Paulo ante dixit, *aduocabit, & terram, id est homines in terra vtique iudicandos.* Ergo electi in aere, reprobi in terra manebunt.

Quæ de loco iudicij sufficiant.

# DISPVTATIO X.

## DE IVDICE, EIVS ADVENTV, AC POTESTATE; ET FORMA IVDICII FINALIS.

### ARTICVLVS I.

*An Christus futurus sit iudex in finali iudicio.*

Scoti mens, SCOTVS *in 4. sent. distin. 48. quæst. 1.* cum fide Catholica docet, Christum futurum esse supremum iudicem in die finalis iudicij.

Multa discutienda. 1 Aduerto in hac Disputatione *de iudice*, multa sunt inquirenda. Primo, quis nam erit iudex. Secundo, in qua maiestate, situ, & loco apparebit. Tertio, cum qua potestate iudicabit. Quarto, an alij erunt cum Christo coniudices. Quinto, an omnibus erit visibilis. Sexto, an omnium facta erunt omnibus nota in die iudicij. Septimo, quæ nam erit forma iudicij. Octauo, num realiter, vel mentaliter iudicium fiet. Nono, quantum durabit iudicium, Quæ omnia distinctionis gratia per singulos articulos explicabimus. Hic autem de iudice tantum loquemur.

Iudex in finali iudicio erit Christus 2 Dico ergo. Iudex supremus in finali iudicij erit Christus Dominus. Est de fide.

Ex Script. clarè. 3 Prob. 1. ex *Matth. 25. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, et omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum, &c. Esurini, &c. Tunc dicet Rex, & his, qui à sinistris eius erunt, discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Esurini, &c.* Ergo Christus est futurus iudex.

Matt. Euang. 4 Prob. 2 ex *Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos iudicantes duodecim tribus Israel:* ergo.

Ioan. 5. 5 Prob. 3. ex *Ioann. 5. Pater non iudicat quem-*

*quamquam; sed omne iudicium dedit filio*: & post multa. *Omnes qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei, & procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij*: ergo.

Ep. ad Rom. 6 Prob. 4. ex *Roman.* 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi scriptum est enim, vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genus, & omnis lingua confitebitur Deo*: ergo.

Ad Cor. 1. 7 Prob. 5. ex 1. *Cor.* 15. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Ex Act. Ap. 8 Prob. 6. ex *Act. Apost.* 10. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipsa est, qui constitutus est ab eo iudex viuorum, & mortuorum.*

Ex eisdem. 9 Conf. ex *Act. Apost.* 17. *Statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus suscitans eum à mortuis.*

Ex Symbolis 10 Prob. 7. ex Symbolis Apost. Nicæno, Constantinopolitan. & Athanasij, in quibus profitemur Christum Dominum venturum esse ad iudicandum viuos, & mortuos. Ergo de fide est, eum futurum esse supremum iudicem. An verò, vt Deus, vel vt homo, vel ratione totius coniuncti, dicetur postea.

Ex Concil. Tolet. & Later. 4. 11 Prob. 8. ex *Concil. Tolet. 6. cap. 1.* & ex *Concil. Later. 4. cap. 1.* & habetur in *cap. Firmiter, de summ. Trinit. & fide Cathol.* vbi de Christo inter alia habetur. *Venturus est in fine sæculi iudicaturus viuos, & mortuos, & redditurus singulis secundum opera eorum, tam reprobis, quam electis*: ergo.

Ex PP. 12 Prob. Tandem ex omnibus PP. in tota hac Disputatione citandis, qui concorditer docent hunc fidei articulum.

## ARTICVLVS II.

### *Quali apparatu, ac maiestate Christus apparebit.*

13 ADu. Quod breuitatis gratia hæc omnia simul inquirimus. Quomodo nimirum erit Christi aduentus.

Signum omnis in aere apparebit. 14 Dico ergo 1. Præmissis signis iam allatis in *Disput. præced. art.* 4. Nempè in Sole, & Luna, ac Stellis; in terra, ac mari: præmisso magno, per Angelos tubæ sonitu, quo mortui resurgent, & ignis conflagratione immediatè ante Christi apparitionem apparebit in aere signum Crucis resplendentis. Est communis.

Ex Gloss. 15 Prob. 1. ex *Matth.* 24. vbi alijs præmissis futuris signis, Saluator ait. *Et tunc parebit signum filij hominis in cælo, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli*, vbi Glossa Interl. ait. *Signum crucis, vt videant in quem transfixerunt. Lyran. ibid.* inquit. Tunc immediatè post prædicta signa, parebit signum filij hominis, id est Crux, claui, & lancea, quæ sunt passionis Christi instrumenta: ergo.

Ex Hippol. 16 Prob. 2. ex *S. Hyppol. orat de consumat. mundi*: vbi loquens de præparatorijs ad Christi aduentum, inquit, inter alia. *Orietur ab Oriente, ad Occidentem vsque signum Crucis superantis splendorem Solis denuncians aduentum, & apparitionem iudicis*: ergo.

Ex Ephrem. 17 Prob. 3. ex *S. Ephrem lib. de vera pœnit. cap. 4.* sic habente. *Sancta Crux in consummatione sæculi cum gloria ingenti apparebit in cælo.*

18 Prob. 4. ex eo, quod canit Ecclesia in officio sanctæ Crucis. *Hoc signum Crucis erit in Cælo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

Ex Isa. 19 Prob. 5. ex *Isaiæ 66. Et ponam in eis signum.* Vbi *Lyranus* citat alios DD. pro hac sent. dicens signum Sanctæ Crucis, vt dicitur *Matth.* 24. Tunc parebit signum filij hominis in cælo, quod exponunt Origenes, & Chrysostomus, de signo Crucis mirabiliter radiante in iudicio ad gloriam fidelium, & confusionem reproborum: ergo.

Glos. Ord. 20 Prob. 6. ex Glossa Ordin. *in cap. 3. Ioel.* Ver. *Congregabo. Sicut Ioannes Chrysostomus dicit, Angeli deferent ante eum signum Crucis.*

Ex Hieron. 21 Prob. ex *S. Hieron. in cap. 24. Matth.* Ver. *Tunc parebit signum filij hominis.* vbi ait. *Signum hoc, aut Crucis intelligamus, vt videant iuxta Zacchariam, & Ioannem, iudæi, quem compunxerunt, aut vexillum victoriæ triumphantis.*

22 Prob. ex *S. Ioan. Chrysost. in cap. 24. Matth. homil. 77. Tunc apparebit signum filij hominis in cælo. Hoc est Crux ipsa. Crux enim Sole fulgentior videbitur. Cuius autem rei gratia illud signum apparet? vt iudæorum impudentia opprimatur, Crucem in suam iustificationem secum habens in iudicium veniet.*

Post crucis signum immediatè, vt fulgur apparebit Christus. 23 Dico 2. Post Crucis signum immediate, tamquam fulgur apparebit Christus cum splendore magno, & maiestate, & gloria. Est de fide.

Ex Script. 24 Prob. 1. pars ex *Matth.* 24. *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque ad Occidentem, sic erit aduentus filij hominis.*

25 Conf. ex *Luca* 17. *Sicut fulgur coruscans sub cælo in ea, quæ sub cælo sunt fulget, ita erit filius hominis in die sua.* Vbi Glossa Interlin. Ex hac comparatione, duas proprietates ex Christi apparitione colligit, velocitatem, & splendorem, *erit*, ait, *subitus, & coruscus.* Et *Lyran.* ibi ait, quod, licet aduentus in carne fuerit occultus, tamen aduentus ad iudicium, erit ita manifestus, quod non poterit aliquem latere.

Ex Beda. 26 Prob. 2. ex *Beda lib. 5. in Luc. cap. 17.* Si autem Dominus in iudicio, vt fulgur apparebit, nullus tunc in sua mente latere permittitur, quia ipso iudicis fulgore penetra-

tur,

tur, non ergo eius venturi tempus, aut locus poteſt à mortalibus obſeruari, qui fulguris inſtar omnibus coruſcus videlicet, & repentinus aduenier. Hæc *Beda* ergo.

De ſplendore ex Aug. 27 Prob. de ſplendore ex *Aug. ſerm.* 130. *De tempore. Tanta erit eius claritas, vt ad eius præſentiam, neque Sol, neque Luna appareant.*

Ex Theofil. 28 Conſ. ex *Theofil. in Luc. cap.* 17. Veniet Chriſtus cum ſplendore indicibili licet tempus illud noctem vocent, eo quod repentinum, & inopinatum, vel quia tenebris inuoluentur peccatores, &c.

Ex Tertull. 29 Prob. ex *Tertull. lib. de præſcript. cap.* 13. Regula eſt fidei, vt credamus, Chriſtum venturum, cum claritate ad ſumendos ſanctos,&c.

De maieſtate prob. 30 Prob. 2. pars. De maieſtate ex *Matt.* 24. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate.* Gloſſa Ordin. habet. *Secundus aduentus non in humilitate vt prior, ſed in gloria demonſtrabitur.* Idem ait, *Lyran.*

Script. Matt. 31 Prob. 2. ex *Matth.* 25. *Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, &c.* vbi Gloſſa Interlin. Habet; *veniet in diuinitate, qua iudicabit, qui prius venit in humilitate.*

Ex Luca. 32 Prob. 3. ex *Luca* 9. *v.* 26. *Qui me emburerit, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.*

Ex Leone I. 33 Prob. 4. ex *Luca* 21. *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate.*

34 Prob. 5. ex *S. Leone Magno ſerm.* 4. *de collectis. Veniet in maieſtatis ſuæ gloria Dominus, ſicut ipſe prædixit.*

35 Prob. 6. ex Gloſſa Ordin. in *cap.* 15. *Exodi.* Ver. *Glorioſè enim.* Cum Chriſtus venerit in gloria patris, & Angelorum iudicare terram, & verum Pharaonem, id eſt diabolum interficiet ſpiritu oris ſui, cum reſulgebit in maieſtate Patris, tunc glorioſe glorificabitur, cum omnes honorificabunt illum, ſicut honorificant Patrem: ergo.

36 Prob. 7. ex *Auguſt. ſerm.* 67. *de temp.* Cum tremente mundo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis in illo maieſtatis ſuæ throno circumdatus cæleſtis militiæ luce conſederit, &c. Ergo in maieſtate veniet, & in maieſtatis throno ſedebit.

De Gloria. 37 Prob. De Gloria. *Matth.* 16. *v.* 26. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius.*

Euang. Marci 38 Prob. 2. ex *Marci* 8. *v.* 38. *Filius hominis confundet eum, cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis, &c.*

Theofil. 39 Prob. ex *Theofil. in Matth. cap.* 16. *Veniet enim tunc iudex in gloria ſua, & cum Angelis, & non contemptibilis:* ergo.

40 Conſ. ex *Theofil. in Luc. cap.* 17. Veniet Chriſtus cum Angelis in gloria Patris, & in ſplendore indicibili, licet tempus illud noctem vocent, &c. Vt in ſecunda concluſione.

Greg. Nyſſ. 41 Prob. ex *Greg. Niſſ. orat.* 5. *de Beatitudinibus.* Cum Rex creaturæ in ſublimi ſolio gloriæ magnificè præſidens humanæ creaturæ, ſeſe reuelauerit, & conſpiciendum præbuerit, &c.

Beda. 42 Prob. ex *Beda lib.* 5. *in Luc. cap.* 17. Secundus Saluatoris aduentus non in humilitate, vt prius ſed in gloria, & maieſtate eſt futurus in aeris medio,&c.

Ex Scoto. 43 Prob. ex *Scoto in* 4. *diſtinct.* 48. *q.* 1. *G.* Corpus Chriſti poſtquam glorificatum eſt, numquam non erit glorioſum; Sicut poſtquam ſurrexit immortale, numquam non erit tale ex *Rom.* 6. *Mors illi vltra non dominabitur.* Et ita dicendum de alijs dotibus corporis glorioſi. Ergo cum deſcendet ad iudicandum, cum glorioſo corpore deſcendet.

Veniet cum Angelorum comitatu. 44 Dico 3. Chriſtus deſcendet cum Angelorum comitatu. Eſt de fide.

Ex Script. 45 Prob. 1. ex *Matth.* 25. *Cum autem venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo. Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c.* ergo.

46 Prob. 2. ex *Pſal.* 49. *Aduocabit cælum deſurſum:* vbi Interlin. ex *Auguſt.* ait. *Angeli ſeparatores, & ſancti. Lyranus,* idem ait; *aduocabit cælum,* quia Angeli cum eo deſcendent ad iudicium, vt ipſe dicit *Matth.* 16.

Ex Lactant. 47 Prob. 3. ex *Lactantio lib.* 7. *diuin. inſt. cap.* 19. Deſcendet Chriſtus comitantibus Angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis.

Ex Ephrem. 48 Prob. 4. ex *S. Ephrem, de extremo iud.* Horrendum ibi erit iudicium,&c. Vbi etiam aſſiſtent millia millium, & decies dena millia Archangelorum, & Angelorum, Cherubim, & Seraphim, &c.

Ex Auguſt. 49 Prob. 5. ex *Auguſt. lib.* 20. *de Ciuitate cap.* 24. vbi explicans illud. *Pſal.* 49. *Aduocans cælum de ſurſum,* ait. *Poteſt intelligi aduocabit Angelos in ſupernis, & excelſis locis cum quibus deſcendat ad faciendum iudicium, aduocabit terram, id eſt homines in terra vtique iudicandos:* ergo.

Ex Leone I. 50 Prob. 6. ex *S. Leone Magno ſerm.* 4. *de collectis. Veniet in maieſtatis ſuæ gloria Dominus, ſicut ipſe prædixit, aderitque cum eo radians in ſplendoribus ſuis innumerabilis Angelicarum multitudo legionum, congregabuntur ante thronum potentiæ eius, omnium gentium populi, &c.*

Ex Haimone 51 Prob. 7. ex *S. Haymone lib.* 2. *in Iſa.* Non deſcendet ergo Dominus in terram, ſed in ſpatio iſtius aeris ſedebit in nube contra montem Oliueti, conſtipatus agminibus & virtutibus cælorum.

Greg. Nyſſ. 52 Prob. 8. ex *Gregor. Niſſen. orat.* 5. *de Beatitudinibus.* Rex creaturæ in ſublimi ſolio gloriæ magnificè apparebit, &c. Innumerabiles circa ipſum Angelorum legiones, &c.

Prob.

Io. Chrysost. 53 Prob. 9. ex *S. Ioan. Chrysostom. hom. 8. ad populum Antioch.* canentibus tubis, Angelis præcurrentibus primis, tum secundis, mox tertijs, demum innumeris ordinibus in terram se fundentibus, insuper autem, & Cherubim, multa verò sunt hæc, & infinita, & Seraphim in illa ineffabili gloria, ipso veniente occurrentibus, &c. hæc *Chrysost.*

Tubis præcinentibus venit Christus 54 Dico vlt. Christus præcinentibus tubis Angelorum descendet.

Script. clara 55 Prob. 1. ex 1. *Thessal. 4. Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli & in tuba Dei descendet de cælo.* Glossa Interlin. ait, *Vox erit quasi tuba suos excitans.* Glossa Ordinar. ex *Haimone*, ait, tuba erit magna vox Angelorum, vel, sicut tuba in bellis, quia tunc inimicos debellabit; & sicut tuba in festis, amicos ad festiuitatem æternæ gloriæ inuitabit *Lyr. ibid.* ait ista tuba non est Lyr. egregie aliud, nisi vox prædicta, quæ dicitur tuba, propter similitudinem tubæ materialis veteris testamenti, qua fiebat vocatio ad concilium, & præparatio ad bellum, & inuitatio ad festum: quia tunc omnes congregabuntur in iudicium, & armabitur creatura in vltionem inimicorum, & inuitabuntur iusti ad festum Angelorum. hæc *Lyr.* egregiè quidem.

Ex August. 56 Prob. 2. ex *D. August. serm. 67. de temp.* quid faciemus in illo metuendo iudicij die, cum tremente mundo Dominus præcinentibus Angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno circumdatus cælestis militiæ luce consederit, &c.

## ARTICVLVS III.

### *In quo loco apparebit Christus, vbi sistet, & quali situ.*

Scoti mens, SCOTVS *in 4. dist. 47. qu. 1.* vt in præc. Disp. docet, quod in Valle Iosaphat & vicinis locis fiet iudicium; De iudice autem sic loquitur. *Forte etiam conijcitur ab aliquo, quod iudex descendet inferius in aere, in quo fuit transfiguratio, vel in quo transfiguratus est coram Apostolis, in qua transfiguratione ostendit signum gloriæ futuræ.* Hæc *Scotus*.

Duo dubia. 57 Adu. Vtrumque hic examinandum est in quo loco apparebit Christus descendens ad iudicandum, & an ibidem sistet, vel ad alium locum discurret. Item an stans, vel sedens apparebit.

In regione Oliueti montis, & Vallis Iosaphat apparebit Christus; 58 Dico 1. Probabilissimum est Christum in regione Ierusalem, circa montem Oliueti, & Vallem Iosaphat esse appariturum.

59 Prob. 1. ex dictis in *art. 5. disp. præced.* Iudicium faciendum est in Valle Iosaphat iuxta prophetiam *Ioelis* 3. ergo ibi debet apparere iudex.

Gloss. Ord; 60 Prob. 2. ex Glossa Ordinar. *in cap. 3. Ioel.* Ver. *Congregabo*, vbi habet: Christus descendens ad iudicium, non in terra, sed in spatio huius aeris sedebit, contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit: ergo.

Ex Lactan. 61 Prob. 3. ex *Lactantio lib. 7. diuin. instit. cap. 19.* Descendet iudex comitantibus Angelis in medio terræ. Sed medium terræ ex scripturæ sententia, est regio Ierusalem, *iuxta illud Psal. 73. Operatus est salutem in medio terræ*, vbi Glossa Interlin. V. *In medio*, ait, id est *Ierusalem*: Glossa Ordin. ibid. dicit; *medio Ierusalem dicitur esse in medio.* Idem ait *Lyran.* Ierusalem est in medio terræ habitabilis.

Ex Haim, 62 Prob. 4. ex *Haymone lib. 2. in Isaiam.* Multi autumantes dicunt, quod Dominus super montem Oliueti sedebit, ex quo ascendit ad cælos, &c. vt in seq. Concl.

Ex Glossa. 63 Prob. 5. ex Glossa Ordin in *cap. 24. Isaiæ*, vbi dicitur, inter alia, *calamitas opprimet portas, quia hæc erunt in medio terræ.* Interlin. dicit, *constat de totius orbis interitu, hæc nunciari.* Ordinaria Ver. *In medio*, dicit, id est Ierusalem, quæ est, vt aiunt vmbilicus terræ. Et autumant multi, quod Dominus iudicaturus, super montem Sion, ex quo ascendit, in aere sedebit, in nube veniet, &c.

Christus in aere apparebit. 64 Dico 2. Christus in loco præfatæ Regionis non in terra, sed in aere apparebit, & sistet.

Script. clara. 65 Prob. 1. ex 1. *Thessal. 4. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.* Ergo si resurgentes electi rapientur per Angelos ad Christum in aere, ibi Christus sistet. Et *Lyran.* ibi, Ver. *In aera*, ait, *vbi proferet sententiam iudicij super Vallem Iosaphat.*

66 Prob. 2. ex Glossa Ordin. in *cap. 17. Lucæ.* Ver. *Nam sicut fulgur*, habet. *Discrimen iudicij sub cælo, hoc est in aeris medio geritur. Vnde rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera.*

Haimo; 67 Prob. 3. ex *Haymone lib. 2. in Isa.* Dominus non descendet in terram ad iudicium sed in aere sedebit in nube contra montem Oliueti. Non descendet ergo in terram, sed in spatio istius aeris sedebit in nube, contra montem Oliueti, constipatus agminibus, & virtutibus cælorum.

Beda; 68 Prob. 4. ex *Beda lib. 5. in Lucam c. 17.* Secundus Saluatoris aduentus, non in humilitate, vt prius, sed in gloria, & maiestate futurus; in aeris medio discrimen geretur teste Apostolo *Simul rapiemur cum illo in nubibus obuiam Domino in aera, &c.*

Lyran; 69 Prob. 5. ex Glossa Lyr. *in cap. 3. Ioelis. Deducam eos in Vallem Iosaphat*, sic habente, Christus descendens ad iudicandum, apparebit in aere super montem Oliueti, vnde ascendit in cælum, & iudicandi apparebunt circa illum locum. hæc *Lyr.*

70 Prob. 6 ex Glossa Ordin. in *cap. 24. Isaiæ*. Ver. *In medio terræ*, vbi habet. Autumant multi, quod Dominus iudicaturus, su-

super montem Sion, ex quo ascendit in aere sedebit; ergo.

71 Prob. vlt. ex Glossa Ordinar. in *cap. 3. Ioel.* in præced. allata.

Christus in throno sedebit, dum iudicabit.

72 Dico 3. Christus sedens in throno apparebit, & iudicabit. Est de fide.

73 Prob. 1. ex *Ioelis 3. Consurgant, & ascendant gentes in Vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes in circuitu:* ergo sedens iudicabit.

74 Prob. 2. ex *Matth. 25. ver. 31. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes.*

Script. euidens.

75 Prob. 3. ex eodem *Matth. 19. v. 28. In regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes, duodecim tribus Israel*, idem *Luce 22.* ergo si sedebunt Apostoli in iudicio multo magis Princeps.

76 Prob. 4. ex *Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim, quia mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Interlin. Verbo, *Tribunal*, ait, *Iudicem Deum sedentem.* Glossa Interl. ait, tribunal sedes iudicum est, quæ in excelso locatur, vt iudex ab omnibus videatur: ita & Christus in tribunali sedebit, vt videatur ab omnibus.

Apocal. sæpe fit sermo de tribunali, seu throno iudicis,

77 Prob. ex Apocalyp. pluribus in locis in quibus prædicitur Christus in throno sessurus in iudicio, *cap. 20. versu 11. Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum*; Interlin. ait, scilicet Christum, & paulo post sequitur textus, *& vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, &c. Et iudicati sunt mortui ex his, quæ erant in libris secundum opera eorum, &c. hæc est mors secunda, & qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Ecce iudicij clara descriptio, ex ipsemet textu, & Glossis ibi, & in *cap. 21. Et audiui vocem magnam de throno dicentem:* & post aliqua, *Et dixit, qui sedebat in throno, Ecce noua facio omnia*, vbi manifestè sit sermo de consummatione mundi; vt *Lyranus* ibi. Ergo Christus in throno sedens iudicabit. Cuius autem materiæ erit hic thronus, Deus scit; & omnia futura ibi tunc sciemus, inquit *Augustin. lib. 20. de ciuitate Dei cap. 25.*

Greg. Niss.

78 Prob. ex S. *Greg. Nisseno tract. 5. de Beatitudinibus.* Cum Rex creaturæ in sublimi solio gloriæ magnificè præsidens humanæ naturæ sese reuelauerit, & conspiciendum præbuerit, &c.

Augustin.

79 Conf. ex 2. *Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum*, ad quod alludens *S. Augustinus ser. 2. de Epiphania*, ait, *Timuit Christum Herodes, eisdem sibi magis nunciantibus, cum adhuc quærerent parvulum:* & post. *Quid erit tribunal iudicantis, quando superbos Reges cunabula terrebant infantii?*

Chrysost.

80 Prob. ex *S. Ioann. Chrysost. hom. 47. ad Pop.* assistemus tribunali Christi, & omnium erit acris examinatio, clarius *in homil. 8. ad eundem pop.* Tremendum enim illud subsellium, horrendum tribunal, horrore plena iudicia, ignis funditur fluuius, &c. & *homil. 5. de pœnitent.* ait. Igitur, & Deo, non sessionis tempore suadendum erit iudici; ante verò iudicij tempus, mitigabilis est iudex, quare dicit Dauid præoccupemus faciem eius in confessione, &c. ergo sedens pro tribunali iudicabit.

Leo I.

81 Prob. ex *S. Leone Magno, serm. 4. de collectis*, veniet in maiestatis suæ gloria Dominus, sicut ipse prædixit, aderitque cum eo radians in splendoribus suis innumerabilis Angelicarum multitudo legionum; congregabuntur *ante thronum* potentiæ eius omnium gentium populi, &c. hæc *Leo*: ergo.

Cyrill. Ieros.

82 Prob. 2. ex *Cyrillo Ieros. homil. in Psal. 33.* in mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet iudex in alto, & sublimi throno. Adstabit pomo creatura omnis prætrepida, & contremiscens, &c.

Ansel.

83 Prob. ex *Ansel. in epist. ad Roman. cap. 14.* Iudicantis est sedere; iudicandorum vero ante iudicem stare; omnes stabimus ante tribunal Christi, &c.

## ARTICVLVS IV.

### *In qua forma apparebit Christus, & an omnibus visibilis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distin 47. quæst. 1.* docet, Christum, non solum in humana forma esse appariturum, sed sic iudicaturum.

Plura dubia.

84 Adu. Sensum art. plura inuoluere. Primum, an apparebit, vt Deus, an vt homo, vt omnibus sit manifestus. Secundum est, an solum, vt homo apparebit, an etiam vt Deus, saltem iustis. Tertium est, an iudicabit secundum potestatem, quam habet, vt homo, an secundum potestatem, quam habet, vt Deus. Duo prima hic discutiuntur: reliquum in suo proprio loco.

Apparebit in forma humana.

85 Dico 1. Christus apparebit omnibus in forma humana. Est de fide.

Script. clar.

86 Prob. 1. ex sæpè citat. loco *Matth. 16. Filius enim hominis venturus est, cap. 24. Sic erit aduentus filij hominis, cap. 25. cum autem venerit filius hominis, cap. 26. videbunt filium hominis venientem, &c. Luce 17. Sic erit aduentus filij hominis*, & alia innumera scripturæ loca, in quibus, spondet, se venturum, vt filium hominis, id est, vt hominem descensurum.

Prob.

87 Prob.1. ex *Act. Apostol. 1. Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum sic veniet quemadmodum vidistis, eum euntem in cælum.* Sed viderunt eum ascendentem in forma humana, Ergo.

88 Prob.3. ex Io.19.v.37. *Videbunt in quem transfixerunt.* Glossa Interlin. dicit. *Quia in ea carne venturus est, in qua est crucifixus.* Et Glossa Ordinar. prolixè id discutit.

Glo. omnes. 89 Prob.4. ex Io:5. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est, nolite mirari, &c.* vbi Glossa Interlio. Verbo, *Nolite mirari*, dicit, quod filius hominis habet potestatem iudicij, vt possit à malis videri mirum est, &c. Glossa Ordinaria ibid. dicit, quia filius hominis in hac forma iudicans, à bonis, & malis videbitur, & *Lyran.* ibid. dicit, hoc fuisse necessarium, vt esset visibilis omnibus iudicandis. Ergo.

Aug. 90 Prob.5. ex *Augustin. lib.20. de Ciuitate cap.30.* Vbi de iudicio vltimo faciendo, sic habet. *Et sic ipse Pater iudicabit per aduentum tamen filij hominis iudicabit. Nam & ipse per suæ præsentiæ manifestationem non iudicabit quemquam, sed omne iudicium dedit filio, qui manifestabitur homo iudicaturus, sicut homo est iudicatus.* Ergo.

Idem. 91 Conf. ex eodem *lib. de Trinit. & Vnit. Dei cap.7.* circa finem. Hæc autem forma humanitatis eius, qua manente, formam diuinitatis accepit, vt in iudicio homo apparebit. Ideo dictum est de patre, quod non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, &c.

Idem. 92 Conf. ex eodem *tract. 24. in Ioann.* Hominibus in iudicio non apparebit nisi filius pater occultus erit, filius manifestus, quia pater non iudicat quemquam, &c. Ecce quod forma hominis Christi videbitur in iudicio. Ergo.

Beda. 93 Prob.6. ex *Beda in cap. 5. Ioann.* Pater non iudicat quemquam, quia patris persona hominem non suscepit, nec in iudicium videbitur, sed sola persona filij. Nec enim filius videbitur in ea natura, qua consubstantialis est Deo patri, sed in ea, qua consubstantialis est matri, & homo factus. Hæc *Beda.* Ergo.

Remigius. 94 Prob. 7. ex *Remigio Antisiodor. in Psal.85.* Pater omne iudicium dedit filio. Ipse enim videbitur horribilis, qui visus est contemptibilis. Apparebit in iudicio homo sed in claritate, quia sicut vidistis ire, sic venies, forma hominis veniet ad iudicandum, ideo videbunt eum impij, &c.

Mag. Sent. 95 Prob.8. ex *Magistro sent. in 4. dist.48.* Solet etiam quæri, in qua forma iudicabit, in forma vtique serui iudicabit, quæ omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali, in quem pupugerunt. Vnde Isaias. *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. &c.* Ergo.

Erit visibilis omnibus in forma huma. 96 Dico 2. Christus in humana forma erit visibilis omnibus, tam electis, quam reprobis. Est de fide,

97 Prob.1. ex *Io. 19. v.37.* vbi de Christo venturo, ait, *Videbunt in quem transfixerunt.* Glossa Interlin. ait. *Quia in ea carne venturus est in qua est crucifixus.* Glossa Ordinar. habet. *Littera Hieron. dicit videbunt me, quem confixerunt. Vulnera enim Christi videbuntur à iudæis, &c.* Ergo. na, etiam reprobis.

98 Prob.2. ex *Matt.24.* vbi dicit. *Et parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem, &c.* ergo ab omnibus tribubus videbitur. Clarè scrip.

99 Prob. 3. ex *Matth. 25.* vbi narratur disceptatio, seu Dialogus futurus inter Christum, & omnes homines, cum quibus loquetur dicens. *Esurini, & dedistis. Esurini, & non dedistis, &c.* Ego videbitur ab omnibus, cum quibus loquetur.

100 Prob.4. ex *Act. Apost. cap.1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Sed ascendens in cælum omnibus visibilis fuit, bonis, & malis. Ergo talis erit in iudicio.

101 Prob. 5. ex *Origene hom. 9. in diuers.* Existimo, ergo, quoniam erit tempus aduentus Christi, quinimmò tanta manifestatio futura est Christi, & diuinitatis eius, vt non solum nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum, secundum quod est, quando & peccatores cognoscent, in conspectu suo sua delicta, & iusti manifestè videbunt semina iustitiæ suæ, & hoc est, quod dicitur, congregabuntur ante eum omnes gentes. Hæc *Origenes.* Origenes.

102 Prob. 6. ex *Theodoreto de Gracorum affect. curatione lib.11.* de iudicio, vbi de Christo, ait, iudicabit autem nos huius nostræ humanitatis vestem indutus, suæ namque diuinitatis natura oculis cerni non potest. Hinc, & se ipsum hominis filium sæpè appellat, quia videlicet, qui iudicabuntur, nostram hanc naturam in eo videbunt. Hæc *Theodoretus.* Theodoret.

103 Prob 7. ex *S. Aug. tract. 24. in Ioann. Hominibus in iudicio non apparebit nisi filius; Pater occultus erit, filius manifestus non ergo Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit, filio. Ecce forma hominis Christi videbitur in iudicio à pijs, & impijs, à iustis, & ab iniustis, à fidelibus, & ab infidelibus, à gaudentibus, & à plangentibus, à confisi, & à confusi.* Augustin.

104 Conf. ex eodem *lib. de Trinitate, & Vnitate Dei, cap. 7.* circa finem, vbi promittens, quod Christus apparebit iudicaturus in forma humana, addit. *Formam namque in Christo hominis tantum ab eo iudicandi videbunt impij, de quibus dictum est videbunt in quem transfixerunt.* Ergo. Idem.

105 Prob.8. ex eodem *lib.1. de Trinitate cap.13.* vbi præ cæteris hæc habet. *In malitia perseuerantes in illo iudicio puniendi sunt, sicut scriptum est Zacchar. 12. Videbunt in quem pupugerunt; Cum enim boni, & mali visuri sint iudicem vinorum, & mortuorum* Idem.

*procul dubio eum videre non poterunt mali, nisi secundum formam qua filius hominis est, sed tamen in claritate, qua iudicabit, non in humilitate, in qua iudicatus est.*

Isidor. Hisp. 106 Prob. 9. ex *Isidoro Hispal. lib. 1. De summ. bono cap. 30.* In iudicio, reprobi humanitatem Christi, in qua iudicaturus est videbunt. Et post aliqua, Pro diuersitate conscientiarum, & mitis apparebit in iudicio Christus electis, & terribilis reprobis.

Ansel. 107 Prob. 10. ex *Anselm. in epistol. 2. ad Thessal. cap. 1.* In iudicio videbunt boni, & mali formam serui, &c.

Alcuinus. 108 Prob. 11. ex *Alcuino lib. 3. de Trinit. cap. 18.* Videbunt namque impij, in quem compunxerunt, forma illa, (scilicet humana) erit iudex, quia stetit sub iudice illa iudicabit, quæ iudicata est, iniquè est iudicata, & iudicabit iniste. Talis apparebit iudex, qualis videri possit ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est: ergo.

Superfluum est alios adducere Patres, cum sit vnanimis omnium consensus.

Christi diuinitas non videbitur à reprobis. 109 Dico 3. Reprobi in iudicio non videbunt Christi diuinitatem.

110 Prob. 1. Si viderent diuinitatem, non essent reprobi, sed beati: ergo. Antec. prob. ex *Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.* 2. ex *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ergo reprobi diuinitatem non videbunt.

Augustin. 111 Prob. ex *S. Augustin. lib. de Trinitat. & Vnit. Dei cap. 7.* vt supra dictum est. *Formam namque in Christo hominis tantum ab eo iudicandi videbunt impij, de quibus dictum est. Videbunt in quem transfixerunt. Dei vero formam in eodem ipso Christo, qua æqualis est patri, vtique non videbunt, vt Propheta testatur Isaias 26. Tollatur impius, vt non videat claritatem Dei, &c.* Idem prorsus, eademque verba habet in *lib. contra sermon. Arian. cap. 11.*

Idem. 112 Prob. ex eodem *lib. 1. Trinit. cap. 13.* vbi præmittens, quod impij videbunt Christum in forma hominis, subdit. *Cæterum illam Dei formam, in qua æqualis est Patri, procul dubio impij non videbunt, non enim sunt mundi corde. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Isidor. Hisp. 113 Prob. ex *Isidoro Hispalen. lib. 1. de summo bono cap. 30.* In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est videbunt, vt doleant; diuinitatem vero eius non videbunt, nè gaudeant. Quibus enim diuinitas eius ostenditur, vtique ad gaudium demonstratur.

Glossa. 114 Prob. ex Glossa Ordin. in *cap. 5. Io.* Ver. *Et potestatem dedit ei iudicium facere*: sic enim habet. Et potestatem, quam habet Pater in occulto, cum filio, dedit Pater ei, quia filius hominis est, in qua forma iudicans à bonis, & malis videbitur; Visio enim formæ Dei solis mundis corde permittitur, vnde Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Idem dicit Glossa Lyrani ibidem.

Remigius. 115 Prob. ex *Remigio Antisiodor. in Ps. 85.* supra relato, forma hominis veniet ad iudicandum, ideo videbunt illum impij, sed in forma Dei eum non videbunt, quem soli mundo corde videbunt.

## ARTICVLVS V.

### *Cum qua potestate Christus iudicabit.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 48. quæst. 1.* plura docet. Primo, quod Christus in forma humana iudicabit. Secundo, quod principaliter, & authoritatiuè iudicabit, vt Deus, id est potestate principis, seu diuina. Tertio, quod subauthenticè, seu commissariè iudicabit, vt homo, potestate delegata, in gradu excellentissimo, quo magis excellens non potest creaturæ communicari. Ideo

Maximum dubium, & præcipuum. 116 Adu. hoc esse præcipuum in hac Disputatione dubium. An tota Trinitas iudicabit homines in iudicio per filium, an solus filius. Si verò solus filius, vel Trinitas per filium, an Christi humanitas potestatem exercebit iudiciariam. Ratio autem dubitandi, oritur ex *Ioann. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium:* & post aliqua. *Dedit filio potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.* Ex quo videtur data potestas Christo, vt homini, quia, vt Deus eam habebat. Ideo videndum, qualis, & quanta est hæc potestas iudiciaria Christi, vt homo est, & valde differunt, iudicare in forma humana; & secundum potestatem humanam.

Iudicium quid significet. 117 Adu. 2. ex *Scoto in 4. distinct. 48. quæst. 1. §. Ad quæstionem D.* quod, vt in *disp. 9. art. 1.* iudicium hic sumitur pro completa determinatione eius, quod reddendum est alicui pro meritis. Quæ determinatio includit perfectum dictamen intellectus de hoc, & perfectum velle voluntatis efficax. Ideoque principaliter iudicare, includit principaliter dictare, & principaliter habere velle efficax; quod non potest competere, nisi agenti supremo, non habenti velle subordinatum alteri in agendo, & iudicando.

Iudicabit in forma humana. 118 Dico 1. Christus in forma humana iudicabit. Est de fide.

Alias probata concl. 119 Prob. ex dictis in omnibus præcedd. art. sufficiat modo aliqua scripturæ loca recolere. *Ioann. 5. vt supra. Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. Matth. 24. Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate, & Matth. 25. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ,*

& con-

*& congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. Et statuet oues à dextris hædos autem à sinistris. Tunc dicet his, qui à dextris sunt. Venite, &c. Esurivi, &c. Act. 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Act. 10. Qui constitutus est à Deo iudex vivorum, & mortuorum. Act. 17. Iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus suscitans eum à mortuis*, vbi nota *in viro*, id est in forma viri, seu humana. Ergo de fide est, Christum esse iudicaturum in forma humana.

Script. clarę sunt.

120 Prob. ex Glossa Ordinar. *August. in cap. 5. Ioann. Neque enim pater iudicat quemquam*, sic enim habet. *Quia persona Patris in iudicio non apparebit; sed nec Christus in eo, quod ei consubstantialis, sed in forma serui, vt possit etiam, ab impijs videri, in qua iniustè iudicatus, iustè iudicabit.* & eadem Glossa Ordin. ibid. Ver. *Et potestatem dedit ei iudicium facere*, dicit. *Et potestatem, quam habet filius cum patre in occulto dedit pater ei, quia filius hominis est; in qua forma iudicans, à bonis, & malis videbitur.*

121 Prob. tandem ex *Magistr. Sentent. in 4. dist.* 48. In forma vtique serui iudicabit, quæ omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali, in quem pupugerunt, &c. Idem docent *Scotus in dist.* 48. *quæst.* 1. *Diuus Thomas, & D. Bonauentura, ibid.* & catholici omnes.

principaliter iudicabit, vt Deus.

122 Dico 2. Christus principaliter, & authoritatiuè iudicabit, vt Deus. Est *Scoti*, & omnium Scotistarum *in 4. dist.* 48. *qu.* 1. & *S. Thoma in 4. dist.* 48. *quæst.* 1. *art.* 1. *S. Bonau. ibid. quæst.* 1. & omnium Scholasticorum.

123 Prob. 1. ex *Ecclesiastis* 12. in fine. *Cuncta, quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. Lyran.* ibi, ait adducet Deus in iudicium generale. Ergo vt Deus iudicabit.

Script. euidẽtes sunt.

124 Prob. 2. ex *Ioel.* 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Hic autem Deus loquitur: ergo, cum ipse non possit mentiri, ipsemet iudicabit principaliter in humanitate Christi.

125 Prob. 3. ex *Psal.* 74. *ver.* 3. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Explicat *Lyran.* cum venerit tempus dispositum iuxta ordinem sapientiæ meæ. *Hieron. & August.* in hunc Psal. locum, idem docent, scilicet intelligi de iudicio futuro, in quo iudicabuntur omnes iustitiæ, id est iudicia hominum. Ergo, cum Deus dicat, *ego iustitias iudicabo*, Christus iudicabit, vt Deus principaliter:

Validũ arg.

126 Prob. 4. ex *Act.* 17. circa finem, qui locus validus est. *Et tempora quidem huius ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes pœnitentiam agant, eo quod statuit diem in qua iudicaturus est orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Hic aperta fit mentio de Deo, & homine in Christo, dicit ergo Paulus, quod Deus, qui despicit tempora ignorantiæ, & dat spatium pœnitentiæ, iudicabit orbem in viro, id est in humanitate, dicit Glossa Interlin. *In homine vero virili, vel forti*, & confirmatur ex seq. *suscitans eum à mortuis*, ille ergo iudicabit, qui suscitauit Christum à mortuis, sed ex *Act.* 3. Deus suscitauit Christum à mortuis, id est diuinitas humanitatem: ergo est euidentissimum, quod Christus, vt Deus iudicabit.

127 Prob. Principaliter, & authoritatiuè, ex *Ioan. 5. ver.* 19. *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit:* & post aliqua. *Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & filius, quos vult vivificat; neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium.* Ex quo habetur, quod quæcumque facit filius cum patre facit, & pater cum filio, quomodo autem intelligitur, quod pater dedit omne iudicium filio, mox dicetur.

Theodor.

128 Prob. ex *Theodoreto de Græcarum curat. affect. lib.* 11. *de Iudicio.* Nos iudicem expectamus eum, qui fecit nos optime conscium naturæ illius, quam ipse effinxit. Iudicabit autem nos huius nostræ humanitatis vestem indutus; suæ namque diuinitatis natura oculis cerni non potest; & paulo post, adducit in probationem locum *Act. Apost.* nuper allatum *iudicabit in viro.* Ergo, vt Deus iudicabit humanitate indutus.

Glossa Lyr. notab.

129 Prob. ex Glossa Lyrani in *cap. 5. Ioan.* Ver. *Et potestatem dedit ei iudicium facere*, sic autem habet, tota Trinitas in iudicio futuro iudicabit authoritatiuè, sed Christus in quantum homo, iudicabit executiuè. Cuius ratio est, quia iudex debet esse manifestus omnibus iudicandis. Deus autem pater, vel filius, secundum diuinam naturam non videbitur in iudicio ab omnibus, quia tunc omnes essent beati, quia in tali visione consistit beatitudo, & ideo executio iudicij data est Christo, qui potest ab omnibus videri: ergo.

Glossa Inter.

130 Prob. ex Glossa Interlin. in eundem locum Ioann. Ver. *Nolite mirari*, sic habente, *quod filius hominis habet potestatem iudicij, vt & à malis possit videri, mirum enim videtur, cum hoc magis conueniret filio Dei.* Ergo principalis potestas iudiciaria conuenit Christo, vt filio Dei.

Glossa Inter.

131 Prob. ex Glossa Interlin. ibid. Ver. *Iudicium meum iustum est*, vbi sic habet; quo iudico cum patre, quia non quæro voluntatem meam, id est proprium filij hominis, sed quæ cum patre, & filio eadem est. Ergo iudicium faciendum erit à Christo potestate diuina, & qua Deus est, principaliter.

Ex August.

132 Prob. ex *S. Augustino lib.* 20. *de Ciuit. Dei cap.* 30. post medium. *Cum ergo in propheticis litteris ad nouissimum iudicium*

*faciendum Deus igitur esse venturus, & si eius alia distinctio non ponatur tantummodo, propter ipsum iudicium Christus debet intelligi; quia & si ipse Pater iudicabit, tamen per aduentum filij iudicabit. Nam & ipse per sua præsentia manifestationem non iudicabit quemquam, sed omne iudicium dedit filio, qui manifestabitur homo iudicaturus, sicut homo est iudicatus.* Ex quo habetur, quod Pater iudicabit cum filio, sed quia non manifestabitur eius persona, sed sola persona filij, ideo dicitur, quod omne iudicium dedit filio, id est, vt manifestè ipse solus iudicet, sed occultè filius, cum Patre, & Spiritu Sancto, quia sic iudicat, vt Deus.

Egregie quidem.

Idem Aug.

133 Conf. ex eodem *lib. de Trinitate, & vnitate Dei cap 7.* in fine, vbi declarans illud *Ioann. 5. Potestatem dedit ei iudicium facere*, inter cætera ait. *Quomodo aliquid faceret Pater, nisi per vnigenitum suum, nec sine Spiritu Sancto, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis, ac per hoc quod potestatem dedit filio, quia filius est. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Sed honorificè, & competenter tribuit Pater filio, quod etiam ipse facit, vt Deus.* Ergo ex hoc colligitur, quod licet Pater dederit iudicium filio, quatenus homo est, adhuc tamen ipse iudicat cum eo, quatenus Deus est. Idem repetit *tract. 19. in Ioann. B. & 21. G. 22. G. 23. H.*

Christus, vt homo etiam iudicabit,

134 Dico 3. Christus iudicabit etiam, vt homo; potestate tamen subauthoritatiua, seu delegata, & commissaria, sed excellentissima, qua nequit dari maior inter creaturas. Est *Scoti in 4. dist. 19. A. & dist. 48. quæst. 1.*

Ex Io. 5.

135 Prob. 1. pars, ex *Ioan. 5. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio:* & post aliqua. *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quoniam filius hominis est.* Ergo vt homo iudicaturus est.

Ex Iob.

136 Prob. 2. ex *Iob 36. Causa tua, quasi impij iudicata est, causamque iudicium que recipies*, quæ verba ad Christum diriguntur, ait *Scotus in dist. 48. quæst. 1. in principio*. Ergo, cum Christus in humana natura, fuerit iudicatus, & vt homo impius condemnatus; vt homo accipiet iudicium, & iudicabit.

Ex Act. Ap.

137 Prob. 3. ex *Act. 10. ver. 42.* vbi Petrus narrans compendiosè omnia, quæ contigerunt Christo, vt homini, ait præcæteris. *Quem occiderunt suspendentes in ligno, hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, &c. nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Ergo vt homo erit iudex, quia constitutio dicit aliquid nouum.

Ex ep. ad Rom.

138 Prob. 4. ex *Roman. 14. ver. 9. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.* Glossa Ord. ibi addit, *& vtrosque iudicet:* ergo.

139 Prob. ex *Matth. 25.* vbi narratur iudicij series, *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, &c. & separabit, &c. Tunc dicet Rex ijs, qui à dextris eius sunt, Venite benedicti, &c. Esurini, & dedistis:* & post. *Tunc dicet his, qui à sinistris eius sunt, &c.* igitur, cum totum hoc complendum sit à filio hominis, euidens est, ipsum, vt hominem esse iudicaturum.

De potestate delegata.

140 Prob. 2. pars, de potestate delegata, & commissaria. Primo, ex *Matthæi vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*, vbi Glossa Ordinar. ait, *hoc non de æterna Patris diuinitate, sed de assumpta dicit humanitate, qua omnibus superpositus est:* ergo potestas dominatiua, & iudiciaria est sibi à Deo commissa, seu delegata, in quantum homo est.

Hieron.

141 Prob. 2. ex *Hier. in Psal. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, dicente, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Ne scandalizeris, & dicas, quia minor est iste, qui accipit abeo, qui dat. Sed vide, quid dicat in Euangelio, quia filius hominis est. Reddit causam, quare accepit iudicium; quoniam filius hominis est. Audis filium hominis, & dubitas quare accepit. Hæc *Hier.* ergo Christus, vt homo, non à se, sed à Patre, seu à Deo habet potestatem iudiciariam. Igitur commissam, & delegatam.

Lactant.

142 Prob. 3. ex *Lactantio lib. 7. diuin. institut. cap. 20.* Aperirentur inferi, & resurgent mortui. De quibus iudicium magnum idem ipse Rex, ac Deus faciet, cui summus pater iudicandi, & regnandi dabit maximam potestatem, Hæc *Lactant.*

Ex Glossa.

143 Prob. 4. ex Glossa Ordin. in *cap. 14. ad Rom. In hoc Christus mortuus est, & resurrexit vt viuorum, & mortuorum dominetur;* ait Glossa, accipit viuos, & mortuos, vt non putetur iudicare de mortuis, quasi dum viuunt hominibus sit commissum iudicium, post mortem, Deo; quod, inquit, esse dogma insipientum. Igitur potestas iudicandi viuos, & mortuos est commissa humanitati Christi.

Lyr.

144 Prob. 5. ex Glossa *Lyran. in cap. 5. Ioann.* Ver. *Et potestatem dedit ei iudicium facere*, sic habente. Tota Trinitas in iudicio futuro iudicabit authoritatiuè, sed Christus in quantum homo iudicabit executiuè, & hoc est, quod dicit, *potestatem, &c.* ergo.

Ex August.

145 Prob. 6. ex *S. August. tract. 22. in Ioan. G.* vbi sic quærit. *Deinde quia homo factus est, Pater quid illi dedit?* respondet. *Potestatem ei dedit iudicium facere, quia filius hominis est. Secundum quod filius est Dei, sicut habet pater vitam in semetipso, sic & dedit filio vitam habere in semetipso; secundum autem quod filius hominis est potestatem dedit ei iudicium faciendi, &c.*

Ex eodem.

146 Conf. ex eodem *tract 99. in Ioan. A.* Viuos, & mortuos iudicabit, quia hoc per id facturus est, quod filius hominis est, propter

pter quod dixit, pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, quia in iudicio non forma Dei, qua æqualis est patri, sed forma hominis apparebit, &c. & post pauca. Hinc ait, & illud, & potestatem dedit ei iudicium facere quoniam filius hominis est, &c. ergo, vt homo iudicabit per potestatem sibi commissam à patre.

Ex Riccar. De potest. te delegat.

147 Prob. 7. ex *Riccardo de media Villa in 4 sent. 47. art. 1. qu. 7.* sic habente in conclusione. Solus Christus vt homo potestate delegata verè iudicabit. Et immediate post ait potestate ordinaria iudicabit tota Trinitas, vnde 1. *Reg. cap. 2. Dominus iudicabit fines terræ.* Ex delegata potestate iudicabit Christus in quantum homo. Ex dignitate accessoria iudicabunt omnes viri perfecti, qui erunt assistentes iudici. Ex approbatione iudicabunt omnes electi, &c. & in *dist. 48. art. 1. q. 1.* sic habente. Iudicare authoritate ordinaria, & delegata appropriatur Christo, quia est Deus, & homo: delegata tantum, est ei propria, quia inter personas diuinas ipse solus est homo. Ordinaria vero, communis est tribus personis, &c. Hæc *Riccard.*

S. Bonau. Hieron. Lactant.

148 Prob. 8. ex *D. Bonau. in 4. dist. 48. p. 1. quæst. 1.* vbi loquens de potestate iudiciaria Christi *num. 8.* post multa, ait. Ideo iudiciaria potestas est Christi, secundum diuinitatem per naturam; secundum humanitatem, collata per gratiam; vnde secundum vtramque naturam, habet authoritatem; Sed secundum diuinitatem, principalem, & naturalem, secundum humanitatem, commissam. Cum igitur sit potestas primaria in Deo, commissa in homine Christo, latio sententiæ debet fieri à Christo homine, &c. Hæc *S. Bonau.*

Ex Glass. Ex D. Th. Lyr.

149 Prob. 9. ex *D. Thom. in 4. sent. dist. 48. quæst. 1. art. 1. in solut. primi argum.* dicente, Christo secundum diuinam naturam conuenit authoritas dominij naturalis, & æternæ iure creationis: sed secundum humanam naturam conuenit ei ex tempore iure redemptionis: ergo sibi est à diuinitate commissa, vt homo est.

Arg. contr.

Ob. Contra primam partem tertiæ iudicium non competit alteri, quam domino, seu Principi: ergo, Christo, vt Deo competit iudicare, non vero, vt homini, quia vt Deus est Princeps, vt homo subditus.

*Iudicare authoritatiuè conuenit Principi.*

150 Resp. distinct. antecedendo, iudicium authoritatiuè, & principaliter concedo: sub authoritatiuè, & commissariè, Nego

Ex Aug.

151 Resp. 2. neg. conlequ. nam Christus vt homo est etiam Dominus hominum, non iure creationis, sed iure redemptionis, vt pluries dictum est, ex *cap. 14. ad Rom. In hoc enim mortuus est, & resurrexit, vt viuorum & mortuorum dominetur,* & de eo Dauid prædixerat: *Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius,* ergo etiam, vt homo habet sufficiens dominium, in cuius virtute iudicabit.

*Christus, vt homo etiam est Dominus*

Ob. 2. Christus eatenus iudicabit, quatenus habet potestatem à patre. Sed eam non habet, nisi vt Deus: ergo. Maior prob. ex ipsomet dicente. *Matth. vltim. data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra,* & ex *Io. 5. Sic dedit filio vitam habere in semetipso, & dedit ei iudicium facere, &c.* Minor prob. ex eodem *cap. 5. Ioann. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem, & qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* Ergo loquitur de se ipso, vt Deus est, quia sic est æqualis Patri in potestate, maiestate, & honore. Secundo, quia, vt filius æqualis patri, & vt Deus fuit missus. Igitur potestas iudiciaria conuenit Christo, tantum vt Deus est.

Validum argum.

Confir. ex S. Augustin. Confir. ex S. Augustin. Ex Script. & August. loquuntur de potestate principali, quæ conuenit Christo, vt Deus,

Conf. *S. Augustin. Euangel. Ioann. tract. 19. sub B. tract. 21. sub G. tract. 22. sub G. & 23. sub H.* & alibi sæpè, declarans hunc locum *Ioann. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, expressè, & absque ambiguitate, dicit, iudicium idem conuenire patri, & filio, sed eatenus dicitur fuisse datum filio, quia filius tantum, & non pater apparebit in forma humana iudicaturus homines, & Angelos. Ergo potestas iudiciaria, quæ competit Christo, est illa, quam habet ratione suæ processionis. Igitur vt Deus tantum, in forma tamen humana apparens iudicabit.

152 Resp. dist. min. de principali, & authoritatiua concedo. De subauthoritatiua, & commissaria: nego. Ad probationem min. & ad loca August. Resp. per idem vult enim Sanctus Doctor declarare, quomodo pater posit abijcere à se potestatem iudicandi, dans eam filio, vt honore sibi æquali honorificetur filius, & ait, patrem numquam à se iudiciariam potestatem abiecisse, sed eatenus filio dicitur dedisse, quatenus cum eo, & per eum in humana forma apparentem, iudicabit. Principalis ergo, & authoritatiua potestas Christi super omnem creaturam competens ei ratione creationis, est illa, quam tibi ab æterno communicat pater ratione diuinæ processionis. Et de hac non est contentio, quod ei competat, vt Deus sed an vt homo habeat aliquam potestatem, inquiritur.

*Contra 2. p. quod non sit delegata.*

Ob. contra secundam partem tertiæ. Christus, vt homo est Dominus, & iudex; ergo non delegatus, sed principalis. Anteced. prob. per passionem, & mortem, ex dictis, constitutus est Dominus viuorum, & mortuorum: igitur præter dominium, & potestatem, quam habebat, vt Deus, aliud dominium, & potestatem habet, vt homo, & sic per tale dominium, non vt delegatus, sed vt Dominus iudicabit.

*Christus, vt homo, vt Dominus, & iudex ex Dei institutione.*

153 Resp. dist. min. est Dominus, & iudex ex Dei institutione, & gratia, concedo. Ex propria natura hominis: nego. Ad prob. dico, illam authoritatem, sicut, & aliam, *Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo,* &c. facere pro nobis: ex merito enim passio-

sionis, Deus commisit humanitati Christi, hoc dominium, & iudicium, tamquam præmium meriti. Alioquin in quo differret iudicium totius Trinitatis, à iudicio humanitatis, si vtrumque esset principale.

Ob.2. Si potestas illa humanitatis esset delegata, daretur appellatio à iudicio illo, ad delegantem. Quod est falsum.

Quare non datur appellatio à Christum, vt homine.

154 Resp. neg. sequelam. Quia humanitate iudicante, iudicat etiam diuinitas, cuius iudicio se conformat humanitas: ergo non datur appellatio, sicut, si iudicante delegato, etiam Princeps absolutus iudicaret, non admitteretur appellatio.

155 Ob.3. Videtur superflua hæc alia potestas.

Resp.neg. anteced. maximè enim congruit humanitati Christi, vt ostendatur supereminens excelsa, & domina omnis creaturæ.

## ARTICVLVS VI.

### *An alij coniudices iudicabunt cum Christo.*

Ratio dubij grauis.

156 ADu. Rationem dubitandi oriri, ex *Matth.* 19. v. 28. vbi Saluator ait. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel:* & Glossa Ordin. ibi, ait. Per duodecim, intelligitur vniuersitas iudicantium, & Paulus 1. *ad Cor.*6. ait. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia.* Ideoque duo videnda sunt; An Apostoli, vel etiam alij electi iudicabunt cum Christo. Secundo, in quo consistit iudicium istorum, cum Christi iudicium sit sufficiens, & pro retributione, & pro condemnatione.

Duo dubia,

Glossa 4. ordines iudicandorum asserit.

157 Adu.2. ex Glossa Ordin. *in Psalm.* 2. Ver. *Ideo non resurgent impij in iudicio*, quod in iudicio quatuor erunt ordines. Alij iudicabunt, & non iudicabuntur, vt perfectissimi; alij, nec iudicabunt, nec iudicabuntur, vt damnati infideles. Alij iudicabuntur, & saluabuntur, vt mediocriter boni. Alij iudicabuntur, & peribunt; vt fideles mali. Quæ diuisio est *Gregorij Magni in lib. 26. mor. cap.* 20.

Iudicare tripliciter sumitur,

158 Adu.3. ex *Lyran. in cap.* 19. *Matth.* Ver. *Sedebitis, & vos*, quod iudicare tripliciter accipitur. Primo principaliter, sicut iudex qui profert sententiam. Secundo, pro sedere in loco eminenti iuxta iudicem, sicut assessores iudicis. Tertio, latè pro approbatione sententiæ iudicis. His præmissis.

159 Dico 1. Apostoli in iudicio iudicabunt, sedentes, cum eo, tamquam assessores iudicij. Est de fide prima pars.

Apostoli iudicabunt sedentes cum Christo,

160 Prob. ex manifesto loco adducto, *Matth.* 19. *Sedebitis, & vos super sedes duodecim, iudicantes, &c.* & ex 1. *Cor.*6. *Angelos iudicabimus.* Glossa Interlin. ait. *Apostatas Angelos, qui digni erant, lapsi sunt, cum isti fragiles stent.*

161 Conf. ex *Luca* 22. *Ego dispono vobis regnum, &c. & sedeatis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, &c.* ergo.

Ex Isa. & Glossa.

162 Prob. 2. ex *Isaia* 3. v. 14. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & Principibus eius.* Glossa Interlin. Ver. *Principibus*, ait id est *Apostolis de quibus scriptum est constitues eos Principes super omnem terram.* Ergo Apostoli etiam cum Christo iudicabunt.

Ex August.

163 Prob.3. ex *S. Augustino lib.* 20. *de Ciuitate Dei cap.* 5. Qui præmittens illud *Matth.* 19. supra relatum, *Cum sederit filius hominis, &c.* ait, *hic dicimus cum suis discipulis iudicaturum Iesum:* ergo.

Ex eodem Aug.

164 Conf. ex eodem *Augustin. in Psal.*86. vbi explicans dictum Saluatoris. *Sedebitis super duodecim sedes*, mouet hoc dubium, si duodecim sellæ ibi sunt, non est, vbi sedeat tertiusdecimus Paulus Apostolus. Et respondet. Duodecim sedes, Sacramentum est cuiusdam vniuersitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia. Et ideo, quia vndique venitur ad iudicandum, duodecim sedes sunt. Non solum ergo illi duodecim, & Apostolus Paulus, sed quotquot iudicaturi sunt propter significationem vniuersitatis ad sedes duodecim pertinent. Ergo, nè dum Apostoli, sed & alij iudicaturi sunt cum Christo.

Ex ep. Iudæ.

165 Prob 4. ex *Ep. Iudæ* v.14. *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*, sed ab hoc omnino non videntur excludendi Apostoli, perfectissimi Dei amici.

Angeli etiã assistent iudicio, vt assessores iudicabunt.

166 Dico 2. Angeli etiam assistent in iudicio, & vt assessores iudicabunt.

Angeli etiã assistent iudicio, vt assessores,

167 Prob.1. ex *Matth.* 16. *Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis. Et tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Ergo. cum ijs assessoribus.

Euang. Matt.

168 Prob. 2. ex *Matth.* 25. *Cum veneris filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes:* ergo.

Ex Psal.

169 Prob.3. ex *Psal.*49. *Aduocabit cælum desursum.* Interlin. ex *August.* dicit. *Angeli separatores, & sancti. Lyranus ibid.* ait, quia Angeli cum eo descendent ad iudicandum, vt ipse dicit *Matth.*16.

Ephremi

170 Prob.4. ex *S. Ephrem, de extremo iudicio.* Horrendum erit iudicium, &c. Vbi assistent millia millium, & decies dena centena millia Archangelorum, & Angelorum Cherubim, & Seraphim sanctorum Prophetarum, atque Apostolorum Chori.

Ex Origene.

171 Prob.5. ex *Origene Homil.*11. *in Num.* Vnusquisque Angelorum, in consummatione sæculi aderit in iudicio, educens eos secum,

cum, quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, &c.

Greg. Niss. 172 Prob. 6. ex *S. Gregor. Nisseno or. 5. de Beatitudinibus*. Circum ipsum innumerabiles Angelorum visæ fuerunt legiones, &c.

Chrysost. 173 Prob. 7. ex *S. Ioann. Chrysostomo hom. 8. ad pop. Antioch.* idem docente.

Greg. I. 174 Prob. 8. ex *S. Gregorio Magno homil. 12. in Euang.* Quæ illa confusio, cui rectu exigente, continget in conuentu omnium Angelorum, hominumque erubescere.

Hieron. 175 Prob. 9. ex *S. Hieron. in cap. 2. Ioel.* Ver. *Magnus dies Domini*, vbi sic habet; dies tenebrarum, est dies iudicij; est dies nubis, & turbinis, quia cuncta pœnarum plena sunt, atque cruciatuum. Veniet Angelorum populus multus, & fortis, vt reddat vnicuique secundum opera sua, &c. deinde exagerat magnitudinem pœnarum, &c.

Lyran. 176 Prob. 10. ex Glossa Lyr. *in epistola Iudæ ver. 14. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium, &c.* vbi ait Lyr. *scilicet Angelorum sibi assistentium, & ministrantium secundum quod dicitur Danielis 7. Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.*

Iusti perfecti in iudicio cum Christo iudicabunt. 177 Dico 3. Sancti, seu iusti perfecti, in iudicio cum Christo iudicabunt.

Ex Sap. 178 Prob. 1. ex *Sapien. 3. ver. 8. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Glossa Interlin. Verb. *Iudicabunt*, inquit, *Quia per illos iudicabit Deus*. Glossa Lyran. ait: Nam perfecti iudicabunt cum Christo.

Ex Psal. 179 Prob. 2. ex *Psal. 149. vers. fin. Vt faciant in eis iudicium conscriptum, Gloria hæc est omnibus sanctis eius*, quod explicans Glossa Ordinar. Verbo, *Gladij ancipites*, habet, *sic fuit iudicium conscriptum, id est ab Angelis comprobatum, de quo Apostolus, nescitis, quia Angelos iudicabimus, & ne putes, solos Apostolos iudicare, addit gloria hæc scilicet potestas iudicij est omnibus Sanctis eius, id est perfectis, qui pro Christo omnia terrena reliquerunt*. Glossa Lyr. Ver. *Vt faciant iud.* ait; id est executione extremi iudicij in diuina præscientia ab æterno conscripti; & etiam in libris veteris, & noui testam. &c.

Ex Isa. 180 Prob. 3. ex *Isaia 3. ver. 14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui*, vbi Glossa Interlin. ait, id est *Patriarchis, & Prophetis*.

Ex 1. Cor. 181 Prob. 4. ex *1. Cor. 6. An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt, & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui iudicetis de minimis*. Glossa Ordin. Ver. *Quoniam Sancti*, ait id est *fideles perfecti*, & Verbo, *De hoc mundo, &c.* ait, *erunt enim assessores iudicis*.

Ep. Iudæ. 182 Prob. 5. ex *epistola Iudæ ver. 14.* supra iterum citato. *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes; & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, &c.* Glossa Interlin. Verbo, *In sanctis*, ait, *Sanctorum, qui cum eo iudicabunt*.

Chrysost. 183 Prob. ex *S. Ioanne Chrysost. hom. 47. ad pop. Antioch.* Assistemus omnes tribunali Christi, & acris erit omnium examinatio.

Augus. 184 Prob. ex *S. Augus. lib. 20. de Ciuit. cap. 5.* vbi præmisso, quod Christus veniet ad iudicandum, cum discipulis, *sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes, &c.* ait, *alibi audis, dicit, Si in belzebub ejcio dæmonia filij vestri in quo ejciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt. Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse, ait, duodecim solos homines, cum ipso iudicaturos esse putare debemus. Duodenario quippe numero vniuersa quædam iudicantium multitudo significata est, &c. alioquin quoniam in locum Iudæ traditoris, Apostolum Matthiam legimus ordinatum; Apostolus Paulus, qui plus illis laborauit, vbi ad iudicandum sedeat, non habebit, qui profecto cum alijs Sanctis ad numerum iudicum se pertinere demonstrat, 1. Corinth. 6. Nescitis, quia Angelos iudicabimus?* Ergo alij iusti perfecti, erunt iudices.

duodenarius significat vniuersitatem

Ex eodem Aug. 185 Conf. ex eodem *Augus. in expos. Psal. 86.* ante medium, vbi cum idem obiecisset de Paulo, minante, se iudicaturum, cum sedem non habeat, ex quo duodecim tantum sunt sedes, & ipse est decimustertius Apostolus, subdit. *Non solum illi duodecim, & Apostolus Paulus, sed quotquot iudicaturi sunt, propter significationem vniuersitatis ad sedes duodecim pertinent.*

Glossa; 186 Prob. ex Glossa Ordin. in *cap. 22. Lucæ* Ver. *Iudicantes duodecim*, vbi habet per duodecim, non duodecim personæ, sed multitudo iudicantium significatur, quæ Glossa est *Augus.* vt video.

Hugone; 187 Prob. ex *Hugone Victorino lib. 3. de Anima cap. 23.* Tot iudicibus, & populis adstabis, quot præcesserunt te in opere bono.

188 Prob. ex *Gregorio Magno* in sequenti adducendo.

Est probabile, quod non omnes electi iudicium ferent discussionis.

189 Dico 4. Probabile est apud SS. Patres, quod loquendo de iudicio discretionis seu discussionis operum hominum, non omnes electi iudicabunt, sed magis perfecti iudicabunt omnes, etiam minus perfectos.

Glossa; 190 Prob. 1. ex Glossa Ordin. in *cap. 25. Matth.* Ver. *Ouet*, vbi habet, duo ordines erunt in iudicio, electorum scilicet & reproborum, sed electorum, alij iudicabunt, quibus dicitur, sedebitis super sedes duodecim &c. alij iudicabuntur, quibus dicitur esurij, & dedistis mihi manducare. Item reproborum, alij qui extra Ecclesiam sunt, non iudicabuntur, alij qui iudicantur, quibus dicitur esurini, & non dedistis mihi manducare, &c. Hæc Glossa.

Gregor. I. 191 Prob. ex *Gregorio Magno lib. 26. moral. cap. 14. alias 20.* Duæ sunt partes, electorum scilicet, & reproborum. Sed bini ordi-

ordines in eisdem singulis partibus continentur. Alij namque iudicantur, & pereunt; alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant. Alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur, & pereunt, quibus dicitur in damnatione *Esurijui, & non dedistis mihi manducare, &c. quibus præmittitur discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Alij vero in extremo iudicio non iudicantur, & pereunt, de quibus dicitur, *qui autem non credit, iam iudicatus est*, & Paulus, ad Rom. *qui sine lege peccarunt sine lege peribunt*. Hæc *Gregor.* Ergo ex his colligitur, quod iudicio discretionis, non omnes electi iudicabunt, sed aliqui iudicabuntur.

Fx Isid. Hisp. idē afferente,

192 Prob. 3. ex *Isidoro Hispalen lib. 1 de summo bono cap.* 30. Duæ sunt differentiæ, vel ordines hominum in iudicio, hoc est electorum, & reproborum, qui tamen diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus est, qui cum Domino iudicat, & alius, qui iudicatur vtrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi, qui intra Ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt, & damnandi, qui vero extra Ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi: ergo aliqui electi non iudicabunt iudicio discretionis,

Omnes electi iudicabūt iudicio damnationis,

193 Dico 5. Si sermo sit de iudicio damnationis, omnes electi iudicabunt reprobos.

194 Prob. ex alias cit. *Epistol. Iudæ v. 14. Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.* Glossa Interlin. Ver. *Sanctis millibus*, ait, *qui cum eo iudicabunt*. Sed hoc iudicium, vt euidens est, de operibus iniquitatis fiet, ergo electi reprobos iudicio damnationis iudicabunt.

Ex conformatione cū voluntate Christi,

195 Prob. 2. Omnes electi se conformabunt voluntati Christi iustè damnantis reprobos: ergo omnes electi eos damnabunt. Hoc enim est iudicare iudicio damnationis.

Ex Ricear,

196 Prob. 3. ex *Ricard. in 4. sent. dist. 47. art. 1. quæst. 7.* vbi distinguens quinque modos iudicandi. Nempe potestate ordinaria qua dicit, totam Trinitatem esse iudicaturam; potestate delegata, qua, dicit, solum Christum, vt hominem esse iudicaturum, & sic intelligi illud *Ioan. 5. Pater omne iudicium dedit filio*. Potestate accessoria, qua iudicabunt viri perfecti, qui erunt pro perfectione meritorum suorum assistentes iudici, & sic intelligi illud *Iob. 36. Iudicium pauperibus tribuit*. Potestate approbationis, & sic iudicabunt omnes electi, omnes enim approbabunt iudicis sententiam, & sic intelligi illud *Apocal. 19. Audiui vocem, quasi turbarum multarum in cælo dicentium, alleluia, laus & gloria, & virtus Deo nostro, quia vera, & iusta eius iudicia sunt*. Et tamdem potestate

Omnes quinque modi iudicandi declarantur.

comparationis, & sic minus mali dicuntur iudicare magis malos, & sic intelligi *illud Luc. 11. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam*. Ex quibus habemus, quod iudicio damnationis seu approbationis omnes electi iudicabunt reprobos.

## ARTICVLVS VII.

### *Quinam sint iudicandi in finali iudicio.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distin 47. quæst. 1. in solut. ad 2. ex D. Greg.* docet, quod perfecti quantum ad disceptationem præcedentem sententiam non iudicabuntur. Sed omnes iudicio generali, vt hæredes regni iudicabuntur. Similiter infideles quantum ad disceptationem præuiam non iudicabuntur iudicio generali: *Ite maledicti, &c.*

Ratio dubij.

197 Adu. Rationem dubitandi oriri ex aliquibus scripturæ locis, vt *Psal. 1. Ideo non resurgent impij in iudicio, & Ioann. 5. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit de morte ad vitam*. Et ita de alijs multis, quæ omitto, videndum est, ergo, an omnes homines, & præter eos, an etiam Angeli, siue boni, siue mali debeant in iudicio comparere. Secundo, an omnes sint iudicandi. De quibus vero sint iudicandi, dicetur in proprio articulo.

Iudicium in Scrip. multipliciter sumitur,

198 Adu. 2. ex *D. August. tract. 22. in Ioan. C. & D.* pro solutione præfati dubij *in iudicium non veniet*, quod iudicium in scriptura sumitur multipliciter. Primo pro discretione, seu discriminatione, qua bona bonis; mala malis reddantur, & de hoc loquitur. *Psal. 42. Iudica me Deus, & discerne causam meam*. Secundo sumitur pro sententia damnationis, & de hoc iudicio, loquitur *Apost. 1. Cor. 11. Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur*, id est non puniremur idem replicat *in Enchirid. cap. 53.* idem in *lib. de fide, & operib. cap. 23. lib. de videndo Deum cap. 11.* idem tamdem docet in *tract. 43. in Ioann. C.*

4. Ordines personarum in iudicio.

199 Adu. 3. quod vt *Scotus*, monet sub I. ex *D. Greg.* quatuor personarum ordines erunt in iudicio, quidam perfectorum, alius minus perfectorum, sed adhuc electorum. Tertius infidelium reproborum. Quartus eorum, qui crediderunt, sed adhuc reprobi decesserunt. de his omnibus quærendum est; an circa omnes fiet iudicium retributionis, & discussionis; nam de iudicio damnationis, certissimum est, solum contra reprobos esse faciendum.

In iudicio omnes comparebunt, siue fideles, siue infideles.

200 Dico 1. In iudicio comparebunt omnes homines, siue fideles, siue infideles. Siue electi, siue reprobi, siue parui, siue adulti. Est de fide.

Prob.

201 Prob. 1. ex *Ioel. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in Vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis*, &c. Ergo nullus excluditur.

Scrip. clare. 202 Prob. 2. ex *Matth. 25. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oues ab hædis.* Ergo nullus excluditur.

203 Prob. 3. ex *Apocal. 20. Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundum opera eorum.* Ergo nullus eximetur à comparitione.

Scoti nem. 204 Prob. 4. ex *Rom. 14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.*

Ex ep. ad Rom.

Ratio dict. 205 Prob. 5. ex 2. *Cor. cap. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*

Ad Cor. 206 Prob. tandem. Ideo dicitur vniuersale iudicium, quia de vniuersis hominibus fiet. Ergo omnes aderunt.

Etiam Angeli boni aderunt omnes. 207 Dico 2. In iudicio vniuersali omnes Angeli boni aderunt. Est etiam de fide.

208 Prob. 1. ex cit. loco *Matth. 25. Cum venerit*, &c. *Et omnes Angeli eius cum eo*, vbi notanda est particula, *omnes Angeli*. Et in *cap. 16.* eiusdem dixerat, *filius hominis venturus est cum Angelis suis*, vbi indefinitè nominat Angelos, ergo omnes; quantitas enim indefinita absolute prolata, stat pro vniuersali.

Iudicium Scrip. multipliciter numerat.

Ex Origene. 209 Prob. 2. ex *Origen. homil 11. in Num.* Vnusquisque Angelorum in consummatione sæculi aderit in iudicio.

Ex Gregor. I. 210 Prob. 3. ex *Gregorio Magno hom. 12. in Euang. Quæ illa confusio, vti reatu exigente continget in conuentu omnium Angelorum, hominumque erubescere?*

4. Ordo personarum in iudic. 211 Prob. 4. ex Glossa *Lyrani* in seq. concluſ. adducenda.

Ex Ephrem. 212 Prob. 5. ex *S. Ephrem de extremo iudicio*, inter alia dicente. Adsistent millia millium, & decies dena millia Archangelorum, & Angelorum, Cherubim, & Seraphim, iustorum, & sanctorum, Prophetarum, atque Apostolorum Chori.

Alias probat. 213 Prob. vlt. ex dictis in art. 2. de comitatu Angelorum.

In iudicio omnes comparebunt fideles & infideles. 214 Dico 3. Omnes Angeli mali, seu dæmones comparebunt in iudicio.

Angeli mali comparebũt in iudicio. 215 Prob. ex 1. *Cor. 6. Nescitis quia Angelos iudicabimus.* Glossa Interlin. ait. *Apostatæ qui digni creati, lapsi sunt, cum isti fragiles sint, & quia impugnantes iusti sunt, dæmonibus ostendamus.* Ergo si iudicandi sunt, erunt præsentes.

Ex Script. 216 Prob. 2. ex Glossa *Lyran in cap. 25. Matth. & omnes Angeli*, vbi habet. Tum propter honorem iudicis; tum propter executionem iudicij, quia ministerio sanctorum Angelorum deducentur electi ad cælum; per malos Angelos, reprobi trahentur in infernum.

Ex Lyr.

Basil. Seleuc. 217 Prob. ex *Basilio Seleucien. orat. de Transfigurat. Christi*, vbi de iudicio loquens, sic ait, quando vinctus adducetur diabolus de quo tyrannicarum sumentur pœnæ cogitationum, &c. vt infra.

Iudicio retributionis omnes iudicabuntur nomines. 218 Dico 4. Si sermo sit de iudicio retributionis operum omnes homines iudicabuntur. Est de fide.

219 Prob. 1. ex *Matth. 16. v. 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Glossa Interlin. Verbo, *Vnicuique*, dicit omni nationi, omni sexui.

Scrip. euidentes. 220 Prob. ex eodem *cap. 25.* vbi recitatur colloquium, quod erit inter Christum, & homines, sive reprobos, sive electos *dicet his, qui à dextris eius erunt. Venite benedicti Patris mei percipite regnum vobis paratum, esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Sitiui*, &c. *nudus eram*, &c. *Tunc dicet, & his qui à sinistris erunt. Discedite à me maledicti in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere*, &c. & tandem concludit Saluator. *Et ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam.* Ergo iudicium retributionis, cum operum examine fiet de omnibus hominibus.

Epi. ad Rom. 221 Prob. 3. ex *Rom. 2. Thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius; his quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem quærunt, vitam æternam, his autem qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, ira, & indignatio.*

Ex eodem. 222 Conf. ex eodem *cap. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi*, & post aliqua. *Vnusquisque nostrum pro si rationem reddet Deo.* Ergo, iudicio retributionis, per operum examen, omnes homines subiacebunt.

223 Prob. 4. ex 2. *Cor. 5.* in prima concl. allata. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi vt referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum*: ergo.

Iudicio condemnatorio 224 Prob. Tandem ex dicendis art. 8. & sequ. de factis, & dictis, circa quæ fiet examen, & ex quibus pendebit sententia condemnatoria, vel approbatoria.

225 Dico 5. Si sermo sit de iudicio importante sententiam condemnatoriam.

reprobi tantum iudicabuntur.

Reprobi tantum iudicabuntur; Eſt de fide.

226 Prob.1. ex nuper dictis. Ijs, qui à ſiniſtris ſunt, dicet Chriſtus. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, &c.* Sed reprobi tantum à ſiniſtris erunt, iuſti enim, vt vidimus, erunt à dextris, & ibunt ad vitam æternam.

Script. clarę

227 Prob. ex *Ioann.5. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tranſiet à morte ad vitam.* Gloſſa Interlin. Ver. *Iudicium ait, damnationis. Lyran. ibid.* ait, non veniet in iudicium condemnationis, veniet tamen in iudicium diſcuſſionis, & præmiationis.

Ex Auguſt.

228 Conf. ex *Auguſt.lib.20.de Ciuitate cap.5.* in fine, vbi diſcutiens hunc Ioan. locum, ait. *Ecce hic dixit etiam fideles ſuos ad iudicium non venire. Quomodo ergo per iudicium ſeparabuntur à malis, & ad eius dexteram ſtabunt niſi quia hoc loco iudicium pro damnatione poſuit. In tale quippe iudicium non venient, qui audiunt verbum eius, & credunt ei, qui miſit illum.* Ergo ſoli reprobi ſubiacebunt huic iudicio.

Ex eodem Aug.

229 Conf. ex eodem *tract. 22. in Ioannem*, C. & D. vbi docet in iudicium damnationis mittendos eſſe omnes impios, & infideles.

Ex ep. Iudæ.

230 Prob. ex *epiſt. Iudæ v. 14. Prophetauit autem ſeptimus ab Adam, Enoch, dicens, ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij*, vbi Gloſſa Interlin. Ver. *Iudicium* ait, *pœnas inferendo.* Ver. *Omnes* ait, *malos.* Et Gloſſa Ordin. Ver. *Ecce venit, &c.* ait, verâ ſententia, quod Dominus arguet impios de operibus, & de verbis. Et Gloſſa *Lyran.* Ver. *Facere iudicium*, ait, *condemnationis.* Ver. *Contra omnes*, dicit ſcilicet reprobos, iudicium enim electorum non erit contra eos, ſed pro eis.

Ex retributione.

231 Prob. vlt. In die iudicij fiet retributio bonorum, & malorum per vitam, & ſupplicium, ibunt enim iuſti in vitam æternam impij in ſupplicium æternum: ergo ſententia condemnatoria non poteſt contra alios eſſe, niſi contra reprobos.

Dæmones iudicabuntur in iudicio.

232 Dico 6. Angeli mali nempe dæmones etiam iudicabuntur iudicio damnationis. Eſt de fide.

Ex eadem ep. Iudæ.

233 Prob. ex *epiſt. can. B. Iudæ* Apoſt. *Angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuum Principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis reſeruauit.* Gloſſa Interlin. Ver. *Suum principatum*, ait quo per gratiam Dei alijs principabantur ſubiectis ſpiritibus. Ver. *Dereliquerunt* ait, per ſuperbiam. Ver. *Domicilium*, ait cæleſtem habitationem. Ver. *Iudicium*, ait, venturos ad iudicem, cui reſiſtere, vel aliquid occultare non poterunt. Ver. *Caligine*, ait huius aeris, iam damnatos reſeruat grauioribus pœnis.

Gloſſa Ordin. Ver. *Angelos*, ait, ſi Angelis peccantibus non pepercit, nec hominibus ſuperbientibus parcet. Ver. *Vinculis*, ait, *Sententia diuina, quæ eos in perpetuum coarctabit.*

Lyr. egregiè

*Lyranus* melius omnibus ait, Angelos, qui non ſeruauerunt ſuæ conditionis nobilem ſtatum, ſed dereliquerunt cælum empireum in quo creati fuerunt, & ab illo electi fuerunt, reſeruauit Deus vſque ad tempus extremi iudicij vinculis æternis, datiui caſus, quia tunc tradentur vinculis æternis in inferno retruſi. Hæc *Lyran* quæ ſic puto intelligenda, quod licet nunc damnati ſint iudicio particulari, & quaſi priuato, tunc generali, & publica ſententia damnabuntur.

Ex 1. Cor.

234 Prob.2. ex *1.Cor.6.* alias allato, *neſcitis, quia Angelos iudicabimus.* Gloſſa Interlin. ait. *Apoſtatas Angelos.* Gloſsa *Lyran. ibid.* Ver. *Neſcitis, quia Angelos iudicabimus*, ait, approbando ſententiam iudicis de punitione malorum Angelorum, &c. Ergo ipſi Angeli mali iudicabuntur iudicio damnationis.

Ex Auguſt.

235 Prob. ex *Auguſt. tract. 22. in Ioan. D.* vbi diſertè explicans, quomodo iuſti non venient ad iudicium iuxta illud *Ioann. 5.* dicit non eſſe ituros in iudicium condemnationis, in quod ibunt illi, qui contempſerint hic Patrem verberantem, vt ibi ſentiant iudicem punientem, & ſubdit *Auguſt. Ergo eſt iudicium, quo miſſurus eſt Deus in fine diabolum, & Angelos eius, & omnes infideles, & impios cum eo.*

Baſil. Sel.

236 Prob. ex *Baſilio Seleucien.* allato ſupra. Quando vinctus adducetur diabolus, de quo tyrannicarum ſumentur pœnæ cogitationum, &c. Et omnes, eius, id eſt ſequaces ſententiam expectabunt cum timore. Hęc *Baſilius*.

Perfecti non iudicabuntur iudicio diſcuſſionis.

237 Dico 7. Si ſermo ſit de iudicio diſcuſſionis, eſt aliquorum ſententia, quod perfecti, vt Apoſtoli, alijque præcellentiſſimi ſancti, non iudicabuntur niſi illo generali iudicio quo iudicantur hæredes regni, *venite benedicti Patris mei percipite regnum, &c.* ita *Scotus in diſt. 47. in ſolut. ad 2. D. Th. in 4. ſent. diſt. 47. art. 3. in ſolut. ad 1.* vbi etiam de Angelis bonis, id docet, ſed alijs videtur tenendum oppoſitum.

Iſid. Hiſpal.

238 Prob.1. ex *Iſidoro Hiſpal. lib. 1. de ſummo bono cap. 30.* Duæ ſunt differentiæ, vel ordines hominum in iudicio hoc eſt electorum, & reproborum qui diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus eſt, qui cum Domino iudicat, & alius, qui iudicatur, vtrique tamen cum Chriſto regnabunt: ergo.

Ex Greg. l.

239 Prob.2. ex *S. Greg. Magno lib.14. moral. cap.26. Duæ quippe ſunt partes, electorum, ſcilicet atque reproborum. Sed bini ordines eiſdem*

*dem singulis partibus continentur. Alij namque iudicantur, & pereunt, alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant, alij non iudicantur, & regnant.* Sed in his postremis iudicium nequit intelligi de retributione, quia hæc fiet omnibus: ergo de discussione.

240 Prob. secunda pars, ex dicendis in art. sequenti. Nam ex *Rom. 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi*, & post. *Itaque unusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo*. Ergo etiam Apostoli. Secundo, ex *2. Corinth. cap. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. Tertio, ex *Apocal. 20. Vidi mortuos magnos; & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt*. Et post aliqua, de singulis iudicatum est secundum opera ipsorum & de hoc argum. multa dicentur in articulo seq.

Nostri autem citati DD. forte loquuntur de iudicio faciendo ab alijs, non enim nisi à solo Christo opera perfectorum discutientur, vt omnes videant iustè eos iudicari dignos tanta gloriæ celsitudine.

Minus perfecti iudicabuntur iudicis discussionis; 241 Dico 8. Iudicio discussionis, electi minus perfecti iudicabuntur à Christo, & alijs perfectis. Est eorumdem DD.

242 Prob. ex præcedd. Nam inter eos, qui regnaturi sunt aliqui iudicabuntur ab hominibus etiam, alij non; sed perfecti non sic iudicabuntur; ergo alij minus perfecti, & minus excellentes in sanctitate.

243 Prob. 2. Electis dicet Christus, *Esurivi, & dedistis mihi manducare, sitivi, & dedistis mihi bibere, &c.* ergo ista opera misericordiæ discutientur, sed si non cum perfectis, ergo cum alijs minus perfectis.

244 Prob. 3. ex *Psal. 10. Dominus iudicat iustum, & impium*, & *Psal. 74. Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo*. Ergo iustorum etiam opera iudicabuntur.

245 Quod autem ipsi iusti minus perfecti, ab alijs perfectioribus Christo assistentibus iudicabuntur, patet ex *Matth. 19.* sedebitis, & vos iudicantes duodecim tribus Israel, vt ex *art. 6.* clarius apparebit.

Infideles nō iudicabūtur iudicio discussionis, sed fideles. 246 Dico 9. Reprobi infideles secundum aliquos non iudicabuntur iudicio discussionis; sed tantum, qui crediderunt, & perierunt. Ita præfati Doctores. Sed alij appositum sentiunt.

Ex Greg. I. 247 Prob. ex dictis *D. Gregor. & Isidori*, hic namque Doctor, vbi supra, postquam de duplici electorum ordine, est locutus, ait, *similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi qui intra Ecclesiam sunt mali iudicandi sunt, & damnandi: qui verò extra Ecclesiam inueniendi sunt non sunt iudicandi, sed tantum damnandi.*

Laur. Iustin. 248 Prob. ex *Laurentio Iustin. lib. de instit. & regim. Prael. cap. 5.* Infidelis namque sine suorum operum discussione damnatur, naturæ legis æquitate conuictus: fidelis verò opera producuntur ad medium, & scriptæ legis testimonio, aut approbantur secundum Deum facta, aut reprobantur. Ergo non infideles, sed fideles reprobi iudicantur.

S. Bernardo. 249 Prob. 3. ex *S. Bernardo ser. 55. in Cant.* vbi de infidelibus nomine Babylonis loquens, ait. *Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, & non egens scrutinio, sed supplicio.*

Omnia omnibus patientia, sive bona, sive mala 250 Prob. 2. pars. Opera omnium, sive bona, sive mala, vt ex sequenti articulo, omnibus erunt manifesta in iudicio: ergo. Consequ. prob. Manifestatio illa non est necessaria, nisi ad iustam, & publicam retributionem faciendam. Igitur discuti debet qualitas, & quantitas eorum. Primò, vt magis confundantur infideles. Secundo, vt alijs innotescat pœnas esse inæquales, & grauiori vnum, quam alium iustè plecti. Quod non eueniret, nisi discuterentur eorum facta.

Ex Script. 251 Prob. 2. ex sæpe citato Apostolo. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum*: Si ergo omnes referre debent, etiam infideles reprobi, & sic discutientur eorum opera.

Ep. ad Cor. omnia manifesta; 252 Prob. 3. ex *1. Cor. 4. Itaque nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia cordium*. Glossa Interlin. Verbo, *Illuminabit*, ait, quia tunc omnia nota omnibus poterunt de se iudicare, & de alijs. & Ver. *Abscondita*, ait, gesta, & cogitata tunc erunt aperta. Glossa Ordinar. Ver. *Illuminabit*, ait, id est, aperta faciet abscondita tenebrarum, id est peccatorum. Hæc autem manifestatio frustranea esset, nisi opera illa essent discutienda, & iudicanda.

Ex absurdo argum, 253 Prob. 4. Reprobi infideles essent melioris conditionis, quam cæteri fideles, ne dum reprobi, sed etiam electi, quorum opera tam bona, quam mala omnibus patefient, & quisque poterit ea discutere, & iudicare, an digna sint præmio, vel pœna: ergo. Alia argumenta ad id habes in sequenti articulo.

## ARTICVLVS VIII.

### *Quænam causæ iudicabuntur in finali iudicio.*

Iudicium duplex.

254 ADu. 1. Quod, vt consequenter loquamur, iudicium sumi potest pro examine, seu discussione causę. Secundo pro sententiæ pronunciatione. Hęc autem duplex esse potest, vel enim est circa reum supplicio dignum, & est condemnatoria, de qua loquitur *Psal.25. Iudica Domine nocentes me*, vel est circa fidelem seruum, ac bene operantem, & est præmiatoria, de qua *Psal.42. Iudica me Deus, & discerne causam meam*. & *Ps.25. Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum*. de quibus iudicijs abundè *Augustinus tract.22. & 43. in Ioann.* vt in præced. sæpè notauimus. Hic ergo videndum, quænam discutientur in iudicio finali; num facta tantum, num dicta, & cogitationes, & quorum.

255 Adu. 2. Aliud adhuc, & grauius excitari dubium, an solum facta, & dicta, ac cogitationes malorum, an etiam bonorum discutientur. Item, an omnia facta, ac dicta, aut cogitationes malæ tantum, an etiam bonæ, tam bonorum, quam malorum. His præmissis

Omnium opera aperientur, & examinabuntur,

256 Dico. Omnia opera omnium hominum, siue interna, siue externa cuiuscumque, siue electi, siue reprobi, aperientur, seu examinabuntur à Christo in iudicio. Est de fide.

257 Prob. 1. ex *Ecclesiastes* 11. in fine. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & intuitu oculorum tuorum; & scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium*. Vbi Glossa Interlin. ait, vitia manifesta erunt abscondita cordis nostri. Glossa Ordin. dicit, pro omnibus, quæ fecerint, se iudicandos sciant. Ergo omnia omnium discutienda.

Ex Scripti vet. testi.

258 Prob. 2. ex eodem *Ecclesiast. cap.12.* in fine. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit*. *Lyran.* legit pro omni cælato, quod ibi manifestabitur, siue bonum sit, vt remuneretur, siue malum, vt puniatur. Ita *Lyran.*

259 Prob. 3. ex *Sap.1. In cogitationibus impij interrogatio erit*. *Lyran.* ibi, ait id est discussio in iudicio diuino; & in *Psalm.10. Dominus interrogat iustum, & impium, qui autem diligit iniquitatem odit animam suam, pluet super peccatores laqueos*. & *Ecclesiast.16. Interrogatio omnium in consummatione erit*. Ergo vtriusque dicta, & facta examinanda.

Ex Psal.

260 Prob. 4. ex *Psal.24.* vbi Dauid orat, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine*. *Augustin.* in hunc Psalmum ait, *ne ad vindictam reserues, sed tamquam exvidant tibi*. Ergo etiam iustorum delicta sunt discutienda.

261 Prob. 5. ex *Psalm.74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*. Glossa Ordin. ait, secundum hominem accipit iudicium faciendi. Et ad hunc locum forte voluit alludere *Petrus in epist. 1. cap. 4. Si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?*

Ex nouo test.

262 Prob. 6. *Matth.12. ver.36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*. Verba autem otiosa non priuant gratia. Ergo in electis, & reprobis discutientur. Vnde Glossa Ordinar. ibi ait, si de otioso verbo reddet homo rationem in die iudicij, quanto magis vos, qui opera Sancti Spiritus dicitis esse Belzebub? ergo etiam de leuibus.

Ex nouo Cor.

263 Prob. 7. ex 2. *Cor.5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum*. Ergo electorum, & reproborum opera, siue bona, siue mala discutientur in iudicio.

Ex Rom.

264 Conf. ex *Rom.14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi:* & post. *Itaque vnusquisque nostrum pro se reddet rationem Deo*. Ergo etiam electi.

Ex Apocal.

265 Prob. 8. ex *Apocal.20. Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui, ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum*; & post aliqua. *Et iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum*. Ergo omnium opera discutientur.

Ex Origene.

266 Prob. ex Patribus, id est ex *Origene tract.7. in Matth.* omnis vitæ nostræ ratio est ponenda à Rege, quando omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, & adducetur ad rationem etiam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines; vel si quis potauerit aliquando aliquem calice aquæ frigidæ in nomine discipuli. & post aliqua, sequitur, volens autem Deus ventilare omnium mentes, vt vnusquisque sentiat proprios actus bonos, vel malos, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta, &c.

Ephrem.

267 Prob. 9. ex *Ephrem, de extremo iud.* vbi inter alia de iudicio, hæc habet. Futurum enim est, vt vnusquisque nostrum omnia facta, ac dicta ante incorrupti, atque tremendi iudicis tribunal deferat. Mihi sane cor tremit, ac renes immutantur, dum cogito, de actuum omnium manifestatione, cogitationumque, ac sermonum exacta discussione, quæ ibi fiet. Hæc *Sanctus Ephrem*.

Prob.

Ex Tertull.

268 Prob. 3. ex *Tertull. de testimonio animæ cap. 4.* Iam nunc quò ad sententiam tuam spectet, quantum & ad ipsum statum tuum tendit affirmamus, te manere post vitæ dispunctionem, & expectare diem iudicij, proque meritis, aut cruciatu destinari, aut refrigerio vtroque sempiterno. Ergo merita, & demerita bonorum, & malorum sunt discutienda.

Basil. Sel.

269 Prob. ex *Basilio Seleuciens. orat. de transfig. Christi*, vbi inter alia loquens de iudicio, hæc habet. Quando sonitus tubarum vocabunt mortuos de sepulchris, quando iudicabuntur proposita, facta, & cogitata, &c.

Ex Hieron.

270 Prob. ex *S. Hieron. in regula Monach. cap. 30.* vbi præ cæteris habet, *expectetis magnum, & terribilem diem iudicij, &c. vbi trementes erunt Angeli cum sanctis omnibus. Tunc singulorum vita discutietur; discrimina, & merita apparebunt.*

Ex August.

271 Prob. ex *Aug. serm. 67. de temp.* inter alia, sic dicente de iudicio, obstante testimonio conscientiæ singulorum positis in conspectu, peccatorum pœnis, iustorumque præmijs rationem vitæ cœperit postulare, &c.

Chrysost.

272 Prob. ex *S. Ioanne Chrysost. hom. 47. ad Populum Antiochen.* Assistemus tribunali Christi, & omnium erit acris examinatio.

Ex Prospero

273 Prob. ex *S. Prospero lib. 3. de vita contemplat. cap. 12.* Age iam cum ad illud iudicium venerimus ab eo iudice iudicandi, qui nec falli criminum occultatione potest, &c. cum cœperint omnium secreta reuelari, & non solum actus, ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi, quid faciemus sub tanti iudicis maiestate, &c.

Ex Bernard.

274 Prob. ex *S. Bernardo ep. 1. ad Robertum.* Veniet, qui male iudicata reiudicabit, &c. Veniet, qui per Prophetam ait, *cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.* Quid faciet de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit, &c.

Idem *in serm. 55. in cant.* Time scrutinium iudicis, qui per Prophetam dicit, *& erit in die illa, & scrutabor Ierusalem in lucernis*, acuto visu est; nihil inscrutatum relinquet oculus eius, scrutabitur renes, & corda, ipsaque cogitatio cordis confitebitur illi, &c.

Hugone.

275 Prob. ex *Hugone Victor. lib. 1. de anima cap. 2.* Iam iam præsentabor ante districtum iudicem de operibus meis rationem redditurus: Væ mihi misero, cum venerit dies illa iudicij, & aperti fuerint libri, in quibus omnia acta mea, & omnes cogitationes meæ Domino præsente recitabuntur.

Glossa;

276 Prob. ex Glossa Ordin. in *cap. 1. Sophoniæ v. 12. Scrutabor Ierusalem in lucernis*, vbi sic ait. Tempore iudicij scrutabitur Deus cum lucernis Ecclesiam suam, & puniet contemptores mandatorum suorum, qui quasi cum ratione se peccare dicentes, blasphemant Deum dicentes, quod, nec præmia, nec pœnas possit reddere, & illis in cæcitate depressis, apponet lucernam verbi sui, & rationis, quia omnia in medium vitia proferet. Hæc Glossa.

Ex alijs Gl.

277 Prob. ex Glossa Interlin. in *cap. 19. Iob* in fine. Ver. *Germen*, vbi habet, *modo germen hypocritæ occultum est, quia & si patet operatio, latet cordis intentio, tunc cogitatio detegetur.*

278 Prob. ex eadem Glossa in *cap. 66. Isaiæ*, super illis verbis. *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum venio, vt congregem cum omnibus gentibus, & linguis.* Interlin. ait, opera, & cogitationes, quæ modo latent quæ etiam iudicabuntur. Ver. *Venient*, ait, quibus cogitationes accusabunt, vel defendent. Glossa vero Ordin. Ver. *Ego autem*. ait, quasi ideo venio ad iudicium, cum omnibus gentibus, & linguis, vt iudicem simul omnia opera eorum, & cogitationes, & reddam eis omnia, quæ mærentur. Ergo omnia opera bona, & mala interna, & externa sunt iudicanda.

Ex Sixto III

279 Prob. ex *Sixto III. Rom. Pont. tract. de malis Doctor. & operibus fidei.* Ante filij Dei tribunal, omnium occulta pendenda sunt, & vniuersorum etiam secreta reuelanda, cum vniuscuiusque actus conscientia magis, quam sermo testabitur, quo cælare iam iniustitiam non licebit, quo quis, non tam sua prodet gesta, quam ab his prodetur ipse, quæ fecerit: ergo, &c.

Ex ratione iudicij.

280 Prob. Tandem ratione. Iudicium finale ideo vniuersale dicitur, quia, & omnes in eo, & de omnibus iudicandi. Si enim discussio meritorum, & demeritorum facienda est, vt & iustè retribuatur cuilibet, vel præmium, vel supplicium, de necessitate erunt omnia discutienda, cum pro omnibus & non aliquibus retributio sit facienda, ait enim *Matth. 10.* in fine. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Ergo omnia scrutanda, & iudicanda.

ARTI-

## ARTICVLVS IX.

*An omnia hominum facta erunt omnibus manifesta.*

Scoti mens. SCOTVS affirmatiuè respondet *in 4. dist. 47. qu. 1. §. De tertio*, licet de modo dubitet, vt infra, ideo.

Difficile dubium. 281 Adu. hoc esse vnum ex præcipuis dubijs, quæ humanum captum superant, quomodo scilicet fieri possit, vt tam breui temporis spatio, imò, & momento infinitorum penè hominum, gesta, dicta, & cogitationes ab vnoquoque videantur. Cum de fide sit esse videnda.

Sensus art. 282 Adu. 2. Hoc quæsitum nullo modo coincidere cum præcedenti. Illud enim est de discussione operum à Christo facienda, cui difficile non est, etiam in instanti infinita videre, siue in verbo, siue in proprio genere, hic autem agitur de notitia aliorum à Christo, an scilicet possim ego omnia hominum, opera in momento conspicere: neque est adeo difficile de electis, quia dici posset in Verbo sibi fore ostendenda; sed de reprobis, est difficillimum, cum ipsi diuinitatem verbi non sint visuri. Dicemus ergo hic, quæ ex sacris scripturis, & Patribus habemus; quæ vero non capimus, inuestigare non curabimus; non enim licet sapere pluſquam oportet, sed euentus ipse docebit, vt ait, *Augustin. lib. 20. de Ciuit. cap. 20. E. & cap. 30.* in fine, de faciendis in tempore iudicij. De modo autem videndi agemus in *seq. art.*

Omnium opera fient omnibus manifesta. 283 Dico 1. In die iudicij omnium reproborum mala, opera, dicta, & cogitationes fient manifesta. Est communis: *Scotus* docet vbi supra.

284 Probari solet à plerisque per illud *Isaiæ 47. v. 3. Reuelabitur ignominia vestra, & videbitur opprobrium tuum.* Sed neque Glossa, neque Hieronymus id intelligunt de manifestatione facienda in die iudicij, sed est comminatio directa ad populum Iudaicum, cuius abominationes Deus reuelaturus erat in eius captiuitate.

285 Probari pariter solet per illud *Nahum 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, &c.* Sed neque locus iste est ad rem, quia vt omnes Glossæ, & Hieronymus, notant, ad eumdem populum oratio dirigitur.

Vera probatio ex text. vet. 286 Prob. ergo 1. ex *Iob. 20.* in fine: *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eam. apertum erit germen domus illius detrahetur in die furoris Dei. Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino.* Glossæ omnes docent, de iudicio ibi Iob loqui. Interlin. Ver. *Apertum*, ait. *Tunc*, & Ver. *Germen*, ait modo germen hypocritæ occultum est, quia, & si patet operatio, latet cordis intentio: tunc cogitatio detegetur. Glossa Ordinar. Ver. *Reuelabunt*, ait, quia hic, nec bonis, nec malis pepercit, cum in tremendo examine iustorum vita, & peccatorum pariter accusabit. Ver. *Apertum erit*, ait cum omne malum, quod in conscientia eius nascebatur, aduenientе iudice ostendetur. *Lyran.* Ver. *Apertum*, dicit manifestus erit suorum operum effectus.

Hieron. 287 Conf. ex *S. Hier.* in hunc locum. Ver. *Apertum*, sic habente, in iudicio Dei, quando impius condemnandus est, non solum cogitationes cordis eius, verum etiam principia imperfectarum cogitationum Deo pandenda sunt, atque clarius luce manifestanda. Hęc *Hier.*

Ex nouoteſt. 288 Prob. 2. ex 1. *Cor. 4. Itaque nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Glossa Interlin. Ver. *Illuminabit*, ait. Quia tunc omnia nota omnibus, poterunt de se iudicare, & de alijs. Ver. *Abscondita*, ait, gesta, & cogitata tunc erunt aperta, ergo omnia omnibus nota erunt in die iudicij.

Ambros. 289 Prob. ex *S Ambr. in 1. ad Corinth. 4.* explicante verba citata Pauli, vbi ait. *In die iudicij nihil occultum erit eorum, quæ gesta sunt, aut cogitata sunt, & simplicitas, & hypocrisis hic apparebit, vt & qui despectus habebatur forte appareat dignus, & qui aliquid esse putabatur, inueniatur reprobus. Omnia enim nuda erunt in die iudicij:* ergo.

Ex Six. Papa 290 Prob. ex *Sixto III. Roman. Pontif. tract. de malis Doctoribus, & operibus fidei.* Quid faciemus, dum ille aduenerit dies, cum astantibus Angelis, &c. ante filij Dei Tribunal omnium occulta pandenda sunt, & vniuersorum etiam cordium secreta reuelanda, cum vniuscuiusque actus conscientia magis, quam sermo testabitur, quo cælare iam iniustitiam non licebit, quo simulari Sanctitas vltra non poterit, quo quis non tam sua prodet gesta, quam ab his prodetur ipse, quæ gesserit. Ergo omnibus omnia patefient.

Cyril. Alex. 291 Prob. ex *Cyrillo Alex. orat. de exitu animæ, & Christi aduentu.* Quæcumque fecimus, diximus, decreuimus, ea in medium afferet ab oculos nocentum.

Io. Damasc. 292 Prob. ex *Ioanne Damasceno, Orat. de defunctis.* In amplissimo illo, ac generali theatro, quemadmodum actiones omnium detectæ, ita omnium quoque facies omnibus notæ, atque conspicuæ erunt, quoad vsque omnes à se inuicem seiungantur, atque, quem sibi quisque locum parauit in eum mittatur.

Ex Bernard. 293 Prob. ex *S. Bernardo lib. de interiori domo cap. 38.* Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua, non solum actuum, verum etiam cogitationum, & locutionum.

Mul-

Multa verò peccata tunc promet ex improuiso, quasi ex insidijs, quæ modo non vides, & forsitan plura, & terribiliora his, quæ nunc vides, & post multa. Latere erit impossibile, apparere intollerabile.

Anſel. 294 Prob. ex *Anselmo cap. 5. ep. 2. ad Cor.* Eodem modo, & eadem quantitate, qua gessit vnusquisque, quodlibet opus recitabit illud, iudicandum ante tribunal iudicis æterni. Vnusquisque referet propria corporis, id est, quæ gessit, vel cogitauit, dum in corpore fuit, &c. ergo omnibus patebunt astantibus.

Ilde. Pelus. 295 Prob. ex *Isidoro Pelusiota lib. epist. 1 ep. 94.* sic habente. Quemadmodum enim illæ (loquitur de victimis) cum pelles detrahuntur, omni conspicuo, indumento spoliantur, abditarumque interne partium statum, & affectionem indicant, atque ad ossium omnium, & membrorum indagationem, vt omnia ad rei, cui adhibentur puritatem expurgentur, eodem etiam modo in magno illo Domini die, actionum nobis incognitarum, & obscurarum patefactio, cuncta denudabit, dissertionique similis apparebit, &c. ergo.

Hug. Vict. 296 Prob ex *Hugone Victor. lib. 3. de anima cap. 23.* vbi præmittens multa de iudicij forma, habet, omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua, non solum actuum, verum etiam cogitationum, & locutionum.

Gregor. I. 297 Prob. ex *Greg. Magno homil. 12. in Euangel.* vbi præ cæteris habet, quæ illa confusio, vti, reatu suo exigente, continget in conuentu omnium Angelorum, hominumque erubescere: ergo.

## §. 1.

## *An etiam bona reproborum opera, in die iudicij erunt nota.*

Etiam bona opera reproborum erunt nota in iudicio. 298 DIco. Etiam bona opera reproborum in die iudicij erunt omnibus manifesta.

299 Prob. 1. ex *Luca 11.* vbi Saluator exprobans iudæis eorum pertinaciam in incredulitate sui, habet. *Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis. Ecce plusquam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* Glossa. Ordin Ver. *Condemnabit*, ait, non potestate iudicij, sed comparatione melioris facti, quia relicto Imperio venit in iudæam audire hominem sapientia famosum, sed iudæi veram Dei sapientiam, cum ipsis conuersantem, non audiunt, sed blasphœmant. Loquitur de sola Regina Sabba. *Augustinus*, verò *lib. 10. de Ciuit. cap. 5 B.* Loquitur de Sabba, & Niniuitis, sic. *Nec ideo dixit condemnabunt, quia, & ipsi iudicabunt, sed quia ex ipsorum comparatione isti merito damnabuntur.* Hoc ergo stante habemus, quod studiositas sciendi Sapientiam in Sabba Regina, & pœnitentia facta à Niniuitis in prædicatione Ionæ, erunt nota in iudicio. At certum non est de Regina illa, quod sit Salua, & de tot miriadibus Niniuitarum, qui pœnitentiam egerunt, non est credibile, quod omnes sint salui, & Deus scit si saltem vnus ex illis. Et commentator Augustini de Maironis in isto loco, ait, iudicium comparationis pertinebit ad minus malos respectu magis malorum, de Niniuitis, & Regina Sabba, quemadmodum solent minus turpia in comparatione magis turpium acceptari. Hæc commentator: ergo reproborum virtutes, seu bona opera in iudicio erunt nota.

Augusſ. Sensus. Euident ex discursu conclusio.

300 Prob. ex *Matth. 11. Verumtamen dico vobis Tiro, & Sydoni remissius erit in die iudicij, quam vobis.* Glossa Interlin. habet, sicut minor fuit culpa eius, quæ nuncios veritatis non habuit, quam eius, quæ refutauit, ita minor pœna, &c. Deinde ad Capharnaum conuersus, ait. *Verumtamen dico vobis, quia terræ sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.* Interlin. ait. *Quia minor culpa.* Et *Lyr.* ibi ait, quia grauius est auditam fidem repellere, quam mori in gentilitate illi autem erant gentiles, qui habitabant in Tiro, & Sydone. Ergo ex his habetur, quod manifestabitur, peccasse minus grauiter Tirios, Sydonios, & ipsos sodomitas, quam iudæos obstinatos.

Euang. Matt. clarum arg.

301 Prob. 1. ex 1. *Corinth. 4* supra allato. *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Glossa Interlin. præter alia supra notata, Ver. *Consilia, &c.* ait, *etiam bonas cogitationes*, & Ver. *Laus erit*, ait, id est *Remuneratio pro modo suo.* Si ergo in iudicio manifestabuntur abscondita, etiam consilia, vt appareat omnibus iusta remuneratio, opera, tam bona, quam mala erunt aperienda.

Ep. 1. Cor.

302 Prob. 4. ex *Matthæi 7. Multi dicent in illa die*, id est iudicij. *Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus.* Ergo opera ista bona erunt manifesta.

Iterum ex Matt. Euang.

303 Prob. 5. ex *Apocal. 20.* vbi de iudicio hæc prædicuntur. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vita, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, &c.* Glossa Interlin. ait, *quia alij dabitur pœna maior, alij minor.* Ergo, cum pœna minor correspondeat minoribus peccatis, & maior

maio-

maioribus, apparebunt minora, & maiora, et consequenter opera bona, sed non finalia, eorum, qui minora habent, vt iustitia eluceat.

304 Conf. ex Glossa Ordin. ibid. Ver. *Libri aperti*, vbi habet. *Libri, conscientiæ singulorum, quæ aperta omnibus erunt.* Ergo, non minus bona opera, quam mala apparebunt,

S. Bonau. 305 Prob. 6. ex *S. Bonau. in Breuilogu. tract. par. 7. cap. 1.* In iudicio fiet aperitio librorum, scilicet conscientiarum, quibus merita, & demerita vniuersorum sibi ipsis, & cæteris patebunt, &c. ergo.

Ex Bernard. 306 Prob. 7. ex *D. Bernardo in ep. 1. ad Robertum.* Veniet qui per Prophetam minatur cum accepero tempus ego iustitias iudicabo, quid faciet de iniustis iudicijs, qui ipsas quoque iustitias iudicabit. Sed non limitat iustitias tantum bonorum: ergo de omnibus est intelligendum. Quæ autem ibi iudicabuntur, erunt omnibus manifesta: ergo.

Olimpiod. 307 Prob. 8. ex *Olympiodoro in Eccles. cap. 12.* Deus adducet omne opus humanum in iudicium, rationem à nobis exigens eorum, quæ gessimus in vita, siue illa bona sint, siue mala. Omnes prædictæ peccatorum animæ, sed fortassis, & animæ iustorum admirabuntur, & obstupescent, quando adducentur in viam iudicij, &c. Vbi, vt clarum est, loquitur præcipuè de operibus bonis, & malis iustorum; ergo videbuntur etiam bona opera.

Ex 2. Cor. validum elicitur arg. 308 Probari etiam potest, ex 2. *ad Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.* Loquitur autem indifferenter de omnibus hominibus. Et rationem adiungit ibi *Lyranus*. Ver. *Manifestari*, quia inquit, iudicium apparebit omnibus iustum, singulis videntibus omnia bona, & mala aliorum. Ergo si reproborum mala opera videbuntur, etiam bona, alias non appareret, vnde differentia grauitatis pœnarum oriatur. Quod confirmatur ex rationibus adducendis in sequenti.

## §. 2.

### *An etiam electorum delicta in die iudicij erunt nota.*

Mala opera electorum deleta erunt nota in iudicio, 309 Dico, Etiam electorum praua opera videbuntur in iudicio. Colligitur ex *Scoto in 4. distinct. 47. §. De tertio*, vbi indifferenter de omnibus quærit, quomodo singulorum merita, & demerita cognoscentur, & assignat modum. Est expressè *S. Th. in 4. dist. 43. art. vlt. ad primum, & secundum*, vbi docet, omnes visuros peccata Petri, & Magdalenæ, & pœnitentiam eorum. *Diui Bonauentura dist. 44. par. 3. quæst. 2. in solut. argum.* & in corpore quæstionis. *Riccardi in 4. dist. 43. art. 7. quæst. 2.*

Ex ep. 2. Cor. 310 Prob. 1. ex 2. *ad Cor. 5. Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Ergo tam bona opera, quam mala omnium erunt patientia.

Ex Rom. 14. 311 Prob. 2. ex *epist. ad Roman. cap. 14. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi:* & post. *Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.* Ergo omnium etiam Apostolorum, tam bona, quam mala, si quę habuerunt opera, patebunt.

Ex Glossis; 312 Prob. 3. ex Glossa Interlin. *in epist. 1. Cor. cap. 4. Ver. Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, dicente, & quia tunc omnia nota omnibus, poterunt de se, & de alijs iudicare: & sequitur. Gesta, & cogitata tunc erunt aperta. Ergo bona, & mala opera omnium, etiam electorum fient nota.

313 Prob. 4. ex Glossa Ordinar. in *cap. 20. Apocal.* Versu, *& libri aperti sunt*, dicente. Libri conscientiæ singulorum, quæ omnibus apertæ erunt. *Lyran.* ibidem, ait. Libri conscientiarum; nam omnia merita, & demerita omnibus erunt nota, vt sic appareat omnibus iudicantis iustitia: ergo.

Ex Bernard. 314 Prob. 5. ex *S. Bernardo* supra cit. loco 1. *ad Corinth. 4. Illuminabit, &c.* dicente. *Cuncta arcana cunctorum cunctis patebunt.* Ergo tam bona, quam mala.

Ex Bonau. 315 Prob. 6. ex *S. Bonau. vbi supra numer. 48.* dicente omnia nota erunt omnibus, tam bona, quam mala in ipso iudicio, ex Bernardo, & Anselmo, & hoc ad certam iustitiam meritorum, quæ sciuntur in omnium actuum bonorum, & malorum recognitione; quia ostensio malorum in bonis, erit ad manifestationem misericordiæ prius factę; bonorum in eis ad ostensionem iustitiæ. E contra, malorum in malis, &c. hæc *S. Doctor:* ergo.

Ex D. Th. 316 Prob. 7. ex *D. Thom. vbi supra in solut. ad 1.* sic habente. Licet omnia peccata sanctorum deleta sint, quantum ad maculam,

lam, & reatum; manent tamen in aliquo effectu, scilicet in merito pœnitentiæ, per quam sunt expiata, & similiter merita damnatorum, si qua fuerunt manent quodammodo in peccatis, quibus sunt mortificata. Diuina verò virtute fiet, vt per huius modi effectus, omnia in memoriam reuocentur. Idemque confirmat in *solut.* 2.

317 Prob. tandem, si aliquid obstat, maximè, quia notitia peccatorum causaret confusionem in electis; quod repugnat eorum statui, sed hoc non obstat: ergo. Minor prob. Nam ex *D Bonau. & D. Thom.* in citatis locis, nulla orietur ex eorum manifestatione confusio; quia videbuntur deleta per pœnitentiam; & hinc maximè commendabitur Dei misericordia, ac iustitia, & electorum meritum, cum de commissis ægerint pœnitentiam; In reprobis verò, peccata, quorum non pœnituerunt, maximam in eis parient confusionem; & Dei iustitia commendabitur, cum pro eis damnabuntur.

Arg. ad hom.

## ARTICVLVS X.

### *Quo modo omnium opera in iudicio fient omnibus nota.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent dist. 47. q. 1. §. De tertio*, mouet, & soluit dubium duplici dicendi modo, mox adducendo.

Sensus artis.

318 Adu. sensum quæsiti hunc esse. Cum huc vsque firmatum sit, omnium opera, bona, vel mala, in die iudicij esse manifestanda; insurgit dubium, quomodo fiet ista manifestatio: id est, quomodo erunt mihi in tempore adeo breui nota omnia mea facta, vel dicta. Secundo, quomodo erunt mihi nota facta, vel dicta aliorum.

Pluribus modis possunt manifestari opera hominum.

319 Adu. 2. ex *Scoto, vbi supra F.* Pluribus modis fieri posse hanc ostensionem, & manifestationem. Primò, vt Deus ostendat omnia illa distinctè, & singulariter in se ipso, et miraculosè. Secundo, vt sinat intellectum cuiuslibet considerare suo modo naturali facta propria, deinde considerare facta aliorum, et ad hoc, ait *Scotus*, requiritur maximum tempus. Tertio possibile est, vt vnicuique manifestentur merita, vel demerita propria in particulari; et merita, ac demerita aliorum in generali. Et hoc dupliciter, vel concipiendo singulas personas, tamen hanc, vt iustam præmiandam propter merita in generali concepta; illam verò, vt iniustam puniendam propter demerita eius concepta in generali. Vel non singulas personas concipiendo in speciali. Sed tam personas, quam merita, vel demerita in in generali, v.g. omnes relictos in terra, vt reprobos, ac puniendos; absorptos verò in aere cum Christo, vt iustos, & præmiandos. Hæc *Scotus*.

320 Dico ergo 1. Probabile est, quod electi videbunt omnia propria merita, vel demerita condonata per pœnitentiam in indiuiduo, ac distinctè per ostensionem Dei in Verbo.

Electi in verbo videbunt propria facta.

321 Prob. Hoc non repugnat, neque ex parte Dei ostendentis, neque ex parte creaturæ videntis; & sic faciendo, non sunt necessaria tot miracula, quæ facienda sunt, si aliter ostendantur eorum facta, dicta, atque cogitata: ergo. Antec patet ex parte vtriusque, quia hoc modo anima Christi, & animæ beatorum nunc cognoscunt in Deo, quæ sibi ostenduntur.

322 Dico 2. Probabilius est, quod tam electi, quam reprobi in sua propria conscientia videant omnia propria facta, dicta, & cogitata, in hanc partem inclinat *Scotus*.

Probabilius, quod omnes in propria conscientia cognoscant sua facta, &c.

323 Prob. 1. ex *Apocal.* 20. v. 12. vbi habetur inter alia. *Et libri aperti sunt, &c. Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera eorum.* Glossa Ordin. Verbo, *Libri aperti*, ait, *conscientiæ singulorum, quæ aperta omnibus erunt. Lyranus ibid* ait, libri, supple, conscientiarum, nam omnia merita, & demerita omnibus erunt nota, vt sic appareat omnibus iudicantis iustitia. Ergo in sua conscientia quilibet cognoscet suas actiones, &c.

Ex Origene.

324 Prob 2. ex *Origene tract. 7. in Matth.* vbi egregiè id docet. *Volens Deus ventilare omnium mentes, vt vnusquisque sentiat propriæ actus bonos, vel malos, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabili quadam virtute.*

Ex August.

325 Prob. 3. ex *Augustino lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 14.* vbi præ cæteris habet. *Reducam ante oculos omnia delicta, & peccata mea quadam enim diuina virtute fiet, vt cuique sua opera bona, vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset sententia conscientiam; atque ita simul, & singuli simul, & singuli & omnes iudicentur.* Quem eisdem verbis secutus est *Hugo Victor lib 1. de an. c. 2.*

Ex eodem Augustin.

326 Prob. 4. ex *D. Augustino lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 18.* in fine, vbi declarans illud. *Malachiæ 3. Accedam ad vos in iudicium, & ero testis velox super maleficos, & super adulteros, &c.* sic habet, intelligendus est velox cum sine mora reuocaturus est in memoriam, vnde conuincat, puniatque conscientiam. Igitur in conscientia videbunt opera.

Ex Sixto Papa,

327 Prob. 5. ex *Sixto III. tract. de Malis Doctoribus, & de oper. fidei.* Ante filij Dei tribunal omnium occulta pandenda sunt, et vniuersa etiam cordium secreta reuelanda, cum vniuscuiusque actus conscientia magis, quam sermo testabitur, quo cælare iam iniustitiam non licebit, quo quis non tam sua prodet gesta, quam ab his prodetur ipse, quæ gesserit. Ergo in cuiuslibet anima videbuntur omnia gesta dicta, et cogitata.

B Bonau. 328 Prob.6. ex *S. Bonauentura in Breuil. tract. par.7. cap.1.* vbi declarans citatum *cap.20. Apocal.* ait, in hoc autem iudicio fiet aperitio librorum scilicet conscientiarũ, quibus mærita, & demerita vniuersorum sibi ipsis,& cæteris innotescent, faciente hoc virtute illius libri vitæ, verbi scilicet incarnati, &c.

Ex eodem Bonau. 329 Conf. ex eodem in *4. sent. dist. 43. quæst.* docente, quod tribus modis possunt omnium opera videri in iudicio, aut ratione eius, in quo videt, quia videt multa in vno, vt in speculo æterno, in quo homo multa videt. Aut ratione sublimitatis intellectus qui efficitur Deiformis per gloriam, vnde videt plura, sicut Deus sed non omnimodè &c. Aut ratione diuinæ virtutis hoc facientis, quæ tamen non efficit gloriam, vt ei ostendat exemplar æternum, sed eleuat intellectum, vt possit aliquid supra se, vel ad gloriam, vel ad pœnam: ergo.

Ex Bernard. 330 Prob.7. ex *D. Bernardo lib. de interiori domo cap.* 38. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ,et cunctis agminibus patebunt scelera tua, et post aliqua. In tanto discrimine torquebit te tua conscientia, malè sibi conscia cruciabunt cordis arcana, cogente etiam conscientia, tu ipse eris accusator, et iudex tuus; Conuictus teste propria conscientia, etc. ergo conscientia cuiusque repræsentabit singulis, et omnia propria facta.

Hieron. 331 Prob.8. ex *S. Hier. in cap. 2. Epist. ad Rom.* Ver. *Et inter se inuicem cogitationum accusantium*, vbi ait. Conscientia, & cogitationes nostræ erunt in die iudicij ante oculos nostros, tamquam quædam historiæ cognoscendæ, aut ipsæ non accusabunt, aut etiam excusabunt, &c. ergo.

Ex Laur. Iustin. 332 Prob.9. ex *Laur. Iustin. lib. de contemptu mundi cap.16.* vbi de iudicio sic loquitur. Erunt testes Angeli, dæmonia accusantia, manifesta scelera in libris conscientiarum compendiosissimè scripta,&c.

333 Prob.10. ex *D. Th. in 4. sent. dist. 43. art. vlt. ad 1.* vbi loquens de peccatis bonorum, & malorum, dicit, quod licet peccata bonorum deleta sint quo ad maculam,& reatum; manent tamen in aliquo effectu, scilicet in merito pœnitentiæ,per quam sunt expiata, & similiter merita damnatorum manent, quodammodo in peccatis, quibus sunt mortificata. Et sic concludit, diuina verò virtute fiet, vt per eiusmodi effectus omnia in memoriam reuocentur. Ergo in memorijs, seu conscientijs cognoscentur.

Ep. ad Rom. 334 Probari etiam potest ex *Rom. 2.* vbi habetur. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum inuicem accusantium, aut etiam defendentium, in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.* Ergo in propijs conscientijs, per Dei virtutem videbuntur opera propria, & in conscientijs aliorum aliena.

335 Probari etiam potest ex illo *Nahum 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, ostendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Quæ quidem verba licet ad litteram dirigantur ad Niniuen Ciuitatem, Hieronymus tamen in eum locum, ait referri etiam ad mundum. Si ergo ostender Deus pudenda, & ignominias hominum omnibus; non videtur aptior modus hæc manifestandi, nisi per intuitionem conscientiarum, in quibus omnia relucebunt, cum non omnes possent videre in Deo, id est reprobi. Nahum 3.

Ep. 1. Cor. 336 Probari pariter patet ex *1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, vbi Interlin. ait. *Et quia tunc omnia nota omnibus, poterunt de se iudicare, & de alijs. Gesta, & cogitata tunc erunt aperta.* Hæc Interlin. *Ex ipsa autem littera, manifestabit consilia cordium*, deducitur, quod in cordibus,seu conscientijs cogitationes, & consilia videbuntur.

Ambros. 337 Prob.ex *S. Ambr. in Euangel. Lucæ cap.22.* Declarans enim illa verba, *dum vadis cum aduersario tuo, &c.* postquam docuit peccata nostra, & illorum conscientiam futura accusatores nostros in die iudicij, sic concludit; *Quod si conscientia vnumquemque prodit, quanto magis gestorum nostrorum opus ante Deum præsto est, quod expressum in nostro corpore vltimo tempore resensebitur, & secretum cogitationis scriptum in cordibus nostris legetur.* Ergo in proprijs cordibus, seu conscientijs, scripta legentur hominum opera.

Arg. cont. 2. Ob. contra secundam. Melius saluantur omnia absurda, & difficultates omnes, si dicatur, opera, electorum, saltem, esse videnda in Verbo: ergo. Anteced. probatur; nam hoc modo nunc animæ beatorum vident aliqua creata, siue præterita, siue præsentia, siue futura, quæ eis ostendere dignatur Deus. Et ita in æternum videbunt, cum Deus sit speculum, in quo relucent omnia creata,& creabilia.

Licet de electis concederetur adhuc difficultas vnget de reprobis, quomodo scilicet sint visuri, 338 Resp. Esto id concedatur de electis, adhuc supersunt assertæ difficultates de reprobis. Igitur vna, & eadem de omnibus stabilienda est regula. Neque vrget paritas de visione beatorum, qua nunc, & post iudicium videbunt in Deo aliqua obiecta creata. Quia non vident omnia hominum opera præterita, & præsentia, sed ea tantum, quæ Deus eis manifestat. In iudicio autem videbunt omnia pro ea vice tantum, & modus videndi erit eis, & reprobis communis, ideoque ex modo loquendi sanctorum Patrum in conscientijs omnia videbuntur.

Validũ arg. à sufficienti. Ob. 2. Non videtur assignabilis modus, quo fiet hæc visio: ergo. Anteced.probatur, vel enim ex obiectis relucentibus in conscientijs causabuntur species in videntibus. Vel species istæ à Deo erunt productæ in videntium intellectibus: neutrum potest di-

ci:

est ergo. Min. probatur, non primum, quia homo constans ex anima, & corpore non potest, nisi per sensibilia intelligere; *oportet enim intelligentem phantasmata speculari*. Sed innumera opera existentium in iudicio non possunt causare speciem sui sensibilem, cum ipsa sint intelligibilia tantum; vt sunt actus interni infidelitatis, desperationis, odij, &c. Item iudicia temeraria, &c. Eiusmodi ergo, cum nequeant peroipi per sensibiles species, non poterunt in conscientijs videri.

Neque potest dici secundum, nam infinitum fere numerum specierum deberet Deus causare, quod videtur inconueniens. Secundo, quia intellectus creatus nequit simul intelligere numerum fere infinitum. Ergo est absolutè impossibilis hic modus cognoscendi omnium opera in conscientijs omnium resurgentium.

Responsio, & protestatio authoris.

339 Resp. Argumentum hoc, quod ex me ipso confeci esse validissimum: tamen esse ab omnibus catholicis soluendam. Quamquam ergo PP. in præsenti, & præteritis articulis citati, doceant, omnia omnium opera ab omnibus esse in conscientijs singulorum videnda; & id refundant in diuinam virtutem, quæ miraculosè in breuissimo spatio id præstabit; nullus tamen eorum, quos diligenter perlegi, assignat modum indiuidualem, quo fiet hæc visio. Et hac de causa nollem ego, omnium minimus, hoc secretum Deo tantum notum inuestigare. Ideo, quid fiet de facto dicere non audebo; tunc enim patebit. Sed quid poterit fieri tantum innuam. Dico ergo, quod, sicut de Christi anima sustinemus cum Scoto, in Verbo, & in propria natura omnia cognouisse, vel vna; vel innumeris visionibus, iuxta obiectorum numerum. Ita posset Deus eleuare ad hunc actum tantum, omnium intellectus ad cognoscendum simul in omnium conscientijs omnium opera, ita tamen vt hæc causaret sui species independenter à sensibus, vel ipsemet Deus eas species in videntibus producere. Vtrumque enim est Deo possibile. Si modus iste possibilis (non audeo dicere futurus) non placet Lectori, inueniat, alium magis congruum, & hominibus proportionatum. Et ipse libenter eum amplectar, dummodo Sacræ Scripturæ, et Philosophiæ naturali non repugnet, non enim recipio hyperbolica, sed possibilia, seu non repugnantia.

Omnes Catholici debent soluere hoc argumétum,

Quid fiet, certe nescio, quid possit fieri inquiritur.

Remissio humilis authoris,

## ARTICVLVS XI.

### *An & qui accusatores erunt in iudicio, & quomodo accusabunt.*

340 ADu. duo hic esse videnda. Primo, an erunt accusatores reorum in iudicio, & qui. Secundo, quali modo fiet accusatio. Certum enim est, quod si quilibet reprobus singulariter esset accusandus, infinitum quasi tempus esset necessarium. Si autem omnes simul, videtur confusio quædam, nec appareret capibile, quomodo audientur distinctè in modico tempore omnium accusatorum querelæ de omnibus delictis. Sensus art.

341 Dico 1. Electi omnes, siue Angeli, siue homines accusabunt reprobos. Electi accusabunt reprobos.

342 Prob. 1. ex *Iob* 20. in fine. *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum*. vbi Glossa Interlin. ait, *Perfecti, qui cum Deo iudicabunt*. Glossa Lyr. ait, Angeli cælestes, & homines terrestres contra eum erunt testes.

343 Prob. 2. ex *Io* 5. in fine, vbi ait Saluator, *nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est, qui accusat vos Moyses, in quo speratis*: ergo. Apertè scriptur.

344 Prob. ex *S. Bernardo lib. de interiori domo cap.* 38. Ipse iudex erit districtus accusator tuus. Omnes etiam spiritus boni, & mali coram Deo accusabunt cum eo, boni, quia Deo debent æquitatem; mali, quia tuam seruant iniquitatem. Tot arguentibus te, confunderis, quot tibi præbuerunt benè viuendi exemplum. Tot conuinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus, & iustis actionibus, &c. Ex Bernardi

345 Prob. ex *Hugone Victorino lib.* 3. *de anima cap.* 23. vbi replicat eadem ferè verba Bernardi, ideo non refero.

346 Dico 2. Diabolus etiam accusabit reprobos. Etiam diabolus accusabit reprobos.

347 Prob ex *Apocal.* 12. *ver.* 10. *Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri*, vbi Glossa Ordinar. Ver. *Accusabat*, ait, *officium diaboli est accusare*.

349 Prob. ex *Ambros. in cap.* 12. *Apocal.* qui rem fatetur, sed modum nescit. Sic, *proiectus est, qui accusabat, &c. Accusantur noxij homines apud iudices, cum eorum scelera ipsis manifestantur; in conspectu verò Dei, qui non solum facta, sed & cogitata considerat, quomodo diabolus aliquem accusare possit; sed accusamur in conspectu Dei, cum peccamus: Accusat & diabolus, cum in peccatis malè suadendo dejcit.* hæc *Ambr.* Ex Ambros.

349 Prob. ex *Laurentio Iustinian. lib. de contemptu mundi cap.* 16. vbi loquens de Ex Laur. Iustin.

iudicio, ait, *erunt testes Angeli, & demonia accusantia, &c.*

350 Prob. ex *S. Bernardo in præced. conclus. adducto*. Spiritus boni, & mali accusabunt impios.

Conscientia erit præcipuus accusator reproborum.

351 Dico 3. Præcipuus reproborum accusator erit ipsamet peccatorum conscientia.

352 Prob. 1. ex *Rom.* 2. vbi de gentibus non habentibus legem loquens, ait. *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se cogitationum inuicem accusantium, aut etiam defendentium in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, &c.*

Ex Ambros.

353 Conf. ex *S. Ambr. in hoc loco Rom.* 2. *Illi enim, quos dicit inuicem cogitationibus suis accusari, aut defendi in die iudicij Dei, &c.* & post aliqua. *Duæ cogitationes in homine inuicem accusabunt, bona, & mala. Bona accusabit malam, quia contradixit veritati: mala accusabit bonam, quia non secuta est, vt sensit*, & post aliqua. *Hoc modo iudicabuntur homines in die iudicij per Iesum Christum*. Idem confirmat in *cap. 22. Luca M.*

Ex Hieron.

354 Conf. 2. ex *S. Hier.* in eodem loco Ver. *Et inter se inuicem*, dicente. Conscientia, & cogitationes nostræ erunt in die iudicij ante oculos nostros, tamquam quædam historiæ cognoscendæ, aut ipsæ nos accusabunt, aut etiam excusabunt, &c.

Ex Psalm.

355 Prob. 2. ex *Psal. 49. v. 21. Existimasti iniquè quod ero sui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam*, Glossa Interlin. Ver. *Existimasti*, ait ex *August. placere mihi putas mala, quem non erubis vltorem*. Ver. *Statuam*, ex eodem *Augustino*, ait, *ostendam te tibi, & displicebis tibi*. Glossa *Lyran.* Ver. *Et statuam*, ait, per remorsum conscientiæ, quæ est magna pœna in damnatis, propter quod vocatur vermis mordens, & corrodens continuè.

Ex Hier. in cit. Psalm.

356 Conf. ex *S. Hier.* in hunc locum, *dum non vindico in præsenti arbitratus es, ea mihi placere, sicut tibi placent tua mala, & aliorum arguam te, cum in sinistra parte sedis fueris collocatus in futuro iudicio, & statuam illa contra faciem tuam, vt his confusus damneris in mortis perpetuæ.* Et ad hoc adduci potest illud. *Hieremiæ 2. Arguet te malitia tua, & interpratabitur te*: ergo.

Ex Sapient. textu.

357 Prob. ex *Sapientiæ 4.* in fine. *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates ipsorum*. Glossa Interlin. Ver. *Venient*, ait, ad iudicium. Ver. *In cogitatione*, dicit agnoscentes, scilicet, quæ fecerunt cogitatione accusante. Ver. *Peccatorum*, addit conscientia malorum. Ver. *Traducent*, inquit, in ignem æternum, & Ver. *Ex aduerso*, supplet accusantes:

Ex Bernard.

358 Prob. 2. ex *S. Bernardo lib. de interna domo cap. 38.* In tanto discrimine torquebit te conscientia tua malè sibi conscia, cruciabunt cordis arcana; Cogente etiam conscientia tu ipse eris accusator, & iudex tuus, conuictus, teste propria conscientia, &c.

Ex Hug. Victor.

359 Prob. 3. ex *Hugone Victorino lib. 3. de anima cap. 23.* Ante tremendum iudicem accusaberis de multis, & magnis offensis; non vno, non paucis, sed innumeris criminibus, non paruis, sed immensis; non dubijs, sed certis; non breui accusatione, sed tam longa, quam longa est vita tua non vno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua.

Ex Laur. Iustin.

360 Prob. 4. ex *Laur. Iustin.* vbi supra, Tot aduersus eos insurgent testes quot perpetrauerunt scelera, &c.

Argum. validum a paritate testium.

Ob. Contra omnes. Christus non vtetur testibus in iudicio. Ergo neque accusatoribus. Anteced. prob. ex Malachiæ 3. *v. 25. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas, & pupillos, &c.* Ergo ipse met erit testis. Consequentia probatur iudicium perfectum, ac iuridicum, si constat ex accusatore debet constare ex iudice, reo, & testibus. *Ex cap. forum de verb. significat.* Et si non requiruntur testes, frustra admittitur accusator.

Christus erit testis, sed nō excluduntur alij, vt Angeli Custodes.

361 Resp. 1. nego. Anteced. ad probationem dico primo. Intelligi de vno, & dignissimo teste, nempe Christo, sed non excludi alios; Angeli enim Custodes facile poterunt de custodis testificari; Item & Angeli mali tentatores. Dico secundo, si aderit ipse Christus testificans. Ergo aderit forma iudicij cum teste omni exceptione maximo, cum reo, accusatore, & iudice.

Si factus sit notorium non sunt necessarij testes ad illud probandum.

362 Resp. 2. Neg. consequ. ad probationem dico, quod si factum, seu delictum non est patens, est probandum per testes tres, vel duos ex Christi oraculo *Matth. 18. vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*. At quando delictum est notorium, ita vt non possit celari; non est necessitas testium, vt delictum examinetur ex *cap. Bona memoria. De Elect.* Et si coram iudice sit commissum, nullo accusante, potest iudex procedere *ex cap. Euidentia de Accusat.* Notorium autem dicitur crimen, vel quando reus illud confessus est ex *cap. fin. de cohabit. Cleric.* vel quando propter illud condemnatus est ex *cap. Vestra duxit*, sub eodem titulo. Sed Reproborum crimina vtroque modo sunt notoria; Etenim volentes; nolentes ea in conscientijs deferent scripta, sic ea confessa erunt; Secundo, quia propter illa iam in morte fuerunt condemnati, & ideo in terra manebunt. Ergo nulla aderit testium necessitas.

Instab. ergo si crimina erunt notoria, frustra accedent accusatores.

Non ad est necessitas accusantium.

363 Resp. 1. Neg. suppositum, non enim dicimus, quod adsit necessitas accusantium, cum Christus; imò eius virtute alij omnes cognoscant, ex dictis, reprobo rum crimina; sed ex Dei beneplacito, ob finem

In confusionem permit. tentur accusationes.

nem mox afferendum.

364 Resp. 2: Neg. consequ. nam in confusionem, & vituperium, ac pœnam eorum, permittet Deus, vt omnes contra eos insurgant. Ergo non frustra.

Ob. 2. Vel accusationes fient vocaliter, vel mentaliter. Neutro modo tunc poterunt fieri ergo. Min. probatur, non vocaliter; quia prolixum tempus requireretur, neque anni sufficerent, vt singuli electi singulorum reproborum delicta accusarent. Non mentaliter; quia frustra fieret hæc accusatio; non enim esset necessaria pro iudicis notitia, cum Christus omnia eorum peccata optimè cognoscat, & in Verbo, & in illorum conscientijs: neque in confusionem accusatorum, cum accusatio illa intellectualis nulli innotesceret, nisi Christo.

Accusationes erùt intellectuales, adhuc tamen confusionem ad. ducent accusatis.

365 Resp. iuxta dicenda in sequ. accusationes intellectualiter esse faciendas, non quidem ob notitiam iudicis, qui omnia nosset, sed propter pœnam, & confusionem reorum, nam in primis conscientiæ remorsus, maximè eos torquebit. Secundo omnes electi, ac reprobi cognoscent intellectualiter, quod Angeli, & diaboli, reorum peccata Christo suggerent. Ergo magna erit eorum confusio, quod, se videant ab omnibus vituperari.

## ARTICVLVS XII.

### *An iudicium fiet vocaliter, vel intellectualiter.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. quæst. 1. §. De quarto*, mouet hoc dubium, & licet videatur prima facie esse problematicus, tamen de sententiæ pronunciatione, & disceptatione, concludit esse magis consonum Euangelio, quod facienda sit vocaliter. Ideo

Duo considerandi, discussio, & sententia.

366 Adu. quod notat *Scotus ibid. §. De tertio*, in iudicio duo posse considerari, nempe meritorum discussionem, & sententiæ pronunciationem; & de vtraque est quæstio, an facienda sit vocaliter.

367 Adu. 2. quod cum ex *Ioelis* 3. in iudicio futura sit disceptatio inter Christum iudicem, & reprobos, merito quæritur, quid sit ista disceptatio, & an vocaliter facienda. Ideoque notandum, quod *D. Hieron.* explicans locum istum, ait, *ibique disputabit Dominus, non potentia maiestatis, sed rationis, eos veritate conuincens, qui partim sunt populum Dei, & hæreditatem illius, &c.* Lyranus autem ibidem ait, *& disceptabo, id est ostendam iudicium meum iustum, quia tunc manifestabuntur omnibus merita, & demerita omnium, & sic quantum ad electos, & reprobos, apparebit omnibus, Christi iudicium esse iustum.* Ac proinde, ex his patet, quod disceptatio reducitur ad discussionem, cuique obiecto quædam, & improperatio, vel beneficiorum, quæ aliquibus facta sunt, vel delictorum: & ideo *Scotus loco cit. §. De tertio*, dicit, in iudicio, aliquid est prævium, vt innotescentia meritorum, vel demeritorum, propter quæ feretur sententia talis, vel talis, & aliud est completiuum, scilicet promulgatio sententiæ, & executio illius, licet possint distingui; promulgatio, & executio, *in §.* verò *De quarto*, inquirens, si iudicium fiet in tempore, vel instanti, si vocaliter, vel mentaliter, non vtitur amplius vocabulo *innotescentia*, sed vtitur vocabulo *disceptationis*, dicens, si erit disceptatio vocalis, vel prolatio sententiæ vocalis, fiet in tempore, &c. ergo idem secundum Scotum est discussio meritorum, & disceptatio. His præmissis.

Disceptatio Christi cum reprobis, quæ?

Scoti discursus.

368 Dico 1. Licet certum non sit ex scriptura, an discussio, seu disceptatio omnium meritorum facienda sit vocaliter, vel intellectualiter, & probabile sit alterutrum; probabilius tamen est, quod ratione aliquorum saltem operũ etiam pronunciatio sententiæ facienda sit vocaliter. Ex *Scoto* habetur loco citato.

Disceptatio vocaliter facienda probabile.

369 Prob. 1. pars. Ex Sacra Scriptura aliud non habetur, nisi quod Deus disceptabit, cum impijs *Ioelis* 3. & quod improperabit malis crudelitatem, circa opera misericordiæ; bonos verò de eisdem commendabit. Sed totum hoc posset intelligi de locutione intellectuali; nam hoc etiam possibile est.

1. pars quod sit incertum, an vocaliter prob.

370 Prob. 2. Si de singulis singulorum operibus discussio facienda esset vocaliter, longissimum tempus esset necessarium, vt per se cuidens est. Omnia enim successiuè essent cribranda, & pro quolibet homine, spatium aliquod temporis notabile deberet insumi. Ergo pro tot miriadibus hominum, tot spatia; quam doctrinam respuit *Origenes tract. 7. in Matth.* & *Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 26.* in sequenti artic. adducendi. Origenes ait futurum esse iudicium in momento, sicut fiet resurrectio, & Augustinus, licet vna vice, (vt ibi) dicat per diem iudicij, intelligi tempus, ex phrasi Scripturæ, numquam tamen ad tantum spatium se extendit. Si ergo modus hic discutiendi vocalis, videtur improbabilis, & modus discutiendi intellectualis, est facilior, hic posset teneri.

Origenes, & Augustin. in momẽto dicunt esse faciendum.

371 Prob. 3. ex *Sixto III. tract. de malis Doctoribus, & operibus fidei*, vbi loquens de discussione in die iudicij, ait. *Omnium occulta pendenda sunt, & omnium sorum etiam cordium secreta reuelanda, cum enim cuiusque actus conscientia magis, quam sermo testabitur* ergo.

Ex Sixto Papa.

372 Prob. 4. ex *Augustino lib. 20. de Ciuitate cap. 14.* vbi loquens de libro Apocal. aperiendo in iudicio, ait. *Et alius inquit liber apertus est. Quodam igitur ou est intelligenda diuina, quæ sint, vt cuique operæ sua,*

Ex August.

vel

*vel bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu, mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita in simul, & omnes, & singuli iudicentur.* Ergo videtur esse mentalis, vt cito fiat.

373 Prob. Tamen secunda pars, quod saltem respectu fidelium, siue electorum, siue reproborum facienda sit vocaliter, Ex *Matth.25.* Christus condemnabit fideles iustos propter opera misericordiæ corporalia. *Esurini, & dedistis, &c. Sitiui. &c. nudus eram, &c.* & improberabit fidelibus damnatis, *esurini, & non dedistis: sitiui, & non dedistis.* Euangelista autem hæc referens ait, *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti, &c. Et isti respondebunt ei dicentes Domine, quando te vidimus, esurientem, &c.* vbi, *Et respondens Rex dicet illis, Amen dico vobis quandiu fecistis vni ex his, &c.* Et ad damnatos pariter conuersus, ait textus, *Tunc dicet Rex & his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti. Et ipsi respondebunt,* dicentes Domine quãdo te vidimus, & esurientem, &c. *Tunc respondebit illis dicens, Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni ex minoribus istis.* Dicere autem, & respondere ex communi vsu loquentium significant actionem vocalem, ergo. Saltem respectu horum operum, & pronunciationis sententiæ iudicium fiet vocaliter.

374 Prob.2. Non repugnat, imò valde consonum est Euangelio asserere, quod saltem istæ discussiones, & sententiæ fient vocaliter: alioquin modo quodam muto omnia essent peragenda cum tamen, & iudex, & omnes homines ibi congregati vocaliter possint loqui. Neque ex hoc sequitur illud inconueniens, quod prolixum tempus exigeretur; breuissimo enim tempore prædicta Euangelij verba possunt proferri: ergo.

375 Prob. 3. Alia in iudicio peragentur vocaliter; & intimatio mortuorum ad iudicium, vt in suo loco dictum est. Ergo idem dici poterit de hac disceptatione, & sententia.

376 Prob.4. ex *Magistro Sentent. dist.47.* qui licet adducat opiniones oppositas; ipse tamen magis inclinat quod exprobatio malorum, & sententia vocaliter fint faciendæ.

377 Prob.5. ex *Riccardo in 4. distinct.47. art.1. qu.2* in conclusione, vbi expresse sic habet. In generali iudicio, non solum mentalis, sed vocalis etiam erit disceptatio.

Ob. *S. August. lib 20. de Ciuit. Dei cap. 26.* in fine declarans illud. *Malachiæ 3. testis velox super maleficos, &c.* inter cætera, ait, intelligi id posse, *quia ipsas conuincet sine vlla sermonis prolixitate, conscientias.* Ergo non erit vocale.

378 Resp. neg. consequ. primo, quia nos non dicimus conuictionem reproborum vocaliter esse faciendam, cum docuerimus intellectualiter eorum crimina notoria, sine testibus cognoscenda, at nihil dicit de commendatione bonorum, exprobatione malorum, & sententia, quæ iuxta obuium sensum euangelij fient vocaliter. Secundo Augustinus non negat aliqua facienda vocaliter; sed dicit sine vlla prolixitate sermonis; ergo cum sermone, sed non prolixo.

## ARTICVLVS XIII.

### *An iudicium fiet in instanti, vel in tempore.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distin 47. quæst.1. §. De tertio*, monet, & resoluit hoc dubium, multis præsuppositis, dicens, quod si præambulum, nempe discussio meritorum fiet mentaliter, non solum ipsa, sed & sententia sequens fiet in instanti, neque solum quantum ad Christum proferentem, sed etiam quantum ad eos pro quibus, vel contra quos proferetur, quia posset facere, vt in instanti conciperent talem, vel talem. Et in *§. De quarto*, sic sequitur, si erit discceptatio vocalis, vel prolatio sententiæ vocalis, erit in tempore. Si autem in instanti, oportet quod vtrumque sit in mentale. Hæc *Scotus.*

In iudicio duæ actiones considerandæ.

379 Adu. ergo ex dictis in præced. quod in iudicio præceteris erunt duæ actiones, scilicet discceptatio, seu meritorum discussio, & sententiæ prolatio. Et de vtraque quæritur an fiet in tempore.

Probabilius est quod fiet in tempore.

380 Dico. Licet probabile videatur, quod meritorum discussio, & sententiæ prolatio fient in instanti: tamen iusta dicta in præced. art. probabilius est, quod aliquę discussiones narratæ in Euang. & sent. fient in tempore.

1. pars, quod in instanti est Origenis.

183 Prob.1. pars ex *Origene tract.7. in Matth.* Vbi differens de agendis in iudicio, ait cito ineffabili quadam virtute venire faciet in mentem cuiuslibet omnes actus bonos, & malos, & postea ad rem, subdit. *Neque enim sicut volentes in mente facere alicui ea quæ fecit eit opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum, quæ dicuntur à nobis, & in memoriam rediguntur; sic & Deus opus habet tempore, volens in nobis in mente facere nota omnia quæ gessimus in vita vt cognoscentes vniuersa, quæ fecimus intelligamus, propter quæ, aut punimur, aut honoramur. Si quis autem celeritati diuinæ virtutis circa hæc omnia consumanda non credit, hic non dum intellexit Deum, qui omnia fecit, & non indiguit spatio temporis alicuius ad faciendam cæli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt creaturam. Nam & si videtur in sex diebus fecisse omnia Deus, &c. audendum est tamen, & dicendum quoniam tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut*

*cut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi, sic puto & iudicium fore.* Hæc Origenes. Ergo ex eo iudicium non fiet in tempore.

Ex August. 382 Prob.2. ex *Augustino lib.20.de Ciuit. cap.14.* vbi de iudicio loquens, & de nudatione omnium operum, ait, quadam namque diuina vi fiet, vt cuique sua opera bona, vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intuitu, mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset conscientiam scientia; atque ita simul, & singuli iudicentur. Ergo, ex eo, videtur iudicium, non in tempore, sed simul, & in instanti faciendum, tam quo ad discussionem, qua quo ad sententiam.

383 Probari etiam potest ex eodem *Augustino lib.20.de Ciuit.cap.26.* in fine, vbi declarans illud. *Malachiæ 3. Accedam ad vos in iudicium, & ero testis velox super maleficos, &c.* ait. *Dicit eum velocem, siue quia repente venturus est eritque iudicium ipso inopinato eius aduentu celerrimum, quod tardissimum putabatur, siue quia ipsas conuincet sine vlla sermonis prolixitate conscientias,* & paucis interiectis, iterum ait. *Intelligendus est testis velox cum sine mora reuocaturus est in memoriam vnde conuincat, puniatque conscientiam.* Ergo videtur innuere, quod non in tempore, sed in momento, & absque mora fiet, saltem discussio, seu disceptatio demæritorum.

Ex Hugone Vict. 384 Prob.3. ex *Hugone Victorino lib.1. de Anima cap.2.* vbi eisdem verbis replicat *Augustini sententiam lib.20. cap.14.* supra allatam. Eamque tuetur.

Secunda pars ex Christi verbis prob. 385 Prob.2.pars ex dictis in præcedenti. discussio operum misericordiæ, tam cũ electis, quam cum reprobis fiet vocaliter. Sic & prolatio sententiæ. Hæc autem actio vocalis, non potest fieri nisi cum motu, & successione: ergo in tempore.

386 Prob. 2. ex *Matth.* 25. Prius dicet electis. *Venite benedicti Patris mei, &c. Esuriui, &c. Sitiui, &c.* & isti respondebunt Domine quando te vidimus esurientem, &c. &

Ex Euangel. Matth. Christus replicabit. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis mihi fecistis.* Deinde conuersus ad reprobos dicet. *ite maledicti, &c. Esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, &c. hospes eram, &c.* & etiam ipsi respondebunt. *quando te vidimus &c.* & Christus replicabit. *Amen dico vobis, &c.* ergo, cum collocutiones istæ, verè sint futuræ, & vna post aliam; discussio, saltem, horum operum in genere, & sententiæ prolatio erit successiua, & in tempore. Et hoc est, quod dicit Scotus. Est magis consonum Euangelio, quia sibi est sermo de vera locutione corporali, quæ quidem, cum motu labiorum, linguæ, et aliorum instrumentorum

Ex August. vocis, fieri debet.

387 Prob.3. ex *S. Augustino lib.20.de Ciuit. Dei cap.1.* vbi de iudicio prolixè disputaturus, ait. *Hunc diuini iudicij vltimum diem dicimus, id est nouissimum tempus. Nam per quot dies iudicium hoc tendatur incertum est, sed scripturarum more sanctarum, diem poni solere pro tempore, nemo qui illas litteras quamtumlibet negligenter legerit, nescit.* Ergo secundum August. nedum tempore durabit, sed notabili tempore.

388 Neque vrget, quod in *cap.26.* supra relato dicit, Deũ in iudicio non indigere prolixitate sermonis, quia intelligitur de magna prolixitate, quæ more humano esset necessaria ad discutiendum distinctè omnia mærita, ac demærita. Quia cito hoc negotium expedietur, vocaliter commendando opera misericordiæ electorum, et pronunciando pro eis, *Venite benedicti Patris mei, &c.* Sic etiã vocaliter exprobando reprobis omissionem earumdem operum, et pronunciando contra eos, *Ite maledicti in ignem æternum, &c.* ista autem vocalis collocutio, de necessitate motus, quem intrinsecè exigit oratio vocalis, tempus, et moram requirit.

Non vrget, quod alibi dicat aliter.

389 Prob. tamdem. Christus in forma humana apparebit, et iudicabit, vt ab omnibus videatur, et audiatur. Ergo, si est audiendus, vocaliter loquetur; et ita, non in instanti, sed in tempore illa saltim verba in tempore proferet, quæ ab Euangelista Matthæo referuntur dicenda electis, et reprobis in discussione operum misericordiæ, et prolatione vtriusque sententiæ.

A paritate, quia Christus apparebit sensibiliter.

390 Conf. Nisi ita dicatur videtur eludi scriptura, dum Matthæus asserat. *Tunc dicet Rex, tunc respondebunt, &c.* Dicere enim, et respondere, quæ versantur inter personas, corpore, et anima constantes, sunt actiones corporales, et successiuæ. Et ex alia parte nullum penitus ad est fundamentum, cur dicamus, actiones istas fore mentales; et videtur apertè Scripturæ Sacræ extorsio.

Videntur Eludi textus verba.

Ob.1. ex *Sapient.4.* in fine vbi fit mentio de damnandis in iudicio, et habetur. *Et erunt post hæc, decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, &c.* ergo iudicium, et exprobatio fiet absque actione vocali.

Arg. contr.

391 Resp. nego consequ. Nam ly *sine voce* refertur ad ipsosmet reprobos, qui cum damnabuntur nihil dicent pro sui excusatione. Ita Interlin. Ver. *Sine voce*, ait. *Ita Lyranus ibid.* sic dicens, sine voce, quia non poterunt se defendere, vel excusare. Ergo nihil contra nos.

Damnati nullam excusationem vocalem adducent de sententia.

Ob.2. *S. Augustino lib. 20. de Ciuitate Dei cap.14. C. Virtute diuina fiet vt cuique opera sua bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset, vel excuset scientia conscientiam.* Ergo intellectualiter fiet iudicium.

392 Resp. neg. consequ. quia aliena est à præmissis. Nos enim non loquimur de cognitione crìminum propriorum, vel alienorum; neque de omni omnium delictorum discussio-

Arg. ex Aug. non est ad rem.

sione. Sed de commendatione operum misericordiæ electorum, ac improbatione omissionis reproborum, & de sententijs, in vtrorumque causis proferendis; et dicimus, hæc, vocaliter, ac successiuè fienda, quia ita innuere videtur Euangelium Matthæi iuxta obuium, ac germanum sensum litteralem. Augustinus autem ibi loquitur de Libro Vitæ, et dicit esse conscientias singulorum in quibus vi quadam diuina, mira celeritate propria opera cernentur.

Ob. 3. Maximum tempus esset necessarium, nisi in instanti iudicium esset complendum: ergo. Prob. sequela singulorum facta sunt ferè infinita.

Aliqua tantum sunt voce proferenda, non omnia.

393 Resp. neg. anteced. ad probat. nego suppositum. non enim dicimus, omnium Electorum facta singulariter esse voce Christi commendanda; neque singulorum reproborum crimina esse singulariter Christi voce improbanda. Sed supposita notitia mentali (, vt in suo loco dictum est) qua omnium merita, et demerita ab omnibus cognoscentur, Christus sicut in Euangelio legitur, opera illa misericordiæ tantum vocaliter, et explicitè in Electis commendabit. Opera autem crudelitatis, impijs exprobrabit. Et sententias premij, et supplicij in eos pronunciabit. Et non video, quare maximum tempus sit necessarium pro hoc facto. Sed tantum prorsus, (vt euidenter liquet,) quantum est necessarium ad legendum verba, quæ Matthæus refert, vt dicenda à Christo, et ab electis, ac reprobis; quod certè ad octauam quadrantis non accedit. At quid per hoc. Vbi nam in scriptura præfixum est Christo, vt in iudicio per octauam quadrantis non loquatur vocaliter? certè nullibi. Ergo ita fiendum putare debemus, cum Euangelium nobis assistat; sententiæ vero oppositæ, nemo.

Paruum tempus ad hoc exigitur, vt euidens est.

## ARTICVLVS XIV.

### *An, & qui libri aperiendi sint in iudicio, & qui sit Liber Vitæ.*

Scotus de hoc puncto non loquitur

SCOTVS in nullo quem viderim suæ doctrinæ, loco agit de alterutro ex propositis dubijs, ac proinde eorum solutionem aliunde, ex Sacra Scriptura videlicet, et ex SS. Patribus solutionem venabimur. Ideo

Plura dubia.

394 Adu. 1. Plura hic esse discutienda. Primo, an in iudicio aliqui libri sint aperiendi. Secundo, qui sint isti libri. Tertio, an sit etiam aperiendus Liber Vitæ, et an hic sit diuersus ab alijs libris, et quis, seu qualis ipse sit.

Libri aperiẽtur in iudicio:

395 Dico 1. In iudicio aperientur libri. Est de fide. Quinam vero isti sint, dicetur postea.

396 Prob. 1. ex *Danielis 7. v. 10. Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius, &c. iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Vbi Glossa Ordinaria, ait. *Libri aperti sunt, conscientiæ, & opera singulorum in vtraque parte, bona, vel mala, omnibus reuelantur.* Scriptura clara.

397 Prob. 2. ex *Apocal 20. v. 12. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt.* Et paulò post subdit. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera eorum.*

398 Prob. 3. ex *S. Ambrosio in cap. 20. Apocal.* docente, aperiendos esse libros, quos ipse dicit esse conscientias. Ambrosi

399 Prob. 4. ex *S. Augustino lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 14. C.* vt infra, vbi docet aperiendos esse libros, & librum, & per libros, conscientias intelligit. August.

400 Prob. 5. ex *S. Bernardo de mala conscientia*, vbi ait, libros esse aperiendos, id est singulorum conscientias: ergo libri plures sunt in iudicio aperiendi. Bernard.

401 Dico 2. Libri qui aperientur non erunt materiales libri, sed conscientiæ singulorum in quibus omnium opera legentur. Est fere communis. Libri aperiendi sunt conscientiæ hominum.

402 Prob. 1. ex Glossa Interlin. *in præcit. cap. 20. Apocal.* Ver. *Libri aperti sunt*, vbi sic ait. *Conscientiæ.*

403 Prob. 2. ex Glossa Ordin. ibid. dicente, *libri conscientiæ singulorum, quæ apertæ omnibus erunt* Idem dicit in *cap. 7. Daniel*, vt in præcedenti.

404 Prob. 3. ex Glossa Lyrani ibid. Ver. *Libri*, dicente scilicet conscientiarum; nam omnium merita, & demerita omnibus erunt nota, vt sic appareat omnibus iudicantis iustitia. Idem repetit paulò post Ver. *Et iudicati sunt ex libris*, dicens, *conscientiarum*, quod confirmat cum ad sensum moralem descendit. Ver. *Et iudicati sunt*, inquiens, *in libris conscientiarum.* Glossæ ad idem.

405 Prob. 4. ex *S. Ambros. in cap. 20. Apocal.* vbi docens prius, quod electi vnum tantum librum habent, qui est vitæ (de quo postea,) impij verò multos habent, quia in multis erroribus sunt deuoluti, &c. post aliqua, ait; *sed quærendum nobis est, quid sint isti libri? numquid ex aliqua materia visibili, aut inuisibili fient libri, in quibus singulorum facta describantur:* & subdit. *Libri igitur multi, sunt facta reproborum. Libri multi aperientur, cum scelera reproborum omnibus manifestabuntur*; sed ex eodem *Ambros. vt in art. 10. num. 343.* omnium facta in cordibus, id est conscientijs hominum in iudicio videbuntur. Ergo libri non sunt materiales, sed conscientiæ manifestæ. Idem habet in *cap. 13. Apoc.* Ambros.

406 Prob. 5. ex *S. August. lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 14. C.* vbi declarans locum Apocalyp. præcitatum, dicens, *Et aperti sunt libri, & alius liber apertus est, qui est vita vniuscuiusque; & iudicati sunt mortui ex ipsis* Ex August.

*sis scripturis librorum secundum facta eorum. Libros dixit esse apertos, & librum; sed librum cuiusmodi sit non tacuit, qui est inquit vita vnuscuiusque. Ergo illi libri, quos prior loco posuit, &c.* & post aliqua. *Qui liber si carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem, aut longitudinem valeat æstimare? aut quanto tempore legi poterit liber in quo scripta sunt vniuersa vitæ vniuersorum?* & post aliqua. *Non ergo vnus erit liber, sed singuli singulorum.* & post. *Quædam igitur vis est intelligenda diuina qua fiet, vt cuique opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & ipsis intuitu mira celeritate cernantur. Quæ nimirum vis diuina libri nomen accepit, in ea quippe quodammodo legitur quidquid à facientè recolitur*; sed ex eodem *Augustino vt in art.* 10. in conscientijs, seu cordibus cognoscentur hominum facta. Ergo non libri materiales, sed singulorum conscientiæ erunt libri aperiendi in iudicio.

Libri aperiēdi secundum Aug.

Ex eodem Augustino.

417 Conf. ex eodem *Augustino in Apocal. Ioann. homil.* 17. explicante locum sæpe allatum, *& libri aperti sunt*, sic autem ait, *& libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ. Vniuscuiusque memoriam dicit gestorum nostrorum, non quod librum habeat commemoraturum occultorum cogniturum. Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum opera sua; id est ex testamentis iudicati sunt, secundum quod Dei præcepta fecerunt, aut non fecerunt.* Ergo libri aperiendi, sunt singulorum vitæ, seu conscientiæ.

Libri aperiendi in conscientia hominum

418 Probari potest ex omnibus dictis in *art.* 10. vbi diximus, in conscientijs hominum legenda esse eorum dicta, & facta.

Glossa ad idem.

Etiam liber vitæ est aperiendus,

419 Dico 3. Præter eiusmodi libros conscientiarum, admitti etiam debet alius liber, qui dicitur vitæ, est de fide. Quid autem significet, est opinabile.

Ambros

410 Prob. 1. *Exodi* 32. in fine, vbi ait Moyses, *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis dele me de libro tuo quem scripsisti*, & Dominus respondit. *Qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo.* Lyranus dicit hunc esse librum vitæ.

Ex tex. sacro arg. multa.

411 Prob. 2. ex *Psal.* 68. *Deleantur de libro viuentium, &c.* ergo datur hic liber vitæ.

412 Prob. 3. ex *Ecclesiastici* 24. *vers.* 32. *Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi.*

413 Prob. 4. ex *epist. ad Philipp. cap.* 4. *Et cæteris adiutoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.*

Ex Augst.

414 Prob. 5. ex *Apocalyp.* 3. *vers.* 5. *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ*, idem repetit in *cap.* 17. *ver.* 8.

415 Prob. 6. ex *Apoc.* 13. *ver.* 8. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, &c.*

Clarior omnibus locus.

416 Prob. 7. ex *Apocal.* 20. *ver.* 12. *Vidi mortuos, &c. & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ. Et qui non inuentus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

417 Prob. tandem ex *Apocal.* 21. in fine, vbi loquens de superna Ierusalem, ait *non intrabit in eam aliquod coinquinatum, &c. nisi qui scripti sunt in libro Vitæ Agni.* idem habetur *in cap.* 22. *ver.* 19.

Variæ sent. de libro vitæ: sed verior opinio, quod significat prædestinationem.

418 Dico 4. Licet de significato *libri Vitæ*, variæ sint Patrum sententiæ, vt aliqui dicant significare Dei notitiam; alij Vitam, seu progressum vitæ cuiuscunque manifestandum in propria conscientia. Verior tamen sententia est, quod *liber vitæ* significat decretum, seu decreta prædestinationis diuinæ ad gloriam, &c.

Non potest dici scientia Dei.

419 Prob. 1. pars. Caietanus, & innumeri cum eo *in primam partem D. Thomæ quæst.* 24. *art.* 1. defendunt esse notitiam, qua Deus cognoscit eos quos firmiter prædestinauit. Sed contra, ex *textu S. Thom. in resp.* vbi disertis verbis, ait, *Ipsa ergo prædestinatorum conscriptio est liber vitæ.* Ergo ad decreta prædestinationis Sanctus Doctor refert librum vitæ. Secundo, Primarij Ecclesiæ Doctores contradicunt huic sententiæ, vt mox patebit.

Alia sent. non placet, & rationes euidentes.

420 Prob. 2. pars. Multi ex ipsomet *Augustino in lib.* 20 *de Ciuitate Dei cap.* 14. ita defendunt, ait enim *sub C.* explicans locum *Apocal.* 20. *Aperti sunt libri, & alius liber apertus est*, ait, *libros dixit esse apertos, & librum, sed librum cuiusmodi sit non tacuit, qui est inquit vitæ vnuscuiusque.* Sed salua pace non potest admitti hæc interpretatio; nam in *cap.* 20. *Apocal.* in fine habetur, *qui non inuentus est in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis*: Si ergo liber vitæ aperiendus in iudicio, esset vita vniuscuiusque, nullus posset mitti in stagnum ignis, quia omnes etiam reprobi essent in libro vitæ, modo nuper explicato. Secundo, ex *cap.* 21. *Apocal.* habetur nihil coinquinatum esse ingressurum in cælum, sed eos tantum, *qui scripti sunt in libro vitæ*: igitur, si liber vitæ esset conscientia cuiuscunque manifestans gesta in vita, omnes essent in cælum ingressuri. Præterea ipsemet *Augustinus in Psal.* 68. declarans illud, *deleantur de libro viuentium*, ait, *fratres non sic accipere debemus, quod quemquam Deus sciebat in libro vitæ, & deleat illum. Prædestinauit omnes ante constitutionem mundi regnaturos cum filio suo in vita æterna, hos quos conscripsit ipse continet liber vitæ*: ergo secundum Augustinum liber vitæ est prædestinatio.

Augustini cō textus est ad oppositum.

Quid sit prædestinatio.

421 Prob. 3. pars, primo ex Glossa Lyræ in *cap.* 32. *Exodi*, vbi declarans quomodo potest quis deleri de libro Dei, ait, in libro vitæ aliqui dicuntur scribi dupliciter vno modo simpliciter in quantum prædestinati sunt in notitia diuina, vt ordinati ad vitam æternam ex Dei prædestinatione; & sic scripti, numquam delentur. Alio modo dicuntur scripti secundum quid, scilicet non

Dupliciter quis scribitur in libro vitæ.

secundum diuinam prædestinationem, seu ordinationem: sed secundum dispositionem in eis actu existentem, scilicet secundum præsentem iustitiam; quia existentes in gratia, digni sunt vita æterna; sed quia aliquando cadunt a gratia, sic dicuntur deleri, idem repetit in *cap. 4. ad Philipp.* ergo liber vitæ, secundum eum, est prædestinatio.

422 Prob. 2. ex eodem in præfationem ad librum Tobiæ, dicente, sicut enim diuina prædestinatio liber vitæ dicitur, sic & scriptura diuinitus reuelata, liber vitæ dicitur; tum quia à vita per essentiam procedit; tum quia, ad vitam beatam perducit: ergo.

Ex Glossa in psal. 423 Prob. 3. ex Glossa *in Psal. 68. Deleantur de libro viuentium*; vbi Interlin. ait, veterum scilicet Abraham, Iacob, &c. sed Glossa Ordinar. ait, notitia Dei, qua prædestinauit ad vitam, quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui. Non sic tamen, tamquam in libro hoc aliquem scribat Deus, quem postea deleat, sed secundum spem illorum, qui scriptos se putant. Lyranus verò, ait, *deleantur*, & per finalem reprobationem, & æternam damnationem: ergo.

Ex Lyr. sæpè 424 Prob. 4. ex Glossa Lyran. in *Ps. 138. ver. In libro tuo omnes scribentur*, vbi sic habet. In notitia prædestinationis diuinæ, quæ dicitur liber vitæ, soli electi scripti sunt; & in notitia præscientiæ, quæ potest dici liber mortis, soli reprobi. Sed in notitia diuina, generaliter sumpta, omnes sunt scripti.

Liber mortis, qui.

Glos. Inter. 425 Prob. 5. ex Glossa Interl. in *cap. 4. ad Philipp. ver. 3. Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*. Interlin. Verbo, *In libro vitæ*, ait, *Prædestinatione Dei*.

426 Lyranus pariter in hoc loco, ait. Est autem liber vitæ, idem, quod prædestinatio diuina, quæ dicitur liber, ex eo, quod in mente diuina numerus electorum est firmiter descriptus, vel dispositus. Idem replicat in *cap. 13. Apocal. in libro vitæ agni*, ait, *prædestinationis*.

Glos. Ord. 427 Prob. 6. ex Glossa Ordin. in *cap. 20. Apocal. ver. 12. Et alius liber apertus est, qui est vitæ*, vbi sic ait. Vel, liber præscientiæ Dei, quia tunc apertè scient mali, se non esse prædestinatos ad vitam.

428 Lyranus hic ait, liber vitæ idem est, quod prædestinatio diuina, quæ dicitur liber metaphorice, eo quod in ea repræsentantur expresse illi, qui ordinati sunt simpliciter ad consequendam vitam æternam, qui liber aperietur in iudicio, quia tunc apparebit manifeste, qui sunt ad beatitudinem assumendi, & qui non. Ergo liber vitæ aliud non est, quam prædestinatio diuina, qua iusti electi, & ordinati sunt ab æterno ad gloriam.

Ex Ambros. 429 Prob. 7. ex *D. Ambrosio in cap. 13. Apocal.* Versu, *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni*, sic ait *Ambros. liber vitæ prædestinatio est Dei omnipotentis. Reprobi non sunt scripti in libro vitæ, quia non sunt prædestinati ad vitam æternam*; ergo.

Ex eod. 1. 430 Conf. ex eodem in *cap. 17. Apocal.* Versu, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ*, vbi sic ait, *Mirabuntur ergo reprobi, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, id est qui non sunt prædestinati ad vitam æternam*: ergo.

Ex eod 3. 431 Conf 2. ex eodem in *cap. 20. Apoc.* Versu, *& alius liber apertus est, qui est vitæ*, vbi S. Doctor ait. *Per librum vitæ, prædestinationem Dei omnipotentis possumus intelligere. In hoc libro nomina discipulorum esse conscripta, Dominus in Euangelio manifestat cum dicit. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis (Luca 10.)* ergo.

Ex Hieron. 432 Prob. ex *S. Hieron. in cap. 4. ep. ad Philipp.* Versu, *quorum nomina scripta sunt in libro vitæ*, vbi sic ait. Ne molestè ferrent, sua nomina in hac epistola comprehensa, scripta esse dicit in cælis, huius libri etiam Moyses, & Dauid meminit, & Dominus in Euangelio. Ergo cum ex nuper allato Ambrosio, idem sit, aliquos esse descriptos in cælis, ac esse prædestinatos, liber vitæ, idem est, ac diuina prædestinatio.

Liber vitæ aperietur in iudicio. 433 Dico 5. Liber vitæ aperietur in iudicio finali. Est de fide.

434 Prob. ex *Apocal. 20. ver. 12.* & alius liber apertus est, *qui est vitæ*. Nam manifestabitur, qui sint prædestinati.

435 Prob. 2. Omnibus adductis PP. argumentis, quia ad idem sunt.

Arg. apparens validú. Ob. contra 4. Liber vitæ est alterabilis, & mutabilis, at prædestinatio diuina non est alterabilis, aut mutabilis: ergo. Min. prob. *Exodi 32. ver. 33.* dicit Deus, *qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo*, & *ver 32.* Moyses dixerat *si non facis*, id est si populo non parcis, *dele me de libro tuo, quem scripsisti*, & *Psal. 68.* habetur, *deleantur de libro viuentium*: ergo est alterabilis, & mutabilis. Minor est de fide, *Ego Deus, & non mutor*.

Multæ resp. 436 Resp. 1. distinguo maiorem liber vitæ simpliciter dictus est alterabilis, nego. Liber vitæ secundum, quid dictus, est alterabilis, & mutabilis, concedo. Ratio, est superius adducta, ex Lyrano *in cap. 32. Exodi*, quia liber vitæ simpliciter est adnotatio eorum, qui finaliter ordinati sunt ad vitam, vt sunt prædestinati. Isti enim licet aliquando cadant in peccatum, & per hoc, secundum præsentem iustitiam dicantur non ordinati ad vitam, sunt tamen ordinati absolute: & ideo *Scotus in 4. sent. dist. 16. quæst 2.* docet, quod prædestinatus dum est in peccato mortali, absolute est ordinatus ad vitam, quia finalem habebit gratiam, & saluabitur. Est etiam non ordinatus conditionate, id est si non pœnitebit, & hæc quoad librum vitæ simpliciter. Liber verò vitæ secundum quid, est adnotatio eorum, qui ex præscientia peccatorum, à Deo sunt præuisi damnandi; isti autem aliquando sunt in gratia, vt cum baptizantur; cum verè pœnitent; & certè

Duo libri vitæ simpliciter, & secundú quid.

pro

pro tunc ordinati sunt ad vitam æternam; tamen quia finaliter peccabunt, & perdent gratiam, deletur liber ille vitæ secundum quid. Ideo Dominus dicit Moysi, *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo*, Exodi 32. in fine.

437 Resp. 2. neg. absolutè maiorem, ad probationem, & ad illud Exodi, & ad illud Psalmi, Respondetur cum *Hieronymo in Psal. 68.* Versu, *deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*, vbi sic ait, *duos hic libros indicat scriptos viuentium, ac iustorum. Vnde aduertendum est, quod ille sit viuentium, in quo ante aduentum Dei, Prophetæ, ac Patriarchæ scripti sunt, de quo Moyses precante populo ait, si non dimittis eis noxam dele me de libro quem scripsisti. Iustorum verò dicit illum de quo Dominus ad eos, qui per fidem secuti sunt*, ait. *Gaudete, & exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cælo*: & postea subdit: *Persecutores ergo isti à primo libro deleti sunt, & in secundo non sunt scripti*. Ergo Hieronymus librum viuentium non existimat librum vitæ.

438 Resp. 3. Etiam si liber, de quo petebat deleri Moyses, esset liber vitæ; neque per hoc liber vitæ est alterabilis. Nam Glossa Ordinar. ex *Augustinus* dicit, in Versu, *aut dimitte me, &c. securus Moyses hoc dicit, id est, vt, quia Deus Moysen non deleret de libro suo populo peccatum remitteret*. Quod si dicas, ergo Moyses, vel petebat deleri de libro vitæ secundum quid, vel simpliciter; neutrum dici potest, non secundum; quia sic optasset peccare mortaliter; hoc enim modo fit deletio à libro vitæ secundum quid. Non primum quia si sciebat esse impossibile, non poterat id petere à Deo absque collusione. Respondet Lyranus in *cap. 32. Exodi*, vbi supra, quod Moyses ex impetu passionis, non ex deliberatione rationis id dixit, vel dicendum ex eodem, quod, sicut Christus simpliciter volebat pati; tamen, vt satisfaceret portioni inferiori, dixit *Pater si possibile est, transeat à me Calix iste*; ita Moyses, vt ostenderet affectum erga populum, dixit, *aut hoc facias, aut dele me de libro tuo*, licet sciret hoc esse impossibile. Et eodem modo explicatur illud Psalmi *deleantur de libro viuentium*, etiam si hic liber significet librum vitæ; vel enim ex impetu passionis, vel ex zelo petebat Dauid contra aduersarios, etiam id, quod erat impossibile. Et hoc modo, vt cuidens est, non probatur, librum vitæ simpliciter, esse mutabilem, vel delebilem.

439 Resp. vlt. Quod si hoc argumentum vrgeret contra librum prædestinationis, vrgeret etiam contra librum præscientiæ, quia præscientia Dei est immutabilis, & quod ab æterno scit, semper scit, neque potest non scire. Sed tamen vtraque sententia ex allatis responsionibus optimè soluit hoc argumentum vel, quod liber ille non sit vitæ; vel, quod si sit vitæ, non sit vitæ simpliciter; vel, si liber vitæ simpliciter, Moyses ex passione; vel ex affectu Populi petijt, quod sciebat non esse possibile. Et cum Deus respondet, *qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo*, loquatur de libro vitæ iustorum ad tempus.

440 Collige autem ex his, & libros, & librum vitæ esse aperiendos; libros scilicet conscientiarum, cuiuscumque, & manifestandos esse prædestinatos; qui scripti sunt in libro vitæ.

Ex Exod.

2. resp.

Ex Hieron. liber de quo loquitur Moyses non est vitæ, sed Prophetarũ, &c.

3. resp. mul. ia notanda continet.

Liber vitæ perpetuus indicio.

Arg. appo- ens valid.

Argum. hoc soluendum est etiam ab oppositis.

Vtraque benè soluit per dicta.

# DISPVTATIO XI.

## DE CONFLAGRATIONE MVNDI, TEMPORE IVDICII.

QVONIAM mundi conflagratio incipiet ante iudicium, & finiet completo iudicio, vt patebit, quosdamque effectus ante, & quosdam postea producet iuxta Dei inscrutabile consilium; operæpretium duxi hic de ea agere. Non enim potuit præmitti, aut interseri Disputationibus de Iudicio, ne ordo agendorum ibi, turbaretur; non fuit interserenda disputationi de mundi innouatione, quæ fiet per ignem, quoniam hæc sequetur ad iudicium; ignis autem præcedet iudicium. In medio ergo eam apponimus, vt effectus ignis ante iudicium, & in ipsomet iudicio exequendos hic adijciamus; cæteros verò post iudicium complendos in *Disputatione de mundi statu post iudicium*, adnectamus. Sit ergo.

Ratio dicendorum.

## ARTICVLVS I.

### *An mundus sit conflagraturus per ignem?*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. distinct. 47. quæst. 2.* cum Magistro Sent. & fide catholica docet, mundum, circa tempus iudicij esse conflagaturum per ignem.

Plura ordinate dicenda. 1 Adu. plura per ordinem esse in hac Disputatione discutienda. Primo, an re vera ignis sit inflammaturus mundum, & an totum, vel partem, aut partes, & quas. Secundo, an hæc conflagratio præcedet, vel sequetur ad iudicium. Tertio qualis, quantusque futurus sit hic ignis. Quarto, an cæli sint inflammandi. Quinto, an etiam homines, & ita de alijs effectibus circa homines, plantas, animalia, elementa, &c.

Effectus ignis durante iudicio inquiruntur, 2 Adu. 2. Quod de alijs peragendis per ignem post iudicium, an scilicet ignis substantiam mundi destruet; & quomodo per eum innouabitur mundus, in sequenti Disputatione dicetur. Hic enim solum discutiemus, quæ per ignem fient, durante iudicio, & ante illud.

Mundus igne conflagrabit circa tempus iudicij. 3 Dico ergo. Circa tempus iudicij, mundus igne conflagrabit, est de fide. *Magist. Sent. distinct. 47. D. Scoti, vbi supra. D. Thom in 4 sent. distinct. 47. quæst. 2. ar. 2. D. Bonau. ibid. par. 2. quæst. 1. & 2.*

Ex veteri test. clare arguit. 4 Prob. ex *Deuteron. 32. ver. 22. Ignis accensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Quod licet videatur dictum de euersione iudæorum, Lyranus tamen, ait intelligi etiam de igne, qui præcedet iudicium.

5 Prob. 2. ex *Psal. 49. ver. 2. Deus manifestè veniet, ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Glossa Ordinar. quæ est Augustini, ait. *Ignis materialis, vel mala conscientia torquebit impios, cum conspicient iudicantem. Ignis purgationis, qui est perfectis, qualis tribus pueris, minus perfectos purgabit, malos comitabitur ad inferos.*

6 Prob. 3. ex *Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu, &c.* Glossa Interlin. ait, *Per totum orbem.*

Hieron. *S. Hieron.* in hunc locum, ait. *Ignis in conspectu eius; duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem, illuminat enim, & exurit.*

Isa. 7 Prob. 4. ex *Isaia 51. Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt.* Interlin. & Lyran. ibi docent, hæc implenda esse tempore iudicij, quando omnia per ignē conflagrabunt.

Hieron. *S Hieron.* in hunc locum, ait per ignem cælum, & terram, aliaque elementa tempore iudicij conflagrantia non esse destruenda secundum substantiam, sed in melius commutanda, de quo postea.

8 Prob. 5. ex *Isaia 66. Ecce Dominus in igne veniet*, & post. *Reddet in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus iudicabit.* Interlin. ait, duplicem futurum ignem, vnum, qui præcedet iudicium, alium, qui sequetur.

Ioel. 9 Prob. 6. ex *Ioelis 2. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma, quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti*, qui locus licet à Glossa referatur ad vastationem Iudæ per Nabuchdonosor. *Hieron.* tamen illum explicat de gerendis in iudicio, dicens, *omnia mala, quæ in veteribus historijs continentur, &c. his suppliciis, quæ sunt reddenda in die iudicij non poterunt comparari, ante faciem huius populi erit ignis vorans sine consumens, vt omne in nobis fanum, ligna, stipulamque consumat. &c.* Hier. expli. catio.

Ex nouo test. 10 Prob. 7. ex 1. *Cor. 3. Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusque opus quale sit ignis probabit.* Glossa Ordinar. Verbo, *Ignis*, ait, *duos ignes futuros legimus, vnum æternum, quo æternaliter punientur reprobi, alterum qui præcedet, quo exuretur facies mundi huius, &c.*

epist. Petri 2 11 Prob. 8. ex 2. *Petri 3. Latet eos volentes, quod cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij:* & post aliqua. *Aduenit autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur. Terra vero, & quæ in ea sunt opera exurentur:* & post alia. *Expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Interlin. Verbo, *Cæli*, ait, *tantum ascendet ignis iudicij, quantum ascendit aqua diluuij.* Glossa Ordinar. quæ est Bedæ Verbo, *Cæli magno*, ait, *quatuor, quibus mundus consistit ille maximus ignis consumet.* Lyranus diffusè id prosequitur, docens, per ignem, omnia elementa ante iudicium conflagratura.

Ex August. 12 Prob. ex *S. August. lib 20. de Ciuitate cap. 16. Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij. Illa itaque conflagratione mundi elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt.* Et licet hic effectus complebitur post iudicium, probatur tamen, quod mundus iudicij tempore conflagrabit.

*S. Augustinum* sequuntur ad verbum multi, vt Primasius in *cap. 21. Apoc.* Versu, *Et vidi cælum nouum*, & alij.

Ex Greg. l. 13 Prob. ex *S. Gregor. Magno homilia 1. in Euang. Distinctionem venturi iudicij Psalmista*

*missa exprimit, dicens Deus manifestè veniet, ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Distinctionem quippe tanti iudicij tempestas, ignisque comitabuntur, quia tempestas examinat, quos ignis exurit. & homil. 8. in Ezech. Mundus igne purgabitur.*

Ex Beda, 14 Prob. ex *Beda in 2. Petri cap. 3.* Omnia elementa ignis absumet.

Ex Haimone 15 Prob. ex *Haimone in epist. 1. ad Cor. cap. 7.* transibit species, & figura huius mundi per ignem, & remanebit substantia renouata per ignem.

Ecclesia id canit, 16 Prob. ex Ecclesiæ antiphona, dicente, *qui venturus es iudicare saeculum per ignem.*

Ex Origene. 17 Prob. ex *Origene homil. 5. in Genes.* Apparet filias Loth didicisse quædam de consumatione mundi, quæ immineret per ignem, sed tamquam puellæ non integre perfectè, quæ didicerant nescierunt, quod sodomitis regionibus deuastatis igne, multum adhuc spatij integrum resideret in mundo; audierunt, in fine sæculi, terram, & omnia elementa ignis ardore decoquenda. Hæc *Orig.*

Ex Hippol. 18 Prob. ex *S. Hippol. orat. de consumat. mundi, &c.* fluuius igneus egredietur, cum furore instar maris sæui, exuret montes, & colles, & mare delebit, ac æthera, velut ceram inflammatione dissoluet. Exuretur vniuersa terra, &c.

Ex Lino Papa. 19 Prob. ex *Sancto Lino I. Pont. post Petrum, qui de passione Pauli*, ait, cum venerit Dominus iudicare viuos, & mortuos, dissoluet mundi huius figuram per ignem, &c.

Ex Glossa, 20 Prob. ex Glossa Ordin. in *cap. 7. primæ ad Cor.* Ver. *Praterit figura huius mundi*, sic habente. *Vt nouis corporibus nouus mundus conueniat igne purgabitur.*

Mag. Sent, 21 Prob. ex *Magistro Sent. in 4. dist. 47.* Præcedet ignis, quo comburetur facies mundi huius, & peribit cælum, & terra non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ innouabitur.

Isidor. Hisp. 22 Prob. ex *Isidoro Hispal. de doctr. & fide cap. 36.* sic habente. Elementa, id est cælum, & terram non credamus abolenda, sed in melius commutanda, figuram autem huius mundi; id est imaginem, non substantiam transituram. Sed de effectu conflagrationis, dicetur postea.

Iust. Martir. 23 Prob. ex *Iustino Martire, or. ad Antonin. Pium. Exustionem, quomodo per Moysem spiritus prophetiam fieri præmonstrauit, accipite; descendet ignis perpetuum viuens, & deuorabit ad imam vsque abyssum.*

Theoph. 24 Prob. ex *Theophylo Antioch. lib. 2. ad Autolicum*, de mundi conflagratione vaticinatus est Malachias Propheta, *Ecce dies Domini venit, vt clibanus ardens, & incendet omnes impios.*

Ansel, 25 Prob. ex *Anselmo in epist. 1. ad Cor. cap. 7.* Tunc figura mundi quotidie senescentis perfectè præteribit, quando conflagratione mundana elementorum qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, &c.

Alcuino. 26 Prob. ex *Alcuino in quæst. in Genes. interrog. 133.* & accepit à *Gregorio Magno homil. 8. in Ezech.* mundus iudicij igne cremabitur, &c.

Gersone. 27 Prob. ex *Ioanne Gersone, in summa de gaudijs Paradisi*, Ignis ille maximus elementa purgabit, cum habeat virtutem expulsiuam formæ extrinsecæ, sic mundum innouabit, &c.

Ludolpho. 28 Prob. ex *Ludolpho Carthusiano in parte 2. de Vita Christi*, in conflagratione mundi, ignis permaximus aduentum iudicis præueniet, & faciem eius præcedet, quia virtute diuina non solum ignis, qui in sphæra sua est, sed etiam omnes ignes, & qui in terra, & qui super terram sunt, ad mundi conflagrationem concurrent.

29 Prob. tandem ex dicendis in seq. quę ad idem sunt, nè eadem pluries frustra repetantur.

## ARTICVLVS II.

### *An mundi conflagratio incipiet ante iudicium.*

Scoti mens! SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. quæst. 2.* innixus dicto *Psalm. 96. Ignis ante ipsum præcedet*, docet cum Magistro Sententiarum, conflagrationem ante iudicium incæpturam.

Communis sent. vnam futuram cõflagrationé per ignem. 30 Adu. quod licet dubium videatur, an duæ futuræ sint conflagrationes, vna præcedens, alia sequens iudicium, & *D. Bonau. in 4. dist. 47. par. 2. quæst. 4.* problematicè id doceat; communis tamen opinio antiquorum Ecclesiæ Sanctorum, est, vnam tantum futuram, quæ incipiet ante iudicium, & continuabit quousque eo expleto innouetur mundus. Ideo hic de inceptione conflagrationis loquimur, non mistica, sed literali.

conflagratio incipiet ante iudicis aduentum, 31 Dico. Conflagratio mundi per ignem, literaliter acceptum, incipiet ante iudicis aduentum. Est *Magistri Sent. in dist. 47. Scoti vbi supra, D. Bonauent. dist. 47. par. 2. qu. 1. 2. & 4. D. Thom. dist. 47. quæst. 2. art. 2.* & communis.

Psal. 32 Prob. 1. ex *Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Glossa Interlin. ait, *Per totum orbem. Lyran. ibid.* inquit, *ignis conflagrationis, qui præcedet iudicium, & inflammabit, &c. quia secuta sententia iudicis, reprobi illo igne inuoluentur, & sic in inferno retrudentur*, idem dicit *in Psal. 49.*

Hieron. 33 *S. Hieron.* in hunc locum, ait. *Ignis ante ipsum præcedet: ipsum ignem qui sanctus est non timeat. Ignis iste sanctos purgat, peccatores consumit.* Sed de his effectibus postea.

*S. Au-*

Augusſ; 34 *S. Augusſ.* in eumdem locum. *De quodam igne dicit, qui præibit ante illum, antequam veniat ad iudicium, dictum est enim præibit ignem, & inflammare in circuitu, id est per totum orbem*, & licet hunc ignem declaret misticè in hoc loco, in *lib.* tamen 20. *de Ciuit.* infra adducendo, literaliter eum intelligit.

Isa. 35 Prob. 1. ex *Isa. 66. Quia ecce Dominus in igne veniet.* Interlin. ait, Ver. *Igne*, ait, *ignis ante ipsum præcedet, & ignis in conspectu eius exardescet.* Verbo, *Veniet*, ait, *ad iudicium*; *Lyran. ibid.* dicit ignis conflagrationis ante faciem eius ad iudicium venientis præcedet. & paulo post, ait; quia in igne Dominus, hoc potest referri ad ignem præcedentem aduentum iudicis, vt dictum est.

Ex Glossa. 36 Prob. 2. ex 1. *Cor. 3. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur.* Glossa Ordinar. Ver. *Dies*, ait, *ignis extremi iudicij tamdiu durabit, quousque purgati sint, qui saluandi erunt*, & Ver. *Ignis*, ait, *duos ignes futuros legimus, vnum æternum, quo æternaliter punientur reprobi, alterum qui præcedet quo exuretur facies mundi huius.*

37 Prob. 3. ex *Ioelis* 2. vt in præcedenti articulo. *Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma*, qui iuxta Hieronymi Glossam, vt ibi, ignem præcedentem ad iudicium prædicit.

Ex Ambros. 38 Prob. 4. ex *S. Ambrosio in cap. 21. Lucæ*, vbi adducit verba *Matth. 24.* orate, *ne fuga vestra fiat hieme, &c.* & ait, *cum iudicij die venturus sit Dominus, ante quem ignis ardebit; ignis autem vis, &c.*

Ex Augusſ, clarè. 39 Prob. 5. ex *S. Augusſ. lib. 20. de Ciuit. cap. 20.* vbi explicans locum *epist. 2. Petri c. 3.* supra allatum contra se obijcit non posse dici, quod mundus ante tempus sententiæ conflagrabit, quia sic Sancti comburerentur: & respondet. *Possumus respondere Sanctos futuros in superioribus partibus, quò ita non ascendit flamma illius incendij, sicut, nec vnda diluuij. Talia quippe illis inerunt corpora, vt illic sint vbi esse voluerint, sed nec ignem conflagrationis illius pertimescunt immortales, atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora, atque mortalia in camino ardenti viuere illæsa potuerunt.* Ergo, cum inquirat, & doceat, quomodo illæsi manebunt electi; ignis ante sententiam iudicij præcedet; cum scilicet illi erunt in mundo.

Ex eodem Aug. 40 Conf. ex eodem in *Psal. 49. Ignis in conspectu eius, &c. Augustinus* in hunc Psalmum legit, *ignis ante eum præibit*, & in circuitu eius, &c.

Lactant. 41 Prob. 6. ex *Lactantio lib. diu. instit. cap. 19. Descendet Dominus comitantibus Angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis.*

Mag. Sent. 42 Prob. 7. ex *Magistro Sent. in 4. dist. 47.* Domino veniente ad iudicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius.

Bonau. 43 Prob. 8. ex *S. Bonau. in 4. dist. 47. par. 2. quæst. 4.* futurus est ignis in iudicio ad electorum purgationem, quia debet vniuscuiusque opus probari, & purgari in igne, vt totaliter fiſtantur mundati in conspectu Dei, & hic præcedet faciem iudicis, & purgando amicos, inflammabit in circuitu inimicos eius, &c. hæc *S. Bonau.*

Ex D. Th. 44 Prob. 9. ex *D. Thom. in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. art. 4. in solut. ad 3.* Ignis ille, quantum ad sui principium erit ante resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul, cum purgabit faciem mundi, &c. sed quantum ad sui finem, sequetur resurrectionem, & inuoluet reprobos, & in infernum detrudet. hæc *S. Tho.*

Ex Vincentio 45 Prob. 10. ex *Vincentio Burgund. in Speculo natur. lib. 32. c. 104.* Venturum iudicem ignis præcedet, qui faciem mundi huius comburet, &c.

Ex Riccar. 46 Prob. 11. ex *Riccardo de Media Villa in 4. sent. dist. 47. art. 2. quæst. 4.* dicente. Ignis ille, quantum ad sui initium præcedet iudicium, & comitabitur quantum ad suum progressum; sequetur verò quantum ad suæ operationis complementum: ergo.

47 Probatur tandem ex communi Ecclesiæ sententia, quæ inter signa præcedentia iudicium ponit hoc iuxta illud *Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet:* ergo.

Arg. contr. Ob. 1. Ignis immittetur à Deo ad conflagrationem mundi, eiusque innouationem, ex 2. *Petri 3. Cæli qui nunc sunt, & terra igni reseruati sunt in diem iudicij, &c.* sed mundi renouatio fiet post iudicium: ergo.

Innouatio mundi erit post iudicij, sed ante incipiet comburi. 48 Resp. dist. min. Complementum innouationis erit post iudicium concedo initium, nego.

Instab. Frustra ponitur tale initium ante iudicium. Ergo tota conflagratio fiet postea. Antecedens prob. Non assignatur ad quid.

Ad quid incipiet ante, propter tria. 49 Resp. neg. anteced. Erit enim ad terrendum homines tunc viuentes. Secundo ad occidendum eos. Tertio ad purgandum aliquos, vt dicetur postea.

Ob. 1. ex *S. Augusſ. lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 16.* dicente. *Iudicatis his, qui non sunt in libro vitæ, & in æternum ignem missis, tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit:* ergo.

S. Augusſ. est pro ient, opposita j. 50 Resp. ex *S. Bonauent. dist. 47. par. 2. quæst. 4.* quod vel duo ignes erunt, vnus ante, alius post iudicium, vel vnus, qui incipiet ante, & complebit conflagrationem post iudicium. sic etiam Riccardus; nam, vt patuit S. Augustinus, quærit vbi tunc erunt Sancti; nec valet cum Riccardo dicere, quod loquitur de Sanctis post resurrectionem. Primo, quia si ignis sequitur iudicium Sancti, tunc erunt in cælo, ideo non occurrit dubium de loco eorum, tempore conflagrationis. Secundo, quia ipsemet, vt ex dicendis, docet, purgationem electorum faciendam per ignē. Ergo ignis purgatiuus eorum, præcedet.

ARTI-

## ARTICVLVS III.

### *Quænam res conflagrabunt per ignem.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. quæst. 2.* breuibus, sed claris docet mundum esse purgandum per ignem, & de vniuersis, quæ sunt in eo loquitur.

51 Adu. quod licet in duobus præced. art. firmatum sit, mundum conflagraturum per ignem, & hanc conflagrationem ante iudicis aduentum esse incipiendam; nondum tamen in specie apparuit, quænam per ignem inflammabuntur. De hominibus dicam postea.

52 Adu. 2. Quod quamuis omnia, quæ igne conflagrabunt, aliquam innouationem sentient; hic tamen de sola rerum accensione loquemur: de nouitate verò, erit postea sermo, cum loquemur de statu mundi post iudicium, quia nouitas illa erit causa formalis noui mundi.

Omnia elementa, & mixta conflagrabunt,

53 Dico ergo. Omnia elementa, & mixta, quæ sunt in mundo sublunari igne conflagrabunt. Est *Scoti vbi supra, S. Bonauent. ibid. par. 2. quæst. 1. S. Tho. in 4. d. 47. quæst. 2. art. 4.*

Ex Script. Vet. & noui test.

54 Prob. ex *Isaiæ 51. Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt.* Ergo omnia, quæ sunt in mundo conflagrabunt. Ita Glossa Interlin. & Lyrani.

55 Prob. 2. ex 2. *Petri cap. 3.* sæpè adducto. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij:* & post aliqua. *Cæli magno impetu transient; elementa verò calore soluentur. Terra autem, & omnia, quæ in ipsa sunt exurentur:* & post alia. *Cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Glossa Ordin. Ver. *Cæli autem*, dicit, aerem, & terram esse igni reseruata tempore iudicij, & Ver. *Elementa*, ait, *Quatuor quibus mundus constitit, maximus ille ignis absumet.* Ergo omnia elementa conflagrabunt.

Ex Gloss.

56 Prob. 3. ex Glossa Lyrani in *cap. 21. Apocal. Vidi cælum nouum, & terram nouam*, sic habente, per illa duo intelliguntur elementa media, ignis, aqua, & aer. Hæc innouabuntur, & in melius commutabuntur. Ergo, cum per ignem id sit peragendum, sequitur, omnia esse inflammanda.

Origene.

57 Prob. 4. ex *Origene homil. 5. in Genes.* vbi de filijs Loth videntibus incendium Sodomorum, ait præ cæteris, audierunt in fine sæculi, terram, & omnia elementa ignis ardore decoquenda. Hæc *Orig.*

Cyril. Alex.

58 Prob. 5. ex *Cyrillo Alex.* explicante illud Isaiæ. *Cæli sicut fumus liquescent*, innouationem reparationemque ad meliorem statum, appositè dixit, mortem elementorum. Ergo omnia.

59 Prob. 6. ex *August. lib. 20. de Ciuit. cap. 16.* vbi postquam docuit, figuram huius mundi perituram per ignis conflagrationem, addit, *Illa itaque conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates ardendo penitus interibunt.* Ergo omnia elementa per eum conflagrabunt, eadem verba replicat *Iuhanus Toletanus libr. 3. Prognost. cap. 46.* idemque *Ansel. in epist. 1. ad Corint. cap 7. præterit figura, &c.* Ex August.

60 Conf. ex eodem *cap. 18.* vbi supposita conflagratione vniuersali elementorum, sic obijcit contra se, vbinam erunt tunc Sancti? & respondet, vt in præcedentibus tactum est *art. 1.* Ex eod. Aug.

61 Prob. 7. ex *Hieron in cap. 65. Isa.* vbi declarans, quomodo intelligendum sit ex Sacra Scriptura, quod omnia interibunt, ait præ cæteris. *Porro, qui nouitatem, commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, &c.* & eandem regulam assignat de omnibus elementis, quod scilicet non destruentur, sed in melius commutabuntur: ergo. Ex Hieron.

62 Prob. ex *S. Ambros.* vt notat Glossa Ordin. in *cap. 7. prima Cor.* Ver. *Præterit figura, præterit, vt nouis corporibus nouus mundus conueniat igne purgabitur.* Ambros.

Prob. ex *S. August. lib. de Eccles. fast. dogmat. cap. 70.* Elementa id est cælum, & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda figuramque mundi transituram, &c. ergo conflagrabunt, estò non destruentur; sed de hoc in suo loco.

63 Prob. ex *Gennadio Massilien. de Eccles. dogmat. cap. 69* Elementa non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, vbi supponit conflagrationem, & negat substantialem destructionem. Gennadio.

Idemque eisdem verbis repetit *Isidorus Hispalen. de doctr. & fide cap. 36.*

64 Prob. specialiter de terra ex Glossa Lyran. *Isa. 51. Cæli, sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*, sic habente; aduentum Christi ad iudicium præcedet ignis conflagrationis, purgans cælum aereum, & terram. Ex Gloss.

65 Prob. pariter de terra, & aere ex Glossis in *cap. 21. Apocalyp. Et vidi cælum nouum, & terram nouam*, Interlin. Ver. *Cælum*, dicit, *aerem innouatum.* Ver. *Terram nouam*, dicit, *innouatam.* Glossa Ordinar. Ver. *Cælum*, ait, *immutatio aeris, & terræ dubitabilis non est, quin per ignem fiat, sed de aqua dubitatur, nam purgationem in se ipsa habere creditur.* De terra, & aere ex Glo.

66 Prob. ex *S. Thom. in 4. sent. dist. 47. art 4.* in resolutione, vbi habet. In corporalibus elementis, & si non sit infectio culpæ relinquitur tamen in eis quædam indecentia ad gloriam ex peccatis in eis commissis, quam oportet purgari, sicut videmus loca corporalia purgari, antequam in eis sacra celebrentur. Est etiam in corporalibus elementis aliquis defectus naturæ, & impuritas, Ex D. Tho. Egregie discurrit S. Th.

ritas, maximè circa medium locum ex mutua actione elementorum, & ab his duobus oportebit elementa purgari per ignem, qui est maximè actiuus, & extranei permixtionem non patiens. Quod etiam replicat in solutione ad secundam: ergo.

Ex Bonau. 67 Prob. ex *S. Bonau. in 4. dist. 47. q. 3. num. 24.* vbi diffusè probat, omnia elementa esse purganda per ignem. Imò duplicem assignat purgationem, vnam à fœditate peccati, aliam à vetustate; & proinde, ignem esse ascensurum vsque ad vltimum sphœræ ignis.

A fortiori argum. 68 Prob. à fortiori. *Cælum*, id est aereum, & *terra* conflagrabunt ex citata *ep. 2. Petri*. Ergo multò magis alia; quæ in mundo sunt. Consequentia prob. Primò ex ratione morali; nam ideo immutandus est mundus vniuersus, quia totus infectus est ex hominum peccatis, & vt ait Sanctus Bonauentura, etiam aer ex fumo sacrificiorum Idolatrantium est infectus; & sic omnia sunt infecta. Secundo ex ratione Physicæ, nam ideo mundus conflagratione mutabitur, quia influxus in generationes, & corruptiones rerum non erit amplius necessarius. Sed nullum elementum, aut mixtum ad eas amplius inseruiret. Ergo omnia conflagrabunt, salnis tamen substantijs elementorum, vt dicetur in Disputatione sequenti.

## ARTICVLVS IV.

### *An ignis, & aqua conflagrabunt.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. dist. 47. quæst. 2.* soluens argumentum, quod si mundus igne est conflagraturus, sequitur, ignem se ipsum purgare. Respondet ignem esse purissimum in sua sphœra, nec posse in eo fieri permixtionem, ideoque non egere purgatione. At quia de aqua nihil dicit, supponere videtur, quod sit conflagratura. Ideo

Variæ sent. de aqua, & igne. 69 Adu. Quod de aqua, & igne variæ sunt sententiæ quidam enim docent, aquam esse totaliter destruendam, esto teneant contrarium de alijs elementis. Quidam verò, esse solum immutandam accidentaliter, sicut reliqua. Quidam tandem, nullam in ea faciendam esse mutationem, quia, cum se ipsam purget nulla alia eget purgatione. De igne verò, quidam dicunt, omnem ignem, tam elementarem in sua sphœra, quam artificialem, qui est in mundo debere intensius incendi. Quidam, id negant de elementari, & concedunt de artificiali, quidam tandem negant de omni. singularum authores improbationibus adducam.

Ignis non conflagrabit 70 Dico 1. Probabile est, quod ignis elementaris non conflagrabit. Est *Scoti, vbi supra, D. Bonau. in 4. dist. 47. par. 2. quæst. 3. D. Thom. distinct. 47. art. 4. ad 2.*

71 Prob. 1. vbicumque in scriptura fit mentio de conflagratione mundi, numquam nominatur ignis, neque interpretes illum nominant: ergo. Anteced. prob. Semper fit mentio de cælo, & terra; & interpretes per cælum accipiunt aerem, vt patebit in *art. 6.* per terram verò elementa infra aerem.

Glossa. 72 Prob. 2. ex Glossa Ordinar. *in cap. 13. Marci. Cælum, & terra peribunt*, vbi docens hoc intelligi per cælum aereum, & sic accipi dictum Petri, quod *cæli sunt igni reseruati*, & sicut aqua diluuij olim perierunt cæli, ita isti peribunt per ignem, & subdit: *Aqua enim diluuij, quæ tantum quindecim cubitis cacumina montium transcendit vltra aeris, æthriſque confinia non peruenit.* Ergo, neque in conflagratione mundi ignis excedet hæc confinia, & proinde sphœra ignis elementaris non alterabitur per maiorem accensionem.

Ex Interl. 73 Conf. ex *epist. 2. Petri cap. 3. Cæli magno impetu transient.* Interlin. ait, *tantum ascendet iudicij ignis quantum ascendit aqua diluuij*, sed aqua diluuij non peruenit ad sphœram ignis elementaris: ergo.

Ex eadem Glossa. 74 Prob. 1. ex Glossa Ordinar. in citata 2. *Petri cap. 3.* Verbo, *Nouos cælos*, vbi quærens, quænam sint conflagranda, & innouanda, dicit cælum, id est aerem, & terram: *Deinde*, ait, *de igne, & aqua nihil tale habemus.* Lyran. ibid. Ver. *Et terra*, ait, id est elementum terræ, per quod intelligitur etiam elementum aquæ, eo quod non est totaliter separatum à terra.

Ratione. 75 Prob. ratione. Conflagratio rerum facienda est ob duo præcipuè, scilicet ad purgandum elementa ab infectione contracta ex peccato hominum; vel à mixtione peregrinarum qualitatum, sed in igne elementari non adest hæc infectio, nec mixtio: ergo. Minor prob. ex *D. Bonauent. in dist. 47. par. 2. quæst. 3.* aer infectus ex fumo sacrificiorum idolatrantium, sed non potuit fumus iste peruenire ad tantam altitudinem, ait S. Doctor, igitur non potuit infici, & sic non eget purgatione, quod etiam docet Scotus mox adducendus. Idem dici potest de mixtione peregrinarum rerum, *Ignis enim in sua sphœra purus est*, ait Scotus loco citato in solutione argumenti, *& semper manet purus puritate naturali, tum quia summè actiuus est, ita quod statim conuerteret ignis in se, si quid externa natura ascenderet ad regionem illam. Tum quia nihil per actionem corporum cœlestium elenatur ad regionem illam ignis puri, vt sic fiat ignis impurus. Specialiter autem illa impuritas de fumo sacrificiorum oblatorum idolis, & de infectione ex peccatis hominis, &c. non ascendit ad sphœram ignis, &c.* hæc *Scotus*.

Scoti ratio.

Ex Augus. 76 Probari etiam potest, ex *S. Augustin. lib. 20. de Ciuitate cap. 24.* vbi retundens Porphyrij in Christianos calumniam, quod dicant

cant mundum esse destruendum, præ cæteris habet, *in epistola quoque Petri Apostoli, vbi aqua mundatus, qui tunc erat perijsse dictus est mundus, satis clarum est, & qua pari mundi à toto significata est, & quatenus perijsse dicta sit, & qui cæli repositi igni reseruandi in diem iudicij, & elementa ardentia soluentur, & terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Clarus Aug. discussus. *Possunt intelligi illi cæli perituri, quos dixit igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta.* Sed ignis elementaris non est in hac ima mundi parte; neque est procellosus, ac turbulentus. Ergo ex Augustini doctrina non peribit; ac proinde non conflagrabit.

77 Prob. præterea. Secundum eas partes mundus conflagrabit, secundum quas aquis inundatus fuit, sed secundum ignis elementaris sphœram non fuit inundatus aquis: ergo. Maior est euidens ex *epist. 2. Petri cap. 3. Cæli, & terra, Dei verbo, per aquam consistens mundus, aqua inundatus periit. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati, &c.* Ergo eadem, quæ tunc inundata sunt, igni reposita sunt in diem iudicij. Minor sæpe fuit probata, quia ad sphœram ignis non peruenit aqua, ex ipsomet Scripturæ textu *Gen. 7. Aqua preualuerunt super terram, operiique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat:* ergo. Nam, ait Glossa Ordinar. Ver. *Latet. Duo iudicia Dei vnum per aquam quod præterijt, alterum per ignem, quod restat.*

78 Prob. vlt. Vt ignis elementaris intensius, & magis acccendatur, debet habere materiam combustibilem: ergo esset creanda aliqua materia, & adducenda ad eum locum, vt comburetur; natura enim nihil potest eò transmittere; & frustra crearetur, vt ibi accenderetur; quia tunc non ipse ignis elementaris, sed noua illa substantia ei adiecta conflagraret, ac purgaretur: ergo.

79 Dico 2. Aqua maris, & alia quæcunque, igne conflagrabit.

80 Prob. 1. Pro aquæ indemnitate non militant eadem rationes, quæ pro igne: ergo. Anteced. prob. Est impura naturaliter, & extrinsecè etiam infecta ex hominum peccatis. Ergo indiget purgatione. Hæc autem non fiet, nisi per ignem, vt alias dictum est: ergo.

81 Prob. 2. ex sæpè cit. *epist. 2. Petri cap. 3. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij. Lyran.* ibi ait, per terram intelligitur etiam elementum aquæ, quia non est separatum à terra, sed partes aliquæ aquæ commiscentur partibus terræ.

82 Conf. nam ex Glossa Ordinar. ibid. Ver. *Elementa*, non solum habetur, omnia quatuor elementa esse igne conflagratura; sed etiam absumenda. Et quod plus est, duo esse in totum absumenda, nempe aquam, & ignem, quam sententiam multi sequuti sunt, & præ cæteris *D. Thomas in 4. dist. 47. art. 4. ad 2.* (sed de hac absumptione, postea) forte enim loquitur de igne artificiali, non negat, de elementorum, esse purgandum. igitur negari non potest, aquam esse conflagraturam.

83 Prob. 3. ex *S. Augst. lib. 20. de ciuit. cap. 16.* vbi, postquam docuit, mundum igne periturum, sicut olim aqua, ait. *Illa itaque conflagrationes mundanæ, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt*, sed aqua talibus pollet qualitatibus: ergo. Ex August.

84 Conf. ex eodem ibidem, sic subdente, *Quod autem ait, & mare iam non est; vtrum maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius non facilè dixerim.* Ergo de siccatione maris dubitat, non de conflagratione, & ardore illius. Ex eodem Aug.

85 Conf. ex eodem *lib. 20. cap. 24.* explicante, vt supra locum Petri. *Possunt illi cæli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta.* Sed aqua est in hac ima parte, estque magis quam alia procellosa, ac turbulenta. Ergo etiam ipsa est conflagratura, ex mente Augustini. Ex August.

Ob. contra 1. Tam textus, quam Glossa in *epist. 2. Petri*, comprehendunt omnia elementa: ergo. Anteced. patet, ait enim *elementa verò calore soluentur*. Glossa vero Ordinar. ait, *quatuor elementa ignis absumet.* Ergo ignis etiam conflagrabit. Arg. contra.

86 Resp. neg. anteced. ad probat. ex textu, dico, intelligi de maiori parte, sicut in verbis anteced. ait. *Mundus, aqua inundatus periit*, & tamen non omnes partes mundi, quia, nec ignis, nec aqua, &, vt ex August. diximus, sicut pars pro toto ibi accipitur, ita & hic. Ad illud de Glossa, quod ignis absumet quatuor elementa, eam non sequor, quia non est capibile, quomodo ignis comburat ignem. Facilius adducar ad concedendum, quod Deus destruet ignem alijs modis sibi possibilibus, quam ad asserendum, quod ignis absumetur, vel comburetur igne, non enim ab alio, nec à se. Ergo non est verisimile: & hoc est, quod contendit Scotus ignem non esse à se purgandum. Vera resp. ad hominem. Potius alio modo Deus destruet ignê quam per ignem.

Ob. 2. Totus mundus erit renouandus, ex *Apoc. 21. Et vidi cælum nouum, & terram nouam.* Nomine enim terræ, ait *Lyran. intelliguntur ignis, aqua, & aer:* ergo.

87 Resp. neg. consequ. Aliud enim est, quod sit innouandus ignis; aliud quod conflagraturus. Primum concedam in suo loco infra, quod perdet influxum in hæc inferiora. De secundo est quæstio, & dico non esse conflagraturum.

88 Dices. Innouatio facienda est per ignem.

Respondetur in ijs, quæ possunt igniri, concedo, in alijs, nego.

Arg. cont. 2. Ob. contra 2. ex Glossa Ordinar. in *cap. 21. Apocal. Et vidi cælum, &c.* vbi habet. *Immutatio aeris, & terræ dubitabilis non est, quin fiat per ignem; sed de aqua, dubitatur; nam purgationem in se ipsa habere creditur.* Ergo aqua non conflagrabit.

89 Resp. neg. consequ. Ex hoc enim quod dubitatur per aliquos, non sequitur aliquid non esse, si adsint rationes tollendi dubium. Patuit autem, quod aliæ Glossæ, & Sancti, docent, aquam esse purgandam. Imò aliqui dicunt esse totaliter consumendam: ergo cessat dubium pro parte negatiua. An verò pisces maris interibunt, dicetur in seq. Disput.

## ARTICVLVS V.

### *An animantia, & plantæ, &c. igne conflagrabunt.*

Scoti mens. SCOTVS *in dist. 47 quæst. 2.* solum ignem excludit à mundi conflagratione. Ideo de eius sententia affirmatiua nullum restat dubium.

90 Adu. de re nullum apparere dubium, sed de tempore, quando scilicet conflagratura sint omnia mixta. Ipsa enim destruentur totaliter, vt in seq. Disput. dicetur: & proinde oritur dubium, an completo iudicio conflagrabunt, an ante incipiet, & postea complebitur conflagratio.

Omnia animantia, &c. incipient cõflagrare ante iudicium. 91 Dico ergo. Animantia plantæ, & cætera mixta tam naturalia, quam artificialia, omnia igne conflagrare incipient ante iudicium. Est *D. Bonauent. in 4. distin. 47. par. 2. quæst 4. D. Thom. ibid. art. 4. ad 3.*

Ex ep. Pet. 2. 92 Prob. 1. ex *epist. 2. Petri cap. 3. ver 10. Terra autem, & omnia, quæ in ipsa sunt opera exurentur.* Vbi *Lyran.* ait, Ver. *Terra autem, &c.* non solum terra, sed etiam omnia, quæ in ipsa sunt facta, & de ipsa producta, exurentur.

A peritate diluuij. 93 Prob. 2. ex purgatio mundi per ignẽ, erit sicut purgatio facta per aquam, sed in ista omnia animantia, plantæ, &c. fuerunt per inundationem purgata; imò animantia interfecta ex *Genes. 7. Consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, &c.* ergo idem erit in purgatione per ignem.

Ratione; 94 Prob. 3. Nisi omnia hæc conflagrarent, esset necessarium speciale Dei miraculum, quo illæsa conseruarentur. Sed hoc non est admittendum, quia sine necessitate, Non enim essent animantia præseruanda; neque plantæ cum periret homo, in cuius gratiam facta sunt, neque amplius essent ei inseruitura.

Ex Hippol. 95 Prob. 4. ex *S. Hippol. de consumatione mundi, &c.* vbi non solum docet, igneo illo flumine, quod ipse admittit, omnia esse conflagratura, sed etiam absumenda: sed de hoc postea.

Epi. ad Cor. 96 Prob. 5. ex 1. *Cor. 7.* Præterire debet figura huius mundi, Glossa Interl. vt sæpè diximus, ait, *pulchritudo*; alij Patres dicunt imago, alij species, id est illa dispositio, & formositas rerum, quæ nunc est, cessare debet: ergo omnia purganda, &c.

Ex Isa. 97 Prob. 6. ex *Isa. 51.* sæpè cit. *Cæli, sicut fumus liquescent, & terra, sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt.* Ergo omnia animantia, quæ inter habitatores numerantur, & omnes plantæ, quę pars terræ sunt, disperibunt.

Ex Hieron, 98 Conf. ex *Hier.* ibi, *cum cælum, & terra veterascet, consequenter, & ea quæ cæli circulo continentur, & homines, qui sunt habitatores terræ, sicut hæc morientur, &c.*

Ex August, 99 Prob. 7. ex sæpè allato *August. lib. 20. de ciuitate cap. 16. Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij.*

Ex eodem. 100 Conf. ex eodem *cap. 24.* vbi adducit illud Petri supra; *terra, & omnia, quæ in ipsa sunt opera exurentur*, & infra ad Porphyrianos loquens, ait, *Vel tantum concedant conflagrationi nouissimæ, quantum dicimus valuisse diluuium, qui nullis aquis, nullis flammis totum genus humanum perire posse contendunt.* Igitur, omnia, quæ in mundo sunt ab igne tangentur, & conflagrabunt.

Clarus text. 101 Prob. 7. Non videtur maior ratio, cur toto mundo conflagrante, id est aere, aqua, & terra per ignem, ea quæ sunt in terra, vt animalia, plantæ, ædificia, & alia omnia naturalia, & artificialia, non debeant conflagrare, cum non sint nobilioris conditionis, quam elementa, & ipsi homines, qui conflagrabunt; & Petrus Apostolus expresse dicat, *omnia opera, quæ sunt in terra, esse exurenda.*

102 Prob. vlt. Ista omnia totaliter deficient, vt in sequ. Disput. quia, cum facta sint in hominum vsus, his deficientibus, non erunt amplius necessaria. Ergo verisimilius est, quod per ignis actionem deficiant: eò vel maximè, quod textus canonicus, licet ea non nominet in individuo, comprehendit tamen in generico vocabulo, *omnia opera, quæ in terra sunt exurentur*: ergo.

## ARTICVLVS VI.

### *Qualis quantusque erit hic ignis.*

Scoti mens, clarissima,

SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. §. Respondeo*, docet, possibile esse, vt ignis, quo mundus conflagrabit sit de nouo creatus, & quod sit in aliqua terræ latitudine, & circa eam moueatur. Et est etiam possibile, quod sit generatus, in aliqua determinata parte terræ, & ad alias feratur per motum circa terram. At in *§. De secundo*, docet, probabilius esse, quod sicut ignis esse potest extra sphœram suam in materia aliena, vt in corpore ignito, carbone, & ferro, sic vapores existentes in aere possunt igniri. Et ista ignitio vaporum successiua in aere habitabili hominum, dici potest illa conflagratio. Hæc *Scotus*.

Probabilior sent. eius,

103 Adu. quæsitum facilè proponi, sed non ita resolui. Sensus enim est: an per ignem elementarem, existentem in vltima aëris regione; an per artificialem existentem in terra, vel subtus eam, iam factum, seu faciendum, mundus conflagrabit. Secundo, an in principio futurus sit paruæ quantitatis, deinde crescere debeat, & quantum. Solutio è contra non est ita facilis. pauca enim de eiusmodi dixerunt Sancti Patres, ideo hæc pauca afferemus.

Sensus art. non facile resoluitur.

Ignis quo mundus conflagrabit erit elementaris & artificialis

104 Dico 1. Probabilissimum est, quod ignis ille, quo mundus ardebit futurus sit etiam vterque, elementaris, scilicet & artificialis. Colligitur ex *Scoto, vbi supra*, est expressè *D. Thom. in 4. distinct. 47. quæst. 2. art. 4.* in calce. *S. Bonauentura distinct. 47. par. 2. quæst. 1.*

A paritate diluuij.

105 Prob. ex 2. *Petri cap. 3.* dicente, *Cæli erant prius, & terra de aqua, et per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij*. Sed mundus, tempore diluuij, periit, non aquis de nouo creatis, sed alijs iam antea productis. Ergo in fine mundi eius conflagratio erit per ignem iam creatum.

Augus.

106 Prob. 2. ex *D. Augustin. lib. 20. de ciuitate cap. 16.* sic de conflagratione mundi loquente. *Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij*, quam sententiam ad verbum sequutus est *Primasius in cap. 21. Apocal.* versu, *Et vidi cælum nouum, & terram nouam.*

Ex Bonau. clarissimè.

107 Prob. 3. ex *S. Bonau. loco cit. qu. 1. in resol.* qui innixus loco Petri, & authoritati Augustini habet. *Sicut in diluuio non fuerunt noua aqua creata, sed eadem illa multiplicata sunt, & hoc operante adiutorio superiorum corporum, per quæ facta est elevatio vaporum; sic etiam credo, quod non solum ignis, qui est in sphœra sua, sed omnes ignes qui in terra, qui super terram, & qui sub terra sunt concurrant ad illam conflagrationem, sicut videtur velle Augustinus, &c.*

S. Thom.

108 Prob. 4. ex *S. Thoma in 4. sent. distinct. 47. quæst. 2. art. 4.* in fine, sic habente, *Causabitur autem ille ignis ex conflagratione omnium ignium mundanorum, vt dicit Aug. 1. ex concursu omnium causarum inferiorum, & superiorum ex quibus potest ignis circa locum medium generari.*

A paritate ignis Sodomorum.

109 Prob. 5. à pari. Cum *Genes. 19.* subuertit Dominus regionem Pentapolis, Sodomam, Gomorram, &c. *pluit ignis de cælo*, id est de aere. Hic autem ignis, vt communiter docent interpretes, non fuit de nouo creatus, sed de elementari acceptus, vel de artificiali è terra subleuatus, & rursum demissus. Ergo eodem modo fiet in iudicio, de eodem igne accipietur, & deorsum immittetur.

Ludol. Carth.

110 Prob. 6. ex *Ludolpho Carthus. de Vita Christipar. 2. cap. 87.* Ignis permaximus aduentum iudicis præueniet, & faciem eius præcedet, quia virtute diuina, non solum ignis, qui est in sphœra sua, sed etiam omnes ignes, qui in terra, & qui super terram sunt, ad mundi conflagrationem concurrent.

Riccardo;

111 Prob. 7 ex *Riccardo dist. 47. art. 2. quæst. 2.* vbi probat ignem conflagrationis esse eiusdem speciei, cum elementari. Et quod sicut mundus per diluuium periit, aqua eiusdem speciei, cum nostra; ita fiet in purgatione nouissima per ignem. Secundo probat ex eo, quia si non esset eiusdem speciei, Deus deberet nouam ignis speciem creare, quod habet pro inconuenienti.

112 Prob. 8. Frustra quæritur nouus aut diuersæ speciei ignis, cum per elementarem, & artificiales, qui in terra sunt possint omnia peragi, quæ de conflagratione mundi perhibentur: ergo.

Arg. ad hominem.

113 Prob. 9. Si aliquid obstaret, maximè esset, quia ignis non potest descendere, neque extra sphœram conseruari, sed hoc non obstat. Minor prob. ex Scoto, quia de facto ignis in carbone, & ferro conseruatur, quousque durat materia combustibilis. Secundo, quia Dei nutui subiacet ignis, & ideo in combustione Sodomæ, & 50. virorum ad preces Eliæ, ignis de cælo descendit.

Incerta quantitas ignis, & locus à quo incipiet, probabile quod ab aere.

114 Dico 2. Est omnino incertum, quantus in principio futurus sit ignis conflagratorius, & in quam mundi partem primo immittendus, licet videatur probabile, quod ab aere incipiet conflagratio. Ex Scoti problemate colligitur, prima pars.

Diuersæ SS. sent.

115 Prob. Diuersa sunt Sanctorum dicta circa eiusmodi quantitatem in principio, & circa locum primo inflammandum.

Hippol.

*S. Hippolytus orat. de consumat. mundi*, inter alia ait, *Planus igneus egredietur cum furore instar maris sæui, exuret montes, & colles, & mare delebit, ac æthera.*

Hieron.

116 *S. Hieron. in cap. 3. Malach. Ecce*

*venit Dominus, & ipse quasi ignis consumens*, ait. *ignis enim in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida, &c. flumina ignis trahent ante eum peccatores quosque voluentia*.

Auguſt. 117 *S. Augustinus* nuper relatus inquit, *mundus mundanorum ignium conflagratione peribit*, quasi dicat omnes simul ignes congregabuntur, vt mundum inflamment.

Bonau. 118 *S. Bonau. & S. Thom.* vt supra patuit sequentes Augustinum, dicunt, superiorem, & inferiores ignes in vnum congregandos, vt mundum incendant.

Ludol. Cart. 119 *Ludolphus Carthusianus, de Vita Christi par. 2. cap. 87.* ait, circa conflagrationem mundi, sciendum est, quod ignis permaximus aduentum iudicis præueniet, & faciem eius præcedet, &c.

Lactant. 120 *Lactantius lib. 7. diu. institut. cap. 1.* de Christo veniente ad iudicium, ait, *Descendet comitantibus Angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis*, vbi patet, quod licet determinatam magnitudinem non exprimat, tamen excedentem non designat.

Neque aliquis Sanctorum ad eiusmodi curiosas, & vanas potius, quam vtiles minutias vmquam descendit, eo tantum contenti, vt conflagrationem, totum orbem peruadentem, docerent.

2. pars, quod ab aere incipiet, & congruentia. 121 Prob. 2. pars ex *Riccardo de Media Villa in 4. sent. dist. 47. art. 2. qu. 4. in resol.* alt enim, vt aliqui dicunt igne illo incipiente mundum purgare in superiori parte, quæ purganda est, Christus incipiet venire ad locum iudicij, & sanè congruum est, vt pars illa superior prius purgetur, in qua Christus debet iudicare. Secundo, quia si ex sphœra ignis descendet, ille, qui combusturus est mundum, si non inflammaret aerem prius, quam terram, miraculum esset adstruendum, quod non oportet admittere, quia non necessarium.

Ignis dilatatio, sicut aquæ diluuij 122 Dico 3. Ignis conflagrationis peruadet totam faciem terræ, maris, ac aeris ad eam altitudinem ad quam peruenit aqua diluuij. Est communis.

123 Prob. 1. pars, ex dictis in præced. articulis de quolibet elemento, quia omnia sunt innouanda: ergo omnia ab igne inflammabuntur.

Ep. Petri 2. 124 Prob. 2. ex 2. *Petri cap 3. Terra, & omnia opera, quæ in ea sunt exurentur*. item *cæli, & terra repositi sunt igni reseruati in diem iudicij*. item, *elementa calore soluentur*, & post, *cæli ardentis soluentur, & elementa ignis ardore tabescent*.

Glossa Inter. 125 Prob. 3. ex Glossa Interlin. in *Ps 96. Ignis ante ipsum præcedet*, dicente, *per totum orbem*.

A paritate diluuij. 126 Prob. 4. Bis purgatur mundus, primò per aquam; secundo per ignem, quod fiet in tempore iudicij; vt clare docet Petrus loco citato. Sed in prima purgatione aqua per totum mundum peruasit: ergo eodem modo operabitur ignis.

Duplex finis conflagrationis, physicus, & moralis. 127 Prob 5. Hæc purgatio ex duplici fine fiet, physico, scilicet, & morali. Primus quidem, est, vt fiat separatio partium peregrinarum, quæ elementis commixtæ sunt. Secundus, vt mundetur, seu sanctificetur mundus, qui per hominum peccata fuit commaculatus, ità communiter Doctores, cum *Magistro Sent. S. Thom. S. Bonauent. & Riccardo*, & ipsomet *Scoto in 4. sent. d. 47.* vbi omnes de his purgationibus loquuntur, sed omnes præfatæ mundi partes sunt sic impuræ, & commaculatæ. Ergo omnes peruadet ignis.

Ex Lyrano in Isai. 128 Prob. 6. ex Glossa Lyrani in *cap. 51. Isaiæ*, Ver. *Quia cæli sicut fumus liquescent*, vbi habet, præcedet ante Christi aduentum ignis conflagrationis, purgans cælum aereum, & terram, & paulo post, ait, igne conflagrationis morientur omnes, qui tunc viui reperientur. Ergo peruadet totum mundum; alioquin, non posset vbique occidere homines, nisi in toto mundo esset.

Ascendet sicut aqua diluuij. 129 Prob. 2. pars, ex Glossa Lyrani in *cap. 13. Oseæ*, Ver. *Adducet ventum vrentem Dominus de deserto ascendentem, &c.* vbi sic habet, quia tantum ascendet super terram quantum ascenderunt aquæ diluuij.

Ex Lyr. 130 Prob. 2. ex eodem in *epist. 2. Petri cap. 3.* vbi docente Petro, quod sicut olim mundus perijt aquis diluuij, sic in fine mundi igne conflagrationis peribit, *Lyranus*, Ver. *Cæli autem*, ait, secundum Doctores Catholicos, tantum ascendet ignis, quantum aquæ diluuij ascenderunt, idem habet Glossa Interlin. *in epist. 2. Petri cap. 3.* Ver. *Cæli magno impetu*.

Ex Auguſt. 131 Prob. 3. ex *S. Aug. lib. 20. de ciuitate Dei cap 18* vbi docens totum mundum conflagraturum tempore iudicij quærit, vbi tunc erunt Sancti? & ait, *possumus respondere, futuros eos esse in superioribus partibus, quò ita non ascendet flamma illius incendij, quemadmodum nec unda diluuij*. Ergo non peruadet vsque ad sydera.

Bonau. 132 Prob. 4. ex *D. Bonauent. in 4. sent. dist. 47. par. 2. quæst. 4.* in responsione, vbi habet, ille ignis ascendet tantum, quantum durant corpora consumptibilia, & possibilia. Et quia corpora cælestia non sunt receptibilia alienæ impressionis, dico, quod quantum durat spatium continens elementa, ascendet flamma, & vlterius non procedet. Vnde dico, quod non ascendet vsque ad sydera, plus tamen ascendet, quam aqua diluuij. Hæc *S. Bonau.*

S. Thom. 133 Prob. 5. ex *S. Thoma in 4. sent. d. 47. quæst. Vn. art. vlt.* vbi loquens de conflagratione mundi, distinctè docet, quæ arsura sunt, & quò se extendet ignis; inter cætera autem, ait, oportebit elementa purgari per ignem; primò vero mundus purgatus fuit per aquam contra vitium concupiscentiæ; sed ignis competit contra tarporem charitatis. Deinde respondens ad secundum inquit,

di-

dicendum, quod non oportet purgari, nisi illas partes mundi, in quibus homines peccauerunt, & hoc est circa medium locum, in quo etiam mixtiones elementorum fiunt. Ergo S. Doctor concludit, & quod ab igne mundus purgabitur, sicut ab aqua diluuij olim purgatus est; &, quod ascendet ad locum medium, vbi fiunt mixtiones, id est ad secundam aeris regionem.

Ex Ricardo

134 Prob. 6. ex *Ricardo in 4. sent. d. 47. art. 2. quæst. 1.* cuius conclusio est. Futura est mundi vsque ad medium aerem, elementorumque ab impuritate permixtionis, confusionisque ad inuicem, & alterius indignitatis purgatio, eademque per ignem; ergo ad medium aerem, id est ad secundam regionem ascendet ignis conflagrationis.

Ex eodem: Aer purgatione eget, quia est habitatio dæmonum.

135 Conf. ex eodem, qui declarans ibidem in 3. puncto hoc factum supponit cum Glossa pro certo, quod quantum ascendit aqua diluuij tantum ascendet ignis. Et assignat rationem, quia inquit medium aeris interstitium est communis habitatio dæmonum (id est qui sunt in aere) vsque ad iudicium, & prius peccauit malus Angelus, quam homo, quasi diceret purganda est etiam illa pars, in qua immundi spiritus habitarunt.

Quæ dixisse sufficiat de qualitate, & quantitate ignis conflagratorij; alias autem circumstantias, tunc sciemus, cum eas in iudicio experiemur.

## ARTICVLVS VII.

### *An Cæli etiam igne conflagrabunt.*

Scoti mens.

136 SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. qu. 2. §. De secundo*, secutus *Magistrum Sent. in d. 47.* docentem, cælum æthereum non esse conflagraturum, sed solum aereum; docet vapores aeris esse succesliuè incendendos; & ita saluari conflagrationem. Ideo

De cælorum innouatione aliàs dicetur, nunc de conflagratione agitur.

137 Adu. quod de cælis alia vice est tractandum, in Disputatione scilicet de statu mundi post iudicium. Vbi inquiretur quid de eis sit faciendum; num destruendi; vel quomodo immutandi, cum dicat Saluator *Cælum, & terra transibunt*; & *Apoc. 21. Vidi cælum nouum, & terram nouam*. Hic autem non loquimur de hoc effectu circa cælum, sed solum de ignitione; an scilicet quando omnia elementa, ac mixta ante iudicium, vel tempore eius, aut post illud ardebunt, cæli etiam conflagrabunt.

Cælum æquinocum nomen est,

138 Adu. 2. ex SS. Patribus Hier. & Aug. alijsque citandis, quod cæli nomine in Sacra Scriptura, aliquando intelligitur æthereum; aliquando aereum, *aues cæli, milui in cælo, nubila cæli, &c.*

Cæli æthe-rei non con-flagrabunt, licet aliqui affirment.

139 Dico. Esto aliqui sub dubio doceant, quod cæli ætherei sint conflagraturi tempore Iudicij; communiter tamen Sancti Patres negatiuè tenent. PP. adducentur in rationibus.

Aug. dubitat

140 Prob. 1. pars. *S. Augst. in Ps. 101. Opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt*, vbi sic habet. *Iam dixit periisse cælos per diluuium. Periisse autem nouimus cælos secundum quantitatem, & spatia aeris huius, &c. Sunt autem, & cæli cælorum superiores in firmamento. Sed vtrum ipsi perituri sint igne, an hi soli cæli, qui etiam diluuio perierunt, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facile maximè in angustia temporis explicari potest.*

141 Conf. ex Glossa Ordinar. in *Ps. 101.* versu, *Ipsi peribunt*. & ex eadem Glossa in *ep. 2. Petri cap. 3.* Ver. *Per quæ*, in quibus adducuntur præfata Augustini verba. Ergo, cum interitus omnium ab igne sit causandus, etiam si sit interitus secundum formas aliquas accidentales; cum sit dubium, an cæli superiores, nempe ætherei sint perituri, est etiam dubium an sint conflagraturi; quia finis conflagrationis est purgatio, depuratio, seu innouatio.

Negatiua, & communior sent.

142 Prob tamen 2. pars. Fundamentum principale cur cæli sint conflagraturi, est, quia scriptura hoc dicit, Petrus scilicet in *epist. 2. cap. 3. Cæli qui nunc sunt repositi sunt igni reseruati in die iudicij*. & iterum ibidem, *in die aduentus Domini, per quem cæli ardentes soluentur*. Sed hic locus non obstat: ergo. Minor prob. Sancti PP. & Glossæ omnes explicant hunc locum de cælis aereis, hi enim ardebunt, & depurabuntur, nam

Loci Script. à PP. explicantur de cælis aereis, non ætheris

Glossa Ordinar. in *Psal. 101.* quæ dicitur Augustini, sic habet. *Ipsi cæli peribunt de proximis terræ hoc constat; vnde, & Petrus terra autem, & cæli qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni reseruandi*. Ergo de aeris loquitur.

Gloss. Ord. in Ps. & Marci Euang.

Glossa Ordinar. in *cap. 13. Marci*. Ver. *Cælum, & terra transibunt*, ait, *cælum aereum, à quo aues cæli, & nubila cæli, vnde Petrus, cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, & igni reseruati, apertè docens, quia alij cæli non sunt igne periturі, quam qui aqua perditi, id est inania, & nebulosa; aqua enim diluuij, quæ tantum quindecim cubitis cacumina montium transcendit, vltra aeris, aterisque confinia non peruenit*. Ergo aerei cæli sunt, de quibus loquitur S. Petrus.

Ead. Glossa in ep. ad Ro.

Glossa Ordin. in *epist. 2. Petri cap. 3.* Ver. *Latet eos, quod cæli erant*, ait, *cæli, id est aer ipse humidus, & turbulentus, de quo dicitur miluus in cælo cognouit tempus suum*: & post aliqua. *Cæli autem, qui nunc sunt igni reseruati sunt*: & post. *Sunt, & cæli superiores, sed vtrum ipsi perituri sint igne, an hi soli, qui etiam in diluuio perierunt disceptatio est*. Ergo, quod est certum in doctrina Petri, refertur ad cælos aereos tantum. Alioquin, si de æthereis loqueretur, esset hæresis docere contrarium.

Prob.

Ratione:

143 Prob. eadem min. quod scilicet dictum Petri intelligitur de cælis aereis. Illi cæli per Petrum conflagrabunt igne, qui perierunt per diluuium, sed aerei tantum, non ætherei, perierunt per diluuium. Ergo de illis intelligitur. Prob. mai. quia adducit paritatem inter mundum aqua inundatum, & eundem igne conflagraturum.

144 Prob. min. Primo, quia ex *Genes. 7. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat*. Ergo non peruenit vsque ad æthereum cælum, & consequenter, nec ad illud perueniet ignis conflagratorius; & hoc est, quod ponderat *S. Augustinus lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 2.* dicens, *Hos aereos cælos esse, quos dicit epistola canonica per diluuium periisse*. Idemque confirmat in *libr. 20. de ciuitate cap. 18.* quæ loca iterum distinctè adducentur in Disputatione de statu mundi, &c. cum quæremus, an immutandi sint cæli: ergo.

Arg. ex solutione locorũ script.

145 Prob. 2. conclusio aliud fundamentum scripturæ, est, quia *Apoc. 21.* dicitur, *& vidi cælum nouum, & terram nouam*, sed neque hoc concludit, quia Glossæ, & Patres intelligunt de aereo conflagrando, & mutando. Interlin. Ver. *Cælum*, ait, *aereum innouatum*. Glossa Ordin. Ver. *Cælum*, dicit, *innouatio aeris dubitabilis non est, quin per ignem fiat*.

Ex August.

146 Prob. 3. ex *S. Augustino lib. 20. de ciuitate cap. 24.* vbi explicans locum Petri, *cæli ardentes, &c.* ait. *Possunt illi cæli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos; & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cælos dixit esse repositos; saluis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta*. Ergo illi superiores cæli non sunt per ignem perituri, aut conflagraturi.

Ex eod. Aug. clarissimè id docente.

147 Conf. ex eodem ibid. *sub C. Sic à toto pars accipiatur in eo, quod dictum est ipsi peribunt, cum soli cæli infimi periturí sint quemadmodum in Apostolica illa epistola 2. Petri 3. à toto pars accipitur, quod diluuio periisse dictus est mundus, quamuis sola eius cum suis cælis pars ima perierit*. Non potest dici clarius.

Ratione:

148 Prob. 4. Elementa ideo mutanda dicuntur, ex *August. lib. 20. de ciuit. cap. 16.* quem omnes sunt secuti, vt perdant qualitates, quæ nostris corporibus corruptibilitatibus inseruiebant, & euadant incorruptibilia, & sic alios omnia; & mundus innouatus, hominibus innouatis, & incorruptibilibus proportionetur. Sed cæli ætherei, qualitates corruptibiles non habent, & secundum suam naturam, licet sint defectibiles respectu Dei, tamen, virtute naturæ non sunt corruptibiles, sed incorruptibiles. Ergo non egent ignis depuratione, vt ab impuritate liberentur, & acquirant incorruptibilitatem.

149 Prob. 5. Elementa per ignem purgabuntur, eò quia sunt infecta per hominum peccata. Sed cælum non potuit sic inficí, quia non fuit hominibus proximum: ergo. Ma. est *Hippolyti de consumat. mundi, &c. Exuretur vniuersa terra, propter opera, quæ in ea corruperunt homines, in fornicationibus, adulterijs, mendacijs, &c.*

Ex D. Th.

Prob. 6. ex *D. Thoma in 4. sent. dist. 47. art. 4. ad 2. Non oportet per ignem purgari, nisi illas partes mundi, in quibus homines peccauerunt; & hoc est circa medium locum, in quo etiam mixtiones elementorum fiunt. Vnde superiores cæli non purgabuntur, nec sphæra ignis, sed solum ignis qui est hic; Neque Paradisus terrestris, quia & si peccatum in eo fuit commissum, non tamen in eo fuit habitatio peccatoris:* ergo.

Ex Bonau.

150 Prob. 7. ex *S. Bonau. in 4. sentent. dist. 48. part. 2. quæst. 3. num. 23. Respondeo* dicendum, quod ille ignis ascendet quantum durant corpora consumptibilia, & passibilia. Et quia corpora cælestia non sunt receptibilia alienæ impressionis; dico, quod quantum durat spatium continens elementa ascendet flamma, & vlterius non procedet, vnde dico, quod non ascendet vsque ad sydera, plus tamen ascendet, quam aqua diluuij. Hæc *S. Bonau.*

Ex Scoto,

151 Prob. 8. ex *Scoto* in principio artic. relato, vbi ait, conflagrationem in aeris inflammatione consistere.

Mag. Sent.

152 Prob. 9. ex *Magistro Sent.* à quo hi Scholastici acceperunt, qui in *dist. 47.* habet, *Domino veniente ad iudicium præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur. Cælum quidem aereum, non ethereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio quantum ascenderunt aquæ diluuij*. Hæc *Magister Sent.*

Ex Th. de Argent.

153 Prob. 10. ex *Thoma de Argentina in 4. sent. dist. 4. quæst. 1. art. 4.* vbi docet, in cælo faciendam esse quidem immutationem circa lumen, non per ignem, sed per actionem diuinam. Ergo concors est sententia, cælum non esse conflagraturum.

Ex Gerſone.

154 Prob. 11. ex *Ioanne Gerſone in Summa de Gaudijs Paradisi*. Purgatio erit elementorum ab impuritate, quam habet ex commixtione ad puritatem mutatio. Innouatio vero erit cælorum à statu veteri in statum nouum commutatio; & hoc per cessationem à motu, in cælis enim propter impermixtionem, nulla impuritas est, sed tantum imperfectio motus. Ergo si non est purgandum non conflagrabit.

Arg. contr.

Ob. 1. ex *Isa. 34.* habetur. *Complicabuntur, sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu*. Igitur, cæli aliquid patientur, sed non ab alio, quam ab igne: ergo.

155 Resp. ex Glossa Interl. Verbo, *Cæli*, dicente, *aerei*. Glossa Ordin. Verbo, *Complicabuntur*, ait, *Aer iste igne inuolutus, & plicari videbitur, sicut liber*. Ergo nihil contra nos.

Resp.

Duplex solutio, quia arg. nihil probat ad rem.

156 Resp. 2. hoc arg. non esse ad rem.; quod enim in iudicio, cæli sint complicandi, sicut liber, non importat, quod cæli sint conflagraturi; & *Hieron.* in hunc locum ait. *Et hoc considerandum, quod non dicat interire cælos, sed replicari, seu complicari quasi librum, vt postquam omnia peccata aperta fuerint, & relicta, complicentur, qui priùs aperti fuerant, vt nequaquam scribantur vltra in eis delicta multorum.* Hæc *Hieron.* At nec in textu, nec in Glossis, aut expositoribus mentio fit de conflagratione cælorum.

Ob. 2. ex *Marci* 13. *Cælum, & terra transibunt, &c.* sed terra vera, & in propria significatioone accepta transibit: ergo, & cæli veri.

Arg. hoc aliàs solutum est.

157 Resp. iam supra ex Glossis ex Patribus apparuisse, quod loquatur de cælis aereis, qui in diluuio etiam perierunt, non verò de sydereis.

Non concludit.

158 Resp. 2. arg. plus probare, quam intendat, cum concludat, non conflagrationem, sed destructionem cælorum, de qua agemus in *disp.* 12. *art.* 4.

159 Resp. 3. Dato, & non concesso, quod cæli secundum substantiam sint perituri; quid inde! quomodo probatur, per ignem esse destruendos. Posset enim alijs modis, imò absque vllo medio Deus immediatè eos annihilare.

Validum arg.

Ob. 3. ex 2. *Petri cap.* 3. *In aduentu diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Ergo vere aderit in cælis conflagratio.

Cæli aerei ex Glossis ardebunt.

160 Resp. dist. anteced. Cæli aerei, concedo: ætherei, nego. Ratio est, quia in eodem loco, vbi dicitur, *tali magno impetu transient, & elementa calore soluentur.* Interlin. ait, *cæli, qui in diluuio transierunt, quia tantum ascendet iudicij ignis, quantum ascendit aqua diluuij.* Ergo cæli aerei transibunt *impetu involuentis ignis*, ait eadem Interlin. ibidem. Neque potest aliter locus iste intelligi, cum Glossæ omnes, dum de cælis toties fit mentio in illo capite, semper explicent de aereis. *Verbo enim latet eos.* Glossa Ordinar. ait, duo Dei iudicia alterum per aquam, quod præterijt; alterum per ignem, quod restat; hoc dicit *latet eos, quod cæli*, id est humidus aer, & turbulentus, de quo dicitur, miluus in cælo, & paulo post. Per quæ duo, id est, in quibus duabus partibus, aere, & terra, quæ tunc erat, mundus alterius modi, quam iste, perijt mundatus aqua diluuij: nam superiores partes non attigit diluuium. Et eadem Glossa immediatè post, prosequens comparationem interitus mundi, futuri per iudicium, cum interitu mundi secuto per diluuium. Ver. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra repositi sunt igni*, eodem modo accipit cælos, sicut ante. *Lyran.* vero Verbo, *Cæli, qui nunc sunt*, dicit id est superior pars aeris, & inferior, & Ver. *In quo cæli magno impetu, &c.* idem *Lyran.* dicit, id est superior aeris pars, & inferior.

Nisi ita dicatur, nulla esset paritas Petri de duplici destructione mundi, per aquã, & ignem.

Ex toto ergo contextu, & Glossarum explicationibus habetur, cælos æthereos non arsuros, sed solum aereos.

## ARTICVLVS VIII.

### *An etiam homines igne conflagrabunt.*

Scotus de hoc non loquitur.

SCOTVS nullum prorsus verbum facit de hoc dubio, ideo ex Sacra Scriptura, & ex SS. Patribus, quid sit dicendum inuestigabimus.

Plura difficilia quærenda.

161 Adu. sub hoc titulo plura, eaque difficilia comprehendi. Primo, an ignis comburet homines, tunc inter viuos existentes. Secundo, an occidet omnes, tam reprobos, quam electos. Tertio, an aliquid faciet, etiam circa resuscitatos. In præsenti de duobus primis tantum agemus. De alijs vero postea.

Reprobi, qui viui reperientur igne conflagrabunt.

162 Dico ergo. Omnes reprobi, qui ante iudicium viui reperientur igne conflagrabunt, & ex eo morientur. Est communis.

Ex vet. test.

163 Prob. 1. ex *Psal.* 96. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. S. Hieron.* in hunc locum habet, *Ignis iste sanctos purgat peccatores consumit*, & post aliqua, *Ignis iste quos consumit? quicumque est lignum, fœnum, stipula. Qui autem aurum, argentum est, & lapides pretiosi, mittitur quidem in ignem, sed mundior inuenitur*: ergo.

164 Prob. 2. ex *Psal.* 49. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.* Interlin. Verbo, *Exardescet*, ait, *timeat ergo palea se arsuram.* Glossa Ordinat. *Augustin.* habet, *Ignis materialis, vel mala conscientia torquebit impios, cum conspicient iudicantem*: ergo.

Ex Hieron.

165 Conf. ex *S. Hieron.* in *Psal.* 49. Versu, *Ignis in conspectu eius exardescet*, vbi habet. *Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem, illuminat enim, & exurit. Gaudeant iusti, quia illuminantur ex eo; timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo*: ergo.

Lyran.

166 Prob. 3. ex *Isaiæ* 51. *Cæli, sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt.* Interlin. ait, *habitatores qui viui inuenientur. Lyran.* dicit in igne conflagrationis morientur omnes, qui tunc viui reperientur.

Hieron.

*S. Hieron.* in hunc locum sic habet, *cum autem cælum veterascat, & terra, consequenter & ea, quæ cæli circulo continentur, & homines, qui sunt habitatores terræ, sicut hæc morientur, &c.*

Ex Malach. Glossa.

167 Prob. 4. ex *Malachiæ* 4. *Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, quæ*

non

*non derelinquet eis radicem, & germen.* Interl. Ver. *Dies*, ait, *iudicij*. Ver. *Succensa*, ait, *ad cremandos malos, vt stipulam*, Ver. *Inflammabit*, ait, *cum combusserit eos, non relinquet in eis radicem malitiæ.*

Hieron. 168 *S. Hier.* ex quo accepit Interl. in hunc locum, ait, *Ecce veniet dies iudicij, quæ Sanctis lux erit, peccatoribus tenebræ, & ipsa dies erit succensa, quasi caminus, sine clibanus, vt omnes impij vertantur in stipulam, & camini cremantium ardoribus. Cumque eos inflammauerit, atque combusserit non relinquet in eis vllam radicem, & germen malitiæ. Hoc de impijs, qui in die iudicij sint passuri.* Hæc *Hieron.*

169 Prob. 5. ex 2. *Petri cap.* 3. sæpè allato. *Terra autem, & omnia, quæ in ea sunt opera, exurentur.* Homines autem sunt opera in terra posita: ergo.

Iren, 170 Prob. 6. ex *S. Irenæo lib.* 4. *cap.* 8. Figuram mundi vniuersi oportet præterire, vt fructus quidem in horreum colligatur, paleæ autem derelictæ comburantur. Dies enim Domini, quasi clibanus ardens, & erunt stipula omnes peccatores, qui faciunt iniusta, & comburet eos dies veniens. Hæc *Iren.*

Ex D. Th. 171 Prob. 7. ex *S. Thoma in* 4. *sent. d.* 47. *art.* 4. *ad* 3. *Ignis ille quantum ad sui principium erit ante resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul, cum purgabit faciem mundi, sed bonorum, absque dolore; malorum, cum dolore, secundum peccati quantitatem, &c.*

Ex Glos. in ep. 2. Petri, 172 Prob. 8. ex Glossa in *epist.* 2. *Petri c.* 3. Verbo, *Cæli, qui nunc sunt, & terra reposita sunt igni reseruati in diem iudicij.* Interl. ait, vt purgentur, cum suis malis habitatoribus in die iudicij.

173 Prob. 9. ex *Quinto Iulio Hilarione*, qui floruit in quarto sæculo, hic in *lib. de mundi duratione*, inter alia dicit, descendet ignis de cælo, & consumabuntur omnes homines, & tunc erit secunda resurrectio omni carni, & iudicabuntur omnes iudicio Dei iusto.

Ludol. Cart, 174 Prob. 10. ex *Ludolpho Carthusiano lib. de Vita Christi par.* 2. *cap.* 87. vbi loquens de fine mundi, ait; circa conflagrationem mundi sciendum, quod ignis maximus aduentum iudicis præcedet, &c. Per istum ignem, quasi simul fiet purgatio iustorum, & punitio malorum, & incineratio corporum, & consumptio terræ, &c.

ep. ad Cor. 175 Prob. 11. ex 1. *ad Cor.* 15. omnes homines tempore iudicij sunt resurrecturi. Ergo, qui tunc viui erunt, etiam morituri, sed non significatur in scriptura generalis aliqua causa, mortem pro eo tempore inducturæ, nisi ignis conflagratio, qua omnes peribunt: ergo.

176 Conf. Non enim apparet, qua nam alia morte omnes, tunc viui, sint morituri. Ergo verisimile est, quod per ignem.

177 Prob. 12. ex dicendis in seqq. artic. multorum purgationes faciendæ sunt per ignem tempore iudicij: ergo.

Ab absurdo arg. 178 Prdb. 13. Maximum esset miraculum si toto mundo conflagrante ante iudicium, homines omnes tunc existentes conseruarentur illæsi. Frustra autem hoc miraculum, immo tot miracula sine necessitate asseruntur, eo vel maximè, quod homines tunc non diù sunt victuri, sed confestim ferè morituri.

Arg. Philos. 179 Prob. 14. ex Philosophico axiomate propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed propter hominum peccata, & defectus conflagrabit mundus, ergo multo magis homines.

Ex Gloss. in psal. 180 Prob. 15. ex Glossa Ordin. (quæ est *Augustini.*) *in Psal.* 49. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, vbi ait. *Ignis materialis, vel mala conscientia torquebit impios, cum conspicient iudicantem. Ignis purgationis, qui est perfectis, qualis tribus pueris, minus perfectos purgabit, malos comitabitur ad inferos.* Ergo etiam homines eo igne conflagrabunt. An autem soli reprobi, vel etiam electi, & ante resurrectionem, vel post ab igne tangentur, licet sit aliqualiter in præcedentibus insinuatum, in sequentibus distinctè, pro viribus, examinabitur.

## ARTICVLVS IX.

### *An etiam electi viuentes igne conflagrabunt.*

Tria discutienda. 181 ADu. Tria in hoc loco esse videnda. Primo, an electi inflammabuntur ab igne præcedente iudicium. Secundo, an ab eo igne occidentur. Tertio, ad quid ab igne adurentur.

182 Adu. 2. Difficultatem esse de morte electorum per ignem propter SS. Ambrosium, & Augustinum, qui, vt patuit in Disputatione de morte, docent, electos, tunc viuos, esse morituros in ipso raptu cum obuiam Christo ibunt.

Electi igne conflagrabunt, vt purgentur. 183 Dico 1. Etiam electi, qui ante iudicium viui reperientur, igne conflagrabunt, vt purgentur. Est communis.

184 Prob. 1. ex locis allegatis in præced. artic. *Psal.* 96. *Ignis ante ipsum præcedet*, vbi *S Hier. Ignis sanctos purgat:* & post. *Qui autem aurum, argentum est, & lapides pretiosi mittitur quidem in ignem, sed mundior inuenitur.*

Ex Glos. 185 Prob. 2. ex *Psal.* 49. *Ignis in conspectu eius exardescet.* Glossa Ordinar. Verbo, *Ignis*, ait, *ignis purgatorius, qui erit perfectis, qualis tribus pueris, minus perfectos purgabit, malos comitabitur. Lyran.* ait, ignis conflagrationis, qui præcedet aduentum iudicis, alibi autem, vt infra, ait, eam esse

esse inflammaturum omnes etiam electos.

Gloss. Ord. 186 Prob. 3. ex Glossa Ordin. in *cap. 66. Isaiæ. Ecce Dominus in igne veniet, &c. & in igne iudicabit.* Glossa ait, *Ignis æternus erit malis, quos inuoluit, & adducet ad supplicium æternum; quo purgabitur, quod in bonis purgandum est.*

Ep. ad Cor. 187 Prob. 4. ex 1. *ad Cor. 3. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Interl. ait, Ver. *Igne, pœna purgatoria bonis. Lyran.* verò dicit igne purgatorij, qui idem est cum igne inferni, vt dicit Greg. &c. sed reprobis est ad semper, electis ad tempus.

Ex cod. tex. 188 Conf. ex eodem textu ibid. *Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Interl. Ver. *Detrimentum*, ait, *minoris gloriæ, vel patietur aliquid*, & Ver. *Quasi per ignem*, inquit, *rem cremabilem per ignem ferens, qua cremata euadet ipse.* idem dicit *Lyr.*

Ex cad. ep. ad Cor. 189 Conf. ex eodem *cap. 3.* Glossa Ordinar. Ver. *Dies enim Domini*, ait, *ignis extremi iudicij, tandiu durabit, quandiu purgandi sunt, qui saluandi erunt.* & Verbo, *Ignis*, eadem Glossa ait. *qui emundabit eos, qui superedificauerunt lignum, fœnum, &c. qui autem aurum, argentum, &c. de vtroque igne* (id est æterno, & isto) *securi sunt.*

Ep. Petri 2. 190 Prob. 5. ex Glossa in *epist. 2. Petri cap. 3.* Ver. *Cæli, qui nunc sunt igni reseruati sunt.* Glossa Ordin. Ver. *Cæli*, ait, *allegoricè cæli id est Sancti, si quid in eis purgandum est, per ignem purgabuntur.*

Ex Hieron. 191 Prob. 6. ex *S. Hieron. in Psal. 96. Ignis ante ipsum præcedet*, vbi præ cæteris habet, *Ignis iste, quos consumit? quicumque est lignum, fœnum, stipula, qui autem aurum, argentum, lapides pretiosi mittitur quidem in ignem, sed mundior inuenitur.* Est autem certum, quod electi sunt aurum, argentum, & lapides pretiosi: ergo & isti conflagrabunt.

Ambros. 192 Prob. 7. ex *S. Ambros. in epist. 1. Corint. cap. 3.* Ver. *Ipse autem saluus erit sic quasi per ignem*, vbi inter cætera, habet, *Saluum illum futurum dixit, quia non interibit substantia, qua constat, ideo autem dixit, sic tamen, quasi per ignem, vt salus hæc non sine pœna sit, quia non dixit saluus erit per ignem, vt merito suo ab igne non combustum saluus fiat examinatus per ignem, sed cum dicit sic tamen, quasi per ignem; ostendit saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfidi æterno igne torqueatur:* ergo.

Ex Bonau. 193 Prob. 8. ex *S. Bonau. in 4. dist. 47. quæst. vlt.* Dicendum, quod, siue dicantur duo ignes, quantum ad substantiam, siue ratione effectuum, dicendus est futurus ignis in iudicio ad electorum purgationem, quia debet vniuscuiusque opus probari, & purgari in igne, vt totaliter fistantur mundati in conspectu Dei, & hic præcedet faciem iudicis, & purgando amicos inflammabit in circuitu inimicos eius, & in fine illius quæst. ait, ille ignis erit ad purgationem electorum non ad consumptionem, & ideo sicut tres pueri in camino ignis ardentis diuina sunt virtute seruati illesi, sic fiet in illo igne, qui electos purgabit. hæc *S. Bonau.*

Clarissimus argum.

194 Probatur tandem ex argumentis diffusè adducendis in duobus art. seqq. ne eadem repetamus.

Etiam electi tunc viui morientur per ignem. 195 Dico 2. Probabilissimum est, quod electi qui tunc viuunt, & conflagrabunt, per ignem quoque morientur. videtur communis, si bene explicetur *S. Thom. in 4. dist. 47. ar. 4.*

Ex Glossis clare. 196 Prob. 1. *Isa. 51.* cum prædicitur conflagratio mundi, vniuersaliter dicitur, *& omnes habitatores, sicut hæc interibunt.* Glossa Interlin. Ver. *Habitatores*, ait, *qui vbi vbi inuenientur.* Lyran. Ver. & *Habitatores*, ait, quia in igne conflagrationis morientur omnes, qui tunc viui reperientur.

Ex Hieron. 197 Prob. expresse ex *S. Hieron.* in præcedd. allato in *cap. 51. Isa.* versu cit. *Cum autem cælum veteraſcat, & terra consequenter & ea, quæ cæli circulo continentur, & homines qui sunt habitatores terræ, sicut hæc morientur.* Est autem ibi sermo, vt patet de conflagratione mundi. Ergo cum generaliter omnes habitatores, dicat tunc similiter interituros, comprehendit etiam electos.

Ex D. Th. 198 Prob. ex *S. Thoma* alias allato id expresse docente *in 4. distin. 47. art. 4. ad 3.* habente. *Ignis ille quantum ad sui principium erit ante resurrectionem, & incinerabit corpora bonorum, & malorum simul cum purgabit faciem mundi, sed bonorum absque dolore secundum peccati quantitatem diuina iustitia faciente.* hæc *S. Th.*

Validum argum. pro Ambr. & Aug. 199 Prob. ratione. Si quid obstat maximè est, quia SS. Ambrosius, & Augustinus, & Scotus ex eis, docent, electos viuentes tempore iudicij esse morituros in ipso met raptu, quando occurrent Christo venienti ad iudicandum. Sed hoc non obstat: ergo. Maior patuit in Disputatione de Morte. Minor probatur. Vt debita his SS. Doctoribus seruetur reuerentia, possunt explicari, quod in raptu quidem morientur, sed mors ex igne accidet, non enim implicant ista duo, sed maxime cohærent, cum alij Ss. Patres existiment, omnes tunc per ignem esse perituros.

Explicantur Aug. & Ambros. qui dicunt electos in raptu morituros. 200 Conf. Vterque ex his Sanctis docet, vt mox patebit omnes electos, qui purgatione aliqua egent, per ignem esse purgandos, & ita explicant doctrinam Apostoli 1. *Cor. 3. Sic saluus fiet, quasi per ignem.* Ergo non est repugnans eorum doctrinæ, quod expleta purgatione extinguantur in occursu Christi, per ignem.

Ratione.

201 Conf. 1. Solius Christi Corporis fuit priuilegium, non sentire, seu pati corruptionem, ex *Psal.* 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Ergo cæterorum corrumpentur. sed non videtur assignabilis alia causa verisimilior huius corruptionis, quam ignis, qui electorum corpora circumcinget: ergo.

Arg. contr.

202 Prob. tandem. Nulla est repugnantia id tenere, & videtur veritati conformius: ergo.

Dices. Hoc repugnat dicto Apostoli 1. *ad Thessal.* 4. *Nos qui viuimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera*. Loquitur autem ibi, vt notant Glossæ de electis, qui tempore aduentus Christi reperientur viui. Ergo electi per ignem non occidentur.

Omnes morituri tunc etiam electi, & hoc accidet per ignē

203 Resp. hoc argumentum plus probare, quam intendit. Probat enim quod neque morientur. At iam in propria Disputatione de morte communi omnium, iam decisum est, omnes, etiam electos esse tunc morituros, quia omnibus dictum est, *terra es, & in terram ibis*, & *statutum est omnibus semel mori*. Hic autem de modo erat difficultas. Sancti autem docent per ignem esse morituros. Quod si purgatione non egent, ait D. Thomas, & alij cum eo sine dolore: si vero purgatione egent cum dolore, vt ex seq. patebit.

## ARTICVLVS X.

### *An electi resurgentes, igne conflagrabunt.*

Grauissima difficultas.

204 ADu. breuiter, difficultatem hanc grauissimam esse. Et licet proprius eius locus sit in *tract. de Purgatorio*; quia tamen hic de igne agimus, eiusque effectibus pro tempore iudicij; operæ pretium duximus, eam ex parte hic explicare. Sensus ergo quæsiti est. An facta resurrectione vniuersali omnium; electi, qui, vel erant viui ante Christi aduentum, vel antea mortui, non dum tamen ad gloriam admissi, quia purgabantur eorum animæ in Purgatorio; assumptis corporibus sint aliquantulum cum passione conflagraturi, & de electis comprehensoribus loquemur in sequenti. Ratio dubitandi oritur ex difficillimo textu *Pauli* 1. *Cor.* 3. quem adduco pro Basi omnium hic, & in sequenti dicendorum. *Dies enim Domini declarabit, quia per ignem reuelabitur, & vnius cuiusque opus quale sit, ignis probabit*, & post aliqua. *Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit; sic tamen quasi per ignem*. Qui quidem textus loquitur de agendis in die iudicij: igitur probatio hæc operum per ignem (quod, vt ait Hieronymus hic, intelligitur de operantibus,) facienda est coram iudice, & sic facta resurrectione. Licet aliqui ex eo deduxerint, nè dum, quod electi, sed etiam beati reassumptis corporibus sint hoc modo probandi per ignem; verum etiam, quod animæ electorum mortuorum, etiam à principio mundi, vsque ad finem, non ingredientur cælum, sed facta resurrectione, fiet probatio per ignem. Sed hoc secundum, dicemus in tractatu de Purgatorio, esse hæreticum. hoc stante.

Ratio dubitandi ex loco Pauli.

Electi qui egent purgatione igne conflagrabunt, & quo modo, ac quando.

205 Dico. Ex multis SS. authoritatibus colligi videtur, quod facta resurrectione, electi viatores, vel qui viuebant, vel quorum animæ in purgatorio erant, reassumptis corporibus, si purgatione egent, sint per ignem cum passione purgandi: Alijs tamen verisimilius videtur, non esse per ignem passuros, & purgationem hanc ante resurrectionem esse peragendam; licet neutra pars sit contra sacram scripturam.

1. pars: quod purgatio hæc fiet post resurrectionem.

206 Prob. 1. pars. Loca Scripturæ, & Glossæ videntur hunc habere intellectum, quod scilicet tempore iudicij, & coram iudice post resurrectionem, igne probandi sint homines. Nam locus adductus 1. *ad Cor.* 3. est de die iudicij, ait enim *dies enim Domini declarabit, quia per ignem reuelabitur*. & Glossa Interlin. Ver. *In igne*, ait, *purgatorio pro bonis*, & Ver. *Ignis probabit*. eadem Interl. ait, *Præsentis, vel futuri iudicij*. Ver. *Opus manserit*, ait, *in igne*. Ver. *Opus arserit*, dicit, *cremabile erit*. Ver. *Detrimentum patietur*, dicit, *minoris gloriæ, vel patietur aliquid*. Ver. *Saluus erit*, inquit, *rem cremabilem per ignem ferens, qua cremata euadet ipse*. Hæc autem omnia in die iudicij fient. Ideo, concludunt Authores huius sententiæ, quod post resurrectionem electi, viatores saltem, purgandi, igne conflagrabunt.

Sensus art.

Glossę clarę

207 Glossa Ordin. in hunc locum. Ver. *Lignum, fœnum*, ait, *hic accipiuntur peccata venialia, vnde Gregorius quamuis hoc de igne præsentis tribulationis possit intelligi; tamen si quis de igne futuræ purgationis accipiet, pensandum sollicitè est, quia cum dixit per ignem posse saluari, non qui super hoc fundamentum fœnum, vel es, vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, & ideo duriora, & insolubilia; sed qui ædificat lignum, fœnum stipulam id est peccata minima, atque leuissima, quæ ignis facile consumat.* Hæc Glossa.

208 Conf. ex eadem Glossa Ordin. Ver. *Dies enim*, dicente, *ignis verò extremi iudicij tandiù durabit, quousque purgandi sint qui saluandi erunt*.

209 Conf. 2. ex eadem, Verbo, *Ignis*, sic loquente. *Ignis tribulationis, qui omnes probabit in fine. Vnus ignis præcedet quo exuretur facies mundi huius, qui emendabit*

*dabit eos, qui superadificauerunt lignum, fœnum, &c* ex quibus colligunt, quod electi saluandi sint per ignem in die iudicij, ac proinde in his viatoribus, qui purgatione egent reassumptis corporibus, erit conflagratio aliqua.

Ex Isa. 210 Probant 2. ex *Isaiæ 66. Ecce Dominus in igne veniet*, & post aliqua. *Reddet increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit*. Glossa Ordin. Ver. *In igne*, dicit, *qui æternus erit malis, quos inuoluet, & adducet ad supplicium æternum, quo purgabitur, quod in bonis erit purgandum*. Loquitur autem de bonis in iudicio, non ante: ergo de ijs, qui iam resurrexerunt.

Auguſt. 211 Prob. 3. ex *Augustin.* explicante locum *Malach. 3. Dominus exercituum, quasi ignis conflans fedebit, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & argentum, &c.* in *lib. 20. de Ciuitate cap. 25.* sic ait, *Ex his videtur euidentius apparere, in illo iudicio quasdam quorumdam purgatorias pœnas futuras*: & post multa. *Talis aliquid dicit Isa. Lauabit Dominus sordes filiorum, & filiarum Sion, & sanguinem emundabit de medio eorum spiritu iudicij, & combustionis*, & in fine illius capitis dicit, *qualis tunc erit velut area per ventilationem, ita per iudicium purgata nouissimum, eis quoque mundatis, quibus talis mundatio necessaria est*. Ergo igne combustionis fiet purgatio bonorum, si qui ea egent, sed post resurrectionem.

Ex eod. 2. 212 Confirmant ex eodem in cit *lib. de Ciuit. Dei cap. 26. Proinde, quia post iudicium, cum fuerint etiam igne mundati, qui eiusmodi mundationis sunt digni, & in omnibus Sanctis nullum inuenietur omnino peccatum, erunt hostiæ immaculatæ, &c.*

Ex eod. 3. 213 Conf. 2. ex eodem *libro 21. de Ciu. cap. 13. Temporarias pœnas alij in hac vita tantum; alij post mortem; alij nunc, & tunc; veruntamen ante iudicium illud seuerissimum, nouissimumque patiuntur*. Ergo purgatio facienda est ante sententiam vltimi iudicij.

Ex eod. 4. 214 Probant 4. ex eodem *S. Augustino in Psal. 6. Arguentur in die iudicij omnes, qui non habent fundamentum quod est Christus, emendantur autem id est purgantur, qui huic fundamento superædificant ligna, fœnum, stipulam*, & deinde ait, *talem me reddas cui tam emendato, igne opus non sit*. Purgatio bonorum in ipso iudicij tempore.

Ex eod. 5. 215 Confirmant 3. ex eodem *Augustin. in Psal. 49. Ignis in conspectu eius exardescet*, quod postea adducitur à Glossa Ordinar. in eumdem psal. sic. *Ignis purgatorius, qui erit perfectis qualis tribus pueris, minus perfectos purgabit, malos comitabitur ad inferos*. Ergo fiet purgatio in egentibus ea.

Ex eod. 6. 216 Probant 5. ex ipso met *S. Augustin. lib. 21. de Ciuit. cap. 24.* vbi loquens de ijs, quorum spiritus purgantur pœnis temporalibus, & pro quibus orat Ecclesia; facta sibi obiectione, quid fiet de illis, qui viuentes reperientur tempore iudicij, & pro vnico momento manebunt mortui, & tamen non potuerunt mundari, neque per supplicium, neque per orationes Sanctorum, Respondet præ cæteris, *sicut, nec facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post pœnas, quas patiuntur spiritus mortuorum impertiatur misericordia, vt in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, & si non in isto, tamen remitteretur in futuro*. Ergo fiet tunc aliqua purgatio, & remissio pœnarum temporalium, & delictorum leuium in ijs, qui purgatione egent.

Auguſt. 217 Prob. 6. ex *S. Augustin. in lib. 16. de Ciuitate cap. 24 sub B.* vbi declarans illud *Gen. 15. ver. 17. Cum occubuisset Sol factus est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas*, scilicet terræ promissionis à terra non promissa à Deo Abrahæ, sic ait *Aug. sic ad Solis occasum, id est ad ipsum iam finem sæculi, significatur isto igne dies iudicij dirimens carnales per ignem saluandos, & in igne damnandos*. Ergo facienda est aliqua bonorum purgatio per ignem in iudicio.

Hieron. 218 Probant 7. ex *S. Hieron. in Psal. 96. Ignis ante ipsum, &c. Ignis iste Sanctos purgat, peccatores consumit*: & post aliqua. *Qui aurum, argentum est, & lapides pretiosi, mittitur quidem in ignem, sed mundior inuenitur*. Loquitur autem de agendis in iudicio; nam antea hæc præmiserat, *vultis scire, quia de die iudicij dicit, ignis, &c.* ergo bonorum indigentium purgatio fiet per ignem.

219 Probant 8. ex *S. Hieron. in cap. 7. Amos. Vocatus ignis ad iudicium primo deuorat abyssum, id est omnia genera peccatorum, ligna, fœnum, stipulam, & postea comedit simul partem, hoc est ad Sanctos illos peruenit, qui in peculium Domini, & in eius partem reputantur*, Ergo resurgentes electi purgabuntur igne, si egent.

Ex eodem Hieron. clarissimè. 220 Conf. ex eodem in 1. *ad Cor. 3. Si quis superadficat, &c.* vbi præ cæteris habet, *Magistrorum doctrina in die iudicij in igne reuelabitur, vbi consumptis peccatoribus, probati manebunt*: & post aliqua. *Non, vt quidam putant arsura sunt opera, sed homines, qui ita operati sunt, vt mœrentur incendio deputari, si autem opera, id est crimina punientur, saluo eo, qui perpetrauerat non erit ei damnum, sed bonum*.

Ex eodem in Matth. 221 Conf. 2. ex eodem in *c. 3 Matthæi. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne*, vbi loquens de igne, prius explicat eum allegoricè; deinde subdit, *sine quia in præsenti spiritu baptizamur, in futuro igne, Apostolo quoque huic sensui congruente, vnusquisque opus quale sit, ignis probabit*.

Ergo in iudicio fiet aliqua purgatio per ignem.

Ex Ambros. 222 Prob. 9. ex *S. Ambrosio in 1. ad Corinth. 3. Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, &c.* vti supra, vbi S. Doctor ait, *saluus erit, sic tamen quasi per ignem; saluum illum futurum dixit, quia non interibit substantia qua constet, &c. ideo autem dixit, sic tamen quasi per ignem, vt salus hæc non sine pœna sit, quia non dixit saluus erit per ignem, vt merito suo ab igne non combustus saluus fiat examinatus per ignem, sed cum dicit sic tamen quasi per ignem; ostendit saluum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatas fiat saluus, & non, sicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur.* Ergo fiet bonorum purgatio per ignem, si erit eis necessaria in iudicio.

Ex Basilio. 223 Prob. 10. ex *S. Basilio in lib. de Spiritu sancto cap. 15.* circa finem declarante illud *Matth. 3. Ille vos baptizabit Spiritu sancto, & igne*, dicit, *ignis baptismum, probationem, qua fiet in iudicio sentient, quemadmodum ait Apostolus vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit, & rursus, dies enim declarabit, quod in igne patefit.* Ergo cum hæc probatio per ignem fit in iudicio facienda, de electis, qui iam resurrexerunt, de necessitate intelligitur.

Ex eodem Basil. 224 Conf. ex eodem in *cap 9. Isaiæ* circa finem, de purgatione vltima in versu illo, *quia propter indignationem iræ Domini succensa est omnis terra*, sic habente, *declarat ingratam, & beneficium animæ terrena ipsa tradi depascenda igni punitiuo, quemadmodum & ipse Dominus subindicat, dicens, ignem veni mittere in terram, &c. & erit populus, sicut ab igne desertus. Non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam, quia si cuius opus exarserit damnum patietur, ipse autem saluus fiet, sic tamen quasi per ignem:* ergo.

Ex Hilar. 225 Prob. 11. ex *S. Hilario in Psal. 118. Quomodo desiderabile potest esse iudicium, in quo nobis est indefessus ille ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expianda à peccatis anima, supplicia?*

Ex Lactan. 226 Prob. 12. ex *Lactantio lib. 7. instit. cap. 21.* Sed & iustos cum iudicauerit Deus etiam igni nos examinabit. Tum, quorum peccata, vel pondere, vel numero præualuerint, perstringentur igni, atque comburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.

Ex Origene. 227 Prob. 13. ex *Origene homil. 13. in Hieron. Si verò quis in secunda resurrectione seruatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, vt quidquid habuerint lignorum, fœni, & stipulæ ignis consumat. Ergo aliqua purgatio per ignem facienda est iis, qui peccata habent, id est vel venialia, vel peccatorum reliquias, seu pœnas temporales pro eis luendas.*

Ex Glossa in ep. 2. Petri. 228 Prob. 14. ex Glossa Ordinar. in *epist. 2. Petri cap. 3.* Verbo, *Cœli magno impetu transient*, sic habente, *Allegoricè; cœli id est sancti, si quid in eis purgandum est, per ignem purgabuntur.*

Ex Bonau. 229 Prob. 15. ex *S. Bonauent. in 4. sent. dist. 47. par. 2. quæst. vlt.* siue dicatur, quod duo futuri sint ignes vnus ante iudicium, alius post iudicium, siue vnus, & idem, quoad substantiam, sed duplex quoad effectum, *dicendus est futurus ignis in iudicio ad electorum purgationem, quia debet vniuscuiusque opus probari, & purgari igne, vt totaliter sistantur mundati in conspectu Dei, & hic præcedet faciem iudicis, &c.* id autem nequit intelligi, nisi de electis, qui purgatione indigent.

Ex D. Tho. 230 Probant 16. etiam ex *D. Tho. in 4. dist. 47. quæst. V n. art. 4.* sed non ita clarè, sicut loquitur de electis viatoribus; in resolutione ergo, ait, *homines autem antequam ad gloriam perueniant, oportet purgari ab omni infectione culpæ, & defectu naturæ, quæ cum gloria esse non possunt.* Igitur, si post resurrectionem, aliqui indigentes, non adhuc purgauerant, vel quia inter viuos erant cum venit iudicij tempus; vel quia in purgatorio adhuc non compleuerant tempus pœnæ, isti per ignem purgandi sunt, antequam gloriam consequantur.

Mag. Sent. 231 Probant 17. ex *Magistro Sentent. dist. 47. cap. penult.* docente, quod ille, qui suffragijs indigens, in articulo consumationis sæculi migrauit, per ignem est transiturus. Ergo, cum hoc non videatur possibile ante iudicium, isti enim in momento sunt resurrecturi, & ituri obuiam Christo, ex 1. *ad Thessal. 4. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera*, si ergo statim sunt resurrecturi, non potuerunt purgari cum anima esset à corpore separata.

Ex seqq. art. alia arg. 232 Probantur tandem ex omnibus authoritatibus SS. in articulo sequenti adducendis, quæ clarissimæ sunt, & quod maxime vrget videntur loqui de omnibus electis etiam sanctis, seu beatis, quod scilicet omnes sint per ignem in iudicio, vel purgandi, vel probandi.

Hæc sunt argumenta, quæ ex Sanctorum Patribus, & alijs adduci possunt pro parte affirmatiua; quæ valida apparent.

2. pars. Quod electi ante resurrectionem purgabuntur, si egent, 233 Prob. nihilominus secunda pars, quod electi non conflagrabunt post resurrectionem, sed ante electorum omnium corpora resurgent impassibilia, & in gloria. Ergo non conflagrabunt igne, repugnat enim passibilitas, cum impassibilitate; gloria, cum pœna, seu tormento; et licet speciale adsit Dei miraculum, vt in Christo in anima glorioso in corpore verò passibili: tamen fieri non potest, vt idem corpus sit passibile, & impassibile, sit gloriosum, & sentiat dolorem. Antecedens est in scriptura

Ratione prob. quia corpora electorum resurgent impassibilia.

ptura euidens 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in corruptione surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget spirituale*, vbi Interlin. expresse ait, *surget immortale, & impassibile, glorioſum, cum potentia cui nihil nocebit, quod cibis non sustentatur, &c.*

Lyr.

235 Lyranus autem ibid. Verbo, *Seminatur in corruptione*, ait, hic consequenter ostendit differentiam corporis resurgentis, & mortui quantum ad quatuor dotes corporis. Prima autem corporum electorum resurgentium erit incorruptibilitas, ait Lyran. per dotem impassibilitatis. Ergo electi reassumentes corpora, non patientur per ignem: quidquid sit an in igne manebunt, sine tamen passione, quia hoc non repugnat ex doctrina Augustini in sequenti adducenda, quod perfecti manebunt in igne, sicut tres pueri in igne babylonico.

Ex Gloss.

235 Conf. ex eodem capite, inferius, sic habente: *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Illa autem immutatio in electis, vt notant Glossa Interlin. Verbo, *In gloria*, & Glossa Ordinar. atque *Ambros.* hic, significat enim esse glorioſum, quod acquirent resurgentes per dotes glorioſi corporis, *omnes homines resurgent, sed soli, qui regnaturi sunt, in gloriam mutabuntur.* Ergo cum debeant glorioſis corporibus resurgere non poterunt ab igne pati.

Ex Ambros.

236 Conf. ex *S. Ambrosio* in hunc Pauli locum, sic habente præ cæteris. *Seminatur in ignominia surget in gloria. In ignominia seminatur, quia dum in tetrico ponitur, sit fœtidum, & scatet vermibus. Surget autem in gloria: quia excitatum, & lumen erit, & nullam squalloris iniuriam patietur*, & ita discurrit de alijs dotibus corporum resurgentium.

Ex Hieron.

237 Conf. ex *S. Hieron.* in eundem locum, *seminatur in corruptione, &c. vt nec febres, iam, nec cætera corruptibilitatis genera patiantur; aliter sanctis & peccatoribus resurrectio communis est, sed sanctorum corpora æterno gloriæ vestientur cum incorruptione, & immortalitate, seminatur in ignobilitate, quid tam ignobile, quam cadauer surget in gloria, in gloria splendoris, vt sol.* Ergo non poterunt horum corpora pati ab igne.

Ex August.

238 Conf. ex *S. Augustino, de symbolo ad Catbecum. lib. 3. cap. 10.* sic explicante hunc locum Pauli. *Resurgent boni, resurgent mali, sed boni, vt sempiternâ beatitudine perfruantur, mali, vt perpetuo igne puniantur.* Idem in *lib. 1. de consolatione mart. cap. 6.* ait, *sed quæris quales erunt resurgentes, audi Dominum, tunc iusti fulgebunt in regno patris eorum, sicut sol*, & post. *Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, & transfigurabitur sine dubio caro ista mortalis ad conformationem Christi claritatis. Quia quod seminatum est in infirmitate protinus surget in virtute*, nota, *protinus*. & sequitur, *non timebit caro amplius corruptionem non patietur famem, non sitim, non ægritudines, non casus aduersos.*

Ex eodem

239 Conf. ex eodem *lib. 22. de ciuitate cap. 24.* vbi de corporibus beatorum resurgentium, ait: *qualis tunc erit spiritus hominis, nullum omnino habens vitium, nec cui subiaceat, nec cui cadat, nec contra quod saltem laudabiliter dimicet, pacatissima ibi virtute perfectus.* Ergo non subiacebit electus resurgens pœnæ ignis; neque per momentum.

Ep. ad Philip

240 Prob. 2. conclusio, ex *epist. ad Philipp. 3. Si quo modo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Interl. ait, *veram, & glorioſam.* Glossa Ordinar. Verbo, *Occurram*, dicit. Occurram Christo in iudicio, quod Sanctorum est tantum, veniens prius ad resurrectionem veram, & glorioſam, quæ non est inter mortuos, sed longe ex mortuis, quia licet omnes surgant in die iudicij, soli tamen iusti glorioſè immutabuntur, & occurrent Domino in aera deportati ab Angelis.

Ex ead. ep.

241 Prob. 3. ex eadem *epist. ad Philip. cap. 3.* in fine, *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Glossa Interl. Verbo, *Reformabit*, ait. Hoc de eo expectamus, quod sicut iam reformauit animas, reformabit, & corpora simul cum animabus, cum secundam stolam dabit; & Verbo, *Corpus* dicit, quod per mortem, in puluerem, & vermes humiliabitur. Verbo, *Configuratum*, inquit, *assimilabitur corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione*, Lyranus ibi Verbo, *Corpori claritatis*, inquit, *quia sancti resurgent in corpore glorioſo, sicut & Christus.* Ergo corpora electorum resurgentium, non poterunt ab igne pati.

Ambr. iterũ

242 Conf. ex *S. Ambros.* in hunc locum; *Christum omnis fidus expectat ad transfigurationem corporis carnis, vt quod ex humo est, indutum spirituali visse conforme efficiat aduentu maiestatis suæ corpori gloriæ suæ, &c.*

Ep. ad Thes.

243 Prob. 4 ex 1. *ad Thessal 4.* in fine. *Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*, & *S. Ambros.* explicans hunc locum, dicit, *In ipso enim raptu mors proueniet, & quasi per soporem, vt egressa anima in momento redeatur. Cum enim tollentur morientur, vt peruenientes ad Dominum præsentia Domini recipiant animas.* Igitur non adest tempus, in quo hæc conflagratio, seu purgatio per ignem post resurrectionem facienda sit. Incongruum enim est, vt coram Christo, ele-

ti ardeant; eò vel maximè, quia ad locum illum aereum, vbi Christus sedens iudicabit, & vbi electi considebunt iudicaturi, ignis non ascendet.

Modus soluendi hæc arg. pro eis, qui tenent primam sent.

244 Qui volunt primam sententiam esse veram, ad hæc omnia argumenta respondere solent. Corpora electorum incorruptibilia, impassibilia, & gloriosa esse resurrectura, & hoc de fide esse. At, non esse intelligendum sic, quod in illo temporis momento, in quo resurgunt, hæc omnia in actu secundo habeant, sicut nec gloriam corporis ex tunc in actu secundo habebunt; sed, cum in cælum transferentur, & regnum Dei possidebunt, id est Dei visione, & fruitione potientur; tunc enim ex anima redundabit gloria in corpus. quod probare possent argumento, ex *Matth.* 25. deducto, ex ordine, scilicet agendorum in iudicio; prius enim congregabuntur omnes ante tribunal Christi, & statuentur oues à dextris, &c. postea fient discussiones causarum, & tandem pronunciabuntur sententiæ, *venite benedicti patris mei, possidete regnum, &c. ite maledicti, &c. & ibunt hi in ignem aternum, iusti autem in vitam æternam*; & sic, dicunt, patet, quod ante hoc tempus non erunt in possessione gloriæ.

Sed non subsistit,

Sed hæc euasio est friuola. Quoniam circa corpora, quæ iam resurrexerunt, non fiet alia immutatio, sed immutata iam resurgent; ex ipso enim resurrectionis instanti, ait Apostolus, *surget in incorruptione; surget in gloria*. Ergo, non erit amplius capax passionis.

Argumenta autem adducta pro prima parte omnia intelligi possunt de exequendis, vel tempore mortis, vel antequam fiat iudicium, vt distinctè patebit in seq. art. qui est ad idem.

## ARTICVLVS XI.

### *An Beati resurgentes, sint ab igne tangendi in iudicio.*

Difficillimè dubium.

245 ADu. dubium hoc difficilius esse, quam appareat. Sensus enim est, an ignis conflagrationis, per quem huc vsque sæpissimè diximus, Christum esse iudicaturum, & Ecclesia canit, *qui venturus es iudicare sæculum per ignem*, an inquam erit adeo communis, vt afficere debeat etiam beatos, qui reassumpserunt corpora, antequam ad cælum cum Christo redeant in anima, & corpore. Fateor, difficilem apparere resolutionem, ob Patrum sententias. Quidam enim vt patebit, docent, omnes electos reassumentes corpora, siue sint sancti, id est qui Deo fruebantur ante resurrectionem corporum, siue sint electi, quorum animæ erant in purgatorio, siue tandem electi, qui erunt inter viuos veniente Christo ad iudicandum; omnes inquam istos, dicunt, esse probandos per ignem, & aliquid passuros per illum, & sic tamquam aurum probatos remeaturos in cælum. Alij mitius loquentes, docent, omnes præfatos esse per ignem probandos, ita tamen, vt, qui cum Deo regnabant nullam sentient in corpore, vel anima passionem; qui verò inter viuos erant, vel qui in purgatorio, reassumentes corpora, si illi leuia habent delicta, vel vtrique, aliquam pœnæ partem sunt adhuc luituri, passionem aliquam per ignem sentient, & sic salui erunt. Alij tandem docent, Sanctorum, seu beatorum corpora nullo modo ab igne tangenda. At quia, de purgantibus, & viuis in anteced. loquuti sumus, de beatis tantum hic loquemur.

Sensus art.

Dicunt quidam,

246 Dico ergo. Licet aliqui Patres, prima facie videantur dicere, quod omnes electi, indifferenter, igne iudicij conflagrabunt; tamen hoc non potest teneri de beatis; vel si de eis etiam teneatur; nullo modo potest sustineri, quod per illum ignem sint aliquid passuri in corpore, vel anima.

Licet aliqui affirmant, dicendum est quod beati non patiëtur per ignē

247 Prima pars probari, & explicari solet his fundamentis. Primo *D. Ambrosius in Psalmo* 118. loquens de resurrectione, & iudicio habet: *Omnes oportet probare per ignem, quicumque ad Paradisum redire desiderant; omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo dicat ad Petrum, si eum volo manere, quid ad te, tu me sequere. De morte eius aliqui dubitarunt, de transitu per ignem, dubitare non possumus; siue ille sit Petrus, qui claues regni cælorum accepit, oportet dicat, transiuimus per ignem. Ille examinatur, vt argentum; ego examinabor, vt plumbum, donec plumbum tabescat, ardebo. Vnus ignem illum sentire non potuit, qui est iustitia Dei Christus.* Ex quo concludere videntur, quod omnes indifferenter per ignem sint probandi.

Authores sent. affirmatiuæ. vbi ſiddant sect.

Ambros.

248 Secundo probari solet eadem prima pars ex eodem *Ambrosio in commentar. Psalterij. Igne vos examinasti dicit Dauid, ergo omnes igne examinabimur. Igne ergo purgabuntur filij leui; igne Ezechiel; igne Daniel. Væ mihi, si opus meum arserit, & laboris huius patiar detrimentum. Et si saluos faciat Dominus seruos suos, salui erimus per fidem, sic tamen salui quasi per ignem, & si non exuremur, tamen vremur; quomodo tamen alij permaneant in igne, alij pertranseant, docet nos diuina scriptura*; & sic inferunt, quod omnes etiam beati, vt Dauid, Daniel, Ezechiel, &c. igne vrentur in iudicio.

Ex eodem.

249 Tertio probant ex *Origene hom.* 3. *in Psal.* 36. vbi docens, prius paratum esse peccatoribus ignem, in quo iudicabit Dominus in die iudicij, ita subdit, *Vt ego arbitror omnes nos venire necesse est ad illum ignem*

Ex Origene.

*ignem etiam si Paulus sit aliquis, vel Petrus venit tamen ad illum ignem, sed illi tales audiunt, etiamsi pertranseris, flamma non adaret te. Si verò aliquis mei similis peccator sit, veniet quidem ad illum ignem, sicut Petrus, & Paulus, sed non transibit, sicut Petrus, & Paulus.* Ergo, inquiunt, omnes erunt igne examinandi.

Ex Hilario. 250 Quarto probant ex *Hilario in Psal. 118. Quomodo desiderabile potest esse iudicium, in quo nobis est indefessus ille ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia? Beata Maria animam gladius pertransiuit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Si ergo in iudicij seueritatem capax illa Dei virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo iudicari?* Quæ quidem authoritas maximi, inquiunt, ponderis est, & comprehendit proinde omnes beatos.

Hieron. 251 Quinto probant ex *S. Hieron. in Amos cap. 7.* sic habente. *Vocatus ignis ad iudicium, primo deuorat abyssum, id est omnia genera peccatorum ligna, fœnum, stipulam; & postea comedit simul partem, hoc est ad sanctos illos peruenit, qui in peculium Domini, & in eius partem reputantur, tempus enim est, vt iudicium incipiat à domo Domini*, ex quo inferunt, omnes electos, etiam cum Deo regnantes, esse per ignem probandos.

Lactan. 252 Sexto probant ex *Lactantio libro 7. Instit. cap. 21.* Sed & iustos cum iudicauerit Deus etiam igni eos examinabit: eum quorum peccata, vel pondere, vel numero prævaluerint, perstringentur igni, atque camburentur; quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient.

Locus putatus irrefragabilis. 253 Septimo probant ex *1. ad Corint. 3.* quem locum, dicunt, esse irrefragabiliter confirmatiuum huius sententiæ; habet autem sic. *Si quis autem superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vnuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusque opus quale sit ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hieronymus autem dicit non opera esse arsura, sed eos, qui opera faciunt. tunc sic arguunt. Omnium opera, siue aurum, siue argentum, siue stipula, & fœnum in ignem mittentur in die iudicij: ergo, concludunt, omnes sunt tangendi ab igne, etiam sancti, qui sunt aurum, argentum, & lapides pretiosi.

Ex argum. præced. art. 254 Octauo probant omnibus locis, quibus nos in præcedenti art. probauimus, electos, siue viuentes tempore iudicij, siue in purgatorio existentes, purgatione indigentes, per ignem examinandos, & alijs argumentis, quæ infra adducentur.

At quomodo intelligantur eiusmodi authoritates, dicetur postea.

2. part. quod beati non tangentur ab igne, vel saltem non patientur ab eo. 255 Dicendum nihilominus est, secundam conclusionis partem debere defendi, scilicet Beati cum Deo regnantes post corporum reassumptionem, vel ab igne non tangentur; vel si tangentur, nihil ab eo patientur, neque sensibili, aut alio modo per eum cruciabuntur.

Ex impassibilitate eorũ. 256 Prob. 1. Beatorum corpora resurgent impassibilia, vt pluribus in præcedenti probatum est, ex *1. Corint. 15. Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute*; & post multa. *Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Glossa autem Interlin. Verbo, *Immutabimur*, ait, *in gloriam immortalitatis, & impassibilitatis*, alias Glossas in præcedenti artic. adduximus: deinde sequitur idem textus, *Cum mortale hoc induerit immortalitatem*, & *ad Philipp. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.*

Alia arg. ex præced. artic. accipienda, quia multa sunt, & grauia. Prob. 2. alijs argum. ex Glossis in præcedenti artic. adductis pro ijs electis, qui adhuc cum Deo non regnabunt, sed vel erunt in corpore in aduentu Christi, vel in Purgatorio.

257 Prob. 3. Beati cum Deo regnantes sunt in possessione æternæ fœlicitatis, & quietis: ergo. Consequ. prob. Si enim foret interrumpenda, quies non esset æterna. Secundo, quia si cogitarent, quod aliquid adhuc passuri sunt, non essent fœlices, quia sæpe, aut semper passionem illam futuram considerarent.

Ex Apocal. 258 Prob. 4. de eis dicitur *Apocal. 21. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quia prima abierunt.* Interlin. Verbo, *Neque dolor*, ait, *subitus & transitorius*. Lyranus, Verbo, *Quia prima abierunt*, ait, In Ecclesia militante, quæ dicitur terrestris Ierusalem ista sunt, & erunt vsque ad iudicium. Igitur Beati, cum Deo regnantes, in corpore assumpto non patientur per ignem.

Alia argumenta de impassibilitate corporum Sanctorum adducentur in *Disputatione de Gloria corporum*. Sed multa, & valida sunt, quæ in articulo præcedenti allata sunt.

2. part. Augustl. docet vtrumq; sub dubio, & quod non erũt in loco, vbi est ignis, & quod si in igne erunt nihil patientur. 259 Prob. vtraque pars, ex *S. Augustl. lib. 20. de ciuit. cap. 18.* in fine, vbi postquam docuit, mundum totum in iudicio, & ante, igne conflagraturum, obijcit contra se, *forsitan aliquis quærat si post factum iudicium ipse mundus ardebit, antequam pro illo cælum nouum, & terra noua reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt sancti, cum eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit:* & ait. *Possumus respondere,*

*dere, futuros esse in superioribus partibus, quò ita non ascendat flamma illius incendij, quemadmodum, nec vnda dilluuij. Talia quippe illis in erunt corpora, vt illic sint, vbi esse voluerint:* & subdit. *Sed nec ignem illius conflagrationis pertimescunt, immortales, atque incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora, atque mortalia in camino ardenti viuere illæsa potuerunt.* Vbi S. Doctor duo digna docet; primo, quod tempore conflagrationis, sancti, cum suis corporibus esse poterunt in loco, ad quem non perueniat ignis. Secundo dicit, quod, etiam si in igne erunt, tamen illum non timebunt, sed in eo permanebunt, sicut tres pueri in camino ignis Babylonici.

Ex eod. Aug. Idem clare asseritur, quod scilicet etiam si in igne sint, nihil ab eo patientur,

260 Conf. ex eodem S. *in Psal. 49. Ignis in conspectu eius exardescet.* Quem de igne conflagratorio iudicij intelligit: & sic habet. *Ignis purgatorius, qui erit perfectis, qualis tribus pueris, & minus perfectos purgabit, malos comitabitur ad inferos.* Igitur perfecti, & maximè beati, ab eo non lædentur, etiam si in medio eius sint.

Ex eodem

261 Conf. 2. ex eodem, qui in *Psalm. 6.* postquam dixit, per ignem purgandos esse eos, qui superædificant, fœnum, stipulam, &c. addit, *talem me reddas, cui iam emendato, igne opus non sit.* Ergo non omnes electi patientur ab igne, sed qui egent purgatione: alij verò, nequaquam.

Ex eodem Aug. id clare docente.

262 Conf. 3. ex eodem *lib. 20. de ciuit. cap. 25. & 26.* in quibus docet aliquas futuras esse in iudicio purgatorias pœnas, quibus purgandi sunt, qui purgatione egent. Ergo non omnes electos affliget ignis, sed quosdam tantum, qui purgandi sunt. Ergo sententia S. Augustini est, Beatos, seu Sanctos, qui cum Deo regnant nihil ab igne esse passuros.

Ex Hieron. idē docente

263 Prob ex S. *Hieron. 1. in Psalm. 49. Ignis in conspectu eius exardescet. Ignis*, ait, *duplicem hic intelligitur habere virtutem; illuminat enim, & exurit; gaudeant iusti, quia illuminantur ex eo, timeant peccatores, quia exurendi sunt ab eo.* Ergo nihil patientur Beati resurgentes.

Ex eodem Hier. clarius

264 Conf. ex eodem in *Psalm. 96. Ignis ante ipsum, &c.* vbi habet, *qui aurum, vel argentum est, & lapides pretiosi, mittitur quidem in ignem, sed mundior inuenitur.* Ergo non patitur, seu purgatur per eum, cum purgatione non egeat.

Ex eod. Hieron. euidenter id docente,

265 Conf 3. ex eodem *Hieron. in cap 3. prima ad Corinth.* Versu, *Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* Vbi præmittens immediatè ante, quod sunt tria genera bonorum in Ecclesia; *bonum, melius, & optimum*; & tria malorum, malum, peius, & pessimum; & sunt ligna, fœnum, et stipula, subdit, *aurum, & argentum non solum non ardent, sed per ignem splendidiora radiabunt. Ligna verò, & cætera cremabantur:* et paulò post. *Si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse tamen saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*, ait, *quod si ille non nisi per ignem saluus erit, qui iustus ex proprio est, qui negligenter ædificauit discipulos, quid de illis fiet, qui non ædificant, sed scandalizant exemplo?* Ergo, per Hieronymum Sancti, et perfecti, qui auro, et argento comparantur. non ardebunt igne iudicij; sed qui opera negligentiæ, id est venialia habent, vel pœnam luere debent de alijs, ardebunt, et erunt salui per ignem.

Ex Glossa.

266 Conf. ex Glossa Ordinar. in idem *cap. 3. ad Cor.* Versu, *Lignum. fœnum, &c.* vbi postquam ex Gregorio dixit posse intelligi de igne tribulationis, vel de igne futuræ purgationis, subdit, *qui autem aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant de vtroque igne securi sunt.* Ergo, cum Beati tales sint non tangentur, seu non inflammabuntur ab igne; ita vt ab eo passuri sint in corpore. Sed ad summum, vt Patres citati docent, erunt in medio ignis, sicut tres Pueri in fornace babylonis, absque vlla prorsus passione, aut afflictione, aut læsione.

Argum. pro prima parte probant 2.

267 Neque authoritates allatę pro prima parte, sunt contrariæ huic sententiæ; quia omnes sonare videntur, quod in iudicio homines omnes, siue electi, siue reprobi, siue beati cum Deo regnantes, siue beati in spe tantum, probandi sunt per ignem. At nulla earum asserit, Beatos cum Deo regnantes, et iam ab omni macula purgatos, esse ab igne aliquid passuros. Ita expresè dicunt authoritates Ambrosij, si modo illius sint, quia eas inuenire non potui, non primam in *Psalmo* 118. neque secundam cum hic S. Doctor nihil scribat in psalterium, sed super particulares, eosque paucos psalmos. At estò eius sint non probant passionem Beatis ab igne inferendam, sed tantum electos igne probandos.

Idem Orig.

268 Idem dicit *Origenes*, quod omnes quidem erunt in igne; sed non omnes eodem modo, per eum transibunt, et expresè ait non omnes, sicut Petrus, et Paulus. Neque illa verba sonant, quod Petrus, et Paulus, alijque Beati aliquid sint passuri per ignem.

Hilarius per exageratione loquitur.

269 Ad Hilarium patens est responsio, quod loquatur per exagerationem. Quis enim vnquam dixit, quod Beata Virgo Maria immunis ab omni labe, originali, mortali, ac veniali formidatura, sit iudicium? At estò ita; non concluditur combustio.

Hier. aperte dicit contrarium.

270 Ad Hieronymum patens est solutio, nihil enim dicit contra secundam sententiam. Dicit enim quod pars, id est hæreditas Domini ad ignis iudicium vocabitur; sed non dicit, quod patietur ab igne. Neque loquitur de Beatis, sed de alijs, qui non dum cum Christo regnabant. At ipse met Hieronymus, vt supra patuit, clare

au-

docet, quod aurum, argentum, et lapides prætiosi in igne non ardebunt, sed sicut aurum rutilabunt. Ligna verò, fænum, et stipula ardebunt.

Lactantius est ad oppositum.

271 Ad Lactantium, nescio quomodo adducatur illud argumentum, cum apertè sit pro secunda sententia, quod erunt quidem in igne, sed ij, quos iustitia incoxerit ignem non sentient. Quinam autem hi sunt, nisi beati, & alij, omni macula carentes, & quos nulla pœnarum constringit obligatio?

Locus Pauli est clarus, & inest, contrarium.

272 Ad locum Pauli respondetur, nullum ibi in primis fieri verbum de beatis. Secundo, omnes dicit per ignem probandos; non vero comburendos. Tertio, distinguit de duplici genere hominum, quidam enim superædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, & habent opera, quæ manent, id est igni non subiacent; & isti mercedem accipient. Quidam verò superædificant fænum, stipulam, id est habent venialia, quia adhuc erant viui, vel alias pœnas luere debebant, & isti tormentum ignis patientur, & salui fient quasi per ignem, sed non dicit, an ante, vel post resurrectionem. Hoc totum concedimus; quia hic est sensus obuius illius textus; & tamen ex hoc nihil sequitur contra secundam sententiam, quæ admittit purgationem, & probationem, respectiuè, per ignem, non tamen Beatorum passionem ab eodem igne, sed eorum qui purgatione egent, qui scilicet vel viui erant in aduentu, & habebant venialia, & obligationem pœnarum temporalium; vel antea mortui existebant in purgatorio, & pœnas omnes nondum luerant.

# DISPVTATIO XII.

## DE STATV MVNDI POST IVDICIVM.

### ARTICVLVS I.

*An mundus post iudicium destruetur.*

SCOTVS hoc dubium in indiuiduo non exagitat, sed *in 4. dist. 47. quæst. 2.* quærit solum, an mundus sit purgandus per ignem, & respondet affirmatiue, & *in dist. 48. quæst. 2.* supponens doctrinam *Magistri Sent. in distinct. 47.* docentis, *quod præcedet ante Domini aduentum ignis, & facies huius mundi peribit, & peribit cælum, ac terra non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur*, quærit solum, an in iudicio, vel post, motus corporum cælestium cessabit, & affirmatiuè tenet. Ideo in hac tota Disputatione, cum Scoti ductum non habeamus, aliunde, ex SS. Patribus de more veritatem venabimur.

Scotus, in genere hac dubium exagitat.

1 Aduert. 1. sensum art. hunc esse. An tota mundi machina, vt cælum æthereum id est cæli omnes, & elementa destruentur post iudicium, ita, vt sint annihilanda omnia: an saltem formæ earum substantiales destruendæ, vel tandem facienda sit in eo talis mutatio, & innouatio accidentalis, vt non appareant esse ijdem, qui prius.

Sensus art.

2 Aduert. 2. Philosophos cum Aristotele, docuisse, mundum ab intrinseco fuisse æternum à parte ante, & talem fore à parte post. De quo sensu hæretico hic non disputamus; Theologos verò supponentes omnia visibilia esse temporalia, ex 2. Cor. 4. quærunt solum, an ex Dei beneficio mundus sit in æternum duraturus. Et quia Euangelium apertè docet, *cælum, & terra transibunt Matth. 24.* & *Ecclesiastes 1. terra autem in æternum stat*, & ex communi axiomate habent Philosophi, Deum non annihilare aliquid de partibus præcipuis mundi, quia *nihil odit eorum, quæ fecit Sapient. 11.* diuisi tamen sunt. Quidam enim docent, mundum per ignem conflagraturum, non tamen reducendum ad nihilum,

Philos. dixerunt mundū intrinsecè esse indefectibilem,

Theologi diuersè statuūt

sed formas substantiales rerum omnium destruendas, & in earum materijs formas nouas à Deo producendas; ita aliqui docuerunt etiam tempore *S. Hieron.* vt ipse refert *in cap. 5. Isaiæ*, & nos adducemus in *art. 2.* quam sententiam renouarunt moderni, quidam adducti à Ioanne Bagotio, vt patebit in seqq. & præsertim in *art. 5.*

Sent. communis, quæ.

Alij (& est SS. PP. communis sententia, vt mox patebit) docent, mundum esse quidem innouandum, sed non secundum substantiam. In quo autem consistet hæc innouatio, dicetur de omnibus rebus, singillatim.

Regulæ soluendi dubia in omni materia.

3 Adu. 3. non solum pro hac Disputatione, sed pro omni materia, siue Ecclesiastica, siue Scholastica, in qua non est certa definitio, duas dari regulas pro soluendis dubijs. Prima est *Ecclesiastici 8. ver. 11. Ne te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis, dare responsum.* Vbi habes, antiquos Patres consulendos.

2. Regula notanda.

4 Secunda regula est *Innoc. I.* & refertur in *dist. 20. cap. fin. De quibus causis nulla soluendi, ligandique authoritas in libris veteris testamenti quatuor Euangeliorum, cum totis scriptis Apostolorum appareat, ad diuina recurre scripta grata. Si neque in illis; canones Sedis Apostolicæ intuere. Si nec in illis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias catholicas manum mitte; si nec in illis, sanctorum exempla perspicaciter recordare, quod si omnibus his inspectis, &c.* docet, quid faciendum. Igitur ad scripturam, canones, & antiquos sanctos est ordinatè, in dubijs, recurrendum. Quinam autem præcipuè sint hi Doctores, docet *Bonif. VIII. in cap. Vn. de Reliquijs, & uener. Sanctor. in 6.* vbi SS. Gregorij, Ambrosij, Hieronymi, & Augustini commendata doctrina, præ cæteris ait. *Per ipsos preterea quasi luminosas, ardentesque lucernas super candelabrum in domo Domini positas, errorum tenebris profugatis, totius Ecclesiæ corpus, tamquam sydus irradiat matutinum; eorum etiam fœcunda facundia cælestis irrigua gratia influente, enigmata reserat, soluit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat*, & horum doctrinam in allegoricis dubijs esse sequendam confirmat *Concil. Colon. 2. part. 5. cap. 24.* hos ergo DD. in his dubijs præcipue, aliosque veteres classicos Doctores Ecclesiæ sequemur, parum curantes, si contrarium aliqui sentiant moderni.

Encomia DD. Ecclesiæ a Bonifac. VIII.

Mundus post iudicium dissoluetur.

5 Dico ergo. *Mundus post iudicium dissoluetur, seu destruetur*, est de fide. In quo nam autem consistat destructio, dicetur postea.

Ex Psal.

6 Prob. 1. ex *Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt tu autem permanes.* Ergo mundus secundum partem cælestem, & terrestrem peribit. Quomodo autem, postea dicetur; sufficiat hic probare mundi interitum, & destructionem.

Ex Isaia;

7 Prob. 2. ex *Isaia 65. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Et licet misticè, allegoricè in quam intelligendus videatur, quia de aduentu Messiæ, & de conuersione gentium loquitur, vt ex contexto apparet; multa enim post cælos nouos, & terram nouam inter homines facienda vaticinatur, & sic eum locum intelligunt Glossa Interlin. & Ordin. tamen Lyranus ibi accipit locum illum literaliter, sic etiam *Eusebius, de præpar. Euangel. lib. 11. cap. 17.* & alij). Ergo primi cæli, & prima terra destruentur.

Ex Isai. iteré

8 Conf. ex eodem *Isa. cap. 66. ver. 22. Quia, sicut cæli noui, & terra nouæ, quæ ego facio stare coram me.* Qui locus eodem modo, sicut supra explicatur.

Ex eod. Mat. & Marco.

9 Prob. 3. ex *Matth. 24. & Marci 13. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ergo mundus, secundum cælum, & terram desinet esse, & *cap. 28. Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Ergo mundus consumabitur.

Matt. Euág.

10 Conf. ex *Matth. 24. ver. 3.* vbi Apostoli scientes mundum esse consumandum interrogant Christum, *dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* & Saluator respondet, assignans signa. ergo sæculum, seu mundus consumandus est.

Ex ep. Cor.

11 Prob. 4. ex 1. *Cor. 7. Præterit figura huius mundi.* Quem locum omnes interpretes Sacræ Scripturæ declarant de mundi destructione, licet varient in qualitate destructionis.

ep. Petri 2.

12 Prob. 5. ex 2. *Petri 3.* vbi pluries repetit mundi destructionem. Primo *versu 7. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*, in *versu 10.* ait, *aduenient autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient elementa vero calore soluentur terra autem, & quæ in ipsa sunt opera exurentur.* & post, *cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, &c.* Tertio *versu 12.* habet, *expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa igne ardore tabescent:* & post, *nouos cælos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus.* Ergo ex cælorum, & elementorum exustione, & ex eorumdem innouatione, colligitur has mundi partes esse desituras.

Plures id repetit Petrus

Ex Apocal.

13 Prob. 6. ex *Apocalyp.* vbi post iudicium, & sententias latas contra singulos in *cap. 20.* dicitur. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abijt, &c.* ergo cælum, & terra mutabuntur, seu destruentur,

Lino Papa.

14 Prob. ex Patribus. *S. Linus de passione Pauli*, ait, cum venerit iudicare viuos, & mor-

& mortuos dissoluet mundi huius figuram perignem: ergo.

Ex Hippol. 15 Prob. ex *S. Hippolyto, de consumat. mundi*. Exuretur vniuersa terra, propter opera, quæ in ea corruperunt homines, &c. ergo.

Hilario, 16 Prob. ex *S. Hilario in Psal.* 112. Cœlum, quod vsibus nostris, per materiam sui subiacet, quod tanquam fumus solidatum, firmamenti, & naturam, & nomen accepit præteribit, & non erit.

Ambros. 17 Prob. ex *S. Ambrosio in exam. cap.* 3. in fine. *Finem autem mundi futurum, ipse Saluator docet in Euangelio suo dicens, cælum, & terra præteribunt*, & infra. *Ecce, ego sum vobiscum vsque ad consumationem sæculi, & Apostolus, præterit enim figura huius mundi*, & ex corruptione ista futura, conuincit Philosophos, mundum habuisse principium sic, *cum secundum eorum sententiam, 1. Philos. Non possint negare, quoniam, cuius partes corruptioni, & mutabilitati subiacent, huius necesse est vniuersitatem ijsdem passionibus subiacere; principium igitur esse docet, qui dicit in principio fecit Deus cælum, & terram*. Ergo mundus destruetur.

Basil. Mag. 18 Prob. ex *S. Basilio Magno hom. 1. in Hexam. diuini opif.* vbi de mundi principio, & fine contra Philosophos loquitur dicens. *Nam, quæ ex tempore cœperunt, necesse prorsus eadem, vt aliquando desitura sint, & consumanda, &c.*

Theodor. 19 Prob. ex *Theodoreto lib. 4. contra infideles*. Tempus cum cælo factum est, vt, quæ semel facta sunt, simul etiam dissoluantur, si quando vlla ipsorum dissolutio futura sit: ergo.

Cypriano. 20 Prob. ex *S. Cypriano in epistola ad Demetrium*. *Quodcumque nunc nascitur mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat singula in mundo capisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit, & in fine*. ergo destructur.

Ex August. 21 Prob. ex *S. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 16. Tunc ergo figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuium*. & in cap. 17. habet. *Quandoquidem, & corpora ad incorruptionem, atque immortalitatem nouam ex vetere corruptione, atque mortalitate transibunt*.

Sixto Papa III. 22 Prob. ex *Sixto III. in lib. de caritate*. Si certus es, mundum quandoque finiri posse, quid de eius stabilitate sollicitus es? sed ne dubites illum finiendum esse, audi scripturam dicentem, *tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli; ipsi peribunt, &c.* ergo.

Greg. Mag. 23 Prob. ex *Gregorio Magno lib. 1 in Ezech. homil. 8. Mundus quidem iudicij igne cremabitur, &c.*

Ex Schol. D. Th. Bon. Scoto, & Mag. Sent, 24 Prob. item ex omnibus Scholasticis *D. Thom. in 4. sent. dist. 47.* D. Bonau. Scoto, Riccardo, & alijs ibidem sequentium doctrinam Petri Lombardi *Magistri Sent. in dist. 47.* docentis, *per ignem comburendam esse huius mundi faciem*.

Doct. contr. est hæresis Porphyrij. 25 Prob. tandem. Doctrina contraria, est hæresis Porphyrij relata à *S. Augustino lib. 20. de ciuitate cap. 24.* dicentis stultos esse Christianos, docentes, mundum esse perituru. Ergo cum Euangelium doceat, esse perituru, contrarium dicere est hæresis.

## ARTICVLVS II.

### *An mundus destruetur secundum substantiam.*

Quomodo destruetur. 26 ADu. quod cum in præcedenti visum sit hunc mundum, qui nunc est habiturum esse finem, & interitum; videndum est modo de fine eius, & destructione, in quonam, scilicet debeat consistere.

Cæli, & terra non destruentur secundum totalem substantiam; 27 Dico ergo. Mundus id est cæli, terra, aliaque elementa non destruentur secundum substantiam totalem, scilicet materiam, & formam, neque secundum totam formam substantialem.

28 Prob. 1. ex *Psal.* 101. *Initio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, & omnes, sicut vestimentum veterascent, & sicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur*; & licet prima facie textus videatur contrarius *peribunt*; aliter tamen res se habet, quia de figura, seu forma intelligitur, non de substantiæ abolitione. Glossa enim Interlin. Verbo, *Mutabis eos, &c.* ait, *mutata dicuntur, quia non iam corruptioni, sicut antea subiacebunt*. Glossa Ordinar. Verbo, *Sicut operiorium*, ait, *cælos accipe, qui omnia operiunt, quia etiam mutabuntur*. Lyranus, sic dicit, in fine mundi cæli peribunt non quoad substantiam, sed quantum ad aliquam dispositionem; quia corpora cælestia cessabunt à motu locali, & elementaria à mutua actione, & alteratione, substantijs eorum remanentibus. Ergo, licet dissolutio mundi facienda sit, non tamen totaliter destruetur.

Glossæ omnes.

Ex Hieron. clarissimè. 29 Conf. ex *S. Hieron. in cap. 65. Isaiæ*, multo post medium, dicente, *Qui putant omnia interire, quæ cernimus Euangely interpretantur testimonio, cælum, & terra transibunt, &c. Porrò qui nouitatem, commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, illo vtantur exemplo, opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent, & quasi amictum inuolues eos, & mutabuntur. In quo perspicuè demonstratur, perditionem, & interitum, non abolitionem in nihil, sed commutationem fonare in melius. Neque enim illud, quod in alio loco*

*scriptum est, Luna fulgebit, vt Sol, & Sol septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius*; & adducit exemplum infantis mutantis ætatem, vsque ad senectutem, qui quamuis de infante in virum, & de viro in senem, *neguaquam per singulas ætates periit idem enim est, qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & ætati pristinæ perijsse dicitur*, quid clarius? ergo mutatio mundi erit, non eius abolitio.

Ex Glossa in Ecclesiast.

30 Prob. 2. ex *Ecclesiastes* 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat*. Glossa Ordinar. dicit, commutandam in statum perfectiorem, sed de hoc postea.

Ex Isa.

31 Prob. 3. ex *Isaiæ* 30. vbi de futuris in fine mundi, habetur, *Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis septimplicitèr, sicut lux septem dierum*. Glossa Interlin. ait post iudicium, & cælum erit nouum, & terra noua. Ergo cæli renouabuntur quidem, sed non destruentur totaliter secundum substantia.

Ep. ad Cor.

32 Prob. 4. ex 1. *Cor.* 7. *Præterit enim figura huius mundi*, vbi Glossa Interlin. habet, *Pulcritudo non substantia*, & Glossa Ordinar. ex *Ambros.* ait, *Vt nouis corporibus nouus mundus conueniat, igne purgabitur*.

Ex Hieron.

33 Conf. ex *Hieron. in cap. 65. Isaiæ*, vbi explicans hunc Pauli locum, inquit, *quod intelligens, & Paulus Apostolus loquebatur, præterit enim figura huius mundi; consideremus quid dixerit, figura præterit, non substantia*. Idemque docet *Augustinus* infra adducendus.

Ep. Petri 2.

34 Prob. 5. ex 2. *Petri* 3. *Latet eos hoc volentes, quod cæli erant prius, & terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit; cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*: & post multa. *Aduenict dies Domini, sicut fur, in quo cæli magno impetu transient. Elementa vero calore soluentur: terra autem, & omnia, quæ in ipsa sunt exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint*: & post aliqua. *Cæli ardentes soluentur. Elementa verò ignis ardore tabescent. Nouos verò cælos, & nouam terram, & promissa eius expectamus*. Licet textus in principio videatur contrarius conclusioni, tamen si totus legatur, non est ita. Nam Glossa Ord. Verbo, *Latet eos*, ait, *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo Dei repositi in eam formam, quam modo habent sunt reseruati igni in melius commutanda in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*. Verbo, *In quo cæli*. Glossa Interlin. ait, *qui in diluuio transierunt, quia tantum ascendit iudicij ignis, quantum ascendit aqua diluuij*. Verbo, *Nouos cælos*. Glossa Ordinar. dicit, *Non ait alios, sed veteres, & antiquos in melius commutandos, vnde Dauid omnia, sicut vestimentum veterascent, & mutabuntur, &c. Qua mutabuntur? constat pro certo, quia consumpti per ignem, mox abeunte igne, gratiorem resument speciem, &c.* Ex quibus concluditur, quod cæli, & elementa renouabuntur post iudicium, non vero totaliter destruentur quoad substantiam.

Glossæ hunc locum explicantes.

35 Conf. ex *S. Hieron. in cap. 65. Isaiæ*, adducente eadem verba Petri, & postea subeunte. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eadem ratione, seruantur igni, quod quo sensu accipiendum sit postmodum docet. Nouos autem cælos, & nouam terram videbimus, & repromissionem eius, non dixit alios cælos, & aliam terram videbimus, sed veteres, & antiquos, in melius commutatos*.

Ex Hieron.

36 Prob. 6. ex *D. Augustí. lib. 20. de ciuit. cap. 14. Peracto iudicio, tunc esse desinet hoc cælum, & hæc terra, quando incipiet esse cælum nouum, & terra noua. Mutatione itaque rerum, non omnimodò in interitum transibit hic mundus; vnde & Apostolus, ait præterit enim figura huius mundi, volo vos esse sine sollicitudine, figura præterit, non natura*.

Ex Augustí.

37 Conf. ex eodem *ibid. cap. 16.* vbi explicans illud *Apocalyp. 21. Et vidi cælum nouum, & terram nouam*, ait; *nam primum cælum, & terra prima recesserunt*: & post aliqua. *Tunc figura huius mundi, mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuij. Illa itaque conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conueniunt, vt scilicet mundus in melius innouatus aptè accomodetur hominibus etiam in carne in melius innouatis*. hæc *Augustinus*. Ex quibus, liquet, mundum esse quidem immutandum, secundum aliqua, non verò substantialiter, & totaliter destruendum.

Ex eodem Aug.

Præclarè rē totā discutit Augustí.

38 Conf. 2. ex eodem *cap. 18.* vbi declarans locum Petri supra allegatum, inter cætera ait, *de perditione huius mundi satis dixit, vbi etiam commemorans factum ante diluuium, videtur admonuisse quodammodo, quatenus in fine huius sæculi mundum istum perituram esse credamus. Nam, & illo tempore periisse dixit, qui tunc erat mundus, nec solum orbem terræ, verum etiam cælos, quos vtique istos aereos intelligimus quorum locum, ac spatium, tunc aqua crescendo superauerat*: & post multa ait, *Proinde qui cæli, & quæ terra id est qui mundus pro eo mundo, qui diluuio periit, ex eadem aqua repositus est, ipse igni nouissimo reseruatur, in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum. Nam & hominum propter magnam quandam commutationem, non dubitat dicere perditionem futuram, cum tamen eorum, quamuis*

Ex eodem Augustí.

Cæli aerei intelliguntur,

*in æternis pœnis, sit mansura natura.* Sensit ergo *Augustinus* in peritionem, & perditionem mundi, intelligi à Petro, esse eiusdem speciei, sicut fuit perditio, & interitio facta ex aquis diluuij, quando substantia mundi non periit. Et, sicut dicit, perdendos esse impios post iudicium, qui tamen substantialiter in æternum manebunt, ita de substantia mundi erit. Ergo mundi substantia non destruetur, sed commutabitur.

Paritas optima Augustini de hominibus, & cælis perituris,

39 Conf. 3. ex eodem in *cap.* 24. vbi contra Porphyrium insimulantem christianos, quod dicant, mundum esse perituru, & è contra laudantem Iudæos, qui contrarium dicunt, acriter inuehitur dicens, christianos id non docere de totali destructione, sed de renouatione; et præ cæteris habet, *sub B. In litteris sacris, quæ nostra sunt, id est in Euangelicis, & Apostolicis libris legitur. Præterit figura huius mundi, legitur mundus transit, legitur cælum, & terra transibunt. Sed puto, quod præterit, transit, transibunt, aliquando minus dicta sunt, quam peribunt.* Et referens, quæ supra dicta sunt ex secunda Petri 3. in qua legitur cælos perituros, sic ait. *Possunt illi cæli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt, procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cælos dixit, esse repositos, saluis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta. Nam & illud quod scriptum est stellas de cælo esse casuras, propter quod multo probabilius, & aliter intelligi magis ostendit mansuros esse illos cælos, si tamen stellæ inde casura sunt; vel cum tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo cælo futurum sit vtique mirabilius, quam nunc sit.* His, alijsque doctrinis confirmat, quod licet sacræ literæ noui testamenti videantur sonare, quod mundus sit perituru, benè tamen intellectæ probant, quod sit perituru secundum figuram, id est secundum aliquas qualitates, et partes, quas nunc habet, non verò secundum substantiam, quæ quidem mansura est, et in melius commutanda.

Ex eodem Augustin.

Mirabilis Aug. doctrina.

40 Conf tandem ex eodem *lib. de Eccles. dogmat. cap.* 70. sic habente. *Elementa id est cælum, & terram non credamus abolenda per ignem; sed in melius commutanda, figuramque mundi, id est imaginem, non substantiam transituram.* Ergo Augustini est hæc constans sententia.

Ex eodem Augustin.

41 Prob. 7. ex *S. Irenæo lib. 5. cap. 36. Non substantia, neque materia conditionis exterminatur, sed figura transit mundi huius,* et post aliqua. *Præterunte autem figura hac, & renouato homine, erit cælum nouum, & terra noua.* Ergo substantia totaliter non destructur.

Irenæo.

42 Prob. 8. ex *S. Cyrillo Hierosol. cathec. 15. Non tristemur, tamquam Sole moriente, cum & astra moriantur, forsasse quæ rursus excitabuntur, complicabit autem cælos Dominus, non vt perdat eos, sed vt meliores rursus excitet, audi Dauid. Ipsi peribunt tu autem permanes, sed dicet quis esse aperte dicit, peribunt; audi quomodo peribunt, statim enim declarat, dicens, & omnes, sicut vestimentum veterascent, & sicut operimentum complicabis eos, & mutabuntur. Sicut enim perditio hominis, ita dictum est, vnde, sicut ipsius perijt, & nemo id accipit in cor; & hoc ita vt resurrectio nostra expectetur; sic, & cælorum resurrectionem expectamus.* hæc *Cyrillus*. Ergo non totaliter destructur.

Cyril. Hier.

43 Prob. 9. ex *S. Basilio Magno tomo 1. homil. 1. pag. 4. C. Ne credas mundum hunc, vt nullam aliquando sortitum originem, ita nec vllo fine olim contrahendum. Præterit enim figura huius mundi, & cælum, & terra transibunt. Vtramque hoc dogma certò præsentis futuram consumationem, mundique in melius permutandi, innouationem, &c.* Ergo innouabitur mundus, & hic est finis eius, id est secundum formam, quam nunc habet, destructur.

Ex Basilio Magno.

44 Prob. 10. ex *S. Epiph. hæresi 64.* referente Proclum quem sequitur: sic autem habet. Non placet, vt illud dicatur, quod omnia funditus pereant, & terra, & aer, & cælum non futura sint. Exardescet equidem ad purgationem, & renouationem descensione facta totus mundus igne dilutus, non tamen ad perfectum interitum, ac corruptionem deuenier. Et postea obijciens, quomodo igitur Dominus, cælum, & terram præteritura esse dixit, & Propheta peribit cælum, velut fumus, & terra velut vestimentum inueterascet? respondet. His est mos scripturæ, vt hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem, interitum, ac perditionem dicat, tamquam videlicet prior figura pereat per vniuersorum ad illustriorem statum immutationem, hæc *Epiph.*

Ex Epiph.

Obijcit postea contra se, & resp.

45 Prob. 11. ex *Isidoro Hispal. de doctr. & fide cap* 36. Elementa, id est cælum, & terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda: figuram autem mundi, non imaginem transituram.

Isidor. Hisp.

46 Prob. 12. ex *Haimone in cap. 7. epist. prima ad Cor.* Transibit species, & figura huius mundi per ignem, remanebit substantia, renouata per ignem, & meliorata ad hoc, vt in æternum terra maneat iuxta, quod Salomon dicit, terra in æternum stabit.

Haimone.

47 Prob. 13. ex *S. Ioanne Chrysost. homil. 10. ad pop. Antioch.* Cum enim resurrexerimus, et incorrupta sumpserimus corpora, tunc, et cæli corpus, et terræ, et mundi totius incorruptum erit, et immarcescibile. Ergo non destructur, sed renouabitur.

Chrysost.

48 Prob. 14. ex *S. Ambrosio in cap. 7. prima ad Cor.* declarante dictum illud, *præ-*

Ex Ambros.

*teris*

*terit enim figura huius mundi*, vbi sic habet, *quia finiri mundum dixit, ostendit figuram eius præterire, & hunc esse finem; id est non substantiam eius præterire, sed formam. Itaque si forma mundi peribit, non dubium est, omnia, quæ in mundo sunt interire. Ideo præterit, quia quotidie senescit mundus.*

Ex Rabano. 49 Prob. 15. ex *Rabano Mauro lib. 4. de Vniuerso cap. 20.* Elementa, id est cælum, et terram, non credamus abolenda esse per ignem, sed in melius commutanda. Figuram mundi, id est imaginem, non substantiam transituram: ergo.

Ex Greg. I. 50 Prob. 16 ex *S. Gregor. Magno lib. 19. mor. in cap. 5. Iob. Cælum, & terra per eam, quam nunc habent imaginem, transeunt, sed tamen per essentiam, sine fine subsistunt. Et erit cælum nouum, & noua terra, quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Cælum igitur, & terra transit, & erit; quia, & ab ea, quam nunc habet specie per ignem tergitur, & tamen semper in sua specie seruatur.* hæc *Gregor.*

Anſel. 51 Prob. 17. ex *S. Anſel. in 1. epiſt. ad Cor. cap. 7.* Præterit figura mundi non natura, vt in aliam speciem mundus vertatur, et de hoc veteri cælo, et terra fiat cælum nouum, et terra noua.

Bernardino Senensi. 52 Prob. 18. ex *S. Bernard. Senen. to. 2. serm. 11. de Iudicio*, vbi de fine mundi, et de innouatione rerum multa habet; deinde inquit, ex his patet, quod terminabuntur transmutationes elementorum, et generationes animalium, et plantarum, quia esse istorum cessabunt. Et propter hoc dicuntur interire elementa, non quoad substantiam, sed quantum ad actionem, et passionem.

Mag. Sent. 53 Prob. 19. ex *Magistro Sent. in 4. distinct. 47.* Domino veniente ad iudicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius, et peribit cælum, et terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur.

Bonau. 54 Prob. 20. ex *S. Bonauent. in 4. d. 48. par. 2. quæst. 1. 2. & 3. num. 25. & 26.* vbi docet purgationem, et innouationem mundi faciendam in elementis per abiectionem qualitatum, in cælis vero per additionem luminis.

S. Thoma. 55 Prob. 21. ex *S. Thoma in 4. sent. distinct. 47. art. 4. in resp. ad 2.* sic habente. Vnde superiores cæli non purgabuntur, nec sphæra ignis, sed solus ignis, qui est hic. Non etiam paradisus terrestris, etc. Nec infernus, illuc enim omnes impuritates elementorum congregabuntur, neque aliqua elementa, quæ secundum substantiam auferenda sint, vel secundum formas substantiales, aut secundum qualitates naturales, vt quidam dicunt; quia sic mundus maneret imperfectus, sed solum quantum ad mutuas actiones, et continuos motus, etc. hæc *S. Thom.*

Arg. contr. Obijcies contra hanc conclusionem 1; *Saluator Matthæi 24. & Marci 13.* expressè ait, *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ergo mundus substantialiter destruetur. 1. ex Euang.

36 Resp. dist. antec. Transibunt quoad præsentem figuram, qualitates, et modum operandi, concedo; quoad substantiæ totius destructionem, nego. Ratio est, quia ipsamet Glossa Interl. Verbo, *Transibunt*, habet, *innouabuntur*. Ordin. verò habet. *Innouabuntur deposita priori forma, permanente autem substantia, vnde dicitur terra in æternum stabit*, et *D. Hieron. in cap. 65. Isa.* supra allatus, ait, hoc testimonio vti eos, qui putant, cælum, et terram esse totaliter peritura; et tamen ipse concludit, vt supra, esse quidem peritura secundum formam, seu figuram, non verò secundum substantiam. Imò sic explicanda censet alia scripturæ loca, vt *2. Cor. 4. Quæ videntur temporalia sunt; quæ non videntur æterna*, et illud *2. Petri 3. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra seruantur igni nouos autem cælos, & nouam terram expectamus, &c.* Cælum, & terram transibũt quoad figuram, non quoad substantiam, ita PP.

Ob. 1. Plura sunt scripturæ loca, in quibus dicitur, cælos nouos, et terram nouam esse facienda. Ergo substantia eorum erit destruenda; alias non posset saluari nouitas cum proprietate. Anteced. prob. ex *2. Petri 3. Nouos cælos, & nouam terram expectamus. Apocal. 21. Et vidi cælum nouum, & terram nouam.*

57 Resp. neg. consequ. Hieron. enim, et August. non loquuntur impropriè in explicatione Sacræ scripturæ, et tamen vt patuit, dicunt nouitatem illam non esse futuram, cum destructione substantiæ cæli. Idem docent alij PP. adducti, et in sequenti art. adducendi. Idem dicit Glossa Ordinar. quæ est *Hieron.* in locum Petri, Verbo, *Nouos*, dicens, *non alios, sed veteres, & antiquos in melius commutandos*, et paulo post, *Constat pro certo, quia consumpti per ignem, mox abeunte igne gratiorem resument speciem.* Idemque dicit ibidem *Lyranus*. item in locum *Apoc.* Ver. *Cælum*, Interlin. ait, *aerem innouatum*. Ver. *Nouam*, ait *innouatam*, et Glossa Ordin. Ver. *Cælum nouum, & terram nouam*, ait, *immutatio aeris, & terræ dubitabilis non est, quin per ignem fiat.* Et ista mutatio sufficit ad nouitatem, quia *nouum* idem significat, ac illud, quod non fuit, et primo incipiet esse, vt de Christo dicitur, *nouus homo veniens in mundum noua præcepta dedit mundo.* Secundo, significat aliquid mirandum, et inopinatum. Calepinus, Ver. *Nouus*, ex Virg. *quis furor iste nouus.* Tertio, significat homines, qui ex se ipsis incipiunt esse clari, et magistratus acquirunt, etc. item in Verbo *nouo*, ait, *nouare significat immutare*. Ergo, cum mundus sit mutandus, quia elementorum actiones, et influxus cessabunt, et omnia superflua, animalia, plantæ, etc. igne comburentur, et elementa om-

Absque destructione substantiæ, cælum, & terra erunt noua.

Omnes conueniunt in hoc;

Nouum multa significat.

omnia fient absolutè incorruptibilia; optima ratione dici potest, mundum futurum esse nouum, quia mutatus erit à statu priori. Sicut, et homines, qui resurgent incorrupti, et immortales noui dicentur, et tamen priora corpora, et animas habebunt.

Ob. 3. Sancti Patres docent, mundum esse perituru, et desituru. Ergo secundum substantiam destruetur. Antecedens prob. *S. Cyprianus in epist. ad Demetrianum*, ait, *quodcunque nunc nascitur mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat singula in mundo capisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit, & in fine*. Idem docet *S. Iustinus in euersione quorumdam dogmatum Aristotel. Origenes, hom. 5. in Gen. Tertull. aduer. Marcion. lib. 1 cap. 13.* et alij innumeri docentes, mundum habuisse principium, et habiturum etiam finem.

Argum. ex Cypriano.

58 Resp. Omnes eodem modo esse intelligendos; nam hic mundus cum hoc ordine dispositionibus qualitatibus, mixtis, animatis, plantis, influxibus, etc. quibus nunc præditus est, post iudicium dissoluetur per ignem, et remanebunt elementa pura absque mixtione, et viuentibus, aut influxibus; et ideo meritò dicunt Sancti Patres, mundum esse periturum; quam tamen peremptoriem, eò quia non tangat substantiam ipsorum elementorum, communis Sanctorum sententia vocat mutationem, seu innouationem in melius.

Simil modo respondetur de destructione, quod ad figuram.

Ob. 4. Inter hæreses Albanensium ponitur hæc de mundi æternitate à parte post; ergo.

Videtur esse hæresis Albanensium.

59 Respondet optimè *Alphonsus de Castro*, Verbo, *Mundus*, *secunda hæresi*. Quod si loquantur de mundo secundum substantiam elementorum hæresim non dicunt. Secus si intelligunt de mundo secundum statum, et formam, in qua nunc est. hæresim dicunt.

Fallunter aduersarij.

Alia argumenta desumpta ab authoritate modernorum soluentur euidenter in obiect. *art.* 3. vbi de cælorum destructione, peculiariter loquemur

## ARTICVLVS III.

### *An mundus post iudicium sit renouandus.*

60 ADu. 1. in hoc puncto fuisse opiniones extremè contrarias. Quædam enim docuit, mundum post iudicium in nullo esse innouandum, sed permansurum in eodem statu, et forma, in quibus nunc est. Ita hæretici quidam Anonymi apud *August. hæresi 67.* et forte hoc dicere voluerunt alij, docentes, mundum non habiturum finem, vt Albigenses, noui inquam Manichæi, vt refert *Salelles to. 2. reg. 260.*

Diuersi sent.

61 Adu. 2. Omnes catholicos ex scripturis noui testamenti firmiter cum fide Catholica docere, mundum esse finiturum, vt ex 1. *art.* et quia id nequit intelligi de mundo secundum totam substantiam, nempe, de cælis veris et proprijs, aut elementis secundum materiam, et formam substantialem, vt ex 2. *art.* sed secundum alias formas, et ordinem, atque causalitates, quas nunc mundus habet: ideo docent, esse renouandum: et, sicut homo dicitur finem habere in morte, et renouari per resurrectionem corporis cum alijs quibusdam qualitatibus, præsertim incorruptibilitate. Ita prorsus de mundo dicendum putant.

Catholici docent mundum innouandum.

62 Adu. 3. in hoc articulo discuti tantum renouationem mundi in genere. In sequentibus verò, agemus de cuiuslibet partis innouatione, et causa efficiente illius.

Nunc de renouatione tantum in genere agitur.

63 Dico. Post iudicium mundus dissoluetur mutabitur, et renouabitur. Est de fide.

Mundus post iudicium renouabitur.

64 Prob 1. Omnibus argumentis sacræ scripturæ, et Patrum adductis in præced. articulo, quibus excluditur totalis destructio, et asseritur mutatio, ac innouatio, quæ quidem valida sunt, et rem totam concludentia. Nec oportet iterum adducere.

65 Prob. 2. ex *Marci* 13. *Cælum, & terra transibunt, &c.* vbi Glossa Ordinar. habet, *Cælum aereum à quo aues cæli, & nubila cæli, vnde Petrus cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem modo repositi sunt igni reseruati, apertè docent, quia alij cæli sunt igne periturj, quem aqua perdit id est inania, & nebulosa; aqua enim diluuij, qua tantum quindecim cubitis cacumina montium transcendit, vltra aeris atherisque confinia non peruenit. Ecclesiastes generatio præterit generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Sic ergo cælum, & terra transeunt secundum imaginem, manent in æternum secundum essentiam*. Ergo mutationem patientur.

Euág. Marci.

Prob. 3.

Euag. Matt.

66 Prob. 3. ex *Matth. 24. Calum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, vbi Glossa Interlin. Verbo, *Transibunt*, ait, *innouabuntur*. Glossa Ordin. Verbo, *Calum*, inquit, *innouabuntur deposita priori forma permanente autem substantia, vnde dicitur terra in æternum stabit*, idem dicit Lyranus ibi.

Petri ep. 2.

67 Prob. 4. ex 2. *Petri cap. 3. Nouos verò cælos, & nouam terram secundum promissa ipsius expectamus in quibus iustitia habitat*, vbi Glossa Ordinar. *Hieron.* habet, *non ait alios, sed veteres, & antiquos in melius commutandos*: & post aliqua, *Constat pro certò, quia consumpti per ignem, mox abeunte igne, gratiorem resument speciem*.

Apocal.

68 Prob. 5. ex *Apocal. 21. Et vidi cælum nouum, & terram nouam*. Interlin. ait. *Innouatam*. Glossa Ordinar. ait. *Immutatio aeris, & terra dubitabilis non est, quin per ignem fiat*. *Lyran.* ait. Et per ista duo intelliguntur elementa media, ignis, aqua, & aer. Hæc enim omnia innouabuntur, & in melius mutabuntur.

69 Prob. 6. ex *Psal.* 101. adducto in prima ratione præced. art. quo melius res nequit explicari. De mutatione enim mundi apertissimè loquitur. Ideo ibi videndum.

Ex Hieron.

70 Prob. 7. ex *S. Hieron. in commentar. cap. 65. Isaiæ. Cælum nouum, & terram nouam, qui putant omnia interire, quæ cernimus, interpretantur testimonio Matth. 24. Cælum, & terra transibunt, & Pauli Apostoli, 2. Cor. 4. Quæ videntur temporalia sunt. Porro, qui nouitatem commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, illo vtuntur exemplo, opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, omnes sicut vestimentum veterascent, & quasi amictum inuoluis eos, & mutabuntur, in quo perspicuè demonstratur perditionem, & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem ionare in melius*, quod exemplo infantis senescentis, declarat. Deinde adducens Pauli dictum, *præterit figura huius mundi*, ait, *consideremus quid dixerit, figura præterit non substantia*, & eodem modo declarat dictum Petri, *nouos cælos, & nouam terram videbimus non dixit alios cælos, & aliam terram, sed veteres, & antiquos in melius commutatos*. Ergo faciendа est innouatio, seu commutatio mundi partium.

Adducente multa scripta loca.

Didimo Al.

71 Prob. 8. ex *Didimo Alexandr. lib. 10. de perenni Philosophia*. Quod canit psalmus veterascent, & mutabuntur, designat eum nexum abijsse, ac defeciisse, quo rerum ordines sustinebant, alebantque.

Chrysost.

72 Prob. 9. ex *S Ioan. Chrysost. hom. 10. ad pop. Antioch* vbi de fine mundi, & agendis post iudicium, loquens, præ cæteris declarat illud *Rom. 8. Vanitati enim creatura subiecta est*, & habet sic. Corruptibilis facta est, Deo sic iubente; iussit autem sic Deus, propter genus nostrum, quoniam hominem nutrire debebat corruptibilem, & ipsa talis esse debebat. Sed inquit; non tamen talis remanet, sed & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, deinde demonstrans, quando hoc erit, & per quod intulit in libertatem gloriæ filiorum Dei; cum enim resurrexerimus, inquit, & incorrupta sumpserimus corpora, tunc & cæli corpus, & terræ, & mundi totius incorruptum erit, & immarcescibile. hæc *Chrys.* ergo innouabitur.

Isid. Hisp.

73 Prob. 10. ex *Isidoro Hispal. de doct. & fide cap. 36.* Elementa, id est, cælum, & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. Figuram autem mundi, id est imaginem, non substantiam transituram: ergo.

Cyrill. Alex.

74 Prob. 11. ex *Cyrillo Alexan. Declarante illud Isaiæ 51. Cæli sicut fumus liquescent, habet*, sic innouationē, reparationemque ad meliorem statum, appositè dixit mortem elementorum. Itaque fore prædicit, vt quemadmodum corporum humanorum renouationem, rerum creatarum quasi à mortuis resurrectionem, &c. ergo.

Epiphanio soluente arg. ex script. desumpta.

75 Prob. 12. ex *S. Epiphan hæresi 64.* referente Proclum, asserentem, quod mundus non est funditus periturus, vt in præced. art. & quia obstant loca scripturæ. *Cælum, & terra transibunt*, & illud Prophetæ Isaiæ. *Scribit cælum velut fumus*, &c. Respondet, *hic mos est in scripturis, vt hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem, interitum, ac perditionem dicant, tamquam videlicet prior figura pereat per omnium ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas, & absurditas est in diuinis scripturis*, &c. ergo.

Alcuino.

76 Prob 13. ex *Alcuino in Psal. 101. Sicut opertorium mutabis eos*, &c. Fortassis cælum intelligitur coopertorium terræ esse, quod in melius mutandum esse, alia terra designat, vbi dicitur: *Erit cælum nouum, & terra noua*: ergo.

Ex August.

77 Prob. 14 ex *D. August. lib. 20. de ciuit. cap. 14. Peracto iudicio tunc esse desinet hoc cælum, & hæc terra, quando incipiet esse cælum nouum, & terra noua. Mutatione itaque rerum non omnimodo in interitum transibit hic mundus, vnde & Apostolus, ait, præterit figura huius mundi; figura ergo præterit, non natura*.

Ex eodem.

78 Conf. ex eodem *cap. 16. 18. & 24.* adductis in præced. art. in quibus expressè docet, mundum non esse totaliter delendum, sed innouandum in melius.

Ex eodem.

79 Conf. ex eodem *cap. 30. in fine. In illo itaque iudicio, vel circa illud, hæc res didicimus esse futuras; Heliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem; bonorum, malorumque discretionem; mundi conflagrationem, eiusdemque renouationem*: ergo.

Prob. 15.

80 Prob. 15. ex *Irenæo lib. 5. cap. 36.* vbi postquam ex dicto Apostoli, *præterit figura huius mundi*, docuit, substantiam non esse delendam, ait. Prætereunte autem figura hac, & renouato homine, & vigente ad incorruptelam, vt non possit iam veterascere; erit cælum nouum, & terra noua: ergo.

Hippol.

81 Prob. 16. ex *S. Hippol. de consumat. mundi*. Exuretur vniuersa terra, propter opera, quæ in ea corruperunt homines, in scortationibus adulterijs, mendacijs; nam fiet cælum nouum, & terra noua.

Haimone.

82 Prob. 17. ex *Haimone epist. 1. ad Cor. cap. 7.* Transibit species, & figura huius mundi per ignem; remanebit substantia renouata per ignem, & meliorata, ad hoc, vt in æternum terra maneat, iuxta quod Salomon dicit, *terra in æternum stabit:* ergo.

Ansel.

83 Prob. 18. ex *S. Anselmo* in eodem loco. Tunc figura mundi præteribit, quando conflagratione mundana elementorum, &c. ardendo interibunt: & post aliqua. Vt mundus in melius innouatus, aptè accomodetur hominibus, etiam in carne innouatis.

Ex Scholasticis sequentibus Magistrum.

84 Prob. 19. ex omnibus Scholasticis sequentibus Magistrum Sent. qui in *4. sent. dist. 47.* docet, veniente Domino ad iudicium præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius; peribit cælum, & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur.

Contrarias sent videtur hæresis Anonymorum.

85 Prob. vlt. contrarium dicere est fouere hæresim Anonymorum hæret. quos refert *S. Augustinus haref. 67.* dicentium mundum esse in æternum permansurum in eodem statu, in quo nunc est: ergo innouabitur. In quo autem consistat innouatio, mox dicetur.

## ARTICVLVS IV.

### *An Cæli post iudicium sint renouandi, & quomodo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 48. qu. 2.* supponit, cum Magistro, Cælorum substantiam non esse destruendam, neque in alio mutandam, nisi in motus cessatione: de quo postea.

Quare mouetur hoc dubium.

86 Adu. quod, licet ex his, quæ huc vsque dicta sunt, habeatur, quid sit dicendum in præsenti dubio, quoad mutationem substantialem; quia tamen, aliqua peculiaris difficultas est de innouatione cælorum; singulariter de qualibet mundi parte agere decreui.

Sententiæ diuersæ circa innouationem cælorum.

87 Adu. 2. circa innouationem cælorum, diuersas fuisse sententias. Prima enim docebat omnes cælos esse mutandos substantialiter, quoad formam, remanente eadem materia, & hoc per conflagratio-

nem ignis esse peragendum, quæ sent, etiam tempore Sancti Hieron. vigebat, vt ipse innuit in *cap. 65. Isaiæ*, & duobus fundamentis, ait Hieron innitebatur, scilicet dicto Christi *Matth. 24. Cælum, & terra transibunt*, & dicto *Petri epist. 2. cap. 3. Cæli ardentes soluentur; expectamus cælos nouos, & terram nouam.* Quam quidem sent. Recentes renouarunt, vt notat Ioannes Bagotius infra citandus, adducens alios suæ Venerabilis Societatis, nec non & alienos, ad eandem firmandam, quos infra referam. Secunda sententia, quæ inualuit in Ecclesia, est; quod Cæli, de quibus loquitur Scriptura, cum dicit fore renouandos, non esse ætherei, seu syderei, ac planetarij, sed aerei, de quibus dicitur, aues cæli, & nubila cæli, & hæc est sententia communis, vt patuit in Disputatione de conflagratione mundi *art. 5.* & in præsenti Disputatione *art. 2.* diffusè. Additque hæc sententia, cælos æthereos esse immutandos per solam motus cessationem, vel etiam per luminis incrementum: non vero per purgationem, seu depurationem à peregrinis, vel mixtis qualitatibus, sicut fiet de elementis.

Cõmunior sent.

Cæli ætherei non mutabuntur substantialiter.

88 Dico 1. Cæli ætherei non mutabuntur substantialiter est omnium PP. antiquorum *Magistri Sentent. dist. 47. & D. Thom. in 4. sent. dist. 47. quæst. 2. art. 4. D. Bonau. ibid par. 2. quæst. 3. & 4.*

89 Prob. 1. Omnibus argumentis adductis in secundo, & tertio articulo, quia de cælo probant. Concludunt enim, eius substantiam non esse destruendam.

90 Prob. 2. ex Glossa Interlin. in *Psal. 101. Vet. Mutabis eos*, de cælis est sermo, & sic ait, *Mutata dicuntur, quia non iam corruptioni, sicut antea subiacebunt.* Quod si dicas hoc verificatur etiam cum nouitate formæ substantialis. Contra ait Lyran. ibi. *Cæli peribunt, non quoad substantiam, sed quantum ad aliquam dispositionem, &c.*

Gloss. Ord. Augst.

91 Et Glossa Ordinar. quæ est *Augst.* ait. *Ipsi cæli peribunt, de proximis terræ hoc constat, vnde & Petrus, Cæli, qui nunc sunt, eodem verbo repositi sunt igni reseruandi; de superioribus non est certum.*

1. ad Cor.

92 Prob. 3. ex 1. *Cor. 7. Præterit enim figura huius mundi.* Glossa Interlin. ait, *pulchritudo non substantia*, & *Hieronymus in cap. 65. Isaiæ*, explicans hunc locum, inquit, *consideremus, quid dixerit figura præterit, non substantia.*

Ex adductione argum. aduersar.

Prob. 4. Primum fundamentum sententiæ oppositæ, est quod Saluator *Matth. 24. & Marci 13.* ait. *Cælum, & terra transibunt*; sed hoc dictum non concludit substantialem cæli destructionem: ergo. Min. prob. Omnes Patres illum locum intelligunt de peritione cælorum aereorum. Glossa Interlin ait, *cælum aereum non æthereum*, & Glossa Ordinar. in *cap. 13. Marci*, *cælum, & terra, &c.* ait, *cælum aereum à quo*

Et omnes expos. Script. dicuntur contr.

*aues cæli, & nubila cæli, vnde Petrus, cæli autem, qui nunc ſunt, &c. igni reſeruati, aperte, docens, quia non alij cæli ſunt igni perituri, quam aqua perditi, id eſt inania, & nebuloſa. Aqua enim diluuij, qua tantum quindecim cubitis cacumina montium tranſcendit, vltra aeris atheriſque confinia non peruenit.*

Aliud ſcript. locus nobis contrarius explicatur.

93 Prob. 5. Aliud fundamentum eſt locus Petri in *epiſt. 2. cap. 3. cæli repoſiti ſunt igni reſeruandi in die iudicij*; ſed Gloſſa Ordinar. Ver. *Cæli*, ait, *aer iſte humidus, & turbulentus, de quo dicitur miluus in cælo cognouit tempus ſuum:* & poſt multa, inquit, *Sunt, & cæli ſuperiores; ſed vtrum ipſi perituri ſint igni, an bi ſoli, qui in diluuio perierunt diſceptatio eſt aliquanto ſcrupuloſior inter doctos. Lyran.* vero ibidem ait, *cæli, qui nunc ſunt, id eſt ſuperior pars aeris, & inferior:* ergo.

3. Locus explicatur.

94 Prob. 6. Tertium fundamentum eſt ex *Apocal. 21. Et vidi cælum nouum*, ſed neque hic locus probat intentum. Gloſſa enim Interlin. ait, *cælum aereum innouatum.* Gloſſa Ordinar. Ver. *Cælum*, ait, *immutatio aeris, & terra dubitabilis non eſt, quin per ignem fiat. Lyran.* ibidem ait, per iſta duo, cælum & terram, intelliguntur elementa media ignis, aqua, & aer.

Similiter, & alij explicantur.

95 Prob. 7. ex alijs ſcripturæ locis declaratis in Diſputatione de conflagratione mundi *ar. 5.* & in præſenti *ar. 2*, Patres enim, explicantes interitum cælorum, ſemper, eum declarant de aereis. Imo, vt dicetur in ſuo loco infra, neque cæli aerei ſecundum ſubſtantiam interibunt, ſed ſecundum qualitates mutabuntur.

Ex Auguſt.

96 Prob. 8. ex *S. Auguſt. lib. 20 de ciuitate cap. 14.* vbi explicans dictum Chriſti, *cælum tranſibit*, ait, *non omninò in interitum tranſibit hic mundus, vnde & Apoſtolus ait, præterit figura huius mundi, volo vos eſſe ſine ſollicitudine figura præterit, non natura.* Ergo ſubſtantia cæli non deſtruetur.

Ex eodem.

97 Conf. ex eodem ibid. *cap. 18.* vbi declarans dictum Petri ſæpè allatum, ait, *Nam illo tempore dixit periſſe, qui tunc erat mundus, nec ſolum orbem terræ verum etiam cælos, quos vtique iſtos aereos intelligimus, quorum locum, ac ſpatium, tunc aqua creſcendo ſuperauerat.* & poſt alia. *Proinde cæli, qui nunc ſunt, reſeruantur in diem iudicij, &c.* & in *lib. 3 Gen. ad lit. Hos etiam aereos cælos quondam periſſe diluuio, in quodam earum, quæ canonica appellantur epiſtola legimus.* Idemque ait in alijs locis.

Ex eod. Aug.

98 Prob. 9. ex eodem *Auguſt. in Pſ. 101.* explicante verba illa: *Cæli peribunt*, occaſione ſumpta, explicat dictum Petri, *cæli autem, qui nunc ſunt repoſiti ſunt, igni reſeruandi in die iudicij*, ait, *iam dixit periſſe cælos per diluuium. Periſſe autem cælos nouimus ſecundum quantitatem, & ſpatia humidi aeris. Excreuit enim aqua, & totam iſtam capacitatem, vbi aues volitant, occupauit; ac ſic, vtique cæli perierunt propinqui terris. Sunt autem cæli cælorum ſuperiores in firmamento, ſed vtrum, & ipſi perituri ſint igni, aut bi ſoli cæli, qui etiam diluuio perierunt, diſceptatio eſt aliquanto ſcrupuloſior inter doctos, &c.* Ergo, non ſolum, non tenet, cælos eſſe ſubſtantialiter mutandos, ſed dubitat, an ſint perituri ſecundum figuram, & accidentalem formam, ſicut docet, aerem, ſolum ſecundum formam accidentalem, non verò ſubſtantialem, eſſe periturum, vt in ſuo loco dicetur.

Ex eodem.

99 Conf. ex eodem, qui in *lib. 20. de ciuitate cap. 18.* ſupra allato, *iſtos vtique ſuperiores cælos intelligit (Petrus,) non illos ſupremos, vbi ſol, & ſydera conſtituta ſunt, aer enim conuerſus fuerat in humidam qualitatem, atque hoc modo perierat.* Ergo iſti cæli aerei hoc eodem modo perituri ſunt, ſcilicet dum per ignitionem à craſſis vaporibus purgabuntur. Ergo, multò minus cæli ætherei ſunt deſtruendi.

Ex eodem.

100 Prob. 10. ex eodem ibidem *cap. 24.* vbi poſtquam docuit cælos aereos eſſe conflagraturos. *Poſſunt iſti cæli intelligi perituri, quos dixit repoſitos igni reſeruandos, & ea elementa accipi arſura, quæ in hac ima mundi parte ſubſiſtant procelioſa, & turbulenta, in qua eoſdem cælos dixit igni repoſitos, ſaluis illis cælis ſuperioribus, & in ſua integritate manentibus, in quorum firmamento ſunt ſydera conſtituta:* ergo ſalua eſt ſubſtantia cælorum.

Ex eodem.

101 Prob. 11. ex eodem in *lib. de Eccl. dogmat. cap. 70.* vbi etiam de omnibus elementis, docet, *Elementa, id eſt cælum, & terram non credamus abolenda per ignem, ſed in melius commutanda, figuramque mundi, id eſt imaginem, non ſubſtantiam tranſituram*, & inferius *ſub C. ſi à toto pars accipiatur in eo, quod dictum eſt, ipſi peribunt, cum ſoli cæli infimi perituri ſint, quemadmodum in Apoſtolica illa Epiſtola 2. Petri 3. à toto pars accipitur, quod diluuio periiſſe dictus eſt mundus, quamuis ſola eius cum ſuis cæli pars ima perierit*, quid clarius?

Ex alijs PP. multis remiſſiuè.

102 Prob. 12. ex Irenæo, Cyrillo Hieroſolymitano, Baſilio, Epiphanio, Haimone, Rabano Mauro, & Anſelmo in articulo ſecundo allatis, ad probandum, quod mundus, ſecundum ſubſtantiam non deſtruetur.

Ex Ambroſ.

103 Prob. 13. ex *S. Ambroſ. in 1. ad Corinth. cap. 7. Præterit figura huius mundi*, ait enim, *quia finire mundum dixit, oſtendit figuram eius prætrire, & hunc eſſe finem, id eſt non ſubſtantiam eius prætrire, ſed formam.* Ergo ſubſtantia cæli non deſtruetur.

Gregor. I.

104 Prob. 14. ex *S. Gregor. Magno in cap. 5. Iob lib. 17. moral. Cælum, & terra, per eam, quam nunc habent imaginem tranſeunt;*

*sunt; sed tamen per essentiam, sine fine subsistunt; & erit cælum nouum, & terra noua quæ quidem, non alia sunt, sed credendum, quod hæc ipsa renouantur.* Ergo substantia non destruetur.

A pari de terra

105 Prob. 15. Terra non destruetur, secundum substantiam, licet dicatur transitura: ergo. Anteced. prob. Ex *Eccles. 1. Terra autem in æternum stat.* Imò cum hæc sit corruptibilis, cælum verò non, de ea deberet esse maius dubium, & tamen non destruetur, vt infra: ergo.

Et de alijs.

106 Prob. 16. Neque ignis, neque aer destruentur secundum substantiales formas, sed secundum accidentales, vt postea dicetur. Ergo multò minus cælum.

Beda.

107 Prob. 17. ex *Beda in cap. 21. Apocal.* Peracto iudicio, desinent cælum, & terra, eum esse incipit cælum nouum, & terra noua, mutatione, scilicet, rerum, non omnino interitu earum; præterit enim figura huius mundi, non dixit, & substantia: eadem namque in melius commutanda esse, creditur: ergo.

Isidor. Hisp.

108 Prob. 18. ex *Isidoro Hispalen. de doctr. & fide cap 36.* Cælum, & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda: figuram autem mundi, id est imaginem, non substantiam, transituram. Idemque ante eum, eisdem verbis docuerat *Gennadius Massilien. de Eccles. dogm. cap. 69.* ergo.

Mag. Sent.

109 Prob. 19. ex *Magistro Sentent. in 4. dist. 47. Cælum, & terra peribunt non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur.*

Ex Bonau.

110 Prob. ex *S. Bonau. in 4. dist. 48. par. 2. quæst. 1. 2. & 3.* in primis docet, Cælestia corpora esse præmianda, per receptionem pulchritudinis, non destruenda. In tertio docet elementa non esse destruenda, sed quoad qualitates renouanda, & in *dist. 47. quæst. 3. num. 2. 5. & 25.* docet, cælos non esse immutandos, nisi per additionem luminis, non verò per deperditionem alicuius formæ.

Ex D. Tho.

111 Prob. ex *S. Tho. in 4. dist. 37. ar. 4. ad 2.* vbi docet, cælos non esse purgandos per ignem. Imò elementa secundum substantiam non esse auferenda, sed purganda secundum qualitates quasdam: ergo. Est communis Patrum sententia.

Cæli ætherei acquisitiuè sunt mutandi, acquirendo lumen.

112 Dico 2. Cæli ætherei, seu syderei acquisitiuè innouandi sunt, per augumentum luminis. Ita multi cum *S. Bonauent. in 4. sent. dist. 48. part. 2. quæst. 3. num. 25.* dixi *acquisitiuè*; nam de innouatione deperditiua, per cessationem motus, dicam postea.

Ex Isa.

113 Prob. 1. ex *Isaiæ 30. ver. 26. Et erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut Lunæ septem dierum, in die qua alligauit Dominus vulnus populi sui.* Glossa Interl. ait, *post iudicium, quia propter hominem facta, in eius lapsu peiorata sunt Sol, & Luna, & suo lumine minorata.* Glossa Ordinar. Ver. *Et erit lux*, ait, *quia natura liberabitur à seruitute corruptionis, non mirum, si Luna Solis fulgorem recipiat.*

Quid acquirent Sol, & Luna.

*Lyranus* vero ibidem ait, iciendum, quod secundum sanctos Doctores, & Catholicos in finali iudicio mundus innouabitur, & meliorabitur ad augumentum gloriæ electorum, qui in elementis, & corporibus cælestibus melioratis videbunt clarius relucentiam diuinæ virtutis, & bonitatis, &c. decor autem corporum cælestium, maximè consistit in luce, & ideo tunc augebitur, & hoc est, quod dicitur, erit lux Lunæ, sicut lux Solis, &c. hæc *Lyran.*

Ex Hieron.

114 Conf ex *S. Hieron. in cap 30. Isa.* circa finem, *quando dederit Dominus cælum nouum, & terram nouam, & transferit habitus mundi huius, vt Luna, & Sol laboris sui, & cursus sui præmia consequentur. Etenim expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei præstolatur:* & post aliqua: *Luna ergo Solis fulgorem accipiet, & Sol septuplum lumen accipiet, sicut fuit lux septem dierum, quando ab initio creatus est mundus, &c.* ergo cælorum lumen augebitur.

Ex eodem Hieron.

115 Conf. ex eodem in *cap. 51. Isa.* versu, *Leuate in cælum oculos vestros*, vbi de immutatione rerum post iudicium loquens, hæc addit, *Quanto ergo magis hoc de cælo, ac Sole, stellisque credendum est, quando Luna Solis lumen accipiet, & Sol septuplo fulgore rutilabit?*

Ex eodem Hieron.

116 Conf. 3. ex eodem *in cap. 65. Isa.* vbi explicans illud *Erit cælum nouum, & terra noua*, ait, non per hoc sequi esse periturum cælum, & terram secundum suam substantiam, *sed sonare commutationem in melius, neque enim illud, quod in alio loco scriptum est, Luna fulgebit, vt Sol, & Sol septuplum lumen accipiet, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius.* Ista autem melioratio in cælis, & syderibus esse non potest alia, nisi per augumentum claritatis, & luminis.

Ex D. Th.

117 Prob. ex *D. Thom. in 4. sent. d. 48. quæst. 2. art. 1. ad 3. Claritas autem pertinet ad decorem ipsius cæli, secundum seipsum, vnde claritas augebitur, sed motus cessabit.*

Ex Bonau.

118 Prob. ex *S. Bonau. in 4. distin. 48. par. 1. quæst. 1.* vbi *num. 22.* docet corpora cælestia post iudicium esse præmianda, sic. *Propter hominem præmiantur corpora supercælestia, secundum eam proprietatem, secundum quam sunt consona corporibus gloriosis. Hæc autem est lux, & ideo in luce, & splendore augebuntur, & crescent.*

Ex eodem Bonau.

119 Conf. ex eodem *Bonauentura in dist. 48. par. 2. quæst. 3. num. 25.* vbi docet, *quod duplex est innouatio quædam per abiectionem, quædam per additionem, & meliorationem. Primo modo est in corporibus elementaribus, in quibus purgabuntur qualitates corporales. Secundo modo in corporibus cælestibus, quibus augebitur lumen:* ergo.

Riccardo.

120 Prob. ex *Riccardo in 4. ſent. diſt.48. art.2. quæſt. 5. in reſolut.* Conueniens erit, quod cum inouabitur homo, lux etiam in corporibus cæleſtibus augeatur; & ex conſequenti elementa abundantius illuminentur, quam modo, quia ab ijs corporibus recipient ampliorem luminis influentiam. hæc *Riccard.*

Gloſſa Ord.

Prob. ex Gloſſa Ordin. *in cap.24. Matth.* Ver. *Sol obſcurabitur*, ſic habente, *Sol, & Luna, & ſtellæ ad tempus ſuo lumine priuabuntur, ſed præcio die iudicij, mundo innouato, maius lumen recipient.*

Th. Argent.

121 Prob. ex *Thoma de Argentina in 4. ſent. diſt.47. quæſt.1. art.4.* Illa verba Beati Petri, & alia in ſcripturis, quibus cælorum exprimitur diſſolutio, ſunt intelligenda de cælis aereis, & non de cælis ſuperioribus, quia illi ſunt intranſmutabiles, quantum ad ſubſtantiam; quamuis aliquo modo mutentur in claritate, quia lumen Lunæ, erit vt lumen Solis, & lumen Solis ſemptimpliciter. Nec tamen iſta accidentalis mutatio cælorum erit per ignem, ſed immediatè per diuinam actionem.

Ex congruétia.

122 Prob. ex congruentia. Totus mundus in melius commutabitur: ergo etiam cæli. Sed non poteſt alia melioratio in eis fieri, quam luminis, ſeu claritatis: ergo. Maior prob. ex *Rom. 8. Omnis creatura ingemiſcit, & parturit expectans reuelationem gloriæ filiorum Dei*, quod *S. Ambroſ.* hic explicat etiam de elementis, Sole, & Luna, &c. quæ expectant requiem, vt à ſimili opere liberentur. Minor ſubſumpta prob. Nam pulchritudo cæli, ex *Eccleſiaſtici 43. Gloria ſtellarum, mundum illuminans, in excelſis Dominus.*

S. Ambroſ. ſenſus.

Ratione à poſt.

123 Prob. tandem. Ideo omnia poſt iudicium ſunt renouanda, vt acquirant eſſe perfectum, quod habuerunt in ſui creatione, & quod amiſerunt ex peccato hominis. Sed cæli amiſerunt aliquot gradus luminis, ex eo quod ſydera, Sol, & Luna illud amiſerint, vt notat Gloſſa Interl. in *cap.30. Iſaiæ*, in principio relata, & *Hieron.* ibidem ait, *Lumen Solis, & Luna futurum poſt iudicium, ſicut fuit lux ſeptem dierum, quando ab initio creatus eſt mundus.* Ergo etiam ipſi illud acquirent, quæ videntur euidentia.

Arg. contr. 1. Ex Bagotio Ieſuita tenente oppoſitum.

Contra 1. concluſ. inſurgit *Ioan. Bagetius par.2. in Apologet. lib. 3. diſp. 3. cap.1. ſect. 1. & 2. & in cap.3. ſect. 1.* ſuſtinens cælos ſydereos, ſecundum formam ſubſtantialem per ignem eſſe deſtruendos, excepto empyreo. fundamentum primum ex *nu.6.* eſt, Multi S. Scripturæ interpretes, vt Molina, Salmeron, Serrarius, Maldonatus, Eugubinus, Franciſcus Valleſius, Catarinus, Cornelius à Lapide, & Hieronymus Magius, ita tenent. Ergo cælorum forma ſubſtantialis eſt deſtruenda.

Non officit, quod aliqui moderni te.

124 Reſp. neg. conſequ. Eſtò enim citati DD maximè ob ſcientiam, & probitatem venerandi, id doceant, non tamen concludunt probabilem ſententiam pro Eccleſia. Eis enim opponimus Gregorium Magnum, Hieronymum, Ambroſium, Auguſtinum, Magiſtrum Sent. Bonau. Baſilium, cæteroſque Eccleſiæ Doctores in articulis præced. & præſertim in 2. adductos. Qui iuxta Spiritus Sancti, & Eccleſiæ regulas, ac præcepta, vt in *art.1. not. vlt.* in eiuſmodi obſcuris erant conſulendi. Nulla proinde ratio de adductis habenda.

nent contrarium, qui Eccleſiæ Doctores tenét noſtram, & ſunt omni exceptione maiores,

Arguit 2. ex ſcrip.

Obijcit 2. *Bagotius num.7.* loca ſcripturæ euidenter id euincunt: ergo. Antec. prob. locus *Petri 2. cap.3. Cæli magno impetu tranſient, cæli ardentes ſoluentur, nouos cælos expectamus*, id concludunt, quia in hoc loco diſtinguuntur elementa à Cælis, nec poteſt dici, quod cæli ibi æquiuocè ſumantur, nunc pro ſydereis, nunc pro aereis. 2. locus *Iſai. 51. Cæli, ſicut fumus liqueſcent*, & in *Pſal. 101.* Cælum dicitur veteraſcere, ideoque prope interitum eſſe. At non poteſt interire, niſi ſubſtantialis forma deſtruatur. Ergo, cum iſta veteraſcentia, & interitus ex Sanctis Patribus petenda ſint, & illi deſtructionem doceant, concludendum eſt ita futurum.

Sæpè fuit ex ipſis PP. ſolutum hoc argum.

125 Reſp. iam ſæpè, & præſertim in Diſputatione de conflagratione mundi, & ſeqq. hæc loca eſſe adducta, & adamuſſim iuxta SS. Patres veteresque Eccleſiæ Doctores (quorum doctrina in his dubijs maximi eſt facienda,) fuiſſe explicata. Ipſi autem, vt patuit dicunt contrarium expreſsè, ſcilicet ſubſtantiam cælorum, at terræ, &c. non eſſe deſtruendam, ſed ſolum figuram, & ſpeciem, ſecundum quædam accidentalia innouandam. Ita præ cæteris Gregorius Magnus, Ambroſius, Hieron. Auguſt. Baſilius, &c. quomodo ergo poteſt Bagotius in eis vim facere, ſi dicunt contrarium, integras authoritates iam adduximus, non verba truncа, aut mutilata. Ergo nil aliud eſt reſpondendum, ſed videndi SS. Patres.

Arg. contr. ex S. Epiph.

Obijcit 3. *num. 8. & 9. &c.* per totam ſectionem 3. & adducit SS. Patres pro hac ſent. *Epiph. hæreſ. 64.* quæ eſt Origenis, ait male dici mundum hunc ſunditus perituru, aerem, cælumque deſiturum, ſiquidem totus hic mundus, vt purgari, inſtaurarique poſſit, exundantibus flammis incendio conflagrabit, non tamen peribit, ac corrumpetur omnino, ſed prior forma in illa conuerſione iucundiorem in ſtatu non peribit. Additque, perturbandam eſſe creaturam, & velut in illa conflagratione perituram, vt iterum creetur, non tamen extinguendam eſſe. Ergo ex *S. Epiphanio* ſubſtantia cælorum deſtructur.

Verba Epiphanij contrarium dicunt.

126 Reſp. Verba *Epiphany* contrarium firmare: hæc autem ſunt. *Exardeſcet equidem ad purgationem, ac renouationem deſcenſione facta totus mundus igne diluuius, non tamen ad perfectum interitum, ac corruptionem deuenit. Si enim melius eſt non eſſe,*

quam

*quam esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod prius est elegit? frustra laborauit? igitur ad hoc vt sit, & maneat creaturam construxit; Manet creatura in melius, ac decentius renouata, & gaudens resurrectione ob filios Dei:* & postea arguit contra se. *At si non pereunt vniuersa, dixerint aduersarij, quomodo Dominus cælum, & terram præteritura esse dixit? & Propheta dixit. Peribit cælum, velut fumus, & terra velut vestimentum veterascet?* & respondet. *Quandoquidem hic mos est scripturis, respondebimus. Vt hanc mundi transmutationem in meliorem, ac magis gloriosam restitutionem interitum, ac perditionem dicant. Tamquam videlicet prior figura pereat per vniuersorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas, aut absurditas est in diuinis scripturis, præterit enim figura mundi huius, & non mundus.* Ergo ex *Epiphanio*, colligitur appositum, quod species, scilicet seu figura peribit non substantia.

Oppositum ex Epiph. habetur,

Obijcit 4. Chrysostomum in *homil. 14. in cap. 8. ad Rom.* Theodoretum in eundem locum, Iustinum Martyrem, *lib. 3. recognit.* S. Clem. Andræam Cæsarien. ibidem, Cyrillum Alexandr. *lib. 3. in Isaiam cap. 34.* id docentem.

Argum. ex Chrysost. & alijs quorũ dicta non refert.

127 Resp. Nihil tale Sanctos istos docere, sed hoc solum, quod mundus, vel cælum, vel terra, vel omnia visibilia veterascunt, & peribunt. Sed nullum eorum dicit substantialem formam cælorum esse destruendam. Sed iam Sancti DD. Ecclesiæ à nobis adducti in 2. *art.* docent hanc inueterationem vtique adesse, & formam præsentem, secundum influxus generationes rerum, &c. esse perituram, sed salua substantia.

Nihil tale docent citati PP.

Obijcit 5. *S. Hilarium in Psal. 112.* sic dicentem, Cælum, quod visibus nostris per materiam sui subiacet, quod tamquam fumus solidatum, firmamenti nomen accepit, præteribit, & non erit, sedes autem Domini manet in æternum: ergo.

Argum. ex S. Hilar.

128 Resp. ly *præteribit* intelligendum esse, sicut locus Pauli 1. *ad Cor. 7. Præterit figura huius mundi.* Quem locum S. Augustinus, Ambrosius, & cæteri omnes declarant de figura, id est præsenti dispositione, salua remanente substantia.

Declaratur Hilar. & facilè.

Obijcit 6. *Isidorum Pelusiotam, epist. 188.* dicentem, si cælum libri instar conuoluitur, & astra cadunt, & Orion, & omnia, quę ipsius complexu coercentur, igne conflagrant: ergo.

Argum. ex Isid. Pelus.

129 Resp. neg. consequ. Nam *S. Aug. in lib. 20. de ciuit. cap. 24.* ex casu stellarum è cælo, si verè stellæ cadent, infert, quod cælum non destruetur; sic enim habet, *Possunt illi cælum intelligi periturum, quos dixit repositos igni reseruandos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta in qua eosdem cælos dixit esse repositos; salutis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta: nam, & illud, quod scriptum est, stellas è cælo esse casuras (propter quod potest multo probabilius, & aliter intelligi magis mansuros esse illos cælos, si tamen stellæ inde casuræ sunt, &c.* Ergo nihil concluditur ex Pelusiota, sed contrarium secundum Augustino.

Ex hoc arg. Aug. deducit oppositũ

Obijcit 7. *Ioan. Damasc.* docentem in *lib. 2. orthod. fidei cap. 6.* Cælos iuxta naturæ seriem esse corruptioni obnoxios, Dei autem gratia contineri, & conseruari. Ipsi verò peribunt, quamquam non prorsus interibunt; veterascent enim illi, & sicut opertorium mutabuntur, eritque cælum nouum, & terra noua. Ergo docet, substantialem futuram corruptionem.

Argum. ex Io. Damasc.

130 Respondetur iam in 2. *art. ex Hier.* expressis verbis fuisse solutum hoc argumentum, ait enim Hieronymus in melius mutandum cælum, & terram, salua remanente substantia, et propterea, figuram mundi perituram, non naturam.

Fuit solutum

Obijcit 8. *Ambrosium lib. 1. in Hexam. c. 6.* refutante sententiam Philosophorum de æternitate mundi, et addente, *quod adeo probauit in Euangelio Dominus, vt diceret, cælum, & terra transibunt,* et ait, id accepisse ex *Basilio hom. 1. in Hexam.* ergo.

Argum. ex Ambros.

131 Resp. tantum abesse, vt hi DD. sancti doceant cælum substantialiter corrumpendum, vt asserant contrarium. *Ambrosius* enim, vt retuli in *articulo 2. in cap. 7. primæ ad Corinth.* vbi declarans dictum Apostoli, *præterit figura huius mundi,* ait, *quia finiri mundum dixit, ostendit figuram eius præterire, & hunc esse finem, & non substantiam eius præterire, sed formam.* quid clarius? in loco autem Exameron, nullum prorsus verbum habet de cæli substantiali destructione, sed declarans primũ Geneseos *in principio creauit Deus cælum, & terram,* ostendit contra Philosophos cælum non esse æternum à parte ante, & Dei voluntate subsistere, imo ex se esse corruptibile, & impugnat Philosophorum sententias diuersas, & præsertim eam, quæ dixit cælum esse quintam quandam naturam, quæ diuturnior esset; & subdit *Ambrosius*, hoc non obstare propheticæ sententiæ Dauid *Psal. 101. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, &c.* quod adeo probauit in Euangelio Dominus, *vt diceret cælum, & terra transibunt, &c.* ex quibus concludit, quod ad asserendam cæli perpetuitatem, non sufficit dicere, quod habeat quin tam naturam. At ex hoc nihil prorsus concluditur de destructione substantiali futura, sed quod secundum se, & intrinsecè sit destruibilis à Deo, at quod secundum figuram, id est aliquam speciem, quæ illi nunc inest præteribit, alias Ambrosius non esset sibi, nec concors, nec constans.

Nihil tale dicit Ambr. alias relatus, sed contrarium.

In Exam. de hoc non loquitur.

Obij-

Argum. ex Hieron.

132 Obijcit 9. *Hieron. in cap. 34. Iſaiæ, & cap. 51. ac 60.* ſed vanum eſt pro contraria ſententia adducere Hieronymum, cum ipſe author ſit negatiuę, docens ſubſtantiam cælorum non eſſe perituram, vt ſusè viſum eſt in *artic. 2. in cap.* enim 65. *Iſaiæ*, declarans illud Pauli, *præteris figura huius mundi*, inquit, *conſideremus quid dixerit; præterit figura, non ſubſtantia.* Et alia multa vt ibi, imò comparat mundum homini infanti, & ſucceſſiuè ſeni, dicens, quod ſicut dicitur perire homo, ſecundum eas ætates, ita & mundus; & quia infans factus ſenex, non perdit priorem ſubſtantiam, ita nec mundus, & declarans illud Petri *cælos nouos, &c.* dicit, eoſdem eſſe meliorandos; & ita quidem, quia ſecundum eum erunt luminoſiores.

In vanum adducitur Hieron. cum ipſe ſit Mag. Sent. appoſitæ.

133 Concludendum ergo, quod ex Patribus non eruitur ſubſtantialis cælorum deſtructio, ſed immutatio, & innouatio. Eò vel maximè, quia, vt patuit ex Auguſtino incertum eſt, an ignis eos attinget, cum purgatione non egeant.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. Fruſtratorium eſſet lumen illud, nam homo tunc non egebit lumine. Certum eſt autem, quod ob hominis commodum creatum ſit lumen: ergo.

Lumen erit ad delectationem.

134 Reſp. neg. anteced. ad probat. Licet non ſit homini neceſſarium ad generationem, & vſum corporalem; erit tamen delectabile, & maximè commendabit Dei omnipotentiam; nam *à ſpeciei magnitudine, magnitudo Dei cognoſcitur*, ex *Sap.* 13. Adde, quod Propheta dicit, Lunam, vt Solem debere lucere, & Solem ſeptimpliciter: ergo.

Ob. 2. ex *Iſa. 60.* habetur *non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, neque Luna illuminabit te*: ergo.

Non erit amplius nox.

135 Reſp. diſt. modo vſuali, qui nunc eſt concedo; aliter nego. Non enim, vt poſtea dicetur erit amplius diſtinctio diei à nocte, ſed ſemper dies, ceſſabit enim cælorum motus. Illuminatio autem illa erit ad maiorem perfectionem, & decorem, vt ex SS. Patribus diximus.

## ARTICVLVS V.

### *An ſtellæ poſt iudicium caſuræ ſint de cælis.*

Ratio dubitandi.

ADu. rationem dubitandi eſſe, quia apertè Saluator *Matth. 24.* ait, *ſtellæ cadent de cælo, & Iſaiæ 34.* Secundo, quia vſus earum non videtur amplius poſt iudicium neceſſarius.

Plures ſent.

136 Adu. 2. circa caſum ſtellarum è cælis, plures fuiſſe ſententias. Aliqui enim dixerunt, locum illum allegoricè intelligi poſſe, vt *Auguſt. lib 20. de ciuitate cap. 24.* & alijcum eo. Aliqui dicunt intelligi de veris ſtellis, quos ibidem refert *Auguſtin.* ſed ſuppreſſo nomine. Alij de exalationibus ignitis, quæ, vt ſtellæ apparent in aere, & cadere videntur; quia tunc erunt in magna quantitate; ita *Lyran. in cap. 24. Matt.* ex *Hieron.* ibidem. At quodcumque dicatur, expreſsè in ſcriptura non habetur; alioquin non variarent interpretes, ſed vniformiter rem docerent.

Eſt incertum an verę ſtellæ ſint caſuræ, ſed probabilius, quod non,

137 Dico ergo. Non eſt certum, an ſtellæ, ſecundum ſubſtantias euellendæ ſint è cælis, & caſuræ in terram tempore iudicij, vel poſt. At probabiliſſimum eſt, non eſſe ita caſuras, ſed Saluatoris verba, aliter eſſe intelligenda.

Myſticè declaratur caſus ſtellarum ex Euang. prædictus.

138 Prob. 1. *Matth. 24.* vbi legitur, *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen, & ſtellæ cadent de cælo.* Gloſſa Interlin. Ver. *Stellæ*, ait id eſt *lumine priuabuntur*. Gloſſa Ordinar. ait myſticè intelligi, *Eccleſia ſpecioſa, vt Luna, electa vt Sol, & quæ noctem illuminat, vt ſtellæ, tunc non apparebit impijs vltra modum ſæuientibus, & cadent multi qui fulgere videbantur*, quod quidem ante iudicium erit. Alio modo literaliter explicat eadem Gloſſa ibid. *Vel Sol, & Luna, & ſtellæ ad tempus ſuo lumine priuabuntur; ſed peracto iudicio, ac mundo innouato maius lumen recipient.* *Lyranus* verò ait, *ſtellæ non cadent quantum ad earum ſubſtantiam, ſed ſecundum apparentiam, quia vera ſtellæ abſcondentur propter nubium denſitatem, & de nubibus verſus terram deſcendent exhalationes ignitæ, quæ dicuntur ſtellæ cadentes.* Idem docet *S. Bonau.* infra citandus: ergo.

Et literaliter.

Lyr. de abſconſione earum intelligit.

Gloſſa.

139 Prob. 2. ex Gloſſa in *cap. 13. Marci ver. 25. Et ſtellæ cæli erunt decidentes*, vbi Gloſſa Ordinar. *Sydera in iudicio videbuntur obſcura non lucis ſuæ diminutione, ſed ſuperueniente veri luminis claritate:* & poſt, *quamuis nihil prohibeat, verè intelligi, tunc Solem, & Lunam, tum alijs ſyderibus ad tempus ſuo lumine priuari:* & poſt aliqua, *ſed peracto die iudicij, fiet, quod dicit Iſaias, erit lux Luna, ſicut lux Solis, & lux Solis ſi-*

*septimpliciter*; & Verbo, *Decident*, ait, *à lumine, quando penè decrit semen Abrahæ, cui assimilata sunt stellæ.*

Ex Ambros. 140 Prob. 3. ex *S. Ambros. in cap. 21. Luc.* *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, &c.* vbi ait, *quæ signa secundum Matthæum clarius exprimuntur, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo*, quem locum mysticè docet intelligi, & præ cæteris, ait, *Stellæ cadent, illi vtique resurrectionis gloria tam micantes, illi viri, sicut luminaria in sæculo verbum vitæ continentes; illi viri, de quibus Abrahæ dictum est, quia sicut cæsium fulget, & stellæ, sic & semen eius; excident ergo hominibus Patriarchæ, excident Prophetæ, si persecutionis acerbitas convaluerit.* Ergo casus stellarum non intelligitur merè literaliter.

Ex Hieron. 141 Prob. 4. ex *D. Hieron. in cap. 24. Matthæi*: *Sol, & Luna obscurabuntur, & non dabunt lumen suum, & cætera astra cadent de cælo, non diminutione luminis, alioquin legimus Solem septuplum habiturum luminis, sed vt comparatione veræ lucis, omnia visui tenebrosa sint. Si igitur Sol, Luna, & stellæ, quæ ad nostrum solatium sunt accensæ in aduentu Christi in tenebras reputabuntur, decutietur supercilium eorum, qui se sanctos arbitrantes præsentiam iudicis non formidant.* Ergo casus stellarum non est ausulsio secundum substantiam.

Ex eodem Hieron. 142 Conf. ex eodem in *cap. 13. Marci*, vbi mysticè id declarat. *Stellæ erunt decidentes lumine, quando penè decrit semen Abrahæ, cui assimilata sunt stellæ.*

Ex eodem. 143 Conf. 3. ex eodem in *cap. 34. Isaiæ*, vbi declarans illud, *complicabuntur, sicut liber cæli, & omnis militia eorum defluet, &c.* ait, *quod 70. interpretati sunt sic, stellæ defluent in similitudinem foliorum, quæ appropinquante frigore arentia, atque contracta de ficu, & vinea defluunt; quod quidem, & Saluator loquitur in Euangelio, stellæ cadent de cælo, &c.* descendit deinde ad explicandum hunc locum sic, *stellas autem cadere plerique arbitrantur, iuxta Apocal. Ioannis, & illud, quod alibi scriptum est, stellæ vniuersæ ardentes soluentur, & cælum, ci terra transibunt, præterit enim figura huius mundi. Quidam de his stellis disputant, quæ in cælo rutilant, vt in parte monstretur, & totum, quod scilicet per stellarum ruinam, etiam cælorum interitus ostendatur. Alij verò has stellas putant esse ruituras, de quibus Paulus scribit, non est nobis certamen aduersus sanguinem, & carnem, &c. sed aduersus Spiritualia in cælestibus. Nec mirum si dæmones, qui in aere habitant dicantur esse cælestes, cum etiam volucres cæli, quæ in aere volitant scriptura cognominet. Nam & Sathanas transfiguratur in Angelum lucis, stellam se esse simulans*, & multis id comprobat: & postea, quasi hanc sententiam firmans, subiungit, *hæc vniuersa fient, quia inebriatus est in cælo gladius eius, &c.* ergo certum non est, quod de casu literali stellarum loquutus sit Saluator; sed potius de allegorico, seu tropologico.

Dæmones in aere habitantes intelligit per stellas, ait Hier.

Ex Auguſt. 144 Prob. 5. ex *S. Augustino lib. 20. de ciuitate Dei cap. 24. sub B.* vbi de conflagratione cælorum, vt sæpe dictum est, sic habet. *Possunt illi cæli intelligi peritari, quos dixit repositos igni reseruandos; & ea elementa accipi arsura, quæ in hac ima mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cælos dixit esse repositos, salvis illis superioribus, & in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sydera constituta. Nam, & illud, quod scriptum est stellas de cælo esse casuras, propter quod multo probabilius, & aliter potest intelligi, magis ostendit mansuros esse illos cælos, si tamen stellæ casura sunt. Vel cum tropicè sit locutus, quod est credibilius, vel in isto suo cælo futurum sit vtique mirabilius, quam nunc sit.* Ergo *Augustinus*, sicut cæteri prædecessores casum stellarum, ait intelligendum tropologicè.

Intelligit de cælis aereis.

Et tropicè.

Ex Apocal. A pari arg. 145 Prob. 6 à pari *Apocalyp. 6. ver. 13.* habetur etiam idem modus loquendi, *stellæ cæli de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos, cum à vento magno mouetur.* & tamen Patres, & Glossa, ac Lyran. tropologicè docent intelligi. Glossa enim Ordin. ait, illi, in quibus Sol lucet, reputabuntur rei, & peccatores claritatem suam in se retinentes, vel quia quidam ad tenebras decident. Lyranus ait, stellæ cæli id est multi eminentes in Ecclesia timore mortis inclinati fuerunt ad idolatrandum, &c. & ita intelligit Hieronymus supra citatus.

Mysticè intelligunt stellas.

Ambros. mystice declarat stellas 146 *S. Ambrosius in cap. 6. Apocal.* in fine, sic declarat, *& stellæ de cælo ceciderunt. Per stellas Principes sacerdotum designantur Scribæ, & Pharisæi:* & post declarationem aliorum, vt ficuem, & grossorum, ait, *stellæ itaque grossorum more in terram ceciderunt, quia eos qui per doctrinam legis velut stellæ in populo refulgebant, eadem pœna concluſit, quæ, & cæteram multitudinem*, loquitur de facto vastationis Ierusalem, & Iudeæ per Titum, & Vespasianum. Igitur stellarum casus in scriptura, non est necessarium, vt literaliter intelligatur.

Ex Apocal. iterum, vbi mystice stella accipitur. 147 Prob. 7. in *Apoc 8. ver. 10.* fit mentio de casu stellæ, *cecidit de cælo stella magna*, similiter in *cap. 9. Et vidi stellam de cælo cecidisse in terram*, & tamen Glossæ vtrobique mysticè stellam, & casum accipiunt allegoricè, vel tropologicè pro casu dæmonum, vel aliorum, in Ecclesia præeminentium. Ergo, cum hic sit communis modus loquendi scripturæ, & ita a Patribus intelligatur, non potest inde conuincens deduci argumentum, quod stellæ literaliter acceptæ, sint de cælo casuræ in terram.

148 Prob. 9. ex *S. Bonau. in 4. sent. distinct. 48. par. 1. quæst. 3. num. 26.* Cum in-

ueni-

Ex Bonau. expreſſe pro ignitis exalationibus accipit ſtellas.

nenitur, quod ſtellæ cadent de cælo, intelligitur de cælo aereo, & ſtellæ vocantur ibi à ſimili, quia habent ſimilitudinem ſtellarum, & ſecundum vulgarem opinionem dicuntur ſtellæ cadere, quoniam à ſupernis deſcendunt, & ſcriptura conformat ſe modo communi loquendi. Tunc autem maxime fiet talis impreſſio, quia ignea qualitas abundabit, & hoc faciet Dominus ad terrorem peccatorum. hæc Seraficus Doctor.

149 De ſtellis ergo quoad ſubſtantiam non deſtruendis, vel deſtruendis pauci loquuntur, explicitè, & in puncto; tamen ex ijs, quæ dicunt de permanenti a ſubſtantiali cælorum, concludi poteſt permanentia ſubſtantialis ſtellarum, etenim ad cælorum ſubſtantiam pertinent ſubſtantiæ ſtellarum. Solis autem, & Lunæ ſubſtantiæ, ex dictis in ſecundo, & tertio articulo iuxta Hieron. doctrinam perſeuerabunt, & eorum lumen augebitur. Igitur idem de alijs ſtellis dicendum.

Ex paritate Solis, & Lunæ arg.

150 Conf. *Irenæus lib. 5. cap. 36.* ait. Non ſubſtantia, neque materia conditionis exterminatur, ſed figura tranſit mundi huius, hoc eſt, in quibus tranſgreſſio facta eſt. Ergo ſi non deſtruitur ſubſtantia mundi; neque deſtruetur ſubſtantia ſtellarum, maxime quia in eis non eſt facta tranſgreſſio.

Irenæo.

151 *Cyrillus Hieroſolymit.* ad rem magis accedens in *Catechiſi* 15. ait. Pertranſibit hic mundus, vt pulchrior reſtituatur. Audi Eſaiam prophetam dicentem. *Et complicabitur, ſicut liber cælum, & omnia aſtra cadent, ſicut folia de vinea, & ſicut cadunt folia de ficu:* & Euangelium inquit, *aſtra cadent de cælo*, & paulò poſt, ſic ſequitur. Complicabit autem cælos Dominus, non, vt perdat eos, ſed vt rurſus meliores illos excitet. Ergo ſubſtantiæ ſtellarum non deſtruentur.

Cyrill. Hier.

152 *Baſil. Mag. homil. 1. in Hexamer. diuini opificij*, ait, *præterit figura huius mundi, & cælum, & terra tranſibunt*. Vtrumque hoc dogma certò præcinens futuram conſumationem, mundique in melius permutandi innouationem. Ergo ſi ſubſtantiæ cælorum non deſtruuntur, ſed in melius commutantur; neque deſtruentur ſubſtantiæ ſtellarum, quæ partes cælorum ſunt, ipſiſque cælis ſubſtantialiter annexæ.

Baſil. Mag.

153 *Euthymius in Pſal.* 101. ait. *Et ſicut opertorium volues eos, & mutabuntur.* quod ſuperius dixit peribunt, nunc ait, mutabuntur, declarans priora, & ſignificans, quod ipſi etiam cæli immutabuntur, ac renouabuntur. Ergo idem de ſtellis dicendum.

Alia argumenta ad hoc deſumenda ſunt ex *art. 2. & 3.* de immutatione ſubſtantiali cælorum; ſunt enim ad idem. Si enim deſtruuntur ſtellæ, cæli ſubſtantia deſtruitur.

## ARTICVLVS VI.

### *An motus cælorum ceſſabit poſt iudicium.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. ſent. diſt. 48. quæſt. 2.* exactè diſcutit hoc dubium iuxta ſententiam Philoſophorum, ac Theologorum, & concludit ex Magiſtro Sent. & Sacra ſcriptura, motum cælorum eſſe ceſſaturum.

Philoſophi à Theologis in hoc diſcordant.

154 Adu. in hoc dubio Philoſophos ſequentes Ariſtotelem, docere, motum cælorum, æternum eſſe futurum; eorum argumenta Scotus adducit, & ſoluit, quorum aliqua referemus infra. Theologi verò, omnes conueniunt in parte affirmatiua ceſſaturum ſcilicet omnem motum, omnium corporum cæleſtium. Sed in aſſignanda ratione, diſcordant; aliqui enim vtuntur leuibus argumentis, quæ Scotus reijcit, vt poſtea patebit. Scotus ergo, ingenuè fatetur, hanc ſententiam veram eſſe, quæ licet non habeatur expreſsè in ſcriptura, eſt tamen ipſi valde conformis, & à SS. Patribus docetur. Ideo

Poſt iudiciũ ceſſabit motus cælorũ.

155 Dico. Poſt iudicium ceſſabit motus cælorum. Eſt communis *Mag. Sent. diſt. 48. Scoto vbi ſupra, D. Bonauentura in 4. diſt. 48. part. 2. quæſt. 2. D. Thom. in 4. ſent. diſt. 48. art. 2. in ſolut. ad 2. &c.*

Beati non egebunt lumine ſyderũ

156 Probari ſolet 1. ab *Henr. quodlib. 4. quæſt. 12. ex Iſaiæ 60. ver. 19. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te.* Sed hæc ratio non conuincit, primo, quia plus probat, quam ſit neceſſarium; probat enim Solem, vel eſſe deſtruendum, vel amiſſurum lumen, & tamen idem Proph. in *cap. 30.* ait, *erit lux Lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis ſeptiformis.* Secundo, ait Scotus, authoritas hæc, licet videatur negare lucem Solis, & Lunæ, non tamen eam negat, vt optime S. Hieron. notat, ſed dicit, quod Beatis non erit lux horum ſyderum neceſſaria, quia textus ſic ſequitur, *ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* ideo ait *Scotus*, ergo ex hoc loco non probatur intentum.

2. arg. non concludit.

157 Probari ſolet 2. ex *Apocal. 10. Angelus leuauit manum ſuam ad cælum, & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, &c. quia tempus non erit amplius.* Igitur neque motus; tempus enim eſt duratio motus. Sed inquit *Scotus*, neque hanc authoritatem eſſe ad rem, poſſet enim declarari facilè, quod non remanebit tempus ad implendam prophetiam illam, quia tunc omniſerit impleta,

3 arg. neque conuincit, nec eſt ad rem.

158 Probari ſolet 3. ex fine fruſtraneo. Nam poſt iudicium ceſſabunt generationes, & corruptiones, propter quas eſt neceſ-

cessarius motus: ergo. Sed ait *Scotus*, quod Philosophi derideren hoc argum. quod scilicet cessante effectu debeat cessare causa; influxum autem in generationes, &c. dicet Philosophus non esse finem primarium, motus cæli, sed primarium finem esse æternitatem ipsius cæli: generatio autem, & corruptio, cum sint quid ignobilius cælo, non possunt esse finis illius. Imò, neque Theologus ex defectu huius effectus, dicit primariò, cælum à motu cessaturum, sed ex Dei voluntate sic decernente: sed supposito hoc reuelato principio, vt infra, benè probat.

Ignobile nó est finis naturalis rei nobilioris.

159 Probat proinde *Scotus* hanc conclusionem quoad possibilitatem ex parte mouentis, & ex parte mobilis, ideoque non repugnare ab intrinseco cessationem motus: primo sic. Voluntas Dei, quæ est prima causa mouens cælum, contingenter se habet ad mouere, & non mouere: ergo. nam eo non influente, nulla alia causa proxima potest motum illum causare. Ex parte mobilis sic. Motus cæli non est naturalis, nec violentus, sed neuter. Ergo cælo non repugnat esse, & non moueri. De primo probat ex *Auicen. 9. Metb. c. 2.* quia, si naturalis, quando perueniret ad terminum illum, ad quem tendit, naturaliter quiesceret, & violenter ad alium moueretur; imò sequeretur, quod nunc semper moueretur motu naturali, & violento simul; nam, quando est accessus vnius partis ad aliquod vbi, est recessus alterius ab illo primo; imò omnes partes cæli naturaliter accederent ad illum, & violenter recederent; quia omnes quiescunt naturaliter sub illo. De violento patet, quod non sit; alioquin recessus esset naturalis, & tunc sicut modo argutum est, omnes partes violenter, & naturaliter mouerentur.

Arg. ad rem

Ex possibilitate arguit Scotus quoniam Deus potest non concurrere ad motum.

Ex parte mobilis etiam.

Sed hoc argumentum, licet conuincat possibilitatem cessationis motus, non tamen factum, scilicet cessationem.

Ex Gen. 1.

160 Prob. ergo sic, ex 1. *Gen. Luminaria facta sunt in firmamento cæli, vt dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, dies, & annos, &c.* Glossa Interlin. ait, *vt ætatem, autumnum, hiemem, &c. cum compleuerint cursum suum.* Glossa Ordinar. *August.* ibi inter alia dicit, *dies, & anni, quos vsitatè nouimus, motibus syderum fiunt.* Igitur habemus reuelatum finem, propter quem sydera, eorumque cæli facti sunt, vt scilicet inseruiant præ cæteris ad illuminandum, distinguendum dies, ac noctes, & anni tempora. Sed post iudicium, in primis non erit nox, ex *Zacharia 14. Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi, erit lux.* Interlin. ait, *non vicissitudo diei, neque noctis. Lyranus*, sic inquit. Dies proprie est latio Solis super terram, & non latio sub terra, in generali resurrectione corpora erunt incorruptibilia, & sic cessabit latio, & corruptio in elementis, & motus cæli, qui est causa generationis, & corruptionis; & sic non erit dies, & nox propriè, quæ causantur ex motu Solis.

Ex reuelatis quomodo deducitur.

Post iudicii 16 erit nox.

161 Prob. 2. ex *Isa. 60. ver. 20, Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur*, Glossa Ordinar. quæ est *Hier.* ait, *hoc de die iudicij. Hoc capitulo cogimur quæcumque dicta sunt, vel dicenda, ad vltimum tempus referre, quoniam cæli, terræque Solis, ac Lunæ nobis cessabit officium:* ergo. Ex Isa, Ex Hieron,

162 Prob. 3. ex Glossa Ordinar. *Isid. in cap. 60. Isai.* nuper cit. *Post iudicium Sol laboris sui mercedem recipit, vnde Propheta ait, lucebit semper simpliciter, nec veniet ad occasum, nec Sol, nec Luna, sed in ordine, quo creati sunt stabunt:* ergo. Ex Isidoro à Glossa adducto.

163 Prob. 4. ex *S. Ambrosio in cap. 8. ep. ad Rom.* versu, *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptelæ, &c.* sic habente, *Omnis creatura per quotidianum laborem congemiscit, & dolet vsque modo. Ipsa enim elementa, cum sollicitudine operas suas exhibent, quia, & Sol & Luna non sine labore statuta sibi implent spatia, &c. Hæc ergo omnia expectant requiem, vt à seruili opere liberentur, &c.* Ergo seruitium istud motus cælorum cessabit. Ambros.

164 Prob. 5. ex *S. Gregor. Nisseno, de homin. Opificio cap. 23. Nos autem, sicut sæcula Dei verbo condita esse intelligamus, &c. eadem persuasione hoc etiam Dei Verbum amplectemur, quo res vniuersas, à motu cessaturas necessariò prædixit.* Greg. Niss.

165 Prob. 6. ex S. *Thom. in 4. sentent. dist. 48. quæst. 2. art. 2. ad 2.* sic habente, homini motus cæli inseruit, quantum ad statum generationis, & corruptionis, quæ tunc cessabunt, & sic motus non est de perfectione corporum cælestium, quamuis autem tunc Sol non circumeat, in nulla tamen parte erunt tenebræ perpetuæ. Idem dicit ad tertium: ergo. S. Thoma.

166 Prob. 7. ex Glossa Lyrani in *Psal. 101.* Verbo, *Ipsi peribunt*, vbi ait, cæli peribunt quantum ad aliquam dispositionem, quia corpora cælestia cessabunt à motu locali. Idem in *cap. 51. Isaiæ.* Ver. *Cæli, sicut fumus liquescent*, ait. Per hanc liquefactionem, intelligitur cessatio à motu, quia cessabit in finali iudicio. Idem in *cap. 24. Matth.* Ver. *Cælum, & terra transibunt*, ait, non quia corrumpantur secundum substantiam, sed quia cessabit motus cæli, & transmutatio in elementis. Ista enim ordinata sunt ad complendum numerum electorum; & ideo ipso completo in iudicio, cessabunt, sicut ea, quæ sunt ad finem, habito fine. Idem replicat in *epist. ad Hebr. cap. 1.* diffusius. Glos. Lyran. sæpe id inculcante.

167 Prob. 8. ex S. *Bonauent. in 4. dist. 48. par. 1. quæst. 2. num. 27. Sol, & Luna, sicut dicit Isid. & habetur in litera post iudicium non tendent ad occasum, sed stabunt in ordine suo in quo creati sunt.* Ex Bonau.

Ex Riccard.

168 Prob. 9. ex *Riccardo dist.* 48. *art.* 2. *qu.* 2. In mundi innouatione, cessabit motus cælestium corporum, non per naturam, sed per voluntatem intelligentiarum mouentium, obedientium voluntati Dei indesinendo mouere. hæc *Riccard.*

Ratione.

169 Prob. 10. ratione. Motus cæli non est perfectio eius intrinseca, neque terminus per motum acquisitus. Ergo non est necessarium, vt quandiù durat cælum moueatur. Hoc enim in illis tantum de necessitate infertur, quorum vnum est perfectio alterius. Anteced. prob. Per motum localem nihil acquiritur, nisi vbi, quod nullam adducit perfectionem in ente nobilissimo, & incorruptili naturaliter.

Mag. Sent. omnes acceperunt.

170 Hi autem omnes acceperunt à *Magistro Sent. dist.* 48. expresse docente, *cælorum motum fore cessaturum*.

Arg. contr. ex Philos.

Ob. 1. pro Philosophis, ex *Scoto dist.* 48. *quæst.* 2. *A.* substantiæ perfectissimæ, vt est impassibilis, competit communicare alteri extra suam perfectionem, producendo scilicet eam in alio. Cælum autem est talis substantia: ergo. Sed non potest communicare, & producere, nisi mouendo: ergo.

Substantiæ incorruptibili non cõpetit ab intrinseco producere æternaliter, sed quantum statuit Deus.

171 Resp. Quod licet *Scotus* eleuet hoc argumentum, & magnificiat in Philosophi obsequium; nullius tamen est roboris, sicut ipsemet *Scotus* in solutione ostendit.

Resp. ergo in forma. Competit ei communicare, seu producere æternaliter, nego. Pro tempore, in quo est à Deo destinata ad talem productionem, concedo. Et sic ruit tota machina. Est enim cælum à Deo destinatum in hominum seruitium; id est, vt influeret in generationes, & corruptiones animalium, mixtorum, metheororum, &c. cum ergo cessabunt hominum, & aliorum generationes, cessabit etiam cælorum influxus, & motus.

Dices. Est incongruum dicere, quod finis cælorum sit ad influendum in corruptibilia, cum ipsum sit incorruptibile.

Cæli sicut, et alia Dei voluntati obediunt.

172 Resp. neg. anteced. Cæli enim sicut, & omnes aliæ creaturæ voluntati Dei obediunt; & nullum est inconueniens, vt ad vsum hominis faciat, quoad influxum temporalem, sicut nullum est inconueniens, quod Angeli hominibus inseruiant in custodia, & illuminationibus, cum tamen cælis longe sint perfectiores. Imò Angeli ex ipsomet Philosopho assistunt cælis, quos mouent, & tamen sunt eis nobiliores. Adde, quod vniuersi perfectio à Deo stabilita id exigit. Cessante autem fine, cessat motus. Philosophus verò, qui errat in antecedente, docens, primam causam ad extra agere necessariò, & statuisse cælo finem optimum, & sui communicationem; errat etiam in consequentia, docens, non posse finem illum per quamcumque causam cessare.

Ob. 2. Inter extrema sempiterna, semper, ac necessariò est eadem habitudo; sed intelligentia motrix cæli, & cælum sunt extrema sempiterna. Ergo motus inter ea est sempiternus.

Falluntur Philosophi in his arg.

173 Resp. dist. mai. Si habitudo illa influat ex vtroque extremo naturaliter operante, concedo. Si alterum eorum liberè in eam influat, nego; ita se habet intelligentia. Imò, ait *Scotus*, potest agens antiquum, vt est Deus voluntate immutabili, ab æterno agere in passum mutabile, & ita secundum nouam formam habitam, noua in passo insurgeret habitudo. Esto ergo tam Deus, & Angeli, quam ipsum cælum sit ex Dei beneficio per æternitatem duraturum, cum Deus pro tempore tantum decreuerit cælum esse mouendum in tempore præfixo cessabit motus.

Ex Dei decreto oritur quod cælum temporaliter tantum debet moueri.

Philos. quare à Theol. discordant in hoc dubio.

174 Alia Philosophorum argumenta, nullius sunt roboris contra Theologos, quia illi docent causam primam, & intelligentias operari ad extra necessariò, & mundum cum cælo intrinsecè esse indefectibilia. Vtrumque autem est hæreticum. Omnia enim, quæcumque vult Deus, facit; & in eius potestate est ad nihilum reducere, quæ de nihilo creauit. Ideoque in eorum argumentis non oportet amplius immorari.

Argum. pro Theolog.

Ob. pro Theologis, ex *Gen.* 1. *Luminaria cæli facta sunt in dies, & annos in signa, & tempora*. Hæc autem haberi non possunt sinu eorum motu. Ergo motus erit æternus,

Argum. in quatuor terminis, & cõ petitione principij.

175 Resp. argum. non concludere, quia est in quatuor terminis, in maiori enim supponitur, dies, & annos in æternum esse futuros, sicut modo sunt: & tunc est petitio principij. Dicitur ergo, cælos factos in signa, & tempora dies, & annos, quousque ista erunt necessaria ex Dei voluntate.

Ob. 2. Philosophus 7. *Meth. com.* 17. ait, timendum non est, quod cælum stet; & rationem assignat, quia agens non fatigatur, &c.

Pro tempore à Deo decreto mouetur cælum.

176 Resp. dist. anteced. Pro eo tempore, pro quo decretum est moueri, concedo; post illud, nego. Imò etiam anteced. est falsum, quia, sicut tempore Iosue, & Ezechiæ steterunt Sol, & Luna, ita fieri posset, vt alijs vicibus iuxta Dei prouidentiam, sistant. Ad probationem Respondetur quietem non esse orituram ex fatigatione primi agentis, sed ex voluntate ipsius.

Ob. 3. Mundus post iudicium non erit imperfectior, quam nunc. Ergo, cum nunc motus in cælis importet perfectionem, eadem est admittenda post iudicium. Minor prob. Si non esset perfectio, nunc frustra moueretur.

Quies in cælo est perfectior motu.

177 Resp. neg. consequ. ad probat. dico quietem esse perfectiorem motu in ipso cælo respectu sui. Tamen respectu vniuersi, in quod ex Dei decreto debet influere, est perfectio secundum quid. Et ideo motus cæli est finis sub fine, id est ordinatus ad

alium

alium finem à Deo intentum. Ideo nunc non mouetur frustra, quia exequitur Dei iussa.

Instab. Motus respectu quietis se habet, vt potentia respectu priuationis. Ergo, si tunc non mouebitur, transibit ad imperfectionem.

Quando mobile perficitur à termino, motus est perfectio mobilis.

178 Resp. dist. antec. Si sumatur quies negatiue, concedo, si positiue, nego: motus enim vniuersaliter loquendo, fit propter quietem, tamquam finem in ijs mobilibus, quæ perficiuntur à termino motus, vt patet de alteratione perfectiua, augumentatione, &c. Cælum autem non est sic; & ideo ex mox dicendis, cum neutro modo se habeat ad motum, non perficitur ab eo, nec inficitur, nisi tantum per accidens respectu vniuersi indigentis eius motu. Cum autem vniuersum eo non egebit, cessatio motus nullum in eo inferet imperfectionem.

Ob. 4. Motus cæli nunc non est violentus; alioquin non durabilis, ex t. *de cælo com.* 15. & *ex* 2. *t.* 18. ergo naturalis: & per consequens si cessabit post iudicium, quies erit violenta; ac proinde non durabilis.

Motus cæli est neuter ideo si cessat, non patitur violentum.

179 Resp. Esse neutrum ex parte cæli mobilis, ex parte verò agentis, voluntarium. Et licet, ait *Scotus*, in cælo, ratione figuræ sphericæ, adsit habilitas ad motum sphericum, hæc tamen non sufficit ad naturalitatem motus. Nam hæc dicit inclinationem in mobili prouenientem à principio eius intrinseco, quod expectat aliquam perfectionem à termino motus. Hæc autem expectatio inueniri nequit in cælo: ideo, &c.

Argum. ex successione.

Ob. 5. Post iudicium dabitur successio in rebus: ergo tempus; & per consequens motus; cum tempus sit duratio motus, eiusque passio, ex 4. *Phis. cap. De tempore*, *t.* 135. Anteced. prob. Animæ beatorum, & damnatorum cogitationes succedentes habebunt: sic & potentiæ imaginatiuæ eorum. Consequ. prob. Ex *Autor.* 4. *Phis.* de tempore si quis non perciperet fluxum, nisi in actu imaginandi, adhuc perciperet tempus.

Tempus intrinsecum, et extrinsecum primum est de essentia successiui non 2.

180 Resp. dist. consequ. Dabitur motus primi mobilis, vel aliorum cælorum, nego; alij motus, concedo, & nego consequ. Supponendum est autem ex Physicis, quod datur tempus extrinsecum in omnibus rebus, & tempus intrinsecum. Primum est duratio motus primi mobilis, qui quidem motus, cum sit velocissimus, & vniformis, alias spheras secum trahens ad motum diurnum, inseruit nobis pro mensura annorum, dierum, horarum, &c. At præter durationem istius motus, seu præter hoc tempus extrinsecum mensurans nostras actiones, habemus tempus intrinsecum, quod est intrinseca, & quidditatiua mensura, cuiuscumque alterius actionis, seu passionis successiuæ. Oratio enim augumentatio, & de loco ad locum latio, successiua entia sunt, & durationem habent intrinsecam, quæ quidem cessante motu primi mobilis, vt fuit tempore Iosue, & Ezechiæ adhuc existebant, vere enim ipsius Iosue bellum successiuè fuit perfectum. Et ita omnes actiones aliarum rerum, quæ non in instanti, sed pars post partem factæ sunt. Ita erit de cogitationibus hominum post iudicium, vna succedet alteri, &c. & sic nihil officit cæli quies, quia ait *Augustin. lib.* 11. *confess. cap.* 10. *stante cælo, adhuc moueretur rota figuli.*

Cessante tempore extrinseco non cessat intrinsecum.

Instab. Non potest dari mensuratum sine mensura. Tempus autem, quod est durario motus primi mobilis, est mensura omnium motuum: ergo.

Mensuratum non datur sine mensura quidditatiua.

181 Resp. ex *Scoto sub 1.* dist. ma. Sine mensura quidditatiua, & intrinseca, concedo; sine extrinseca, nego. Talis est motus primi mobilis in mensurando successiua. Exemplum de vlna mensurante pannum; hæc enim est panno extrinseca; & pannus, absque vlna, habet suam extensionem quidditatiuam. Ita de carne, ac caseo respectu libræ, & statеræ. Ita prorsus est motus primi mobilis respectu aliorum motuum, mensura scilicet per applicationem, non verò per terminationem dependentiæ essentialis eorum. Ac proinde ipsa non existente, adhuc existerent alij motus intrinsecè successiui. Cessante enim motu cæli tempore Iosue, motus rotæ figuli, vt ait *Augustinus* nuper citatus, non cessabat, neque motus curruum, animalium, aut hominum, ne dum in bello digladiantium, sed per totum mundum se mouentium.

Exempla de motu primi mobilis respectu mensurationis,

Ex absurdo.

Ob. 6. Si cessaturus est motus cælorum, immoderatę sequerentur actiones omnium syderum in hæc inferiora: ergo. Anteced. prob. Starent enim semper in vna parte hemispherij, & partes, seu corpora eis immediatè subiecta, immodicè paterentur. Imò in parte oppositа hemispherij eadem inconuenientia sequerentur, quia influxum syderum non haberent.

Tunc non sequentur immoderatę actiones syderum in aliqua inferiora, sicut nec nunc, & quare.

182 Resp. neg. sequelam, ad probat. Respondet *Scotus sub 1. ad* 2. prolixè; reducitur autem responsio ad hoc, quod sicuti nunc non sequitur actio immoderata, & hæc, vel quia cæli habent proportionatum influxum in hæc inferiora; vel quia eadem inferiora habent virtutem resistendi: ita, & tunc vtraque se habebunt. Vel si (inquit) non inuenitur, nec in cælis, nec in elementis causa prohibens eiusmodi influxum immoderatum, est recurrendum ad voluntatem diuinam, quasi dicat, quæ impediet eiusmodi influxus. Et certè, ita de necessitate dicendum existimo. Si enim, vt dicemus infra, & est communis sententia, cessabunt generationes, & alterationes corruptiuæ, cessabit etiam influxus cælorum circa elementa, quæ erunt incorruptibilia;

& nil corruptibile amplius generabunt, sed nec incorruptibile.

Argum. ex alio absurdo

Ob. 7. In quolibet ordine essentiali, destructo priori, destruitur omne posterius. Motus autem cælestis est primus motus, ex 8. *Phis. t. 6. & 73.* ergo eo destructo, nullus alius esset possibilis, etiam si agens appropinquaretur passo; sed hoc est falsum. Nam est articulus parisiensis damnatus, dicere, quod si stante cælo, ignis applicaretur stuppæ non combureret. Ergo impossibile est, quod cesset cæli motus.

Alij cæli, & motus non dependent essentialiter à primo mobili.

183 Resp. ex *Scoto sub L.* neg. min. Nam motus cæli respectu aliorum non habet primitatem causæ, vel alicuius, à quo illi dependent essentialiter; sed est veluti regula quædam velocitatis, & regularitatis; quia alij motus ad nostrum vsum ab eo per nos mensurantur. Quod autem non adsit essentialis dependentia motuum inferiorum ab eo cæli, patet ex 2. *de generatione t.* 55. nihil enim facit latio ad generationem, nisi quia adducit generans. Igitur, si absque eo motu generans esset proximum, æquè ageret, & proinde diximus, cum Augustino, quod si cessaret motus cæli adhuc moueretur rota figili, & alia inferiora, vt tempore Iosue factum est.

Ex absurdo.

Ob. 8. Si sol semper staret, in opposita parte terræ esset semper tenebra. Cum enim terra esset corpus opacum, & sic obiecta luminari, faceret vltra se pyramidem vmbrosam.

Quomodo totus orbis illuminabitur etiam si cælum non moueatur.

184 Resp. *Scotus* non esse inconueniens, quod faciat terra vmbrosam pyramidem. Imò, ait *Scotus*, videtur deridendum Isidori dictum, quod Deus cælos, Solis, & Lunæ stare præcipiet, ne damnati fruantur lumine; sed semper sint in tenebris; nam sunt in centro terræ, ad quod, sicut nunc lumen non peruadit, neque tunc peruaderet. Addi potest, quod alia sydera, & Luna, quæ vt Sol lucebit, illuminarent aliam terræ partem. Et ita docet *D. Thom. in* 4. *dist.* 48. *quæst.* 2. *ad* 2. inquiens aliæ partes mundi etiam ex se ipsis claritatem habebunt, & ex alijs cæli luminaribus. Addi potest 3. quod sicut alias dictum est ipsimet cæli ex se erunt luminosi, imo in qualibet earum parte adsunt stellæ quæ illuminarent.

An cæli sistent in eodem situ creationis;

185 Petes, an cæli sistent in eodem situ creationis. *Scotus* breuiter resoluit hoc dubium *in* 4. *dist.* 48. *quæst.* 2. *sub M.* negatiuè, docetque, quod sicut creati sunt in situ maximè conuenienti nouæ productioni rerum, ita stabunt in situ maximè conuenienti conseruationi, sine noua productione. Neque aliquod adest fundamentum asserendi, quod quiescent in eodem situ in quo erant, quando fuerunt creati. Nam, ex quo Sol, & Luna, id est harum, & aliorum syderum cæli, recesserunt ab eo situ, in quo fuerunt creati, ad eundem redire non possunt; nisi intra spatium triginta sex millium annorum; & sic deberet tandiù mundus durare. Sed hoc, ait *Scotus* non videtur probabile. Ergo, neque est probabile, quod cæli quiescent in eodem situ creationis.

Nullũ adest fundam. pro re asserta.

## ARTICVLVS VII.

### *An terra post iudicium sit innouanda, & quomodo.*

Scotus de hoc nihil dicit in particulari.

SCOTVS nihil peculiare dicit de terra, sed de toto mundo docet in 4. *dist.* 47. *quæst.* 2. esse igne conflagraturum, & consequenter terram etiam innouandam.

Duo videnda.

186 Adu. Quod de terra, sicut de alijs, duo sunt inquirenda. Primo, an per conflagrationem destruetur eius substantia, saltem forma, & producetur alia noua, cum sæpe in scripturis habeatur terram esse transituram, & terram nouam esse producendam? Secundo, si non destruetur eius substantia, in quo consistet eius nouitas, quæ ex SS. Patribus venabimur.

Terra non destruetur totaliter.

187 Dico 1. Terra, nec ante, nec post iudicium destruetur totaliter, quoad substantiam. Est communis SS. PP. & Scholasticis infra citandis. Dixi totaliter, quia non est inuerisimile, quod aliquæ partes superficiales destruentur.

Eccle siastes.

188 Prob. 1. ex *Ecclesiastes* 1. *Generatio præterit, generatio aduenit terra, verò in æternum stat.* Ideo multi SS. Patres hoc fundamento vtuntur ad probandum stabilitatem substantiæ terræ. *Lyranus* in hoc loco, ait, terra à parte post est immobilis, & hoc inielligitur quantum ad partes inferiores prope centrum existentes; partes autem superiores alterantur.

Isaias,

189 Prob. 2. ex *Isaiæ* 51. *Cæli, sicut fumus liquescent, & terra, sicut vestimentum atteretur.* Interl. explicat, *secundum figuram, non secundum substantiam.*

Matth. 24.

190 Prob. 3. ex *Matth.* 24. *Cælum, & terra transibunt*, vbi Glossa Interlin. ait, *Innouabuntur*. Glossa Ordinar. Ver. *Cælum ait deposita priori forma, permanente autem substantia, vnde dicitur terra in æternum stabit. Lyran.* ait, non quia corrumpantur, secundum substantiam, sed quia cessabit motus cæli, & transmutatio in elementis. Ergo non destruetur.

Glossa in Marcum.

191 Prob. 4. ex Glossa in *cap.* 13. *Marci. Cælum, & terra transibunt*, sic loquente. *Generatio præterit generatio aduenit, terra verò in æternum stat. Sic ergo cælum, & terra transeunt secundum imaginem, manent in æternum secundum essentiam.* Ergo non destruetur substantia terræ.

Gloss. in ep. Petri.

192 Prob. 5. ex Glossa in *epist.* 2. *Petri cap.* 3. Versu, *Nouos cælos, & nouam terram expectamus*, sic habente, *Non alios, sed veteres, & antiquos in melius commutandos:*

& post

& post aliqua. *Constat pro certo, quia consumpti per ignem, mox abeunte igne gratiorem resument speciem. Lyran.* ait, non alios, sed nouos id est eosdem in substantia in melius tamen immutatos, & sic innouatos. Ergo non destruetur.

Glos. in ep. 2. Cor. 7.

193 Prob. 6. ex Glossa *in 1. Cor. 7. Praterit figura huius mundi*. Interl. sic ait. *Pulcritudo non substantia*.

Ex Hieron.

194 Prob. 7. ex *S. Hieron. in cap. 24. Matth.* Versu, *Cælum, & terra transibunt*, sic habente. *Transibunt immutatione sui, non abolitione, alioquin quomodo Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent, si cælum, in quo ista sunt terraque non fuerit:* ergo.

Ex eodem Hieron.

195 Conf. ex eodem in *cap. 65. Isa.* vbi diffusè discutit istud idem dictum Matthæi, *cælum, & terra transibunt*, & illud *Ps. 101. Tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent*: & ait, non enim interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Et dat exemplum de puero iam grandęuo, & senescente; & ita dicit, se habere cælum, & terram; & postea subdit. Quod intelligens, & Paulus loquebatur. *Praterit enim figura huius mundi*. Consideremus quid dixerit, præterit figura non substantia. Hoc idem significat, & Petrus, latet eos *hoc volentes, quoniam cæli erant ab initio, &c. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eadem ratione seruantur igni*, quod quo sensu accipiendum sit postmodum docet, *nouos autem cælos, & nouam terram videbimus*, non dixit alios cælos, & aliam terram videbimus; sed veteres, & antiquos in melius commutatos. Hæc *Hieronymus*. Ergo terra non destruetur se cundum totam substantiam.

Ex August.

196 Prob. 8. ex *S. August. lib. de Eccles. dogmat. cap. 70. Elementa, id est cælum, & terram non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda, figuramque mundi, id est imaginem non substantiam transituram:* ergo.

Gennadius.

197 Prob. 9. ex *Gennadio Massilien. de Eccles. dogm. cap. 69.* replicante eadem Augustini verba.

198 Prob. 10. Omnibus alijs argumentis adductis in *2. art.* huius Disput. quæ ad idem sunt.

Mag. Sent.

199 Prob. ex Scholast. *Mag. Sent. in 4. dist. 47.* Terra non peribit secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur.

Tho. Aquin.

200 Prob. ex *S. Thom. in 4. distin. 47. art. 4. ad 2. in resp. ad 2.* vbi præ cæteris sic habet de ijs, quæ per ignem sunt purganda. *Neque aliqua elementa secundum substantiam auferenda sunt, vel secundum formas substantiales, aut secundum qualitates naturales, vt quidam dicunt, sed solum quantum ad mutuas actiones, & varios motus.*

Innouatio terræ in qua consistet.

201 Dico 2. Terræ innouatio consistet præcipuè in cessatione à generationibus, & corruptionibus herbarum, plantarum, animalium imperfectorum, quæ ex putri materia fiebant; & in expurgatione ab omni impuritate, & mixtione rerum, aut qualitatum, quæ non spectant ad eius naturam; nec non in pulchritudine, & venustate.

Glos. in Isa.

202 Prob. De omnibus in genere, postea de singulis. Ex sæpè citatis scripturæ locis *Isa. 65. ver. 17. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam*. Interl. ait, *Meliorando qualitates mutando, vidi cælum nouum, & terram nouam. Lyran.* ait, in futuro renouabuntur corpora cælestia, & elementa, non quantum ad substantiam, sed quantum ad claritatem, & decorem.

In Matth.

203 Prob. 2. ex Glossa Ordin. in *c. 24. Matth.* Ver. *Cælum, & terra, &c.* dicente, innouabuntur depositæ priori forma.

In 2. Petri.

204 Prob. 3. ex eadem Glossa Ordin. in *2. epist. Petri cap. 3.* Ver. *Nouos cælos, &c.* sic habente. *Consumpta per ignem, mox abeunte igne gratiorem resument speciem:* ergo.

Apocal.

205 Prob. 4. ex Glossa *Apocal. 21.* Ver. *Cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abijt*. Interlin. Ver. *Primum enim*, habet, *id est status ille in quo prius erant, amplius non est necessarius*. Ergo nouitatem aliquam habebunt, cum qua stat desitio prioris speciei, seu figuræ.

Ex August.

206 Prob. 5. ex *August. lib. 20. de ciuit. Dei cap. 16. Illa itaque conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus, mirabili mutatione conueniant*. hæc *August.* ergo qualitates, quæ pro nunc ad generationem, & vegetationem sunt necessariæ, in terra peribunt, & meliores producentur.

Ansel.

207 Prob. ex *S. Ansel. in cap. 7. epist. 1. ad Cor.* vbi explicans verba Apostoli: *Praterit enim figura huius mundi*, replicat eadem prorsus verba Augustini, quæ nuper relata sunt.

Lyr.

208 Prob. ex *Lyrano in cap. 1. epist. ad Hebr.* Status autem mundi mutabitur in fine; quia cælum cessabit à motu, & per consequens generatio, & alteratio in elementis, quæ etiam elementa igne conflagrationis purgabuntur; & ideo tam in cælesti corpore, quam in elementis erit mutatio. Et quia non corrumpentur quantum ad substantiam, subditur, *Et velut vestimentum veterascent*. Sicut cæli, & elementa dicuntur mutari, quia motus cæli, & alteratio elementorum, quæ sunt propter generationem cessabunt, manente substantia elementorum, & cælorum.

Idem Lyr.

209 Idem *Lyran. in cap. 21. Apocal. Vidi cælum nouum, & terram nouam*, ait. Per ista duo intelliguntur elementa media, ignis, aqua, & aer. Hæc enim omnia inno-

actione, & alteratione, substantijs eorum remanentibus: ergo.

Glossa in ep. 1. Cor.

223 Prob. 6. ex Glossa Interl. *in ep. 1. ad Cor. cap. 7.* *Praterit figura huius mundi*, sic habente. *Pulchritudo, non substantia*. *Lyran.* sic habet ibidem; tunc cessabit figura, id est cursus huius mundi; quia tamen manebit eius substantia, scilicet corpora cælestia, & elementa, ideo dicitur, *praterit figura non substantia*.

Isidor. Hisp.

224 Prob. ex *Isidoro Hispal. de doctr. & fide cap. 36.* Elementa non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda. Figuram autem mundi, id est imaginem, non substantiam transituram. Ergo, cum aer sit vnum ex elementis, non destruetur secundum substantiam.

Gerson.

225 Prob. ex *Ioanne Gerson*, *de Gaudijs Paradisi*, vbi præ cæteris habet. Ille ignis maximus elementa purgabit; & purgatio elementorum, erit ab impuritate, & mixtione mutatio, &c. ergo substantia non destruetur.

Aeris immutatio in quo consistet.

226 Dico 2. Innouatio aeris in hoc præcipuè consistet, quod à crassis vaporibus per ignem depurabitur, & ab alijs impressionibus extraneis. Fiet magis diaphanum, cessabit ab influxibus, & erit incorruptibilis. Prima pars est *Scoti, vbi supra*.

Augustin.

227 Prob. Ex *D. Augustin. lib. 20. de Ciuit. c. 16.* *Illa itaque vt dixi conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus nostris immortalibus mirabili mutatione conuenient, vt scilicet mundus in melius innouatus apte accomodetur hominibus etiam in carne in melius innouatis.* Eandem sententiam, & ijsdem verbis expressit. *Primasius in cap. 21. Apocal.* Deinde *Anselm. in ep. 2. ad Cor. cap. 7.*

Hyppol.

228 Prob. 2. ex *Hyppol. de Consumat. mundi.* *Post hæc cælum non dabit rorem suum; nubes non præbebunt aquam, &c.* Ergo depurabitur aer ab his vaporibus, & impressionibus.

Lyran.

229 Prob. 3. ex *Lyran. in cap. 21. Apocal.* Ver. *Primum enim cælum*, vbi de cælis aereis sic habet; manente eorum substantia meliorabuntur in qualitatibus, & proprietatibus, vt in claritate diaphaneitate, & similibus.

Bernar. Sen.

230 Prob. 4. ex *S. Bernardino Senensi tomo 2. ser. 11. de Iudicio fin.* Aer erit clarior, nec habebit impressiones, quas modo patitur, quia non erunt nubes neque venti, nec pluuia, neque ros, neque grando, neque tonitrua, neque fulgura.

Gerson.

231 Prob. ex *Ioanne Gerson. In summa de Gaudijs Paradisi.* Vbi diffusè de elementorum innouatione loquitur, et sic ait. Ille ignis maximus elementa purgabit cum habeat virtutem expulsiuam formæ extrinsecæ: et postea, Purgatio erit pœnalium qualitatum detractio; innouatio verò pulchrioris formæ inclusio. Alia differentia est, quia purgatio erit elementorum ab impuritate, quam habent ex commixtione ad puritatem mutatio: & post aliqua. Sic igitur purgabuntur elementa, quod præscindetur ab igne combustibilitas, ab aere obscuritas, &c. ergo.

A sufficienti arg.

232 Prob. Præterea ex dictis in *ar. 2. & 3.* Omnes SS. DD. qui docent mundum esse finiendum ex Sacræ scripturæ oraculis, docent hæc non esse intelligenda de substantia destructione, quia substantiæ elementorum non peribunt, sed de figura, et imagine, id est de illa forma accidentali, quam nunc habent elementa, vt possint agere in generationes, et nutritiones animalium; et de impuritate, ac mixtione inter se; his enim detractis, dicitur mundus innouatus. Ergo, cum aer non possit in alio mutari, nisi in depuratione à terreis qualitatibus, obscuritate, crassitie, opacitate, ex cæteris eiusmodi, in horum separatione consistet eius innouatio. Alia enim nequit assignari.

## ARTICVLVS IX.

### *An ignis, & aqua innouari debeant post iudicium.*

Scoti mens

SCOTVS *in 4. sent. dist. 47. q. 2. in resol. arg.* Docet ignem elementarem esse purum, et non esse capacem mixtionis, ac proinde purgandum non esse. De aqua verò nihil dicit, sed supponit cum mundo esse purgandam; ac proinde innouandam.

De igne, & aqua est maior difficultas.

233 Adu. de mutatione substantiali ignis, et aquæ maiorem esse difficultatem, asserentibus aliquibus, negantibus alijs; qui autem negant de igne elementari concedunt de omni alio artificiali existente circa terram, vel sub ea, excepto igne inferni. Item qui negant destructionem substantialem ignis, et aquæ diuisi sunt, quidam enim concedunt innouationem aliquam accidentalem in vtraque; quidam in sola aqua, quidam in neutro.

Incerta res de igne, sed vtrisq. quod nó destruetur eis substantia.

234 Dico 1. Incertum videtur, an ignis elementaris debeat secundum substantiam destrui. Tamen est probabilius, quod non. 2. pars est *Scoti loc. cit.*

235 Prob. prima pars ex Glossa Ord. in *cap. 3. Epist. 2. Petri.* Versu *Elementa vero calore soluentur*, vbi sic ait. *Quatuor quibus mundus consistit, ille ignis absumet, nec omnia in tantum absumet, vt non sint, sed duo in totum consumet, duo vero in meliorem restituet faciem*, quæ quidem doctrina ad verbum est *Bedæ* in citatum Petri locum, et illa duo consumenda sunt, ignis, scilicet, & aqua secundum eum. Idemque docet,

Tho-

*S. Thomas in 4. diſt. 47. ar. 4. ad 2.* in fine. *Vnde præcipuè duo dicuntur conſumi ignis, & aqua, in quibus dominantur qualitates actiuæ, vel aer, & aqua propter multiplices eorum motus.* hæc S. *Thomas.*

Gloſſa. 236 Probari poteſt 1. ex eadem Gloſſa ibid. Ver. *Elementa verè*, vbi de cælo, et terra ſic habetur. *Conſtat pro certo; quia conſumpta per ignem mox aduenit ignis grationem reſumens ſpeciem*, et ſubdit, *de igne, & aqua nihil tale habemus, quin potius habemus in Apocal. 21. Et mare iam non eſt, & in Prophetis lux lucerna non lucebit ibi amplius.* Ergo iſta elementa deſtruenda videntur.

2. pars, argum. vnde ſumenda. 237 Prob. ſecunda pars. Ex dictis in 2. *art.* Loca enim et authoritates ibi adductæ ad probandum ſubſtantias, vel naturas elementorum non fore deſtruendas, loquuntur de omnibus indifferenter.

Lyran. 238 Prob. 2. ex Gloſſa, *Lyran. in cap. 21. Apoc.* in principio. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam*, vbi ſic habet, per iſta duo intelliguntur elementa media, aer, ignis, et aqua. Hæc enim omnia innouabuntur in melius, et Ver. *Primum*, ait, non eſt intelligendum, quod mutetur eorum ſubſtantia, ſed ea manente, meliorabuntur in qualitatibus, et proprietatibus, vt in claritate diaphaneitate, &c. et totum cedet ad gloriam electorum, qui ex creaturis laudant Deum.

Bernard. Senen. 239 Prob. ex S. *Bernardino Senenſi t. 2. ſer. 11. de Iudicio generali*, vbi præ alijs habet. Ignis, et aqua erunt puriores, et manebunt etiam, non ſolum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum qualitates ſuas, quas nunc habent, quantum ad habitum, ſed non quantum ad vſum; quia, cum in his duobus elemẽtis magis vigeant qualitates actiuæ, magis ſunt generationis, et corruptionis principium, et tales effectus eorum non erunt amplius; et propter hoc interire dicuntur.

Gerſon. 240 Prob. ex *Ioann. Gerſone*, infra adducendo, docente. Elementa non eſſe deſtruenda ſecundũ ſubſtantiam, ſed in innouanda, et de igne dicit, innouationem eſſe amiſſionem combuſtibilitatis: ergo.

Ignis artificialis deſtruet 241 Dico 3. Ignis artificialis, qui eſt in terra, vel ſub ea (excepto igne inferni) deſtruetur.

242 Prob. 1. ex authoritatibus adductis pro prima parte præced. concl. Si enim non poſſunt de elementari intelligi, ſaltem intelligendæ ſunt de artificiali.

243 Prob. 2. Terra ex dictis, eſt purganda ab omni permixtione. Ergo, et ab igne: qui cum ſit extra ſuam ſpheram, nequit perpetuo in ea durare.

Ignis innouatio quæ erit, 244 Dico 3. Innouatio ignis in hoc dici poteſt conſiſtere, quia ſcilicet ab extraneis qualitatibus ſeparabitur, fiet clarior, et ceſsabit à motu circa terram, et ab actione combuſtiua.

245 Prob. ex nuper dictis S. *Bernardini Senenſis*, qui adamuſsim præfatam theſim defendit.

Bernar. Sen. 246 Conf. ex eodem ibidem, vbi ex *Baſilio*, declarante illud Pſal. *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ait, ita quod illud calidum, Vſtinum, et frigidum glaciale, inferius tendat. Nam de omnibus elementis ignobile tendit deorſum, ſicut craſſum, terrenum, opacum, & tenebroſum ad cruciandum damnatos, vt verificetur illud, *Sap. 5. Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Perſpicuum autem in aqua, et lux in igne manebunt, et aſcendent ſurſum ad lætificandum Beatos. Hæc *Bernardinus.*

Gerſon. 247 Prob. 2. ex *Ioan. Gerſone in ſumma de Gaudijs Paradiſi.* Sic igitur purgabuntur elementa, quod præſcindetur ab igne eius, combuſtibilitas, ab aere obſcuritas, &c.

Lyran. 248 Prob. 3. ex *Lyr. in cap 21. Apocal. & vidi cælum nouum, &c.* dicente; per iſta duo intelliguntur elementa media, ignis, aer, et aqua. Hæc enim inuocabuntur, et in melius mutabuntur, ideo ſubdit, *Primum enim cælum abyt.* Non eſt per hoc intelligendum, quod mutetur eorum ſubſtantia, ſed ea manente meliorabuntur in qualitatibus, et proprietatibus, vt in claritate diaphaneitate, &c.

De aquæ deſtructione non eſt certa ſententia, ſed negatiua eſt probabilis. 249 Dico 4. De aqua, ſeu mari, certum non eſt, an ſit deſtruendum, quibuſdam aſſerentibus, alijs negantibus: probabilius tamen eſt, quod non.

250 Prob. 1. ex Gloſſis adductis pro prima concluſione, de aqua etiam loquentibus.

250 Prob. 2. ex *D. Auguſt. lib. 20. de ciuit. cap. 16.* vbi loquens de mundanorum elementorum innouatione poſt iudicium facienda, poſtquam de reliquis elementis eſt loquutus in genere, dicit, *quod autem ait, Et mare iam non eſt; vtrum maximo illo ardore ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facile dixerim. Cælum quippe nouum, & terram nouam futuram legimus. De mari autem nouo aliquid me vſpiam legiſſe non recolo, &c.*

Hippol. 252 Prob. ex *Hippol. de conſumatione mundi*, dicente, fluuius igneus inſtar matis ſæui exuret montes, & colles, & mare delebit, &c.

Primaſio. 253 Prob. ex *Primaſio in cap. 20. Apocal. & Vidi cælum nouum, & terram nouam.* Vbi eandem modo citatam Auguſtini doctrinam refert, & ſequitur. Ergo eſt incertum, an mare ſit deſtruendum.

Beda. 254 Prob. ex *Beda in cap. 3. ep. 2. Petri.* Elementa calore ſoluentur. Elementa quatuor ſunt, ignis, aer, aqua, & terra, quæ cuncta ignis ille abſumet. Nec tamen cuncta conſumet, vt funditus non ſint, ſed duo tantum; duo vero in meliorem reſtituet faciem.

Prob.

Glossa Ord. 255 Prob. 2. pars, ex Glossa Ordinar. *in cap. 21. Apocal. Vidi cælum nouum, &c.* habente. *Immutatio erit, & terra dubitabilis non est, quin per ignem fiat; de aqua dubitatur, nam purgationem in se ipsa habere creditur.* Ergo, non solum non videtur destruenda, sed neque mutanda.

Greg. Mag. 256 Prob. 2. ex *Gregor. Magno in Exec. lib. 1. hom. 8. Mundus quidem iudicij igne cremabitur, sed aqua tam diluuij non delebitur.*

Alcuino. 257 Conf. ex *Alcuino in qu. in Gen. interrogat. 135.* Est ergo vtriusque iudicij testis vnius scilicet facti, & alterius faciendi, id est, quia mundus iudicij igne cremabitur, sed aqua non delebitur.

Arg. ad hominem. 258 Prob. 3. Totum fundamentum ex scriptura desumptum. cur mare sit destruendum est, ex *Apocal. 21.* vbi habetur. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non est*, sed hic textus non euincit destructionem maris: ergo. Min. prob. Primo, quia eodem modo intelligendus est hic textus de cælo, terra, ac mari; quod scilicet sint noua omnia. Ergo eadem innouatione. Secundò, quia Interl. Verbo; *Mare non est*, ait, *secundum priorem statum, quia grossities, & amaritudo auferetur*: ergo. Tertio *Lyran.* ibidem loquens de hac nouitate rerum, ait, per cælum, & terram intelliguntur elementa media, aer, ignis, & aqua hæc enim omnia innouabuntur. Ergo non destruentur.

Ex August. 259 Conf. ex *S. Augustino*, qui in *l. 20. de ciuitate cap. 16.* loquens de mari, licet sicut supra notaui, dicat, se non facile dicturum, an siccandum sit, vel innouandum, tamen obijciens contra se pro permanentia maris illud *Apocal. 4. Tamquam mare vitreum simile crystallo*, respondet, non loqui de illo mari, neque propriè dixisse, mare, sed tamquam mare, *& potuit de illo mari dicere. Et marè iam non est, de quo supra dixerat, & exhibuit mare mortuos suos, qui in eo erant, iam enim tunc non erit hoc sæculum vita mortalium turbulentum, & procellosum, quod maris nomine figuratur.* Ergo; cum mare in citato loco *Apocal. 21.* sumatur metaphoricè, ex hoc loco non potest concludi eius destructio.

Ex Ambros. 260 Conf 2. ex *S Ambrosio* in cit. locum *Apoc. 21. Quod verò infert, & mare iam non est, possumus secundum literam intelligere, vt mare penitus deleatur. Aliter mare iam non erit, quia propriam figuram amittet sicut cælum, & terra, vt in pulchriorem formam reparetur. Sed spiritualiter hoc intelligendum puto; quidquid enim de innouatione cæli, & terræ dictum est, & historialiter intelligendum est, & spiritualiter.* hæc *Ambr.* Ergo ex eo loco contrarium potius infertur secundum *Ambr.*

Ex Gersone; 261 Prob. ex *Ioanne Gersone in summa de Gaudijs Paradisi*, vbi de elementis loquens pro fine mundi, dicit, ea fore purganda; sic igitur purgabuntur elementa, quod proscindetur ab igne eius combustibilitas, ab aere obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas; a terra grauitas, & opacitas. Mundum enim innouari, seu pulchriorem formam induere debere, ostenditur multiplici ratione, & eas adducit. Ergo, secundum eum, aqua non est destruenda, sed innouanda per depurationem.

Bernard. Senen. 262 Conf. ex *S. Bernardino Senensi*, supra allato, docente de aqua, & igne, quod cum in his duobus elementis, magis vigeant qualitates actiuæ, id est frigiditas in aqua, & caliditas in igne, magis sunt generationis, & corruptionis principium; & tales effectus eorum non erunt amplius, & propter hoc dicuntur interire. Ergo, ex eo, remanebunt aqua, & ignis, sed sine his qualitatibus quantum ad actum secundum, vt ipse met paulò ante dicit.

Ansel. 263 Prob. ex *Ansel. in 1. epist. ad Cor. cap. 7.* Præterit figura mundi non natura. Tunc enim figura mundi perfectè præteribit, quando conflagratione mundana, elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa mundi substantia qualitates habere incipiet, &c. ergo elementum aquæ, sicut & alia secundum substantiam non destruetur.

Chrysost. 264 Prob. ex *Chrysost. hom. 10. ad pop. Antioch.* inter cætera, docente. Cum resurrexerimus, & incorrupta sumpserimus corpora, tunc, & cæli corpus, & terræ, & mundi totius incorruptum erit, & immarcescibile. Ergo cætera elementa mundi; sicut cælum, & terra remanebunt secundum substantiam, sed incorruptibilia.

Quæ mundi, & elementorum omnium innouatione dixisse sufficiat; qui autem plura curiosè scire cupit, quærat si possit inuenire, sed caueat nouitates.

# DISPVTATIO XIII.

## DE INFERNO DAMNATORVM.

### ARTICVLVS I.

*An detur, & quid significet infernus damnatorum.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 48. qu. 2. L.* in fine, nè dum confitetur cum fide catholica dari infernum, in quo damnati cruciantur, sed docet eum esse in centro terræ.

Plura nomina loci in quo damnati cruciatur.

1 Adu. 1. Locum illum, in quo damnati cruciantur, pluribus nominibus appellari, etiam in Sacra Scriptura. *Matth.* 5. dicitur *gahenna, reus erit gahennæ ignis*, item *cap.* 10. 18. & 23. *Marci* 9. *Luca* 12. &c. Ethymologiam autem sumit à *gahennon*, ait *Hieron. in quæst. Paralip.* in fine secundi libri, eratque vallis filiorum Ennon prope Ierusalem, in *cap.* autem 8. *Hieron.* ait, locum illum esse, in quo Hebræi immolabant filios suos dæmonijs; & dici ab hebræis gehennam, quia omnis populus ibi perierit offendens Deum, idemque repetit *cap.* 10. *in Matth.* Ver. *Perdere in gehennam*, asserens, quod Saluator primus vsus sit hoc nomine ad significandum locum inferni. Subdens duplicem dari gæhennam, caloris, scilicet & frigoris. Itaque gæhenna ex his significat locum pœnarum. Dicitur, secundo *Abyssus*, *Luca* 8. cum dæmones rogabant Christum, ne præciperet eis ire in infernum, dicunt in *abyssum*. item *ad Rom.* 10. *Quis descendit in abyssum*. *Apocal.* 9. *Clauis putei abyssi*. & *cap.* 20. *Habentem clauem abyssi*. & *misit eum in abyssum*. Abyssus autem dicitur quælibet immensa profunditas, siue aquæ, siue terræ, ex *Hieron. in 3. cap. Habac.* & pro loco pœnarum accipitur. Dicitur tertio. *Tartarus*, ex 2. *Petri* 2. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Dicitur autem sic à verbo græco tartaro, quod significat conturbo, omnia enim in loco damnatorum sunt conturbata. Vel dicitur sic, quia locus obscurus, & frigidus profundus, sole carens. His alijsque nominibus locus ille appellari solet; sed à Poetis non à scriptura, vt Acheros, Cocytus, Phlegeton, &c. à scriptura verò vsitatiori nomine dicitur *Infernus*.

Ethimol. gehennæ.

Gehenna duplex.

Abyssus quid

2 Adu. 2. Quod nomen hoc *infernus* ex prima impositione significat, quod est infra nos; sicut *supernus*, quod est supra nos. Vnde *Martialis lib.* 1. *inferna stagna*. *Liu. lib.* 8. *inferni dij*. Et in Sacra scriptura innumera habemus huius significati testimonia. *Gen.* 37. in fine, Iacob præ dolore Ioseph, ait, *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, *Num.* 16. *ver.* 30. *Si fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum, deglutiat eos, descenderintque viui in infernum:* & post. *Confestim, vt cessauit loqui, dirupta est terra, &c. descenderuntque viui in infernum*, *Ecclesiastici* 51. *ver.* 9. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum:* & alia innumera loca veteris testamenti. Ex nouo autem habetur *Matth.* 11. *ver.* 23. *Et tu Capharnaum numquid vsque in infernum descendes*, *Luca* 10. *ver.* 15. *Et tu Capharnaum vsque ad infernum demergeris*, & c. 16. *Diues sepultus est in inferno*, *Act.* 2. *ver.* 24. *Solutis inferni doloribus*, ad *Philipp.* 2. *ver.* 10. *Cœlestium, terrestrium, & infernorum*, & ex alijs multis, in quibus apparet, quod *infernus* sit locus aliquis infra nos. Illi autem, qui inferno habitant, dicuntur *inferi*. *Gen.* 42. *v.* 38. ait *Iacob deduceis canitiem meam cum dolore ad inferos*. *Tobiæ* 13. 2. *Deducis ad inferos, & reducit*; 3. *Reg.* 2. *Non deduces canitiem eius cum pace ad inferos*, *Esther* 13. *ver.* 7. *Ad inferos descendentes*, *Isaiæ* 57. *ver.* 9. *Humiliata est vsque ad inferos*. Hæc & alia quamplurima scripturæ loca id confirmant.

Infernus quid.

Locus infra nos.

3 Adu. 3. Quod plures quidem sunt loci *inferni* dicti, in quibus inferi habitant non tamen omnes sunt loci damnatorum: nam Lymbus Patrum, ad quem descendit anima Christi infernus dicitur, *Act.* 2. *ver.* 24. *Solutis inferni doloribus*. & *Tobiæ* 13. *Deducis ad inferos, & reducis*, quod nequit intelligi de inferno damnatorum, de quo nulla est redemptio, sed de inferno electorum. Datur etiam infernus paruulorum, scilicet Lymbus iuxta aliquos, quia *in Cõe. Flor. sess. vlt. const. Latentur*, quæ est 17. *Aug.* habetur, eos, qui cum solo originali moriuntur in infernum descendere; & tamen per eos pueri non sunt in inferno, vbi est pœna sensus. Ergo in alio. Quarto infernus purgantium, cum Purgatorium ex communi sententia sit intra terram. Nunc autem per antonomasiam solus damnatorum locus appellari solet, *infernus*. Et de hoc inquirimus, an detur.

Plures loci inferni.

4 Adu. 4. Multos hæreticos subsitinuisse, non dari infernum, qui sit locus, vbi damnati cruciantur, & diuersimodè id docuisse. Nam Clemens Scotus, vt refert *Sa-*

Hæretici negantes infernum, & qui.

*lelles tom.* 3. *regula* 258. concedit locum, sed

sed dicit in aduentu Christi fuisse euacuatum, & omnes in eo existentes, liberatos. Sed dato et hoc errore, quid dicet de impijs non orientibus post Christum, Tyrannis, Paganis, Iudæis, Hæreticis, Improbis Catholicis? certe insaniebat hic homo. Albigenses, noui Manichæi ex eodem Authore *reg.* 260. docebant nullum prorsus esse infernum, quos secuti sunt Almaricus, Hermannus, & Calumnus ex eodem *Salelle reg.* 274. 287. & 292. sed omnium Antesignani fuere Epicurei, & Athei ex eodem *reg.* 370. Catholici è contra cum fide Catholica docent, dari infernum damnatorum.

Datur infernus.

5 Dico. Datur infernus, in quo damnati cruciantur. Est de fide.

Loca scripturæ multa.

Ex Num. lib.

6 Prob. 1. ex *Num.* 16. *ver.* 30 *&c.* vbi volens Deus grauissimè punire Core, Dathan, & Abiron, præcipit populo, *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involuamini in peccatis eorum*: & post, *Dirupta est terra sub pedibus eorum descenderuntque viui in infernum*, vbi Glossa Ordinar. Verbo, *Dirupta est*, ait istos homines significare hæreticos, & schismaticos, &c. & isti, quia nituntur contra Dei voluntatem, ob temeritatis audaciam, viuentes absorbentur; nec tantum duces, sed omnes complices, & fautores in æterno igne præparata vltione peribunt. Ergo datur infernus, in quo damnati detinentur, quia Core, &c. in peccato mortali perierunt. Igitur non in Lymbum, seu sinum Abrahæ, in quæ loca iusti tantum descendebant, sed in locum tormentorum sunt præcipitati.

Ex Deuter.

7 Prob. 2. ex *Deuteron.* 32. *ver.* 20. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Vbi Glossa Ordinar. dicit, Deus non iudicat bis in idipsum, vnum est enim flagellum quo temporaliter incipit, & in æternis supplicijs consumatur. Ergo datur infernus locus supplicio-rum.

Psal.

8 Prob. 3. ex *Psal.* 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi.* Vbi Glossa Augustini, ait, confessus est diues qui Lazarum vidit, & si de profundo, cuius comparatione coactus est confiteri mala sua, vsque adeo, vt fratres roget ab his præmaneri. Sed post iudicium in profundioribus tenebris nullam lucem Dei videbunt, cui confiteantur, hæc Glossa. Ergo datur infernus locus tormentorum.

9 Prob. 4. ex *Psal.* 13. 6. *Dolores inferni circumdederunt me.* Interlin. ait, erant dolores inuidiæ, quæ ducunt ad infernum. Glossa Ordinar. dicit, Gentiles in inferno debito dolore torquendi: ergo.

10 Prob. 5. ex *Psalmo* 30. 18. *Erubescant impij, & deducantur in infernum*: ergo.

Plura ex ps. loca,

11 Prob. 6. ex *Psal.* 48. 15. *Sicut oues in inferno positi sunt mors depascet eos.* Glossa Ordinar. ait. Quæ impijs reddenda. Se iactant, sed mihi iam constat, quod in inferno positi sunt. Oues amissa lana manent, sic in istis sine consumptione substantiæ pœna inuenit, quod crucier: & infra ait textus, *peteraffect in inferno a gloria eorum*. Glossa Ordinar. *Aug.* ait, quantam visus est habere gloriam inter homines, tantam in inferno corruptionem. *Hieron.* in hunc secundum locum ait, habuerunt diuitias, sed cum descenderent in infernum, euanuerunt.

12 Prob. 7. ex *Psal.* 85. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, Glossa Ordinar. *August.* præ cæteris, habet, ab hac terreno itur in infernum inferius, vnde eruit Deus animas misso filio suo. *Hieron.* in hunc locum, ait. Non quod duo inferna sint, sed iste superiorem infernum peccatum dixit: inferiorem verò, qui est verus infernus, in quo peccatores damnantur.

Prouerb.

13 Prob. 8. ex *Prou.* 9. 18. *Et in profundis inferni conuiua eius.* Interlin. ait. Pœnis deputati æternis. Glossa Ordinar. ait. Nescit mulier adultera, nescit hæreticus, quod immundi spiritus domos suas habitant, & quod in profundis inferni, pœnas luant æternas: ergo.

14 Prob. 9. ex *Prou.* 15 14. *Semita vitæ super eruditum, vt declinet de inferno nouissimo.* Interlin. ait. Pœna vltima damnationis.

Cant.

15 Prob. 10. ex *Cantic.* 8. 6. *Dura, sicut infernus æmulatio.* Glossa Ordinar. ait, quia nullis hostium tentamentis à nostræ salutis cura reuocari potuit, sicut infernus nullis miserorum cruciatibus mitigatur, nec a suæ seueritatis sententia mutatur: ergo.

Sapient.

16 Prob. 11. ex *Sap.* 5. 14. *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, quoniam spes impij, tamquam lanugo est, quæ à vento, &c.*

Eccleſiaſt.

17 Prob. 12. ex *Ecclesiastici* 41. 7. *Non est enim in inferno accusatio vitæ.* Interlin. habet non proderit in inferno confessio.

18 Prob. 13. ex eodem *Ecclesiastici cap.* 51. 9. *Vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.* Glossa Ordinar. ait. Infernus peccantium animarum pœna perpetua.

Isa.

19 Prob. 13. ex *Isai.* 5. 14. *Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, & descendent fortes eius, & sublimes eius, gloriosique eius ad eum.* Glossa Ordin. ait. Qui non respicientes opera Dei, &c. detrahuntur in infernum, in gæhennam in perpetuum cruciandi pro potentia, & superbia miserabiliter humiliati. Idem dicit *Hieron.* in hunc locum, inquiens, quod infernus non est animal, quod habet animam, sed modo consuetudinis humanæ, sic loquitur. Glossa autem ex *Hier.* sumpta est.

Hieron.

20 Probari posset ex alijs permultis veteris testamenti locis inferni existentia, vt *Baruch.* 2. *Ezech.* 31. & 32. *Danielis* 3. *Amos* 9. *Habacuch* 2. *Machab.* 2. &c. alijs, quæ breuitatis gratia omitto.

Ex nouo test. de diuite in inferno.

21 Prob. 14. ex nouo testam. & primo ex famoso illo textu *Luca* 16. *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, &c.* paulo post, *crucior in hac flamma*, deinde, ne & fratres *veniant in hunc locum tormentorum*. Glossa Ordin. Ver. *In sinum Abrahæ*, ait, sepultura inferni pœnarum profunditas est, quæ superbos, & immisericordes vorat.

Ex Luca.

Ex Matth.

22 Prob. 15. ex *Matth.* 11. vbi ad Capharnaum, ait Saluator. *Vsque in infernum descendes*. Interlin. ait, *maioribus supplicijs punieris, quia credere noluisti visis virtutibus*.

Ex Petro.

23 Prob. 16. ex 2. *Petri cap.* 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari, & originali mundo non pepercit, &c.* Interlin. ait, *& carceribus caliginis inferni retrudens, tradidit in iudicio puniendos saluari*. Glossa Ordinar. Verbo, *Si Deus*, ait, Apostatas Angelos traditos pœnis inferni ad maiores cruciatus reseruat in die iudicij, &c.

Ex Apocal.

24 Prob. 17. ex *Apocal.* 1. 18. vbi Christus in visione Ioannis dicit, *habeo claues mortis, & inferni*. Glossa Ordinar. ait, quia quos vult à damnatione perpetuæ mortis, liberat. & paulò post, infernus est locus, in quo diabolus, & ministri eius habitant, idem docet *Ambrosius* in hunc locum, à quo desumpta est Glossa.

25 Prob. 18. ex *Apocal.* 20. 13. vbi de iudicio loquens, dicit, *Et mors, & infernus dederunt mortuos suos*. Interlin. Verbo, *Infernus*, ait, id est tenebrarum locus.

Clem. Alex.

26 Prob. 19. ex PP. Primo ex *Clemente Alexandr. lib. 5. Stromat.* vbi diuersa nomina, quibus à barbaris vocatur infernus adducit, & docet, ipsum esse locum suppliciorum, & pœnarum post mortem impiorum.

Ex Origene.

27 Prob. 20. ex *Origene homil. 9. in Leuit.* vbi discutiens factum Lazari, & Epulonis, concludit. Aduertis loca sortis vtriusque distincta, infernum, scilicet & Abrahæ sinum.

Tertull.

28 Prob. 21. ex *Tertull. lib. de anima, cap.* 35. Nobis, inferi, non nuda curiositas, nec subdialis aliqua mundi, sentina creduntur, sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.

Cyprianus;

29 Prob. 22. ex *S. Cypriano, de laude Martyrij*. Sæuiens locus, cui gæhenna nomen est magno plangentium murmure, & gemitu, & eructantibus flammis per horrendæ caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis expirat, &c. multa.

Cyril. Alex.

30 Prob. 23. ex *Cyrillo Alexandr. lib. 1. in Isai. cap.* 5. Locus est infernus miserarum animarum carcer humidus.

Theodor.

31 Prob. 24. ex *Theodoreto lib.* 13. *de fine, & iudicio*. Plato igitur, ita hæc narrauit, vt qui maximè crederet, esse apud inferos iudicij, ac suppliciorum loca.

Ex Auguſt.

32 Prob. 25. ex *S. Augustin. in Enchiridio ad Laurent. cap.* 112. *Frustra quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt*. Deinde adducit contra eos dictum Saluatoris *Matth.* 25. *& ibunt hi in supplicium æternum*. Idem docuerat in cap. præcedente, vbi loquitur de fine Electorum, & Reproborum in die iudicij, dicens. *Illis in æterna vita vere, felicissimque viuentibus; illis infeliciter in æterna nocte sine moriendi potestate durantibus*.

Ex eodem Auguſt.

Tres abyſſi;

33 Prob. 26. ex eodem *lib. de contritione cordis cap.* 9. vbi tres abyssi species enumerat, nempe, peccatorum, iudiciorum Dei, & inferni. Deinde ait, abyssus iudiciorum Dei super me, abyssus inferni subtus me, abyssus peccatorum est intra me. Illam, quæ super me est, timeo, nè in me irruat, & me cum abysso mea in illam, quæ subtus me latet, obruat, vbi per tormenta, peccata numquam delebuntur. hæc *Aug.*

Ex cod. Aug.

34 Prob. 27. ex eodem *De natura boni contra Manich. cap.* 38. vbi de cruciatibus damnatorum diffusè loquitur dicens, damnatis esse malum, non autem secundum, se. & in *cap.* 39. probat, esse æternum à parte post.

Omne malum in inferno,

35 Prob. 28. ex eodem in *lib. de triplici habitaculo cap.* 1. in fine. *Omne malum abundat in regno diaboli; nullus dignus, nullus iustus ad infernum trahitur*. & *cap.* 2. numerat omnia tormenta infernalia.

36 Possem, ne dum multa alia Augustini, sed & omnium Sanctorum Patrum loca afferre, quibus existentia inferni firmatur. Sed quia scripturæ claræ sunt, ad alia transeo.

## ARTICVLVS II.

### *In qua parte mundi situs sit infernus.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 48. qu. 2. L.* deridens argumentum quodam quo probatur Solem, & Lunam post iudicium à motu cessatura, nè damnati sub terra habeant luminis consolationem; ait, *non enim sic sub terra sunt damnati, sicut aliqui imaginantur, vt antipodes, quasi in superficie oppositæ terræ habitabili, sed sunt in centro terræ, vel concauo terræ.* Tamen

Sensus artis clarus.

37 Adu. sensum art. clarum esse, an infernus sit collocatus extra, vel intra mundum; etsi intra, in quanam eius parte; num in aere, aqua, terra, vel ignis regione. Et crescit difficultas; quia multi ex Angeli, è cælo eiectis in aere, tamquam inferno vsque ad diem iudicij sunt damnati, ibique pœnis cruciantur infernalibus.

Infernus est in visceribus terræ.

38 Dico tamen. Infernus, in quo damnati, siue ante, siue post iudicium cruciantur, situs est sub terra, immò in visceribus, seu centro terræ. Ita *Scotus loco cit. D. Bonauent. in 4. dist. 44. par. 1. quæst. 2. D. Tho.* ex *Tab. Aurea in 2. sent d. 6. ar. 3.* & alibi, vt ex eadem tab. sed non potui conferre cum Originali Sancti Thomæ, quia non inuenio, libri enim Sententiarum, qui circunferuntur titulo secundi scripti, eidem sancto adscripti, sunt ferè omnes mutilati, & alterati, ideo in eis non inuenio, quæ vellem, at ne dum Scotus citat, sed ipsa tabula verè aurea. Est tamen nunc sententia communis. Imo, vt patebit Augustinus, qui olim aliter sentiebat, se retractauit.

Loca script. clara de existentia inferni sub terra.

39 Prob. 1. ex *lib. Num cap. 16. v. 30. & 32.* De Core Datan, & Abiron. *Diruptæ est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, descenderuntque viui in infernum operti humo.* Ergo infernus est sub terra. Imo Glossa Ordinar. quæ est *August.* Verbo, *Descenderunt*, ait. Notandum, locum terrenum dictos esse inferos, id est in inferioribus terræ partibus: & paulò post. Sed quoniam istos viuentes dictum est ad inferos descendisse, & ipsa narratione apparet, quod factum fuerat, manifestum est, hic inferiores partes terræ inferorum vocabulo nominari comparatione huius superioris terræ, in cuius facie viuitur, &c.

Ex Isaia.

40 Prob. 2. ex *Isaiæ 30.* in fine, *Præparata est enim Topbet à Rege. Profunda, & dilatata nutrimenta eius ignis, & ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succedens eam.* Interlin. ait, Vallis gehennæ præparata impijs, Glossa Ordinar. Verbo, *Sulphuris*, ait, in inferno fœtor intolerabilis, & inextinguibilis ignis. Sed ad rem nostram *Lyranus*, Verbo, *Præparata*, post multa, ait. Gehenna est circa centrum terræ, vt dicunt Sancti Doctores.

Ex Iob.

41 Prob. 3. ex *Iob 10.* in fine. *Antequam vadam & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Interlin. dicit, mortis æternæ, vt numquam Dei lucem videant. Glossa Ordinar. diffusè declarat, hic describi infernum, sed Verbo, *Antequam*, dicit, infernus terra dicitur, quia ibi captiui tenentur.

Ex eodem Iob.

42 Prob. 4. ex *Iob 11. 8.* vbi de immensitate Dei, sic ait. *Excelsior cælo est, profundior inferno*, & Glossa Ordinar. ait. Profundum, quia & damnatis inferius iudicium incomprehensibiliter exerit. Ergo si infernus est in profundo, est sub terra.

Ex ipso met Iob.

43 Prob. 5. ex *Iob 17. 16. In profundissimum infernum descendent omnia mea.* Et licet, vt notat Glossa loquatur de inferno iustorum, seu Lymbo, in quo detinebantur Patres ante Christi aduentum, adhuc tamen concluditur, quod si hic infernus est in profundo terræ, multò magis infernus damnatorum; nam Glossa Ordinar. Ver. *In profundissimum*, præ cæteris ait, *quantum verò ad altitudinem terræ illa loca inferni, qua superiora sunt aliis receptaculis inferni, hoc loco profundissimum infernum dicit.*

Gloss. Ord.

Ex modo loquēdi script. dicentis descendit ad infernū, &c.

44 Prob. 6. Quoties in scriptura fit mentio de motu alicuius ad infernum; semper vtitur, Verbo, *Descendere*. Ergo inest parti inferiori ad terræ superficiem à quo fit descensus. Anteced. prob. *Iob 21. 13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Psal. 54. 16. Descendant in infernum viuentes. Psal 113. 17. Qui descendunt in infernum. Psal. 138. 8. Si descendero in infernum, ades. Esther 13. 7. Ad inferos descendentes. Iob 7. 9 Qui descenderit ad inferos. Baruch. 3. 19. Et ad inferos descenderunt. Ezech 31. 17. Cum eo descendent in infernum.* & 31. 15. *Quando descendit ad inferos. Amos 9. 2. Si descenderint vsque in infernum. Matth. 11. 23. Vsque in infernum descendes. Luca 10. 15. Vsque in infernum demergeris.* Ergo, cum sit locus, ad quem oporteat à terra descendere, de necessitate dicendum est, esse sub terra.

Ex eo quod dicitur inferior.

45 Prob. 7. ex *Psal. 85. 13. Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Glossa Ordinar. post multa, ait, in ipso inferno inferiori est pars impiorum inferior, vnde dines leuat oculos ad Abraham, qui cum alijs iustis erat quasi in ora, & Lymbo inferni, tamquam in superiori. Et in hunc locum Psal. *August.* idem ait. Non enim posset lenatis oculis dines videre, nisi Abraham esset superius, ille inferius. Et super hoc, ait, inter vos, & nos chaos magnum firmatum est. Orans ergo Dauid *Eruisti animam, &c.* ita dicit, quia liberauit se à

Aug. Glossa.

tali-

talibus peccatis, per quæ posset deduci ad tormenta inferni inferioris. *Hieronymus* in hunc locum idem dicit, infernus inferior est verus infernus, in quo peccatores damnantur. Laudat ergo misericordiam Domini, quod sit erutus à supplicio inferioris inferni, Ergo ex scriptura hac, & Glossis infernus est subter nostram terram.

Plures inferni,

46 Prob. 8. ex *Psal.* 113. in fine. *Neque omnes, qui descendunt in infernum*. Glossa Ordinar. ait, Sancti descenderunt in inferno, sed non inferiori. Ergo est locus in profundo positus.

Ex eo quod profundum dicitur.

47 Prob. 9. ex alijs scripturæ locis, in quibus nominatur infernus cum addito profundi, vel simili significante locum subtus nos. *Ecclesiastici* 51. *Appropinquans erat in inferno deorsum. Prou.* 9. *In profundum inferni*. Idem *Isa.* 9. 7. *& cap.* 9. *Infernus subter conturbatus. Baruch.* 3. *Cum descendentibus infernum. Ezech.* 31. *Cum eo descendent in infernum*. et 32. *De inferno inferiori*. Et ex alijs innumeris; ergo infernus est subtus terram.

Ex Tertull.

48 Prob. ex Patribus, ex *Tertulliano lib. de anima cap.* 55. Nobis inferi, non nuda cauositas, nec subdialis aliqua mundi sententia creduntur, sed in fossa terræ, et in alto vastitas, et in ipsis visceribus eius abstruse profunditas.

Ex Iustino.

49 Prob. 2. ex *Iustino Mart. in qu.* 75. Post exitum animarum à corpore abducuntur ab Angelis ad condigna sibi loca, iustorum quidem animæ in Paradisum, iniustorum autem in ipsius Orci loca. Orcus autem, licet Poetarum vocabulum sit, significat tamen locum inferorum sub terra positum.

Cyril. Alex.

50 Prob 3. ex *Cyrillo Alex. orat. de exitu animæ*. Tunc à Sanctis Dei Angelis destitutam inuadunt dæmones, eamque ferientes crudeliter in terrarum opaca deducunt, et aperta tellure solidissimis compedibus reuinctam, in terram tenebrosam, & fuliginosam, in infimas inferiorum carcerum partes, et Erebi custodias deijciunt.

Ex Rabano;

51 Prob. 4. ex *Rabano Mauro in cap.* 3. *Hieren.* Non irrationabiliter arbitramur infernum esse sub terris cum. in veteri testamento de Datan, et Abiron legitur aperuit terra os suum, et deglutiu.

Ex Hieron.

52 Prob. 5. ex *D. Hieron. in cap.* 14. *Isa.* Versu, *Omnes reges*, in fine huius Commenti, sic habente. *Simulque discimus, quod infernus sub terra sit, dicente scriptura vsque ad fundamenta lati.*

Ex eodem.

53 Conf. ex eodem in *epist. ad Ephesios cap.* 4. Versu, *Quod autem ascendit*, vbi loquens prius de inferno iustorum, nempe Lymbo Patrum, ad quem Christus descendit, postea ait. *Quod autem infernus in inferiori parte terra sit, & Psalmista testatur dicens aperta est terra, & deuoranit Datan, & ipsum in Numerorum libro planius explicatur; alio quoque loco legimus venias mors super illos, & descendant in infernum viuentes.*

Ex eod.

54 Conf. 2. ex eo lem *Hieron. in Ionam cap.* 2. Ver. *Et proiecisti me in profundum in corde maris*, vbi præ cæteris habet. *Porrò per cor maris infernus significatur, pro quo in Euangelio legimus in corde terræ. Quomodo autem cor animalis in medio est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur*. Nec obstat, quod prius dixit, in corde maris, nunc dicit in medio terræ, quia supponitur certum apud Mathematicos, terram, & mare conficere vnum globum; & idem esse centrum vtriusque.

Ex Haimone

55 Prob. 6. ex *Haimone lib* 2. *in Isa. c.* 14. Ver. *Infernus subter conturbatus est*, sic habente. Hinc discimus infernum sub terram esse, cuius habitatores hoc in loco nomine inferni designantur.

Anfel.

56 Prob. 7. ex *S. Ansel. in Elucidario*, duo sunt inferni, &c. & post aliqua. Inferior infernus sub terra dicitur esse, vt, sicut corpora peccantium terra cooperiuntur; ita animæ peccantium sub terra in inferno sepeliantur, vt de diuite dicitur, *sepultus est in inferno.*

S. Bernardo.

57 Prob. 8. ex *Bernardo in ser. de transitu Malachiæ*. Est enim deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis.

Ex Auguſt.

58 Prob 9. ex *S. Augusti. in psal.* 85. vbi declarans illud, *eruisti animam meam ex inferno inferiori*, inter alia dicit, *fortassis enim apud ipsos inferos est aliqua pars inferior, qua tenentur impij, qui plurimum peccauerunt*, & introducens factum diuitis *Luca* 16. qui leuauit oculos, vt videret Abraham, ait, *non enim posset leuatis oculis videre, nisi ille esset superius, ille inferius:* & postea concludit, quod Dauid gratias Deo agebat, quia eum eripuerat à peccatis, quæ deduxissent eum in infernum inferiorem. Certum autem supponimus, cum eodem *Augusti.* ibidem, quod locus Patrum, ad quem descendit Christus, erat sub terra, ex 4. *ad Ephes. Quod autem ascendit quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ*: ergo. Infernus inferior, seu damnatorum est in corde terræ per *Augusti.*

Ex eodem Augult.

59 Conf. ex eodem *lib. de contritione cordis cap.* 9. vbi vt in primo articulo dictum est de tribus abyssis timet, & loquendo de abysso damnatorum, dicit, *timeo, ne me cum abysso mea* (id est peccatorum) *in illam, quæ subtus me latet, obruat, vbi nec tormenta, peccata numquam deficiunt.* Abyssus autem aliquando significat ex Calepino in veteri. aquæ profunditatem, & sæpe habetur in Scriptura, *Gen. cap* 1. *cap* 7. *& 8.* & alibi, aliquando tamen significat profunditatem terræ *Psal.* 70 *De abyssis terræ iterum reduxisti me*, & *Psal* 106 *Descendunt vsque ad abyssos*. Interlin dicit, *Gehennam*. *Apocal* 9 *Clauis putei abyssi*, vbi notatur, quod puteus sit in abysso, ergo in profunditate terræ igitur, cum infernus

dam-

damnatorum ab Augustino vocetur abyssus, dicendum est, per eum, infernum esse in maxima terræ profunditate.

Ex Augst. 3. 60 Conf. 2. ex eodem *August.* qui licet in *lib. 12. de Genesi ad lit. cap. 33.* dubitare visus sit, an inferi sub terris sint, putans non esse loca corporalia, & ideo non esse inferos appellandos, quia sub terris non sunt: tamen in *lib. 2. Retract. cap. 24.* in fine, retractans eam sententiam, ait, *de inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse dicantur, sive credantur, quasi non ita sit.*

S. Basilio. 61 Prob. ex *S. Basilio Magno in cap. 5. Isa.* Ver. *Et dilatauit infernus.* Fortassis hæc oratio nobis subindicat, locum quendam communem in terræ repositum meditullio, obscurum ab omni parte, & obumbratum, in quo infernus ille constituatur. Foramen autem quodam ad concaua terræ pertingens, & demissum esse, per quod descensus animabus patet illorum, qui ad impietatem declinauerunt; quod quidem propter numerum ingentem illorum, qui disperduntur, vt facilius vniuersos suscipere posset, dilatatum esse vehementius, affirmat. hæc *Basilius.* Ergo in medio, seu corde, ac centro terræ est damnatorum infernus.

Glossa Ord. 62 Prob. ex Glossa Ordinar. in *cap. 7. Isa. ver. 9. Pete signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni.* Glossa, Ver. *Pete*, ait. Vis scindatur terra, et pateant inferi, qui in corde terræ esse dicuntur.

Greg. Mag. citatè. 63 Prob. ex *Gregor. Magno lib. 4. Dial. cap. 42.* vbi interrogatus, vbi credendus sit esse infernus? dicit hac de re temerè definire nil audeo; nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putauerunt; alij verò hunc sub terra esse æstimant. Sed tamen hoc pulsat animum, quia si idcirco infernum dicimus, quia inferius iacet, quod terra ad cælum est, hoc esse infernus debet ad terram; vnde, et fortasse per Psalmistam dicitur *liberasti animam meam ex inferno inferiori*, vt infernus superior in terra, infernus verò inferior sub terra esse videatur, etc.

Ex Bonau. *S. Bonauentura* huic Gregorij doctrinæ, maximè innititur *in 4. dist. 44. par. 1. quæst. 2. num. 43.* et tenet, infernum esse sub terra in loco infimo ad omne corpus, sicut locus beatitudinis est ad omnia supremus.

Omnis Thomistarum & Scotistarum Schola. 64 Prob. tandem ex tota Scotistarum Schola id docentium cum suo Magistro. Imo, & ex Schola *Diui Thomæ*, qui vt Tab. Aurea citat hanc opinionem sustinuit in secunda sententia.

Hugone. 65 Prob. ex *Hugone Victor. lib. 2. de Sacram. fidei par. 16. cap. 4.* Dicitur infernus esse inferior locus, imo terræ, pœnis damnatorum præparatus, de quo tamen omnino certum non est, in qua parte eius sit, vtrum intra concauitatem illius, siue extrinsecus in aliqua regione ambitus ipsius dispositus sit: quamuis verisimilius videatur, infra terram, quasi carcerem quendam, et velut ergastulum tenebrarum collocatum.

## ARTICVLVS III.

### *Vtrum in inferno adsit ignis.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. dist. 47. quæst. 2. & 3.* per totas cum fide Catholica docet, et in inferno adesse ignem, et eo cruciari damnatos, siue homines, siue dæmones.

Ratio dicendorum. 66 Adu Quod licet articuli titulus videatur facile solubilis, cum Scriptura id clare doceat; fuit tamen hoc inquirendum, propter ordinem dicendorum; cunctas enim inferni pœnas recensituri, à prima, et magis notoria fuit inchoandum. An autem ignis sit corporeus, et quomodo nunc agat in animas, et dæmones, et post iudicium in homines, in ipsosmet dæmones, etc. postea videbimus.

Ignis reperitur in inferno. 67 Dico ergo. In inferno, sito in terræ visceribus, seu centro, adest ignis, per totum infernum diffusus. Est communis de fide cum *Scoto, vbi supra. D. Thom. D. Bonauent.* & ipsomet *Sent. Magistro in 4. sent. dist. 44.*

Ex Deuter. 68 Prob. 1. ex *Deuter. 32. 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima.* Interlin. ait, *Vsque in æternum puniendo.* Glossa Ordinar. Verbo, *Ignis*, ex Gregorio, inquit, Ignis exarsit ab ira sua, & ardebit vsque ad inferos, & deorsum. De præsenti percussione dicitur ignis exarsit ab ira mea. De æterna sequitur, & ardebit vsque ad inferos, & deorsum. Hæc Glossa.

Ex Psalt. 69 Prob. 2. ex *Psal. 10 7. Pluet super peccatores laqueos, ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Interlin. dicit, *in futuro, &c. Hieron.* in hunc locum, ait, *Pœnam æterni iudicij, & verbera indicat peccatorum; quos ignis exurit, tempestas examinat.*

*August.* in eundem locum, ait, *Ignis, &c.* hæc pœna eorum est, atque exitus per quos blasphematur nomen Dei, &c.

70 Prob. 3. ex *Psal. 20. 10. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.* Interlin. ait, post accusationem conscientiæ, deuorabuntur, æterno igne. & Ver. *Ignis*, ait infernalis. *August.* in hunc locum ait. Deinde conturbati vindicta Domini post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno deuorandi.

Ex nouo test. Alia innumera suppeterent veteris testamenti loca, quæ non est necesse percurrere. Sed accedamus ad nouum.

71 Prob. 4. ex *Matth. 5. 22. Qui autem di-*

Multę scrip. sent.

*dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. cap.13.* 40. *Angeli in consummatione sæculi separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium, cap.18.* 8. *Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis, & cap.25.* vbi sententia damnatorum exprimitur, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, &c.*

71 Prob. 5. ex *Marci 9.42. Bonum est tibi, debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem.* Interlin. ait, inferni pœnas enumerat. & textus iterum, atque iterum replicat ibi, ignis gæhennæ æternitatem.

72 Prob. 6. ex *Ioan. 15.6. Si quis non manserit in me, &c. colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Vbi Glossa Lyran. ait, in ignem mittent infernalem, & ardet, sine fine in perpetuitate pœnæ.

74 Prob. 7. ex *epist Iudæ 7. Sicut Sodoma, & Gomorra, &c. & abeuntes post carnem alteram, facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.* Glossa Ordinar. Ver. *Exemplum*, ait, fuit initium pœnæ, & signum futuri.

Ex Apocal. 73 Prob. 8. ex *Apocalyp. 14.10. Si quis adoraverit bestiam, &c. cruciabitur igne, & sulphure, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Vbi Glossa Ordin. Ver. *Ascendet*, inquit, notat pœnam æternam continuari.

Ex Patribus. 76 Prob. 9. ex *Iustino in defensione pro Christianis*, vbi contra Phylosophos inuehitur dicentes, *esse voces inanes, & terriculamenta, quæ à nobis de iniustis in igne perpetuo eos torqueri referuntur.*

Ex Iustino,

Cypriano; 77 Prob.10. ex *Cypriano epist.55. Diues ille peccator, cum in tormentis cruciabundus flamma ardoribus aduratur.* & *tract. de laude martyrij*, enumerans inferni pœnas, inter alia dicit, *Eructantibus flammis per horrendam spissa caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis expirat; globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœna exitus relaxatur.*

Augustí. 78 Prob. 11. ex *S. Augustí. de vera, & falsa pœnit cap.16.* docente ignem inferni esse opus iustitiæ, *lib 13. de Ciuit. Dei c. 2.* dicit esse bonum naturæ, *lib. de natura boni cap. 38.* docet, ignem infernalem non esse malum, & *cap.39.* dicit, ignem inferni esse æternum; idemque dicit in Commonitorio Orosij, & *lib.21. de Ciuit.* docet, ignem infernalem esse corporalem, & cruciaturum dæmones, & homines.

Greg. Mag. 79 Prob.13 ex *Gregor. lib.4. Dial c.28. & 29.* in principio enim ait, sicut Electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui, ignis reprobos exurat. Et quia Petrus interrogat, quomodo possit res corporea, id est ignis tenere rem incorpoream, id est animam, in *cap.29.* reddit rationem, in seqq. articulis adducendam.

80 Prob. 14. ex *Haimone in Dominica secunda post Pentec.* Non dubium est animam incorpoream ante iudicium ab igne corporali posse torqueri. Haimone;

81 Prob. 15. ex *S. Bernardo in sermone de transitu Malachiæ*, est deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis. Bernardo.

82 Prob.15. ex *Hugone Victor. lib.2. de Sacramento fidei par.16. cap.4.* vbi loquens de inferno posito in terræ cauitatibus, ait. In hoc inferno dicunt, ignem inextinguibilem, & qui vt semper ardeat, nutrimento non egeat ab initio mundi dæmonibus cruciandis, æternaliter præparatum, in quo scilicet igne, etiam homines maligni cum dæmonibus æternam pœnam passuri sunt, &c.

83 Prob. 16 ex *D. Thom. in 4. sent. distinct. 44. quæst. 2. art. 3. & 4.* vbi prolixè de hoc puncto agit, quomodo possint animæ, & spiritus cruciari ab igne corporeo, sic autem, ait in primo loco, dicendum, quod igne corporeo animæ damnatorum separatæ puniuntur, & spiritus dæmonum. Potest autem ignis animas affligere non virtute naturæ, sed vt instrumentum diuinæ iustitiæ. Et in secundo loco dicit, Corpora damnatorum igne corporeo cruciabuntur post resurrectionem, non tamen consumentur per ignem. Ex D. Tho

84 Prob 17. ex *S. Bonauent. in 4. sent. dist.34. par.2. quæst.1.* vbi innixus Gregorij Magni sententiæ, vbi supra, & ignem in inferno adesse, & materialem, seu corporeum, & animas cruciare defendit. Et adducetur cum de materialitate ignis loquemur. Ex Bonau;

85 Prob.18. ex *Riccardo in dist.44. ar.2. quæst. 3.* vbi ignem in inferno, & corporeum esse tuetur. Riccardo

## ARTICVLVS IV.

### *An ignis inferni sit corporeus.*

SCOTVS *in 4. sent. dist.44. qu.2. & 3.* ex professo mouet, ac soluit, ne dum præsens quæsitum, docens infernalem ignem esse corporeum, sed & aliud difficilius, quomodo scilicet possit cruciare animas, & spiritus, de quo postea. Scoti mens.

86 Adu. Communem omnium fere Patrum sententiam esse, quod ignis inferni sit corporeus; & licet *S. Bonauentura in 4. sentent* dicat, non posse hoc pro certo poni, quoniam Augustinus Doctor præcipuus est in oppositum, esto D. Gregorius Magnus, cui standum est sit pro affirmatiua. Ego tamen video Augustinum in hoc casu varium, sed magis inclinantem ad par-

Cur aliqui dubitarint ignem esse corporeum.

partem affirmatiuam; imò ita firmiter tenentem.

Sensus art.

87 Adu.à. Quod licet nunc quæramus, de igne inferni absolutè; & qui in eo ab initio semper fuit, est, atque erit; non tamen de modo, quo cruciat nunc animas sine corpore, & spiritus id est dæmones, de hoc enim specialis erit quæstio. Sed loquimur solum de substantia ignis. Ideo

Ignis inferni est corporeus.

88 Dico ignis inferni, quo damnati omnes cruciantur est corporeus. Est communis *Scotti loco cit. D. Thom. in 4. sent. distinct. 44. quæst. 2. art. 3. D. Bonauent. in 4. distinct. 44. par. 2. quæst* 1. & omnium Scholasticorum, quos non refero, ne teram tempus, cum ab his proximè acceperint, licet apud SS. Patres sit sententia antiquissima in Ecclesia.

Ex Lucæ Euangelio.

89 Prob. 1. ex *Luca* 16. vbi Dives in inferno sepultus clamat se cruciari in illa flamma. Deinde poscit sibi subueniri per guttas aquæ ad refrigerium. Ergo ignis est corporalis. Non enim posset aqua materialis reprimere ardorem ignis si hic esset spiritualis.

Ex modo loquendi Euangelistarum.

90 Prob. 2. Multæ aliæ pœnæ inferni sunt corporales: ergo est istæ. Antecedens prob. Primo, ex *Matth.* 8 13. 22. ac 24. nec non *Luca* 13. quibus in locis fit mentio de loco damnatorum, habetur, *ibi erit fletus, & stridor dentium*. Huiusmodi autem passiones sunt corporales. Secundo, ex *Apocal.* 14. & 20. in fine. De adorante bestiam, id est Antichristum, habetur, *cruciabitur igne, & sulphure, & missi sunt viui in stagnum, ignis, & sulphuris*, nullibi autem legitur sulphur spirituale in inferno. Ergo idem dicendum de igne.

Greg. Mag. diffuse.

91 Prob. 3. ex *D. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 29.* vbi ex professo quærens, an ignis inferni sit corporeus, præ cæteris sic habet, sicque fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor, ac dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea etiam in corporea flamma crucietur. Quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima, non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce *Diues mortuus, in inferno*, dicitur *sepultus*. Cuius anima, quia in igne teneatur, insinuat vox eiusdem diuitis, qui Abraham deprecatur dicens, mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, &c. Et paulò post, interrogat Petrum cum quo colloquitur, an fateatur ignem inferni esse corporeum, vel incorporeum, respondente Petro, *Ignem gehennæ esse corporeum non ambigo, in quo certum est, corpora cruciari*. Ipsemet *Gregorius* sic prosequitur. *Certe reprobis veritas in fine dicitura est, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius; si igitur diabolus, eiusque Angeli cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi; quid mirum, si anima etiam antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta*. hæc Gregorius, & Petrus respondet: *Patet ratio, nec debet animus de hac vlterius quæstione dubitare*. Ergo ex *S. Gregor.* ignis crucians damnatos, siue corporeos, siue incorporeos, est corporeus.

Ex August. variè tenente olim, sed postea affirmatiuam tenente sent.

92 Prob. 4. ex *S. August.* qui licet aliquando docuerit ignem inferni, & omnes alias pœnas, imò, & ipsum infernum esse spiritualem, ita in *lib. de cognit. vera Vitæ cap.* 40. & alibi; tamen rem melius perpendens, docet contrarium expressè in *lib.* 21. *de Ciuitate cap.* 10. vbi quærens, an ignis inferni sit corporalis, & quomodo id sit possibile, cum cruciaturus sit, nedum corpora, sed etiam spiritus, dicente Christo, *in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*; post aliqualem dubitationem, ait. *Cur itaque non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterant corporum suorum vinculis aligari*: & post aliqua, *Imò spiritus damones, licet incorporei, corporeis ignibus sunt cruciandi*: & in fine subdit. *Aut verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis, & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut hominum, & dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtriusque ignis erit, sicut veritas dixit.* Hæc *Augustinus* placuit hæc omnia afferre, vt appareat, quam sit firma eius sententia de corporeitate infernalis ignis. Quod si alias aliter dixerit non ex propria, sed aliorum sententia locutus est.

Clara August. mens.

Ex Hieron.

93 Prob. 5. ex *D. Hieron. in cap. vlt. Isaiæ*; super vlt. versum, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, vbi sic habet, ignis quoque iuxta id accipiendus, quod est vermis, qui tamdiù succendetur, quamdiù habet materiam, quæ vorax flamma pascatur. Si quis igitur habet zizania, hæc ignis exuret, hæc vorabit incendium. Et post aliqua, qui ædificauerunt super fundamentum Domini fœnum, ligna, stipulam, ignis pabulum sempiterni. Hæc *Hier.* flamma autem vorax, incendium, & eiusmodi sunt entia corporalia.

Ex eodem.

94 Confir. ex eod. *cap. 13. in Matt. v. 42. eos, qui faciunt iniquitatem mittent in caminũ ignis ibi erit fletus, &c.* ait, enim manifestum est hæreticos quosq; & hypocritas fidei, gehennæ ignibus concremandos, &c. Et iterum *versu* 50. *Mittent eos in caminum ignis*, dicit, malos torrendos, & exiccandos, gehennæ flamma suscipiet. Ergo ex *Hier.* est corporeus.

Basil. Mag.

95 Prob. 6. ex *S. Basil. Magno homil. in psal.* 33.

*psal.* 33. inter alia de damnatis, hæc dicente, subinde conspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, caustícas quidem vires habentem, luce verò destitutum. Hæc *Basilius*.

Io. Chrysost.

96 Prob. 7. ex *S. Ioan. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum.* Cum ignem audis (loquitur de inferno) nè arbitreris esse similem huic igni; accensus enim deferuescit, & mutatur, ille autem semel in flammam exurgens, ardet perpetuò, numquam intermoritur. Idem prorsus dicit *S. Greg. Nyss. in orat. Catech. c.* 40. Ergo hi Patres, in sola defectibilitate, dicunt, hunc nostrum ignem differre ab infernali, non verò in alijs, puta corpareitate, &c.

Cypriano;

97 Prob. 8. ex *S. Cypriano lib. ad Demetrianum.* Cremabit addictos ardens semper gæhenna, & viuacibus flammis vorax pœna. Seruabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorẽ, &c.

Ex eodem euidentissimè

98 Confir. ex eod. *ser. de Ascensione.* Stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent inter incendia; & incorrumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, non erit, qui æstanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, &c.

Tertull;

99 Prob. 9. ex *Tertull. lib. de pœnit. c.* 12: Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus cum fumariola quædam eius tales flãmarum ictus suscitent, vt proximæ vrbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent, dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fœta. Ergo corporalis est.

Haimone;

100 Prob. 10. ex *Haimone lib. 4. in Apocalyp.* Erit enim ignis non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremanda. Erit quoque ibi sulphur, quod & fomentum præstabit igni, & fœtorem gignet intolerabilem. Ac per hoc ex igne fœtor, & ex fœtore ignis procreabitur. Ergo materialis est.

Ex Scholast. Mag. Sent. D. Thom. D. Bonau. Scoto.

101 Probari posset ex omnibus fere Ecclesiæ Patribus, sed superfluum puto alios adducere. Eos postea secuti sunt Scholastici fere omnes cum *Magistro Sent. in 4. distinct.* 44. Nam *S. Thom. ibid. quæst.* 2. *art* 3. ex professo docet, non solum ignem inferni esse corporeum, sed animas separatas, & dæmones eodem igne corporeo pati, ac puniri. *S. Bonauent. ibid. par.* 2. *quæst.* 1. docet, ignem inferni nunc cruciantem animas, & dæmones, & post iudicium etiam corpora, non solum esse corporeum, sed ait, fortè eiusdem rationis substantialis cum igne elementari, licet diuersæ proprietatis. *Scotus* tandem ibidem innixus authoritati *D. Augustini & Gregor.* docet ignem inferni nunc spiritus, postea verò etiam corpora cruciantem, corporeum esse. Igitur concludendum est talem esse.

Arg. contr.

Ob. *S. Ambrosius in cap.* 14. *Lucæ*, habet. Ergo neque corporalium aliquis stridor dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Ipsum autem S. Doctorem alij sunt secuti.

S. Ambros. aliquando explicat Ignem metaphoricè.

102 Resp. *Ambros.* ibi loqui de interno igne, tristitia, rabie, ac inuidia, & de conscientiæ verme, id est remorsu; non verò de igne externo, communi omnibus damnatis. Hunc enim confiteri fide docemur, dicente veritate, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ergo est consequentia necessaria fidei, quod adsit locus in quo sit ignis externus crucians, nunc quidem animas, ac dæmones, postea verò etiam corpora; docente Scriptura *Apocal.* 19. in fine, de Antichristo, & Pseudo-prophetis, *Vini missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis, & sulphuris.*

Ob. 2. Si esset corporeus, non posset cruciare animas, aut dæmones: ergo.

Ad hoc argumentum Resp. in sequenti articulo.

## ARTICVLVS V.

### *An, & quomodo ignis corporeus agere possit in spiritus.*

Scoti mens.

SCOTVS ex professo id resoluit in 4. *dist.* 44. *quæst.* 2. vbi cum fide Catholica *Matth.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, docet, spiritus, seu dæmones ab igne corporeo cruciari in inferno. Et docet insuper modum, quo ignis eos cruciat.

Omnes conueniunt in re, differũt in modo.

103 Aduerto, quod licet omnes Catholici in thesi conueniant; quod mali Angeli infernali corporeo igne crucientur: tamen in assignando modum, quomodo possit corporeum agere in incorporeum, non conueniunt. Aliqui enim cum Henrico, vt *Scotus* notat, vbi supra §. *Aliter*, docent, quod, vt spiritus, siue dæmones, siue animæ patiantur ab igne corporeo, conceditur eis quidam habitus, per quem subijciuntur corporali agenti. Alij cum Ægidio Romano, (vt notat margo *Scoti*, vbi supra, §. *Hic dicitur*) *in Quodlib.* 4. *quæst.* 15. *cap.* 7. *ad fin.* & *Quodlib.* 11. *quæst.* 9. docent, dæmones, & animas separatas cruciari per solam apprehensionem ignis, tamquam obiecti disconuenientis. Pro hac opinione eadem margo citat *D. Thom. in hac dist. quæst.* 1. sed non reperio tale dictum in *D. Thoma*; sed contrarium. eius autem mens mox adducetur, aliter enim loquitur. Dicit ergo sic *D. Th. in* 4. *sentent. distinct.* 44. *quæst.* 2. *artic.* 3.

Opiniones diuersæ.

D. Thom.

(in

(in 2. scripto) *ignis affligit animas, & spiritus, id est dæmones, non virtute naturæ, sed vt instrumentum Diuinæ iustitiæ; affligit autem non alterando, sed detinendo.* At non dicit nodum quo hoc instrumentum à Deo eleuatum, spirituales illas substantias affligat. Alij, vt *Scotus* notat, & impugnat dicunt, spiritus & animas per solam ignis detinentiam cruciari. *Scotus* autem, vt clarius infra, ait animas separatas (id est nunc, quia post iudicium cum corpore, sicut nunc patientur,) & spiritus dupliciter ab igne, alijsque corporalibus pœnis cruciari, per tristitiam causatam ab obiecto disconueniente, quia scilicet non possunt liberè vti potentia loco motiua; neque applicare se ad considerandum alia quamuis disconuenientia: Et ideo claritatis gratia in plures §§. hoc graue quæsitum secabimus.

Spiritus quo modo ab igne torquétur variæ sent.

104 Adu. 2. Antiquos quosdam, imò, vt ait *Augustinus lib. 21. de Ciuit. cap. 10. A.* Doctos homines, vt possent capere, quomodo ignis cruciet spiritus, docuisse, quod dæmones etiam habent corpora quædam ex aere illo crasso, & humido conflata. Quod quidem elementi genus, si nihil igne perpeti posset, non vereret feruefactus in balneis; & *Augustin.* non videtur ibi tunc impugnare hanc sententiam, sed sub dubio relinquit, ait enim ibidem *sub B. Si autem quisquam nulla habere corpora dæmonis asseuerat, non est de hac re, aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum:* & in fine eiusdem capitis ait, *aut ignis ille infernalis corporeus erit, & cruciabit corpora damnatorum, & hominum, & dæmonum: solida hominum, aerea dæmonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus, sine corporibus hærentes sumendo pœnam.* Ex quo videtur nem sub dubio relinquere, an scilicet dæmones corpora illa aerea habeant per quæ reddantur capaces passionis ignis. Sed reuera *S. Augustinus*, licet hæc referat ex Doctorum sententia, quos ex modestia non impugnat, ipse tamen sine trepidatione contrarium docet, dicens ibidem *sub B. Cur itaque non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, &c.* & idem docuit *S. Gregor. l. lib. 4. Dial. c. 29.* idem tandem tota Ecclesia, dæmones scilicet spiritus simplices esse corporibus carentes.

Quidam asserebant dæmones habere quædam corpora per quæ patiantur.

Aug. mens in hoc.

105 Adu. 3. ex *Scoto, vbi supra qu. 2. §. Ad quæstionem A.* quæ ex *Augusti* accipit *lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 15.* duas reperiri in homine passiones afflictiuas, dolorem, scilicet & tristitiam. Dolor autem sic ab *Augustino* ibi definitur, *Est offensio animæ ex carne, & quadam ab eius passione dissensio. Tristitia verò, est passio ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.* Et licet tristitia etiam aliquando dicatur dolor; propriè tamen dolor est passio carnis, seu animæ ratione carnis, cui vnita est. In hoc autem conueniunt dolor, & tristitia, quod vtrumque prærequirit apprehensionem, & afficit appetitum; sed in hoc differunt, quod dolor consequitur apprehensionem appetitus sensitiui, & sensitiuum pariter afficit appetitum. Tristitia verò sequitur apprehensionem intellectiuam, & afficit appetitum rationalem. Et proinde, ait *Scotus*, dolor propriè quærendus non est in spiritibus, vel animabus separatis, & cum de eis dolores asseruntur, intelligendi sunt de improprijs, nempe de tristitijs, quæ voluntatem cruciant.

Dolor, & tristitia quid.

Per quid differunt.

106 Dico ergo: Spiritus, & animæ separatæ, ab igne corporeo cruciantur. Est communis *Scoti, vbi supra. D. Thom. in 4. sent. dist. 44 quæst 2. art. 3. D. Bonau. in 4. dist. 44. par. 3. quæst. 2.* & communis.

Spiritus, & animæ separatæ ab igne corporeo cruciantur.

107 Prob. Eo igne dæmones cruciantur, quo cruciabuntur homines cum corpore, & anima post iudicium. Sed illi igne corporeo cruciabuntur: ergo & illi. Mai. ex *Matth. 25.* habetur, *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, Ergo idem ignis pro hominibus corporeis, & spiritibus. Minor patet ex præced. art non enim alius ignis, quam corporeus est in inferno.

Ex Script.

108 Prob. 2. ex *August. lib. 21. de Ciu. Dei cap. 10. Cur non dicamus, quamuis miris, veris tamen modis, spiritus incorporeos, posse pœna corporalis ignis affligi.*

Ex August.

109 Conf. ratione eiusdem *Aug.* ibidem sic habentis, *Si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei etiam nunc potuerunt includi corporalibus membris; & tunc poterunt corporum suorum vinculis perpetuò alligari.* Ergo etiam dæmones à corporeo igne poterunt pati.

110 Conf 3 ex eodem ibidem. *Adhærebunt ergo, etiam si eis nulla sint corpora spiritus dæmonum, imò spiritus dæmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi,* & in fine, ait, *Vnus quippe ignis vtriusque erit, sicut veritas dixit*, id est animabus, & dæmonibus: ergo.

111 Prob. 3. ex *D. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 29.* in fine. *Certè reprobis veritas in fine dictura est. Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. Si igitur diabolus eiusque Angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, & antequam recipiant corpora possint corporea sentire tormenta:* ergo.

Greg. Nisf.

112 Probari potest 3. ex facto diuitis damnati *Luæ 16.* & alijs argumentis adductis in præced. art. sed omnium validissimum est oraculum Saluatoris quod eodem igne dæmones, & homines corporei post iudicium cruciabuntur, sed de modo est difficultas. Ideo sit

Ex facto diuitis.

## §. 1.

### *An ſpiritus, & animæ ſeparatæ crucientur per apprehenſionem tantum ignis, & aliarum pœnarum.*

Declaratio huius ſent.

113 ADu. hunc eſſe modum dicendi Ægydij Rom. vt notat *Scotus in diſt.44. quæſt.2. §. Hic dicitur*. Spiritus, & animæ apprehendunt ignem illum, in quo detinentur eſſe obiectum ſibi diſconueniẽs, & ex hac apprehenſione cruciantur. Exemplificatur de ſomno, cum enim quis in ſomno apprehendit per phantaſiam aliquod ſenſibile diſconueniens, à quo affligeretur, ſi in vigilia ſibi applicaretur; in ipſomet ſomno cruciantur. Ita ſpiritus, & animæ exiſtentes in eo igne apprehendunt ſe cremari, quia ſi in corpore eſſent, verè cremarentur; & ex ea apprehenſione, ab igne cruciantur.

Modus hic loquendi nó ſaluat cruciatum ignis interni.

114 Dico. Hic modus loquendi non ſoluat verum, ac realem cruciatum ſpirituum, ac animarum per ignem. Eſt *Scoti, vbi ſupra*, & nunc communis.

115 Prob. ex eodem. Vel hæc apprehenſio ignis in ratione diſconuenientis eſt vera, vel falſa. Si vera, oporteret aſſignare modum diſconuenientiæ; non enim apparet, quomodo ignis, aliaue corporalia diſconueniant ſpiritui, cum non ſint ei contraria, neque eius corruptiua. Neque eſt diſconueniens in ratione obiecti; quia obiectum, vt obiectum conuenit intellectui. Intelligibilitas enim ignis, imò & omnium elementorum eſt maxime conueniens intellectui.

A ſufficienti argum.

Si verò apprehenſio eſt falſa. Sequitur, quod non ab igne, ſed à falſa ſua opinione cruciantur. quod falſum eſt; ſicut enim nullus falſa opinione eſt beatus, neque falſa opinione eſt miſer.

116 Conſ. vel hæc falſa æſtimatio ineſt ſpiritibus, & animabus à Deo, vel ab ipſiſmet eam ſibi producentibus. Non primum; quia ſic Deus eſſet cauſa deceptionis, quod eſt abſurdum. Neque ſecundum quia ex *Dionyſio de diu. nomin.* Naturalia in malis etiam Angelis ſunt ſplendidiſſima; & ſic poſſent cognoſcere, ſe decipi, & exinde ſe à cruciatu illo liberare.

Ex facto diuitis.

117 Prob. 2. Diues damnatus *Lucæ 16.* clamat *cruciot in hac flamma*, & petit guttam aquæ, qua lingua eius refrigeretur. Ergo non ſolum videbat, ſeu apprehendebat ignem, ſed aliquid aliud experiebatur, quod etiam tangit *Gregor. lib.4. Mor. cap. 29.*

Greg. Mag.

118 Prob. 3. ex *Gregor. 4. Moral. c. 29. Teneri autem ſpiritum per ignem diximus, vt in tormento ignis videndo, atque ſentiendo paniatur. Ignem namque eo ipſo patitur, quo videt, & quia concremari ſe aſpicit concrematur. Sicque fit, vt res corporea incorpoream exurat, dum ex igne viſibili, dolor inuiſibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur. Quamuis colligere ex dictis Euangelij poſſumus, quia incendium anima non ſolum videndo, ſed etiam experiendo patiatur*, & ſtatim adducit hiſtoriam diuitis cruciati in inferno *Lucæ 16.* Ergo, licet prima facie videatur Gregorius fauere contrariæ ſententiæ de cruciatu per viſionem, concludit tamen ex Euangelio animam præter viſionem ignis experiendo illum pati.

Ex Auguſt.

119 Prob. 4. ex *S. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. cap. 10. B. Cur itaque non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi. Adhærebunt ergo ſpiritus dæmonis, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi.* Ergo non per apprehenſionem, ſed per realem ignis in eos actionem cruciabuntur.

## §. 2.

### *An ſpiritus crucientur ab igne per aliquem habitum receptiuum paſſionis.*

Spiritus non cruciantur per habitũ.

120 DIco. Spiritus, & animæ ſeparatæ non cruciantur ab igne per habitum aliquem ſuperadditum, qui ſit in eis ratio receptiui reſpectu ignis. Eſt *Scoti in 4. diſt.44. quæſt.2. §. Aliter dicitur*, & nunc eſt communis.

Argum. ad impoſſibile.

121 Prob. 1. ex *Scoto* ibidem. Talis habitus, vel eſſet forma corporalis, vel ſpiritualis: neutrum poteſt dici: ergo. Min. prob. Non corporalis, quia ſi poteſt Angelus recipere hanc formam, poſſet etiam recipere albedinem, & alias qualitates ſenſibiles, & ab eis denominari albus, calidus, &c. Et è contra ſubiectum corporale poſſet recipere formam ſpiritualem, vt lapis ſcientiam, & denominari ſciens, eadem enim vtrobique eſt ratio ſuſcipientis ad ſuſceptum, & è contra. Neque poteſt eſſe forma ſpiritualis; nam ſi dæmon, quia ſpiritualis non eſt proportionatus igni corporeo, non fieret proportionatus per aliam formam ſpiritualem ſuperadditam, ſed æquè ſemper eſſet improportionatus.

Aliud arg. Ex abſurdo.

122 Prob. 2. ex Cruciatus ille, ſeu pœna ab igne proueniens reciperetur immediatè in habitu illo, tamquam proximè receptiuo, & non in natura dæmonis, neque etiammediatè. Ex quo enim eſt improportionata, quia corporea, & per habitum illum non amitteret ſuum eſſe, nec mutaretur, ſemper ſuam improportionem retinereret,

ret, & sic non dæmon, sed habitus ille cruciaretur: imo si separaretur à dæmone, adhuc talis habitus posset cruciari.

Instantia de anima vita corpori non est adtem.

123 Neque valet instantia de anima coniuncta corpori, quæ patitur dolorem mediante corpore; nam totum coniunctum ex anima, & parte corporea est organum viuum, quod sentit, & patitur afflictionem, & proinde cadauer separatum ab anima dolorem non sentit, nec anima separata à corpore, quia non datur organum capax sensationis, ac doloris. At dæmon, seu anima cum habitu illo non faceret aliquod vnum viuum, sed tota vita se teneret ex parte vnius tantum.

Habitus nõ dat simpliciter posse, sed sic posse.

124 Prob. 3 ex *Scoto* ibidem. Habitus non est, quo simpliciter possumus, sed quo sic possumus; potentia enim est illa, qua simpliciter possumus. Ergo talis habitus quicumque sit non haberet potentiam ad pati, vel agere. Igitur, cum neque eam haberet spiritus, non posset illam ab habitu mutuare: ergo.

## §. 3.

## *An ignis cruciet spiritus ratione tristitiæ, & vt obiectum disconueniens.*

Plures modi dicendi.

125 ADuerto ex *Scoto in 4. dist. 44. qu. 2.* C. dupliciter ignem posse cruciare Angelum. Primo, vt detinens eum, & hoc etiam dupliciter, velut detinens simpliciter per modum locantis; vel vt detinens nolitum à dæmone, eo quod vellet vti sua libertate circa potentiam loco motiuam, & tamen impeditur. Secundo obiectiuè, vt immutans obiectiuè intellectum Angeli mali, quia determinatur ad considerandum ignem in ratione obiecti perpetuò, & non potest ad aliud diuertere, & considerat, quia ligatus est ad talem contemplationem, quam ex affectione commodi nollet habere, sed esse liber ad quodcumque obiectum pro libito. Ex quibus sequitur tristitia. Hoc præmisso

Non cruciantur per solã detentionẽ localem.

126 Dico 1. Spiritus, & animæ separatæ non cruciantur ab igne per solam detentionem localem. Est *Scoti sub* C.

127 Prob. Spiritus, & animæ non habent vllam repugnantiam cum quouis loco: ergo. Anteced. prob. Ad nullum locum habent conuenientiam, vel inclinationem. Si enim Michael ex diuino præcepto perpetuò sisteret in aliquo loco, non pareretur ab eo, quia ad eum non habet repugnantiam formalem, nec ab intrinseco, nec ab extrinseco. Elementa enim & mixta solummodo determinant sibi locum, à qua si auellantur, fit contra eorum naturam; non ita spiritus, quia à loco non conseruantur, nec aliam inesse dependentiam ab eo agnoscunt. Ergo per solam detinentiam non cruciantur.

Arg. à priori.

Quomodo ab igne cruciantur spiritus.

128 Dico 2. Spiritus, & animæ separatæ cruciantur ab igne detinente difficultiue contra voluntatem eorum, inclinatam ex affectione commodi ad vtendum libero vsu motiuæ potentiæ. Est *Scoti, vbi supra*, & fere communis.

Declaratur modus tenẽdi huius sententiæ.

129 Prob & declaratur. Spiritus, & animæ separatæ vellent vti sua potestate ad se faciendum præsentes cuilibet loco ex libito, & sic liberè vti potentia sua motiua; & tamen detinentur in illo solo igne, & ita sunt ibi, vt non possint alibi esse. Ac proinde promouet eos superbia, propter quam appetunt vti sua libertate. Confirmat inuidia, propter quam numquam vellent ibi determinatè detineri ex diuina sententia. Ideoque habentes hoc nolle, & apprehendentes certam, atque perpetuam hanc nolitam detentionem in igne, producitur in eis maxima tristitia, quæ ex obiecto nolito, & tamen existente, procedit. Et hæc est cruciatio spirituum ab igne detinente.

Cruciantur ab igne obiectiue immutante.

130 Dico 3. Spiritus, & animæ separatæ cruciantur ab igne, etiam obiectiuè immutante intellectum, & voluntatem eorum, Est *Scoti in 4. dist. 44. quæst. 2. §. De secundo H.*

131 Prob. & declaratur. Intellectus eorum per determinatum Dei concursum cum illis determinantur ad perpetuò, & intensè considerandum ignem in ratione obiecti. Secundo, apprehendunt determinationem istam ad talem considerationem. Tertio, odio habent hoc; quia vellent ex libito, quodlibet obiectum considerare; & ideo sicut in præcedenti ex superbia promouentur, quia vellent in hoc quoque vti suæ voluntatis imperio. Consumantur ex inuidia, ob quam oderunt se à Deo determinari ad considerationem solius ignis. Apprehendunt certò considerationem hanc perpetuam esse futuram. Ex quibus nolitis tristitia sequitur.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. Si hoc modo cruciarentur spiritus ab igne, sequeretur tristitiam causari ab illo, vt detinente; quod negatur à Scoto, sicut in prima conclusione dictum est: ergo.

Diuersus dicendi Scoti modus ab alio.

132 Resp. dist. sequelam causaretur ab illo, vt detinente tantum, nego, vt detinente nolito, concedo. Ita *Scotus sub E.* in fine. Ratio autem est, quia in omni tristitia, causa eius effectiua est obiectum tristabile, id est res nolita eueniens; non verò voluntas; alioquin esset in potestate patientis tristari, vel non tristari. Ideoque in casu ignis ille detinens formaliter, effectiuè causat tristitiam.

Ob. 2. Ignis non potest detinere spiritum: ergo. Anteced. prob. Quia, *non est potestas, quæ comparetur ei super terram. Iob.* 41. Ergo multò minus ab igne poterit

su-

superari. Et sic non potest ab eo causari tristitia.

Ignis detinet formaliter, Deus effectiuè.

133 Resp. dist. antec. Non potest effectiue detinere concedo. Formaliter, & per modum loci, nego. Ratio *Scoti sub E.* est, quia Deus est, qui effectiuè ponit, et conseruat, seù detinet spiritus, seù animas in igne, et hoc accidit, vel non dando eis cõcursum, vt inde se moueant, vel positiuè impediendo eorum nisum ad motum localem ab eo igne. Ignis verò se habet, vt locus locans spiritus formaliter. Licet, ait *Scotus* dici posset, quod sicut domus detinens me formaliter, & non effectiuè, dici potest impediens me formaliter, ne ab alia domo locer; ita & ignis ille. At quidquid sit de hoc, spiritus, et animæ cũ à Deo impediuntur effectiuè, & ab igne formaliter, ne alio se possint transferre odio habent detentionem illam impedientem vsum liberum sui arbitrij circa motum, et quia apprehendunt hoc impedimentum fore perpetuum, et non posse à se propulsari, tristantur inconsolabiliter.

Arg ad in conueniẽs

Ob. 3. Si hoc modo cruciantur, sequitur omnes æqualiter cruciari in inferno, quod est falsum ex *Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 16.* docente, in inferno, ignem alijs futurum leuiorem alijs grauiorem, iuxta demerita cuiuscumque.

Detentio æqualis, & tristitia inæqualis, vnde hoc prouenit.

134 Resp. ex *Scoto sub N.* negando sequelam. Esto enim formalis detentio ab igne, & effectiua à Deo in omnibus spiritibus sit æqualis, et talis detentio concurrat ad tristitiam; non proinde cruciatus; seù tristitia est æqualis, quia nolitio detentionis, ex quâ effectiuè causatur tristitia, non est æqualis in omnibus. Intensior enim est in ijs, qui magis peccauerunt, quam in ijs, qui minus. Et hæc diuersitas intentionis nolendi detensionem, non est in potestate eorum, sed in Deum refundenda est. Vt plenius dicetur de continuatione, & inæqualitate pœnarum.

Ob. 4. Si hoc modo cruciantur, sequitur, in eorum potestate esse non cruciari. Nam possent non habere nolitionem talis detentionis.

Non est in eorum potestate non odisse detentionem.

135 Resp. neg. sequelam, et probationem, ex *Scoto sub N.* quia nolle, et non nolle, non est in eorum potestate, sed Deus dat eis concursum ad nolle malum ex affectione commodi, scilicet vsus propriæ potestatis ad aliò se transferre, & hoc eodem modo, neque possunt intermittere talem apprehensionem, ac nolitionem obiecti disconuenientis; nam ait *Scotus*, Causa prima vniformiter agente, causa secunda nequit difformiter agere, hoc autem accidit in pœnam, vt Dei concursus naturalis ad vsum liberum suæ potentiæ in apprehendendo, nolendo, mouendo, &c. sit denegatus. Et hoc argumentum fieri potest contra tertium de perpetua consideratione ignis, et impotentia conuertendi se ad aliud, et eodem modo soluitur.

Contra 3.

Ob. contra. 3. Ignis obiectiuè consideratus nequit cruciare cognoscentem illum: ergo. Antec. prob. Ignis, sicut, et alia obiecta causant primò speciem sui impressam, deinde expressam, seù cognitionem; ergo causant delectationem; nam sunt conuenientia potentiæ intellectiuæ, quæ maximè ad ea inclinatur.

Quando obiecta causant delectationem, & quando non.

136 Resp. nego antec. ad prob. dist. conseq. obiecta secundum se considerata causant delectationem, concedo. Nolita, nego. Ita se habet in casu; quando enim ignis causat sui speciem, et cognitionem, statim sic operante Deo, causatur in damnatis spiritibus apprehensio, quod non possunt alia obiecta amplius considerare, et nolitio talis determinationis, imò, et apprehensionis illius. Et sic apprehensio ignis, et determinationis ad eum nolita, et in effectu existens, causat tristitiam.

Dices saltem in primo instanti, antequã hæc sint nolita, ignis, vt obiectum causat delectationem, cum causa ista naturaliter præcedat causam tristitiæ, quæ est nolitio determinationis, & apprehensionis.

Quare non possunt dæmones delectari de cognitione obiectorum

137 Resp. ex *Scoto sub O.* Neg. antec. nam appetitus spirituum in eodem instanti, in quo fit apprehensio ignis tristatur, nam apprehenditur ignis cum alijs circũstantijs, scilicet, vt obiectum vnicum semper cogitabile per totam æternitatem; voluntas autem eorum, quæ inordinata est ex affectione commodi non potest de hoc delectari, quia statim non vult talem apprehensionem. Ex nolitione, autem obiecti inuisi, seù disconuenientis non potest oriri delectatio, sed mæror, seù tristitia. Ad probationem, de prioritate, respondet *Scotus*, quod in habentibus prioritatem, et posterioritatem naturalem, et simultatem realem, efficacius excludit minus efficax, licet efficacius sit natura posterius, quia prohibens aliquando est posterius naturaliter, et tamen impedit effectum, ne producatur, vt patet si agens conetur ad generandum aliquid, et per alteratiuum contrarium impediatur.

## ARTICVLVS VI.

### *An post iudicium, homines damnati hoc igne sint cruciandi.*

Scoti mens

SCOTVS *in 4. dist. 44. q. 3.* Cum fide Catholica *Matt. 25.* affirmatiuè respondet.

Sensus art. circa modum habet difficultatem;

138 Adu. dubium hoc, non habere difficultatem circa rem, sed circa modum; quomodo scilicet ignis cruciabit homines corpore, et anima proditos, an actione intentionali tantum, id est per dolorem causatum in appetitu sensitiuo. An etiam

per

per realem, re vera comburentem corpora, licet non corrumpentem. Et licet Scotus vtrumque admittere videatur; tamen *sub D*, ait probabilius esse, quod post iudicium, homines damnati per solam immutationem intentionalem ignis, cruciantur, & tandem dicit vtrumque posse defendi. Hoc autem præmisso.

Post iudiciũ homines ignc corporeo cruciabuntur.

139 Dico 1. Post iudicium homines damnati in inferno cruciabuntur igne corporeo. Est communis de fide, *Scoti*, vbi supra, *D. Th. in 4. d. 44. & D. Bonau. ibid.* et est communis.

Ex 11. PP.

140 Prob. 1. ex *Matt.* 25. hominibus damnatis dicetur, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.*

141 Prob. 2. ex *S. Cypriano lib. ad Demetrianum. Cremabit addictos ardens semper gahenna, & viuacibus flammis eorax pœna. Seruabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem* Et in *ser. de Ascensione Christi*, ait, *Stridorem illum dentium, flamma inextinguibiles agitabunt.*

142 Prob. 3. ex *Lactantio lib. 7. diu. instit. c. 21.* Idem igitur diuinus ignis vna eademque, vi, ac potentia cremabit impios, &c.

143 Prob. 4. ex *August. ser. 1. Vigil. Pentec. c. 19. vel 181. de temp.* Hæc recordare, & ignem illum gæhennæ his, quæ te nunc exagitant flammis libidinis oppone. Ignis hic, qui in præsenti vita est, absumit cuncta, quæ recipit; ille verò quas semel susceperit, semper cruciat, et pœnæ suæ integros seruat, &c. idem dicit alibi sæpè.

144 Prob. ex dicendis pro sequenti, quia ad idem sunt; nec repetenda.

Actione realí cruciabũtur, & etiam intentionali.

145 Dico 2. Damnati homines cruciabuntur ab igne actione reali, et intentionali. Est communis cum *Scoto, vbi supra, & in dist. 50. q. 6 sub R.* vbi expressè docet, actione reali ignem cruciari damnatos.

A priori arg.

146 Prob. Aderit agens, & passum respectu vtriusque actionis: ergo. Ant. prob. Ignis est actiuus actione reali, quia combustiuus, et aptus assimilare sibi corpora humana, quę intrinsecè corruptibilia sunt, et nisi Deus speciali miraculo ea conseruaret, corrumperentur. Ergo quantum est de se ignis inferni assimilabit sibi corpora introducendo in ea propriam formam, comburendo. Est etiam actiuus intentionaliter, id est inductiuus doloris in appetitu sensitiuo. Hæc enim est actio intentionalis circa hominem, qua scilicet non inducitur in eum forma agentis, sed alia æquiuoca, patet de delectatione tristitia, timore, &c. Et sicut in via, cum ignis comburit corpora, hoc fit cum vtraq. actione, ita et tunc; cum hac tamen differentia, quod nunc corrumpit, tunc verò, nequaquam.

Quædam actio intentionalis.

147 Prob. 2. ex Glossa Ordin. *in cap. 35. Exod.* Ver. *Corrumque bis tantum*, quæ est Origenis dicentis. *Ignis duplex est, in hoc sæculo. & in futuro, ignis huius sæculi illuminat, ille incendit.* Ergo adest in eo actio realis vniuoca incendens, et intentionalis dolori sera.

148 Prob. 3. ex ead. *in cap. 10. Iob.* Ver. *Sempiternus horror*, vbi de inferno loquens, dicit, *ibi, & in ipsis tormentis dolor cruciat; hic flamma, quæ urit illuminat, ibi urit, & obscurat.* Ergo aderit actio vstiua realis, et consequenter etiam intentionalis; nam in viuente ilia sine ita, absque miraculo dari non potest.

Ex PP.

149 Prob. 4 ex *S. Cypriano, vbi supra, 2. ex ser. de Ascensione Christi, Immortales miseri viuent inter incendia; & incorruptibiles flamma nudum corpus allambent.*

150 Prob. 5. ex *Lactan. vbi supra.* Ignis cremabit impios, & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Ergo vtraque actione impij cruciabuntur.

Ex Hieron.

151 Prob. 6. ex *S. Hieron. in cap. 30. Isaiæ.* Ver. *Et erit transitus. Ab heri quippe, & a præterito tempore præparata est a Rege Domino Tophet, id est lata, & spatiosa gahenna, quæ eos æternis adurat ardoribus.* Ergo aderit adustio.

Ex August,

152 Prob. 7. ex *August. lib. 21. de Ciuit. c. 9* Vbi disserè loquitur de igni inferni, & inter cætera, ait. *Qui verò pœnas animæ, & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne ori corpus, animam autem rodi quodammodo vermi mororis affirmant. Quod & si credibilius dicitur, quia vtique absurdum est ibi dolorem, aut corporis, aut animæ defuturum. Ego tamen facilius existimo, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere quam neutrum.* Et post aliqua dicit. *Iam enim satis superius disputaui posse animalia etiam in ignibus viuere in actione sine consumptione, &c.* Ergo vera erit vltio, estò non consumet.

Ex Cassidor

153 Prob. 8. ex *Cassidoro in psal. 20.* sententiam istam, *ite maledicti in ignem æternum*, consequentur, vt perpetua flamma deuorentur.

Ex Greg. Mag.

154 Prob. 9. ex *Greg. Magno lib. 9. Moral. c 46.* Natura ignis est, vt lucem ex se ipso exhibeat, & concremationem. Sed vltrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet. Et *c. 47.* habet. Quæ gæhenna, quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna, eademque qualitate succendit, idemque inferius repetit, dicens, gæhenna non omnes vna qualitate comburit; igitur corpora damnatorum, succeduntur, concremantur, & comburuntur.

Ex Petro Dam,

155 Prob. 10. ex *S. Petro Dam. ep. 2.* Vbi de igne inferni dicit. Ad cruciandos impios, hoc præ cæteris, elementum electum est, vt cum faulla desiliens in quolibet membro, vel ad momentum tolerari non possit, vltrices flammæ miseros homines

hinc

hinc egredientes absorbeant, & infinitè patens vorax gæhenna concludat.

Ex Hugone Victor.

156 Prob. 11. ex *Hugone Victor. lib. 4. de anima. c. 13.* vbi præ cæteris ait de inferno, ibi omnes comburuntur, & vermibus corroduntur, nec consumuntur.

Ex Bonauen.

157 Prob. 12. ex S. *Bonauentura in Breuiloq. par. 7. c. 6.* Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit etiam corpora, nec tamen corpora illa consumet. Huiusmodi autem afflictioni ignis coniuncta erit afflictio secundum omnes sensus, &c. Ergo duplex actio realis, & intentionalis erit in igne respectu damnatorum.

Scoti problema de actione sola intentionali, author defendit de vtraque,

158 Dico 3. Secundum *Scotum* est probabilius, quod damnati actione tantum intentionali, scilicet per dolorem, non verò per igne factionem corporum cruciabuntur. Et licet ita sentiat Magister meus, tamen quia problematicè loquitur, vt infra, ideo primæ sententiæ eiusdem censeo adhærendum. Suam sententiam docet *Scotus in 4. d. 44. quæst. 3. §. Tertio dico D.*

Actio intentionalis inducit dolorē,

159 Prob. Per solam intentionalem, sine reali habetur dolor sensibilis. Ergo, cum pluralitas sine necessitate non sit admittenda, illa sola sufficit. Antec. probari potest sic ex eodem; haberi potest magnus dolor, absque immutatione reali in sensu, seù organo, sed cum sola intentionali, vt si manus fuerit excessiuè frigefacta ex cōtactu niuis, vel glaciei, si statim approximetur igni, est ibi vehemens dolor ab illo obiecto immutante, & tamen in manu nulla est actio realis à calido, seù igne, ob excellentiam contrarij, scilicet frigoris in ea existentis, ita esse posset in casu.

Dolor sensitiui appetitus quid sit & quomodo causatur.

160 Confir. & melius declaratur. Dolor sensitiuus, vel delectatio est passio causata in appetitu sensitiuo ab obiecto per sensum apprehenso. Ergo sicut obiectum, in quantum tale, est motiuum intentionaliter, absque immutatione reali; et apprehenditur disconueniens, vel conueniens; ita causare potest in appetitu sensitiuo dolorem, vel delectationem, assumptum patet de obiecto visibili, vel audibili, ista enim absque reali immutatione organorum, immutando intentionaliter potentias sensitiuas, causant delectationem, vel mærorem, seù dolorem in appetitu sensitiuo. Ergo hoc eodem modo posset dici, quod ignis cruciet corpora damnatorū, absque actione reali ignitionis, sed sola actione intentionali immutando appetitum sensitiuum.

Pauca miracula ponenda circa damnatos.

161 Prob. 2. ex *Scoto ibid. sub* D. Circa damnatos, ita parua miracula sunt ponenda, sicut possibile est; non enim est verisimile, quod velit Deus tot miracula multiplicare, præter ea, quæ requiruntur ad iustam eorum punitionem, Sed cum sola immutatione intentionali saluari potest hæc iusta punitio: & sic non multiplicantur miracula; nam si admittitur etiam realis, scilicet combustio, cum corpora sint intrinsecè corruptibilia, esset miraculum, quod comburerentur, & non corrumperentur.

162 Prob. 3. ex eodem *sub F.* Ex scriptura Sacra *Iob* 24. de damnatis habetur *ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium*. Quod quidem saluari non potest per actiones reales duorum contrariorum in summo. At benè saluatur per actionem intentionalem; nam species contrariorum non sunt contrariæ. Ergo sola ista sufficit ad inferendum dolorem in damnatis, absq; actione reali ignis in eosdem.

Scotus non determinat qua actione ignis cruciet sed tenendū est, quod vtraque.

163 Dico 4. Non est omnino certum secundum Scotum, an ignis vtraque actione, reali scilicet atque intentionali cruciet damnatos; ideoque vtrumque defendi potest. Et ego addo, sic esse tenendum absolutè. Prima pars est *Scoti in 4. distinct. 44. quæst 3. G.*

164 Prob. 1. pars. Nulli certo fundamento inniti potest alterutra sententia: ergo. Anteced. prob. Nam, licet fides doceat damnatos igne esse cruciandos; hoc tamen saluatur, & per vtramque actionem, & per solam intentionalem. Ergo stante fidei dogmate, neutra sententia est omninò certa. Assumptum probatur. De spiritibus etiam docet fides esse igne torquendos; *qui paratus est diabolò, & Angelis eius. Matth. 25.* & tamen supra visum est, hoc intelligi de immutatione intentionali causata ab igne non de reali, quia spiritus nequeunt igne fieri.

Deus potest vtroque modo per ignē eos torquere.

165 Prob. 2. Est Deo possibile vtroque modo agere in punitione damnatorum, & nobis non reuelauit, quonam modo aget: ergo non est omninò certum, quomodo id eueniet. Anteced. prob. Potest Deus coagere igni ad producendum ignem in corporibus damnatorum, conseruando tamen ea, nè dissoluantur; & posset igni ad hoc non coagere; sed solum ad actionem intentionalem, qua ignis apprehendatur, vt disconueniens mixtioni corporum; & ita apprehensus causet dolorem. Ergo, cum sit ignotum; quomodo coaget, non habetur de alterutra sententia, vel vtriusque actionis, vel intentionalis tantum, certitudo fidei.

Vtraq; actione reali, & intentionali ignis cruciabit damnatos,

166 Prob. 2. pars. Quod scilicet vtraque actione ignis cruciabit calefaciendo scilicet in summo, ac igne faciendo corpora, & intentionaliter immutando appetitum sensitiuum. Primo, impossibile videtur, posse alio modo dolorem sentiri, quam per vtramque actionem: ergo. Anteced. prob. Ex *Augustino lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 15. Dolor carnis est offensio animæ ex carne, & quædam ab eius passione dissensio.* Ergo, vt dolorem patiantur damnati existentes cum corpore, debet caro pati, & anima ex carne. Igitur actione reali, & intentionali ignis aget in eos.

167 Prob. 2. Ideo apud SS. PP. præcipuè

Ex modo loquendi SS.

quàm *Augustinum*, *Ambrosium*, *Hieron.* & *Gregor. I.* est tanta difficultas in assignando, quomodo spiritus ab igne patiantur (vt supra visum est,) quia ipsi carent corpore, ac proinde quidam quos refert *Aug. lib. 21. de Ciuitate cap. 10.* dicebant, eos præditos corporibus aereis, &c. vt saluarent in eis dolorem, & passionem ex igne, qui realiter agit in ea: & de cruciatu corporum damnatorum nullam prorsus mouent difficultatem, quia adest proportio inter agens, & patiens; & sicuti nunc ignis, cum cruciat aliquem, ideo cruciat, quia vel ignem in eius corpus inducit, vel saltem calorem complexioni, seu mixtioni corporis improportionatum, ita & tunc, vel assignetur disparitas.

Soluitur argum. pro prima sent.

168 Prob. 3. Prima ratio, cur vna tantum, nempe intentionalis admittenda sit actio, est nè multiplicentur miracula; sed hæc friuola est. Tum, quia tot sunt ponenda, quot sunt necessaria. Tum etiam, quia in hac eadem sententia totidem miracula essent ponenda quot in alia, imo plura, nam in alia, Deus coageret igni ad vtramque actionem, & miraculum esset in præseruatione corporum, ne destruerentur. In hac vero sententia de actione intentionali, ponendum est aliud miraculum, nempe, negatio concursus igni, ne suum effectum primarium, scilicet ignefactionem, & secundarium, scilicet calefactionem produceret. Ergo maiora hic sunt necessaria miracula, vel saltem æqualia, seu totidem.

Ex multiplicatione miraculorum concluditur contrarium.

Refellitur fundamentum de contrarijs in subiecto.

169 Prob. 4. Alia ratio huius sententiæ, est, quia sic duo contraria in summo essent in eodem subiecto. Sed hæc non obstat. Primo, quia non adest hæc summa intensio contrariorum, sed vnius tantum, nempè ignis: non enim corpora sunt summè humida, aut summè frigida, sed talia ad iustitiam, sicut exigit vita animalis, seu hominis. In hoc ergo stat miraculum incorruptibilitatis, vt in ea corpora inducatur calor disponens ad corruptionem, & ignis post eum ignefaciens; & tamen Deus impediat destructionem. Et quid erit si dicamus, quod sicut nunc combusti non statim destruuntur, sed paulatim carnes eorum cremantur, & deficiunt; & si Deus vellet illæsi euaderent, vt sæpè in martyribus factum legitur; ita & tunc, non ad tempus, sed perpetuò id efficeret: & sicut rubus *Exodi 3.* ardebat quidem, sed non consumebatur, ita & damnatorum corpora; cum æquè potens sit Deus, & ad tempus, & perpetuò sic operari.

Non saluantur dicta SS. PP.

170 Prob. 5. Si sola immutatio intentionalis teneatur, non saluantur dicta scripturarum, neque SS. Patrum, quæ de vstione, crematione, &c. loquuntur, vt supra visum est, & actio ignis circa damnatos ad nihilum reduceretur.

170 Prob. 6. Omnibus argumentis adductis pro secunda conclusione de vtraque actione ignis circa damnatos.

Ita tenendū est.

171 Prob. 3. pars. Quod ita tenendum sit. Hic modus est valde conueniens Sanctorum dictis, imò, & ipsius scripturæ docentis, damnatos igne inferni esse cruciandos. Ignis autem non cruciat, nisi actione reali prius calefaciendo, vsque ad gradum incompossibilem cum mixtione animalis; vel etiam ignefaciendo, vt patet experientia. Si autem dicatur, sola immutatione intentionali damnatos torqueri, oporteret nos conuertere ad modos loquendi improprios, & ad actionem ignis phantasticam, absque vlla prorsus necessitate. Ideoque dicendum, ignem illum actione reali, & executiuè calefacere, & ignire damnatorum corpora, & dolorem intensum, iuxta demeritorum quantitatem efficere, & nihilominus Deo illa conseruante, non consumi, ex *Iob 10. Luet omnia, quæcumque ipse fecit, nec tamen consumetur.* & *Apocal. 9. Desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Vt dicetur de æternitate pœnarum. Et hic modus docendi plurior est, atque obuius, neque facile impugnatur.

Validum argum. ex absurdo.

Ob. contra 1. Si igne cruciarentur corpora illa, tandem per continuam actionem destruerentur. Et tamen pœna eorum erit æterna, *Matth. 25. In ignem æternum.*

Arg. contra.

172 Resp. neg. sequelam; nam, vt postea dicetur Deus ea conseruat, ne destruantur; & sic ignis impeditur, nec habeat hunc effectum corrumpendi.

Ob. 2. Vel ignis ageret in ea corpora realiter, vel intentionaliter: neutro modo: ergo. Non primo modo, quia post iudicium cessabit motus primi mobilis, & sic alij omnes inferiorum cælorum. Neque secundum, alioquin non affligeret damnatos.

Vtraque actione agit ignis.

173 Resp. vtroque modo operaturum. Ad primum negatur sequela, nam motus inferiores pendent à primo mobili, non essentialiter, tamquam à causa effectiua, sed accidentaliter, tamquam à mensura, cum enim motus primi mobilis sit omnium velocissimus, eo vtimur, vt mensura ad mensurandum quantitatem aliorum. Et ideo ait *Augustinus*, quod si cessaret motus cæli, adhuc moueretur rota figuli; & certè ita esse fatendum est, alias cessante motu cæli tempore Iosue, & Ezechiæ, omnes homines, & animalia, plantæ, ac elementa à suis motibus cessarent, quod est falsum; quia Iosue prosequutus est pugnam, donec vlciscereturde inimicis suis Iosue *cap. 10. v. 12.* idem habetur *lib. 4. Reg. cap. 20. 11.* de Horologio, in quo retrocessit vmbra decem gradibus, & prolongata est dies. Ad aliud de actione intentionali, concedo, quod si esset sola, non capio quomodo afflige ret, vel saltem quantum afflige ret. At quando est coniuncta cum reali, quisque experitur, quantum affligat.

Motus sublunares non dependent effectiue à primo mobili, sed accidentaliter, vt a mensura.

## ARTICVLVS VII.

### *Quænam alia pœna sensus reperiantur in inferno.*

Scotus de his non loquitur.

SCOTVS ad hoc particulare non descendit, ideoque ex SS. Patribus, & ipsamet Sacra Scriptura, quid in hoc puncto sit dicendum eruemus. Ideo

Nullus scire potest adæquate, quæ sint damnatorum pœnæ.

174 Dico 1. Quænam, & quot sint damnatorum pœnæ, nullus homo scire potest completè, & adæquatè, per ea quæ scripta sunt; nisi à Deo reuelante eas percipiat.

Ex August.

175 Prob. ex *D. August. lib. de triplici habitaculo cap.1.* Vbi postquam docuit neminem carne vestitum posse bona regni cælestis dicere, vel cogitare, vel intelligere vt sunt, ait: *Mala autem inferni dicere, vel cogitare, vt sunt nemo potest. Peiora quippe sunt valde, quam cogitantur*; idem habet *lib. de Catech. rud. cap.24.*

Chrysost.

176 Prob. 2. ex *S. Ioanne Chrysostom. epist. 5. ad Theodorum*, vbi multa dicens de pœnis inferni, tamen ait, *Quis potest verbis consequi, quam formidabiles pauores è tenebris exorientur, quæ in animis nostris extabunt? &c.*

Cassiano.

177 Prob. 3. ex *Ioanne Cassiano lib. de confess. Theologica par.3. Dicere quis valeat, qua impijs, & malè viuentibus tormenta sint præparata?*

Ex Ambros. Ansberto.

178 Prob. 4. ex *Ambros. Ansberto*, qui sæculo 8. floruit, hic in *lib.7. in Apocal. c.16.* postquam multa numerauit tormentorum genera habet. Erunt & alia innumera; quia profectò quæcumque mala possunt esse, nil de his, damnatis decrit, de quibus melius lugendo interius, quam loquendo exterius, aliquid proferimus.

Gersone.

179 Prob.5. ex *Ioan Gersone ser.1. de omnibus Sanctis.* Satis dici non potest de horrenda tristitia damnatorum, &c.

Pœnæ inferni varie describuntur a Sanctis,

180 Dico 2. Pœnæ inferni in communi variè à diuersis indicatæ sunt.

Iob.

181 Prob. *Iob cap.10.* ita describit infernum *terram tenebrosam, & operiam mortis caligine; terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, quod explicans Glossa Ordinar. ait, *terra miseriæ, quia foris dolor cruciat, quos cæcitas mentis intus obscurat. Vmbra mortis mors, est separatio à Deo. Vmbra obscuritas eius, quia ignis pœnalis cremationem habet, & non lucem. Nullus ordo.* Non quod Deus non ordinet tormenta secundum merita singulorum, quia etsi vna gæhenna; non omnes vno modo sentient. Sed quia in mente damnatorum per præmissam cæcitatem magna erit confusio, quæ intus eos cruciet, sicut flamma foris; vel ordo non erit, quia in supplicijs propria qualitas rerum non seruatur. *Sempiternus horror*, hic timor est futuri mali, quod cum quis patitur, timor abit. Ibi & in ipsis tormentis timor cruciat. hic flamma quæ vrit, illuminat; ibi vrit, & obscurat. Ecce quam grauis cruciatus, vbi tormenta à suis qualitatibus discordant. Ideo autem ibi timor permanet cum pœnis, quia in futurum nullus finis pœnarum sperabitur. Ignis autem qui non lucet ad consolationem, aliquando lucet ad pœnam, quia eo illuminante videbunt in pœna, vt magis doleant, sequaces suos, quorum amore deliquerunt. Hæc & alia ibi, Glossa.

Vmbra mortis horror, &c. in inferno, quid.

Gæhenna duplex.

182 Item *Iob 24. Ad nimium calorem transient ab aquis niuium.* vbi *Hieron.* ait. Quasi duas gæhennas Sanctus Iob dicere mihi videtur, ignis, & frigoris, per quas diabolus hæreticus, & homo impius commutetur. Forte in ipsa gæhenna talis sensuum cruciatus fiet illis, qui in ea torquebuntur, vt nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algorus incendium, & pœnalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calor sit, vt quasi de loco ad locum transitum æstiment.

Ignis, & vermes,

183 *Iudith 16.20.* sic describuntur. *Dominus in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes, in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.*

Grando, glacies, spiritus procellarú.

184 *Psalm. 10. 6. Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum. Hieron.* in hunc locum ait. Ignis cupiditas, sulphur, putredo, spiritus procellarum, spiritus tempestatis, spiritus procellarum, pœnam æterni iudicij, & verbera indicat peccatorum, quos ignis exurit, tempestas examinat. hæc *Hieron.*

Mallei percutientes.

185 *Prouerb. 19. 29.* habetur. *Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Interlin. ait. Vt quasi ferrum candens in incude gæhennæ, sine fine verberent, quæ Glossa est Hieron. in hunc locum.

Vermis, & ignis.

186 *Ecclesiastici 7. 19. Vindicta carnis impij ignis, & vermis*, & Glossa Ordinar. ait. Quia caro peccatorum, quæ luxuria defluit, igne inferni, & vermibus cruciabitur, vbi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, in verme putredo gæhennæ; in igne ardor signatur.

Consummatio impiorum.

187 *Et cap.21. 10. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio eorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum, inferi, & tenebræ, & pœna.*

Animantia sæua.

188 *Isa.13.21.* sic habetur. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus. & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, & sirenes in deliciis voluptatis.* Quod quidem licet literaliter de euersione babylonis intelligatur, ab Interlin.

ea-

tamen, & Tyran. de inferni pœnis intelligitur. Ideo precatur Ecclesia, *ne tradas bestijs animas, &c.* ex Interl.

Sicut spinæ comburuntur.

189 *Isaiæ* 33. 11. *Concipietis ardorem paritis stipulam, spiritus vester, vt ignis deuorabit vos, & erunt populi quasi de incendio cinis spinæ congregatæ igne comburentur:* & post aliqua. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante. Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.* Quod, ait *Hieron.* in hunc locum. *Aliqui iudicij tempore plenius, ac perfectius futurum esse confirmant.*

Ignis, & vermis materialis, vel conscientiæ.

190 Item *Isa.* 66 in fine. *Egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui prauaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Glos. ita Ordinar. Ver. *Et videbunt*, ait. Non mirum, si sancti iam immortales, reprobos videant, &c. Ver. *Cadauera*, dicit, in æternam damnationem cadent, secundum quod & dæmones cadauera dici possunt. &c. Ver. *Vermis*, inquit, materialis, vel conscientiæ, vnde sicut tinea comedit vestimentum, & vermis corrodit lignum, & ignis deuorat ligna, sic mœror, & tristitia excruciat cor viri. Ver. *Ad satietatem*, sic ait, quia boni videbunt eos à se iusto Dei iudicio separatos, amissa potentia, qua sæuiebant contra bonos, & vindictam Dei in illos, tantam, vt maiorem non exposcant.

Ineſtinguibi, Insignis.

191 *Marci* 9. 43. De scandalizante dicitur, *eum iturum in gehennam in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Vbi Glossa Interl. Ver. *Vermis*, ait. Putredo gehennæ, et infra, cum replicat *Vermis eorum*, &c. dicit ex Beda, fœtor vermium de corruptione carnis, et sanguinis.

Ira Dei, sulphur, ignis, fumus, &c.

192 *Apocal.* 14. 9. *Si quis adorauerit bestiam, &c. hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne, & sulphure, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem die, ac nocte.* Glossa Ordinar. Ver. *Et fumus*, ait quædam de damnatione malorum numerat, & *Ambr.* in hunc locum, ait, *Et cruciabuntur, &c.* Ignis exurit, sulphur autem fœtorem pessimum de se emittit. Igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in se extinguere noluerunt: fœtore sulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fœtor luxuriæ. et Ver. *Nec habebunt requiem*, dicit, more humano esse locutum, cum dicit die, ac nocte, quia reprobi perpetuam noctem habebunt.

Tormenta, & luctus.

193 Item *Apocal.* 18. 5. *Recordatus est Dominus iniquitatum eius. Reddite illi sicut, & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum, &c.* vbi damnatorum pœnæ describuntur. Vbi etiam *Ambr.* præ cæteris habet. Reddent itaque iusti, impijs mala, quæ ab eis passi sunt, cum Christus, qui caput illorum est, et cuius ipsi membra sunt, eos perpetua pœna damnabit. et alijs permultis id prosequitur.

Barathrum tenebræ, obscurus ignis vermes diuersi carnivoræ feræ, &c. verecundia sempiterna.

194 *Basilius Magnus homil. in Psal.* 13. Loquens de reprobis in iudicio habet, subin consicient barathrum in imum patens tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, caustícas quidem vires habentem, luce verò destitutum. Inde vermium innumerabilium genus venenosum, ac carniuorum exitans quidem semper, nec tamen se exatians, intolerabiles dolores morsibus infligens. Postremò omnium durissimam pœnam probrum illud, et verecundiam sempiternam; et *in orat. de Iud.* præ cæteris habet. Ignis vrendi vis, et dolor ijs, quibus tormenta irrogabuntur constituetur. Verum horribilibus tenebris ignique illo æterno pudor erit, atque confusio, in qua perpetuò conseruabuntur peccatores semper ob oculos retinentes vestigia illa peccati in carne admissi, quasi notæ alicuius tinctæ, nec eluibilis vmquam in memoria animæ in æternum duraturæ, etc. hæc *Basil.*

Notæ peccati in carne.

145 *Cyprianus lib. ad Demetrian.* ait. Cremabit addictos ardens semper gæhenna, et viuacibus flammis vorax pœna, nec erit vnde habere tormenta, vel requiem possint aliquando, vel finem. Seruabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Et in *ser. de Ascens. Christi*, ait. Continuus erit, et superfluus illarum lacrymarum decursus stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent inter incendia, et incorruptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, non erit, qui extuanti linguæ stillam aquæ infundat, in proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagines flammeas misera corpora cremabuntur, et omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Et stabit damnationis huius immobile constitutum.

Sempiternæ pœnæ.

Stridor, & lacrymæ.

Sartagines flammeæ.

Nullum refrigerium.

196 *Hieron. in cap* 30 *Isaiæ.* Versu. *Et erit transitus virga*, vbi sic habet. Nequaquam cum virga percutiet, et eam sursus leuabit. ac more cædentium finem faciet verberandi; sed quasi fundatam, et altæ radice defixam, in pœnis eius faciet permanere, etc. cum dicatur peccatoribus, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, etc. in tympanis, et cytharis, et bellis præcipuis expugnabit eos, dæmones videlicet, et omnes impios cum gaudio omnium Dominus expugnabit, ab hæri quippe, et à præterito tempore præparata est à Rege Domino Tophet, id est lata, et spatiosa gæhenna, quæ eos æternis adurat ardoribus. hæc *Hieron.*

Tophet. lata & spatiosa gæhenna.

197 *Ephrem Syrus libr. de Vera Pœnit. cap.* 7. præ cæteris hæc habet. Varia sunt

Tenebræ exteriores, & interiores, quæ.

tormentorum loca; sunt enim tenebræ exteriores, haud dubium quin & aliæ interiores sint. gæhennæ ignis locus alius stridori dentium proprius est. Vermis item immortalis alio in loco est. Stagnum ignis proprius locus est, suoque itidem loco ignis inextinguibilis est. Inferi atque perditio suis terminis constant. Infernus quo mittuntur peccatores, & inferni profundum atrociter locus. Inter hæc suppliciorum loca distribuuntur infœliciſſimi, vnus quisque pro peccatorum suorum modo, siue mitius, siue vehementius, &c.

Diuersa loca stagnum,

Profundum inferni.

Inferni pœnæ correspondentes Paradisi gaudijs.

198 *Augustinus lib. de triplici habitaculo cap.* 1. Postquam dixit, nemo potest dicere, vel cogitare mala inferni vt sunt; & postquam narrauit multa gloriæ cælestis bona, sed in genere; per antithesim de inferni pœnis, sic loquitur. Locus inferni plenus est tenebrarum; discordiæ, odij, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. Damnati sunt ciues inferni. Cruciat impios, & peccatores vitio hominum damnatorum, & dæmonum, ac super omnia ipsius diaboli. In inferno nihil inuenitur, quod desideratur. nihil ibi videtur, nihil sentitur, nisi, quod displicet, nisi quod offendit, nisi quod cruciat. Omne malum abundat in carcere diaboli, & nullum bonum, hæc ibi *Augustinus*.

Frigus intolerabile, & calor ignis, ex his multa pœnarum genera.

199 Item *Augustinus ibidem cap.* 2. Duo principalia sunt inferni tormenta, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis; vnde in Euangelio dicitur, Erit ibi fletus, & stridor dentium; fletus namque, & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor verò dentium ex frigore. Ideo *S. Iob de aquis niuium transibunt ad calorem nimium.* De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera; videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, seueritas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium. Vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem eius, quæ sola, omnia prædicta superat, & omnibus pœnis est intolerabilior. hæc *Augustin.* iterum eas describit in *lib. de spir. & anima. cap.* 56.

Sitis, fames, fœtor, timor, angustiæ, &c.

Innumeræ calamitates adducuntur.

Pœnæ inferni non possunt comparari cum vlla ex ijs, quæ hic notæ sunt.

200 *Gregor. Nanz. in orat. Catech. c.* 40. per excessum de pœnis inferni loquitur. Neque misera, & dolore plena vita eorum, qui peccauerunt est similis vlli ex ijs, quæ sensum hic cruciant. Sed & si aliquod ex ijs, quæ illic sunt tormentis nominatum fuerit nominibus, quæ hic sunt cognita, non est tamen paruum discrimen. Nam cum ignem audis, didicisti aliquem ab illo diuersum intelligere, ex eo quod illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non extinguitur, hic autem sic. Est ergo aliquis alius, & non hic ignis. Rursus, cum vermem audieris, ne propterea, quod sit animal terrestre tua feratur cogitatio. Adiectio enim eius, quod non moriatur suggerit aliam esse intelligendam naturam, quam eam, quæ cognoscitur.

Exteriores tenebræ fletus, & stridor dentiũ quid sint.

201 *Prosper lib. 3. de Vita contemplat. cap.* 12. præ cæteris ait; in exteriores tenebras mitti, nil aliud erit, quam à Domino, qui est mentium lumen expelli. Fletus autem, & stridor dentium, acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi, quorum continuus gemitus cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus torquent animas, nec extorquent; puniunt corpora damnata, nec finiunt, &c. & post. Iam verò quod dicit vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem ineficacis pœnitentiæ ignis exurit, & consumentis conscientiæ vermis immortaliter rodit. Proinde omnes, qui in gæhenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, vt maximis consumpti doloribus aliquando deficiant, sed vt in illis pœnaliter viuant. Et postea considerandum consulit homini, quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate priuari, fieri Patriæ cælestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo, & Angelis eius expelli, vbi sit mors secunda damnatis exilium, vita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, barathrum fumantis amara caligine oculos obcœcari, profundo gæhennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri, &c.

Pœnæ multæ à Prospero enarratæ.

Horribiles pœnæ,

202 *Ioan. Chrysost. in epist. 5. ad Theodorum*, inter multa, hæc habet. Profecto frendemus dentibus propter labores, & cruciatus illos indicibiles, & nemo suppetias feret. Plorabimus omnes tristissimè, flamma nobis vehementius incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiscum, & immanem solitudinem: & post. Ignis ille non habet vim resoluendi, nec lucere potest, alioqui non essent tenebræ. Huiusmodi igitur pauorem à tenebris, tremorem, resolutionem membrorum, attonitum stuporem adducere sufficit vna illius temporis ratio. Multa illic, & varia tormenta, grumuli pœnarum, ceù niuis inundant.

203 *Ioannes Gass. de confess. Theol. p.* 3. ait. In ipso continuæ mortis loco, qui infernus

Io. Cassianus

fernus apellatur, quid aliud, nisi ignis, flamma perseuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas esse potest? Igneus fluuius, fœda palus complet omnia. Ibi sanè atroces Angeli commorantur, quorum brachia sunt, vt capita draconum; quorum oculi igneas ex se sagittas emittunt, quorum dentes vt Elephantis prominent, & stimulant ad tormentum, vt caudæ Scorpionum, atque vtinam mors posset in his subuenire angustijs. Sed quod est horribilius, ad hoc viuit in tormentis positus, vt cruciatibus gubernetur. Ad hoc redintegratur, vt totus serpentibus, & iteratis subinde, iterumque repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant, & regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat, atque horribiles diuersi generis beluæ incredulorum animas multipliciter sine cessatione cruciant. Illic vlulatus, & planctus, gemitus, & mugitus continuè sonant, simulque clamor vbique confusus attollitur, quem dira vis tormentorum exagitat, & incendij arsura extorquet. Hæc autem tribulatio nullo termino finitur, sed flammarum atroci adustione consumitur, & ad rediuiua incendia iterum, qui adustus fuerit, reparabitur. Ibi vermis, qui non moritur, & ignis, qui numquam extinguitur; stridor dentium qui semper sentitur; gehennæ læthale frigus, & glacies indeficiens; fames pessima, & sitis immensa; dolor perpetuus, & continuus languor; sæua pestis, & indicibilis lues; tenebræ densissimæ, & nox obscuritatis horrendæ, nulla requies datur miseris, omnia ibi mala, & cuncta tormentorum genera; mors immortalis defectus indeficiens, finis infinitus. hæc *Cassianus.*

Dæmonum horribiles formæ.

Omnia Inferni tormenta.

204 *Cassiodorus in lib. de anima cap. 19.* sic pœnas inferni describit. Dum corpora in die resurrectionis sensus suos receperint, quæ erit illa calamitas miserijs in æternum cruciari, & numquam deficere. Ita enim perpetuæ pœnæ tradentur, vt infaustè semper exitiere comprobentur. Dolor sine fine, pœna sine requie, afflictio sine spe, malum incommutabile. Sic enim varietas vitiosa punitur, vt eius damnatio nullatenus immutetur. Miserrimi omnium, & perdendo quod diligunt, & iugiter patiendo, quod nolunt. Æuum sine dulci vita; mors sine remediabili fine; ciuitas sine lætitia, patria exosa, amara domicilia, cœtus tristium, turba lugentium; & quod supra omnes confusiones deterius est, illos ibi torqueri secum cognoscunt, quos decepti numina crediderunt.

Cassiodorus.

Amicos torqueri cognoscunt.

205 *Gregor. Magn. lib 9. Mor. cap. 48. alias 38.* præ alijs habet. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor, cum formidine; flamma cum obscuritate: & post aliqua. Quatenus quo se impugnent, cruciatus augeant, & cum variè prodeunt, multipliciter sentiantur. Quæ tamen supplicia in se demersos vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguendo seruant, vt sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus viuat; qui & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte; finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur mors perimit, & non extinguit; dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat; flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit: quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent, quamuis illic ignis ad consolationem non lucet, & tamen, vt magis torqueat, ad aliquid lucet. *Hæc Greg.*

Greg. Mag.

206 *Petrus Damianus in ep. 2.* Perpende quale sit insatiabilibus subiacere inimicis, draconibus insœderabilibus interesse; in morte viuere, in ignibus habitare, etc.

Petr. Dam.

207 *Bernardus in lib. Medit. cap. 3. & in ser. 8. in Psal. Qui habitas*, prolixe de inferni pœnis proloquitur. *Rabanus Maurus lib. 9. in Ecclesiasten, cap. 1.* et alij permulti.

Bernard.

208 *Bonauentura in diæta salutis tit. 10. cap. 1.* hæc habet. Primò pœnæ reproborum erunt acerbissimæ, et intolerabiles, etc. Et ex Sacra Scriptura inueniuntur nouem pœnæ. Prima pœna ignis. Secunda pœna vermis. Ignis ardebit carnem, vermis mentem. Tertia est fœtor. Quarta frigus. Quinta fames. Sexta tortor. Septima horror. Octaua tenebra in qua incarcerabuntur, et ligabuntur reprobi. Nona quasi principalis erit dolor, quia in illis pœnis non solum erit acerbitas, sed contrarietas. Et assignat quatuor causas huius doloris. Prima, quia amiserunt bona temporalia mundi. Secunda, quia tempus perdiderunt. Tertia, quia visionem, et gloriam Dei perdiderunt. Quarta, quia inferni vilitatem, et miseriam acquisierunt: et postea subdit. Locus infernalis est tenebrosus, et penurioſus, vbi fumus continuus; Pœnarum diuturnitas; Pœnarum vniuersitas. Et pœnæ istæ erunt inutiles, et infructuosæ, etc.

Ex Bonau.

Causæ doloris, quæ.

209 *Dionys. Carthus. de 4. Nouiss. ar. 36.* Vbi inter innumera, quæ de pœnis inferni dicit, hæc præ cæteris habet, Circa pœnas inferni, primò consideranda est earum æternitas, quæ super omnia grauat, præmit, contristat, torquet damnatos; ex qua consideratione oritur desperatio omnis boni. Secundo consideranda est pœnarum acerbitas, pœna enim ignis acerbissima est; et, sicut ignis ille calidissimus est, sic frigus infernale est vehementissimum, idem et de cæteris tormentis est dicendum. Tertio, consideranda est tormentorum diuersitas. Quarto, pensanda est pœnarum vniuer-

Dion. Cart.

uersalitas; quia in toto corpore, et in singulis membris affligentur: similiter in tota anima, et in singulis viribus eius. Quinto, attendenda est in inferno desolata societas. Sexto, pensanda est dispositio loci. Septimo, irreparabilitas negligentiæ, ac amissionis temporis huius vitæ, ac damni inde secuti. Octauo, puritas mala illarum pœnarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nono, consideranda est pœna damni. Decimo, grauitas tormentorum, ex parte patientium.

Singula corporis membra patientur.

Hæc autem adduxisse sufficiat pro deliba. tione infernalium pœnarum. Qui autem plura desiderat, adeat contemplatiuos Patres, apud quos plura, et duriora inueniet.

## ARTICVLVS VIII.

### *An, & quæ sit pœna vermis in inferno.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. sent. dist. 7. quæst. Vn. §. Restat nunc.* Angelos malos torqueri à verme, qui est remorsus conscientiæ. Idemque alibi sæpè docet, vt *in 4. dist. 46. quæst. 4. B.* ac *in d. 50. quæst. 6. N.* Intelligens pro verme, non aliquid materiale torquens corpora damnatorum, sed aliquid spirituale torquens animas.

Sensus art.

210 Adu. Difficultatem non esse de vermis existentia in inferno, qui damnatos cruciet, sed de specie, seu potiùs genere, an scilicet sit spiritualis, et respectu animæ, remorsus, scilicet patratorum delictorum, estò infructuosus; an verò sit corporalis, animal scilicet rodens corpora; non enim, vt mox patebit, conueniunt Ecclesiæ Doctores, cum aliqui de spirituali, alij de corporali, alij tandem de vtroque intelligant.

Datur pœna vermis,

211 Dico 1. Datur in inferno pœna vermis. Est communis de fide.

212 Prob. 1. *Iudith 16. 21. Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos; dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.*

Ex S. Scrip.

213 Prob. 2. ex *Iob 24. 20.* vbi postquam dixit, *transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium*, ait. *Obliuiscatur eius misericordia, & dulcedo illius vermes.*

214 Prob. 3. ex *Ecclesiast. 10. 13. Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes. & cap. 19. 3. Qui se tangit fornicarijs, erit nequam, putredo, & vermes hæreditabunt illum.*

215 Prob. 4. ex *Isa. 14. 11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum, subter te sternetur tinea, & vestimentum tuum erunt vermes. & cap. 51. 8. Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis. & cap. 66.* in fine. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

216 Prob. 5. ex *Marci 9. 42. Bonum est tibi, debilem intrare in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguitur.* Ergo datur in inferno, vermis.

217 Prob. tandem ex dicendis in sequenti conclusione.

218 Dico 2. In inferno datur pœna vermis corporalis, & spiritualis.

Datur vermis spiritualis, & corporalis.

219 Prob. 1. ex cit. loco Iudith, vbi habetur, impios post iudicium luituros vermium pœnas in carnes. Ergo erunt corporei vermes rodentes carnes damnatorum.

220 Prob. 2. ex Glossa Interl. *in cap. 65. Isa.* in fine. Ver. *Vermis*, dicente, *materialis, vel conscientiæ.* Et ex Glossa Ordin. ibid. idem replicante, & post; sicut tinea comodit vestimentum, et vermis corrodit lignum, sit mœror, et tristitia excruciat cor viri.

De corporali argumẽto, & de spirituali ex Script.

221 Confir. ex ead. Interl. *in cap. 51. Isa. 8. corrodat eos Vermis*, vbi sic habet, *conscientia qui non moritur.*

222 Confir. 2. ex eadem in *cap. 14. 11. operimentum, &c.* per tineam, et vermes inferni tormenta designat.

223 Confir. 3. ex Glossa Ord. ibid. Putredo tinea, & operimentum vermium pœnæ æternæ sunt, quas propria gignit conscientia, igitur, & spiritualis, & corporalis adest vermis.

224 Prob. 3. Ex Glossa Interl. *in cap. 9. Marci*, vbi supra, Ver. *Vermis*, Conscientia sera, id est dolor interius accusans eos. At Glossa Ord. quæ est Bedæ, ait. Fœtor vermium de corruptione carnis, et sanguinis.

225 *Ambrosius in cap. 15. Lucæ in fine*, existimat vermem inferni esse spiriritualem scilicet remorsum; sic habet. Vermis est eo, quod irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungant, et quædam exedant viscera conscientiæ, quæ tãquam vermes ex vnoquoque nascuntur, tãquam ex corpore peccatoris. Et refert Isaiæ vaticinium, *Vermis eorum non morietur, &c.* Sed in *Præfat. 2. præp. ad missam, t. 3.* de corporali videtur intelligere numerat enim in *f. 341.* omnes pœnas corporales, & ait, cuius vermis immortalis ignis inextinguibilis, fœtor intolerabilis est; cuius terra tenebrosa, &c.

Ambros. de spirituali loquitur.

Alias de corporali.

226 *Hieron. in cap. 14. Isa.* Ver. *Putredo &c*, ait, putredo tinea, & operimentum vermium, vel pœnæ intelliguntur æternæ quas propria gignit conscientia, vel supplicium materia, quæ ex proprijs peccatis nascitur. Et *in cap. 66.* eiusd. Præf. in fine, dicit, vermis autem qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quę torqueat in suppũcijs constitutos, ad quod multa adducit scripturæ loca. Sed addit illas non negere alias pœnas corporales, &c. ideoque,

Hieron. de vtroque verme loquitus.

ipse

ipse inclinare videtur ad vtrumque; infra enim, ait, ignis quoque iuxta id accipiendus, quod et vermis, qui tamdiu succenditur, quamdiu habet materiam, qua vorax flamma pascatur. At iam supra visum est ignem inferni esse corporeum. Ergo etiam vermis.

August. de vtroque.

227 *Augustinus in lib. 20. de Ciuit. c. 22.* in fine, ait, inextinguibilis ignis, et viuacissimus vermis ab alijs, atque alijs, aliter atque aliter est expositus, alij quippe vtrúque ad corpus, alij vtrumque ad animam retulerunt. Alij propriè ad corpus ignem; vermem verò tropicè ad animam; quod credibilius esse videtur. Sed *in lib. 21. de Ciuit. c. 9. C.* ait. Eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animæ vermē; hoc propriè illud tropicè, aut vtrumque propriè corpori, et assignat rationem, quia possunt talia corpora in igne viuere per miraculum, sicut alia quædam animalcula. Sed concludit, quid autem horum verum sit, res ipsa expeditius iudicabit, quando erit scientia tanta Sanctorum, vt eis cognoscendarum illarum pœnarum necessaria non sit experientia, &c. Nunc enim ex parte scimus, &c.

228 Confir. ex eod. *in lib. de spiritu, & anima c. 56.* Vermis conscientiam corrodet, ignis carnem comburet.

Basilius de corporali.

229 *Basilius Homil. in psal. 33.* De corporali sic ait, inde vermium innumerabilium genus, venenosum, ac carniuorum, exitans quidem semper, nec tamen se exatians, intollerabiles dolores mentibus infligens.

Ephrem quoque de corporali.

230 *Ephrem Syrus lib. de vera pœnit. c. 7.* assignans diuersa pœnarum loca in inferno, ait; gæhennæ ignis locus, alius stridori dentium locus est. Vermis item immortalis alio in loco est.

Greg. Nyss. de eodem.

231 *Greg. Nyssenus orat. Catech. c. 4.* Cũ vermes audieris, ne propterea quod idem sit nomen, ad terrestre hoc animal tua seratur cogitatio. Adiectio enim eius quod non moriatur, suggerit aliam esse intelligendam naturam, quam ea quæ cognoscitur. Ergo de corporali intelligit, sed diuersæ speciei à vermibus huius mundi.

Cassianus de eodem.

232 *Ioann. Cassianus de Confess. Theol. c. 3.* Non solum vermem corporalem, sed alia adstruit in inferno animalia, vt dracones regulas, &c.

Prosper.

233 *Prosper lib. 3. de Vita contempl.* Inter alia tormenta in ar. præced. relata ponit, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri.

234 *Bernardus lib. meditat. c. 3.* Inter alia tormenta damnatorum dicit adfuturum hoc, vermes crudeles mordebunt intima cordis, et postea addit, esse cruciandos etiam per vermem conscientiæ.

Catarina de spiritu.

235 *Catarina senen. tract. 1. c. 42.* Inter alia habet, vermis eorum conscientię, crudeliter arboris interiora corrodet, videlicet animam. ac etiam exteriorem corticem videlicet corpus, &c.

Vterque vermis, quomodo affliget.

235 Collige autem ex dictis, quod vterque vermis admitti potest in pœnam damnatorum cum anima, et corpore. Vermis autem conscientiæ, ideſt dolor amaritudo, et afflictio, quæ in eis oritur, et ex negligentia bonorum, et ex commissione malorum, tripliciter affliget, ait *Innocens. III. lib. 3. de contemptu mundi, cap. 2.* Afflliget memoria, fera turbabit pœnitentia, et torquebit angustia, nam *Sap. 5. Venient in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum dicentes, quid profuit nobis superbia, iactantia diuitiarum quid contulit nobis? Erraumus à via veritatis lassati sumus in via iniquitatis, &c.* Vermis autem materialis post resurrectionem torquebit corpora damnatorum.

## ARTICVLVS IX.

### *An pœnæ sensus damnatorum sint æquales.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 44. qu. 2. N.* Respondens ad primum argumentum de æqualitate pœnarum in spiritibus, qui per tristitiam cruciantur, docet cum cõmuni Ecclesiæ dogmate, pœnas etiam spirituum esse inæquales, & approbat de hominibus August. argum. quo probat eos inæqualiter esse ab igne passuros, *in dist.* verò 50. *quæst. 4.* ex professo docet esse inæquales. Et loquitur de pœna sensus, & damni. De hac autem dicetur postea.

Duo discutienda.

237 Adu. duo hic esse videnda. An pœnæ omnium damnatorum sint æquales. 2. Vnde proueniat hæc inæqualitas. At quoniam quidam ex damnatis sunt simplices spiritus, qui ab igne non torquentur corporaliter; alij verò erunt post iudicium corporei, de vtrisque erit sermo.

Pœnæ sensus sunt inæquales.

238 Dico 1. Damnatorum pœnæ sensus sunt inæquales iuxta inæqualitatem culparum. Est de fide, *Scoti vbi supra*. Et communis. Dixi pœnæ sensus; quia de pœna damni, postea dicetur; licet enim videtur omnibus æqualis; nam omnes Dei visione, ac fruitione, imò & omnium delectabilium cognitione, ac delectatione carebunt; tamen adhuc aliquam patitur inæqualitatem; vt patebit postea.

239 Prob. 1. ex *Sap 6. 6. Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Potentes autem potenter tormenta patientur.* Glossa Interl. Ver. *Iudicium* ait, Potentes magis punientur, quibus plus committitur. Glossa Ordin. Ver. *Potentes*, ait, qui scilicet mandata Dei contemnendo grauia peccata commiserunt, nec pœnituerunt. Sicut enim

potẽ-

potentiores fuerunt in iniquitate, fortiora sustinebunt tormenta gehennæ.

Ex S. Script. vet. test. 240 Conf. ex eodem *cap. 6. 9. Portioribus autem fortior instat cruciatio.* Vbi Lyranus ait, nam casus grauior eorum est, & per consequens grauiori tormento dignus.

241 Prob. 2. ex *Matth. 11. 21. Dico vobis, Tyro, & Sydoni remissius erit in die iudicij, quam vobis.* Interlin. ait, sicut minor fuit culpa eius, quæ nuncios veritatis non habuit, quam eius, quæ refutauit, ita minor pœna.

242 Conf. ex eodem *cap. Matth. v. 24. Terra Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.* Interlin. replicat, quia minor culpa.

Ex test. nouo 243 Prob. 3. ex *Luca 12. ver. 4. 7. & 48. Seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis vapulabit paucis.* Gloss. Ordinar. Ver. *Partemque*, ait. Mali cum infidelibus punientur, sed differenter. Illi enim, qui scienter peccant, grauius punientur; minus grauiter, qui peccant ex ignorantia. Et inter iniustos tantò quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quantò minorem habebit iniquitatem. Et Verbo, *Paucis*, eadem Glossa habet. Mitissima omnium pœna est eorum, qui præter originale, nullum insuper addidere delictum. (Sed ego salua pace, dico, nullam pœnam sensus his conuenire.) Ex eodem *cap. 20. Qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem; hi accipient damnationem maiorem.*

Ex Apocal. 244 Prob. 4. ex *Apocal. 18 v. 7. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius.* Interlin. ait, secundum quod ipsi peccauerunt.

245 Conf. ex eodem *cap. v 8. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Inter. ait, in corpore, & anima. Glossa Ordinar. inquit, quia alij plus, alij minus. Ergo aderit in inferno post diem iudicij pœnarum inæqualitas.

Concil. Flor. 246 Prob. 5. ex *Concil. Florent. sess. vlt.* estque *constitut. 17. Eugenij IV.* pro concordia Ecclesiæ Græcæ §. 7. habente, *illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen inæqualibus puniendas*, loquitur autem, vt patet de adultis.

Ambros. 247 Prob 6. ex *S. Ambros. in cap. 18. Apocal.* Quantum glorificauit se, id est in superbiam erexit, & in omnibus vitijs se implicauit, tanta, & ampliora tormenta excipiet.

Augustin. 248 Prob. 7. ex *Augustin. in Enchirid. cap. 113.* Mors illa perpetua damnatorum, id est alienatio a vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate pœnarum de dolorum reuelatione, vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur, &c.

Ex eodem. 249 Conf. ex eodem in *lib. 21. de Ciuit. cap. 11.* in fine, vbi declarans illud *Matth. 7. In qua mensura mensi fueritis in ea remetietur, & vobis*, ait intelligi de iudicijs, & condemnationibus.

250 Conf. ex eodem *lib. 4. de Bapt. contra donat. cap. 19.* Nec dubitandum est, ipsas pœnas, quibus damnati cruciabuntur, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias alijs acriores: & post aliqua. Ex illo igne sicut dixi, diuersa possunt distribui pro criminum diuersitate supplicia.

Ex eodem. 251 Conf. ex eodem *lib. de vanit. seculi cap. 3.* sic in inferno ignis consumit, vt semper reseruet; sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Iuxta qualitatem verò culpæ, pœnam vnusquisque sustinebit gehennæ, & simul culpæ rei, suis similibus i unguntur cruciandi.

Basil. 252 Prob. 8. ex *Basilio in regul. breuiores interrog. 267.* vbi loquens de pœnæ damnatorum æternitate, ait. Intelligendum est illud *vapulabit multis*, & illud *vapulabit paucis*, non finem, sed diuersitatem supplicij declarare. Si enim Deus iudex iustus est non bonis solum, sed etiam improbis reddens vnicuique iuxta opera sua, fieri potest, vt aliquis dignus sit igne inextinguibili, atque hoc ipse, vel lenius, vel acrius vrente; alius verò verme numquam morituro, atque hoc ipso nihilominus, vel mitius quemque excruciante, vel acerius pro meritis, videlicet vniuscuiusque. Itemque alius gehenna habente prorsus ipsa etiam varia tormentorum genera. Similiterque alius exterioribus tenebris, quo in loco alius in fletu est solum, alius præter fletum, in stridore etiam dentium propter cruciatuum acerbitatem, &c.

Ephrem. 253 Prob. 7. ex *Ephrem Syro lib. de vera pœnit. cap. 7.* vbi narrans diuersa supplicium genera, ait. Inter hæc supplicium loca distribuuntur infelicissimi, vnusquisque pro peccatorum suorum modo, siue mitius, siue vehementius, sicut scriptum est, *spiritus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* Hoc autem est id, quod dictum est, *vapulabit multis, vapulabit paucis.* Sicut autem sunt peccatorum differentiæ, ita sunt & cruciatuum varietates. hæc *Ephrem.*

Greg. Mag. 254 Prob. 8. ex *Gregor. I. lib. 9. Mor. cap. 47.* vbi diffusè discutit ordinem tormentorum in inferno seruandum pro qualitate culparum. Et concludit, sicut enim in domo Patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis, sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subijcit disparitas criminis. Quæ videlicet gehenna, quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eademque qualitate succendit. Et post multa, subdit quomodo igitur nullus inesse ordo supplicijs dicitur, in quibus pro-

profectò quisque iuxta modum culpæ cruciatur?

Alia innumera possent adduci Patrum testimonia, sed hæc sufficiant, cum fides id doceat, & Dei iustitia id suadeat.

Vnde oritur pœnarum diuersitas.

255 Dico 2. Diuersitas pœnarum meritoriè oritur à diuersitate culparum, effectiuè à Deo; instrumentaliter ab ipsis tormentis, magis minusuè affligentibus. Est *Scoti distinct.44. quæst.2. N.*

256 Prima pars, ex dictis in præced. conclus. patet. Confirmatur tamen primo, ex *Prouerb. 5.* in fine, *iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur; ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Ergo à proprijs peccatis quisque habet, vt crucietur.

Ex Apost. ad Rom.

257 Prob. 2. ex 2. *ad Rom. Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet singulis secundum opera sua. Iis qui credunt iniquitati, ira, & indignatio; tribulatio, & angustia. & in cap. 1.* ait, *qui talia agunt digni sunt morte, &c.*

Ex Matth.

258 Prob. 3. ex *Matth. 25.* in iudicio Christus improperabit impijs opera crudelitatis, & hac de causa eos damnabit, *esuiui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & nudus eram, &c. ite ergo maledicti in ignem æternum:* ergo.

August.

259 Prob. ex *August. lib. 21. de Ciuit. cap.16.* in fine. Nequaquam negandum est, etiam ipsum æternum ignem pro diuersitate demeritorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem.

2. pars.

260 Prob. 2. pars. Tormenta inferni sunt agentia naturalia non libera, quæ Deo inseruiunt, iuxta eius dispositionem: ergo à Deo moderatur eorum concursus ad magis, vel minus torquendum. Consequentia est euidens; assignari enim non potest alia causa temperans eorum naturalem, ac vehementem influxum.

Aptitudo triplex arg.

261 Conf. ex *Scoto in 4. dist.44. q.2. N.* A causa superiori vniformiter, vel difformiter operante, oritur maior, minoruè tristitia in spiritibus, iuxta difformitatem meritorum; ergo idem dicendum de alijs cruciatibus, eorumque varietate. Causa enim vniformiter agente circa subiecta æqualiter se habentia, difformitas operandi non potest, neque in passum, neque in agens refundi, sed necessariò in primum agens diuersimodè actionem agentis inferioris operationem moderante, est reponenda.

Ex Apocal.

262 Prob. tandem ex allatis *Apocalyp. locis cap.18.* Præcipitur enim à Domino, sic. *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius.* Item dicit, *Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Ergo diuersitas tormentorum, effectiuè est à Deo.

263 Prob. 3. pars, ex *August. loco super cit. lib. 21. de Ciuit. cap. 16.* Nequaquam negandum est, etiam ipsum æternum ignem pro diuersitate demeritorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem. Siue ipsius vis, atque ardor pro pœna digna cuiusque varietur, siue ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur. Neque enim potest aliter dici; nam, quod quis ardeat, alius non, formaliter à causa ardorem faciente prouenit. Ergo quod quis magis, alius minus, formaliter à magis minusuè ardente procedit. Ex August.

## ARTICVLVS X.

### *An, & quæ pœna damni adsit in inferno.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 46. quæst. 4. & dist. 50. quæst. 6. §. Ad primam quæstionem*, cum fide Catholica docet, damnatos in inferno puniri etiam pœna damni, quæ consistit in carentia commodi, seu boni conuenientis naturæ intellectuali. Et distinctè declarat, quale bonum sit hoc.

Facilis solutio si aliqua notentur.

264 Adu. Facilem esse quæsiti huius resolutionem, si præmittatur distinctio boni. Ait ergo *Scotus sub A.* Bonum naturæ intellectualis in genere duplex est. Honestum, & commodum, & licet omne honestum sit commodum, non è contra. Summum autem commodum est beatitudo, quæ si per impossibile non esset honestum, adhuc ait Scotus, esset commodum. Item charitas est summum honestum, & si per impossibile non esset commodum, adhuc esset honestum. Vnde ratione huius duplicis boni, potest adesse duplex punitio, seu pœna damni; & de omni quæritur.

Sub bono honesto multę species continentur.

265 Adu. 2. Sub genere honesti, multas species contineri, scilicet actuale, & habituale. Nam actus bonus, seu virtutis elicitus secundum rectam rationem, est honestus. Habitus item influentes in eiusmodi actus, siue merè morales, siue supernaturales sunt honesti, quia ad actum honestum influunt.

Multę species commodi.

266 Adu. 3. Sub genere commodi quo priuantur damnati, multas species contineri. Nam cum anima, & corpore præditi sint, ex hoc essent capaces omnis commodi conuenientis appetitui, tam rationali, quam sensitiuo. Et estò summum omnium commodum sit beatitudo, visio scilicet Dei, eiusque fruitio; alia tamen adsunt commoda, quibus priuantur damnati, ratione corporis, & animæ.

Malum culpę esse obstinationem, ostenditur.

267 Adu. 4. ex *Scoto sub A.* priuationem boni honesti actualis dici posse malum iniustitiæ, seu culpæ, & in hoc consistere obstinationem in peccato. Priuationem verò

verò boni commodi dici pœnam damni. Sed in *dist.* 50. *quæst.* 6. *N. S. Ad primam*, dicit pœnam damni non consistere in simplici carentia boni, quia sic non esset pœna, sed in carentia boni apti nati inesse, & proximi, non remoti. His præmissis

Quæ carentia est pœna damni, & qualis,

268 Dico 1. Damnati habent pœnam damni omnium corporalium delectationũ. Est communis.

Priuantur omni corporali oblectamento.

269 Prob. 1. Erunt in continuo; & incessanti dolore, ac pœna sensus: ergo, Consequ. prob. Non sunt compossibiles dolor sensus, & delectatio sensus. Antec. prob. ex *Ier.* 15. 18. *Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis.* & *Hierem.* 30. 12. & *seqq. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, non est, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum, curationum utilitas non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quærunt, plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. Quid clamas super contritione tua. Insanabilis est dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua hæc feci tibi.*

Scrip. loca clara.

Et *Apocal.* 16. 10. *Et factum est regnum eius tenebrosum, & commanducabant linguas suas præ dolore.*

Et *Matth.* 8. 12. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Potest etiam probari ex SS. PP. allatis in *art.* 7. in quo horribilia pœnarum genera, & earum continuationem absque interruptione ab eis assignari ostendimus.

Tandem Saluator *Matth.* 25. apertè priuationem corporalium delectationum insinuat, cum damnatos in ignem æternum condemnat, Acerbissimus enim ignis dolor, omnem prorsus abijcit delectationem.

270 Prob. 2. ex *Luca* 16. dives enim clamat in inferno, *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* *Ambrosius* in hunc locum *Luca* 16. ait, dives cupiens aliquid spiritus refrigerantis haurire; aqua enim refectio est animæ in doloribus constitutæ, de qua dicit *Isaias* 12. *Et haurietis aquas cum delectatione de fontibus Saluatoris*, quasi dicat *Ambros.* dives omni solatio, ac refrigerio priuatus, cupit in aliquo subueniri.

Ex facto diuitis.

271 Prob. 3. ex *Iob* 10. in fine, *In inferno nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Glossa Ordinar. ait, *ibi in tormentis timor cruciat, hic flamma, qua erit illuminat, ibi vrit, & obscurat. Ecce quam grauis cruciatus, vbi tormenta à suis qualitatibus discordant.* Ergo nulla adest ibi delectatio.

Continuus dolor.

272 Prob. 4. In inferno nullum adest obiectum delectabile respectu sensus. Ergo, nec vlla delectatio. Anteced. prob. ex supracitato loco *Luca* 16. vbi dicitur, *locus tormentorum.* Secundo, quia Abraham sic respondet diuiti, *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Quasi diceret omnia bona tua corporalia, quæ in vita habuisti, conuersa sunt in mala.

273 Prob. 5. ex *Psal.* 10. de damnatis dicitur, *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Ex *Iob* 24. 19. dicitur, *ad nimium calorem transient ab aquis niuium.* *Deuter.* 32. 23. &c. habetur, *congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium.* *Sapientiæ* 4. habetur, *erunt decidentes sine honore in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum.* Ex *Hierem.* 9. habetur, *cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Ex *Isa.* 50. 11. habetur, *ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis, de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* Ex *Ecclesiast.* 21. 11. de peccatoribus sic habetur, *in fine illorum tenebræ, & pœna,* &c. alia innumera adduci possent Scripturæ loca, in quibus hæc, & similia comminata sunt reprobis. Ista autem non admittunt delectationes sensibiles: ergo.

Inceſſanter patiuntur.

Graues dolores qui impediunt delectationem.

274 Prob. 6. ex *S. Cypriano in ser. de Ascensione Christi.* Non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes; nullum ibi refrigerium, nullum remedium, &c. ergo.

S. Cypriano.

275 Prob. ex *S. Bonauent. par.* 7. *Breuiloq. cap.* 6. vbi postquam de igne inferni diffusè locutus est, ait, huiusmodi autem afflictioni ignis, coniuncta erit afflictio secundum omnes sensus: & post. Ita, quod in his pœnis erit varietas, & cum varietate, acerbitas; & cum acerbitate interminabilitas, &c.

Ex Bonau.

276 Dico 2. Alia pœna damni, quam patientur damnati in inferno, est priuatio omnium virtutum, seu habituum supernaturalium.

Virtutum omnium priuatio erit in damnatis.

277 Prob. 1. ratione. Eiusmodi habitus dantur ad exercendum actus sibi proprios, & ad ornatum, & decorem animæ; sed damnati nullum poterunt actum supernaturalem in inferno exercere, neque aliquem decorem supernaturalem habebunt. Hæc enim omnia ordinata sunt ad finem supernaturalem, cuius ipsi sunt incapaces.

278 Prob. 2. de singulis. Damnati carent charitate in Deum, quia eum odio habent, saltem ratione iustitiæ vindicatiuæ. De eis enim dicitur *Psal.* 73. *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper.* Secundo,

Carent charitate.

do, quia sine charitate decesserunt, & vt infra dicetur, semper in malo velle perseuerant; & præ doloribus Deum blasphemant. *Apocal.* 16. vt postea de malo velle dicetur: ergo.

Carent spe.

279 Prob. de spe. Nam sunt in continua desperatione, vt habetur *Ierem.* 8. 20. *Transijt messis finita est æstas, & nos saluati non sumus*. & *cap.* 15. *Quare factus est dolori meus perpetuus, & plaga mea desperabilis?* *cap.* 30. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua*: & post aliqua. *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus.* Et Ecclesia canit, in inferno nulla est redemptio; desperant ergo continuò de sua liberatione. Ergo spem supernaturalem non habent.

Carent fide.

280 Prob. de fide primo. Fides extra viam non manet, sed euacuatur, nam ex 1. *Corinth.* 13. *Nunc manent tria hæc, fides, spes, & charitas*. Secundo, fides ex eodem Apost. *Hebr.* 11. *Est substantia rerum sperandarum*, id est habitus dictans bona supernaturalia inuisa, sed speranda. Qui autem in via habuerunt habitum fidei, cum damnantur, nihil supernaturale possunt sperare. Ergo fidei habitu non indigent. Tertio, *Etiò dæmones credant, & contremiscant*, ex *Iacobi* 2. hæc tamen fides, vt in suo loco dicimus est naturalis, seu humana, & acquisita. Et ideo *Psal.* 6. habetur, *in inferno autem quis confitebitur tibi?* ergo carent fide, &c.

Ex August. carentia omnis virtutis in damnatis

281 Prob. 3. ex *S. August. lib. de Vera Relig. cap.* 32. Cauendi ergo sunt inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ graviores, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio. Ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen, quod illuminat omnem hominem, &c. hæc *August.* ergo cum circa nullum obiectum supernaturale habeant lumen, vt in illud, & circa illud operentur, non habent habitus supernaturales.

Ex Hieron.

282 Prob. 5. ex *Hieron. in cap.* 9. *Ecclesiastes*, in inferno non est pœnitentia, nec aliquis ad virtutes recursus. Ergo ijs carent.

Alia argumenta habes in *art.* 15. vbi agitur de bono velle eorum.

Carent virtutibus moralibus.

283 Dico 5. Alia pœna damni, quam patiuntur damnati est priuatio virtutum moralium. Est communis.

284 Prob. 1. Ibi non sunt necessariæ ad bene operandum: ergo.

285 Prob. 2. ex *Ioanne Gerson. ser.* 1. *de omnibus Sanctis*, vbi de damnatis habet: Turpissimis denique vitiorum habitibus fœdabuntur: & post. Et superbia eorum ascendet semper, se furiosa rabie in omnipotentem erigens, & impingens. Cum vitijs autem manere non possunt virtutes: ergo.

286 Prob. 3. Virtutes morales dantur ad frænandas sensuum passiones, vt supponimus. Sed in inferno non adest hęc necessitas: ergo.

Priuatio beatitudinis summa pœna damni.

287 Dico 4. Alia grauior pœna damni existentium in inferno, est priuatio beatitudinis. Est de fide.

288 Prob. ex *Matth.* 25. vbi electis dicitur, *Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum*. Reprobis vero, *ite maledicti in ignem æternum*; & ibunt hi in supplicium æternum, iusti verò in vitam æternam. At vita æterna consistit in visione, & fruitione Dei, vt dicetur infra de Beatitudine, ex *Ioann.* 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*. Ergo damnati carebunt vita æterna.

Euang. Matt.

289 Prob. 2. ex *Matth.* 22. vbi in parabola de Conuiuio, & de conuiua non habente vestem nuptialem, dicitur, *ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores ibi erit fletus, & stridor dentium*. Interlin. Ver. *Tenebras exteriores*, dicit, inferni, quia hic interiores habent tenebras. Ergo decedentes sine veste nuptiali gratiæ, exules sunt gloriæ dum mittuntur in infernum. Sic enim prosequitur textus, *multi sunt vocati, pauci verò electi*.

290 Prob. 3. ex *Luca* 13. 17. *Tunc dicet vobis, nescio vos vnde sitis, discedite à me operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium. Cum videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras, &c.* Ergo reprobi expulsi à Regno Dei priuantur eius visione.

291 Prob 4. ex *Matth.* 13. 49. vbi comparans Ecclesiam sagenæ missæ in mari habenti pisces bonos, & malos, de piscatoribus, ait, *elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, &c.* Ergo damnati semper exules à cœlesti Patria, Dei visione carebunt.

Ex Apocal.

292 Prob. 5. ex *Apocal.* 21. *Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & venefícis, & idolatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda. Non intrabit in eam* (id est Patriam cœlestem) *aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni*. Ergo, cum damnati huius farinæ sint, non intrabunt in cœlum.

293 Prob. 6. ex eadem *Apocal. cap.* 22. 15. *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis seruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium*: ergo.

Ex August. grauitas pœnæ damni visionis.

294 Prob. 7. ex *D. August. lib. de spiritu, & anima cap.* 56. *B.* vbi enumerans infinitas ferè damnatorum miserias, ait, Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius, quis enim dicere potest

test quanta pœna erit non videre creatorem, & plasmatorem omnium rerum, Redemptorem, & Saluatorem fidelium, Regem cæli, & terræ, & dominum vniuersitatis, per quem sumus, viuimus, & sapimus, &c. hæc *Aug.*

Si damnati viderent Deum, pœnam non sentirent.

295 Prob. 8. ex eodem *lib. de triplici habitaculo cap. 4. C.* Dei faciem, si omnes carcere inferni inclusi viderent, nullam pœnam, nullum dolorem, nullamque tristitiam sentirent; cuius præsentia si in inferno cum Sanctis habitatoribus appareret, continuò infernus in amenum Paradisum conuerteretur. Constat autem ex dictis damnatos semper in tormentis futuros, ergo semper carebunt Dei visione.

Quare damnatorum ratio in vita non dicitur vita æterna.

296 Prob. 9. ex eodem *lib. de Epicureis, & Stoicis cap. 8. B.* vbi diligenter considerans, quod licet damnati in æternnm sint victuri, eorum tamen viuere non vocatur vita æterna, quia hoc nomen beatæ tantum vitæ competit, ait. Eam noluit appellare vitam, sed hanc appellauit vitam, quæ æterna, & beata est. Vnde interroganti illo, quid boni faciam, vt vitam æternam consequar? Et ipse quidem vitam æternam non nominabat, nisi beatam; nam habebunt impij vitam æternam, sed non beatam vitam. Igitur damnati beatitudine priuantur. Neque de hoc est controuersia, nisi ad fabulas Origenis de salute dæmonum, omniumque damnatorum declinemus, quod impium, & hæreticum est.

## ARTICVLVS XI.

### *An pœna damni sit æqualis in omnibus damnatis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 50. quæst. 6. §. Ad primam quæst. N. O. &c.* docet etiam pœnam damni in damnatis esse inæqualem iuxta demærita; & solida pro hac sententia adducit fundamenta.

Pœna damni non est simplex carentia,

297 Adu. 1. Quod, licet pœna damni secundum se consistat in priuatione, seu carentia alicuius boni. Tamen neque dicenda est simpliciter carentia, ait *Scotus sub N.* alioquin non esset pœna, sed est carentia boni propinqui apti nati inesse. Neque hoc tantum, sed debet esse nolita. Si enim quis carens diuitijs, vel honore aliquo, &c. cuius est capax, quiesceret in illa carentia, non sentiret pœnam, Sed tunc sentit, quando vellet habere diuitias, vel honorem, & tamen non habet.

Ex duplici capite carentia habet latitudinem

298 Adu. 2. Carentiam boni ex duplici capite habere posse latitudinem. Primo ex ipsomet bono, quo quis caret, potest enim totaliter eo carere, vel solum partialiter. Secundo, ex capacitate, & conatu subiecti carentis bono, si enim est capax eius, vt octo, & ad illud ita conatur; &, dum eo caret, magis cruciatur, quam capax, vt duo, & sic ad illud tendens. His positis

Pœnæ damni ex parte obiecti æquales sunt in omnibus damnatis,

299 Dico 1. Pœnæ damni damnatorum ex parte obiecti sunt omnes æquales.

300 Prob. 1. Omnes carent totaliter omni obiecto vtili, honesto, ac delectabili, & omnes impediuntur, ne ea considerent: ergo. Euidens est consequentia; si enim obiecta æqualiter sunt, secundum se tota absentia, tam secundum propriam existentiam, quam secundum sui speciem, æqualiter causant sui negationem: siquidem negatio obiecti ex absentia obiecti sumit, ne dum specificationem, sed et latitudinem. Antec. etiam est euidens. Nullus namque damnatorum habet in re, vel in specie obiectum aliquod, siue vtile, siue delectabile, siue honestum, nisi vt obiectum remorsus non verò influens in delectationem, aut gaudium, vt suprà dictum est.

Inæqualis tamen est ex alio capite.

301 Dico 2. Pœna damni damnatorum ex alio capite est in eis inæqualis. Est *Scoti in 4. dist. 50. quæst. 6. O.* Et hoc secundum inæqualitatem culpæ.

Vnde oritur inæqualitas carentiæ beatitudinis

302 Prob. Damnati habent inæquales culpas: ergo inæqualem pœnam damni. Antec. Supponitur euidens; quia peccata sunt inæqualia in grauitate, Apostasia enim, disperatio, seù peccatum in Spiritum sanctum, infidelitas, &c. Sunt graniora fornicatione, &c. Conseq. prob. Peccatum grauius habet carentiam maioris boni, ad quod actus ille erat ordinatus; quantò enim actus elicitur cum maiori conatu, eò maiorem habet rectitudinem, si est rationi conformis, et eo maiorem malitiam, et boni maioris carentiam, si est difformis. Ergo, qui grauius peccat, priuat se maiori bono, et maiori præmio, quam qui minus grauiter. Et sic cum beatitudo consistat in visione, ac fruitione; hæc autem ex parte sua possit esse maior, et minor, si damnati habent priuationem maioris, ac minoris beatitudinis, habent pœnam damni maiorem, vel minorem.

303 Probatur 2. Quanto grauius aliquis peccat, tantò magis dimittitur affectioni commodi, et priuatur affectione iustitiæ. Et sic est magis nolens peccatum suum in quantum est causa pœnæ. Igitur magis habet de nolitione, quam alius, et proinde pœna damni maioris, magis cruciat.

A paritate beatorum,

304 Prob. 3. Beati habent inæqualem beatitudinem, vt dicetur in suo loco; ergo damnati inæqualem damni pœnam. Conseq. prob. Sicut beatorum mærita se habent in mærendo maius, minusue præmium, sic reproborum demærita in demerendo illud. Ergo sicut illi sunt inæquales in possessione, quia inæqualiter mæruerunt; sic, & isti in carentia, quia inæqualiter demæruerunt.

Ob.

Arg. contr. 1.

Ob. contra primam. Præmia beatorum ex parte obiecti sunt inæqualia. Ergo, et pœnæ damnatorum. Conseq. prob. Obiectum beatitudinis, sicut respicitur à meritis in ordine ad possessionem, ita à demeritis in ordine priuationem. Ergo, sicut ex parte obiecti possessio suscipit latitudinem, ita et priuatio eius.

Disparitas ex parte obiecti in beatis, & damnatis.

305 Resp. neg. conseq. Disparitas est, quia beati habentes obiectum beatificum, vident in eo, quę ostendit eis Deus, & fruuntur illo iuxta influxum, et illapsum Dei proportionatum meritis eorum. Et ideo possunt magis minusue de obiecto saltem secundario in Deo videre; et magis minusue intensè videre primarium, eoque frui. At damnati nihil possident de obiecto, sed toto eo, toraliter, et indiuisibiliter sunt priuati. Igitur priuatio obiecti beatifici non patitur latitudinem ex parte obiecti.

Ob. 2. Ex 1. concl. Ideo inæqualis est pœna damni, quia priuatio est maioris, vel minoris boni: ergo.

306 Resp. neg. conseq. Nam loquimur de bono formali, et consistente in actu, non de bono obiectiuo. Beatitudo enim, vt dicetur, consistit in visione, et fruitione Dei; visio autem, et fruitio suscipiunt magis, et minus. Non sic obiectum.

Arg. contr. 2

Ob. contra secundam. Pœna damni essentialis damnatorum consistit in carentia Dei visi; sed hęc non suscipit magis, & minus: ergo. Minor prob. Carentia specificatur ab obiecto. Deus autem non suscipit magis, ac minus.

307 Resp. dist. mai. In carentia Dei tantum, nego in carentia visionis Dei; concedo. Ad min. eodem modo; Deus enim non suscipit magis, ac minus, sed eius visio, ac fruitio.

Arg. ad hominem contra authorē.

Ob. 2. Inęqualitas hęc ex *Scoto* oritur ex inęqualitate culpæ, et ex conatu in peccando. Sed ex hac potius sequitur oppositum, nempè delectatio: ergo. Prob. min. Damnatus qui grauius, et cum maiori conatu peccari magis se dilexit, quam Deum; et quo grauius, eo magis intensius habuit se ipsum pro obiecto felicitatis, seù concupiscentiæ. Ergo, si nunc reflectit ad suum peccatum, vt percipiat pœnam damni, ex eo percipit delectationem, non autem pœnam.

Quomodo damnatus reflectens ad peccatum, quo maximè se dilexit non capit de eo delectationem.

308 Resp. ex *Scoto dist. 50. q. 6. P.* neg. sequelam ad probationem, nego consequentiam. Ratio est, quia, cum damnatus reflectit ad actum suum, quo se dilexit, non reflectit ad se vel actum tamquam obiectum absolutum suæ cognitionis; sed tamquam obiectum, seù terminum inferni, et cruciandum in æternum, ex eo actu, quò habuit se ipsum dilectum pro obiecto. Adducit *Scotus* aptum exemplum de ægroto, qui desiderans sanitatem sibi, habet se pro obiecto; quia tamen eam non obtinet, actus ille considerandi se, non adducit delectationem, sed tristitiam. Certè subdit *Scotus* si damnati, et præsertim dęmones possent sistere in consideratione sui tantum, et cum quiete ad eam determinari, felicitatem, seu delectationem ex ea consideratione absoluta perciperent: at inquit, non eis permitteretur in illa sistere. Sed se considerant, tamquam inclusos in inferno, vt cruciabiles ex nimia sui dilectione, quæ ne dum pœnam sensus, seu tristitiæ adduxit, sed & damnum; priuationem namque visionis, ac fruitionis Dei.

Aptum exemplum.

Ob. 2. Inæqualitas ista non adducit pœnam: ergo frustra admittitur. Anteced. prob. Primò, quia potest damnatus non discurrere in eiusmodi materia, quid, scilicet meruisset per actum oppositum. Et ita non apprehendere quantitatem boni amissi. Secundo, non est sibi notum, qualis gradus beatitudinis correspondisset actui contrario.

Validum arg.

309 Resp. neg. ant. & probat. vtramque. Hic enim remorsus inter alios vrget damnatos *Sap. 5. Erranimus à via veritatis ambulauimus vias difficiles. Viam autem Dei ignorauimus.* Ergo reflectunt ad qualitatem, & quantitatem operandi peruersè, & in hoc, in pœnam, detinentur. Recordantur pariter, quod Deus nihil relinquit irremuneratum, & quod opera sequentur mortuos, & quod reddet vnicuique iuxta opera sua. Ergo sciunt maiora maioribus præparata.

## ARTICVLVS XII.

### *An pœnæ damnatorum in inferno sint æternæ.*

Scoti mens.

SCOTVS pluribus in locis, sed præcipuè *in 4. distinct. 46. quæst. 4. P.* & *dist. 50. quæst. vlt.* in fine, cum fide catholica docet pœnam damnatorum fore æternam.

310 Adu. 1. Quod Origenes de pœnarum æternitate malè sensit, docuit enim diaboli, & damnatorum omnium pœnas post longum tempus esse finituras. Ita refert *S. Hieron. in cap. 66. Isa.* in fine, *August. lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 17. & Theodoretus*, agens de Origenistis; nec non *Athanasius tract. de communi essentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quam quidem sententiam Origenes multis Sacræ Scripturæ locis, quæ infra adducentur firmare conatus est, sed frustra.

Catholici de proportione æternę pœnę cum peccato disputant, non de pœna.

311 Adu. 2. De æternitate pœnarum inter Catholicos non dubitari; sed solum de proportione earum cum peccatis, quomodo, scilicet malum finitum puniri possit pœna extensiuè infinita. Sed hoc discutietur in sequenti; quomodo in punitione dam-

damnatorum concurrant iustitia, & misericordia.

Pœna damnatorum erit æterna.

312 Dico ergo. Pœna damnatorum erit æterna. Est de fide.

313 Prob. 1. ex *Iudith. 16. v. 20. Dominus omnipotens vindicabit in eis in die iudicij, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum:* ergo.

314 Prob. 2. ex *Isa. 33. 11. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis.*

Ex vet. test. loca multa.

315 Conf. ex eod. *cap. 34. 9. Conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in sulphur, & erit terra eius in picem ardentem, Nocte, & die non extinguetur; in sempiternum ascendet fumus eius, à generatione in generationem desolabitur, in secula seculorum, &c.*

316 Prob. 3. ex *Ieremiæ 15. 18. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis:* ergo.

Ex nouo test. alia multa loca,

317 Prob. 4. ex *Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, &c. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

318 Prob. 5. ex *epist. Iudæ v. 6. Vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

319 Prob. 6. ex *Apocal. 14. 9. Cruciabitur igne, & sulphure, &c. & fumus tormentorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die, ac nocte, &c.* idem ex c. 20. habetur.

320 Prob. ex *Symb. Athanas. Qui mala egerunt ibunt in ignem æternum.*

Ex Augusti.

321 Prob. ex *S. Augusti. ad Orosium, contra Priscill. t. 6.* vbi disputans contra Origenem, vtitur dicto *Matth. 25. Ibunt hi in ignem æternum, &c.* & concludit, qualiscumque pœna significata sit nomine ignis, & vermis, certè si non morietur, nec extinguetur, sine fine prædicta est. Nec aliud agebat propheta, cum hoc diceret, nisi, vt eam sine fine prædiceret.

Ex eodem.

322 Conf. ex eodem *lib. 21. de Ciuitate cap. 17.* vbi deridens quosdam, qui docebant aliquorum hominum pœnas futuras esse temporales, aliorum æternas, ait, *profectò misericordiosior fuit Origenes, qui & ipsum diabolum, atque Angelos eius, ex illis cruciatibus eruendos dixit, cuius doctrinam sancta reprobauit Ecclesia.*

Ex eodem.

323 Conf. 2. ex eodem *in Enchiridio cap. 112. Frustra quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt, &c.* vbi adducit etiam scripturas, quibus isti vtuntur, & faciliter soluit.

Ex eodem.

324 Prob. ex eodem *lib. 21. de Ciuit. cap. 23.* Vbi ex professo disputat contra Origenistas alioſque docentes, pœnam damnatorum non esse perpetuam, allegatis enim scripturæ locis *Matt. 25. & Apocal. 20.* Prolixè discurrit de pœnæ æternitate, dicens. Eneruari fidem, nisi ita dicatur, concludens, quale est æternum supplicium pro igne diuturni temporis non existi mare, & vitam æternam credere sine fine, cum Christus in eodem ipso loco, in vna, eademque sententia dixerit vtrumque, *ibunt isti in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Si vtrumque æternum profectò, aut vtrumque cum fine diuturnum, aut vtrumque sine fine perpetuum debet intelligi; par pari enim relata sunt, hinc supplicium æternum, hinc vita æterna: & post aliqua. Supplicium quoque æternum, quibus erit, finem procul dubio non habebit.

Euidentis argum. concludit Aug.

Irenæo.

325 Prob. ex *Irenæo lib. 4. cap. 47.* Quibus dixerit Dominus discedite à me in ignem perpetuum, isti erunt semper damnati.

Hieron.

326 Prob. ex *Hieron. in cap. 66. Isaiæ*, in fine, vbi inuehitur in eos, qui docent pœnas damnatorum habituras finem; & in *cap. 25. Matt.* in fine, ait. Prudens Lector attende, quod et supplicia æterna sint, et vita perpetua, &c.

Ambros.

327 Prob. ex *Ambrosio in cap. 14. Apoc.* & in *cap. 2. epist. ad Rom.* Ver. *Ad diuitias.* Quibus in locis docet pœnam damnatorum fore æternam.

Ex alijs PP. Cyprian. Greg. Nanz. Chrysost. Fulgent. Cyril. Alex. Io. Damasc. Hug. Vict. Bernard. Mag. Sent. D. Th. Albert. D. Bonau. Scotus.

328 Prob. ex omnibus Eccl. PP. ex *Greg. Nanz. de Anima, & resurrect. Chrysost. epist. 5. ad Theodorum lapsum*, ex *Cypriam. lib. ad Demetrianum. & ser. de Ascens. Christi*, ex *Prospero cap. 12. lib. de Vita contempl.* ex *Fulgentio de fide ad Petrum cap. 3.* ex *Greg. Magno lib. 9. moral. cap. 48.* et *lib. 4. dialog. cap. 44.* ex *Cyrill. Alex. orat. de exitu animæ*, ex *Ioan. Damasc. lib. 4. fidei orthod. cap. 28.* et *cap. 8. in Vita Barlaam.* ex *Hugone Victor. lib. 4. de anima, cap. 13.* ex *Bernardo lib. medit. cap. 3.* ex *Magist. Sent. in 4. dist. 49.* quem sequuti sunt *D. Th. D. Bonau. Albertus Magnus, Scotus, &c.* Neque vllus reperitur Doctor catholicus; imò & Hæreticus, qui æternitatem pœnarum cum Sancta Matre Ecclesia (quæ canit in inferno nulla est redemptio) non confiteatur.

Argum. pro Origenistis.

Ob. 1. Pro Origenistis ex *Psal. 76.* habetur. *Non enim obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas.* Ergo aliquando miserebitur damnatorum, et pœnæ finientur.

Quomodo damnatorum misereatur.

329 Resp. ex *Aug. in Enchir. cap. 112.* Id intelligi sine scrupulo de vasis misericordiæ, id est de saluandis, quia isti non pro maritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Vel inquit *Augustin.* si de damnatis etiam velis intelligi, dicendum, quod in ira sua non continet Deus misericordias suas cum reis; mittis enim, quam mereantur punit. Notandum enim est, quod non dicit, *finiet iram suam*, sed in ira sua perseuerante, non continet miseri-

cor-

cordias; patebit autem in seq. art. Deum iuste ad mortem æternam damnare, sed in hac quoque damnatione misericorditer operari.

Ob. 2. Pœna æterna est improportionata peccatis. Ergo ad hoc arg. resp. per sequentia.

## ARTICVLVS XIII.

### *An, & quomodo pœna æterna proportionetur peccato damnati.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 46. quæst. 4. §. Ad argum.* principalia *sub P. & dist. 50. quæst. vlt.* in fine, & vtrobique ex *Augustino* docet, pœnam æternam iustè proportionari peccato finali damnati, quia hoc etiam durat in æternum, absque fructuosa retractatione, & in has angustias voluntariè se præcipitauit damnatus.

Duo videnda.

330 Adu. 1. duo hic esse videnda. Primo, an pro peccato mortali non retractato in hac vita, stabilita sit æterna pœna. Secundo, quomodo, & vnde oriatur hæc proportio supplicij ad delictum, cum hoc sit momentaneum, illud vero perpetuum.

Duæ sent.

331 Adu. 2. Duas in hoc secundo puncto, olim fuisse opiniones, prima docens, quod ideo peccatum finale damnati pœnam æterna punitur, quia præuisus est, quod si perpetuò vixisset perpetuò peccasset; & solet tribui *D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 3. in cap. 4. Iob.* Versu, *Aestimabit abyssus, &c.* sed re vera exageratiuè potius loquitur Gregorius, quam Scholasticè; improbans scilicet obstinationem peccatoris, & promptitudinem ad semper peccandum. Alia sententia, quam docet *Scotus* ex *Augustino*, & nunc est communis, ait, cruciatum illum in æternum durare, quia impœnitentia peccati cum ipsamet voluntate peccaminosa non retractata, sed obstinata, durat perpetuò. Quod autem post mortem sit impossibilis retractatio, & ad peccatum non retractatum sequatur æterna pœna, erat iam notum peccanti, ideoque sciens, & volens eam incurrit.

Communis sent.

Pœna æterna debetur peccato finali.

332 Dico 1. Pro peccato, finaliter non retractato, est stabilita pœna æterna. Est communis, & de fide.

333 Prob. 1. ex *Iudith 16. 20. Vae genti insurgenti super genus meum, Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt urantur, & sentiant vsque in sempiternum:* ergo.

Ex vet. test.

334 Prob. 2. ex *Hierem. 30. Plaga tua insanabilis, & plaga inimici percussi te castigatione crudeli propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua.* Plaga autem insanabilis est pœna æterna.

335 Prob. 3. ex *Ecclesiastici 40. Super peccatores septuplum; ad hæc mors contentio, & romphæa oppressiones, fames, contritio, &c.* quæ sunt damnatorum pœnæ. *& c. 41. Væ vobis impij, qui dereliquistis legem Domini Dei altissimi, & si nati fueritis, in maledictione nascemini, si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.*

Multa loca scripturæ ad idem.

336 Prob. 4. ex *Isa. 50. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, ambulate in flammis, quas succendistis; de manu mea factum est hoc verbum in doloribus dormietis.*

337 Conf. ex eodem *cap. 66. 23. Qui prævaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

338 Prob. 5. ex 2. *Reg. cap. 23. Prævaricatores, quasi spina euellentur vniuersi, igneque succensa comburentur vsque ad nihilum.*

339 Prob. 6. ex *Malach. 4. Ecce dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus.*

340 Prob. ex *Exodi 32. 33. Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo:* ergo.

Ex nouo test.

341 Prob. 7. ex nouo testam. *Matt. 25.* vbi de reprobis immisericordibus dicitur, *discedite à me maledicti in ignem æternum, & ibunt hi in supplicium æternum. Marci 9.* de scandalizante dicitur, *melius est, &c. quam duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* ex 2. *Thessal. 1. 8. In flamma ignis dantis vindictam iis qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, &c.*

Ex text. can.

342 Prob. 8. ex *cap. Cum Marthæ 8. Sed adhuc, de baptismo, &c. Actualis pœna peccati est gehennæ perpetua cruciatus.*

343 Prob. 9. ex *Concil. Florent. sess. vlt. in decreto Vnionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina*, & est *constitut. 17. Eugenij Latentur §. 7. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ergo euidenter concluditur, quod peccato actuali non retractato stabilita est æterna inferni pœna.

Conc. Flor.

Non ideo æterna, quia peccator præuisus est peccaturus perpetuo.

344 Dico 2. Æternitas pœnæ non proportionatur peccato actuali, ex eo quod peccator præuidetur semper peccaturus si vixisset. Est *Scoti ibid. P.* & debet esse communis.

345 Prob. ex eodem ibi. Fieri potuit, vt peccans habuerit propositum pœnitendi. Et videtur moraliter impossibile, quod omnes damnati præuideantur habere voluntatem peccandi perpetuò.

346 Prob. 2. Illa prævisa voluntas non est efficax effectiuè, neque affectiuè, imò nullo modo existit. Ergo non potest puniri, cum pœnæ perpetuitate.

Prob. 3.

A pari de operibus bonis præuisis.

347 Prob. 3. Bona opera, quæ videntur futura in aliqua circumstantia conditionali, non præmiantur: ergo, neque mala eodem modo visa. Anteced. prob. Præuidit Saluator *Matth.* 11. quod si in Tyro, & Sydone facta fuissent miracula, quæ facta sunt in Corozaim, & Bethsaida, in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent; & tamen hæc voluntas non præmiatur.

Ex absurdo.

348 Prob. 4. Hæc sententia videtur coincidere cum ea, quæ docet, paruulos damnari cum originali, quia præuidentur, quod si vixissent, actualiter peccassent. Quæ quidem absurda est; & Deo imponit eiusmodi impietatem, quod possibilia peccata puniat, cum tamen Caino de hoc timenti *Gen.* 33. dictum sit, *si bene egeris recipies, si autem malè, statim peccatum in foribus aderit.* Igitur operatio existens non autem possibilis præmiatur, vel punitur.

Pœna est æterna, quia peccatum est æternum cum persona peccante.

349 Dico 3. Ratio, cur æternitas pœnæ proportionata sit peccato non retractato, est, quia persona peccans, & peccatum eius perpetuò durant. Ita *Scotus sub P. D. Thom. in 4. sent. dist. 46. art. 4. in solut. Quarta ratio.*

350 Prob. ex *D. August. lib. 21. de Ciuitate cap. 11.* vbi ex professo quærit, quomodo in Dei Ciuitate exerceatur iustitia, cum ipse Deus pro peccato momentaneo, puniat æterna pœna. Et respondens narrat octo genera pœnarum, quibus homines in iudicijs vtuntur, & discurrens per singulas *sub C.* ait. *Iam verò damnum ignominia exilium, & seruitus cumplerumque sic infliguntur, vt nulla venia relaxentur, non ne pro huius vitæ modo similia pœnis videntur æternis; ideo quippe æterna esse non possunt, quia nec ipsa vita, qua his plectitur porrigitur in æternum; & tamen peccata, quæ vindicantur, longissimi temporis pœnis breuissimo tempore perpetrantur; nec quisquam existit, qui censuerit tam citò nocentium finienda esse tormenta, quam citò factum est homicidium, vel adulterium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed iniquitatis, & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte multatur, numquid mora qua occiditur, qua per breuis est, eius supplicium leges breue existimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de societate viuentium. Quod est autem de ista ciuitate mortali pœna mortis, hoc est de illa immortali homines supplicio secunda mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges huius ciuitatis, vt in eam quisque reuocetur occisus; sic nec illius leges ciuitatis admittunt, vt ad eius quis vltra beatitudinem reuocetur æternam, secunda morte damnatus.* hæc *Aug.* Stat ergo paritas in hoc, quod sicut humanæ leges perpetuò confiscant, damnant exilio, &c. & si vita damnati rei esset perpetua, perpetuò ea mala pateretur; & sicut perpetuò priuant hominem vita, ita leges diuinæ addicunt reprobos pœnæ; & quia eorum vita perpetua est, perpetuò durat pœna.

Præclara Aug. lent.

Paritas de pœnis à Republ. inflictis.

351 Conf. ex *Scoto sub Q.* Potuisset Deus iustè pro mortali peccato taxare pœnam ita intensam, vt natura peccantis esset annihilanda; quod quidem maximum esset supplicium; ergo potuit hoc alio modo taxare, vt non annihiletur, sed quia perpetuò durat, & perpetuò est in culpa, perpetuò puniatur.

352 Prob. 2. ex eodem *Aug. de fide ad Petrum* (licet dicatur opus Fulgentij) vbi circa medium, ait de damnatis. *Permanente in eis iniustè affectionis malo, permanet in eis iusta retributionis damnatio.*

Ex Hieron.

353 Probari potest 3. ex *Hieron. in cap. 66. Isa.* in fine, vbi declarans verba illa, *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, impugnans eos, qui freti diuinæ clementiæ, negant æternitatem pœnarum; inter alia habet. *Ignis tamdiù succenditur, quamdiù habet materiam, qua vorax flamma pascatur. Si quis igitur habeat in conscientia sua zizania, hæc ignis exuret, hæc vorabit incendium.* Ergo permanentia æterna culpæ, est causa æternitatis pœnarum.

Alber. Mag.

Conf. ex *Alberto Magno ad cap. 7. Matt.* Pœna æterna ideo est, quia voluntas peccandi est æterna: Cum enim quis in peccato moritur voluntas eius in malo obstinatur, & propter hoc peccatum ab eo non solvitur, & cum pœna peccatum insequatur, necesse est, vt in æternum puniatur.

Difficultas adhuc vrget

354 At quoniam adhuc vrgere videtur maior difficultas, quomodo scilicet imponi, ac stabiliri potuerit pœna adeo grauis, homini peccanti, vt non possit vlterius pœnitere; & peccato illi momentaneo correspondeat infinita cruciatuum duratio.

Iustè taxata est pœna æterna peccato finali;

355 Dico 4. Iustè potuit Deus taxare, sicut, & taxauit, vt qui decederet in peccato mortali remaneret perpetuò impœnitens, & proinde æterno bono perpetuò priuatus, & æterno malo perpetuò addictus. Est communis cum *Scoto ibid. & D. Thom. in 4. dist. 46. art. 4. in solut. ad primum. D. Bonauent. dist. 46. par. 2. qu. 2.*

S. Auguſt.

356 Prob. 1. Æquum, & iustum est, vt pro contemptu, & offensa boni infiniti stabilita sit pœna extensiuè infinita; ergo. Anteced. prob. Ex *August. lib. 21. de Ciuit. cap. 12.* in principio. *Pœna æterna ideo dura, & iniusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum deest sensus ille altissima purissimaque sapientia, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima prauaricatione commissum sit. Quantò enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se perimit bonum, quod esse posset æternum:* ergo.

Ex eodem Auguſt.

357 Conf. ex eodem *ibid. cap. 23. B.* Prorsus, nec alia causa, nec iustior, nec manifestior inueniri potest, cur veritissima

potestate teneatur fixum, & immobile, nullum regressum ad iustitiam, vitamque Sanctorum, diabolum, & angelos eius habituros, nisi, quia Scriptura dicit, Deum eis non pepercisse, & sic ab illo esse inter impios prædamnatos, vt carceribus caliginis inferni retrusi traderentur. Seruandi, atque vltimo iudicio puniendi, quando eos æternus ignis accipiet, vbi cruciabuntur in sæcula sæculorum. Ergo ex peccato non retractato, nec condonato oritur æternitas pœnæ.

Ex discursu S. Thomæ.

358 Prob. 2. Discursu *S. Thomæ lib. 3. contra Gent. cap. 144. nu. 3.* Naturalis æquitas hoc habere videtur, quod vnusquisque priuetur bono, contra quod agit; ex hoc enim reddit se tali bono indignum. Et inde est, quod secundum ciuilem iustitiam, qui contra Rempublicam peccat, societate Reipublicæ priuatur omnino, vel per mortem, vel per exilium perpetuum; nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando, sed contra quid peccauit. Eadem autem est comparatio totius vitæ præsentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad societatem beatorum: & post aliqua, concludit S. Tho. qui ergo contra vltimum finem peccat, & contra charitatem, per quam est societas beatorum, in æternum debet puniri, quamuis aliqua breui mora peccauerit. hæc *S. Doctor*.

Ex eodem D. Thoma.

359 Prob. 3. alio discursu eiusdem *ibid. num. 4.* Voluntas apud Deum pro facto reputatur. Peccans autem auertitur ab vltimo fine, qui in æternum possidetur: & sic bonum temporale præponit bono æterno. Igitur si posset, vellet æternaliter frui bono illo temporali; & proinde patet iuste à Deo ita puniri, ac si æternaliter peccasset, & consequenter æterna pœna.

Greg. Mag.

360 Probari potest 4. ex discursu *D. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 44.* cum enim Petrus hoc interrogat, quomodo iustum est, vt culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. *Gregor.* respondet, *Iniqui ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique si potuissent fine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui numquam desinunt peccare dum viuunt.* Ergo perpetuitas voluntaris in culpa est causa cur duret sine fine pœna.

Ex statu per petuo arg.

361 Prob. 4. Potuit Deus statuere, & de facto statuit, vt status hominis post præsentem vitam sit immutabilis, siue ratione præmij, siue ratione supplicij, *& vbi ceciderit lignum ibi sit, Ecclesiastes 11. 3.* & vicissitudini non sint amplius subiectus. Ergo iustè statuit pœnam æternam ei, qui cum mortali voluit decedere.

Arg. contr.

Ob. contra omnes. Pœna æterna, neque in intensione, neque in extensione æquiparatur culpæ: ergo non potuit iustè taxari pro ea. Lex enim debet esse honesta, iusta, & possibilis ex *cap. Erit dist. 3.* Anteced. prob. Nam afflictio corporis, & animæ in inferno, non est comparanda cum delectatione percepta in peccato, quæ aliquando minima est, & in momento transit.

Proportio pœnæ non attenditur pœnæ delectationem.

362 Resp. neg. anteced. ad probat. ex dictis resp. Proportionem non attendi à delectatione, & duratione eius, sed ab obiecto, & fine à quo quis auertitur peccando. Statuit autem Deus, vt qui ab vltimo fine se auertit, æternaliter illo careat, & pari pœna puniatur. Lex ista, iusta est, honesta, ac possibilis, quia homo ex Dei auxilio potest non se auertere ab vltimo fine, & tamen voluntarie se auertit. Ergo meritò sic patitur.

Inst. Damnatus non habuit tempus retractandi peccatum, quod fortè retractasset. Ergo lex illa, nec iusta est, nec possibilis.

Iustè non conceditur tempus retractationis.

363 Resp. neg. consequ. Ait enim *Scotus, vbi supra, §. De tertio P.* Iustum est, vt qui malitiam continuat, à malitia per alium non liberetur. Et qui potuit malitiam relinquere, habens tempus præcisum, & taxatum, si in eo se non corrigit, iustum est, vt in ea deseratur. Secundo quia, qui voluntariè præcipitat se in foueam, de qua non potest per se euadere, nisi per adiutorium eius quem actu offendit, iustè ab eo in illa derelinquitur. Cum ergo damnatus, ante mortem potuerit retractare peccatum, & non retractauit, iustè pœna comminata punitur.

## ARTICVLVS XIV.

### *An in punitione damnatorum Deus vtatur iustitia, & misericordia.*

Scoti ment.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 46.* postquam per plures quæstiones ostendit in Deo reperiri iustitiam, & misericordiam, in *quæst. 4.* docet, vtramque exerceri in damnatorum punitione.

364 Adu. Præsens quæsitum plura exigere declaranda. Primo, an & quæ iustitia reperiatur in Deo. Secundo, quomodo etiam misericordia. Tertio, an misericordia, & iustitia in Deo sint idem. Quarto, in quo consistat, & à quo sit damnatorum punitio. Quinto, an sit iusta. Sexto, an semper in omni opere suo Deus vtatur vtraque, & præsertim circa damnatos, cum tamen eorum pœna sit æterna, & extensiuè infinita. Vnde, ne confusè procedamus, placuit in plures *§§.* hanc controuersiam dirimere.

## §. 1.

### *An admittenda sit iustitia in Deo, & quæ.*

Iustitia quid sit.

365 ADu. 1. Quod iustitia generaliter accepta, ex *Anſel. lib. de veritate cap.12. Eſt rectitudo voluntatis, propter ſe ſeruata*, ex *Ariſt.* autem, vt *Scotus* notat *in quæſt.* 1. Eſt rectitudo voluntatis ad alterum propter ſe ſeruata, ita ex 5. *Ethic. c.3.* Notandum autem eſt, quod *ly ad alterum* ſumitur dupliciter, & vtroque modo poteſt aliquando concernere iuſtitiæ. Primo, vt *ly alterum* connotet legem, eatenus enim actus aliquis voluntatis eſt iuſtus, quia eſt legi conformis, & ſic patet, quod *ly alterum*, hic ſe tenet directiue. Secundo, *ly ad alterum*, ſumitur pro altera perſona, & hoc modo actus iuſtitiæ eſt reddere cuique quod ſuum eſt, vt amorem, timorem, obſequium, bona fortunæ, &c. & hic concurrit vtrumque *ad alterum*, directiuum nempe legis, & terminatiuum nempe perſonæ. Verum tamen eſt, quod *hoc alterum* terminatiuum, non ſemper debet eſſe realiter diſtinctum ab operante actum iuſtitiæ, ſed ſufficit ſi ſe habeat, quaſi, vt diſtinctum. Nam actus pœnitentiæ eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ, & tamen pœnitens in ſe ipſum exercet illum, ita Deus diligendo ſe, & exigendo omnis creaturæ obſequium, iuſtè vult, & tamen non reſpicit alterum diſtinctum.

Quomodo iuſtitia ſit ad alterum.

Iuſtitia commutatiua, & diſtributiua.

366 Adu. 2. Quod omnis iuſtitia, quæ eſt ſimpliciter ad alterum, vel eſt commutatiua, vel diſtributiua. Prima eſt illa, per quam fit commutatio, vt cum pro demeritis redduntur ſupplicia, pro meritis verò præmia; & ita duæ ſpecies, præmiatiua, & punitiua. Secunda eſt, qua diſtribuuntur res, & gradus iuxta perfectiones, & ſtatus perſonarum. V. gr. in Republica, cum gradus, & honores diſtribuuntur, iuxta perſonarum dignitates, & perfectiones.

Iuſtitia pro actu, & pro habitu.

367 Adu. 3. Quod iuſtitia, ſicut & quælibet alia virtus, ſumitur pro actu, & pro habitu, ſiue ex actibus cauſato, ſiue infuſo, & hoc pro creaturis. Cum verò de iuſtitia Dei, quaſi habituali loquimur, eodem prorſus modo loqui debemus, ſicut, & de alijs attributis, importare ſcilicet perfectionem aliquam in Deo, ex natura rei formaliter, non autem realiter ab eo diſtinctam. Sed hoc ſupponimus ex proprio tractatu. Imò, & eodem modo loquemur de pluribus iuſtitia ſpecibus in Deo repertis, ſicut & de pluribus ſcientijs libera, ac naturali. His autem præmiſſis.

In Deo reperitur omnis iuſtitia.

368 Dico in Deo reperitur omnimoda iuſtitia. Eſt de fide.

369 Prob. 1. ex *Pſal.* 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Pſal.* 18. *Iuſtitia Domini recta. Pſal.* 21. *Annunciabunt cœli iuſtitiam eius. Pſal.* 47. *Iuſtitia plena eſt dextera tua. Pſal.* 84. *Iuſtitia, & pax oſculata ſunt, & iuſtitia de cœlo proſpexit. Pſal.* 88. *Iuſtitia, & iudicium præparatio ſedis tuæ. Pſal.* 110. *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Pſal.* 118. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Pſal.* 144. *Iuſtus Dominus in omnibus vijs ſuis. Prou.* 8. *In vijs iuſtitiæ ambulo. Ierem.* 12. 1. *Iuſtus quidem tu es Domine*, & in Sacra Scriptura ſexcenties, alibi. Ex vet. teſt.

370 Prob. 2. ratione. In Deo eſt rectitudo voluntatis, propter ſe ſeruata, & ad alterum ſimpliciter, & quaſi ad alterum: ergo. Hæc enim eſt definitio iuſtitiæ, vt ſic. Anteced. prob. Deus, cum ſe diligit; ſibi credendum exigit; ſe adorandum, amandum, præcipit, &c. verè habet rectitudinem voluntatis, quaſi ad alterum. Eſtò enim ſuperiorem legislatorem non habeat, cui debeat conformari eius operatio, habet tamen in ſuo intellectu principium practicum, præcedens omnem voluntatis actum, dictans ea omnia eſſe Deo debita, & à quocumque exigenda. Igitur habet rectitudinem, quaſi ad alterum. A priori arg. Deus habet rectitudinẽ ad alterum.

371 De rectitudine ad alterum ſimpliciter probatur; nam voluntas eius eſt inobliquabilis, nec poteſt velle, niſi, quod rectum eſt. Igitur nequit erga creaturas aliquid exercere, niſi cum voluntatis rectitudine. Et probatur ex *Iob* 34. 10. 11. & 12. *Viri cordati audite me abſit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias ſingulorum reddet eis. Verè enim Deus non condemnabit fruſtra, nec omnipotens ſubuertet iudicium.*

372 Prob. 3. De qualibet iuſtitia, primo de commutatiua. Licet enim inter Deum, & creaturas, non reperiatur æqualitas, quam in rigore exigit iuſtitia commutatiua; tamen, vt alibi ſuppono, reperitur inter eos ſecundum proportionem, ſicut Domini ad ſeruum, præmiando vltra condignum, & puniendo citra condignum. Hæc ergo iuſtitia verè in Deo eſt; nam ex *Rom.* 2. 6. *& ſeqq. Reddet vnicuique ſecundum opera eius; ijs quidem, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam; ijs autem, qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio:* ergo. De qualibet arg.

373 Conf. ex 2. *ad Corin.* 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum:* ergo. Ex nouo teſt. argum. de commutatiua.

374 Conf. 2. ex 2. *ad Timoth. cap.* 4. 8. *Curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolum autem mihi, ſed iſi, qui diligunt aduentum eius.*

Prob. 2.

375 Prob. 2. ex *Luca* 6. 38. *Mensuram bonam confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum, eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur, & vobis.*

376 Prob 3. & *Anſel. in proſol* 10. cum punis malos, iuſtum eſt, quia illorum meritis congruit. Cum parcis malis iuſtum eſt; non quia illorum meritis, ſed quia tuæ voluntati, & bonitati condecens eſt. Et in *proſol.* 11. concludit, illum ſolum iuſtum eſt, quod vis; non iuſtum, quod non vis.

De iuſtitia diſtributiua,

377 De diſtributiua autem iuſtitia, eſt etiam manifeſtum; nam in tota politia naturali, & morali Deus conuenientes perfectiones rebus omnibus diſpoſuit; omnibus enim rerum naturis congruas diſtribuit qualitates: ergo.

Arg contr.

Ob. 1. Inter Deum, & creaturam non adeſt æqualitas: ergo neque iuſtitia. Conſeq. prob. Nam commutatiua exigit æqualitatem, vt ſcilicet quilibet commutans de ſuo det. Creatura autem non poteſt cum Deo commutare bonum pro præmio, quia bonum, quod habet à Deo eſt. *Quid habes quod non accepiſti, ex 1. Cor. 4.*

Inter creaturam & Deum non adeſt æqualitas ſimpliciter, ſed aliqua proportionalis.

378 Reſp. vt ſupra diſt. antec. Non adeſt æqualitas ſimpliciter, concedo. Proportionalis, nego. Hæc enim ſufficit inter Dominum, & ſeruum. Et hæc commendatur in Sacra Scriptura, cum Dei iuſtitia exaltatur, ſicut in probationibus patuit.

Ob. 2. In Deo non adſunt aliæ virtutes. ergo. Antec. prob. Non adeſt temperantia, quæ moderatur exceſſum delectationum, ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium.

Virtutes nõ ſunt in Deo ſecundum imperfectionem regulandi paſſiones.

379 Reſp. diſt. antec. Non adſunt in Deo virtutes ſecundum illam imperfectionem regulandi paſſiones animi, concedo. Secundum alias perfectiones, quas important, nego. Et ideo verè dicitur in Deo non adeſſe virtutes morales, quia iſtæ reſpiciunt paſſiones regulabiles per eas. Verè autem è contra Deo conuenit liberalitas, longanimitas, fortitudo, &c. Secundum conceptus perfectionis, quas important.

Deus abſolute nulli debet, ſed ex ſuppoſitione debet.

Obijcies 3. Iuſtitia inclinat ad reddendum debitum. Sed Deus nulli debet: ergo.

380 Reſp. diſt. min. Nulli debet abſolutè, concedo. Ex ſuppoſitione liberalitatis ſuæ, nego. Hoc enim modo aquæ, v.g. debetur frigiditas igni caliditas; corpori perfectè organizato, animæ infuſio; benè operanti præmium. Hæc autem omnia iuſta ſunt, quia Dei voluntatem rectam reſpiciunt.

Ob. 4. Si admitteretur multiplex hæc iuſtitia in Deo, ſequeretur voluntatem diuinam eſſe regulabilem, imò, & regulatam; nam iuſtitia, quæ eſt ad ipſum met Deum, quaſi alterum regularet aliam, quæ eſt ad alterum ſimpliciter. Et, ſicut in nobis idem principium, quod inclinat ad finem, inclinat etiam ad ea, quæ ſunt ad finem, tamquam imperfectum, quod ordinatur ad perfectum. Ita ſe haberet iuſtitia ſecunda reſpectu primæ.

In Deo non eſt duplex iuſtitia formaliter, ſed virtualiter.

381 Reſp. neg. ſequ. Non enim duplex formaliter eſt iuſtitia in Deo, ſed virtualiter; vna enim, & eadem rectitudo voluntatis erga Deum, reſpicit etiam creaturas; ſicut dicimus de ſcientia in intellectu diuino, quæ formaliter vna eſt, virtute verò multiplex ob tendentiam ad obiecta multa; & hoc deumitur ex *Scoto ſub F.* ad illud d. regulante, et regulabili, dico, eſſe eandem difficultatem de ſcientia Dei practica reſpectu voluntatis, et tamen dicimus, non eſſe adæquatè practicam; quia, licet ſecundum ſe eſſet apta regulare, deficit tamen regulabile; nam voluntas diuina eſt de ſe perfecta regula; ita diceretur de duplici illa iuſtitia, ſi admitteretur, prima enim eſſet de ſe apta regulare, ſed non regulat, quia ſecunda non eſt capax regulationis.

Eadem difficultas eſt de ſcientia practica reſpectu voluntatis Dei.

Ob. 5. Iuſtitia ſupponit in habente concluſionem ſyllogiſmi practici, quia ſupponit prudentiam dictantem de agibili: ſed in Deo nequit eſſe practicus diſcurſus: ergo.

Iuſtitia in nobis ſupponit diſcurſ. non in Deo, & quare?

382 Reſp. diſt. ma. In nobis, concedo; in Deo, nego. Ratio eſt, quia intellectus creatus non cognoſcit vnico, et ſimplici actu omnia agibilia, et eorum circumſtantias, neque bonitatem mediorum, ideo practicè ſyllogizat de agibili, & ſic voluntas exercens iuſtitiam, ſequitur concluſionem ſyllogiſmi practici applicantis hic, et nunc agendi modum. Non ita intellectus Dei, qui vnico intuitu omnia poſſibilia, & futura cum ſuis circumſtantijs perſpicit; & ideo, ex hoc etiam capite non eſt virtus moralis, ſeu habitus, ſicut in nobis, ſed eminentiori modo in Deo eſt; quis enim neget, Deum cum ſumma rectitudine, & circa ſe, et circa alia operari? ergo iuſtè.

Ex abſurdo arg.

Ob 6. Si datur in Deo hæc iuſtitia, ſequitur, voluntatem diuinam non indifferenter operari circa creaturas, quod eſt falſum. Prob. ſequela. Intellectus proponeret voluntati agibile determinatum; huic autem deberet ſe voluntas conformare, vt rectum operaretur. Neque poſſet oppoſitum velle, aliter iniuſtè vellet.

Modus, quo voluntas diuina determinat ad futuritionem errorum.

383 Reſp. neg. ſequelam, ad prob. Dico ex *Sco.* ne dum *ſub 1.* ſed *in 1. ſent. diſt. 39. quæſt. Vn.* Quod intellectus diuinus circa obiecta ſecundaria ita ſe habet. Offendit voluntati omnia per modum poſſibilium non determinata, ſed neutra; et voluntas ea determinat, poteſtque ex condecentia ſuæ bonitatis hæc, et illa decernere. Quod autem poſt hoc decretum, nequeat oppoſitum agere, non afficit quia ipſamet

voluntas sibi imposuit necessitatem consequentiæ. In hoc ergo patet differentia inter intellectum diuinum, ac voluntatem tendentes circa obiectum primarium, ac secundarium. Quod ostenso obiecto primario, voluntas licet non naturaliter, sed liberè libertate essentiali, non contradictionis, in illud tendat; tamen necessariò tendit, quia id exigit summa bonitas obiecti, et summa rectitudo voluntatis. At circa secundaria, non ita se habet, sed ostensis naturaliter possibilibus, voluntas, summa cum libertate ad illa tendit, decernens eorum futuritionem cum omnibus circumstantijs.

Diuerso modo tendit voluntas diuina in obiectum primarium, & secundarium.

Ob. 2. Omne iustum emanans à Deo, debet esse conformæ primæ iustitiæ. Igitur si est iustum saluare Petrum, non saluare erit iniustum; quia primum est conforme primæ iustitiæ, seu rectitudini voluntatis Dei erga se, non verò secundum; & ideo si damnaret iniustè faceret.

Validum arg.

384 Resp. neg. conseq. Quia vtrumque esset iustum, & condecens rectitudini diuinæ voluntatis. huius rationem reddit *Scotus sub K.* Sicut in istis Politijs legislator respicit simpliciter per se, ac primario iustum boni publici, & secundum quid hoc, & illud particulare iustum, semper cum proportione ad publicum iustum, ita vt sit etiam iustum aliquando non seruare particulare iustum, dum, scilicet vergit in detrimentum publici iusti. Ita Deus simpliciter vult iustum publicum communicatis, quam ipse disponit, ac regit; ideoque bonum, quod respicit suam bonitatem; omnia alia autem bona, seu iusta sunt particularia, & secundum quid respiciuntur, & ideo nunc hoc, nunc illud est iustum secundum quod conuenit iusto simpliciter, nempe Dei rectitudini. Et sic, quia Petrum saluari est iustum particulare, & non ita necessario requiritur ad iustum publicum, quin oppositum eius possit esse conforme, et condecens diuinæ rectitudini, vtrumque potest esse iustum.

Quomodo decreta contraria in Deo essent ambo iusta, si particularia sint conformia communi iustitiæ

## §. 2.

## *An in Deo sit misericordia.*

Misericordia quid sit.

385 ADu. quod misericordia, est habitus, seu forma, qua quis non vult alterius miseriam. Duo ergo (inquit *Scotus*) includit misericordia vnum pro principali, scilicet inclinationem ad actum nolendi miseriam alterius, siue præsentem, siue futuram: aliud de consequenti, scilicet compassionem, seu displicentiam de tali miseria; ideoque misericors ex ethymologia dicitur *miserum cor habens*, id est communicans cum misero in miseria. Hoc stante

386 Dico 1. datur in Deo misericordia. Est de fide. *Scotus in 4. sent. dist. 46. quæst. 2.* et communis.

Datur misericordia in Deo.

387 Prob. ex *lib. Num. c. 14. 18. Patiens es Domine, & multæ misericordiæ, & ver. 19. Secundum magnitudinem misericordiæ tuæ*, ex 1. *Paralip. 16. 14 In æternum misericordia eius*, 2. *Paral. 7. In sæculum misericordia eius.* 1. *Esdræ* 3. 11. Idem habetur. *Tobiæ* 3. 2. *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas & iudicium. Iudith. 8. 17. Dicamus plenter Domino, vt faciat nobiscum misericordiam suam &c. & c. 13. 21. In sæculum misericordia eius. Iob 10 12. Vitam, & misericordiam tribuisti mihi.*

Ex vet. test. loca multa.

388 Prob. 2. ex *Psal. 5. 8 In multitudine misericordiæ tuæ. Psal. 16. Mirifica misericordias tuas. Psal 20. In misericordia altissimi non commouebitur. Psal. 32. Misericordia Domini plena est terra*, & alibi, nedum in Psalt. sed in tota Sacra Scriptura, fere infinities. Imo super omnia Dei attributa superexaltatur misericordia. *Et miserationes eius super omnia opera eius. Psal. 144. 9.*

389 Dico 2. Misericordia non reperitur in Deo secundum conceptum proprium compassionis, sed secundum conceptum nolendi miseriam, siue præsentem, siue futuram. Est *Scotus ibid. quæst. 2. B.*

Non est in Deo compassio formaliter, sed secundum principalem conceptum misericordiæ inest.

390 Prob. 1. pars. In Deo non potest esse passio: ergo neque compassio verè, & propriè, quæ est alterius miseriæ in proprio corde passio.

391 Prob. 2. ex *August. ad Simplicianum lib. 2. quæst. 2. B.* vbi sic habet. *Si de ira hominis detrabo turbulentum motum, vt remaneat vindictæ vigor, assurgo in nouitatem illius, quæ appellatur ira Dei. Item si de misericordia, si auferas compassionem, cum eius quem misereris participatus si miseria, vt remaneat tranquillitas boni subueniendi, & à miseria liberandi, insinuatur diuina misericordiæ qualiscumque cognitio.* Idem confirmat *in lib. contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 11. C.*

Ex August.

392 Confir. ex eodem *lib. 1. contra aduers. leg. & Propbet. cap. 20. B. & C.* Ira Dei non habet perturbari animi ardorem. Pœnitentia Dei non est per errorem. Misericordia Dei non habet compatientis miserum cor; Zelus Dei non habet mentis liuorem. Et *sub C.* ait, quando Deum pœnitet, non mutatur, et mutat. Quando irascitur, non mouetur, & vindicat; quando miseretur, non dolet, & liberat; quando zelat, non cruciatur, & cruciat: ergo.

Ex eodem.

Multæ virtutes in Deo sine imperfectione, quam habet in vobis.

393 Prob. 2. pars. De facto Deus liberat innumeros à malo præsenti, alios à futuro, & imminenti. Possent ad hoc probandum adduci innumera Sac. Scripturæ loca, in quibus eiusmodi liberationes referuntur; vnde exclamauerit Dauid *Psal 144.*

2. pars.

*Mi-*

*Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors suauis Dominus omnibus, & miserationes eius super omnia opera eius.* Ad Roman. 9. 15. *Moysi dixit Deus: miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor, itaque non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* & ver 23. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Loquitur autem de electis, & præmunitis a malo. 1. ep. ad Titum cap. 3. 5. *Secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis,* ex 1. Petri 3. *Benedictus Deus, &c. qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos.* In symbolo canit Ecclesia, propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, &c. Et tandem Saluator iubet, vt oremus, *Pater noster, &c. & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo;* Imò quisque potest in se experiri continuam hanc Dei misericordiam in bene operando, & recedendo à malo, *nam sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. 5. *Et nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* Ioan. 6. Ergo, quo ad hunc conceptum liberandi à malo præsenti, vel futuro siue animæ, siue corporis, verè & propriè in Deo est misericordia.

Multa loca pro hac misericordiæ diuinam in homines.

Ob. 1. In Deo non potest esse compassio: ergo. Conseq. prob. In hoc consistit conceptus misericordiæ, ex *Damasc. lib. 2. fid. orth. cap.* 13. & ex *August. lib.* 1. *ad Simplic. cap.* 20. Scilicet, vt sit compassio de malo alieno. Antec. prob. Passio est imperfectio.

Arg. contr.

394 Resp. neg. conseqn. ad probat. dist. antec. In eo consistit conceptus primarius, et intrinsecus, seu essentialis misericordiæ, nego. Secundarius, et à posteriori, concedo. Nam ait *Scotus sub D. ad arg.* Ex nolitione mali alterius oritur effectus ille dolendi, seu compatiendi. Deus ergo habet misericordiam secundum conceptum primarium, & essentialem; non autem secundum alium, cuius non est capax. Sicut dictum est de ira, pœnitentia, ac zelo, quæ omnia verè sunt in Deo, sed præcisis imperfectionibus, secundum quas sunt in homine.

Compassio non est primaria ratio misericordiæ.

Ob. 2. Misericors est promptus ad tollendam omnem miseriam, ad hoc enim inclinat misericordia; sicut iustitia ad tollendum omnem iniustitiam, & fortitudo ad tollendam pusillanimitatem, & ad resistendum arduis. Sed Deus non ita se habet ad tollendas hominum miserias. Si enim vellet, tolleret omnes.

Potest arg.

395 Respond. neg. min. ad probat. resp ex *Scoto in solut.* 2. Quod misericordia non semper inclinat ad tollendam miseriam, sed solum quando sic dictat recta ratio, à qua virtutes omnes regulantur. Sed recta ratio diuina sæpe ex regula iustitiæ dictat, non esse tollendam miseriam alicuius, sed in eo permittendam ad vindictam. Sic enim statuit iustitia cum misericordia; ideo mirum non est, si Deus diues in misericordia, non auferat omnem miseriam.

Misericordia inclinat ad tollendá miseriam, quando dictat recta ratio.

Instabis. Posset Deus impedire illud malum velle, ex quo insurgere debet obiectum iustitiæ vindicatiuæ, & hæc esset vera misericordia, impediens malum futurum creaturæ, non solum morale, sed Theologicum contra bonum supernaturale. Hoc autem non præstat Deus. Ergo non adest in eo misericordia, neque secundum primarium conceptum.

Instantia valida.

396 Resp. dist. mai. Posset, & debet impedire, nego. Posset absque debito, concedo; tum concessa minori, nego consequ. Ratio est, quia ex *Scoto sub C.* licet Deus voluntate antecedenti velit omne malum à creatura impediri, imò *velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ex epist. 1. ad Timot. cap. 2.* tamen voluntate consequente, non ita vult, sed decernit cooperari cum hominis voluntate, & ideo ex hoc decreto permittere tenetur, ex suppositione, ea quæ vult homo, siue bona, siue mala. Posset autem, si vellet, etiam voluntate consequente retrahere hominem a malo quocumque; sed ex primo decreto cooperandi, cum eius libero arbitrio, ad id non tenetur. Misericordia autem, inquit *Scotus*, non consistit in illa voluntate antecedente, sed in consequente, qua efficaciter impedit malum. Recta vero ratio diuina non dictat, vt semper, & in quocumque ita fiat. Proinde ex hoc capite Deus non est dicendus immisericors, sed potius prouidus, permittens secundas causas, præsertim liberas exequi motus suos, siue bonos, siue malos.

Deus potè impedire malum velle nostrum, quare non impedit.

Recta ratio Dei non dictat, vt semper impediat malum

397 Collige autem cum *Scoto sub D.* Duplicem assignandam esse in Deo misericordiam; prima dicenda est *liberans*, estque ea, quæ tollit malum præsens, & impedit futurum. Secunda est parcens, vel mitigans, estque illa, quæ non omne malum tollit, sed partem eius, alias partes promittens ex mutuo iustitiæ, quia scilicet meritis alicuius debitæ sunt.

Duplex in Deo misericordia liberans, & parcens, seu mitigans.

## §. 3.

### *An iustitia, & misericordia in Deo sint eadem res.*

In tract de attributis id expenditur.

398 ADu. Decisionem huius quæsiti, pendere à resolutione generalis quæsiti de attributis, an scilicet à diuina essentia, & inter se distinguantur realiter, vel alio modo. Quod diffusè, & luculenter discutit *Scotus in 1 sent. dist. 2. & dist. 8.* hic ergo obiter aliqua de his dicentur, vt scilicet ad rem præsentem concernunt.

Deus, quomodo ens simplex abijciens compositionem,

399 Adu. 2. & suppono ex eodem loco, Deum, cum omnibus prædicatis, quæ includit, siue primarijs, & constitutiuis, siue secundarijs, & attributalibus, siue personalibus, ac relatiuis, esse quidem ens simplex, omnem prorsus abijciens compositionem physicam ex materia, ac forma, & metaphysicam ex genere, & differentia, sed non esse ens simpliciter simplex, id est non admittens multiplicitatem prædicatorum, siue absolutorum, siue relatiuorum, quæ quidem, & ab essentia, & inter se sunt formaliter, seu ex natura rei, nullo scilicet intellectu cogitante, distincta, tamquam plures formalitates, essentiæ diuinæ, ex huius, vel etiam ex propria infinitate realiter identificata; non tamen realiter se habent, vt plures res, neque ab essentia, neque inter se distinctæ.

Iustitia, & misericordia in Deo sunt realiter idem. formaliter diuersę

400 Dico ergo. Iustitia, & misericordia in Deo non sunt formaliter, & ex natura rei idem, sed solum realiter. Est *Scoti, vbi supra, & in 1. sent. dist. 8. quæst. 4.* & omnium Scotistarum.

401 Prob. 1. in Sacra Scriptura. Ista attributa sumuntur, vt duo, & ita prædicantur de Deo *Psal. 39. Misericordia tua, & veritas tua, &c. Psal. 83. Misericordiam, & veritatem dilexisti. Psal. 84. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax osculata sunt. Psal. 88. Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam. Psal. 100. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Psal. 111. Misericors, & miserator, & iustus. Psal. 114. Misericors Dominus, & iustus. 2. Machab 1. Domine Deus, terribilis, fortis, iustus, & misericors, qui solus es bonus Rex, &c. Iacobi 2. Iudicium sine misericordia fiat ei, qui non fecit misericordiam.* Ergo de necessitate fatendum est, esse aliqua duo; alioquin nugario semper adesset, dum de Deo prædicetur iustitia, cum copulatione misericordiæ per ly &.

Dicuntur de Deo, vt aliqua distincta

Ratione obiecti.

402 Prob. 2. Iustitia habet pro obiecto primario Dei bonitatem; misericordia verò, miseriam creaturæ: ergo. Consequ. est euidens ab obiectis enim habitus, & potentiæ, à posteriori specificantur.

403 Prob. 3. In tota Scriptura reperitur, SS. Patres, ac Prophetas semper misericordiam pro se à Deo postulare, nunquam vero iustitiam innumera sunt loca ad hoc propositum. Imò Ecclesia pro defunctis orat Deum, ne intret in iudicium cum illis, sed misericordiam benignus exerceat. Et Iob dicebat, *quem iudicem sustinere nequeo, Saluatorem habere suspiro.* Cum igitur effectus iustitiæ diuersi sint ab effectibus misericordiæ, imò illis oppositi, quia ista vult tollere malum, illa vindicare, seu punire, habitus, seu virtutes, à quibus isti effectus procedunt, sunt diuersi.

Cassiodoro.

404 Prob. 4. ex *Cassiodoro in Psalm. 50.* hæ duæ res sunt in vijs Domini semper adiunctæ, misericordia, & iustitia.

Non sunt realiter distinctæ.

405 Prob. 2. pars, primo. In Deo non potest dari compositio, neque essentialis, neque accidentalis, per aggregationem. Id autem eueniret, si ista duo essent realiter distincta; duæ enim res facere non possunt vnum, nisi per compositionem, vel aggregationem: ergo.

406 Prob. 2. ex *D. Augustin. lib. 11. de Ciuitate Dei cap 10.* Eo simplex est Deus, quod est quidquid habet, & hoc de eo quod dicitur ad se; talis est misericordia, & iustitia. Ergo Deus est misericordia Deus, est iustitia Deus. Ergo hoc est illud. Quæ enim in abstracto dicuntur de tertio, & inter se, sunt idem realiter, & ratione infinitatis propriæ, vel subiecti, sic dicuntur.

Ob. contra 1. *Cassiodorus* relatus dicit esse duas res. Ergo sunt realiter distinctæ.

Quomodo dicuntur duæ res.

407 Resp. Per *res* intelligi res secundum quid, id est prædicata, seu formalitates, ac realitates. Non autem propriè res ab inuicem separatas, vel aptas separari, vel habentes proportionem cum ijs, quæ possunt separari, impediuntur autem ex causa intrinseca. Vt de toto, & partibus sustinemus.

Ob. 2. Si non ita distinguerentur, idem esset effectus vtriusque; sed hoc est falsum. Maior prob. Quia idem principium formale habet eundem effectum. Minor probatur. Quia effectus misericordiæ est liberare sine meritis; effectus iustitiæ saluare ob mærita, & damnare ob demærita.

Duo sunt principia actionum, sed formaliter tantum distincta.

408 Resp. nego sequelam, ad probat. Dicimus esse duo principia formalia, quia formaliter distincta, sicut intellectus, & voluntas; scientia, & prædestinatio, &c. Iustitia ergo est principium formale alicuius effectus, cuius non est principium misericordia, quia formaliter distinctæ.

Ob. 3. Deus est ens actualissimum, & includens omnem perfectionem diuinam: ergo istæ non sunt aliquo modo distinctæ, quia dum concipitur sub vna perfectione, non includeret aliam.

409 Resp. dist. anteced. Includit omnem perfectionem vnitiue, & identice, concedo;

Deus includit omnem perfectionē, saltem vniuoce, & identice.

cedo; formaliter tamquam vnam simplicem formalitatem, nego. Quia, quod est formaliter vnius rationis non potest formaliter continere plura diuersæ rationis. Licet ergo Deus realiter, ratione suæ infinitatis identificet sibi, & vniat omnem perfectionem, tamen ratione earum, non est vna simplex formalitas.

Ob. 4. Si essent formaliter distinctæ, essent duæ formalitates reales, & sic duæ realitates, ac res; nam quælibet formalitas, propria realitate est distincta.

Duæ res secundū quid sunt,

410 Respondet *Scotus* dupliciter. Primo concedendo totum de rebus secundum quid dictis, formalitates enim dici possunt res quatenus sunt aliquid positiuum, & non fictæ ab intellectu.

Respondet 2. neg. consequ. Quia plures formalitates non inferunt plures realitates (id est res) nam plures personæ diuinæ, non inferunt plures diuinitates. Sed subdit *Scotus*, prima responsio est realior: & paulò post, subdit, quod licet in Deo adsit vera identitas, cuiuscumque ad quodcumque loquendo de intrinsecis Dei, ex hoc tamen non sequitur identitas formalis inter ea, quia vera identitas realis plurium formalitatum, quæ sufficit ad ens summè simplex, stare potest cum non identitate formali.

## §. 4.

## *In quo consistat, & à quo sit damnatorum punitio.*

Punitio quid sit.

411 Adu. 1. ex *Scoto in 4. dist. 46. qu. 4. A.* Punitionem formaliter acceptam esse carentiam alicuius boni conuenientis; vel pœnitentiam alicuius mali disconuenientis. Et quia bonum est duplex honestum, & commodum, & vtrumque in alias rursus diuiditur species, totuplex potest in esse alicui malum, & totuplex pœna de illo; & consequenter totuplex punitio. Licet autem de punitione multa dicta sint in *art. vlt.* de pœnis damnatorum; quia tamen hic agendum est de causa efficiente punitionis, ab re non erit aliqua replicare, vt ordinate, & facilius intentum prosequamur,

Ratio dubitandi de causa efficiente punitionis.

412 Adu. 2. Rationem dubitandi de efficiente punitionis eam esse, quia inter cætera mala, & pœnas, quas patitur damnatus adest malum culpæ, seu hæc pœna damni, quod scilicet non possit benè operari, sed continuo ait in culpa, *superbia enim eorum, qui te oderunt ascendit semper, Psal. 73.* ideo videndum, quomodo possit Deus ad hoc malum, seu punitionem concurrere.

In quo consistat punitio

413 Dico 1. Punitio passiua, seu formalis consistit, in perceptibili carentia boni conuenientis in natura intellectuali, vel in perceptibili pœnitentia mali disconuenientis in eadem. Actiua verò punitio consistit in illatione talis carentiæ, vel pœnitentiæ. Ex *Scoto* habetur loco citato *sub A.* At nota, quod vtramque punitionem comprehendit *Scotus*, dicens *(carentia boni conuenientis, & pœnitentia mali disconuenientis*, docens, nempe punitionem, seu pœnam damni, esse carentiam boni; & punitionem, seu pœnam sensus, esse pœnitentiam mali.

formalis actiua, & passiua.

414 Prob. & declaratur prima pars. Damnati ex dictis in *art. 10. & seqq.* pœnam patiuntur, eò quia priuantur multis bonis, quorum erant capaces, & maximè ab eis appetebantur, vt sunt bona commoda, & bona honesta, quibus perpetuò carebunt. Et multis afficiuntur malis, quæ maximè oderunt: his autem ab eis remotis, nullam pœnam sentirent, neque punirentur. Ergo in his consistit eorum passiua, seu formalis punitio.

A priori ratio.

Quid sit supplicium in omni politia.

415 Conf. Supplicium in omni foro, seu politia in hoc præcisè consistit, vt, scilicet reus priuetur bonis, & afficiatur incommodis: ergo, Anteced. est euidens. Punitur enim qui bonis naturæ, fortunæ, vel ciuilibus, seu politicis priuatur. Vt v. gr. qui carceri mancipatur, & ibi lumine, lautis cibis, commercio amicorum, & cæteris naturæ oblectamentis priuatur. Item, qui exilio, relegatione, deportatione mulctatur: qui confiscationem bonorum patitur, qui gradibus, & dignitatibus in Republica spoliatur, & ad ea inhabilitatur. Præterea, si corporales aliæ superadantur pœnæ, carcerum, triremium, fustigationis, quassationis, equulei, aliorumuè tormentorum, vel etiam vltimum supplicium. Certè quolibet ex his modo castigatus, verè punitur. Nec in alio consistere potest punitio: ergo benè, & adæquatè definitur per carentiam boni conuenientis; vel per perceptibilem pœnitentiam mali disconuenientis.

Multa punitionum genera.

Punitio meritoriè est à damnato.

416 Dico 2. Punitio damnati, dispositiuè, & meritoriè est ab ipso damnato. Est communis cum fide.

417 Prob. 1. ex *Psal. 7. 80. Homo parauit laqueum, & peperit iniquitatem lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.* quem locum exagerat *S. Augustin. in Psal. 3.* vbi in verba illa, *Domine deduc me in tua iustitia.* ait, cum punit Deus peccatores, non malum suum eis infert, sed malis eorum eos dimittit. Et replicat præfata verba, *esse parturijt iniustitiam, &c.* & concludit. Cum ergo punit Deus, vt iudex punit eos, qui legem prætereunt, non eis inferens de se ipso malum, sed in id quod elegerunt eos expellens, ad complendam summam miseriarum.

Malo proprio punitur damnatus.

Conf.

Ex August.

418 Conf. ex cod. S. D. *in Psal.* 7. Vnicuique homini supplicium fit de peccato suo, et eius iniquitas in pœnam conuertitur. Nec putemus illam tranquillitatem, & ineffabile lumen Dei de se proferre, vnde peccata puniantur; sed ipsa peccata hi ordinare, vt quæ fuerunt delectamento homini peccanti, sint instrumenta Domino punienti.

Ex eodem.

419 Conf. 2. ex eodem *in lib. 8. de Gen. ad lit. cap.* 23. In se ipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eamdem ipsam iniquitatem suam.

420 Conf. 3. ex cod. *lib. 1. de Nupt. & concup. cap.* 23. Nulla erit damnationis causa, nisi peccatum.

Ex eodem.

421 Conf. 4. ex cod. *lib. 1. Confes. c.* 12. Iussisti, et sic est, vt pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus. Ergo punitio damnatorum dispositiuè, et demeritoriè est ab ipsis met damnatis ob proprios reatus peccatorum.

Ex eodem Augus.

422 Prob. ex eodem *lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 16. Nequaquam negandum est etiam ipsum æternum ignem pro diuersitate meritorum, quamuis malorum, alijs leuiorem, alijs futurum esse grauiorem, siue ipsius vis, atque ardor pro pœna digna cuiusque varietur, siue ipse æqualiter ardeat, sed non æquali molestia sentiatur.

Ex Iob:

423 Prob. ex *Iob* 20. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur, iuxta multitudinem ad inuentionem suarum, sic & sustinebit.*

Ex Hierem.

Prob. ex *Hierem.* 30. *Plaga inimici percussi te castigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua*: ergo.

Prob. ex *Sap.* 11. *Per quæ quis peccat, per hæc torquetur.*

Greg. Mag.

424 Prob. ex *D. Greg. lib. 4. Dial. cap.* 42. Vnus est gæhennæ ignis, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque etenim quantum exigit culpa, tantum sentitur pœna: et post aliqua. Illic in vno igne, non vnus est modus incendij, quia quod hic diuersitas corporum, hoc illic agit diuersitas peccatorum, vt et ignem non dissimilem habeant, & tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Ex Ambros.

425 Prob. ex *S. Ambr. in ep. ad Rom. c.* 5. Ver. *Sicut per vnum hominem*, est et alia mors, quæ secunda dicitur in gæhenna, quam non peccato Adæ patimur, sed eius occasione. proprijs peccatis acquirimus, &c.

Ex Rom. ep.

Prob tandem ex *Rom.* 2. 5. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Glossa Ord. Ver. *Thesaurizas*, ait, accumulas tibi vindictam deterius peccando. Ergo euidens est, quod peccator suis operibus sibi parat punitionem, & pœnam infernalem.

Ad pœnam culpæ, quomodo Deus concurrit permissiuè.

426 Dico 3. Ad pœnam culpæ, seu ad obstinationem in malo, quæ est perpetuo in damnato, Deus non concurrit positiuè, sed tantum negatiuè, seu permissiuè. Est *Scoti in 4. dist. 46. quæst. 4. D.* & communis.

Dei concursus ad peccatum qualis.

427 Prob. 1. ex tract. de concursu causæ primæ cum secunda; et tract. de peccatis. De quibus latè *Scotus in 2. sent. d. 37. qu. V n.* Deus non influit in malum culpæ; nam summum bonum non potest producere malum. Sed sicut permittit, vt homo vtatur libero arbitrio, & ita peccet; ita in damnatis permittit, vt perseuerent in ea pessima voluntate, in qua perierunt. Ipse autem peccator est totalis causa mali, non ponens in actu eam bonitatem, quæ ex præcepto deberet ei inesse. Vnde *Aug. lib. 1. confess. cap.* 12. habet. *Iussisti Domine, & ita est, vt pœna sit sibi omnis peccator.* Hinc *Psal.* 80. habetur. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum ibunt in adinuentionibus suis.* Ipse ergo damnatus est causa suæ punitionis, quo ad huius boni honesti priuationem; et quia in eo actu malo, saltem virtualiter perseuerat; et quia sibi met demeruit, ne Deus illud malum remittat, sed potius continuationem illius permittat, sicut et primam existentiam peccati eiusdem permisit.

Causa priuationis donorum supernaturalium, quæ.

428 Dico 4. Ad pœnam carentiæ donorum supernaturalium, et ipsius beatitudinis demæritoriè concurrit damnatus; Deus autem principaliter, sed negatiuè. Est *Scoti ibi E.*

429 Prob. prima pars. Ipse enim meruit, vt ijs priuaretur ob peccata commissa in termino vitæ: sicut alias dictum est.

430 Prob. 2. pars. Deus, qui posset ea bona concedere non concedit. Ergo Deus respectu huius pœnæ, se habet, vt causa totalis negatiua.

Ad detentionem in pœnis Deus effectiuè concurrit.

431 Dico 5. Ad pœnam detentionis passiuæ damnatorum in igne, & alijs tormentis, Deus concurrit effectiuè. Ignis vero, ad summum, formaliter. Est *Scoti ibidem E.*

432 Prob. Nullus locus, nullumque elementum habet virtutem, aut potestatem detinendi effectiuè locatum, vt experimento patet præsertim de animalibus; non enim determinantur à loco, vt sint ibi, neque ab eo prohibentur, vt alio se transferant, & maxime, cum perpetuitate manendi determinatè alicubi.

Ad pœnam sensus effectiuè Deus concurrit.

433 Dico 6. Ad pœnas sensus damnatorum effectiuè concurrit Deus est *Scoti* ibidem, & communis.

434 Prob. Si cessaret influxus causæ primæ in ignem, aliaque tormenta, quæ cruciant damnatos, cessarent illorum actiones in istos: ergo. Secundo, quia nullum agens creatum habet actionem perpetuam, nisi Deus miraculosè illud, eiusque actionem perpetuo conseruet. Ergo actio tormentorum cruciantium à Deo est princi-

pa-

paliter. Tertio, omnia tormenta inferni ex communi Theologorum sententia agunt, vt instrumentum diuinæ iustitiæ: in omni autem actione instrumentali, agens vtens instrumento est, qui agit principaliter: ergo.

435 Prob. 2. ex seq. concluſ quæ est ad idem.

Ad tristitiã quomodo Deus concurrit.

436 Dico 7. Ad pœnas omnium cruciatuum, & tristitiarum, quas patitur damnatus, concurrit Deus principaliter ſuppoſita apprehenſione, & nolitione ipſius damnati. Est *Scoti ibid.*

Quas tristitias habeat damnatores,

437 Prob. & declaratur. Damnatus, vt dictum est in superioribus multas patitur tristitias; & quia detinetur in loco illo determinato; & quia impeditur, nè alio possit se conferre; & quia prohibetur, nè possit benè operari, ac fructuosè pœnitere; & quia spoliatus est omnibus donis supernaturalibus; & tandem quia perpetuò priuatus est Dei visione, ac fruitione. Eius modi autem tristitiæ eatenus in eo causantur, quia apprehendit ea obiecta, eaque non vult, & tamen ipſo nolente, sunt sibi coniuncta: igitur apprehenſio, & nolitio eorum sunt prærequiſita. Quod verò ea semper consideret, nec possit alio diuertere; item, & quod ea nolit, nec possit velle, oritur à Deo non dante concurſum ad alios actus, & positiuè concurrente ad eos determinatos, magis minusuè intensè iuxta pœnam tristitiæ infligendam ex proportione demæritorum.

Ex S. Script. omnis pœna inflictione est a Deo.

438 Prob. 2. de omni pœna sensus, ex *Isa.* 50. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in flammis, quas succendiſtis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.* *Deuter.* 32. habetur. *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.* & *Sap.* 4. *Disrumpet illos inflatos sine voce, &c. Iudith* 16. *Dominus omnipotens vindicabit in illos, & in die iudicij visitabit illos, dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* *Hier.* 30. *Insanabilis facta est plaga tua;* & post. *Plaga enim inimici percuſſi te castigatione crudeli; propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. Quid clamas? &c. propter dura peccata tua hæc fecit tibi.* Ergo Deus positiuè concurrit ad omnes pœnas afflictiones, cruciatus, ac tristitias, quas damnati in inferno patiuntur. Alioquin durare non possent, cum omne creatum ex se ipſo defectibile sit.

## §. 5.

### *An hæc damnatorum punitio sit iusta.*

439 ADu. Iustitiam, vel iniustitiam in eiusmodi punitione, ex triplici capite posse procedere. Primo, ex intensione pœnarum. Secundo, extensione earumdem. Tertio, ex Dei desertione. Et ideo de qualibet pœna, tam sensus, quam damni individualiter est differendum.

Obstinatio in malo iustè inest damnatis.

440 Dico 1. Prima pœna damnati, nempe derelictio in peccato, seu continuatio, ac obstinatio in malo (quomodocumque dicatur infligi) iustè infligitur. Est communis de fide, cum *Scoto in 4. dist. 46. qu. 4. §. De tertio F.* quia iustum est Dei iudicium. Dixi quomodocumque dicatur infligi, quia positiuè, vt in præcedenti §. dictum est, à Deo non infligitur, cum sit culpa; sed sicut ab ipſo peccatore in termino viæ fuit commiſſa, & à Deo ſolum permiſſa, ita se habet eius continuatio.

Ex S. Script. Deus omnia iuste operatur.

441 Prob. 1. De fide est Deum cum summa iustitia operari. Ergo, sicut iustè permittit aliquem peccare, iustè quoque permittit eius peccatum continuari. Anteced. patuit in §. 1. & probatur vlterius, ex *Iob* 37. 23. *Deus magnus fortitudine, & iudicio, & iustitia.* *Pſal.* 9. 5 *Qui iudicas iuſtitiam,* & *ver.* 9. *Iudicabit populos in iuſtitia.* *Pſal.* 10. *Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit.* *Pſal.* 47. *Iuſtitia plena est dextera eius.* *Pſal.* 96. *Iuſtitia, & iudicium correctio ſedis tuæ.* *Pſal.* 110. *Iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* *Pſal.* 142. *Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum.* *Pſal* 118. *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum,* *Pſal* 144. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis,* & *Pſal.* 24 *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* & Gloſſæ omnes pro veritate accipiunt iuſtitiam, ad *Heb* 2. *Omnis prævaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem:* ergo. Cum Deus in omni opere ſuo iuſtitiam ſeruet, id etiam præſtat in punitione damnatorum. Et hæc ratio probat de omni punitione, ſeu pœna, qua damnati cruciantur.

Quomodo Deus iuste derelinquit damnatos in peccato.

442 Prob. Nunc de iſta derelictione. Statuit legem Deus, vt in quocumque ſtatu moriatur homo in eo permanebit. Ergo cum derelinquit damnatos in ſua culpa, iuſtè derelinquit. Anteced. prob. ex *Eccleſiaſtes* 11. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut Aquilonem in quocumque loco ceciderit ibi erit.* Interlin. Ver. *Ceciderit*, ait, in fine. Ver. *Lignum*, ait *homo*. Ver. *Auſtrum*, dicit, *in calore charitatis ſpiritus Sancti.* Ver. *Ad Aquilonem*, ait, *in frigore infidelitatis*, & tandem Ver. *Ceciderit* 2. dicit,

cit, *moriendo*. Gloſſa Ordinar. dicit, *locum, quem hic tibi præparaueris in futuro habebis*. Ergo, cum in ſtatu peccati mortalis damnatus deceſſerit, ex Dei lege lata, iuſtè ibi erit.

Multa loca Script. ad idem.

443 Prob. 3. ex *Sapien.* 11. 17. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*. Ergo, cum damnatus in obſtinatione peccauerit, non ſe conuertendo ante mortem, per eam iuſtè torquetur.

444 Prob. 4. ex *Sap.* 12. 23. *Vnde, & illis, qui in vita ſua inſenſatè, & iniuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedifti ſumma tormenta*. Ergo iuſtè derelinquitur damnatus in auerſione à Deo, cum eam in vita coluerit.

445 Prob. 5. Ex parte damnati iuſtum eſt, vt Deus non dimittat peccatum, ſed derelinquat in illo eum, qui vſque ad terminum vitæ permanſit in eo ſine pœnitentia, & cuius voluntas continuò voluntariè malè vult. Sic ſe habet damnatus: ergo.

446 Conſ. ex *Scoto ſub F.* Iuſtum eſt continuantem ex ſe in malitia, per alium non liberari; & maximè quando potuit derelinquere malitiam, habuitque ad hoc tempus præciſum, ac taxatum, noluitque malum omittere.

Réſunditur in damnatú eius derelictio.

447 Conſ. 2. ex *Scoto ibid* Qui per ſuam culpam ſe præcipitat in impotentiam euadendi, nedum per ſe ipſum, ſed per eum quem offendit, iuſtè deſeritur in illa impotentia. Sicut, qui ſe voluntariè in foueam præcipitat, neque per ſuas vires poteſt ex ea euadere, nec alio modo, niſi per eum, quem actu contemnit; dum ſe præcipitat, iuſtè poteſt in fouea illa derelinqui. Sic ſe habet damnatus, ipſe enim offendens Deũ ſcit, ſe non poſſe à peccato ſurgere, niſi Dei adiutorio, & probabiliter timet de termino viæ, cum incertus ſit, & tamen nedum peccat ſciens, & volens, ſed in reliquo tempore viæ perſeuerat non diſponendo ſe de congruo cum Dei auxilio ad fructuoſam pœnitentiam. Ergo iuſtè in fouea illa peccati derelinquitur.

Pœna damni iuſtè infligitur.

448 Dico 2. Secunda pœna damnati, quæ eſt damni, ſeu carentiæ donorum ſupernaturalium, ac beatitudinis, iuſtè infligitur. Eſt de fide, & *Scoti ibid. ſub G.*

449 Prob. 1. Sicut præcedens; quia opera Dei iuſta ſunt, neque poteſt in eo admitti iniquitas, ex *Roman. 9. Numquid iniquitas eſt apud Deum?* & ex cæteris locis Scripturæ nuper allatis.

Ratio cur iuſtè.

450 Prob. 2. ex 1. *Reg.* 2. *Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Ambroſius lib. de Paradiſo cap* 15. ait, contemptores mei honore priuabuntur. Lyran. in ſupracitato loco, inquit, deijcientur à ſtatu ſuæ dignitatis. Cum ergo homo ex Dei beneuolentia fuerit in ſtatu gratiæ, & donorum, ac Theologicarum, vel etiam moralium virtutum conſtitutus, vt ad vltimum finem meritoriè per ea tendat; ſi ijs vti nolùit, iuſtè in ſui damnatione illis priuatur.

451 Prob. 3. Dona illa ſupernaturalia eſſent in damnato fruſtratoria; cum non poſſit amplius eis vti, ob ſtatus immobilitatem. Ergo iuſtè illis ſpoliatur.

452 Prob. 4. ex paritate. *D. Auguſt. in lib.* 21. *de Ciuitate cap.* 11. ait, iuſtè priuatur honore, & gradibus Reipublicæ, imò & cohabitatione, qui in eam delinquit: ergo. Idem dicendum eſt de gradibus, & honore Chriſtianæ ſupernaturalis Reipublicæ.

453 Prob. Pariter de damno beatitudinis eodem medio. Hæc enim pœna ſtabilita eſt contra auertentem ſe ab vltimo fine. In hoc enim ait *Auguſtinus*, eſt maxima peruerſitas, vt ſcilicet quis vtatur fruendis, & fruatur vtendis. Cum autem peccans auertit ſe à Deo, & conuertitur ad creaturam, conſtituit in hac rationem vltimi finis, & propterea mæretur pro ſemper priuari vltimo fine. Ideo *Auguſtinus lib.* 21. *de Ciuitate cap.* 12. ait. *Pœna æterna ideo dura, & iniuſta ſenſibus videtur humanis, quia in hac infirmitate moribundorum ſenſuum, deeſt illa ſenſus altiſſima pariſſimaque ſapientia, quo ſentiri poſſit quantum nefas in illa prima prænaricatione commiſſum ſit. Quantum enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate deliquit in Deum, & factus eſt malo dignus æterno, qui hoc in ſe peremit bonum, quod poſſit eſſe æternum.* Quod verò de Adamo dicitur, de omni peccante mortaliter dicendum eſt.

Idem dicendum de dãno beatitudinis.

Iuſtè priuatur viſione Dei, ac fruitione,

454 Conſ. ex *D. Gregor. lib.* 4. *Dialog. cap.* 44. vbi interrogatus à Petro, quomodo iuſtum ſit quod culpa, quæ cum fine perpetrata eſt, ſine fine puniatur, reſpondet, *iniqui, ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; nam voluiſſent vtique ſine fine viuere, vt potuiſſent ſine fine peccare. Offendunt enim, quia in peccato ſemper viuere cupiunt, qui numquam deſinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iuſtitiam iudicantis pertinet, vt numquam careant ſupplicio, qui in hac vita numquam carere voluerunt peccato.* Ergo priuatio æternæ beatitudinis, iuſtè infligitur.

Greg. Mag. euidenter id probat.

455 Dico 3. Pœna ſenſus damnati, Iuſta etiam eſt. Eſt communis cum *Scoto diſtinct.* 46. *quæſt.* 4.

Pœna ſenſus iuſta.

456 Prob. ex *Apocal.* 18. *Quantum ſe glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

457 Prob. 2. ex *S. Auguſtin. lib. de nat. boni cap.* 9. Melius ordinatur natura, vt iuſtè doleat in ſupplicio, quam vt impunè gaudeat in peccato, vnde per iuſtitiam Dei etiam cruciatus conſequitur. Quid enim tam iniquum, quam, vt benè ſit deſertori boni? Neque vllo modo fieri poteſt, vt ita ſit, ſed aliquando amiſſi ſuperioris boni non ſentitur malum, dum habetur quod amatum eſt inferius bonum. Sed diuina

ex Auguſt.

iu-

iustitia est, vt qui voluntate amisit, quod amare debuit, amittat cum dolore, quod amauit. Hæc *August.*

458 Prob. 3. Non potest Deus, nisi iustè iudicare. Ergo, cum ex *Matth.* 25. iudicet, reprobos æterna pœna ignis puniendos, iustè hæc infligitur.

A pari arg. 459 Prob. 4. Eodem modo pœna respicit culpam, quomodo præmium respicit meritum: sed vita æterna, quæ est præmium mærentium, iustè retribuitur: ergo, & pœna sensus, quæ delinquentibus infligitur.

Dignitas pœnæ, vnde, 460 Prob. 5. ex 5. *Ethic. cap.* 3. Pœna iustè taxatur, si iuxta dignitatem eius, in quem delinquitur taxatur. Ergo, cum peccans in Deum offendat maiestatem infinitam, dignus est pœna infinita, saltem extensiuè, cum nequeat dari infinita pœna intensiuè.

461 Probari potest ex proportione delectationis inordinatæ, quam quis habuit peccando; & sicut sensus expertus est delectationem, ita dignus est, vt experiatur cruciatum.

462 Prob. tandem omnibus medijs, quibus in *art.* 13. ostensum est pœnam æternam, siue damni, siue sensus esse peccato mortali proportionatam.

Arg. contr. Ob. contra omnes. Primo, nulla iustitia exigit, vt pro temporali retribuatur æternum: non enim hæc duo sunt proportionabilia. Neque instantia de præmio æternæ vitæ est ad rem, quia ibi non iustitia, sed misericordia, & liberalitas exercetur; iustitia enim respicit æqualitatem.

Quomodo temporale proportionatur æterno. 463 Resp. dist. anteced. Si temporale non habeat intrinsecè respectum ad æternum, concedo. si habeat, nego. In nostro autem casu adest hic respectus; nam peccans auertit se à fine, & bono æterno, ipsumque offendit. Mirum ergo non est, si æterno supplicio puniatur. Non enim ait *August.* quantitas peccati attenditur, sed in quem peccauit.

Ob. 2. Sicut se habet præmium ad meritum, ita supplicium ad demeritum, sed si præmium excedat meritum iustitia non est: ergo, etiam si supplicium excedat demeritum. Ita est in casu; nam tot, tantæque pœnæ excedunt quanticatem delectationis peccaminosæ.

464 Resp. neg. min. Tales enim tantæque pœnæ iam stabilitæ sunt contra peccantes finaliter, & non retractantes. Igitur nulla fit iniustitia sic delinquenti, si talibus pœnis plectatur. Vt patet de pœnis, & supplicijs in humana Republica.

Instab. Est contra iustitiam, vt tales, tantæque pœnæ taxatæ sint contra vnum mortale peccatum. Hoc enim in se est finitum, & tempore finito durans: ergo.

Quare non est contra iustitiam, vt 465 Resp. neg. anteced. ad prob. neg. conseq. Non enim attenditur mora delicti, sed qualitas, & contra quid delinquitur; imo *S. August. lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 11. in principio, ait, *iustitia legis non offendit, vt tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis vnde puniretur admisit.* Et multa adducit de eiusmodi pœnis exemplo, vt de fustigatione eius, qui mulierem semel osculatur; de vinculis diuturnis serui, qui gestu, vel verbo Dominum offendit. De ignominia, exilio, damno, &c. eius, qui breui spatio, vel occidit, vel furatus est. De vltimo supplicio, per quod quis priuatur æternaliter societate ciuium. Ita de Dei offensa dicendum est; potuit enim Deus hanc taxare pœnam contra peccantes mortaliter, vt æterno supplicio punirentur. Quia ab æterno bono se auertunt, & in illo actu auersionis æternaliter perseuerant.

tales pœnæ taxatæ sint pro mortali.

Dices. Hoc videtur iniustum, vt non permittatur peccatori tempus retractandi peccatum ante finem vitæ. Ergo hæc taxatio pœnæ videtur iniusta.

Iustè non conceditur tempus ad pœnitendū.

466 Resp neg. anteced. Cum enim Deus nulli debeat, & terminos vitæ cuicuique, cum naturalium causarum concursu constituerit ex *Iob* 14. statuit, vt si quis intra vitæ terminum peccans, non retractet, pœna puniatur æterna. Qui ergo peccans non retractat, se ipsum voluntarie damnationi æterni supplicij exponit.

Ob. 3. Ex *Matth.* 7. *& Luca* 6. ait Saluator, *eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur, & vobis.* Eiusmodi autem pœnæ non sunt eiusdem mensuræ cum peccatis, neque quoad delectationem, cui correspondet cruciatus, neque quoad durationem, cui æternitas: ergo,

Mensura de qua loquitur Saluator, quæ sit ex August. 467 Resp. ex *S. August. lib.* 21. *de Ciuit. cap.* 11. in fine, dictum Saluatoris dupliciter intelligi. Primo sic *eadem mensura, &c.* id est si mala feceritis, mala patiemini. Secundo intelligi propriè de iudicijs, & condemnationibus, de his enim ibi loquitur, *eadem mensura, &c.* id est qui iudicat, & condemnat iniustè iudicabitur, & condemnabitur iustè; & quamuis fecerit damnatione, quod iniquum est, patiatur damnatione, quod iustum est. hæc *Aug.*

468 Addi potest, neg. min. Hæc enim est mensura peccantium, vt æternè crucientur, & qui plura addiderit peccata grauius, & acerbius crucietur.

## §. 6.

### *An, & quomodo in hac grauissima punitione concurrat misericordia.*

In punitione malorum Deus vtitur misericordia,

469 Dico 1. In punitione malorum Deus vtitur etiam misericordia. Est de fide. *Scoti in 4. dist. 46. quæst. 4. 9. De quarto. D. Thom. in 4. dist. 46. quæst 2. ar. 2. D. Bonauent. distinct. 46. part. 2. quæst. 1. 2. & 4.*

470 Prob. 1. In omni iudicio Deus vtitur misericordia, & iustitia: ergo. Anteced. prob. Ex *Psal. 24. Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Psal. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi.* Psal. 142. *In misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.* Consequ. est euidens; non enim assignari potest ratio, cur in finali iudicio, & damnatione impiorum, misericordia non vtetur.

Deus semper vtitur misericordia,

471 Prob. 2. ex *Iacobi 2. Misericordia superexaltat iudicium:* ergo.

472 Prob. 3. Dei proprium est misereri, vt supra probatum est, & Ecclesia sæpè id canit, *Deus tuum proprium est misereri semper, & parcere:* ergo.

473 Prob. 4. *Prou. 20. Misericordia, & veritas custodiunt Regem.* Ergo his semper vtitur Deus.

Ex Hieron.

474 Prob. 5. ex *D. Hier. in cap. 66. Isa.* in fine, vbi impugnans eos, qui negant æternitatem pœnarum, quasi incongruam diuinæ clementiæ; sic concludit. *Quod nos Dei solius debemus scientiæ relinquere, cuius non solum misericordia, sed & tormenta in pondere sunt. Solumque dicamus Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Et sicut diaboli, & omnium impiorum, qui dixerunt in corde suo non est Deus, credimus æterna tormenta, sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicij.* hæc *Hier.*

Ex August. Misericordia Dei in inferno, quam fert.

475 Prob. 6. ex *August. lib. 21. de Ciuit. cap. 24. F.* vbi exponens illud *Psal. 76. Numquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas,* dicit hoc intelligi de hominibus in via, & post mortem, sed de electis. Deinde, ait. Sed quibus placet istam sententiam vsque ad illa impiorum tormenta protendere. Saltem sic intelligatur manente in eis ira Dei, quę æterno est prænunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira suamiserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt, pœnarum atrocitate cruciari. Et vt eas mitiores leuioresque, quam sunt eorum mærita patiantur. Sic enim, & ira Dei manebit, & ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Hæc *Augustinus.*

476 Prob. 7. ex Glossa *Cassiod. in Psal. 24. Vniuersæ viæ Domini, &c.* sic dicente. Hæc duo, nempe misericordia, & veritas in omni opere Domini simul sunt, & si non nobis manifestè appareant. Ergo etiam in punitione damnatorum.

Ex vet. test.

477 Prob. 8. ex *Habacuch 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Tempus autem iræ Dei, potissimum est tempus iudicij, in quo impios iudicabit, ac damnabit. Ergo tunc etiam misericordiam exercebit.

Actus iustitiæ vindicatiuæ minimus.

478 Prob. 9. Actus iustitiæ vindicatiuæ est infimus inter omnes virtutum actus, quia numquam debet esse medij electiuus, sicut actus præmiationis; imò non debet multum participare de voluntario, magna enim electio vindicandi, ad crudelitatem declinat. Ergo, vt sit in Deo perfectus, debet esse cum misericordia coniunctus. Eò vel maximè, quia perfectior est actus prouenies à duplici virtute, iustitia scilicet & misericordia, quam actus prouenies à simplici vindicatiua iustitia.

In æternum misericordia Dei.

480 Prob. 10. ex *Psal. 105. Quoniam in sæculum misericordia eius,* & ex *Psal. 135.* vbi Dauid per 27. vices replicat, *quoniam in æternum misericordia eius.* At non potest in æternum habere aliud obiectum misericordiæ, nisi damnatos: ergo.

In hoc consistit misericordia Dei erga damnatos, quia punit citra condignum, & eos non annihilat.

481 Dico 2. Misericordia, quam Deus exercet cum damnatis in his potissimè videtur consistere; quia scilicet posset eos annihilare, si vellet; & quia punit citra condignum, reddens pœnas leuiores, ac mitiores, quam mæreantur eorum demerita. Ex *Scoto* colligitur *in 4. dist. 46. quæst. 4. N. & Q.*

482 Prob. 1. ex *Iob 20. 18.* vbi prædicens omnia mala, quæ reprobis imminent in inferno, inter cætera ait. *Luet, quæ fecit omnia, nec tamen consumetur; iuxta multitudinem adinuentionum suarum, sic & sustinebit.* Magna ergo est Dei misericordia, quod non consumantur, & annihilentur damnati.

483 Prob. 2. ex *Thren. 3. 22.* vbi Hieremias pro maxima Dei misericordia habet, populum non esse consumptum. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Ergo maxima in damnatos exercetur misericordia, quod non destruantur, seu annihilentur.

S. August.

484 Prob. 3. ex nuper allegato Augustini loco n. 476. In inferno Deus non continebit in ira sua misericordias suas, id est faciet eos, nempe damnatos, non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari; sed, vt eas mitiores, quam mærita sunt eorum, leuioresque patiantur. Sic enim, & ira Dei manebit, & ipsa ira miserationes suas non continebit: ergo.

485 Prob. 4. ex communi Theolog. &

Ex-

Ecclesiæ axiomate. Deus præmiat vltra condignum, & punit citra condignum: ergo.

A sufficienti argum.

486 Prob. 5. ex *Psal* 144. *Miserationes Dei supra omnia opera eius.* Ergo, cum non appareat in quo eas exerceat cum damnatis, nisi in pœnarum inferendarum mitigatione, & in conseruatione eorum, sic est dicendum; quia ex *Iacobi* 2. *Misericordia superexaltat iudicium.*

Arg. contr.

Ob. 1. contra 1. ex *Ecclesiastici* 40. *Furor, zelus tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, &c.* Glossa Interl. dicit, *ibi nullus ordo, sed sempiternus horror. Iudicij perpetuum incendium, nulla ibi pax, nulla doloris mitigatio, &c.* Ergo cum damnatis, nulla exercetur misericordia.

Etiò pœnæ non interrumpantur tamè sunt leuiores.

487 Resp. neg. consequ. Aliud enim est, quod pœnæ taxatæ non interrumpantur, vt aliquando non sentiantur, & aliud est, quod non sint leuiores, ac mitiores antequam taxentur in damnatis. Hoc secundum, ex Dei misericordia concedimus.

Argum. ex iudicio iusto

Ob. 2. Si misericordia miscetur cum iustitia, destruitur iudicium iustum: ergo, cum in Deo puniente damnatos admittendum sit iudicium iustum, non potest admisceri misericordia. Prob. sequela. Iudicium iustum exigit, vt inferatur pœna proportionata delicto: sed si aliquid de ea diminuatur, non erit proportionata: ergo.

Pœna non proportionata non est contra iustitiam,

488 Resp. neg. sequelam, ad probat. nego consequentiam. Aliud enim est non esse proportionatum iustitiæ, & aliud esse contra eam, seu eius destructiuam. Ita *Scotus in distinct. 46. quæst. 4. N.* dicens, sicut dare bonum indebitum non est contra iustitiam, quia est actus liberalitatis, qui non repugnat iustitiæ, & solum subtrahere bonum debitum est contra iustitiam; ita non inferre tantum malum, quantum mæretur delictum non est contra iustitiam; sed inferre malum vltra debitum, est contra iustitiam.

Instab. Si subtractio de malo debito non esset contra iustitiam, sequitur, quod non inferre vllum malum delicto non esset contra iustitiam; sicut neque esset contra iustitiam dare maximum bonum indebitum. Prob. sequela ant. Si culpæ intensæ, vt tria, non infertur pœna, nisi vt vnum, & non fit iniustitia; neque fiet, si neque illud vnum inferatur; non enim est maior ratio, quod iustitia stet absque illatione mali duorum gradnum, & non stet absque illatione illius tertij, cum æquè respiciat omnes tres gradus mali inferendos.

Iustitia habet latitudinem.

489 Resp. 1. neg. sequelam. Iustitia enim habet latitudinem suam, extra quam si fiat, erit iniustitia. Exigit ergo iustitia vindicatiua pura, vt omnes gradus pœnæ inferantur per delicto. Et hoc in iudice; at iustitia, cum misericordia in Principe exigit quidem, vt delictum puniatur, at cum mitigatione pœnæ. Ideo si remittatur aliquis gradus, dummodo alij inferantur, saluatur ratio iustitiæ misericordis. Si verò nullus gradus inferretur, nulla appareret species vindicatiuæ iustitiæ.

490 Resp. 2. Quod, sicut voluntas Dei est ipsa met iustitia per essentiam; & quidquid Deus vult, iustè vult: ita si dimitteret totam culpam, sine vllo gradu pœnè, adhuc iustè faceret, sed non secundum regulas ordinariæ, seu præsentis iustitiæ.

Ob. 3. Ex *Deuter* 25. *Secundum modum delicti, erit & plagarum modus.* Ergo pura iustitia, sine misericordia cum damnatis exercetur.

Locus scrip. non est ad rem,

491 Resp. neg. consequ. Nam antecedens non intelligitur de iustitia exercenda cum damnatis; sed de lege seruanda à populo hebræo in gubernatione, & regimine Reipublicæ Iudaicæ. Sic enim ait, *pro mensura peccati erit, & plagarum modus, ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus.* Ergo non est ad rem. Deinde etiam si nostro aptetur proposito, adhuc dicendum intelligi de qualitate pœnæ, non de quantitate.

Ob. 4. Ex *Sap.* 19. 1. *Impijs autem vsque in diem nouissimum sine misericordia ira superuenit:* ergo.

492 Resp. neg. consequ. nam anteced. loquitur de misericordia liberante. Nam ita subdit textus, *præscibat enim, & futura illorum, &c. adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumentum mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, &c.* & de hac misericordia liberante Glossa declarans illud *Ps* 118. *Prope es tu Domine, & omnes via tua veritas*, ait, vbi Deus non miseretur vindicta datur; nam quos non liberat, ob eorum demarita damnat. At non intel igitur de misericordia diminuente, pœnam delicto debitam.

Iudicium sine misericordia, quale est.

Ob. 5. Ex *Iacobi* 2. *Iudicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam,* Sed damnati, saltem Christiani, ij præcipue sunt, qui non fecerunt misericordiam, ex *Matth.* 25. *Esurini, & non dedisti mihi manducare, sitiui, &c. nudus eram, infirmus fui, &c.* & istis dicet, *ite maledicti in ignem æternum.* Ergo cum istis non exercebitur misericordia.

Intelligitur de misericordia liberante,

493 Resp. Sicut supra intelligi de misericordia liberante; nam immisericordes damnabuntur. Est autem in Scriptura frequens eiusmodi phrasis, vt electi dicantur vasa misericordiæ, & apud Apostolum sæpissimè *Rom.* 9. ex *Exodi* 33. *Miserebor, cui misertus sum, & misericordiam præstabo cuius miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* & post aliqua. *Igitur cuius vult miseretur, & quem vult indurat:* & post. *Vt ostenderet diuitias glo-*

*gloria sua in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Et est valde familiare Apostolo, & Patribus præsertim Augustino hic modus loquendi, vt misericordiam consecuti dicantur electi, & vasa misericordiæ; vasa iræ reprobi. Hanc ergo misericordiam liberantem non experientur reprobi, sed misericordiam mitigantem, seu diminuentem pœnam.

Hæc non est in damnatis.

Ob. 6. De damnatis dicitur *Apocal.* 18. *Quoniam pertransierunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius, reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Cum ergo applicanda sit pœna iuxta proportionem peccatorum, nullus aderit misericordiæ locus.

Locus scriptantum, & quantum, quomodo intelligitur.

494 Resp. ex *Scoto dist.* 46. *quæst.* 4. in calce, neg. conseq. nam in antec. tantum, & quantum stant proportionaliter, & non significant æqualitatem, & se tenent ex parte peccantium, id est, qui plus se inordinatè glorificauit, plus habebit de tormento, quam qui se minus glorificauit. At vterque cum misericordia punietur. Sicut à pari, licet præmium in Beatis excedat meritum, adhuc tamen proportionaliter vnus magis, quam alius præmiatur.

Ob. 7. Si Deus cum damnatis exerceret misericordiam, à pœnis omninò liberaret. Nam misericordis proprietas est esse promptum ad compatiendum, & tollendum alienam miseriam; sed hoc non euenit in damnatis: ergo.

Misericordia non semper aufert totam miseriam.

495 Resp. neg. sequelam, ad probat. dicit *Scotus in dist.* 46. *quæst.* 2. in fine, quod misericors non subleuat miseriam, nisi secundum rectam rationem. At recta ratio dictat, vt à damnatis non tollatur omnis miseria, quia debet etiam exerceri iustitia: & ideo omnem non tollit.

Misericordia mitigante Deus vtitur in inferno.

496 Resp. 2. ex eodem *ibid. B.* quod duplex misericordia assignanda est in Deo, vt supra dictum, quædam totaliter liberans à miseria; & quædam mitigans, seu parcens. Prima vtitur, cum in hac vita electos à seruitute diaboli liberat, vel ab omni alio malo imminente, seu præsente defendit. Secunda verò, cum punit, vel in hac, vel in alia vita, sed tamen citra condignum demeriti. Hanc exercet in damnatis.

## ARTICVLVS XV.

### *An damnati habere possint aliquod bonum velle.*

Scoti mens.

SCOTVS *in* 4. *sent. dist.* 46. *qu.* 4. *F. & G.* negatiuè videtur quæsitum hoc resoluere; nam assignans rationem, cur derelictio in peccato sit pœna iusta damnati, ait hoc esse, *vel quia voluntas eius continuè male vult*; vel, &c. ita *sub T.* deinde *sub G.* ait. *Damnatus continuè est in aliquo malo velle.*

497 Adu. Quæsitum hoc intelligi de omni bono, tam supernaturali, quam mere morali, & naturali.

Damnatus non potest velle bene supernaturaliter.

498 Dico 1. Damnati non possunt exercere aliquem actum supernaturaliter bonum. Est communis, & patet ex *art.* 11. *est Scoti*, vbi in principio.

Actus supernaturales ex duplici principio esse possunt.

499 Prob. Habere non possunt actus procedentes ab ipsismet habitibus supernaturalibus; neque disponentes ad eos: ergo. Consequ. prob. Dupliciter enim potest homo actus supernaturales, vt fidei, spei, &c. elicere, vel ex inclinatione habituum, quos aliquis habet; vel carens illis exercere actus disponentes ad eos, vt catechumenus, v. gr. vel hæreticus, desperatus, & quiuis alius peccator disponens se ad pœnitentiam, per actus credendi, diligendi, & sperandi se disponit, qui quidem actus ex habitibus non proueniunt, sed ex actuali Spiritus Sancti inspiratione, & adiutorio, vt ex *Tridentino sess.* 6. *can.* 3. habetur. Anteced. prob. De primo damnati in sui damnatione spoliantur hisce donis supernaturalibus. Si enim fides, & spes in termino vitæ euacuantur etiam in electis, in quibus sola charitas remanet, ex 1. *Cor.* 13. *Charitas numquam excidit*; multò magis euacuantur in damnatis, non quidem per contrarium scilicet visionem, & possessionem vltimi finis, ac summi boni; sed per spoliationem earumdem; peccans enim amisit charitatem; & si spem retinuisset, adhuc per desperationem salutis eam amitteret. Adde, quod frustra in eis remanerent; ergo ex horum habituum influentia, non possunt damnati exercere supernaturales actus.

Damnati carent auxilijs supernaturalibus.

500 De secundo etiam probatur auxilia enim Dei actualia supernaturalia conceduntur homini, vel vt ad iustificationem se præparet, ex *Trident. sess.* 6. *can.* 3. ex *Cœlest. 1. ep.* 1. *cap.* 5. Vel vt fiant opera Sancta, & ad salutem necessaria, ex eodem ibid. *can.* 10. & ex *Concil. Arausic.* 2. *can.* 7. *& vlt.* Vel ad implendum Dei mandata, *de consecr. dist.* 4. *cap. Gratia*, *cap. Placuit*, 2. *&* 3. *& cap. Quis dixerit.* Vel ad vincendum tentationes, ex *Cœlest. 1. ep.* 1. *cap.* 6.

*cap. 6. Concil. Milevit. can. 3* Vel ad illustrandum, & rectificandum liberum arbitrium, ex *Concil. Valent. 2. cap. 6.* & *Senonensi can. 16.* Vel ad augumentum Fidei, & Charitatis, &c. ex *Concil. Arausc. 2. can. 5.* Vel tandem ad perseuerandum in sanctitate, vsque in finem, ex *Cœlest. I. ep. 1. cap. 10. & 11.* & ex *Trident. sess 6. can. 13.* At nullum horum est possibile in damnatis, vt per se patet cuncta discutienti. Ergo eis non dantur auxilia supernaturalia, quibus actus supernaturales eliciat.

Auxilia ad quid dantur

501 Conf ex *August. lib. de vera Relig. c. 52. Cauendi sunt inferi, vbi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio. Ideo nulla ratiocinatio, quia eam non perfundit lumen, quod illuminat omnem hominem*, ergo carent supernaturalibus auxilijs.

Ex August.

502 Conf. ex eod. *de Fide ad Petr. cap. 3. sub H. Exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis.*

503 Dico 2. Damnati licet habere possint actum aliquem, vel naturaliter, vel moraliter bonum; non tamen perfectè adæquatè, & ex omni circumstantia bonum, præsertim ex fine. Est communis, & secunda pars est *Scoti, vbi supra.*

Actum moralem perfectè bonum habere non possunt, sed ex aliqua sola circumstantia.

504 Prob. 1. pars, ex *Ierem. 10. 19.* Ita dolet damnatus, *Væ mihi super contritione mea pessima plaga mea*, & *cap. 8. 20. Transiit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus. Ierem. 15. Factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis.* Igitur bonum suum naturale desiderant aliquando.

505 Prob. 2. ex historia diuitis *Lucæ 16. Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aqua, & refrigeret linguam meam, quia crucior.* Ergo aliquando habent bonum velle naturale.

Script. loca multa, quod actum naturalem bonum habere possunt.

506 Prob. 3 Habere etiam possunt bonum velle naturale circa alios, ex eadem Historia *Lucæ 16. Rogo te Pater Abraham, vt mittas Lazarum in Domum Patris mei, habeo enim quinque Fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*, & post. *Si quis ex mortuis ierit ad eos pœnitentiam agent*: ergo.

Actum bonum moralé habere possunt.

507 Prob. 2. pars, de actu bono morali. *Sap. 5. 4.* Vbi de impijs damnatis considerantibus iustos beatos, vt optimè Glossa Interl. sic habetur, *Iniusti damnati videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, hi sunt quos habuimus, in derisum. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ergo erramus à via veritatis; lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* & multa alia his similia, concludentes, *virtutis quidem nullam signum valuimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, &c.* Ergo habent aliquando bonum velle morale, nempe actum pœnitendi, & detestandi commissa peccata.

508 Prob. 3 pars, quod hæc pœnitentia, et bona voluntas non est adæquatè bona ex fine, ex *Aug. de fide ad Petrum sub H. Qui in hac vita non pœnitet, habebit quidem pœnitentiam in futuro sæculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inueniet, quia & fierit ibi stimulus pœnitudinis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas sua, ita culpabitur, vt nullatenus possit ab eis diligi, vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, vt habeant in se semper malignitatis sua supplicium, numquam tamen percipere possint bonitatis affectum. Quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se mala voluntatis reliquias habebunt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni cum diabolo, & eius Angelis deputati, sicut nullam vlterius habebunt requiem, sic nullatenus bonam habere voluntatem.* Hæc *August.* ergo pœnitentia illa, & detestatio peccatorum, quæ in damnatis à Sacra Scriptura admittuntur, non sunt actus perfecti moraliter, quia non ex fine bono, et affectione iustitiæ eos efficiunt, sed ex affectione commodi, & bono concupiscentiæ; se enim nimium amantes, eos efficiunt.

Actum adæquatè bonú moraliter non habent.

509 Conf ex *Ioan. Gerson ser. 1. de omnibus Sanctis.* Vbi de damnatis, inter cætera, hæc habet. Turpissimis denique vitiorum habitibus fœdabuntur, torquebunturque, nam et vermis eorum non morietur, et superbia eorum ascendet semper, se furiosa rabie in omnipotentem erigens, & impingens. Igitur non poterunt moraliter bene perfectè operari.

510 Prob. 2. ex *Ambros. in cap. 4 Lucæ*, Ver. *Tunc iratus*, vbi de pœnitentia infructuosa damnatorum ait, vermis est, eo quod irrationabilia animæ peccata mentem Rei, sensumque compungant, et quædam exedant viscera conscientiæ Stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eò quod serò vnumquemque pœniteat, serò ingemiscat, serò nascatur sibi, quod tam peruicaci improbitate deliquerit. Ergo erit quidem pœnitentia, sed non ex fine bono, sed potius ex commodi priuatione.

Ambros.

511 Prob. 3. ex *Hieron. in Ecclesiasten. cap. 9.* Ver. *Vade, & comede*, sic habente, *Didicit, quod omnia in mortem finiantur, & in inferno non sit pœnitentia, nec aliquid ad virtutes recursus.* Idem repetit paulo inferius. Idem docet in *Psal. 105.* Ver. *Quoniam in sæculum*, sic habens, *in inferno quis confitebitur Domino? Nemo enim est, qui in inferno agere possit pœnitentiam.* Sed hoc non potest intelligi, nisi de fructuosa, &

Ex Hieron.

mo-

moraliter perfecta; nam ex *Sap.5.* visum est, damnatos pœnitere de commissis, quia sibi malum inferunt, non quia mala sunt.

Ex Euang. Ioan.

512 Prob. 4. ex *Ioann. 9. Venit nox quando nemo poterit operari*, quem locum explicans *Hier. in cap 9. Ecclesiastes. & Aug. in Euang. Ioan. tr. 44.* dicunt, per noctem intelligi tempus damnationis. *Nox ista*, dicit *August. nox impiorum erit quibus in fine dicetur, ite in ignem æternum*, & post. *Operetur homo dum vivit, nè illa nocte præueniatur, vbi nemo possit operari, modo est, vt operetur fides per dilectionem, vbi erit nox in qua nemo poterit operari, sed recipere, quod operatus est*. Ergo non possunt damnati exercere opera adæquatè bona.

August. de diuite damnato.

513 Conf. ex eodem ibidem. Omnis infidelis, quando moritur, illa nocte suscipitur, & non est, vt illic aliquid operetur, sic in illa nocte dives ardebat, dolebat, &c. nec ei subueniebatur, & tamen conatus est benè facere, ait. enim Pater Abraham mitte Lazarum ad fratres meos, vt dicat illis quid hic agitur, ne & ipsi veniant in hunc locum. O infelix, quando viuebas, tunc erat tempus operandi, modo iam in nocte es, in qua nemo potest operari. Ergo illa diuitis bona voluntas, & pietas non erat completè bona, quia ad bonum non imputabilis.

Quæ requiruntur ad actum moralem adæquatè bonum.

514 Prob. 5. Actus volendi adæquatè bonus moraliter, præ cæteris requirit circumstantiam finis boni. Sed hæc nequit esse in damnatis: ergo. Mai. est *Philos. 3. Etic. c. 5.* Non enim esse potest opus bonum cum intentione non bona, sed mala, ex *Matth. 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & Matt. 6. Si oculus tuus nequam erit, totum corpus erit tenebrosum*, & SS. PP. per arborem, & oculum intelligunt intentionem, quæ quidem habet pro obiecto finem. Min. prob. Damnati, ex *Psal. 73.* odio habent vltimum finem, *superbia enim eorum, qui te oderunt ascendit semper*. Ergo non possunt operari propter honestum finem. Secundo, quia decedunt obstinati in malo; & vt docet *Damascenus lib. 2. de fide orth. cap 4.* Hoc est in hominibus mors, quod in Angelis casus: Angeli autem cadendo steterunt obstinati in malo; ita & homines morientes obstinantur in peccato. Igitur nequeunt operari perfectè moraliter. Esto enim ad actum bonum morale merè naturale non sit necessaria intentio finis vltimi explicitè, & actualiter; tamen non potest fiare cum explicita, & actuali auersione ab eo. Sic autem se habent damnati: ergo.

Damnati habent completum odium

515 Prob 6. Sicut in Beatis est perfectissima charitas, ita in damnatis completum odium omnium beatorum, quos vellent omnes esse damnatos, ex *Isa. 26. Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret*. Ergo, cum hoc intestino proximorum odio, nequit compo-

ni actus moralis adæquatè bonus.

516 Prob. 7. Talis tantusque est damnatorum apprehensio pœnarum, talis dolor, & cruciatus, talis tantaque inuidia de beatorum gloria, vt neque possint ad aliud diuertere; sed semper sint in cogitatione propriæ miseriæ, & in tristitia, atque mœrore. Igitur, etiam si vellent non possent actum moralem perfectè bonum exercere.

Arg. contr. 1.

Ob. contra 1. Damnati, ex *Sapientia 5.* detestantur peccata, & pœnitentiam agunt intra se, dolentes, quod errauerint à via veritatis, & laxati fuerint in via iniquitatis: ergo. Consequ. prob. Nam dolor de culpa est supernaturalis.

Quare dolor damnati de peccatis non valet.

517 Resp. neg. consequ. ad prob. dist. Dolor de culpa, quatenus est Dei offensa, vel quatenus est turpitudo animæ, &c. concedo. Dolor de culpa, quatenus est contra affectionem commodi, nego. Hoc autem modo damnati dolent, ac pœnitent, quia, scilicet propria culpa eos redegit ad præfatas angustias.

Instabis. Attritio, etiam, vt est detestatio, ac dolor peccati ob metum gæhennæ, est actus veræ pœnitentiæ, et sufficiens ad Sacramentum, ex *Concil. Trident sess. 14. cap. 4.* et est donum Dei, et impulsus Spiritus Sancti. Ergo pœnitentia damnatorum, etiam si sit ex motiuo pœnæ, est supernaturalis.

Quare inualidus dolor ex metu gæhennæ est validus, non in inferno.

518 Resp. dist. anteced. cum eodem Tridentino, si dolor ille ex motiuo gæhennæ, et pœnarum cum voluntate amplius non peccandi, et spe veniæ est actus supernaturalis, concedo. Hæc enim sunt requisita à Concilio ibi, vt attritio illa sit donum, et impulsus Spiritus Sancti. Si illis circumstantijs careat, nego. Talis est in damnatis; non enim habent spem, quia desperati sunt, neque propositum relinquendi peccatum, quia obstinati sunt; et ad eam pœnitentiam non habent actuale gratiæ auxilium.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. ex *Dion. 4. de diu. nomin.* Dæmones bonum, et optimum concupiscunt, esse, viuere, et intelligere: ergo.

519 Resp. neg. consequ. si intelligatur de bono morali perfecto. Si verò de imperfecto, concedo totum; velle enim sibi bonum, et à cruciatibus eripi, est bonum naturale, et morale, non tamen perfectum morale, quia procedit ex nimio sui amore, non ex motiuo virtutis charitatis ordinatæ.

ARTI-

## ARTICVLVS XVI.

### *De alijs quibusdam damnatorum miserijs.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. distinct. 46. qu. 4. & dist. 50. quæst. 6.* alias quasdam enumerat damnatorum miserias circa motum localem, circa cognitionem aliorum; circa fœlicitatem beatorum, &c. qua occasione nonnulla obiter hic tangentur, quæ in inferno à Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus perhibentur adesse.

Tenebræ perpetuæ in inferno. 520 Dico 1. In inferno perpetuò adsunt tenebræ.

Prob. 1. ex *Iob* 10. in fine. *Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum.* Glossa Ordin. Ver. *Vmbra*, ait, quia ignis pœnalis crematio nem habet, & non lucem. & Ver. *Sempiternus*, inquit. Hic flamma, quæ vrit, illuminat; ibi vrit, & obscurat.

Ex à Script. vel. test. 521 Prob. 2. ex *Psal.* 48. *Introibit vsque in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen.* Interlin. ait hic in tenebris interioribus est, & postea exteriores patietur; & *Psal. 87. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua?*

522 Prob. 3. In Lymbo SS. Patrum, qui etiam infernus superior dici solet, tenebræ aderant, ex *cant. Zachar. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.* Ergo multò magis in inferno inferiori.

523 Prob. 4. *Ecclesiast. 21. 11. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.*

Ex nouo test. 524 Prob. 5. ex *Matth. 8. 11. Ejicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. cap. 22. 13. Mittite eum in tenebras exteriores.* Interlin. dicit, id est inferni, quia hic interiores habet tenebras. Idem dicit Glossa Ordinaria, & *cap. 25. 30. Ejicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

525 Prob. 6. ex *Luca* 22 53. vbi Saluator insinuans, quod tempore suæ passionis diabolus suum imperium in Iudæos exercebat, ait, *hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*, ita quod infernus, qui locus est diaboli per antonomasiam dicitur tenebræ.

Greg. Mag. 526 Prob. 7. ex *Gregor. I. lib. 9. Moral. cap. 46.* explicans illud, *tenebras exteriores*, ait. Si ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur, *cap. 48.* ait, ibi ignis, qui cruciat, obscurat. Flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit.

527 Prob. 8. ex *Hieron. in cap. 10. Iob.* Ver. *Antequam vadam.* Quod terram inferorum descripserit, nulli dubium est, tenebrosa est, vt dixi procul dubio, velut carcer, in quem peccatores, & impij, qui lucem odio habuerunt, vt tenebrarum filij contrudentur, & *in Psal 87. Posuerunt in tenebris, &c.* ait, ad infernales angustias, in quibus mors sola dominabitur. Ex Hierem.

Damnati nullam habent à doloribus requie 528 Dico 2. Damnati nullam habent requiem in doloribus. Est communis.

529 Prob 1. ex *Hierem. 30. 12. &c. Insanabilis fractura tua pessima plaga tua, curationum vtilitas non est tibi:* & post. *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus, &c.* ergo absque interruptione clamant, & dolent.

530 Conf. ex eodem *cap. 15. 18. Quare factus est dolor meus perpetuus, & plaga mea desperabilis.*

531 Prob. 2. ex *Apocal. 14. 42.* vbi de adorantibus bestiam, id est Antichristum, dicitur, *Si quis adorauerit bestiam &c. cruciabitur igne, & sulphure, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum, nec habent requiem, die, ac nocte, qui adorauerunt bestiam, & imaginem eius:* ergo. Ex vet. test.

532 Prob. ex *Isa* 66 in fine. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* quem locum de continuatione perpetua pœnarum PP. intelligunt.

533 Prob. ex *S. Ambros.* in hunc locum *Apocal.* dicente: *Nec habebunt requiem.* Cur neque in die, neque in nocte dicit, reprobos habere requiem, cum electi æternum diem possessuri sint, reprobi verò perpetuam noctem. Sed more humano locutus est. Ex Ambros.

534 Prob. ex *Rabano lib. 3. in Ecclesiasten. cap. 2.* Vbi de pœnis inferni, inter alia, hæc habet: bestias diabolicas atrocissimas sentiet se punire tortores; nec iam spem habet euasionis, nulla requies ibi datur, &c. et *in lib 9. cap. 1.* continuum est incendium gæhennæ ignis; iracundia perseuerat, et contentio; quoniam nulla paxibi est, nullaque doloris mitigatio. Ex Rabano.

535 Prob. ex *Andræa Cæsarensi in c. 14. Apocal.* Futuri sæculi statum in quo impios nullam requiem habituros prædicit, diem, ac noctem vocat, non quasi ibi extet spatium, quod diurno Solis motu mensuretur; sed quia ad præsentis temporis consuetudinem, quod per noctes, & dies conficitur numeratur. Andr. Cæs.

Prob bile est, quod damnati nó mouentur localiter. 536 Dico 3. Incertum est, an corpora damnatorum mouebuntur localiter, licet negatiua videatur probabilior, sed si mouebuntur, hic motus erit de vno afflictiuo ad aliud. Est *Scoti in 4. dist. 50. quæst. 6. sub R.*

537 Prob. Nullus extat Scripturæ locus expressus, qui de mobilitate, vel immobilitate eorum locali loquatur, nisi solus locus *Iob. 24. Transibunt ab aquis ni-*

*nium ad calorem nimium*. Sed loca eiuſ. modi ſunt afflictiua: ergo.

538 Probari poteſt immobilitas ex *Matt.*22. 13. vbi habetur, *legatis manibus, & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores.* Quæ parabola de damnandis intelligitur. Gloſſa enim Interl. ait, *ligantur pœnæ, qui ligati fuerunt culpæ*. Idem dicit Gloſſa Ordin. ligati autem immobiles fiunt, ſed hæc ratio non eſt litteralis, vt patet, quia ſufficienter locus iſte declaratur de permanentia in pœnis, quod quidem verificaretur in qualibet parte inferni.

Aliquæ rationes non cogunt,

539 Probari pariter poteſt immobilitas localis, ex *cap.*2. *ep. Iudæ*. *Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium in iudicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*. In vinculis autem exiſtentes non poſſunt moueri. Sed hæc ratio non cogit, quia in vinculis dicuntur omnes carcerati, imo & PP. omnes, qui erant in Lymbo ante Chriſti aduentum dicebantur in vinculis eſſe, vnde *Pſal.*106. *Vincula eorum diſrupit*, & de Ioan. Baptiſta carcerato *Matth.*11. dicitur, *cum audiſſet in vinculis opera Chriſti*. *Gen.* 42. de Fratribus Ioſeph *vos eritis in vinculis*, id eſt in carceribus. Licet aliquando ſignificent,

Vincula non ſemper ſignificant ligamina,

etiam vera ligamina, *Lucæ* 8. ruptis vinculis agebatur; et *Act.*16. cum liberatus eſt Petrus, dicitur, & *Vniuerſorum vincula ſoluta*, cum ergo ſit quid æquiuocum ad carceres, & ligamina non poteſt reſtringi ad ſecundum, & ex eo deduci argumentum immobilitatis.

Damnati habent aliquã cognitionẽ abſtractiuè de beatitudine.

540 Dico 4. Damnati in ſui pœnam habent aliqualem cognitionem abſtractiuam de beatitudine aliorum. Eſt etiam communis, & ex *Scoti* colligitur *in diſt.*49. *quæſt.*10. *K*.

Ex vet. teſt.

541 Prob. 1. ex *Sap.*5. vbi de reprobis, & iuſtis in iudicio dicitur. *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt*. De impijs vero. *Videntes turbabuntur timore horribili, &c. & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, &c. Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt*, & alia permulta.

Ex nouo teſt.

542 Prob. 2. ex *Apocal.*14. 42. vbi de adorante beſtiam, dicitur, *& cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum agni*. *Ambroſ.* hic ait, in conſpectu Angelorum Sanctorum cruciabuntur, & in conſpectu agni, videlicet, vt in eorum conſpectu crucientur, in quorum conſpectu non timuerunt multa perpetrare. Sed hoc nequit aliter intelligi, niſi quod damnati ſcirent ſe ita tortos, ac cruciatos videri à Sanctis, qui æterna beatitudine fruuntur.

Euang. Lucæ

543 Prob. 3. ex *Lucæ* 16. Diues exiſtens in inferno vidit Lazarum in ſinu Abrahæ; & petens ſibi ſubueniri, audit, *fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua; & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris*. Gloſſa Ordin. Ver. *Rogo*, ait, *ſeruatur ergo diuiti ad pœnam, & cognitio pauperis, quem deſpexit, & memoria fratrum, quos reliquit, vt de viſa deſpecti gloria, & de pœna inutiliter amatorum torqueatur*.

Ephrem Syro.

544 Prob. 4. ex *Ephrem Syro lib. de vera pœnit. cap.*8. Tunc iam impelluntur miſeri ab Angelis terribilibus acti, perguntque ſtridentes, ac mugientes, crebriuſque poſt tergum aſpicientes, ſi quo pacto iuſtos, & illud gaudium, vnde ipſi ſeparati ſunt intueri queant, vident autem lucem illam ineffabilem, aſpiciunt amænitates Paradiſi, magna illa, & præclara munera quæ percipiunt a Rege gloriæ, qui legitimè certarunt. Intuentur notos dudum, & familiares ſuos, æternis gaudijs fruentes, quæ ipſi percipere non mæruerunt.

Io. Damaſc.

545 Prob. 5. ex *Ioanne Damaſc. in vita Barlaam cap.*8. vbi de damnatis, ait. Nullum eis æquè graue tormentum, ac acerbum eſt, quam à Deo abalienari, & à dulciſſima ipſius facie abiici, gloriaque illa, quæ nullis verbis exponi poteſt orbari, &c. ſi autem id non cognoſcerent, non cruciarentur: ergo.

Iſid. Hiſpal.

546 Prob. 6. ex *Iſidoro Hiſpal. lib.*1. *de ſummo bono cap.*32. Impij durius ex hoc in iudicio ſunt puniendi mentis dolore, ex quo viſuri ſunt, iuſtos gloriæ beatitudinem mæruiſſe.

S. Bernardo.

547 Prob. 7. ex *S. Bernardo ſer.* 8. *in Pſal. Qui habitat*. Vnde verò impij tanto animi furore tabeſcerent, niſi in regnum ſummæ beatitudinis coram ſeſe vidiſſent alios introduci, & tunc demum in illos ſeſe fœtores, & horrores, in illos æterni incendij cruciatus eſſe damnatos?

D. Thoma.

548 Prob. 8. ex *S. Thoma quodlib.*8. *artic.* 16. damnati in inferno exiſtentes poſt diem iudicij memores erunt gloriæ Sanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio viderunt; & ſic cognoſcent, eos eſſe in maxima gloria, quamuis non videant ipſos beatos, nec gloriam eorum, & ita inuidia torquebuntur, &c.

Euang. Matt. colligitur.

549 Prob. 9. ex *Matthæi* 25. habetur. *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt, Venite benedicti Patris mei percipite Regnum vobis paratum à conſtitutione mundi*. His autem qui à ſiniſtris erunt, *diſcedite à me maledicti in ignem æternum*. Igitur damnatis audientibus vocabuntur in gloriam electi. Et ita recordabuntur, ne dum gloriæ ijs promiſſæ, ſed & gloriæ Corporis Chriſti, quem (vt diximus in Diſputatione de Iudicio) glorioſum videbunt. Ergo recordabuntur gloriæ beatorum.

Argum. ad impoſſibile. & à priori.

550 Prob. 10. Niſi eius recordarentur non cruciarentur pœna damni. Quod enim quis non fruatur beatitudine, nulla eſt pœna, ſi neſcit quid ſit beatitudo, & ſe eſſe illius capacem imò potuiſſe eam obtinere,

& no-

& nolit eam carentiam; non pateretur pœnam aliquem de tali carentia, vt egregiè *Scotus in 4. dist. 50. qu. 6. §. Ad quæstionem N.*

Auguſt. 551 Prob. 11 ex *D. Auguſt. lib. 11. de Doctr. Chriſt. cap. 18. & lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 3. Non eſt enim in carendo difficultas, niſi cum eſt in habendo cupiditas: & vbi poteſt eſſe cupiditas profectò dolor etiam eſſe poteſt. Fruſtrata quippe cupiditas, ſiue non perueniendo, quò tendebat, ſiue amittendo quò peruenerat vertitur in dolorem.* Sed damnati maximè cruciantur de amiſſione beatitudinis, quam cum alijs habere potuerant, & optarant. Ergo de ea recordantur.

Recordantur multorũ peccatorum 552 Dico 5. Damnati in pœnam recordantur multorum actuum, & maximè peccatorum, quæ in præſenti vita commiſerunt.

Prob. ex *Sap. 5. ver. 4.* vbi damnati in ſui confuſionem, dicunt. *Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit vobis; laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles viam autem Domini ignorauimus. Quid profuit nobis ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, &c.* multa his ſimilia, & concludit, Ex vet. teſt. *ſic & nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno, qui peccauerunt.* Ergo recordantur præteritorum, præcipuè malorum.

553 Prob. 2. ex *Hier. 8. 10. Tranſijt meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus.*

Ex nouo teſt. 554 Prob. 3. ex *Luca 16.* vbi diuiti dicitur. *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala*: Præterea recordatur ſuæ domus, & agnatorum, *Rogo te Pater, vt mittas Lazarum in domo Patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum:* ergo.

B. Gil. Mag. 555 Prob. 4. ex *S. Baſilio Magno orat. de futuro Iudicio.* Verum horribilior tenebris pudor erit, atque confuſio, in quo perpetuò conuerſabuntur peccatores, ſemper ob oculos retinentes veſtigia illa peccati in carne admiſſi; quaſi notæ alicuius tinctæ, nec eluibilis vmquam in memoria animæ æternum duraturæ. hæc *Baſil.*

Cyrillo, 556 Prob. 5. ex *Cyrillo Alex. orat. de exitu animæ*, vbi inter cætera quæ damnati patiuntur, dicit. Tunc cunctas vitæ vanitates, & fluxas fuiſſe, & caducas cognoſcent, quæque his bona eſſe, gaudijſque plena videbantur, ea felle, & veneno amanora reperientur. Ergo recordabuntur geſtorum in vita,

Io. Chryſoſt. 557 Prob. 6. ex *Ioan. Chryſoſt. in ep. 5. ad Theodorum*, vbi præ cæteris, ait. Id animas damnatorum contriſtabit, quando meminerint, quod occaſione emendandi per hos paucos dies non vſi, ſe tradiderint malis immortalibus. hæc *Chryſoſt.*

Arg. de verme conſcientiæ, 558 Prob. 7 In hoc præcipuè conſiſtit vna ex grauioribus damnatorum pœnis, ſcilicet in verme conſcientiæ; nam ex *Iſa. 66. & Marci 9. Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.* Interl. in Iſa. ait materialis, vel conſcientiæ, Gloſſa Ordinar. dicit mæror, & triſtitia cruciat cor viri. Interl. in Marc. dicit, vermis, id eſt conſcientia, & dolor internus accuſans eos. *Rabanus Maurus lib. 2. in Eccleſiaſt. cap. 7.* Vermem dicit feram ſcelerum pœnitentiam, quæ numquam in tormentis conſcientiam afflictorum mordere ceſſabit, vt ignis ſit pœna extrinſecus ſæuiens, vermis dolor intrinſecus accuſans. Ergo continuè erunt in cogitatione malorum, quæ geſſerunt.

Eſt incertũ, ſi omnes ſe cognoſcent, aliquos tamen inter ſe cognoſcent in pœnam. 559 Dico 6. Licet incertum ſit, an damnati ſe inuicem omnes cognoſcant; eſt tamen veriſimilius, quod aliquos ſaltem cognoſcant, & hoc potius in pœnam, ex *Scoto* colligitur ſecunda pars *in 4. dist. 43. quæſt. 5.* circa finem.

560 Prob. 1. pars, ex *Auguſt. ep. 21 ad Iuſtan.* de pœnis inferni præ cæteris, ſic alloquente, vbi non eſt vllus honor, ſiue agnitio proximi: ergo.

2. part. 561 Prob. 2. pars, ex Gloſſa Ordinar. *in cap. 16. Luca.* Ver. *Rogo ergo te Pater.* Seruatur ergo diuiti ad pœnam, & cognitio pauperis, quem deſpexit, & memoria fratrum quos reliquit, vt de viſa deſpecti gloria, & de pœna inutiliter amatorum, amplius torqueatur. Ergo aliquos cognoſcent.

Iſidor. Hiſp. 562 Prob. 2. ex *Iſidoro Hiſpal. lib. de ſummo bono cap. 32.* vbi de damnatis hæc refert inter alia. De charorum quoque ſuorum ſupplicijs additur etiam pœna defunctis, ſicut apud inferos diuitis ſermo prædicat Euangelicus, ſicut pro augendo Iudæ, ſupplicio dicit etiam Pſalmiſta, *commotione commouebantur filij eius, & mendicent, &c.*

Caſſiodoro 563 Prob. 3. ex *Caſſiodoro lib. de anima cap. 19.* de damnatis ſic dicente. Quod ſupra omnes confuſiones deterius eſt, illos torqueri poſſe ſecum cognoſcunt, quos vt numina, decepti, crediderunt.

Ex abſurdo arg. 564. Prob. 4. Niſi cognoſcerentur aliqui inter damnatos, non verificaretur Oraculum *Amos 3.* anagogicè prolatum contra damnatos, *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, oſtendam gentibus nuditatem tuam, & Regnis ignominiam tuam.* Si enim non cognoſcuntur, quæ nam eſſet verecundia, quod patrata facinora reuelarentur populis. & tamen *Baſilius Mag. homil. in Pſal. 33.* ait, pœnam damnatorum durilſimam eſſe, probrum illud, & verecundiam ſempiternam. Neceſſe eſt ergo, vt cogno-

scantur, & discernantur, & si non inter omnes, saltem inter aliquos, ex quorum cognitione grauior esse possit afflictio.

Appetunt mortem.

565 Dico 7. Damnati appetunt mortem, vt pœnas vitent.

566 Prob. ex *Apocal. 9. In diebus illis quærent homines mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab illis*, in sensu autem anagogico de damnatis intelligitur.

August.

567 Prob. 2. ex *S. Augustin. in ep. 211. ad Iul.* vbi inter alios damnatorum mœrores, hunc præ cæteris esse ait grauem, *Vbi mors optatur, sed mors non dabitur*.

Optabunt liberari, & non obtinebunt.

568 Dico 8. Maximum erit damnatorum tormentum optare liberationem à pœnis, & toto affectu ad eam conari, & tamen non obtinere.

569 Prob. ex *S. Bernardo lib. 5. de considerat. cap. 12.* Quid iniquis voluntatibus, tam contrarium, & aduersum, quam semper conari, impingere semper, & frustra. Væ oppositis voluntatibus solam suæ profectò auersionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quam semper velle, quod numquam erit. Quid tam damnatum, quam voluntas addicta huic necessitati volendi, nolendique, vt ad vtrumlibet iam, si cui, non nisi peruersè, ita non nisi miserè moueatur; in æternum non obtinebit, quod vult; & quod non vult in æternum nihilominus sustinebit.

14. Damnatorum pœnæ.

570 Dico 8. Ad minimum quatuordecim sunt damnatorum miseriæ.

Ex Anselm. diffuse.

571 Prob. ex *D. Anselm. lib. de similitud. cap. 47 & 49* in primo enim loco ait. Quatuordecim sunt beatitudinis partes, quas electi habebunt, totidemque miseriæ genera, quæ mali tunc sustinebunt, & in *cap. 49.* ait hæ sunt partes miseriæ damnatorum; turpitudo, ponderositas, imbecillitas, seruitus, infirmitas, anxietas, vitæ breuitas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. Et sicut septem partes beatitudinis ad animam, & septem ad corpus pertinent. Sic quoque priores huius miseriæ, partes corporis, septemque vltimæ miseriam perficiunt mentis. Easque miserias per sequentia capita, sic declarat, comparans partes 14. beatitudinis ad 14. partes miseriæ. Pulcritudo iustorum sicut Sol, quia *Matt 13.* Fulgebunt iusti, sicut Sol. Iniustus verò cæno, & omni cadauere fœtidior erit; velocitas beati tanta erit, vt Angelis Dei coequetur in celeritate. Malus verò tanto pœnarum pondere præmetur, vt nec pedem quidem, vel manum, vel aliquid sui corporis possit mouere, vnde *Matth. 25.* ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores. Iustus fortis erit, vt etiam, si velit terram mouere possit. E conuerso iniustus sic imbecillis, vt nec vermes amouere queat ab oculis suis. Iustum, sicut Angelos nihil impedire potest, quin pro suo velle cuncta liberrimè penetret, nec aliquod obstaculum retardare potest, &c. nihil pâtietur, quæ noluerit iustus, sed omnia aget, quæ voluerit. Malus verò ad omnia, quę noluerit coget ir, & ab omnibus, quæ voluerit prohibebitur.

Per appositionem ad totidem partes beatitud.

Turpitudo. Ponderositas. Imbecillitas.

Femitus.

572 Iustus sic erit sanus, vt ineffabili quâdam dulcedine suauitatis totus repleatur, & omne quod alicuius vicissitudinis, mutabilitatis, aut læsionis suspitionem prętendere queat, procul arceat, atque repellat. At quemlibet iniustum tanta infirmitate scias infirmari, vt nullo queat medicamine medicari.

Infirmitas.

Anxietas.

573 Bonos ineffabilis quædam delectatio inclinabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos satiabit, &c. E contra, Iniustus tam in ipsis oculorum pupillis, quam & singulis membris ferrum ignitum, & candens infixum habet, ita vt, nec medullæ, nec intestina, nec quicquam in toto corpore cruciatus immanitate careat.

Vitæ breuitas.

574 Iustus semper viuit, quia de eis dicitur. Iusti autem in perpetuum viuent. Iniustus, non nisi moriendo tunc viuere poterit, & nihil breuius illa vita, cui mors fuerit semper iuncta.

Ignorantia.

575 Bonus omnia, quæ scire voluerit cognoscet, quia perfecta Dei sapientia replebitur. Et sciet omnia, quæ Deus fecit, &c. Malus verò omni sapientia priuatus tantis vrgebitur doloribus, vt non solum insipiens, verum fiat, & amens.

Inimicitiæ

576 Bonum quisque, & ipsemet Deus diliget. Malum, sic Deus, & boni odio habebunt, vt nec filius quidem pietatem habeat de Patre in pœnis conspecto.

Discordia.

577 Corpus, & anima Sanctorum, & ipsimet Sancti omnes in concordia erunt vnum enim corpus erunt. Mali verò in discordia tanta, vt eorum corpus, & anima semper dissideant. Corpus animam odio habebit, quod malè vmquam cogitauerit. Anima corpus, quod cogitata impleuerit, propter quæ sit in pœnis.

Dedecus.

578 Beati ob præstantiam, quia summę Deitatis gloriam participant, dij dicuntur, & maximus ei honor debetur. Malus è contra, sic ex honorabitur, vt in omni fœtore deiectus, vermium etiam dominio subijciatur.

Impotentia.

579 Bonus quod voluerit facere omnino poterit. Malus verò nihil, quod velit agere, quibit.

Timor.

580 Bonus quidquid voluerit habebit, & nihil amissurus timebit. Malus verò semper tormenta, quæ patietur pauebit, & numquam ex eis euadere poterit.

Tristitia.

581 Bonus tunc gaudebit, quia omnes prędictas beatitudinis partes obtinebit perfectè. Malus verò tristitia replebitur summa, quia omnes miseriæ partes, quibus nihilominus se circumseptũ sentiet ineuitabiliter sine fine patietur, & indefinenter. hæc *Anselm.*

Istas, & alias eiusmodi nunc in anima experiuntur damnati miserias, easdem-

etiam

etiam in corpore experituri post resurrectionem per totam æternitatem, à quibus Omnipotens, & misericors Dominus nos liberare dignetur. Amen.

# DISPVTATIO XIV.

## DE BEATITVDINIS HVMANAE EXISTENTIA.

### ARTICVLVS I.

*De nomine, ac re beatitudinis, confusè acceptæ.*

Scoti mens;

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. qu. 1. §. De secundo*, enumerat omnia prædicata, quæ ex *Arist. 1. & 5. Etic.* per multa capita constituunt beatitudinem; & in illo bonorum cumulo, dicebat eam sitam esse, addens nomen hoc notum supponi.

Beatitudo omnibus nota,

1 Adu. 1. Omnes homines cuiuscunque nationis ab initio mundi ad hæc nostra tempora apprehendisse dari statum aliquem, seu viuendi modum, qui diceretur felicitas, seu beatitudo, & hanc omnes appetijsse, ex *August. lib. 13. de Trinitate cap. 3. & 5.* item *lib 1 de Moribus Ecclesiæ cap 3.* & in Enchiridio sæpe. Estò discordes fuerint in assignando possessionem bonorum, in qua consistat; alij enim dixerunt consistere in possessione bonorum animæ, alij in possessione bonorum corporis, de quibus infra,

Quæ discutienda in hac Disput.

2 Adu. 2. In hac disputatione esse discutienda ea tantum modo, quæ tam Philosophis, quam Theologis, vel maiori vtrorumque parti communia sunt. vt distinctè procedamus. Nam ad exactam beatitudinis notitiam multæ disputationes sunt necessariæ, nempe de quidditate beatitudinis formaliter inspectæ; de eius obiecto, subiecto, termino, causis, seu principijs, tam naturalibus, quam supernaturalibus, &c. de quibus in suis locis. Ideo à communioribus incipimus.

Nomen beatitudinis quid significet.

3 Dico ergo. Beatitudo ex communi omnium conceptu est nomen impositum ad significandum statum, seu modum viuendi, in quo possidetur summum bonum, seu cumulus omnium bonorum. Est communis

4 Prob. 1. ex *Philos. 1. Etic. cap 1. & seq.* vt refert *Scotus sub X* Beatitudo est bonum sufficiens excludens indigentiam & imperfectionem: vltimatum, excludens tendentiam ad aliud completius bonum; & quo habito, satiatur habens. Hæc autem nil aliud sonant, quam possessionem perfectissimi boni, seu cumulum bonorum omnium; siue in actu primo tantum, siue in primo, & secundo.

Ex Philos. quid sit beatitudo.

5 Conf ex eodem *Arist. 1. Etic. cap. 5. Beatitudo est bonum perfectum, absolutè quod propter se. & numquam propter aliud sumitur, & se ipso satis est; nec qui illud habet rem vllam desiderat; bonis alijs omnibus cumulatum, & rerum omnium, quæ in operatione sunt posita, extremum:* ergo.

Alia descriptio beatitud.

6 Conf. 2. ex eodem *lib. 7. Eudem. c 15.* Si quæ electio possessioque earum rerum, quæ ex natura sua bone sunt, siue sint corporis bona, siue diuitiarum, siue amicorum, siue aliqua alia sint ad Dei contemplationem maximè facit, eam esse optimam, terminumque optimum esse. Si qua verò rerum earum possessio ob excessum defectumque impedit colere, & contemplari Deum, ea pessima est. Igitur in possessione optimi boni sita est beatitudo, & hoc importat nomen illud.

7 Conf 3. ex eodem 1. *Etic. cap 8. & 9. Fœlicitas est operatio optima*, idem habet 12. *Metaph. cap. 4. & 6.*

Arg. ab apposits.

8 Prob. 2. Miser beato opponitur. Miseria autem consistit in carentia, & indigentia summi boni, & exclusione illius boni, quod per se amaretur si poneretur, nec ad aliud ordinaretur, & qua misero completè malè est. Ergo, è contra, beatitudo consistit in possessione, & fruitione summi boni, per se amabilis, & ad aliud non ordinabilis.

August.

9 Prob. 3. ex *August.* locis cit. *de moribus Eccl. lib. 1 cap. 3. & 13. de Trinit. cap 4. lib. 19 de Ciuitate Dei cap. 1. & 2.* omnes appetunt beatitudinem, imò habent appetitum naturalem ad eam confusè conceptã. Et si quilibet etiam de minuta plebe interrogaretur, quid velit dum beatitudinem appetit, dicet, se appetere statum, aut vitam, in qua sunt omnia bona.

Ex eodem Aug.

10 Prob. 4. ex *Aug lib. 8 de Ciuitate cap. 12. & lib. 19 cap 3 lib de Stoicis, &c. cap. 3. lib. 13 de Trinitate cap. 4. & 5.* omnes Philosophi confessi sunt, beatitudinem esse summum bonum, seu possessionem eius boni, licet discordes fuerint in assignando eiusmodi bono. Ergo hoc importat nomen beatitudinis.

Iterum ex Arist.

11 Prob. 5. ex *Arist. lib 7. Politic. Fœlicitas est, quæ vitam sufficientem, optabilem, & nullis indiguam præstat.* iterum ibidem. *Fœlicitas est, vel forma secunda cum virtute, vel per se sufficientia vitæ; vel vita tuta, & iucundissima, vel possessionum facultas, & corporis cum facilitate conseruandæ,*

*na, & amplificatiua virtutis:* ergo.

Ex Cicerone. 12 Prob. 6. ex *Cicer. lib. 5. Tuscul. qq.* Qui beatus est, non intelligo quid requirit, vt sit beatior. Si est enim quidam, quod desit, beatus esse non poterit: ergo.

Ex Boetio. 13 Prob. 7. ex *Boetio lib. 3. de Philos. consolat. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Ideoque secundum catholicam sententiam dicemus, eam consistere in visione, & fruitione Dei; his enim actibus omnia bona possidentur, siue autem formaliter, siue vnitiuè, siue eminenter, parum refert pro nunc.

14 Concludimus ergo. Euidenter notum esse quid importet beatitudinis nomen, & significatum, saltem confusè, scilicet tumulum seu aggregationem omnium bonorum, quæ possidenda sunt ab aliquo, vt hic sit beatus.

## ARTICVLVS II.

### *An admittenda sit beatitudo.*

Scoti mens; SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 1.* per totam, docet etiam Philosophos admisisse beatitudinem, quam in optima vita, seu operatione consistere docebant; et diffusius *in quæst. 2. sub O.*

Sermo est de beatitudine secundum com. monem conceptum, 15 Aduerto breuiter. Nos hic inquirere de beatitudine secundum communem conceptum apprehensum etiam à Philosophi quidquid sit de quidditate specifica; Philosophi enim fide supernaturali carentes, in bonorum, vel creatorum possessione eam statuebant, vel si in increatis, vt Plato, & Aristoteles, ignorabant quænam essent bona hæc increata.

Etiam per Philosofos admittitur beatitudo. 16 Dico ergo. In omnium etiam Philosophorum sententia admittenda est beatitudo, quæcumque illa sit.

17 Prob. 1. Omnes etiam Philosophi asserunt, inter omnia appetibilia esse aliquod essentialiter, & simpliciter supremum, & illud esse appetibile, & volibile, propter se. Et, quod natura intellectualis non perficitur complete, nisi habeat hoc supremum appetibile. Ergo Philosophi tenentur admittere beatitudinem. Conseq. est euidens, per eos enim ex dictis in *præced art.* beatitudo est acquisitio, possessio, et fruitio perfectissimi boni. Anteced. Includit tria distincte probanda.

Quæ admittunt Philosofi. 18 Primum assumptum anteced. prob. ex *Scoto quæst. 2. O.* In appetibilibus datur ordo essentialis; inter hæc autem non potest ex ipso met Philosopho dari processus in infinitum. Imo ait *Scotus*, etiam si non essent ordinata essentialiter, adhuc standum est in aliquo supremo, quia in ordinatis accidentaliter non potest procedi in infinitum per continuam diuersitatem, nisi in virtute alicuius essentialiter superioris in ea diuersitate.

Supremum, est propter se volibile Secundum assumptum probatur. Supremum appetibile non potest ordinatè esse volitum propter aliud; imo ei repugnat esse sic volitum. Si enim inter volibilia non sistatur in aliquod propter se volendum, iretur in infinitum in volibilibus.

Quod est perfectiuum vltimum voluntatis. Tertium assumptum probatur, ex *Scoto sub T.* Natura intellectualis nata est vltimate perfici in eo, quod est propter se volendum, ex Phylos, vt in *præced. art.* Ergo non potest perfici, nisi illud obtineat, quo modo est sibi possibile. Eo enim non habito manet imperfecta. Eò vel maximè, quia omnia, quæ habent naturalem appetitum ad aliquem terminum, eo non habito, imperfecta sunt; si verò sunt agentia per cognitionem, remanent inquieta. Sed cognoscunt homines, & experiuntur in se naturalem inclinationem ad perfectum bonum, quodcunque illud sit. Si ergo statuunt huius boni possessionem esse beatitudinem tenentur admittere, quod sit dabilis beatitudo.

Ex Augustin. 19 Prob. 2. ex *Aug. lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 3.* sic habente. *Beati certè omnes vt ere volumus, neque quisquam est in hominum genere, qui non hanc sententiam antequam plenè sit emissa consentiat,* & *lib. 10. confess. cap. 20.* de beatitudine sic loquitur. *Neque eam amaremus, nisi nosseremus, audimus nomen hoc, & rem ipsam nos omnes appetere fatemur. Huic adipiscendæ Græci, & Latini inhiant cæterarumque linguarum homines. Nota est igitur omnibus, qui vna voce si interrogari possint vtrum beati esse vellent, sine vlla dubitatione, velle respondeant,* & in *cap. 21.* ait. Vitam beatam habemus in notitia, ideoque amamus eam, & adhuc adipisci eam volumus, vt beati simus: & post aliqua ait. Si quæratur à duobus, an militare velint, fieri potest, vt alter eorum velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quæratur, vtrum beati esse velint, vterque statim, se, sine vlla dubitatione dicet optare. Hæc *August.* ergo omnes admittunt, et desiderant beatitudinem, quæcunque illa sit.

Ex eodem Augustin. 20 Conf. ex eod. *lib. 13. de Trin. cap. 3.* Vbi referens dictum cuiusdam scenici in Theatro, qui dixit se scire quid omnes ibi existentes vellent, & declarauit, *vili vultis emere, & caro vendere,* subdit *August. Si dixisset omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixisset aliquid quod nullus in sua non cognosceret conscientia,* et *cap. 4.* quærit, cur tanta sit inter opinantes de beatitudine discordia, cum omnes eam appetant, respondet. *Non quod aliquis eam nolit, sed quod non omnes eam norint,* & *Scotus.* ex eod. *August. in Enchirid.* ait, Beati ita esse volumus, vt miseri non solum esse nolimus, sed neque velle possimus. Ergo, cum hæc generalis hominum omnium voluntas beatitu-

Dictum mimi in Theatro.

titudinis nequet esse frustratoria, dicendum est ab omnibus admittendam esse beatitudinem.

Omnes Philosophi admiserunt beatitudinē, sed in natura eius discordabant.

21 Prob. 3. Docti, etsi gentiles Philosophi, vt Zeno, Aristippus, Antistenes, Plato, Aristoteles, Epicurus, Stoici omnes, Academici, & Peripatetici. Cicero, Seneca, &c. Nunquam de beatitudinis existentia dubitarunt, imo pro eius acquisitione Scholas aperuerunt, & regulas, ac instituta tradiderant, sed de bono, obiecto beatitudinis contenderunt, in quo scilicet consistat, vt diffusè refert, *Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 12. & lib. 10. cap. 30. & lib. 19. cap 1. 2. 3. &c.* in *lib. 13. de Trin. cap. 3.* & in *lib. de Stoicis, & Epicureis cap. 3* & *lib. 10. Confess cap. 20.* Beatitudo nota est omnibus hominibus. Nec vlla vnquam secta beatitudinem negauit, sed concorditer omnes, siue in hac, siue in alia vita admiserunt.

22 Conf. ex dicendis in seqq. art. Varia bona assignarunt omnes, qui nomen habuerunt scientifici, in quibus dixerunt consistere beatitudinem. Ergo omnes admittebant.

Omnes nationes confessi sunt beatitudinem.

23 Prob. 4. Omnes fere nationes confessi sunt animam esse immortalem, & retributionis capacem, Epicureis exceptis, qui vt sine Deo, id est lege Dei, viuerent, Deum negabant. Vnde campos confinxerunt Elysios, in Beotia prope Thebas positos, in quibus Piorum animas habitare docebant. Vnde Virg. *lib. 2. Geor.* Quamuis *Elysios miretur Graecia campos*. Fide enim carentes determinatum locum ignorabant Ergo admittebant bonorum possessionem, & fruitionem.

Campi Elysij prope Thebas ficti.

24 Prob. 5. Etiam Iudæi beatitudinem admittebant, licet in vita hac futuram eam assererent. Ex *Petro Galatino lib. 12. cap. 16.* et ideo in hac vita mercedem bonorum operum post Messiæ Aduentum expectant.

Omnes catholici eam patentur.

25 Prob. 6. Catholici omnes post Christi aduentum præcipuè beatitudinem, vt fidei articulum confitentur, ex *Matth. 25.* et quatuor Symbolis, Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, et Athanasij. Ergo omnes indiscriminatim admittunt, dari beatitudinem, quæcunque illa sit, pro nunc.

## ARTICVLVS III.

### *An beatitudo sita sit in possessione boni creati.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49.* per totam, et præsertim in sex quæstionibus cum Fide Catholica, docet, beatitudinem consistere in possessione boni increati, continentis formaliter, vnitiue, vel eminenter omnia bona. Nempe in clara Dei visione, et eiusdem fruitione.

Hoc quæsitum ab alio valde differt & quare.

26 Adu. Quæsitum hoc valde differre ab alio, an Beatitudo admittenda sit in hoc vel alia vita. Si quidem vt dicetur multi, & præsertim Iudæi, et Cherinti discipuli docuerunt, in alia vita dari beatitudinem, et eam consistere in possessione, et fruitione, nedum bonorum creatorum, sed sensualium. Prius ergo de bono, in quo consistit beatitudo obiectiua, genericè considerata, discurram; deinde de statu, in quo admittenda sit beatitudo.

Notanda doctrina,

27 Adu. 2. Quod aliud est quærere, an beatitudo consistat in aliquo creato; aliud vero in possessione obiecti boni creati. De primo enim dicemus postea, cum de beatitudine formali loquemur; hæc enim est res finita, et creata, hominis nempe operatio, vtpote visio Dei, et fruitio. Se hic loquimur de obiecto, in quod tendit beatitudo, nempe visio, et fruitio. An scilicet esse possit aliquod bonum creatum.

Philosophi in obiecto creato eam quærebant.

28 Dico 1. Plerique Philosophorum in possessione boni creati, statuerunt Beatitudinem, et in hoc errarunt.

Stoici quid dixerint,

29 Prob. Stoici omnes quorum princeps fuit Zeno docuerunt beatitudinem consistere in virtutibus animi, ex *Augustino lib. 13. de Trinit. cap. 4. & 5. lib de Epicureis, & Stoicis cap.* et ex *lib. 14. de Ciuit. cap. 2.* quod Zeno fuerit caput, docet *lib. 5. de Ciuit. cap. 8.*

Epicurei quid.

30 Epicurei, quorum Princeps fuit Epicurus, summum hominis bonum, et beatitudinem constituerunt in voluptatibus corporis, ex *August. lib. 13. de Trinit. cap. 5.* et *lib. 14. de Ciuit. cap. 2.* et ex *lib. de Epicureis cap. 14.*

Academici quid de beatitudine.

31 Academici, quorum caput Plato in bonis animæ, et corporis simul posuerunt beatitudinem, ac summum bonum, ex *August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 3* Vnde de Varrone Academicō, ait, horum autem trium elegit tertium, hominem, quod nec animam solam, nec solum corpus esse arbitratur, sed vtrumque proinde summum bonum hominis ex vtriusque rei bonis constare dicit, et animæ, scilicet, et corporis: et post aliqua. Hæc ergo vita hominis, quæ virtute, et alijs animi, et corporis bonis, sine quibus virtus esse non potest, fruitur, beata esse dicitur. Si vero, et alijs, sine quibus, et virtus esse potest, vel vllis, vel pluribus beatior. Si autem prorsus omnibus, vt nullum omnino bonum desit, vel animi, vel corporis, beatissima.

Quando vita beata, & quando beatior per academicos.

32 Quod autem Plato fuerit Academicorum Princeps, docet *August. lib. 8. de Ciuit. cap. 12. & 19. de Ciuit. cap. 8.* dicti autem sunt Academici ex Schola, in qua Plato docebat, quæ Academia vocatur.

Plato Acad. caput.

Mahometani quid de beatitudine.

33 Mahomettani, ex *Auicenna lib. de Almahad cap. 2.* in corporeis voluptatibus statuunt beatitudinem; et in hoc ab

Epi-

& per quid differunt ab Epicureis,

Epicureis diſcrepant, quod iſti negantes animæ immortalitatem, in præſenti vita collocabant beatitudinem, illi vero fatentes immortalitatem, in alia vita.

Aliqua perfectio beatitudo exiſtimata multis

34 Tandem diuerſi in diuerſis eam collocauerunt, ex *Auguſt. lib. 2. de lib. arb. cap. 13.* dicente. Clamant homines beatos ſe eſſe cum pulchra corpora magno deſiderio concupita, ſiue coniugum, ſiue meretricum amplexantur. Clamant homines, ſe beatos eſſe, cum æſtu aridis faucibus ad fontem abundantem, ſalumbremque peruenerint. Aut eſurientes, prandium, cenamue ornatam, copioſamque reperiunt. Solemus audire voces clamantium ſe beatos, ſi iaceant in roſa, & in aliis floribus vel vnguentis odoratiſsimis perfruantur, Multi beatam vitam in cantu vocum, et neruorum, et tibiarum ſibi conſiſtuunt, et cum ea ſibi deſunt ſe miſeros iudicant. Luce auri, & argenti, luce gemmarum, &c. cum delectati homines ab illa lætitia, nullis moleſtijs, nulla indidigentia reuocantur, beati ſibi videntur & propter hæc volunt ſemper viuere, &c.

Beatitudo eſt poſſeſſio boni increati.

35 Dico 2. Beatitudo vera non conſiſtit in poſſeſſione boni creati, ſed infiniti, & increati. Eſt de fide, & alia vice hoc punctum exagitabitur, cum de obiecto beatitudinis agemus.

36 Prob. 1. ex *Pſal. 32. Beata gens cuius eſt Dominus Deus eius*, & *Pſ. 143. Beatus populus cuius eſt Dominus Deus eius*, *Pſ. 83. Beati, qui dubitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

37 Prob. 2. ex *Auguſt. lib. 12. de Ciuit. cap. 1.* Creatura adepto Deo beata eſt, eo non adepto miſera eſt, & *lib. 19. cap. 26.* Sicut vita corporis eſt anima, ita Deus eſt beata hominis vita. Idem dicit *lib. de cognit. vera Vita, cap. 32.*

38 Conſ. ex *Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. vlt.* in caducis nequit conſiſtere beatitudo.

39 Prob. 3. Beatitudo eſt poſſeſſio ſummi, et perfectiſſimi boni, ad aliud non ordinabilis, ex ipſomet Phyloſopho, vt *in art. 1.* Nullum autem bonum creatum eſt huiuſmodi; quodlibet enim propter aliud amabile eſt: ergo.

Ex Phyloſ.

40 Prob. 4. Beatus ex ipſomet Phyloſopho, eſt, qui habet quidquid vult, & nullam habet indigentiam. Sed in cuiuslibet creati poſſeſſione non poteſt hoc haberi: ergo.

41 Prob. 5. Beatitudo, ex *Boetio lib. 3. de conſolat. Phyl. c. 4.* eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus, ſed bonorum creatorum poſſeſſio hæc non habet: ergo.

Ex S. Script.

42 Prob. 6. Homo tunc erit Beatus cum Deum, vt eſt videbit: ergo. Antec. prob. ex *Pſal. 16. Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua*, & 1. *Ioan. 3. Similes ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*, & 1. *Cor. Videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo non in bono creato, ſed increato conſiſtit beatitudo.

43 Prob. 7. ex *Matth. 25.* dicetur. *Electis, venite benedicti Patris mei poſſidete regnum vobis paratum.* Ergo in hoc, non vero in poſſeſſione boni creati, conſiſtit beatitudo.

44 Conſ. ex eod. *Matth. cap. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ergo in poſſeſſione boni increati ſita eſt. Euang. Matt.

45 Conſ. 2. ex eod. *cap. 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.*

46 Prob. 8. ex *Io. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* Ex Ioan.

47 Conſ. ex *Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

48 Prob. 9. Inſuper ex *Gen. 15.* vbi ait Deus Abrahæ, *ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Ergo in Dei poſſeſſione ſtat noſtra beatitudo. Ex Gen.

49 Prob. 10. ex *Pſal. 72. Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram*, & poſtea concludit, *Pars mea Deus in æternum.* Ex Pſalt.

50 Conſ. ex *Pſal. 30. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.*

51 Conſ. 2. ex *Pſal. 35. Apud te eſt fons Vitæ, & lumina tuo videbimus lumen.*

52 Prob. ex *Tobiæ 9. 5. Omnia ſimul in te vno habentes.* Ex Tob.

53 Prob. 12. *Exodi 35. Oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.*

54 Prob. 13. ex *Sap. 5. Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud altiſſimum.* Ex Sap.
Ergo poſſeſsio Dei eſt vera beatitudo.

55 Prob. 14. ex *Luca 23.* Vbi promittitur latroni gloria, & ei dicitur, *hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergo in eius ſolius poſſeſſione, & fruitione ſtat beatitudo. Ex Luca.

56 Prob. 15. ex *Philip. 1. Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Ergo hoc eſt bonum beatificans. Ex Philipp. & Cor.

57 Conſ. ex eod. 2. *Cor. 5. Dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino*, & poſt aliqua. *Voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et ideo contendimus*, &c. hic ergo eſt viatorum ſcopus, Deum poſsidere.

Argum. ad oppoſitis.

58 Prob. nunc ab oppoſito. In bono quocunque creato non reperitur completa bonitas: ergo. Antec. prob. Primo, *Eccleſ. 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccleſiaſt. 3. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filijs hominum, vt diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem.* Tertio, *Eccleſiaſt. 1, 8. Cuncta res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone. Non ſaturatur oculus, viſu, nec*

auris

*auris auditu impletur*. Quarto, *Eccles. 8. 17. Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, & quanto plus laborauerit ad quærendum tanto minus inueniat etiam si dixerit sapiens, se nosse non poterit reperire.* Idem *cap. 1. Agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam addit laborem.* Ergo ex Dei oraculo in hac ingenti hominis ignorantia, & spiritus afflictione requies non adest beatifica.

## ARTICVLVS IV.

### *An Beatitudo admittenda sit in hac Vita.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4 sent. dist. 49 quæst. 12.* Docet in hac vita non dari beatitudinem, sed in alia.

Sensus art.

59 Adu. 1. Quod adhuc cum Philosophis, & de conceptu communi beatitudinis agimus: An scilicet dari possit vera beatitudo in hac vita. Rursus alia vice hoc punctum exagitabitur; supposito nimirum, quod in visione, et fruitione Dei, sita sit beatitudo, an conferri possit in hac mortali vita. Et an de facto conferatur.

Beatitudo in re & spe.

60 Adu. 2. Hic sermonem esse de beatitudine in re, quæ consistit in actu videndi, & fruendi summo bono, (quodcunque, pro nunc illud sit) an, scilicet detur in hac vita. Non autem de beatitudine in spe, nimirum de operationibus quibusdam procedentibus à virtutibus, ac donis Spiritus Sancti, de quibus *Matth. cap. 5. Beati pauperes* spiritu; beati mites; beati qui lugent, quæ quidem sunt octo, & nomen beatitudinis sortiuntur, quia operationes illæ spem certam habent veræ beatitudinis in re. His præmissis

Qui docuerunt dari beatitudinem in hac vita.

61 Dico 1. Multi docuerunt, in hoc vita haberi posse beatitudinem.

Iudæorum error in hoc

62 Prob. Iudæi etiam ante Christi aduentum id dixerunt, ex *Alphonso de Castro. Ver. Beatus secunda hæresis*. Imo ex hoc errore ait processisse petitionem Vxoris Zebedæi pro filijs *dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in Regno tuo.* idem refert Petrus Galatinus *lib. 12. cap.* subdens modernos Iudæos sperare, se accepturos beatitudinem, vt mercedem bonorum operum, in præsenti vita.

Epicuræi.

63 Prob. 2. Philosophi fere omnes id docuerunt. Epicuræi enim id axioma tenebant, *Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas*, & proinde in hac vita beatitudinem admittebant, ita *Augustin. lib. de Stoicis, & Epicuræis cap. 3. Damasc. lib. de hæresibus. Cicero lib. 3 Tusc. qq.*

64 Athæi, quos cum Epicuræis coincidere refert *Gualterius in cap. 109.* Idem docent; & de vtrisque loqui videtur *Apost. ad Philip. 3. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam nunc autem, & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Athæi.

65 Stoici, ex *Augustin. vt in art. præced.* in virtute animi ponebant beatitudinem. Ipsi autem nec animæ immortalitatem, nec aliam futuram vitam agnoscebant, ideoque in præsenti statuebant beatitudinem. Vnde eos impugnans *Augustin. lib. 19. de Ciuit. cap. 4.* ait, *hanc in his malis vitam constitutam, eos non potuit beatam vocare. Si beata est, manetur in ea; si verò propter ista mala fugitur ab ea, quomodo beata est*, & loquitur de Catone se interimente, vt à malis huius vitæ liberaretur, & in fine ait, *salus, quæ erit in futuro sæculo, ipsa erit etiam finalis beatitudo*, quam isti Philosophi, quoniam nolunt credere, hic sibi conantur falsissimam fabricare. Stoici, Eos impugnat Aug.

66 Diogenes ex *Stob. ser. 101.* beatitudinem eam esse dicebat, quæ facit, vt mens, & anima in perpetua tranquillitate sit, & numquam turbetur, aut tristetur. Diogenes.

67 Solon ex *Laert. lib. 6. cap. 1.* beatitudinem in secundis rebus admittebat. Solon.

68 Iamblicus ex Stobeo, vbi *supra*, eum beatum esse docebat, qui Deo, quatenus fieri potest esset similis, perfectus, simplex, purus, &c. & ita de alijs adduci possent innumera exempla, quæ concludunt aliquos authores in præsenti vita, beatitudinem confinxisse. Iamblicus.

Non datur de facto beatitudo in hac vita.

69 Dico 2. Non potest, nec debet de facto admitti vera beatitudo in puro homine pro præsenti vita. Dixi *de facto*, quia de possibili est alia quæstio. Dixi *in puro homine*, vt excluderem Christum Dominum, de quo alias.

70 Prob. 1. De ratione beatitudinis est, vt beatus habeat quidquid vult, & nihil mali velit, ex ipsismet Philosophis, ex *Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 5. & 6.* sed hoc nullus homo purus habet, aut habuit in præsenti vita, miserijs plena: ergo.

Ex August.

71 Prob. 2. ex eodem *Augustin. ibid. c. 6.* Beatitudo excludit omnia mala; & finitis omnibus malis, ac completis omnibus bonis, homo fit beatus. Nullus autem adeo demens est, vt dicat se omni malo carere, & omni bono abundare. *Homo enim*, ex *Iob 14. Natus de muliere repletur multis miserijs, &c.*

Ex eodem Augustin.

72 Prob. 3. ex *Augustin. lib. 13. de Trin. cap. 7.* sine immortalitate nequit esse beatitudo: ergo.

Ex August. nerum.

73 Prob. 4. ex *Augustin. lib. 13. de Trin. cap. 8.* Beatitudo cum mortalitate non coniungitur. Posset enim amitti per mortem; & tunc sciret homo se eam amissurum. Et sic, vel volens amitteret, & sequitur, quod beatitudo non esset summè volibile. Vel

nolens, & ſic anguſtiaretur de timore amittendi eam. Vel, nec volens, nec nolens, & ſic non curaret de ſummo bono.

A priori arg.

74 Prob. 5. Beatitudo, eſt tranquillitas abſque aduerſitate, & controuerſia animæ, & corporis. Sed contrarium habetur in hac vita; ex *Galat. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Spiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non ea, quæ vultis faciatis.* Vnde *ad Rom. 7. Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* ideo ſæpè cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et de omnibus in perſecutione poſitis, ait 2. *Cor. 1. ita, vt taderet eos viuere.*

A ſufficienti arg. Neque virtutibus prædici, ſunt beati in hac vita,

75 Prob 6. Si beatitudo in præſenti vita eſſet admittenda, maximè concederetur in viris virtute præditis, vt Stoici docebant, hi enim abſque animi perturbatione, & magna cum tranquillitate exiſtimantur operari. Sed neque iſti beati ſunt, nec tranquillè viuunt: ergo. Maior à ſufficienti patet, non enim alius dari poteſt conuenientior ſtatus, cui tribuenda ſit beatitudo. Minor prob. ex *Auguſt. lib. 19. de Ciu. cap. 4.* diſcurrente per ſingulas virtutes. Virtus prudentiæ non facit beatum, hæc enim tota vigilantia attendit, ne in bonis appetendis, & malis vitandis error aliquis obrepat; & ſic in continua ſollicitudine eſt prudens; nec tamen ad ſuum peruenit finem, vt bona malis non miſceantur: & ita non habet quidquid vult, nec tranquillitatem. Iuſtitia non facit beatum hæc enim dictat hominem Deo ſubdendum, corpus animæ, ſenſum ſpiritui; & tamen, cum hac ſollicitudine, neque ad finem iſtum non peruenitur; homo enim Deo, & caro ſpiritui continuè rebellant. Et ſic donec infirmitas hæc perſeuerat, longe abeſt beatitudo. Fortitudo non facit beatum; hæc enim dictat patienter mala omnia tolerare, etiam mortem; et ardua, ac difficilia alacriter aggredienda; et ſic in continua malorum perpeſſione viuit fortis. Vbi ergo eſt beatitudo, quæ mala omnia arcet? Temperantia tandem non facit beatum, hæc enim moderationem in victu, veſtitu ſtudio, et alijs eiuſmodi dictat; et ſic temperatus in continua eſt ſollicitudine, ne moderatio vulneretur, et intemperatum quid inſurgat. Et tamen ad perfectam temperantiam quouſque anima corpori eſt vnita, non peruenitur, et proinde moleſta hæc infirmitas non eſt beatitudini conſentanea. Ergo ſtatus virtuoſi non eſt beatus, et ſic in præſenti vita non datur beatitudo.

De ſingulis virtutibus patet, quod quietem nó adducunt, ſed moleſtiã

Non peruenitur ad finem virtutũ in hac vita,

Argum. ad impoſſibile.

76 Prob. 7. Vel præſens vita amatur, vel non amatur, quidquid dicitur nequit eſſe beata. Nam ſi amatur, cum perdenda ſit timor hic, et certitudo perditionis, miſeria eſt; quia non poſſidetur, quod optatur. Si verò non amatur, nequit dicit beata. Vitam enim beatam omnes appetunt. Ergo vita præſens non poteſt eſſe beata.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. In hac vita habetur cognitio vera, ac certa Dei per fidem, eiuſque dilectio ſuper omnia: ergo. Beatitudo enim in his conſiſtit, nam ex *Auguſt. lib. de Beata vita in diſput. prima dici, Beatus eſt, qui Deum habet, & lib. 5. confeſſ. c. 4.* Beatus eſt, qui Deum ſcit, etiam ſi alia neſciat, *& libro 8. de Ciuit. cap. 9.* Beatus eſt, qui fruitur eo, quod amat. Sed in hac vita Deus habetur per fidem, et amatur amore amicitiæ, ſeu propter ſe; ergo habetur de eo fruitio.

Cognitio obſcura Dei nó eſt beata.

77 Reſp. diſt. anteced. habetur cognitio clara diſtincta, et intuitiua Dei, nego: Obſcura confuſa, et abſtractiua, concedo, et nego conſequ. ad probat. reſp. eodem modo. Credentes enim in Deum, eumque propter ſe diligentes, dicuntur beati in ſpe, non in re. In patria autem habetur beatitudo in re. Vtrumque docet *Auguſt. lib. 13. de Trinitate cap. 7.* addens quod *Beatus in ſpe, non eſt beatus.*

Ob. 2. ex *Matth. 5.* multa beatorum genera in hac vita aſſignantur, ob varias virtutes, aut dona Spiritus Sancti, ait enim *Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati qui lugent,* vſque ad octo, etc. ergo.

Beatitudines ſunt dona Dei,

78 Reſp. ex dicendis in proprio art. neg. conſequ. Nam licet eiuſmodi virtutes, ſeu dona, vt paupertas ſpiritus, mititas, patientia, etc. dicantur beatitudines, non tamen ſunt illa beatitudo, quam nos inquirimus, quæ conſiſtit in poſſeſſione ſummi, et perfectiſſimi boni. Et qui hæc dona, ſeu has virtutes poſſident, ſunt beati in ſpe tantum, non in re.

Ob. 3. Beatus ex *Auguſt.* et communi ſententia, ille dicitur, qui habet quidquid vult, et nihil mali vult, ſed dantur in hac vita, qui hoc habent. Iuſti enim, et perfecti homines dantur, et ita temperati, vt omnibus ſint contenti, cum nihil habent, de quibus Apoſtolus 2. *Cor. 6. Nihil habentes, & omnia poſſidentes,* nec aliquod noxium volunt.

Beatus dicitur talis per aſſecutionẽ ſummi boni.

79 Reſp. diſt. Beatus per hoc tantum eſt beatus, nego. per hoc, et alia ex quibus hoc ſequitur, concedo. Beatus enim talis formaliter eſt per aſſecutionem, et dilectionem ſummi boni; ad hoc autem ſequitur eum habere quidquid vult, et nihil mali velle, quia confirmatus eſt in bono.

Ob. 4. Si quid obſtaret quin detur beatitudo in præſenti vita, maximè eſt mortalitas. Sed hæc non obſtat. Nam Chriſtus Dominus, eſtò mortalis, fuit beatus ſemper in anima. Paulus etiam eſtò ad tempus fuit beatus, nam ex *Auguſt. lib. 83. qq. q. antepenult. ad Oroſium,* loquens de raptu Pauli, ait, cum vidiſſe Deum eo modo, quo Beati vident in patria. Et tamen erat mortalis: ergo.

Beatitudo Pauli temporalis.

80 Reſp. nego min. ad prob. dico, licet vtrumque verum eſſet, vt in proprio quæſito, ſed non obſtare noſtræ concluſioni. Hic

enim

enim loquimur de facto, et lege ordinaria, & de eo quod accidit regulariter, saltem, vt in pluribus. Exceptis autem his, dicatur, si alij numerari possint. Secundo, loquimur de perfecta, & completa beatitudine, non admittente molestias, & passiones, quæ, nec à Christo, nec à Paulo abfuerunt. Quod vero Christus fuerit semper beatus in anima, ait *Scotus in dist. 49. quæst. 12. ad arg.* fuit continuum miraculum.

Christi beatitudo in hac vita, cõtinuum fuit miraculum.

## ARTICVLVS V.

### *An, & pro quo tempore admittenda sit vera beatitudo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 6. §. Hic duo.* Cum catholica fides, in alia, & æterna vita beatitudinem reperiri docet, *in quæst.* verò 12. ex professo quærit, an in præsenti vita possit haberi, & respondet negatiuè. Sed de hoc possibili alias quæretur.

Sensus art.

81 Adu. Hic sermonem esse de vera beatitudine, quæ consistit in possessione summi boni continentis omnia bona, quæ quidem consistit in visione clara Dei, & fruitione eiusdem perpetua, & incommutabili, de quo postea. Primò ergo inquirimus, an hæc boni possessio post hanc vitam admittenda sit, & postea, de possibili, an dari possit in hac vita. Deinde per plura quæsita, & disputationes inuestigabimus in quo consistat.

Beatitudo datur in alia vita.

82 Dico. Fatendum est, vt fidei articulus, quod post præsentem vitam datur beatitudo, cuius boni, & electi sunt participes.

83 Prob. 1. ex *Tobiæ* 2. 18. *Filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo.*

Ex vet. test.

84 Prob. 2. ex *Isa.* 64. *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti exprætantibus te.*

Ex eodem *Isa.* c. 65. *Ecce enim creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo.*

85 Prob. ex *Isa.* 35. *Lætitia sempiterna erit super capita eorum gaudium, & lætitiam obtinebunt; & fugiet dolor, & gemitus.* & cap. 60. *Populus autem tuus omnes iusti hæreditabunt in perpetuum terram germen plantationis meæ. Opus manus meæ ad glorificandum.* Ergo in alia vita.

86 Prob. 3. ex *Dan.* 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Ex eodem cap. 12. *Qui autem docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

87 Prob. ex *Psal.* 15. *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo satiabor, cum apparuerit gloria tua vsque in finem. Psal.* 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psal.* 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ergo in alia vita.

88 Prob. nunc ex nouo testam. *Mat.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, cap.* 13. *Tunc fulgebunt iusti, sicut Sol in Regno Patris eorum, cap.* 25. dicet. *His qui à dextris eius erunt, venite benedicti Patris mei possidete Regnum vobis paratum à constitutione mundi:* & post. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Ex nouo test. Ex Matt.

89 Prob. ex *Lucæ* 12. *Beati serui illi, quos, cum venerit Dominus inuenerit vigilantes, amen dico vobis faciet illos discumbere, &c.* & cap. 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes, &c.* Ex Luca.

90 Prob. ex *Ioan.* 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum, cap* 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis, cap.* 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c.* & cap. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Ex Ioann.

91 Prob. ex *Apost. ad Rom.* 8. *Quos iustificauit illos, & glorificauit.* et 1. *Cor.* 2. *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, & post, sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum, vobis autem reuelauit Deus per spiritum suum.* ep. ad Rom.

Et cap. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, cap. 15. *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum; Stella enim differt a Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptionem; seminatur ignobilitate, surget in gloria, &c.*

92 *Ad Philip.* 3. *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Ad Philipp.

93 *Ad Timot.* 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illo iustus iudex, non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Ad Timot.

94 Prob. ex *Iacobi* 2. *Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes* Iacobi ep.

*Regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe:* ergo.

Ex Apocal. 95 Prob. ex *Apocal. 2.7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei,* & *v. 10. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, c. 3. Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius, cap. 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare, nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, cap. 12. Regnabunt in ſæcula ſæculorum, cap. 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, cap. 21. Afferent gloriam, & honorem gentium in illam: & non intrabunt in eam, niſi qui ſcripti ſunt in libro Vitæ Agni, & ſerui eius ſeruient illi. & videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.*

96 Prob. tandem innumeris alijs Scripturæ locis in ſequentibus, pro vt neceſsitas explicandi beatitudinem expoſcet, adducendis.

Symbolis omnibus. 97 Prob. ex *Symbolis Apoſtol. Nicæno. Conſtantinopolit. & Athanaſij*, in quibus ponitur articulus fidei de Vita æterna.

Concil. Flor. 98 Prob. ex *Concil. Florent. ſeſſ. vlt. in decr. Vnionis §. 6.*

99 Prob. nunc ex Patribus. *Dion. Areop. de Eccl. Hier. cap. 7.* Sanctæ animæ in regeneratione id habituræ ſunt, vt ex Dei ſimilitudine ad inconuertibile tranſeant. At vero caſta Sanctarum animarum corpora, cum quibus vna, & vitæ mortalis iter ægerunt, et ſimul deſcripta ſunt, ſimulque certarunt, pro ſacris ſudoribus ſuis, in animarum firmitate, ac ſede, reſurrectionem quoque recipient propriam.

Dion. Areopag.

Tertull. 100 *Tertull. cap. 18. in Apologet.* Sed & obſeruantibus (id eſt legem) quæ præmia deſtinauit, vt qui producto æuo iſto iudicaturus ſit ſuos cultores in vitæ æternæ retributionem, &c. & *lib. de præſcript. hæret. cap. 13.* Regula fidei eſt, vt credamus, Chriſtum venturum, cum claritate ad ſumendum Sanctos in vitæ æternæ, & promiſſorum cælestium fructum, &c.

Origene; 101 *Orig. in Pſal. 36. hom. 5.* Ne forte aliquid myſticum deſignet hoc tempus, quo indicetur futuræ repromiſsionis, et hereditatis, & gratiæ, ſpes talis quædam futura, vt os iuſtorum non cibis, et potu, neque delicijs, & voluptatibus, non veſcendo repulis, ſed meditando ſapientiam repleatur. Vltrà enim non erit aliquis imperitus in regno Dei, non indocilis permanebit; nullus erit à rerum ſcientia peregrinus, omnes efficiemur, ſi tamen mærebimur, diſcipuli ſapientiæ, &c. hæc *Orig.*

Basilio. 102 *Baſilius Mag. homil. in Pſal. 45.* De cælesti Hieruſalem, ait. Nam & ibi primogenitorum, ac deſcriptorum congregatio in cælis, ob immutabilium Sanctorum, vitam, & ſecundum legem cælestem gubernatam ſtabilis, ac perpetua eſt. Ordinem vero, & ornatum illius perdidiciſſe, naturæ non eſt humanæ. Ibi namque ſunt, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus ſe, præterquam, quia et myriades ſunt ibi Angelorum, & Sanctorum conuentus feſtiui, et primogenitorum Eccleſia deſcriptorum in cælis.

Cypriano, 103 *Cyprianus epiſt. 56.* Cum cæperit Deus ſingulorum merita recognoſcere, mittere in gæhennam nocentes, et perſecutores noſtros flammæ perpetuæ ardore damnare nobis vero mercedem fidei, et deuotionis exoluere, quæ erit illa gloria, & quanta lætitia admitti, vt Deum videas honorari, vt cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis, ac lucis æternæ gaudium capias, Abraham, et Iſaac, et Iacob, et Patriarchas omnes, et Prophetas, Apoſtolos, et martyres ſalutare; cum iuſtis, & amicis Dei in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; ſumere illic, quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Et in *ſer. de Aſcenſ. Chriſti*, habet. Exultabunt ſanè Sancti in gloria videbunt Deum, et gaudebunt, lætabuntur, & delectabuntur, et fruentur gloria, et in fœlicitate æterna iucundabuntur. Ibi non guſtabunt, quam ſuauis ſit Deus, ſed implebuntur, et ſatiabuntur dulcedine mirifica; nihil eis deerit, nihil oberit; omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit. Non ſeneſcent, non tabeſcent non putreſcent amplius. Perpetua ſanitas, fœlix æternitas, beatitudinis illi ſufficientiam confirmabunt.

Ex eodem iterum.

Ex Ambroſ. 104 *Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 1.* In alterum terram vocatur homo plenam beatitudine, vbi non falſa pro veris, ſicut in hac vita, ſed vinam rerum cernat ſubſtantiam, eo quod excuſſa corporis, ac ſenſuum, ac vocis nebuloſa quadam imagine, corruptibilem caliginem deponat, et reuelata facie beatæ vitæ, gratiam luſtret obtutu.

Greg. Nyſſ. 105 *Greg. Nyſſ. orat. 1. de pauperibus amandis.* Nunc quidem præclaram ſpem, & lætitiæ plenam expectationem; poſt autem, quando iſtius aſſiduè fluentis carnis ſpolijs exuti, immortalitatem induerimus, vitam beatam nullam finem habituram, nullis malis obnoxiam, in ſummis admirandis, quæque hic à nobis cognitione comprehendi non poſſunt, verſantem gaudijs, & voluptatibus.

Ex Auguſt. 106 *Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 16.* habet: Illa namque viſio Dei tantæ pulchritudinis viſio eſt, & tanto amore digniſſima, vt ſine hac quibuslibet alijs bonis prædítum, & abundantem non dubitet Plotinus infœliciſſimum dicere, & *libro 22. cap. 30.* habet, Quanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia omnibus. Nam quid aliud agatur, vbi

nulla

nulla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, nescio. Omnia membra, & viscera incorruptibilia corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena certa, secura, sempiterna fœlicitas: & post aliqua. Certè, vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec aliquid volet spiritus, quod nec spiritum possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, &c. Verus honor, vera pax. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, &c.

Profutura vita hæc habenda.

107 *Chrysostomus in epist. 5. ad Theodorum.* Quid igitur ea vita beatius erit? Non est cur illic pauperiem metuas, & morbum. Omnis affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur; omnia erunt pax, lætitia, gaudium. Omnia serenitas, & tranquillitas; omnia dies, & splendor, & lux. Nec aderit vespera, nec frigus, nec æstas, nec alia huius generis immutatio. Non illic senium, nec senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni, è medio, & è pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit, vbique incorruptibilis gloria; & quod omnium est maximum, continua fruentur conuersatione cum Christo, vna cum Angelis, Archangelis, &c. multa, quæ ibi enumerat *Chrysost.*

Chrysost.

108 *Hilarius in Psal. 60.* Cum in tabernaculo Dei habitaturi simus in sæcula sine vllo, scilicet ætatis modo in æternum fluentibus sæculis: & post aliqua. Hæc enim hæreditas Sancti, est vita, & incorruptio, & Regnum, & coæterna cum Deo habitatio.

Hilario.

109 *Theodoretus in Psal. 91.* Quoniam futura vita ab huiusmodi curis est libera, iure requies nuncupatur. Propterea Paulus exclamat, *Festinemus ingredi in requiem eius.*

Theodoret.

110 *Damascenus lib. 4. fidei orthod. c. 28.* ait. Qui bona egerunt, fulgebunt, sicut Sol, vna cum Angelis in vitam æternam, cum Domino nostro Iesu Christo, quem perpetuò cernent, ab eoque cernentur, sempiternamque ex eo voluptatem carpent.

Damasceno

111 *Fulgentius in epist. 4. cap. 8.* de æterna vita, ait. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta, & excelsa humilitas, cum & in carne, & in mente nostra, nulla remanserit praua cupiditas; nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus; nulla erit ibi sollicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis; nulla nobis iustitiæ indigentia, sed cum delectatione securitas plena. Ibi enim erimus perfecta celsitudine beati, &c. multa. Tunc habebimus, & amabimus; tunc satiabimur, cum delectatione; & delectabimur cum satietate. hæc *Fulgen.*

Fulgentio.

112 *Gregor. Mag. homil. 37. in Euang.* Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere in circumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, &c. multa.

Greg. Mag.

113 Possent omnes Ecclesiæ Patres, & Scholastici adduci ad hunc fidei articulum comprobandum, dandam scilicet post præsentem vitam, æternam beatitudinem, iustis tantum præparatam; sed quia superfluum est, cum tota Ecclesia ab initio mundi id crediderit, & in declarandis beatitudinis conditionibus, aliæ authoritates Sacræ Scripturæ, & Patrum sint adducendæ; hæc nunc dixisse sufficiat, de eius futura existentia. Ideo ad alia transeamus.

## ARTICVLVS VI.

### *An statim post mortem conferatur Beatitudo.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 46. quæst. 12.* docet, quidem in hac vita non conferri alicui beatitudinem Christo excepto, de quo ait fuisse perpetuum miraculum. Sed, an electis conferatur statim post mortem, an verò differatur post aliquod tempus, nempè vsque ad iudicium, non discutit ex ijs tamen, quæ sparsim docet, apparet negatiuè tenere. Nam *in 4. sent. dist. 50. quæst. 3.* supponens beatos de facto videre Deum, & omnia, quæ formaliter sunt in Deo, quærit, an beati videant pœnas damnatorum, & de eis tristentur: et ita respondet *sub B. Dico quod non; quia beati omnia vident in Deo, sicut in primo obiecto eorum volito, & volunt quod Deus vult. Vident autem, Deum velle pœnas eorum, & intelligere eas, ideo volunt eas intelligere, vt Deus, & velle, vt Deus vult eas. Nec propter hoc est tristitia in eis.* hæc *Scotus*. Ergo secundum eum de facto ad sunt beati in Cælo.

Scoti mens.

114 Adu. Sensum quæsiti esse. An statim, ac electorum animæ ex hoc corpore exeunt admittantur ad gloriam, seu beatitudinem; an differatur harum admissio vsque ad diem iudicij, dum animæ corporibus vnientur.

Sensus quæsiti.

115 Adu. 1. Quod licet nunc, vt dicemus, sit de fide, electos decedentes, et ab omni macula purgatos ad beatitudinem recipi. Antiquitus tamen multi Doctores, et SS. Patres docuerunt, neminem admitti ad Dei visionem, et fruitionem, nisi post iudicium; neque id ipsorum Sanctitati præiudicat; non enim adhuc erat ab Ecclesia definitum, quid esset tenendum, cum de anno 1336. à *Benedicto XII.* id fuerit declaratum, vt ex *constitut.* eius 4. incipiente *Benedictus*. Inter cæteros autem, qui id de-

Antiquorum sent. variæ.

defendebant, ſunt Iræneus, et Iuſtinus martyres, Tertullianus, Lactantius, Origenes, Chryſoſtomus, & alij plures. Et à pleriſque adduntur præcipui Eccleſiæ Coriphæi, Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, & omnium poſtremus Bernardus, qui à cæteris recedit, docens, Sanctos quo ad ſubſtantiam in cælis eſſe, ſed aliud non videre, niſi Chriſti humanitatem. Sed horum dicta, ac placita infra diſcutiemus.

Bernardi ſent.

116 Adu. 3. Rationem dubitandi in hac materia ortam eſſe, ex varia intelligentia textus *ad Hebr.* 11. 39. vbi de Sanctis veteris teſtamenti prolixè diſcurrens Apoſtolus, tandem concludit, *& hi omnes teſtimonio fidei probati, nunc non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſumarentur.* Ex quo colligunt Sanctos non adhuc recepiſſe beatitudinis præmium, ſed illud expectare vſque ad reſurrectionem.

Aſſa ſubdiuiſio art.

117 Adu. 4. Quod eſtò de fide nunc ſit, ante diem iudicij electos ad beatitudinem admitti; non tamen ſtatim poſt mortem omnes; ſed iuxta purgationis exigentiam id eſſe metiendum, vt ex *Concilij Florent.* regula præſcribitur.

Photius cũ Græcis ſent. de beatitudine vſque ad iudicium differenda docuit.

118 Adu. 5. ex *Salelle reg.* 262. Photium cum omnibus ferè Græcis hanc ſententiam dilationis beatitudinis, vſque ad diem iudicij tenuiſſe; eamque certum eſt ſchiſmaticos purgatorium negantes, adhuc tenere. Præterea Fraticelli ex eodem *Salelle reg.* 277. inter alios errores hunc docuerunt, quem tandem ex eodem *reg.* 292. amplexatus eſt Caluinus *lib.* 3. *inſtitut. cap.* 20. *§.* 20. ne vllam ex antiquaris ſpurcitijs renouandam amitteret. Quæ quidem ſententia pro hæreſi adſcribenda eſt ijs tantum, qui poſt Benedicti XII. definitionem, nimirum ex 4. *Kal. Feb. anni* 1336. ei adhæſerunt, vel adhærebunt.

Quando electi admittuntur ad beatitudinẽ.

119 Dico ergo. Admiſſio morientium electorum ad Beatitudinem, non differtur vſque ad diem iudicij; ſed ſtatim, ac à maculis ſunt eorum animæ purgatæ, ad eam admittuntur. Eſt de fide.

Bulla Benedicti XII.

120 Prob. 1. ex *conſtitut.* 4. *Bened.* XII. *§.* 3. vbi ait. *Definimus, quod ſecundum communem Dei ordinationem, anima Sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini Noſtri Ieſu Chriſti paſſionem deceſſerunt, nec non Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum fidelium defunctorum poſt ſacrum ab eis Chriſti baptiſma ſuſceptum in quibus nihil purgabile fuit, nec erit quando decedent etiam in futurum; vel ſi tunc fuerit aliquid purgabile in eiſdem cum poſt mortem ſuam fuerint purgata, ac quod animæ puerorum eodem Chriſti baptiſmate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati ante vſum liberi arbitrij decedentium mox poſt mortem ſuam, & purgationem prædictam in illis, qui purgatione indigebant, etiam ante reaſſumptionem corporum, & iudicium generale poſt Aſcenſionem Domini Noſtri Ieſu Chriſti in cælum fuerunt ſunt, & erunt in cælorum Regno, & Paradiſo cæleſti cum Chriſto Sanctorum Angelorum conſortio aggregata; ac poſt Domini Noſtri Ieſu Chriſti paſſionem, & mortem viderunt, & vident diuinam eſſentiam viſione intuitiua, & faciali:* & poſt aliqua. *Quodque videntes, eadem diuina eſſentia perfruuntur. Nec non, quod ex tali viſione, & fruitione eorum anima, qui iam deceſſerunt, ſunt verè beata, & habent vitam, ac requiem æternam, & erunt illorum, qui poſtea decedent, cum eandem diuinam videbunt eſſentiam, ipſaque perfruentur ante iudicium generale, &c.* ergo.

Concil. Flor. etiam.

121 Prob. 2. ex *Concil. Florent. in ſeſſ. vlt. in decreto Vn. Græca Eccl. cum Lat.* & eſt *conſtit.* 17. *Eugen. IV. Lætentur, in §.* 6. ſic definiente. *Illorumque animas, qui poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contracti peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ, vt ſuperius dictum eſt ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & vnum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diuerſitate alium alio perfectius:* ergo.

Conſt. cõtra Lutherum.

122 Prob. 3. ex *conſtitut.* 40. *Leon. X. Exurge, num.* 40. vbi decernitur animas à purgatorio ſuffragijs Eccleſiæ liberatas non minus beari, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent: ergo.

Conſt. Canonizationum.

123 Prob. 4. ex Bullis, ſeu Conſtitut. Canonizationum Sanctorum, in quibus Romani Pontifices, vel explicitè dicunt Sanctos in cælo videre Deum, eoque frui, vel implicitè id ſupponunt, cum de eis loquuntur. Imò aliquando id definiunt: ergo.

Aſſumpta probantur, *Paſchalis II. conſtit. 3. in canoniz. S. Petri Aragonia Epiſcopi de anno* 1110. ait, vt pro nobis intercedere dignetur. Idem dicit *Innocent. II. conſtitut. Vnic. de Sancto Hugone*, idem *Alex. III. conſtitut.* 1. *de S. Eduardo Rege Anglia*, & *conſtitut.* 4. *de S. Thoma Archiep. Cantuar. Cœleſt. III. de S. Vbaldo conſt.* 1. *Innoc. III. conſt.* 3. *de S. Homobono*, ait in proemio. *Aſſumuntur Sancti in gloriam à Deo. Gregor. IX. conſtitut.* 4. *de S. Antonio Patauino*, ait, *honoratur in cælis, & eſſe maruit cum Chriſto in cœleſtibus, & de S. Dominico conſtitut.* 8. ait, *Peruenit in Sancta Sanctorum in gloria. Alex. IV. conſtitut.* 3. *de S. Clara*, dicit. *In regale cœleſte Palatium introducta cum gloria. Vrbanus IV. conſtitut.* 3. *de S. Riccardo*, ait, *tranſiuit ad patriam, ad inacceſſibilem lucem, & in ea fœliciter inhabitat. Eugen. IV. conſtit.* 27. *de S. Nicolao Tolentinate*, ait, *moriens maruit audire intra in gaudium Domini tui. Leo tamen X. conſtit.* 38. *de S. Franciſco de Paula, §.* 39. circa finem, dicit, *de fratrum noſtrorum ſpeciali conſilio, & aſſenſu*

Ex dictis Rom. Pont. in canonizandis Sanctis.

De multi Sanctis exẽpla.

*sit decernimus, & definimus, bonæ memoriæ Franciscum de Paula Minimorum institutorem, in cælesti Ierusalem inter beatorum choros iam receptum, æternaque gloria condonatum fuisse, &c.* Et, vt alios omittam *Bonifac. VIII. in cap. Vn. de Reliq. & venerat. SS. in 6.* de Sanctis insignioribus, magnificè loquens, ait de Deo, *Et si eunctos eius ministros magnificet, altis decoret honoribus, & cælestis efficiat beatitudinis possessores illos tam ea, &c.* Ergo mater Ecclesia, vt dogma fidei tenet, hoc medio tempore inter mortem, & iudicium, animas Sanctorum iuxta purgationis ordinem in cælum recipi, & beatitudine perfrui.

Euang. Lucæ

124 Prob. 4. ex *Luca* 23. Saluator dicit latroni, *hodie mecum eris in Paradiso*, & licet id intelligi possit de esse per spem ratione gratiæ, tum collatæ, quia Christus ea die non ascendit in cælum, vt de fide est, sed post dies 40. tamen de ascensu, saltem cum Christo intelligendum est, ait enim Interl. & Ambrosius in hunc locum, *Vita est esse cum Christo; quia vbi Christus est, ibi regnum.*

ep. ad Philip.

125 Prob. 5. ex *Philipp.* 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Interl. ait. *Præsentialiter. Ambros.* in hunc locum, ait, *habet desiderium excedere, & cum Christo esse, multò melius æstimans, vt præsens sit apud Deum, vt exoptans, & promissis fruatur.* Et post aliqua, ait, quis non tertij cæli cupidus sperneret omnem curam præsentem? quis non Paradisi superioris desiderio, omnia hæc postponeret? quis non post tanta exitia eligeret requiem, &c. ergo Apostolus post mortem, immediatè ad Deum se peruenturum sperabat. Si enim vsque ad iudicium hoc erat differendum, quid ei conferebat ex tunc exire de carne.

Act. Apost. de Steph.

126 Prob. 6. ex *Act. Apost.* 7. de Stephano dicitur, *Cum esset plenus Spiritu sancto intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait, ecce video cælos apertos, & filium hominis stantè à dextris virtutis Dei*, & post, inuocabat dicens, *Domine Iesu suscipe spiritum meum, & obdormiuit in Domino.* Interl. Ver. *Suscipe*, ait, *in cælum.* Glossa Ordinar. Ver. *Obdormiuit*, dicit Sancti non moriuntur, quia temporalis vita in æternam vertitur. Ergo sciebat Stephanus, ex tunc, se esse regnaturum cum Christo in cælo.

Conc. Trid.

127 Prob. 7. ex *Concil. Trident. sess.* 25. *in decreto de inuocat. Sanctor. &c. Mandat Sancta Synodus Episc. &c.* docentes, *eos sanctos vna cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre:* & post aliqua, *Illos verò, qui negant, sanctos æterna fœlicitate fruentes inuocandos esse, aut illos pro hominibus non orare, vel ritum esse in cælo regnantibus, voce, vel mente supplicare, impiè sentire.*

S. Cypriano,

128 Prob. 8. ex *S. Cypriano de exhortat. mart.* in fine. Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc lætum exire inter præsuras, & angustias glorioſum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eosdem statim, vt Deus videatur, & Christus. Tam fœliciter migrandi quanta velocitas; terris repente subtraheris, vt in regnis cælestibus reponaris. Hæc *Cyprianus, & lib. de mortalit. Sanctor.* in fine, præ cæteris habet. Ad horum conspectum, & complexum venire, quanta nobis, & illis in communi lætitia est? qualis illic cælestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam summa, & perpetua fœlicitas? illic Apostolorum gloriosus Chorus; illic Prophetarum exultantium numerus, &c. Ergo de facto illi Deum vident eoque fruuntur, iuxta Cypriani sent.

S. Greg. Naz. diffuse, & clarè.

129 Prob. 11. ex *S. Greg. Nanz. orat. in Pulcheriam Imperat. filiam.* Igitur si à te puella migrauit, ad Dominum recurrit. Tibi oculum clausit, verum sempiterno lumini aperuit, à tua mensa discessit, sed ad Angelicam adiuncta est. Hinc auulsa planta, verum in Paradiso consita est, à Regno in Regnum translata est; Purpuræ florem exuit, at cælestis regni amictum induit. Doles, quod illa corporis pulchritudo non amplius videatur: non enim veram illius animæ pulchritudinem intueris, quæ nunc in festo Conuentu Cœlestium exultat. Quam ille pulcher oculus est, qui Deum aspicit. hæc *Nanz. & in orat. in fratrem Cæsarium*, ait, animam eius in cælum penetrasse; & post Angelorum choreas, ac beatorum virorum gloriam, splendoremque spectare; vel potius vna cum eis tripudiare, & exultare, magno Regi assistere, & emicante inde lumine compleri, mercedem esse laborum, ac bonorum operum, & sacræ nostræ mistagogiæ finem, tum ab libris sacris, tum ab Theologis definiri. Ita *Nanz.* Ergo ante iudicium fit admissio ad beatitudinem.

Chrysost.

130 Prob. 10. ex *S. Ioan. Chrys. or. de S. Philogonio*, vbi præ cæteris ait, hinc abiens, & ciuitatem suam relinquens, in alteram, quæ est Dei ciuitatem ascendit, & hanc Ecclesiam deserens, in illam conscriptus est, quæ est primogenitorum descriptorum in cælis; ac festis istis relictis, ad celebrem Angelorum Conuentum translatus est. Qua in celebritate, de medio Conuentu versari Regem ipsum, quem vident omnes, quantum capere possunt, tum præsentem, tum splendore maiestatis suæ omnes, qui cum eo sunt collustrantem. hæc *Chrysost.*

Ambros.

131 Prob. 11. ex *S. Ambr. qui in epist 54. de SS. Gervasio, & Protasio*, ait. *Quorum anima in cælo, corpus in terra, & cap. 22. in Lucam, de S. Petro flente*, loquens, dicit. *Vnde te euocem Petre, vt doceas me quid flens cogitaueris, vnde loquam te euocem? de cælo vbi iam choro insertus es Angelorum, an etiam de tumulo:* ergo,

Prob.

132 Prob. ex *S. Hieron. de obitu Læta in epiſt. ad Marcellam*, ſic loquente. Pro breui labore, æterna beatitudine fruitur, excipitur Angelorum Choris, Chriſtum ſequitur, &c. *in lib. contra Vigilant.* in principio, dicit. Ais, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel ſubter aram Dei, animas Apoſtolorum, & martyrum conſediſſe, nec poſſe ſuis tumulis, & vbi voluerint eſſe præſentes: & poſt aliqua. Tu Deo legem pones? Tu Apoſtolis vincula injicies; vt vſque ad diem iudicij teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo, de quibus ſcriptum eſt, ſequuntur agnum quocumque vadit. Si Agnus vbique, ergo & hi, qui cum agno ſunt, vbique eſſe credendi ſunt. Tertio *in Pſal.* 65. Martyres, ſiue reliqui Sancti, Prophetæ, Patriarchæ, Apoſtoli, &c. Omnes promiſcuè electi pro diuerſorum munerum donis, Deo perpetuas concinunt laudes. Quorum, vt congregemur meritis, deprecantes oramus, vt iungamur præmijs, &c. Ergo de facto ſunt in gloria. Ex Hieron.

133 Prob. 12. ex *S. Gregor. Mag. lib.* 4. *moral. cap.* 27. vbi de iuſtis loquitur. Poſtquam de corporibus tranſeunt, nequaquam per morarum ſpatia, ſicut antiqui Patres à cæleſtis Patriæ perceptione differuntur. Mox quippe, vt à carnis colligatione exeunt, in cæleſti ſede quieſcunt: & poſt aliqua. Prius quam Redemptor noſter, morte ſua, humani generis pœnam ſolueret, eos etiam, qui cæleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis, inferni clauſtra tenuerunt, &c. Vnde, & idem Redemptor noſter pro noſtræ culpæ debito occumbens, inferna penetrat, vt eos, qui ei inhæſerant, ad cæleſtia reducat. Idem *Gregor. lib.* 25. *moral. cap.* 9. ait. Ante reſurrectionem Sancti, ſingulas ſtolas accipiunt, quia ſola animarum pulchritudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri ſunt; quia cum meritis beatitudine, etiam carnis, beati gloriam poſſidebunt. hæc *Greg.* Greg. Mag.

134 Prob. 13. ex *Cyrillo Alex. in libro ad Reginas*, dicente præ cæteris. Olim corporibus liberatæ in ſubterranea profunda dimittebantur animæ Sanctorum, mortis receptacula complentes. Poſtquam verò Chriſtus ſpiritum ſuum Patri commendauit, hanc etiam nobis dedicauit viam. Non enim nunc ad inferos deſcendemus, ſed in eo potius illum ſequemur, ac fideli creatori animas noſtras commendantes in ſpe bona viuimus, &c. hæc *Cyrillus*. Cyrillo Alexand.

135 Prob. 14. ex *S. Baſilio in homil.* 40. *Matt.* Vos non terra occubuit, ſed cælum ſuſcepit apertæ ſunt vobis Paradiſi portæ, & *orat. in Gordium mart.* ait. Velut Angelorum manibus ſe ipſum commiſſurus, qui ſtatim ipſum recens mactatum aſſumptum ad beatam vitam translaturi eſſent. S. Baſilio.

136 Prob. 15. ex *S. Gregor. Nyſſeno orat. in S. Ephrem*, inter alia dicente. Tu vero diuino aſſiſtens altari, vitæque Principi, & Sacroſanctæ vna cum Angelis ſacrificans Trinitati omnium noſtrum recordare, nobiſque peccatorum veniam impetra. Greg. Nyſſ.

137 Prob. 16. ex *S Proſpero lib.* 1. *de vita contempl. cap.* 1. Poſt hanc vitam, ſuccedet ſecura victoria, vt omnes milites Chriſti, qui vſque in finem vitæ præſentis diuinitus adiuti, ſub hoſtibus infatigabiliter reſtiterunt, laborioſa iam peregrinatione tranſacta, regnent fœlices in Patria; cuius hoc erit totum præmium, vt vitæ homo contemplatiuæ, ſemel compos effecta ineſplebiliter authorem beatitudinis ſuæ conſpiciat, de illo gaudeat, de illo quod ſperauit obtineat, & in eo, ad quod Sanctè viuendo peruenerit, ſine fine permaneat. hæc *Proſper.* Proſpero.

138 Prob. 17. ex *S. Fulgentio ſer. de S. Stephano*. Hodie miles de tabernaculo corporis exiens, triumphator migrauit ad cælum. Idem ad cæli Palatium perenniter regnaturus aſcendit. Hodie ergo Stephanus ſtola eſt immortalitatis indutus. Fulgentio.

139 Prob. 18. ex *S. Leone I. ſerm. de S. Laurentio*. Nihil obtines, nihil proficis ſæua crudelitas, ſubtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte, tu deficis flammis tuis. Leone Mag.

140 Hæ & aliæ innumeræ congeri poſſunt Patrum ſententiæ, ſed ſuperfluum puto eas adducere, cum Eccleſia infallibili ſuo decreto iam firmauerit, animas iuſtorum ab omni macula purgatas, mox in cælum recipi, Deum videre, eoque perfrui.

142 Prob. 19. Eccleſia orat pro animabus defunctorum. Miſſa enim pro defunctis tota ad hoc ordinatur, tam in introitu, *requiem æternam dona eis Domine*, quam in orationibus, tractu, offertorio, &c. Item de quibuſdam Sanctis habetur oratio *Deus, qui animæ famuli tui Gregorij æternæ beatitudinis præmia contuliſti, &c.* ergo. Ex praxi orationum Eccleſiæ.

143 Prob. 20. Rationibus ex ſcriptura adductis, *in Pſal.* 37. *ver.* 30. qui fere totus de Chriſto eſt, habetur, *aſcendiſti in altum cæpiſti captiuitatem dediſti dona hominibus.* Interl. Ver. *Aſcendiſti*, ait. *O Chriſte ad dexteram Patris.* Ver. *Captiuitatem*, ait, *homines, qui erant in lege captiui.* Gloſſa Ordin. ait, Prius ad inferos captos, hæc ſunt ſpolia, ſimilitudo triumphi, accepiſti, vel dediſti dona hominibus, quod etiam fit in triumphis. *Hier.* vero in hunc locum, ait. Cælorum excelſa conſcendens, eos, qui in captiuitate diaboli tenebantur abſoluit, ac poſt ſe, tamquam captiuos deductos æternæ vitæ reſtituit, ſic & carnem aſſumptam, tamquam captiuam euexit ad ſydera. Imo, & hic eſt Pauli ſenſus ad *Epheſ.* 4. *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia, & deſcendit primum in inferiores partes terræ, &c.* Gloſſa Interl. ait, ad inferos deſcendens, duxit captiuitatem, Rationibus ex ſcript. deductis, ſed claris.

quam

quam inde traxit. Glossa Ordin. Ver. *Captiuitatem*, ait, id est eos, quos diabolus captiuauerat à Paradiso, & proprios mundi, & inferni fecerat, iterum captiuos fecit Christus, dum ad Cælum reducuntur. Hæc Gloss.

Ex descensu Christi ad inferos.

144 Prob. 21. Articulus fidei est Christum ad inferos descendisse, neque ob aliud nisi, vt ibi existentes liberaret. Si autem eos in cælum non euexisset. Non apparet in quo consisteret liberatio.

Ex apparitionibus SS. & reuelatione suæ beatitudinis.

145 Prob. 22. ex Sanctorum apparitionibus, & suæ gloriæ reuelatione. Patet de Sancta Agnete, quæ (ex eius Historia) Parentibus ad eius sepulchrum vigilantibus, quadam nocte choro virginum comitata, cum apparuisset, sic allocuta est. Nè me parentes mortuam lugeans, nam vna cum his virginibus viuo apud illum in cælis, quem in terris tota mente dilexi.

146 Ex reuelatione facta S. Antonio Abbati, ex *Palladio in Hist SS. PP. cap.* 27. cupienti enim scire, vbi esset locus iustorum, & peccatorum; inter alia vidit aues quasdam sursum volantes, alias autem in lacum descendere, eique dictum est, quas vides animas superuolasse, animæ sunt iustorum, quæ ab Angelis seruantur in Paradiso, &c.

147 Ex reuelat. facta Sancti Saluio Abbati, ex *Greg. Turon. lib. 7. Hist. Franc. cap.* 1.

148 Ex reuelatione facta Fratri Alberto Ordin. Prædicatorum de gloria S. Thomæ Aquinatis, ex S. *Anton. 3. par. Chron. tit.* 23. *cap.* 7. *§.* 12.

Multi Sancti id reuelant.

149 Ex reuelatione duobus Monachis facta de gloria S. Benedicti decedentis, ex vita eius. Viderunt enim eam pretiosissimo ornatam pallio circum eam fulgentibus lampadibus clarissima, & grauissima specie virum stantem supra caput ipsius, & dicentem, hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus in cælum ascendit.

150 Ex reuelat. facta discipulo cuidam S. P. Francisci (ex vita illius à S. Bonau. descripta) ipse enim animam illam fœlicem conspexit sub specie stellæ præfulgidæ, candidæ, subuectam, nubecula, super aquas multas in cælum tramite recto conscendere, et post aliqua. Vt à visione cælestis lucis, & gloriæ, ne modicum retardari valeret, ait, S. Bonauentura.

151 Ex reuelatione S. Gallæ cui apparuit S. Petrus, & illam, vt secum veniret inuitauit, & cum illo abijt, ex *Greg. M. lib. 4. dial. cap.* 11. de Thrasilla eiusdem S. Greg. Amita, ex eod. *cap.* 16. et alijs multis, quas refert *Greg. per totum lib. 4 dial.*

152 De anima S. Hieronymi, quam Cyrillus Hierosol. ab Angelis gestatam cælum versus conscendere conspexit, ex *Marulo libr. 6. cap.* 16.

153 De anima S. Pauli primi Eremitæ, quam inter Angelorum choros in cælum conscendere vidit S. Antonius Abbas, ex *Hier. in Vita S. Pauli.*

154 De Anima S. Augustini aliquibus conspecta ad cœlum volare, ex *Marulo lib. 6. cap* 16. Et ex aliis innumeris reuelationibus quas referre tædiosum esset.

Ex vsu Eccl. ab initio circa inuocationem SS.

155 Prob. tandem ex vsu, et praxi ab initio Ecclesiæ circa Sanctorum inuocationem in nostris calamitatibus, ex *Concil. Trident. sess.* 25. *in decr. de Inuocat. SS.* Si autem cum Deo non regnarent in gloria, frustranea esset eorum inuocatio. Et proinde Sanctorum transitus ex hac vita, Ecclesia non vocat mortes, sed natalitia, quia in æterna vita nascuntur, ait, *Nicolaus I. ad Consul. Bulgar. cap.* 5. Et proinde tenet, etiam vt probabile ipsamet Ecclesia, quod eorum gloria vsq; ad diem iudicij augeatur, ex *cap. Cum Martha de celebr. Miss. S. fin.*

Arg. contra validũ prima facie, ab author. SS. & Eccl. DD.

156 Ob. contrà præfatum dogma. SS. Patres antiqui, ijque Martyres, et Ecclesiæ Doctores contrarium docuerunt: ergo. Anteced. prob. S. *Irenæus Martyr. lib. 5. adu. hæres.* in fine, sic loquitur. Cum Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant, post deinde corporaliter resurrexit, & post resurrectionem assumptus est, manifestum est, quia et discipulorum eius animæ abibunt in inuisibilem locum, definitum eis ab eo, & ibi vsque ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem; post recipientes corpora, & perfectè resurgentes; hoc est corporaliter, quemadmodum Dominus resurrexit: sic venient ad conspectum Dei: hæc *Irenæus*.

Irenæus.

157 *Tertull. lib. 4. aduer. Marc.* de Lymbo, & sinu Abrahæ in quo PP. SS. detinebantur, ait; eam itaque regionem, sinum dico Abrahæ, & si non cælestem, sublimiorem tamen inferis interim refrigerij præbituram animabus iustorum, donec consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine mercedis expugnat hanc aparitura cælesti promissione, ad quam ascensum Christus ædificat in cælum, vbi est locus æternus, & *in lib. de anima cap. antepenult.* ait. Nulli patet cœlum, terra adhuc salua, nè dicam clausa, cum transactione enim mundi referabuntur regna cœlorum, & post. Habes etiam de Paradiso à nobis libellum, quo constituimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini, &c. hæc *Tertullian.*

Tertull.

157 *Iustinus Martyr. lib. qq. à Gentibus positarum q.* 60. ait. Nemini ante resurrectionem ex his, quæ in vita gessit præmium reditur.

Iustinus.

158 *Origenes hom. 7. in Leuit.* ait. Nondum Sancti receperunt lætitiam suam, nec Apostoli quidem; sed & ipsi expectant, vt ego lætitiæ eorum particeps fiam, &c. multa.

Origenes.

159 *Ambrosius lib. de bono mortis cap.* 10. ait, Scriptura Esdræ habitacula, animarum

Ambros.

promptuaria nuncupat, et occurrens quæreſę humanæ, eò quod iuſti, qui præceſſerunt videntur vſque ad diem iudicij, per plurimum ſcilicet tempus, debita ſibi remuneratione fraudari, mirabiliter ait, coronæ eſſe ſimilem diem iudicij, coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eumdem diem, & iuſti erubeſcant, & victores palmam adipiſcantur victoriæ.

Auguſtinus, & ſæpè,

160 *Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 9.* De animabus electorum loquens, ait, in ſecretis animarum receptaculis, ſedibuſque requieſcunt. *lib. 12. Gen. ad lit. cap. 32.* Quærit, ad quę loca animæ deferuntur dum à corpore exeunt, & multa docet, quibus apparet, non eſſe eius ſententiam, quod animæ ad cælum ducantur, ſed ad loca quædam, *& in cap. 36.* loquens de viſione clara Dei, ſicut eam habent Angeli Sancti, dicit hoc vtique non deerit, cum receptis corporibus in reſurrectione mortuorum mortale hoc induet immortalitatem, item *in libro de ſpir. & lit. cap. 33.* vbi videtur docere, quàm coronat Dominus, quando dicet, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, *& in Enchir. c. 99.* Tempus, quod inter hominis mortem, & reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquęque digna eſt, vel requie velęrumna, item *tract. in Pſal. 36.* ait. Poſt iſtam vitam paruam, non dum eris, vbi erunt Sancti, quibus dicetur, venite benedicti; non dum ibi eris, quis neſcit? ſed iam poteris ibi eſſe, vbi illum quondam vlceroſum pauperem dives ille ſuperbus, & ſterilis in medijs ſuis tormentis vidit à longe requieſcentem, in illa requie poſitus; certè ſecurus expectas iudicij diem, *& in Pſal. 43.* habet, illâ viſio facie ad faciem, liberatis in reſurrectione ſeruat. Ergo *Auguſt.* tenuit contrarium.

Alij multi ab initio Eccleſię docuerunt contrarium.

161 Poſſunt, & alij innumeri adduci antiqui Doctores, qui ab initio in Eccleſia floruerunt, & propinquiores Apoſtolis fuerunt, qui aſſerunt, nullum ante diem iudicij viſurum Deum, ſed iuſtorum animas in receptaculis quibuſdam Deo notis detineri, & inter Recentiores non infimi meriti eſt S. *Bernardus*, qui de an. 1153. mortuus eſt, & tamen eandem doctrinam accerimè defendit; nam *in ſer. 3. omnium SS.* præ cæteris dicit, in illam beatiſſimam domum, nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis, id eſt, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne, *& in ſerm. 4.* de SS. Patribus ante Chriſtum ait, in hunc locum, id eſt in ſinum Abrahæ, Saluator deſcendens, vinctos de domo carceris, ſedentes quidem, hoc eſt quieſcentes, ſed in tenebris, & vmbra mortis, iam tunc quidem ſub altari Dei collocauit, abſcondens eos in tabernaculo ſuo, & protegens eos in abſcondito tabernaculi ſui, donec veniat tempus, in quo procedant completo numero fratrum, & percipiant Regnum, quod eis paratum eſt ab origine mundi. Et paulo poſt declarans illud *Apoc. 6. Vidi ſub altare animas interfectorum, &c.* dicit. Altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, ego pro meo ſapere nil aliud arbitror eſſe, quam corpus ipſum Domini Saluatoris, &c. & poſt. Interim ergo ſub Chriſti humanitate Sancti fœliciter quieſcunt, donec veniat tempus, quando iam non ſub altari collocentur, ſed exaltentur ſupra altare. Sed quid dixi? numquid humanitatis Chriſti gloriam, non dicam hominum, ſed, vel Angelorum aſſequi poterit quis, nedum ſuperare? quonam igitur modo dixerim ſuper altare eos exaltandos, qui nunc ſub altari quieſcunt? viſione vtique, & contemplatione, non prælatione. Oſtendet enim nobis filius ſemetipſum, non in forma ſerui, ſed in forma Dei. Oſtendet etiam nobis Patrem, & Spiritum ſanctum, ſine qua viſione, nihil ſufficeret nobis, quoniam hæc eſt vita æterna, vt cognoſcamus Patrem, &c. hæc Bernardus. Ergo ipſe tenet, vſque ad finem mundi differri beatitudinem veram, & propriam, quæ conſiſtit in viſione Dei; & in hoc concordat cum alijs antiquis Patribus. Addit præterea, quod hoc medio tempore ſint quidem in cælo cum Chriſto, ſed non vident aliud, quam humanitatem Chriſti.

Sæpè replicat hanc dilationem gloriæ vſq; ad iudicium

S. Bernard. alijs incedit.

162 Reſp. ad hæc omnia, primo generali reſponſione, quod Sanctorum loquantur de beatitudine completa, & omnimode perfecta, quæ erit quando totus homo in anima, & corpore erit beatus; hoc enim vſq; ad diem iudicij differendum, fides docet.

Reſponſio vniuerſalis, quod loquũtur de gloria completa totius hominis.

163 Reſp. 2. Quod ſi aliqua ex allatis authoritatibus hanc reſponſionem non admittit; non eſt multum de ea curandum; nam quoniam ante Benedictum XII. non ſolum ab Eccleſia hoc non fuerit definitum, alioquin, nec ipſemet Ioannes XXII. qui eum præceſſit de hoc dubitaſſet; ſed neque id erat de communi Eccleſiæ ſenſu. erat enim vnicuique permiſſum in proprio ſenſu abundare. At poſt tale decretum hæreſis eſt contrarium aſſeuerare; & hinc non mirum, ſi inter Fraticellorum hæreſes computatur, eſtò enim hi præceſſerint Benedictum, tamen poſt eius decretum pertinaces in ſententia permanſerunt; ideo etiam inter Caluini hæreſes computatur. Neque obſtat, quod etiam inter Photij, & Græcorum errores connumeretur; non enim ex tempore Photij, nec in alijs ſequentibus vſque ad tempora Benedicti, hæc ſententia habita eſt, vt hæretica, ſed poſt dictum tempus.

Si autẽ reſponſio non quadrat omnibus, parum eſt de hoc curandum.

Irenæi arg. ſoluitur, quia eius erat ſent. & quare.

164 Ad Irænеum ergo, Tertullianum, Lactantium, & alios multos id tenentes dicendum, mirum non eſſe, ſi id docuerunt, quia fabulam millenariorum ſecuti ſunt. Ita *S. Hier. lib. de Scriptoribus Eccleſ. c. 18.* vbi loquens de Papia, ait. *Hic dicitur mille annorum iudaicam edidiſſe fabulam, quam ſecuti ſunt Irenæus, & Apollinaris, & cæteri*

*ri qui post resurrectionem aiunt in carne cum sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque & Victorinus, &c.* idem replicat in procmio *ad cap. 65. Isaiæ*. Et licet multi conentur saluare Irenæum ex aliis suæ doctrinæ locis, actum agunt, quia asseueranter docuit contrarium vbique.

Idem dicendum ad Iustinum, & Origenem, istius enim opinionis fuerunt.

Ambrosij arg. soluitur euidenter.

165 Ad Ambrosium, quod attinet, est exploratissimum eum ibi loqui de gloria completa, & corona triumphali, quæ toti homini conuenit post resurrectionem. Nam præter ea, quæ ex illo adduximus in *epist. 54. de Sanctis Gerualio, & Protbasio*, habet, *quorum anima in cælo, corpus in terra, & in lib. de bono mortis cap. 111.* ait, *in Apostolo docuimus lectum, dissolui, & cum Christo esse multò melius. Solutio autem ista quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur, & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit liberè quæ ipsa est, cum Christo futura sit, & in cap. 7. Apocal* ait, In cæleſti beatitudine, vbi singulis temporibus, ex omnibus gentibus Tribubus, & linguis congregantur, tanta eorum efficitur multitudo, vt nullo numero comprehendi possit: & paulo post, docet. Palmas, non solum Sancti martyres, quibus victoria specialiter adscribitur, sed & omnes electi, qui in hoc sæculo positi contra visibiles, & inuisibiles hostes fortiter dimicarunt, in cælesti beatitudine possident. hæc *Ambros.* vbi de præsenti loquitur. Igitur nullum est dubium de Ambrosij sententia.

Clara sunt eius dicta.

Aug doctrina pensanda

166 Ad *August.* de quo maximè angor. Dico, fieri potuit, vt aliquando ita sentiret, sed non semper ita docuit. Nam in *tract. 124. in Ioan.* ait, *non esse consentaneum, vt ei discipulo Iesus, quem diligebat præ cæteris in tantum, vt super pectus eius discumbere mereretur pro magno munere longum in corpore donauerit somnum; cum Beatum Petrum per ingentem martyrij gloriam ab onere ipsius corporis soluerit, eique concesserit, quod Apostolus Paulus se concupisse dixit, & scripsit, dissolui, & esse cum Christo. & in serm. 117 de diuersis*, in calce, ait. *Non dum ergo receptis fructibus suis beati sunt modo Sancti martyres, quoniam cum Christo sunt anima eorum. Quid autem paretur illis in resurrectione, quis potest verbis explicare?* ergo concedit, quod animæ cum Christo sunt; & ait, *beati non sunt, & fructus non receperunt; quid aliud per hoc intelligit, nisi quod completam beatitudinem corporis, & totius hominis adhuc non obtineant, lib. 12. in Gen. cap. 34.* vbi de mansione Sanctorum loquitur, ait. *Sine in tertio cælo, sine vbicunque alibi, quo post tertium cælum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid vnum est diuersis nominibus appellatum, vbi sunt animæ beatorum, in lib. soliloq. cap. 53.* inter multa, de mortuis in Domino, ait. *O verè felices, qui de exilio ad patriam, de carcere ad palatium peruenerunt, optata iam quiete beati, qui brauium illud perpetuæ gloriæ, quod hic per multas tribulationes quæsierunt, iam felici iucunditate adepta lætantur in perpetuum. O verè beati, qui tam omnium malorum exuti, securi de sua inamarescibili gloria ad regnum decori peruenire meruerunt:* & post aliqua. *O quam gloriosa arcet regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti, amicti lumine, sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso:* & sic concludit. *Felices igitur, qui de naufraga vita præsenti, ad tanta gaudia peruenire meruerunt, lib. 20. de Ciuit. cap. 13. Animæ victrices gloriosorum martyrum, omnibus doloribus, ac laboribus superatis, vtique finitis, postea quam mortalia membra posuerunt, cum Christo vtique regnauerunt, & regnant, donec finiantur mille anni, vt postea receptis etiam corporibus tam immortalibus regnent, in lib. de spir. & anima cap. 39.* ait. *Vos igitur, qui martyrij consortes fieri Sanctorum ciuium, & perfrui aterna claritatis gloria, orate pro me ad Dominum, & lib. Meditat. cap. 24.* ad sanctos in gloria existentes, sic alloquitur, *per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam fatiamini, de cuius immortalitate, tam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis.* Hæc ergo, & alia innumera eius doctrinæ suppeterent loca, ad concludendum, quod Augustinus docuerit Sanctorum animas, ante iudicium Deum videre, eoque frui: sed quia etiam si omnia adducerentur, obstant semper quæ in contrarium allata sunt, quæ in puncto loquuntur, & grauiora sunt; negare non possum, aliquando hunc Sanctum Doctorem etiam in contrariam partem propendisse, verum magis sententiæ nostræ adhæsisse, quod sufficit.

Aliquando contrarium etiam dixit

Multa S. Augus. loca probant eū tenuisse cōtrarium.

167 Ad *Bernardum* dico, quod quamuis in citatis locis, ita sensisse aliquibus videatur, in alijs tamen, imò & in illis aliter loquitur. Nam in libro, qui nuncupatur *Flores S. Bernardi cap. 26.* multa profert de felicitate beatorum, deinde ait, *desideranda sunt suffragia Sanctorum, vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur:* & infra. *Quæ ergo nos angit vesania vitiorum, sitire absinthium huius mundi, &c. & non magis conuolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem, supernæ lætitiæ, ad iucunditatem contemplatiuæ vitæ, &c. ser. in cœna Domini*, circa finem, ait. *Piorum corpora quiescunt in sepulchris, & anima cum Christo sunt. Dixerat prius de talibus dicitur, gaudent in cælum animæ Sanctorum, in ser. 2. omnium sanctor. Quos sollemni veneratione prosequimur etiam simili conuersatione sequamur. Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota anxietate curramus.* Ergo secundum eum de præsenti sunt beati.

S. Bernard. diuersè sensit.

Clerè dicit contrarium.

168 Ad loca autem adducta. Dico facil-

Loca adducta, alium sensum habent.

cillimè vindicari Bernardum, si verba contextus adducamus in primo loco, ita enim prorsus loquitur. *In illam enim beatissimam domum, nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne, neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur:* & post pauca. *Acceperunt tam singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola enim prima ipsa est, quam diximus felicitas animarum, & requies. Secunda vero immortalitas, & gloria corporum.* Ergo, de facto concedit, animas esse beatas: sed integrum hominem, ait non beari, nisi quando corpus recipitur in gloria, & tunc omnes simul recipiemus beatitudinem integram, & stolam secundam.

Conf. Nam paulo infra, ait. *Vnde, & Beatus Ioannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beata animæ requiescunt per spiritum reseranit. Sine macula inquit sunt ante thronum Dei.*

Alibi docet contrarium euidenter.

169 Ad alium locum de sermone 4. omnium Sanctorum dico, certè ita loqui Bernardum, & putare, quod sicut SS. PP. ante Christum in sinu Abrahæ detinebantur, nunc tamen in cælo; & gaudere, ac frui humanitate Christi, non vero diuinitate. Hanc enim ait videbunt, cum resurgent in corpore immortali, & glorioso; tunc enim ostendet se eis Christus, non in forma serui, sed Dei. Quare dicendum est, aliquando huic aliquando alteri adhæsisse sententiæ. Et si vixisset Bernardus post *Benedictum XII.* vel post *Concilium Florentinum*, eorum definitioni humillimè se submisisset, qui in *sermone ad Clerum Concil. Rhemensis*, grauissimis verbis docuit Pontifici Romano, in omnibus esse obediendum, & in *libro 2. cap. 6. de Vita S. Bernardi*, ipsemet dicat esse extra Ecclesiæ obedientiam idem est, ac esse extra arcam Noe, & in *epist. 185. ad Bustach.* ait. Authoritati Matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor, & gloria est.

Si Bernardus audisset decretum Ecclesiæ, illi obedisset,

Arg. ex Sac. Scrip. validú

Ob. 2. ex ipsamet S. Scriptura ad *Heb* 11. in fine, habetur contrarium ergo. Anteced. prob. Ibi enim, postquam Apostolus longam retexuit SS. historiam, qui pro Deo passi sunt innumera, eique vsque ad vitæ finem adhæserunt, quorum aliquos nominatim recenset, alios verò in confuso, & in genere; tandem concludit. *Et hi omnes testimonio fidei probati, nunc non acceperunt repromissionem Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consummarentur.* Ergo repromissio Sanctorum facienda est omnibus, simul in generali resurrectione.

Aperte explicatur, quod PP. veteres ante nouum test. non habuerunt gloriã.

170 Resp. 1. particulam illam *nunc* non haberi in omni editione. Secundo, estò in omni habeatur. Euidens est responsio, primò, quia sic intelligitur locus ille, Patres veteris legis non acceperunt repromissionem ante nos, id est ante legem nouam, et hoc significant illa verba, *vt sine nobis non consummarentur*, ita ait Glossa Ordinar.

Resp. generalis, vt quod loquitur Scrip. de completa gloria animæ, & corporis,

171 Resp. 2. neg. consequ. Apostolus enim ibi loquitur de completa, et perfecta repromissione, gloria nempe animæ simul, et corporis, quam habebunt nobiscum in fine mundi, et post diem vniuersalis iudicij. Ita Glossa Interlin. Ver. enim *Nunc*, ait, *adhuc*. Ver. *Repromissionem*, dicit, *duas stolas, & si singulas; plenam corporis, & animæ beatitudinem*, & Ver. *Pro nobis melius*, &c. ait. *Vt in communi gaudio omnium, maius fiat singulorum.* Eandem intelligentiam sequitur ibi Lyranus, dicens ex hoc loco acceperunt aliqui occasionem errandi, quod nullus intrabit ad gloriam, nisi post finalem resurrectionem, contra Apostolum 2. *ad Cor* 5. *Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam, sed æternam in cælis.* Propter hoc consummatio gloriæ de qua loquitur hic Apostolus, potest referri ad præmium essentiale, et sic non habuerunt eam patres veteris testamenti sine nobis, quia non habuerunt ante nouum testamentum. Vel potest referri ad corporis stolam, quæ generaliter non datur, nisi post vniuersalem resurrectionem, quamuis aliquibus data sit ante ex speciali priuilegio: et hoc modo Patres veteris testamenti non consumantur in gloria, sine nobis; quia Sancti veteris testamenti, et noui simul accipient gloriam corporis. hæc Lyranus.

Lyrani digna expositio.

Ob. 3. *Ioan. XXII.* vique ad mortem sequutus est sententiam contrariam, Sanctos scilicet non videre, nec visuros esse Deum vsque ad vniuersalem resurrectionem: ergo.

Ex Io. XXII. sent. arg.

172 Resp. dist. anteced. Sequutus est eam cum dubio de opposita, transeat; absolute negatur. Ratio est, quia præfatus Pontifex, vt priuatus Doctor tenebat quidem eam sententiam, et sæpè id accidit in Papa, *Extra, Ioan. XXII. de Verbor. signific. cap. Quorumdam*, volens autem in hac materia loqui, et pronunciare, vt Papa, ante mortem, vt refert idem *Benedictus XII. constitut. citata §. 1.* conuocauit Theologos pro huius rei decisione, in eiusmodi enim grauioribus Papa semper consulit doctos viros, ex *Nicol. I. epist 70.* hæc sunt Benedicti verba. *Cumque idem Prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi*, id est visionis Dei à Sanctis, *se pararet in suo consistorio publico, tam fratribus suis S. R. E. Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam Prælatis, & magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes iniungendo dixerit ius, & mandando, vt super materia de Visione prædicta, quando requirerentur ab eo deliberati vnusquisque diceret quid sentiret, tamen morte præuentus, sicut*

Papa Ioann. XXII. vt Doctor priuatus tenuit illam sent.

Factum Io. XXII. fideliter relatũ.

*sient Domino placuit perficere illud nequiuit. Defuncto usque, &c.* Ergo de hoc negotio dubitans cupiebat rem discutere, ac definire. Ergo, vt Papa nihil tale docuit, imò suspensum animum habuit. Imo quod in sententiam nostram manifestè videtur inclinasse, nam in Bulla Canonizationis Sancti Thomæ Episcopi Herfordiensis, quæ est eius *const. 7. Vnigenitus filius*, in §. 22. ait. *In hac igitur læta die, qua confessor iste in Dei throno eorona gloria clarus sedet, &c.* Deinde, *quem in terris habuisti Pastorem, nunc obtines in cælis sedulum protectorem*, & §. 23. *Multum conuenit, vt quem Deus in cælis glorificat, &c.* §. 24. ait. *Vt pia eius intercessione, & hic à noxijs protegi, & in futuro sempiterna gaudia consequi valeatis.*

Ex Bulla Canoniz. S. Th. Epis. apparet, quod tenuit oppositum.

173 In Canonizatione item S. Thomæ de Aquino, vt ex eius *const. 11. Redemptionem*, §. 8. dicit. *Quem Deus viuentem in sæculo tantis suis donis, gratijsque perfecerat, assumptum in cælis sanctificatum fore hominibus declararet*, §. 20. ait. *Rationis ordo postulat, vt Ecclesia illum veneratione præcipua percolat, quem in cælestibus agminibus positum, Deum glorificare cognoscitur*, §. 22. replicat, quæ supra dicta sunt de S. Thoma Episcopo, *vt pia eius intercessione, &c.* ergo, vt Papa tenebat, sanctos in cælis, nunc cum Deo esse, illumque glorificare, eique pro nobis supplicare. Quæ de hoc puncto dixisse sufficiant.

Idem ex Canoniz. S. Th. Aquinatis.

## ARTICVLVS VII.

### *An admittenda sit beatitudo, saltem naturalis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distinct. 45. q. 10.* Docet hæreticum esse, quod homo ex suis naturalibus possit consequi beatitudinem, *in quæst.* 11. dicit in hac vita nulli conferri beatitudinem Christo excepto, in quo fuit perpetuum miraculum, in alia autem vita beatitudinem illam, & solam docet, quæ est Dei visio, et fruitio; at *in 2. sent. dist 3. quæst. 9. E.* Admittit tam in Angelo, quam in Abraam naturalem beatitudinem.

Sensus art. duplex.

174 Adu. plures esse huius quæsiti sensus. Primus est, an per sua propria naturalia possit aliquis beari, siue in hac vita, siue in alia. Secundus est, an præter veram beatitudinem, quam fides docet, consistere in clara Dei visione, eiusque fruitione, detur beatitudo aliqua, seu fœlicitas, qua quis quietetur, absque visione Dei, & fruitione eiusdem. Quam aliqui concedere visi sunt paruulis decedentibus sine baptismo, & Adę, ac alijs hominibus in statu innocentiæ, si stetissent.

Error Beguinarum,

175 Adu. 2. ex *Prateolo lib. 2.* Ver. *Beguardi. Gualterio sæculo 14. cap. 1.* Hunc præ cæteris fuisse Beguardorum, et Beguinarum errorem, quod in præsenti vita possit homo finalem beatitudinem iuxta omnem perfectionis gradum adipisci; et quod natura quælibet intellectualis ex se, et natura sua non vero ex aliquo supernaturali lumine sit beata. Et hanc difficultatem in præsenti non attingimus, sed in proprio loco, cum de causis, et principijs beatitudinis loquemur.

Sensus nunc exagitatus.

176 Adu. 3. Sensum quæsiti in præsenti discutiendum, esse illum de beatitudine Innocentium, et paruulorum non baptizatorum. Et licet disputationem ex professo de hoc negotio sim instituturus de statu, scilicet paruulorum; aliqua tamen occasione naturalis beatitudinis hic dicemus.

Paruuli cum originali decedentes nó habent beatitudinem,

177 Dico 1. Admitti nullo modo potest, quod paruuli non baptizati decedentes ex hac vita, naturalem obtineant beatitudinem.

178 Prob. 1. ex *Concil. Florent. sess. vlt. in decreto Vnion. §. 7.* sic habetur. *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Ergo, cum paruuli non baptizati decedant cum originali, non habent beatitudinem naturalem.

Sententia Fulgentij de paruulis non sequenda.

179 Prob. 2. ex *cap. Firmissimè, de consecr. dist. 4.* Paruuli cum solo originali decedentes damnantur. Imò ex S. Fulgentij sententia (quam non sequor) cruciantur pœna ignis. Ergo tantum abest, vt sint beati naturali beatitudine, quin potius sint miseri.

A priori ratio.

180 Prob. 3. Sine Deo nullus potest esse beatus. Sed paruuli illi Deum non vident: ergo. Ma. est *August. lib. de Nat. boni cap. 7. Tale bonum est Deus, vt nemini eum deserenti bene sit, & in rebus à Deo factis tam magnum bonum est natura rationalis, vt nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus*, & *in lib. 11. de Ciuit. cap. 1. Non est creatura rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit nisi Deus:* et post aliqua. *Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est.* et post alia, *sine Deo miserum esse necesse sit.*

Ab effectu ratio.

181 Prob. 4. Paruuli illi quietem non habent sine Deo viso: ergo. Antec. prob. ex *Aug. lib. 1. Confess. cap. 1. Quia fecisti nos ad te, inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*, et *in lib. 4. confess. cap. 10. Ostende Domine faciem tuam, & salui erimus, nam quaqua versum se verterit anima hominis, ad dolores fugit præterquam in te.*

182 Prob. 5. Paruuli illi exulant in æternum à Regno Dei, ergo nulla eis inest beatitudo. Conseq. prob Hæc enim maxima est eis pœna, ex *S. August. lib. 5. contra Iud. cap. 1.* Ego ea mente intelligentia, & ratione, in qua cum factus ad imaginem Dei, tantum amo regnum Dei, vt magnam iu-di-

iudicem hominis pœnam si in illud numquam possit intrare, quod si dicturus es magna non est, sed nulla omnino pœna est imaginis Dei, numquam posse intrare in regnum Dei, puto, quod nec vni homini, cuius, nec vim, nec testimonium formidabis, hoc dicere audebis. Hæc *August.* si ergo in hac maxima sunt pœna, quam habent beatitudinem?

Ex S. Aug. plura arg.

183 Idem docuerat in *lib.* 3. *cap.* 3. Nullam pietatis esse pœnam imaginem Dei in æternum exulare à Regno Dei, cum si paruam pœnam diceretis non esset hæc vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris.

Carent summo bono.

184 Prob. 6. Quidquid videant, et quocunque potiantur, vel fruantur parvuli illi, non tamen vident, aut possident summum bonum, nec eo fruuntur, imo sciunt se illius esse capaces, eoque carere. Ergo nequeunt dici beati, cum beatitudo in omnium Ethnicorum opinione dicat aggregationem omnium bonorum in perfectissimo bono absque indigentia, vel carentia alicuius boni.

Parvuli appetunt videre Deum, & ideo tristes sunt.

185 Prob. 7. Paruuli appetunt videre Deum authorem naturæ, & vt supernaturale obiectum; & tamen id non obtinent, igitur sunt tristes, & consequenter non beati, nequit enim cum tristitia stare lætitia beati.

Male volunt summum bonum, & quare.

186 Prob. 8. ex *Aug. lib.* 13. *de Trin. cap.* 5. et *lib. de orando Deo ad Probam cap.* 5. Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil male vult. Sed paruuli non ita se habent; volunt enim summum bonum, ad quod se vident inclinatos; & malè volunt, quia contra Dei dispositionem.

187 Prob. 9. ex *Arist.* 10. *Ethic. cap.* 6. Nil beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed se ipsa contenta est. Non ita se habet status ille paruulorum: ergo.

188 Prob. 10. ex eod. ibid. *cap.* 7. Vndique perfectam hominis beatitudinem esse necesse est, nihil enim in beata vita non perfectum potest existere. non sic sunt paruuli: ergo.

Ex Arist. doctrina, plura arg.

189 Prob. ex eod. *lib. de Repub. cap.* 5. Beata vita est, omnia habere, et re nulla egere, id demum est se ipso esse contentum, satisque præsidij in se habere. Non ita sunt paruuli in alia vita. Ergo non sunt beati, neque naturali beatitudine.

Beatitudo imperfecta, seu naturalis in primis parentibus.

190 Dico 2. Defendi potest, quod aliqua, esto imperfecta, seu naturalis beatitudine Adam in statu innocentiæ positus sit; eamque habuissent alij posteri, si stetisset innocentia. Est *Scoti* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. *B.*

Ex August.

191 Prob. ex *S. August. lib.* 14. *de Ciuit. Dei cap.* 10. vbi de fœlici primorum hominum in statu innocentiæ, ait. *Quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco; quis tandem absolute dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore? quid autem dolere, vel timere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mori metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quisquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem, animamue hominis fœliciter viuentis offenderet. Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida societate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente, quod amabatur adfruendum. Erat denique tranquilla peccati: & post aliqua. Quia igitur fœlices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum; nullis corporum ladebantur incommodis; tam fœlix vniuersa societas esset humana, &c. Atque illa permanente fœlicitate, donec per illam benedictionem quæ dictum est creuisse, & multiplicamini, Prædestinatorum Sanctorum numerus compleretur; alia maior daretur, quæ beatissimis Angelis data est, vbi tam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumque neminem, & talis esset vita Sanctorum post multum laboris, & doloris, & mortis experimentum, qualis erit post hæc omnia in incorruptione corporum reddita resurrectione mortuorum.* Ergo aderat in eis beatitudo quædam, sed non ita perfecta, qualis est nunc Angelorum Sanctorum, & erit post resurrectionem vniuersalem hominum, cum in anima, & corpore erunt beati.

In quo consistebat hæc Adami beatitudo.

192 Prob. 2. ex eodem in eodem *lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 26. vbi supponens, ex *cap.* 25. Beatum esse, qui viuit vt vult, in 26. ait. Viuebat itaque homo in Paradiso, sicut nolebat, quamdiù hoc volebat, quod Deus inserat, viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; viuebat sine vlla egestate, semper viuere habens in potestate. Cibus aderat, nè esuriret, potus nè sitiret; lignum vitæ, nè illum senecta dissolueret, nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus; nullus ictus mouebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas; in anima tota tranquillitas: & sequitur. Sicut in Paradiso nullus æstus, aut frigus; sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum. Gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta; atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas. Concors mentis, corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum; non somnus præmebat inuitum. In tanta facilitate rerum, & fœlicitate hominum, &c. hæc *Aug.*

Ex eodem Aug.

Maxima fœlicitas primi hominum in statu innocentiæ.

193 Prob. 3. ex eod. *August. lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 12. Quis enim primos illos homines in Paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamuis de sua beatitudine, quam diuturna, vel vtrum æterna futura esset incertos, &c.

Ex August.

Conf.

194 Conf. ex eodem *August. lib.* 11. *de Ciuit. Dei cap* 11. vbi de Angelis, qui ceciderunt, ait. Beatos quidem fuisse creatos, sicut, & alij, qui steterunt, tamen certi non erant de suæ beatitudinis permanentia, & post multa, inquit; *tamen si verè perfectaque beata vita, non nisi æterna est non erat talis illorum vita beata, quia quandoque defitura, & propterea, non æterna, siue id scirent, siue nescientes aliud putarent, quia scientes timor; nescientes error beatos esse vtique non sinebat:* et post aliqua. *Ipsa de tanta fœlicitate cunctatio eam beatæ Vitæ plenitudinem, quam in Sanctis Angelis esse credimus non habebant.* Ergo non repugnat in via beatitudo aliqua naturalis, imperfecta. Idcoq; hæc in Adamo potest cum Augustino admitti. Imperfecta tamen, quia de permanentia non securus, & quia Deum abstractiuè tantum non intuitiuè cognoscebant, etiamsi cum Scoto in eo admittamus speciem intelligibilem impressam Dei; quia hæc ad abstractiuam tantummodo, non ad intuitiuam cognitionem eum adiuuabat; vt ex suo tractatu supponimus, & hæc obiter de Adami, ac Euæ, imperfecta beatitudine pro innocentiæ statu innuisse sufficiat. Proprius enim huius discussionis locus est *in tract. de triplici statu hominis*. Dicitur autem naturalis illa beatitudo; non quia ex naturæ veribus, quia tota illa tranquillitas, corporisque ad animam subiectio ex Dei gratia erat; sed quia erat homini concreata, & quasi naturæ donata pro illius status conditione; & tandem, quia carebat obiecto supernaturali clare viso, quod est potissimum in beatitudine.

De beatitudine Angelorum ante lapsum.

Species Dei in Adamo ad abstracti. uè cognoscendum.

Quare naturalis.

## ARTICVLVS VIII.

### *An detur aliqua species beatitudinis in præsenti vita.*

Scoti mens.

SCOTVS de alia specie beatitudinis non loquitur, nisi de vera, ac perfecta, quæ ex dicendis consistit in Dei visione, ac fruitione, & de beatitudine naturali primorum parentum. Ideo in hoc dubio aliunde motiua venabimur.

Ratio dubitandi.

195 Adu. Rationem dubitandi esse, quia in Sacra Scriptura vtriusque testamenti sæpissimè reperimus, homines quosdam viuentes nuncupari Beatos. *Psal.* 1. *Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, &c.* 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* 40. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem.* 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Et alia innumera veteris testam. loca, in quibus existentes in via pronunciantur beati. Idem colligitur ex nouo testam. *Matth.* 5. octo, imo, & nouem personarum genera enunciantur beata. *Beati pauperes, beati mites, &c. cap.* 16. *Beatus es Simon Bariona*, & alias sæpe, *Luc.* 1. 6. 10. 11. 12. 14. *Ioan.* 20. *&c. Iacobi* 1, *Petri* 1. *cap.* 3. & 4. *Apoc.* multoties.

Viatores beati, & quare ita dicti.

196 Adu. 2. ex *August. lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 4. in fine, ex quo accepit *D. Thom.* 1. p. *qu.* 69. *art.* 1. imò verius vterque ab *Apost. Roman.* 8. *Spe enim salui facti sumus*, quod beatitudo quædam est in re, quædam in spe. In re, ea est, quam possident Sancti, qui actu vident Deum, eoque fruuntur. In spe vero est actio virtuosa, & meritoria, cui debetur beatitudo in re, vnde *Apost. ad Rom.* 12. ait, *spe gaudentes.*

Beatitudo in re, & in spe.

197 Adu. 3. Communiter à Theologis admitti in hac vita octo beatitudines, ex *Matth.* 5. Licet Lucas quatuor tantum enumeret. Quæ quidem, vel sunt dona Spiritus Sancti, vel fructus, vel mixtæ, vel tandem alia Dei beneficia supernaturalia electis quibusdam collata. Quidquid autem sit de hoc, non est præsentis loci. Euidens tamen ex Euangelio eas consistere in operatione virtuosa, vel statu perfecto talis operationis. V. gr. ait Saluator *Beati pauperes spiritu; beati mites, &c.* Beatitudo est, vel mititas, & paupertas in actu exercita, vel habitus, seu esse quietum, & perfectum in actu primo mititatis, & paupertatis.

Octo beatitudines.

198 Adu. vlt. Ex communi Theolog. consensu status istos, seu operationes istas quas Saluator beatitudinis titulo donauit, dici beatitudines, non solum in spe, quia scilicet ipsis est decreta beatitudo in re; sed dici etiam beatitudines in re, sed imperfectas, & inchoatas; qui enim eas possident ex peculiari Dei beneficio ipsum Deum penitius, estò abstractiue, contemplantur, ardentius in eum inflammantur, ipsoque licet confusè cognito, perfruuntur. His positis

Istæ beatitudines in re sunt tales in via, & quomodo.

199 Dico 1. In præsenti vita admittenda est beatitudo in spe. Est communis, & de fide.

Datur in via beatitudo in spe.

200 Prob. 1. ex *Rom.* 5. 2. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Interl. habet, gloriamur de spe gloriæ. Glossa Ordinar. Ver. *Spem*, ait id est certitudinem gloriæ futuræ. Secundo, ad *Rom.* 8. 24. *Spe enim salui facti sumus.* Interl. ait, expectamus, nam certi sumus, quasi iam salui simus. *cap.* 12. 12. *Spe gaudentes.* Glossa Ordinar. inquit certi de futuris. *cap.* 15. *Per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Interl. speremus, quæ Christus accepit.

Ex nouo test.

201 Prob. 2. ex 1. *Cor.* 9. *Debet in spe, qui arat arare*, hortatur autem Corinthios ad opera meritoria cum spe gloriæ subdens, *in spe fructus percipiendi.* & 2. *Cor.* 1. *Spes nostra firma sit. Galat.* 5. *Spem iustitiæ expectamus. ad Coloss.* 1. *Propter spem, quæ reposita est vobis.* Ex his, & ex alijs, penè innumeris eiusdem Apostoli, & totius scripturæ

pturæ locis, colligitur, dari beatitudinem in ſpe, imo dici ſpem per antonomaſiam.

202 Prob. 3. ex 1. *Petri* 1. *Regenerauit nos in ſpem viuam*, id eſt cum ſpe æternæ beatitudinis.

A ſufficienti arg.

203 Prob. 4. Omnia Scripturæ veteris, imò, & nouæ, loca in quibus homines dicuntur beati, non poſſunt aliter intelligi, niſi de beatitudine in ſpe: ergo. Anteced. prob. De locis adductis in primo notabili, & de alijs, vt *Tobiæ* 13. *Beati omnes, qui diligunt te*. *Iob* 5. 17. *Beatus homo, qui corripitur à Domino*. *Pſal.* 64. *Beatus quem elegiſti*. *Pſal.* 83. *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te*. *Pſal.* 93. *Beatus homo quam tu erudieris*. *Pſal.* 127. *Beati omnes, qui timent Dominum*, &c. quæ quidem loca de ſola beatitudine in ſpe intelligi poſſunt; exiſtentes enim in hac vita, non beati, ſed miſeri de facto ſunt; vnde Apoſt. *Rom.* 7. 24. *Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*.

In hac vita magna miſeria eſt.

204 Prob. 5. ex locis adductis ex nouo teſtamento, ij enim quos Chriſtus appellat beatos, adhuc in terra miſeri ſunt, calamitatibus animæ, & corporis obnoxij. Ideoque dum beatos eos appellat aſſignat de futuro cauſam beatitudinis *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt*. *Beati, qui lugent, quoniam conſolabuntur*. *Beati, qui eſuriunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur*, &c. & ſi quando de præſenti præmium aſſignat, euidens eſt, non in re, ſed in ſpe illud aſſignare, dicens enim *Beati pauperes ſpiritus, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, patet, quod licet de præſenti fiat promiſſio; de futuro eſt poſſeſſio. Ergo de beatitudine in ſpe pro præſenti vita, nulla eſt dubitatio.

Beatitudo in alia.

Dantur beatitudines in hac vita, & quid ſunt,

205 Dico 2. Datur in præſenti vita ſtatus, ſeu operatio ſupernaturalis ex dono ſpeciali Dei, quæ appellatur beatitudo. Eſt communis de fide.

206 Prob. ex *Matth.* 5. Octo operationes, ſeu ſtatus virtutis Saluator nuncupat beatos. Nempe pauperes ſpiritu, mites, lugentes, perſecutionem patientes; eſurientes iuſtitiam, miſericordes, mundicordes, pacificos: ergo.

207 Prob. 2. Omnes aliæ operationes virtuoſæ, per quas homines in Sacra Scriptura enunciantur beati ad has præcitatas poſſunt reduci, & præſertim ad mundos corde, *Beati* enim *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, &c.

Ex SS. PP. & Scripturis.

208 Prob. 3. Omnes SS. Patres, ex cit. Matth. loco admittunt, dari octo beatitudines. Sic & Scholaſtici; qui de his agunt *in tract. de Virtutibus, & donis, ac fructibus Spiritus ſancti*. Sed vt patet ex eiſdem Chriſti verbis, in alio non conſiſtunt, niſi in actibus virtutum, ſeu in ſtatu, & eſſe quieto talium virtutum in aliquo exiſtentium: ergo.

Vnde ſumat nomen iſtæ beatitudines.

209 Dico 3. Beatitudines iſtæ conſiſtentes in ſtatu, ſeu operatione virtuoſa dicuntur tales, vel quia ſunt in ſpe, & mæritorie beatitudo, vel quia includunt imperfectam aliquam, & inchoatam beatitudinem formalem.

Ex ſpe præmij tales ſũt

210 Prob. 1. pars. Ex ipſo Chriſti oraculo. Cum enim dixit *Beati pauperes ſpiritu*, ait, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt*, & ſic de alijs: ergo, cum non de facto poſſideant; ideo tantum dicuntur beati, quia habent ſpem certam, vel mæritum beatitudinis.

Ex Hieron.

211 Prob. 2. *Hieron.* & Gloſſa Ordinar. hoc modo explicant eiuſmodi operationes virtuoſas appellatas beatitudines, quia virtutum beatitudinis præmio coronabuntur: ergo.

Ex Ambroſ. clare habetur.

212 Prob. 3. ex *Ambroſ. in cap. 6. Lucæ*, vbi declarans beatitudines quatuor poſitas à Luca, & comparans eas ad octo poſitas à Matthæo prolixum de ijs texit ſermonem, & primo ordinat eas ad præmium. Dicens inter cætera, *Beati pauperes ſpiritu, quia qui contempſerit ſæcularia mærebitur ſempiterna, nec poteſt quiſquam meritum Regni cæleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate preſſus, emergendi non habet facultatem*: & perueniens ad ſeptimam, ait, *ſeptima, beati pacifici, & bene ſeptima, quoniam eo die ab omnibus mundi operibus requieuit Deus; dies enim pacis, & quietis eſt. Octaua, beati, qui perſecutionem*, &c. *Veni Domine Ieſu doce nos ordinem beatitudinem tuarum*. Ergo per ordinem ad beatitudinem æternam, ad quam diſponunt, dicuntur beatitudines.

Beatitudines ſunt merita. & diſpoſitiones ad beatitudinem.

213 Conf. ex eodem *Ambroſ.* qui poſt multa, omnes beatitudines enumeratas reducit ad actus Virtutum Cardinalium, & de ſingulis diſtinctè diſcurrit. Ergo eatenus tales dicuntur, quia ſunt mærita, & diſpoſitiones ad beatitudinem.

Ex D. Th.

214 Prob. 4. ex *D. Thom.* 1. *par. qu.* 69. *art.* 1. *in corpore*. Cum beatitudo ſit vltimus finis humanæ naturæ, dicitur aliquis beatus propter ſpem finis illius obtinendi. Spes autem de fine conſequendo inſurgit ex hoc, quod aliquis conuenienter ad eum mouetur per aliquam actionem. Ad finem autem beatitudinis mouetur aliquis, & appropinquat per operationes virtutum: & hoc modo diſtinguit beatitudines à virtutibus, & donis, non tamquam habitus ab habitibus; ſed tamquam actus ab habitibus. Sed hoc ad nos non pertinet; colligitur tamen ex S. Doctore, quod actus virtutum, & donorum dicuntur beatitudines, eò quod ad beatitudinem æternam diſponunt cum ſpe certa illius.

Ex eodem D. Th.

215 Conf. ex eodem *art.* 2. *in corpore*, vbi quærens, an præmia beatitudinum

id eſt

id est operationum prædictarum Virtutum habeantur in hac vita, ait, spes æternæ beatitudinis potest esse in nobis propter duo, primò propter præparationem, & dispositionem ad futuram beatitudinem, quod est per modum mæriti, &c. Ergo eatenus operationes recensitæ à Christo dicuntur beatitudines, quia, scilicet ad eàm disponunt, cum certa spe obtinendi.

2. pars.

216 Prob 2. pars. Ex *August. lib. 1. de ser. Domini in monte*, vbi loquens de beatitudinibus, ait, *Ista quidem in hac vita compleri possunt, sicut completa in Apostolis esse credimus; nam illa omnimoda, & in Angelicam formam mutatio, qua post hanc vitam promittitur, nullis verbis explicari potest.* Idemque dicit *Chrysostomus*, vt aduertit primá additio in Glossam Lyr. *in cap. 5. Matth.* docens, multas ex his beatitudinibus in hac vita compleri. Alię verò post præsentem. Sed in hac vita nequit esse beatitudo aliqua perfecta, sed tantum inchoatio quædam beatitudinis: ergo.

Aliquæ beatitudines in hac vita habentur.

217 Prob. 2. ex eodem *D. Thom. 1. 2. quæst. 69. art. 2. in corpore*, alio modo dici potest beatitudo, per quandam inchoationem imperfectam futuræ beatitudinis in viris Sanctis etiam in hac vita. Et postea in solutione argumentorum assignat in quo consistat hæc inchoatio.

Neg. contr. 3

Ob. contra 2. partem 3. Nequit assignari, in quo consistat beatitudo hæc inchoata in via: ergo. Ant. prob. Cuiuslibet hominis vita, etiam perfectissimi, plena est miserijs, *militia enim est vita hominis super terram Iob 7. & ad Roman. 7. 24. Infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & Iob 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miserijs. Eccles. 2. 23. Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit, & cap. 40. 1. Occupatio magna creata est omnibus hominibus iugum graue super filios Adam à die exitus de vtero matris eorum vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentio expectationis, & dies finitionis, &c.* Ergo impossibile est, hominem in hac vita esse participem beatitudinis etiam inchoatæ.

Multæ miseriæ in vita humana.

218 Resp. neg. anteced. ad probat. dist. omnia assumpta. Grauatur homo eiusmodi miserijs, pro quolibet vitæ momento, nego; vel subdistinguo, nisi à Deo iuuetur, & subleuetur transeat. Pro maxima parte temporis, concedo, & nego consequ. Ratio est; quia, multa ex speciali Dei dono participant iusti in hac vita, quæ perfectè consumabuntur, & perficientur in alia. Nam *Ioan. 14. 23. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Glossa Ordinar. ait. Charitas facit habitare in domo, in qua pater & filius facit mansionem. Igitur iusti habent Dei possessionem per charitatem, & quo maior est charitas, eò maior est Dei contemplatio, vnde Apostolus *ad Galat. 2. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Sed vt de beatitudinibus loquamur, qui eas in terra habent de vera beatitudine aliquid participant; vt de pace, & alijs. *Pax enim multa diligentibus Dei legem. Psal. 118. ver. 165.* De consolatione, *Psal. 93. Consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. 2. Cor. 1. Deus misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* De patientia, *quia seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, &c. Apoc. 10. & Luc. 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras, Iacobi 1. Patientia opus perfectum habet.* De paupertate voluntaria, *Luc. 18. Nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam. & Isaiæ 25. Factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu.* De iustitiæ desiderio, *Benedictio Domini super caput iusti, & memoria iusti cum laudibus. Prou. 10. Lux iustorum lætificat, impius comedit, & replet animam suam, &c. Prou. 13.* Hæc sunt, & alia his similia multa, quibus iusti ratione beatitudinum, à Deo, in hac vita donatur; ideoque mirum non est, si & ob spem æternæ beatitudinis, & ob inchoationem aliquam illius, dona ista, siue habitualia sint, siue actualia, beatitudines nuncupentur.

Multa participant iusti, quæ in alia vita perficiétur.

Iusti, & electi in via multa de beatitudine cælesti participant.

## ARTICVLVS IX.

### *An Beatitudo in æternum sit duratura.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 6.* cum fide Catholica, docet, & ex Sacra Scriptura probat, beatitudinem perpetuò, seu in æternum duraturam.

Sensus art. duplex.

219 Adu. 1. Antequam ad peculiares beatitudinis difficultates descendamus, aliqua sunt præmittenda omnibus Catholicis communia, vt de æternitate, securitate, &c. nonnullis beatitudinis proprietatibus.

220 Adu. 2. Aliud est inquirere, an beatitudo sit futura æterna, & aliud an de ratione eius intrinseca sit æternitas. Primum, quia dogmaticum, hic; reliquum in sequenti discutietur.

Circuitus animarum.

221 Adu. 3. ex *Aug. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 30.* Platonicos nonnullos docuisse animarum circuitum, & consequenter, negasse statum earum perpetuum. Idem repetit *in lib. 12. cap. 20.* & vtrobique errorem impugnat. Tribuitur etiam hic error Origeni,

ni, qui, neque statum damnatorum perpetuum asserebat; sed dæmones aliquando saluandos. Ita ex Chronistis allatis à *Baron. in an.* 393. & 528.

221 Dico ergo. Beatitudo hominum perpetuò, seu in æternum est duratura. Est de fide contra Origenistas, & Platonicos.

Beatitudo in æternum est duratura.

223 Prob. 1. ex *Sap.* 5. vbi fit mentio de iudicio, de iustis, & damnatis se inuicem considerantibus; & postquam multa de infructuosa pœnitentia, & de querelis damnatorum adduxit, *errauimus à via veritatis, &c.* ait. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud Altissimum; ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Dei.* Glossa Interl. Ver. *In perpetuum*, ait. *Vita æterna.* Glossa Ordinar. Ver. *Iusti*, inquit, iustorum ostendit gloriam, qui in cælo recepti, vita beata in contemplatione Dei fruentur.

Ex vet. test.

224 Prob. 2. ex *Isa.* 33. 20 *Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod numquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum.* Ierusalem autem anagogicè, est cæleste regnum. Ideo Glossa Interl. Vet. *Ierusalem*, dicit, *cælestem.* & Ver. *Ciuitatem*, ait, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Ergo æterna erit illa fœlicitas.

225 Prob. 3. ex *Daniel* 12. vbi Angelus, ait. *Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro, & multi de his, qui dormiunt in terra puluere euigilabunt, alij in vitam æternam; alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ergo mansio Sanctorum in gloria erit æterna.

Machab. 12.

226 Prob. 4 ex 2. *Machab.* 7. 6. *Tu scelestissime in præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit:* ergo, & v. 36. *Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento æternæ vitæ effecti sunt, tu vero, &c.* Ergo etiam ipsi credebant æternitatem beatitudinis.

Ex nouo test.

227 Prob. 5. ex 2. *Cor.* 5. 1. *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manu factam æternam in cælis, & cap* 4. 17. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue, tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ videntur enim temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Ergo beatitudo erit æterna.

228 Prob. 6. ex *Matt.* 19. 16. Magister bone quid faciam, vt habeam vitam æternam? & Iesus respondit, *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Deinde, *si vis perfectus esse, vade vende, &c. & habebis thesaurum in cælo. & ver.* 29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* tandem *cap.* 25. vbi de iudicio est sermo, *& ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.*

229 Prob. 7. idem ex *Marci* 10. *ver.* 30. *Et in sæculo futuro vitam æternam.* Ex Euang.

Prob. 8. ex *Luc.* 18. 30. *Et in sæculo vitam æternam.*

Prob. 9. ex *Ioan.* 3. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* & *ver.* 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternam*, item *cap.* 5. *ver.* 39. *cap.* 6. *ver.* 17. *ver.* 40. 47. & 55. *cap.* 10. 18. *cap.* 12. 50. *cap.* 14. 17. & alijs innumeris Euangelici textus locis.

Ex tribus Symbolis.

230 Prob. 10. Ex tribus Symbolis Apostolico, Nicæno, & Constantinopolitano. Præterea ex Symbolo Athanasij asserentibus, vitam, quam Sancti expectant post resurrectionem, futuram æternam: ergo.

Hilario.

231 Prob. ex Patribus. *S. Hilarius in Psal* 60. habet. Cum in tabernaculo Dei habitaturi simus in sæcula, sine vllo scilicet ætatis modo, in æternum fluentibus sæculis: & post aliqua. Hæc enim hæreditas Sancti est, vita & incorruptio, & regnum, & cœterna cum Deo habitatio: & post alia de Israel, ait. Cæterum ipse in conspectu Dei, ipse manebit æternus; iam omnibus, quos redemit in Reges cælorum, & cohæredes æternitatis assumptis, tradens eos regnum Deo Patri, &c.

Augusti.

232 *S. Augustin. serm.* 64. *de Verb. Dom. cap.* 2. Amemus vitam æternam, & ex eo nouerimus, quantum pro vita æterna laborare debemus, *lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 7. ait, meritò illi in cælestibus sedibus constituti immortales, & beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere Sancti sunt, &c. & *cap.* 30. vbi Platonicos impugnauit, qui reditum animarum concedebant in alia corpora etiam bestiarum, in fine concludit. *Non enim beata erit anima, nisi secura. Vt autem secura sit, falsò putabit semper se beatam fore, quoniam aliquando erit, & misera, & in lib.* 12. *cap.* 20. diffusè iterum contra istas circuitiones animarum disputat, docens, animas non fore beatas, si de æternitate dubitent; cum in miserias, iterum se prolapsuras teneant.

Superfluum est alios adducere PP.

Alios Patres adducere superfluum puto cum fides id doceat.

Ratione probatur.

233 Prob. ratione Augustini. Si beatitudo non sit perpetua miserior esset ibi anima, quam hic. Hic enim beatitudinem sperat, & pro ea laborat. Ibi autem miseriam, & calamitates expectaret. Igitur inquieta, & tristis esset. Et ita, vt dicit August. spes nostræ infælicitatis esset fælix, & fælicitas infælix. Vnde fit, vt quia hic mala

præ-

præsentia patimur; ibi metuimus imminentia; verius semper miseri, quam beati aliquando esse possumus.

Alia Augustini ratione.

234 Prob. 2. alia ratione *S. Augustini lib. 13. Trin. cap. 8.* Nequit vita dici beata, nisi sit immortalis: ergo. Anteced. prob. Si potest amitti, vel beatus amitteret eam nolens, aut volens. Neutrum potest dici. non nolens, quia sic non esset beatus; non enim haberet quidquid vult; hoc autem est de ratione beati. Non secundum, scilicet volens, quia sic non amaret, sed odio haberet eam, & non appretiaret. Igitur non esset beatus.

Arg. contr. De millenaria duratione.

Ob. 1. ex *Apocal. 20.* Prædicitur, Regnum beatorum post resurrectionem esse duraturum per mille annos: ergo non erit æternum. Anteced. prob. *In his secunda mors* quæ est damnatio, *non habebit potestatem, sed erunt sacerdotes Dei, & Christi eius, & regnabunt cum illo mille annis*. Regnum autem Christi, vt supponitur, est idem, ac gloria, seu beatitudo.

Hæresis millenariorum, quæ fuit.

235 Resp. neg. consequ. Hæc enim fuit hæresis Millenariorum, quæ in ipsomet Apostolorum tempore insurrexit. Multi enim ex eiusmodi, & alijs Apostoli verbis in citato capite concluserunt, Christum regnaturum in terris per mille annos cum omnibus Sanctis, & hoc futurum post vniuersalem resurrectionem. Sed authores in hoc, varij fuerunt; Cherintus enim teste *Eusebio lib. 3. hist. Eccles. cap. 33.* docebat hanc beatitudinem in corporeis, & carnalibus voluptatibus esse complendam. Papias verò Sancti Ioannis Euangelistæ discipulus, teste *Hieron. lib. de Scriptoribus Ecclesiast.* asserebat quidem dogma de millenario Regni, non tamen docebat, quod Cherintus de beatitudine carnalium voluptatum. Eum autem secuti sunt Irenæus, Lactantius, Apollinarius, & Victorius Pictauensis, teste eodem Hieron. ibidem. Sed omnes decepti sunt. Nam per numerum millenarium futurum post resurrectionem, intelligitur vniuersitas sæculorum, & ex Scriptura suppetunt exempla de hac loquendi phrasi *Psal. 104. Memor fuit in sæculum testamenti sui verbi, quod mandauit in mille generationes*, & ex *Ecclesiastici 16. Melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij*, in quibus, vt patet *mille* stat pro vniuersitate rerum, & temporum.

Varie seruerunt authores huius hæresis.

Mille in Scriptura significat magnũ tempus.

236 Resp. 1. neg. consequ. Legenti enim textum statim occurrit ibi nullo modo fieri sermonem de beatitudine futura post iudicium, sed de agendis ante. Placet hunc textum explicare, quia considerabilis est, & deceptionis, ac erroris causa. *Apoc. 20.* narrat Ioann. hanc visionem. *Et vidi Angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi*. Hic est Christus, ait Interl. & *Ambros.* in hoc loco, qui clauem inferni possidet. *Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satbanas, & ligauit eum per annos mille, & misit in abyssum, &c. vt non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni*. Interl. & *Ambr.* docent hoc denotare tempus à Christi morte vsque ad Antichristum; in eo enim ligatus dicitur diabolus, quia non habet tantam facultatem ad tentandum, & seducendum, sicut ante; sed tempore Antichristi soluetur. *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium datum est illis. Et animas decollatorum propter verbum Dei, & qui non adorauerunt bestiam, neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis*, ait *Ambr.* id intelligi de ijs, qui patiuntur quotidie propter Deum. Per interfectos, sumi eos, qui in diuersis temporibus ociosi sunt. Per eos, qui non adorauerunt bestiam, intelligi occidendos ab Antichristo. Illi ergo, qui Antichristum præcesserunt, ait *Ambros.* viuunt cum Christo in cælo, mille annis, id est sine fine; sed quærit *Ambros.* quomodo id verificatur de Sanctis morituris in fine mundi. Et respondet per mille annos sumi tempus medium ab Ascensione Christi vsque ad finem mundi, & qui hoc tempore cum Christo regnant, per mille annos regnant, & intelligitur tota collectio electorum. sequitur textus. *Cæteri vero non vixerunt, donec consumentur mille anni*, ait *Ambros.* hos esse reprobos, qui non viuunt hoc tempore non enim sunt beati, sed damnantur, & damnatio in hoc libro vocatur mors secunda: & post aliqua. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima*, ait *Ambros.* per resurrectionem primam intelligi saluationem, cum anima à corpore soluitur, & in cælum perducitur. *In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei, & Christi eius, & regnabunt cum illo mille annis*, ait *Ambros.* hi qui saluantur, non morientur morte secunda, quando facta resurrectione corporum, reprobi in infernum proijcientur. Et nomine sacerdotum veniunt omnes electi, qui vt supradictum est hoc medio tempore vsque ad finem mundi cum Christo, per animam tantum regnant: *Et cum consumati fuerint mille anni soluetur Satbanas de carcere suo*, quia, ait *Ambros.* & Interl. vt supra, in fine mundi diabolus cum potestate antiqua seducet, tentabit, cruciabit, &c. opera Antichristi, et ministrorum eius. Deinde descendit Ioann. ad narrandum futurum iudicium, et damnationem reproborum, et concludit, *qui non est inuentus in libro vita scriptus, missus est in stagnum ignis*. Et tandem in capite seq. nimirum 21. instituit narrationem cælestis Ierusalem, et habitantium in ea: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam, &c. & mors vltra non erit, neque clamor, neque luctus,*

2. resp.

Ex ipso text. colligitur contrarium.

Sathanas ligatus quis,

Mille anni significant tempus ab Ascensione Christi vsq; ad finem mundi.

Clara explanatio textus probat contrarium,

In fine mundi diabolus resumet antiquas vires.

*quia prima abierunt, & dixit, qui ſedebat in throno, ecce noua facio omnia.* Et eleganter deſcribit cæleſtem Patriam. Ecce, quod ex tota textus contextura, erui non poteſt, quod beatitudo electorum futura ſit temporalis, aut milleannorum, ſed perpetua, quia, ſicut impij in ignem æternum, ita ibunt iuſti in vitam æternam *Matthæi* 25.

Error peſſimus Cherinti.

237 Ex quibus infertur, quam peſſimè errauerit Cherintus, Apoſtolorum coetaneus, qui vt refert *Euſebius lib.* 3. *ſuæ hiſtoriæ cap.* 28. *&* 33. docebat, poſt reſurrectionem vniuerſalem, Regnum Chriſti futurum in Hieruſalem, per dictum tempus, & homines tunc carnem concupiſcentijs, & vitijs ſubiectam habituros. Et Dionyſius Areopag. teſte eodem Euſebio hæc ait de Cherinto. *Quia hic ventri, gulæ, ac libidini erat deditus, ea futura decernebat, quæ ſibi propria libido dictabat.*

Sent. Areop. de Cherinto

Error aliorũ millenariorum ex Hieron. confutatus.

238 Infertur 2. Erraſſe etiam eos, qui regnum millenarium in Hieruſalem futurum aſſerebant, non tamen cum Cherinti immunditijs, quos *Hieronymus* refert his verbis *in lib.* 18. *in Iſa. in prooemio*. Non ignoro quanta inter homines ſententiarum diuerſitas ſit in repromiſſionibus futurorum, quando debeant accipi; & qua ratione intelligenda ſit Apocalypſis Ioannis, quam ſi iuxta litteram accipimus, iudaizandum eſt. Si ſpiritualiter, vt ſcripta eſt diſſerimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire, Latinorum, Tertulliani, Lactantij, Victorini: Græcorum, vt cæteros prætermittam, Irenæi tantum Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem, aduerſum quem Vir eloquentiſſimus Dionyſius Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex elegantem ſcribit librum, irridens mille annorum fabulam, & auream, atque gemmatam in terris Hieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium ſabbathi, circumciſionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium ſeruitutem, &c. cui duobus voluminibus reſpondit Apollinarius. Hæc *Hieronymus*.

## ARTICVLVS X.

### *An perpetuitas, ſiue æternitas ſit de intrinſeca ratione Beatitudinis.*

Scoti mens,

SCOTVS *in* 4. *ſent. diſt.* 49. *quæſt.* 6. poſtquam cum fide Catholica docuit beatitudinem fore perpetuam, & æternam, mouet dubium, an æternitas ſit prædicatum beatitudini intrinſecum; *& in §. Dico ergo à B.* ac deinceps dicit eſſe prædicatum contingenter ei annexum ex diuina voluntate eam æternaliter conſeruante.

Dubia diſcutienda,

239 Adu. quæſitum clarum eſſe. Dubia tamen diſcutienda hæc ſunt. Primum, an ab intrinſeco beatitudo ſit ens neceſſarium, & indefectibile. Secundum, quænam ſit cauſa huius æternitatis, qualiſcunque illa ſit, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca beatitudini.

Tres ſent. de cauſis æternitatis beatitudinis.

240 Adu. 2. De cauſis perpetuitatis beatitudinis, tres à Scoto adduci ſententias, quæ quidem omnes conueniunt in hoc, quod ſit intrinſecè neceſſaria, & perpetua, ſed in aſſignanda cauſam differunt. Prima dicit, ex ipſamet beatitudinis entitate id procedere; hæc tribuitur *Aegidio in quodlib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. Secunda dicit eam prouenire à potentijs neceſſariò, & perpetuò cauſantibus, & tribuitur *Henrico quodl.* 9. *quæſt.* 11. Tertia docet, eam prouenire ex habitibus ita determinantibus potentiam intellectiuam, & volitiuam, vt non poſſint non exercere actus beatificos; & tribuitur *D. Thom. p.* 2. *quæſt.* 10. *art.* 1. *&* 2. Scotus tamen voluntati diuinæ, perpetuo in eam influenti, eamque conſeruanti tribuit.

Neceſſarij nomen æquiuocum eſt ad durationem, & ad modum operandi.

241 Adu. 3. Nomen hoc *neceſſarium* eſſe quid æquiuocum ad durationem, & ad modum operandi. Neceſſarium enim quoad durationem eſt id quod, neque deficiet, neque poteſt deficere, quomodo Deus intrinſecè talis eſt; & ſecundum Ariſtot. Cœlum, et materia prima. Neceſſarium verò quoad modum operandi, et modus ille qui competit enti non libere, neque in actu primo, vt ſunt formæ omnes carentes voluntate libera; neque in actu ſecundo, vt ſunt operationes omnes non procedentes à voluntate, neque elicitiuè, neque imperatiuè. Hoc ſtante, licet in præſenti quæſito confundamus aliquando perpetuitatem cum neceſſitate, notandum, quod loquimur de neceſſitate durationis, non verò operationis; an ſcilicet beatitudo ſit formaliter libera: quia de hac erit ſermo cum de beatitudine formali in *art.* 7. ex parte voluntatis loquemur.

242 Adu. 4. ex *Scoto in* 4. *diſt.* 49. *qu.* 6. *§. De*

Perpetuitas duplex temporalis, & æterna,

§. *De secundo*, quod perpetuitas quædam est temporalis, et entis mutabilis quædam non temporalis, et entis immutabilis. Ens enim successiuum, vt tempus, quod numquam interrumpitur, seu vita hominis, etc. dicuntur perpetua, sed temporalia; ista enim continuè mutantur. Estò duraret absque interruptione vsque ad terminum præfixum à Deo, et hæc durant tempore. Entia autem permanentia, quæ non mutantur per successionem sunt perpetua non temporalia, et hæc si creata sunt durant æuo, quia habent esse indiuisibiliter, et non succedens. si verò creata non sint, durant æternitate.

Duratio duplex intrinseca, & extrinseca,

243 Adu. vlt. vt ex physicis supponimus, rem quamlibet duplici duratione durare, extrinseca vna, intrinseca altera. Quodlibet enim permanens coexistit tempori, et dicitur durare tanto tempore, coexistit etiam æternitati, et dicitur esse in æternitate, non durare per eam, quia sic numquam esset defectura, at præter has durationes extrinsecas durat propria siue tempore, siue æuo.

Beatitudo non est intrinsecè necessaria.

244 Dico 1. Beatitudo hominis, licet sit in æternum duratura; tamen ex natura sua, et intrinsecè non est necessaria, ac perpetua, sed aliunde eius perpetuitas illi inest. Est *Scoti sub A. & B.*

Arg. à ratione creati.

245 Prob. 1. Nullum ens creatum, est hoc modo necessarium, ac perpetuum: ergo. Anteced. Supponitur ex tract. de creatione; quia ens in sui diuisione diuiditur in ens necessarium, seu à se; & contingens, seu ab alio, à quo essentialiter dependet. Ergo quodlibet tale intrinsecè est contingens, potest enim Deus cessare à conseruatione illius. Posset ergo Deus non dare concursum suum intellectui, & voluntati, neque habitibus luminis, & charitatis ad efficiendum visionem, & fruitionem. Imo ijs omnibus integris, & immutatis existentibus, se non ostendere beatis, & tunc vtique cessaret beatitudo. Ergo intrinsecè non est necessaria, & perpetua. Et confirmatur; nam non habet perfectius esse ipsa beatitudo, quam causæ, à quibus procedit. Sed illæ omnes intrinsece sunt contingentes, quia possunt à Deo annihilari: ergo, & ipsa beatitudo.

246 Prob. 2. Si qua est ratio, cur beatitudo dicenda sit intrinsecè necessaria, & perpetua, ea est, quia ipsa non habet contrarium, à quo potest destrui. Sed hoc non reddit eam absolute necessariam, & perpetuam, sed secundum quid, nempè in ordine ad causas naturales: ergo Min. prob. Cœlum, anima, Angeli, materia prima, & omnes habitus supernaturales non habent contrarium, à quo possint destrui, & tamen non dicuntur entia absolutè, & intrinsecè necessaria, ac perpetua; sed solum extrinsecè: ergo.

247 Dico 2. Beatitudo non potest dici simpliciter, & absolutè necessaria, ex eo, quod potentiæ eam producentes agunt necessariò. Est *Scoti ibid. sub D. & in 1. dist. 1. quæst. 1. 2. 3. & 4.* Vbi de fine clare viso.

Non est necessaria ex do, quod potentiæ agat necessariò.

248 Prob. 1. Estò intellectus sit talis naturæ, vt præsente obiecto, & illo non impedito, necessariò videat; tamen voluntas non ita necessitatur, nec etiam à summo bono. Igitur, licet inadæquatè, & ratione vnius causæ dici posset necessaria, non tamen ratione alterius, & adæquatè. Adde, quod ista necessitas non est absoluta, & faciens perpetuitatem intrinsecam; quia si obiectum non se ostenderet, intellectus non videret; vel si non continuaretur ostensio obiecti, neque continuaretur visio. Imo etiam si obiectum esset præsens, & Deus non daret intellectui concursum; vel daret intellectui, & non voluntati, non sequeretur beatitudo. Igitur, cum possit ab initio non esse, & post initium non continuari, intrinsecè, & absolute est contingens.

Voluntas nó agit necessariò.

Neq; necessitas intellectus dici potest absolutè talis.

249 Prob. 2. Omnes effectus causarum naturalium necessariò fluunt ab illis; & si in æternum à Deo conseruarentur in agendo, in æternum agerent; neque propterea dicerentur absolutè, & simpliciter æterni; sed secundum quid; absolutè tamen contingentes, quia intrinsecè defectibiles.

250 Dico 3. Beatitudo non potest dici perpetua, & necessaria ratione habituum ad eam concurrentium. Est *Scoti sub B.*

Neque est necessaria ratione habituum,

251 Prob. 1. Non est necessaria ratione potentiarum. Ergo multo minus ratione habituum. Conseq. prob. Habitus se habent ad potentias, tamquam causæ secundæ, & instrumenta, respectu primæ, & agentis principalis; quia potentia est, qua simpliciter possumus; habitus verò, quo sic possumus: ergo.

B. Virg. charitas in via magna,

252 Prob. 2. ex *Scoto ibid.* Beata Virgo habuit in via maiorem charitatem, charitate alicuius Beati inferioris gradus, & tamen illa charitas eam non necessitauit ad fruendum, quando Deum contemplabatur. Ergo habitus non necessitant potentiam liberam.

Ad verbum mentis concurrit voluntas, & quomodo,

253 Prob. Ex eodem. Licet intellectus à lumine gloriæ necessitetur ad videndum, quia est causa naturalis; non proinde voluntas necessitatur ad fruendum. Nam cum ipsa sit causa imperans visionem, & fruitionem, si sibi dimitteretur, posset non imperare; quoniam secundum *Augustinum* in gignitione verbi concurrit voluntas; visio autem est verbum, & sic ad eam concurrit ipsamet voluntas coniugens intelligentiam memoriæ. Sed coniungit contingenter, quia libera, & potens non coniungere, & proinde effectus, qui ex tali influentia originatur, nequit dici necessarius, & perpetus ex tali cali causa, sed aliunde.

254 Prob. 4. Nulla qualitas, etiam su-

Nulla qualitas potest necessitare voluntatem,

supernaturalis infusa voluntati determinans eam ad operandum efficaciter, potest eam necessitare ad operandum, etiam si intellectus quoque supernaturaliter sit illuminatus; nam aut voluntas non est, aut libera dicenda est, numquam enim tollitur ab ea indifferentia intrinseca, per quam constituitur in ratione liberæ essentialiter. Ergo effectus ille, qui ab ipsa cum tali habitu procedit, non potest dici absolute necessarius. Sed ait *Scotus in fine B.* Habitus iste luminis gloriæ necessitat secundum quid. Sed de hac re iterum occurret sermo cum de beatitudine formali agemus.

Beatitudo est æterna ex sola Dei voluntate non conservante.

255 Dico 4. Perpetuitas beatitudini inest ex sola voluntate Dei eam conseruante per continuationem influxus. Est *Scoti sub B. F. G. & K.*

256 Prob. 1. A sufficienti, non enim ex se ipsa; quia est ens creatum, & contingens intrinsecè potens non esse. Non ex potentijs, quæ sunt etiam intrinsecè defectibiles, et operantur contingenter. Nec aliud restat assignabile, nisi Dei concursus.

A priori ratio,

257 Prob. 2. Duratio quælibet entis creati essentialiter dependet à Dei voluntate non subtrahente concursum, sed positiuè in eam influente. Ergo & duratio æterna. Anteced. est per se notum; non enim Deus necessariò operatur ad extra; & si dum creat, potest non creare, & antea potuit idem creare, & differre creationem: ita postquam creauit, potest destruere creatum, quando vult; quod ergo aliquid non destruatur, sed duret, hoc à Deo habet; ipse enim constituit rebus terminum, qui nequit præteriri. Ergo, quod beatitudo in æternum duret, à Deo habet.

Beatitudo intrinsecè durat æuo,

258 Dico 5. Beatitudo, licet extrinsecò duret æternitate, intrinsecè tamen durat æuo. Est *Scoti in dist. 49. quæst. 6. L.*

259 Prob. 1. pars, ex dictis *art. 9.* et in præc. concl. nam, *ibunt iusti in vitam æternam Matth. 25.* Et ideo Ecclesia orans pro mortuis, ait, *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis*. In æternum enim erunt videntes Deum, et eo fruentes.

Æternitas est extrinseca beatitudini.

260 Quod verò æternitas sit ei extrinseca patet; quia non est ab intrinseco ens indefectibile, vt Deus, sed solum extrinsecè quia scilicet à Deo conseruatur, et per sui æternalem ostensionem, & per concursum æternalem cum intellectu, & voluntate, ad eius continuationem.

261 Prob. 2. pars. Ens permanens durat æuo, vt supponimus ex dictis in Physicis. Talis est beatitudo; non enim durat per partem post partem.

262 Prob. 2. Animæ rationales, & Angeli durant æuo: ergo, et beatitudo. Non enim est ens perfectius illis essentialiter, cum sit accidens.

263 Prob. 3. A sufficienti non potest alia duratione durare: ergo æuo; non enim est ens successiuum; et ex alia parte ab intrinseco contingens, & defectibile.

Permanentia durant æuo.

264 Prob. 4. Si aliqua esset ratio, cur non duret æuo, est, quia excedit omnem creaturæ perfectionem. Sed hæc non vrget. Nam ex *Scoto K. 8. de secundo*, impossibile est, quod actus intellectus, aut voluntatis formati, id est tendentes in obiectum beatificum, sint essentialiter perfectiores suis potentijs, quæ tamen durant æuo. Si ergo habent esse intrinsecè defectibile, sicut potentiæ, nequeunt aliter durare, quam æuo.

265 Prob. 5. Eatenus dicitur æternitate durare, quia dicitur vita æterna. sed hoc non vrget. Quia sic dicitur, quod per æternitatem durabit, non quia intrinsecè æterna sit. Secundo, quia ignis inferni etiam dicitur æternus, et tamen non est intrinsecè talis, sed æniternus, potest enim intrinsecè destrui à Deo, vel positiuè, vel per subtractionem concursus. Ergo multo minus beatitudo, quæ est accidens. Tertio, quia vita hominis in actu primo, id est potentiæ tendentes in obiectum, est etiam æterna, et tamen non intrinsecè talis, quia defectibilis; ergo multò minus vita in actu secundo, scilicet visio, et fruitio, quæ sunt accidentia, & aliam insuper habent dependentiam à creaturis, nempe potentijs, quæ per potentiam Dei absolutam cessare possent ab influendo, quam dependentiam à creaturis non agnoscunt potentiæ cum à solo Deo dependeant, ergo si istæ sunt defectibiles, & possibiles non esse, & tamen æuo tantum durant, multò magis beatitudo, quæ est actus earum.

Quomodo entia creata dicuntur æterna.

Ob. contra 1. Multa alia inferioris ordinis sunt ex se necessaria, & indefectibilia. Ergo etiam beatitudo. Antec. prob. Forma cæli, materia prima, luminositas stellarum, perspicuitas cæli, &c. eiusmodi non possunt corrumpi. Consequ. prob. Suprema perfectio hominis non debet esse deterioris naturæ, quam sint hęc imperfectiora ordinata ad hominis famulatum.

Arg. contr.

266 Resp. ex *Scoto sub C.* neg. antec. & probat. Nullum enim ex enumeratis est simpliciter indefectibile. Sed solum secundum quid incorruptibile, quia caret contrario. absolutè autem, & simpliciter omnia enumerata, sicut & alia creata sunt defectibilia; quia sunt ens ab alio, & contingens, à Deo annihilabile per subtractionem concursus, & per destructionem.

Nullum creatum est simpliciter indefectibile.

Ob. 2. Forma, quæ tollit à sua materia omnem priuationem reddit compositum incorruptibile. Sic se habet beatitudo respectu animæ: ergo. Maior patet de forma cæli, hæc enim tollit omnem priuationem à materia cæli, quia est forma perfectissima. Min. prob. Beatitudo continet omnem perfectionem, quæ possit homini esse, & ita tollit omnem imperfectionem.

Resp.

Nulla forma tollit omnē priuationem & appetitū materiæ.

267 Resp. ex *Scoto sub C.* neg. suppositum in antec. quod scilicet dari possit talis forma. Deinde neganda est minor. Assumptum in anteced. prob. quia, cum susceptiuum sit indifferens ad recipiendas plures formas, non potest ab eo tolli hæc potentialitas per cuiuslibet formæ receptionem. Et falsum est, quod dicitur de forma cœli; cum enim neque hæc, neque vlla alia creata contineat formaliter, nec eminenter omnes formas receptibiles à materia cœli; cum nulla sit infinita, nulla potest tollere omnem priuationem à materia cœli. Quod verò cœlum sit incorruptibile, non oritur ex eo, quod forma eius tollit omnem priuationem: sed ex eo, quod non detur contrarium formaliter, neque agens creatum potens destruere cœlum. Absolutè tamen, tam cœlum, quam omnia creata, aut creabilia sunt intrinsecè destructibilia. Imo addit *Scotus*, quod etiam si forma aliqua esset infinita, adhuc dubium est, an tolleret à susceptiuo potentialitatem, quam habet ad alias formas sub proprijs rationibus. Et ego addo, esto sic, quid inde? adhuc esset ens creatum intrinsecè à Deo dependens, ideo absolutè destructibile, estò secundum quid, ideſt respectu agentis creati indestructibile. Ita dicendum de beatitudine; qualis enim, & quantacumque sit, in primis, licet satiet appetitum deliberatiuum beati, non tamen innatum, vt dicetur postea, nisi sit summa, vt in Christi humanitate. Secundo, estò satiet, et estò summa, adhuc ens creatum est, et per subtractionem diuini concursus, vel positiua actione potest à Deo destrui: ergo.

Nec forma cœli hoc facit.

Cœli incorruptibilitas vnde.

Ob. 3. Finis extrinsecus si contineat eminenter saltem omnem perfectionem cuiuscumque alterius finis extrinseci, tollit à subiecto omnem priuationem cuiusuis finis extrinseci. Ergo à pari finis vltimus intrinsecus tollit à subiecto omnem priuationem alterius finis. Talis est beatitudo respectu hominis: ergo.

Disparitas de fine extrinseco in homo, & de beatitudine.

268 Resp. ex *Scoto sub C.* neg. min. subsumptam, et paritatem. Ratio est, quia finis extrinsecus est infinitus, beatitudo autem est actus, siue intellectus, siue voluntatis, siue vtriusque, et ideo finitus. Ac concedatur gratis beatitudinem alicuius esse intrinsecè, seu intensiuè infinitam; petitio est ne ens creatum, vel increatum; non secundum, quia non Deus. Si primum, ergo intrinsecè delectibile. Sicut si Deus lineam aliquam infinitam produceret, hæc ita esset sub potestate Dei post factum, sicut ante. Et si ante erat non ens, et nihil; ita ad illud potest reduci post factum.

Infinitum creatum si daretur esset contingens.

Ob. 4. Si beatitudo non esset ens intrinsecè necessarium esset contingens, et ita posset deficere, et sic beatus fieri miser; et ita non esset beatus, quia non haberet quidquid vellet.

269 Resp. ex *Scoto sub C.* de possibili, seu in sensu diuiso, concedo totum. De facto, & in sensu composito, nego sequelam. Ratio est, quia de facto Beatus nunquam erit miser, eo quod statuit Deus, vt semel concessa visione, & possessione sui numquam desistat ab eius conseruatione: at per hoc non sequitur, Deum non posse ab eius conseruatione desistere. Ideoque beatitudo absolutè ex natura rei, & ab intrinseco est ens contingens, ab extrinseco tamen ens necessarium. Cum dicitur, quod beatus non esset beatus, negatur consequentia; est enim talis, & habet quidquid vult; eò quia habet Deum omnia continentem, siue formaliter, siue eminenter. Et, sicut beatus non potest velle, vt Deus non sit Deus, ita non potest se subtrahere ab omnipotentia Dei, nec velle non esse ens contingens, tam secundum esse, quam secundum operationem, & per hoc non est miser, quia non vult impossibilia, nec à Dei voluntate discordare. Esset fortasse miser, si sciret hoc euenturum: sed neque in hoc casu, quia in eo tempore, in quo frueretur beatitudine, haberet quidquid vellet; neque in hac consideratione detineretur.

Beatus in sensu diuiso potest fieri miser,

Beatus quatenus habet quidquid vult.

Ob. 5. Estò beatitudo secundum se sit ens contingens, postquam tamen posita est in esse, subsistente natura, est ens necessarium: ergo perpetua.

270 Resp. neg. anteced. Ex hoc enim, quod ponitur in esse, non amittit esse creaturæ, neque fit exempta à Dei omnipotentia. Et si natura potest destrui, multò magis operatio, quæ est accidens.

Beatitudo posita in esse adhuc est ens contingens.

Ob. contra 1. Intellectus videndo summum verum, & summum bonum, non potest non videre; neque voluntas potest non amare, sed istæ potentiæ perpetuò vident, & perpetuò amant. Ergo ex parte potentiarum beatitudo est ens necessarium, ac perpetuum.

271 Resp. anteced. Non esse præsentis speculationis, sed discutiendum in disputatione de beatitudine formaliter accepta, an scilicet sit operatio libera, vel necessaria. Quod tamen attinet ad præsens quæsitum de necessitate durationis, distinguo antec. non possunt non videre, & non amare in sensu composito beatitudinis, concedo, in sensu diuiso, & remote, nego. Eatenus enim de facto, & propinque non possunt; quia non obtinent à Deo concursum ad alios actus contrarios, vel contradictorios; si tamen haberent, & sibi dimitterentur, possent ex voluntatis imperio cessare. vel concesso anteced. negatur consequ. Dato enim quid beatitudo libera non sit, numquid ens creatum non est? Si ergo tam ipsa, quam potentiæ, à quibus est sunt entia intrinsecè ab alio, & contingentia, ac defectibilia, quomodo erunt intrinsecè æterna. Sicut ex eo, quod ignis, & omnia elementa sunt entia non libera, sed necessaria, & in esse, & in operando, numquid æterna sunt?

Quomodo beatus non potest non videre, & non frui,

Ens intrinsecè contingens non potest esse intrinsece æternum.

& da-

& dato, quod Deus vellet ea conseruare in æternum, sicut in suo loco dictum est de cælis, & elementis quoad substantiam, quis dicet, cælos, & elementa esse intrinsecè æterna. Extrinsecè solum talia sunt, & per negationem contrarij; ideoque secundum quid, non tamen absolutè, ac simpliciter; quia hoc modo solus Deus est æternus, & nullum aliud ab eo.

Arg. contr. Ob. contra 3. Ad beatitudinem concurrunt ex parte intellectus lumen gloriæ, & ex parte voluntatis, charitas, istæ autem qualitates, estò supernaturales sint, tamen operantur modo intrinsecè necessario, quia intrinsecè determinato ad vnum. Igitur saltem ratione talium habituum beatitudo est necessaria.

Duplex resp. 272 Resp. 1. dist. min. vterque habitus operatur modo necessario, nego. lumen ex parte intellectus, concedo, habitus voluntatis, nego, & nego consequ. Ratio est, quia habitus dantur potentijs, non vt eas destruant, sed vt illis proportionentur, & modo eis connaturali ipsas adiuuent. Et sic, cum intellectus sit potentia intrinsecè ad vnum determinata modo intrinsecè determinato operans, lumen ei superadditum, in hoc genere operandi, eum adiuuat. Voluntas autem, quæ intrinsecè libera est, non potest, nisi hoc modo operari; quia, aut voluntas non est, aut libera dicenda est ex Augustino. Habitus ergo charitatis ei superadditus, ipsam perficit, non destruit; & proinde ita cum eo operatur libere, sicut sine eo. Alioquin esset alia, & alterius speciei voluntas. Sed hoc nunc non est ad rem.

Charitas nó necessitat voluntatem.

Habitus supernaturales non sunt intrinsecè æterni. 273 Resp. 2. distinguo min. Qualitates istæ supernaturales operãtur necessariò necessitate modi operandi transeat, vel subdistinguo, sicut in præcedenti. necessario necessitate durationis, nego. Eadem enim ratio est de habitibus, ac de potentijs, imò debilius defenditur id de habitibus, quia sunt accidentia; potentiæ autem substantiç. Ergo probandum prius esset, quod habitus intrinsecè sunt æterni; deinde, etiam hoc probato, neque concluderetur propositum; quia licet causa intrinsecè æterna, & intrinsecè determinata ad operandum, æternaliter operaretur; si tamen hæc operatio ab alia concausa peteret produci; si hæc concausa non esset æterna, sicut & alia, non inferretur æternitas ex æternitate prioris. Ita prorsus esset in casu, si admitteretur, lumen gloriæ, & charitatem esse entia intrinsecè æterna; quomodo enim postea probatur, quod anima, & intellectus, ac voluntas, à quibus producitur beatitudo sint intrinsecè æterna? certè hoc est figmentum. Concluditur ergo, quod cum solum obiectum concurrens ad beatitudinem sit intrinsecè æternum; potentiæ autem, & habitus intrinsecè sint contingentia, non poterunt potentiæ, ratione habituum, beatitudinem intrinsecè æternam ponere in esse. Nemo enim dat, quod non habet.

Causa intrinsecè detecti bilis non potest effectú intrinsecè æternum producere.

## ARTICVLVS XI.

### *An de ratione veræ beatitudinis sit securitas perpetuitatis.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 6. §. De secundo principali sub Q.* docet, securitatem competere quidem beatitudini, tamen non esse de eius essentia. Ideo

Dubium, & certitudo in intellectu, Timor, & securitas in voluntate. 274 Adu ex *Scoto ibidem sub* P. quod, sicut dubietas, & certitudo sunt in intellectu; ita timor, & securitas in voluntate. Est autem securitas, veluti quies quædam in voluntate de bono non amittendo, et malo non infligendo. Hanc tamen securitatem præcedit in intellectu certitudo, quod bonum continuabitur, et malum non ponetur. Et ea posita, statim sequitur securitas.

275 Adu. 2. Aliud esse, an beatitudini annexa sit securitas; an verò securitas hæc sit de essentia eius. Sicut dictum est de perpetuitate, seu æternitate. Vtrumque autem hic tangetur.

Tertio q est 276 Adu. 3. Quod tertio quantum attinet ad beatitudinem quadrupliciter sumitur, ex *Scoto sub R.* Primo pro tentione obiecti à memoria quando, scilicet habet obiectum, vel per speciem impressam, vel saltem per illapsum, vel in existentiam, quia sic obiectum concurrit ad cognitionem, et gerit vicem parentis. Secundo pro tentione intelligentiæ, quando scilicet intellectus est in actuali consideratione obiecti et hoc modo intelligitur, quod voluntas teneat aciem intelligentiæ conuersam ad memoriam. Tertio pro tentione, et amore rei concupitæ; et hæc succedit spei, sicut enim voluntas per spem desiderat bonum habendum. ita cum possidet, atque amat illud, dicitur tenere, estque amor concupiscentię boni habiti. Quarto pro assecutione, seu possessione, estque ait *Scotus* passio consequens spem passionem, & est in irascibili. His autem præmissis.

Beatitudo includit securitatem. 277 Dico. Beatitudo habet annexam securitatem perpetuitatis. Est *Scoti vbi supra. D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 1. D. Bonau.* et communis.

278 Prob. 1. ex *Zacharia* 14. 11. *Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius, sed sedebit Ierusalem secura.* Glossa Ordin. ait. Habitabunt in cælesti Ierusalem, in qua non erit anathema, id est maledictio, et separatio à Deo, sed secura quies confidentibus in Deo. Et *Hieronymus* explicans hunc locum diffusè de cælesti Ierusalem, et beatorum gaudijs, sic concludit. *Ablato autem omni anathemate habitabit Ierusalem secu-*

Ex vet. test.

*fecura, atque confidens. De qua fecuritate, atque confidentia Hieremias Propheta commemorat, &c.* ergo.

274 Prob. 2. ex *Isa.* 32. 17. *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Interl. Ver. *Securitas*, ait, ſecuri in æterna pace requieſcunt. Gloſſa Ordinar. ait, in manſionibus cæli confidenter habitant. Ergo adeſt ſecuritas in beatitudine.

280 Prob. 3. ex *Pſal.* 147. *Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe, &c.* Ergo ſecuritas adeſt de perpetua pace.

Ex nouo teſt. 281 Prob. 4. ex 2. *Cor.* 5. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus habitationem non manufactam æternam in cælis.*

282 Prob. 5. Fidei beatorum in via, ſuccedit viſio in Patria; ſed in via crediderunt in æternitatem vitæ. Ergo eam videbunt ita futuram. Igitur ſecuri ſunt de beatitudine.

Ex Patribus. Ex Auguſt. 283 Prob. 6. ex *D. Auguſt.* multis in locis id probante, *lib.* 10. *de Ciuitate cap.* 7. *Meritò in cæleſtibus ſedibus conſtituti immortales, & beati, æternitate firmi, & veritate certi ſunt. & cap.* 30. *Vita illa beatiſſima eſſe non poterit, niſi de ſua fuerit æternitate certiſſima, & lib.* 1. *de moribus Eccl. cap.* 3. Beatus non eſt, qui poteſt amittere, quod habet. ibidem, & *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 5. & alibi. Beatus eſt, qui habet quidquid vult; *lib.* 11. *Gen. ad lit. cap.* 17. Niſi beati eſſent certi de ſua beatitudine perpetua non eſſent beati, *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 7. beatus eſt certiſſimus ſemper ita futurum.

Proſpero. 284 Prob. 7. ex *S. Proſpero de Vita contemplat. lib.* 1. *cap.* 2. Futura vita creditur beatè ſempiterna, & ſempiternè beata; vbi eſt certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, vbi nullus timor, vnus omnium ſpiritus de contemplatione Dei ſui, ac de ſua cum illo permanſione ſecurus, &c.

Fulgentio. 285 Prob. ex *S. Fulgentio ep.* 4. *cap.* 8. Vbi inter cætera beatitudinis bona, ponit hoc; nulla ibi erit ſollicitudo certaminis, ſed perfecta erit ſecuritas pacis, &c.

Ex Anſel. 286 Prob. ex *Anſel. lib. de ſimilitud. cap.* 48. *& 69.* In futuro ſæculo, aut ſecuritatem quiſque perfectam, aut è contra ſummum habebit timorem. Bonus quidquid voluerit habebit; & nihil ex eo amiſſurum timebit. Malus verò ſemper tormenta, quæ patietur, pauebit, &c.

Alcuino. 287 Prob. ex *Alcuino lib. de æterna beatitud. cap.* 22. Nulla ibi erit cuiuslibet indigentiæ moleſtia, ſed plena, certaque ſecuritas, et ſempiterna fælicitas, et indeficiens lætitia.

288 Dico 2. Securitas iſta non eſt de intrinſeca ratione beatitudinis. Eſt *Scoti diſt.* 49. *quæſt.* 6. §.



289 Prob. 1. Securitas in voluntate eſt, & ſupponit certitudinem in intellectu de continuatione eius. Ergo non eſt de intrinſeca ratione illius. Antec. eſt notum per ſe, nam ſecurus ille eſt de boni perſeuerantia, et de mali abſentia, qui certò ſcit illud non defuturum, et hoc non euenturum. Conſequ. eſt neceſſaria; nam certitudo in intellectu de continuatione beatitudinis, ſupponit reuelationem eius, et apprehenſionem, ex qua voluntas redditur ſecura: ergo omnia iſta ſupponunt eſſentiam beatitudinis poſitam in eſſe, cuius continuatio apprehenditur futura, et certitudinaliter tenetur deinde ſuccedit, quies, et ſecuritas in voluntate pellens timorem. Securitas nõ eſt de intrinſeca ratione beatitudinis. A priori ratio.

290 Conſ. apprehenſio perpetuitatis beatitudinis, et certitudo illius non tendunt in obiectum beatificum; ſed eſt actus reflexus ſuper ipſamet continuationem beatitudinis, et ſecuritas de hac, aliud non reſpicit, vt obiectum, niſi certitudinem perpetuæ continuationis. Igitur, ſi neque ipſa apprehenſio, et certitudo perpetuitatis ſunt eſſentiales beatitudini, multo minus ſecuritas.

291 Prob 2. Beatitudo eſſentialiter importat, vel Dei viſionem; vel eam cum fruitione, vt in ſuo loco dicetur: ergo ſecuritas non eſt de eius eſſentia. Anteced. ſæpè patebit, ex *Io.* 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum verum Deum, &c. &* 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* De vtroque actu intellectus ſcilicet, et voluntatis patebit etiam, quia *Pſal.* 15. habetur. *Adimplebis me Lætitia cum vultu ſuo. & Pſal.* 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur, &c.* quæ ſunt propria voluntatis. Conſequ. prob. ſecuritas non eſt de ratione viſionis, neque fruitionis, ſi enim per horam quis Deum videret, eoque frueretur, adhuc eſſet beatus per eum ſolum actum videndi, et fruendi, quod vero magis minuſue duret viſio: vel quod videns ſciat certò defuturam, vel non defuturam viſionem; eſt merum accidens, ſequens eam. Nam ex 1. *Ethic.* 6. Nihil eſt perfectius eſſentialiter ex hoc, quod ſit diuturnius; et exemplificat de albedine vnius diei, et vnius anni. Ergo cum ſecuritas aliud non dicat, quam perpetuitatem durationis cum certitudine illius, non pertinet ad eſſentiam beatitudinis, ſed eſt quid eam conſequens. Aliæ rationes a priori ad idem. Beatitudo hora 12. eſſet vera beatitudo. Diuturnitas non perficit eſſentialiter.

292 Conſ. Securitas perpetuitatis, non eſt, nec viſio, nec fruitio Dei, nec prædicatum de neceſſitate connexum cum viſione, aut fruitione. Ergo non eſt de intrinſeca ratione beatitudinis. Anteced. ex ſe patet de omni cognitione cuiuſcunque obiecti; et amore eius. Certitudo enim perſeuerantiæ obiecti in eſſe viſio, et fruitio eiuſdem, & carentia timoris poſſunt ſeparari à cognitione, et amore obiecti. Hic

enim actus habuit esse per attingentiam, et prosecutionem obiecti, vt per se notum est: ergo.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. Ex 1. *Ethic. cap.* 8. Beatitudo est operatio optima secundum vitam perfectam. Ergo essentialiter includit securitatem perpetuitatis. Consequ. prob. Duratio æterna reddit operationem perfectiorem omni temporali. Secundo, quia si caret hac securitate, adesset timor miseriæ: et sic non esset operatio optima, neque fœlicitas.

Phylosopho non inniten-dum in materia de beatitudine,

293 Resp. 1. Ex *Scoto quæst. 6. sub V.* Quod Phylosophus numquam potuit pertingere ad notitiam veræ beatitudinis, neque affirmatiuè, neque negatiuè, quia per sensibilia non potest ad eiusmodi notitiam peruenire; et proinde dubius erat *Aristoteles* de fœlicitate; nunc enim videbatur sentire, quod non esset vera fœlicitas, cui posset succedere miseria; nunc verò, quod non posset esse alia fœlicitas hominis, quia nihil sciebat de fœlicitate alterius vitæ; fœlicitas autem præsentis vitæ non est inamissibilis. Et ideo concludit *Scotus*, quod circa doctrinam beatitudinis alterius vitæ, non multum debemus Phylosopho inniti.

Beatitudo est operatio optima, & quare,

294 Resp. 2. dist. antec. Fœlicitas est operatio optima essentialiter concedo, accidentaliter, nego. & nego consequ. Ratio est, quia ex obiecto habetur perfectio operationis essentialis; à duratione verò accidentalis,

295 Resp. 3. neg. consequ. Dato enim, quod beatitudo, vt sit omnimodè perfecta, includere debeat securitatem perpetuitatis; tamen sufficit, si eam includat, vt quid accidentarium: ad illud de timore miseriæ dico, quod non timeretur miseria, cum adesset securitas non perdendi fœlicitatem, siue autem securitas sit intrinseca, siue extrinseca fœlicitati, parum refert.

Argum. ex Augus.

Ob. 2. *Augus. 13. de Trin. cap. 7.* Quod est omninò beatissimum, ita semper fore, certissimum erit. Secundo, ex eodem *lib. 11. de Ciuit. cap. 11.* Ideo Angelorum beatitudo ante confirmationem non fuit perfecta, quia ipsi non erant certi de duratione, & *cap. 12.* de beatitudine hominis idem docet. Idem dicit *in cap. 13.* de omnibus Angelis bonis, & malis, qui beati quidem creati sunt omnes, sed imperfecta eorum erat beatitudo, eo quod incerti de sua duratione: ergo.

Duratio est perfectio extensiua non intensiua, & essentialis,

296 Resp. ad hæc omnia, nego consequ. Nam superlatiua ratio beatissimi inexistens beatitudini, non est (ait *Scotus in quæst. 6.*) essentialis, sed extensiua; nam beatitudo rationem optimi essentialis habet ab obiecto. Igitur ad eius essentiam non pertinet, nec duratio, nec securitas eius; sicut ad essentiam cuiuslibet substantiæ, vel accidentis creati non pertinet duratio. Addo, si Deus priuaret hominem, vel Angelum beatitudine, negari non posset, quod de præterito fuerunt beati. Et ita si Deus non reuelaret beato perpetuitatem beatitudinis, negari non posset, quod ex sola Dei visione, & fruitione esset beatus. Ad alia de Angelorum, et primorum hominem beatitudine, dicendum, quod inter alia id deficiebat eorum beatitudini, quod certi non erant de permanentia, nam ex alio capite certi erant de sua potestate ad peccandum: non ita beati in Patria. Secundo, beati in Patria sunt iam certi; & de hoc non est dubium, sed an hæc certitudo sit de intrinseca eius ratione, controuertitur.

Angelorum in sua creatione beatitudo imperfecta.

Ob. 3. Virtuti spei, succedit in patria, securitas: ergo.

297 Resp. neg. consequ. Possessio enim obiecti beatifici, quæ dicitur, *tentio* dicit essentialiter actum videndi, & fruendi, non verò perpetuitatem, quia hæc sequitur ad eam, vt accidens substantiam. Possessio verò summi boni est beatitudinis substantia, seu essentia.

Tentio quid in patria.

## ARTICVLVS XII.

### *An, & quomodo vera beatitudo possit compendio explicari.*

SCOTVS *in 4. sentent. distinct. 49. quæst. 2. §. De secundo*, ex ipsomet Phylosopho, docet, beatitudinem esse possessionem perfectissimi boni, absque vlla indigentia, et absque ordinatione ad aliud perfectius bonum; ita quod secundum Boetium sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Deinde in *quæst. 1. & 4.* dicit eam consistere in operatione intellectuali, *in quæst. 3. & 4.* docet consistere in actu videndi Deum, & fruendi illo in septima de summo gaudio beatorum, & à *quæst. 13.* ac deinceps agit de beatitudine corporis.

Scoti mens.

298 Adu. Quod hic inquirimus confusum, quasi beatitudinis conceptum, quid scilicet summariè importet beatitudo. Nam, vt distinctè dignoscatur, quomodo potest in via dignosci eius conceptus, multæ texendæ sunt disputationes, de causis, & principijs eius; de ipsamet formaliter acceptæ, de eius obiecto, tam motiuo, quam terminatiuo, de subiecto, &c. de quibus in seqq. Supponitur autem pro nunc, quod in Dei visione, & fruitione consistat vera beatitudo, quam inquirimus hic.

Authoris intentio.

299 *Dico 1.* In hac vita non potest ab homine viatore complete, & adæquatè declarari, quænam, & quanta sint bona, commoda, ac perfectiones veræ beatitudinis.

Non potest in hac vita explicari perfectio beatitudinis.

300 Prob. 1. ex *Isaiæ 64. 4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt; oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Ergo, nisi homo videat

deat bona ista, quæ Deus Sanctis præparauit, non potest ea perfectè explicare.

301 Prob. 2. ex 1. Cor. 2. 9. quod ex cie. Prophetæ loco accipitur. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Hoc autem nequit intelligi, nisi de perfecta explicatione illorum, nam de imperfecta, non est dubium.

Ex S. Aug. 302 Prob. ex *S. August. lib. de tripl. habitaculo cap. 1. B. Bona Regni cælestis dicere, vel cogitare, vel intelligere, vt sunt nullus potest carnis vsitatus, multo enim maiora, & meliora sunt, quam cogitantur, & intelligantur, duæ scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec &c. Regnum namque Dei omni forma maius, omni laude melius omni scientia innumerabilius, omni gloria, quæ putatur excellentius.*

Ex eodem. 303 Conf. ex eodem, *lib. de Catechiz. rudib. 6. cap. 24.* Nullum gaudium rerum temporalium ex aliqua parte simile potest inueniri gaudio vitæ æternæ, quam Sancti accepturi sunt. *& cap. vlt. sub C.* habet, Beatos in perpetuum ita viuturos de Deo, & in Deo, cum tali gaudio, & beatitudine, qualis, nec dici, nec cogitari ab homine potest.

Ex eodem 3 304 Conf. 1. ex eodem, *lib. 2. quæst. Euangelior. cap. 39.* in fine, omnia dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid digne dici potest.

Ex eodem 4 305 Conf. 3. ex eodem *lib. 3. de fide, & symb. ad Catheeum. cap. 12.* Facilius possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non sit, quam quid ibi sit.

Ex Basilio. 306 Prob. ex *Basilio Homil. in Psal. 45.* Ibi primogenitorum, ac descriptorum in cælis congregatio, & ob immutabilem Sanctorum vitam, & secundum legem cælestem gubernatam, stabilis quidem, ac perpetua est; ordinem verò illius, & omnem ornatum perdidicisse, naturæ non est humanæ; ibi namque sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit diligentibus se. Ergo non potest homo adæquatè explicare gaudia, commoda, & perfectiones Beatitudinis.

Diuersa descriptio beatitudinis à Sac. Script. & PP. 307 Dico 2. Diuersimodè describitur summariè beatitudo cælestis, tam in Sacra Scriptura, quam à SS. Patribus.

307 Prob. à Sacra Scriptura describitur aliquando, quod sit Dei visio. *Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 18. Angeli in cœlis semper vident faciem Patris. 1. Cor. 13. Tunc videbimus facie ad faciem,* ex 1 *Io. 3. Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est,* ex *Io. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, &c.* Dei visio. *Psal. 72. Quid mihi est in cœlo? Pars mea Deus in æternum.*

309 Aliquando sub figura conuiuij. *Luc. 22. 29. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super sedes duodecim, & Psal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Isa. 25. Faciet Dominus exercituum in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ defecatæ.* Conuiuium.

310 Aliquando sub solo titulo gaudij. *Psal. 149. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Isa. 35. Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt. & cap. 65. Gaudium, & exultatio vsque in sempiternum in his quæ ego creo, quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium. Psal. 20. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Psal. 50. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, tunc exultabunt ossa humiliata. Psal. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Prou. 10. 18. Expectatio iustorum lætitia. Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui. Ioann. 22. Gaudium vestrum nemo tollet à vobis. 24. Vt gaudium vestrum sit plenum. ad Rom. 14. Non est Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia pax, & gaudium, &c.* & merito dicitur gaudium per anthomasiam, quia erit maximum. Gaudium.

311 Aliquando describitur nomine Regni. *Luca 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. cap. 13. Venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent in Regno Dei. 18. de parvulis, talium enim est Regnum Dei. 21. Prope est Regnum Dei. 22. Donec Regnum Dei veniat. 23. Expectabat, & ipse Regnum Dei. Ioan. 3. Non potest intrare in Regnum Dei. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Matth. 5. Ipsorum, & Regnum cælorum. 6. Quærite primum Regnum Dei. 16. Tibi dabo claues Regni cælorum.* & apud eum sæpissime. Item apud Marcum, Actus Apostolorum, & epistolas Pauli sæpè. *Apocal. 11. Regnabit in sæcula sæculorum. cap. 20. Regnabunt cum illo mille annis.* Regnum.

312 Aliquando nomine vitæ æternæ. *2. Macbab. 7. In æternæ vitæ resurrectione. Matth. 19. Vt habeant vitam æternam. 25. Ibunt iusti in vitam æternam. Marci 10. Vt vitam æternam percipiam, & in sæculo futuro vitam æternam. Luca 10. Qui faciendo vitam æternam possidebo. cap. 30. In sæculo venturo vitam æternam. Ioan. 3. Sed habeat vitam æternam. cap. 4. Congregans fructum in vitam æternam. 6. Qui permanet in vitam æternam. 10. Et vitam æternam do eis. 17. Det ei vitam æternam,* & in Sacra Scriptura toti præsertim testamenti millies, hoc nomine, beatitudo nuncupatur. Vita æterna

313 Aliis præterea solet titulis appellari, de quibus nunc non curo. Sed ad Patres eam describentes accedo. Aliter etiam nuncupatur.

314 *Dionysius Areopag. lib. de div. nom. cap. 1.* ita beatitudinem describit. Quando Dionysij descriptio.

incorruptibiles, & immortales facti erimus, & ad imaginem Christi beatissima dignati requie semper cum Domino erimus, visibili quidem ipsius diuina præsentia castissime contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente hominibus, non secus, ac discipulos in Sacratissima illa transfiguratione sua. Porrò spiritualis ipsius, & intelligibilis lucis (mente perturbatione omni, & materia libera) participes facti, eius, qui omnem sensum superat vnionis lucidissimorum incognitis, ac lucidissimis iactibus erimus supercælestes spiritus.

Cypriani de beatitudine laudes, & encomia.

315 *Cyprianus in epist. 56.* quæ erit gloria, & quanta lætitia, admitti, vt Deum videas, honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis, ac lucis æternæ gaudium capias, Patriarchas omnes, Apostolos, ac Martyres salutare; cum iustis, ac Dei amicis in Regno Cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere. Sumere illic, quod nec oculus vidit, ne auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

Eiusdem alia descriptio.

316 Idem *in ser. de laude mart.* de gloria æterna loquens, præ cæteris habet. Omnia illic, non frigoris, nec ardoris, nec, vt in autumno arua requiescant, aut iterum vere nouo tellus fœcunda parturiat, vnius cuncta sunt temporis, vnius poma feruntur æstatis. Quippe, cum, nec mensibus suis, tunc Luna deseruiat; nec per horarum Sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, sedes tenet placida, vbi fons scaturiens medium, sinu alui prorumpentis emergit, &c.

Eiusdem Cypriani tertia delineatio beatitudinis.

317 Idem *serm. de Christi Ascens. Exultabunt Sancti in gloria, &c.* videbunt Deum, lætabuntur, delectabuntur, & fruentur gloria, & fœlicitate iucundabuntur æterna. Ibi non gustabunt, quam suauis sit Deus, sed implebuntur, & satiabuntur dulcedine mirifica, nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent. Perpetua sanitas, fœlix æternitas, beatitudinis illius sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris; non vltra illa exurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus, & pacificus, sana, & integra natura, fine omni macula, & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præsentia omnes animæ, & corporis implebit appetitus, &c.

Origenis descriptio.

318 *Origenes in Psal. 36. homil. 5.* Os iustorum non cibis, & potu, neque delicijs, & voluptatibus non vescendo epulis, sed meditando sapientiam, repleatur. Vltra enim non erit aliquis imperitus in Regno Dei; non indocilis permanebit; nullus erit à rerum scientia peregrinus; omnes efficiemur, si tamen mærebimus, discipuli sapientiæ.

Hilarij dictũ

319 *Hilarius in Psal. 60.* In tabernaculo Dei habitaturi sumus in sæcula, &c. hæc enim hæreditas Sancti est vita, & incorruptio, regnum, & coæterna cum Deo habitatio: & post aliqua. Iam in his, nec corruptione, nec morte dominante cum in omnem plenitudinem Dei repleantur, subiecit spiritus prophetiæ, misericordiam, & veritatem quis requiret eorum, non inopes misericordiæ, veritatisque hæ generationes erunt, cum in regnum traditæ Deo patri suscipientur, ij reges, consummata in omnes eius misericordia, ac veritate, &c.

320 *Basilius Mag. homil. in Psalm. 114.* Ea viuentium beata regio, in qua non nox, non somnus, mortis quædam imitatio, non cibus, aut potus, humanæ infirmitatis præsidia; non præterea morbus, aut dolor, aut medicina, &c. sed regio viuentium veram vitam in Christo Iesu, &c.

Basilij sent.

321 *Ambrosius lib. 2. de Abrahæ cap. 1.* In alteram terram vocatur plenam beatitudine, vbi non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed vniuersorum cernat subitantiam, eo quod corruptibilem caliginem deponat, & reuelata facie beatæ vitæ gratiam lustret obtutu.

Ambros. sent.

322 *Ephrem Syrus de compunctione cordis cap 8.* Plorate fratres in conspectu Dei, vt gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, vbi fugatur dolor, tristitia, & gemitus; vbi, nec lacrymis aliquis, nec pœnitentia indiget, vbi non est timor, & tremor; vbi non mors, & corruptio; vbi non est aduersarius, & impugnator; vbi non est exacerbatio inobedientiæ, & ira contentionis; vbi non est odium, & inimicitiæ, sed omninò gaudium, & lætitia, et exultatio, mensa spiritualibus cibis plena, quam præparauit Dominus diligentibus se.

Ephrem de beatitudine colloquium.

323 *August. lib. 22. de Ciuitate cap. 30.* Quanta erit illa fœlicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum; vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus; nam quid aliud agatur, vbi nulla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, nescio, & in Sancto cantico lego, *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura, & sempiterna fœlicitas, nihil latebit, res omnes quæ ibi magnæ, et mirabiles videbuntur, in tanti artificis laudem, delectatione succedent. Certè vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod spiritum non possit decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, vbi laudatus, nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno; sed, nec ad eum ambiet vllus indignus, vbi nullus permitteretur esse, nisi dignus. Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à se ipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium vir-

Augustin. elogium de beatitudine.

Magna beatitud. bona.

virtutis erit ipse, qui virtutem dedit; eique se ipsum, quo nihil melius, & maius possit esse, promisit. Quid enim aliud per Prophetam dixit. *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs, Leuit. 26.* nisi ego ero vnde satientur; ego ero quæcumque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona? Sic etiam intelligitur illud Apostoli, *vt sit Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15.* Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine satigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis.

Fusiùs Augustini elogia.

324 Idem *in ser. de Verb. Domini cap. 3.* Non erit ibi lassari, & dormire, non ibi erit esurire, & sitire, non ibi crescere, & senescere: & post multa, ait. Ecce quanta retuli, & non dum dixi quid ibi erit, idem replicat, & pluribus *lib. 3. de fide, & Symbolo ad Catbecum. cap. 12.*

Impossibile dicit ea bona explicare

325 Idem *Aug. lib. de triplici habitaculo cap. 1.* vbi in habitaculo Dei isti habitabunt. in regno Dei nulli mali, sed omnes boni, Benedicti enim vocantur ad regnum sibi paratum ab origine mundi. Bona autem regni cælestis dicere, vel cogitare, vel intelligere, vt sunt, nullus potest carne vestitus, multò enim maiora, & meliora sunt, quam cogitantur, dum scriptum est, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Regnum namque Dei omni forma maius, & omni laude melius, omni gloria, quæ putatur, excellentius. Regnum itaque Dei plenum est lucis, & pacis, & charitatis, & sapientiæ, & gloriæ, & honestatis, & dulcedinis, & melodiæ, & lætitiæ, & beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari potest. Satiat iustos visio Sanctorum hominum, & Angelorum, & super omnia ipsius Dei. Nihil in regno Dei desideratur, quod non inueniatur; nihil inuenitur, nisi quod placet, delectat, & satiat. Ibi est vita sine morte; veritas sine errore; felicitas sine perturbatione; omne bonum ibi abundat, & nullum malum.

Omnia ibi sunt; nihil deficit.

Pax, & tranquillitas maxima, & sanctitas omnium bonorum.

326 Idem *in lib. de spiritu, & anima cap. 58.* loquens ad Sanctos, ait. Cantate, & exultate ei, quoniam ipse est Deus vester gloriosus, & speciosus. Ipse est salus, et vita, et honor, et omnia bona. Quanta pax ibi est, vbi nulli vestrum quicunque repugnat, vel ab alio, vel à se ipso, sed ipse Dominus regit vos, et nihil vobis deerit. Ipse disposuit vobis regnum, vt edatis, et bibatis super mensam suam in regno suo. Gustate ergo, & videte, quam suauis est. Suauis ad videndum, suauis ad gustandum. Nec dici potest quantam habeat in gustu voluptatem, quantam in sapore iucunditatem, quantam in odore suauitatem, etc.

Dignè non potest explicari.

327 Idem *lib. 2. qq. Euangeliorum c. 39.* in fine. Omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, et tantò magis omnia dici possunt, quanto minus aliquid dignè dici potest. Nam, et lux est illuminatorum, et requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium, et quæcunque bona temporaliter transeuntia per creaturarum partes error appetit infidelium; veriora, et in æternum manentia, in creatore omnium simul inuentura est pietas filiorum.

Chrysost. descriptio.

328 *Chrysostomus in epist. 5. ad Theodorum.* Quid igitur ea vita beatius erit? non est, cur illic pauperiem metuas, et morbū. Nemo videbit contumeliosum, nec inique oppressum. Nemo exasperatum, aut irascentem, aut inuidentem. Nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mærentem, aut à Magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur: omnia erunt pax, lætitia, gaudium, omnia serenitas, tranquillitas, dies, splendor, et lux. Lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lichni; neque enim occultur hic, aut nocte, aut congressu nubium, etc. non senium, nec senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni, e medio, et è pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria, et quod omnium longe est maximum, continua fruentur conuersatione cum Christo, etc. et post innumera, ait, de Rege ipso nihil satis idoneum dici potest, adeò sermonem, et mentem omnem eius excedit pulchritudo, formositas, splendor, gloria, maiestas, magnificentia, etc.

Omnia pax splendor, & lux, &c.

Eiusdem alia dicta.

329 Idem *in homil. 6. epist. ad Hebr.* Reuera enim illa est requies, vbi aufugit dolor, tristitia, et gemitus, vbi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens, sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic in sudore vultus tui vescēris pane tuo, neque sunt spinæ, neque tribuli. Non est amplius in doloribus paries filios. Omnia sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic æmulatio, et inuidia non morbus. Non hæc mors corporis, non illa mors animæ. Non sunt tenebræ, neque vox; omnia sunt dies, omnia lux, omnia mitia, ac mansueta, omnia splendidor, non potest capi satietas, etc.

Eucherij sent.

330 *Eucherius Lugdun. homil. 1. de Epiphania.* Veniet tempus illud, quando iam nulla desideretur cibi, somnique refectio, nulla sentiatur ieiunij lassitudo, nulla timeatur, vel de carne lassitudo, vel de hoste tentatio. Sed perfruemur hac primum felicitate, vt incipiamus, nec velle vltra peccare, nec posse, cessante omni iniquitate, omni miseria, omni mærore: totum innocentia, totum lætitia, totum felicitas

possi-

possidebit. Nullam inferior miseriam, nullam fœlicior timebit inuidiam, etc. multa.

Greg. Mag. dictum.

331 *Gregorius Mag. homil. 37. in Euang.* Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sunt gaudia; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, in circumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari, etc.

Prosperi dicta.

332 *Prosper Aquit. de vita contemplat. lib. 1. cap. 4.* Hæc est vita beata, ad quam, qui peruenerint, Angelis similes erunt, et simul cum Deo, sine fine regnabunt. Quod hic crediderunt, ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt, diuina, ac mutua delectione possessi Deo suo in æternum, et inuicem sibi fœliciter adhærebunt, receptis cum incorruptione, ac immortalitate corporibus, municipatum Patriæ cælestis accipiunt; atque eius in æternum ciues effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cælestium gratia gaudiorum, vt, et remuneratori suo, pro tantis muneribus gratias agant, et nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant: et post aliqua. Nec latebit iam perfectè beatos aliquod secretorum; qui, quod est longe præstantius ipsum visuri sunt Deum. Cuius humanæ substantiæ ad conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona quæ naturaliter accepta, peccato corruperat, reparabuntur in melius, id est intellectus sine errore, memoria sine oblitione, cogitatio sine peruagatione; charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumitas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimento, saturitas sine fastidio, tota saniras sine morbo, etc. multa ibi *Prosper*.

Omnia manifesta beatis, nihil secretum,

Fulgentij descriptio de beatitud.

333 *Fulgentius in ep. 4. cap. 8.* ait. Tunc erit nobis vera, perfecta, et excelsa humilitas, nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus; nulla ibi erit sollicitudo certaminis, sed perfecta securitas pacis, nulla nobis erit iustitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. Ibi erimus perfecta cœlitudine beati. Ibi nec minor erit laudatione nostra delectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim nobis plena laudatio nostra, quia erit in nobis Dei, proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus, et habebimus; tunc habebimus, et amabimus; tunc satiabimur cum delectatione, et delectabimur cum satietate.

Alcuini dicta.

334 *Alcuinus de beatitudine in libro 3. cap. 22.* hæc habet inter alia. Quid agituri sint in illa requie beatitudinis Psalmista dicit: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Hæc est absque omni perturbatione beata Dei pax, quæ exuperat omnem sensum, in qua videbitur Deus Deorum in Syon, id est in speculo perpetuæ quietis. Omnia quippe membra, et viscera per vsus necessitatis distributa habere videmus ministeria; tunc proficient in laudem Dei, quia nulla erit eis tunc necessitas laborandi, nec vlla indigentiæ molestia, sed plena, certaque securitas, sempiterna fœlicitas, et indeficiens lætitia. Quam ineffabilis fœlicitas erit illa, vbi nullum erit malum, vbi nullum deerit bonum, vacabitur Dei laudibus, quia erit vnus in omnibus, vnus amor omnium, vna concordia cunctis. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno. Vbi pax, vbi nihil aduersum à se ipso quisquam, nec ab alio patietur.

Rabani dictum,

335 *Rabanus Maurus de modo pœnitentiæ cap. 12.* ait. Dicitur de æterna vita, quod aufugiet ibi dolor, gemitus, et tristitia. Quid hac beatius? vbi non est paupertatis metus, non ægritudo; nemo lædit iniustè, aut læditur, nemo irascitur, nemo inuidet, nulla cupiditas exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat, aut potestatis ambitio. Sed omnis vitiorum labes extincta est; pax cuncta continet, et lætitia, tranquilla sunt omnia, et quieta, et iugis splendor, non iste qui nunc est, sed tanto splendidior, tantò clarior, quanto splendidior est sol lucerna. Nulla ibi nox nullæ tenebræ, nulla frigoris, aut ardoris asperitas, sed talis quædam erit rerum temperies, quam scient illi soli, qui ea digni inerint perfrui. Non senectus, nec senectutis miseria. Verum super hæc omnia est, sociari consertijs Angelorum, Archangelorum, omniumque cælestium virtutum contubernijs perfrui. Vltra verò hanc omnem est, gloriam ipsius Domini Nostri Iesu Christi ineffabili adipisci conspectu, et maiestatis eius inenarrabili splendore irradiari, etc.

Omnia placida suauia, ac læta.

336 *Anselmus lib. de similitud. cap 47.* in fine, ait. Quatuordecim sunt beatitudinis partes quas finito generali examine, perfectius omnes electi habebunt, totidemque miseriæ genera, quæ mali tunc sustinebunt, & *cap. 48.* ait. Partes beatitudinis sunt, pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longæuitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium. Et declarans eiusmodi bona, et perfectiones sic prosequitur.

Anselmus.

Beati perfectiones 14. ex Anselmo.

Pulchritudo iustorum, solis pulchritudini, qui semptimpliciter, quam modo sit, splendidior erit, adæquabitur. Vnde scriptum est *Matth. 13.* Fulgebunt iusti, sicut Sol in conspectu Dei.

Pulchritudo maxima.

Velocitas tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui à cælo ad terras, et è conuerso dicto citius diabuntur.

Velocitas;

For-

Fortitudo. Fortis sic erit iustus; vt etiam si velit, terram commouere possit. Et sicut Angelis nil obsistit, nec aliquid impedire potest, quin pro velle suo, cuncta penetrent libertimè, ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retarder. In illa vita iustus nihil patietur, quod nolit, sed agere permittetur, quod cunque voluerit.

Sanitas. Sanitas vitæ futuræ ita vigebit, & immutabilis erit, vt ineffabili quadam suauitatis dulcedine totum hominem repleat, & omnem vicissitudinis, mutabilitatis, aut lætionis suspitionem procul arceat, ac repellat.

Delectatio. In illa vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta membra, tam mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur.

Vita longæua. Viuet tunc, quantum & Deus, quia iusti in perpetuum viuent.

Sapientia. Sapientia, quam omnes in hac vita amãt, tanta erit iustis in futura vita, vt eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Perfecta enim sapientia, quæ Deus est, replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur, quam dum ita perspexerit, creaturæ totius naturam videbit, quæ in Deo melius, quam in se ipsa consistit. Tunc iusti omnia scient, quæ Deus fecit sciendo, tam præterita, quam futura. Ibi à singulis, omnes ab omnibus cognoscentur, nec quemquam latebit omnino qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

Dilectio. Sic diligentur boni à Deo, & ab alijs, vt eum odio habere non possint; quantum namque quisque se ipsum, tantum diliget, & alterum.

Concordia. Anima, & corpus cuiusque Sancti, imò concordiæ tantæ erunt omnes iusti, quantæ sunt in præsenti oculi nostri; sicut enim oculus vnus non potest verti quò non vertatur alius; sic etiam corpus, & anima, vel societas illa iustorum. Corpus enim vnum erimus, Ecclesia vna erimus. Ipsa Dei voluntas non erit à tua diuersa; sed, sicut tu, quod ille; ita & ille volet in cunctis, quod tu, caput namque a suo corpore, quomodo discreparet?

Honor. Ita quisque in glorificata illa dispositione amabit, quod fuerit adeptus, vt statum suum potiori gradu immutari non velit. Quare? quia cuique satis erit sua beatitudo sibi pro meritis suis misericorditer impartita. Et sicut hi, qui summæ Deitati sunt propinquiores, & ob hoc alijs præstantiores, dijudicantur; ita & qui illis sunt inferiores, quoniam vna, & eadem, & ipsi summę Deitatis gloria pro sua capacitate participant, simili nomine Deos dicendos esse, necesse est. Talis honor iustis pro modo meritorum exhibebitur.

Potentia. Beatus verè præpotens erit, & quidquid voluerit facere omninò poterit; quoniam ipsum omnipotentem in omnibus suæ voluntati concordem habebit.

Securitas. Quidquid voluerit habebit, & nihil se amissurum timebit.

Gaudium. Adhuc tamen ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, vnde magis possit gaudere. Quia enim quisque sic, vt se alterum amabit, patet, quod sic de illius felicitate, vt de sua gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot, tantisque beatitudinibus Sanctorum iubilabit? Quod si tantum de alijs, quos, vt se diliget gaudebit; quantum de Deo, quem supra se diliget, exultabit? Gaudium enim erit ei intus, & extra; sursum, & deorsum, gaudium circumcirca, gaudium vbique plenum hæc omnia Anselmus, placuit diffusè ea adducere, quia optimè beati statum describunt.

Bernardi descriptio de beatitudine. 327 *Bernardus* tandem, vt alios omittam *in libro de meditat. cap.* 4. ita de beatitudine loquitur. Beatus videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habet permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & requiescendi fœlicitatem. Ciuis siquidem erit illius Sanctæ Ciuitatis, cuius Angeli ciues sunt, Deus Pater templum, Filius splendor, Spiritus Sanctus charitas. O Ciuitas cælestis, mansio secura, patria fertilis, totum continens, quod delectat. Populus sine murmure, incolæ quieti, homines sine indigentia. Quam gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei, sicut lætantium omnium habitatio est in te. Omnes lætantur in lętitia, & exultatione. Omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suauis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium. Nec extra illum quidquam quæritur, quia in illo totum inuenitur quidquid desideratur, &c. multa: & post. O beata visio videre Deum in se ipso, videre in nobis, & nos in eo fœlici iucunditate, & iucunda fœlicitate. Quidquid desiderabimus, totum habebimus. Quidquid videbimus, amabimus ipso amore beati; Beati dulcedine amoris, & suauitate contemplationis. Hæc erit summa illius fœlicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse sincera diuinitas, compræhenditur in ea incompræhensibilis Trinitas. Patebunt arcana diuinitatis, videbitur, & amabitur Deus, & hæc visio, & delectatio totum cor hominis implens, & satians, tota erit illius beatitudinis consumatio. Vna erit omnium lingua iubilatio indefessa,

Distinctè omnia beati dona, & commoda enumerãtur

Omnium scientia.

vnus

vnus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, & erit integra corporis, & animæ societas, fulgebit, sicut sol humanitas glorificata. Quieta erit, & concors carnis, & spiritus societas; Angelorum, & hominum vnum erit gaudium, vnum colloquium, vnum conuiuium. Erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax iustitia, & intelligentia. In torrente illius voluptatis nihil vltra appetet cumulata satietas, tanta erit fœlicitas: ibi siquidem erit cumulus fœlicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia. hęc & alia plura *Bernardus*.

Quę compendiosè prælibasse sufficiat pro verę beatitudinis confuso conceptu; reliqua distinctius in proprijs Disputationibus declarabimus.

## ARTICVLVS XIII.

### *An vera hac beatitudo possit in vita mortali obtineri.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distinct. 49. q. 12.* prænonet hoc quęsitum esse valde diuersum ab aliis, an scilicet viribus naturę possit quis beatificari, & an per actus proprios, sicut Philosophi putarunt. Hic vero quęritur, an per actus alios, quos in nobis non experimur, possit quis fieri beatus eo modo, quo post mortem id accidit. Et docet, de potentia ordinaria Dei id non fieri. Absolutè tamen, imò & imperfectè ex parte subiecti posset fieri.

Antiqua cõtrouersia, an Deus, vt est, ab aliquo fuerit visus.

328 Adu. semper fuisse apud Theologos controuersium. An Deus secundum essentiam suam, vt est in se, immediate fuerit aliquando visus ab aliqua creatura, vt dicitur de Paulo, Moyse, ac Beata Maria, concedentibus aliquibus, sed negantibus alijs. Hic ergo prius videbimus possibilitatem, & an si Deus videretur in hac vita, esset perfecta beatitudo. Secundo, quid de facto acciderit. Item de possibilitate, prius tangetur, an de lege ordinaria, deinde de absoluta, seu extraordinaria. Hoc stante

Regulariter in hac vita Deus non potest videri, vt est.

329 Dico 1. De lege ordinaria non potest homo in hac mortali vita obtinere beatitudinem. Est *Scoti quæst. 12. §. Contra*, & communis.

Loca plura S. Scrip.

330 Prob. 1. ex famoso loco *Exodi* 33. vbi Moyses sic precatur, *Ostende mihi Domine gloriam tuam*; alij legunt *faciem tuam*, Deus autem respondet, *ostendam tibi omne bonum*, & paulò post subdit: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet*. Vbi Glossa Ordinar. quæ notatur pro *Augustino*, Ver. *Non poteris*, ait ad hos quod dictum fuerat: *Ostende mihi gloriam tuam, vel ostende mihi te ipsum; non poteris inquit videre faciem meam, non enim videbit homo faciem meam, & viuet; ostendens, huic vitæ corruptibilis carnis Deũ sicuti est apparere non posse, id est sicuti est videri, in illa enim vita potest, vbi vt viuatur huic vitæ moriendum est*. Sed beatitudo consistit, saltem partialiter in visione Dei, ex *Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: ergo.

Glossa ex Script.

331 Conf. ex Glossa *Gregor.* Ordinar. ibid. Ver. *Non enim*, Ioannes quoque ait, *Deum nemo vidit vnquam*, quandiu enim hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest; sed per ipsam naturæ suæ speciem, non potest; hinc est, quod Moyses, &c. & refert factum Exodi nuper relatum: & post sequitur. Viderunt ergo Patres veteris testamenti Deum, & tamen *Deum nemo vidit vnquam*, quia in hac carne viuentibus videri potuit per circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptionem æternitatis. hæc *Greg.* ex Glossa.

Patres viderunt in imagine aliqua.

Lyran. in eundem locum Exodi. Ver. *Non poteris*, ait, in apparitione qua apparebo tibi, non dabo tibi licentiam videndi faciem meam: *Non enim videbit me homo, & viuet*, id est talis visio non conceditur in vita præsenti.

Lyr. idem.

Ex Ioan. 1.

332 Prob. 2. ex *Ioann. 1. Deum nemo vidit vnquam*. Interlin. ait, *Nullus homo*, & iterum, *hæc gratia per Christum facta est, id est videre Deum, qui numquam visus est*. Glossa Ordin. Ver. *Deum nemo*, dicit, *nullus purus homo viuens in hoc corpore vidit Deum, vt est, vnde dictum est Moysi non videbit me homo, & viuet, id est nemo viuens in corpore videbit diuinitatem meam*. Ergo non potest, regulariter saltem, in vita hac mortali obtineri beatitudo, quæ in Dei visione, saltem partialiter, consistit.

1. Tim. 6.

333 Prob. 3. ex 1. *ad Timoth. 6. Deus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Interl. Ver. *Nec videre*, ait, *in hac vita, sed in alia videbit*. Glossa Ordinar. Aug. ibi ait, quem id est Deum, secundum naturam, qua Deus est, nemo vidit, vel videre potest, sed poterit aliquando.

334 Prob. 4. ex dicendis in sequenti articulo, vbi discutietur, an de facto Deus fuerit visus. Si enim negatur fuisse aliquando visum, vel conceditur rarissime, & per raptum, multò magis concludetur hoc non concedi regulariter in præsenti vita.

Ex natura beatitudinis argum.

335 Prob. 5. ex natura ipsius beatitudinis, hęc enim nequit coniungi cum mortalitate: ergo. Anteced. prob. ex *August. lib. 13. de Trinit. cap. 8.* Mortalis enim scit se moriturum, & eam amissurum; vel ergo amitteret volens, vel nolens; si volens, ergo non est beatitudo; quia hæc est summè volibilis. Si nolens; ergo timeret amissionem, & sic esset tristis: & concludit Aug. Immortales ergo esse volunt quicumque

verè

verè beati, vel sunt, vel cupiunt esse: non autem vitæ beatè, cui non adest quod vult; nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. hæc *August.* Ergo implicat, quod regulariter beatitudo copuletur cum vita mortali.

Absolutè potest obtineri in hac vita.

336 Dico 2. De potentia Dei absoluta potest homo in hac mortali vita obtinere beatitudinem per aliquod tempus. Est *Scoti dist. 49. quæst. 12. ad A.* & deinceps.

337 Prob. 1. ex *Scoto sub A.* Non repugnat ex parte Dei: ergo, Anteced. prob. De facto post mortem beat homines. Et si requiritur lumen gloriæ ad beandum, posset illud dare homini in hac vita. Quia & animæ Christi, licet cum perpetuo miraculo, beatitudo, lumen, & perfectissima charitas collata sunt.

A sufficienti arg. ex parte subiecti.

338 Prob. 2. Non est impossibilitas ex parte passi: ergo. Anteced. prob. Vel hæc repugnantia oritur ex natura passi; & hoc verum non est; alioquin numquam posset beatificari. Vel oritur ex parte alicuius formæ, vel conditionis existentis in passo, nempe homine; & hæc potest superari. Nam ista forma, maximè esset mortalitas: sed hæc non habet formalem repugnantiam cum beatitudine; alioquin non potuissent in Christo vniri. Igitur est repugnantia solum virtualis, quia scilicet istæ duæ causæ, Beatitudo, & mortalitas natæ sunt producere effectus formaliter diuersos; nam beatitudo fert secum effectum immortalitatis, & incorruptionis, & sic mortalitas habet repugnantiam cum beatitudine virtualiter tantum; formaliter verò cum effectu eius. Sed hæc repugnantia potest superari per miraculum, sicut superata fuit in Christo, vt scilicet beatitudo non haberet hunc effectum incorruptionis: ergo.

Ex beatitud. corporis aliud arg.

339 Prob. 3. Alia repugnantia ex parte passi esse posset, quod beatitudo fert secum beatitudinem corporis; hæc autem includit dotes corporis, quæ stare nequeunt vita mortali; sed hæc omnia possunt superari. Nam, licet regulariter sic accidat, id non prouenit ex rerum naturis absolutè, sed ex Dei decreto, statuentis non reddere incorruptibile, agile, lucidum, &c. corpus hominis in præsenti vita: sed nihil prohibet, quin hæc omnia, vel aliqua ex eis faciat.

340 Prob. 3. ex *August. lib. de videndo Deo cap. 5. Recte itaque dixerimus, scimus Deum posse videri, quamuis eum non viderimus.* Ergo potest in hac vita videri.

341 Prob. tandem ex dicendis in sequ. art. vbi patebit, Primarios Ecclesiæ Doctores docuisse, quod de facto, saltim breui tempore, vel per raptum, Moyses, & Paulus fuerint beati in Dei visione. Ergo non est impossibile.

Arg. contra de facto.

Ob. contra 1. Innumera sunt Scripturæ loca, in quibus legitur Deum apparuisse hominibus in hac vita, ex *Gen. 12. 18. 23. Exodi 3. 30. 33. &c.* imò *Num. 12. Deus erat os loquebatur cum Moyse, & hic palam, & non per enigmata Deum videbat:* ergo.

Deus apparuit in imagine corporali,

342 Resp. vt in sequenti visiones, & apparitiones illas fuisse in specie, seu imagine creata, vt in seq. ex *August. lib. de videndo Deo cap 5. 6. & 7.* Ad illud de Moyse, imò & de Paulo, dicetur postea. Si enim tenetur, quod Deum, vt est in se viderint; concluditur, quod bis hoc accidit in toto tempore à creatione mundi, & probat solum non repugnantiam, quam intendimus in secunda conclusione.

Arg. contra 2.

Ob. contra 2. Nequit beatitudo copulari cum mortalitate, nam *Exodi 33. Non videbit me homo, & viuet.* Secundo, quia sunt contrariæ, vna enim secum fert impassibilitatem, alia oppositum: ergo.

Quomodo impertium mortalitas.

343 Resp. dist. antec. Beatitudo perpetua, & subdistinguo, absque miraculo, concedo. cum miraculo, nego. de horaria, & transeunte, nego. Ratio primi est, quia Christus, etiam mortalis ex perpetuo miraculo, fuit perpetuo beatus. De horaria, nihil refert, quod sic beatus sit mortalis. Posset ergo Deus in homine mortali impedire causas secundas, ne eum læderent, & posset permittere, vt læderent, & tamen anima eius esse beata, videns Deum, eoque fruens.

## ARTICVLVS vlt.

### *An de facto quis in hac vita fuerit beatus per Dei visionem claram.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 12.* de Christo docet, semper fuisse beatum, & hoc ex continuo miraculo. De alijs hominibus, concedit Paulum in raptu Deum vidisse, & non aliter, idem dixerat in Prologo *quæst 2. C.*

Ratio dubitandi oritur ex S. Script. locis.

344 Adu. quæsitum hoc esse de facto. Oritur autem difficultas ex varia intelligentia aliquorum S. Scripturæ locorum. Nam *Exodi 33.* habetur, *non videbit me homo, & viuet. Ioann. 1. & 1. ad Tim. 6. Deum nemo vidit vnquam.* E contra *nu. 12.* Deus de Moyse dicit, *Ore ad os loquor ei, & palam & non per enigmata Dominum videt.* & *2. ad Cor. 12.* Paulus de se ait, *& audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Quæ quidem loca aliqui etiam Sancti explicant de clara Dei visione concessa Moysi, ac Paulo.

Multipliciter visus Deus.

345 Adu. 3. ex *August. lib. de videndo Deo cap. 5. 6. 7. & 12.* nec non *lib. 12. Gen. ad lit. cap 27. & 28.* Diuersis modis Deum à creaturis videri posse, ac visum esse. Aliquando enim in aliqua imagine, seu re-

inanimata, in qua loquebatur, vt in rubo, in nube, &c. aliquando in Angelo loquente in persona Dei. Aliquando in somnijs per species corporales; aliquando in extasi, & raptu absque imagine corporali per immediatam intuitionem Dei. His præmissis

Deus à multis visus est in specie creata.

346 Dico 1. Deus à multis in hac vita mortali visus est in specie, seu imagine aliqua creata. Est communis, & de fide.

347 Prob. 1. pars, ex *Gen.* 12. Deus apparuit Abrahæ, item *cap.* 17. quando tres viros vidit, & vnum adorauit, ex *cap.* 32. apparuit Iacob, *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Exodi* 3. *Apparuit Moysi Dominus. & cap.* 6. *Dominus, qui apparuit Abraham. cap.* 30. *In quo loco apparebo tibi. cap.* 33. *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Num.* 12. Deus dicit, *ore ad os loquor ei, palam & non per enigmata Dominum videt. Reg.* 3. *cap.* 3. *Apparuit autem Dominus. cap.* 9. *Apparuit ei Dominus secretò, sicut apparuerat ei in Gabaon. 2. Paralip. cap.* 1. *Apparuit ei Deus dicens*, idem *cap.* 7. & alia penè innumera ex Pentateuco adduci possunt. At illud videtur singulare *Gen.* 35. *Apparuit autem iterum Deus Iacob*, dicens, *Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.* Israel autem idem significat, *as videns Deū*, ex *Hieron. in lib. de Nomin. Hebraicis*. Et proinde Prophetæ appellabantur videntes Deum, tandem ex *Isai.* 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c.* Ergo fuit visus Deus in hac mortali vita.

Israel. videt Deum.

In specie creata visus.

348 Prob. 2. pars, quod scilicet in specie, seu imagine creata, siue corporali, siue spirituali hoc acciderit, vt legenti prætata scripturæ loca notum est; et *Augus.* de omnibus loquitur in *lib. de Videndo Deo cap.* 7. Illi autem ideo viderunt quicunque viderunt Deum, quia cui voluerit, sicut voluerit apparet, ea specie, qua voluntas elegerit, etiam latente natura, *& in cap.* 8. de Moyse quoque ait, *Ostende mihi*, inquit, *temet ipsum*. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat. Ea quippe promittitur Sanctis in alia vita: et post aliqua; multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit, & Glossa Ordin. *in cap.* 37. *Exodi*, estque *Greg.* Ver. *Non enim*. Viderunt ergo Patres veteris testamenti Deum, et tamen *Deum nemo vidit vnquam*, quia in hac carne viuentibus videri potuit per circumscriptas imagines, & videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Et ideo in flamma, in nube, in viro, in Angelo, &c. visus sæpe est Deus. Neque de hoc est dubium; sed an aliquando in sua natura, sicuti est, visus sit. Ideo

Problema videtur, an Deum à nemine fuisse visum, vt est in se, id est secundum substantiam: licet aliqui Sancti, & Doctores contrarium docere videantur aliquando de Moyse, & Paulo. Secundam partem tenet *Scotus in Prolog. sent. quæst.* 2. *C.* explicite, *& in* 4. *dist.* 49. *q.* 12. *ad argum. D. Th. p. p. quæst* 12. *art.* 11. *ad* 2. et alij, qui hos secuti sunt.

Deus sit visus, vt est.

350 Prob. 1. pars, ex *Exodi* 33. vbi Moyse petente videre Deum, vt est, *ostende mihi faciem tuam*, alij legunt *gloriam tuam*, fuit ei à Deo responsum. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Glossa Interl. ait. *Vim diuinæ essentiæ*, et Ver. *Non videbit me homo*, dicit *per incircumscriptam essentiam*. Glossa Ordin. Ver. *Non poteris*, inquit, ostendens huic vitæ corruptibilis carnis Deum, sicuti est, apparere non posse, id est, sicuti est videri.

Ex Script. Deus non visus in se, vt est.

351 Glossa Ordin. quæ est *Greg.* Ver. *Non enim*, diffuse hoc discutit. Quandiù hic viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest. Hinc Moyses, qui enim Deo facie ad faciem loquebatur, dicit si inueni gratiam in conspectu suo ostende mihi temetipsum manifestè. Eum sitiebat per incircumscriptæ naturæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quasdam imagines videre. Viderunt, ergo Patres veteris testamenti Deum, et tamen Deum nemo vidit vnquam, quia in hac carne viuentibus videri potuit per circumscriptas imagines, et videri non potuit per incircumscriptum lumen æternitatis. Idem prorsus docet *Lyran.* Ver. *Non poteris, &c.* Non dabo tibi licentiam videndi faciem meam. Ergo non potest dici, quod Moyses vnquam viderit, alias quomodo Dei sermo, *Non poteris videre* verus esset. Certè hoc argumentum videtur euidens, nisi Scripturæ sensus extorqueatur.

Clara Gloss. Greg.

352 Prob. 2. ex *Ioann.* 1. *Deum nemo vidit vnquam*. Interl. ait, *Nec Moyses*: Gloss. Ordin. dicit, Nullus purus homo viuens in hoc corpore vidit Deum, vt est. Quod autem legitur Deum apparuisse hominibus, siue visibiliter carnalibus oculis, siue inuisibiliter propheticis visionibus; per subiectam creaturam intelligendum est; visiones enim Prophetarum quadam spirituali creatura factæ sunt, quibus Deum vidisse prohibentur. hæc Glossa.

Ioan. 1.

353 Prob. 3. ex 1. *Timot.* 6. *Deum nullus hominum vidit*. Dicit Interl. *Homo in hac vita*. Glossa Ordin. dicit; *Quem secundum naturam, qua Deus est, nemo vidit*.

1. Timot. 6.

354 *Hier.* In eum locum ait, lucem habitat inaccessibilem omni creaturæ, nemo enim nouit Patrem, nisi filius, quem nullus hominum vidit, nemo nouit, sed vnusquisque pro merito intelligit.

*Ambr.*

Ambros.

355 *Ambr.* In hunc locum, ait, lumen inaccessibile solius Patris est; quia nulli vnquam apparuit. Et addit, *quem nemo hominum vidit, & in cap. 1. Luca*, ait. Ideo Deum nemo vidit vnquam, quia eam, quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis nemo conspexit; nemo oculis, aut mente comprehendit. hæc *Ambr.*

Aug.

356 Prob. 4. ex *D. August lib. de Videndo Deo; cap.* 5. vbi considerans illud *Matth.* 5. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt*, ait, dictum est videbunt, non viderunt. Et non vidimus, sed videbimus eum sicuti est. Et post quam retulit multa scripturæ loca, quæ narrant, aliquos Deum vidisse, & esse contraria dicto Ioannis, *Deum nemo vidit vnquam*, subdit, *homines tantummodo esse intelligendos, nam hoc Apostolus planius explicans, quem nemo, inquit, hominum vidit, sed nec videre potest; si ergo dictum est, Deum nemo vidit vnquam, ac si diceretur, nemo hominum.* Et in fine illius capitis subdit, *Profectò quoniam Deum nemo hominum vidit vnquam, nec Patrem quisquam putandus est vidisse, nec filium, secundum quod Deus est.* In *cap.* 6. proposito sibi dubio, quomodo verum erit quod dicitur, *Deum nemo vidit vnquam*, respondet primo afferendo longam doctrinam *Ambrosij super caput* 1. *Lucæ*, qua docet Deum ab eis visum, à quibus voluit videri, sed in specie. Secundo in *c.* 7. ex proprijs respondet cum scriptura, sic, de Patribus, qui viderunt Deum, *Illi autem idio viderunt quicunque viderunt Deum, quia cum voluerit, sicut voluerit apparet, ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura*, in *cap.* autem octauo diffusius ad prædictum dubium respondet: *Inuisibilis est natura Dei, Pij cupiunt Deum videre, non vt opinor in eam speciem contuendam, qua vt vult apparet, quod ipse non est, sed in eam substantiam, qua ipse est quod est. Huius desiderij fuit Moyses, vbi ait Deo, cum quo, vt amicus facie ad faciem loquebatur, Si inueni gratiam ante te ostende mihi temetipsum. Quid ergo illo non erat ipse? si non esset non ei diceret, ostende mihi temetipsum, sed ostende mihi Deum. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat. Non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat, ea quippe promittitur Sanctis in alia vita. Vnde quod responsum est Moysi verum est, quia nemo potest faciem Dei videre, id est nemo potest eum in hac vita viuens videre, sicuti est. Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit:* & post aliqua subnectit illud *Ioan. ep.* 1. *cap.* 3. *Cum apparuerit videbimus eum sicuti est*, non sicut homines viderunt, quando voluit in specie, qua voluit, non in natura, qua in semetipso etiam cum videretur, latuit, sed sicut est; quod ab eo petebatur, cum diceretur, *ostende mihi temetipsum* ab eo, qui cum illo facie ad faciem loquebatur. Non quia Dei plenitudinem quisquam non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. hæc August. Si ergo Moyses ex Augustino petebat videre Deum, vt est. & ei fuit responsum, *non poteris faciem meam videre*, & nullus hominum ex eodem Dei diuinitatem, non solum oculis, sed nec mente vnquam comprehendit, sequitur euidenter, Deum nec à Moyse fuisse visum, vt est.

Idem Aug. in Ioan.

357 Conf. ex eodem *August. tract.* 3. *in Ioan.* vbi declarans illa verba *Deum nemo vidit vnquam*, ait de Moyse. Vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat: & post aliqua. Loquebatur, cum Moyse Angelus, & infra. Facta sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostendebatur; non vtique substantia, ipsa demonstrabatur, & manifestabatur. hæc & alia plura *Aug.* Ex quibus constat, ex eo, Deum numquam ab aliquo homine, nec ipsomet Moyse fuisse visum vt est, & secundum substantiam.

Semper in eo peculiaris visus Deus.

Idem Aug. pluries.

Idem lib. 2. de Trin.

358 Conf. ex eodem *lib.* 2. *de Trinitate cap.* 18. vbi de visione Danielis loquens, dicit, Deum ac personas diuinas, ne dum dormientibus, sed vigilantibus apparuisse in corporali creatura, & *cap.* 17. dicit in illis vocibus, quæ fiebant ex Exodo, vel illis omnibus corporalibus demonstrationibus Dominus Iesus Christus ostendebatur, & in fine *cap.* 17. subdit. Visiones autem illæ per creaturam commutabilem factæ sunt, non proprie sicuti est, sed significatiuè, sicut pro rerum causis, & temporibus oportuit. Igitur perpetuus & constans huc vsque apparet Augustini sententia, quod Deus nulli vnquam hominum apparuit, sicuti est.

Cum visus est Deus, natura latuit.

2. pars. quod Deus sit visus vt est.

359 Prob. modo secunda pars, quod, scilicet Patres aliqui docent Moysem, & Paulum Deum vidisse nude, & clare, vt est in se *S. Ambros. in Hexamer. cap.* 2. vbi loquens de Moyse, cui Deus legem, & scripturam reuelauit, mireque eum exaltat, præ cæteris, ait: *Moyses scivit Dominum facie ad faciem, non in visione, neque in somnijs, sed ore adeo cum Deo summo locutus, neque in specie, neque per enigmata, sed clara, atque perspicua præsentia diuina cognitione dignatus. Is itaque Moyses os suum aperuit, & effudit, quæ in eo Dominus loquebatur.* Ergo ex *Ambros.* Moyses vidit Deum non in specie, sed in propria præsentia.

S. Ambros. de Moyse.

Naturam videre cupiebat Moyses,

S Basil. idē docet.

360 *S. Basilius hom.* 1. *in Hexamer.* paulò post principium, loquens de veritate sacræ scripturæ à Deo reuelatæ Moysi, & referens elogium ab ipsomet Deo de Moyse promulgatum *Num.* 12. quod *ore ad os cum eo colloquebatur in visione, & non per enigmata*, habet. *Is igitur, qui dignus habitus est, spectator vt esset, peraquè, ac Angelis faciei diuinæ; ille inquam, qua auditu didicit*

*rat colloquente sicum Deo, hæc nobis edisserit.* Ergo si vidit, vt Angeli faciem Dei, vidit vt est in se.

S. Augustin. idem dicit.

361 *S. Augustin.* qui in locis supra citatis abunde docet nullum Patrum vidisse Deum, vt est, & de ipso Moyse etiam id dicit, vt patuit; tamen in *lib. 12. de Gen. ad litt. cap. 26. & 27.* docet Moysem Deum vidisse secundum substantiam, & vt est, in fine enim *cap. 26.* loquens de futura gloria vitæ æternæ, ait. Ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem, siue corporalem, sicut visa est in monte Sina; siue spiritualem, sicut vidit Isaias, vel Ioannes in Apocalypsi; sed per speciem, non per enigmata quantum eam capere mens humana potest, secundum assumentem Dei gratiam, vt os ad os loquatur ei, quem dignum tali Deus colloquio fecerit: non os corporis, sed mentis, hæc *Aug.* ibi, *in cap.* vero 27. statim subdit, hoc desiderasse Moysem. Concupierat, ait, vt in Exodo legimus videre Deum, non sicut in monte; nec sicut in tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, sed per speciem suam quantum eam capere creatura rationalis, & intellectualis, potest. Sic enim scriptum est, *si ego inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum* manifeste, vt videam te, cum paulò superius legatur, *loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut loquitur quis ad amicum.* Et post aliqua, dicit Augustinus, accepit Moyses responsum figuratum, non videbit homo faciem meam, & viuet. Tamen paulò post dicit hoc obtinuisse, ait enim. Nisi tamen concupitam Dei claritatem Moyses videre meruisset, in libro Numerorum non diceret Deus ad Aaron, & Mariam fratres eius. *Si fuerit Prophetes inter vos, in visione, illius Dominus cognoscar, & in somnio loquar illi; non ita quomodo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis. Os ad os loquor ad illum, in specie, & non per enigmata,* & claritatem Domini vidit, sequitur Aug. Neque enim hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur intelligendum est. Nam vtique sic loquebatur ad Moysem facie ad faciem, contra in contra. Illo ergo modo in illa specie, qua Deus est, longe ineffabiliter secretius, & præsentius loquitur locutione ineffabili, vbi eum nemo videns viuet vita ista, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis. Ergo est clara sententia Augustini hic, quod Moyses Deum viderit sicuti est.

Clare loquitur August. de Moyse.

Non potest August. aliter explicari, quia explicite id asserit.

Ex lib. Num. Aug. id colligit.

362 Isti ergo, & alij Patres, ac Scholastici, vt D. Thomas, Scotus, & cæteri, qui ab illis acceperunt, innituntur loco Scripturæ mox adducto *num. 12.* præcisa autem verba nostræ vulgatæ ista sunt. Cum de Moyse murmurarent Maria, & Aaron frater scilicet, & soror eius propter vxorem Moysi Aethiopissam, spernebant eum, quod scilicet non per eum solum Dominus loquutus sit. Deus autem in nube apparens super tabernaculo dixit ad eos: *Audite sermones meos, si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; at non talis seruus meus Moyses, qui in domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per enigmata, & figuras Dominum videt.* Ecce, quod Scriptura videtur fauere huic sententiæ. Et licet Glossa Ordinar. Ver. *Dominum videt*, intelligat allegoricè, dicens Moyses gloriam Domini vidit quando transformatus est in monte, & aderat Moyses cum Elia, & colloquebatur ei. Et Glossa Lyr. declarans hunc locum de visione Domini concessa Prophetis, dicit distingui in tres gradus, & sic locum tuum declarat, *orta ad os loquor ei; palam, & non per enigmata Deum videt,* inquit Lyran. Per hoc quod dicitur *palam*, intelligitur tertius gradus prophetiæ prædictus, in quo non requiritur aliqua visio imaginaria. Per hoc quod dicitur *ore ad os loquor*, intelligitur quædam specialitas, & dignitas in isto tertio gradu prophetiæ, &c. tamen secundum hebræos non vidit diuinam essentiam, quia dictum est sibi *Exodi 33. Non videbit me homo, & viuet*, & sequitur. Augustinus verò dicit, fuisse ei concessum videre essentiam, ex hoc, quod dicitur, *palam, & non per enigmata Deum videt*, quia omnis cognitio Dei citra visionem diuinæ essentiæ, enigmatica est, ex 1. *Cor. 4. Videmus nunc per speciem in enigmate.* Vbi autem, & quando fuerit concessa Moysi talis visio non video determinatum ab aliquo Doctore. hæc Lyran. ex quo apparet, quod si Augustinum excipias locus ille Scripturæ declaratur, vt concorder cum alijs.

Aliqui declarant hûc locum allegorice.

Alij moralem.

Non assignatur, quando Moyses viderit.

363 De Pauio pariter docuerunt aliqui quod viderit Deum sicuti est in raptu, ex 2. *Cor. 12.* & quia in hoc fundantur authores huius sententiæ, eum adduco; sic autem habet: *Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit: raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit; quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ex his verbis eruunt, Paulum vidisse diuinam essentiam; sed nescio quomodo.

De Pauli visione.

Miratur author de consequentia,

364 Glossa enim Interl. Ver. *Deus scit*, ait, *ostendit ei Deus vitam in qua videndus est in æternum.* Ver. *Extra corpus*, ait, *sic id est quod anima è corpore exieris.* & Ver. *In Paradisum*, inquit, *in eam tranquillitatem, quæ fruuntur, qui sunt in cælesti Ierusalem, & sic videre potuit, quod nunquam corporeis sensibus impenditur.* Igitur vidit essentiam.

Gl. Interl.

365 Glossa Ordin. Ver. *Vsque ad tertium cælum*, ait, id est cognitionem Deitatis.

Fundamentum huius sent. in scriptura Num. 12.

Gloss. Ord. de tribus cœlis, quid significent.

tis. Primum enim est aereum, secundum firmamentum, tertium spirituale, vbi Angeli, & Sanctæ animæ Dei fruuntur contemplatione. Deinde ex August. dicit per tres cælos intelligi tria visionum genera. Prima visio est, cum corporalia quædam videntur, sicut Elisæus vidit currum quando raptus est Elias, & Balthasar manum scribentem. Secunda visio est imaginaria, vel spiritualis, vt quando aliquis in extasi, vel somno videt non corpora, sed imagines rerum ex Dei reuelatione, vt Petrus discum &c. Tertia est intellectualis, quando, scilicet nec corpora, nec imagines videntur, sed in incorporeis substantijs intuitus mentis mira Dei potentia figitur. Ad hanc raptus est Apostolus, vt Deum in se, non in figura aliqua videret, & vt saluet illud Exodi *non videbit me homo, & viuet*, ait. Pauli animam è corpore tunc exisse. Et iterum idem diffusius prosequitur in sequentibus, loquens de visionibus aliarum Prophetarum, Ioannis in Apocal. &c. inquiens, has visiones pertinere ad secundum cælum; ea verò, qua spiritualiter videtur Deus, absque aliqua imagine, est tertia; & hanc petebat Moyses, dicens, *ostende mihi temetipsum*. ad hanc autem peruenit Paulus.

Tres cæli, tria genera visionum.

366 Glossa Lyr. ait cælum Empireum, quod est locus Beatorum dicitur tertium cælum respectu æthærei, & christallini, dicitur *Empireum* à *Pyr*, quod est ignis propter similitudinem claritatis Dei, dicitur *Paradisus* à suauitate dulcedinis, quæ ibi habetur, & vtrumque expertus est Apostolus; ideo illum nominauit tertium cælum, & Paradisum: & post, *Et audiuit arcana*, ait, ponitur auditus pro visu, vt fit in Scriptura: vidit enim Paulus tunc nudè diuinam essentiam, sicut dicit *August. de Vid. Deo ad Paulinam*. hæc Lyr.

Lyr.

Empireum vnde dictũ.

367 *S. August. lib. 12. de Gen. ad lit. c. 28.* expressis verbis id docet de Paulo, sic. Hoc tertium visionis genus, quod superius est, non solum omni corporali, quo per corporia sensus corpora sentiuntur; verum etiam omni spirituali, quo similitudines corporum spiritu, & non mente cernuntur, tertium cælum appellauit Apostolus. In hoc videtur claritas Dei, cui videnti corda mundantur, vt dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, non per aliquam corporaliter, vel spiritualiter figuratam significationem, tamquam per speculum in enigmate, sed facie ad faciem, quod de Moyse dictum est, os ad os per speciem, scilicet, qua Deus est quidquid est: & post aliqua. Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo Doctori gentium rapto, vsque ad illam excellentissimam visionem voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam viuendum est in æternum, &c. & in fine *cap.* 27. docet hæc. Sed nisi ab hac vita quisquam quodammodo moriatur, siue omninò exiens à corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus ait, vtrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam rapitur, & subuehitur visionem. Ex quibus clarè constat, Augustini vera mens, quod Moysi, & Paulo fuerit concessa Dei visio facialis, seu vt est in se;

August. de Paulo clare loquitur, quod viderit Deũ vt est.

368 Placuit pro vtraque sententia rationes adducere, neque ego tanti sum intellectus, vt secundam damnare audeam, quæ à tantis Patribus insinuatur. Neque tantæ audaciæ, vt ponam in cælum os meum, nempe contrà expressum S. Scripturæ literalem sensum forte à me non intellectum. *Non poterit me videre, non videbit me homo, & viuet; Deum nemo vidit vnquam.* & è contra, *ore ad os loquor ei; Palam non per enigmata, & figuras Deum videt*; nam locus alius de Paulo 2. *Cor.* 12. fateor, non me vrget, posset enim de intellectione merè spirituali intelligi, si præscindas ab explicatione Augustini. Et licet omnem mouerim lapidem, vt hæc loca conciliarem, tamen expertus sum me actum agere, & alterius ingenij opus futurum conieci.

Protestatio Authoris.

369 Ipse autem salua omnium pace, donec Ecclesia aliter me doceat quid scriptura significet, Scripturæ literæ adhærere decreui, *neminem*, scilicet *Deum vidisse vt est*, & hoc seruari pro futura vita; dum enim Pauli locum *ad Gal.* 1. considero, contremisco. *Licet ait nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Lego autem à Ioanne, & Paulo euangelizatum, *Deum nemo vidit vnquam*. Ideo Ecclesiæ iudicium expecto, & interim negatiuæ adhæreo.

Sensus Authoris tenétis cum Sac. Scriptura est quod Deus non fuerit ab vllo clarè visus in hac vita mortali.

# DISPVTATIO XV.

## DE APPETITV BEATITVDINIS, ET MODO CONSEQVENDI EAM.

### ARTICVLVS I.

*An omnes homines habeant naturalem appetitum beatitudinis.*

Scoti mens;

SCOTVS pluribus in locis, vt in 2. *sent. dist.* 2. *quæst. vlt. H. in* 3. *dist.* 13. *qu.* 2. *M. ad arg. alterius, & in* 4. *sent. distinct.* 49. *quæst.* 10. *A. S. Respondeo*, docet omnes homines habere naturalem appetitum ad beatitudinem, qui quidem appetitus est naturalis inclinatio, seu propensio naturæ ad suum perfectiuum.

Appetitus duplex naturalis, & elicitus.

1 Adu. ex *Scoto, vbi supra*, duplicem in humana natura respectu cuiuscumque perfectionis esse appetitum; vnum naturalem, alium elicitum, seu liberum, seu necessarium, pro nunc, parum refert. Naturalis, aliud non est, nisi inclinatio naturæ ad suum bonum, & perfectionem, quæ inest ei, tamquam passio subiecto. Est enim omni enti commune tendere in suum perfectiuum. Elicitus verò, est actus ille, quo voluntas cum præcognitione obiecti, vult illud. Hic agimus de primo; postea loquemur de secundo.

2 Adu. 2. Quod beatitudo potest considerari in generali, & confusè, vt communiter accipiebatur à Philosophis, & ab omni audiente hanc vocem beatitudinis, vt significatiuam boni alicuius perfectissimi. Et in particulari, scilicet pro determinatare, in qua, vel realiter, vel præstitutiue concipitur consistere beatitudo. Hic autem de beatitudine in particulari accepta, loquimur.

Omnes habent appetitum naturalem ad beatitudinem. Est *Scoti sub A. quæst.* 10. & alijs locis cit.

lem ad beatitudinem,

4 Prob. 1. Cuilibet homini inest, vt proprietas inclinatio ad suam omnimodè possibilem perfectionem, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, sed hæ potentiæ sunt inclinatæ ad beatitudinem, quæ est earum perfectio: ergo. Consequ. euidens est. Hic enim est appetitus naturalis.

5 Conf. Omni enti inest appetitus naturalis ad suam perfectionem; nam ex 1. *Phis. t.* 81. *Materia sit appetit formam, & vniuersaliter loquendo, omne imperfectum suam perfectionem.* Ergo etiam homo, sed appetitus in materia, & alijs inanimatis, est inclinatio naturalis. Ergo etiam in homine.

A priori ratio.

6 Prob. 2. ex 1. *Met. in prohemio. Omnes homines natura scire desiderant*, id est ad scire inclinati sunt. Ergo sunt etiam inclinati ad summum bonum. Sicut enim se habet intellectus in speculabilibus, ita voluntas in practicis, ex 2. *Phis. t.* 89. *& 7. Ethic. cap.* 12. *&* 26.

Ex Phil. inclinatio ad proprium perfectiuum omnibus inest.

7 Prob. 3. ex *S. Aug. in Enchirid. c.* 25. vbi loquens de miserijs naturæ humanæ post peccatum, ait: *Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinem.*

8 Dico 2. Appetitus ille naturalis non est aliquis actus elicitus. Est *Scoti in qu.* 10. *A.*

Appetitus naturalis nó est actus aliquis.

9 Prob. 1. In alijs entibus non est actus elicitus: ergo. Anteced. prob. In materia prima, & in alijs inanimatis est mera inclinatio ad suum perfectiuum: ergo.

10 Prob. 2. Si esset actus elicitus, experiremur eum nobis inesse; inconueniens enim est, eiusmodi nobilissimum actum nobis inesse, & latere nos; & tamen eum non experimur.

11 Prob. 2. Si esset actus elicitus, sequitur aliquando posse simul in aliquo homine esse actus contrarios, respectu eiusdē obiecti; sed hoc est falsum. Prob. sequela. Potest quis (imò quilibet, sic se habet) refugere naturaliter mortem, quia *nolumus expoliari, sed superuestiri, ex* 2. *Cor. cap.* 5. & tamen actu elicito optare, & eligere mortem, sicut martyr, ex *Philipp.* 1. *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Ergo, cum hic secundus sit actus elicitus, sequitur, quod naturalis appetitus non est elicitus.

Argum. ad impossibile.

12 Prob. 3. ex infra dicendis appetitu naturali homo necessario, & summè tendit in beatitudinem; quia in cuius potestate non est non tendere, in eius non est renuisse tendere: ergo.

Ob. contra 1. Incognitum non potest appeti, sed homo secundum naturalia consideratus non cognoscit beatitudinem; neque dici potest, quod sufficit cognitio beatitudinis præstitutæ, quia hæc non est vera beatitudo, & proinde non datur ad eam verus appetitus.

Arg. contr.

Resp.

Incognitum non potest appeti elicito appetitu.

13 Resp. dist. antec. Non potest appeti appetitu elicito, concedo, naturali, nego: hic enim non exigit cognitionem termini, sed est mera tendentia; sicut in creatura possibili inclinatio ad produci. Ita *Scotus in quæst. 10. sub O.*

Ob. 1. Non potest natura inclinari ad aliquod supernaturale, quia non habet cum eo proportionem: ergo.

Quomodo appetitus naturalis est proportionatus enti supernaturali,

14 Resp. neg. anteced. ad probat. dist. Non habet proportionem per modum meriti ad præmium, concedo; per modum perfectibilis ad perfectiuum, nego; sic enim omne capax alicuius perfectionis, eo ipso, quo capax, habet relationem, & inclinationem ad eam. Et ideo, vt dixi ait Augustinus hunc appetitum naturam non amisisse, quia intrinsecis eius à Deo inditus.

Inst. Natura non habet inclinationem ad supernaturales habitus. Ergo multò minus ad beatitudinem. Anteced. prob. Collatio talium habituum est merè gratuita.

15 Resp. neg. antec. ad probat. nego consequ. Natura enim, quæ inclinatur ad bonum supernaturale non potest illud per suas vires sibi acquirere. Proinde ait *Aug. lib. 1. de Prædest. Sanctor. cap. 5. Posse habere fidem, & charitatem naturæ est hominum: habere autem fidem, & charitatem, gratiæ est fidelium.* Ergo collatio est quidem supernaturalis capacitas vero, & inclinatio ad ea est naturalis.

Ob. 3. Non datur inclinatio frustra, talis esset ista, quia nequit natura se disponere ad eam, & multò minus obtinere.

Inclinatio ad beatitudinem, quare non est frustra.

16 Resp. neg. min. ab prob. neg. consequ. Sufficit enim, vt inclinationi illi correspondeat aliquod agens in tota coordinatione rerum, quod possit ei satisfacere; neque enim importat vires, aut virtutem obtinendi suum terminum. Patet de materia, & de omni perfectibili. Patet de cæco à natiuitate habente inclinationem ad videndum; & tamen impotente ex se visum obtinere; & ita de alijs, quæ fiunt per miraculum.

Ob. 4. Communiter à Theologis natura humana dicitur à Deo eleuata ad statum supernaturalem per ordinationem eius ad gloriam, & gratiam. Ergo non habet ex intrinsecis hanc inclinationem. Alioquin ex naturæ principijs esset beatificabilis.

Aliud est esse capacem, aliud esse eleuatam ad beatitudinè, & quid sit vtrumque.

17 Resp. neg. consequ. & probationem. Ratio est quia, aliud est naturam humanam esse capacem beatitudinis, & ad eam inclinari; & aliud est, esse ad beatitudinem electam, & ad eam peruenturam; vtrumque quidem à Deo habet, sed primum importat meram capacitatem, & possibilitatem ad beatificari, quod non excedit quidditatem naturæ. Secundum verò importat electionem ad eam, & infallibilem futuritionem beatitudinis, per decretum Dei de beatificando. Omnes homines habent primum, non verò secundum, sed soli prædestinati. Cum dicitur, quod sic homo ex naturæ principijs esset beatificabilis, vel negatur assumptum, vel distinguitur. Negatur, quia beatificabilitas in rigore importat, nè dum meram capacitatem, sed principia, & causas potentes beatificare, quæ non habet natura. Distingui etiam potest; si enim beatificabilitas dicit capacitatem solam ad beatificari; & id habet homo à natura, & quatenus homo, est cum hac capacitate à Deo conditus. Sed ex hoc nihil mali concluditur, quia capacitas hæc, neque meritum, neque dispositionem importat in natura.

## ARTICVLVS II.

### *An omnes appetitu elicito appetant beatitudinem.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. d. ult. 49. q. 10.* expressè hoc affirmat, docens, neminem esse, qui habito conceptu beatitudinis, eam non appetat.

Beatitudo apprehenditur duplici modo.

18 Adu. Quod beatitudo, vel apprehenditur in vniuersali, sicut à Philosophis apprehendebatur, vt scilicet est bonum perfectum, absque cognitione distincta prædicatorum eius, vel apprehenditur in particulari, & determinatè, vt bonum consistens in aliqua perfectione, siue in re ita sit, siue præstituta, seu existimata, vt à plerisque etiam Philosophis appetebatur, qui tamen, eam, vel in contemplatione Dei; vel in virtute animi, vel in voluptatibus sitam esse putabant.

19 Adu. 2. Aliud est quærere, an omnes appetant beatitudinem; an verò necessario appetant. Primum hic quæritur, non secundum, quod in sequenti discutietur.

Omnes appetunt beatitudinem.

20 Dico ergo. Omnes homines apprehensa qualicunque notitia beatitudinis eam appetunt. Est communis cum *Scoto, vbi supra. D. Thom. in 4. dist. 49. qu. 1. ar. 3. D. Bonau. ibid.*

21 Prob. 1. ex *Boetio 3. de consolat. Prosa 2. Mentibus hominum veri boni cupiditas inserta est.* Beatitudo autem est verum bonum: ergo.

Ex Augustin. pluries.

22 Prob. 2. ex *Aug. lib. 1. de moribus Eccl. cap. 3. Beati omnes esse volumus, nec vllus datur, qui nolit esse Beatus.*

23 Prob. 3. ex eodem *lib. 13. de Trinit. cap. 3.* Beati omnes esse volunt, & quisque id in se cognoscit. Sed, ait *in cap. 4.* non omnes sciunt, in quo beatitudo consistit.

24 Conf. ex eodem *in Enchirid. c. 104. Beati sic esse volumus, vt miseros nos esse velle non possimus.* & in *cap. 25.* dixerat: *Quæ tamen natura in malis suis non potuit amittere beatitudinis appetitum.*

Conf.

25 Conf. ex eodem *lib.* 10. *confess. c.* 20. vbi de beatitudine ait, *neque tam amaremus, nisi nosseremus, audimus nomen hoc, & rem ipsam nos omnes appetere fatemur:* & post: *Nota est igitur omnibus, qui vna voce, si interrogari possint, vtrum beati esse vellent, sine vlla dubitatione, velle responderent.* & in *cap.* 21. vbi diffusè de hoc appetitu communi loquitur, ait, *si quaratur à duobus, an militare velint, fieri potest, vt alter eorum velle se, alter nolle respondeat. Si autem ab eis quaratur, vtrum beati esse velint, vterque statim, & sine vlla dubitatione dicet optare.*

Audito nomine delectatur.

26 Prob. 4. ex eodem *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 3. vbi lepidum quoddam scænici in frequentissimo Theatro dictum referens, quod scilicet sciret, quid omnes ibi existentes vellent, & erat, quod vellent *vili emere, & caro vendere*, subdit *Augustin. Si dixisset omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in suo non cognosceret conscientia.* Ergo omnes, qui beatitudinis conceptum apprehendunt, eam appetunt.

Scænici dictum, qui sciebat quid vellent omnes in Theatro,

27 Prob. 5. ratione desumpta ex speculatione prolixa *Scoti in 4. dist. 49. qu.* 2. §. *Ad primam.* Quælibet voluntas vult obiectum summe bonum, & inter volibilia supremum, talis est beatitudo: ergo. Maior prob. Vult aliquid propter se volibile, & ad alia non ordinatum; Esto enim in volendo multa velit propter alia, tamen non procedit in infinitum in sic volendo, sed apprehendens aliquid per se volibile, ibi sistit, quia in eo concipit omnem boni rationem. Minor prob. Cum concipitur beatitudo, sic concipitur, vt bonum quoddam infinitum, seu, vt status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quilibet autem hunc statum, & fœlicitatem appetit.

Ratione:

28 Conf. ex eodem. Quilibet homo appetit, quod est vltimatè sui perfectiuum secundum modum sibi possibilem habendi illud. Hoc autem bonum est beatitudo.

29 Prob. tandem ex *Phyloſ. l. 1. & c. 1. & Boetio 3. de consol. cap. 11. Bonum omnes concupiscunt.* Ergo multò magis summum bonum. Talis est beatitudo. Ergo nullus est, qui eam non concupiscat.

Ex Phyſ. & Boetio.

Ob. 1. Beatitudo non est omnibus nota: ergo. Consequ. prob. Voluntas non potest ferri in incognitum. Minor prob. Variæ fuerunt, hodieque sunt opiniones de beatitudine.

Arg. contr.

30 Resp. 1. dist. anteced. Non est distinctè nota omnibus, concedo, confusè, nego, omnes enim, vel ex naturæ dictamine, vel ex auditu parentum, aut aliorum apprehendunt conceptum aliquem de beatitudine, eamque vt bonum magnum appetunt.

Confusè omnes noscunt beatitudinē.

31 Resp. 2. neg. conseq. Loquimur enim de ijs, qui cognoscunt dari beatitudinem, quæcumque illa sit.

Ob. 2. Damnati non appetunt eam. ergo non omnes. Anteced. prob. Desperant de illa: ergo. Alias appeterent impossibile.

32 Resp. ex *Scoto quæst.* 10. *H.* neg. antec. ad probat. Esto sit de facto impossibile, vt obtineant beatitudinem, tamen absolute est possibile, & proinde intensè eam appetunt, & in hoc maximè cruciantur. Et licet volitione efficaci eam non possint velle, quia nequeunt applicare media ad eam assequendam, volunt tamen volitione conditionali, aut *Scotus sub K.* & simplici, sed intensa. Et confirmat exemplo sanitatis ostensæ cuilibet infirmo, etiam incurabili. Et licet malè velint damnati, propter affectionem iustitiæ. Non tamen propter affectionem commodi.

Damnati etiam eam appetunt, & quia non habent cruciantur.

Ob. 3. Si omnes appetunt: ergo non mærentur in appetendo. Consequ. prob. Hic appetitus vniuersalis est necessarius.

33 Resp. neg. consequ. Esto enim vniuersalis sit appetitus tamen est liber saltem libertate contradictionis, vt mox dicetur. Estò enim nullus possit odio habere beatitudinem, potest tamen per aliquod tempus ad eam considerationem non applicare. Et licet posset cum alijs dici, volitionem eius secundum se non esse mæritoriam, sed quatenus applicat media ad eam; tamen hoc falsum est; quia si electio mediorum est mæritoria, multò magis intentio, à qua pendet bonitas electionis; quis enim dicet, quod actus credendi in Deum vltimum finem, vel actus diligendi illum super omnia, aut sperandi firmiter eius possessionem, non sint mæritorij, eò quia non cadant sub electione, cum sint circa finem? absit. Respondeamus ergo cum *Scoto ibid. sub L.* quod amor finis, licet non cadat sub electione, quia in se vnicus est, potest tamen esse, & de facto est mæritorius, si finis amatur, vt bonum, honestum, non verò, vt commodum.

Vniuersalis est appetitus, sed non necessarius.

Volitio finis est mæritoria.

Inst. Nullus mæretur in eo, quod vitare non potest, ex *Aug. lib.* 3. *de libero arb.* Sed si omnes eam vellent non possent vitare illud velle.

34 Resp. dist. ma. Quod vitare non potest, siue contrariè, siue contradictoriè, concedo. Si non possit vitare solum contrariè, nego. Ratio est ex *Scoto sub F.* Voluntas non potest velle miseriam, apprehensam, vt malum; neque odio habere bonum apprehensum, vt bonum. Et hæc libertas circa contraria dicitur libertas contrarietatis, quæ quidem non reperitur in voluntate. At potest voluntas non velle bonum, & non habere odio malum, & ex suo dominio cessare à volitione boni, & volitione mali. Hæc autem libertas sufficit ad mæritum. Dum ergo apprehenditur beatitudo, vt finis vltimus, & summum bonum, nullus potest eam odio habere; potest tamen in eam aliquando nòn intendere.

Libertas cōtradictionis sufficit, vt mæritoriè appetatur beatitudo.

Vrg.

Vrg. Apprehensa beatitudine, absque vlla ratione mali, necessariò appeteretur. Ergo absque merito.

Potest non amari.

35 Resp. ex *Scoto ibid. in fine P.* neg. consequ. Quia, licet non possit eam odio habere, non proinde determinatur ad amādum in actu exercito.

Dices. Si non potest odio habere: ergo de necessitate amat. Nullus enim datur actus medius.

§ Non tamen odio haberi.

36 Resp. neg. consequ. *Scotus* enim ait ibi, suspenderet actum amandi, & sicut nullus nostrum semper cogitat de beatitudine, & tamen odio eam non habet; imò etiò de ea cogitaret, posset pro tunc non exercere circa eam amorem, non tamen odio haberet. At de necessitate amandi, erit sermo in sequenti.

## ARTICVLVS III.

### *An omnes homines necessariò appetant beatitudinem.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sentent. distinct. 49. quæst. 10. sub B.* docet appetitu naturali necessariò, imò, & summè appeti beatitudinem; de appetitu verò elicito *sub D.* docet non necessariò, sed liberè eam appetere. Idem docuerat *in 1. sent. dist. 1. quæst. 4.* per totam.

Connexio huius dubij cum alio de fruitione.

37 Adu. hoc dubium maximam habere connexionem, imò idem esse cum alio, quod discutitur in Tractatu de fruitione, exagitato à *Scoto in 1. dist. 1. quæst. 4.* An fine apprehenso per intellectum, voluntas necessariò fruatur eo. Quod Scotus negatiuè resoluit de fine etiam vltimo quomodocunque concepto, siue in vniuersali, siue in particulari, siue confusè, & per speciem cognito, siue clare, & in se.

Multiplicitèr apprehenditur beatitudo.

38 Adu. 2. Quod beatitudo considerari potest multipliciter. Primò, vt apprehensa confusè in vniuersali, quatenus scilicet est summum bonum comprehendens omnia bona. Secundo, confusè in particulari, quatenus est visio, & fruitio Dei trini in personis, & vnius in essentia. Tertio, vt est clara cognitio, seu vt obiectum eius est clare visum ab intellectu. Quarto eadem, existente tamen habitu supernaturali in voluntate: vel hoc non existente. Tandem, si ipsa abstractiuè tantum, sed distinctè concipiatur, siue voluntas habeat habitum supernaturalem, siue non. De amore beatitudinis, seu obiecti eius clarè visi agemus in Disputatione de Beatitudine formali. De alijs verò modis hic loquemur. Sed quia discussio hæc implicata, & prolixa est; nè confusè procedamus, per diuersos §§. eam explicabimus.

### §. 1.

### *An voluntas libere appetat beatitudinem in vniuersali apprehensam.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. dist. 1. quæst. 4.* adducit Henrici sententiam, quę est quod si ab intellectu apprehendatur beatitudo, vt sic, scilicet vt dicit cumulum, seu aggregationem bonorum, voluntas necessario eam amat, cuius contrarium ipse docet.

Etiam si in vniuersali concipitur beatitudo, voluntas liberè appetit

39 Dico ergo. Etiam si beatitudo apprehendatur ab intellectu sub ratione vniuersali, seu confusa, vt scilicet est summum, & perfectissimum bonum, voluntas liberè, & non necessariò eam appetit, seu amat. Est *Scoti in 1. dist. 1. quæst. 4. §. Contra, & §. Quantum igitur ad primum.*

A priori ratio.

40 Prob. 1. ex 2. *Post. cap. 4.* quod conuenit alicui essentialiter, & secundum quod ipsum, conuenit ei vniuersaliter. Sed operari libere, & contingenter competit voluntati essentialiter, & secundum quod voluntas. Ergo in omni actus elicitione ei competit. Igitur etiam in amando beatitudinem, ita in vniuersali apprehensam. Min. prob. ex *August. in Enchir. cap. 104. Aut voluntas non est, aut libera dicenda est.*

Ex August. arg.

41 Prob. 2. ex eodem *August. lib. 1. Retract. cap 9. & 22. Nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*, id est volitio. Sed actus appetendi beatitudinem confusè cognitam est in potestate voluntatis. Ergo liber est.

42 Conf. Omnes actus aliarum potentiarum, vt intellectus circa secundam intellectionem, seu continuationem eius, sic & aliarum, sunt in potestate voluntatis. Ergo multò magis volitio. Ergo liberè eam vult.

Ab oppositò arg.

43 Prob. 3. Necessitas naturalis non potest coniungi cum libertate: ergo. Anteced. prob. Natura, & libertas habent modum operandi essentialiter, & contradictoriè oppositum, quia natura habet modum intrinsecè determinatum ad vnum; libertas verò intrinsecè indeterminatum.

44 Prob. 4. Voluntas liberè vult media ad beatitudinem, vt ad finem. Ergo, & liberè etiam finem. Eadem enim est vtriusque potentia.

Arg. à ratione agentis naturalis,

45 Prob 5. Agens quodcunque non impeditum, si necessariò agit, de necessitate remouet omne prohibens, si potest. Ergo ita operaretur voluntas si necessario vellet beatitudinem: sed non ita operatur. Ergo non vult necessariò, sed liberè. Min. est nota ex terminis; quod enim necessariò agit, non habet in sua potestate, vt se retrahat ab agendo, vel vt sic aut sic agat;

sed à contrario vincente prohibetur, ne agat, aut ne toto conatu agat; patet de igne comburente, & de graui deorsum descendente. Minor constat experientia. Voluntas enim non remouet omne prohibens considerationem, vel assecutionem beatitudinis, quæ ratio euidens est, & *Scoti in* 1. *dist.* 1. *qu.* 4. *§. Contra* 1.

Euidés arg.

46 Prob. 5. ex eodem *Scoto distinct.* 49. *quæst.* 10. *D.* si necessariò voluntas vellet, hoc procederet ex parte intellectus, vel ex parte alterius inferioris ad voluntatem, sed hoc est impossibile: ergo. Min. prob. Quia non potest causa superior necessitari ab inferiori, cum hæc nequeat eam determinare in modo agendi; alioquin non esset superior, sed inferior.

A sufficienti

47 Prob. 6. Si voluntas necessario vellet beatitudinem, necessariò determinaret intellectum ad continuam contemplationem illius. Sed id non facit voluntas: ergo.

Ab absurdo.

48 Prob. 7. ex *S. Augusti. lib.* 1. *de libero arb. cap* 12. In voluntate hominis positum est, vt vero, & summo bono fruatur. Secundo, ex eodem *lib.* 3. *cap.* 3. Voluntas esse non potest si necessariò operatur, & non esset nostra voluntas, nisi esset in nostra potestate. Ergo implicat dicere, quod voluntas in via voluntariè, & necessariò operetur.

Ex Augusti. arg.

Ob. 1. Sicut se habet principium in speculabilibus, sic finis in operabilibus: sed intellectus de necessitate assentitur principijs. Ergo, & voluntas necessariò amat finem. Maior est *Phil.* 2. *Phis.* t. 89.

Arg. contr.

49 Resp. dist. ma. quò ad modum operandi, nego, quò ad ordinem causandi, concedo. tum concessa minori, negatur consequ. Ratio est ait *Scotus in* 1. *distinct.* 1. *quæst.* 4. *§. Ad argum.* Si in omnibus valeret similitudo, multa falsa sequerentur; nam, sicut assentimus conclusioni propter principia, ita assentiremus illis, quæ sunt ad finem propter finem. Et proinde, subdit, in duobus consistit hæc similitudo in ordine, scilicet istorum, & illorum inter se, quod, scilicet intellectus propter principia, tamquam causam tendit in conclusionem, vt effectum; & sic voluntas propter finem, vt causam mouentem vult media ad eum. Secunda similitudo est, quia sicut intellectus procedit discurrendo, ita & voluntas volendo. Sed in modo causandi non conueniunt, nam intellectus habet modum operandi naturalem, id est intrinsecè determinatum ad vnum, & proinde datâ euidentia obiecti, non potest non cognoscere; non sic voluntas, quæ intrinsecè indifferens est ad quodlibet bonum, eoque præsente potest non amare, estò non posset illud odio habere.

Paritas inter speculabilia, & operabilia in quibus valet,

Ob. 2. Voluntas id tantum potest non velle, in quo apparet defectus boni. Sed huc non apparet in beatitudine: ergo.

50 Resp. distinguo mai. de non velle positiuè, id est odio, concedo; de non velle negatiuo, nego. Ratio est quia voluntas, ne dum est libera ad amare, & odio habere, sed ad amare, & non amare. Dato autem quod non possit voluntas odio habere obiectum in quo nulla est malitia, neque aliquis defectus boni; nec amare obiectum, in quo appareat sola ratio mali (quod ait *Scotus in* 1. *loco cit.* §. *ad argum.* in fine, ad huc non est probatum) tamen potest actum suspendere, & non amare, nec odio habere tale obiectum, semper enim libera est; & si habet concursum Dei ad vtrumque paratum, potest ad vtrumlibet.

Quomodo voluntas potest non velle bonum.

Ob. 3. Voluntas necessariò vult illud, cuius participatione vult quidquid vult, sed participatione beatitudinis vult alia, quæ in mundo vult: ergo. Minor prob. Omne, quod vult, eatenus vult, quia bonum est, sed omne bonum participatione Dei est bonum.

51 Resp. neg. ma. ex *Scoto in* 1. *vbi supra*, §. *ad argumenta ad* 2. Nullum enim datur obiectum, quod sit necessariò à voluntate volitum. Et hoc est probandum, quia voluntas, cum sit essentialiter libera non potest operari necessariò.

Nullum obiectum est necessario volitum.

Respondet 2. ibid. neg. min. Non enim omnia, quæ vult voluntas in mundo, participant aliquid de beatitudine. Licet enim (ait) omnia volita participatione Dei, vt causæ efficientis sint, non tamen vt obiecti; quia innumera obiecta vult homo, quę, ne dum de Deo sic participant, sed sunt ab eo auersa, neque quando vult, omnia refert in Deum, vt primum obiectum.

Ob. 4. Vnum de duobus homo debet velle, vel miseriam, vel beatitudinem. non potest primum. Igitur de necessitate vult secundum.

52 Resp. dist. ma. De actu positiuo volendi, concedo. Quia si vtrumque ei obijciatur, miseria, scilicet & beatitudo, non potest exercere actum amoris circa miseriam, sed debet exercere circa beatitudinem. At non sequitur, quod necessariò eum exerceat, quia estò non possit eam odio habere; potest tamen non amare.

Miseria amari non potest.

Instab. Ideo voluntas recedit ab aliquo obiecto, quia alteri applicatur, in quo est ratio maioris boni; sed hæc non potest inueniri in alio obiecto à beatitudine: ergo. Maior prob. Nam omnis potentia dirigitur à ratione formali obiecti. Ratio autem formalis obiecti voluntatis est bonum; & maius bonum magis trahit.

53 Resp. neg. mai. Recedit enim ad experiendam suam libertatem non quidem vt odio habeat bonum, aut beatitudinem apprehensam ab intellectu, vt summum bonum; sed, vt probet suam libertatem.

Voluntas nõ semper recedit ab obiecto ob malitiam eius,

Ob. 5. Estò voluntas absolutè non possit necessitari, poterit saltem conditionatè, & ex suppositione ostensionis summi boni.

Hoc

Hoc enim non repugnat naturæ voluntatis.

In quo libertas consistit.

54 Resp. neg. anteced. & probat. Tum quia necessitas illa esset absoluta, in hoc enim consistit libertas voluntatis, vt comparata ad suum obiectum, vt sic, possit agere, & non agere. Igitur etiam comparata ad obiecta inferiora sic se habet; & proinde, si respectu alicuius sit necessitata, iam non est voluntas. Tum etiam quia illa obiecti ostensio nullam facit in voluntate variationem. Igitur, sicut prius poterat, ita & postea.

Ob. 6. Si contingenter appeteretur, falsum esset dictum *Augustini 13. de Trinitate cap. 8.* omnes cupiunt esse beati: quia aliquis posset non cupere. Ergo necessariò cupiunt.

Ex hoc quod omnes velint esse beati, non sequitur, quod necessario faciant.

55 Resp. 1. neg. sequelam. Quia intelligi potest de appetitu naturali, quem necessarium esse, iam docuimus. Secundo, quia *August.* loquitur de eo, quod regulariter accidit, omnes enim ita sunt dispositi secundum affectionem commodi, vt audito nomine beatitudinis, eam appetant, & nullus refugiat: ex hoc tamen non sequitur, quod necessariò appetant, quia potest aliquis eam in aliquo tempore non appetere. Tertio, quia loquitur de volitione habituali non actuali: neque enim omnes actu cogitabant de beatitudine.

Ob. 7. Omnis potentia se determinat circa suum obiectum, & necessariò respicit illud. Ergo etiam voluntas.

Potentia determinatur ad obiectum quo ad specificationem, non quo ad exercitium.

56 Resp. dist. ma. Determinatione specificationis, concedo. Exercitij, subdistinguo, si sit potentia naturalis, & intrinsecè determinata ad vnum modum operandi, concedo. si sit libera, nego. Est ergo voluntas determinata ad bonum quò ad specificationem amoris, & ad malum, quò ad specificationem odij. At quò ad exercitium vtrumque potest omittere pro aliquo tempore.

Ob. 8. Omne mobile præsupponit aliquod immobile, sed omnes actus voluntatis circa media sunt mobiles. Ergo actus circa finem est immobilis.

57 Resp. ex *Scoto in 1. dist. 1. quæst. 4.* in fine, dist. ma. supponit aliquod immobile per modum actus secundi, nego. per modum actus primi, concedo. Nam calefactiones plures successiuè, non præsupponunt aliquam immobilem.

Ita in casu præsupponitur voluntas.

## §. 2.

### *An voluntas necessariò velit beatitudinem in particulari apprehensam.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. sent. dist. 1. quæst. 4. §. Quantum ad istos*, adducit alteram partem sententiæ Henrici, docentis, quod apprehenso vltimo fine confusè, sed in particulari potest voluntas eo non frui; quam doctrinam approbat in *§. Quantum igitur*, sed dicit rationes Henrici, factas pro prima concludere aduersus eum contra secundam; at absolutè non valere, nec ad firmandum primam, nec ad impugnandum secundam, idem habet *in dist. 49. quæst. 10. D.*

Sensus art.

58 Adu. sensum quæsiti esse, an apprehensa ab intellectu viatoris beatitudine, quod consistat in visione, & fruitione Dei, voluntas necessario eam appetat, an libere.

Voluntas nõ vult necessario beatitudinem in particulari apprehensã.

59 Dico. Etiam si intellectus viatoris apprehendat, & certò teneat beatitudinem esse visionem, & fruitionem Dei vnius in essentia, & Trini in personis, & de ea actu cogitet; adhuc tamen voluntas non necessariò, sed libere eam appetit. Est *Scoti ibi, & in 4. dist. 49. quæst. 10. D. §. Respondeo.*

60 Prob. 1. Omnibus mediis, quibus vsi sumus in præcedenti §. Per hoc enim quod intellectus distinctius apprehendit bonum estò summum, à quo allicitur voluntas ad amandum, non proinde mutat voluntatis naturam, quæ ex Augustino, aut voluntas non est, aut libera dicenda est.

Euidens arg. ab effectu.

61 Prob. 2. Distincta cognitio beatitudinis non necessitat voluntatem ad ponendum in esse omnia media, vt eam assequatur. Ergo neque necessitat ad eam amandam. Ant. est experientia clarum; quisque enim in se experitur, se non adhibere omnia media vtilia, imò neque necessaria ad beatitudinis adeptionem. Consequ. prob. Amans necessariò finem, nisi impediatur, ponere debet in esse omnia media ad eum; alias non necessario amat; patet de omni alio agente necessario, sic operante.

62 Prob. 3. Beatitudo confusè, & in vniuersali concepta non appetitur necessariò. Ergo, neque concepta distincte, & in particulari. Antec. patet ex præcedenti §. Consequ. prob. Distinctio illa cognitionis obiecti, non ponit in voluntate qualitatem aliquam determinantem eam intrinsecè; sed ad summum est conditio quædam obiectiua alliciens voluntatem ad amandum ipsum.

Ex absurdo arg.

63 Prob. 4. Si necessariò appeteret, summè, & secundum vltimum potentiæ appeteret. Sed hoc est falsum: ergo. Maior prob. Id, in cuius virtute non est non age-

re, non potest se determinare ad intensè, vel remissè agere. Patet de igne, de graui, &c. quæ ab intrinsecis habent, vt positis obiectis, seu passis agant. Minor patet; quia cogitans de beatitudine non vult eam omni intensione possibili; imò neque ea, quæ vult aliquod obiectum creatum infimi valoris.

Actus fruitionis est liber,

64 Prob.5. Ex dicendis de beatitudine formali, ipsamet actualis fruitio, & amor obiecti beatifici clarè visi; & amor reflexus beatitudinis illius, est actus liber, licet modo diuerso, saltem remotè. Ergo multò magis actus volendi in via. Magis enim videtur, quod obiectum clarè visum necessitet, quam obiectum confusè visum. Si enim ex 2. *Top. De quo magis videtur in esse, & non inest, neque id de quo minus.*

Ab effectu aliud arg.

65 Prob. tandem experientia. Vnusquisque enim in se experitur, quod cogitans de beatitudine in particulari, non statim, nec semper elicit actum amoris in eam; sed distrahitur ab aliquo alio, nè eum exerceat. Secundo, quia cogitans de ea, potest suspendere actum amoris. Tertio, quia cogitans, & amans, potest cessare ab amore illius.

Arg.contr.

Ob. 1. ex *Aug. lib. de concordia prædest. cum gratia, & lib. arb. cap.* 21. Voluntas non potest non velle summè commodum. Talis est beatitudo in particulari cognita: ergo.

66 Resp. 1. dist. De appetitu naturali, vel habituali, & aptitudinali, concedo. de elicito, nego.

Resp. 2. Non potest non velle contrariè, id est odio habere, concedo. non potest non velle contradictoriè, per actus omissionem, seu suspensionem, nego.

Ob. 2. Apprehensa beatitudine in particulari, vt scilicet est visio, & fruitio Dei, nihil est, quod retrahat voluntatem à non amando: ergo. Anteced. prob. Nulla apparet in ea malitia, neque aliquis defectus boni. Hæc autem possent retrahere: ergo.

Quomodo voluntas retrahitur à beatitudine.

67 Resp. neg. anteced. ad probat. distinguo min. Hæc tantum, nego. hæc & alia, concedo. vel iterum hæc possunt retrahere positiuè per odium, concedo; negatiuè, per actus suspensionem, nego. Dico ergo quod apprehensa ab intellectu beatitudine in particulari, voluntas potest ad aliud attendere pro suo libito; non quidem habendo eam odio, sed alium actum circa aliud obiectum eliciendo.

Ob. 3. Si liberè tendit in eam sic cognitam, liberè etiam tenderet in eam clarè visam. sed hoc est falsum: ergo. Sequela prob. Non mutatur in eo casu voluntas, sed ab obiecto habet, vt circa illud determinetur, & necessariò tendat. Minor prob. Nam summum bonum clarè visum, est id, in quo summè tendit voluntas.

68 Resp. de hoc arg. iterum, atque iterum recurret sermo primo in sequenti §. Deinde, cum de beatitudine formali agemus. dico ergo pro nunc, maiorem esse veram, & minorem falsam, ex *Scoto in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Contra* 2. Si enim intellectus viatoris eleuetur ad videndum Deum clarè, voluntas non poterit eum odio habere, sed si vellet, & haberet concursum Dei paratum ad alios actus, posset actum amandi suspendere. Quia, ait Scotus, per eleuationem illam intellectus, voluntas non mutaret naturam. Imò idem facere posset in patria, si sibi dimitteretur, & hoc ad experiendam suam libertatem. de quo postea dicetur. Semper enim libera est, ne dum libertate essentiali, sed accidentali, non quidem contrarietatis, sed contradictionis; licet non proximè, saltem remotè, quia nempè posset sibi dimitti.

Etiam si obiectum beatitud. sit clare visum, potest voluntas non tendere in illud,

## §. 3.

### *An clare viso in via obiecto beatitudinis, voluntas libere appetat.*

Scoti mens.

SCOTVS *in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 4. §. *Contra* 2. in fine, & §. *Contra* 4. affirmatiuè respondet, & exemplificans de intellectu Pauli, eiusque voluntate, inquit liberè tunc Paulum, obiectum beatificum amasse.

Plures sensus quæsiti.

69 Adu. quod quæsitum hoc plures potest habere sensus. Primus est, an si viator clarè videns Deum, & haberet solum lumen gloriæ, vel aliud supplens in intellectu, nihil tamen supernaturale in voluntate, an inquam liberè tenderet in obiectum. Secundus est, an si etiam in voluntate haberet habitum charitatis, adhuc liberè amaret. Tertio, siue sic, siue non, si talis viator haberet præceptum de amando, quod videt, an liberè amaret. In omnibus tamen his casibus supponimus, quod voluntas sit sibi dimissa, non confirmata in gratia; & sit habens Dei concursum non determinatum ad vnum, sed paratum ad vtrunque. Alias implicaret in terminis hoc quæsitum.

Viator liberè amaret Deum clare visum.

70 Dico ergo 1. Etiam si viator clare videret obiectum beatitudinis, nempe Deum, adhuc liberè in eo casu in illud tenderet, si nullum habeat supernaturale in voluntate. Est *Scoti loco citato*, §. *Contra* 4.

71 Prob. In tali casu voluntas non esset mutata per aliquod sibi inexistens, siue intrinsecum, siue extrinsecum. Ergo, si prius liberè in tale obiectum tendebat, eodem modo tendit postea.

72 Conf. Intrinseca determinatio intellectus, absque lumine gloriæ, vel æqui-

uã.

A priori arg. ualenti, dum ostendit voluntati summum bonum certò credens ita esse, non sufficit ad necessitandam voluntatem ad illud amãdum. Ergo neque dum est præditus lumine, vel alio supernaturali habitu. Conseq. prob. Hæc illustratio non facit, vt obiectum prius creditum bonum, sit postea magis bonum (hoc enim forte posset magis determinare voluntatem:) sed est perfectio quædam sistens in solo intellectu vidente bonum, quod prius tale firmiter credebat. Ex parte autem voluntatis, nihil ponitur; & ex alia parte ipsa est potentia cæca, & nihil confert ad eam, quod intellectus clarius videat, dummodo pro certò, & firmiter assentiatur.

Etiam cum habitu charitatis libere amaret. 73 Dico 1. Etiam si in tali casu voluntas viatoris habeat supernaturalem habitum charitatis, adhuc libere amat obiectum beatificum. Est *Scoti ibid. §. Contra 2. & §. Quantum igitur.*

A priori argum. 74 Prob Si principium elicitiuum non agit necessariò, habens illud non immutatum, non agit necessario. Sed charitas absolutè considerata non est principium agens necessariò: ergo neque posita in voluntate habentis intellectum tendentem in Deum clarè visum. Ma. ex terminis est nota. Idem enim ex Philosopho manens idem, natum est facere idem. Minor probatur. Charitas viatoris non tollit libertatem, & indifferentiam operandi. Per hoc autem, quod perseuerat in aliquo prius confusè cognoscente; deinde clarè vidente Deum, non mutatur eius natura. Igitur, si prius non necessitabat, neque postea. Cum ergo, neque ex parte voluntatis, neque ex parte charitatis fiat mutatio intrinsecè determinans, seu tollens indifferentiam, pariformiter emanat actio libera à voluntate.

Aliud à priori arg. 75 Prob. 2. Per nullum habitum, aut qualitatem superuenientem voluntati, siue naturalem, siue supernaturalem, ipsa cessat esse libera, quia neque cessat esse voluntas. Hæc autem ex *August. in Enchir. cap. 104. Aut voluntas non est, aut libera dicenda est*: ergo.

Ab intrinseca ratione libertatis, 76 Prob. 3. Libertas est prædicatum intrinsecum voluntati, nè dum absolutè consideratæ, sed etiam ad obiectum proprium in communi comparatæ. Igitur, sicut ab obiecto perfectissimo non potest diminui, aut mutari eius libertas; neque ab alio prærequisito, siue ex natura rei, siue ex ordinatione Dei, ad obiectum illud amandum, eoque fruendum. Alioquin esset libera tantum limitatè in ordine, scilicet ad obiectum vt sic, & ad imperfecta obiecta; quod est absurdum: Omnes enim aliæ potentiæ circa obiecta sua perfectiora magis exercent proprium operandi modum; nec respectu eorum mutatur. Igitur multo magis id dicendum de voluntate.

Arg. contr. Ob. contra 1. Sicut efficiens propriè mouet, & de necessitate dum est approximatum, ita & finis mouet metaphoricè agens propter eum. Ergo iam approximato per cognitionem, sine clare viso, voluntas necessario ab eo mouetur.

Efficiens, & finis quomodo proportionantur. 77 Resp. *Scotus ad hoc argum. in 1. d. 1. qu. 4. in fine ad 2.* dist. ma. quantum ad omnia, nego. quantum ad aliqua, concedo. In modo enim agendi efficiens, & finis non conueniunt, nisi respectu causarum naturaliter agentium; non vero liberarum.

Ob. 2. Delectatio ex *Auicenna 8. Meth. cap. vlt.* est apprehensio conueniens conuenienti; sed finis necessariò conuenit voluntati. Ergo eo clare apprehenso voluntas necessario amat.

Finis quomodo conuenit necessario voluntati, 78 Resp. ex *Scoto vbi supra*, dist. min. Finis conuenit voluntati necessariò aptitudinaliter, & per modum actus primi, concedo, actualiter, nego. Ratio est quia, sicut omne obiectum de necessitate est proportionatum potentiæ, & si hæc sit naturalis, dum actu cum eo coniungitur, fertur in illud necessariò ita & finis respectu operantis propter illum. At non semper talis finis actù est conueniens operanti; quia non semper actu placet illi. Et proinde, licet Deus clarè visus non possit non esse finis, & obiectum conueniens voluntati, neque voluntas possit illum odio habere; tamen potest ei actu non placere, & ideo non tendere circa illud.

Inst. Nullus defectus, nullaque malitia apparere potest in tali fine, & obiecto clarè viso: ergo.

79 Resp. neg. consequ. Tunc enim hęc sequeretur, quando respuentia voluntatis esset positiua, seu contraria per modum odij. At in casu non esset talis, sed negatiua, & contradictoria; esseturque suspensio quædam actus ad probandam, & experiendam suam libertatem.

Arg. contr. 2 Ob. contra 2. Nihil tunc adesset, quod voluntatem retraheret ab actu amandi: ergo. Antec. patet, esset claritas obiecti, habitus inclinans, & summa obiecti amabilitas: ergo.

Quid retraheret voluntatem, 80 Resp. dist. ant. Nihil ex parte obiecti retraheret, concedo. nihil ex parte potentiæ, nego. Adesset enim libertas, & motiuum experiendi illam.

Instab. In eo casu non potest velle miseriam: ergo.

Resp. Neutram tunc velle, sed suspenderet actum positiuum volendi, & nolendi.

Ob. 2. Si hoc conceditur; sequitur, beatum posse non amare obiectum beatificum, & cessare ab amore eius, cum in eo quoque sit libera voluntas.

81 Resp. de hoc iterum esse agendum, dum de formali beatitudine loquemur. Pro nunc dico, proximè beatum non posse cessare ab actu fruitionis; remotè tamen, si sibi dimitteretur, & haberet Dei concursum ad alium actum disparatum, posset cessare,

fare, non tamen posset odio habere; quia bonum, qua bonum, & præcipuè summum, non est odibile. Sed de hoc postea

## ARTICVLVS IV.

### An appetitus elicitus beatitudinis sit naturalis.

Scoti mens;

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 10. §. Respondeo sub B.* docet appetitum beatitudinis elicitum, non esse proprie naturalem, sed naturali inclinationi conformem, in *primo autem d. 1. quæst. 4. §. Ad argum. pro 4. art.* dicit, esse appetitum non supernaturalem, sed naturalem, adeptionem verò, & meritum supernaturalia.

Sensus art.

82 Adu. sensum quæsiti esse æquiuocum ad naturale, prout opponitur libero, & ad naturale, vt opponitur supernaturali. De primo sensu abunde actum est in præcedentibus; de secundo erit quæstio.

Multiplex sensus art.

83 Adu. 2. ex *Scoto in 1. vbi supra ad argum. pro 4. & §. in ista quæstione.* Potest difficultas esse de viatore apprehendente beatitudinem confusè in vniuersali. Secundo de apprehendente in particulari, sed adhuc confusè, & per speciem. Tertio de vidente obiectum eius clarè. Quarto tandem, siue hoc, siue alio modo, vel viator appetit meritoriè, siue de condigno, siue de congruo, vel non. Et ita, vel habet habitum charitatis in voluntate, vel aliud auxilium supplens, vel non. His ergo præmissis

Appetitus beatitudinis in viatore potest esse naturalis, & supernaturalis,

84 Dico 1. Appetitus beatitudinis in viatore confusè apprehendente beatitudinem, siue in vniuersali, vt aggregatum omnis boni, siue in particulari, vt est visio, & fruitio Dei, potest esse aliquando naturalis, & aliquando supernaturalis. Prima pars est *Scoti vbi supra in 1. dist. 1. qu. 4.*

85 Prob. 1. pars. Talis volitio esse potest ab existente in mortali, vel ab hæretico, vel ab alio sine auxilio supernaturali: ergo. Anteced. prob. Quilibet ex affectione commodi potest sibi optare beatitudinem, siue in vniuersali, siue in particulari. Hæc autem cupiditas non indiget fieri ex concausa supernaturali. Secundo, etiam infideles possunt eam sic optare. Tertio quia, etiam si optetur, vt bonum honestum, non tamen cum alijs circumstantijs, vel cum auxilio supernaturali gratiæ, non potest rem, aut nomen supernaturalis sortiri.

2. pars,

86 Prob. 2. pars. Actus charitatis in Deum est supernaturalis. Ergo etiam actus appetendi beatitudinem potest esse talis. Non enim semper amatur ex affectione commodi quia, scilicet amanti bona; sed etiam, quia in se bona. Secundo, quia amor Dei ex motiuo secundario, quia mihi bonus esse potest supernaturalis, & meritorius ex gratiæ auxilio, iuxta illud *Ps. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem*, imò hic est actus spei.

Est supernaturalis.

87 Conf. Adsunt in eo actu omnia requisita ad supernaturalitatem; fit enim, vt supponitur cum auxilio gratiæ, est circa obiectum supernaturale, ac supernaturaliter creditum, & ob finem supernaturalem: ergo erit supernaturalis.

Etiam in viatore elenato ad visionem potest appetitus esse naturalis, & supernaturalis.

88 Dico 2. In viatore elenato ad Deum clare videndum, non tamen habente habitum charitatis in voluntate, appetitus beatitudinis potest esse naturalis, & supernaturalis. Prima pars ex *Scoto* colligitur vbi supra.

89 Prob. 1. pars. Talis videns posset obiectum illud amare ex affectione commodi, & quatenus sibi bonum. Nam clara illa visio in via, non fert secum, neque confirmationem in gratia, neque de necessitate rectitudinem operandi in voluntate. Ergo si circa tale obiectum creditum poterat voluntas operari naturali appetitu, id etiam poterit circa illud visum.

Voluntas naturaliter operatur circa credita, aliqdando,

90 Prob. 2. Circa Deum, ac Trinitatem actu fidei supernaturalis credita, potest voluntas tendere etiam naturali amore, tamquam in bonum commodum. Non enim cum intellectus illuminatur supernaturaliter ad credendum, & credit, semper voluntas supernaturaliter operatur circa credita. Imò, vt docet experientia cum intellectus illuminatur ad credendum, habetque illustrationem ad id requisitam, non semper voluntas ei præcipit actum fidei, vel quia ipsa non habet supernaturalem inflammationem ad id impellentem, vel quia, si habet, eam abijcit. Ergo à pari, cum obiectum clare videtur, & voluntas non est supernaturaliter per charitatis habitum elenata, poterit naturaliter tantum, illud obiectum amare. Quod verò casus sit possibilis, nulla est difficultas, potest enim Deus existenti in peccato se clare ostendere; nam & damnati Christum gloriosum conspicient; Dei enim clara visio in viatore, non facit de necessitate Sanctum, & iustum, sed iuxta Dei ordinationem.

Clara visio Dei potest viatori communicari,

2. pars: quod sit supernaturalis

91 Prob. 2. pars. Potest talis appetitus haberi ex fine supernaturali, & cum auxilio gratiæ: ergo. Anteced. supponitur, ex *tract. De merito*; licet enim carens habitu charitatis non possit opus supernaturale meritorium de condigno operari; tamen, si cum auxilio gratiæ opus aliquod virtutis exerceat, hoc erit supernaturale, & dici solet meritorium de congruo, ex *Concil.* enim *Trid. sess. 6. can. 3.* actus diligendi, credendi, sperandi, & pœnitendi præcedentes iustificationem, ex Spiritus Sancti adiutorio faciendi sunt, vt gratiam iustificationis consequantur. Neq; de hoc est difficultas, sed de primo.

Di-

Quando etiam in elevato est naturalis,

92 Dico 3. In viatore elevato ad videndum clarè Deum, & habente habitum charitatis in voluntate, non confirmato; si appetitus beatitudinis non procedat ex fine supernaturali, & ex auxilio gratiæ, est naturalis.

93 Prob. facile. Actus supernaturalis, vt sit talis, exigit produci, vel ab habitu supernaturali, & auxilio gratiæ, vel saltem ex auxilio si desit habitus. Potest autem talis viator clarè videns, ex eo, quod non confirmatus in gratia operari non ex fine supernaturali, amando Deum, eiusque visionem, ac fruitionem, non amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, vt sibi bonum. Tunc certè appetitus, seu amor ille esset naturalis, quia estò circa obiectum supernaturale, tamen ex principijs naturalibus, ipsamet nempè voluntate, absque concursu concausæ supernaturalis.

Arg. contr. 1 & 2.

Ob. contra 1. & 2. Actus tendens circa obiectum supernaturale, est supernaturalis: nam actus specificatur ab obiecto. Ergo numquam poterit beatitudo appeti naturali appetitu, siue ab apprehendente eam in vniuersali, siue in particulari, & multò minus à non habente habitum supernaturalem.

94 Resp. dist. anteced. est talis formaliter, nego. terminatiuè. concedo, & ita ad probat. Nam actus supernaturalis dicitur, & est talis, quia non potest à sola natura produci. Et ideo illuminationes intellectus, & inspirationes voluntatis super. naturales sunt, quia actus harum potentiarum sunt, sed cum auxilijs supernaturalibus. Quando autem concausæ supernaturales defitiunt, licet potentiæ istæ seruantur in obiectum supernaturale; imò in illud supernaturaliter cognitum, actus earum sunt naturales. Demus ergo primò, quod Paganus, vel Iudæus, sine fidei illuminatione ex audiţu parentum credat, dari beatitudinem, siue in vniuersali, siue in particulari, poterit eam appetere; iste appetitus non est, nisi merè naturalis, & tamen obiectum est supernaturale, nec ex alio capite, nisi quia, nec cognitio eius, neque actus amandi sunt à principio supernaturali. Demus secundo hæreticum, vel alium quamuis existentem in mortali, qui fide credat Deum vnum in essentia, & trinum in personis, & eius visionem, & fruitionem esse veram beatitudinem, & tamen vel non habeat auxilium ad eam amandam supernaturaliter, vel habeat, & non consentiat, sed suspendat actum, vel amet ex fine naturali, quia sibi bona; amor iste est naturalis, quia est obiecti supernaturalis quidem, & supernaturaliter consequendi; sed non attingitur modo supernaturali. Alioquin sequitur, quod quoties quis ex fide apprehendit aliquod supernaturale, non posset illud appetere, nisi supernaturaliter.

Actus circa obiectum supernaturale, quando terminatiuè tantum est supernaturalis

Ob. 2. ex *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 10.* E. appetitus ille beatitudinis, siue in vniuersali, siue in particulari concepta, est naturalis. ergo numquam supernaturalis. Imò assignat ibi rationem; quia est conformis inclinationi naturali, qua non vult miseriam.

Volitio beatitudinis nó semper est supernaturalis,

95 Resp. *Scotum* loqui de actu appetendi procedente à sola natura, nullo concurrente auxilio supernaturali. Loquitur enim de omnibus hominibus appetentibus beatitudinem; certum est autem, quod, nec omnes, nec semper ex illuminatione fidei eam concipiunt, neque ex inflammatione Spiritus Sancti eam volunt. Imò addit, quod appetitus iste omnibus communis, non procedit à virtute elicitiuè, sed est conformis inclinationi virtutis. Et hoc est, quod docet in primo loco sæpe citato *dist. 1. quæst. 4. §. ad auth. Aug.* vbi loquens de isto appetitu omnibus communi, ait, non omnes ordinatè, & amore amicitiæ velle beatitudinem, sed multos velle amore concupiscentiæ. ideoque amor hic est naturalis. At si adsit conprincipium supernaturale, velle ex eo procedens, est supernaturale, vt ex sequ. resp. patebit clarius.

Contra 2.

Ob. contra 2. Impossibile videtur, vt anima elevata supernaturaliter ad clarè videndum obiectum supernaturale, illud non amet, vel amet non supernaturaliter: ergo. Anteced. prob. Nam Dei perfecta sunt opera.

Quando obiectum supernaturale amatur amore naturali.

96 Resp. neg. anteced ad probat. dico opus illud esse perfectum in suo genere, nempe ostensionis claræ. At quia Deus ad extra operatur liberè, posset quidem, & ostendere se intellectui, non dando habitum charitatis voluntati vel dando, & non concurrendo cum ea ad actum amandi pro tunc, vel non dando habitum, sed solum auxilium, & concurrendo ad amorem supernaturalem sui, vel neque dando auxilium, sed concurrendo ad actum merè naturalem.

Inst. Ostensio illa clara est supernaturalis. Ergo & amor, qui sequitur; quia hic debet ei proportionari.

97 Resp. neg. consequ. & probat. Ait enim *Scotus in 1. loco cit. ad oppum. pro quar. to*. Voluntas potest elicere naturaliter actũ circa obiectum qualitercunque sibi ostensum ab intellectu: ille enim actus non excedit facultatem suæ potentiæ, neque obiectum, vt terminat actum illius potentiæ dat ei esse supernaturale, nisi terminatiuè.

Ob. 2. Est impossibile, vt videns Deum clarè, etiam in via, exerceat actum amoris sine charitate supernaturali: ergo. Antec. prob. Operari sequitur esse, esse autem supernaturale voluntatis habetur per habitum supernaturalem, qui in ea est.

Voluntas habens habitũ

98 Resp. neg. anteced, ad prob. dist. min. Esse supernaturale habitualiter, concedo,

supernatura-lem, amat etiam naturaliter,

cedo. esse supernaturale actualiter, nego. In casu autem nostro si voluntas vellet supernaturaliter, hoc de necessitate fieret per auxilium supernaturale inflammationis. Nam, vt superius dixi dari possunt actus supernaturales sine habitibus, sed non sine auxilijs supernaturalibus. Est clarum in cathecumenis, qui carent habitibus infusis, & tamen credere, diligere, sperare, & pœnitere possunt supernaturaliter. Item patet de fidelibus post peccatum pœnitentibus, qui fidem habitualem habent, non verò charitatem; & tamen actus dilectionis Dei necessarius in eis ad iustificationem debet esse supernaturalis. Idem de desperatis, qui iustificantur; hi enim spe, & charitate carentes, actus vtriusque generis, & supernaturales exercent, vt iustificentur. Cum ergo potentiæ istæ carentes habitibus supernaturalibus, adhuc exercent actus supernaturales, habent esse supernaturale, licet actuale per modum auxilij. Verum tamen est, quod illud esse supernaturale de lege ordinaria non sufficit ad supernaturale meritorium de condigno, quidquid sit de congruo, quod concedimus.

Actus supernaturales sine habitu, sed non sine auxilio supernaturali.

## ARTICVLVS V.

### *An talis sit beatitudinis appetitus, vt omnia amentur propter eam.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distinct. 49. q. 10. supra A.* negatiuè respondet de appetitu elicito, affirmatiuè de naturali.

Sensus art. facilis.

99 Adu. sensum quæsiti facilem esse; an scilicet omnia, quæ ab homine in hoc mundo amantur, ad beatitudinem referantur. Notandum tamen, quod loquimur de beatitudine propriè accepta, siue sit talis in re, siue præstituta. Phylosophi enim veram beatitudinem non cognoscebant, & tamen propter eius consecutionem laborabant. Fideles verò propter veram, ac propriam. Nam si de impropria loquamur, quilibet dici potest operari propter beatitudinem. Vel enim homo operatur propter Deum, conuertendo se ad illum; & ita propter beatitudinem veram operatur, vel auertendo se à Deo, & conuertendo se ad creaturas; & tunc operatur etiam propter impropriam beatitudinem, nempe fruitionem creaturarum; in hoc enim est maxima hominis peruersitas, vt fruatur vtendis, & vtatur fruendis, ex *Aug. lib. 83. qq. quæst. 30.* quia quis amans creaturam inordinatè, ponit in ea rationem vltimi finis, amando scilicet propter se. De prima ergo non de secunda loquimur.

Beatitudo propria, & impropria.

100 Adu. 2. Quod præmittenda est semper distinctio appetitus naturalis; & eliciti in præcedd. adducta ex *Scoto in 4. d. 49. quæst. 10. A.*

101 Dico ergo, Appetitu elicito de facto non omnia appetuntur, propter beatitudinem. Est *Scoti loco cit. quæst. 10. in proemio.*

Non omnia de facto appetuntur propter beatitudinem.

102 Prob. 1. Non omnes cognoscunt beatitudinem: ergo. Euidens est conseq. Voluntas enim non potest ferri in incognitum, vel intuitiuè, vel abstractiuè, vel euidenter, vel per fidem. Anteced. quoque est clarum; quia licet omnes apperant eam, cum ipsam concipiunt, non tamen omnibus datum est eam concipere.

103 Prob. 2. Experientia constat, neque fideles qui beatitudinem dari credunt, de ea semper cogitare cum operantur: ergo.

Ab effectu, & experientia clarè probatur.

104 Prob. 3. Quando homo operatur, siue cogitet de beatitudine, siue non; potest absque eius appetitu operari, saltem negatiuè ad eam se habendo, & aliquando etiam contrariè: ergo. Anteced. prob. Si intellectus non cogitet de ea, tunc negatiuè ad illam se habet voluntas, non sequens, nec fugiens. Si verò cogitet, adhuc potest negatiuè ab ea recedere, applicando intellectum ad aliud obiectum. Præterea cogitante intellectu de beatitudine, & de medio ad eam ordinato, potest voluntas medium illud amare propter se, & non propter beatitudinem, & tunc peccat, quia fruitur creatura, ex *August. lib. de vera Relig. c. 37.* Tandem quia intellectu cogitante de beatitudine, & de aliquo incompossibili cum ea, puta de furto, aut fornicatione, posset voluntas ex sensus condelectatione, amare fornicationem, & eam non ordinare ad beatitudinem. Ergo experientia docet, non omnia ordinari ad beatitudinem, nec per eam amari.

Appetitus naturalis omnia appetit propter beatitudinem.

105 Dico 1. Appetitu naturali omnia ordinantur ad beatitudinem. Est *Scoti distinct. 49. qu. 10. N. 9. Ex his.*

106 Prob. Hic appetitus, licet non sit actio aliqua, est tamen actioni naturali, seu necessariæ similis, & ordinatus ad finem suum. Sicut appetitus omnium entium, siue animantium, siue inanimatorum; est enim propensio à Deo indita creaturæ, quæ, vt patuit ex *August. in Enchirid. cap. 25.* neque in ipsis malis potuit ab ea auferri, *quæ autem à Deo sunt ordinata sunt, ex Rom. 13.* & naturali quodam pondere inclinatur homo ad volendum omnia propter fœlicitatem; sed appetitus elicitus ei resistit aliquando; & præter eam, vel contra eam operatur.

Ob. contra 1. In omni genere datur vnum, quod est primum, & causa omnium illius generis, & multo magis inter appetibilia. Sed hoc est beatitudo: ergo ipsa est causa omnium appetitorum.

Arg. contra.

107 Resp. dist. consequ. Est causa, se-

cun-

Beatitudo secundum se est causa omnium appetituum.

cundum se, & respectu potentiæ ordinatè appetentis, concedo. considerata qualitate appetentis, nego. Ratio est; quia licet in aliquo ordine rerum, res sint ita ordinatè, vt ad terminum nequeat peruenire, nisi per determinata media, & qui vult terminum, debeat ea apprehendere; si tamen operans sit liberum, & nolit illum terminum, vel velit, & nolit operari propter illum; terminus non cessaret esse terminus. Ita prorsus de operante ordinatè ad salutem; debet enim appetere finem vltimum, & omnia ad eum dirigere. Si verò de fine non cogitet, vel cogitet, & nolit operari propter eum, certè non ordinat opera sua ad illum.

Ob. 2. Si omnia, quæ appetit homo non appeterentur propter beatitudinem, appeterentur, vt ipsamet beatitudo. Sed experientia patet non sic eum appetere. Ergo propter illam. Ma. patet non enim datur medium.

108 Resp. neg. sequelam, & probat. Esto enim ex natura rei, & ex dispositione Dei ita sint ordinata omnia bona creata, vt amari debeant propter vltimum finem: tamen ex libertate, & inordinatione voluntatis creatæ peruertitur hic ordo, & multa, imò à plerisque omnia creata amantur propter se. Nullum habendo respectum ad finem vltimum, & ideo in his peccant.

Voluntas creata peruertit ordinem amandi.

Dices ergo. Saltem iustus omnia vult propter beatitudinem.

109 Resp. dupliciter. Iustus, iustè volens operari; & subdistinguo, si agitur de operibus legis, seu præcepti, concedo. si agitur de indifferentibus, nego. Tunc enim potest ea appetere absque ratione vltimi finis, & absque referibilitate ad finem, sed mere negatiuè se habendo.

Iustus non semper operatur propter beatitudinem,

Ob. 3. ex *D. Aug.* 13. *de Trinit. cap.* 5. *Omnia propter beatitudinem appetuntur*: ergo.

110 Resp. dist. anteced. A potentia ordinate volente, transeat. ab alijs, nego. Dixi transeat, quia etiam ordinatè volens, multa indifferentia operatur, absque referentia ad beatitudinem, imò absque eius cogitatione.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. Non omnes cognoscunt beatitudinem. Ergo non omnia sunt volita propter eam.

111 Resp. de appetitu elicito, concedo, quia hic prærequirit cognitionem volibilis. De innato, seu naturali, nego. hic enim ad perfectionem subiecti absque cognitione ordinatur.

Ob. 2. Si omnia amarentur propter beatitudinem, sequitur, quod essent duo actus simul in voluntate, vnus, quo amatur beatitudo, & alius, quo amantur media ad eam. Sed hoc est impossibile: ergo. Min. prob. Quia duo actus nequeunt simul esse in eadem voluntate.

112 Resp. 1. hoc arg. Si valeret, esset ab omnibus soluendum, pro quocunque actu virtuoso, siue supernaturali, siue merè morali. Nam omnis ille, vel tendit in finem, vel in media propter finem. Quomodo ergo in omni operante imputabiliter adsunt hi duo actus, ita in appetente media ob beatitudinem.

Arg. soluendum ab omnibus, sed leue.

113 Resp. 2. ex *Scoto in 4. dist. 49. q. 10.* in fine. Quod in omni potentia conferente, dicendum est, vel actum collatiuum esse vnum, qui tendit ad duo extrema comparata, & sicut intellectus assentitur conclusioni propter præmissas, vno tantum actu, ita voluntas vult media propter finem vnico actu collatiuo. Vel dicendum est actum collatiuum includere duos actus, quorum quilibet respicit suum extremum, nempe in intellectu adest actus quo assentitur principio, & actus, quo assentitur conclusioni. Ita ponitur in voluntate, actus, quo vult finem, & actus, quo medium.

Actus collatiuus, vel est vnus, vel duplex actus,

## ARTICVLVS VI.

### *An homo ex suis naturalibus possit consequi beatitudinem.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst.* 11. in principio, docet, de fide esse, quod nequeat homo ex suis naturalibus consequi beatitudinem, subdens hanc hæresim esse maiorem, quam fuerit hæresis Pelagij, qui docuit, hominem posse sine gratia iustificari.

Scoti mens.

118 Adu. sensum articuli hunc esse. An homo tales habeat vires, talesque potentias, vt per eas solas possit acquirere bonum illud, quod dicitur beatitudo. Et quia hæc, vt dicetur consistit in visione, & fruitione Dei; sensus clarus articuli est, an per sua naturalia homo possit Deum videre, ac eo frui, siue in hac vita, siue in alia, dicetur postea.

Sensus art.

119 Adu. 2. Inter errores Beguinarum, & Beguardorum damnatos *in Concil. Vien.* & nunc habentur *in Clem. de hæret. cap. Ad nostrum*, hos fuisse, & quod homo in hac vita acquirere potest beatitudinem secundum omnem gradum, qui conceditur Beatis in alia vita; & quod anima sine habitu supernaturali luminis gloriæ, vel alio, esse potest naturaliter beata. Quæ quidem hæreses proscriptæ sunt in præfato Concilio. Catholici verò omnes docent, non posse hominem ex suis naturalibus viribus ad beatitudinem peruenire.

Error Beguinorum, quis præ cæteris,

120 Adu. 3. Quod licet omnes Catholici in dogmate conueniant; discordant tamen in assignanda ratione. Quidam enim nempe *Riccardus*, vt notat *Margo Scoti*, docet non posse id naturaliter fieri; quia dum aliquid cognoscitur, cognitum est in

Catholici conueniunt in dogmate, sed non in fundamento.

cognoscente iuxta proportionem suæ naturæ. Deus autem excedit naturam hominis, ideo non potest ab eo naturaliter videri. Alij, vt *D. Thomas*, sicut notat eadem *Scoti Margo in 4. distinct. 49. art. 2. quæst. 6. & Henr. quodlib. 3. quæst. 3. quodlib. 4. qu. 7.* docere videntur, quod non possit homo videre Deum sicuti est, & consequenter fieri beatus naturaliter, quia Deus non potest esse in eo secundum modum, qui competit homini; nec est perfectionis, seu quantitatis proportionatæ homini; quia Deus est ens infinitum, &c. intellectus hominis ens finitum. Alij dicunt, hoc prouenire ex eo, quod anima hominis ex suis naturalibus non est susceptiuum immediatum beatitudinis, quia hæc est quid excedens eam. *Scotus* tandem docet id prouenire ex eo, quod intellectus hominis non habet Deum sibi præsentem in se in ratione obiecti, neque in alio eminentiori. Visio autem clara Dei, in qua consistit beatitudo, vel formaliter, vel inchoatiuè, seu præsuppositiuè haberi nequit, nisi de obiecto in se præsente, vel in alio eminentiori contento.

Multę rationes.

At quoniam confusa euaderet hæc discussio, si dogma, cum motiuis pertractaremus, placuit in plures §§. dubium secare.

## §. 1.

## *An naturalibus viribus homo fieri possit beatus.*

Homo per suas vires non potest fieri beatus.

121 Dico ex viribus, quæ sunt in hominis natura, nequit homo peruenire ad hoc, vt ex se ipso fiat beatus, sed à Deo id habet. Est communis de fide.

122 Prob. 1. *Exodi 33. 13.* vbi Moyses cupidus videndi Deum, ait, *Si inueni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te.* Ergo ex suis naturalibus viribus non poterat eum videre; & sic non fieri beatus. Si enim ex se id efficere potuisset, cum tanta anxietate id non postulasset.

Ps. 35.

123 Prob. 2. ex *Psal. 35. v. 3. Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Vbi *Augustinus* habet. *Nescio quid magnum nobis promittit:* & post aliqua. *Res magna est, & ineffabilis, & ipsi ex parte videbant in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Igitur non ex hominis naturalibus viribus, sed ex Dei dono habetur beatitudo.

Ps. 35.

124 Prob. 3. ex eodem *Psal. 35. 10. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Vbi *Hieron.* ait, lumen Patris Christus est, in Christo Patris lumine Spiritum Sanctum videbimus. Lumen tuum Pater est, cuius voluntatem faciens veniſti illuminare occulta tenebrarum, vt in te, qui es lux mundi mereremur illud lumen cernere in gratia mentis purę, &c. hæc *Hier.* ergo.

125 Prob. 4. ex *Psal. 83. 12. Misericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Interl. ait, sed quibus dabitur? his, qui ambulant in innocentia. *Hieron.* in hunc locum ait, Graziam, & gloriam; primùm donat peccata, & postea coronat. *Augustin.* vero in hunc Psal. habet, *quam gratiam, nisi, de qua ipse dixit gratia Dei sum id, quod sum; quam gloriam, nisi, de qua ipse dixit superest mihi corona iustitiæ; ideo inquit non priuabis bonis ambulantes in innocentia.* Ergo est Dei donum beatitudo, & non potest viribus naturæ acquiri. Ps. 83.

126 Prob. 5. ex *Ioann. 14.* vbi ait Philippus, *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Ergo ex se ipso non poterat videre Deum, sed erat necessarium Christi adiutorium. Ex Euang. Ioan.

127 Prob 6. ex eodem *cap. 10. Oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, &c.* Ergo à Deo est vita æterna, & beatitudo, non per vires hominis.

128 Prob. 7. ex *Rom. 6. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.* Glossa Ord. ait, posset dici stipendium vitæ Vita æterna, sed maluit dicere gratia Dei vita æterna, vt intelligeremus, Deum ad vitam æternam pro sua miseratione nos perducere, non meritis, vnde vita æterna, quæ fine meritis præcedentibus redditur, quæ non à nobis sunt, sed in nobis facta, sunt per gratiam; rectè, & ipsa, gratia nuncupatur, quia gratis datur. Nec ideo gratis, quia non meritis datur, sed quia data sunt, & ipsa merita, quibus datur. Confitendum est ergo, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini. Ergo tantum abest, vt homo ex suis viribus possit beatus fieri; vt potius ipsa beatitudo sit Dei donum, & gratia: imò licet per merita sit acquirenda; quia tamen, & merita ipsa haberi non possint sine gratia, cum in radice, & in progressu lucrum glorię sit gratuitum; ipsa collatio, ne dum est gratuita, sed dicitur gratia absolutè. Ep. ad Rom. Cur vita æterna dicitur gratia.

129 Et *Hier.* in hunc locum *ad Roman.* ait, *Gratia Dei, &c.* non dixit similiter stipendia iustitiæ, quia non est antequam remuneratur in nobis. Non enim nostro labore quæsita est, sed Dei munere condonata. Hier. idem.

130 Prob. 8. ex multis Scripturæ locis. Beatitudo est merces bonorum operum, ergo. Euidens est conseq. Quod enim quis potest de se acquirere, non querit ab alio, sudore, & labore maximo, & tamquam mer- Vita æterna est merces.

mercedem. Anteced. prob. *Matt. 5. Merces vestra copiosa est in cœlis. & cap. 20. Voca operarios, & da illis mercedem*, est autem ibi parabola de laborantibus in hoc mundo, & remunerandis in cœlo; & 1. *Cor. 3. Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem*.

Ex Theod. 131 *Theodoretus* autem *in cap 6. ad Romen Gratia Dei vita æterna*, ait, hic non dicit mercedem; est enim Dei donum vita æterna. Et si quis enim summam, & absolutam iustitiam præstiterit, temporalibus laboribus, æterna in equilibrio non respondent. Ergo, etiam si homo pro beatitudine laboret, tamquam pro mercede, ipsa tamen est adeò excellens, vt in rigore nequeat dici merces dum confertur, sed merum Dei donum, & gratia.

Ex Augus. 132 Prob. 9. ex *S. Aug. in præfat. libri de Beata Vita sub P.* docente. Nam de Beata vita nihil aliud video, quod magis Dei donum vocandum sit.

133 Prob 10. Si homo ex naturæ viribus potest beatus euadere, ruit tota doctrina Catholica de Prædestinatione, de Gratia, & Diuinis auxilijs.

A fortiori arguin. 134 Prob. 11. Homo ex natura viribus nequit operari meritoriè in ordine ad consequendam beatitudinem. Ergo multò minus eam consequi. Antecedens est de fide. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Ioan 6. Sine me nihil potestis facere Ioan. 15.* ex *Concil. Afric. c. 80. Milevit. c. 5. & Trident. sess 6. can. 2. & 10.* vt ex illo tractatu supponimus.

Error damnatus in Conc. Vien. 135 Prob. 12. Est hæresis damnata in *Concil. Vienn.* & habetur in *Clement. cap. Ad nostrum, de hæret.* contra Beguinos, & Beguardos, ait enim *Quarto, quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebis beata. Quinto, quod qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deũ videndum, & eo beatè fruendum, &c. Nos sacro approbante Concilio, sectam ipsam cum præmissis erroribus damnamus, &c.* ergo.

Argum. ab experientia. 136 Prob. vlt. Experientia constat, quod quantuncunque conetur homo ad clare Deum videndum, eoque sic viso fruendum, non potest suis viribus ad hoc peruenire, nec ex tot annorum millium, totque hominum myriadum experientia, aliquis repertus est, qui hanc metam attigerit. Ergo signum est, hoc esse homini impossibile.

Arg. contr. Ob. 1. Homo habet naturalem inclinationem ad beatitudinem, estque illius capax. Ergo habet naturalia media, quibus potest eam adipisci. Consequ. ex *Phil. 2. de cælo, & mundo t. 50. & 59.* Si natura dedisset stellis motum progressiuum, dedisset eisdem instrumenta ad motum necessaria; alias frustratoria esset illa aptitudo ad motum. Ergo, cum homo habeat aptitudinem, & capacitatem ad beatitudinem, ex intrinsecis naturæ, poterit eam naturalibus viribus acquirere.

Non est frustratoria naturalis inclinatio ad beatitudinem. 137 Resp. nego consequ. ad probat. pariter nego consequ. Non enim est frustratoria potentia ad beatitudinem, cum homo ex Dei adiutorio possit eam consequi. Estò autem natura dederit ei potentiam passiuam, & actiuam ad illam, non tamen proximam, neque proximas dispositiones, quia has dare non potest pura natura. Deus ergo in ordine naturali operans dedit naturæ intellectum, & voluntatem inclinatam ad visionem, & fruitionem sui; at in eo ordine non dedit ei alia requisita ad videndum, & fruendum; sed in alio ordine, eleuans nempè humanam naturam ad alium statum, & ad numerum ciuium cœlestis Reipublicæ; & pro hoc statu cooperatur, cum ea ad attingendum beatitudinem, nimirum tribuendo lumen gloriæ, & habitum charitatis, & faciendo ei se præsentem per modum obiecti: & sic patet, quod inclinatio illa naturalis non est frustra.

A pari arg. de sensu. Ob. 2. Sensus ex suis naturalibus potest acquirere omnem perfectionem sibi possibile inesse. Ergo, & intellectus, ac voluntas. Prob. consequ. Non debuit natura esse magis sollicita ad perficiendum sensum, quam potentias spirituales; nec magis liberalis cum sensibus, quam cum illis.

Deus prouidit homini de instrumentis ad beatitudinem. 138 Resp. neg. consequ. Deus enim, qui communiter dicitur natura naturans, vtrasque potentias de suis instrumentis, ac medijs ad operandum prouidit; neque in necessarijs defuit. At quia obiecta sensus sunt entia materialia, in ordine naturæ prouidit eum de necessarijs. Quia verò obiecta intellectus, & voluntatis sunt omnia entia, inter quæ, & ipse Deus, qui est (vt postea dicetur obiectum voluntarium) noluit disponere, vt continuò se præsentem faceret humano intellectui; sed quando, & quomodo vult. Hoc autem prouenit ex perfectione infinita obiecti; quæ quidem non reperiuntur in nullo obiecto sensuum.

Ob. 3. Vbi non datur potentia actiua, neque admitti debet passiua; & è contra, vbi admittitur passiua, concedenda est actiua. Ergo, si conceditur homini naturalis inclinatio, & capacitas ad beatitudinem, est ei concedenda actiua virtus ad illam.

Passiuæ potentiæ semper respondet actiua. 139 Resp. dist. ma. in toto ordine entium debet passiuæ correspondere actiuæ, concedo. in eodem ordine naturæ, nego. Euidens est instantia, corpus habet inclinationem ad animam intellectiuam, & tamen nullum naturale agens potest eam producere. Item intellectus habet inclinationem ad fidem, spem, & alia supernaturalia; & tamen nullum agens naturale, poterit hæc dona producere.

Ob. 4. Si in natura non haberetur ista potestas, deberet postea suppleri per habi-

tum, vt attingeret beatitudinem. Sed nequiret suppleri, quia habitus non dat simpliciter agere, sed sic agere. Ergo num quam posset homo fieri beatus.

Habitus supernaturalis, quomodo se habet respectu beatitudinis,

140 Resp. ex *Scoto quæst.* 11. *K.* dist. sequelam deberet suppleri per habitum, tamquam dantem actiuitatem simpliciter, nego, tamquam dantem dispositionem proximam, concedo. Ratio autem est, quia, ait Scotus, intellectus nunc habet potentiam remotam ad videndum, cum autem ei additur lumen gloriæ habet proximam: hoc verò, vt dicetur in suo loco non prouenit ex eo, quod intellectus prius non erat actiuus, & postea fit actiuus, quia semper est actiuus, sed ex eo, quia Deus statuit non se facere præsentem intellectui creato, nisi perlustrato lumine gloriæ. Sed de hoc infra.

Ob. 5. Perfectio entis inferioris potest contineri in superiore. Ergo, cum lumen gloriæ, quod est accidens habeat hanc qualemcunque potentiam proximam ad eliciendum visionem Dei; poterit creari intellectus, qui naturaliter eam perfectionem contineat.

Triplex responsio.

141 Resp. in primis hoc argumentum est de possibili, nostra autem conclusio est de facto. Dicetur autem in suo loco, quod dari non possit talis intellectus, cui sit connaturalis Dei visio; & dabitur ratio.

Superius quomodo potest continere inferius,

142 Resp. 2. dist. anteced. Poterit contineri eodem modo quo continentur in inferiori, concedo. alio modo, nego, & nego consequ. Quia lumen gloriæ non ex sui natura, sed ex Dei ordinatione habet, vt eo posito, Deus faciat se intellectui præsentem. Si autem Deus statueret facere se alicui intellectui præsentem in ratione obiecti, tunc perfectio illa faciendi moraliter Deum præsentem contineretur in eo intellectu. At quid inde? non sequeretur, quod ex suis naturalibus posset habere Deum præsentem, eumque videre, sed hoc haberet ex Dei decreto ordinante id facere præter naturæ ordinem.

Non omnis.

143 Resp. 3. neg. anteced. vniuersaliter, ex *Scoto quæst.* 11. *L.* nam aliqua perfectio inferioris non potest contineri in superiori. Quia si summa voluntas eodem modo ordinaretur ad beatitudinem, sicut infima; non proinde beatitudo illius infimæ contineretur in summa voluntate. Imò cum summa carens beatitudine summa, esset imperfecta; infima verò absque ea carentia esset perfecta, non proinde perfectio illa infimæ contineretur vnitiuè, vel eminenter in summa.

Hæc sunt argumenta allata à *Scoto*, quæ fieri solent pro naturali potentia hominis ad beatitudinem. Neque ex tempore *Scoti* video ea, vel numero, vel pondere creuisse.

## §. 2.

### *An hæc impotentia proueniat ex eo, quod Deus non sit in cognoscente:*

Impotentia hæc non est ex eo quod Deus non est in cognoscente.

144 Dico impotentia hominis ad naturaliter videndum Deum, non prouenit ex eo, quod Deus non sit in intellectu per modum cognoscentis, seu naturæ intellectus. Est contra DD. quos suppresso nomine citat Scotus, videtur tamen Riccardi. Est *Scoti dist.* 49. *quæst.* 11. *S. Respondeo A.*

Ratio ad oppositum.

145 Prob. Eatenus defenditur hæc sententia à Riccardo, quia per eum nihil cognoscitur, nisi sit in cognoscente per modum naturæ cognoscentis, sed ex hoc non sequitur intentum, quod nequeat intellectus videre Deum naturaliter: ergo. Minor prob. Nequit assignari quid sit obiectum esse vt cognitum, seu esse in cognoscente per modum cognoscentis, vel enim importat proportionem entitatiuam cognoscibilis ad cognoscentem, vel inherentiæ, vel aliam; quidquid dicatur nihil probat pro ea sententia: ergo. Minor probatur. Falsum enim est, quod omne obiectum debeat entitatiue proportionari cognoscenti, quia Angelus inferior cognoscit superiorem; intellectus è contra cognoscit accidens, & materialia. Secundo, quia si sic, neque cum lumine gloriæ, posset videri Deus, quia adhuc durat improportio finiti ad infinitum, & modus essendi Dei excedit modum essendi intellectus creati. Neque iuuat secundum, quod scilicet Deus non inhæreat potentiæ intellectiuæ; tum quia nullum obiectum inhæret potentiæ cum cognoscitur, vt patet de singulis, & præsertim de cognitis ab intellectu: tum quia eo modo, quo alia, Deus inhærere potest intellectui, scilicet per speciem sui intelligibilem. Tum tandem, quia si sic, neque cum lumine gloriæ potest videri, quia neque tunc inhæret.

Proportio inter potentiam, & obiectum.

146 Prob. 2. Inter potentiam, & obiectum non requiritur alia proportio, quam motiui, & mobilis, & potius proportionalitas, quæ est inter dissimilia, vt inter materiam, & formam, actiuum, & passiuum; non autem proportio æqualitatis. Sed hanc habere posset intellectus, alias neque cum lumine gloriæ potest habere: ergo.

A pari de alijs actiuis.

147 Conf. De alijs actiuis, quæ valde improportionata sunt cum suis terminis, & finibus, & tamen eos attingunt. Ergo licet entitatiuè sint improportionata Deus, & intellectus; hoc non impedit, quin hic naturaliter feratur in illum. Anteo. prob. De potentia quacunque elicitiua operationis

nis circa obiectum diuersæ naturæ ab ea, & de operante propter finem in infinitum distante à fine. Ergo improportio hæc entitatiua, non est præcisa ratio, quin intellectus ex naturalibus suis sit beatus.

Arg. contr. Ob. Si obiectum excedit modum cognoscentis non potest ab eo cognosci, ita se habet Deus respectu intellectus creati. Ergo ex hoc capite naturaliter non cognoscitur, Maior prob. Sicut res se habent ad esse, ita ad cognosci; & ad modum essendi, sequitur modus cognoscendi.

Qui excessus impedit cognitionem. 148 Resp. dist. maiorem. Si excedit in ratione motiui, & mobilis, concedo. si in alia ratione, nego. & nego consequ. nam vt in præced. §. diximus. Potentia cum obiecto non requirit proportionem in modo essendi, cum intellectus sit substantia, & tamen possit cognoscere accidentia. Item, estò sit finitus cognoscere possit Deũ infinitum. Neque aliquid facit, quod eum cognoscat per lumen gloriæ; quia lumen non reddit illum infinitum; remanet enim semper improportionatus secundum modum. Adde, quinam est iste modus, per quem obiectum debet cum cognoscente proportionari? Quicunque assignetur, semper vrget instantia de Deo, qui quidem ens necessarium est, à se, increatum, & infinitum, & tamen ab intellectu creato est cognoscibilis, si fiat ei præsens per modum obiecti.

## §. 3.

### *An hæc impotentia oriatur ex eo, quod Deus non est in intellectu, modo competenti.*

Non oritur ex incompetentia. 149 Dico impotentia videndi Deum naturaliter non oritur ex hoc, quod Deus non est in intellectu, modo competenti ipsimet intellectui. Est *Scoti in 4. distinct. 49. quæst. 11. §. Respondeo* C. contra Henr. & alios, quos suppresso nomine Scotus videtur innuere.

A sufficienti arg. 150 Prob. ex *Scoto ibid.* Vel iste modus est aliqua passio intrinseca, vel aliquid extrinsecum. neutrum dici potest; ergo. Maior est à sufficienti, vel assignetur aliud. Minor prob. Non est modus intrinsecus; nam nullum obiectum id requirit respectu potentiæ, à qua est cognoscibilis; sed sufficit si habeat rationem formalem mouentem, sub qua potentia nata est in illud tendere. V. gr. coloratum, & luminosum respectu visus; sonorum respectu auditus; odorabile respectu odoratus, &c. sic ista omnia respectu intellectus, & voluntatis. At euidens est, prafata, & similia non habere eundem modum intrinsecum cum potentijs. Secundo, semper vrget paritas Dei, qui dato quocunque habitu supernaturali in intellectu creato, numquam vniuocatur eum eo in modo intrinseco. Imò plusquam genere ab eo distat.

Obiectum non requirit vniuocationem potentiæ. 151 Neque requiritur vniuocatio modi extrinseci; non enim potest assignari, qui nam sit: vel enim consisteret in indistantia, vel in informatione, vel tandem in proportione geometrica. Nullum ex his potest dici, vt de se patet; tum quia Deus est indistans ab intellectu nostro, cum sit immensus, omnia repleat ex *Hier. 23. 24. & Act. 17. Non longe distat ab vnoquoque nostrum*. Tum etiam, quia eo modo, quo cætera obiecta non informant intellectum, nisi per speciem sui impressam, vel expressam; ita se habere potest Deus; tum de tertio, quia potentia non eget proportione geometrica, vt cognoscat obiectum; quantumuis enim replicetur obiectum materiale, numquam proueniet ad perfectionem potentiæ spiritualis, & quantumcunque è contra replicetur potentia intellectiua creaturæ, numquam attinget esse Dei; & tamen in vtroque casu haberi potest cognitio talium obiectorum. Ergo isti modi non sunt necessarij inter potentias, & obiecta, ac proinde ex defectu istorum præcisè, non concluditur, Deum non esse cognoscibilem viribus naturæ, & sic ex eisdem viribus hominem fieri non posse beatum.

Neque proportionem geometricã.

Ad hominẽ arg. 152 Prob. 2. Vnus modus competens, qui deficit ex Henr. à Scoto allato, vbi supra, est, quia intellectus naturaliter non cognoscit, nisi obiectum, quod est in eo per modum informantis; sic autem non se habet Deus. Sed hoc motiuum non vrget: ergo. Minor prob. Nullum obiectum cognitum ab intellectu est in hoc per modum informantis; imò nulla potentia etiam organica id requirit, vtrumque patet experientia; quæ enim sensibus percipimus, non sunt in sensu, nisi per speciem sui. Sic eadem sensibilia, cum per species ex phantasia deriuantis, & ab intellectu agente depuratas, ab intellectu possibili cognoscuntur, in eo non sunt. Imò ipsemet Deus abstractiuè cognitus, siue per discursum ex creaturis, ex *Rom. 1.* siue ex auditu magistri, aut parentum, siue ex lectione librorum, non est in intellectu per modum informantis.

Obiectum non in forma potentiã

Argum. ad impossibile. 153 Conf. Obiectum esse in potentia per modum informantis est esse in ea, vel per inexistentiam, vel per speciem sui: quidquid dicatur non probat intentum. Si enim dicitur primum, hoc est falsum; quia lapis non est in oculo, pomum odorabile non est in naribus, &c. & nullum horum est in intellectu. Addo in oppositum; Deus est in intellectu per illapsum, & per immensitatem. Ergo dato, & non concesso, quod requiratur inexistentia cogniti in cognoscente, hæc tam habetur, & tamen

ha-

haberi nequit Dei cognitio ex viribus intellectus.

Si verò dicitur secundum, de inexistentia per speciem; contra aut *Scotus sub G.* hoc est contra Authorem, qui concedit, quod beati vident Deum immediatè, & non per speciem. Secundo, esto per speciem; quæro, cur non causatur hæc species Dei in intellectu creato, vt posita hac informatione requisita ab Henrico, fiat eius cognitio? Igitur impotentia naturalis ad videndum Deum, & consequendi beatitudinem, non oritur ex defectu informationis, quod scilicet Deus non informet intellectum creatum.

Arg. ad hominem contra Auth. sent.

154 Prob. 3. Modus iste competens ex eodem Authore est quantitatiua proportio in entitate, & simplicitate. Quæ non est in Deo respectu intellectus creati. Sed defectus iste non probat intentum: ergo. Minor prob. ex *Scoto sub D.* quantitas ista est metaphorica, & non importat quantitatem molis, alias intellectus numquam posset cognoscere materialia; sed importat quantitatem perfectionis. tunc falsum est assumptum, primò, quia intellectus cognoscit imperfectiora, & perfectiora se ipso, & præ cæteris Deum; quo nihil perfectius, nihil simplicius. Neque tamen intellectus per quemcunque habitum luminis, aliumuè supernaturalem fit vmquam æqualis Deo, sed semper in infinitum distat ab eo in perfectione, ac simplicitate. Ergo modus iste non facit ad rem. Et proinde non ex defectu istius, sed ex aliquo alio oritur, quod Deus sit naturaliter à creatura inuisibilis.

Fundam. sent. contr. nullum.

Arg. contr.

Ob. 1. Si Deus esset eiusdem ordinis cum intellectu creato, hic posset eum videre: ergo hic modus deficit.

155 Resp. Hoc argumentum petere aliam difficultatem, an improportio proueniat ex eo, quod intellectus sit ordinis naturalis, de qua in sequenti. Ex hoc tamen non validatur sententia contraria de modo essendi competente intellectui; quia, vt videtur, Author eius sententiæ exigit modum essendi proportionatum in quantitate, & simplicitate, dicens, Deum esse ens perfectissimum, & simplicissimum, qui modi non competunt intellectui, nec possunt ei competere.

Argum. hoc petit alium difficultatem, sed neque est ad rem.



## §. 4.

### *An hæc impotentia oriatur ex supernaturalitate.*

156 ADu. breuiter, & suppono cum *Scoto in 4. sent. dist. 10. quæst. 6. G.* quod hoc nomen *supernaturale* est commune agenti increato, & creato Deus enim ens supernaturale est, & omnia, quæ sunt in Deo, & dicuntur de ipso. Aliqua etiam entia creata dicuntur supernaturalia, & sunt ea quæ à nulla creatura possunt produci, & non sunt exigita ab ordine creaturarum; vnde habitus infusi fidei, spei, & charitatis, & luminis gloriæ dicuntur supernaturales, quia nec ab ordine creaturarum rerum exiguntur; neque ab illis possunt produci. Anima autem intellectiua, licet à creaturis produci non possit, tamen ab ordine creaturarum exigitur, & ad eam disponunt creaturæ. Vnde ex eodem *Scoto ibid. & in 4. dist. 43. quæst. 4.* esse supernaturale in aliquo ente creato non importat formam aliquam absolutam in eo, sed respectum ad agens à quo tantum petit produci, ita in *dist. 10. quæst. 6. G.* hoc autem stante videndum, an ideo intellectus humanus non possit suis viribus Deum videre, & fieri beatus, quia non est ex ordine rerum, quæ dicuntur, & sunt supernaturales.

Supernaturale quluocú est.

Dicit respectum ad agens.

157 Dico ergo. Homo non ex hoc præcisè dicitur impotens ad videndum Deum suis viribus, quia non est ordinis supernaturalis, sicut est Deus.

Non oritur ex hoc præcise, quia non est supernaturalis intellectus.

158 Prob. 1. Vel ad videndum Deum per naturales vires requiritur supernaturalitas eiusdem rationis, cum supernaturalitate Dei; vel illa, quæ competit rebus creatis; neutrum est ad rem. Ergo non ex hoc capite homo dicitur impotens naturaliter. Maior est à sufficienti; nequit enim alia assignari supernaturalitatis species. Min. probatur. Non requiritur prima; nam numquam homo posset videre Deum; imò esset absolutè impossibile; quia numquam posset euadere ens à se, increatum, & Deus. Neque secundum, tum quia anima rationalis à Deo solo exigit creari: & si Deus non statuisset efficere eam, vt formam naturalem hominum, non exigeretur à natura, nec ad eam disponeret ipsa natura; & tamen non proinde in eo casu posset Deum videre naturaliter; tum secundo, quia Angelus non potest produci à natura, neque ab ea exigitur, vel ad eam disponit, & tamen nequit ex suis viribus Deum videre, & beari. Tum tandem, quia esse factum à Deo supra exigentiam, & causalitatem naturæ; non importat in tali facto, actitatem ad videndum Deum, eoque fruendum, sed solam

A sufficienti arg.

sam relationem ad tale agens operans præter ordinem naturæ. Ergo ex hoc defectu supernaturalitatis, non oritur naturalis impotentia ad Deum videndum, eoque fruendum.

A pari de virtutibus infusis.

159 Prob. 2. De facto virtutes infusæ supernaturales sunt, & tamen, neque ipsæ per se, neque per potentias, in quibus sunt attingunt, aut possunt attingere ad Dei visionem, & fruitionem. Ergo defectus supernaturalitatis non officit.

160 Prob. 3. Nulla facta mutatione in intellectu, per aliquius habitus receptionem, dicemus, per absolutam Dei potentiam, eum posse Deum videre, dummodo Deus fiat illi præsens per modum obiecti. Ergo causa præcisa impotentiæ ad Deum videndum naturaliter, non est defectus supernaturalitatis.

Argum. ad impossibile.

161 Prob. 4. Si Deus crearet animam extra corpus, hæc non esset forma exigita à natura; imò creata super ordinem naturæ, & proinde supernaturalitatem passiuam haberet, quam habere possunt creaturæ; & tamen non posset ex suis viribus Deum videre, ac beatificari. Igitur defectus supernaturalitatis in homine, non est præcisa causa impotentiæ ad beatificari naturalibus viribus.

Arg. de anima separata

162 Prob. 5. Animæ à corporibus separatæ, si in Lymbo, vel Purgatorio, vel alibi existant, modo non exigito à natura; imò supra naturam sic detinentur, & tamen attingere nequeunt Dei visionem, & fruitionem.

Arg. de Angelis.

163 Prob. tandem de Angelis in principio mundi creatis. Sic enim nec à natura sunt producti, nec ab ea exigiti, sed à Deo immediatè, solitariè, & totaliter absque creata dispositione producti, & tamen Deum naturaliter non viderunt. Ergo huius supernaturalitatis defectus, præcisè, non impedit.

Arg. contr.

Ob. Si intellectus creatus esset à se, sicut diuinus, posset ex se videre Deum. Quia tamen non est à se; de facto ideo videt, quia habet in se habitum supernaturalem luminis gloriæ: & eo remoto, non potest eum videre, ex *Concil. Vienn.* & nunc habetur in *Clement. Ad nostrum, de hæret.* Ergo præcisa ratio impotentiæ naturalis, est defectus supernaturalitatis. Consequ. Est euidens ex natura causæ præcisę; remota enim supernaturalitate, remouetur visio, eaque posita ponitur.

Ex ordinatione Dei oritur quod sine lumine non videat.

164 Resp. dist. consequ. Præcisa ratio ex natura rei, est defectus luminis supernaturalis, nego. Præcisa ratio ex ordinatione Dei, concedo. & nego consequ. ad probat. de causa præcisa dico, bene inferri, quando ex natura rei præsens operatio haberetur; remota verò nequaquam. Declarantur singula: dicemus in sequ. Deum ex sua natura, & ab intrinseco extra se esse agens liberum, contra Aristotelem, docentem esse agens necessarium. Et proinde est obiectum libere se ostendens, ex *Augustino in lib. de Videndo Deum cap. 5.* & ex *Ambros. in cap. 1. Lucæ. Cuius natura non est videri, si vult videtur, si non vult non videtur.* Hæc autem habentur ex natura rei. Statuit autem Deus, vt dicetur in proprio loco, non facere se præsentem obiectinè creato intellectui, siue humano, siue Angelico, nisi perlustratus sit lumine gloriæ; & ideo non ex natura rei, sed ex ordinatione Dei fit, vt sine tali illustratione eius visio non habeatur, & hoc est, quod statuit *Concil. Vienn.* contra Beguinas, & Beguardos asserentes sine lumine gloriæ posse animam videre Deum. At dicemus hoc non procedere de absoluta potentia Dei; vnde sequitur, ex natura rei hoc supernaturale adiumentum non exigi, si Deus se faciat obiectiuè præsentem.

Notabilis discursus.

## §. 5.

### *Vnde præcisè oritur, quod homo natura viribus nequit beatificari.*

Sermo est de intellectu ex natura potentiæ, independenter à corpore.

165 ADu. & suppono nos hic loqui de intellectu hominis ex natura potentiæ, id est vel separato à corpore, vel in eodem corpore, sed tamen ante lapsum Adæ, in statu innocentiæ; suppono enim ex eo tractatu hominem tunc, & per sensus, & immediatè per intellectum, (sicut dicemus de beatis post resurrectionem) potuisse sensibilia cognoscere; spiritualia verò per intellectum immediatè, & intuitivè. Quod enim nequeat homo post peccatum nihil operari, nisi tantum per sensibilia, & sensus, siue externos, siue internos, est quid pœnale, sequens ad lapsum.

Deus non est præsens intellectui creato obiectiuè.

166 Adu. 2. ex *Scoto in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. F.* Intellectum creatum, siue Angeli, siue hominis, neque in corpore, neque ab eo separatum habere Deum præsentem in ratione obiecti, ac proinde ex suis naturalibus quantumcunque conetur non posse cognitionem intuitiuam Dei efficere, in *Quodlib.* autem 14. *Q. & R.* ac deinceps assignat adæquatam causam, cur Deus non sit obiectiuè præsens intellectui naturaliter, & ait, quia est obiectum, ad extra liberè agens; & si vult videri videtur, si non vult videri, non videtur. Et huic fundamento innititur. Essentia diuina circa nullam potentiam operatur naturaliter, ac necessario, nisi circa intellectum, ac voluntatem diuinam, extra istas, eadem operans ad extra, nec naturaliter, nec necessariò operatur, sed liberè, & contingenter, ex *Psal. 134. Omnia, quæ voluit Deus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyss-*

*abyssi*. Igitur ad extra, ideo operatur, quia vult; & ideo, vt potens non operari. Ostensio autem sui ad intellectum creatum est motio obiectiua intellectus, &, vt patet, actio extra eum. Et quoniam intellectus creatus non habet in suo posse, nec Deum, nec aliquid eminenter continens Deum, ideo nequit in eius cognitionem peruenire.

Quid defide & quid disputabile hic.

167 Adu. vlt. Quod, sicut dictum est in §. 1. est fidei dogma, quod intellectus creatus nequeat suis viribus videre Deum, sed debeat ad hoc eleuari per habitum luminis gloriæ. At sub disputatione relictum est, vnde procedat hæc luminis necessitas, an ex eo, quod det intellectui actiuitatem simpliciter, quam prius non habebat; an ex eo, quod exaltat, dignificat, & ornat in genere supernaturalium intellectum, eumque adiuuat ad intensiorem visionem causandam, sicut quilibet habitus adiuuat potentiam, in qua est: an ex hoc, & ex alio effectu ex ordinatione Dei, seu morali, vt scilicet faciat obiectiuam Dei præsentiam, quia nempe statuit Deus non facere se præsentem intellectui illustrato lumine gloriæ. His positis

Intellectus non habet Deum obiectiue præsentem Deo non videt;

168 Dico 1. Ratio radicalis, ac prima, cur Deus non possit videri ab intellectu creato viribus suis, est, quia intellectus non habet, neque potest habere Deum obiectiuè præsentem. Est *Scoti in 4. dist. 49. quæst. 11. sub F.* & omnium Scotistarum.

A priori ratio.

169 Prob. eisdem Scoti verbis. Anima humana non est sufficienter actiua ex puris naturalibus ad causandum actum visionis, quia impossibile est intellectum esse causam visionis, nisi habeat in se obiectum cognitum, vel aliud, in quo eminentius continetur. Sed natura humana non habet Deum in se præsentem in ratione obiecti, nec in aliquo, in quo eminentius continetur. Ergo ex se non sufficit ad cognitionem Dei visiuam. hæc *Scotus* 1.

170 Conf. ex eodem ibidem *sub F.* Visio est cognitio intuitiua rei in se, sed natura humana non potest ex se habere præsentem Deum in ratione obiecti, licet sit sibi præsens per illapsum: ergo. hæc *Scotus* 2.

A posteriori

171 Prob. 2. conclusio à posteriori. Potentia non habens obiectum præsens, non potest circa illud elicere visionem. Et è contra, si habeatur obiectum præsens in ratione obiecti, ex hoc capite, haberi potest visio. Sed Deus non est homini obiectiuè præsens, Ergo hæc est prima ratio, & radix cur naturaliter non possit videri.

Deus non est obiectiue præsens, quia est obiectum voluntarium,

172 Dico 2. Ratio prima, cur Deus non sit obiectiuè præsens intellectui creato, etiam ex natura potentiæ, seu separato, est quia Deus extra se agit liberè, & voluntariè, & non est in potestate creaturæ eius obiectiua præsentia, & motio. Est *Scoti*, nedum *in 4. loco cit.* sed dilucidè in *Quodlib. 14. art. 2. N.*

173 Prob. 1. Naturaliter notum est; quod Deus ad extra operatur liberè, alioquin periret omnis contingentia, vt optimè *Scotus* contra Aristotelem arguit, in 1. *sent. dist. 2. quæst. 2. & dist. 38. quæst. Vn. & distinct. 39. quæst. Vn. & Quodlib. 14. N.* Aristoteles enim docebat, causam primam agere ad extra necessario, contra inquit Scotus. Si prima agit necessariò ad extra, cum sic agat etiam ad intra, tollitur contingentia à rebus. Omnis enim contingentia ortum habet à causa prima. Secundo, quia si sic, ergo effectus liber non penderet in modo essendi à prima; imò causa secunda necessario semper operaretur. Tertio maioris esset perfectionis, quam prima posset enim se determinare ad agendum renuente prima: & è contra, quæ maxima sunt absurda. Ex hoc autem anteced. sequitur consequ. necessaria, quod Deus in ratione visibilis ostendit se libere creaturæ; ideoque hæc non habet, quando vult, præsentiam Dei obiectiuam. Non enim habet ad suum libitum Deum obiectiuè præsentem; neque aliquid eminenter, aut virtualiter continens Deum. Ergo ex hoc oritur, quod intellectus non habeat Deum obiectiuè præsentem, quia Deus non vult se ei obiectiuè manifestare.

Aristo. dixit causam primam agere necessariò.

Maxima ex hoc absurda

174 Prob. 2. ex *S. Ambros. in cap. 1. Lucæ*, vbi declarans illa verba, *apparuit autem illi* (id est Zachariæ) *Angelus Domini*, exagerans hic inuisibilitatem Angelorum, & ipsius Dei, præcæteris habet: *Non enim similiter sensibilia videntur, & is in cuius voluntate situm est videri, natura verò est non videri; nam si non vult non videtur; si vult videtur. Apparuit enim Deus Abrahæ, quia voluit; alij quia noluit non apparuit. Visus est etiam à Stephano Iesus stans ad dexteram Dei, & non est visus à populo. Vidit etiam Isaias Dominum Sabbaoth, sed alius eum videre non potuit, quia cui placuit apparuit:* & post multa, prosequitur. *Sed quid de Trinitate dicam? Seraphim quando voluit apparuit, & vocem eius Isaias solus audiuit, neque enim in potestate nostra est videre, sed in potestate eius apparere:* & post aliqua. *Et quid mirum, si in præsenti sæculo, nisi quando vult, Dominus non videtur;* & circa finem, replicat, *ideo apparuit Zachariæ à dextris Altaris incensi, quia apparuit quando voluit, non apparuit quandiu noluit.* Ergo ex Ambr. Deus est obiectum voluntarium, & quando vult apparet, & videtur, quando non vult non videtur: & ideo ex Ambr. apparet, & videtur, quia vult videri.

Ex Ambros. arg.

Solida Ambros. docti.

175 Prob. ex *August. in lib. de videndo Deo cap. 6.* vbi recitat sententiam relatam Ambrosij eamque confirmat, & prosequitur recitare totum *Ambrosij cap. in Lucam*. & idem docet, ergo ideo *in cap. 6. 7. 8. &c.* non est semper homini obiectiuè præsens, quia non vult videri.

Ex August. idem.

176 Prob. à sufficienti. Patuit ex præced.

A sufficienti arg.

ced. motiua illa, quæ adducuntur ad probandum, cur Deus non possit ab homine per suas vires videri, non conuincunt. Hoc autem conuincit, ex *Ambros. & August.* ergo.

A priori, & à posteriori argum.

177 Prob. vlt. Quod Deus secundum fidem, videri possit ab intellectu cum lumine gloriæ, & voluntas cum charitate consumata possit eo frui, oritur ex eo, quod Deus vult videri, & non è contra. Ergo ratio primaria, & radicalis, cur naturaliter non possit homo, vel Angelus eum videre, oritur ex eo, quod nolit videri. Anteced. prob. Lumen enim, & charitas, cum sint qualitates non vitales, vt sapè dictum est, non possunt dare posse frui, & videre. Sed quia Deus statuit, vt quando vult videri det etiam intellectui, ac voluntati hos habitus, & ad decorem, ac ornatum eorum, & ad cooperandum ad actus illos intensiores, quam si essent à solis potentijs cum obiecto. Ergo à primo ad vltimum, concluditur, quod ideo creatura non habet Deum obiectiuè præsentem, quia Deus, est voluntarium obiectum respectu intellectus creati. Alia argumenta adducentur in *Disput. de lum. gloriæ.*

Ad quid necessarij habitus luminis, & charitatis

Arg. contr.

Obi contra vtramque. Hæc conclusio fauet hæreticis Beguinis, & Beguardis: ergo. Anteced. prob. Isti dicunt intellectum ex suis viribus posse Deum videre. Hæc sententia idem docet; supposito enim Deo præsente, ex suis naturalibus videret; tota enim causa inuisibilitatis, est absentia voluntaria obiecti.

Hæc sent. non fauet hæreticis ex duplici capite,

178 Resp. neg. antec. Ex duplici enim capite non fauet primò, quia illi dicebant Deum esse obiectiuè præsentem, alias enim quomodo videri posset, cum ex cognoscente, & cognito pariatur cognitio. Nos autem dicimus, Deum non esse nobis obiectiuè præsentem pro cognitione intuitiua. Secundo, data obiectiua præsentia Dei, si velit se alicui ostendere; adhuc dicimus esse necessarium lumen gloriæ in intellectu, vt videat; & charitatem in voluntate, vt fruatur, & hoc de facto, illi negabant horum habituum necessitatem. An verò de possibili data obiectiua præsentia intellectus sine lumine posset videre, & voluntas sine charitate frui, id non fuit disputatum ab illis hæreticis, sed propugnatum solum non esse de facto necessarium lumen.

Arg. de puritate Angelorum, qui libere se ostendunt.

Ob. 2. Etiam Angeli liberè se ostendunt cui volunt, & tamen non ex hoc capite, homo dicitur impotens naturaliter videre Angelos: ergo neque ex hoc capite Deus dici debet à creatura inuisibilis. Anteced. patet, quia Angelus est liber, & pro suo libito facit se præsentem in aliquo loco, & tamen licet velit ab homine videri non potest. Ideoque non ex capite libertatis, sed ex inproportione alia, Deus, & Angeli debent dici inuisibiles naturaliter.

Non probat aliquid de intellectu ex natura potentiæ.

179 Resp. dist. secundam partem ant. Si loquamur de homine cognoscente per sensus, concedo; si ex natura potentiæ intellectiuæ operantis independenter à sensibus, nego. Imò nego suppositum, quia sic homo non est impotens, declaratur. Homo nunc nequit Angelum videre, nec aliud spirituale, quia cognoscit per sensus. Si autem anima esset à corpore separata, posset Angelum intuitiuè videre, neque Angelus præsens animæ in proportionata distantia potest se illi celare. Non ita se habet homo circa Deum; quia nunc certè ex causa sensuum, non potest ex vno capite eum attingere. Dum autem est separata, & si Deus esset illi intimè præsens, adhuc posset se ei celare. Igitur prima radix, cur intellectus habens Deum essentialiter, & per illapsum semper præsentem, nequit eum videre, est, quia se illi abscondit, & non vult ab eo videri.

Ob. 3. Deus continetur sub ente, tamquam species sub genere, essentialiter enim Deus est ens; Ergo non est obiectum voluntarium, & sic ex hoc capite non est inuisibilis naturaliter. Consequ. prob. Ens, vt ens, non est obiectum voluntarium: ergo neque quod sub eo continetur. At omnia, quæ de Deo dicuntur sunt entia, non enim negationes: ergo.

Arg. fallax ex ignorantia Elenchi, seu consequentis.

180 Resp. neg. consequ. Nam, licet secundum conceptum communem entis non includat rationem voluntarij, vt tamen à se infinitum, & liberum ad extra, eam includit. Sicut à pari, ens non includit rationem substantiæ. Neque substantia rationem corporis, vel spiritus, neque animal rationalitatem: sed è contra, & tamen non potest à superiori ad inferius argui destructiuè; quia est fallacia consequentis.

Ob. 4. Si ex hoc capite Deus esset inuisibilis naturaliter; sequitur, quod si fieret obiectiuè præsens, seu vellet videri ab homine, hic naturaliter posset eum videre; sed hoc est hæreticum. Prob. sequela maioris, esset proportionatus in ratione entis, & haberet obiectiuam præsentiam, quæ impediebat, ne videret: ergo. Min. probatur. Beguardi in hoc erant hæretici, quod dicebant intellectum per suam virtutem naturalem posse Deum videre, & voluntatem pariter per suam virtutem frui.

Data Dei præsentia, adhuc visio esset supernaturalis.

181 Resp. nego sequelam ad probat. nego consequ. Numquam enim intellectus, videret naturaliter, (quidquid sit de voluntate fruente naturaliter supposita visione supernaturali.) Ratio est, quia quando Deus faceret se præsentem, illustraret etiam intellectum lumine gloriæ; & sic cum aliquo supernaturali videret: & hoc regulariter, & de facto. Si verò, vt potest, & nos in suo loco dicemus, vellet Deus videri ab intellectu non illustrato lumine gloriæ, eò quia ipsemet Deus summa lux est, adhuc non posset absolutè dici, quod tunc intel-

Quia deest lumen, vel aliud supplens, & in omni casu esset supernaturalis.

lectus videret per sua naturalia, quia in eo casu Deus suppleret per aliud, saltem actuale concursum luminis, vel per diuersam obiecti influentiam; & tandem si nullum horum faceret, adhuc non videret naturaliter, quia præsentia illa obiectiua esset supernaturalis, & indebita homini, & proinde visio illa supponens comprincipium supernaturaliter influens, esset supernaturalis.

A pari de libero influxu.

Ob. 5. Influxus Dei liber ad extra, non impedit, quin causæ omnes secundæ dicantur naturaliter operari. Ergo absentia obiectiua ratione libertatis, non facit, quin intellectus dicatur naturaliter impotens. Non enim assignari potest disparitas.

182 Resp. neg. consequ. Ratio est, quia vt sæpè diximus, & dicemus, ideo effectus aliquis dicitur supernaturalis, quia à Deo est præter regulas ordinarias operandi. Statuit enim in aliquibus rerum ordinibus concurrere cum creaturis ad aliquem effectum, vt cum Sole ad illuminandum, cum igne ad calefaciendum, &c. vel se solo aliquid facere, suppositâ dispositione aliqua in creatura, vt creatio animæ, supposito corpore organizato. Alia verò statuit non sic facere, & ista dicuntur indebita naturæ, & sunt propriè supernaturalia, & ex eius libito fiunt. Ad rem, concursus liber cum omnibus creaturis est eis debitus ex Dei generali decreto de concurrendo cum illis; & proinde opera creaturarum sunt naturalia. At obiectiua sui præsentia, vt videatur à creatura, non est ei debita, vt patuit ex *Ambrosio, & August.* apparet enim quibus, & quando vult. Igitur est supernaturalis, & indebita creaturis.

Corollarium huius quæsiti.

183 Collige autem ex dictis, hominem non posse fieri viribus suis beatum, quia non habet Deum obiectiuè præsentem, licet habeat præsentem immensiuè, & per illapsum; ratio autem, cur non habet eum obiectiuè præsentem, est, quia diuina essentia nullum intellectum mouet naturaliter, & necessariò, nisi diuinum, cui non potest se abscondere, omnem autem creatum mouet libere, & quando vult. Quod autem præter obiectiuam præsentiam requiratur in intellectu lumen supernaturale, hoc est de facto, ex Dei decreto sic disponente, non verò essentialiter, & ex natura rerum, sicut requiritur obiectum, aut intellectus; quia sine lumine absolutè loquendo posset haberi visio, vt dicetur in suo loco.

## ARTICVLVS VII.

### *An appetitus hominis satietur per beatitudinem.*

Scoti mens.

SCOTVS, de satietate appetitus beati pluribus in locis loquitur, in quibus docet, rationalem satiari per quemlibet gradum beatitudinis; naturalem verò nequaquam, neque proinde beatum remanere inquietum, aut mœstum, sed quietum, ac lætum, in 2. enim *dist. 1. quæst. vlt.* in fine, docet capacitatem merè naturalem beari non satiari in beatitudine; nam beatus satiatur ratione appetitus rationalis ex possessione tantæ beatitudinis, quanta correspondet meritis, & ad quantam disposuit ei dare diuina largitio, item *in 3 dist. 13. quæst. 2. M. S. Ad argumenta alterius, & in 4. dist 50. qu. 6. A.* docet, appetitum creaturæ inclinari ad summam beatitudinem; tamen iustitia distributiua Dei largitur beatitudinem non ob propensionem capacitatis, seu appetitus naturalis, sed meritorum. hæc *Scotus*. Ideo

Beatitudo inæqualis in beatis,

184 Adu. 1. & suppono ex dicendis in proprio loco, quod beatitudo formalis, & intensiuè non est æqualis in omnibus beatis; nam ex *Ioann. 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Matt. 11. Qui minor est, in Regno cælorum maior est illo. 1. Cor. 15. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum: stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum. 2. Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet*, & alia loca Scripturæ ad hoc, quæ adducentur in proprio loco. Hæc ergo diuersitate suppositâ oritur quæstio, an satietur appetitus cuiuslibet, etiam illius, qui habet minorem beatitudinem.

Duplex in homine appetitus, naturalis, & elicitus.

185 Adu. 2. & suppono ex dictis in *art. 1.* cum *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 10. A.* in homine duplicem esse appetitum ad beatitudinem, naturalem scilicet, ac elicitum, seu rationalem. Primus est inclinatio mere passiua, quam habet homo ad omnem perfectionem sibi possibilem inesse, siue in intellectu, siue in voluntate; quæ quidem inclinatio non est actus aliquis elicitus, sed mera capacitas, & propensio; quælibet enim res habet inclinationem ad perfici à quocunque possit. Alter appetitus dicitur elicitus, seu rationalis, estque actus, quo homo vult beatitudinem. De vtroque appetitu est quæstio, an in patria satietur.

Satietas in bonam, & malam partem accipitur.

186 Adu. 3. Quod hoc nomen satietas aliquando significat repletionem optatam ab aliquo, & idem est quod saturitas, quod est principale eius significatum, & habemus de ea exempla multa, *Num. 20. Vt satiati essent murmurare*, *Psal. 106. Animam esu-*

ri-

*rientem satiauit bonis. Psal.* 147. *Adipe frumenti satiat te. Prou.* 12. *Qui operatur terram, fructu satiatur. cap.* 13. *De fructu homo satiatur. Daniel* 13. *Vel sic satiaretur decore. & Ecclesiast.* 43. *v.* 26. *Panem, &c. parauit in satietatem.* Aliquando autem significat repletionem cum fastidio, vel ipsum met fastidium, *Prou.* 25. 16. *Ne forte satiatus euomas, &c.* & apud prophanos Authores frequens est hæc vsurpatio, *Cicero in Cat.* Omninò quidem studiorum omnium satietas vitæ facit satietatem. *Quintil. lib.* 5. *cap.* 13. & odium ex quadam seruitute, & ex copia satietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. *Terent. in Eun.* vbi satietas cœpit fieri, commuto locum. Cum autem inquirimus, an appetitus beatorum satietur, abest vt intelligamus de satietate pro fastidio, nam *in Deum semper desiderant Angeli prospicere.* Sed loquimur de satietate sumpta pro saturitate, & repletione implente vacuitatem, vt ita dicam, seu desiderium, atque appetitum eorum.

Satietas interdum fastidium significet.

Quilibet beatus satiatur.

187 Dico 1. Quilibet beatus, absolutè loquendo, tanta gloria repletur, vt satietur. Est communis de fide.

188 Prob. 1. ex *Psal.* 16. *in fine, cum iustitia apparebo in conspectu tuo satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Lyran. ibi ait, quia gloria tua satiat appetitum humanum, eò quod ibi consequitur bonum infinitum.

189 *Hieronymus* in hunc locum dicit. *Ego autem, cum iustitia apparebo in conspectu tuo, hoc est in præsentia tua in futuro, & satiabor cœlesti refectione, cum apparuerit gloria tua, &c.*

Ex Psal.

190 Prob. 2. ex *Psal.* 64. *Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, &c.* ergo satiabitur appetitus iam repletus.

191 Prob. 3. ex *Psal.* 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua.* Vbi, vt patet de gloria resurgentium iustorum loquitur. Interlin. enim Ver. *Coronat te,* ait, *incorruptum.* Ver. *Qui replet,* dicit, *posti coronam non resistat iusta, in quo iuuenis, sed satiaris his, quæ hic desiderabas, atque suspirabas.* Ver. *Renouabitur,* ait, *quia hic nemo repletur, sed semper indiget, sed quando renouatur, iuuentus tua.*

Ex Glossa.

192 Glossa Ordinar. Ver. *Qui redemit,* ait, hoc fit in vltima resurrectione mortuorum. Ver. *Qui coronat,* ait, hoc fit in iudicio, vbi cum Rex sederit in throno, redditurus vnicuique secundum opera eius, &c.

Ex Hieron.

193 *Hieronymus* in hunc locum, ait. Replet in bonis desiderium tuum coniungens te Sanctis in cœlesti Ierusalem.

Ex Augst.

194 *Augst.* in hunc locum sequens versionem 70. dicit, *qui satiat in bonis desiderium tuum,* & diffuse id explicat de satietate beatorum, subdens, quasi quæreres, quando satiat? modo enim non satior, ad quodcunque me conuertero, vilescit adeptum, &c. quod bonum me satiabit? laus Dei: & post. Renouabitur, sicut Aquilæ iuuentus tua. Quæris ergo, quando satiotur in bonis anima tua? quando renouata fuerit iuuentus tua. Et tandem in fine eius versus, ait, non satiaris modo, quia non est idonea anima tua ad solidum illum, & magnum cibum. Ergo in patria beati satiabuntur perfecte in anima, & corpore post resurrectionem.

Ex natura beatitudinis arg.

195 Prob. 3. ex SS. Patribus. Beati quiete, & requie æterna gaudent. Ergo appetitus eorum satiatur, alias non essent quieti. Anteced. prob. Ecclesia enim id petit à Deo pro defunctis, *requiem æternam dona eis Domine. S. Cyprianus ser. de laude mart.* præcæteris dicit. *Habet populos quis lata sedes tenet placida, &c.* loquitur autem de beatitudine, *& ser. de Christi Ascens.* ait, *ibi non gustabunt, quam suauis sit Deus, sed implebuntur, & satiabuntur dulcedine mirifica, nihil eis deerit, &c.*

Cyprian.

196 *Origenes in Psalm.* 36. *hom.* 5. ait, beatos sapientia esse replendos.

Origenes.

197 *Hilarius in Psal.* 60. ait, Beatos omni Dei plenitudine esse replendos.

Hilar.

198 *Augustinus lib.* 22. *Ciuit. cap.* 30. Tunc erit plena, certa, secura, & sempiterna felicitas; & declarans illud *Leuit.* 26. *Ero illorum Deus,* ait, *ego ero vnde saturentur; ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & honor & pax & omnia bona.* idem *in lib. de triplici habitaculo,* habet. *Satiat iustos, visio sanctorum hominum, & Angelorum, & super omnia ipsius Dei, nihil in illo regno desideratur, quod non inueniatur, &c.* multa.

Auguſt.

199 *Chrysostomus in ep.* 5. *ad Theodorum lapsum,* multa de beatitudine insinuat, sed præcipuè requiem, tranquillitatem, voluptatem omnimodam, bonorum omnium repletionem.

Chrysost.

200 Adduci ad hoc possunt omnia, quæ dicta sunt in declarando beatitudinem compendiosè in *disp.* 14. *art.* 12. quæ maxime ponderis sunt.

Argum. ad impossibile.

201 Prob. tandem. Si beatus non satiaretur, remaneret inquietus, & cupidus aliorum bonorum, per quæ posset satiari, & sic non esset beatus, sed miser. Beatus enim habet quidquid vult; & nihil mali vult, ex *Augustin. lib.* 1. *de morib. Eccl. cap.* 3. *& lib.* 13. *de Trinit. cap.* 4. 5. *& 7.* ac si non esset satiatus, optaret aliquid, & non haberet.

Appetitus naturalis nó satiatur in quolibet.

202 Dico 2. Eltò beatus absolutè, & secundum appetitum deliberatiuum, seu elicitum sit absolutè satùr; tamen secundum appetitum naturalem non satiatur, neque proinde est inquietus, sed quietissimus. Secunda pars est *Scoti,* vt in principio articuli.

203 Prima pars iam fuit probat ex principijs fidei, & de ea non est difficultas.

Sed de secunda, quæ à Scoto sic.

204 Prob. 2. pars. Appetitus naturalis est capacitas, & inclinatio naturæ ad summam perfectionem sibi possibilem; sed non omnes beati habent summam beatitudinem, quam possent habere: ergo. Maior ex naturæ lumine est euidens. Quodlibet enim subiectum inclinatur ad summam perfectionem sibi possibilem inesse. Min. patebit ex propria Disputatione de inæqualitate beatitudinis; nam sicut differunt inter se stellæ in lumine, ex nuper dictis, ita Sancti in claritate, quia *in domo Dei mansiones multæ sunt, & qui parcè seminat, parcè & metet*, ac proinde gloria Sanctorum dicitur *corona iustitiæ*. Et solius Christi animæ priuilegium est, summam obtinere beatitudinem. Ergo remanet semper in appetitu naturali illa inexpletio, & inanitas capacitatis, quæ posset expleri, & occupari per alios gradus beatitudinis. Et hoc est, quod docet *Scotus in 2. dist. 1. quæst. 2.* in calce, vbi respondens ad hoc argumentum, capacitas naturæ satiatur in beatitudine, ait, *hæc propositio non est vera, loquendo de capacitate merè naturali; præcisè enim satiatur secundum proportionem ad merita communiter loquendo, & in hoc satiatur sufficienter appetitus deliberatiuus.* hæc *Scotus*.

205 Prob. 3. pars, ex dictis in prima conclusione. Beatus enim absolutè loquendo est quietus, & satiatus, & nullam habet inquietudinem; quomodo autem possit quies appetitus deliberatiui sistere propensionem appetitus naturalis, ne inquietet beatum, dicetur in argumentis; nam vt docet *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 10.* & nos diximus in 1. *art.* appetitus naturalis non est actus aliquis elicitus volendi aliquid, sed inclinatio quædam, & capacitas ad summam perfectionem, & beatitudinem. Ideoque non potest natura intellectualis tristari, si eam summitatem non obtineat, quia tristitia ex *Augustino lib. 14. de Ciuit. C. Is est de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*. Ideoque cum appetitus naturalis non sit, nec volitio, nec nolitio, nequit in eo causari tristitia. Neque potest id accidere ratione appetitus deliberatiui, qui tristetur eo quod naturalis capacitas non satietur; nam ipse non vult illam implerionem, non enim vult alium gradum beatitudinis, nisi eum qui correspondet suis meritis, quemque cognoscit Deum sibi ex proportione meritorum decreuisse. Igitur non potest ex nolitione, quam non habet eius, quod accidit, id est de non satietate appetitus naturalis tristari, & sic neque inquietari.

Alias autem doctrinas pro visione, habes in *disp. 17. art. 9.* & de fruitione in proprio loco.

Ob. contra 2. partem secundæ concluſ. Quilibet beatus est perfectè satiatus ex visione, & fruitione Dei; Dauid enim estò non esset habiturus summam gloriam ad huc tamen ait, *satiabor cum apparuerit gloria tua*: ergo.

206 Resp. facile neg. consequ. Quia satietas secundum appetitum deliberatiuum facit, quod beatus dicatur absolutè satur, neque ei officit inexpletio capacitatis naturalis.

Ob. 2. Vel talis appetitus est aliquod desiderium, vel non: si primum ergo eo non expleto, remanet inquietitudo. Si primum, ergo non est appetitus, quia hic importat actum aliquem appetentis.

207 Resp. Non esse desiderium, aliumue actum, vt optimè *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 10.* & nos in *art. 1.* ad improbationem, dicat opponens an appetitus materiæ ad formam adeo per totam Philosophiam decantatus, sit actus aliquis; an appetitus grauis ad centrum sit aliquod desiderium? certe non. Ita prorsus de appetitu, & inclinatione naturæ intellectualis ad suam perfectionem dicendum est. Vnde optimè *Aug. in lib. de prædest. SS. cap. 5. Posse habere fidem, spem, & charitatem naturæ est hominum, habere autem eas gratiæ est fidelium*, quia nimirum natura inclinatur solum ad habitus illos supernaturales à Deo tantum producibiles.

Ob. 3. Si sic, Beatus, saltem conditionatè, id est si fieri posset, vellet impleri inclinationem appetitus naturalis. Ergo ea non satiata, tristaretur: nam nolitio conditionata alicuius obiecti sufficit ad causandam tristitiam, eo non posito; patet de Christo nolente conditionatè tantum passionem se, scilicet Patri placeret, & esset possibile, & tamen, de ea tristatus est. Ita de animabus Purgatorij nolentibus esse in pœnis, si Deo placeret, cuius voluntati sunt conformes, & tamen de earum existentia tristantur. Ergo, cum Beatus, saltem conditionatè velit summam beatitudinem, & conditionatè pariter nolit appetitum naturalem remanere inexpletum, tristaretur, si non obtineret.

208 Resp. 1. nego anteced. Existimo enim Beatum, nullum prorsus actum conditionatum habere de beatitudine summa, & Deum ad talem actum non concurrere. Sed habere complacentiam de beatitudine, quam habet, & licet videat alios se beatiores, non inuidet illis, sed de hoc etiam complacentiam habet, quia Deo in omnibus conformatur, vt dicetur de inæqualitate beatitudinis. Ac proinde ex capite nolitionis, vel volitionis conditionatæ non adimpletæ, nequit oriri tristitia.

209 Resp. 2. neg. consequ. ad probat. De Christo, & animabus Purgatorij, dico disparitatem esse, quia animæ purgatorij sunt capaces tristitiæ, cum nullam habeant delectationem beatitudinis præsentis: beatus autem plenus est delectatione, & gaudio impediente omnem tristitiam, & ex *Arist. 7. Ethic. cap. 8. Delectatio excellens excludit*

A priori arg.

Appetitus elicitus satiatur.

Appetitus naturalis nó est desiderium.

3. pars; Quod beatus absolutè satiatur.

Arg. graue de appetitu conditionato.

Beatus non habet actum conditionatum de summa beatitudine.

Arg. contr.

Disparitas de Christo, & animabus Purgatorij.

*studis quamcunque tristitiam*, quod sequutus est *Scotus in 4. dist. 50. quæst. 3. B.* declarans, quomodo beatus non tristetur de pœnis damnatorum, & in fine illius quæstionis, ait, appetitus beatorum non est capax tristitiæ, sed vultu diuino satiantur beati. Ad illud de Christo, qui fuit simul beatus, & viator, dicit *Scotus in 3. dist 15. quæst. Vn. F. & G.* ex diuina dispensatione id accidit in Christo, vt esset summè beatus, & tamen tristitiam admitteret, quod maximum fuit miraculum. Quomodo autem id acciderit in Tractatu de Incarnatione dictum est.

Arg. contr.

Ob. 4. Nihil impedit quin beatus possit elicere actum conformem appetitui naturali conformando se illi, & optando impleri illud: quia hic actus est conformis rectæ rationi. Si autem eum eliceret, & non obtineret, iam tristaretur. Ergo non esset beatus.

Arg. ex non repugnantia

210 Resp. nego anteced. duo enim impediunt. Primum est, quia Deus non concurrit cum eo ad talem actum diuinæ voluntati difformem. Vult enim Deus, vt beatus sit contentus gloria, quæ sibi confertur. Secundum est, quia beatus non potest peccare. Peccaret autem, si vellet impleri capacitatem naturalem, quia Deus ex iustitia decreuit illam non satiare. Licet ergo optimè cognoscat beatus, suam capacitatem esse ad summam, seu infinitam beatitudinem; tamen, neque eam cupit expleri, neque curat, quod non expleatur.

Cur beatus non elicit volitionem conditionatam circa satietatem appetitus naturalis.

Inst. Melius est eiusmodi capacitate, seu appetitum naturalem non admittere, quia sic vitantur multa incommoda: ergo. ita dicendum est. Eò vel magis, quia inter naturam intellectualem, & beatitudinem nulla est proportio.

211 Resp. neg. antec. Non enim potest negari in beato essentia humanitatis: hæc autem includit essentialiter eam inclinationem passiuam. Ad illud de proportione in 1. *art.* responsum est, entitatiuam abesse, non verò passiui ad agens: quia vt optimè dicit *Aug. Posse habere supernaturalia*, id est capacitas ad ea, est *naturæ hominum, habere autem, gratiæ fidelium*.

Non potest non admitti appetitus naturalis in beato.

Alia argumenta habes in *disp. 17. art. 9.*

# DISPVTATIO XVI.

## DE BEATITVDINE FORMALI.

### ARTICVLVS I.

*An formalis beatitudo consistat in illapsu Dei in Beatum.*

SCOTVS *in 4. sent. dist 49. qu. 2. §. Contra istam opin. ab A. vsque ad N.* impugnat Henrici sententia, docentem, beatitudinem creaturæ consistere in illapsu Dei in potentias, vel essentiam animæ, & postea docet, consistere in operatione, vt alias dicetur.

Scoti mens,

1 Adu. 1. Quod priusquam deueniamus ad solutionem principalis quæsiti, in quo scilicet consistat formalis Beatitudo, seu quæ sit illa forma, quæ facit, & denominat formaliter Beatum, necesse est, ea excludere in quibus non consistit. Docebat ergo Henricus Gandauensis beatitudinem consistere in illapsu Dei in essentiam animæ; & ex eo tamquam effectus oriri visionem, fruitionem, delectationem, & gaudium beati. Cuius contrarium Scotus docet, cum communi Theolog. sententia.

Discutienda ante principale quæsitum.

2 Adu. 2. Quod illapsus apud Theologos, aliud non est, quam intima præsentia alicuius subsistentis alteri subsistenti cum superioritate, & prædominio, seu operatione in ipsum. Nomen autem sumit à verbo illabor, quod tam apud Physicos, quam apud Poetas, & Morales significat influxum, seu tramissionem, & intimam præsentiam in aliud; vnde *Plinius lib. 5. cap. 29.* de Meandro Fluuio, ait, *Iuuis illabitur Mari*, quia flumen cum lenitate se in mare introducit, eique fit adeo intimiuè præsens, vt ipsi immisceatur, & non possit præ identitate ab eo amplius segregari. *Virgilius* pariter 2. *Aeneid. Sensit medios illapsus in hostes*, id est in hostes penetrauit, & se illis inserit, ac immisceuit. Tandem *Cicero de Sen. Voluptas ad sensus affluit, & illabitur*. Exinde Theologi omnes, vt *S. Thomas, S. Bonau.* & omnes cum *Magistro*

Illapsus quid sit.

Ethymolog illapsus.

*gistro Sentent. in 2. dist. 8. cap. Illud*, docent illabi est fieri intimè præsens alteri operando in illo, ita *S. Bonau. in 2. dist. 8. art. 4. quæst. 2. num. 48.* & omnes, qui ibi docent, non posse Angelos, siue bonos, siue malos illabi animabus hominum, quia hoc est Dei proprium. Sed & *Magister*, & alij omnes, vt *Beda in cap. 5. Act. Apost. Cur tentauit Sathanas cor tuum, &c.* id acceperunt à *S. Augustin. lib. de disciplina Christiana, seu de Eccl. dogm. cap. 83.* dicente: *Damones per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione, & oppressione vnius. Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit; qui natura subsistens incorporeus capabilis est suæ factura.* Ex quibus colligunt communiter Theologi, illapsum esse intimam subsistentis præsentiam ad aliud in quo aliquid operetur.

Ex August. illapsus.

3 Adu. & supp. vlt. Illapsum Dei in creaturas triplicem assignari, nempe naturalem, seu communem, hypostaticum, & beatificum. Quia his tribus modis Deus sit intimè præsens creaturæ; per naturalem enim, seu communem est intimè omnibus præsens, & hoc ratione immensitatis, *cælum, & terram ego impleo Hier. 23. 24. & si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades. Psal. 138. Plena est omnis terra gloria eius. Isa. 3. Et in ipso viuimus mouemur, & sumus. Act. 7.* Per hypostaticum verò humanitati Christi intimè sit præsens, personaliter eam terminando: ideo hic dicetur hypostaticus, quia est intima præsentia personalitatis, cum natura assumpta; & proinde *Verbum caro factum est, Ioan. 1.* Beatificus verò illapsus est obiectiua præsentia Dei ad intellectum beatorum, à quibus videtur, & ad voluntatem, vt beati illo fruantur, de quibus postea. Nota autem, quod in quolibet illapsu ex dictis adest, nedum intima præsentia, sed aliqua Dei speciali operatio, vt influxus conseruationis in primo, sustentationis in secundo, & efficientiæ visionis, & fruitionis in tertio. Estò ergo in beatitudine hic illapsus sit necessarius, non tamen in eo consistit formalis beatitudo, sed ille supponitur. his notatis.

Triplex illapsus.

4 Dico. Formalis beatitudo non consistit in illapsu Dei ad essentiam animæ. Est communis cum *Scoto in 4. sent. distinct. 49. quæst. 2. A. D. Thom. &c. in 4. dist. 49. qu. 1. art. 4. & 2.*

Beatitudo non est illapsus Dei ad animam.

5 Prob. 1. ex *Scoto* ibi. Dum homo fit beatus, Deus non mutatur, nec aliter illabitur ad essentiam animæ, quam prius illabebatur. Et si est aliqua nouitas, non est ex illapsu Dei ad essentiam animæ, sed aliunde. Et tamen homo nunc est beatus, & non anteà: ergo in aliquo alio, quam in illapsu ad essentiam animæ consistit beatitudo.

A priori arg.

6 Prob. 2. Beati anima per aliquam mutationem fit talis, & aliter se habet nunc, quam prius. Mutatio autem per nouam aliquam formam est, ex *Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 17.* circa finem, quia omne mutabile aliquid patitur. Deus autem non potest esse forma inducens hanc passionem, seu mutationem in anima: ergo beatitudo non est illapsus Dei ad essentiam animæ.

7 Prob. 3. Dato quouis illapsu, & quacunque Dei præsentia, ac intimitate ad animæ essentiam; anima per hoc non est beata: ergo. Anteced. prob. Alias dormiens, & non cognoscens, neque fruens posset esse beatus. Quod est absurdum, ex 12. *Metaph. c & t. 51.*

Ex absurdo argum.

8 Prob. 4. Deus (vt supponimus ex 1. *sent. de Beatitudine Dei*) non est beatus per illapsum, seu intimitatem, aut identitatem sui ad se ipsum, sed per cognitionem, & fruitionem sui. Ergo neque creatura beatur per illapsum. Euidens est conseq. Beatitudo enim creaturæ est similis beatitudini diuinæ; & quod facit in creatura illapsus per præsentiam, multo-magis in Deo intimitas per identitatem.

9 Prob. 5. Beatitudo est Dei visio, & fruitio; *hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, &c. Io. 17.* vt alias, sed illapsus non importat hæc, licet hos actus præcedat tamquam quid præuium; sicut etiam in alijs præsentia obiecti.

Ab oppositio arg.

10 Dico 2. Beatitudo non consistit in illapsu Dei ad potentias animæ. Est *Scoti, vbi supra.*

Non est illapsus ad potentias.

11 Prob. 1. Vel hic illapsus est ille communis, quo Deus illabitur in omne ens, vel est specialis, & obiectiuus. Si primum impugnatur, sicut in præcedenti, si secundum contra. Pura præsentia obiecti ad potentias animæ non facit animam videntem, & fruentem: ergo neque beatam. Antec. prob. Obiectum, vt præsens, & non cognitum, nec amatum, non addit aliquid nouum potentijs, nisi istæ in illud tendant operando per cognitionem, & amorem, ex quibus sequitur gaudium, & delectatio.

12 Conf. ex *August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 6.* summa merces est, vt ipso perfruamur Deo. Sed summa merces est beatitudo, quæ sequitur ad illapsum, non verò illapsus ipse.

13 Prob. 2. Beatitudo est aliquis nouus effectus productus in potentijs vitalibus. Sed hic illapsus talis non est. Maior prob. Nam anima beati, de misera, seu non beata fit positiuè beata: igitur per receptionem alicuius noui. Minor prob. Deus, per hoc, quod se ostendit intellectui beati, non est forma informans illud.

A priori rationes.

14 Prob. 3. Omnes, tam Philosophi, quam Theologi, vt in seqq. docent, beatitudinem esse perfectissimam hominis operationem. Illapsus autem Dei non est operatio, hominis, sed Dei ostensio, seu præ-

Beatitudo est operatio.

præsentia, vel obiectiua, vel inexistentiæ: ergo.

Vita æterna non est illapsus, sed operatio.

15 Prob. 4. eadem est beatitudo, ac æterna vita. Hæc autem non consistit in illapsu Dei ad potentias animæ; nam ex *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Matt. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris. 1. Corinth. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. & 1. Io. 3. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ergo in hoc, non in illapsu consistit vita æterna, & beatitudo.

A causa præcisa.

16 Prob 5. Posito illapsu, & præciso omni alio, non habetur beatitudo; & è contra, ablato per impossibile illapsu, & posita visione, ac fruitione Dei, habetur: ergo. Anteced. prob. Si Deus se ostenderet intellectui creato, & postea non concurreret cum eo ad efficiendum sui visionem, non haberetur beatitudo, quæ, vt dicemus in hac visione maximè consistit.

Arg. contra.

Ob. 1. Beatitudo est summa animæ perfectio; sed nequit maior excogitari perfectio, quam Dei intimitas per essentiam: ergo. Minor prob. Ideo vnio hypostatica inter primaria Dei opera censetur, quia per eam Deus illabitur humanitati personali, ineffabili modo.

Beatitudo perficit animam.

17 Resp. dist. ma. Est summa perfectio, verè perficiens animam, concedo. non perficiens, sed tantum ei assistens, nego. Ita prorsus se habet illapsus Dei essentialis in animam: est enim Dei quædam continua assistentia ad eam per influxum conseruationis, & immensiuæ præsentiæ. Sed non recipitur in anima per modum alicuius formæ, per quam aliter se habet anima nunc, quam prius. At ante beatitudinem, Deus erat intimè præsens animæ, & in eam influens: ergo.

Ob. 2. Perfectio substantialis est omnium maxima. Hæc habetur per Dei illapsum in animam: ergo.

Perfectio actuans animam est maxima.

18 Resp. dist. mai. Perfectio actuans subiectum, est omnium maxima in eo, vel in toto, concedo, non actuans, nego. Ita se habet Dei præsentia ad animam; imò hæc præsentia, & intimitas est semper in anima, quæ tamen non est semper beata: ergo in alio perfectionis genere consistit.

Ob. 3. Gloria, & beatitudo est gratia consummata. Sed ista est potius in anima immediatè, quam in alio.

19 Resp. Quidquid sit de maiori; adhuc tamen concessa, nego min. gratia enim, sicut & aliæ omnes virtutes sunt in anima mediantibus potentijs, quæ quidem sunt identificatæ animæ, nam dantur propter operari: anima autem ratione potentiarum dicitur operans. Beatitudo verò dicitur gratia consummata, id est maxima perfectio, quam potest Deus creaturæ communicare. At ex hoc non sequitur, quod sit illapsus in animam, siue in potentias.

Arg. ab influxu animæ in potentias.

Ob. 4. Anima est origo, & fons potentiarum: ergo & beatitudinis earum. Sed ipsa præcisis potentijs, alio modo non potest beari, nisi per illapsum, quo Deus ei intimè præsens, perfectione suprema illam affundit: ergo. Minor prob. Anima præcisis potentijs nequit operari. Et aliunde, ex eo, quod origo potentiarum, debet influere in earum beatitudinem. Igitur tum alterius non sit capax, quam illapsus, per hunc beatur.

Anima medijs potentijs beatur.

20 Resp. neg. consequ. Potentiæ enim sicut animæ inseruiunt ad operandum opera vitæ; ita, dum perfectissime operantur, earum perfectio in animam redundat; quia medijs potentijs illabeatur. Etsi non haberet intellectum, ac voluntatem, esset velut mortua.

Ob. ex *D. Dionysio de Angel. Hierar. cap. 7.* Talis est amoris vis, vt transformet amantem in amatum ita, quod exit à se amans, & currit ad amatum, quod sibi quasi identificat. Sed in homine beato haberi nequit ista transformatio hominis in Deum: ergo potius è contra Dei in hominem; hoc verò per illapsum fit: ergo.

Argum. in pluribus peccans.

21 Resp. hoc argum. prima facie probat oppositum. Secundo, improprie loquitur. Tertio, nihil concludit. Ratio primi; si amor transformat in amatum, & amans exit à se, & currit in amatum, beatitudo hominis deberet consistere in illapsu hominis in Deum, non è contra. Ratio secundi; est quid metaphoricum, quod amor transformat in amatum: realiter enim falsum est: ergo ex hac metaphora nil reale concluditur. Ratio tertij; si amor transformat in amatum, id prouenit ex eo, quod amans est in continua consideratione, & amore amati, cuius speciem secum in corde conseruat. Fœlicitas autem amantis in actibus istis consistit, non verò in speciei amati inexistentia.

Ergo ex hoc exemplo nihil pro illapsu concluditur.

ARTI-

## ARTICVLVS II.

### An beatitudo consistat in operatione aliqua.

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 2. §. Ad primam quæstionem*, cum communi Ecclesiæ sensu, docet, beatitudinem consistere in operatione. In alijs posteà quæstionibus docet, consistere in visione, & fruitione Dei, licet principalius in hac.

22 Adu. sensum quæsiti planum esse, an scilicet beatitudo consistat in operatione aliqua vitali, nempe in actu aliquo intellectus, vel voluntatis. An verò in aliquo alio possessionis genere.

Beatitudo formalis est operatio.

23 Dico. Beatitudo formaliter accepta consistit in operatione vitali intellectualis naturæ. Est *Scoti, vbi supra*, nec non in *quæst. 3. & 4 D. Tho. dist. 49. quæst. 1. ar. 2.* & communis.

Ex Arist.

24 Prob. 1. ex *Arist. 1. Etic. cap. 8. & 9.* vbi ait, *Fœlicitas est operatio optima in cap. 10.* ait, Dei beatitudinem esse speculationem, *in 2. de cælo t. 17. & 9. Metaph. cap. 9. & t. 13.* docet operationem esse terminum perfectissimum; imò agens substantiale ad eam ordinari, ex *12. Metaph. cap. 6. t. 51.* de Deo loquens, ait, *Si non intelligit, quid in eo est venerabile, in cap. 4. t. 39.* inquit, *speculatio delectabilium est optimum:* & infra. *Intellectus autem actus, vita optima.*

Ex S. Script. vet. test.

25 Prob. 2. Omnia vtriusque testamenti loca, quæ beatitudinem describunt per vitalem aliquam, vel plures operationes describunt: ergo. Anteced. prob. Primo, *Psal. 149. Exultabunt Sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis. Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Secundo, *Is. 35. Lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. & cap. 65. Gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum; quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium.* ex *Matt. 5.* Ex nouo test. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. & 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. 1. Cor. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. & 1. Ioan. 3. Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Apoc. 22. Serui eius seruient illi. & videbunt faciem eius, &c.* hæc, & alia his similia Scripturæ loca innuunt beatos, per aliquam operationem vitalem esse tales.

Ex Gentilium doctr. beatitudo est operatio.

26 Prob. 3. Ipsimet Pagani Phylosophi, qui vel in boni creati possessione, vel in acquisitione increati posuerunt beatitudinem, in operatione vitali eam collocarunt. Stoici enim, qui in virtute eam admittebant, non in habitibus virtutum moralium mortuis, sed in earum exercitio statuebant; alias etiam dormientes fruerentur beatitudine. Epicuræi pariter, qui in corporeis, eam collocabant, non in rebus, seu obiectis tantum, sed in eorum gustu, ac fruitione ponebant. Platonici autem, & Peripatetici in substantiarum abstractarum contemplatione, & præsertim primæ causæ, euidenter ostendunt beatum eum dicendum, qui obiectum excellentissimum possidet, illudque contemplatur, & per se diligit: ergo.

Stoici in exercitio virtutum.

Ex Origene.

27 Prob. 4. ex *Origene in Psal. 36.* Futuræ repromissionis, gratiæ, & hæreditatis, spes talis quædam futura, vt os iustorum non cibis, & potu, neque delicijs, & voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam repleatur. Ergo in actione illa meditatiua stat beatitudo.

Greg. Naz.

28 Prob. 5. ex *S. Gregor. Nazianzeno in Iambico 15.* sic de beatitudine, dicente: *Fœlicitas quid? viuere beatum, quid & cæleste regnum? Visio summi Dei; & cum beatis gloriam huic dare, Angelis.* Ergo per eum in Dei visione, quæ operatio vitalis est, consistit.

Ex Chrysost.

29 Prob. 6. ex *S. Ioan. Chrysost. in epist. 5. ad Theodorum*, vbi inter cætera habet, Omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria, & quod omnium longe est maximum, continua fruemur conuersatione cum Christo, &c. & post aliqua. Ad hanc quidem visionem oculi requiruntur incorruptibiles, & immortales.

Ex Augus.

30 Prob. 7. ex *S. Augus. lib. 1. de doct. Christ. cap. 6.* Summa merces est, vt ipso perfruamur Deo, *lib. 1. contra Acad cap. 2.* ait, beatè viuere, est viuere secundum id quod est optimum in homine, *lib. 5. confess. cap. 4.* beatus est, qui Deum scit, etiam si alia nesciat, *lib. 15. de Trinit. cap. 25.* beati sunt, qui veritatem sine difficultate vident, & ea clarissima perfruuntur, *lib. 8. de Ciuit. cap. 6.* beatitudo in intellectione consistit, *& cap. 9.* beatus est, qui fruitur eo, quod amat. Alia Augustini loca specialia de Visione, & fruitione, in quibus completa beatitudo constituit, adducentur in sequentibus articulis. Ergo ex S. Doctore, beatitudo in operatione vitali posita est.

Euaristo.

31 Prob. 8. ex *epist. 1. Euaristi*, in fine, vbi habetur, beatos esse, qui Deum vident ergo.

Conc. Flor.

32 Prob. 9. ex *Concilio Florent. sess. vlt. in decreto Vnionis*, docente, *Animas à maculis purgatas, mox in cælum recipi, & Deum videre sicuti est, & meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius.* Ergo in operatione consistit beatitudo.

Bened. XII.

33 Prob. 10. ex *constit. 4. Benedicti XII.*

Be-

*Benedictus*, §. 3. Vbi definiens Sanctos, etiam ante diem iudicij esse beatos, præ cæteris ait, *Diuinam essentiam clarè, & nudè, & apertè se illis ostendere, quodque sic videntes eadem diuina essentia perfruantur. Nec non, quod ex tali visione, & fruitione eorum anima, qui iam decesserunt, sunt verè beata, &c.* ergo per has operationes.

A priori ratio.

34 Prob. à priori, ex discursu prolixo *Scoti quæst.* 2. Q. Obiectum beatitudinis est summum perfectissimum, ac infinitum volibile, seu appetibile, & quod propter se est amabile, & non ordinabile ad aliud. Sed non est obiectum eius quatenus in futuro volibile, sed quatenus possessum, cognitum, ac amatum: ergo in operationibus his cognoscendi, & amandi illud iam præsens, consistit beatitudo. Ma. supponitur ex dicendis de obiecto, & ex dictis in *disput.* 14. Min. prob. Obiectum absens, estò optimum, & appetibile non potest esse vt sit obiectum beatitudinis, sed spei; hæc autem, ex dicendis, euacuatur aduenientè clara cognitione, & fruitione obiecti. Ergo consistit in actu videndi, & fruendi. Quod enim desideratur, & speratur absens, ideo desideratur, vt aliquando præsens habeatur per visionem possideatur, & per fruitionem: ergo.

Ab effectu arg.

35 Conf. Beatitudo ea res est, quæ rationalem appetitum satiat, *Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Sed solæ operationes intellectuales possunt hominem satiare. Ergo in his consistit. Maior iam patuit, & iterum probatur, quia beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult, ex *Aug. lib. 1. de moribus Eccles. cap. 3. & lib. 13. de Trinit. cap. 5.* Min. prob. Posito quocunque bono, & quacunque eius coniunctione, aut præsentia, vel intimitate cum natura intellectuali Angeli, vel hominis, si illud non videant, & fruantur, non habent quidquid volunt. Hoc enim omnis natura intellectualis ardentissimè appetit, id petebat cum anxietate Moyses, *Ostende mihi faciem tuam, Exodi* 33. in hoc Dauid sperat se beandum, *in lumine tuo videbimus lumen. Psal. 35. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Psal. 16.* & ex supra dictis in 2. ratione, Apostoli, & Euangelistæ hoc expectant à Deo, illum nempe videre, illoque frui: ergo.

Ex conditione naturæ intellectualis.

36 Conf. 2. Natura intellectualis non perficitur completè, nisi per possessionem summè appetibilis. Sed hæc possessio non potest aliter obtineri, nisi per actus videndi, & fruendi: ergo.

37 Conf. 3. Paritate omnium appetentium, quæ, non habita vltimata perfectione, non satiantur, & imperfecta sunt. Ergo ita de actibus videndi Deum, eoque fruendi respectu hominis, dicendum est.

Arg. contr.

Ob. contra. Beatus est, qui habet quidquid vult. Sed non vult solam operationem: ergo. Minor prob. Vult omnia obiecta perficientia ipsum. Et ideo dicendum, quod beatitudo sit habitio omnium, quæ vult.

Beatus habet, quæ vult habitualiter tantũ.

38 Resp. ex *Scoto dist. 49. quæst. 2. Cc. S. Ad arg.* quod illa non est definitio beati, sed descriptio per prædicata concomitantia statum beati. Et subdit *Scotus*, quod etsi concretum possit concludi de concreto; non tamen abstractum de abstracto, nisi concretum dicatur de concreto in primo modo dicendi per se. Quod non accidit in casu, quia de beato non dicitur essentialiter habere omnia, quæ vult, nisi habitualiter.

39 Respondet 2. *Scotus* dist. anteced. Beatus est, qui habet quidquid vult diuisiuè, nego, vnitiuè, concedo. Id est, qui habet tale obiectum, quod continet vnitiuè, et eminenter omnia, quæ velle potest. et tunc nego consequ. Quia per operationem intellectualem videndi, et fruendi habet quidquid vult.

Ob. 2. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo non consistit in operatione.

Videns Deũ habet, quæ vult.

40 Resp. dist. anteced. Est status omnium bonorum contentorum in vno infinito, concedo. aliter, nego. Ratio est, quia possidens Deum per visionem, videt omnia bona perfecta in eo, et illa amat. Et hęc dicitur aggregatio omnium bonorum. At dato, quod aliter intelligeretur, diuisiuè, scilicet quod beatus sit ille, qui diuersa, et realiter distincta bona habet; adhuc sequitur intentum, quia hæc possessio non consistit in alio, quam in clara cognitione, et fruitione eorum.

Ob. 3. Beatitudo consistit in possessione boni permanentis. Sed operatio est bonum transiens.

Visio Dei est perpetua

41 Resp. neg. min. Visio enim Dei, et fruitio eiusdem est perpetua: an verò eadem indiuisibiliter permaneat semper visio, an vna succedat alteri, dicetur postea. hoc pro nunc sufficiat, quod siue eadem, siue diuersa numero actio sit, hæc in æternum durabit.

Ob. 4. Si consisteret in operatione, dari posset beatitudo absque obiecto beatifico: quod est falsum. Prob. sequela. Omne absolutum potest manere absque relatione superaddita; operatio autem est qualitas; et tendentia eius ad obiectum est relatio: ergo.

Aliqua absoluta necessitio connexa relationibus

42 Resp. neg. sequelam ad probat. dico, quod quædam absoluta sunt talis naturæ, vt secum ex sui ortu habeant annexam relationem, patet de creatura ad Deum; et de omni actu vitali circa obiectum. De his ergo dicendum, quod tales relationes non possunt ab eis remoueri, absque eorum destructione. Vel si possint remoueri, actus illi non sunt amplius vitales. Ita in casu, beatitudo est operatio vitalis circa obiectum beatificum; ac proinde, vel non po-

potest ab ea tolli relatio tendentiæ. Vel si tollatur, non erit operatio vitalis, nec beatitudo. Et ita nihil contra conclusionem.

Ob. 4. Nullum agens sit perfectius, per hoc, quod producit aliquem effectum: ergo.

43 Resp. dist. anteced. Per actionem præcisè, concedo. per effectum actione productum, nego. Ratio est; quia negari non potest, esse perfectiorem intelligentem, quam non intelligentem. Operatio autem, in qua dicimus consistere beatitudinem, licet æquivocè tantum dicatur actio, seu gramaticaliter, quia à verbo activo deriuata, quod est commune omni actioni vitali, tamen est intrinsecè ens absolutum connotans relationem tendentiæ ad obiectum, est enim visio Dei, atque fruitio, quæ actione de genere actionis, seu productionis producuntur, nempe per dictionem visio, per spirationem amor: & per has duas formas, non verò per earum productiones homo sit perfectior. Vel resp. sola sua actione agens non sit perfectius, transeat, cooperante alia causa perfectiori, nego. Nam homo naturaliter eliciens actum amoris circa se, vel proximum, non est perfectior, quam ante; at si eum amorem producat ex auxilio gratiæ, certè operatio illa, cum sit supernaturalis reddit illum perfectiorem, quanto magis id est verum in operatione beatifica, ad quam, & potentiæ hominis, & habitus supernaturales luminis, & charitatis, & specialis Dei concursus, & obiectiuus supernaturalis influxus concurrunt.

Intellectio est perfectio & est actio grammaticalis.

Ob. 5. Si esset operatio, sequitur, quod homo posset se ipsum beatificare. quod est falsum. Sequela prob. Operatio est ab homine.

44 Resp. neg. sequelam ad probat. dist. antec. Est ab homine tantum, nego. ab homine, & Deo supernaturaliter, & obiectiuè concurrente, concedo. Sed hoc nullum est absurdum, quia ab obiecto mouente, ac terminante operationem habetur eius summa perfectio.

Obiectum non est in potestate beati.

Ob. 6. Potiùs dicendum est consistere in habitu, quia est nobilior actu. Beatitudo autem est nobilissima perfectio. Secundo, quia bonum diuturnius est melius, ex 3. *Topic. cap.* 1. habitus autem cum sit de difficili mobilis, est diuturnior operatione. Tertio, quia causa est perfectior effectu.

45 Resp. neg. antec. ad probat. *Scotus sub F f.* negat assumptum, quia actus hic est perfectior finaliter, & formaliter, nam immediatius attingit finem. Et non posset vnquam habitus habere tantam perfectionem etiam summus, quantam potest habere actus summus; quia hic semper attingit obiectum, & finem vltimum immediatius, quam habitus.

Actus perfectior habitu.

46 Ad illud de diuturnitate, inquit *Scotus* valere de illis, de quibus exemplificat Philosophus, non de alijs; nam perfectio rerum attenditur à natura earum, non à duratione. Numquid enim asinus durans per annos viginti, erit perfectior homine, vel equo durante per duos?

Perfectio rerum non sumitur à duratione tantum.

47 Respondet 2. neg. min. Quia in casu habitus concurrentes ad beatitudinem sunt æquè cum illa diuturni.

48 Ad illud de perfectione causæ. Respondet *Scotus*, habitum influentem ad beatitudinem, esse causam partialem illius. At non est inconueniens, vt causa æquiuoca partialis sit imperfectior suo effectu. Secus est de causa æquiuoca totali; & de causa vniuoca principali.

Causa non semper effectu perfectior.

Alia argumenta adducentur in seqq. art. in quibus agetur de operationibus in specie, in quibus consistit beatitudo.

## ARTICVLVS III.

### *An beatitudo consistat in vna, vel pluribus operationibus.*

SCOTVS *in 4. dist. 49. quæst. 3. §. Ad quæstionem*, docet, quod si beatitudo consideretur respectu naturę beatificabilis in vna tantum operatione consistit. Si verò respectu potentiarum, quæ possunt attingere immediatè obiectum beatificum, consistit in duabus; nempe intellectus, & voluntatis.

Scoti mens.

49 Adu. 1. plures in hoc puncto fuisse etiam ab antiquo sententias. Prima est *D. Thomæ in 4. sent. dist. 49. art. 1. quæst. 1. in solut. secundæ quæstiunculæ*, vbi docet consistere in sola operatione intellectus, scilicet visione, & hoc principaliter; consecutiuè verò, & extrinsecè in actu voluntatis. Secunda est *Riccardi in 4. sent. dist. 49. art. 1. quæst. 6.* vbi docet æquè principaliter consistere in vtraque operatione intellectus, & voluntatis, nempe in visione, & fruitione. Scotus verò, vbi supra, media gradiens via, docet; quod si attendatur beatitudo naturæ, vt natura est, consistit in vna operatione, nempe fruitione, quia ad eam ordinatur visio, & fruitio est optimum, ad quod potest peruenire natura. Si verò attendatur in ordine ad potentias, quæ attingere possunt obiectum beatificum; in duobus actibus consistit; vtraque enim potentia potest Deum beatificè attingere. Quænam autem operatio sit perfectior, dicetur postea.

Plures sent. in hoc.

50 Adu. 2. ex *Scoto, vbi supra sub E.* dupliciter aliquam potentiam attingere immediatè suum obiectum. Primo, vt excludit medium eiuidem ordinis. Secundo, vt excludit medium diuersi ordinis. Explicatur primum; quando aliquid est ratio cur potentia attingat suum obiectum, sicut operatio est quid medium, vt potentia at-

Immediata attingentia duplex.

attingat illud. Explicatur secundum, quando nihil est immediatius obiecto, siue sit potentiæ ratio attingendi, siue non. Exemplificat Scotus hanc distinctionem de causa prima, & secunda, quæ attingunt idem passum, & neutra est alteri medium attingendi illud; tamen causa prima immediatius agit, quam secunda; quia perfectius, cum in virtute eius contineatur causalitas secundæ. Hoc posito

Beatitudo non constitit in vna tantũ operatione,

51 Dico. Non potest absolutè teneri, quod beatitudo hominis consistat in sola operatione, siue intellectus, siue voluntatis, sed in vtraque. Est Scoti, vbi supra, & si benè declaretur est communis.

52 Prob. 1. Homo per vtramque potentiam est beatificabilis. Ergo in operatione vtriusque consistit. Consequ. euidens est; quia ex præced. art. beatitudo est operatio. Anteced. prob. Intellectus est inclinatus ad videndum summum, & excellentissimum visibile, quo non habito, non habet suam vltimam perfectionem, cuius est capax. Pariter, & voluntas est inclinata ad summum appetibile, quo non habito perfecta non est, sed misera: ergo.

A primis rationes.

53 Prob. 2. Beatus est, qui habet quidquid vult, & nihil mali vult, sed homo vult Deum videre, & illo frui. Ergo, nisi vtrumque habeat, non est beatus.

54 Conf. Si quis Deum non videat, beatus non est, & per hoc differt beatus à non beato. Item, si videret, & non frueretur, non esset beatus; quia id summè appetit natura, amore scilicet inhærere alicui propter se, quod est frui.

Potentiæ vtraque operatur ob beatitudinem.

55 Prob. 3. Beatitudo datur in præmium; sed vtraque potentia illam meruit. Ergo vtraque est beatificanda. Maior patebit in suo loco; est enim merces, & corona iustitiæ, ait *Apost. 1. Tim. 4.* Minor prob. Intellectus per fidei actus, voluntas autem non solum per actus charitatis, sed per ipsummet imperium fidei ob beatitudinem operantur. Igitur merces debet correspondere intellectui per visionem, voluntati per fruitionem.

56 Prob. 4. Non potest natura perfectè quietari, nisi expleatur eius capacitas, secundum principales potentias. Principales autem potentiæ intellectualis naturæ, sine quibus ipsa non subsisteret, sunt intellectus, & voluntas. Igitur vtraque expleri debet; sed in hac expletione consistit beatitudo. *Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. & Psal. 64. Replebimur in bonis domus tua.*

Ex S. Script.

57 Prob. 5. ex Sacra Scriptura colligitur in duplici operatione beatitudinem consistere, visione, scilicet & consumata charitate, seu fruitione: ergo, Anteced. prob. De visione, *Matth. 5.* habetur, *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & *cap. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris. Ioan. 14. Manifestabo ei me ipsum. & cap. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. 1. ad Cor. 13. Videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem.*

De operatione vtriusque potentiæ loca Scripturæ.

58 De actibus voluntatis similiter probatur. *Psal. 149. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Ps. 35. Torrente voluptatis tuæ potabis eos. Psal. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Psal. 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Isa. 35. Lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt. & cap. 65. Gaudebitis, & exultabitis in sempiternum, in his quæ ego creo, quia ecce creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium. cap. 66. Quomodo si cui mater blanditur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini, videbitis, & gaudebit cor vestrum. Matt. 25. Euge serue bone intra in gaudium Domini tui. Ioann. 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Roman. 14. Non est Regnum Dei esca, & potus sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Ex quibus habetur, quod gaudium lætitia, pax, &c. quæ sunt actus voluntatis faciunt beatum.

De gaudio.

SS. PP. & maximè Aug. in vtraque operatione eam ponit.

59 Prob. 6. ex SS. Patribus, qui beatum per vtramque operationem, modo vnitam, modo distinctam appellant: ergo. Anteced prob. *S. Augustin. lib. 11. de Trinitate cap. 6.* docere videtur, quod beatitudo sit voluntas videndi finem, *lib. de spir. & lit. cap. 33.* docet per hoc esse beatos, quia vident Trinitatem, *lib. de quantitate animæ cap. 33.* dicit animam beatam, quæ videt Deum, *libr. 8. de Ciuitate Dei cap. 6.* dicit beatitudinem in intellectione consistere. Eadem, & plura dicit de actibus voluntatis, nam *lib. 1. de doctrina Christiana cap. 3.* docet beatum esse, qui fruitur rebus, quibus fruendum est, *lib. 8. de Ciuitate cap. 9.* ait, beatus est qui fruitur eo, quod amat, *lib. 14. de Ciuitate cap. 9.* Beatitudo amorem continet, & gaudium, *lib. 1. de Trinitate cap. 13.* ait solo illo illustrari, perfruique sufficiet, & *lib. 1. de doctrina Christiana cap. 32.* docet, summa merces est, vt ipso perfruamur. & pluries alibi: ergo.

S. Cypriano.

60 *S. Cyprianus in epist. 56.* inter alia habet: Quæ erit gloria, vt Deum videas, & cum Christo Domino Deo tuo, lucis æternæ gaudium capias, & *in ser. de Christi Ascens.* Exultabunt Sancti in gloria, videbunt Deum, lætabuntur, & delectabuntur, & fruentur gloria, &c. ergo.

Chrysost.

61 *S. Ioan. Chrysost. in epist 5. ad Theodorum*, vbi inter alia habet, Omnia occupabit, vbique incorruptibilis gloria; & quod omnium longe est maximum continua fruentur conuersatione cum Christo.

Prospero.

62 *Prosper Aquit. de Vita contemplat. lib. 1. cap. 4.* in vita beata, quod hic credi-

derunt ibi videbunt, sui creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebunt, diuina, ac mutua dilectione possessi, Deo suo in æternum, & inuicem sibi fœliciter adhærebunt. Ergo vtraque est necessaria.

Ex Bernard.

63 *S. Bernardus lib. de Meditat. cap. 4.* Beatus videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem: & post multa. Hæc erit summa illius fœlicitatis; intelligetur in suo puro esse sincera diuinitas, comprehendetur incomprehensibilis Trinitas. Videbitur, & amabitur Deus; & hæc visio, & delectatio totum cor hominis implens, & satians, tota erit illius beatitudinis consumatio. Ergo non in vna, sed in duabus operationibus consistit.

Ex constit. Bened. XII. clare probatur.

64 Prob. 7. ex *constit. 4. Benedicti XII. Benedictus*, §. 3. vbi definiens, electos decedentes in gratia, & purgatis, si quæ aderant purganda mox recipi in cælum ante diem iudicij: postquam definiuit, *Eos videre diuinam essentiam visione intuitiua, & etiam faciali*, subdit. *Quodque sic videntes, eadem diuina essentia perfruuntur. Nec non, quod ex tali visione, & fruitione eorum animæ, qui iam decesserunt sunt verè beatæ*: & post aliqua. *Ac, quod visio huiusmodi diuinæ essentiæ eiusque fruitio actui fidei, & spei euacuant. Quodque postquam inchoata fuerit talis intuitiua visio, & fruitio in eisdem, eadem visio, & fruitio sine intercisione, seu euacuatione prædictæ visionis, & fruitionis continuata exitit, & continuabitur vsque ad finale iudicium; & ex tunc vsque in sempiternum.* Ergo ex definitione Ecclesiæ, debet dici, quod in duabus operationibus, visione, scilicet, & fruitione beatitudo compleatur. Quæ nam autem harum sit principalior in beatitudine, dicetur in sequenti articulo.

Arg. contr.

Ob. contra. In quolibet ordine essentiali standum est ad aliquod vnum. Ergo etiam in ordine finium. Ergo in vna tantum operatione consistit, nempe voluntatis, quæ finem vltimum attingit.

Beatitudo est vnus finis in duplici actu.

65 Resp. neg. consequ. Vnum enim admittimus finem vltimum, se duplici actu attingibilem, perfecta nempe cognitione, perfectoque amore. Nihil autem prohibet, quin duplici actu finis vltimus attingatur; & non potest de hoc inueniri exemplum in natura, quia sola intellectualis natura, hac duplici pollet potentia. Qui nam autem ex his operationibus sit perfectior, dicetur in seqq.

Ob. 2. ex *Arist. 1. Ethic. cap. 9.* fœlicitas est operatio optima. At dari nequeunt plures operationes optimæ: ergo. Min. prob. Vel enim essent eiusdem speciei, vel diuersæ: non primum; quia in vno genere rerum sufficit vnum optimum. Non secundum, quia species sunt, sicut numeri; & nequeunt esse æquales in perfectione. Ergo in vna tantum operatione sita est beatitudo.

66 Respond. dist. anteced. est vna operatio, nego. est multiplex, concedo. Philosophus enim ibi nil aliud intendebat probare, nisi, quod per operationem vitalem, non verò per aliam inanimatam actionem quis euadat fœlix, & beatus. Ad illud de duplici optimo, concedo esse diuersæ speciei. Visio enim optima est in suo genere. & fruitio in genere amoris. Nihil autem impedit, quin dentur eiusmodi optima, sicut lumen gloriæ, & charitas consummata, optimi habitus sunt, sed quilibet in suo ordine, & attributa Dei estò formaliter tantum distincta, optima sunt, quodlibet tamen in suo ordine. Ita si daretur infinita quantitas, & infinita albedo, optima vtraque esset. Ad illud quod essentiæ sunt sicut numeri, concedo, quia diuersitas essentialis reperitur inter visionem, & fruitionem.

Visio, & fruitio sunt duo optima diuersæ speciei.

Ob. 3. Hæc conclusio est contra *Scotum in 4. dist. 49. quæst. 4.* vbi defendit beatitud. non consistere in operatione intellectus, & *in quæst. 5.* vbi expressè docet, eam consistere in operatione voluntatis, & ad hoc probat etiam *in 4.* voluntatem esse perfectiorem intellectu: ergo.

Vindicatur Scotus de beatitudine quam dicit in fruitione consistere.

67 Resp. neg. anteced. *Scotus* enim in *dist. 49. quæst. 2.* distinguit de beatitudine potentiarum, & de beatitudine naturæ. De prima concedit vtramque potentiam esse beatificabilem per proprium actum. De secunda dicit naturam beatificari per actum fruitionis, quia est perfectissimus inter omnes actus. Quid autem prohibet, quin dicatur ad completam beatitudinem hominis, quæ fit mediis potentijs, concurrere duos actus, intellectus nempe, & voluntatis. Et licet posset dici, quod tempore Scoti, qui per annos circiter 30. præcessit Benedictum XII. non erat vetitum dicere, quod in vno actu consistit beatitudo: tamen adhuc in sententia Scoti ex duobus coalescit. Quod verò immediatè, vel mediantibus potentijs natura beatificetur, id non pertinet ad dogma, sed est quæstio Theologica, seu Metaphysica.

Ob. 4. Visio obiecti respectu beatitudinis se habet, vt prævia dispositio, & præsentia, ex ipso met Scoto. Ergo non concurrit ad eam, vt pars ipsius constitutiua. Anteced. Potest etiam probari, quia in alijs potentijs appetitiuis, cognitio sensibilium, & eorum præsentia ad potentias, est mera dispositio ad earum actus, & appetitus: ergo.

Quomodo visio potest aliquo modo dici dispositio ad beatitudinem, & esse principaliter beatitudo.

68 Resp. dist. ma. Respectu principalioris partis beatitudinis, concedo. respectu beatitudinis completæ, & totius hominis, nego. Nam vtraque potentia est beatificabilis, ex ipso *Scoto in quæst. 3. A. B. &c.* Ad probationem dico arg. esse ad oppositum, & pro me: Sicut enim potentia visiua appetit videre, & in hoc sistiatur; ol sa-

ol fa-

ol facere, &c. ita intellectus appetit videre Deum clarè. Et sicut in appetitiuis corporeis, motus localis, quo approximatur obiectum tali potentiæ, est quid præuium ad actum illius potentiæ, & disponit ad eam; ita visio Dei respectu actus fruendi; non enim datur alius modus approximandi obiectiuè à Deum voluntati, quam visio eius.

## ARTICVLVS IV.

### *An beatitudo essentialiter, & principalius consistat in actu intellectus.*

Scoti mens,

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. qu. 3. B.* & diffusius in *quæst. 4* per totam, licet asserat, actum intellectus, seu visionem Dei esse actum beatificum, & beare potentiam, & eo mediante etiam naturam beari; tamen negat, in eo actu consistere essentialiter, seu principalius beatitudinem naturæ intellectualis.

Sensus art.

69 Adu. 1. & suppono ex dicendis cum Scoto infra, de subiecto beatitudinis, eam consistere in operatione intellectuali, seu spirituali non verò in sensitiua. Et quia in præced. dictum est ad beatitudinem requiri visionem, & fruitionem; nunc quæritur, in quanam earum essentialiter, vel saltem principalius consistat beatitudo.

Non potest amplius dubitari de duolici operatione,

70 Adu. 2. Quod, licet ante Benedictum XII. & tempore Scoti, qui per annos circa 30. eum præcessit, hoc dubium proponeretur sic, an beatitudo consistat essentialiter in actu intellectus, vel voluntatis; postquam tamen præfatus Pontifex, vt patuit in præcedenti, definiuit præ cæteris, quod *ex visione, & fruitione Dei, animæ sunt verè beatæ*; & consequenter, quod ad veram beatitudinem vtraque hæc operatio sit necessaria; non potest amplius de hoc dubitari, sed solum restat dubitandum, & discutiendum, in quonam illorum actuum principalius consistat. Et proinde, neque Scotistæ, neque alij possunt amplius certare, quod in vnica alterutra, scilicet posita sit, sed solum de principalitate.

Duæ sent. oppositæ,

71 Adu. 3. Duas semper fuisse in hoc puncto extremè oppositas sententias, vna eorum, qui asserunt, beatitudinem principaliter consistere in visione Dei, comitanter verò, seu extrinsecè, & consecutiuè in fruitione, & habet pro se optima fundamenta. Eam secutus est *S. Thomas in 4. sent. dist. 49. art. 1. quæst. 1. in solut. secundæ quæstiunculæ*. Altera est eorum, qui docent consistere in fruitione, quam secutus est *Scotus in dist. 49. quæst. 4 Ricardus, &c.* & hæc etiam habet solida fundamenta.

Finis vltimus duplex in-

72 Adu. 4. ex *Scoto in dist. 49. qu. 3. B.* finem vltimum duplicem esse, vnum, qui dicitur extra; & alium, qui dicitur intra. Primus est optimum in rebus, Deus scilicet secundus verò est operatio illa, qua Deus ipse vltimatè attingitur, & propter quam ab agente ordinato, omnia fiunt. Quæritur proinde, quæ nam ista sit, num visio Dei, num eiusdem fruitio. trinsecus, & extrinsecus.

Non consistit essentialiter in sola visione.

73 Dico ergo 1. Beatitudo non consistit essentialiter in sola operatione intellectus. *Est Scoti, vbi supra qu. 4. ante A.*

74 Prob. 1. rationibus in præced. art. adductis. Secundo, replicando definitionem *Benedicti XII. constitut. 4. Benedictus*, ait enim *hac in perpetuum valitura constitutione, authoritate Apostolica definimus, quod secundum, &c. Quodque sic videntes, eadem diuina essentia perfruantur. Nec non, quod ex tali visione, & fruitione eorum animæ, qui iam decesserunt sunt verè beata; & erunt illorum, qui postea decedent, cum eamdem diuinam videbunt essentiam ipsaque perfruentur ante iudicium generale.* Ergo ad essentiam integram beatitudinis non concurrit sola operatio intellectus, seu visio Dei.

August.

75 Prob. 2. ex *Aug. lib. 1. de doctrina Christ.* vbi post longum discursum de vti, & frui, quem per totum librum extendit, in *cap. 32.* habet: *Hæc autem merces summa, est, vt Deo perfruamur.* Summa autem merces est beatitudo; ergo non in sola visione posita est.

Ex conceptu beatitudinis

76 Prob. 3. ex communi beatitudinis conceptu. Quia est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Secundo, quia beatus habet quidquid vult. Voluntas autem magis vult suam perfectionem, quam habere potest per operationem, quam cæterarum potentiarum. Ergo non potest à conceptu essentiali beatitudinis excludi operatio voluntatis. Ergo non in sola operatione intellectus.

Visio non est principalior pars beatitudinis

77 Dico 2. Operatio intellectus, seu visio non est principalior ratio, seu pars beatitudinis. *Est Scoti in 4. dist. 49 qu. 4. sub B.*

78 Prob. Id est principalius in beatitudinem, quod est magis bonum, & appetibilius: talis non est visio. Maior prob. Inter omnia bona, finis extra est simpliciter optimum, ac summè volendum. Id autem, quod est ei immediatius, & appetibilius, est post illum maximè volendum. Beatitudo autem, est res illa propter quam, tamquam finem intra, omnia sunt volibilia. Ergo si plura in ea concurrunt, quod est appetibilius, est principalius. Minor arg. principalis prob. Non enim intelligere, aut videre, sed ipsum velle est proximius vltimo, & summo fini; quia hic est eius obiectum immediatum; & dum illi coniungitur, habetur fœliciſſimus status.

Intelligere ordinatur ad velle,

79 Conf. Intelligere, & videre est propter velle, & amare, non è conuerso; alias esset ordo peruersus, ex *Anſel. libr. 2. Cur*

*Deus*

Visio est finis sub fine.

*Deus homo, cap.* 1. Ergo, cum ordinetur ad velle, si vtraque hæc operatio facit beatitudinem, intelligere, tamquam ordinatum, erit minus principale respectu termini, ad quem ordinatur. Et estò dicatur, visionem quoque esse finem hominis, inquit *Scotus sub B.* esse finem sub fine.

Ab effectu a 8.

80 Prob. 2. Id debet dici principalius in beatitudine, quod maximè, & perfectè quietat appetitum beati; sed hoc non est visio: ergo. Ma. Supponitur, quia omnes hominis appetitus ad beatitudinem tendunt. Minor prob. Obtenta præsentia obiecti, cuiusque visione, non quietatur animus beati, nisi actum perfectissimum dilectionis, & complacentiæ circa illud habeat; & plus appetit voluntas perfectionem propriam, quam perfectionem intellectus: ergo. Adde, quod voluntas, nedum naturali appetitu, sicut intellectus, suam appetit perfectionem, sed appetitu elicito; ergo habita quietatione intellectus, expletur quidem inquietitudo, sed neque totalis, neque maior pars. Expletur autem totaliter accedente actu voluntatis, circa finem vltimum clare visum, ergo principalitas nequit in visione consistere.

Quando expletur appetitus voluntatis,

81 Prob. 3. In alijs appetibilibus consequendis, & possidendis principalior pars, seu actio consistit in operatione, seu dominio voluntatis. Ergo etiam in consecutione beatitudinis. Maior patet in appetendis pecunijs, cibis, &c. possunt duo occurrere, & perfecta præsentia, pecuniæ, aut ciborum, & tale ius, ac dominium, vt voluntas, eis vtatur, vel fruatur quando vult; & nisi vtrumque accedat, sed sola visio, & si euidens intuitiua, & perfectissima, non possidetur pecunia, aut cibus; imò & si actus aliquis fruendi, vel vtendi tali pecunia, aut cibo accedat, indiguus, aut famelicus, neque satiatur, neque fœlix est, imò infœlix maximè. Consequ. simili modo probatur; quia adest in natura intellectuali, cupiditas, anxietas, &, vt ita dicam, æstus fruendi Deo. Igitur si quis solum videat, & non fruatur, non satiatur, nec est beatus, non enim habet quod vult.

A pari arg.

82 Prob. vlterius. Si in visione principalius dicitur consistere, maximè, quia id ex scripturis colligitur: sed hoc non obstat: ergo. Minor probatur. Ex scripturis non colligitur aliud, nisi quod beati visuri sint Deum; non verò, quod visio sit tota beatitudo, vel principalior portio. Explicatur *Ioannis* 17. quod est fundamentum contrariæ sententiæ, habetur quidem, *hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, sed ait *Scotus in quæst.* 4. *sub P.* non dicit est vita æterna beata, ideo sicut additur à nobis beata, addi potest, & vt ament te; quia neutra additio est contra textum, hæc Scotus ibi. Secundò locus iste difficilis est, primo enim intelligi potest de vita æterna in spe, quod scilicet illi, qui cognoscunt, id est credunt ee, & quem misisti, Iesum Christum, obtinebunt vitam æternam, & huius sententiæ videtur *August. tract.* 105. *in Ioannem*, dicens. *Sic te igitur filius glorificet, vt omnibus quos dedisti ei te cognitum faciat. Porrò si cognitio Dei est vita æterna, tantò magis viuere tendimus, quantò magis in hac cognitione proficimus, non autem manemus in vita æterna; tunc enim Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit.* Secundo concesso, quod sit sermo de vita æterna in re; non dicit eam esse beatitudinem, sed vitam, quæ consistit in actu vitali, præsertim cognoscendi, & estò vita hæc ad differentiam æternæ mortis impiorum, qui æternè quidem permansuri sunt, tamen non dicuntur viui, quia Dei protectione, & visione carent: non propterea illa sola est beatitudo, vt iam probatum est. Et ita ex eo simplici loco deduci non potest, visionem esse principaliorem beatitudinis partem.

Argum. ad hominem aduersus authores oppositæ sent.

Duplex resp. ad locum celebrem Ioann.

Damnati cur non dicuntur viui.

Ob. contra 1. Quoties in scripturis fit mentio de Beatitudine, semper de sola visione est sermo: ergo. Anteced. prob. ex *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Matth.* 18. de Angelorum beatitudine dicitur. *Angeli eorum semper videns faciem Patris mei, qui in cælis est*, ex 1. *Ioann. cap.* 3. *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*, quasi similitudo cum beatitudine Dei consistat in videndo eum, sicuti est, ex 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Ergo beatitudo per solam visionem describitur.

Arg. contra ex S. Script.

83 Resp. dist. In aliquibus locis, concedo, in omnibus, nego. Patuit enim in probatione conclusionis, quod etiam de voluntatis actibus fit mentio. Secundo, respondetur de ijs actibus fieri mentionem, quia est prima merces ordine generationis, ad quam sequitur alia ordine perfectionis, ad fruitionem enim ordinatur visio, vt patet.

Non semper in scriptura ponitur sola visio per beatitudine.

Od. 2. ex *Arist.* 1. *Ethic. cap.* 10. Fœlicitas substantiarum separatarum consistit in speculatione; & ex hoc concludit, quod nostra fœlicitas consistat in speculatione, quia per hoc magis similes illis efficimur.

84 Resp. *Arist.* Loqui de fœlicitate primæ potentiæ, nempe intellectiuæ, non verò de tota, & summa fœlicitate: debet enim satiari natura secundum appetitum rationalem, qui & propensionem naturalem, & actum elicitum habet circa summam perfectionem.

Ob. 3. ex *August.* 1. *de Trinitate cap. penult. Visio est tota merces:* ergo.

Arg. ex Aug. visio quomodo est tota merces.

85 Resp. dist. Est tota merces intellectus, concedo. totius hominis, nego; nam vt dictum est *in lib.* 1. *de dott. Christ. cap.* 32. summa merces est, vt eo perfruamur.

Ob. 4.

Ob. 4: ex *Ioan. 14.* habetur: *Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*. Ergo beatitudo consistit in visione.

Quid petebat Philippus dicens, ostende nobis Patrem.

86 Resp. neg. consequ. ait enim *Scotus in fine quæst. 4.* ibi esse sermonem de doctrina Trinitatis, non vero de visione beata. Cum enim Christus, se filium Patris prædicaret, orta est in Apostolis cupido cognoscendi Patrem, vt caperent mysterium Trinitatis. Secundo, quia visio beata, non ad Patrem tantum, sed ad totam Trinitatem tendit, nam ex *August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 1. Res, quibus fruendum est, sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus*. Ergo arg. hoc non est ad rem.

Duplex finis vlt.

Ob. 5. Beatitudo est vltimus finis intra, sed solus actus intellectus est talis: ergo. Maior declaratur, & prob. duplex finis vltimus de necessitate est assignandus; vnus extra, & est obiectum, quod habet rationem finis vltimi, eò quod sit infinitum bonum, & omnia ad illud ordinantur, vt est Deus. Finis vltimus intra, est operatio illa, per quam natura intellectualis coniungitur immediatè cum tali obiecto. Minor prob. Per actum intellectus coniungitur homo cum Deo, primò, & immediatè. Deus enim, qui tamquam quid absens non cognoscebatur, & non erat in hominis potestate, per visionem fit in eiusdem potestate; & quasi dominio ad videndum, & fruendum.

Visio quietat intellectum.

87 Resp. neg. min. ad probat. dist. homo coniungitur Deo per actum intellectus, modo perfectissimo, & quietatiuo, respectu totius naturæ, nego. modo perfectissimo, & quietatiuo respectu intellectus, concedo. Ad illud de primo, & immediato dist. primitate, & immediatione generationis, concedo. primitate, & immediatione perfectionis, nego. Ratio autem est, quia licet intellectus priusquam voluntas coniungatur omni obiecto propter ordinem potentiarum; & sic prioritate generationis, seu naturæ perficiatur prius intellectus per operationem suam, quæ est visio Dei, & hæc sit vltimus finis intellectus: tamen, nec operatio ista est absolutè perfectior in natura intellectuali, neque quietat eam, cum non sit vltimus finis illius. Quietatur autem natura, cum viso obiecto, voluntas eo fruitur. Ergo hæc operatio est vltimus finis intra respectu naturæ.

Ob. 6. à pari. In appetitu sensitiuo, quia sensibile est finis extra., sensatio est finis intra. Ergo, quia Deus, vt visibilis est finis extra, visio est finis intra, ergo, &c.

Pariter de sensibus arg. ad oppositū concludit.

88 Resp. hoc argum. esse ad oppositum. Sicut enim in sensitiuis potentijs adest cognitio, & appetitio. Ita in intellectiuis, & sicut in illis non satiatur, quilibet appetiens per visionem. Visa enim pecunia, vel cibo instrumento sonoro, & motu sonoro instrumenti, non quietatur appetitus edendi, possidendi, audiendi musicam, &c. ita neque viso Deo, quietatur appetitus voluntatis, nisi eodem fruatur.

Inst. Visiua potentia appetit videre pulchrum, & eo viso, quietatur: auditiua sonum, & eo audito quietatur, gustatiua cibum, & eo habito quietatur, & ita de alijs: ergo.

Arg. probās contrarium.

89 Resp. totum argum. inferre consequentiam contrariam. Nam, sicut eò quod plures sunt sensitiuæ potentiæ in homine, & quælibet sua operatione quietabilis; non quietantur omnes, si solus oculus aliorum obiecta percipiat. Ita quia adest in homine voluntas, & intellectus, & hic se habet velut oculus in sensitiuis, per solam operationem intellectus non satiatur voluntas. Sed est necessaria propria eius operatio, per quam tendat in obiectum sub propria ratione, nempe infiniti boni: & in hac principaliter consistit beatitudo; & propter hanc voluntas in via operatur actus liberos, ac meritorios, nec non, & desideria multa, vt tandem fruitionem aliquando circa concupitum obiectum exerceat.

Ob. 7. Eatenus negatur, beatitudinem consistere in actu intellectus, quia natura per eum solum non quietatur. sed hoc est falsum. Nam præsente obiecto concupito, statim natura quietatur, ac delectatur. Præsente enim pecunia dilecta, voluntas statim quietatur.

Per solam præsentiam obiecti appetitus non quietatur.

90 Resp. neg. min. Præsente enim obiecto, nisi voluntas circa illud suam exerceat operationem, neque delectatio, neque quietatio sequitur. Ad illud de præsentia pecuniæ, dico, esse ad oppositum, nisi enim præter cognitionem habeatur alius actus possessionis, non habetur quietatio. Imò estò quis eam possideret, si tamen esset ei prohibitum, ea vti, & ex libito voluntatis de ea disponere, non adesset quietatio. Ergo præter præsentiam obiecti, & cognitionem eius, ad quietandum desiderium habendi illud, est necessaria operatio voluntatis, qua vtatur, aut vti possit, aut fruatur. Tunc autem, vt experientia constat, desiderantis appetitus quietatur.

Ob. 8. Per visionem perfectè possidetur obiectum: ergo. Antec. prob. Per cognitionem cognitum est in cognoscente.

Visio est possessio per modum cognoti.

91 Resp. dist. antec. Possidetur per modum cogniti, concedo. per modum amati, aut quietantis naturam, nego. Semper enim vrget allatæ istantiæ, de famelico respectu cibi visi; de auido pecuniæ iam præsentis, & cognitæ, imò & tactæ, sed non disponibilis à vidente, & tangente. Cum ergo natura appetat videre, & frui, imò videre, vt fruatur, ex *Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 1.* cum videt tantum, non quietatur, nisi fruatur. Ergo non est completè beatus sine fruitione.

ARTI-

## ARTICVLVS V.

### *An beatitudo principalius consistat in actu voluntatis, & quo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 5. §. Ad quæst. A.* docet, beatitudinem consistere in actu voluntatis, neque in omni, sed in eo, qui dicitur fruitio.

Actus voluntatis, quot.

92 Adu. 1. In voluntate duplicem reperiri actum positiuum in genere, velle, scilicet & nolle. Insuper velle distingui in velle propter bonum voliti; & velle propter bonum volentis. Primum velle dicitur amor amicitiæ; secundum verò amor concupiscentiæ.

Fui, & uti, quid.

93 Adu. 2. ex *August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 4.* frui est amore inhærere alicui propter se. Vti verò est referre ad id, quod amandum est, idem repetit in *lib. 10. de Trinitate cap. 11.* cum ergo in præcedentibus visum sit beatitudinem de necessitate importare duas operationes, intellectus, scilicet & voluntatis, & actum intellectus non esse principaliorem, videndum est nunc de actu voluntatis.

Nolle non est beatitudinis actus.

94 Dico ergo 1. Beatitudo nullo modo consistit in actu, qui dicitur nolle. Est communis cum *Scoto, vbi supra B.*

95 Prob. 1. Nolle habet pro obiecto malum. Ergo non potest concurrere ad constituendam per se beatitudinem. Anteced. patet; quia est fuga & odium, quæ malum tantum respicit. Consequ. prob. Obiectum beatitudinis est bonum. Est enim beatitudo status quidam omnium bonorum aggregatione perfectus.

96 Prob. 2. Actus in quo consistit beatitudo debet immediatè respicere vltimum finem. Nolle non sic se habet: ergo. Ma. patet, quia est actus perfectissimus in omni genere actuum; & ex dictis non debet esse propter aliud, sed debet sistere in aliquo obiecto propter se, & non ordinabili ad aliud. Minor prob. Primo, quia vltimus finis non est obiectum odij, & nolitionis. Secundo, quia numquam datur nolle in voluntate, nisi propter velle; nam ex *Anselm. cap. 3. de casu diaboli*, nullus deserit iustitiam, nisi volendo aliquid, quod non stat cum iustitia. Neque de hoc est dubium.

Beatitudo nó est amor concupiscentiæ.

97 Dico 2. Beatitudo non consistit in amore concupiscentiæ Dei. Est communis cum *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 5. B. & C.*

98 Prob. 1. Beatitudo consistit in actu perfectissimo, & nullo modo obliquabili ex circumstantijs: talis non est amor concupiscentiæ etiam respectu Dei: ergo. Minor prob. Amor concupiscentiæ erga Deum potest vitiari ex circumstantia modi. Potest enim immoderatè quis sibi amare

Cur peccauit diabolus

Deum, & ideo peccauit diabolus, ex *Anselm. de casu diab. cap. 3.* vbi docet, eum aliquid appetisse, quod si stetisset habuisset, appetebat enim illicitè beatitudinem. Secundo, ex *Aug. lib. 83. qq. qu. 30. Nulla maior peruersitas, quam vti fruendis, & frui vtendis:* qui autem sibi immoderatè, & contra debitum ordinem, & ad finem indebitum sibi vult Deum, peccat; & tamen amore concupiscentiæ Deum vult: ergo.

Concupiscentia supponit amicitiam.

99 Prob. 2. Beatitudo est primus, & potior actus circa vltimum finem. Talis non est concupiscentia, etiam ordinata: ergo. Minor prob. Omne concupiscere est in virtute alicuius actus amicitiæ; ideo enim concupisco huic, vel mihi bonum, quia amo hunc, vel me. Secundo, quia actus amicitiæ inest voluntati secundum affectionem iustitiæ; actus verò concupiscentiæ inest secundum affectionem commodi. Affectio autem iustitiæ regulat affectionem commodi in ordinatè agente: ergo, cum regula sit nobilior, perfectior, & prior regulato, actus amicitiæ præcedit actum concupiscentiæ.

A priori arg.

100 Prob. 3. Beatitudo est operatio nobilissima: talis non est actus concupiscentiæ: ergo. Minor prob. Nobilior est actus tendens in obiectum, quia in se bonum, id est propter suam bonitatem, quam actus, qui tendit in obiectum, vt mihi bonum. Ex merito autem obiecti infiniti, vt est Deus, actus in eum propter se tendens habet, vt sit omni alio perfectior.

Concupiscentia est vsus.

101 Prob. 4. Actus concupiscendi potius accedit ad vsum, quam ad fruitionem: ergo. Anteced. prob. Quia ordinat ad aliud, licet non tamquam ad perfectus, quia sic esset inordinatus vsus, tamen ordinem aliquem admittit, tamquam alicui bonum: actus autem vsus, vel ei similis, non est inter actus imputabiles (imo nec inter naturales) perfectior.

Beatitudo principalius est in fruitione.

102 Dico 3. Beatitudo principalius consistit in fruitione Dei, non quacunque, sed clarè visi. Est *Scoti in 4. dist. 49. qu. 5. D. E.*

103 Prob. 1. pars, ex *August. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 32. Summa merces est, vt Deo perfruamur.* Sed summa merces hominis est beatitudo: ergo.

104 Prob. 2. ex eodem *lib. 1. de Trinit. cap. 8. Beatitudo est frui Trinitate, & hoc est plenum gaudium nostrum.* Sed hæc beatitudo, *intra in gaudium Domini tui:* ergo.

A priori ratio.

105 Prob. 3. Actu fruitionis immediatius attingitur vltimus finis, & ad eum omnia alia media, siue in via, siue in patria diriguntur. Ergo in ea consistit principalius beatitudo. Consequ. est euidens; nam propter beatitudinem omnia amantur, & ad eam omnia ordinantur; alias non esset summa hominis perfectio. Minor prob. In via omnibus creaturis vtimur, vt Deo, &

Tri-

Trinitate perfruamur. In patria Dei visio ad amorem ordinatur; intelligere enim est propter velle; non è contra, ex *Ansel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 1.* alias peruersus ait Ansel. esset ordo. In ordinatis enim ad eundem finem est aliquis ordo finis sub fine ex eodem ibi.

Ab effectu ratio.

106 Prob. 4. Ideo quis est beatus, quia vltimum finem, vt talem attingit: sed vltimus finis, vt talis proprie attingitur, & possidetur per actum fruitionis: nam finis in ratione finis est obiectum voluntatis per actum eius intentum. Ergo possessio eius debet consumari per actum eiusdem potentiæ intendentis. Intellectus enim non appetit Deum in ratione finis, sed naturali, & intrinseca sua bona propensione inclinatur ad illum in ratione summi veri. Ergo remanet alia obtinenda possessio eiusdem Dei in ratione summi boni.

Ex ratione summi boni arg.

107 Prob. 5. Beatitudo formaliter est possessio summi boni. Ergo in actu fruitionis est posita principaliter. Consequentia prob. Eius potentiæ est actus, quæ habet pro obiecto sui perfectiuo bonum per actũ illius potentiæ perfectissimum. Sola autem voluntas est eiusmodi, & sola fruitio est perfectissimus eius actus: ergo.

Ex ordine actuum arg.

108 Prob. 6. Actus videndi ordinatur ad actum fruendi, & non è contra. Ergo in hoc, non in illo consistit principalius beatitudo. Anteced. prob. ex *Ansel. lib. 2. Cur Deus homo cap. 1.* Peruersus ordo esset, velle amare, vt intelligeret. Secundo, quia experientia constat, omne desiderium hominis optare possessionem finis concupiti: ergo optat operationem illam, qua perfecte, & in ratione quietantis possidetur finis.

Ex appetitu voluntatis arg.

109 Probatur 7. Beatus est, qui habet quidquid vult, ex *Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 5.* ergo in eo principalius consistit, quod est maximè, & super omnia volitum, sed magis vult operationem suæ voluntatis perfectissimam, quam operationem intellectus. Quia illa est magis sibi propria; hæc autem est fruitio, quæ inter omnes actus voluntatis est potior, cum sit amor amicitiæ, & adhæreat obiecto propter bonitatem eius, non propter commodum potentiæ, aut naturæ, nisi tantum secundariò; voluntas enim fruitur Deo, quia summè in se bonum, & quia sibi etiam bonum.

2. pars. Ab absurdo argum.

110 Prob. 2. pars. Si quamcunque fruitio sufficeret, viator esset beatus in re. Nam potest frui Deo; potest enim eum amare propter se; neque dici potest, amorem viatoris non esse fruitionem, sed desiderium, estò enim non habens Deum præsentem in ratione obiecti clare visi eum desideret; tamen præter hoc desiderium, illum ex charitate amat, sibique complacet in summa Dei bonitate per fidem cognita. Non enim *August.* distinguit fruitionem ab vsu per obiecti claram præsentiam, sed per amare propter se: & ideo inquit, peccat homo, quando vtitur fruendis, & fruitur vtendis; quando, scilicet amat Deum propter creaturam, creaturam verò propter se; ideo *in lib 83. qq. qu 30.* ait. *Virtus est frui fruendis, & uti utendis. Peruersitas verò est uti fruendis, & frui utendis.*

Quia viator esset beatus.

Fruitio est maximè volibilis.

111 Conf. In ea operatione consistit beatitudo, quæ maximè appropinquat fini vltimo extra: sed talis est fruitio Dei clarè visi: ergo. Maior prob. Cum enim beatitudo sit id, quod maximè appetitur, & regula ordinis appetendorum desumatur ex perfectionibus rerum per accessum, & recessum à fine vltimo, quod est summum appetendum, & metrum, ac mensura omnium appetibilium: sequitur perneceſſe, vt ea operatio dicenda sit beatitudo, quæ fini vltimo magis appropinquat, & inter volibilia sit post eum maximè volibile. Minor prob. Per fruitionem Dei clarè visi immediatè attingitur ipse Deus clarè visus; neque remanet in homine alius actus, nec melior, nec perfectior, aut absolutior, & vlterius inordinabilis, quam hæc fruitio. Ad eam enim omnes alij ordinantur, & illa ad nullum. Ergo illa est fini proximior.

Arg. contr.

Ob. 1. Fruitio non est vltimus finis, nec intra, nec extra: ergo. Consequ. est euidens; quia beatitudo in tali fine consistit. Anteced. prob. Non extra, quia non est obiectum beatificum. Secundo, quia per alium actum terminatum ad eam, & quasi reflexum deberet attingi. Non intrà; nam finis intra est actus, quo finis extra coniungitur cum potentia, sed fruitio non coniungit hoc modo; imò supponit coniunctionem iam factam per actum intellectus. Nam duplex actus in voluntate consideratur, vnus ante affectionem finis, & talis dicitur desiderium rei non habitæ, sed habendæ, alius est quietatio, & complacentia de fine habito. Igitur neuter actus coniungit finem, seu obiectum, cum potentia, vel natura beati.

Per visionẽ obiect. cur coniungitur cognoscenti in ratione cogniti tantum,

112 Resp. neg. secundam partem ant. ad probat. dist. assumptum per actum intellectus fit coniunctio in ratione cognoscentis, & cogniti, concedo. in ratione amantis, & amati, vel quietantis perfecte, & quietati, nego. Ad illud de desiderio, & quietatione fit æquiuocatio, vel enim quietatio sumitur pro passione sequente, quamlibet operationem, ad quam inclinatur natura, vel pro ipsamet operatione, quæ est perfectio attingibilis à natura. De prima, dico, quod habita visione Dei solus intellectus quietatur, quia obtinet iam perfectionem summam, ad quam poterat peruenire. At neque voluntas, neque natura quietatur, quia adhuc non obtinet perfectionem consimilem, nempe operationem amoris circa obiectum, ad quem sequitur

quietatio. Igitur ante hunc actum amoris obiecti visi, non adest; imò neque potest adesse voluntatis, vel naturæ quietatio; quia semper adesset carentia summæ perfectionis, ad quam inclinatur, & quam enixè desiderat.

Ob. 2. Fruitio non est immediatè attingens, imò nec possidens obiectum. Ergo nequit esse principalior pars beatitudinis. Consequ. prob. Nam in attingentia obiecti summè perfecti, & possessione eius, stat beatitudo. Antec. prob. Operatio intellectus de necessitate prius attingit obiectum beatificum, illudque possidet.

Dupliciter attingitur, & possidetur obiectū.

113 Resp. semper idem esse arg. ideoque dist. ant. Non attingit immediatè, immediatione perfectionis, nego. generationis, concedo. Hæc autem prior attingentia nihil officit, quia oritur ex ordine potentiarum, non enim potest voluntas ferri, nisi in præcognitum. At loquendo de immediatione perfectionis est falsum; tum quia actus fruitionis est, qui attingit finem immediate, & in ratione finis, ac boni; & hæc est operatio optima ad quam omnes aliæ ordinantur. Omnis enim operatio humana ordinata, debet, vel explicitè, vel saltem implicitè ordinari ad finem, non quidem ad finem, vt sic sed eum vt possidendum. Igitur ad possessionem eius in ratione finis; sed solus actus fruitionis est eiusmodi. Intellectus enim attingit finem, sed materialiter, scilicet non in ratione finis, sed in ratione obiecti, & in eo sic quietatur. Tum etiam, quia visio ordinatur ad amorem. Ergo amor est maior perfectio.

Inst. Ante visionem voluntas non quietatur; post eam quietatur. Ergo ex visione habetur quietatio: & proinde in ea consistit beatitudo.

Quietatio non oritur ex visione, sed ex fruitione.

114 Resp. neg. consequ. Nam post visionem statim sequitur fruitio, ideo per hanc formaliter quietatur; visio verò licet quietet intellectum, & prærequiratur ad quietem voluntatis, tamen non quietat eam formaliter. Quod inde patet à priori, quia visio non est operatio voluntatis, neque perfectio eius propria, sicut neque habitus intellectus, vt lumen, fides, prudentia, &c. perficiunt voluntatem. Secundo à posteriori, si habita visione obiecti beatifici, Deus non concurreret, cum voluntate ad actum fruendi, voluntas non satiaretur, & remaneret cum anxietate, & desiderio suæ propriæ perfectionis. Tertio à pari, si per impossibile mutato potentiarum ordine voluntas posset amare, & frui, non præcedente visione obiecti, intellectus non satiaretur, neque quietaretur per quietationem, & perfectionem propriam voluntatis. Ergo, nec è contra.

Arg. apparens validū.

Ob. 3. In eo actu consistit principaliter beatitudo, per quem beatus distinguitur à non beato, sed per fruitionem non distinguitur: ergo. Minor prob. Etiam viator fruitur Deo; frui enim est amore inhærere alicui propter se, ex *August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 4.* & fruitionis obiectum est Trinitas ex eodem ibidem *cap. 5.*

Viator fruitur imperfecte.

115 Resp. neg. min. ad probat. dist. Assumptum fruitur fruitione perfecta, nego. cum aliqua imperfectione; concedo. Imperfectio autem stat in hoc, quia viator desiderat, & clare videre, & consumata charitate absque timore amittendi, quod amat, possidere.

Instabis. *Scotus in cit. quæst. 5.* docet, fruitionem viatoris non distingui specie à fruitione comprehensoris, quia causæ concurrentes ad eas sunt eiusdem speciei, nempe voluntas, charitas supernaturalis, quæ non euacuatur, & Deus. Neque valet euasio de magis, et minus, quia tunc sequeretur, quod viator esset minus beatus per minorem fruitionem, comprehensor vero magis per maiorem.

Non omnis fruitio significat beatitudinem.

116 Resp. ex eodem *Scoto* 1. concesso anteced. nego consequ. non enim, ait omnis fruitio imposita est ad significandum beatitudinem, sed talis, id est amor obiecti clarè visi inamissibilis, et ita intensa, ad quam nullus viator potest peruenire. Et ego existimo, per hoc tantum differre fruitionem viatoris à fruitione comprehensoris, quia illa habet annexum desiderium boni absentis, et timorem amissionis. Fruitio verò comprehensoris habet annexam securitatem, et præsentiam omnimodam obiecti concupiti.

Fruitiones viatoris, & comprehensoris specificè differunt.

117 Resp. 2. ex eodem *Scoto* neg. anteced. Non enim ipse asserit fruitiones viatoris, et comprehensoris esse eiusdem speciei, sed proponit contra se argumentum, et respondet dupliciter. Primò, vt supra. Secundo, dicit differre specie se ipsis formaliter, à causis verò earum causaliter, et assignat rationem. Vel enim conceditur, quod ad actum voluntatis concurrit actus intellectus, nempe cognitio obiecti, vel non. Si primum, cum cognitio Dei per fidem in via differat specie à cognitione intuitiua Dei in patria, actus voluntatis, seu fruitiones causatæ ab his cognitionibus differunt specie. Si dicitur secundum, quod quidem est verius, actus intellectus necessariò prærequiritur ad actum voluntatis, tamquam dispositio, vel approximatio obiecti. At causa dispositiua, etiam per modum approximantis, potest esse ratio, cur à causa principali diuersimodè disposita producantur effectus specie diuersi: et patet de sole disponente terram ad metallorum, et aliorum productionem; ex diuersa enim approximatione, et dispositione ab eo in terram inducta, effectus illi diuersi producuntur. Sed ego primæ responsioni adhæreo.

Vrgeb. Diuersitas cognitionis, et quæcunque alia fingatur, non potest inducere di-

diuersitatem substantialem in fruitionibus illis: vtraque enim est amor obiecti propter se; & consequenter, cum fruitio non distinguat beatum à non beato, non potest in ea principaliter consistere beatitudo.

Non possunt hæ fruitiones proportionari, & quare.

118 Resp. transeat antec. Non enim curo, an diuersitas illa specifica sit substantialis, vel accidentalis, sed mihi sufficit, quod alterutra sit talis naturæ, vt non possit alteri proportionari, quantumcunque illa augeatur. Quomodolibet autem crescat fruitio viatoris, non potest vmquam euadere beatifica; quia semper est de obiecto obscurè cognito, cum desiderio, & absentia eius, absque securitate, imò cum timore amissionis, quæ procul sunt à fruitione comprehensoris.

Ob. 4. Dari potest fruitio sine beatitudine. Ergo hæc non consistit in ea. Antecedens prob. Si absque habitu charitatis eleuetur viator ad videndum Dei essentiam nudè, vt est, posset ea frui; & tamen non esset beatus. Nam ex *August. 15. de Trin. cap. 9.* Sola charitas diuidit inter filios regni, & perditionis.

Duplex respondeo.

119 Resp. 1. in forma neg. consequentiam, est enim fallacia ignorantiæ Elenchi a destructione antecedentis ad destructionem consequentis, datur animal, & non homo. Ergo homo non est animal. Non enim dicimus omnem fruitionem, etiam ordinatam vltimi finis, esse beatitudinem, & perfectam, de qua loquimur. Sed fruitio, cum determinatis qualitatibus, scilicet obiecti clarè visi, excludentis absentiam obiecti, eiusque desiderium, & timorem amissionis, est vera beatitudo.

Viso Deo clare, si voluntas fruatur sine charitate, an sit beata.

120 Ad assumptum autem de fruente Deo clarè viso, absque charitate, quantum pertinet ad argumentum, dici posset, illam fruitionem non habere omnes conditiones constituentes beatitudinem, quæ petit inter alia, vt ab habitu charitatis, vel ab alio supernaturali supplente, procedat. Et ideo dico, vel non esse beatitudinem, vel non esse illam perfectam, de qua loquimur, & ex hoc defectu, & ex carentia securitatis. Vel, quod, etiam si fruitio illa sequens ad claram visionem non procederet ab habitu charitatis, vel alio supernaturali supplente illum, esset supernaturalis, ait *Scotus sub F.* ratione obiectiuæ præsentiæ supernaturalis, non tamen esset beatifica, quia non esset ita intensè, sicut illa, quæ procederet ex habitu charitatis, quia beatitudo non consistit in qualicunque fruitionis actu, sed in supremo, quem potest habere potentia circa obiectum excellentissimo modo sibi præsentatum. ita *Scotus*. Sed primæ respons. ego magis adhæreo, argumentum enim hoc de intensione me non vrget; quia neque de facto omnes beati æqualiter vident, aut fruuntur, & rem illio horum actuum non auferet conceptum beatitudinis. Sed alia motiua nec vincunt, quia scilicet actus ille fruentis non procedens à charitate, esset alterius rationis ab eo, qui ex ea procederet, hic enim & ex parte obiecti, & ex parte potentiæ esset supernaturalis; ille verò ex parte obiecti tantummodo. Concesso ergo, quod fruitio procedens à voluntate sine habitu charitatis, & sine supplemento illius, esset supernaturalis, vel non diceretur beatifica: vel si beatifica, non esset illa perfecta, de qua loquimur. Ad illud *Augustini* de charitate diuidente inter filios Regni respondetur ita esse, quia beatitudo perfecta, qua fruuntur filij regni procedit à charitate. In casu autem illo metaphysico, vel talis fruens non esset beatus, vel non esset filius Regni.

Duplex solutio, prima est verior.

Arg. à pari.

Ob. 5. Aliæ potentiæ inferiores beatificantur suo modo in possessione obiecti concupiti. Ergo ita & voluntas. Sed actus concupiscendi non est fruitio. Ergo beatitudo non consistit in fruitione. Antec. primum prob.

Sensus improprie beati.

121 Resp. neg. consequ. Primo ab impropria beatitudine sensuum, fit transitus ad propriam. Secundo, quia voluntas ex *Scoto sub F.* præ cæteris in hoc differt à cæteris potentijs appetitiuis, quia ipsa, vult propter aliud, & est reflexiua super obiectis, quod cæteris non competit. Ac proinde argumentum est ad oppositum. Si enim in hoc secernitur voluntas ab alijs, quia amare potest obiectum propter excellentem sui perfectionem, & quia sibi bonum; cæteræ verò potentiæ amant, seu appetunt. Solummodo, quia sibi bonum; cum amor prior sit secundo perfectior, in priore beatificatur voluntas, non in posteriore; beatitudo enim est perfectissima operatio, ex 1. *Ethic. cap.* 10.

Argum. de tentione.

Ob. 6. Beatitudo consistit in tentione obiecti. Tentio autem non est fruitio, sed acquisitio rei: ergo. Maior prob. Beatitudo succedit spei. Spes autem non euacuatur, nisi per tentionem eius, quod speratur, ex illo *Cant. 3. Tenui eum, & non dimittam.*

Non omne quid succedit virtutibus est beatitudo.

122 Resp. ex *Sco. in calce quæst.* neg. mai. Non enim omne, quod succedit virtutibus Theologicis est formalis ratio beatitudinis, sed vel illa, vel aliquid consequens ad illam, vel præcedens. Habitui enim fidei succedit lumen gloriæ, quod est principium visionis, neque proinde dicimus formalem beatitudinem consistere in lumine gloriæ. Idem dicemus de delectatione, de gaudio, & cæteris, quæ tamen sequuntur beatitudinem, & non sunt ratio eius formalis, & quidditatiua.

Ob. 7. Fruitio aliud non est, quam delectatio: sed hæc per Scotum non est beatitudo: ergo. Maior prob. Nam fruitio alicuius obiecti, est gaudium sequens ad possessionem illius.

Fruitio est delectatio consecutiuè non formaliter.

123 Resp. dist. maiorem. Est delectatio consecutiuè, concedo. formaliter, nego. Frui enim vt sæpè ex S. Augustino diximus est amare obiectum propter se. Et distinguitur ab vti, quia hoc actu amatur obiectum propter aliud, & hoc tam in ordinatè operante, quam in inordinatis; cum autem obiectum amatur propter se, ad eum amorem sequitur delectatio, quæ est quædam passio dicti amoris.

Instt. Voluntas desiderans obiectum absens, cum ipsum obtinet, de eo delectatur, nec potest alius actus circa illud assignari. Ergo in hoc stat fruitio, sed Scotus negat, in delectatione consistere beatitudinem: ergo.

Delectatio non est fruitio, sed sequitur eam.

124 Resp. dist. secundam partem, de eo delectatur per operationem complacentiæ, ad quam sequitur passio delectationis, seu gaudij, concedo. de eo solum delectatur, id est nullum habet actum, sed tantum passionem illam delectationis, nego. Nam si voluntas circa obiectum absens habet actum amoris, & tamen obiectum est imperfectè cognitum, multò magis habet actum circa illud, dum est præsens, & perfectè cognitum. Ita *Scotus in qu. 4. G.*

Ob. 4. *Frui* dicitur sic à fructu, ex *Aug. lib* 11. *de Ciuitate cap. 25.* fructus autem est vltimum, quod habetur ex arbore, sed delectatio est vltimum, quod habetur in beatitudine: ergo in ea consistit frui. Delectatio autem non est beatitudo: ergo.

125 Resp. neg. vlt. consequ. Esto enim beatitudo sit fructus, non propterea consistit in vltimo, quod habetur in beatitudine, sed in vltimo, & perfecto actu hominis. In hoc enim consistit similitudo fructus arboris ad fructum voluntatis; & sicut ratio fructus non consistit in colore, aut alio consequente naturam fructus, sed in ipsa substantia fructus, ita beatitudo consistit, non in aliquo consequenti, & secundario ente; sed in per se, & primario: gaudium autem, & delectatio sequuntur ad eam, vt in suo articulo dicetur: In hoc ergo beatitudo est fructus, quia ab arbore meriti à Deo plantati procedit, & quia à verbo frui, quod est amore propter se alteri inhærere deriuatur, quorum neutrum delectationi congruit, nisi secundario, & per accidens.

## ARTICVLVS VI.

### *An voluntas in homine sit nobilior intellectu.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 4. S. Iuxta hoc 1.* vt euidenter concludat, actum fruendi esse veram beatitudinem, quia est nobilior actu videndi obiectum, lateraliter inquirit, quænam ex his potentijs sit nobilior; vt ex nobilitate Principij, magis firmet nobilitatem actus. Et docet voluntatem hominis esse intellectu nobiliorem. Scoti ment.

126 Adu. sensum quæsiti clarum esse. Duæ tamen sunt oppositæ sententiæ, vna quæ notatur pro *D. Thom. in 1. part. qu. 22. art. 3.* & pro *Henrico Gandauen. quodlib. 3. quæst. 14.* docentibus intellectum esse voluntate nobiliorem, ratione obiecti, modi operandi, & aliorum prædicatorum, quæ in eo sunt. Secunda est *Scoti*, ex eisdem capitibus docentis oppositum. Duæ sent. oppositæ.

Voluntas est nobilior intellectu in homine.

127 Dico ergo. Voluntas est potentia nobilior intellectu. Est *Scoti vbi supra I. K, &c. vsque ad O.*

128 Prob. 1. Voluntas se habet, vt rex in regno animæ, & imperat omnibus potentijs, etiam intellectui: ergo est potentia nobilior. Anteced. prob. Primo, ex *Anselm. de concept. Virgin. cap. 4.* voluntas mouet se contra iudicium aliarum potentiarum; & omnes alias mouet, secundum suum imperium: ergo. Secundo, voluntas imperat intellectui supposita simplici cognitione obiecti, vt se retrahat à cognitione, vt in ea perseueret, &c. Et quod maius est, vt in rebus obscuris eliciat fidei actus: nam *cætera potest homo nolens, credere verò non nisi volens*, ait *Augustinus*. & experientia patet, voluntatem intellectui dominari, ac imperare: intellectum verò ei inseruire. Quantum autem imperans sit imperato nobilior, per se patet. Voluntas est Regina in regno animæ,

129 Prob. 2. In potestate voluntatis est, vt homo, & ipsemet intellectus sit beatus, vel miser; nam *Ecclesiastici 15. v. 14.* habetur. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit ei mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata obseruare conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Imo vt dictum est in *disp. 15. ar. 3. §. & 3.* & dicetur in sequenti articulo. Voluntas beati si sibi dimitteretur, & Deus daret ei concursum paratum ad vtrumque posset retrahere intellectum à Visione, tale, ac tantum est eius imperium, & potestas circa illum. Ergo fatendum est, esse nobiliorem potentiam, Non enim nobilius subditur ignobiliori. Potest voluntatis circa beatitudinem vel miseriam intellectus.

Prob. 3.

Art. ex ordinatione intellectus ad voluntatem.

130 Prob. 3. Operationes intellectus ordinantur ad voluntatem; & non è contra: ergo. Anteced. prob. ex *Augustino lib. 19. de Ciuit. cap. 14. Homini anima rationalis tanto est, totum hoc quod habet commune cum bestijs, subdit post anima rationalis, vt mente aliquid contempletur, & secundum hoc aliquid agat; vt sit ei ordinata cognitionis actionisque consensio.* & circa finem, ait. *Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est ordinata imperandi, obediendique concordia cohabitantium.* Patet ergo, quod ad operationem voluntatis omnia ordinantur.

Ex habitu nobiliori voluntatis arg.

131 Prob. 4. Potentia, quæ recipit habitus nobiliores, ac perfectiores, est nobilior, ac perfectior alijs, quæ recipiunt ignobiliores; ita si habet voluntas. Nam recipit habitum, charitatis, quæ ex Apostolo 1. *ad Cor. cap. 13.* est maior omni dono, & omni gratia, gratis data; & in fine dicit, quod est maior alijs Theologicis virtutibus, *nunc manent Fides, Spes, & Charitas; maior autem horum est charitas, & August. lib. 15. de Trinit. cap. 19. In donis Dei nullum est maius charitate*: ergo.

Ex libertate

132 Prob. 5. Potentia libera est perfectior necessaria. Voluntas sola est libera. Mai. est euidens. Habens dominium suorum actuum, est nobilius seruo non habente tale dominium.

Ex perfectione actus arg.

133 Prob. 6. Cuius actus est perfectior, ipsum quoque agens est perfectius. Sed actus voluntatis est perfectior actu intellectus: ergo. Minor fuit quidem probata in præced. *art 4. & 5.* & iterum, nunc alijs medijs probatur. Primo, eligibilius est perfectius, sed actus voluntatis est eligibilior actu intellectus, quia per actum voluntatis quis fit simpliciter bonus non sic per actum intellectus. Secundo, quia illud est eligibilius, cuius oppositum est odibilius, sed oppositum amoris Dei, v. gr. quod est odium, est odibilius actu infidelitatis: ergo actus amandi, & fruendi, siue in via, siue in patria est eligibilior, ac perfectior actu credendi Deo, eumque videndi. Tertio, quia non diligere Deum est vituperabile, non sic non videre, vel ignorare.

Odium Dei pena infidelitatis,

Aliorum rationes non cogunt.

134 Probari solet ab alijs ex hoc, quod obiectum voluntatis est bonum. Intellectus autem verum, & quia bonum est perfectius vero, ideo voluntas perfectior intellectu. Sed *Scotus* negat primo ma. secundo min. Ratio, cur negat ma. tangitur ab eo *in 1. sent. dist. 8. quæst. 4.* quia intellectus est totius entis; ita enim cognoscit bonum, & iudicat, ac discurrit circa illud, vt bonum, sicuti cognoscit, iudicat, & discurrit de vero. Ratio cur negat min. est, quia verum, & bonum in ente sunt idem realiter, & eiusdem perfectionis.

Aliæ rationes non placent authori

135 Probari solet ab alijs ex hoc, quod posteriora generatione sunt priora perfectione: voluntas autem emanat ab anima post intellectum. Sed contra. Hic emanatio non importat perfectionem, vel imperfectionem, sed ordinem. Alias probaret etiam de intellectu, & voluntate diuina. Secundo, quia non adest prioritas temporis inter has emanationes, sed tantum naturæ. Tertio, emanatio potentiarum ab anima non est generatio. Quarto, tunc posteriora generatione sunt priora perfectione, quando ad ista, vt ad finem ordinantur priora, vt media, ac dispositiones: alioquin sequitur, quod in composito substantiali accidentia essent perfectiora substantia, quia post hanc producuntur accidentia.

Arg. contr.

Obijcies 1. Obiectum intellectus est perfectius obiecto voluntatis. Ergo saltem à posteriori concluditur, perfectio eius supra voluntatem. Anteced. prob. Ratio sub qua intellectus tendit in ens vt verum: sed verum est perfectius bono; quia magis accedit ad ens.

Intellectus habet pro obiecto totum ens verum, & bonum.

136 Resp. ex *Scoto sub 1.* neg. antec ad prob. dupliciter respondetur primo negando maiorem, quia intellectus est totius entis, veri, & falsi, boni, & mali, vnius, & multorum. Verè enim intellectus cognoscit omne bonum morale, & supernaturale, & circa illud etiam practicè syllogizat; illudque voluntati proponit. Secundò negatur minor, quod scilicet verum sit perfectius bono. Estò enim sit distinctio formalis ex natura rei inter istas passiones entis, non tamen assignari potest id respectu cuius vna sit perfectior altera. Ad id quod dicitur de emanatione priori, seu immediatiori connexione cum ente; respondetur falsum assumi, quia æquè primò omnes ab eo emanant. At dato, quod prius veritas, quid inde? à Patre enim prius origine producitur filius; & tamen hic non est Spiritu Sancto perfectior. Imò inquit *Scotus ibid.* ex hoc sequitur oppositum. Nam ens est potentiale ad rationes, seu formalitates speciales. Ideo, quod est ei propinquius, magis participat de potentialitate, quam remotius; patet de omni gradu metaphysico, incipiendo ab ente, & descendendo ad inferiora vsque differentiam individualem: quo enim gradus isti sunt enti propinquiores, eò potentialiores. At qui potentialius est imperfectius actualiori: ergo ex ratione argumenti de immediatione veri, sequitur oppositum.

Verum non est perfectius bono.

Potentialius est quid imperfectius.

Ob. 2. Habitus intellectus distinguit viatorem à beato, non sic habitus voluntatis. Ergo ille est perfectior: & per consequens potentia recipiens habitum perfectiorem, est perfectior. Anteced. prob. Lumen gloriæ, quod est habitus intellectus, distinguit beatum à viatore. Charitas autem non sic; quia communis est vtrique, ideo non euacuatur.

Charitas cõ sumata di-

137 Resp. neg. secundam partem anteced. ad probat. dico, charitatem consumma-

matam quoque distinguere beatum à non beato. Charitas ergo, licet reperiatur in viatore; non tamen cum illa perfectione, quæ est in comprehensore. Secundò vterque habitus est necessarius ex ordinatione diuina, & per modum principij; non autem ex natura rei. Addit *Scotus sub L.* habitum voluntatis esse perfectiorem habitu intellectus, ex *Hugone de Angelica Hierarchia cap. 7.* super illud *Dionysij, super acutum super feruidum, & dilectio superemines scientia*, sic habet, *vnde & supremus ordo denominatur ab ardore, proximus sibi à scientia.* Ergo si ardor, & dilectio Seraphica excellit scientiam Cherubicam; sequitur, quod habitus voluntatis, & operatio eius excedit habitum, & operationem intellectus: & sic potentia potentiam. Addit secundo *Scotus*, charitas in via, saltem excedit fidem, & spem ex Apostolo. Ergo capacitas potentiæ volitiuæ, in qua charitas recipitur, est maior, & perfectior intellectiua. Igitur si nunc est maior, & perfectior capacitas voluntatis, non poterit in patria satiari, nisi per habitum perfectiorem; & ita concluditur eius excessus supra intellectum.

Distinguit à non beato.

Ob. 3. ex *Arist. 1. Metaph. in procem. & 6. Ethic. cap. 8. & 10.* habitus sapientiæ est nobilissimus. Ergo residet in potentia nobilissima.

Inter habitus acquisitos sapientia est perfectissimus,

138 Resp. Arist. loqui de habitibus acquisitis, & naturalibus non verò de supernaturalibus. Secundo, loquitur de habitibus intellectus. Ars enim, prudentia, fides, & ipsamet scientia sunt ignobiliores sapientia, quæ est de altissimis, & primis causis. At non comparat habitus intellectus ad habitus voluntatis. Quomodo enim sapientia erit nobilior iustitia, & amicitia. At dato, quod dicit Arist. Paulus Ecclesiæ Doctor, ait, *fides, spes, charitas tria hæc, maior autem horum est charitas.* Tertio *Scotus*, vt Philosophum saluet, ait speculationem sapientiæ includere dilectionem.

Sapientia includit dilectionem,

Ob. 4. Intellectio est causa actuum voluntatis: illa enim posita, voluntas operatur; illa ablata, non operatur. Sed causa æquiuoca est perfectior effectu: ergo, & actus intellectus, actu voluntatis, & hæc potentia nobilior alia.

Intellectio non est causa volitionis

139 Resp. neg. ante. Intellectio enim, est causa sine qua non; & conditio, ac dispositio ad volitionem; non autem causa propria, siue efficiens, siue formalis respectu actuum voluntatis. Imò addit Scotus, ex hoc medio concluditur oppositum; quia vt dictum est voluntas imperat intellectui; & hic est famulus, seu subseruiens voluntati. Quod verò intellectio non sit causa volitionis, patet; quia sic volitio numquam esset libera; semper enim procederet à causa naturali, & intrinsecè determinata ad vnum, & ita tolleretur libertas à rebus.

Neg. hoc est ad oppositū

Ob. 5. Minus dependens est magis perfectum. Talis est intellectus respectu voluntatis: nam hæc dependet ab illo, non è contra. Quia non potest voluntas operari sine intellectu.

140 Resp. neg. min. ad probat. nego assumptum; licet enim intellectus in prima cognitione obiecti, præcedat omnem actum voluntatis, tamen in perseuerantia illius intellectionis, & in reflexione circa obiectum cognitum, & alias sequentes operationes, dependet à voluntate; hac enim nolente, non operaretur. Addo hic modus operandi potius arguit perfectionem voluntatis, cui intellectus inseruit suggerendo obiecta. Sicut ex hoc, quod intellectus pro hoc statu non intelligat, nisi præuia operatione sensuum, non infertur, quod sensus sint perfectiores illo, sed potius contrarium, quod scilicet sint eius famuli. Ita & de intellectu voluntati inseruiente perpetuò, dicendum existimo. Perpetuò enim eius labor ordinatur ad voluntatis commodum.

Intellectus dependet a voluntate in suis actibus, & quo modo.

Intellectus perpetuus voluntatis famulus.

## ARTICVLVS VII.

### *An gaudium, seu delectatio sit de essentia beatitudinis.*

SCOTVS *in 1. sent. dist. 1. quæst. 3.* pluribus demonstrat, quod hoc vocabulum *frui*, aliquando significat actum voluntatis, quo amat obiectum propter se, aliquando significat delectationem sequentem ad fruitionem: aliquando tandem vtrumque. constanter tamen tenet, delectationem propriè sequi fruitionem, in 4. verò *dist. 49. quæst. 7.* per totam docet, gaudium, seu delectationem esse accidens quodam, seu passionem sequentem beatitudinem, quæ in operatione consistit. At in *§. Dico ergo*, resoluit, quod strictè accipiendo beatitudinem, delectatio non est de essentia eius, sed passio. Sed si consideretur voluntas, vt receptiua, non quietatur absque delectatione. Hæc, & alia, plura Scotus.

Scoti mens.

141 Adu. duo esse hic inquirenda, an, scilicet gaudium, seu delectatio adsit in beato. Secundo, an sit de intrinseca ratione beatitudinis, an verò passio sequens eam, vt completiua, & quietatiua animæ beati.

Duo discutienda.

142 Adu. 1. Quod gaudium, & delectatio in agente intellectuali, idem sunt, ex *Scoto in 4. distinct. 49. quæst. 6.* & ex *D. Th. in 4. sent. dist. 49. quæst. 1. art. 1.* ex communi autem DD. sensu, ex eodem D. Th. ibid. gaudium, seu delectatio, est passio quædam (latè saltim, vt ait ibi D. Tho.) seu affectio animi in appetitu concupiscibili proueniens ex coniunctione voluntatis cum amato obiecto, & ita definiri potest gaudium, vt præscindit à gaudio hominis anima, & corpore con-

Idem gaudium, & delectatio.

constantis, & à gaudio animæ separatæ, & Angelorum. Prophani enim authores, qui de solo gaudio viatorum sunt locuti illud per ordinem ad sensibilia, quæ sensibus percipiuntur definiunt. Vnde *Cic. 4. Tusc.* ait, gaudium est voluptas suauitate auditus animum deliniens; & qualis hæc est aurium, tales sunt oculorum, & tactuum, & odorationum, & saporum. Ideo Plato, vt ex *Theat. vit. hum.* Ver. *Gaudium*, naturam, & causam gaudij in homine assignat, dicens, *est repentina effusio sanguinis, & spiritus ad exteriora, siue per signa aliqua sese manifestiem faciat, vt per risum, aut gratulationem, siue intus in animo sese contineat, quod tacitum gaudium vocatur. Ex nimia autem effusione fit interdum, vt homines moriantur.* Sic ergo explicatur gaudium, & causa gaudij in viatore sensibilia tractante. Gaudium verò Beatorum, siue Angelorum, siue animarum separatarum, siue earumdem corporibus post resurrectionem coniunctarum, non ex sensibilibus primario, neque in sensibus primò, sed ex intelligibili spirituali, ac summo bono in voluntate efficitur, & ex redundantia in sensitiuam partem diffunditur. Ideoque hoc gaudium melius cum cit. DD. & Calepino, Verbo, *Gaudium*, sic describitur, *est affectio animi ex præsentis boni apprehensione concepta.* De hac ergo affectione quærimus, an sit de quidditate beatitudinis; an accidens, seu passio eam sequens.

Prophani tuh. gaudiũ sensibilium definiunt,

Gaudium beatorum, quale.

143 Adu. 3. Quod hoc nomen *passio* etiam, vt ad animi motus restringitur æquiuocum est; nam significat affectionem aliquando ordinatam, & aliquando in ordinatam. Et licet considerationis præsentis non sint passiones animi; vt tamen percipiatur, quomodo non sit incongruum ponere in beatis passiones animi, notandum est, quod animi passiones ad quatuor genera principalia reducuntur, & sunt, gaudium, tristitia, spes, & timor; quarum primæ respiciunt fines; secundæ siue sunt in medijs. Vndecim tamen species sub his generibus continentur; sex quidem ratione concupiscibilis; & quinque ratione irascibilis. In concupiscibili sunt, amor, odium, concupiscentia, abhominatio, gaudium, & tristitia. In irascibili verò sunt spes, desperatio, timor, audacia, & ira. Ita *S. Th. 1. 2. quæst. 23. art. 4.* supponitur autem, quod aliquæ ex his passionibus malæ sunt, & aliæ bonæ, inter quas gaudium computatur; quod quidem, licet in via possit esse vitiosum, & culpabile, quia vltra regulam rationis; non tamen in patria.

Passio quid in animo,

In beatis passio physica ordinata.

Species passionum, quæ

144 Adu. tandem ex *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 7. §. Dico ergo*, quod voluntas potest dupliciter considerari, primo, vt operatiua suorum actuum. Secundo, vt receptiua, & perfectibilis per formas receptas, quibus habitis quietatur. His præmissis

145 Dico 1. Beatitudo necessariò includit, seu habet annexam delectationem, seu lætitiam, ac gaudium. Est *Scoti, vbi supra. D. Tho. in 4. dist. 49. quæst. 3. art. 1.* & est communis de fide.

Beatitudo includit gaudium.

146 Prob. 1. ex *Psal. 15. Delectationes in dextera tua, vsque in finem*, vbi Interl. ait, *Perfectæ, & æternaliter*. Secundo, ex *Psal. 67. Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia*. Vbi de finali iustorum lætitia est sermo.

147 Prob. 2. ex eodem *Psal. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Interl. ait. *Vt nihil desiderent cum facie ad faciem te viderint.*

148 Prob. 3. ex *Isa. 35. 10. Lætitia sempiterna erit super caput eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.* Quæ quidem verba de Ecclesia in lege noua, & allegoricè ex primo sensu dicta videntur. Tamen anagogicè etiam à SS. Patribus declarantur. Ait enim Interl. Ver. *Obtinebunt*, ait æternaliter, cum venerit Ecclesia in cælestem gloriam. & Ver. *Fugiet*, ait, succedente gaudio nunc in spe; in futuro in re. Glossa Ordinar. Ver. *Et venient*, ait, finaliter ad videndum Deum Deorum in Syon, cuius visio habet annexam lætitiam sempiternam, ex eodem *cap. 51. 3. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis.* Glossa Ordinar. ait, Nota in Syon, quæ comparatur Paradiso Dei tantum debet esse gaudium, & lætitia, & vox laudis, vt quod in cælo facturi sunt cum Angelis, in terra iugiter meditentur. & ibidem *ver. 11. Qui redempti sunt à Domino venient in Syon laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus. Et ego ipse consolabor vos, &c.* vbi Interlin. relicto allegorico sensu, anagogicè Prophetiam declarat. Præsentem, ait, Ecclesiam, & beatitudinem æternam, quæ non deficiet, non per prophetas, sed per memetipsum consolabor vos; quia absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, &c. & id ex alijs huius Prophetæ locis innumeris probari potest.

Multa scrip. loca.

Exodi locus clarus.

149 Prob. 4. ex *Psal. 149. Exultabunt Sancti in Gloria, lætabuntur in cubilibus suis*. Glossa Ordinar. ait. Hic agit de gaudijs Sanctorum, & potestate. & *Psal. 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Glossa Ordinar. *Aug.* ait. *Sicut, quia talis erit lætitia, qualem hic non nouimus, & ideo cum non potuit exprimi dicit, vt potuit, sicut lætantium.*

Ps. idem.

150 Prob. 5. ex parabola Domini, & serui cui commisit Dominus negotiationem pecuniæ *Matth. 25. Euge serue bone intra in gaudium Domini tui*. Interl. ait, gaudens Dominus in gaudium intrare iubet. Glossa Ordinar. ait. *Intra in gaudium admixtus choris Angelorum, sic intus lætare de manere, vt iam non sit, quod exterius doleas de corruptione*. & infra replicato ser-

Euang. Mat.

mo-

mone, cum alio ſeruo *intra in gaudium Domini tui*. Interlin. ait, *Accipe, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.*

Euang. Ioan. 151 Prob. 6. ex *Ioann. 16. Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum, nemo tollet à vobis*. Interl. ait, *Aeterna viſionis, &c.*

152 Prob. tandem ex ijs, quæ abunde diximus in *diſput. 14. art. 12.* de compendio beatitudinis. Omnes enim Eccleſiæ DD. fatentur inexplicabile gaudium, quod beati obtinebunt.

Gaudiſi non eſt de eſſentia beatitudinis. 153 Dico 2. Licet gaudium de ſummo bono præſente non poſſit à beatitudine ſecerni, tamen non eſt de intrinſeca ratione eius. Sed affectio, accidens, ſeu paſſio eam ſequens. Eſt *Scoti loco cit. & D. Tho. in 4. diſt. 49. quæſt. 3. art. 1.* vbi tamen, ait gaudium latè dici paſſionem in beatitudine.

154 Prob. Beatitudo eſſentialiter conſiſtit in operationibus intellectus, & voluntatis, licet principaliter in actu voluntatis, nempe fruitionis ex dictis in proprio artic. ergo. Conſequ. prob. Delectatio non eſt operatio, nam ex *Ariſtot. 10. Ethic. cap. 4.* Delectatio eſt adueniens operationi.

A priori arg. multa. 155 Prob. 2. Nulla paſſio eſt beatitudo eſſentialiter. Gaudium autem, ſeu delectatio eſt paſſio. Prob. mai. ex *Scoto diſtinct. 49. quæſt 7. §. Reſpondeo*. Verſu, *Contra*. Beatitudo eſt vltima perfectio ex eo, quod optimo coniungitur. Paſſio autem ſequitur eiuſmodi coniunctionem ad optimum. Prius enim eſt, Deum videre, eoque frui, quam ex talibus actibus delectationem ſequi; ideoque eſt quodam accidens reſpectu talium operationum.

156 Prob. 3. ex *Scoto ibid.* Beatitudo formalis reſpicit obiectum beatificum, nedum in ratione cauſæ efficientis, ſed in ratione obiecti terminantis vitalem operationem beatificam: Paſſio autem reſpicit illud ſolum in ratione cauſæ efficientis, non verò obiecti, vt terminum vitalitatis. Tale eſt gaudium, quia paſſio.

157 Prob. 4. ex *Scoto ibid.* Viator in via fruitur Deo obſcurè cognito, per aliquid eiuſdem rationis obiectiuæ, cum ea, quæ beat in patria; & tali obiecto hic in via coniungitur per operationem, non autem per paſſionem ſequentem ad illam. Ergo idem dicendum de perfecta, & vltima coniunctione in patria.

Omnia ordinata ad beatitudinem. 158 Prob. 5. ex eod. Operatio perfecta non ordinatur ad delectationem, tamquam finem; neque ad alia, quæ ordinantur ad illam perfectam operationem. Patet autem, quod omnia noſtra opera ordinantur ad beatitudinem; & non ad delectationem: ergo. Maior ex *Ariſt.* probatur 10. *Ethic. cap. 4.* multa appeteremus, etiam ſi delectationem non haberemus, vt ſcire, recordari, & virtutes. Quis autem dicat; quod appetit beatitudinem, propter delectationem. Appetitus enim & omnes actus hominis ad eam ordinantur, quatenus eſt clara cognitio, & fruitio Dei. Alioquin non eſſet appetitus ordinatus, ſed concupiſcentiæ. Ergo beatitudo eſſentialiter non eſt delectatio, ſed operatio illa, ad quam ſequitur delectatio.

Quod non pertinet ad imaginem, neque ad beatitudinem pertinet. 159 Prob. 6. ex eodem *Scoto* in principio. Quod non pertinet ad imaginem, ſeu ad animam, non pertinet ad beatitudinem. Sed delectatio cum non ſit operario, ex *Phil. 2. de anima t. 64.* non pertinet ad imaginem Dei; hæc enim vt ſupponimus ſaluatur in potentijs animæ producentibus intellectionem, ſeu Verbum, & amorem: ergo.

160 Prob. 7. Beatitudo in eo eſſentialiter conſiſtit, quod eſt perfectiſſimum in omni genere actuum. Talis non eſt delectatio. Maior prob. Siue enim dicatur conſiſtere in viſione principaliter, & completiuè in fruitione, *hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, &c.* ſiue dicatur, principaliter conſiſtere in fruitione, & inchoatiuè tantum in viſione, iuxta *Auguſtinum fruitio eſt tota merces*. Patet, quod vtraque operatio actus eſt, tendens in obiectum optimum. Delectatio autem non vnitur, neque vnit potentiam obiecto, ſed ex vnione conſurgit, tamquam accidens eius: ergo.

Arg. contr. Ob. contra 2. argumentis à *Scoto* allatis. Beatitudo ex *Auguſt. lib. 10. confeſſ. cap. 22.* eſt gaudium de vita beata: ergo.

161 Reſp. ex *Scoto diſt. 49. quæſt. 7. B.* Auguſtinum loqui cauſaliter, quod nempe beatitudo cauſat gaudium.

Ob. 2. Beatitudo eſt perfecta quies beati. Sed per gaudium perfectè quieſcit beatus. *Gaudium enim, & exultationem obtinebunt, ex Iſaia 35.*

Gaudium quomodo eſt perfecta quies. 162 Reſp. eodem modo eſt ad min. perfecta quies effectiuè reſpectu voluntatis ſuſceptiuæ, concedo. alio modo, nego. Nam beatitudo adducit formam illam gaudij, per quod voluntas receptiua quietatur, non expectans aliud. At perfecta quies voluntatis, vt operantis, eſt ipſamet operatio, ſeu fruitio. Ad hoc enim tendit voluntas, vt operationem perfectiſſimam circa obiectum perfectiſſimum exerceat.

Ob. 3. Beatitudo eſt vltimum bonum beati. Talis eſt delectatio: ergo.

163 Reſp. diſt. eſt vltimum, & optimum, concedo; vltimum tantum, nego. Beatitudo ergo eſt illud vltimum, quod eſt optimum, ſed finis tantum, ſiue intrinſecus, vt eſt operatio, ſiue extrinſecus, vt Deus, qui eſt obiectum operationis, & ad hoc optimum ſequitur, quod eſt vltimum. Quia neque operatio ordinatur ad hoc vltimum, tamquam finem, neque hoc eſt perfectius operatione. Ideo non eſt beatitudo.

Ob. 4. Poſteriora generatione ſunt priora perfectione. Delectatio eſt poſterior ad frui-

fruitionem: ergo. Anteced. inductione potest probari; imo ideo tenet *Scotus*, voluntatem esse intellectu perfectiorem, quia emanat post eum.

Quando posteriora generatione sunt perfectiora.

164 Respondet *Scotus sub* C. id esse verum de pluribus in eodem genere. Vt si plures formæ substantiales ordinatè, & successiuè in eodem composito producantur; vltima est perfectior, quia omnes ordinantur ad eam. At de alijs in diuersis generibus est falsum; quia in composito substantiali, prius substantia, deinde producuntur accidentia. In casu etiam nostro, quia operatio intellectus est prior operatione voluntatis circa idem obiectum beatificũ, hæc est illa perfectior. At quia operatio, & gaudium non sunt in eodem genere; posterioritas generationis, non arguit perfectionem: quia passio numquam est operatione perfectior.

Ob. 5. Gaudium, seu delectatio non potest separari à beatitudine: ergo est de eius essentia. Anteced. prob. Est contradictio, quod quis sit beatus, & non habeat gaudium.

Semper gaudium est beatitudini vnitum.

165 Resp. *Scotus in fine quæst.* 7. neg. ant. ad probat. De facto, concedo; quia de facto statuit Deus in actu fruitionis semper concurrere ad qualitatem, seu passionem illam, quæ est delectatio; at delectatio, sicut non est de intrinseca ratione amoris, ita potest ab eo separari, & esse amor propter se, seu fruitio obiecti, absque delectatione. Et addit *Scotus*, quod, sicut in sententia Diui Thomæ, potest gaudium separari à visione, in qua per eum consistit beatitudo; ita & à fruitione; sed hæc separatio non fieret ab homine, sed à solo Deo, non influente.

Ob. 6. Videtur esse maior perfectio beatitudinis, si dicatur, quod gaudium sit de essentia eius, quam si concomitetur ipsam. Ergo ita dicendum est.

Passio nequit esse de essentia operationis.

166 Resp. Si posset hoc esse certè melius esset; sicut, ait Scotus perfectior esset, homo si sapientia esset de essentia eius. Passio autem non potest esse de essentia operationis vitalis, quæ coniungit potentiam cum obiecto, quod facere nequit passio.

Ob. 7. Sicut se habet tristitia in supplicio, ita gaudium in præmio: sed tristitia est de essentia supplicij. Ergo gaudium de essentia præmij. Hoc autem est beatitudo: ergo. Minor prob. Quia tristitia non est actus voluntatis, alioquin esset voluntaria. Imo oritur ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Et hæc est pœna, quæ dicitur sensus respectu animarum, & Angelorum damnatorum.

Disparitas de tristitia in damnatis, & gaudio in beatis.

167 Resp. dist. ma. quòad aliqua, concedo: quòad omnia, nego, de primo patet, quod, sicut mœrentibus succedet gaudium; ita demœrentibus tristitia. De alijs pariter est verum, quod sicut gaudium est passio insurgens ex coniunctione vitali voluntatis cum obiecto volito, & bono; ita tristitia est passio insurgens ex obiecto nolito malo, & tamen præsente. At in ratione præmij, & pœnæ non æquiparantur: nam, cum pœna esse nequeat actus voluntatis; alioquin esset voluntaria; de necessitate est passio illa afflictiua voluntatis, sequens actum nolendi obiectum. At præmium, cum sit voluntarium, esse potest actus voluntatis. Et, licet ad actum voluntarium circa desideratum bonum, sequatur gaudium, quod etiam est aliquod præmium; tamen, quia actus est nobilior passione, præmium essentiale consistit in actu, non in passione, & ita debent etiam respondere, qui docent consistere in visione. Ea enim nobilior est passione sequente ad illam.

Ob. 8. Idem est fruitio, & gaudium: ergo. Anteced. prob. ex *Aug. lib.* 10. *de Trinit. cap.* 10. *Fruimur cognitis, in quibus voluntas ipsis, propter se ipsa delectata conquiescit*: ergo.

Differentia inter frui, & vti.

168 Resp. consequ. gratis deduci ex antecedente Augustini; ibi enim assignat differentiam inter frui, & vti. Et docet frui est obiecto adhærere propter se. Vti verò est referre, obiectum ad aliud, quo fruendum est. Quod verò voluntas fruens obiecto, delectata conquiescat in eo; hoc est quid sequens ad fruitionem, non ipsa fruitio.

Ob. 9. Nullum est inconueniens asserere, quod beatitudo sit hoc totum aggregatum ex fruitione, & delectatione; cum re vera vtraque in ea adsit: ergo. Anteced. prob. Forte absurdum esset, quod ens per accidens vno, & eodem nomine explicetur; at hoc non implicat, multa enim talia sunt. Patet de *Ilyon*, &c.

Beatitudo essentialiter & actus, quia, vita æterna.

169 Resp. neg. anteced. Ratio autem est, quia vita æterna est beatitudo formalis. Igitur essentia beatitudinis in vitali actu debet consistere, vel in pluribus; per quos anima medijs potentijs vnitur cum obiecto beante. Gaudium autem non est eiusmodi: ideoque nequit in ea consistere beatitudo; sed est quid sequens eam, & complens voluntatis perfectibilis desiderium.

## ARTICVLVS VIII.

### *An beatitudo formalis, aqualis sit in omni beato.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 50. quæst. 5. & 6.* cum fide Catholica, docet beatitudinem animæ inæqualem esse, in *quæst.* autem 6. idem docet de beatitudine corporum, & in ea resoluit vtrumque dubium.

Sensus art.

170 Adu. 1. Suppositis, quæ docuimus in *præt. disput. art. 3.* quod beatitudo consistat in operationibus intellectus, & voluntatis, & ex *art. 7.* quod gaudium sit quid extra essentiam beatitudinis, tamen compleat eam, vt accidens quodam: nunc quærimus, an illæ operationes, & gaudia sint æqualis perfectionis in omnibus beatis. Et quia saltem ex parte intellectus esse posset quæstio de æqualitate intensiua, seu formali, & extensiua, seu obiectiua, ac terminatiua. Nunc de prima mensura loquimur, intensiua, scilicet tam cognoscendi, quam fruendi, & gaudendi, seu delectandi. Postea de obiectiua, seu terminatiua.

Hæretici quidam omnes beatos dicunt æquales.

171 Adu. 2. Inter catholicos nullam esse controuersiam; sed inter eos cum hæreticis. Aliqui enim docuerunt, omnes beatos esse futuros æquales in beatitudine. Ita *Iouinianus*, vt refert *Hieronymus lib. 2. aduer. Iouin.* idem renouarunt Moderni hæretici, vt *Erasmus Sarcerius in cap. 12. Lucæ. Georgius Ma. in Dominica Septuag. & Ioannes Spargenbergius in Euang. Dom. Quadrag. Georgius* ergo expressis verbis, dicit, *nihilò plus accipit Moyses, Elias, Paulus, Baptista, Petrus, & alij Apostoli, quam Zacheus, Mulier peccatrix, Lazarus, & alij.*

172 Adu. 3. ex *Scoto in 4. dist. 50. qu. 6.* quod licet appetitus naturalis in beatis æqualis sit, & hic non satietur (vt alias dictum est) tamen deliberatiuus, secundum quem totus homo satiatur, est inæqualis, iuxta inæqualitatem meritorum; & quia hic est consonus diuinæ regulæ statuenti præmia iuxta merita, beatus quilibet de sua fruitione contentus est, licet sciat, alios esse beatiores ipso. Est tamen notandum, quod non putamus omnium beatitudines esse inæquales, sed saltem plurium, & multorum, iuxta meritorum mensuram. Ideo

Beatitudo quoad intensionem est inæqualis.

173 Dico. Formalis beatitudo animæ intensiuè inspecta, tam ex parte operationum intellectus, & voluntatis, quam ex parte gaudij est inæqualis in Beatis. Est *Scoti, vbi supra. D. Thom. in 4. sent. dist. 49. quæst. 3. art. 1. D. Bonav. ibid. quæst. 6.* & ex principijs fidei habetur.

174 Prob. 1. ex *Psal. 61. Reddes vnicuique iuxta opera sua*, sed opera sunt inæqualia: Ergo & beatitudo.

Ex script. multis locis.

175 Prob. 2. ex *Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Interl. Ver. *Mansiones*, ait, *diuersa præmia meritorum.* Lyran. ibid. ait. In gloria cælesti sunt multi gradus, & distinctiones; quia quamuis sit idem obiectum beatitudinis, nullam diuersitatem habens, tamen ex parte beatorum est diuersitas in participando illud obiectum, secundum varietatem meritorum; quia aliqui vident alijs clarius, & fruuntur perfectius. Hæc Lyran.

Augustin. in hunc locum

176 *Augustin. tract. 67. in Ioan.* habet, multæ mansiones diuersas meritorum inuita æterna significant dignitates. Tamquam stellæ sancti diuersas mansiones, & diuersas claritates sortiuntur.

177 Prob. 3. ex 1. *Cor. 15. Alia claritas solis, &c. stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Interl. *Cælestia inter se differunt; & licet vnius naturæ sint, tamen diuersæ claritatis: ita homines in resurrectione:* & post subdit. *Differunt inter se.* Glossa Ordinar. Ver. *Alia claritas*, dicit, *sicut ista corpora cum vnius naturæ sint, diuersæ tamen sunt claritatis; sic & homines cum sint vnius generis, dissimilis tamen erunt gloriæ in resurrectione.* & Verbo, *Stella*, ait, *Vna est omnium beatitudo, quam ipsi percipient, & dispar retributionis qualitas.*

Ambros. in hunc locum.

177 *Ambros.* in hunc Pauli locum, ait, *Vnius naturæ ratione vtitur ad indifferenta substantia reddendam rationem, quia, sicut Sol, & Luna, & Stellæ cum sint vnius naturæ, diuersa tamen claritatis sunt; ita & homines cum sint vnius generis dissimiles erunt in gloria, vt claritati solis illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent, de quibus dictum est, tunc iusti fulgebunt, sicut sol. Lunari quidem claritati bi comparandi sunt, qui sexagesimum numerum bonis operibus mercati sunt. vt secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus, &c.* prosequens narrare in æqualitatem claritatis omnium.

Ex Hieron.

179 *S. Hieron.* in hunc locum, *Stella enim differt à stella*, ait, stellarum diuersitati iustorum differentiam comparat, quos gradus virtutum in gloria, non peccata facit esse diuersos.

Ex ep. Cor.

180 Prob. 4. ex 2. *Cor. 9. Qui parcè seminat, parcè, & metet; & qui seminat in benedictionibus, &c.* Interlin. ait, *Retributionem. Hieron.* in hunc locum, ait. *Contra Iouinianum etiam hic locus facit, vbi meritorum gradus esse monstrantur.* Lyr. ibid. parcè, & metet, id est minus in præmio recipiet, & qui in benedict. largiter dando, largiter recipiet in præmio.

Ambr, iterũ.

181 Prob. ex *S. Ambros. in cap. 6. Lucæ. Sicut sunt incrementa virtutum; ita sunt etiam incrementa præmiorum:* & post aliqua, ait, *numquid æquale præmium incipientibus, atque perfectis est?*

Prob.

Eucher.

182 Prob. ex S. *Eusebio Lugdun. homil. in natali confess.* Qui plus laborauerit, plus mercedis accipiet. Stella enim differt à stella, ait Apostolus, in claritate, sic & resurrectio mortuorum; quamuis igitur omnes beati erunt; non tamen omnes æquales erunt. Quod quidem in eo significatur, quod alij supra decem; alij supra quinque Ciuitates constituti sunt. Hæc *Eucher.*

Greg. Mag.

183 Prob. ex S. *Gregor. Magno lib. 4. Moral. in Iob cap. 31. alias 42.* Quia in hac vita nobis est discretio operum erit in illa procul dubio discretio dignitatum: vt quò hic alius alium mærito superat; illic alius alium retributione transcendat. Vnde veritas dicit, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c.*

Idem.

184 Conf. ex eod. *homil. 16. in Ezechiel.* In retributione vltima, quamuis eadem dignitas omnibus non sit vna, vna tamen erit omnibus vita beatitudinis: & post aliqua. Et si alter minus, atque alius amplius exultat; omnes tamen vnum gaudium de conditoris sui visione latificat. Hæc *Gregor.*

Augus.

185 Prob. ex S. *Augustin. lib. 22. de Ciu. cap. 30. C.* Cæterum, qui futuri sint pro mæritis præmiorum etiam gradus bonorum, atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? quod tamen futuri sint non est ambigendum, & in *tractatu 68. in Ioan.* declarans illud, *vado parare vobis locum*, ait quantum quisque fuerit particeps tui, alius minus, alius amplius. Hæc erit diuersitas præmiorum pro diuersitate mæritorum, &c.

Greg. Nanz.

186 Prob. ex S. *Gregor. Nanz. orat. 34.* Angeli prout illorum est ordo; plus, minusue Deum cernunt.

Hieron.

187 *Hieron. 1. Cor. 3.* Vnusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem: & post multa, subdit. Inter saluationem, & saluationem vtique erit diuersitas aliqua.

Hilar.

188 *Hilarius in Psal. 64.* Plures mansiones diuersæ dignitati habitantium præparantur. Sed licet diuersa sit dignitas, differt enim stella à stella, &c.

Fulgent.

189 *Fulgentius lib. 3. ad Trasim.* Vna per fidem renatis vita cælestis Regni promittitur, quamuis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo dicente, *alia claritas solis, alia, &c. & in libro de Trinit.* ait. Tantum amplius alio in illa vita Deum videbit, quantum amplius in hac vita eum dilexit. Vnusquisque enim mercedem accipiet secundum laborem.

Theodor.

190 *Theodoretus in 1. ad Cor. cap. 15.* Non omnes iusti eiusdem præmij erunt participes, sed pro rectè factis congruam habebunt remunerationem.

Possent omnes Ecclesiæ Patres ad hoc adduci. Sed omnino superfluum existimo alios citare.

191 Prob. ex *constit. 17. Eugen. IV.* quæ est *decr. Concil. Florent.* Pro vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina, in *§. 6.* vbi de animabus postquam purgatæ exibunt à purgatorio, ait, *in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum, trinum, & vnum sicuti est; pro meritorum tamen diuersitate alium alia perfectius.*

Const. Cõc. Flor.

192 Prob. tandem ex paritate damnatorum, qui vt in suo loco dictum est dispares sunt in pœnis ob mæritorum disparitatem: ergo & beati in præmio. Vtrobique enim iniustitia exercebitur, ait enim *Mat. 16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & reddet vnicuique secundum opera sua.* & idem docet Apostolus 2. *ad Timoth. 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solum autem mihi, sed omnibus, &c.*

A paritate damnatorũ.

Ob. 1. argum. communi, sed difficili. *Matth. 20.* Ex parabola illa Patris-familias mittentis operarios in vineam, incipientis à prima hora diei, vsque ad duodecimam, & tamen in vespere dantis singulis singulos denarios. Hoc enim exemplo Christus exprimit, quomodo à principio mundi vsque ad finem, multi sint vocati ad operandum in Ecclesia, & tamen omnes habebunt denarium æqualem, subdit enim *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Ergo æqualis erit omnium beatitudo.

Arg. contr.

Ex parabola denarij validum arg.

193 Resp. neg. consequ. Nam ait *Scotus dist. 49. quæst. 6. I.* per denarium intelligitur essentia diuina, quam quilibet beatus accipit, sed in eius visione, ac fruitione sunt inæquales. *Augustinus* enim *tract. 67. in Ioann.* habet. *Mansionem quisque pro suo accepturus est marito; denarius quidem ille æqualis est omnibus, quo vtique denario vita significatur æterna, vbi amplius alio nemo viuit; quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura, sed multa mansionis diuersas meritorum in vna vita æterna significant dignitates. Alia enim est gloria solis, alia gloria Lunæ, alia gloria stellarum. Tamquam stella Sancti diuersas mansiones, diuersas claritates, tamquam in cælo sortiuntur in regno; sed propter vnum denarium nullus separatur à regno. Atque ita Deus erit omnia in omnibus, vt quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, vt quod habent singuli, commune sit omnibus, sic enim quisque habet, cum amat in altero, quod ipse non habet.* hæc *Augustinus.* Quibus euidenter declarat, quod cum eodem denario, scilicet Deo, vel beatitudine, sint impares in ea. Quomodo autem intelligatur murmuratio operariorum de acceptione æqualis denarij, dicetur in seqq.

Denarius est essentia Dei.

Cum identitate denarij fiat diuersitas fruitionis.

Ob. 2. Nequit visio Dei in beatis esse inæqualis: ergo. Anteced. prob. ex *Aug. lib. 83. quæst. q. 32* Vnus beatus non intelligit melius alio; qui enim intelligit rem aliter, ac est, fallitur. Beati autem non fallunturr: ergo.

Quomodo vnus non intelliget melius alio, & quomodo intelliget melius.

194 Resp. dist. anteced. Non intelligit melius, melioritate se tenente ex parte obiecti primarii, concedo; omnes enim intelligunt Deum cum Trinitate personarum sicuti est in se. Melioritate se tenente ex parte actus intelligendi, nego, ita *Scotus quæst. 6. K.* ad illud de falli dicit sic esse, quando obiectum intelligitur aliter, ac est, & ita vera est propositio Augustini, quæ est etiam *Phil. in pradicam. cap. De substantia, ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.* Sed quando *aliter* se tenet ex parte modi cognoscendi, falsa est doctrina, quod vnus non intelligat idem obiectum aliter, quam alius id est clarius; claritas enim intelligendi suscipit magis, & minus. Ita se habent beati.

Ob. 3. ex *Aug. tract. 66. in Ioan. & à Magistro Sent.* adducitur in litera. *Omnium erit par gaudium*: ergo.

Quomodo erit par gaudium,

195 Resp. *Scotus quæst. 6. L.* Augustinum loqui de paritate extensiua; quia omnes beati de omnibus gaudebunt communibus bonis. Non autem de paritate intensiua: & hoc est, quod etiam docet in *tract. 67. vbi supra*. Per charitatem fiet, vt quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet, En paritatem, & disparitatem ex eodem Augustino.

Ob. 4. Non videtur assignabilis modus, quo beati excellant in visione, fruitione, & gaudio: ergo. Anteced. prob. Obiectum enim simplex, & summè bonum videtur totum, ac totaliter, & amatur quantum meretur amari. Gaudium autem proportionatur amori.

Idem simplex obiectū intensius ab vno, quam ab alio contigitur.

196 Resp. neg. anteced. ad probationē. Quidquid sit nunc de ijs, quæ in obiecto relucent, de quo postea, idem simplex obiectum, melius, & clarius, ac intensius ab vno, quam ab alio concipiatur iuxta potentiæ vires, aut debilitatem. Optimum est exemplum de Visione Aquilæ, & hominis respectu Solis. Imò, & diuersorum hominum; quò enim quis maioris est vigoris, atque actiuitatis, eò fortius, ac intensius videt. De amore pariter manifestum est. Idem enim obiectum vtile, vel honestum non æquè omnes amant; neque idem gaudium de eo percipiunt, vt experientia compertum est.

Ob. 5. Si inæqualis est beatitudo, vel hęc ab omnibus cognoscitur, vel non. Si primum ergo sibi inuident, vel sunt inquieti, eam enim possunt appetere, vt quid honestum. Si secundum ergo, vel decipiuntur, putantes esse æquales, vel sunt ignorantes. Vtrumque autem ab eo regno est alienum: ergo.

197 Resp. Cognosci, & tamen quemlibet beatum de sua gloria esse contentum, vt dicetur in proprio quæsito.

Ob. 6. Implicat inæqualitas beatitudinis in eadem specie: ergo. Anteced. prob. Beatitudo includit quietationem appetitus naturalis beatorum. Sed talis appetitus in quolibet indiuiduo est ad summam beatitudinem. Ergo non poterit dari quietatio per beatitudinem inæqualem.

Appetitus naturalis beati quietatur per quietationē liberi,

198 Resp. neg. anteced. ad probat. Respondet *Sco. quæst. 6. B.* appetitum naturalem quietari per quietationem liberi. Quia naturalis non est aliquis actus, sed mera inclinatio; ac proinde, licet non satietur, non reclamat, nec est inquietus, nec tristis, quia non habet nolitionem de non quietatione, seu de non satietate; hoc enim pertinet ad actum elicitum. Sed hic, cum sit conformis diuinæ regulæ, quę vult, vt tot mæritis, tanta detur gloria, quietatur, cum eam habet; & ita omnes beati quietantur, etiam si omnium appetitus naturales non satientur. De hoc autem in præced. disput. loquuti sumus, & iterum loquemur in seqq.

## ARTICVLVS IX.

### *Vnde oritur hæc inæqualitas in beatitudine.*

Sceti ment.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 50. quæst. 6. ab A.* & deinceps, docet primò, inæqualitatem stare posse cum beatitudine in eadem specie *sub E.* verò, & *F.* docet, inæqualitatem procedere ex parte principij actiui, voluntatis, & charitatis, quod multis prosequitur.

Scotus loquens de beatitudine semper facit mentionem de fruitione & quare.

199 Adu. 1. Mirum non esse, quod Scotus loquens de inæqualitate beatitudinis, semper loquitur de fruitione, & principijs ad eam concurrentibus, quia ipse principalem rationem beatitudinis ponit in fruitione. Quia tamen nos de completa beatitudine differimus, loquemur de visione, & fruitione.

200 Adu. 2. Quod inæqualitas beatitudinis ad plura potest comparari. Primò ad causam mæritoriam. Secundo ad causam subiectiuam. Tertio ad obiectiuam. Quarto ad potentias. Quinto ad habitus.

Dubium grane.

201 Adu. 3. Dubium hoc esse vnum ex præcipuis, quæ agitantur in hoc tractatu. Quod quidem partim hic, & quasi obiter partim in proprijs Disputationibus de visione, & fruitione erit discutiendum; quæritur enim, an potentiæ habeant actiuitatem simpliciter respectu beatitudinis; an eam accipiant ab habitibus infusis, scilicet luminis gloriæ, & charitatis. Hic autem supponimus eam habere, quod breuiter hic, diffusè verò infra in Disput. de Principijs, seu causis Beatitudinis probabitur.

Inæqualitas beatitudinis

202 Dico 1. Inæqualitas beatitudinis intensiuæ, siue in visione, siue in fruitione non

formalis nó oritur ab obiecto.

non oritur ex inæqualitate obiecti, vt obiectum est, ac vt terminans illam. Est communis cum *Scoto in 4. dist. 50. quæst. 6. C.* dixi, vt obiectum, terminans quia si vt efficiens aliter de eo loquendum erit.

203 Prob. 1. Obiectum beatitudinis non potest esse tale, nisi sit infinitum. Sed infinitum non potest esse inæquale: ergo. Ex parte obiecti nequit beatitudo esse inæqualis. Maior probatur, quia impossibile est, potentiam quietari, nisi in optimo, & infinito, continente omnem perfectionem obiecti. Finitum autem eam non continet. Minor patet; quia Deus, qui est obiectum essentiale motiuum, ac terminatiuum, secundum se totum mouet, ac terminat actus intellectus, ac voluntatis.

Obiectum est denarius pro quo vitatores laborant.

204 Prob. 2. ex parabola Saluatoris *Matth.* 20. Omnes ab initio vsque ad finem mundi conducti sunt ad laborandum in vinea Domini pro denario recipiendo in vespere, scilicet in fine vitæ, vt diffusè Glossa Interl. & Ordinar. Denarium autem ex eadem Interl. est idem obiectum, & eadem æternitas. & confirmatur ex *Aug. tract. 67. in Ioan. Denarius quidem ille æqualis est omnibus quem Pater-familias dat, qui operati sunt in vinea iubet dari omnibus; non in eo discernens, qui minus, & qui amplius laborarunt. Quo vtique denario significatur vita æterna, vbi amplius alio nemo viuit; quoniam viuendi non est diuersa in æternitate mensura.* Ergo actus vitales intellectus, & voluntatis non sunt inæquales ex parte obiecti primarij, & essentialis in beatitudine.

205 Prob. 3. ex dicendis de obiecto beatitudinis; quod dicemus esse respectu omnium æquale.

Inæqualitas beatitudinis non oritur ex parte subiecti.

206 Dico 2. Inæqualitas beatitudinis formalis intensiuæ non oritur ex potentijs passiuè se ad eam habentibus. Est communis cum *Scoto in 4. dist. 50. quæst. 6. D.*

A priori euidens ratio,

207 Prob. In omni beato capacitas, tam ex parte intellectus, quam voluntatis est æqualis in omni individuo: ergo. Antecd. euidens est; id enim importat passiua potentia. Patet autem, quod quilibet beatus est capax omnis perfectionis intellectus, ac voluntatis. Omnes enim sunt eiusdem speciei. Et sicut quælibet singularis materia capax est cuiuslibet formæ; quia eiusdem speciei in omnibus; ita & quilibet intellectus cuiuslibet intensissimæ visionis, & quælibet voluntas cuiuslibet intensissimæ fruitionis. Et sicut materia ratione dispositionum dicitur proximè apta ad hanc, vel illam formam: ita intellectus, ac voluntas ratione dispositionum meritoriarum se est proximè capaces tantæ, vel tantæ beatitudinis. Ergo non ex parte subiecti.

Inæqualitas dispositiuè oritur ex meritis.

208 Dico 3. Dispositiuè inæqualitas beatitudinis oritur ex parte meritorum. Est *Scoti dist. 50. quæst. 6. G.* & communis de fide.

209 Prob. 1. ex *Matth. 5. Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in Regno Cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Ergo ex meritorum mensura oritur magnitudo beatitudinis.

Ex locis scripturæ.

210 Prob. 2. ex eodem *Matth. 5. Cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Interlin. ait, *quia tanto merces vberior, quanto in tribulatione fides est deuotior.*

211 Prob. 3 ex *Rom. 2. Reddet vnicuique secundum opera eius.* Ergo iuxta merita retribuenda est beatitudo.

212 Prob. 4. ex 1. *Cor. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem:* ergo.

213 Prob. 5. ex 2. *Cor. 9. Qui parcè seminat, parce & metet.* Interl. ait, *Retributionem.* Quem locum diffusè explicat *Hurtad.* allatus à nobis in præced. art.

214 Prob. tandem ex dictis in art. præced. multa enim sunt ad idem.

Inæqualitas oritur ex inæqualitate potentiarū, vel habituū.

215 Dico 4. Inæqualitas beatitudinis formalis, scilicet visionis, & fruitionis Dei, oritur ex inæqualitate potentiarum operantium, & ex inæqualitate habituum luminis, & charitatis. Est *Scoti in 4. dist. 50. qu. 6. E. & F.*

Arg. à priori.

216 Prob. pro nunc hæc conclusio, (quia diffusè tractabitur infra) omnia ista effectiuè concurrunt ad actus beatitudinis: ergo. Consequ. prob. Nam intensio in effectu oritur à virtute intensa in causa. Potest autem esse, quod aliqua potentia sit alia perfectior, vel habitus supernaturalis concurrens in vna sit intensior alio existente in alia, & hoc iuxta Dei prouidentiam in ordine ad producendum actus beatificos proportionatos meritis.

De habitibus omnes concedunt.

217 Prob. 2. De inæqualitate ratione habituum, nulla est difficultas; quia (vt in suo loco) omnes admittunt habitus concurrere actiuè ad actus supernaturales videndi Deum, & fruendi illo; imò aliqui toram actiuitatem tribuunt habitibus. Sed difficultas est de inæqualitate proueniente, ex inæqualitate potentiarum. Ideo sic probatur, Potentiæ, vt intellectus respectu visionis, & voluntas respectu fruitionis actiuè concurrunt; operationes enim vitales non possunt regulariter produci, nisi ab agente vitali vitaliter tendente per eas in obiectum. Igitur, si eiusmodi potentiæ in aliquibus sunt perfectiores, esse possunt causæ actuum magis intensorum: si imperfectiores, è contra.

Ex natura potentiarū arg.

218 Prob. 3. Nulla videtur repugnantia, neque ex lumine naturæ, neque ex lumine fidei, quin asseratur intensiorem beatitudinem procedere, vel ex inæqualitate potentiarum, vel ex inæqualitate habituum: ergo. Antec. prob. de primo. Experientia

pa-

patet perfectiorem sensum intensiorem sensationem efficere: ita & perfectiorem intellectum perfectiorem intellectionem. Cum ergo idem intellectus eademque voluntas sint hic & in patria, ait *Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. C.* sequitur, quod possit ab inæqualitate eorum procedere inæqualitas intensionis. Prob. de 2. Lumen fidei dicat tantum, ad actus illos esse necessarios habitus luminis respectu visionis, & charitatis respectu fruitionis; item beatitudines esse inæquales iuxta mærita: at non dicat, quod ista inæqualitas sit ex sola inæqualitate habituum. Sicut neque dicat, quod soli habitus concurrant ad actus illos. Ergo, cum videatur rationi magis consentaneum, vt potentiæ cum habitibus concurrant sua virtute etiam natiua ad actus illos, cum habent obiectum præsens; & consequenter ad perfectiores, vel imperfectiores, proportionaliter loquendo; & fidei hoc non repugnet, sequitur posse ita dici.

Non est contra lumen naturæ, neq; fidei, quod potentiæ actiuiores, intensiùs agant.

219 Prob. 4. Si quid obstaret, quin inæqualitas beatitudinis posset etiam refundi in potentiarum inæqualitatem, maximè esset propter duo; quia scilicet gradus illi intensionis essent naturales. Secundo, quia habitus supernaturales dantur ex proportione mæritorum, non ex perfectione potentiarum; & dantur in ordine ad actus perfectiores eliciendos; igitur ex eis attendenda est inæqualitas; alioquin non exequerentur illud, ad quod dati sunt, & ita frustra aliqui eorum gradus creati. Sed neutrum istorum obstat, ex *Scoto qu. 6. F. & G.*

A sufficienti partium enumerat arg.

220 Non primum. Quia, cum actus illi procederent indiuisibiliter à toto coniuncto, neque posset assignari aliquis gradus procedens á potentia, & non ab habitu, igitur secundum se totos actus illi essent supernaturales, ratione non tantum obiecti, sed principiorum intrinsecorum informatorum ab habitibus supernaturalibus. Alioquin idem argumentum fieri posset de visione, & fruitione simpliciter, etiam secundum minimum gradum; sunt enim ab habitibus, & á potentijs. At licet intrinsecè in vtroque casu actus illi sint supernaturales, ego tamen dico habere duos respectus ad duo agentia, naturale, nempe potentiam, & supernaturale, nempe habitum.

Supernaturalitas non obstat.

221 Neque officit 2. Nam, cum ex dicendis, habitus isti supernaturales intellectus, & voluntatis duo ad minus præstent potentijs, eas enim ornant, dignificant, & gratificant; & præterea eas adiuuát ad actus beatificos exercendos; Otiosi numquam manerent, etiam si attemperaretur á Deo earum actiuitas, vt iuxta intensionem in actu causandam influerent. Esto enim excessus ille videretur otiosus quoad excessiuam influentiam; non tamen quo ad causalitatem simpliciter, & quo ad ornatum, & gratificationem, & eleuationum potentiarum. Vel dicendum cum *Scoto sub G.* quod habens nobiliorem potentiam, & habitum, vel nobiliorem, vel æquè nobilem cum eo, qui est in potentia ignobiliori, tunc potentia ex Dei prouidentia attenuaret, seu attemperaret influxum, quem posset emittere secundum totum suum conatum; & tantum influeret, quantum esset necessarium pro mensura, & proportione actus producendi.

Lumen, & charitas non manent otiosa,

222 Ex quibus concluditur, nihil obstare, quin æqualitas in aliquibus referri possit in inæqualitatem potentiarum ad beatitudinem influentium, cum æqualibus habitibus, & non á sola habituum inæqualitate.

Conclusio generalis.

223 Prob. 5. Fundamentum oppositæ sent. est quia tota virtus respectu actuum supernaturalium est ab habitibus luminis, & charitatis. Sed hoc, ne dum non est probatum, sed videtur absolutè improbabile. Nam actus beatitudinis sunt visio, & fruitio; isti autem sunt vitales: ergo de sui intrinseca ratione exigunt produci á principio vitali, quale non est, neq; lumen, nec charitas. Non enim est minus intrinsecum fruitioni, aut visioni vitalitas, quam supernaturalitas, imò hæc fundatur in illa, & non è conuerso. Ergo non videtur vllo modo probabile, quod tota virtus videndi, aut fruendi sit ab habitibus luminis, atque charitatis; sed saltem partialiter á potentijs, & habitibus. Ac proinde inæqualitas potest etiam ab inæqualitate actiuitatum potentiarum prouenire.

Ex impugnationum aduers.

224 Prob. 6. Beatitudines plurium non sunt inæquales in supernaturalitate, sed in gradibus qualitatis; supernaturalitas enim consistit in indiuisibili, neque vna beatitudo est alia supernaturalior. Ergo inæqualitas attendi debet penes potentias habituatas dantes maius, vel minus esse actibus beatificis vitalibus, magis, vel minus intensis.

A priori ratione.

225 Prob. 7. Alij actus supernaturales in via sunt inæquales, ne dum ratione habituum, sed potentiarum actiuiorum, ergo etiam actus supernaturales beatifici. Consequ. prob. Non magis isti, quam illi sunt supra vires naturæ, eique indebiti, & procedentes á potentijs, supernaturaliter habituatis. Anteced. prob. Actus fidei, spei, aut charitatis, eò intensius producuntur, suppositis his habitibus, & adiutorijs sufficientibus, atque efficacibus, quò eos elicientes, maiori attentione, applicatione, atque conatu curant eos elicere. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, sic magis ad magis. Potentiæ autem istæ, vt intellectus, ac voluntas, si minimo conatu se applicant, suppositis habitu, & adiutorio, minimum eliciunt actum; si maiori, maiorem. Ergo penes eas etiam attendenda est inæqualitas suorum actuum.

A pari arg. supernatur in via,

Prob.

Remissio ad alios disput.

226 Prob. tandem ex ijs, quæ singillatim dicenda sunt de visione, ac lumine ad eam concurrente, & inæqualitate eiusdem; nec non de charitate in fruitione, ac inæqualitate fruitionum in diuersis beatis.

Ex paritate mæritorum.

227 Conf. Inæqualitas mæritorum oritur non ex sola inæqualitate intensiua habituum, aut auxiliorum, sed etiam potentiarum eis cooperantium; alioquin magis, vel minus intensè operari, non operanti vitaliter, sed habitui mortuo, tantum, esset imputandum; & maior, minorque merces, non homini viuenti, sed soli habitui, vel auxilio esset retribuenda; contra Apostolum 2. *Cor.* 9. *Qui parcè seminat, parcè, & metet.* Ergo idem dicendum de inæqualitate fructus, nempè actuum beatificorum, quod non solum ab habitibus, sed à potentijs in actiuitate inæqualibus poterit in aliquibus prouenire.

Arg. contr. 4

Ob. contra 4. Ab ijs desumenda est inæqualitas intensiua à quibus desumitur actiuitas ad supernaturalia. Sed hæc non potest desumi à potentijs, sed ab habitibus: ergo. Maior est euidens; quod dat esse, dat remissè, vel intensè; non enim vnum agens causat effectum, quo ad esse; aliud verò quo ad intensionem talis esse. Minor prob. Intellectus, & voluntas sunt entia naturalia, licet enim non possint, nisi à Deo produci, tamen sunt potentiæ debitæ ordini naturæ. Habitus verò, licet essentialiter sint entia creata; tamen non debita naturæ, & ex harum concursu actus beatifici sunt supernaturales: ergo.

Actiuitas ad supernaturalia non ab habitibus, tantum, aut nudis potentijs, sed ab vtrisque sumitur.

228 Resp. dist. min. Non desumitur à potentijs nudè acceptis, concedo; ab illis habituatis; vel etiam non habituatis, sed Deo specialiter in ordine supernaturali concurrente, nego. per idem ad probationem. Ratio est, quia, vt dicetur in *disput.* 17. *de Visione art.* 9. 10. & deinceps, & in *disput.* 19. de charitate de facto ex parte intellectus concurrit lumen, & ex parte voluntatis charitas, & præterea ex parte vtriusque obiectiua præsentia immediata Dei visibilis, ac fruibilis, & tam visio, quam fruitio sunt, & dicuntur supernaturales ratione vtriusque, nempè habitus supernaturalis, & Dei præsentiæ obiectiuæ; quia hæc & est inacquisibilis à tota natura, & ei indebita, & tandem quidditatiuè supernaturalis, ac increata; imò ex hoc secundo, ait *Scotus in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *G.* principalius, quam ab habitibus actus videndi, & fruendi dicuntur supernaturales, ratione efficientis. Cum ergo ex parte visionis totum coniunctum, intellectus, scilicet ac lumen, ex parte fruitionis, charitas, & voluntas concurrant de facto ad eos actus, actiuitas penes coniunctum, non penes habitum est attendenda. Ergo maior intensio penes maiorem actiuitatem coniuncti: potest autem fieri, quod alterum ex comprincipijs coniuncti sit altero actiuius, effectus tamen indiuisibiliter ab vtroque procedit, & tunc non licet assignare inæqualitatem ex parte minus actiui, sed ex parte actiuioris. Et si quis interroget, quare effectiuè quis videt, aut fruitur magis? Legitimè respondebimus, quia habet coniunctum actiuius. Si rursus quæratur, an comprincipia huius coniuncti sunt æqualia in actiuitate. Tunc non poterimus semper vniformiter respondere, sed iuxta naturam eorum; aliquando enim sunt inæqualia, vt habitus sit actiuior potentia, aliquando è contra. Et tamen stante hac eorum inæqualitate, quia faciunt principium adæquatum, vnum vnitate ordinis, hoc totum dicitur alio actiuius, at non ratione totius, sed tantum ratione alterius indiuisibiliter integrantis illud totum. Si verò (vt in proprijs locis dicemus esse possibile, cum *Scoto in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 4. §. *Ad quartam quæstionem.*) Deus vellet, vt beatus eum videret sine lumine, & sine alio supplente: vel, vt frueretur sine charitate, vel alio supplente, tunc actiuitas ad actus illos supernaturales desumenda esset ab aggregato conflato ex potentia, & obiectiua præsentia Dei, quæ supernaturalis est, ita *Scotus, vbi supra dist.* 14. *quæst.* 2. *G.* Igitur supernaturalitas non obstat, quin ex parte potentiarum desumatur, in aliquibus, actuum beatificorum inæqualitas.

Ordinata responsio circa actiuitatem ad beatitudinem.

Si sine habitibus esset beatitudo, vnde sumenda actiuitas.

Ob. 2. Si ita est, sequitur de facto etiam inæqualitatem visionum, & fruitionum in beatis esse ex inæqualitate potentiarum, in aliquibus desumendam, quod est falsum: ergo. Sequela prob. Nam de facto ad sunt intellectus beatorum inæquales in actiuitate, sic & voluntates. Minor prob. Sequeretur, quod habentes æqualia mærita essent inæqualiter beati. Nam habentes æqualia mærita habent æquale lumen, & æqualem charitatem; isti ex hoc capite habere deberent æqualem visionem, & fruitionem; ex capite verò excessus potentiarum vnius ad alium, maiorem visionem, maioremque elicerent fruitionem. Ergo æqualiter mæriti inæqualiter essent præmiati. quod est absurdum.

Ex absurdo argum.

229 Resp. ex *Scoto in* 4. *dist.* 50. *qu.* 6. *G.* neg. min. ad probat. nego assumptum. Nam ait *Scotus*, quod illi essent æquales in quantitate actus videndi, & fruendi, sed inæquales in proportione, quia potentia inferior in vno ageret secundum totum suum conatum; potentia verò nobilior nequaquam. Et addit, secundum hoc non dabitur tanta charitas vni, sicut alteri proportionaliter. Censeo, quod in hac doctrina Scotus duas adducit responsiones; vna, quod in his habentibus æqualia mærita, & inæquales potentias, minor aget secundum totum suum conatum, non sic maior; & ita in agendo, nempe videndo, & fruendo, æquiparabuntur. Alia est, quod in tali paritate mæritorum, actiuiori conferetur habitus

Æquales in mæritis inæquales in potentijs, quomodo proportionantur.

Duæ resp. Scoti.

Ex obiectiua præsentia potius quam supernaturalitas.

bitus remissior, quam ignobiliori. Alioquin si vtraque doctrina pro vna responsione adducitur, est confusa. Stat ergo, quod æqualiter mæriti, etsi potentias inæquales haberent, adhuc, aliquo ex prædictis modis æquales haberent actus beatificos.

Dices. Qui haberet meliorem voluntatem, & minorem charitatem, non haberet æqualem beatitudinem, æquali actu, cum alio, qui inferiorem habet voluntatem, sed maiorem charitatem; quia æqualitas actus supernaturalis attenditur penes charitatis æqualitatem in voluntate, & æqualitatem luminis in intellectu.

Actus æqualis etiò principia inæqualia.

230 Resp. negando sequelam, quia actus productus esset æqualis, estò comprincipia inæqualia. Ad probationem petitur principium; hoc enim est, quod quæritur, an ex solis habitibus attendenda sit inæqualitas; an etiam aliquando ex potentijs. Et iam euidenter probatum est à priori, etiam à potentijs posse prouenire in aliquibus.

Ob. 3. Habituum supernaturalium intensio in beatis, ita cadit sub mærito, sicut, & ipsa beatitudo. Sed si inæqualitas desumenda esset ex potentijs etiam, frustra caderent sub mærito: ergo. Maior supponitur; nam mærens præmium, mæretur etiam omnia requisita ad consecutionem præmij. Minor prob. Si ex potentijs inæqualibus attenderetur beatitudo, qui in via habuerunt potentias inæquales, & inferior per maiora mærita mæreretur habitum intensiorem, frustra eum acquireret; quia alius cum potentia nobiliori, vel eum superaret, vel ei coæquaretur. Item habens potentiam nobiliorem frustra habitum mæreretur, si posset cum actiuitate magna potentiæ, beatificos actus intensos elicere.

Non frustra quis mæretur habitus intensos.

231 Resp. neg. min. ad probat. Iam bis, aut ter dictum est, beatitudinem dandam iuxta mæritorum mensuram. Ad primum argum. de frustraneo, dico illum inferiorem in potentia non frustra mæreri intensum habitum, quia hic erit sibi necessarius ad intensum, actum, siue visionis, siue fruitionis, per quos erit æqualis cum quocunque nobilioris potentiæ, sed æqualis mæriti. Ad secundum dico, neque eum frustra mæreri intensum habitum per plura mærita, quia actiuitas potentiæ erit attemperanda per Dei proportionatum concursum, vt non agat secundum totum conatum, sed secundum eum, qui est sufficiens, ac necessarius mensuræ actuum eliciendorum.

Attemperatis potentiæ actiuioris.

Ob. 4. Si ex actiuitate potentiarum attenditur inæqualitas, sequitur, quod potentiæ ex suis naturalibus efficerent aliquos gradus, siue visionis, siue fruitionis, quod est falsum. Quia si possent in aliquos gradus, possent in omnes, cum sint eiusdem rationis. Sequela prob. Excessus intensionis actuum in eo, qui potentiam habet nobiliorem ad alium, qui ignobiliorem, & tamen cum æqualibus habitibus, tribuendus esset potentijs. Igitur à naturis earum, non verò ab habitibus procederet.

Excessus est à toto coniuncto, non ab altero comprincipio, nisi radicaliter.

232 Resp. neg. sequelam ad probat. dico excessum illum immediatè esse à toto coniuncto, vt dictum est in solut. primi arg. & licet hoc coniunctum ratione partis tantum sit actiuius alio coniuncto, tamen actus indiuisibiliter procedit à toto. Et sic non possunt assignari gradus, seu partes actuum procedentes ab habitibus, & partes procedentes à potentijs. Sicut, si cum intellectu sine lumine, vel cum voluntate sine charitate in duabus personis Deus concurreret, intensius tamen cum vna, quam cum alia, non esset in actibus eorum assignare gradus, seu partes, quæ à personis illis, & partes, quæ à Deo efficerentur. Imò de facto in actibus beatificis principalius concurrit Deus, quam beati: & tamen non potest inferri, aliquos gradus, seu partes eorum esse à solo Deo productas; sed ab omnibus comprincipijs indiuisibiliter sunt omnes partes; & sicut in duobus trahentibus nauim, tractus vtrique adscribitur, estò alius alio operosius, ac intensius in eum laboret; ita in casu.

Ob. 5. Intensio actuum ei causæ tribuenda est, quæ est supra hominis naturam, & in genere gratuiti, tales autem non sunt potentiæ, quæ naturales sunt beatis. Imò sibi ipsis tribuerent, quod intensè, vel summè fruerentur, ac viderent Deum: quod est absurdum.

Deo principaliter tribuendum, quod quis sit beatus, sibi verò, vt instrumento seu causæ efficienti ex dono Dei.

233 Resp. dist. ma. Ei quę est supra naturam, tamquam principaliori prouidenti, ac disponenti, vt per determinata principia beatitudo habeatur, concedo. tamquam totali, & instrumentali causæ, nego. Homo ergo Deo debet beatitudinem, vt causæ donanti, & concedenti media necessaria ad eam, & influenti cum principijs effectiuis illius. At sibi, ex dono Dei tribuere debet, vt vni principio effectiuo eiusdem, cum tali Dei concursu, ac dum effectiuo, sed etiam obiectiuo.

# DISPVTATIO XVII.

## DE VISIONE BEATA SECVNDVM SE.

### ARTICVLVS I.

*An Deus possit à beatis videri, & an actu videatur.*

Scoti mens.

SCOTVS pluribus in locis suæ doctrinæ, præsertim *in 1. dist. 1. quæst. 2. 3. & 8. in 3. dist. 14. quæst. 1. & 2. in 4. dist. 49. quæst. 4. quodlib. 14.* & alibi sæpè, cum fide Catholica, docet Deum, ne dum posse à beatis videri oculo intellectuali, secundum essentiam suam, seu vt est in se, sed de facto sic videri. Ideò

1 Adu. quod huc vsque supposuimus tantum, quod Deus videri possit, & actu videatur; nec non, quod in hac visione consistat, saltem partialiter beatitudo. Nunc autem à proposito de Visione, eiusque natura, & principijs ex parte potentiæ agendum est.

Visio quid, & quotuplex.

2 Adu. 2. Quod hoc vocabulum *Visio*, licet inter homines, omnia per sensus operantes propriè significet actionem oculi corporei tendentis in obiectum, vt docet *Aug. lib. de Vid. Deo cap. 9 & 21.* ac per totum illum librum; nihilominus ex eodem *Aug.* in toto eo libro, significat actionē potentiæ intellectiuæ, qua obiectum in se immediatè existens videtur, & dicitur cognitio intuitiua; de qua visione *Matth. 18.* habetur *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei.* & *in Psal. 35. In lumine tuo videbimus lumen.*

Aliqui dixerunt Deum esse inuisibilem.

3 Adu. 3. Aliquos hæreticos, quos suppresso nomine refert, *S. Thom. 1. par. q. 12. art. 1. in corp.* docuisse, Deum, vt est in se esse inuisibilem ab intellectu creato. Hos tamen Authores, & fundamenta eorum inueni postea, vt referam in seq. art. At fides docet, Deum ab intellectu quocunque esse cognoscibilem, facie ad faciem; alias nunquam esset beatus; semper enim homo desideraret hanc visionem. His positis

4 Dico 1. Deus vt est in se videri potest à creatura intell. quali Angelica, & humana; & de facto videtur à Beatis. Est communis de fide.

Deus est inuisibilis ab intellectu creato,

5 Prob. 1. *Exodi 33.* Moyses cupiebat videre Deum, vt est, *ostende mihi gloriam tuam*, & Deus respondet, *ostendam tibi omne bonum*: & paulo post, subdit. *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet.* Interlin. Ver. *Non poteris*, ait, *ipsam vim diuinæ essentiæ.* & Ver. *Non videbit*, dicit, *per incircumscriptam essentiam.* Ergo ex his habetur, quod homo possit Deum videre. alias Moyses petijsset aliquod impossibile.

Neque dicas. Ex hoc colligi argumentum ad oppositum. Nam Deus dicit, *non poteris faciem meam videre.* Nam contra est. Loquitur enim Deus de Moyse, & alijs viatoribus, quibus non ostendit nudè suam diuinitatem: subdit enim *non videbit me homo, & viuet.* Ecce quomodo est inuisibilis ab homine, & quomodo visibilis, in hac vita, scilicet, est inuisibilis, in alia verò visibilis.

Soluitur obiectio tacita

Script. loca Ex vet. test,

6 Conf. ex Glossa Ordin. quæ est *Gregor. I.* Ver. *Non enim*, Ioannes quoque ait, *Deum nemo vidit vnquam.* Quandiù enim hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest. Sed per ipsam naturæ speciem non potest. Et prolixè discurrit Gregorius de hoc puncto, quomodo, scilicet Patres antiqui Deum viderunt per imagines creatas, non verò in propria essentia, quia hoc reseruatum est homini pro alia vita.

7 Conf. ex ijs, quæ dicta sunt in *disp. 14. art. vlt.* de Moyse, & de Paulo, quos etiam in hac vita Deum vidisse, docent Authores graues, inter quos *Augustinus.* Ergo saltem ex ijs concluditur, posse videri secundum suam essentiam, seu vt est in se.

8 Prob. 2. ex *Iob 19. In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Ergo potest videri.

9 Prob. 3. ex *Psal. 35. Quoniam apud te est fons vitæ; & in lumine tuo videbimus lumen.* Interlin. ait, *fons, qui saties, & illuminat.* Glossa Lyran. Ver. *Et in lumine*, dicit, in lumine creato gloriæ videbimus lumen tuæ essentiæ, &c.

10 Prob. 4. ex *Psal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quem locum *Hier.* & omnes interpretes S. Scripturæ de Dei visione explicant.

11 Prob. 5. ex *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Ex nouo test. arg.

12 Prob. 6. ex *1. Io. 3. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est:* ergo.

13 Prob. 7. ex *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum:* ergo.

14 Prob. 8. ex eodem *cap. 14. Qui dili-*

Quod actu videtur, fide constat.

*git me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.*

15 Prob. 9. ex 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte. Tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

16 Prob. 10. de Angelis. *Matth.* 18. *Angeli eorum in cœlis, semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Ergo Deus potest à creatura videri, sicuti est in se.

17 Quod autem actu videatur; de Angelis nuper probatum est: de animabus verè beatorum satis, superque ostensum est in *disp.* 14. *art.* 6. ex *constit.* 4. *Benedict. XI.* & ex *Concil. Florent.* & alijs locis, in quibus statuitur, beatos actu videre Deum.

Ex DD.

18 Probari posset conclusio, ex omnibus Ecclesiæ DD. sed sufficiat adduxisse loca scripturæ. Qui autem Patrum sententias etiam desiderat, legat ea, quæ diximus in *disp* 14. *art.* 12. de compendio beatitudinis.

Visio beata est intellectualis.

19 Dico 2. Visio hæc qua beati Deum vident est intellectualis. Est etiam de fide.

20 Prob. Angeli ex *Matth.* 18. Vident Deum, sed non possunt alia visione, quam intellectuali videre: ergo.

21 Prob. 2. *in epist.* 1. *ad Timot.* 6. Apostolus ait, *Rex Regum, &c. qui solus lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Quem locum duplici modo explicant Doctores. Primò, nullus vidit, aut videre potest visione corporea. Secundo, nullus vidit, aut videre potest visione intellectuali clara in hac vita; sed in alia & poterit, & videbit; ideo dictum est *Exodi* 33. *Non videbit me homo, & vivet.* Vnde *Augustin.* ex Glossa Ordin. *ad Tim.* 6. *Quem secundum naturam, qua Deus est, nemo vidit, vel videre potest; sed poterit aliquando ab illis, de quibus dicitur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Ex S. Script.

22 Prob. 3. ex *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, vbi Glossa Ordinar. ait, in futuro, sicut est oculo mentis videbitur; ideo spiritus intelligentiæ huic gradui aptatur, quia intellectus oculus mentis est, &c.

Ex August.

23 Prob. 4. *S. August. lib.* 12. *de Gen. ad literam cap.* 27. explicans quandam apparentem Scripturæ contradictionem *Exodi* 33. *& num.* 12. manifestè concludit, visionem illam, qua beati Deum vident esse spiritualem, ac intellectualem essentiæ diuinæ, vt in se est. Nam *Exodi* 33. petente Moyse videre gloriam Dei, fuit ei responsum: *Non poteris faciem meam videre, non enim videbit me homo, & vivet.* At in *lib. Num.* 12. ait. Famulus meus Moyses in domo mea fidelis est, *Ore ad os loquar ad illum; palam non per enigmata, & figuras Dominum videt. Augustinus* hos duos loquendi modos considerans, ait. Neque enim hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur intelligendum est; nam vtique sic loquebatur ad Moysem facie ad faciem, contra in contrà. Quando tamen dixit ei ostende mihi temetipsum, & nunc etiam ad ipsos, quos obiurgabat, & quibus Moysi mæritum ita præferebat, sic loquebatur per creaturam corporalem præsentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie, qua Deus est longè ineffabiliter secretiùs, & præsentius loquitur locutione ineffabili, vbi eum nemo videns, viuet vita ista, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisquam quodammodo moriatur, siue omnino exiens è corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, &c. cum in illam rapitur, & subuehitur visionem. hæc *August.* ergo visio, qua beati post hanc vitam Deum vident, est spiritualis, & intellectualis.

Loca contraria script. declarans August. probat intentum.

24 Conf. ex eodem *ibid. cap.* 28. vbi declarans raptum Pauli ad tertium Cœlum, ait: hoc tertium visionis genus, quod superest, non solum omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur; verum etiam omni illo spirituali, quo similitudines corporum spiritu, & non mente cernuntur, tertium cælum appellauit Apostolus; in hoc videtur claritas Dei cui videnti corda mundantur, sicut scriptum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; non per aliquam corporaliter, vel spiritaliter figuratam significationem, tamquam speculum in enigmate, sed facie ad faciem, per speciem, scilicet qua Deus est quidquid est; quantulumcunque eum mens, quæ non est, quod ipse est, etiam ab omni corpore, & labe terrena mundata, & similitudine corporis alienata, & abrepta capere potest, &c. hæc *August.* ergo beati non solum vident Deum immediatè, & absque specie vlla repræsentatiua Dei, sed mente alienata ab omni sensu, id est à sensu omninò independenter operante. Quod erat probandum.

Idem Aug. iterum.

Spiritu, seu mente videtur Deus à beatis.

25 Prob. 5. ex *Dionys. lib. de div. nom. cap.* 1. vbi de visione Dei, ait, semper cum Domino erimus, ipsius diuinam præsentiam contemplando, fruentes. Porrò spiritualis ipsius, & intelligibilis lucis (mente perturbatione omni, & materia libera) participes effecti, quæ omnem sensum superat, &c.

Dionys.

Triplex visionis Dei genus.

26 Prob. 6. Visionum omnium, ex *August. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 29. tria sunt genera scilicet corporalis, spiritualis, & mentalis. Siue, vt dicit in *cap. vlt.* corporalis animalis, & mentalis. Sed visio, qua Deus à beatis videtur non est corporalis, quia non fit sensu corporis; neque spiritalis, seu animalis, quia non per species, siue phantasticas, siue intelligibiles, significantes, seu repræsentantes Deum, quia Deus videtur immediatè, vt est in se. Ergo est purè mentalis.

Prob 7.

27 Prob. 7. iterum ex *Augustin. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 24. vbi de tribus Cœlis, id est de tribus his visionibus loquens, ait. Tertium verò, quod mente conspicitur, ita secreta, & remota, & omninò abrepta à sensibus, carnis, atque mundata; vt ea, quæ in illo cælo sunt, & ipsam Dei substantiam, verbumque Deum, per quem facta sunt omnia, in charitate Spiritus Sancti ineffabiliter videre, & audire arbitramur. Ergo Dei immediata visio est intellectualis, seu mentalis.

Confir. ex Aug. 3. vice.

28 Possent adduci omnium Patrum, & Scholasticorum sententiæ, quas omittimus, vt superfluas. Eò vel maxime, quia in proprio articulo inquirendum erit, an alia visio sensitiua possit ad Dei substantiam pertingere.

Arg. contr.

Ob. contra 1. ex 1. *Timoth.* 1. habetur, *Regi sæculorum immortali, & inuisibili*. Ergo nequit à creatura videri.

29 Resp. locum illum Pauli pluribus modis explicari. Primo cum Interlin. pro *incomprehensibili*. Secundo, cum Glossa Ordinar. quod sit inuisibilis naturaliter. Tertio, cum eadem in hac vita est inuisibilis in natura, iuxta illud *Ioan. Deum nemo vidit vnquam*, & subdit Glossa. *Videtur autem cum vult, & sicut vult*; non sicut est, sed quali specie vult apparere. In futuro verò videbunt eum filij sicuti est. Ita etiam *Augustin.* declarat *de Gen. ad lit. vbi supra*.

Quomodo Deus dicitur inuisibilis.

Ob. 2. ex eadem 1. *Timot.* 6. *Deus lucem habitat inaccessibilem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*: ergo.

30 Resp. eodem modo cum Interl. in hac vita, nullus potest eum videre sicuti est; post autem videbit, Glossa Ordinar. ait. Quem secundum naturam, qua Deus est nemo vidit, vel videre potest; sed poterit aliquando ab illis, de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

Quomodo inaccessibilis,

Ob. 3. Si posset videri, aut videretur, maximè ab Angelis videretur. Sed isti non vident, quia ex 2. *Petri* 1. habetur: *Spiritu Sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere*. Ergo non prospiciunt; desiderium enim est de re absenti, non habita: ergo.

31 Resp. neg. min. nam ex Glossa Ord. Ver. *In quem*, desiderium illud non est rei habendæ, sed est desiderium complacentiæ continuandæ: sic subdente. Sed cur cernere desiderant, cuius faciem numquam cernere cessant, nisi quia contemplatio diuinæ præsentiæ, ita Angelos beatificat, vt eius semper visa gloria satientur, & semper eius dulcedinem, quasi nouam insatiabiliter esuriant. Cum Saluator *Matth.* 18. manifestè dicat, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*.

Angeli quomodo desiderant videre Deum.

Ob. 4. ex *Chrysost. hom.* 14 *in Ioan.* Quod Deus est, non modo Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli, quod si eos percontaberis, nihil de Dei substantia audies, sed solum referentes gloria in excelsis Deo. Et subdit, Deus ante incarnationem fuit Angelis inuisibilis, per carnem verò assumptam factus est visibilis. Ergo Deus non est visibilis ab homine.

Validè arg. Chrysost.

32 Resp. Chrysostomum non posse Sacræ Scripturæ contradicere, quæ docet *Matth.* 18. habet, *Angeli eorum semper in cælis faciem Patris mei*. & Glossa Ordinar. ait, visione Dei manifesta perstruuntur Deo; ideo non esse spernendum ab homine, &c. Sacra autem Scriptura præferenda est dictis Patrum, ex *cap. Noli meis, & cap. Quis nescit, dist.* 9. Ideo declaratur *Chrysost.* quod loquatur de visione comprehensiua; ita eum explicat *D. Thomas* 1. *part. qu.* 12. *art.* 1. *ad* 1. & certè ita est, quia Angeli post incarnationem tantum, potuerunt comprehendere Deum humanatum; nam respectu humanitatis Christi adæquatam habent cognitionem; & proinde comprehensiuam. Neque mirum est Chrysostomum cum ea asperitate sermonis loqui; nam vt *Scotus* innuit *in* 2. *dist.* 33. *quæst. Vn. ad* 1. & *in* 3. *dist.* 4. *quæst. Vn. ad* 2. mos est Sanctorum Patrum; vt dum fidei aduersarios impugnant declinent in extremè oppositum, nè cum eis communicent; sicut in 6. Synodo factum est, dum statuitur Angelos esse pingendos, quia sunt corporei; licet resolutio picturæ intenderetur, non autem ratio: ita, cum Amomæi docerent, Deum esse comprehensibilem, imò, & per naturæ vires, *Chrysostomus* eos impugnans, dicit, non esse visibilem, neque ab Angelis ante incarnationem.

PP. sunt explicandi iuxta script.

Chrysost. intelligitur de comprehensione.

Ob. 4. Deus est ens supernaturale: ergo nequit videri ab intellectu creato, qui naturalis est. Nulla enim est inter hæc extrema, proportio.

33 Resp. pro nunc dist. consequ. Nequit videri à creato intellectu, non eleuato per aliquid supernaturale, transeat. si eleuatus sit, nego. Erit autem postea sermo de hoc.

Ab Intellectu eleuato potest videri.

Ob. 6. Deus est ens infinitum: ergo. Quia finiti ad infinitum, nulla est proportio.

34 Resp. neg. consequ. Nam obiectum naturalis inclinationis intellectus creati est ens, vt sic præscindens à finito, & infinito; ideoque Deus continetur sub obiecto adæquato intellectus. Ad illud de proportione Respondetur non esse necessariam proportionem entitatiuam; sed in ratione obiecti, & potentiæ, seu obiectiuam, vel in ratione motiui, & mobilis, quæidem sunt. Patet enim quod intellectus cognoscit corpus, colorem, aliaque accidentia materialia, & immaterialia, & tamen de illorum natura non participat. Sed de hoc latius in sequenti.

Obiectum inclinationis intellectus creati est omne ens.

Ob. contra 2. Nulla est necessitas admittendi visionem intellectualem Dei; cum

Co-

omnia scripturæ loca saluari possint de animali, seu phantastica; & per species corporales: ergo. Anteced. prob. Aliæ visiones SS. Patrum ita saluantur, vt visio Abrahæ, Iacob, & Moysis, qui facie ad faciem Deum videbat; & ore ad os ei colloquebatur. Sic & Ezecchielis; imò & Pauli.

Visiones PP. fuerunt in imagine & enigmaticę.

35 Resp. neg. antec. ad probat. Quidquid sit de assumptis dico, visiones illas non fuisse beatas, & essentiæ Dei immediatè; & hoc enixè petebat Moyses *Exodi* 33. & tamen Deo colloquebatur facie ad faciem, vt amicus ad amicum, sed apparentem in specie aliqua, seu similitudine corporea, siue per sensum externum, siue per internum. At hæc visio non est beata, quia non Dei in se, quod expectatur in fine vitæ: *Videbimus enim eum sicuti est.* & ideo dictum est Moysi, *non videbit me homo, & viuet*, *Exodi* 33.

## ARTICVLVS II.

### *An visio beata terminetur ad Dei essentiam immediatè.*

Scoti mens.

SCOTVS *in* 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 1. *B.* docet, nullum ens posse perfectè quietare intellectum, aut voluntatem, nisi sit infinitum: & ideo *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. *&* 2. *M.* docet, intellectum animæ Christi beatæ à primo conceptionis instanti, visionem habuisse immediatè circa diuinum verbum, & hanc expectare beatos.

Sensus art.

36 Adu. 1. sensum quæsiti esse, an beati, dum vident Deum, eorum cognitio, seu visio terminetur ad quidditatem naturæ diuinæ; an verò ad aliquam imaginem, seu figuram corporalem, vel etiam spiritualem, quæ repræsentat Deum; sicut cum SS. Patres, Prophetæ, & ipsemet Moyses Deum videbant, aliquando in imagine aliqua corporea. Aliquando in aliquo spirituali repræsentante.

Antropomerphitæ; hæretici.

37 Adu. 2. Exceptis Antropomorphitis, de quibus postea, qui dicebant Deum esse corporeum, & ita videri; non inuenio aliquem docentem, Deum à beatis, non videri, vel non videndum in propria natura. Et licet *S. Thomas in* 1. *par. q.* 12. *art.* 3. referat quosdam huius opinionis, sed sine nomine, nullibi tamen potui Authores alios reperire inueni, postea *Theodoretum in ep.* 1. *ad Cor. cap.* 13. Ver. *Videmus nunc*, vbi ait, videndam esse naturam Christi ex nobis acceptam, non verò naturam Dei, quæ à nullo videri potest. *Almaricus* vero ex *Satellit reg.* 274. docuit Deum non videri, vt in se est, sed vt lumen in aere, idem docuit *Tritinus* ex *August. lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 2.

Qui negant Dei visionē.

38 Adu. 3. Pluribus modis Deum fuisse visum in Sacra Scriptura. Aliquando in re aliqua realiter sensibili, & per sensum perceptibili, in qua aliquid supernaturale operabatur; nam *Gen.* 12. 17. *&* 18. apparuit Abrahæ in forma viri, idem habetur *Gen.* 26. 35. *&c. Exodi* 3. apparuit in flamma rubi. In deserto apparuit in igne per noctem, & in nube per diem. & *Exodi* 33. sæpe Moysi apparebat Dominus, *& loquebatur cum Moyse facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Glossa autem Ordin. Ver. *Loquebatur*, ait per subiectam creaturam per Angelum, & nubem hic loquebatur, & apparebat, ita & *Genes.* 32. postquam Iacob luctatus est cum Angelo, ait, *Vidi Dominum facie ad faciem, &c.* Aliquando apparuit in aliqua imagine interna non subiecta sensibus, vt apparuit Prophetis *Ezechiel.* 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Quæ quidem visio non ad aliquod corporale externum est terminata, sed ad aliquod, vel imaginabile apparens in specie phantastica, seu imaginaria, vel etiam spirituali, seu intelligibili (quæ multos gradus habet) & ita etiam Ioanni in Apocalypsi apparuit, ex *August. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 26. *in fine*. Hæc de modo cognoscendi Prophetico obiter dixisse sufficiat, quia ad nos nunc non pertinet. Qui autem distinctè eum scire desiderat, legat Glossa Ordin. in *c.* 12. *Num.* Ver. *Si quis fuerit.* & *Augustinum loco cit. à cap.* 23. *vsque ad cap. vlt.* An autem præter hos modos videndi Deum enigmaticos, & per imagines, fuerit alia visio eum videndi, & immediata ipsius Dei, saltem in Moyse, vel in Paulo, nos salua pace aliquorum in *disp.* 14. *art. vlt.* negatiuè respondimus. Nunc autem quærimus, an immediatè sine specie Deus à beatis videatur.

Multi modi videndi Deum enigmatice.

Species multa significat.

39 Adu. vult. Quod nomen hoc species, multa, tam in sacris, quam in prophanis historijs habet significata. In præsenti autem duo nobis sunt considerandа, quæ ad rem nostram possunt conducere. Primò enim significat *imaginem* alicuius rei, siue corpoream, siue incorpoream, siue habentem rationem, quæ, & qua, siue qua tantum, & sic imago Imperatoris dicitur species, repræsentans Imperatorem, & *Daniel.* 3. *Species quarti, quasi similis filio Dei, & Ezechiel.* 2. *ac* 10. sæpè: item *Lucæ* 3. *Spiritus Sanctus in corporali specie descendit, sicut columba in ipsum, &c.* & ita de alijs innumeris simulacris, seu creaturis in quibus Deus SS. Patribus in veteri testamento repræsentabatur. Hæ autem imagines corporales sunt ratio qua aliquid repræsentatur, & cognoscitur, & sunt præterea ratio quæ cognoscitur, nam ipsemet etiam percipiuntur. Internæ verò imagines rerum, siue materiales sint, vt phantasmata, siue spirituales, vt illæ quæ in intellectu sunt, & vocantur impressæ, seu intelligibiles, sunt quidem rerum repræsentatiuæ, sed tantum ratio qua; nam ipse non

Intentionales sensibiles & intelligibiles.

co-

cognoscuntur, vt obiectum, & hæc de primo significato speciei. Secundum est, quod species significat naturam, seu personam alicuius, de qua *Io. 6.* ait Saluator, *qui me misit Pater, testimonium perhibuit de me. Neque vocem eius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis.* & Apostolus 2. *Cor. 5.* habet, *dum sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.* & Glossa Ordin. ait, duplex est illuminatio, per fidem, & per speciem: In via illuminantur per fidem, &c. & *Ambros.* in hunc locum, ait, *Manifestum est, quia per fidem cum Domino sumus non per præsentiam, ar per hoc peregrinamur, non fide, sed specie:* & post aliqua, concludit: *Quia sedes Dei in cœlis est, illic semper videtur; ideo hic positi, vbi non videtur, peregrinari ab eo dicimur. Quando enim non eum videmus, licet præsens sit absentes ab eo sumus.* sic *Aug. lib. 14. Trin. c. 2.* Ideo mirum non est, si aliquando in Scriptura, & sæpè apud SS. Patres dicitur beatos videre Deum in specie, quod quidem non sic intelligitur, quasi in representatiuo, & cognitione abstractiua, sed vt præsentem obiectiuè in sua propria natura. His positis

Species aliquando significat naturam.

Clara loca ad hoc.

Beati vident Deum non in imagine, sed in propria natura.

40 Dico. Beati vident Deum, non sicut Prophetæ, vel alij in hac vita viderunt, siue in imagine corporea, siue incorporea, seu specie impressa, sed in propria natura, vt est in se, seu nudè secundum suam essentiam. Est communis de fide.

41 Prob. 1. ex 1. *Cor. 13. Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.*

42 Interlin. Ver. *Videmus*, ait, *per imaginem obscuram videmus.* & Ver. *Facie*, ait id est manifestè. & Ver. *Ad faciem*, ait, à similitudine, directo vultu se aspecturum.

43 Glossa Ordinar. quæ est *Ambrosij* in hunc locum, ait. *Nunc imagines per fidem videntur, tunc res ipsæ. Tunc videbo promissa, sicut videor, hoc est præsentem ad Deum esse.*

44 Glossa Lyrani ait. Per speculum in enigmate, quia hæc similitudo creaturarum ad Deum obscura est, & valdè imperfecta. Tunc, id est in patria, facie ad faciem, clarè, & nude videbimus diuinam essentiam. Nunc cognosco ex parte, id est obscurè, & imperfectè, tunc autem sicut cognitus sum à Deo, sicut enim cognoscit essentiam nostram, ita cognoscemus suam.

Script. loca multa.

45 *Hieron.* in eum locum, *Nunc cognosco, &c. sicut me perfectè Deus cognouit, & ego, qua sunt diuina cognoscam.*

46 Prob. 2. ex 1. *Ioan. 3. Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Et licet videatur hic textus loqui de Christo videndo in secundo aduentu; tamen Glossa Ordinar. Ver. *Similes ei*, ait, *cum immutabilis æterna diuinitatis contemplatione perfruemur, nos quoque immortales, & æterni in illo erimus; non idem, quod ipse, sed similes, &c.* Ergo, non in aliqua imagine, aut similitudine; sed in propria natura Deus videtur à beatis: ita explicat etiam *Aug. lib. de Vid. Deo cap. 8.* vt infra.

Ex noueteſt.

47 Prob. 3. *Matth. 5.* dicitur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Interlin. ait, *hic per spem, ibi per rem.* Glos. Ordin. ait. *In futuro sicut est, oculo mentis videbitur.* Glossa Lyran. ait, visio Dei enigmatica per fidem in præsenti, & facie ad faciem in futuro benè repromittitur.

48 Prob. 4. Saluator *Io. 17.* ait. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Glossa Ordinar. ait, *quod hic est ex parte, in futuro erit plenè.*

49 Prob. 5. ex *S. Aug. lib. de Videndo Deo*, vbi per multa capita ostendit Deum posse ab homine, & Angelis videri, & declarat, quomodo veræ sint illæ Scripturarum locutiones, *Deum nemo vidit vnquam*, & verificari de visione Dei in hac vita secundum substantiam, & vt est in se, & in *cap. 8.* præ cæteris ait. *Desiderium autem veraciter pium, qui videre Deum cupiunt, & inhiantes ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, qua, vt vult apparet, quod ipse non est; sed in eam substantiam, qua ipse est, quod est.* Et subdit, hoc desiderasse Moysem *Exod. 33.* cum dixit, *ostende mihi faciem tuam. Naturam Dei respicere cupiebat:* & post. *Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat, non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moysi videre cupiebat ea quippe promittitur Sanctis in alia vita.* Et infra explicans illud *Ioan. Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*, ait, non sicut homines viderunt, quando voluit in specie, qua voluit, non in natura, quam in semetipso, dum videretur latuit, sed sicut est; quod ab eo petebatur, cum ei diceretur, *ostende mihi temetipsum, &c.*

Angeli.

Euidentia Aug. loca.

50 Conf. ex eodem *ibid. cap. 9.* Vbi diffusè probat, nos visuros Deum in propria natura, sicuti est, eo modo quo vident Angeli, quod est summum præmium nobis in resurrectione reseruatum. Idem confirmat in *cap. 12.*

Ex eodem Auguſt.

51 Prob. 6. ex *S. Ambros. in cap. 1. Lucæ*, Versu, *Apparuit ei Angelus*, vbi declarans illud *Ioann. Deum nemo vidit vnquam*, dicit, quod licet Patres Deum viderint in aliqua specie creata; tamen eam, quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis, nemo conspexit, nemo oculis, aut mente comprehendit: & postea subdit, *in ipsa quoque resurrectione non facile est Deum videre, nisi ijs, qui corde sunt mundo.* hæc *Ambros.*

Ambroſ.

52 Prob. 7. ex *Hieron. in cap. 6. Isa.* in principio, vbi declarans, *quomodo Deum*

Ex Hieron.

*nemo vidit unquam*, & Moysi dictum est. *Non poteris faciem meam videre, nequis enim videbit me homo, & viuet*, ait. *Neque Patris, neque Filij, aut Spiritus Sancti diuinitatem, posse hominem per oculos carnis aspicere, sed per oculos mentis, de quibus Saluator ipse ait, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Deinde narrat aliquas visiones Dei, quas habuerunt Abraam, Iacob, &c. quas dicit, non fuisse de natura Dei. Ergo Dei natura, sicut in se est videtur à beatis.

Cyprian. 53 Prob. 8. ex *S. Cypriano epist. 56.* vbi extollens beatorum præconia ait, *quæ erit gloria admitti, vt Deum videas, &c.*

Dionys. 54 Prob. 9. ex *Dionys. Areop. lib. de diuin. nom. cap. 1.* ait. *Intelligibilis lucis participes facti, eius, qui omnem sensum superat, &c.*

Greg. Mag. 55 Prob. 10. ex *Gregor. Magno hom. 37. in Euang. Quanta superna illius Ciuitatis sunt gaudia, præsentium Dei vultum cernere, &c.*

Euarist. 56 Prob. 11. ex *Euaristo in epist. 1. decret.* circa finem, sic habente. *Si enim filius Deus verus, & vita æterna est, quam nullus modo nostrum in hac mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri, sed dum apparuerit, tunc verè illum videbit, sicuti est, qui eius conspectibus fuerit dignus coaptari; & non sicut Moyses cæteriq; Prophetæ per enigmata, & figuram, sed ipsum veraciter in filio secundum Apostolum contuebitur Deitatis imaginem:* ergo. Neque turberis, quod dicat *Deitatis imaginem*, quasi videndum sit aliquod creatum repræsentatiuum, quia loquitur de filio Dei, qui est *imago naturalis Patris*, ex *ep. ad Coloss. 1. ver. 15. & 2. ad Cor. 4.*

Bened. XII. 57 Prob. 12. ex *const. 4 Benedic. XII. §. 3.* vbi definit Sanctorum animas, quæ in cælo sunt, ac erunt etiam ante resurrectionem, *videre diuinam essentiam visione intuitiua, & faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti, visis se habente, sed diuina essentia immediate se, nudè, clarè, & aperte ostendente; & sic videntes, eadem diuina essentia perfrui.*

Ex absurdis argum. 58 Probari posset ex innumeris absurdis. Saluator enim falsa præmia promitteret mundis corde *Matth. 5.* dicens, *quia Deum videbunt.* item *Matth. 18. Angeli semper vident faciem Patris.* Et ita de alijs scripturæ locis, in quibus visio Dei, vt est, promittitur pro alia vita. Si enim non Deum, vt est in se, sed aliquam imaginem, vel simulacrum, aliámuè creaturam, in qua Deus appareret, non in se, viderent, non posset dici Deum, vt in se est, & faciliter videri. Secundo, quia non cessarent enigmata, quę aliud non sunt, quam obscuræ similitudines. Tertio, quia non quietaretur beatus, non attingens summum, ac vltimum bonum, sed idolum illud, seu repræsentatiuum eius.

Enigmata cessabunt in beatis.

Ob. 1. Deus in Sacra Scriptura, dicitur, *inuisibilis.* Neque potest hoc declarari de inuisibilitate corporali; neque de visione in imagine, quia nullus de hoc dubitauit: ergo. Anteced. prob. ex 1. *Tim. 1. Regi sæculorum immortali, & inuisibili. & cap. 6. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, loquitur autem de diuinitate: ergo. Arg. contr.

59 Resp. iam in præced. art. id esse solutum, dico tamen intelligi, quod sit inuisibilis ab homine in hac vita, iuxta illud *Exodi 33. Non videbit me homo, & viuet.* Secundo, cum Glossa Interl. in *cap. 1. Tim.* est incomprehensibilis; non autem simpliciter inuisibilis, quia, vt Glossa Ordinar. ibi dicit, *in futuro sæculo esse videndum.* Ad secundum pariter Interl. *in cap. 6. Ver. Nec videre*, ait, *in hac vita, post autem, videbitur.* & Glossa Ordinar. Ver. *Inaccessibilem*, ait, *quem secundum naturam, qua Deus est, nemo vidit, vel videre potest; sed poterit aliquando.* Deus inuisibilis in hac vita.

Ob. 2. ex *Theodoreto, qui in ep 1. Cor. 13.* Versu, *Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem*, ait, videbimus autem eius, non quæ sub aspectum non cadit naturam, quæ à nullo cerni potest, sed eam, quæ de nobis sumpta est. Ergo Deus secundum naturam non potest à beatis videri, sed sola Christi humanitas. Theodor. arg.

60 Resp. *Theodoretum* intelligendum esse de visione sensitiua; & ipsius Christi, ait enim, *hic videmus symbola Dominici corporis, illic autem ipsum Dominum.* Ergo, cum subdit. *Videbimus autem, &c.* in subiecta materia, & de eodem videndi genere loquitur. Neque potest aliter declarari cum oppositum sit de fide. Declarator de sensitiua visione.

Ob. 3. Deus videtur per similitudinem: ergo. Anteced. prob. Primo ratione, quia quælibet cognitio fit per similitudinem obiecti. Secundo, quia 1. *Ioan. 3.* dicitur, *similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Tertio, quia *August. lib. 9. de Trinit. cap. 11.* docet cum Deum nouimus, fit aliqua Dei similitudo: ergo.

61 Resp. dist. anteced. Fit per similitudinem, seu speciem expressam, concedo. per impressam, seu obiectiuam, nego. Ratio est, quia cognitio quælibet dicitur similitudo, seu species expressa obiecti, & per eam potentia fit obiecto similis. Sed hæc non est, neque obiectum cognitum, neque repræsentatiua illius, sicut est species impressa in absentia obiecti. Et licet, quando obiectum est præsens in se, adhuc cum ordine quodam prius causet speciem sui in intellectu, deinde cognitionem, quia ex cognoscente, & cognito paritur notitia, tamen species illa tunc non gerit vicem obiecti, sed se habet, vt effectus præuius ad cognitionem. At quidquid sit de hoc, Dei cognitio in beatis non fit per speciem illam repræsentatiuam. Ad illud *Ioan. si-* Visio Dei est similitudo, seu species expressa

*miles*

*miles ei erimus*, nihil concludit, quia iam declarat, in quo erimus similes, nempe quod sicut Deus videt nos, sicut sumus: ita & nos videbimus eum sicut est, quod quidem antea non potuimus, & hoc comprobatur ex illo 1. *ad Cor.* 13. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*. Ad illud *Aug.* dico, vt in primo, certè enim sit duplex similitudo Dei in nobis, cum illum videmus, nempè impressa, & expressa. At non proinde sequitur, quod Deus videatur in aliqua similitudine obiectiua, vel repræsentatiua. Vel resp. 2. Si de similitudine obiectiua intelligatur *Augustin.* loquitur de cognitione Dei, quam habemus in via; nam concipimus Deum, non vt est, sed vt quodam ens perfectum, independens, à nobis cognoscibile.

Sempèr sit in nobis similitudo obiecti impressa, & expressa.

Ob. 4. Si Deus immediatè, & in se cognosceretur comprehenderetur, sed non est comprehensibilis: ergo. Prob. sequela. Tunc aliquid comprehenditur, cum nihil eius latet videntem, ex *Aug. lib. de Videndo Deo cap.* 9. sed nihil Dei lateret beatos. Minor prob. Nam ita explicatur à S. Patribus illud Pauli 1. *ad Tim.* 1. *Regi saculorum immortali, & invisibili*, & illud *cap.* 6. *Quem nullus hominum videre potest*.

62 Resp. dist. sequelam, si sermo sit de comprehensiua, vt distinguitur ab abstractiua, & per fidem, certè est comprehensiua; de hac enim loquitur Apostolus 1. *Cor.* 9 *Sic currite, vt comprehendatis*. & *Ephes.* 3. *Vt possitis comprehendere*. & *ad Philipp.* 3. *Si quo modo comprehendam*. Ideoque beati dicuntur comprehensores, ad differentiam viatorum, qui currunt, vt comprehendant, id est, vt clarè videant, quem videre optabant. Si verò sermo sit de rigorosa comprehensione, sequela est neganda. Ad probat. dico, quod licet nihil Dei lateat beatos, quia ab eis totus videtur, adhuc tamen non comprehenditur; ratio autem à priori, est ex eodem *Aug. lib.* 13. *de Ciu. Dei*, vbi ait quidquid verè scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur id est adæquatur, cum sciebili obiecto. Secundo à posteriori, quia obiectum debet cognosci totum, & totaliter. Quæ duo in beatis non adsunt. Sed de hac conditione visionis, infra loquemur.

Propriè non comprehenditur Deus à beatis, & quare.

Beati, quare comprehensores.

## ARTICVLVS III.

### *An visio beata sit intuitiua, & an scientifica.*

SCOTVS pluribus in locis soluit hæc dubia. Primum *in* 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 2. *E. F. G. &c.* & *in dist.* 2. *quæst.* 7. *F F* item *in* 2. *dist.* 3. *qu.* 9. *B. in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. & *quodlib.* 7. *M.* ac alibi sæpè, quibus in locis docet, cognitionem illam, qua beati vident Deum esse intuitiuam, & facialem. Secundum pariter discutit in *Prologo sent. quæst.* 4. *in principio*, vbi docet Theologiam beatorum esse veram scientiam quò ad omnes scientiæ conditiones. Scoti mens.

63 Adu. sensum primæ partis quæsiti facilem esse, & ex præcedentibus ferè euidenter declaratum. De secunda videtur aliqua difficultas, quia scientifica notitia præ cæteris exigit, vt sit per discursum ex præmissis ad conclusionem; qui videtur, vel impossibilis, vel frustratorius in beatis, præsertim circa prædicata, siue quidditatiua, siue attributalia Dei. cum enim vnico intuitu clarè, & euidenter omnia hæc fiant immediatè intellectibus beatorum præsentia, non apparet, quomodo circa ea possint discurrere, & ad quid. Hoc autem posito. Sensus quæsiti facilis.

64 Dico 1. Visio beatorum terminata ad Deum, nempe eius prædicata quidditatiua, absoluta, relatiua, & attributalia, est intuitiua. Est de fide. Visio Dei est intuitiua.

65 Prob. Ex pluribus Scripturæ locis promittitur electis visio Dei, post hanc vitam. Sed hæc esse nequit alia, quam intuitiua: ergo. Maior sæpè patuit in præcedent. *Iob* 19. *Videbo Deum Saluatorem meum*. *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. 1 *Cor.* 13. *Videbimus facie ad faciem*. 1. *Ioan.* 3. *Videbimus eum sicuti est*. & de Angelis, *Matth.* 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, &c.* Minor prob. Visio ista non potest esse, neque in specie aliqua, neque abstractiua. Nam hoc modo Deus à multis visus est, à Iacob. *Gen.* 32. *Vidi Deum facie ad faciem*. A Moyse sæpè *Exodi* 33. & *Num.* 12. ab Abrahamo, Isaia, Ezechiele, & alijs Propheris; imò ex hoc Iacob dictus es Israel, id est videns Deum, item & Prophetæ appellabantur videntes, quia Deum, sed in aliqua imagine creata videbant, non autem in sua natura, & essentia; nam ex *Exodi* 33. *Non videbit me homo, & viuet*. & *Ioann.* 1. *Deum nemo vidit vnquam*. Ergo si promittitur post mortem eius visio, hæc non potest esse abstractiua, vel enigmatica, sed intuitiua terminata ad Deum immediatè. Script. loca.

Promittitur visio intuitiua.

Conf.

& facialis.

66 Conf. ex 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per Speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo, vt cognitio in patria differat à cognitione in via, si hæc est enigmatica obscura, & in similitudine; illa debet esse clara, euidens, obiecti in se, ac intuitiua.

Ita videbitur Deus, sicut ipse videbit beatú.

67 Conf. 2. ex eodem Apostolo ibid. *Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Sed beatus intuitiuè, & immediatè cognoscitur, & cognoscetur à Deo: ergo & ipse immediatè cognoscet Deum, & sic intuitiuè.

68 Conf. 3. 1. *Ioan.* 3. *Videbimus eum, sicuti est.* Sed per solam cognitionem intuitiuam videtur res sicuti est: ergo.

Vt in se est,

69 Prob. 2. ex *const.* 4. *Benedict. XII.* in qua manifestè hoc definitur, ait enim in §. 3. *Beatos videre diuinam essentiam visione intuitiua, & faciali, nulla mediante creatura in ratione obiecti visi se habente, sed diuina essentia immediatè se nudè, clarè, & apertè ostendente:* ergo.

A priori arg. Scoti.

70 Prob. 3. ratione *Scoti ex* 2. *sent. d.* 3. *quæst.* 9. *B.* Visio beata causatur ab intellectu beati, & Deo in se ipso existente, ac præsente vt est, non verò repræsentato in aliqua specie, seu similitudine; ergo est intuitiua. Consequ. est euidens, per hoc enim distinguitur ab abstractiua, & enigmatica. Antec. modo patuit, quia Deus nudè, & clarè se manifestat beatorum intellectibus.

Ambros.

71 Prob. 4. ex *S. Ambr. in cap.* 13. *ep.* 1. *ad Cor. Videmus, &c.* vbi ait, *Apertum est nunc imagines videri per fidem; tunc res ipsas; modo scio ex parte, tunc verò cognoscam, sicut & cognitus sum; id est videbo, qua promissa sunt, sicut videor, hoc est præsentem esse ad Deum, vbi Christus est.* Ergo visio illa, cum non sit abstractiua, & prophetica, erit intuitiua.

Hieron.

72 Prob. 5. ex *S. Hieron.* in eundem locum. *Nunc cognosco ex parte,* vbi ait, *sicut me perfectè Deus cognouit; & ego, qua sunt diuina cognoscam.* Sed Deus intuitiuè cognoscit nos: ergo.

Augusti.

73 Prob. vlt. ex *Augusti. de Gen. ad lit. lib.* 12. *cap.* 16. in fine, *Ineffabilis ibi erit visio veritatis, ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem, siue corporalem, sicut visa est in monte Sina; siue spiritalem, sicut Isaias, vel Ioannes in Apocalypsi, sed per speciem non per enigmata, quantum eam capere mens humana potest. Secundum assumentis Dei gratiam, vt os ad os loquatur ei, quem dignum tali Deus colloquio fecerit, non os corporis, sed mentis.* Ergo est cognitio intuitiua terminata ad substantiam, seu essentiam Dei.

Isa. & Ioan per visionē spiritualem, non immediatè Deum viderunt.

Quare est facialis,

74 Conf. ex eodem ibid. à *cap.* 17. *vsque ad* 23. quibus in locis probat, Deum non esse videndum à beatis, oculis corporeis, sed oculis mentis, & in *cap.* 22. dicit, ideo diei visionem facialem, quia immediatè, sicut nunc oculo corporeo videmus faciem alicuius, ita in patria oculo mentis videbimus Dei naturam. Quod diffusè prosequitur. Ergo visio illa erit intuitiua, & immediatè terminata in Dei naturam.

Non improbabile quod sit circa aliquos actus discursiua.

75 Dico 2. Non est improbabile, quod visio Dei secundum aliquos actus, & circa aliqua prædicata, & obiecta visa in eo, sit compositiua, & discursiua, seu scientifica. Ita *Scotus in Prolog. sent. quæst.* 4. *latter. A.* eum sequuntur omnes Scotistæ.

A priori.

76 Prob. 1. pars. Nulla est repugnantia, quin Beatus videns Dei claritatem, perfectionem, infinitatem, & alia, quæ de eo credidit in via actu compositiuo intellectus assentiatur, & enunciet, vera esse, quę credidit, & Deum perfectiorem esse, quam ipse in via concepit abstractiuè in specie, & enigmate per fidem: cur enim beatus non poterit hoc facere, & super actus proprios reflectere, & enunciare, quod Deus sit à se, Pater à nullo producatur, filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque.

77 Conf. Beati, siue Angeli, siue homines possunt ad inuicem loqui mentaliter; imò, vt suppono Angeli superiores illuminant inferiores, absque eo, quod isti cessent à visione Dei. Ergo, tam audientes, quam loquentes, actus habent enunciatiuos.

Plures actus potest beatus habere.

78 Prob. 2. Si hoc repugnaret maxime esset, quia non potest beatus habere plures actus, sed vnico respicit omnia: sed hoc est falsum; quia cum beati intellectus sit finitus, nulla est implicantia, quin plures habeat actus. Non enim est, vt diuinus, qui vnico intuitu respicit omnia.

Scientia etiā est illa visio secundum aliqua.

79 Prob. 2. pars, de scientia, ac discursu. Nihil deficit, quin visio illa, qua beatus cognoscit effectum per causam necessariam, sit scientifica secundum totum rigorem scientiæ consideratæ ab *Arist. in primo Poster.* est enim notitia certa, & euidens de obiecto necessario; & discursus in beato non repugnat. Nam perfectè cognoscit beatus, ex memoria fœcunda, obiecto, scilicet essentia diuina, & intellectu insurgere relationes generationis actiuæ, ac passiuæ: ex voluntate fœcunda existente in patre, & filio emanare spirationem actiuam, & passiuam. Ex essentia radicaliter infinita emanare omnia attributa essentialia absoluta, deinde relatiua ad extra. Item ex intellectu diuino tendente in essentiam infinitè imitabilem, ac participabilem extra se, produci creaturas in esse cognito, seu idæas. Eiusmodi autem cognitio effectus, seu quasi effectus per causam, seu quasi causam, & circa necessaria, si pluribus actibus cum ordine prioritatis, ac posterioritatis naturæ, est verissima scientia: ergo.

A priori arg. Scoti.

80 Prob. 2. ratione *Scoti loco cit. sub A.* & quidem non minus efficaci, quam euidente. Quidditas subiecti essentialiter continet virtualiter omnes veritates, quas potest

test facere notas intellectui passiuo, siue capaci illius obiecti, & in quocunque lumine videatur, est talis naturæ, siue videatur in lumine creato, siue in increato. Sicut enim linea visa in lumine naturali, potest facere notas intellectui nostro omnes veritates in se inclusas; ita si videatur in lumine increato, nempe in diuina essentia, quia numquam desinit esse causa, & cognoscibilis, vt causa. Ergo visio, qua per essentiam cognoscuntur ea, quæ ab essentia manant, est cognitio veritatum inclusarum in subiecto, seu passionum, aut effectuum necessariorum in sua causa. Cognitio autem veritatis, vel passionis, aut effectus per subiectum, & causam necessariam, si est cum pluralitate actuum succedentium, & naturali saltem ordine dispositorum, est scientifica: non enim (ait *Scotus*) discursus exigit successionem temporis, sed sufficit naturæ.

Ex impugn. contr. sent. aug.

81 Prob. 3. Si quid obstaret, quin deberet in beatis poni visio scientifica, seu discursiua, maximè esse authoritas *Augustini 15. de Trinit. cap. 10.* vbi ait, *fortasse, inquit, non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes ab alijs in alia euntes, atque redeuntes, sed scientiam nostram vnico intuitu videbimus.* Sed hæc non officit, ait *Scotus*, *vbi supra quæst. 4. A.* quia *S. Augustinus* non loquitur assertiuè, sed dubitatiuè, dicens, *fortè*. Sed ibi intendit docere, quod verbum nostrum quantuncunque sit perfectum non est æquale verbo Dei. Vel secundo, ait idem *Scotus*, posset *Augustinus* declarari de visione beata terminata ad prædicata Dei essentialia, & circa hæc non potest esse discursus, quia nullam habent sui causam, & sic vnico intuitu petunt videri.

August. declaratur.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. *S. Ioann. Chrysost. in Comment. Euang. Ioannis*, declarans illud *Deum nemo vidit vmquam*, præ cæteris habet, Deum, vt est in se non solum Prophetæ, nec Angeli viderunt, nec Archangeli; sed si ipsos interroges, nihil tibi quidem de substantia ipsa respondentes, &c. & post aliqua. Solus ipsum videt filius, & Spiritus Sanctus; etenim natura creata omnis, quid tandem increatum illud videre potest? & prolixè de hoc discurrit. Obijciens postea sibimet illud *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, ait, mentis intuitum, qui ad captum nostrum temperatus est, & notionem Dei, quam habemus, sic etiam in Angelis accipiendum est, propter puram ipsorum, ac vigilem naturam, nihil ipsos aliud præterquam Deum animo vmquam videndum sibi proponere: ergo.

Validè arg. Chrysost.

Conf. ex eodem *in tract. 3. contra Anomæos*, vbi ait, Deum, neque inuestigare possunt Angeli, nec scrutari Archangeli, nec videre Seraphim, &c. vno verbo, quem nulla creatura intueri potest. Ergo cognitio, seu visio Dei in patria non est intuitiua.

82 Resp. sicut in art. præcedd. cum S. Thoma, & omnibus Theologis Chrysostomum loqui de intuitiua comprehensiua, hæc enim vt postea dicemus, non potest vlli intellectui creato, siue facto, siue factibili conuenire. Apparet autem, talem esse Chrysostomi sensum, quia *orationis 3.* contra Anomæos titulus est *de incomprehensibili*; nam Anomæorum sententia erat, quod homines in hac vita, ita prorsus cognoscant Deum, sicut Deus se ipsum (quæ aperta stultitia est) Chrysost. autem eos impugnans, non solum dicit, hoc esse impossibile; sed quod, nec Angeli ipsi Deum sic cognouerint aliquando, neque vlla creatura poterit vmquam sic Deum videre. Ideo *Cyrillus Hierosolymitanus catech. 6.* declarans illud *Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris*, subdit videre Deum, non sicut Deus est, sed quantum capere ipsi possunt: & postea sequitur. Cuius faciem Angeli semper vident; vident autem pro mensura quisque ordinis sui. Ergo omnes de comprehensiua sunt explicandi, quando Angelis, alijsue beatis visionem Dei negant.

Declaratur Chrysost. de comprehensione,

Omnes sic explicandi si negant Deum esse visibilem.

Ob. 2. Licet in Scripturis habeatur, beatos Deum visuros, numquam tamen de vocabulo intuitionis loquuntur: ergo, licet visio Dei in beatis tenenda sit de fide, non tamen intuitiua.

83 Resp. neg. consequ. Nam idem importat verbum intueor, ac video immediatè, legatur vetus testamentum à *Gen. 19. Leuit. 13. Num. 14. Tob. 7. Iob 16. 20. 26.* & alijs in locis eiusdem, nec non *Matth. 16. Marci 6. Luca 22. Ioan 1. Act. Apost.* sæpissimè. Aliquando enim ponitur verbum intueor, & aliquando video. Parum autem refert, quod hoc, vel illo verbo explicetur cognitio, qua Deus per intellectum beatorum immediatè cognoscitur; hoc ergo inquirimus. At quia verbum *Visio* in Scriptura, aliquam Dei cognitionem in similitudine, & prophetalem significat; vt innueretur, non hoc modo, Deum à beatis videri, fuit additum *sicuti est in se*, quæ quidem visio eadem est, ac intuitiua cognitio. Et proinde in *constitut. 4. Benedicti XII.* vtraque particula apposita est, *Visione intuitiua*. Concedatur autem, cum fide, beatos Deum sicuti est in se immediatè, & non per similitudinem aliquam, aut speciem Dei videri, & non curabimus de alia voce.

Intuitio, & visio immediata idem sunt.

Multæ formalitates explicantes visionem.

Ob. contra 2. Beati vnico actu vident Deum: ergo. Antec. prob. Primò, quia in Scriptura nulla fit mentio de pluralitate actuum, sed de sola visione. Secundo quia terminatur ad ens simplex, quod statim, vel totum videtur, vel totum latet. Igitur frustatorij essent actus illi iudicandi, & concludendi.

Arg. contr. 2

84 Resp. dist. anteced. De prædicatis quidditatiuis, concedo. de alijs nego.

Est Theologica solum sent. quod beati discurrant.

Ad probationem concedo, non esse de fide, quod beati habent actum discurrendi, vel inferendi. At non sequitur, quod non sit opinabile. Quidquid enim homini competit essentialiter, & non repugnat statui beatitudinis, est ei concedendum. Quæ autem repugnantia est, vt beatus videns infinitam Dei perfectionem, &c. iudicet, seu assentiatur, eum esse dignum omni laude. Quis enim neget, quod si Angelus, vel alius homo beatus alteri de Dei magnalibus colloquatur, & statum viæ præteritæ commemoret, & quod à Deo adiuti sint, & quod martyrium, vel alia passi sunt, & cætera, quæ ad sui salutem operati sunt, alter consentiat ad omnia. Item si de iustitia, quæ cum damnatis exercetur, &c. possit de ijs præstari consensus, & respondere, quod ita sit. Itaque pluralitas ista actuum statui beato non repugnat. Ad aliud de ente simplici, dico, quid repugnat, quin beatus assentiatur, Deum esse ens simplex. Quid secundò, quod assentiatur, attributa emanare ab essentia, relationes constituere personas, &c. Ergo, neque pluralitas actuum, neque simplicitas obstat.

Quibus modis beati possint discurrere,

Ob. 2. Discursus scientificus procedit de noto ad ignotum. Sed beati non sic se habent: ergo.

85 Resp. dist. Discursus abstractiuus, & in via, concedo. Intuitiuus, quando scilicet videtur obiectum cum suis proprietatibus, & concluditur has non constituere illud, sed ab eo emanare, nego. Sic se habent beati videntes Deum, attributa ab eo emanantia, possibilia creari, &c. assentiuntur enim quam omnia hæc in Deo sint, & emanent ab eo. Nulla enim exrat implicantia. Sicut enim ex Isaia, quod etiam commemorat Ecclesia Seraphim, alijque Angeli confitentur Dei Sanctitatem, *Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria eius*, ita assentiuntur veritatibus illis, quas confiteutur. Vel dici potest, quod à noto proceditur ad ignotum pro signo aliquo priori naturæ, cum enim cognoscitur subiectum in eo priori, saltem naturæ non cognoscitur passio, sed in sequenti instanti.

Quomodo etiam à voto discursiuè potest ad aliud votum procedi.

Neque hoc repugnat beatis.

## ARTICVLVS IV.

### *An Dei visio sit practica, vel speculatiua.*

SCOTVS de visione beati hoc dubium non exagitat ex ijs tamen, quæ in *Prologo sent. quæst. 4. sub A. O. & P.* docet, nempe Theologiam in se respectu cuiuscunque intellectus creati esse purè practicam. Et Theologiam beatorum esse discursiuam, & tandem, Theologiam, id est scientiam Dei respectu sui, estò simplicissimam esse practicam; colligitur euidenter, notitiam intuitiuam beatorum esse purè practicam.

Scoti mens.

86 Adu. 1. ex *Scoto in Prolog. quæst. 4. §. Dico igitur A.* quod Praxis, à qua scientia dicitur practica, est operatio voluntatis apta dirigi à ratione recta, vt sit recta. Ac proinde notitia practica, dicit ordinem prioritatis, ac regulationis respectu praxis. Nè dum autem actus elicitus, sed etiam imperatus voluntatis dicendus est praxis, & hoc modo intellectio, vt à voluntate imperata extensiuè dicitur praxis. Omnis autem notitia, quæ est directiua praxis dicitur notitia practica. Alia autem quæ de praxi dicenda essent, & de constitutiuis scientiæ practicæ, supponimus, ne dum *Prologo sent.* sed ex Logicis; non enim omnia sunt probanda, sed aliqua supponenda. alia probanda.

Praxis quid sit.

87 Adu. 2. Quod notitia, seu scientia aliqua dupliciter esse potest practica, formaliter, scilicet & virtualiter. Formaliter est practica, quando includit iudicium practicum dictans aliquod esse agibile, v. gr. notitia, quod Deus sit colendus, parentes honorandi, &c. potest præterea esse actualissimè practica, quando scilicet includit iudicium dictans, quod hic, & nunc exercendus est Dei cultus, aut parentes honorandi. Notitia verò virtualiter practica, est notitia obiecti, de quo, seu in ordine ad quod formari possunt iudicia practica, & ad quod tendendum est per praxim. Et sic notitia summi boni, est practica virtualiter; de eo enim formari possunt propositiones practicæ, & circa illud tendendum est per praxim; nam de eo dicitur, quod sit summè diligibile, quod hic & nunc diligendum sit: & tandem diligitur, & speratur eius finalis fruitio. Ecce quomodo omnes illæ notitiæ diriguntur ad praxim.

Dupliciter scientia aliqua dicitur practica.

Scientia formaliter, vel virtualiter practica,

88 Dico ergo. Visio Dei in beatis dicenda est purè practica. Colligitur ex *Sco. loco cit.* & si bene intelligatur debet esse communis.

Visio beatorum est purè practica.

89 Prob. 1. Visio Dei est de obiecto, de quo formantur propositiones practicæ, & est prior praxi, ac regulatiua eius: ergo.

An-

Anteced. prob. Vident beati, quod Deus est summè diligendus, & tales habent assensus; & ex tali notitia directi eum sic diligunt, & ex mensura visionis dictantis mensuram dilectionis, diriguntur in mensura amoris, fruitionis, & gaudij. Ergo habet omnia requisita ad scientiam practicam.

Laudatur Deus a beatis.

90 Prob. 2. ex *Psal.* 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*. Glossa Ordinar. Ver. *Beati*, ait, *in secula seculorum laudabunt te, hoc totum negotium est ibi Sanctorum*. *Augustin.* in hunc locum præ cæteris, ait, *hoc erit totum negotium nostrum sine defectu Alleluia. Non vobis fratres videatur, quasi fastidium ibi futurum, quia si modo hoc diu dicatis non duratis, &c.* deinde subdit. *Si tanta alacritas in ipsa præssura, & fragilitate carnis laudamus, quod credimus; quomodo laudabimus, quod videbimus*. Hinc *Isa.* 6. in illa mirabili visione, audiuit etiam Seraphim clamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus, &c.* ergo totum Beatorum negotium est perpetuum Alleluia, id est perpetua laus Dei. Ergo cum visio illa Dei dirigatur ad hanc praxim dilectionis, & laudis, dicendæ est practica.

Canent Alleluia.

91 Conf. ex *Psal.* 149. *Exultabunt sancti in gloria. Exultationes Dei in faucibus eorum*. Glossa Ordinar. habet, qui in corde, & in lingua, non desinunt laudare Deum à quo æterna habent. Item *Apocal.* 19. habetur. *Audivi quasi vocem magnam turbarum in cælo dicentium, Alleluia. Laus, & Gloria, & virtus Deo nostro, & iterum dixerunt, Alleluia. Et ceciderunt viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes, amen Alleluia. Et vox de throno exivit, dicens. Laudate dicite Deo nostro omnes Sancti ejus, &c. Et audivi, quasi vocem turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum; & sicut vocem thonitruorum magnorum dicentium Alleluia, &c. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, &c.* ex quibus, alijsque Scripturæ locis clarè habetur, quod beati toti sunt in amando, & laudando Deum. Ergo notitia, & visio, quam de eo habent, tota quanta est, ordinatur ad hanc praxim dilectionis, & laudis, & consequenter est practica.

Beatorum functiones in cælo.

Visio Dei ad amorè eius ordinatur.

91 Prob. 3. Deus à beatis videtur, vt ab eis ametur, & glorificetur. Ergo visio est practica. Euidens est consequ. Nam practica ordinatur ad opus dirigibile ab ipsa. Anteced. prob. Videtur, vt ab eis possideatur in ratione vltimi finis, & summi boni, sed per dilectionem, seu amorem hoc modo, vt in suo loco dictum est, possidetur. Ergo visio ad actum illum ordinatur. Et sic est practica, quia ad operationem voluntatis dirigitur.

93 Prob. 4. Deus, ne dum in via, sed in patria est diligendus propter se. Beatus autem in patria id nescit per fidem, quia hæc euacuatur; sed scit, quia id videt in Deo, & quia videt, debet exequi. Ergo visio illa est ordinata ad praxim, & sic est practica.

Sicut num fides, ita tum visio.

Ob. 1. Visio beata terminatur ad prædicata quidditatiua Dei. Videt enim beatus Deum esse simplicem entitatem communicatam tribus personis, habere attributa sibi realiter identificata, esse ens à se; immensum, omnipotentem, &c. quæ sunt merè speculabilia. Videt præterea creaturas possibiles, vel futuras, quas ei Deus reuelat; naturas omnium rerum; attingit principia metaphysicalia, mathematica, &c. hæc autem cognitio est mera contemplatio, & non practica scientia; alioquin ipsa metaphysica, & mathematica essent scientiæ practicæ, contra doctrinam Phylosophi.

Arg. contr.

94 Resp. dist. anteced. Quò ad omnia in eo comprehensa; videt omnia hæc, vt secundum omnia Deum amet, & laudet, cum perpetuo cantico Alleluia, vt dicit scriptura, concedo. Videt solum, vt contempletur, & sciat sistendo in contemplatione, nego. & nego consequ. Ex hoc enim præcisè scientia aliqua dicitur practica, quia ordinatur ad praxim.

Videt omnia, vt pro omnibus amet.

Ob. 2. Obiectum notitiæ practicæ est opus, vel obiectum operabile. Deus non est eiusmodi: ergo.

95 Resp. neg. primam partem antec. Quod opus sit obiectum scientiæ practicæ, opus enim est finis practicæ. Ad secundam partem ant. dist. Obiectum operabile, vel formaliter, vel virtualiter, est obiectum practicæ, concedo. formaliter tantum, nego. In casu habemus opus, vt finem, quia charitas, & laus sunt opera practica, & ad ista ordinatur visio; quia, vt patuit, Alleluia perpetuum est totum negotium beatorum. Habemus etiam obiectum virtualiter operabile. Id est, de quo formari possunt iudicia practica, de praxi exercenda circa illud. Beatus enim videns Dei magnalia, iudicat secundum hæc omnia, Deum esse amandum, et laudandum. Sicut quia medicina considerat corpus, vt sanandum, est practica. Etica, quia considerat hominem, vt dirigendum, est etiam practica. Ita de Beatorum Theologia dicendum est.

Opus est finis practicæ scientiæ.

Obiectum verò aliquo modo operabile est proprium eius.

Ob. 3. Contemplatio est optima operatio, quam potest homo habere. Et hæc ei promittitur, vt præmium omnium laborum, ex Augustino.

96 Resp. dist. anteced. Contemplatio merè speculatiua, nego. Contemplatio regulatiua voluntatis; et subdistinguo, est optima operatio hominis, ratione intellectus, concedo. absolutè, nego. Quia in proprio loco diximus, hanc operationem optimam hominis esse fruitionem Dei. At estò, quod actus intellectus, seu visio Dei sit optima operatio, quale inconueniens

Contemplatio practica est præmij, & optima operatio,

est, quod sit practica respectu eiusdem Dei, & in commodum eiusdem hominis. Neque video, quomodo quis possit negare visionem Dei dirigere voluntatem beati, vt elicitus appetitus quietetur. Si enim visio illa non dictaret tantum amorem, tantam fruitionem, tantumque gaudium beato competere, quia tantumdem exigunt merita; appetitus elicitus beati non quietaretur.

Nisi visio dirigeret voluntatem, beatus non quietaretur.

Ob. 4. Esto visio dirigat voluntatem in amore, & fruitione, non proinde est practica. Nam directio illa non est per modum artis, neque factionis. Imò, cum amor sit necessarius, non potest esse effectus practicus, neque dirigibilis à notitia practica.

97 Resp. neg. anteced. ad probat. dico, quod directio illa voluntatis, suo modo dici potest ars; quid enim aliud est ars, ex Phylosopho, nisi *habitus cum recta ratione factiuus*; hoc solum deest dictamini quod visioni inest, quia scilicet non sit factiuus, nam non dirigit operationem transeuntem extra ad corporalia: at re vera dirigit voluntatem; hæc enim cum non sit sui met regula, eget directione superioris regulæ, nempe visionis Dei dictantis, sic, atque tantum esse amandum, nempe per se super omnia, & cum proportione ad merita. Ad illud de necessario, iam dixi cum Scoto in præcedd. amorem beatificum esse intrinsecè, remotè tamen liberum. Sed hoc parum refert, dummodo voluntas sit regulabilis.

Visio beata est quædam ars amandi Deum, id enim docet.

Ob. 5. Visio, qua Deus se ipsum videt, non est practica. Ergo neque visio beati. Eodem enim modo se habet.

98 Resp. ad antec. iuxta problema Scoti, etiam Dei visionem esse practicam; nam quantum est de se dictat amorem summum, & de facto voluntas diuina, sic amat. At respectu sui per accidens se habet, quod diuina voluntas non sit regulabilis, quod esset necessarium ad statuendam scientiam practicam. Sed dato antecedente, negatur consequ. Disparitas enim est, quia in visione beati habemus directionem in ipsa, & directiuitatem in voluntate, quæ est obliquabilis. Quod verò per externam Dei prouidentiam, & supernaturalem habitum non delinquat, est ei accidentarium. Sicut, si Deus faceret homines omnes ex gratia impeccabiles; & faceret omnia corpora indefectibilia, & morborum incapacia; non proinde etica, vel acquisita ab homine, vel ei infusa à Deo, neque medicina cessarent esse scientiæ practicæ. Ita prorsus in casu dicendum est. Visio enim beati de sui natura est prior actu voluntatis, & directiua eius, quò ad rem, modum, & mensuram. Ergo nihil sibi deest quin sit practica.

Arg. à pari. De Dei scientia erga se.

Disparitas de ea, ac de visione beati, quæ,

## ARTICVLVS V.

### *An visio beata sit comprehensiua; & quare non.*

SCOTVS *in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. ad 2. principale F.* docet, quod nullus creatus intellectus, nec etiam intellectus animæ Christi, videns clarè, & intuitiuè verbum, ipsum comprehendat, ratio autem eius est, quia intellectus creatus non commensuratur Deitati. Et addit, quod etiam si videret in Deo quodcunque visibile, neque proinde eum comprehenderet. Ideo

Scoti mens.

99 Adu. 1. Quod hoc vocabulum *comprehendo*, æquiuocum est ad corporalia, & spiritualia. Ex primæuo enim suo significato pro corporali actione fuit institutum, & significat tentionem alicuius obiecti, quod quis prosequitur, *Exodi 15. Persequar, & comprehendam. Iudic. 1. Quem persequentes comprehenderunt. 4. Reg. 10. Comprehendite eos viuos. Eccl. 9. Auis laqueo comprehenduntur*, & vt innumera veteris testamenti omittam exempla *Mat. 26. & Marci 14. Cum lanternis, & fustibus vnistis comprehendere me. & Luca 22. Comprehendentes autem Iesum*. Secundo significat inclusionem alicuius rei in alio, tamquam continente. *Esther 9. Literis comprehensa. Dan. 9. Breui sermone comprehendit. 2. Machab. 2. Quinque libris comprehensa*, & sic de alijs, quæ ad nos non pertinent. At præter hæc, & alia eiusmodi, significat actum intelligendi, *Iob 11. Vestigia Dei comprehendes. Ecclesiast. 43. vers. 34.* loquens de Dei cognitione, ait, *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis; ne laboretis non enim comprehendetis: Ioann. 1. Et tenebræ eum non comprehenderunt. 1. Cor. 9. Currite, vt comprehendatis. Ephes. 3. Vt possitis comprehendere. Philip. 3. Si quo modo comprehendam ficut & comprehensus sum à Christo:* & polt. *Non arbitror comprehendisse*. Hinc beati existentes in cælo ad differentiam viatorum ex duplici capite dicuntur comprehensores, & quia apprehenderunt iam brauium, pro quo in mundo currebant; & quia per intellectum clarè, & intuitiuè vident, quod in via non videbant, sed credebant. Et hæc sunt fine controuersia.

Comprehensio est quid æquiuocum.

Multa significata eius.

Ex S. Script. significat actum intelligendi.

100 Adu. 2. Quod præter hoc genus commune comprehendendi intellectualiter, quod omni intuenti, & distinctè cognoscenti obiectum competit, datur alia comprehensionis species, quæ est talis obiecti cognitio, vt per eam ex vi illius quidquid est in obiecto, siue formaliter, siue virtualiter, ac eminenter videatur; ita vt nihil eius lateat videntem, ex *Aug. ep. 112.*

Alia comprehensionis species.

*& in*

*& in libro de Videndo Deo cap.* 9. & tanta est intellectualitas in cognoscente, quanta est intelligibilitas in obiecto, vel maior intellectiuitas in cognoscente, quam intelligibilitas in obiecto. Qua de causa SS. Patres, vt patebit constanter docent, Deum à creaturis comprehendi non posse.

Visio Dei non est comprehensio rigorosa,

Anomæorũ hæresis.

101 Adu. vlt Anomæor tantummodo, quos egregiè confutat *Chrysostomus orat.* 3. *contra Anomæos*, docuisse, Deum ab intellectu creato posse comprehendi. In eos autem ita inuehitur Chrysostomus, ex Patrum more, vt docere videatur Deum, neque visibilem esse ab Angelis. Catholici autem de nomine discordant, an scilicet aliquo comprehensioni genere à beatis comprehendatur. In re verò concordes sunt, sed solum de causa disputant, vnde scilicet hæc proueniat incomprehensibilitas.

Visio Dei in quo sensu est comprehensio.

102 Dico 1. Si comprehensio sumatur pro acquisitione obiecti beatifici, & clara eius cognitione, ita quod nihil de prædicatis existentibus in Deo lateat beatos; visio beata est comprehensiua. Est communis sine controuersia.

103 Prob. 1. ex allatis Apostoli locis, quibus docet, comprehensionem expectari à viatoribus. Sed Dei clara visio expectatur: ergo.

Ex PP. clara visio Dei dicta comprehensio.

104 Prob. 2. Sancti Patres ab initio Ecclesiæ beatam visionem appellare consueuerunt comprehensionem: ergo. Antec. prob. *Clemens Alex.* 5. *Strom.* ait. *Nemo potest quandiu viuit Deum perspicuè comprehendere. Gregor. Nazz. orat.* 25. ait. *Et hinc ad illam transibis beatitudinem. Hæc est autem, vt mihi videtur horum ipsorum magis expressa comprehensio. & in orat.* 34. *Enoch translatus est quidem, sed non dum constat, an Dei naturam comprehenderit, an comprehensurus sit. Origenes contra Celsum lib.* 6. docet intelligibile, sola mente comprehendi posse. Deus autem à beatis mente cognoscitur. Ergo iuxta SS. doctrinam visio beata, in vno sensu est comprehensio.

Ex Augustino.

105 Prob. 2. ex *S. Augustin. lib. de Videndo Deo cap.* 9. *Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt:* & postea declarans illud *Ioann.* 1. *Deum nemo vidit vnquam*, ait. *Plenitudinem diuinitatis eius, nemo conspexit, nemo oculis, aut mente comprehendit:* & post aliqua dicit, *hoc nobis summum præmium in resurrectione promittitur*, & in fine, ait: *Eo autem modo videtur sicuti est, nunc fortasse à quibusdam Angelis, à nobis autem tunc ita videbitur, cum eis facti fuerimus æquales.* Ergo à primo ad vltimum concluditur, eam visionem, quæ Moysi non fuit concessa, nec alijs, sed reseruata est nobis post resurrectionem, dicendam esse *comprehensionem*.

106 Dico 2. Si comprehensio sumatur in rigore pro cognitione adæquata ex tota natura attingens obiectum, quantum est attingibile visio beatifica, siue Angelorum, siue hominum non est comprehensiua. Est *Scoti loco cit. D. Thom.* 1. *par. quæst* 12. *art.* 7. *& 3. par. quæst* 10. *art.* 2. *D. Bon.* & Scholasticis omnibus communis.

107 Prob. 1. ex *Ieremiæ* 32. 19. *Fortissimè magne, & potens Dominus exercituum, nomen tibi magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Interlin. ait, *quem non comprehendit cogitatio, quomodo potest sermo comprehendere*; quæ Glossa est *Hieron.* in eum locum. Ergo neque beati comprehendunt.

Script. loca; quod Deus non possit comprehendi.

109 Prob. 2. ex *Rom.* 11. 33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.* Interlin. Ver. *Altitudo*, ait, *quare sic? Ne putes comprehendi posse.* & Ver. *Sapientiæ*, dicit, *sicut sapientia, & scientia eius sunt incomprehensibiles, sic & iudicia.*

Patres idem docent.

109 Prob. 3. ex *Gregor. Nyss. libro ad Alabium in eius tomo* 1. sic habente. Nos minimè definitam, neque comprehensam diuinam naturam esse credentes, nullam eius comprehensionem animo cogitamus. & in *lib.* 12. *contra Eunom. Diuina natura quemadmodum se habeat attingi comprehendique non potest, omnique comprehensione, qua rationibus constat sublimior est.*

Ex Chrysost. exagerat.

110 Prob. 4. ex *Chrysost. orat.* 3. *contra Anomæos*, vbi de Deo sic loquitur. Vocemus igitur inexplicabilem incomprehensibilem illum, quem nemo cogitare, nemo videre, nemo assequi potest qui humanæ linguæ vim excedit; qui mortalis intelligentiæ comprehensionem transcendit. Quem nec inuestigare Angeli possunt, nec Archangeli perscrutari, neque contemplari Seraphim; neque mente percipere, qui inuisibilis est Principatibus, dominationibus, virtutibus, totique creaturæ; sed à solo Filio, & Spiritu Sancto cognoscitur. Hæc autem intelligi nequeunt de visione Dei; quia de fide est, omnes præfatos eum videre: igitur de perfecta comprehensione loquitur.

Ex Ambros.

111 Prob. 5. ex *Ambrosio in Symbolum Apost. cap.* 10. Creata natura increati substantiam, vt talis est, numquam potest ad plenum comprehendere.

Epiphan.

112 Prob. 6. ex *Epiphanio hæresi* 72. vbi docet, Deum infinitum videri; non, vt se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest.

Greg. Mag.

117 Prob. 7. ex *Gregor. Mag. lib.* 10. *Moral. cap.* 7. in retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest: quia etsi hunc in claritate sua quandoque conspicimus; non tamen eius essentiam plenè contuemur. Angelica etenim, vel humana mens, cum ad incircumscriptum lumen inhiat; eò ipso se, quo est creatura coangustat, & super se quidem

per

per profectum tendit, sed tamen eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit, qui et trascendendo, et portando omnia, et implendo concludit.

Idem Greg.

114 Conf. ex eodem *lib.* 18. *Moral. c.* 28. in fine. Videbimus Deum, si super cælestem conuersationem super homines esse mæreamur. Nec tamen ita videbimus, sicut videt ipse se ipsum. Longe quippe dispariliter videt creator se, quam videt creatura creatorem.

Fulgent.

115 Prob. 8. ex *S. Fulgentio in respons. ad 3. quæst. Ferrandi*, vbi interrogatus an Christi anima, deitatis plenam habeat notitiam, et sicut se inuicem norunt Pater, et filius, ita anima Christi Deum? Respondet, Creatoris, creatureque distinctio incomprehensibilem monstrat, atque inexplicabilem intellectui creaturæ creatoris magnitudinem: et post. Christi animæ sapientiam, et scientiam (vt decet) exaltauit dicens, in ea repositos esse omnes thesauros sapientiæ, ac scientiæ Dei, & sic concludit. Possumus planè dicere animam Christi habere plenam notitiam deitatis suæ. Nescio tamen, vtrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem nouerit, quemadmodum se ipsa diuinitas nouit. An hoc potius dicendum est, quia nouit quantum illa, non sicut illa, etc. vt in concluf. vltima.

A fortiori arg. de anima Christi.

A sufficienti & ex absurdo arg.

116 Prob. tandem. Nisi ita dicatur, non possunt explicari quædam Scripturæ, et Patrum loca, in quibus, Deum à nemine videri, aut cognosci posse, docetur: ergo. Anteced. prob. *In 1. ad Cor. 2.* habetur, *quæ sunt hominis nemo scit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; ita, & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. in 1. ad Timot. 6. Deum nemo hominum vidit, sed nec videre potest. & 1. Ioann. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarrauit*, et alia similia. Et licet locus *ad Timoth.* qui loquitur de hominibus, possit intelligi cum Interlin. pro hac vita. Tamen alia loca loquuntur absolutè; et ideo etiam de Angelis; ait enim *nemo*, et tamen Angeli ab initio mundi Deum viderunt, ac vident.

Albinus 1

117 Conf. ex *Alcuino lib. 2. de Trin. c. 16.* explicate dictum locum Ioannis, vbi sic habet. Confirmat Euangelista Dei esse naturâ omnimodò inuisibilem, vbi ait, *Deum nemo vidit vnquam*; quia plenitudinem diuinitatis, quæ in Deo est, nemo mente comprehendit. Nec etiam Angelicæ naturæ comprehensibilis est Deus; quia verè incomprehensibilis dicitur, sed secundum mensuram donationis Dei, ita Deum, vel Angeli, vel animæ Sanctorum intelligunt. Proinde, quamuis vsque ad æqualitatem Angelicam, humana post resurrectionem nâcta proficiat, et ad contemplandum Deum glorificata consurgat; videre tamen eius essentiam plenè non valet; sed vnicuique Sanctorum ad suæ sufficientiam beatitudinis manifestabitur gloria eius. Ergo non adæquatè, & perfectè comprehenditur à beatis diuina essentia.

Negatur vera comprehensio.

Basil. clerè id docet.

118 Conf. 2. ex *Basilio ep.* 401. vbi docet. Scientiam Dei illam esse, qua nouimus illum esse incomprehensibilem, ac venerationem mereri, non quod comprehensum de eo fuerit, quæ sit eius essentia; sed hoc ipsum, quod constet essentiam eius existere. *Istæ autem locutiones* nequeunt intelligi de visione, aut comprehensione Dei latè accepta. Ergo intelliguntur de perfecta, & rigorosa comprehensione.

Non eo quia non attingat omnem Dei perfectionem.

119 Dico 3. Quod visio beata non sit perfecta, & rigorosa comprehensio, non prouenit ex eo, quod non attingat omnem perfectionem in Deo formaliter existentem. Est communis.

120 Prob. Beati vident Deum, vt est in se; neque potest, sine errore saltim, negari, quod videant omnis perfectiones, quæ sunt in Deo realiter; alias non cognoscerent, vt est in se. Quia sine aliqua perfectione. Secundo, quia magnum esset miraculum, si per potentiam Dei absolutam videretur diuina natura sine aliquo attributo, aut personalitate. Ergo de lege Dei ordinaria videtur cum omnibus suis perfectionibus. Ergo ex hoc capite nequit negari, quod visio sit comprehensio.

121 Prob. 2. ex dicendis de obiecto, beatus ex 1. *Cor.* 13. *Cognoscet sicut, & cognitus est.* Ergo nihil Dei eum latebit. Igitur ex hoc capite non est neganda comprehensio.

A posteriori arg.

122 Prob. 3. ex dicendis cum SS. PP. Beati videbunt, quæ in via crediderunt, ex *S. Paulino epist.* 12. *ad Severum*, ex *S. Prospero Aquit. de vita contemplat. lib. 1. cap. 4.* ex *August.* & alijs postea adducendis, sed omnes Dei perfectiones crediderunt. Ergo omnes videbunt.

Etiam parvuli in gratia decedentes.

123 Prob. 4. ex 1. *Ioann.* 3. *Videbimus eum sicuti est in se*, & ex *Concil. Flor. in decr. Vn.* statuitur, *Paruulos, qui suscepto Baptismate in gratia decesserunt, in cælum mox recipi, & vbi Deum vnum, & trinum, sicuti est videre.* Ergo nihil de Dei perfectionibus, latet beatos.

124 Prob. 5, Intellectus animæ Christi cognoscebat omnem perfectionem, quæ actu est in Deo, & tamen ex S. Fulgentio non comprehendebat deitatem; sed solum verbum seipsum comprehendebat. Ergo dato, & non concesso, quod beatus non videret omnem perfectionem, ex hoc capite negandum non esset, quod non comprehendat.

Neq; ex eo quod non attingat omnia possibilia.

125 Dico 4. Visio beata non negatur esse comprehensio ex eo quod non attingat omnia, quæ virtualiter sunt in Deo, nempe possibilia, ac futura. *Est Scot. in 3. d. 14. quæst. 2. §. Ad primum sub F.*

126 Prob. 1. Creaturæ omnes, siue possi-

possibiles, siue futuræ non spectant ad quidditatem essentiæ, sed sunt omninò extra eam. Ergo negatio cognitionis earum, non infert negationem comprehensionis Dei.

Verbum nó procedit ex cognitione creaturarú.

127 Prob. 2. Verbum diuinum, vt sup. ponimus ex *tract. de Trinit.* procedit ab intellectu patris ex perfectissima comprehensione diuinæ essentiæ. Et tamen pro eo signo non cognoscuntur creaturæ; alias verbum ex sui productione esset etiam verbum creaturarum, & sicuti agnoscit pro partiali principio *quo* essentiam, quam exprimit, & cuius est verbum; ita agnosceret pro sui principio creaturas: quod est absurdum. Tum secundo, quia creaturæ in esse cognito sunt effectus Trinitatis. In casu autem, quod cognoscerentur in signo antecedente productionem filij, non possent dici effectus, neque Filij, neque Spiritus Sancti, sed solius Patris. Et ita Trinitatis opera ad extra essent diuisa. Et creaturæ, saltem in esse ideali independentes à Filio, & Spiritu Sancto.

Neq. Christi anima comprehendit.

128 Prob. 3. Estò omnia possibilia, & futura, quæ à Deo possunt produci in Deo cognoscerentur; non proinde creatura Deum comprehenderet. Ergo est prorsus impertinens, hæc circumstantia ad veram Dei comprehensionem. Anteced. prob. Intellectus animæ Christi, vt supponimus omnia hæc cognoscebat, & tamen non comprehendebat Deum, ex *D. Fulgentio*, vt in 2. concluſ. ergo.

Nemo vtitur hac ratione.

129 Prob. vlt. SS. PP. in seq. concluſ. adducendi, non vtuntur hac ratione, neque vllus prorsus de ea facit mentionem, vt probet Deum à creatura comprehendi non posse, sed alia vtuntur. Ergo hæc ratio non est ad rem.

Ratio cur non sit comprehensio est, quia non adæquatur obiecto.

130 Dico vlt. Præcisa ratio, cur visio beata non sit perfecta, & adæquata comprehensio, est quia non adæquatur, neque commensuratur cum intelligibilitate diuinæ essentiæ visæ. Est *Scoti in 3. sent. dist. 14. quæst. 2.* & ex SS. Patribus concluditur.

131 Prob. Hæc est ratio Sanctorum Patrum negantium Dei comprehensionem in creatura: ergo. Antecedens prob.

Dion. hac vtitur clarè.

132 *Dionys. Areopag. lib. de diuin. nom. cap. 13.* vbi de Dei perfectione loquens ait. *Perfectum est igitur, non solum tamquam per se absolutum, & in se à semetipso simpliciter definitum, ac totum ex toto perfectissimum: sed etiam tamquam super perfectum, quatenus excedit omnia, & cum infinitatem omnem determinat, tam præter omnem terminum expanditur, & à nullo capitur, aut comprehenditur, &c.* ergo.

Gregor. I.

133 *D. Gregor.* supra relatus 10. *Mor. cap. 7.* ita docet. *Angelica etenim, vel humana mens, cum ad increatum scriptum lumen imbiat, eo ipso se, quo est creatura coangustat, & super se quidem per profectum tendit, sed omnem eius fulgorem comprehendere, nec dilatata sufficit, qui & trascendendo omnia, & implendo concludit.* Et exactius ibidem Iob verba discutiens, *forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies?* ait. *Excelsior itaque est cælo; quia ipsi quoque electi Spiritus visionem tanta celsitudinis perfectè non penetrant.* Ergo in visionis, seu visiuæ potentiæ inadæquationem refundit incomprehensibilitatem. Item iterũ.

Hilar. idem.

134 *D. Hilarius lib. 2. de Trin. in princ.* docens Deum comprehendi non posse, ait. *Intelligentia capacitatem quidquid sine nullo continetur excessit. Intelligentiam omnium, & totum mente complectere nihil tenes, quia totum hoc habet reliquum; reliquum autem semper in hoc toto est:* & post aliqua, concludit. *Ita religionem intelligentia excedit, & extra quem nihil est, & cui est semper, vt semper sis.* Ergo ex eo, quod capi non potest, & excedit intellectiuitatem creaturæ, arguit, Deum esse incomprehensibilem.

Chrysost.

135 *D. Chrysost. or. 3. contra Anomæos, vt supra. Vocemus igitur inexplicabilem, incomprehensibilem illum, quem nemo cogitare, nemo videre, nemo assequi potest; qui mortalis intelligentia comprehensionem transcendit.*

Nyssenus.

136 *D. Gregor. Nyss. lib. 12. contra Eunom. p. 327. Diuina natura, quemadmodum se habeat, attingi, comprehendique non potest; omnique comprehensione, quæ rationibus constat sublimior est.*

Greg. Naz.

137 *D. Gregor. Nanz. orat. 34. Deum* (inquit) *humana mente capi non posse, neque totum quantum est informari cogitatione.*

Fulgent.

138 *D. Fulgentius*, vt supra patuit in concluſ. 2. de cognitione, quam habet anima Christi de diuinitate; docet non comprehendere illam, sicuti Deus ipse eam comprehendit, & ita loquitur. *Nescio tamen vtrum debeamus dicere, quod anima Christi sic suam deitatem nouerit, quemadmodum se ipsa diuinitas nouit; an hoc potius dicendum sit, quia nouit quantum illa, sed non sicut illa. Ipsa enim deitas in se nouit, vt hoc se naturaliter inueniat esse, quod nouit. Anima autem illa sic totam suam diuinitatem nouit, vt ipsa tamen deitas non sit. Deitas ergo ipsa est naturaliter notitia sua: anima verò illa ab ipsa deitate, quam plene nouit accepit, vt nouerit. Naturaliter ergo deitas Christi, hoc est quod nouit; anima verò illa in eo, quod sui deitatem sacra, non hoc se inuenit esse, quod nouit. Non ergo, quemadmodum se nouerunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sic anima sua secundum diuinitatem notus est Christus; quoniam quidem anima illa habet plenam Trinitatis notitiam, non tamen habet omnem cum Trinitate naturam.* hæc *Fulgentius*.

Fulgens authoritas.

Augusti.

139 *Diuus Augustin. lib. 12. de Ciuitate cap. 18.* probans, Deum posse infinitum fu-

inc-

merum intelligere, supponit hoc principium, *quidquid scientia comprehenditur scientis cognitione finitur* (ait *Scotus* adæquatur) ergo ratio cur Deus à creatura non comprehendatur, est, quia ipsa Deo non adæquatur.

140 Ex quibus apparet, Patres omnes in hoc conuenire, vt doceant nullum intellectum creatum posse perfectissimè Deum videre comprehensiuè; & assignare pro causa, quia deitas excedit capacitatem, & intellectiuitatem illius.

Arg. contr. Ob. contra 1. Omnibus arg. allatis pro secunda, quæ probant, Deum non comprehendi à beatis: ergo.

141 Resp. iuxta statutam distinctionem, loquendo de comprehensione latè accepta, pro visione scilicet distinguente viatorem, & omnem cognitionem prophetalem, & in imagine, seu similitudine, à cognitione intuitiua, terminata ad Deum immediatè, & vt in se est, nego, sic Deum non comprehendi. Loquendo de rigorosa comprehensione, quæ ex sui natura attingit Deum, non ex fauore obiecti, & huic adæquatur, concedo Deum non comprehendi.

Comprehensio late accepta competit beatis.

Ob. 2. Ex *Psal.* 91. Deus dicitur, *magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu*, & *Rom.* 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, &c.* alia eiusmodi Scripturæ loca.

142 Resp. In primis Dauidem, & Paulum loqui de hominibus in via existentibus. Nequeunt enim à nobis confusè, & per fidem tantum Deum cognoscentibus penetrari eius iudicia. Quod autem de his loquantur, patet quia de ijs, quæ in mundo accidunt Dauid sermonem instituit: Paulus autem de vocatione efficaci huius, vel illius. Et si de visione beatorum loquerentur; de rigorosa, & adæquata essent intelligendi; non verò de sola clara, & intuitiua Dei cognitione.

Quomodo Deus dicitur incomprehensibilis.

Ob. 3. *S. Augustin. lib. de cognitione Vera vitæ cap.* 3. in principio, ait. Sciendum igitur, Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi. Quomodo enim immensus, & incomprehensibilis prædicaretur, si humanæ locutioni, vel meditationi includeretur: ergo.

Augustin. de viatore loquitur.

143 Resp. *Augustinum* loqui de Deo respectu viatoris; clarus enim est textus, quia ibi S. Doctor probat, non posse oratione explicari cum in nullo prædicamento sit; neque posse meditatione comprehendi. & verum dicit, quia nunc *videmus per speculum in enigmate*, non verò de Deo respectu beati, *qui videt facie ad faciem*, & ideo concludit illud caput, quod *impropriè, & per enigmata de Deo loqui satagimus*. Ergo nihil contra nos.

Ob. 4. ex *Concil. Later. 4. sub Innoc. III.* & nunc habetur *in cap. Firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Firmiter credimus, quod Deus est vnus, & solus incommutabilis, & incomprehensibilis, &c.* ergo.

144 Resp. Locum præfatum tripliciter intelligi posse. Primò cum Glossa, quod *Deus in hac vita sit à nobis incomprehensibilis, iuxta illud, Bestia quæ montem tetigerit lapidabitur; & illud accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, & illud, ò altitudo diuitiarum sapientiæ, &c. quam incomprehensibilia sunt iudicia eius.* hæc Glossa. Secundo, intelligi potest de incircumscriptione ab aliquo loco. Tertio, tandem de rigorosa comprehensione: non verò de clara, & intuitiua cognitione; nam de hac loquitur Apostolus sic currite, vt comprehendatis.

Glossa de viatoribus, ait intelligi.

Vel de rigorosa comprehensione

Ob. 5. ex *Beda in epist. 1. Ioan. cap.* 3. vbi dicitur, *Videbimus eum sicuti est*, ait Beda. *Promittitur nobis videre Deum, non comprehendere, quia Deum comprehendi, non potest concedi. Aliud est videre, & aliud totum videndo comprehendere.* Ergo absolutè neganda est beatis Dei comprehensio.

145 Resp. Ad hæc, & similia loca intelligi de rigorosa comprehensione, quam multis argumentis neganimus possibilem. Non vero de lata comprehensione pro visione Dei clara, & immediata.

Ita alia loca

Inst. Nulla alia species comprehensionis datur, quam rigorosa, quæ beatis negatur. Ergo vana est ista alia, quæ admittitur.

146 Resp. neg. ant. Patuit enim, tum ex Scriptura; tum ex SS.PP. de necessitate admittendam, vnam quæ beatis conceditur; aliam præterea, quæ negatur. Imò *S. Aug. lib. de Videndo Deo cap.* 9. significatum comprehensionis corporali visioni concedit, inquiens, *id videtur quod præsens vtcunque sentitur; totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, vt nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possint, sicut te nihil latet præsentis voluntatis tuæ; circumspicere autem potes fines annuli tui.* Ergo vocabulum *comprehensionis*, non est ita proprium perfectissimæ cognitioni in qua intelligibilitas obiecti commensuratur intellectiuitati cognoscentis.

Cur assignanda sit comprehensio late accepta

Ob. 6. Omnes Doctores, & Scholastici negant, Deum posse ab intellectu creato comprehendi: ergo. Anteced. probatur. Omnes ita explicant illud *Psal.* 91. *Incomprehensibilis, &c.* & illud, 1. *Tim.* 6. *Lucem habitat inaccessibilem*. Ergo nulla species comprehensionis Dei potest eis concedi.

147 Resp. eodem modo; loquuntur enim de vera, ac rigorosa comprehensione; patuit autem, multos, eosque doctissimos, & antiquissimos Patres admittere in beatis aliquam comprehensionis speciem. Si enim cognitio vera, & certa per fidem tantum, comprehensio dicitur, quantò magis cognitio euidens. Assumptum patet, ex *Io.* 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non*

Comprehensio late accepta quare admittenda.

com-

*comprahenderunt*. Interl. Ver. *Lux*, ait, *tamen à tenebris non cernebatur*. Ver. *Tenebræ, &c.* ait, ante incarnationem, sicut neo. cæcus comprahendit lucem ante se lucentem. & ad *Ephes.3. Vt possitis comprahendere, quæ sit altitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*. Interlin. Ver. *Comprahendere*, ait. *Perfectè intelligere, sicut omnes Sancti. ad Philipp.3. Sequor autem, si quomodo comprahendam, sicut, & comprahensus sum*. Interlin. ait, *Vt videam, sicut est, prout ipse me videt, sicut sum, vel vt videam eum in ea claritate, in qua apparuit mihi in via, quando me comprahendit*. Ergo ex phrasi S. Scripturæ visio clara Dei est dicenda comprahensio, estò non illa perfecta, & rigorosa, quæ petit adæquationem.

Ex script. colligitur.

Ob. contra 2. Nihil deficit visioni beatæ, quin sit perfecta comprahensio; eò vel maximè, quia nihil Dei latet beatos: ergo. Consequ. prob. Tunc enim aliquid comprehenditur, cum nihil eius latet videntem, ex *August. lib. de Vid. Deo cap.9.*

Arg. contr. 2

148 Resp. neg. antec. quò ad vtramque partem. De prima patet, quia visioni illi deficit adæquatio cum obiecto. Secundo, quia non ex se, sed ex obiecti beneficio illud attingit, vt est; si enim Deus nollet se manifestare beatis; illi de se non haberent, vt possent eum penetrare, quod innuit *S. Fulgentius, vbi supra*. De secunda patet, quia aliquid Dei latet beatos. Estò enim tota Dei substantiam videant, non tamen omnibus modis, quibus visibilis est; infinitis autem modis est visibilis. Secundo, quia neque modo infinito, vt ait idem Fulgentius de visione animæ Christi.

Quid deficit visioni.

Inst. Parum refert adæquatio entitatiua, dummodo adsit motiua, seu obiectiua, ita quod totum obiectum penetretur.

149 Resp. neg. antec. Hanc enim vt patuit SS. Patres vocant comprahensionem; cognitionem scilicet obiecto adæquatam, quæ quidem ex se, & non ex fauore obiecti illud attingat.

Patres requirunt adæquationem.

Vrgebis frustra igitur instituitur disputatio, an visio sit comprahensio; si ad comprahensionem requiritur adæquatio.

Quare fit hæc quæstio.

150 Resp. neg. assumptum. Omnes enim controuersiæ sunt eiusmodi; quæritur enim passio, seu proprietas, aut natura alicuius subiecti. Reperitur autem, quod in Sacra Scriptura Deus dicatur aliquando incomprahensibilis, & aliquando comprahensibilis, & quod eius comprahensio expectetur pro alia vita: hinc quæritur, an, & quo sensu Dei visio sit, aut non sit comprahensio.

Arg. contr. 3

Ob. contra 3. Beatus non videt infinitatem; & si videret comprahenderet. Infinitas autem est aliqua perfectio existens in Deo: ergo. Anteced. prob. Si eam videret, iam modò infinito Deum videret, & ita adesset adæquatio requisita: ergo.

151 Resp. neg. vtramque partem ant. Nisi enim videret Deum sub ratione infiniti, non quietaretur, ex *Scoto in 3. dist. 14. quæst. 2.* ad secundam nego assumptum, quia de facto vident Deum, vt est, & ideo infinitum; & tamen non comprahendunt. Ad illud de modo infinito, dico, nunc, & in perpetuum, Deum videndum à beatis modo infinito, obiectiuè ita vt modus se teneat ex parte obiecti; non verò modo infinito formali, seu se tenente ex parte actus videndi. Ex hoc autem, quod Deus infinitus sub ratione infiniti visus, non videtur infinitè à beatis, non comprahenditur.

Deus sub ratione infiniti fatiat.

Ob. 2. Ratio, cur non sit comprahensio, est, quia totaliter, vel omnibus modis non attingit Deum. Sed hoc aliud non est, quam non videre secundum omnem perfectionem: ergo; Min. probatur omnes, imò aliqui modi, quibus potest videri Deus, sunt perfectiones Dei.

152 Resp. neg. maiorem. Non enim est adæquata ratio, licet sit sufficiens. Adæquata verò est, quia visio illa non ex se sese essentiam attingit, sed ex huius liberalitate. Secundo, quia ipsi adæquata non est. Omnem ergo realem Dei perfectionem attingit beata visio; sed non eo modo quo attingibilis est perfectissima illa entitas, sed iuxta capacitatem intellectus creati. Modus ergo infinitus ei deficit, vt ex *S. Fulgentio* adnotauimus.

Non ex se, sed ex Dei beneficio beatus videt & quare.

Ob. contra 4. Si visio terminaretur ad omnia, quæ potest Deus facere adæquaretur, cum ipso obiecto beatifico: ergo. Prob. antec. Tantum se extenderet cognitio, quantum cognoscibilitas obiecti. Nihil enim aliud remaneret in eo cognoscibile; igitur comprahenderetur. Sicut enim in rebus corporeis, tunc aliquid comprahenditur ab alio, quando illud secundum omnes sui partes ita continetur in alio, vt nihil aliud remaneat, quod in eo non contineatur. Cum hac ergo similitudine dicendum est de cognitione, quod tunc comprahendat, & quasi contineat in se totum, ac totaliter obiectum, quando nihil prorsus de eo restat cognoscibile: hoc autem eueniret, quando cognosceretur quidditatiua eius prædicata proprietates potentia, seu virtus eius, & omnia ea, ad quæ potest se extendere virtus, seu potentia.

Arg. contr. 4

A pari arg. de comprahentione corporea.

153 Resp. dist. antec. Adæquaretur extensiuè transeat, adæquaretur quoad modum cognoscendi, nego. Estò enim omnes modos, quibus Deus est cognoscibilis attingeret visio, & omnem terminum, ad quem potest se Dei potentia extendere: modus tamen cognoscendi non adæquaretur; quia cognitio non ex natura, & virtute cognoscentis haberet hoc, sed ex fauore, & gratia obiecti se ostendentis, ipsa ergo visio ex se non est apta id facere, & obiectum potest ab ea se abscondere. Secundo,

Modus cognoscendi non potest adæquari obiecto estò modi omnes cognoscerentur.

Optima ratio S. Fulgentij de adæquatione in modo.

do, deficit modus infinitus cognoscendi, & huius defectu, visio, qua anima Christi videbat verbum, & omnia futura, ac possibilia in eo, non fuit adæquata, & rigorosa comprehensio; quia, vt ex S. Fulgentio diximus, videbat, quæ videt Deus, sed non sicut videt Deus. Ecce, quod modus deficit.

Arg. contr. vlt.

Ob. contra vlt. Potest Angelus comprehendere ens corporeum, & tamen ei non adæquatur; neque commensuratur. Ergo non est necessaria adæquatio.

Vel excessus potentiæ, vel adæquatio requiritur ad comprehensionem.

154 Resp. dist. antec. Non adæquatur per defectum, nego. per excessum, concedo; & nego conseq. Nam etiam Deus comprehendit creaturam; & tamen ei non adequatur, sed excedit. Id ergo est necessarium in comprehensione, vt videns, vel coæquetur obiecto, vel illud excedat. Si verò obiectum excedat non habetur comprehensio; & hac de causa Patres supra citati negant Deum comprehendi, quia excedit captum intellectus creati.

Inst. *Scotus* docet, Deum videri à beatis sub ratione infiniti, alias illi non essent beati. Ergo in ratione videntis, & visibilis non datur excessus.

Deus, vt infinitus videtur, sed modo finito,

155 Resp. dist. antec. Vident sub ratione infiniti, & modo, ac intensione infinita, nego. modo finito, concedo. & nego consequ. Modus enim deficit, & hoc prouenit ex eo, quod visio formaliter est finita; alioquin ex sese, non verò ex gratia obiecti, & infinito modo attingeret.

## ARTICVLVS VI.

### *An visio beata sit verbum mentis, vel effectiua Verbi.*

Scoti mens negatiua.

SCOTVS *in quodlib. 14. sub BB.* sic docet. *Non quacunque notitia actualis obiecti est verbum eius; sed illa sola, quæ de ipso nascitur, tamquam prolis, hoc est non tantum est naturalis similitudo eius; sed gignitur ab ipso nascendo;* & post aliqua. *Et propter istud posset dici, quod beatus non habet Verbum de Deo, quia, & si illa visio sit imago diuina essentiæ, non tamen naturalis naturaliter ab ea procedens.* hæc *Scotus*.

Diuersa significata verbi.

156 Adu. 1. quod vocabulum hoc *Verbum*, ex primæua sui institutione videtur significare locutionem, seu expressionem conceptus mentalis, voce, vel scripto factam. & prima vice videtur vsurpatum *Gen. 20. 8. de Abimelech locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum.* per totam S. Scripturam, & vsque ad *cap. 10. Apocal.* suppetunt supra 1500. exempla huius vsurpationis. Interdum autem significat, legem ipsam explicatam per voces, aut scripturas, dicitur autem verbum, ait *Aug. de Princip. dialect.* quia aerem verberat; vel quia verum dicit *Exodi 34. Scribe in tabulis verba fœderis*, & alibi, tam in eo libro, quam in Deuteronomio, & alijs canonicis libris sæpissimè. Tertio, quod ad nos spectat, impositum est ad significandum prolem mentis, seu conceptum mentalem productum ex obiecto, & intellectu. Et in hoc sensu vnum tantum, sed excellentissimum habemus exemplum in S. Scriptura de filio diuino, qui ex memoria fœcunda Patris intellectu, scilicet & essentia diuina genitus verbum appellatur *Ioannis 1.* sepius. *In principio erat verbum, &c.* & *Verbum caro factum est*. Ex hac autem similitudine Theologi omnes conceptum nostræ mentis appellare solent verbum mentis. Et de hoc est quæstio an visio beata, tam respectu Dei visi, quam respectu aliarum, quæ in eo videntur, sit verbum mentis, vel causet illud.

Vnde dicitur verbum.

Significat prolem mentis.

Ex similitudine verbi diuini, dicitur nostrum.

157 Adu. 2. & suppono, maximam inter Scotistas, ac Thomistas esse controuersiam de actibus nostri intellectus. Asserunt enim Scotistæ intellectum de quouis intelligibili, antequam illud actualiter intelligat producere cum eodem obiecto, speciem intelligibilem eius, quæ dicitur impressa, & non inseruit ad intelligendum intuitivè, sed est quidam effectus præuius ad intellectionem; experimento enim constat, quod dum obiectum visum est absens, intellectus recordatur illius, habetque eius imaginem; hæc autem est species illa, quæ fuit primitus producta. Hac verò producta, intellectus per actum quendam, qui vocatur *dictio* producit notitiam, seu intellectionem, quæ vocatur etiam species expressa, & formalis imago obiecti; & hanc Scotus eiusque discipuli appellant verbum mentis. Thomistæ verò non concedunt actum dicendi distinctum ab intellectione; sed intellectionem dicunt esse actum, quo intellectus producit notitiam, seu verbum. Et id esse verum, ne dum in creaturis rationalibus; sed etiam in Deo. At quidquid sit de ista pluralitate actuum, quæ nunc non est discutienda, vtrique concedunt, per intellectum, & obiectum produci notitiam, seu verbum mentis. Quærimus ergo hic an etiam in cognitione intuitiua Dei producatur hoc verbum mentis, siue hoc sit ipsa met notitia, sicut volunt Scotistæ; siue quid causatum ab intellectione, vt dicunt Thomistæ.

Controu. de pluralitate actuum intellectus inter Scotistas ac Thomistas.

Sensus art.

158 Dico ergo. Visio beata qua videtur Deus, & alia in Deo, licet secundum aliqua prædicata dici posset verbum; nihilominus proprie, & in rigore non est verbum, neque est causatiua verbi. Est *Scoti quodlib. 14. BB.*

Visio Dei secundum aliqua est verbum, sed non in rigore.

159 Prob. 1. pars, ex *August. lib. 9. de Trinit. cap. 7.* vbi ait, verbum internum est imago rei, quæ apud nos manet, & in *cap. 10.* inquit, *Verbum est ipsa met notitia*

rei;

*ri, &c. lib. 14. de Trinit. cap. 7.* habet, verbum nostrum cogitatione habetur, *lib. 15. cap. 10.* ait, *Verbum est cogitatio formata de re, quam scimus. cap. 11.* ait, *Verbum, quod foris habetur, est signum eius, quod intus lucet; & hoc est propriissimè Verbum. cap. 12.* dicit, *Verbum nostrum de rebus in memoria existentibus gignitur.* & pluries ibi eadem repetit. Sed visio beata est vera notitia Dei eius cogitatio, & similitudo. Ergo ex hoc capite est verbum.

4. resp. Ex August.

160 Prob. 2. Aliæ notitiæ, quas internè habemus, antequam foris eas publicemus, sunt verba mentalia. Ergo etiam visio Dei, cum sit expressio formalis, & imago ipsius Dei.

A pari.

161 Prob. 2. pars. Verbum essentialiter dicit hoc, vt scilicet sit proles naturalis, & similitudo obiecti naturaliter producta. Sed visio beata estò sit similitudo expressa Dei, ac naturalis non tamen producta naturaliter ab vtroque comprincipio: ergo. Maior probatur in omni schola filius diuinus dicitur proles genita Patris, & verbum, quia est naturalis expressio Patris, & naturaliter nempè ab intellectu, qui est principium naturale, seu verius de memoria Patris productus, ex *August. lib. 15. de Trinit. cap. 7.* non verò de voluntate ex eodem ibi *cap. 20.* Minor prob. Visio beata procedit ab intellectu, & obiecto beatifico, quod quidem liberè concurrit ad eam: Deus enim extra se non operatur, nisi liberè; ergo cum visio non producatur naturaliter non habet veram verbi naturam. Et hac de causa, ait *Scotus in quodlib. 14. BB.* Beatus non habet verbum de Deo; quia & si illa visio sit imago diuinæ essentiæ ipsam naturaliter repræsentans; non tamen est imago naturalis, naturaliter ab ipsa procedens. Sed illius essentiæ est vnicum tantum verbum; & hoc in solo intellectu increato, in quo solo potest esse notitia ipsius obiecti naturaliter genita.

2. pars.

Filius Dei quare est verbum.

Nostra cognitio Dei non est verbum, quia non producitur naturaliter.

162 Prob. 2. Si notitia produceretur à principio vitali libero, estò naturaliter repræsentaret rem cognitam, non posset dici proles, neque genita, aut nata, neque verbum. Ergo neque ex eo, quod procedit ab obiecto liberè concurrente. Eadem enim est ratio de vtraque concausa. Antecedens prob. Non alia ratione à *S. Augustino* filius dicitur talis, verbum & natus; & Spiritus Sanctus non potest dici talis, nisi quia ille non procedit à voluntate, sed ab intellectu hic vero per modum doni, & à voluntate ex *August. lib. 5. de Trinit. cap. 14.* & tamen Spiritus Sanctus habet eadem prædicata essentialia, & absoluta, quæ habet filius, & voluntas producit eum necessariò. Ergo multò magis id dicendum est de notitia producta contingenter. Cum enim non sit genita ex parte alterius comprincipij, nequit appellari verbum.

Ab oppositio

Quare Spiritus Sanctus non est verbum.

Arg. contra

Ob. 1. Visio beata est perfecta imago, & similitudo expressa Dei. Ergo est verbum Dei. Antecedens prob. ex 1. *Ioann. 3. Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ergo visio illa est Dei similitudo.

163 Resp. Esse similitudinem, & expressam Dei speciem, non verò verbum, quia non est naturaliter producta.

Ob. 2. *S. August. lib. 9. de Trinit. cap. 7.* apertè docet esse verbum, ait enim *in illa igitur aterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia formam secundum quam sumus, & secundum quam, vel in nobis, vel in corporibus vera, & recta ratione aliquid operamur visu mentis aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tamquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus.* Ergo visio Dei est verbum.

Arg. ex Aug.

164 Resp. consequ. Esse voluntariam, quia *S. Augustinus* non loquitur de notitia Beatorum, sed viatorum. Quomodo scilicet intellectus noster formet sibi verbum de Deo per fidem concepto; & verum est; quia concepto Deo per speciem intelligibilem, eum abstractiuè cognoscimus, nec non, & veritates ab eo manifestatas; & hanc rerum notitiam, ait, *tamquam verbum apud nos habemus.* & subdit cum autem ad alios loquimur, verbo *intus manenti ministerium vocis adhibemus*, ecce quod de viatoribus Deum, & alia per Deum cognoscentibus loquitur. Et in fine sic ait. *Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur, siue creatura, siue creatoris; id est, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis.* Ergo de notitia viatorum loquitur, asserens eam esse verbum. Non verò de beata.

Loquitur de verbo viatorum.

Clara Aug. mens.

Instab. Licet hoc in loco trahi possit ad hunc sensum; tamen in *lib. 15. de Trinitate cap. 15.* loquitur de visione beata, eamque appellat verbum, sic. *Cum tanta sit, nunc in isto enigmate dissimilitudo Dei, & Verbi Dei, in qua tamen nonnulla similitudo comperta est; illud quoque fatendum est, quod etiam cum similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est. Quod vnque, qui dixit hanc dissimilitudinem attendit, nec tunc naturæ illius erimus æquales. Et tunc quidem verbum nostrum non erit falsum, quia nequit mentiemur, neque fallemur.* Ergo apertè docet notitiam illam esse verbum.

Instantia ex Aug. valida.

165 Resp. neg. consequ. Non enim de beata notitia loquitur *August.* sed quærens, an cogitationes Dei sint volubiles, comparat eas cum nostris, & verbum nostrum, quod de rebus formamus, cum verbo Dei, & dicit verbum Dei, non posse dici cogitationem Dei, & immutabile esse in Deo; impropriè autem in Deo reperiuntur cogitationes, & obliuio. Descendens postea ad Verbum, & cogitationes nostras, dicit magnam inter nostra, & diuina, esse dissimilitudinem; etiam pro eo tempore,

Vniformiter loquitur Aug. de viatore.

De rebus in proprio genere habebitur verbũ.

quando videbimus eum sicuti est. Tunc autem verbum nostrum non erit falsum, intelligi potest de notitia rerum in proprio genere, quia prius dixerat cogitatio quippe nostra perueniens ad id, quod scimus, atque inde formata, verbum nostrum verum est. Secundo, loquitur de locutione, & auditione aliorum, quia ait *non mentiemur, neque fallemur*. At numquam dicit, quod nostra in Deum visio sit verbum.

Arg. Augustin.

Dices. *August. lib. 9. de Trinit. cap. 11.* expresè docet notitiam Dei esse verbum, ait enim *In quantum Deum nouimus similes sumus, sed non ad æqualitatem similis, quia non tantum eum nouimus, quantum ipse est. Et quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, ita cum Deum nouimus illa notitia verbum est, & fit aliqua Dei similitudo. Tamen inferior, quia in inferiore natura est*. Ergo explicitè admittit verbum de Deo.

Duplex resp. ad Aug.

166 Resp. 1. Sicut pro prima parte conclusionis, quod visio, excepta ratione naturalis originis, est verè verbum, quia est vera similitudo obiecti, & naturalis, ait *Scotus sub BB.* sed non naturaliter procedens.

Resp. 2. *Augustinum* non loqui de visione beatorum, sed de cognitione, quam de Deo habemus, in via. Id enim ibi, sicut, & in *cap. præced.* ex professo tractat, quomodo scilicet notitia, quam de re aliqua habemus sit verbum, & docet, quod dum Deum nouimus, similitudinem eius in nobis habemus. Et *Augustinus* non ea sola verba habet, sed alia permulta, ex quibus illa pauca sunt decerpta; sed tamen de notitia Dei per fidem loquitur.

Ob. 3. Visio creaturarum in Deo, ex *Scoto quodlib. 15. V.* est verbum. Ergo, & visio essentiæ. Eodem enim modo se habet essentia in motione ad cognoscendum creaturas, sicut ad cognoscendum se ipsam.

Visio creaturarum in Deo non est verbum.

167 Resp. neg. anteced. Hoc enim *Scotus* non docet; sed loquitur primo de creatura visa à beato in proprio genere, scilicet in se ipsa præsente; vel vt in abstractiua cognitione, præsente in specie intelligibili. Deinde ait, *sed de creatura visa in essentia diuina dubium est, an intellectus beatus habeat de ea verbum proprium*: & post aliqua ait, *sed possit dici, quod non est ibi verbum de obiecto viso in essentia diuina, tum quia habens verbum, immediatè attingit obiectum, cuius est verbum; lapis enim visus in essentia non immediatè attingitur, vt obiectum per actum visionis; sed sola essentia diuina immediatè attingitur, quia ipsa sola primò mouet*. Et addit aliam rationem, *quia verbum proprium alicuius gignitur de scientia, siue propria specie ipsius obiecti, sed in memoria beati non est scientia propria, vel species lapidis*. & *sub X.* ait non fieri de re visa in Deo aliquod verbum; *quia illa visio Dei immediatè causatur à voluntate diuina mouente, & sic etiam visio lapidis, & per consequens neutra gignitur à memoria ipsius videntis*, & remittit se ad ea, quæ dixerat in *quodlib præced.* vbi docet Dei visionem, non esse verbum, quia obiectum concurrit ad eam, non vt naturaliter mouens, sed vt volens.

Ratio Scoti cur non sit verbum.

## ARTICVLVS VII.

### *An visiones beatæ Angelorum, & hominum sint eiusdem speciei.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. sent. dist. 1. quæst. 6. §. Potest etiam*, postquam in præcedenti §. docuit, animam specificè differre ab Angelo, non quidem, vt completa species ab alia; sed, vt pars speciei à specie completa, docet *sub D.* quod intellectualitas animæ, non propterea differt specie ab intellectualitate Angeli, & assignat exemplum de anima bouis, & aquilæ, quæ differunt specie; & tamen vis visiua in eis non differt specie. Subdens, quod non est necesse, vt tanta sit differentia in contentis, quanta est in continentibus. Quia omnes rerum species differunt, vel genere, vel specie; & tamen passiones coniunctæ entis, vt vnum, verum, bonum, sunt eædem specie in omnibus. hæc *Scotus*.

Sensus art.

168 Adu. articuli sensum clarum esse. An visio quælibet Dei, quam habet Michael, Gabriel, &c. specificè differat à visione, quam habet S. Petrus, S. Linus, Beata Virgo, vel etiam ipsa Christi anima. Nam de differentia graduali, seu accidentali inter omnes visiones omnium, siue hominum, siue Angelorum, loquemur postea.

Omnis differentia facit differre, sed non omnis conuenientia facit idem.

169 Adu. 2. ex *Scoto in 2. loco cit.* G. quod quæcunque differentia sufficit ad distinguendum, sed non quæcunque identitas ad identificandum. Nam ad hoc requiritur, vt quæ identificanda sunt in nullo disconueniant. Vnde ex *Scoto* fit, quod Authores docentes, intellectum Angeli essentialiter distingui ab intellectu hominis, non possint vllo modo substinere identitatem essentialem, seu specificam visionum inter eos. Neque sufficit identitas obiecti, quia diuersæ potentiæ, vt in casu nostro intellectus, & voluntas tendunt in idem obiectum beatificum, & tamen earum actus specie differunt. Vnde sequitur, quod quælibet diuersitas, siue potentiarum, siue modorum tendendi ipsarum, siue obiectorum, facit in actibus vitalibus earumdem specificam differentiam. Imò notitia intuitiua, & abstractiua specie differunt, estò tendant in idem obiectum ratione modi tendendi,

Intuitiua, & abstractiua specie differunt.

ex

ex *Scoto quodlib.* 13. L. actus fidei, & actus visionis Dei pariter specie differunt, ex eodem in 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. C. & tamen est idem obiectum, sed quia modus tendendi, seu terminandi est diuersus; visio enim terminatur immediatè ad Deum in se; fidei verò actus, ad Deum in specie repræsentatum. Tandem ex differentia obiectorum præcisa oritur specifica differentia actuum eiusdem potentiæ, visio enim corporea lapidis, specie differt à visione cæli, sic & intellectio lapidis ab intellectione cæli, &c.

170 Adu. 3, Quod quamuis natura angelica essentialiter sit perfectior natura humana, & quod vis individuum Angeli, individuo quolibet humano sit perfectius; vnde de ipsa met humana Christi natura, dictum est *Psal.* 8. *Minorasti eum paulò minus ab Angelis*; nullus tamen huc vsque ausus est dicere, quod visio beata, vel fruitio alicuius Angeli, estò de supremis, sit perfectior visione, ac fruitione animæ Christi, cum ex *Coloss.* 2. *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscondit.* & ex *Ephes.* 1. *Constituens illum in cœlestibus supra omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* Vnde mirum est, quod *Ioannes Maior in 4. sent. dist.* 49. *quæst.* 11. dicat se non habere pro inconuenienti, quod beatitudo Michaelis sit entitatiuè perfectior beatitudine animæ Christi. Si enim sic esset, dicenda esset specificè perfectior; & sic Christus non esset supra omnem Principatum, & potestatem in beatitudine. His autem positis

Nullus dixit visionem qua Angelus videt Deum specie differre a visione hominis.

Excepto Ioanne Maiore.

171 Dico. Visiones beatæ Angelorum, & hominum non differunt specie. Est *Scoti, vbi supra*, est *D. Thom.* 1. p. *quæst.* 12. *art.* 6. *ad* 3. *Durandi* 3. *dist.* 13. *quæst.* 1. & in 4. *dist.* 49. *quæst.* 6. *D. Bonau. in* 3. *d.* 14. *par.* 1. *quæst.* 2. & communis omnibus modernis, & antiquis si vnum excipias Maiorem.

Visiones Angeli, & hominis non differunt specie.

172 Prob. 1. Omnis diuersitas specifica in actibus vitalibus oritur, vel à diuersitate Potentiarum, vel obiectorum, vel modorum tendendi in idem obiectum. Sed visio beata Angeli cuiuslibet habet eandem specie potentiam; eundem specie tendendi modum; idem specie lumen gloriæ, idem tandem obiectum, ne dum specie, sed numero. Ergo sunt eiusdem speciei.

A priori arg.

173 Prob. 2. In sent. Thomistarum, qui docent intellectum Angeli specie differre ab intellectu hominis, adhuc saluatur identitas specifica visionum Angeli, & hominis; ergo à fortiori in Scoti sententia, quæ admittit identitatem inter eos in potentia intellectiua, non enim in nostra sententia apparet, vnde oriri possit ista diuersitas specifica.

A' fortiori argum.

174 Prob. 3. Si visio Angeli esset specie diuersa à visione hominis, sequitur, quod cuiuslibet, etiam infimi Angeli esset perfectior visione cuiuslibet, etiam supremi hominis. Sed hoc est falsum: ergo. Prob. sequela, ex *Scoto in* 2. *dist.* 1. *qu.* 6. *A. Omnes species diuersæ, ita habent ordinem determinatum secundum perfectius, & imperfectius, vt quodlibet individuum perfectioris speciei excederet individuum imperfectioris.* Et ex hoc concludit, quod quilibet Angelus excederet in perfectione quamlibet animam, vel è conuerso, vtrumque autem dicit esse falsum. Minor prob. Quia nullius Angeli visio est perfectior visione Christi, qui vt pariuit est constitutus super omne n. Principatum, & potestatem, & omne nomen, &c. vt supponimus ex 3. *sent. dist.* 14. *quæst.* 2. neque est perfectior visione Beatæ Virginis, quæ vt canit Ecclesia *Exaltata est super Choros Angelorum ad cœlestia Regna.* Neque valet dicere, cum Maiore, quod beatitudines Christi, & Beatæ Mariæ sunt vtique perfectiores omni Angelica beatitudine; non quidem essentialiter, sed gradualiter, quia intensiores. Primò, quia per hunc excessum non possunt absolutè dici perfectiores, si essentiæ earum essent imperfectiores: non enim summa visio corporea dici potest vllo modo perfectior minima intellectione; neque excellentissimus asinus est perfectior imperfectissimo homine, sed è contra; quia vt optimè Scotus docet infimum supremi, semper est supremum infimi. Secundo, visio Michaelis est accidens tendens vitaliter in diuinam essentiam, eamque distinctè cognoscens. talis est visio animæ Christi: ergo. Posset autem fieri commutatio visionum, vt Deus visionem Michaelis poneret in intellectu animæ Christi, & visionem Christi poneret in Michaele; quia, vt suppono qualitates istæ sunt à subiecto auferibiles. Peto, an visio Michaelis in Christo sit perfectior essentialiter visione Christi in Michaele; non potest dici perfectior essentialiter, Ergo ex hoc quod visio sit in Michaele, vel in Christo non est essentialiter perfectior,

Sequitur quod Angelus videret perfectius, quam Christi anima.

Refellitur resp. maioris.

175 Prob. 4. Si esset danda ista differentia specifica, maximè id accideret, ratione vel potentiarum diuersarum specie, vel ratione naturarum animæ, & Angeli, quæ differunt specie. Sed ratione neutrius: ergo ratione nullius. Maior est adæquata.

A sufficienti Validum arg.

Prob. min. de primo. Potentiæ intellectiuæ animæ, & Angeli, specie non differunt, quia eadem obiecta respiciunt, eodem modo ad ea tendunt, nec aliquod prædicatum specie diuersum reperitur in vna, quod non in alia. Ergo, & à priori, & à posteriori non differunt specie.

Prob. de 2. Data diuersitate specifica inter Angelum, & animam adhuc tamen intellectiuitas ipsorum est eadem specie, vt habet *Scotus* 2. *dist* 1. *quæst.* 6. *D.* ex eadem ratione, quia vtraque respicit obiectum

Etiam si potentiæ differunt specie, non tamen intellectiuitas earum.

Ex absurdo

sub

sub eadem ratione, & est ad obiecta eiusdem rationis. Et parum refert diuersitas causarum efficientium, & materialium à quibus sunt, & quibus insunt. Si enim ignis producatur ab igne, & recipiatur in stuppa, alius verò producatur, vel à Deo immediatè, vel ex attritu lapidis, & calibis, & recipiatur in ligno, vel fœno, non proinde essent diuersæ speciei; & tamen causæ efficientes, & materiales sunt diuersæ speciei. Affert *Scotus* exemplum bouis, & aquilæ specie differentium, & tamen visiones eorum non differunt specie, si sint circa idem obiectum. Neque potentiæ visiuæ: & à priori probatur; quia eadem specie organa, cum eisdem tunicis humoribus, ac pupillis: & à posteriori, quia omnia prorsus, quæ potest videre aquila, potest & bos, estò illa acutius isto. Ergo à pari, cum prædicata quidditatiua intellectus Angelici sint eiusdem rationis cum prædicatis intellectus humani; & à posteriori in eadem possit obiecta vterque, & vnus, idemque sit modus tendendi vtriusque, eiusdem speciei dicendi sunt. Et eiusdem speciei ex consequenti, visiones Beatæ Angelorum, & hominum.

Diuersæ causæ non semper faciunt effectus diuersos.

176 Prob. 5. Si Angelus esset viator, & haberet actum fidei circa Deum; hic actus non esset diuersæ speciei ab actu fidei, quem habet homo. Et hoc, quia essent circa idem obiectum, circa eandem rationem formalem, cum eadem obscuritate, & ex eodem, siue habitu, siue alio solo supernaturali auxilio. Ergo idem dicendum de visionibus quæ fidei succedunt, cum idem obiectum respiciant, cum eadem claritate, & euidentia, & ex eodem habitu luminis gloriæ.

A pari deinde.

177 Prob. 6. Ex vnitate Dei arguit Apostolus vnitatem fidei, ex *ep ad Ephes. 4.* Ergo ex vnitate eiusdem in ratione obiecti beatifici, arguenda est vnitas specifica omnium beatitudinum, tam ratione visionis, quam fruitionis.

Ex veritate Dei, & obiecti arg.

178 Prob. 7. Si Angelus acquireret per suos actus scientiam Mathematicæ, vel Physicæ, aliamue quamcumque disciplinam; vel species impressæ istarum omnium sibi infunderentur, sicut de facto censemus infusas; scientiæ istæ non proinde essent diuersæ speciei à Mathematica, Physica, &c. quæ sunt in homine eas acquirente, absque errore, & tamen habitus isti essent producti à potentijs diuersæ speciei, etiam supposita diuersitate specifica intellectuum. Ergo idem dicendum de visionibus in hac suppositione; & multò magis in suppositione identitatis specificæ intellectuum.

A paritate scientiarum.

179 Prob. 8. Si hoc admittatur etiam cum suppositione diuersitatis specificæ intellectuum; sequitur, quod propè innumeræ essent species visionum Beatarum, maxime in sententia admittente, quod omnes Angeli differunt specie; quia innumeri sunt Angeli. Absurdum autem est admittere tot beatitudinum species in gloria. Ergo, si stante hac diuersitate, non admittitur à Thomistis diuersitas specifica visionum, multò minus in sententia negante diuersitatem specificam intellectuum.

Ex absurdo

Ob. 1. Ex *Scoto in Not.* quælibet diuersitas sufficit ad distinguendum. Ergo cum visiones Angelorum, & hominum sint à potentijs diuersis, sunt specie diuersæ.

Arg. contr.

180 Resp. dist. ma. ad distinguendum proportionaliter, id est, sicut sunt differentiæ, ita & res quæ per eas differunt, concedo. alio modo, nego. Nam duæ visiones, vel auditiones procedentes à duabus numero potentijs visiuis, non differunt, nisi numero, si sint etiam circa obiecta diuersa numero. Esset ergo probandum, quod intellectus Angeli, & hominis differunt specie, & tunc fortè benè inferretur, ergo visiones differunt specie. Dixi *fortè*; quia licet *Scotus* ex hac specifica differentia intellectuum, concludat hoc absurdum, quod actus beatifici Angeli, & hominis differrent specie; & hoc ex eo est absurdum, vt discurrit in 2. vbi supra *A.* tamen ex eisdem principijs Scoti ibidem concludo, quod non differrent specie. Ipse enim ex differentia specifica Angeli, & animæ dicit, non concludi differentiam specificam intellectuum ipsorum, & probat multis argumentis. A posteriori de potentia visiua bouis, & aquilæ, estò à naturis diuersarum specierum; de passionibus entis estò in naturis diuersorum, etiam generum, & confirmat generali regula, quia non est necesse, vt tanta sit differentia in contentis, quanta est in continentibus. Eodem ergo arguam medio, & à fortiori licet intellectus differant specie, non tamen actus eorum, qui non sunt eis identificati, sicut potentiæ naturis; ideoque multò minus sequeretur ista diuersitas accidentium realiter à suis potentijs; & essentialiter, ac specificè, imò & genericè distinctorum, tendentium tamen in idem numero obiectum. Quod arg. (verum fateor) pro Thomistis ex eisdem Scoti principijs me conuincit. Sed hoc obiter fit dictum, stat ergo, quod in vtraque sententia, tam Scoti, cum identitate specificâ potentiarum, sed cum diuersitate naturarum; quam in sententia Doctoris Angelici, cum diuersitate specifica in vtrisque saluatur identitas specifica visionis inter Angelos, atque homines.

Differentiæ proportionaliter faciunt diuersum.

Ex eadem Scoti doctr. sequitur aliquod contrarium.

Ob. 2. Diuersitas specifica principiorum concludit diuersitatem specificam actuum. Ergo, siue concedatur specifica diuersitas intellectuum Angeli, & hominis cum S. Thoma, siue negetur cum Scoto, adhuc tamen concluditur specifica diuersitas visionum. Anteced. prob. Actus enim intelligendi, & volendi per hoc differre asseruntur, quia à diuersis principijs, neque potest in Scoti sententia haberi recursus ad diuersa obie-

Arg. ex diuersitate specifica Principiorum,

ãa bonum, ac verum, vt faciunt Thomistæ, quia Scotus docet, intellectum esse esse totius entis, ita & voluntatem. Secundo, quia generatio in diuinis non aliunde dicitur esse diuersæ rationis, nisi quia procedit à principijs diuersæ rationis; & ita concludi potest de alijs actibus. Igitur anteced. probatum remanet. Prob. consequ. Si potentiæ intellectiuæ sunt diuersæ speciei, necessaria est consequentia. Si autem sunt cum Scoto eædem specie, adhuc sequitur consequentia; nam ad eas concurrunt etiam naturæ Angeli, & hominis specie differentes, intellectus enim est ratio qua Angelus, vel anima causant. Angelus enim, & non intellectus dicitur beatus, *vt quod*. Anima hominis, & ipse homo beatur *vt quod*. & hoc maximè verum est in Scoti sententia, qui *in 4. sent. dist. 49. quæst. 3. §. Ad quæstionem A.* docet duplicem assignandam esse beatitudinem, vnam potentiarum, aliam verò naturæ, & sic per visionem beatificatur intellectus non natura. Si ergo natura est beatificabilis, est etiam actiua circa actionem beatificantem. Subsumo, sed principia specie diuersa per Scotum concludunt actus specie diuersos, vt esset per eum si intellectus differrent specie. Ergo, cum naturæ specie diuersæ agant, *vt quod* in visiones; istæ sunt specie diuersæ.

Validũ arg. ex Scoti doctrina contra ipsam.

Aliud validum contra Scotum ex eodem.

181 Resp. 1. neg. consequ. ad probat. Resp. dupliciter; primo in sententia D. Thomæ admittentis diuersitatem specificam disparem esse rationem de intellectu, & voluntate, ac de duobus intellectibus; nam intellectus respectu voluntatis (estò idem obiectum respiciant) tamen habent diuersum tendendi modum in ipsum; tendit enim intellectus per modum determinati intrinseci ad vnum; voluntas verò per modum liberi determinantis se delectabiliter, ac eligibiliter. At duo intellectus, estò diuersę speciei comparati ad idem obiectum habent eundem tendendi modum in illud; & sic non potest ex eis oriri diuersitas specifica actuum, & semper vrget paritas potentiarum visiuarum existentium in aquila, & boue, quæ emanant à principijs, nempe naturis specificè diuersis; de duobus ignibus productis à causis specie, imò & genere diuersis, de caloribus, atque coloribus, & alijs eiusmodi.

Tam in sent. D. Thomæ, quam Scoti solutiua arg.

182 Resp. 2. In sententia Scoti negante diuersitatem specificam intellectualium, Consequentiam esse negandam. ad probationem de principio quod, dico quod licet tota natura dicatur, *vt quod* beata, ac videns hæc tamen denominatio, sicut & actio productiua visionis competit ei ratione suę intellectiuæ potentiæ. Et hoc est commune omni agenti, siue simplici elemento, siue mixto, vt igni, aquæ, animalibus, &c. quę per formam propriam producunt suos effectus; & tamen totum compositum dicitur agens, seu producens; per potentiam enim loco motiuam animal producit motum; & tamen ipsum met est producens, mouens, ac morum: per nutritiuam crescit, per generatiuam producit sibi simile. Et tamen in his progressibus non dantur duæ actiones, quarum vna procedat à toto composito; alia à forma talis compositi. Ita de Angelo, & anima intelligentibus, dicendum; quod, scilicet natura Angeli per intellectum vnam tantum habet actionem productiuam visionis; sic & anima, non autem duas, quarum vna sit ab Angelo, vel anima, alia ab intellectibus eorum. Ergo non potest ex diuersitate naturarum concludi diuersitas specifica actionum vitalium circa idem obiectum, estò concludi posset ex diuersitate specifica potentiarum; quia istæ immediatè, & formaliter insluunt in actus, non autem naturæ, nisi per istas. Ad ilud, quod adducitur ex Scoto de duplici beatitudine, nihil ex eo potest inferri; nam Scotus, tenens beatitudinem consistere in fruitione, per quam satiatur natura, respondens ad argumentum, quod fieri potest, & de facto fit de visione, per quam expletur appetitus intellectus; ait hanc esse beatitudinem potentiæ, non naturæ: fruitionem verò esse beatitudinem naturæ, quia eam expectat natura, vt satietur; visio autem est inchoatio, aut dispositio ad fruitionem, quia non possumus frui non visis. At non dicit, quod natura habeat actionem productiuam circa visionem, aut fruitionem, quæ actio non fit immediatè ab aliqua ex his potentijs. Et sic nulla currit paritas.

2. Resp. in sent. Scoti.

Quodlibet agens per suam formã vnica actione agit.

Quare ex diuersitate potentiæ infertur diuersitas actuum, & non ex naturis.

Ob. 1. Si intellectus sunt diuersi specificè, concedit Scotus sequi diuersitatem specificam visionis, ita in loco citato *sub A.* sed sunt specie diuersi: nam *Dionysius de cæleſti Hierar. cap. 4.* ait. *Rationalis animæ potentiam esse infra potentiam intellectiuam Angeli*. & hoc motiuo fortasse *Scotus in 3. dist. 13. quæst. 3.* docet, voluntatem animę Christi non esse ita perfectè actiuam, sicut est voluntas Angeli: ergo.

Validũ arg. ex principijs Scoti.

183 Resp. Reuera ita discurrere Scotum. Sed hoc admisso, nego min. ad probat. dicendum, eas rationes probare de diuersitate accidentalis actiuitatis. Potest enim inter eandem speciem intellectuum hominum reperiri vnus alio perfectior. Ergo multò magis intra coordinationem Angelicorum, & humanorum.

Diuersitas accidentalis intellectus hominis ab eo Angeli.

Ob. 4. Eatenus Thomistæ saluant vnitatem specificam visionum, quia docent, principium productiuum earum immediatè esse lumen gloriæ, quod est eiusdem speciei in omnibus. Ergo qui negat hanc principalem actiuitatem luminis, & admittit diuersitatem specificam intellectuum, nequit saluare identitatem specificam visionum; quia semper vrget argumentum de diuersitate specifica principiorum desumptum

Instantia valida.

ptum à paritate intellectus, ac voluntatis, licet vtraque potentia sit totius entis.

In sent. Scoti valet arg.

184 Resp. 1. In sententia Scoti ita esse, quod si admittatur diuersitas specifica intellectuum, & negetur principalitas agendi in lumine, sequitur diuersitas specifica, & proinde nos, qui tenemus hæc principia, dicimus esse eiusdem speciei, tam intellectus, quam visiones, & si in anteced. dixi, neque sequi in sententia opposita, non per hoc à Scoti sententia recessi, sed ad vberiorem doctrinam dixi, quod data intellectuum diuersitate, ex eiusdem Scoti principijs, & paritatibus, non sequi diuersitatem specificam visionum. Concedo ergo non esse specie diuersas ex fundamento Scoti. Et concedo etiam, non esse specie diuersas in sententia D. Thomæ, si verum esset, quod lumen principalius concurrit, quia est eiusdem speciei. Sed vlterius addo, quod data diuersitate specifica intellectuum cum Sancto Thoma, & negata totali, seu principali virtute agendi in lumine eiusdem speciei in Angelo, & homine, adhuc dico saluari identitatem specificam visionum. Et hæc cum eisdem Scoti argumentis. Non omnes effectus emanans à causis diuersis specie differunt specie, neque omnia contenta in continentibus diuersis specie differunt specie. Exempla Scoti pro primo, sunt potentia visiua aquilæ, & bouis, quæ emanant à naturis specie diuersis, & tamen non differunt specie. Exemplum secundi, passiones entis, bonum, vnum, & verum, sunt in diuersis speciebus, imò & in omnibus generibus rerum, & tamen in eis non differunt specie. Et ego addo ex doctrina Scoti, intellectus Angeli, & hominis fluunt, seu emanant à naturis diuersis specie, & tamen per eum non differunt specie. Ergo licet concederetur, etiam intellectus eorum differre specie, & lumen dare totam, vel principalem actiuitatem intellectibus, adhuc tamen non sequitur diuersitas specifica visionum. Et sicut, saluat Scotus identitatem intellectuum procedentium à naturis diuersis per obiecti, & modi in eum tendendi identitatem; ita dico in casu distinctionis specificæ intellectuum, ex identitate specifica obiecti, & modi tendendi visionum in illud, saluari identitatem visionum, quod argumentum me conuincit, sed obiter sit allatum.

Author non recedit à Scoto.

In vtraque sent. Scoti, & D. Tho. dicitur visiones esse eiusdem speciei.

In vtriusque sent. nulla sequitur repugnantia.

Ob. 5. Si visiones Angelorum, & hominum essent eiusdem speciei, etiam visio hominis, & Dei essent eiusdem speciei: sed hoc est falsum: ergo. Sequela mai. prob. Non alio capite inter eas asseritur identitas, nisi quia habeat eundem modum tendendi, & idem obiectum. Sed sic se habet visio hominis comparata ad visionem Dei: ergo.

A paritate visionis Dei & hominis.

185 Resp. neg. sequelam ad probat. dico, identitas modi tendendi, & obiecti arguunt à posteriori tantum, et manifestatiuè identitatem visionum non verò ex rationibus intrinsecis. In casu autem habemus plura motiua distinguendi, quam identificandi. Quia visio Dei, ne dum ratione principij à quo est, sed ratione prædicatorum essentialium differt plusquam genere à visione hominis. Intellectus enim diuinus, infinitus, et increatus est; hominis verò finitus, etc. visio Dei est substantia, vel formaliter, vel saltem identicè; visio hominis est accidens. Ergo, licet conueniant in trascendentali aliquo conceptu, non tamen in aliquo genere, neque proximo, neque remoto. Ideo nulla paritas.

## ARTICVLVS VIII.

### *An visiones Beatorum sint inæquales, & quæ sit causa inæqualitatis.*

Scoti mens.

SCOTVS vtrumque dubium soluit pluribus in locis suæ doctrinæ. Primò *in 3. sent. dist. 13. quæst. 3. & distinct. 14. quæst. 2.* quibus in locis, docet, intellectum respectu visionis, et voluntatem respectu fruitionis elicere intensiores actus cum habitibus luminis, et charitatis, quam sine illis. 2. *in 4. sent. dist. 50. quæst. 6.* docet beatos esse inæquales in beatitudine non solum corporis, sed etiam animæ. Et latè prosequitur docere *sub B. & F.* quod ista inæqualitas procedere potest à principijs elicitiuis actuum, vel ab habitibus, tamquam à causis physicis.

Alias soluti dubium hoc

186 Adu. 1. hoc dubium solutum esse *in disput. 16. art. 9. & 10.* vbi actum est de æqualitate, et inæqualitate beatitudinis vt sic, et de causis illius. Nunc ergo breuiter aliqua dicemus de inæqualitate visionum, et de causis talis inæqualitatis. Loquimur autem hic de inæqualitate formali, et intensiua; non vero de obiectiua, quia de hac agetur in suo loco.

187 Adu. 2. ex dicendis diffusè in sequenti disput. ad visionem concurrere intellectum, et habitum luminis gloriæ; principaliter tamen intellectum, habitum verò propter duo esse necessaria; primo, dispositiuè in genere causæ moralis, vt habeatur obiectiua Dei præsentia; secundò, vt concurrat ad intensiorem actum. Primum docet *Scotus in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. F.* secundum *in 3. dist. 13. quæst. 3. ad 4. quæst. & in dist. 14. quæst. 2. C.* sed de his fusius in *disp. seq.* per totam.

Supponit aliam doctrinam de actiuitate luminis.

188 Adu. 3. ex dicendis in seq. disput. difficultatis secundæ resolutionem pendere à solutione alterius dubij, an tota actiuitas respectu visionis sit à lumine, an partialiter ab eo, et partialiter ab intellectu habeatur saltem de facto. Qui enim docent totam ac-

Diuersęsent, attendendam à lumine, quia visio est supernaturalis, docent consequenter, inæqualitates visionum pendere ab inæqualitate luminum. Qui verò docent, tam intellectum, quam lumen concurrere actiuè ad illam, docent etiam ab alterutro pendere earum inæqualitatem. Sed Lector patienter ferat, si huius rei solutionem partim ab *art. 9 & 10. disp. præced.* partim à disp. sequenti, & præsertim *art. 8. 9. 10. & 14.* collecturus sit; non enim omnia possunt sub vno quæsito tractari. His positis

Non omnes visiones sunt æquales. 169 Dico. Visiones beatorum non omnes sunt æquales. Est communis *Scoti, vbi supra. D. Tho. in 4. sent. dist. 49. qu. 3. art. 1. & 2. par. quæst. 12. art. 6. D. Bonauent. ibid. quæst. 6.* & est de fide.

190 Prob. 1. Beatitudo, vel consistit principaliter in visione beata, vel saltem partialiter, vt habetur *Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.* sed in beatitudine est inæqualitas, *Ioan. 14. In domo Patris mansiones multæ sunt. & 1. Cor. 15. Stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum:* ergo.

Visio est merces, ideo diuersa 191 Conf. Visio est merces ex *August. lib. 1. de Trinit. cap. penultimo.* Sed merces reddenda est iuxta mensuram meritorum, ex *Psal 61. Redes vnicuique iuxta opera sua. & 2. Cor. 9. Qui parce seminat, parce & metet. & Matth. 16. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Ergo, cum visio sit merces, vel saltem pars mercedis meritis reddenda; merita autem, seu opera viatorum non sint æqualia, merces non erit æqualis.

192 Conf. 2. ex *Concil. Florent. in decret. Vnionis Ecclesiæ Græcæ cum Latina*, & est *constit. 17. Eugenij IV. §. 6.* vbi de innocentibus nullique temporali pœnæ obnoxijs, ait, *animas eorum in cælum mox recipi, & clarè intueri ipsum Deum Trinum, & vnum, sicuti est, pro meritorum tamen diuersitate alium alia perfectius.* Ergo visiones in intensione non sunt æquales.

Alia argum. ex Patribus desumantur, ex *art. 9. disput. 16.* quæ sunt de inæqualitate beatitudinis. Ad idem enim sunt.

Inæqualitas visionum no de sumitur. 193 Dico 2. Inæqualitas visionum intensiua, seu formalis, licet dispositiuè moraliter oriatur ab inæqualitate meritorum: effectiuè tamen de facto, licet non sit certissimum, an oriatur ex sola inæqualitate luminis, vel etiam intellectus; probabilius tamen est, quod ab inæqualitate luminis correspondentis mensuræ meritorum constituentis cum intellectu actiuius principium oriatur. Prima, & vltima pars est communis sine controuersia. Secunda vero ex *Scoto* colligitur *in 4. dist. 50. qu. 6. F.*

1. pars, ex dictis. 194 Prob. 1. pars, ex præced. *Qui parcè seminat, parcè & metet. Reddet vnicuique iuxta opera sua, &c.*

2. pars. 195 Prob. 2. pars. Non est de fide, quod intellectus non agat in visionem; sed est conclusio Theologica de contraria sententia. Solum de fide est, quod lumen sit necessarium, & quod beatitudo sit inæqualis. Ratio autem suadet, quod si duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum capacem intensionis, ex inæqualitate alterutrius oriri potest inæqualitas in effectu. Ideoque, cum intellectus, & lumen concurrant ad visionem; & non repugnet, quod in aliquo intellectus actiuior producat intensiorem; & aliunde non habeamus oppositum; certum mihi non est, an ita procedat.

196 Confir. posset hoc Deus absolutè permittere, vt intellectus actiuior toto conatu agat. Et non scimus, an sic permittat.

3. pars. 197 Prob. 3. pars. Visio, quæ de facto conceditur beatis, est per modum præmij correspondentis medijs moralibus, nempè meritis; ergo etiam correspondentis medijs Physicis, intuitu moralium collatis. Tale est lumen gloriæ: ergo.

Lumen, an cadat sub merito dubium est, 198 Conf. Siue dicatur lumen gloriæ cadere sub merito, siue non, certum tamen est, ipsum non esse æquale in omnibus beatis, sicut neque charitas, sed determinatio istius mensuræ, licet à Deo liberè pendeat, nihilominus propter aliquem finem est diuersa in diuersis. Nequit autem assignari alius finis, quam mensura visionis eliciendæ: ergo. Min. subsumpto prob. Lumen, vt dicetur, in seq. disput. non confertur ad solum ornatum potentiæ, neque ob receptionem visionis, ex *Scoto in 3. dist. 14. qu. 2. & in 4. dist. 49. quæst. 11.* sed propter efficientiam visionis, ex eodem ibidem. Igitur, ideo alicui maius, alteri datur minus, quia maior, minorue elicienda visio. Et confirmatur ex paritate charitatis; quæ maior, aut minor confertur pro maiori, minoriue fruitione. Ex paritate gratiæ, siue habitualis, siue actualis pro maiori, aut minori actu meritorio eliciendo. Ideo summa admittitur in Christo. Ergo congruentius est dicere, quod de facto diuersitas visionum oriatur à diuersitate intensiua luminis, quam aliunde.

Ratio aliorum non placet. 199 Probant Moderni fere omnes alio fundamento. Quia inquiunt maior, aut minor intensio in effectu procedit à maiori, aut minori actiuitate in causa. Sed actiuitas causæ elicientis visionem, est solum lumen; ideo ex huius diuersitate oritur diuersitas visionis. Verum hoc medium est ignotius conclusione; nam dicetur in seq. disput. intellectum habere totam actiuitatem sibi necessariam in genere potentiæ ad eliciendam visionem simpliciter, & sibi deficere præsentiam obiectiuam Dei. Quam quidem de facto statuit Deus concedere posito lumine in intellectu; quod lumen præter hunc effectum dispositiuè, ac moraliter productum; adiuuat etiam intellectum ad

Quia medium est ignotius conclusione,

causandam visionem, sicut quilibet habitus adiuuat potentiam, in qua est, & adeo adiuuat, vt sine eo intellectus non eliceret tantam visionem, si per absolutam Dei potentiam eum videret sine lumine, quantam causat cum lumine, vt optimè *Scotus* docet *in* 3. *dist.*13. *quæst.*3. §. *Ad quartam*, vbi tractat de actu charitatis, ad quam se remittit in eodem 3. *dist.* 14. *quæst.*2. G. vbi agit de actu visionis. Ergo hoc medium assumptum ab aduersarijs non videtur concludere intentum. Neque vrget medium de supernaturalitate; quia, vt dicetur in disp. seq. præcisa supernaturalitate luminis, adhuc visio esset supernaturalis, ex obiecto, non quomodocumque, seu terminatiuo, sed motiuo, & se manifestante. Indebitum est enim naturæ; & eius viribus, ac industriæ impossibile habere præsentiam Dei obiectiuam; imò, vt dicemus hæc est vera, & potior supernaturalitas, quæ reperitur in actu videndi, & non illa tantum, quę est ab habitu luminis, quia hoc ex Scoto solum in ordine ad agens est supernaturale, non enim fieri potest fieri, nisi à Deo supernaturaliter agente: essentialiter autem est quid creatum; & sic ait *Scotus in* 3. *dist.*14. *quæst.*2. G. sicut, si cæcus supernaturaliter illuminatus, tamen naturaliter videret, ita de habitu luminis videtur dicendum: tamen supernaturalitas, quæ est à præsentia obiectiua Dei est essentialiter supernaturalis, & semper sic operatur. Sed de hoc fusè in suo loco.

Sine lumine non causatur tanta visio, quanta cum lumine.

Exemplum de cæco supernaturaliter illuminato.

200 Alia argumenta ad probandum inæqualitatem visionum prouenire ab inæqualitate potentiarum, vel habituum desumenda sunt ex *disp.*16. *ar.*10. *& ex disp.*18. *art.* 14.

Alia arg. vnde sumenda.

Ob. contra 1. Est idem obiectum respectu omnium; idem lumen. Ergo eadem visio. Diuersitas enim ab his potest prouenire.

Arg. contr.

201 Resp. de obiecto dist. idem primarium, & cum eodem gradu influxus concurrens, nego. cum diuerso gradu, concedo. Item de lumine, idem specificè, concedo. idem intensiuè, nego. Ratio autem primi est; quia licet omnes beati eundem Deum, & totam Trinitatem, cum omnibus attributis, & alijs prædicatis, quæ formaliter sunt in Deo visuri sint: Tamen non omnia obiecta secundaria, quæ continentur in Deo virtualiter, & eminenter. Secundo, quia obiectum actiuè concurrit, vt dicetur in productione visionis: sed non æquali influxu in omnes, sed iuxta visionem causandam in quolibet pro meritorum diuersitate. Ratio secundi est; quia lumen in aliquo est intensius, quam in alio; ergo intensior visio in vno, quam in alio. Addamus tertium ex Scoto, quia intellectus est perfectior in vno, quam in alio; & exinde si coniungatur cum lumine, siue æquali, siue maiori, intensius videbit, quam alius.

Obiectum non cadens intensione influit.

Triplex motiuum diuersitatis in intensione.

Ob. 2. Antiqui Patres non agnouerunt diuersitatem istarum visionum: ergo. Anteced. probatur. Nullus enim est, qui eam asserat.

202 Resp. neg. anteced. Esto enim de visionibus explicitè non essent locuti; expressè tamen cum fide Catholica confessi sunt inæqualitatem præmij, & beatitudinis, vt in *art.*10. *disp.*16. sed hæc, vt fides docet, vel est visio inchoatiuè, & fruitio completiuè, vel visio principaliter, & fruitio comitanter; clarè patet; quod vtraque debet esse inæqualis; alioquin præmia non essent inæqualia, non enim assignari posset, in quo essent inæqualia.

Patres implicitè de hac diuersitate sunt locuti.

Dices. Posset assignari inæqualitas, vel in fruitione, vel in obiecto, quod alicui appareret secundum aliquas perfectiones; alteri secundum alias: ergo.

203 Resp. nego anteced. Nam quamuis potuisset Deus ita statuere, vt omnes æqualiter viderent, inæqualiter verò fruerentur: tamen non ita statuit: quia, sicut dilectioni in via succedit fruitio in patria; ita fidei visio, & sicut gratia, & charitas, quæ est in iusto decedente non euacuatur, sed perficitur in patria; ita fidei, quæ euacuatur secundum actum, & habitum, succedere debet lumen pro habitu, & visio pro actu credendi. Et cum præterea vita æterna in visione, à Sancto Thoma, & cæteris magnæ notæ Doctoribus, dicatur principaliter consistere, ex *Io.*17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c.* negari absque temeritate non potest, quod de facto, etiam ratione visionis beatitudo sit inæqualis. Cum alius ille modus, scilicet æqualitatis visionum, & inæqualitatis fruitionum secundum præsentem Dei dispositionem, ac prouidentiam non sit positus in acta. Ad aliud de inæqualitate visorum, dicetur postea; quia nunc loquimur de inæqualitate intensiua.

Temerè negatur inæqualitas visionum.

Ob. 3. argum. desumpto, ex *Matth.* 20. de parabola operariorum, & denario diurno singulis dato pro labore etiam diuerso. Quæ parabola anagogicè intelligitur de præmio gloriæ.

Arg. de parabola operariorum.

204 Resp. sicut dictum est prolixè in *disp.* 16. *art.* 9. denarium diurnum singulis dandum, esse gloriam essentialem, nempè visionem Sanctissimæ Trinitatis. Ita omnes Patres, Theologi, & Scripturistæ, vt ibi, nè eadem repetamus. Et de hac æqualitate non disputamus, sed de æqualitate gloriæ accidentalis: an æquè intensa in omnibus sit visio. Et dicimus inæqualem esse, quia mansiones multæ, & iusta retributio id requirunt.

Denarius est gloria essentialis.

Inst. Ex parabola illa concluditur, quod labores sint inæquales, & præmium æquale: nam conquæruntur operarij de æquali retributione. Habet enim historia, quod Pater-familias à primo mane cæpit mittere operarios in vineam suam, conuentione facta cum illis de denario diurno. Et se-

quenti

quenti hora succesſiuè ex eodem pratio conduxit alios, & sic in tertia, &c. vsque ad vndecimam, in qua pro eodem denario conduxit alios. Serò autem facto *primi operarij arbitrati sunt, quod essent amplius accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios, & murmurabant aduersus Patrem familias, dicentes. Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus?* Ergo etiam si merita sint disparia, visiones sunt pares.

Declaratio parabolæ ex Glossa.

205 Resp. ex Glossa Ordinar. in eum locum operariorum nomine intelligi omnes fideles, qui in Ecclesia sunt. Primi sunt, qui fuerunt ab origine mundi. Qui fuerunt succesſiuè vsque ad finem mundi, sunt reliqui. A nouissimis incæptum est remunerare; quia, qui post aduentum Domini mortui sunt cælum apertum inuenerunt, & statim potuerunt in illud intrare, & mercedem accipere. Qui verò primi fuerunt accipiunt eandem æternitatem cum alijs; isti autem non dolent (ait Glossa) de sua mercede, sed ritu inuidorum, quod illi plùsquam mærentur accipiunt; & non tam ipsi plus accipere, quam alios, nihil, vel minus accipere desiderant, quasi alterius consortio sibi præmium minuatur. hæc Glossa.

Qui primi, & qui nouissimi.

206 Ad illud verò de murmuratione, ait, quomodo accipientes murmurasse dicuntur, cum in illa beatitudine omnis inuidia, & murmuratio prorsus remouenda sit? & respondet. Sed hic est mos diuinæ scripturæ, vt, cum de multis in collectione agat, quædam tantum quibusdam de illa collectione, & non toti collectioni tribuat. Et dat exemplum, valde aptum de Iudæis exeuntibus de Ægypto, quos dicit Scriptura introductos fuisse in terram promissionis, cum soli Caleph, & Iosue fuerint introducti, alij verò propter incredulitatem non fuerint digni, sed filij eorum patribus mortuis ingressi sunt in terram promissionis. Sensus ergo est, non quod intrantes in cælum ad visionem Dei, siue primi, siue vltimi murmurent, quod alij sint ipsis æquales, sed quod fideles, seu personæ priorum temporum mundi possent, non in cælo, sed in hoc mundo conquæri, quod alij, qui existent in fine mundi tam cito ingredientur in cælum, sintque illis æquales. Et istis diceretur, quod dictum est a Patrefamilias operarijs, *Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum? tolle, quod tuum est, & vade.* Itaque licet comparatio de operarijs, vinea, labore, & denario recipiendo valeat pro fidelibus operantibus à principio mundi vsque ad finem pro visione, & fruitione Dei; alia tamen de murmuratione non valet; quia repugnat admittere murmurationem in Regno Pacis. Ex hoc autem nihil infertur contra catholicam thesim.

Murmuratio quibus conueni.

Cur murmurarent.

Ob. 4. Quilibet beatus videt totum Deum, & omnia, quæ sunt in eo formaliter, nec aliquid Dei latet ipsum. Ergo omnes æque vident.

207 Resp. Distinguo consequens de æqualitate extensiua, seu terminatiua, concedo. de formali, seu intensiua, nego. hoc autem est, quod quæritur.

Æque obiectiuè videtur Deus, sed non intensiuè.

Instab. Parum refert, quod actus aliquis cognitionis sit intensior in vno, quam in alio, dummodo videantur eadem obiecta. Illud enim augumentum est merè physicũ, & naturale; nam posset prouenire ab actiuiore intellectu. Secundo, ex hoc quod vnus beatus sit alio celsior in corpore, vel alia membra habeat longiora, vel crassiora, non dicitur beatior alio, quia excessus est in naturalibus: talis esset excessus ille physicus visionis. Ergo esto concedatur, inde non sequeretur maior beatitudo.

208 Resp. neg. anteced. Sicut enim in via habitus aliquis virtutis, siue naturalis, siue supernaturalis, & actus eorum, quò sunt intensiores, eò sunt perfectiores; ita & in patria; perfectior enim est notitia scientifica, vt quatuor, quam vt vnum, & perfectior Geometra est, qui habet intensiorem habitum Geometriæ, vel acutiorem, ac perspicaciorem actum, quam qui remissum, ac debilem. Ad illud de augumento merè physico, negatur; sicut enim tota visio intensa, vel remissa est à principijs supernaturalibus, lumine, & obiectiua Dei præsentia; ita secundum se totam est supernaturalis. Ad aliud de membris grandioribus, &c. negatur paritas, quia hæc sunt merè naturalia, & non spectant ad rationem præmij.

Intensiores habitus perfectiores sũt

Vrg. Per intensionem illam non videtur plus, quam per visionem remissam: ergo. Consequentia prob. Visio est præmium simpliciter. Igitur, vt sit maius præmium, debet plus videre. Anteced. prob. A pari, licet Leo sit actiuior, quam Lepus, si tamen idem obiectum respiciant non plus videt ille, quam ille.

209 Resp. dist. anteced. De plus, si plus se teneat ex parte obiecti, transeat. Si verò se teneat ex parte actus, nego. Non enim æque videt oculus debilis, ac oculus fortis. Ad illud de Leone, & Lepore, dico, quod si supponatur actiuior vis visiua in Leone; hic videt plus, seu intensius, quam Lepus. Ita de visionibus dicendum.

Non æquè vident potentiæ diuersæ in actiuitate.

Ob. contra 1. Non potest aliunde prouenire inæqualitas intensionis, quam à lumine inæquali. Ergo certum est, quod non proueniat ab intellectu. Anteced. prob. Ab eo petenda est intensio, à quo, & actiuitas, sed à lumine petitur actiuitas. Nam intellectus circa supernaturalia non habet virtutem, cum non sit causa supernaturalis: alioquin sequeretur, quod viribus naturalibus posset Deum videre, quod, est error damnatus *in Clem. ad nostrum, de her.*

Contra 2.

Nunc ex inæqualitate meritorum datur visio inæqualis.

210 Resp. nego ant. Nisi enim, secundum præsentem prouidentiam attenderetur inæqualitas meritorum præmiandorum, sed permitteret Deus, vt intellectus actiuiores agerent toto conatu, siue haberent lumen æquale, siue non, dummodo haberent Deum obiectiuè præsentem, possent intensiores, & minus intensas elicere visiones. Nunc autem, cum lumine quidem id peragunt eliciendo visiones proportionatas meritis, aliquis maiorem, alius minorem, sed an ista maioritas proueniat ab actiuiore intellectu illustrato tamen lumine, vel à maiori lumine id dico videtur incertum.

Lumen adiuuat actiuitatem intellectus.

211 Ad probat. antec. dist. min. A lumine petitur tota actiuitas, nego, pars actiuitatis adiuuantis actiuitatem simpliciter intellectus, concedo. Ad hoc enim dicemus in sequ. disput. dari lumen. Ad replicam de supernaturalitate, quæ est argumentum allatum à *Scoto* contra se *in 3. dist. 14. quæst. 2. C.* dico, actum videndi nunc ex duplici capite dici supernaturalem, ex habitu, scilicet supernaturali, & ex præsentia Dei obiectiua supernaturali. Hęc verò supernaturalitas est essentialiter talis, quia entis intrinsecè supernaturalis: supernaturalitas verò habitus extrinsecè tantum est talis, quia nempe habitus ille est productus ab agente supernaturali. Ideoque, si quando Deo præsente obiectiuè, intellectus sine lumine eliceret circa eum actum videndi, adhuc esset supernaturalis; igitur numquam sequitur illud absurdum, quod suis naturæ viribus Deum videret, quia semper indigeret adiutorio supernaturali. Ita *Scotus, vbi supra in 3. dist. 14. quæst. 2. B.* de hoc autem argumento, iterum agetur in *disp. seq. art. 8. 10. & 14.*

Supernaturalitas præsentiæ Dei est essentialis.

Instab. Licet de possibili possit concipi, quod inæqualitas proueniat ab actiuiore intellectu, quia permitteretur agere toto conatu, nunc tamen ex quo agit ad visionem pro mensura meritorum, & luminis, non videtur assignabile, quomodo maior, minorue intensio procedere possit ab alio, quam à lumine: ergo.

Arg. iam solutum à Scoto de inæqualitate de facto ex parte intellectuum.

212 Resp. *Scotum* iam soluisse hoc arg. *in 4. dist. 50. quæst. 6.* & nos *in disp. 16. ar. 10. & disp. 18. art. 4.* diffusè, neg. secundum partem antec. Ratio est, quia nunc hæc ponenda sunt extra controuersiam, quod scilicet visiones sint inæquales pro meritis, & quod ad eas sit necessarium lumen gloriæ. Quomodo autem posset tribui excessus intellectui actiuiori; diceretur sic. Vel, quod minus lumen daretur intellectui actiuiori, & sic ipso toto conatu agente, haberetur excessus necessarius visionis correspondentis meritis. Vel quod, si detur etiam magnum lumen, non permittatur agere secundum totam actiuitatem suam. Et ita saluaretur necessitas luminis, & inæqualitas visionum, quæ sunt de fide; & saluaretur etiam hæc Theologica conclusio, quod intensio prouenire potest etiam ab intellectu. Hoc autem dictum sit arguendi gratia, vt discutiatur pondus rationum.

Instantia contra 1. resp.

Dices 1. In prima respons. non saluatur iustitia distributiua, nec commutatiua, quia non admittitur proportio luminis ad merita.

Lumen non datur pro meritis, sed velut gratia.

213 Resp. neg. antec. & suppositum. Quod lumen detur pro meritis. Dici enim posset, quod sicut gratia actualis imo, & prima habitualis in qualibet iustificatione, quia sunt principia actuum supernaturaliũ non dantur ex meritis, sed ex gratia; ita & lumen, quod est principium supernaturalis visionis; & proinde tantum detur, quantum cum magis, minusue actiuo intellectui sit necessarium ad proportionem visionis, magis minusue intensæ per illud totum coniunctum eliciendæ. Si autem dicatur, vt censeo etiam lumen dari ex meritis, sicuti datur visio, esset tendenda secunda responsio.

Contra 2. resp.

Dices 2. Si teneatur secunda responsio. Lumen gloriæ per totam æternitatem remaneret otiosum; semper enim impediretur, ne iuxta totam actiuitatem ageret. Hac autem non videtur asserendum.

Effectus primarius luminis gloriæ, qui.

214 Resp. distinguo sequelam, remaneret otiosum quò ad effectum suum primarium, imò & quò ad maiorem partem secundarij, nego. quò ad aliquam partem secundarij, concedo. declaratur. Dicemus in seq. disput. lumen gloriæ id habere pro effectu primario, nempe, ex ordinatione diuina, seu vt dicitur, moraliter adducere Dei præsentiam obiectiuam, eo enim posito Deus facit se obiectiuè præsentem; & hunc effectum in omni euentu habet. Alius effectus, qui est secundarius, est adiuuare intellectum, & ei coagere ad producendam indiuisibiliter cum eo visionem, sicut quilibet habitus cum potentia, in qua est. In eo casu hunc effectum haberet secundum partem, id est concurreret quidem, sed v.g. vt duo, vel vt tria, non vt sex, vel, vt octo. Neque ex hoc remaneret otiosum, quia præstaret illum effectum, ad quem esset datum. Et quidem si ad otium respiciamus, potius consulere deberemus actiuitati intellectus, quæ est ei intrinseca, & tamen excessus ille actiuitatis nullum vmquam habiturus esset effectum, quod lumini non accidit, quia etiam excessus concurreret ad effectum primarium. Sed hæc speculationis gratia dicta sint.

Secundarius qui.

Consulendũ actiuitati intellectus.

Ob. 2. Certum est, quod de facto tota visio est supernaturalis: ergo certum est de facto totam intensionem esse attendendam ex parte luminis. Consequ. probatur. Alioquin gradus visionis excedentes aliam, & prouenientes ab excessu intellectus actiuioris, essent naturales.

215 Resp. neg. consequ. Quia, sicut tota visio emanans ab intellectu, etiam cum minimo lumine est tota supernaturalis;

ita

ita & in casu. Eò vel maximè, quia tam respectu graduum remissorum, quam intensorum ad concursū præsentiæ obiectiuæ supernaturalis. Adde, quod si hoc argumentum aliquid probat, concluderet etiam quod stante maximo lumine, adhuc essent in visionis gradus aliqui naturales; quia ne dum lumen, sed intellectus ad eam concurrit. Et tamen id non sequitur, quia concursus cuiuslibet supernaturalis sufficit ad denominandam totam actionem supernaturalem, sicut in primo argum. dictum est.

Absurdum quod sequitur.

Ob. contra vltimam partem, probando quod de facto etiam ab intellectu petenda sit inæqualitas. De facto aliqui beatorum intellectus sunt inæquales, & habent merita inæqualia, & visiones inæquales: ergo. Consequ. prob. Non est maior ratio, cur inæqualitas desumenda sit ex inæqualitate luminum, quam intellectuum, cum ambo concurrant actiuè.

Contra vlt. partem.

216 Resp. hoc arg. meo videri valde vrgere: tamen, ne à communi Magistrorum sententia recedam, dico de facto ex luminis inæqualitate sumendam esse intensionem non quia lumen causet totam substantiam actus; nam in hoc numquam consentiam; sed quia suppositā actiuitate intellectus, etiam lumen datur iuxta quantitatem visionis eliciendæ. Et hoc substinendum est, siue dicatur lumen dari ex meritis, siue ex sola gratia; quia in vtroque casu haberi potest proportio.

Author fatetur vim arg.

217 Alia argumenta, quæ militant contra hanc thesim, sumi possunt ex *art.* 10. *disput.* 16. & multo plura ex *art.* 14. *disp.* 18.

## ARTICVLVS IX.

### *An quælibet visio expleat appetitum Beatorum.*

Scoti mens,

SCOTVS pluribus in locis suæ doctrinæ, vt notaui in *disp.* 15. *art.* 7. soluit hoc quæsitum cum distinctione, scilicet quod appetitus naturalis non satietur, nisi in summa visione, sed appetitus deliberatiuus satietur per quemlibet gradum. Id docet *in* 2. *dist.* 1. *quæst. vlt.* in fine, his verbis. *Dum dicitur, capacitas naturæ satiatur in beatitudine non est vera loquendo de capacitate meè naturali; præcisè enim satiatur secundum proportionem ad merita communiter loquendo. Et in hoc satiatur sufficienter appetitus deliberatiuus.* *in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *M. S. Ad argumenta alterius*, dicit sic. *Appetitus naturalis cuiuscunque voluntatis est ad summam gloriam, hoc est ista voluntas posset perfici tanta gloria:* & post aliqua addit. *Et tamen potest quietari in minima.* Tandem *in* 4. *dist.* 50. *quæst.* 6. *infra B.* & est solutio quæst. quinta, docet, quod appetitus naturalis beati non est necesse, vt habeat omnem perfectionem, cuius est summè capax, & post aliqua, ait, licet appetitus naturalis naturaliter inclinet ad summam perfectionem, iustitia tamen distributiua Dei ordinat, vt detur per proportionem ad merita. & post dicit. Totalis appetitus quietatur, vt *est consonus diuinæ regulæ, non quia accipiat quantum capere potest, sed quia accipit quantum debet ex meritis, &c.* hæc *Scotus*.

Naturalis capacitas nō satiatur, & quare per Scotum,

218 Adu. 1. & suppono ex dictis *disp.* 15. *art.* 1. in homine duplicem esse appetitum, vnum naturalem; alterum deliberatiuum. Primus non est aliquis actus positiuus, ex *Sco.* 4. *dist.* 49. *quæst.* 10. *A.* sed mera inclinatio naturæ ad bonum, sui perfectiuum, etiam sine scientia eius. Secundus verò est actus positiuus, quo voluntas suppositā scientia boni vult illud. Et si est ordinata, vult conformiter ad rectum dictamen rationis. Naturalis autem appetitus reperitur, tam in intellectu respectu visionis, quam in voluntate respectu amoris, & ratione istorum homo dicitur appetere naturaliter præfatos actus; seu habere naturalem inclinationem ad illos. Sed deliberatiuus est in sola voluntate cuius est deliberare suppositā sufficienti cognitione agibilis. Hic ergo oritur dubium de vtroque appetitu, an in visione quacunque satietur.

In homine duplex appetitus,

In intellectu & voluntate est naturalis appetitus,

Deliberatiuus in voluntate,

219 Adu. 2. Quod iam solutum est hoc dubium in *disp.* 15. *art.* 7. vbi diximus omnem beatum satiari sua propria beatitudine; in quocunque hæc consistat, siue in visione, siue in fruitione, siue in vtraque. Nunc autem propter ordinem disputationis, & exactam discussionem de visione, aliqua attingentur de expletione beatorum per eam.

Dubium hoc alias solutū.

220 Adu. 3. Quod intellectus humanus, sicut & voluntas, & quælibet alia potentia, est propensus, seu inclinatus ad recipiendam quamlibet perfectionem sibi inesse possibilem, siue virtute agentis creati, siue increati. Ideo *Scotus in* 3. *dist.* 13. *qu.* 2. *M.* ait. *Respondeo, & dico, quod appetitus naturalis, cuiuscunque voluntatis est ad summam gloriam:* & subdit. *Nec tamen est ibi tanta inclinatio naturalis ad summam, quod oppositum eius, id est non summa potentia ipsi violenter insit, quia potest quietari in minima.*

Naturalis potentiæ inclinatio, quæ,

221 Adu. 4. ex *Sco. in* 4. *dist.* 50. *qu.* 6. *A. S. Respondeo.* Non esse necessarium, vt appetitus naturalis, seu inclinatio habeat summam perfectionem, cuius est summe capax: vt patet de graui, quod est capax esse summe deorsum, scilicet in centro, nec tamen omne graue est in centro. Et si tolleretur impedimentum esset summè deorsum, & tamen non potest esse, sed facit se deorsum quantum potest, & ibi quiescit. Et ideo sufficit, quod graue quietetur co

Non est necesse, vt appetitus naturalis obtineat perfectionem summam.

mo-

modo, quo gravitas est principium intrinsecum ad quietationem. Est autem sic principium, quod stante eadem perfectione naturæ, ad quam est maior intentio naturæ, maiorem habet perfectionem, &c. Sic in nostro casu, ait, dicendum est: quod, licet appetitus naturalis, naturaliter inclinet ad summam perfectionem; iustitia tamen distributiua in Deo, quæ ordinat omnia propter se ipsam, ordinat sic homines ad beatitudinem, vt perfectio visionis, & fruitionis detur propter meritum, non propter appetitum naturalem, hæc formiter *Scotus*.

Exemplum de graui, & contro.

222 Adu. vlt. ex *Scoto in 3. dist. 13. q. 4. M. §. Ad argumenta alterius*, Quod, licet voluntas libera recta sit, quando est consona appetitui naturali; hoc tamen non semper est verum; sed tantum, quando cum hoc consonat voluntati diuinæ, quando scilicet vult, quod Deus vult eam velle. Quandoque autem Deus vult voluntatem liberè velle, quod vult appetitus naturalis; quandoque autem non, sed vult voluntatem liberam velle esse consonam voluntati suæ, & dissonam appetitui naturali; & ideo beatitudo rectè appetitur liberè, quia Deus vult naturalem appetitum hoc appetere, & voluntatem liberam esse sibi consonam: & dat exemplum. Vult Deus voluntatem non odire mortem in casu (v. gr. martyrij) & tamen vult appetitum naturalem esse ad oppositum mortis; & tunc non vult voluntatem liberam sequi eum, sed voluntatem suam, quæ est regula superior. Ita in beatitudine, Deus ex voluntate sua, quæ est regula suprema præfixit cuilibet voluntati creatæ, vt ipsa non plus velit, quam voluntas diuina sibi consulit, & vult eam velle. Hæc ad ammissim *Scotus*. His præmissis

Voluntas, quando est recta, licet dissona appetitui naturali.

223 Dico 1. Appetitus naturalis intellectus, licet simpliciter loquendo non satietur pro quocunque gradu visionis; tamen absolutè dicendum est, quod beatus satiatur, nec remanet inquietus, sed quietissimus, nec vllam patitur violentiam. Secunda pars est communis, & de fide. Prima pars est merè Theologica, seu metaphysicalis, est tamen Scoti locis initio articuli allatis.

Appetitus naturali nō satiato, beatus satiatur.

224 Prob. 1. pars. Nullus appetitus cuiusuis potentiæ satiatur, nisi obtineat actum, & habitum perfectissimum quem potest habere. Sed appetitus naturalis, seu capacitas intellectus potest recipere actum visionis Dei intensissimum, ac summum, & habitum luminis eiusdem intensionis. Ergo nisi eos habeat, non satiatur. Mai. ex terminis est euidens; nam inclinatio non satiatur, nisi per possessionem termini. Minor prob. ex *Scoto in 3. dist. 13. quæst. 4. L. M. & N.* nam, sicut voluntati creatæ potest à Deo conferri summa gratia, & fruitio; ita & intellectui summa visio, & summum lumen, & de facto ista fuerunt collata animæ Christi. Igitur adest in eis potentijs talis inclinatio, & capacitas, ac non repugnantia. Non enim, ait Scotus, augetur earum capacitas per hoc, quod summi habitus eis communicantur, vel summi actus ab eis procedunt.

1ª pars. quod non satiatur appetitus naturalis.

225 Conf. Intellectus habens visionem, vt duo, est capax aliorum graduum vsque ad octo, & aliorum possibilium. Et si habuisset maius lumen, seu verius maiora merita, intensiorem actu haberet, sicut, & alij beati huius conditionis. Ergo erat capax eorum, ac proinde capacitas ista non expletur.

Quare non expletur capacitas naturalis.

226 Conf. 2. Exemplo, & paritate vasorum corporalium, quæ numquam repleta dicuntur, donec tota illorum inanitas abigatur. Ergo potentiæ, seu subiecta capacia perfectionum in summo, vel in aliquo gradu excellentissimo non explentur, nisi eo habito.

Positus corporalium.

227 Probari potest tandem argumentis allatis in *disp. 15. art. 7.* vbi de beatitudine, vt sic actum est, & idem quæsitum de appetitu naturali discussum.

228 Prob. 2. pars, ex *Psal. 16. Cum iustitia apparebo in conspectu tuo; satiabor cum apparuerit gloria tua*, quod proprie de intellectu accipitur, cui Deus apparebit. Dauid autem, vel loquitur in persona omnium iustorum, vel in persona propria. Si primum, dicatur, certum est, quod non omnes iusti erunt pares in meritis, neque in visione, & tamen inquit, quod saturabuntur. Si dicatur secundum; certum pariter est, quod Dauid non habeat summam gloriam, quæ potest alicui creaturæ communicari, non enim eius gloria est Christi gloriæ æqualis, immo neque Beatæ Virginis, & vt puto, neque multorum excellentium, Sanctorum, vt Apostolorum, ac Martyrum; & tamen ait, *satiabor, cum apparuerit gloria tua*. Ergo appetitus intellectus satiatur per quamlibet visionem Dei.

2ª pars.

Nulla gloria æqualis gloriæ Christi.

229 Prob. 2. Beatus agit conformiter ad regulam superiorem, nempe Dei voluntatem; ergo, cum hæc statuat, vt quilibet sit contentus de gloria suis meritis correspondente; quæcunque ista sit, satiat appetitum intellectus beati. Consequ. prob. Appetitus etenim intellectus non est actus quidam positiuus volendi aliquid, quo non habito tristetur: hoc enim est proprium voluntatis, sed est quædam inclinatio ad recipiendum omnem visionem possibilem. Et ideo quolibet gradu visionis obtento, voluntas alium non appetit pro intellectu, & sic beatus satiatur.

Beatus quare satietur.

230 Prob. 3. Beatus, nec appetit alium gradum visionis, nec si vellet posset appetere. Ergo est quietus, & contentus de eo quem possidet. Anteced. prob. de primo: id appetit quod Deus vult. Sed Deus vult, vt appetat eam visionem, quæ sibi ex meritis debetur, vt corona iustitiæ: ergo.

Beatus non potest aliud appetere.

Prob.

Prob. de secundo, Deus non concurrit ad actum aliquem non rectum beati: ergo nec potest velle appetere, nec potest appetere, quia esset actu non rectus. Igitur contentus est de eo gradu, quem habet.

Ex script.

231 Conf. 1. ex *Psal. 35. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Interlin. ait, *præsentis, vel futuræ.* Glossa Ordinar. ait, *Tunc in te ebrij, qui modo sperant. Impetus erit gratiæ, & misericordiæ ad inebriandum.* Ergo quilibet satiabitur.

232 Conf. 2. ex *Psal 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Interl. quæ est *August.* ait. *Vt vltra nihil desiderent, cum facie ad faciem te viderint.* Ergo quilibet satiabitur, & tamen certum est, vt probauimus non omnes futuros æquales in visione.

Beati omnes læti, & contenti.

233 Conf. 3. ex *Psal. 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Glossa Ordinar. ait. *Diapsalma concludit, paucis verbis tangens futuram beatitudinem.* & *Aug.* ex eadem Glossa ait, *Sicut, quia talis erit lætitia, qualem hic non nouimus, & ideo cum non potuit exprimi, dicit, vt potuit, sicut lætantium.* Ergo, si omnes erunt læti, omnes quieti, & satiati.

234 Conf. 4. ex *Rom. 14. Non est Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax & gaudium in spiritu Sancto.* Ergo si est ibi summa pax, & iustitia, omnes erunt quieti, & contenti; & ideo *Psal. 147.* dicitur, *qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* & Interl. quæ est *August.* ait, *in pace illa est saturitas, nulla indigentia.*

Alia argumenta sumi possunt, ex *disp. 15. art. 7.* quia sunt ad idem,

Arg. contr. 1

Ob. contra primam partem 1. Nullus adest in beato appetitus naturalis ad beatitudinem: ergo non eget satiari. Antec. prob. Primò, quia frustra est talis appetitus, cum non posset à natura reduci ad actum. Secundo, naturale est improportionatum supernaturali: ergo. Tertio, si daretur hic appetitus in intellectu, vel alia quauis potentia, posset naturaliter cognosci, sed hoc est falsum, quia cum sit ad terminum supernaturalem non posset cognosci non cognito termino.

Multa absurda.

Capacitas naturæ non est frustra.

235 Resp. neg. anteced. Adest enim intellectus capax beatitudinis, siue immediatè, siue mediante lumine, nunc non curo. Ad impugnat. 1. nego sequelam, quia sufficit potentia, quæ possit reducere eam ad actum, licet sit supra totam naturam. Optimè enim docet *August. lib. de prædest. Sanctor. cap. 5. Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratia est fidelium.* Ergo ex natura competit homini posse habere, seu capacitas habendi supernaturalia; licet ad Deū spectet ea conferre. Ad secundum dist. anteced. est improportionatum ad recipiendum, nego; alias numquam posset intellectus, vel voluntas recipere formam aliquam vel habitum supernaturalem. Est improportionatum ad agendum distinguo se solo, concedo; cum adiutorio supernaturali, quodcunque illud sit, nego; quia de facto natiua intellectus potentia concurrit actiue ad visionem supernaturalem cum adiutorio luminis, & obiectiuæ Dei præsentiæ. Ad 3. ex eodem motiuo argumenti nego sequelam, multa enim dantur in natura, quæ, vel sunt ipsemet respectus ad Deum, vel illum inuoluunt, quæ nequeunt à natura cognosci, patet de respectu creationis, de omnibus habitibus supernaturalibus infusis; qui quidem, vel ab Angelo, vel ab anima separata cognosci possunt in ratione qualitatis, sed non in ratione gratificantis, quia nequit cognosci terminus in ordine, ad quem gratum faciant.

Intellectus, quomodo est improportionatus ad supernaturalia quædam.

Respectus ad Deum nō cognoscitur

Ob. 2. Ista inclinatio, vel est forma absoluta, vel relatiua. Neutrum potest affieri, quia esset quid supernaturale. Implicat autem, vt enti naturali sit essentiale aliquid supernaturale.

236 Resp. neg. min. ac probationem, est enim, vel mera capacitas intellectus ad recipiendam omnem perfectionem sibi possibilem inesse ab omni obiecto, etiam perfectissimo; vel est relatio trascendentalis, seu aptitudo concreata ipsi intellectui, & ideo naturalis: neque officit, quod respiciat terminum supernaturalem, quia etiam relatio passiuæ creationis est essentialis omni creaturæ, ita & relatio dependentiæ, tam in essendo, quam in agendo; habentque omnes istæ Deum pro termino, & tamen sunt naturales. Neque valet disparitas, quod habeant Deum, vt authorem naturæ pro termino. Nam Deus, vt Author naturæ est agens supernaturale, agit enim id quod potest natura; nec ipse quidquam debet naturæ. Ergo idem de illa inclinatione intellectus ad perfici à quauis perfectione sibi possibili inesse, dicendum est.

Inclinatio respicit terminum supernaturalē, & est naturalis.

Inst. Sequitur, quod hæc sent. faueret errori Beguardorum, qui per vires naturæ, dicebant, animam habere proportionem, & actiuitatem ad visionem Dei. Hæc autem sententia dicit, quod habet inclinationem naturalem: ergo.

Sent. Auth. non fauet errori Beguinarum.

237 Resp. neg. sequelam, illa enim admittebat actiuitatem ad causandam visionem; hæc autem admittit inclinationem passiuam, quæ non est aliquis actus quo intellectus appetat, sed capacitas, vel inclinatio ad habendam omnem perfectionem sibi conuenientem per quodcumque agens.

Ob. 3. Si non satiaretur appetitus naturalis intellectus, ergo natura eius remaneret inquieta, quod est falsum. Sequela prob. Naturaliter inclinatum ad aliquem terminum, eo non obtento, remanet naturaliter inquietum, vt patet de omni, maximè cognoscitiuo.

Resp.

Quare appetitus naturalis non satiatus, non remanet inquietus.

238 Resp. neg. sequelam ad probat. dist. ant. Remanet inquietum, nisi aliunde quietetur, concedo. si quietetur, nego. Ratio est, quia ex pluribus capitibus, non adest inquietitudo, licet non obtineatur summum illud, ad quod inclinatur intellectus. Primò, quia non desideratur illud summum. Secundò, quia Deus eum impedit. Præterea in eiusmodi capacitatibus, seu inclinationibus subiecta sic inclinata, quiescunt etiam si non perueniant ad summum, sed accedunt ad illud, quantum possunt. Patet, ait Scotus, de graui, quod quidem habet inclinationem adesse in centro; neque tamen omne graue est in centro, vt patet, quia terra, & montes, quos aspicimus valde distant à centro, & si subtus eos foderetur, adhuc magis descenderent, vt accederent ad centrum: neque proinde sunt violenter, aut cum inquietitudine distantes ab illo puncto centri. Quia habent illam inclinationem cum ea subordinatione, vt quiescant etiam extra centrum. Ita prorsus ad appetitum naturalem intellectus, ac voluntatis erga supernaturalia dicendum; intellectus enim inclinatur ad habitus summos fidei, prudentiæ, luminis gloriæ, & ad actus eorum summos; sic & voluntas ad habitus spei, Charitatis, & cæteros etiam summos, & ad actus eorum ipsis æquales, cum tali tamen subordinatione, vt in quolibet talium gradu, seu intensione quietentur, quia accedunt ad eos quantum possunt. Et sicut materia habet inclinationem ad formam perfectissimam, & tamen quiescit sub imperfecta aliqua eiusdem generis. Ita & istæ potentiæ. Eò vel maximè, quia tales capacitates, seu inclinationes non sunt actus quidam potentiarum, quibus velit tales habitus, aut actus, quos habere possunt ex alterius beneficio, seu adiutorio: tunc enim fortasse sequeretur inquietitudo, nisi aliunde impediretur.

Grauc etiam dictans à centro quiescit.

Sic intellectus.

Contra 2. p.

Ob. contra 2. partem. Appetitus deliberatiuus beati potest velle, vt appetitus naturalis sui intellectus expleatur; & tamen non videt eum expletum: ergo remanet inquietus. Anteced. prob. Appetitus ille naturalis non est malus, sed bonus, & à Deo inditus. Igitur deliberatiuus potest se illi conformare. Et velle terminum suæ inclinationis.

Appetitus naturalis nó semper est regula delib. tiui.

239 Resp. ex *Scoto*, vt in notab. nego anteced. Vel distinguo, potest velle conditionatè, si Deo placet, concedo. absolutè, nego. & nego consequen. ad probat. Dico appetitum illum esse bonum, sed expletionem actualem eius non esse, in casu retributionis, bonam; sed solum in abstracto, & absolutè in casu possibili metaphysicè. Multa enim naturaliter appetimus, quæ absolutè bona sunt; sed in casu non sunt bona. Patet de nolitione mortis, & fuga eius: quæ tamen in casu confessionis fidei, debet acceptari. Appetit ergo summam beatitudinem hominis natura, sed appetitu naturali; deliberatiuus autem eam non appetit, dum natura beatificatur; quia non debet appetere, sed solum quanta sibi ex meritis est taxata. Et Deus ad hunc appetitum cum actu voluntatis beatæ concurrit, quia est rectus, & iustus; non verò ad alium, qui esset iniustus.

Instabis. Si vellet expletionem appetitur naturalis, conformaret se dictamini naturali. Ergo rectè vellet.

Appetitus non est dictamen beati.

240 Resp. nego antec. Quia dictamen naturale non est appetitus naturalis, sed notitia dicens sic esse volendum. Experitur autem in se beatus notitiam dicentem, non debes velle summam visionem, sed correspondentem meritis, & hanc vult.

Reliqua argum. sumi possunt, ex *disp. 15. art. 7.*

## ARTICVLVS VIt.

### *An Deus videndus sit, vel saltem possit oculis corporeis.*

Scoti mens.

SCOTVS hoc dubium sub his verbis non pertractat. Ex ijs tamen quæ docet *in 3. dist. 10. quæst. 9.* Colligitur negatiua eius sententia. Ibi enim firmiter sustinet substantiam spiritualem, imò neque substantiam corpoream non existentem modo circumscriptiuo, non posse videri ab oculo corporeo. Et sic corpus Christi videri non posse in Eucharistia, neque ab oculo glorioso.

Sensus art. clarus,

241 Adu. Sensum quæsiti clarum esse. An scilicet quando beati simul cum corpore erunt in cælo visuri sint illum etiam per oculos corporeos. Et si hoc non admittatur regulariter; an saltim possint admitti de potentia absoluta, per eleuationem oculorum cum aliqua supernaturali qualitate, ad Dei visionem eliciendam.

Duo genera aduersariorum in hoc.

242 Adu. 1. Cum duplicis generis hostibus nobis esse certamen, Hæreticis scilicet & Paganis. Vtrique enim asserentes Deum esse corporeum dixerunt videndum esse à beatis per oculos corporeos. ita Antropomorphitæ, & Seleuciani, ex *Salelle tom. 2. reg. 238.* Deinde Mahometani, ex eodem *reg. 253. Tertullianus* autem ex *Salelle reg. 228.* licet docuerit Deum esse corporeum, asseruit tamen non posse effigiari, & consequenter, nec videri. De Catholicis autem cum fide tenentibus, Deum esse purum spiritum; aliqui nisi sunt rem in suspenso relinquere, & potius ad affirmantem declinare, & sæpè problematice loqui, inter quos aliquibus videtur recensendus *S. Augustinus*, quem tamen vindicare conabor, & Fulgentius eius discipulos, cuius in obiectis adducemus doctrinam.

Isti

Aliqui affirmant.

Isti ergo videntur docere, quod dum corpora hominum fient immortalia, etiam per corporis oculos videbitur Deus.

243 Adu. vlt. Quod de hoc negotio duplex examinanda est quæstio. Prima de facto, quod scilicet fiet, an beati Deum videbunt, neduni oculis, mentis, sed etiam corporis. Secunda; an si hoc non erit, saltem sit possibile: Et quamuis de prima omnes Catholici nunc negatiuè respondeant; non ita loquuntur de secunda.

Beati non videbunt Deum oculis corporeis.

244 Dico ergo 1. Beati cum in corpore immortali resurgent, non videbunt Deum oculis corporeis. Colligitur ex fide.

245 Prob. 1. ex 1. *Tim.* 6. *Deum nemo vidit vnquam, sed nec videre potest.* Et *cap.* 1. dixerat, *Regi sæculorum immortali, & inuisibili.* Sed hoc nequit intelligi de visione intellectuali, quia *Matth.* 5. habetur, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ergo intelligitur de visione corporea.

Ex Origene.

246 Prob. 2. ex *Origene libro* 7. *contra Celsum*, qui eum impugnat imponentem Christianis quod credant Deum esse corporeum, & corporeis sensibus attingibilem. Deinde, inquit, *quod ad Dei cognitionem pertinet nullo modo indigemus corpore; quod enim cognoscit Deum, non oculus est corporis sed mentis.* Et quia posset quis dicere, Origenem loqui de cognitione abstractiua viatorum. Contra est, ait enim, *falso igitur nobis Celsus imponit dicens nos sperare corporis oculis Deum esse visuros, & auribus vocem eius audituros, ac manibus sensibilibus ipsum esse contrectaturos, &c.* Ergo in Patria Deus non est videndus oculis corporeis.

De beatis loquitur Origenes non de viatoribus.

247 Prob. 3. Ex *S. Ambr.* [in cap. 1. *Luc.*], declarante illud *Apparuit illi Angelus*, vbi quærens, quomodo Deus visus sit, aut erit videndus, præ cæteris habet: *Nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumscribitur visu. Denique neque Apostoli omnes Christum videbant:* Et post aliqua. *Nos enim secundum carnem non vidimus Christum, sed secundum spiritum.* & *S. Augst.* infra adducendus in commonitorio ad Fortunatianum, quod est ante *lib. de vid. Deo*, refert *Ambrosium*, sic; *Beatus Ambrosius, cum de Christo ageret secundum id, quod Verbum est, inquit, Non enim corporalibus sed spiritualibus oculis Iesus videtur.* Et multo post *sub E.* ait. *Hoc est quod noster dicit Ambrosius, vt verum sit, quod Deum nemo hominum vidit, sed nec videre potest. Et illa non repudientur testimonia Scripturarum, quibus Deus visus esse narratur, quia & inuisibilis est per propriam Deitatis naturam; & cum vult videri potest per assumptam, sicut placuit creaturam. Porro si natura eius est inuisibilis, sicut incorruptibilis non mutabitur vtique in futuro sæculo illa natura, vt de inuisibilis visibilis fiat; quia neque potest de incorruptibili fieri corruptibilis.* Hæc ex *Aug. Ambrosius*.

Ambrosius clare docet esse impossibile.

Augst. consensit Ambros.

Ex Hieron.

Ex August.

348 Prob. 4. Ex *S. Hier.* citato ab eod. *Aug. in Commonitorio*, vti *supra sub D. Sanctus autem Hieronymus*, ait, *videre Deum, sicuti est, in natura, oculis hominis non potest:* & paulo infra subdit, *Augst. de Hieronymo, vnde in alio loco euidentius dicit. Non solum Patris diuinitatem, sed nec filij quidem, & Spiritus Sancti, quæ vna in Trinitate natura est, posse oculos carnis aspicere, sed oculos, mentis, de quibus ait Saluator, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & subdit, *quid his manifestatione lucidius.* Ergo ex *Hieronymo*, Beati non videbunt Deum oculis corporeis.

Greg. Nazid ex Aug.

249 Prob. 5. Ex *S. Greg. Nazianz.* relato ab *Augst. in præfato commonit. sub E. Gregorius etiam Sanctus Orientalis Episcopus apertissimè dicit, Deum à natura inuisibilem, quando Patribus visus est, sicut Moysi, cum quo facie ad faciem loquebatur alicuius conspicabilis materiæ dispositione assumpta, saluæ suæ inuisibilitate videre potuisse.* Ergo oculis corporis diuinitas non videbitur.

Athanas. ex Aug. euidentissimè.

250 Prob. 6. ex *S. Athanasio*, relato ab *Aug. in cit. commoniterio, sub E. Beatissimus quoque Athanasius Alexandrinus Episcopus, cum ageret aduersus Arianos, qui tantummodo Deum Patrem inuisibilem dicunt; filium verò, & Spiritum Sanctum visibiles putant; æqualem Trinitatis inuisibilitatem Scripturarum Sanctarum testimonijs, & diligentia sua disputationis asserit instantissimè suadens, Deum non esse visum, nisi assumptione creaturæ; secundum Deitatis autem suæ proprietatem omninò Deum esse inuisibilem, id est, nisi in quantum mente, ac spiritu nosci potest.* Ergo ex *Athan.* nec videbunt, nec poterunt oculis corporeis videre, sed sola mente.

Ex August.

251 Prob. 7. ex *S. Augst.* in cit. *commonit. sub F.* vbi referens verba *Matt.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, & 1. *Ioan.* 3. *Et scimus quia, cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est*, ait, *negare non possumus filios Dei visuros Deum, sed sicut videntur inuisibilia, sicut se ipsum ostensurum promittebat qui hominibus apparebat in carne visibili. Ego diligam eum, & ostendam me ipsum illi, eum ante oculos hominum conspicientes loqueretur. Vnde autem inuisibilia videntur nisi oculis cordis, de quibus paulo ante dixi quod Hieronymus senserit ad videndum Deum.* Ergo ex *Augst.* non videbitur Deus, nisi oculo mentis.

Fulgentius cum Augst. tenet.

252 Prob. 8. ex *S. Fulgentio in resp. ad quæst.* 3. dicente; *quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, ipsum Deum cogites, quia sapientia est, veritas est, charitas est; quocirca quibus oculis videtur sapientia, veritas, & charitas, ipsis oculis videtur illa sapiens, veraque diuinitas. Non*

*itaque corporis, sed oculis animæ Deus suam visionem promittit, quam capacem sapientiæ veritatis, charitatisque constituit. Hæc Fulgentius.*

Cyrill. Hier.

253 Prob. 9. ex *Cyrillo Hierosol.* in *Catech. 9.* habente carnis quidem oculis contemplari Deum impossibile est. Quod enim corporis est expers in carnis oculos cadere nequit: ergo.

254 Prob. tandem ex dicendis in sequ. concl. quæ sunt à fortiori.

Beati in cælo, neque poterunt videre Deum oculis corporeis.

255 Dico 2. Beati cum post iudicium erunt in cælo cum suis corporibus nedum non videbunt, sed nullo modo poterunt per oculos corporeos, quantumuis spiritales iam redditos, vel aliter elevatos videre Deum, est modo communis in tota Ecclesia. Si excipias Augustinum, qui sub dubio id reliquit. *in lib. 22. de Civ. cap. 29. & in Commonit. ad Fortunatianum*, ante librum *de Vid. Deo.*

Dei inuisibilitas de corporeis oculis intellecta.

256 Prob. Inuisibilitas, & inaccessibilitas Dei, prædicata de eo in Sacris Scripturis ab omnibus SS. PP. & Scholasticis declaratur de oculis corporis: ergo. Consequ. probat. Nam ex 1. *Tim. 6. Deum nemo vidit vnquam, sed nec videre potest*, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius Nazianzenus, & Athanasius, adducti ab Augustino, vbi supra, illud intelligunt de visione naturæ diuinæ per oculos corporis: ergo.

Neque possunt elevari.

257 Prob. 2. Oculi Beatorum, quantumuis spiritales redditi, id est puri, incorruptibiles, & alimentis non egentes, & alia quauis dote, habitu, lumine, aliouè dotati supernaturali dono; adhuc erunt corporei. Ergo nunquam poterunt elevari ad videndum Deum spiritum. Consequ. prob. Potentia quælibet respiciens determinatæ sphæræ obiectum, non potest tendere extra illam, quantumuis elevetur, si in eo genere potentiæ consistit, & non mutatur. Et hac sola ratione vtuntur Patres antiqui mox citandi.

Origenes,

258 Prob. 3. ex *Origene lib. 1. de Princip. cap. 1.* in fine. Vbi impugnans eos, qui dicunt animam hominis esse corpoream, hoc arg. conuincit. *Vnde si virtus memoriæ, & vnde si eorum inuisibilium contemplatio? Vnde verum incorporalium intellectus corpori inest? Quomodo natura corporea disciplinas artium, rerum contemplationes rationesque rimatur? Vnde etiam diuinæ dogmata quæ manifestè incorporea sunt sentire, ac intelligere potest?* Ergo si hæc creata spiritualia percipere corporeus sensus nequaquam potest, multò minus spiritualissimum, & increatum ens.

Theodor.

259 Prob. 4. à *Theodoreto ser. 1. contra Græcos*, vbi absolutè negat, aliquod intelligibile posse oculis percipi, *Opus est nobis intelligibilibus oculis ad ea perspicienda, quæ solo intellectu capiuntur. Atque vti corporeis oculis indigemus ad res aspectabiles intuendas.* Ergo impossibile est, posse oculis corporeis Deum videri.

Titus Bostr.

260 Prob. 5. ex *Tito Bostrensi lib. 1. contra Manich.* & habetur in *Bibl. PP. tom. 4.* Si autem, quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium præterquam incorporeum, ab inferiore, vtpote corporeo, omninò non potest videri, &c. ergo.

Augustin.

261 Prob. 6. ex *S. Augustino in Commonitorio ante lib. de Vid. Deo*, in principio. Illo modo scripsisse non pœnitet, quia dixi illius corporis oculos, nec videre Deum, nec esse visuros, causam quippe adiunxi, cur hoc dixerim, ne scilicet Deus ipse corporeus esse credatur, & in loci spatio, interualloque visibilis. Nihil enim videre aliter illius corporis oculus potest, &c. & ad hoc adducit *Ambr. Hier. Greg. Naz. & Athanasium*, qui docent Deum oculis corporeis esse inuisibilem.

Adducit alios.

Idem alibi.

262 Conf. ex eod. *Aug. in epist. 6.* Quod oculis corporeis conspici potest, in loco aliquo sit necesse est, nec vbique sit totum, sed minore sui parte minorem locum occupet, & maiore maiorem. Non ita est Deus inuisibilis, & incorruptibilis, &c.

Idem alibi.

263 Conf. 2. ex eod. *in lib. 22. de Civit. cap. 29. E. Vtrum videbunt, & per oculos corporis eum eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali, eo modo vtique etiam inf. oculi spiritales, quantum possunt illi quales nunc habemus, procul dubio per eos Deus videri non poterit.* Sed eosdem, quos nunc habebunt oculos beati, si addas incorruptionem, & spiritalitatem; quæ aliud non sonat, quam sine adiutorio alimentorum viuere, vt in suo loco dicetur. Ergo non poterunt Deum videre nec etiam spiritales effecti.

Fulgent.

264 Prob. 7. ex *S. Fulgentio in resp. ad quæst. 3.* vbi de virtute oculorum corporis; hæc habet. Hoc habent quippe oculi corporis, vt non solum corpora videant, sed nec videre possint, nisi inter ipsos, & ea quæ vident spatij cuiusquam media interualla fuerint, inde est, quod cum alia plurima videant, se ipsos videre non possunt, nec vident in se, cum videant extra se. Nam, & ipsa acies visionis obtunditur, si aliquid videndum ipsis oculis adiungitur. Quisquis ergo putat Deum posse oculis corporalibus cerni, prius est, vt eum dicat ab ipsis oculis corporali spatio separari. Quisquis autem vult agnoscere, quibus oculis Deus videatur, &c. sicut retuli in superiori *nu. 252.* ergo, cum oculus nequeat videre, nisi corporeum, & corporaliter distans, non poterit ex vtroque capite vnquam videre Deum.

Arg. contra vtramque concluſ.

Ob. contra vtramque *S. Augustin. in lib. 22. de Civit. cap. 29. & in Commonit. cit.* eò docear oculos illos, quos nunc habemus absolutè non esse visuros Deum. Tamen docet contrarium de oculis corporis beati.

Ergo

Ex Augusti. argum.

Ergo concedendum est, quod vel videbunt, vel saltem non est repugnantia, quin possint videre. Anteced. prob. In primo enim loco, scilicet *de Ciuit.* quæstionem instituit *sub E.* an Sancti per oculos corporeos visuri sint Deum, sicut etiam mente videbunt; & postquam adduxit, & solvit multa scripturæ loca, quæ loquuntur de visione corporali dicens, non esse possibile, quod per hos oculos beatus videat; loquens de oculis corporis spiritalis, id est beati, ait *sub G. sed quia spirituale corpus nescimus quantos habebit accessus; de re quippe inexperta loquimur; vbi aliqua, quæ aliter intelligi nequeat non occurrit, sed succurrit auctoritas: necesse est, vt coniungat in nobis quod legitur in libro sapientiæ. Cogitationes mortalium timidæ, & incerta prouidentia nostra*, & *sub I.* sic concludit. *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, vt aliquid habeant in tanta excellentia mentis simile, quo, & incorporea natura cernatur, quod vllis exemplis, sine Scripturarum testimonijs diuinarum vel difficile vel impossibile est ostendere. Aut, quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis; videatur ab altero in altero, &c. Videatur & per corpora in omni corpore, quocunque fuerint spiritalis corporis oculi acie peruenerit directi.* Ergo, si non tenet pro certo, quod oculi beatorum videbunt Deum, sed relinquit sub dubio, saltem non existimat impossibile.

Validè arg. Augusti.

Conf. ex eod. Quoniam ex hac doctrina Augustini Fortunatianus Episcopus Siccensis aliquantulum commotus est, dura enim ei videbatur, & forte Scripturæ, & alijs Sanctis contraria, vt ipsemet testatur; *August. in Commonit. ante librum de Videndo Deo*, ibidem, scribit huic Episcopo, & non solum confirmat, quod dixerat circa dubium, quod oculi spiritalis hominis beati forte videbunt Deum; sed addicit loca Scripturarum à SS. Patribus considerata, & sententias eorum, nempe *Ambrosij Hieronymi Greg. Nanzianzeni, & Athanasij*, dicentium, non posse Deum videri oculis corporeis, & maxima modestia eos coniendans sequitur eorum doctrinam, dicens, eos loqui de oculis corporis, quos nunc habemus, & ita verum est, non posse per illos Deum videre. At de oculis futuris, nempè spiritalibus, sic loquitur in eo *Commonit sub H. De spirituali autem corpore, quod in resurrectione habebimus quantam capiat in melius commutationem, vtrum in simplicitate spiritus cedat totus homo iam spiritus sit; an quod magis puto sed nondum pleno iudicio confirmo, ita futurum sit spirituale corpus, vt propter quamuam ineffabilem facilitatem spiritalem dicatur seruse tamen substantiam corporalem, &c.* & post protestationem quandam quod nolit docere incerta, subdit: *Si enim hoc inuenerit inquisitio diligentior tantam corporis futuram mutationem, vt possit videre inuisibilia, &c.* & in fine, ait. *Si autem ille frater, quod de spirituali corpore adhuc requiro, tam sibi firmat esse certissimum, nisi placidus audiero docentem, ita vt ille quoque placidus me audiat inquirentem, haesibis iure vale succensebit.* Ex quibus Augustini dictis infertur, vel quod beati cum corpore spirituali, nedum mente, sed etiam oculis corporeis Deum videbunt; vel saltem, quod non est existimandum aliquod ex terminis repugnans, cum Augustinus, nedum non dicat impossibile, sed dubitet, an sit futurum.

Conf ex eodem validior.

Alias SS. Pp. adducti August. contra dicta in concil.

Protestatio Augusti.

265 Resp argum hoc validissimum esse, & ex his duobus locis deduci mentem Augustini dubiam esse an oculi corporis beati spiritalis videbunt, vel possint Deum videre; adeo enim clara sunt, vt nequeant vel à rudi tyrone negari. Sed existimo Augustinum esto hic ex ingenij acumine, & animi sinceritate discurrente eò quia scriptura non dicit contrarium, in negatiuam tamen potius declinasse, quod ex pluribus colligi in fine, enim *ait. commonitorij*, postquam de dubio multa dixit, sic concludit: *Melius ergo illud affirmamus, vnde minime dubitamus, quod homo interior videbit Deum, quo modo solus potest videre charitatem, qua cum laudaretur dictum est Deus charitas est, solus potest videre pacem, & sanctificationem. Neque enim charitatem, pacem, & sanctificationem, & si qua sunt similia videt vllus carnalis oculus, qua tamen omnia videt quantum potest mentis oculus, &c.* Ergo si de hac doctrina minimè dubitat, hæc est vera, & certa, secundo idem Sanctus D. *lib. de Vid. Deo cap. 17. in fine*, ait, *sic quæ in illa luce cordis oculis intuemur, & discernuntur inter se, & nullis locorum spatijs separantur, quanto magis Deus, qui lucem habitat inaccessibilem, corporis sensibus, quo nec ipsius nisi mundi potest esse cordis accessus*; *in cap. 19. B.* docet quod, *qui diuinitus adiuti intellectu spirituali ter profecerunt; & spiritalia spiritualibus comparare potuerunt, viderunt melius videri mente, quam corpore, & ea videri mente, quæ non continentur locis, nec spatijs locorum interuallis separentur, nec in minore essent in parte quam in toto. Hinc est, quod fiducialiter ille dixit. quod nec in loco Deus videtur, sed mundo corde, nec corporalibus oculis quæritur, nec circumscribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affata, nec sentitur incepit, &c.* hæc ibi August. ergò confutat eam sententiam.

Augustinus dubium, an oculis corporis beati videbunt.

Sed in negatiuam declinat,

Quia negatiuam dicit esse certam.

Clari Aug. testimonia.

266 Sed clarissimum est eiusdem testus in eod. *lib. de Vid. Deo cap* 20. vbi ex professo id tractat: *De ea verò visione, qua videbimur Deum sicuti est, mundanda corda commonuit.* Et post aliqua: *Cum his magna, & summa merces Deum colentibus promittatur, dicente ipso Domino, cum corporalibus oculis visibiliter apparebat, & inuisibilem se contuendum mundis cordibus promittebat,*

Alind test. eiusdem de negatiua.

*qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ostendam me illi. Hæc quippe natura eius æqualiter cum Patre inuisibilis sicut incorruptibilis est*: & post. *Quam si oculi corporales in resurrectione naturæ corporum qualitate conspicient, viderint, qui hoc possunt astruere, me plus mouet illius sententia, qui nec in ipsa resurrectione hoc corporalibus oculis, sed mundis cordibus tribuit.* Ergo hic negat factum, & possibilitatem; ait enim viderint, qui hoc possunt adstruere.

Possibilitatē etiam negat

267 In *cap.* 21. Referens duas opiniones, vnam eorum, qui dicebant Deum esse corpus, & ideo corporeis oculis videndum; aliam eorum, qui negant esse corpus, & tamen putant beatos visuros Deum oculis corporeis: *Quoniam talem sperant corporis qualitatem, vt etiam ipsa, quæ caro fuerat spiritus fiat. Augustin.* addit. *Quod ficta est quantum distet à superiori opinione, & quam hoc sit tolerabilius (etiam si verum non sit) puto facillimè iudicari.* Et post aliqua subdit. *Posterùm, quia id quod ego dixi in Epistola mea, dixi de istis nostræ carnis, oculis, quibus neque nunc possunt, neque tunc poterunt Deum videre, etiam si verum est. Non enim dictum est, nisi de oculis corporalibus, quod tunc non erunt si corpus ipsum spiritus erit; ac per hoc corporei oculi nunquam Deum videbunt, qui eum videbitur spiritus, eum non corpus videbit.* Ergo in sententia eius, si oculi fient spiritus, videbunt; secus si non. Et per hoc, quod erunt, ex Apostolo, spiritales, & non animales, quia non egebunt alimentis; at non euadent spiritus. Ergo per eos oculos Deus non videbitur.

Aliud clarú,

268 In *cap.* 22. *ibid.* Cum in præcedenti mouisset dubium, an Christus oculis corporeis videat Patrem, ideſt Deum, in hoc capite, ait. *Donec diligenti inquisitione reperiatur, quid secundum scripturas de spirituali corpore, quod in resurrectione promittitur, probabilius sentiendum sit; interim nobis sufficiat, quod Vnigenitus Filius Christus Iesus, ita videt Patrem, sicut videtur à Patre. Nos autem ad illam visionem Dei, quæ nobis promittitur, non ex hoc mundo istam concupiscentiam oculorum transferre conemur, sed mundandis cordibus pio studeamus affectu.*

Aliud test.

269 Et tandem in *cap.* 23. docet, sententiam negantem esse retinendam, donec canonicæ scripturæ authoritas de contraria habeatur, sic enim habet *sub C. Vt enim non tantum, quod Beatus Ambrosius, verum etiam, quod Beatus Hieronymus dicam, non solum Patris diuinitatem; sed nec filij quidem, nec Spiritus Sancti, quia vna in Trinitate natura est, possunt oculis carnis aspicere, sed oculi mentis, ac quibus Saluator, ait, beati mundo corde quia ipsi eum videbunt. Namque sicut alibi idem Hieronymus breuiter, ac veraciter definiuit. Deus incorporalis corporalibus oculis non videtur. Hæ sententias de re tanta virorum tantorum non ob hoc interponere volui, vt cuiquam bonum sensum tamquam scripturæ canonicæ authoritatem sequendam arrogarem; sed vt illi, qui aliter sapiunt contentur mente videre, quod verum est, & in simplicitate cordis quærere Deum, ne tam doctos diuinorum eloquiorum tractatores temere reprehendant. Nec te moueat, quod à quibusdam minus consideratè dicitur, quid tam videbunt oculi corporales, si Deum non videbunt.* Et dicit, quod si erunt corporales videbunt corpora. Ex quibus euidenter habemus, quod quamuis Augustinus ex ingenij sui viuacitate dubium hoc de oculis beatorum mouerit, & aliquando indecisum reliquerit; quia scripturæ locum, cui inniteretur non habebat; re tamen vera sentit cum *Ambrosio, Hieronymo, Nazianzeno, ac Athanasio*, quos citat, & aliis omnibus antiquis, quos non citat, oculos beatorum quantumuis per immortalitatem immutatos non esse visuros Deum.

Non potest dubitari, quod Aug. docet negatiuam partem.

Aug. idem docet, cum Ambros. & alij de hac

Inst. Ex his non concluditur repugnantia imo dubia remanet solutio. Ergo non potest negari absolutè sic futurum: & licet id negaretur, non tamen, quod sit impossibile.

Inst. validè de non repugnantia.

270 Resp. neg. anteced. Nam quamuis *Augustinus* in illis duobus locis, prioribus videatur rem indecisam relinquere; tamen in posterioribus videtur aperte docere, idem quod *Ambrosius, & Hieronymus*, nempe oculos corporeos non esse visuros Deum. Et tandem dicit duo digna, quod scilicet *videant, qui possunt defendere sententiam affirmantem*. Secundo, quod vel oculi beatorum erunt spiritus, vel corpora, si spiritus poterunt videre si corpora nequaquam, quid clarius.

In aliquo loco dubius est in aliis vero negat.

Vrgeb. Corpora erunt spiritalia: ergo. sequitur, quod in sententia *Augustini*, nè dum poterunt videre, sed videbunt.

271 Resp. neg. consequ. Nam ex dicendis in suo loco corpora erunt quidem spiritalia, id est viuentia sine alimentis, modo spiritum! At non erunt spiritualia, seu spiritus; alioquin non corpora: de fide autem est, vt in suo loco dictum fuit, eadem numero, nedum specie corpora esse resurrectura; ait enim *Iob. & in carne mea videbo Deum meum, quem visurus ego ipse, & non alius.*

Dices ex cit. loco *Iob* sequitur, esse videndum Deum oculis corporis, ait enim *in carne mea*: deinde, *& oculi mei conspecturi sunt*: ergo.

Locus Iob non est ad oppositum.

272 Resp. neg. consequ. Idem enim *Iob*, & omnes electi refulgent, cum essent corporibus gloriosis, & oculis cordis videbunt Deitatem, corporis vero oculis humanitatem Saluatoris. Et in corpore proprio id præstabunt.

Ob. 2. Non adducitur alia implicantia,

nisi

...ssi improportio. Sed hæc potest tolli: ergo. Min. prob. Intellectus creatus etiam est improportionatus ad videndum Deum, & tamen tollitur eius improportio per lumen gloriæ. Ergo idem dici posset de oculis, Deo illos elucrante per habitum supernaturalem.

Improportio oculi nõ potest tolli.

273 Resp. neg. min. ad probat. dist. antec. Intellectus est improportionatus in ratione actiui, nego. in ratione mobilis obiectiue, concedo. & nego consequ. Ratio est, quia, vt paulo post dicetur. Intellectus creatus habet totam activitatem simpliciter requisitam ex parte potentiæ ad videndum Deum, nec habet eam simpliciter à lumine, licet ab hoc adiuuetur, & confortetur eius activitas. Sed est improportionatus in ratione mobilis obiectiue, quia cum Deus ex dictis sit obiectum voluntarium intellectus non potest illum videre quando vult; sed de hoc postea.

Disparitas de improportione intellectus.

At oculus nullam habet activitatem simpliciter respectu obiecti spiritualis, habitus autem non posset eam dare, qui excederet sferam obiectiuam potentiæ ducens eam extra suum obiectuum. Sicut non potest dari habitus faciens, vt aures, aut tactus, vel odoratus videant; vt voluntas intelligat, & eius modi. Patet autem, quod SS. Patres adducti ad hoc tantum motiuum reuocant totam impossibilitatem quia scilicet potentia corporea non potest cognoscere rem incorpoream: alioquin etiam odoratus, tactus, &c. sensus possent Deum attingere.

Ob. 3. Omnibus argumentis adductis in *disp. 14. art. vlt.* de Sanctis, & Patriarchis, qui viderunt Deum.

Patriarchæ, neque oculi entis viderunt in via Deum in se.

274 Resp. vt ibi, quod neque oculis mentis viderunt Dei naturam, vt est in se: sed aliquam imaginem, & similitudinem, in qua voluit se Deus manifestare.

Ob. 4. Obiectum oculi habet rationem generice cognoscibilitatis. Ergo posset oculus elevari in ordine ad aliam speciem cognoscibilitatis sub eodem genere sicut intellectus finitus eo quia tendit in ens, vt ens intelligibile, & finitum, potest elevari ad intelligibile infinitum. Ita à pari oculus ex sua natura tendens in corporale, poterit elevari in spirituale.

Elevari potest intellectus, non vero oculus, & quare.

275 Resp. neg. consequ. ad probat. Dico disparitatem esse quia intellectus habet pro obiecto omne cognoscibile commune ad finitum, & infinitum, ideoque potest cognoscere Deum infinitum si fiat ibi obiectiue præsens. At cognoscibile, vt sic non est obiectum oculi, sed cognoscibile quantum, coloratum, ac luminosum. Si ergo concipiatur tendere ad alia, quæ eius modi non sunt, iam conciperetur sub natura essentialiter diuersa. Ideoque notandum, quod visibilitas corporalis obiecti continetur quidem prædicamentaliter sub cognoscibilitate, tamquam genere generalissimo: at hoc genus non continetur sub visibilitate, sicut intelligibile infinitum sub intelligibili, vt sic.

Ob. 4. Per *Scotum*, potest Deus causare actus vitales in potentijs: ergo. Saltem poterit visio Dei causari ab ipso met Deo in oculo corporeo.

Quare neq; a Deo potest causari visio sui in oculo.

276 Resp. neg. consequ. Vel distinguo in ratione simplicis qualitatis tranſeat. In ratione operationis vitalis, nego. Ratio primi est; quia non habeo pro inconuenienti, quod qualitas spiritualis causetur in subiecto corporeo (neque modo inquiro, an sit priuilegium animæ replicari in subiecto) quia diceretur, quod qualitas illa sustentaretur à Deo in genere causæ efficientis. Sed quidquid sit de hoc. Ratio secundi est quia actio vitalis sensus debet esse corporea: si vero est spiritualis, sensus per eam non attingeret obiectum, quia obiectum sensus debet esse quantum, & si est obiectum visus debet esse distans, vt optime ex dictis notant *Augustinus*, & *Fulgentius*. Deus autem secundum naturam non potest esse distans ab oculis, nec quantus. Adde, quod se haberet hæc qualitas, velut mortua, et inepta ad attingendum obiectum, sicut si in voluntate Deus produceret intellectionem, aut in intellectu volitionem, in oculo odorationem, et eiusmodi, quæ sunt manifesta inconuenientia.

Obiectum visus debet esse distans à potentia visiua,

Ob. 5. Potest oculus elevari ad videndum Corpus Christi in Eucharistia, ergo et ad videndum Deum. Consequ. prob. Eadem est ratio, quia corpus Christi ibi est diffinitiue non circumscriptiue.

277 Resp. ex dictis in primo tomo neg. anteced.

Resp. 2. nego paritatem in consequenti. Quia esto concederetur primum disparitas est de secundo, quia corpus Sacramentaliter existenter in Eucharistia, & licet careat situ, adhuc tamen est corpus, et quantum, quod licet oculo animali sit inuisibile, esset visibile corpori spirituali. At ens spirituale non est obiectum, neque inclinationis neque attingentiæ respectu potentiæ corporeæ. Ergo hæc non potest per vllam potentiam ad illud elevari.

Disparitas de visione Corporis Christi in Eucharistia, etiam si concedatur.

# DISPVTATIO XVIII.

## DE CAVSIS VISIONIS BEATAE EX PARTE POTENTIÆ.

### ARTICVLVS I.

*An intellectus concurrat actiuè ad visionem beatam.*

Scoti sent.

SCOTVS vbique locorum suæ doctrinæ, negat intellectum se habere solum passiuè respectu visionis beatæ, sed docet intellectum, & voluntatem respectu fruitionis, & visionis, ita se habere actiuè, respectu talium actuum, vt sine habitibus supernaturalibus per absolutam Dei potentiam, dicat, posse eos producere. Ita *in 1. sent. dist. 17. quæst. 2.* per totam docens habitum esse, quo sic possumus, potentiam verò, qua simpliciter possumus, *in 3. dist. 13. quæst. 4.* docet, voluntatem siue charitate non posse, tam intensam fruitionem elicere, sicut cum ea, sed posse, *& in dist. 14. quæst 2.* de visione specialiter loquens *sub C.* docet actiuè intellectum ad eam concurrere, quia intellectus idem, qui est hic, est ibi; hic autem actiuè elicit actum. Et addit, quod sine lumine non tantam eliceret, quantam cum eo, sed eliceret, *in 4. dist. 49. quæst. 1. & 2.* docet beatitudinem consistere in operatione vitalis potentiæ, *in quæst. 11.* explicitè dicit intellectum actiuè concurrere, & ideo cum lumine requisito ad agendum non ad recipiendum, *& sub K.* dicit, intellectum respectu visionis esse potentiam actiuam, & nunc esse remotam, in patria verò proximã. Non negauerim tamen, quod quando loquitur de intellectu actiuo ferè semper loquitur cum clausula, vel conditione, *si ponatur actiuus, vel secundum opinionem, quæ dicit esse actiuum*; tanti faciebat Scotus aliorum sententiam; tamen quia cum suppositione semper, & præcipuè *in 4. dist. 49. quæst. 11. G.* quod actiuè se habeat, dicit esse necessarium lumen gloriæ, *& in 1. sent. dist. 17. quæst. 2.* in fine, ait. *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*; sequitur per necesse ipsum tenere, quod intellectus concurrat actiuè. Ideo

Negat se habere positiue tantum.

Loca in quibus docet intellectum actiue concurrere.

1 Adu. 1. Quod licet in præcedentibus disput. de beatitudine, & de visione diximus, & cum Sacra Scriptura probauimus, beatitudinem, in visione, saltem partialiter, & incohatiuè consistere: & eam esse visionem intellectiuam; numquam tamen probatum est, à quonam actiuè ipsa visio producatur. Non enim sequitur, ex necessitatem consequentiæ, quod si est intellectiua actio, debeat ab intellectu produci; nam, sicut cum Scoto supponimus, in intellectione duo sunt consideranda, ne pe productio illius, & eius entitas; prima est actio productiua, quæ dicitur dictio, secunda verò est actio de genere qualitatis, & grammaticaliter tantum dicitur actio quia à verbo actiuo intelligo derivatur, sed re vera est qualitas scientia, seu notitia habens annexam relationem attingentiæ ad obiectum. Hæc autem qualitas, vt cum Scoto, & antiquis Theologis supponimus, ex eodem *in 4. dist. 49. quæst. 11. F. G. K.* potest produci ab ipsomet Deo immediate, & intellectus tunc habet se passiue circa receptionem eius, sed se haberet operatiuè circa vitalem attingentiam; quia per eam receptam attingeret vitaliter obiectum. Ideo iure merito quæritur, an cum visio Dei sit adeo nobilis, & excellens, producatur actiuè à solo Deo; an ab ipsomet intellectu.

Ratio instituti.

Numquam visio Dei, quasi effectus actiuus.

Duæ actiones considerandæ in intellectione.

2 Adu. 3. Authores quosdam ante *Scotum*, quos ipse suppresso nomine supponit dum de actiuitate intellectus loquitur *in 3. dist. 14 quæst. 2. B. & C. in 4. dist. 49 q. 11. F. & G.* docuisse, quod intellectus passiue tantum se habet respectu visionis beatæ, & Deum esse totam, & totalem causam eius effectiuam. quos sequuti sunt *Marsilius in 3. sent. dist. 10. art. 2. conclus. 6. Reçardus in 4. dist. 49. art. 3. quæst. 1.* putat probabile, idem credo tenere omnes, qui docent, lumen gloriæ requiri in genere causæ materialis, vt scilicet visio recipiatur in intellectu, sed isti pauci sunt, neque valde est de eis curandum. E contra verò docent Primarij Scholastici *Alensis 1. part. quæst. 7. memb. 2. in corp. S. Thomas 1. par. quæst. 12. art. 5. in corpore. S. Bonau. in 3 sent. dist. 14. par. 1. quæst. 2. & 3. par. 2. qu. 1. & 2. Scotus in 3. vbi supra, & in 4. dist. 49. B. Respondeo.* Versu, *Secunda*, vbi ait, *natura humana non est sufficienter actiua ex partis naturalibus ad videndum Deum visione beata*. Idcoque per eum non est sufficiens causa, sed est actiua. Et ex his omnes Moderni docent intellectum actiuè concurrere ad efficiendam visionem beatam. Aliud tamen est, an actiuè concurrat; aliud verò, an solus sufficiat.

Aliqui docentes intellectum passiue tantum concurrere.

Primarij Theologi tenent actiue concurrere.

Di-

Intellectus beati actuè etiam concurrit ad visionem Dei.

3 Dico 1. Intellectus beati actuè etiam concurrit ad producendam visionem Dei. Dixi etiam actiuè, quia omnes conueniunt, quod concurrat passiuè per modum subiecti eductionis, & receptionis. Est *Scoti, D. Thom., D. Bonauent. Alensis, vbi supra.*

4 Prob. 1. Intellectus est causa actiua intellectionis circa alia obiecta: ergo, & circa Deum. Anteced. prob. Nam ex 2. *de Anima*, Philosophus ait, *anima est principium, quo viuimus sentimus loco mouemur, & intelligimus.* Secundo, ex *August. 9. de Trinit. cap. vlt. Ex cognoscente, & cognito paritur notitia.* Idem docuerat *in 2. de Trin. cap. 2. Ex visibili, & vidente gignitur visio.* Tertio, experientia constat; debet enim in homine esse principium per se intelligendi, & per se volendi: alioquin intellectus intelligeret per accidens, sicut aqua esset calida per accidens, quia non ab aliquo intrinseco eius principio emanat calor, sed ab extrinseco. Quarto, quia potentiæ sensitiuæ sunt principia actiua suarum sensationum: ergo, & potentia intellectiua. Consequ. prima prob. Non est maior ratio, cur circa alia obiecta se habeat actiuè in productione notitiæ eorum, & non in productione notitiæ Dei, quæ est maxima perfectio, ad quam ordinatur intellectus.

A pari de voluntate.

5 Prob. 2. Voluntas actiuè se habet in productione fruitionis: ergo. Euidens est consequ. vtrobique obiectum, & actio sunt entia supernaturalia. Ergo, quod potest vna potentia adiuta habitu charitatis, potest alia adiuta lumine gloriæ; vel assignetur, si potest assignari, disparitas.

A paritate actuum supernaturalium in via.

6 Prob. 3. Ad alios actus supernaturales; vt fidei, &c. intellectus concurrit actiuè: ergo. Vel assignetur disparitas, cur circa Deum obscure cognitum per supernaturalem habitum, & efficax auxilium, actum eliciat credendi, & circa Deum clarè visum non eliciat.

Ex Concil. Vienn.

7 Prob. 4. ex *Concil. Vienn* postea adducendo, & refertur in *Clem. ad nostrum, de haret* ad videndum Deum est necessarium lumen gloriæ, vt intellectus eleuetur, sed eleuatio ista non est ad patiendum, seu recipiendum visionem; quia in ratione causæ subiectiuæ, est sufficienter eleuatus per se ipsum, cum sit immediatè capax visionis, sicut & habituum supernaturalium. Ergo eleuatio est necessaria ad agendum.

Ex ratione habitus,

8 Conf. Omnis habitus datur potentiæ ad coagendum cum ea: ergo. Antec. diffuse probatur à *Scoto in 1. sent. dist. 17. qu. 1. & 2.* Ergo, cum lumen adiuuet intellectum, coagit cum eo, & sic etiam intellectus est actiuus visionis.

9 Prob. 5. Visio Dei est actus intellectus. Ergo ab eo productus. Anteced. est cuidens; quia non alterius potentiæ.

10 Probari solet 6. ab alijs sic. Visio est actus vitalis, & immanens. Ergo non potest produci ab alio, quam ab intellectu, sed hæc ratio, est debilis, quia omnes actus vitales cuiuscunque potentiæ possunt effectiuè à Deo produci. Dicuntur autem actus immanentes, quia per eos non producitur aliquid extra ipsos, & ipsi sunt vitales attingentiæ, & vniones potentiarum cum obiectis.

Alij probant ex scrip. sed nemo concludunt bene.

11 Probari solet 7. ab alijs sic. Ex Sacra Scriptura habetur, nos visuros esse Deum, *videbimus eum sicuti est, & Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Ex quibus, & alijs, concludunt, ab ipsomet vidente producendam esse visionem. Sed decipiuntur, quia Authores, qui docent, intellectum se habere passiuè, sunt Catholici, & concedunt Deum esse videndum à beatis, & tamen dicunt à Deo producendam talem visionem. Nam aliud est, visionem causare, seu dicere, aliud per visionem causatam videre. Sicut aliud est spirare, seu amorem producere, & aliud est per eum amare. Aliud est visionem sensibilem producere aliud per eam videre. Quia ad omnes sensationes causandas concurrit obiectum, & tamen obiectum, non sentit, nec videt. Sic ad beatam visionem concurrit Deus effectiuè obiectum beatum. & tamen obiectum, vt tale non videt visione illa creata. Vnde euidenter concluditur, quod aliud sit efficere visionem, aliud verò videre; ex hoc autem secundo regulariter concluditur primum, sed non necessario.

Dicere differt ab intelligere.

12 Probari tandem potest conclusio, sic. Intellectus, vt sic, respectu obiecti, vt sic est actiuus circa eius notitiam. Ergo quilibet intellectus circa quodlibet obiectum, dummodo hoc sit obiectiuè præsens, & indebita distantia. Ergo, & intellectus humanus circa Dei visionem. Antec. prob. Nam intellectus, vt sic non est potentia mere passiua respectu obiecti, vt sic, quia neque hoc est totale actiuum respectu intellectionis cum ex cognoscente, & cognito pariatur notitia. Consequ. prob. Quod dicitur de superiori, vt de subiecto, dicitur de omni inferiori ad, ipsum, ex *regul. antepred.* & ex 2. *post t. 4. Quod conuenit alicui essentialiter, & secundum quod ipsum conuenit vniuersaliter.* At intellectui, vt sic, conuenit essentialiter esse productiuum notitiæ circa obiectum, vt sic, & est superior ad omnem intellectum. Ergo esse actiuum notitiæ cuiushibet obiecti præsentis conuenit omni intellectui.

A ratione intellectus vt sic, & obiecti vt sic.

Intellectus beati habet de se non sufficit.

13 Dico 2. Intellectus beati actiuè se habens ad visionem beatam producendam, se solo, & suis viribus de facto non est sufficiens. Est *Scoti in 4 dist. 49. quæst. 11. B. 9. Respondeo*, dicentis formalibus verbis, *natura humana non est perfectibilis actiua, ex puris naturalibus ad intuendum Deum visione beata*, est *S. Thom. in 1. part. qu. 12. art. 5. S. Bonau. & Alensis, vbi supra*, post eos

eos in *Concil. Viennen.* definita fuit de fide.

Clem. de haret.

14 Prob. 1. ex *Clem. ad nostrum, de haret.* vbi damnatur error Beguinarum, & Beguardorum docentium intellectum creatum ex suis viribus posse videre Deum. Et definitur, non posse videre sine lumine gloriæ. Verba *Clem.* adducentur in *art.* 3. vbi agetur de necessitate luminis.

15 Prob. 2. Omnibus argum. adducendis in *art.* 3. eadem enim quæ probant necessitatem luminis de facto, probant insufficientiam intellectus ad visionem producendam.

Arg. ex supernaturalitate non cogit.

16 Probare solent alij ex supernaturalitate actus, quia nempe intellectus est causa naturalis, ideo nequit efficere actum supernaturalem. Sed hoc argum. apud Scotistas nihil probat, vt constabit ex *artic.* 8. 10. & 14. in quibus dicetur, quod si Deus vellet facere se præsentem obiectiuè intellectui absque lumine gloriæ, alioquè habitu, intellectus posset visionem circa eum elicere; & hæc esset supernaturalis ex concursu motiuo obiecti, supernaturali quidem, quia indebito, & impossibili viribus totius naturæ.

Arg. ex actiuitate principali, neq; cogit,

17 Probare solent alij ex actiuitate principali luminis, a qua eleuatur potentia obedientialis intellectus, tamquam eius instrumentum. Sed hæc ratio etiam apud nos est friuola, ex eisdem *art.* 8. 10. & 14. quia causa principalis visionis est intellectus, qui est potentia vitalis, non habitus, qui est mortua qualitas: potentia autem est, quæ vtitur habitu, non è contra.

Ex fidei principijs concluditur conclusio.

Concludo proinde ex fidei principijs inferri, quod intellectus se solo de facto sit insufficiens ad eliciendam beatam visionem.

Arg. contr.

Ob. contra 1. Intellectus non habet proportionem cum visione Dei: ergo. Anteced. prob. Visio est ens supernaturale, id est supra vires naturæ. Intellectus autem est ens naturale.

Adest proportio aliqua.

18 Resp. dist. anteced. Se solo non habet proportionem, concedo, adiutus ab aliquo supernaturali, nego. ita autem concurrit. Adde, quod magis ipsa visio, quæ creata est habet improportionem, cum obiecto increato, quam intellectus cum visione, cum vtrumque sit quid creatum; & tamen à quocumque illa producatur, adhuc tenderet in increatum, eique potentiam creatam vitaliter coniungit. Ergo non officit entitatiua improportio. Adde secundo, quod dicetur infra, intellectum, & voluntatem, se solis, si habeant obiectiuam Dei præsentiam posse actus visionis, & fruitionis elicere; & ideo, vt ait *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11. K.* nunc intellectus non potest, sed habet potentiam remotam, non ex defectu virtutis actiuæ, sed ex defectu obiectiuæ præsentiæ.

Ex absurdo.

Ob. 2. Si intellectus haberet actiuum influxum in visionem, nunc posset in eam; & tamen non potest: ergo.

19 Resp. neg. sequelam. Nunc enim, etsi habeat totam actiuitatem, quam secum in patriam feret, idem enim est hic, & ibi ex *Scoto in 3. dist. 14. quæst. 2. C.* in fine; tamen ex duplici capite non potest proxime nunc videre, primo, quia nunc intelligit dependenter à sensibus. Secundo, quia non habet obiectiuam Dei præsentiam, quam statuit præstare mediante lumine gloriæ, non tamquam specie representatiua, sed tamquam causa instrumentali dispositiua ex ordinatione Dei, vt dicetur in suis locis.

Ex Scoti modo loquendi arg.

Ob. 3. *Scotus* numquam asserit intellectum actiuè se habere ad visionem producendam; sed loquitur conditionatè, scilicet si actiuè se habeat ad visionem. Et aliquando ait, non est sufficienter actiuus, &c.

Quare Scotus loquitur conditionatè, si est actiuus.

20 Resp. neg. anteced. Estò enim aliquando conditionatè loquatur, id facit, vt confutet sententiam de necessitate luminis, in casu quo intellectus passiuè se haberet; ideo debuit sic loqui si passiuè se habet, lumen non est necessarium, quia intellectus est immediatè receptiuus per sua naturalia, ita *in 3. dist. 14. quæst. 2. B. C. &c.* & *in 4. dist. 49. quæst. 11. B. F.* si verò actiuè, in intellectu ponendus est habitus luminis. Quod verò dicat, anima non est sufficienter actiua, non deducitur ex hoc, quod in nullo sit actiua, sed quod non sufficiat, sicut ex hoc, quod dicat Apostolus, *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam ex nobis* 2. *Corinth.* 3. non sequitur, quod cogitans, cum Dei adiutorio nihil agat, quia ipse etiam agit, ex *Tridentin. sess. 6. cap. 5. & can.* 4. Immo simili phrasi vtitur *Sanctus Thomas in 1. parte quæst. 12. art. 5. in corpore. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex diuina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc argumentum virtutis intellectiuæ illuminationem vtcumque*, & tamen secundum *S. Thom.* intellectus concurrit actiuè.

Argumenta verò, quæ militant contra secundam adducentur in 3. *artic.* & deinceps.

## ARTICVLVS II.

### *An intellectus possibilis, vel etiam agens efficiat visionem beatam.*

Scoti mens.

SCOTVS sub his verbis dubium, nec proponit, nec vllibi resoluit. Ex ijs tamen, quæ docet pluribus in locis suæ doctrinæ de causalitate omnis intellectionis problematicè concluditur. Nam *in quodlib. 15. art. 3. ab L. vsque ad T.* tenet, quod intellectio, vel à solo intellectu possibili eliciatur; vel ab eo cum agente. Ex quo secundum eum problematicè videtur tenendum de effectione visionis beatæ ab vtroque intellectu. Ideo

Duplex intellectus.

21 Adu. 1. & suppono, ex *lib. de Anima* cum *Scoto in 2. sent. distin. 3. quæst. 11. A.* omnem creaturam rationalem, siue Angelicam, siue humanam duplici intellectu pollere, possibili, scilicet & agente; eosque esse inter se formaliter diuersos, ex eodem *sub C.* vnam tamen facere potentiam intellectiuam vnitate ordinis. Et licet de distinctione sit cum alijs controuersia, non tamen de existentia, & muneribus vtriusque.

Munera intellectus agentis, & possibilis.

22 Adu. 2. Omnes Theologos, ac Philosophos conuenire cum *Arist. 3. de anima t. 18.* in assignatione cuiusdam generalis muneris pro vtroque intellectu, nempe, vt *munus agentis sit omnia facere; munus possibilis sit omnia fieri.* Sed ad quæ hoc munus se extendat, non omnes concordant. Ideo

In duplici statu considerandus intellectus.

23 Adu. 3. Quod vterque intellectus, vel consideratur in statu coniunctionis cum corpore, vel ex natura potentiæ, & à corpore separatus, vel tandem, vt coniunctus corpori glorioso. Item pro omni statu, vel comparatur ad obiecta materialia, vel ad spiritualia; & respectu vtrorumque, vel ad singularia, vel ad vniuersalia. In quocumque autem statu principale munus intellectus agentis est causare species intelligibiles, seu impressas omnium obiectorum, & hoc est transferre obiecta de ordine in ordinem; facere actu intelligibilia, quæ erant potentia tantum intelligibilia: item & facere omnia. Nam si de materialibus sit sermo: illa nequeunt, neque intuitiuè, neque abstractiuè cognosci, nisi per species sui intelligibiles: has autem causat intellectus agens, & si est coniunctus coagit phantasma; si separatus, ipsum met obiectum. Si verò ad alia spiritualia comparetur, illa nequeunt cognosci, neque à coniuncto, neque à separato, nisi prius causent speciem sui per actionem intellectus agentis. Et hoc modo hic transfert de ordine in ordine, & reddit ea proxime intelligibilia; & tandem facit omnia, id est omnes rerum similitudines. Et de hoc munere, nulla est controuersia; sed solum est aliqua de obiectis, à quibus eruendæ sint species, num etiam à spiritualibus, & singularibus eorum. Sed difficultas est, an præter actum istum præparatiuum, seu translatiuum obiectorum, habeat etiam actiuitatem ad efficiendum cognitionem eorum, siue abstractiuam cum solis speciebus, siue intuitiuam cum obiectis proportionatis, præuijs tamen speciebus. Quæ difficultas est de omni intellectione cuiuscunque rei; non vero de visione diuina tantummodo.

Munus intellectus agentis est transferre obiecta de ordine in ordinem.

Difficultas est de productione intellectionis.

24 Adu. vlt. *Scotum* cum alijs multis neutri ex his sententijs tenaciter adhæsisse, & licet inclinare videatur ad affirmatiuam, quod scilicet intellectus agens, sicut concurrit ad productionem speciei, sic etiam concurrat ad productionem intellectionis; non verò ad formalem, seu vitalem obiecti attingentiam, quod est possibilis proprium; tamen soluit argumenta, quæ fiunt pro ea sententia. Ideo

Scotus videtur problematicus, sed ad alteram inclinat.

25 Dico. Licet probabiliter sustineri possit, quod etiam intellectus agens actiuè concurrat ad efficiendam visionem beatam; est tamen probabilius, quod solus intellectus possibilis eam efficiat. Ex *Scoto* colligitur, *vbi supra*, *Riccardus* vtrumque partem defendit *in 4. sent. dist. 49. art. 3. quæst. 2.* & dependet eius solutio à decisione Philosophici quæsiti, an productio intellectionis sit proprium munus intellectus possibilis; an verò agentis etiam.

Potest sustineri probabiliter quod producat, sed verior est opposita sent.

26 Prob. 1. pars. Munus intellectus agentis ex Philosopho citato *3. de anima t. 18.* est omnia facere: ergo non potest excludi à productione visionis. Consequentia prob. Hæc productio non minus est factio, quam productio speciei: ergo ei conuenit. Secundo, & est ad idem ex eodem Philosopho munus intellectus possibilis est omnia fieri. Igitur quidquid ille potest recipere agens potest facere: sed æquè recipit visionem, ac speciem; ergo æquè efficit vtramque.

A priori arg.

27 Conf. ex Philosopho *3. de anima t. 19. Semper agens est nobilius patiente, & principium materia*, & de agente intellectu, ait, *est impassibilis substantia*. Tunc formatur hoc argum. quod est nobilius in anima, ex *August. 14. de Trinit. cap. 8.* pertinet ad imaginem, ait enim *Imago est inuestiganda in nobis, quo etiam natura nostra, nihil habet melius*; igitur, cum hæc pars imaginis Dei intellectiua non possit pertinere, nisi ad memoriam; intellectus agens pertinet ad memoriam: memoria autem est actiua respectu intellectionis. Ergo à primo ad vltimum concluditur, eum esse, vel totale actiuum respectu visionis, vel æquè actiuum, sicut intellectus possibilis.

Agens nobilius patiente

28 Prob 2. Nisi efficientia visionis concederetur etiam intellectui agenti, frustra

Ex absurdo arg.

per totam æternitatem poneretur in anima. Imò in Angelis esset omninò frustratorius, etiam ab initio creationis eorum; numquam enim pro vllo actu fuisset eis necessarius.

2. pars. 29 Prob. 2. pars. Intellectus agens in visione Dei non potest efficere speciem intelligibilem Dei: ergo neque concurrere ad eius visionem. Anteced. in proprio articulo huius Disputationis probabitur. Nam in primis non est necessaria species, quæ est lumen obiecti, cum ipsummet obiectum sit summa lux. Secundo, etiam si esset necessaria, vt effectus obiecti prævius, à solo obiecto, nempe Deo produceretur; esset enim ordinis altioris intellectu.

A munere intellectus agentis arg. 30 Prob. 2. Proprium, & solitarium munus intellectus agentis est transferre obiectum de ordine in ordinem; non verò producere intellectionem. Ergo non concurrit ad Dei visionem. Antec. est Commentatoris *in 3. de anima t. & com. 19.* vbi tria dicit, primum est, quod, cum Aristoteles dicat, *Intellectus agens est sicut lumen*, vult significare, quod sicut lumen facit de potentia colorem, actu colorem; sic intellectus agens facit de potentia intelligibile, actu intelligibile. Et sic actus eius terminatur ad solum obiectum antecedenter ad intellectionem. Secundum, quod dicit Commentator, est, quod si res haberent esse eo modo, quo posuit Plato, non oporteret ponere intellectum agentem. igitur ponitur solum, vt obiectum per effectionem speciei intelligibilis, fiat vniuersale; & sic non ponitur, vt producat intellectionem. Tertium dictum Commentatoris est, quod intellectus agens transfert obiectum de ordine ad ordinem, id est de ordine corporalium ad ordinem spiritualium per effectionem speciei intelligibilis spiritualis, per quam corporale fit intelligibile. Ex quibus omnibus colligitur, quod totaliter excludit eum a productione intellectionis. Igitur, nè dum nequit efficere actiuè visionem, sed cum ad eam non sit necessaria translatio obiecti per speciei productionem, nullam circa eam habet causalitatem.

Intellectus agens est sicut lumen.

Ex absurdo arg. 31 Prob. 3. Si intellectus agens esset productiuus visionis, esset receptiuus eiusdem, quia omnis potentia est actiua ad propriam operationem, quæ si est immanens in ipsamet recipitur. Sed visio non recipitur in intellectu agente, sed in possibili; huius enim est omnia fieri, nedum per impressas rerum similitudines, sed etiam per expressas, nempe actuales rerum cognitiones: ergo.

Intellectus agens non cognoscit. 32 Prob. 4. ex *Augustino 9. de Trinit. cap. vlt. à cognoscente, & cognito paritur notitia*. Sed intellectus agens non est cognoscens. Ergo non est causa efficiens notitiæ. Min. prob. Illa potentia cognoscit, quæ recipit, seu patitur in se notitiam, & vnitur per eam obiecto vitaliter: ergo.

Ob. contra 1. partem. Intellectus agens neque mediatè quoad præparationem obiecti, neque immediatè quo ad productionem, concurrere potest ad visionem: ergo. Non primum, quia præparatio obiecti est necessaria in cognitione abstractiua, quando nempe opera ipsius producitur species intelligibilis obiecti, sed visio non est abstractiua. Secundum, quia esto obiecta spiritualia non egeant præparatione, & possint intuitiuè immediatè videri, & producant primò cum intellectu agente speciem sui, tamquam effectum prævium; tamen hoc non est, necessarium in visione Dei, quia ad eam non requiritur species prævia illuminatiua obiecti, cum ipsum sit summa lux. Neque vt illuminatiua potentiæ, quia hæc illuminatur à lumine gloriæ. Neque dici potest secundum; quia munus eius non est visionem efficere sed speciem. Arg. contr.

Iuxta primã partẽ probl. duo munera dantur intellectui agenti: 33 Resp. concurrere ad 2. Ad probat. Distingui potest antecedens. Munus eius præcipuum, per quod distinguitur à possibili est transferre obiecta, seu causare species, concedo, totali munus, nego. Quia est efficere species, & intellectionem, & quando prima actio non est necessaria concurrit ad secundam: & sicut intellectui agenti conceditur ista duplex actio, ita & possibili duplex passio, nempe receptio speciei intelligibilis, & intellectionis, & sic proportionarentur, quoad agere, & pati vniformiter.

Ob. 2. Si intellectus agens efficit visionem, pertinet ad memoriam, quæ ex principio productiuo cognitionis, & obiecto coalescit. Sed hoc est falsum: ergo. Min. prob. Ad memoriam spectat illa potentia, quæ per notitiam productam potest fieri intelligentia. Et ideo intellectus diuinus, qui potest intelligere per notitiam ingenitam, dicitur esse quasi productiuus illius. Ibi autem nulla est ratio intellectus agentis: ergo.

Qui intellectus spectat ad memoriã in hac sent. 34 Resp neg. min. Ad probat. Diceretur, nedum eam potentiam, quæ potest notitiam recipere, & per eam receptam vitaliter vniri obiecto, spectare ad memoriam, sed eam etiam, quæ potest talem notitiam efficere. Parum autem refert, quod intellectus diuinus indistinctus formaliter efficiat, & quasi recipiat intellectionem per quam cognoscat, & ipse solus ex parte potentiæ spectet ad memoriam, quia non adest alius distinctus; vbi autem adsunt duo, qui æquipollent illi vni, in agendo, recipiendo, & vitaliter tendendo, ambo pertinent ad memoriam de cuius ratione æqui est esse actiuam, ac passiuam; imò & cognoscitiuam.

Arg. Augustin. Ob. 3. valido argum. *Augustini*. Si intellectus agens produceret visionem, per eam vi-

videret. Sed non videt: ergo. Prob. sequela. Productio operationis vitalis ad hoc ordinatur, vt potentia per eam vitaliter coniungatur obiecto. Vt de omnibus est manifestum. Prob. min. Tendere in obiectum vitaliter pertinet ad intellectum possibilem, qui primo recipit speciem obiecti, deinde cum ea causat visionem; postremò per eam est formaliter videns.

Productio operationis vitalis ordinatur ad vitaliter attingendum.

35 Resp. 1. neg. sequelam ad probat. dist. Ad hoc ordinatur effectio operationis vitalis, vt aliqua potentia per eam operetur vitaliter, concedo. vt ipsamet producens, nego. Nam etiam obiectum concurrit partialiter; sed effectiuè ad operationem vitalem, & tamen per eam non tendit vitaliter. Sufficere ergo, quod intellectus agens efficeret visionem in possibili, & his per talem visionem vitaliter attingeret obiectum.

Est dubium an agens pertineat ad memoriam.

36 Resp. 2. neg. min. Non enim est adeò euidens, vt solus intellectus possibilis intelligat; & agens non concurrat. Si enim, vt *Scotus quodlib.* 15. 2. innuit potest teneri, quod agens pertineat ad memoriam, & constituat eam simul cum possibili; quid impedit, nè dicatur constituere etiam intelligentiam, id est sit sub actuali intellectione, per eam tendat vitaliter in obiectum. Scio hoc non admitti, neque à *Scoto* ibi, neque ab alijs, & puto cum fundamento negari; sed euidens non est. Item si teneatur, vt idem *Scotus* in fine *T.* indicat, intellectum agentem, ac possibilem non esse duas potentias vllo modo actu distinctas, sed vnam tantum comparatam ad duos actus; quia nequit demonstrari talis distinctio realis actualis, vel ex natura rei formalis; tam facilè diceretur, quod eadem potentia, quæ speciem, & intellectionem efficit, per hanc effectam intelligit.

Ob. 4. omnibus arg. factis pro defensione secundæ partis.

Soluuntur arg. facta in probatione secundæ partis.

37 Resp. autem ad 1. neg. consequ. Quia circa speciem diuinæ essentiæ cum non sit necessaria, & possit à solo obiecto produci nequit esse actiuus. At circa visionem, nulla videtur implicantia, quin actiuè concurrat. Et quæcunque assignabitur, vrget pro intellectu possibili. Si quis autem defenderet, vt supra; eos non distingui, eludit omnia argumenta.

Primarius effectus intellectus agentis.

38 Ad 2. desumptum ex Comment. dicitur, eum sæpè commemorare effectum primarium, ac præcipuum intellectus agentis, sed non limitare ad eum solum. Est autem eius effectus primarius translatio obiecti, de ordine in ordinem, vel facere actu intelligibile, quod erat tantum potentia, seu omnia facere, quia facit similitudines omnium. Ad id, quod dicit, intellectus agens est quodam lumen, &c. Optime dicit, sed non hoc solum facit, illuminat enim obiectum causando eius speciem, sed in hoc non sint; verum prosequitur ad notitiam eius eliciendam.

39 Ad 1. Quod si res haberent ideas vniuersales, vt *Plato* putabat, non esset necessarius intellectus agens. Responderetur, non esset necessarius ad hanc functionem abstrahendi scilicet species à singularibus. At esset necessarius ad efficiendam notitiam.

40 Ad aliud de translatione iam responsum est, hoc facere primò. Ad alia duo de receptione; & cognitione, fateor hæc vrgere, & ideo videtur mihi secunda pars probabilior.

Arg. contra 2 partem problematis.

Ob. contra 1. partem. Intellectus possibilis dicitur talis à patiendo, quia receptiuè, seu subiectiuè se habet ad visionem; & per hoc sunt à Philosopho distincta intellectuum munera. Igitur non habet actiuitatem circa visionem; sed dicendum est, eam ab agente produci.

Intellectus quare dicitur possibilis

41 Resp. 1. dist. ant. A patiendo per receptionem specierum, & intellectionum, quas ipsemet efficit, concedo. à recipiendo tantum, nego. Nam solum per comparationem ad agens dicitur possibilis; seu passibilis. Agens autem, talis dicitur, quia species rerum efficit, possibilis verò quia eas recipit, & per illas fit omnia. Ex hoc autem non concluditur, eum non esse actiuum suæ cognitionis; cum ipsemet per eam vitaliter obiecto vniatur.

Inst. Non saluatur Philosophi dictum, quod agentis munus sit omnia facere; cum aliquid esset in intellecta, quod ipse non faceret, nempe cognitio, seu visio.

Omnia facere quid sit.

42 Resp. neg. anteced. Quia, vt monet *Scotus sub R.* per omnia facere non intelligitur facere omnia actu intellecta, sed omnia actu, & potentia proxima, intelligibilia. Vniformiter ergo intelligi debet agere, & pati intellectus agentis, ac possibilis. Ille facit species; ille recipit; & hic sistit hæc reciprocatio.

Ob. 2. Agens est nobilius possibili. Ergo ad eum pertinet visio.

Possibilis est actiuus visionis, non speciei.

43 Resp neg. consequ. Nam possibilis, licet non sit actiuus respectu speciei, est tamen actiuus respectu intellectionis. Et per hoc optimè saluatur dictum *Augustini*, vbi supra, quod imago pertinet ad id quod est nobis melius, quia pertinet ad intellectum possibilem, vt memoriam respectu intellectionis. Hæc enim actiuitas pertinere debet ad imaginem ex parte memoriæ, non verò actiuitas respectu speciei. Quia memoria Patris est actiua, & productiua non speciei sed verbi, ergo per id memoria in creatura habet rationem patris imaginis, quia est productiua notitiæ, quæ est Verbum non verò, quia sit productiua speciei, quæ non est Verbum. Cum ergo habeamus duas actiuitates, vnam in agente respectu speciei; & aliam in possibi-

Hæc actiuitas pertinet ad memoriam

li respectu notitiæ, & saluare debeamus partem imaginis correspondentem memoriæ Patris, debemus potius asserere id esse repositum in actiuitate possibilis respectu visionis; quam in actiuitate agentis respectu speciei.

Ob. 2. Intellectus agens 3. *de anima 1. & Com. 37. ac 38.* est, vt quidam habitus, vel lumen. Sed lumen intellectuale est principium actiuum cognoscendi principia, seu veritates, ac propositiones intelligibiles: ergo.

Conf. ex *August. 12. de Trin. cap. 15.* dicente. *Mens rebus intelligibilibus naturali ordine, disponente conditore subiecta, sic illa videt in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, qua in hac incorporea luce circumadiacent.* Ergo est causa effectiua visionis.

Quare agês dicitur lumen.

44 Resp. ad 1. neg. consequ. Nam eatenus est lumen quia producit species rerum, per quas illuminatur intellectus, & sic est virtualiter lux. Secundò, lux in his corporeis, vel est dispositio respectu obiectorum sensibilium, vel ipsamet est obiectum; nunquam autem est potentia. Ergo, si intellectus agens esset veluti quoddam lumen formale incorporeum, non se haberet, vt actiua potentia, sed potius, vt medium quidam disponens, & illuminans potentiam actiuam, quæ quidem per eum dispositа, ac illuminata agit.

Aug. nihil dicit de intellectu agente.

45 Ad conf. responderi posset primo per idem. Secundo, nullum verbum facit *Augustinus* de intellectu agente. Sed docet solum, quod disponente Deo, sic coordinata sunt omnia, vt cum obiecta intelligibilia sub mente habemus, iussit etiam nobis quoddam lumen incorporeum, per quod quasi illuminati res cognoscimus. Hoc autem lumen ab *Augustino* non nominatum esse potest, vel species rerum; vel naturalis claritas intellectus; vel illustratio quædam à Deo causata, vt authore naturæ circa naturalia; vel vt authore gratiæ circa supernaturalia; de quo fortasse lumine dicitur *Psal. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &c.* Quia Dei auxilio intellectum illustrante veritates intelligimus. Ex hoc autem, non videtur colligi actiuitas intellectus agentis circa visionem.

A pari arg. de aliis potentijs, quæ producunt, vt actiuæ.

Ob. 3. Aliæ potentiæ vitales, vt voluntas sensus communis, & externi licet non diuidantur in actiuas, & passiuas; tamen habent rationem mouentis, & mobilis, actiui scilicet, & passiui. Sed vitalem suam actionem producunt, non vt passiuæ, sed vt actiuæ, imò repugnat dicere, quod producant, vt passiuæ. Ergo idem dicendum est de intellectu, vel quod eadem potentia est agens, & possibilis, vel si duæ quomodocumque distinctæ, actio competit intellectui agenti, non verò possibili.

46 Resp. nego suppositum in consequenti, & consequentiam. Supponitur enim, quod intellectus possibilis sit mera potentia passiua, hoc autem est falsum, quia est actiuus respectu intellectionis, vt supponimus ex libris de anima. Ratio negationis consequentiæ, est; quia: exteræ potentiæ non habentes sensum agentem, qui debeat species obiectorum producere, denominantur actiuæ, & passiuæ respectu operationum, passiuæ autem respectu specierum, quæ à solis obiectis in eis causantur. At intellectus secernitur in agentem, & possibilem, non respectu operationis vitalis producendæ, sed respectu specierum, per quas obiecta transferuntur de ordine in ordinem. Nam respectu operationis vitalis intellectiuæ, idem met possibilis producit, & recipit illam. Ergo nulla est paritas, nisi probetur, quod possibilis non sit actiuus. Adde, quod ex paritate aliarum potentiarum vitalium concluditur oppositum; sicut enim quælibet ex illis est actiua, & receptiua propriæ operationis, per quam attingit obiectum, licet species non ab illis, sed ab obiectis sint productæ; ita, licet species ab intellectu agente sit producta, tamen intellectio ab eodem met possibili, qui eam recipit, & per eam tendit, producitur.

Possibilis nõ est mere passiuus, sed etiã actiuus cognitionis.

Sensus non distinguuntur agentè, & possibilè.

47 Collige ex his cum *Scoto quodlib. 15. T.* Non esse adeo clarum, quod agenti, vel possibili intellectiui competat producere visionem; & quod alterutri competat ratio memoriæ: imò ex eodem defendi potest, quod verumque competat vtrique, imò, & quod non est adeo certa distinctio duorum intellectuum quin dici posset, vnum & eundem esse, & plures actus efficere. Quod *Scoto* videtur probabile.

Non est certum si solus possibilis constituit memoriam, & producit visionem.

## ARTICVLVS III.

### *An ad eliciendum visionem beatam intellectus egeat lumine aliquo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. sent. dist. 12. quæst. 2.* in calce, ait. *Nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu.* idem docet *in 4. dist. 49. quæst. 11. E.* vbi ait, *natura humana non est sufficienter actiua ex puris naturalibus ad videndum Deum visione beata. Deinde sub G.* his verbis. *Tres formæ supernaturales in beato ponenda præcedentes operationem; vna correspondens obiecto, scilicet species intelligibilis in memoria. Secunda ex parte intellectus, quæ dicitur lumen gloriæ. Tertia ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas.* Et licet tam ibi, quam alibi videatur negare necessitatem luminis, loquitur de necessitate ad recipiendam visionem, & de necessitate ad simpliciter videndum; quia nullum habitum ipse existimat simpliciter necessarium,

rium, seu dare actuitatem simpliciter, & hoc de potentia absoluta.

Præcipua difficultas huius disp.

48 Adu. 1. Hanc esse vnam ex præcipuis huius tractatus controuersijs, an solus intellectus causet visionem beatam, an egeat aliquo supernaturali adiutorio, quod appellatur lumen gloriæ. Hic autem de facto loquimur, & de futuro; de possibili vero, postea. Rursus hic inquirimus necessitatem; postea requiremus munia huius adiutorij supernaturalis.

Luminis significatum.

49 Adu. 2. *Lumen* ex sui institutione significat splendorem, claritatem, & irradiatione alicuius tenebricosi, & res quæ illud causant dicuntur luminaria, seu luminosa, ita de Sole, & Luna *Gen. 1. Luminare maius, & luminare minus, &c.* Et licet hoc vocabulum ad alia tropicè transferatur, vt ad claras, dignasque personas, ad sententias, & doctrinas; de his significatis hic non curamus. Sed id solum, quod importatur à lumine intellectuali. Sicut enim materiale lumen aerem tenebrosum illuminat; ita dantur quædam lumina, quæ intellectum illuminant ad cognoscendam veritatem, & hæc duplicis generis sunt;

Lumen duplicis generis.

quædam sint naturalia, quædam supernaturalia. Insuper supernaturalia, vel sunt per modum doctrinæ exterioris, vt cum ab aliquo prædicatur veritas Euangelica, ideo *Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, quia verbum Domini illuminat intellectum ad cognoscendam veritatem, *Prou. 6. Mandatum lucerna est. Psal. 111. Exortum est in tenebris lumen rectis*, cui correspondet illud Cantici Zachariæ. *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent*, & Cantici Simeonis. *Lumen ad reuelationem gentium*. Priores enim prædiuerunt nouum testamentum, & Euangelij doctrinam à Christo prædicandam. Postremus verò confessus est, cum aduenisse ad illum docendam etiam inter gentes, ideo *Io: 1. Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem*.

Euangelium est lumen.

Sumitur interdum, & magis ad rem pro interno lumine, quo egent fideles ad seruandam legem, & cauēdum à peccato, & hoc est propriè lumen, & est inspiratio, per quam fit clara, radians, & splendens veritas doctrinæ; innumera de hoc significato suppetunt Scripturæ loca. *Sap. 5. Iustitia lumen non luxit nobis*, dicunt damnati. *cap. 6. Diligite lumen sapientiæ. Isa. 2. Ambulabunt in lumine Domini*, cap. 60. *Quia venit lumen tuum, ibid. Ambulabunt gentes in lumine tuo. Io: 1. Lux vera, qua illuminat omnem hominem; vt testimonium perhiberet de lumine*. Christus enim pro omnibus mortuus, omnibus illuxit, pro omnibus illuminationes meruit, etsi non omnes eis digni sint. *Io: 8. Habebit lumen vitæ. 12. Adhuc modicum lumen in vobis est*, & alibi sæpe. Et hoc lumen continuo in nostris actibus pro præsenti agone à Deo petimus; hoc enim intellectum irradiatur, & confortatur ad veritatem cognoscendam eique adhærendum. His ergo stantibus de lumine intellectuali in via: quærimus, an in Patria ad videndum Dei naturam intellectus egent aliquo lumine irradiante, & confortante illum: quod lumen appellatur à Theologis lumen gloriæ; quia & in ea, & ad eam datur. Ratio autem cur dicatur lumen gloriæ eruditè assignatur à Theologis quia est, ratio cur videatur Deus, qui est gloria nostra.

Multa Scripturæ loca ad idem.

Lumina in via, multa.

An dicitur lumen gloriæ.

50 Adu. 3. Quæsitum hoc plures habere status. Primum est, an adhoc, vt intellectus videat necessarium sit aliquod lumen speciale supernaturale, siue hoc se teneat ex parte obiecti, siue ex parte intellectus, & in hoc sensu, patebit semper hoc fuisse firmum in Ecclesia. Secundus status quæsiti est, an præter lumen obiecti, quod est summa lux sit ponendum in intellectu tanquam forma, seu qualitas aliqua illi inhærens eumque illuminans, siue sit per modum habitus; siue per modum actus, & in hoc sensu estò pars affirmatiua fuerit, vt existimo sit antiquissima in Ecclesia; tamen non ita clara, & certa ante Concil. Viennense, in quo de fide decreta est. Videbimus ergo nunc prius antiquam Ecclesiæ doctrinam, & postea declarationem recentem de luminis supernaturalis necessitate pro beatifica visione.

Duplex quæsiti status.

51 Adu. vlt. Quod in 13. sæculo tempore Clementis Quinti fuit secta quædam dicta Beguardorum, & Beguinarum; quorumdam, nempe sanctitatem affectantium, qui inter cæteros errores docebant, quod *quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum*, ita refertur in *Clem. Ad nostrum, de hæreticis*. Hic autem error cum alijs septem fuit à Concilio Viennensi reprobatus. His positis

Secta negantium lumen, damnata.

52 Dico 1. Perpetua, & constans Ecclesiæ doctrina fuit, quod ad Deum beatificè videndum sit necessarium lumen gloriæ.

Semper fuit sententia Ecclesiæ, quod lumen sit necessarium.

53 Prob. 1. ex *Psal 35. Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Lyr. Ver. *In lumine*, ait, *in lumine creato gloriæ videbimus lumen tuæ essentiæ, quod videri non potest ab intellectu creato, nisi ad hoc eleuetur per lumen gloriæ fortificans lumen naturale intellectus*.

54 Prob. 2. ex *Dion. De diu. nom. cap. 1.* Vbi de Beatis mentibus, ait, eas constanter, & immobiliter ad illucentem sibi radium attolli, & congruo permissarum sibi illuminationum amore, cum sacra quadam reuerentia temperanter, & sanctè quibusdam, velut in altum pennis subleuari. Et post aliqua, de luce Angelis, & hominibus communi, ait, intelligibilis verò ipsius illuminationis, & impassionis, & ma-

Dion. sent. de lumine.

teriæ

teriæ expertè mente participes facti. Nec non coniunctionis eius, quæ mentem excedit in splendidissimorum radiorum ignotis, atque beatis immissionibus, atque in diuiniore quadam immutatione supercælestium mentium, &c. vbi, vt videtur, expressè meminit de illuminatione, & illustratione, seu irradiatione mentium. Quæ quidem sine lumine fieri nequit. Igitur confessus est hoc lumen pro intellectibus beatorum.

Augusł. lumen commemorat,

55 Prob. 3. ex *S. Augusł. lib. de Perc. mer. cap.* 19. Vbi habet de morientibus in gratia. Verumtamen si percepto baptismate de hac vita emigrauerit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum iustificatas præsentia creatoris illuminat. Ergo ab antiquo SS. Patres lumen gloriæ beatis necessarium confessi sunt. Idem *Aug. in lib.* 12. *de Gen. ad literam cap.* 31. de beatis habet, *aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, vt omnia, vel in se, vel in ipso intellectu veraciter conspiciat. Nam illud ipse est Deus, hoc autem creatura, &c.*

56 Prob. 4. ex PP. in seq. concl. adducendis, eorum enim dicta, & necessitatem, & speciem luminis innuunt.

57 Prob. 5. ex omnibus Scholasticis etiam, qui *Concilium Vienn.* præcesserunt, vt sunt, *Magister Sent. Alensis*, *S. Tho. S. Bonau. Lyranus*, *Scotus*, & alij, qui, vt infra dicetur, necessitatem luminis gloriæ confessi sunt.

Omnes Scholastici etiam ante Concilium Vienn,

58 Prob. tandem, ex *Clementina ad nostrum, de hæret.* damnante errorem Beguardorum, & Beguinarum luminis gloriæ necessitatem negantium, pro beatitudine. Cuius autem naturæ sit hoc lumen mox dicetur.

59 Dico 2. Estò antiqua sit in Ecclesia sententia de necessitate luminis gloriæ; tamen ante *Concil. Viennense*, non erat manifestum, an hoc lumen esset obiectiuale, in diuinitate scilicet existens: an qualitas aliqua in intellectu recepta.

Ante Conc. non erat manifestũ, quodnam lumen est necessarium.

60 Prob. 1. ex doctrina *Dionysij* nuper allata concluditur quidem luminis necessitas; sed non concluditur species luminis, an scilicet sit obiectiuale, vel formale: ergo.

61 Prob. Alij SS. PP. qui de lumine loquuntur, de obiectiuo loquuntur: ergo. Antec. prob. Nostri Theologi cum *D. Tho.* 1. *par. quæst.* 12. *art.* 5. necessitatem luminis colligunt, ex illo *Psal.* 35. nuper allato. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Sed Patres primitiuæ Ecclesiæ, id intelligunt de lumine obiectiuo, quod in Deo, & virtute Dei, & Verbo videbunt Beati Deum, Patrem.

De obiectiuo intelligi poterant loca scripturæ.

Origenes ita putabat.

62 *Origenes lib. de Princip. cap.* 1. in principio, declarans illud 1. *Ioan.* 1. *Deus lux est*, ait, illa nempe lux est, quæ illuminat omnem sensum eorum, qui possunt capere veritatem, sicut in *Psal.* dicitur, *in lumine tuo videbimus lumen*. Quid enim aliud lumen Dei dicendum est, in quo quis videt lumen, nisi virtus Dei, per quam quis illuminatus, vel veritatem rerum omnium peruidet, vel ipsum Deum cognoscit, qui veritas appellatur. Tale est ergo, quod dicitur, *in lumine tuo videbimus lumen, hoc est in Verbo, & sapientia tua, quæ est filius tuus in ipsa te videbimus Patrem*. Hæc *Origenes*.

Augusł. de obiectiuo loquebatur.

63 *S. Augustinus epist.* 6. ait. Lux illa Deus ipse est, quoniam Deus lux est, & tenebræ eo non sunt vllæ. Sed lux mentium purgatarum.

64 Idem *in lib. Soliloq. cap.* 36. declarans illud, *in lumine tuo videbimus lumen*. ait, quale autem lumen. Lumen immensum, incorporeum, incorruptibile, incomprehensibile, indeficiens, inextinguibile, inaccessibile, increatum, lumen veridicum, lumen diuinum, quod illuminat oculos Angelorum, quod lætificat iuuentutem Sanctorum, quod est lumen luminum, & fons vitæ, quod es tu Domine Deus meus. Tu es quippe lumen, in cuius lumine videbimus lumen; te scilicet in te, in splendore vultus tui quam de te videbimus facie ad faciem. hæc *Aug.*

Sæpe id repetit,

65 Idem *in Psal.* 35. Est lumen (id est Deus) illud planè rectè mihi dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Si lumen est oculos meos parabo. Para, & fauces, quia illud lumen, & fons est. Fons, quia satiat sitientes, lumen, quia illuminat cæcos. Hic aliquando alibi lumen, alibi fons; hic ergo possunt ista duo esse separata, ibi non fatigaberis, quia fons est; non tenebraberis, quia lumen est. hæc ibi *Aug.* ergo Sancti de obiectiuo loquuntur.

Idem de obiectiuo,

66 Glossa Interlin. in illud *Psal.* 35. *In lumine tuo, &c.* ait idem, *qui fons est, & lumen, satiat, & illuminat*.

Glossa idem

67 Glossa Interl. in 1. *ad Timot. cap.* 6. *Lucem inhabitat inaccessibilem*, ait, *quia idem ipse est lux*.

Interl.

68 *S. Ambros.* in hunc locum 1. *ad Timoth.* 6. ait. *Lumen autem inaccessibile solius Patris est, quia nulli vnquam apparuit*: & post aliqua. *Non quia aliud lumen filij sit, quippe cum in Psalmo scriptum sit, Et in lumine tuo videbimus lumen hoc est lumen Patris esse in filio, &c.* ergo lumen in quo videbitur Deus accipitur pro obiectiuali.

Ambros.

69 *S. Euthymius in cap.* 13. *Matth.* de beatis, sic habet. Verum, cum tunc futurum sit, vt Dei splendor illos circundet, vtique ipsi conformes erunt, ac diuini reddentur, & consequens est, vt Sole splendidiores reddantur.

Euthym.

70 *S. Gregor. Magn. hom.* 37. *in Euang.* inter alia Beatorum encomia, ait, *incircumscriptum lumen videre, &c.*

Greg. Mag.

Idem

Aperte de obiectiuo loquitur.

Idem *in lib. 18. Moral. cap. 18.* habet, *Hic verus est animæ finis, lumen illud attingere, & per ipsum, ipsum intueri; non alterius in quam lumine contueri, sed per ipsum met, per quod & videt. Per quod enim illuminata est, id ipsum est, quod videre oportet. Neque enim Solem per alienum lumen aspicimus.* hæc *Greg.*

Cyril. Alex.

71 *S. Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 8.* illud *Psal. In lumine tuo videbimus lumen*, eodem prorsus modo explicat, quo Origenes.

Bonau. de obiectiuo.

72 *S. Bonau. in 3. sent. dist. 14. part. 2. quæst. 1. à num. 25. vsque ad 29.* quærens, quomodo anima Christi cognoscebat Verbum, & alia à verbo, an per duplicem habitum, vel per eumdem, prolixè docet per vnum habitum; declarans autem, qui nam sit habitus hic, videtur docere esse ipsum verbum, quod est lux, & illuminat intellectum animæ Christi.

Scotus etiã de obiectiuo sæpe loquitur.

73 *Scotus* pariter, qui quatuor annis ante *Concil. Vienn.* mortuus est, pluribus in locis videtur admittere lumen, aliquando tamen, vt habitum, & formam intellectui inhærentem: aliquando verò in ipsomet obiecto, quod est summa, & infinita lux.

Concluditur fuisse antiquorũ sent. de lumine obiectiuo.

74 Ex his igitur concludimus, quod licet semper in Ecclesia viguerit sententia de luminis necessitate ad Deum beatificè videndum; à quo intellectus confortatur, & fit Deo similis, ac conformis; non tamen omnes ante Concilium Viennense, vel dixerunt, vel putarunt esse habitum, seu qualitatem intellectui inhærentem, sed perfectionem quandam in Deo existentem, terminatam ad intellectum.

Non potest defendi, quod non sit aliquid præter obiectum.

75 Dico 3. Post *Concil. Viennense celebratum anno 1311. sub Clemente V.* non potest defendi, quod lumen necessarium pro visione beata sit solum obiectiuale, sed debet dici, quod sit aliqua spiritualis forma, seu qualitas inexistens intellectui. Est communis inter Theologos Catholicos.

Ex ipsomet decreto Cõcilij colligitur quod sit res ab obiecto distincta.

76 Prob. Tale lumen est admittendum post Concilium, quale negabant Beguardi, ac Beguinę. Sed negabant illud, vt se tenens ex parte animæ: ergo hoc est admittendum. Minor prob. Ex narratione, & confutatione erroris ipsorum; in *Clemen.* enim *Ad nostrum, de hæret.* quæ est vnum caput *Concil. Vienn.* inter octo errores habetur. *Quinto*, docent, quod *qualibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* In dispositione autem dicitur, *cum huiusmodi sectam detestabilem, & pramissos ipsius execrandos errores extirpare ab Ecclesia catholica, &c. Nos, sacro approbante Concilio sectam ipsam cum pramissis erroribus damnamus, & reprobamus omnino, &c.* ergo id quod requiritur per Concilium est lumen eleuans animam; at non posset eleuare animam, nisi in ea esset. Ergo debet dici, quod lumen necessarium, præter obiectiuale, sit aliquid receptum in anima.

Obiectiuale nullus vnquam negauit.

77 Prob. 2. Nullus Christianus adhærens Euangelio, & Canonicæ scripturæ potuit negare lumen obiectiuale, quia habetur clare, ex 1. *ad Timoth 6. Deus lucem inhabitat inaccessibilem. &* 1. *Ioan. 1. Deus lux est.* & *Symbol. Constantinop. lumen de lumine*, Igitur si negabant necessitatem luminis intelligebant de aliqua forma existente in anima, & hanc sententiam negantem reprobauit Concilium. Igitur lumen in anima existens, est etiam necessarium.

Ex erroris confutatione,

78 Prob. 3. Beguardi, & Beguinæ, ideo negabant luminis necessitatem, quia dicebant, animam sua virtute suisque viribus fieri beatam. Et non poterant negare, quod sine obiecto beatifico. Igitur totum id, quod negabant se tenet ex parte animæ. Concilium autem dicit, lumen esse necessarium, vt animam eleuet. Ergo formale, seu inhærens animæ lumen est, admittendum post Concilij decretum.

Ex abfurdo arg.

79 Prob. 4. Nisi ex parte animę, admitteretur lumen gloriæ, quod statuitur necessarium, homo ex suis naturalibus viribus esset beatus, qui est quartus error Beguardorum in eodem Concilio damnatus, & merito; nam *Gratia Dei vita æterna, Rom. 6. Et lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, quod de potestate naturæ intelligendum est, quia, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt Matth. 5.*

A pari de auxilijs in via.

80 Prob. 5. à pari. Non potest homo in via elicere actum aliquem supernaturalem absque auxilio aliquo supernaturali, vt actum, fidei, spei, charitatis, contritionis, religionis, obseruantiæ legis, &c. Ergo multò minus actum illum videndi Deum ex equi potest, absque supernaturali adiutorio. Consequ. est euidens. Non enim est magis proportionata anima ad videndum Deum, quam ad credendum, &c. Quid autem dicendum de possibili, patebit postea.

Per aliquod actuale saluaretur decretum Concil. sed melius per habituale.

81 Dico 4. Esto saluari posset decretum Concilij admittendo, quod lumen eleuans sit aliquod actuale; probabilius tamen, & conformius est Concilij sensui, quod lumen requisitum in Beatis sit habituale. Est ferè communis in omni schola.

1. pars.

82 Prob. prima pars. Intentio Concilij fuit damnare Beguardos, qui dicebant per sola naturalia animam fieri beatam. Sed si admittatur aliquod actuale supernaturale, excluditur ille error: ergo.

A pari de actibus supernaturalibus in via.

83 Prob. 2. Homo in via per auxilium supernaturale actuale potest exercere opera supernaturalia, vt patet in peccatore se disponente ad iustificationem per actus dilectionis,

ctionis, fidei, spei, &c. ex *Trident. sess. 6. can. 3.* quos quidem actus necessarios, vt quis iustificationis gratiam consequatur, dicit esse ex Spiritus Sancti inspiratione, atque adiutorio. Ergo idem dici posset de visione.

Ex paritate habituum in futurum.

84 Prob. 3. à pari ex *cap. Maiores de Baptismo, &c. Innoc. III.* tamquam probabiliorem existimat sententiam docentem, quod pueris in baptismo infundantur habitus. Si ergo erat ante probabile, & non habebatur pro repugnante, vt formæ illæ supernaturales necessariæ ad operandum, essent quid actuale, sicut actualia auxilia, non esset aliquod implicans, dicere, quod lumen requisitum ad beatitudinem, & per Concilium iam stabilitum necessarium, sit aliquod actuale, consistens in solo fieri, seu operatione. Æquè enim adiuuaretur anima per illud, & eleuaretur ad ordinem supernaturalem.

3. part. quod sit habitus, verior

85 Prob. secunda pars. Est magis conforme menti Concilij dicere, quod sit aliquid habituale; nam sic per modum actus primi, seu principij concurrit ad actum secundum. Secundo, quia visio debet esse perseuerans, & perpetua, igitur aliquid permanens, ac perpetuò inhærens intellectui debet esse lumen ad eam concurrens.

A connaturalitate,

86 Prob. 2. Charitas, quæ ex dicendis concurrit ad fruitionem, est habitus perseuerans permanenter in voluntate: ergo etiam lumen concurrens cum intellectu ad visionem.

A paritate fidei.

87 Prob. 3. Lumen succedit fidei, quæ per mortem euacuatur. Sed fides erat habitualis; ergo & lumen. Non minus enim eget confortatione permanenti intellectus in æternum operaturus in cælo, quam operaturus temporaliter in via: ergo.

Communis sent. DD. etiam ante Conc. quod sit habitus.

88 Prob. 4. ex communi sensu Theologorum omnium, docentium, lumen esse quid habituale. Ita S. *Thomas*, S. *Bonau. Scotus*, & alij antiqui, etiam qui præcesserunt *Concilium Viennense*. Ita alij post eos, qui floruerunt post Concilium, neque vllus magnæ notæ doctor inuenitur, qui doceat contrarium. Omnes enim agnoscunt connaturalius esse intellectui per habitum operari, quam per aliquod actuale, maximè si operatio futura sit perpetua, & absque interruptione.

Arg. contr. 3

Ob contra 3. Sancti Patres nullam habuerunt luminis formalis notitiam: ergo doctrina luminis est noua. Igitur non admittenda.

Patres confessi sunt lumen.

89 Resp. neg. antec. Nam, vt patuit docuerunt intellectum fore illustrandum in visione beata per lumen, quod à Deo emanat, & terminatur ad intellectum. Parum autem refert, quod vocabulo habitus non sint vsi, vel alio simili nomine.

Ob. 2. Nullum habuit fundamentum Ecclesia, vt statueret necessitatem luminis formalis, seu inhærentis intellectui: ergo. Antec. prob. Nequit scripturæ locus assignari, ex quo id eruatur.

Traditio huius doctrinæ semper fuit in Ecclesia,

90 Resp. neg. ant. Potuit enim esse, quod continua fuerit in Ecclesia huius doctrinæ traductio; & sic per decretum firmauit, quod hæretici temerè negabant. Secundo, patuit ex *Psal.* allato *in lumine tuo videbimus lumen*. Tertio, ex illo 1. *ad Timot. Lucem habitat inaccessibilem.* Quarto, ex 1. *Ioann. 1. Deus lux est*. Ex hac enim magna luce potuit Ecclesia deducere, quod in intellectu beatorum causetur lumen, quod eos illuminet, atque confortet; sicut ex magna solis luce in capaci subiecto, lumen causatur. Quinto, ex eo, quod intellectus per suas vires naturales non est proportionatus, saltem secundum statum, & ordinem ad attingendum adeo luminosum, seu lucidum obiectum. Quidquid sit, an de potentia absoluta possit aliter fieri.

Vnde mota est Ecclesia ad faciendū talem definitionem.

Ob. 3. Lumen obiecti est sufficiens ad saluandum Concilij doctrinam: ergo. Antec. prob. Beguardi negabant lumen esse necessarium: si admittitur esse necessarium, iam satis fit doctrinæ Concilij. Sed ipsum non decernit qualitatem luminis. Ergo, quodcunque asseratur, euaditur censura Concilij.

Lumen obiectiuale non saluat,

91 Resp. neg. ant. ad probat. nego min. Formula enim loquendi ipsius Concilij implicat lumen formale, non obiectiuum. Adstruit enim lumen eleuans animam, quod negabant hæretici. Sed hoc non potest esse obiectiuale, quia id non eleuaret animam, nisi motiuè, aut terminatiuè. Et sicut obiectum reuelatum, & confirmatum euidenti miraculo, non eleuat intellectum ad credendum, nisi motiue; sed requiritur aliquid in intellectu ei inhærens, nempe auxilium illuminationis, & in voluntate inflammationis, vt præcipiat intellectui actum fidei; ita quomodocumque Deus sit luminosus, intellectus debilis est, nisi aliquo supernaturali adiutorio sibi inhærente subleuetur. An autem hoc ex natura rei, & essentialiter requiratur; vel ex Dei ordinatione, postea discutietur; loquimur enim nunc de ijs, quæ de facto fiunt.

Requirit lumen eleuans ideo inhærens.

Ob. 4. Lumen formale diuersum ab obiectiuo, frustra ponitur: ergo. Anteced. prob. Totum id, quod formali tribuitur posset tribui obiectiuo. Nam, vel ponitur ad roborandum, vel ad agendum simpliciter, vel ad statuendum in ordine supernaturalium, vel ad decorem, & ornatum, vel ad alia similia; omnia hæc possunt ab obiectiuo lumine peragi. Ergo frustra ponitur formale.

Lumen obiectiuum non potest præstare effectus, quos

92 Resp. neg. anteced. ad prob. nego min. Quod enim non est realiter, & inexistenter in aliqua potentia, non potest præfata munera præstare. Patet experientia,

de

præstat lumen inhærens,

de quolibet habitu respectu cuiuscunque potentiæ; ea enim non decoratur, non eleuatur, non roboratur, neque statuitur in ordine superiori agendi per extrinsecum aliquod, vel per obiectum; sed per aliquid sibi inexistens.

Ob. 5. Anima, seu intellectus quantum est de se habet totam potestatem in genere potentiæ ad videndum Deum. Ergo si lumen aliquod requiritur, sufficit obiectiuum; sicut patet de oculo sano, si enim tendat circa obiectum luminosum sufficit ei lumen obiecti.

Argum. probat oppositum.

93 Resp. hoc argumentum petere quidnam sit munus luminis gloriæ, quod in sequenti articulo discutietur. Dico autem, quod licet absolutè habeat intellectus totam actiuitatem in genere potentiæ; non verò in genere principij supernaturalis. Ad exemplum de oculo patet esse ad oppositum; non enim sufficit lux obiecti, nisi hæc diffundatur per medium perspicuum, & peruadat ipsum met oculum ei inhærendo. Ergo ex hoc concluditur oppositum.

## ARTICVLVS IV.

### *An lumen gloriæ concurrat ad recipiendam visionem.*

Scoti mens,

SCOTVS vbique locorum, quando loquitur de lumine, negatiuè respondet; sed præsertim *in 3. sent. distinct. 14. quæst. 1. B.* vbi, postquam multis argumentis probauit, lumen non esse intellectui necessarium ad recipiendam visionem beatam, sic concludit. *Itaque intellectus anima Christi potest passiuè recipere visionem verbi primò, & immediatè, & hoc ita quod non perficiatur prius aliqua forma absoluta; tum quia ipsa visio est lumen perfectum; tum quia in intellectione naturali lumen præsidens, &c.* & post multa, quærit, an sicut intellectus potest sine lumine visionem recipere, ita & efficere; & respondet negatiuè de facto; idem docet *in 4. dist. 49. quæst. 11. F.* vbi docet ad receptionem visionis beatificæ lumen non esse necessarium.

Ratio procedendi.

94 Adu. Quod, cum lumen gloriæ ad aliquem effectum requiratur, vt distinctè procedamus. Quærimus primo, an requiratur, vt dispositio materialis, seu subiectiua. *Marsilius in 3. sent. dist. 10. art. 2.* Maior in eodem *3. dist. 14. quæst. 2. dub. 2. & in 4. dist. 49. quæst. 4.* & alij cum illis docent lumen esse quandam dispositionem intellectus, vt in eo recipi possit visio beata. *Scotus*, & sententia totius Ecclesiæ, docet non requiri ad hunc effectum, sed ad alium, de quo postea. Hoc posito

Authores contrarij in hoc sed pauci.

Lumen non requiritur ad recipiendam visionem beatam.

95 Dico. Lumen non est necessarium intellectui in genere causæ materialis, vt scilicet aptè in eo recipi possit visio. Est *Scoti locus cit.* quem omnes moderni secuti sunt.

dum visionem.

96 Prob. 1. Quando potentia habet secundum se sufficientem rationem receptiui, non est ei necessaria alia forma, vt fiat receptiua. Sed talis est intellectus humanus respectu visionis Dei. Ergo non eget lumine, vt fiat receptiuus.

A priori.

97 Prob. 2. ex *Scoto in 3. dist. 14. qu. 1. A.* si sic esset necessarium, intellectus esset beatus in luminis receptione, & non in visione. Nam receptiuum multarum formarum quietatur recipiens perfectissimam, cuius est capax; tale esset lumen; igitur in eo quietaretur.

Ex absurdo.

98 Conf. ex eodem ibid. Quando absolutum est ratio recipiendi aliquam formam, si per se est, per se potest recipere; vt patet de superficie, quæ est ratio recipiendi colorem in rebus corporeis. Ergo si lumen est ratio recipiendi visionem, separatum etiam posset eam recipere.

Omnis esset beata per accidens.

99 Conf. 2. ex eodem; si sic requiritur; ergo intellectus beatificaretur per accidens nempe per visionem receptam in lumine, sicut substantia coloratur per colorem receptum in superficie. Quod (ait Scotus) si dicatur, totum coniunctum, nempe intellectus, & lumen est subiectum susceptiuum visionis, & sic non sequitur absurdum de beatitudine per accidens. Contra respondet. Quia vnius actus per se est vna potentia per se, & vnum per se receptiuum. Ergo istius actus, qui est vnum per se, non potest esse subiectum, quod sit vnum per accidens. Ideoque alterum eorum est propriè, & per se immediata potentia recipiendi.

A paritate aliorum habituum.

100 Prob. 3. Natura humana est immediatè susceptiua omnium habituum, siue naturalium, siue supernaturalium. Neque est minus receptiua visionis, quam luminis. Neque apparet quonam ex capite prærequiratur lumen ad recipiendam visionem: ergo.

Actus non recipitur in habitu.

101 Conf. Actus videndi non recipitur in habitu luminis: ergo. Anteced. prob. Alij actus, siue intellectus, siue voluntatis non recipiuntur in habitibus, sed immediatè in potentijs, patet de actibus fidei, scientiæ, prudentiæ, &c. respectu intellectus; & de actibus charitatis, spei, fortitudinis, &c. in voluntate.

102 Prob. 4. Susceptiuum ordinatum ad plures formas, maximè ordinatur ad perfectissimam, & sibi propriam. Visio autem perfectissimi obiecti est perfectissima forma intellectus. Ergo ad eam immediatè ordinatur.

Intellectus est proportionatus ad recipiendã visionem beatam.

103 Prob. 5. Intellectus est maximè proportionatus ad recipiendam visionem beatam. Ergo ad hunc effectum non eget alio medio. Anteced. prob. Vel enim est improportionatus, eo quia visio est super-

naturalis; vel quia vitalis. Non primum, quia magis supernaturalis est habitus luminis, qui secundum substantiam à recentibus dicitur talis, & qui à solo Deo producitur, quam visio quæ dicitur ab eisdem supernaturalis non omnimodè, cum ad eam concurrat etiam causa naturalis: igitur si intellectus non est improportionatus ad recipiendum habitum, multò minus ad actum. Neque dici potest secundum; quia potentia vitalis est magis apta ad recipiendum ex se, & in semetipsa actum vitalem, quam mediante habitu non vitali. Igitur non eget habitu ad recipiendum actum.

Ex absurdo.

104 Prob. 4. Si ad recipiendam visionem supernaturalem intellectus naturalis eget habitu luminis supernaturali; ad recipiendum istum habitum requireretur alius habitus: & sic in infinitum.

Arg. contr.

Ob. 1. Forma quælibet recipi debet in subiecto apto; quod enim recipitur, per modum recipientis recipitur. Ergo forma supernaturalis in subiecto supernaturalizato: ergo.

Intellectus est immediate capax visionis.

105 Resp. nego consequ. ad probat. dico subiectum esse aptum, quando est immediatè capax; non verò quando est eiusdem naturæ cum forma recepta. Patet de corpore materiali recipiente animam spiritualem. De voluntate, & ipsomet intellectu recipientibus habitus aliaque dona supernaturalia. Alioquin in infinitum esset procedendum in dispositionibus subiectorum recipientium formas.

Instabis. De fide est, in anima hominis suscipiente Sacramenta non causari gratiam, nisi præcedant dispositiones aliquæ supernaturales. Ergo non est aliquod impertinens, & exoticum dicere, quod ad recipiendam visionem beatam requiratur lumen.

Dispositiones ad gratiam Sacramentalem non sunt materiales,

106 Resp. dist. antec. Nisi præcedant per modum causæ subiectiuæ, seu informatiuę, nego; per modum efficientis, seu dispositiui de congruo ex ordinatione Dei, concedo. & nego consequ. Quia actus illi diligendi, credendi, pœnitendi, & cæteri supernaturales prærequisiti ad infusionem gratiæ in iustificato, non sunt vt habituales formæ informantes animam, & in ea permanentes quando gratia infunditur, neque sunt subiectum gratiæ, sed iam præcesserunt dispositiones de congruo in genere meriti; non enim sunt merita de condigno, quia gratia gratis datur. Et ita paritas non est ad rem: quia lumen non est actus aliquis vitalis disponens, vt meritum de congruo ad obtinendum visionem. Si autem quis petat dispositiones huius generis ad visionem, assignabimus merita de condigno, quæ beatus habuit in via. & hoc pro adultis; pro paruulis vero merita Christi. Sed hoc ad rem nunc non est.

Lumen non est dispositio meritoria.

Ob. 2. Visio beatifica est actus intelligendi; ergo respicit subiectum dispositum iam, ex 3. *de anima*, *intelligere est quodam pati*. Ergo lumen requiritur pro hac passione recipienda.

Intelligere non est, nec agere, nec pati formaliter,

107 Resp. neg. consequ. ad probat. Dico cum *Scoto in 1. sent. dist. 3. quæst. 7.* Intelligere formaliter, non est, nec agere, nec pati, sed tendere vitaliter, seu cognoscere obiectum; vtrumque autem est præsuppositiuè, nam ad eam requiritur actio, qua producatur, & appellatur dictio, & requiritur receptio in intellectu, & hæc est passio: at neutra earum est intellectio, sed sola cognitio, seu attingentia vitalis obiecti.

Ob. 3. Visio beata recipitur in intellectu, cum reali eius mutatione. Hæc autem nequit fieri sine habitu, & forma reali; quæ in casu non potest esse, nisi lumen: ergo.

Visio immutat intellectum.

108 Resp. neg. min. Quia ipsa met visio immutaret intellectum realiter. Secundò, etiam concesso, quod per lumen faciendà sit hæc mutatio; quomodo sequitur, quod lumen sit necessarium ad recipiendam visionem; diceret enim *Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. in fine* C. Visionem, & lumen esse duas perfectiones ordinatas receptas in intellectu; lumen quidem, vt actum primum; visionem verò, vt actum secundum, & congruum est (subdit *Scotus*) vt his formis ordinatè perficiatur. Itaque non est dubium, quod tam lumen, quam visio in intellectu recipiantur; quia neutrum potest extra intellectum per se stare. Neque est dubium, quod lumen prius recipiatur; quia ex *Concilio Vienn.* lumen eleuat intellectum ad videndum. igitur præcedere debet visionem. Sed est controuersia de effectu, quem habet respectu visionis, quomodo ad eam concurrit, an per modum dispositionis subiectiuæ, vt verbi gratia superficies respectu coloris, & *Scotus* negat. ad hoc esse necessarium, ad quid ergo est necessarium, hoc inquirimus.

Ex Scoti arg.

Ob. 4. *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11.* G. Videtur problematicus, an intellectus, & voluntas actiuè, an passiuè concurrant ad beatitudinem. Ergo si quis teneat passiuè, iam lumen erit necessarium ex parte subiecti.

Scotus non tenet intellectus mere passiue concurrere, multi in hoc hallucinati.

109 Resp. neg. antecd. In quo video hallucinatos multos neotericos, qui non legentes totum *Scoti* contextum do facili pronunciant iniustam sententiam. Sit ergo eis notum, quod *Scotus* ibi inquirit, quare non potest homo ex suis naturalibus fieri beatus, videndo Deum eoque fruendo, & assignat rationem; quia non habet Deum præsentem obiectiuè, sed solum per illapsum; & si Deus vellet se ei præsentem facere obiectiuè posset eum videre. Id ergo non habet ex virtute sua, & ideo non potest ex sua naturali virtute Deum videre. Deinde addit, ex hoc sequitur Corollarium,

quod

*quod in beato nihil erit supernaturale prius operationibus; si tamen aliquod supernaturale ponitur prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, sed propter actionem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingit Deum.* & post aliqua, ait, *hoc supernaturale requiritur propter potentiam; & quia duplex potentia concurrit in operatione beata, scilicet intellectus, & voluntas, propter vtramque potest forma supernaturalis poni; & ideo tres formæ supernaturales præcedentes operationem ponerentur. Vna correspondens obiecto, scilicet species intelligibilis in memoria. Secunda, ex parte intellectus, qua dicitur lumen gloriæ. Tertia, ex parte voluntatis, qua dicitur charitas.* Et post aliqua, ait, *si intellectus sit merè passiuus habens se solum in ratione susceptiui ad actum visionis, cum non requiratur propter receptionem solum aliqua forma ex parte intellectus, vt supra ostensum est, tunc non requiritur lumen gloriæ.* Ecce totam doctrinam de luminis necessitate de facto, & absolute iuxta mentem *Scoti*. Docet ergo, & lumen esse necessarium, alioquin Deus non esset obiectiuè præsens: docet item non esse necessarium ad receptionem visionis, sed ad actionem, seu elicitionem eius. Et ad impugnandam sententiam necessitatis pro receptione, contra eos, qui dicunt, intellectum actiuè non concurrere ad visionem, affert hoc absurdum, quia scilicet tunc non esset necessarium lumen gloriæ. Quod autem actiuè intellectus concurrat, imò & totam habeat actiuitatem in genere potentiæ, ex proprio articulo constabit.

Scoti discursus circa necessitatem luminis & concursum intellectus.

## ARTICVLVS V.

### *An lumen gloriæ gerat vicem speciei impressæ.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. B.* docet, *in naturali intellectione lumen præcedens visionem, requiri propter imperfectionem obiecti, quod vel non est de se actu intelligibile, sed per intellectum agentem, qui est lumen, fit actu intelligibile, quod est potentia intelligibile; vel si actu intelligibile non est per se sufficiens ad mouendum intellectum ad actum secundum, neutrum autem istorum dici potest de essentia diuina, quia ipsa est summa lux de se, & per se intelligibilis; & de se perfectè sufficiè mouua intellectus, & sic nullum lumen requiritur sibi cooperatiuum, quia quantò magis obiectum habet de se rationem, & perfectionem luminis, quod posset cooperari sibi tanto minus exigit ipsum, &c.* hæc *Scotus*. Ideo

Duplex art. sensus.

110 Adu. Duplicem esse huius articuli sensum. Primus an lumen sit species intelligibilis essentiæ diuinæ eam representans, sicut aliæ species representant propria obiecta. Et in hoc sensu nullus vnquam locutus est, cum asserit necessitatem luminis. Secundus sensus est hic. Certum est, quod omne obiectum causat speciem sui in intellectu cognoscente, à qua intellectus fœcundatur, & illuminatur, & sic clarè, & facilè videt obiectum. Hoc supposito, Authores quidam, & doctissimi existimantes dari non posse speciem intelligibilem representatiuam Dei (de qua postea) & sic intellectum non posse per eam irradiari, ac illuminari ad percipiendum Dei essentiam, docent hoc munus præstari à lumine gloriæ, & ideo dicitur quasi substitutum loco speciei, ita sentire videtur *Capreolus in 4. sent. dist. 49. quæst. 4. art. 1. Cajet. in Comment. 1. par. quæst. 12. art. 5. Ferrarien. 3. contra Gent. cap. 54.* Et pro hac sententia *Vasquez in 1. par. disp. 43. cap. 2.* citat *Scotum in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 4.* Sed quoad *Scotum*, salua pace, in pluribus decipitur. Nam in quæstione illa secunda quam citat, nec adest articulus vllus, neque vllum prorsus verbum sit ibi de lumine, sed in duobus illis quæstionibus inquirit, an beatitudo consistat in operatione; & an perficiat immediatè essentiam animæ, & neque nominatur in eis lumen. Voluit fortasse citare quæstionem 11. sed in ea dicit oppositum, nam *sub G.* ait, quod *si in beato ponitur aliquid supernaturale, hoc est, non propter receptionem, sed propter operationem eliciendam.* Et paulò post enumerans, quæ sunt ista, ait, *esse tria, speciem intelligibilem obiecti in memoria; lumen gloriæ in intellectu, & charitatem in voluntate*, hæc *Scotus*. Tantum ergo abest, vt *Scotus* dicat lumen gloriæ inseruire loco speciei, quod ipse admittit in beato speciem intelligibilem Dei, & præterea lumen gloriæ. Ignoscat Lector si iustè irascar contra citantes *Scotum* in oppositum sententiæ, quam doctor tenet. Et certè id sæpè contingere video in modernis, qui *Scotum* non vident, & tamen citant, vt volunt forte, vt sufficiat cum Leone pugnasse. Hoc posito

Aliqui docent lumen supplere munus speciei impressæ.

Vasq. non bene adducit Scotum.

111 Dico. Lumen non inseruit loco speciei; neque quoad representandum Deum, neque quoad fœcundandum intellectum, & faciendum obiectum intelligibile. Est *Scoti vbi supra*, & omnium Recentiorum paucis exceptis.

Lumen non inseruit loco speciei impressæ.

112 Prob. 1. pars. Visio est immediatè circa essentiam, vt obiectum motiuum, & terminatiuum in se ipsa existentem, & non in alio representatam. Ergo lumen non gerit vicem speciei representantis. Antec patet; ideo enim dicitur intuitiua, & facialis, quia est ad essentiam immediatè, & non ad aliud representans. Quælibet enim cognitio, aut visio facta in representante, quodcunque hoc sit, siue medium cognoscendi tantum, vt sunt species impressæ rerum, siue vt medium cognitum, est enigmatica, vel abstractiua. Et impli-

1ª pars.

Visio non fit in specie

cat in adiecto dicere visionem intuitiuam in specie.

113 Prob. 2. Frustra poneretur, hæc vicaria speciei, si ipsa non concurreret ad visionem. Lumen autem ex *Concil. Viennensi* sæpè relato est necessarium ad eleuandum intellectum ad videndum. Ergo lumen non potest inseruire, vt species repræsentans.

Habitus nõ repræsentat obiecta.

114 Prob. 3. Nullus habitus gerit vicem speciei repræsentantis, vt experimento constat de omni habitu. Si enim Deus infunderet habitum Geometriæ, non proinde infunderet obiecta, vel species eorum ex sola infusione habitus, sicut patet de habitu fidei, qui à Deo infunditur in baptismo, neque proinde repræsentat obiecta fidei, imò neque per eius infusionem Deus infundit obiecta fidei. Ista enim per fidem acquisitam habentur; ideo ait Apostolus *ad Rom. 10. Quomodo audient sine prædicante. Ergo fides ex auditu, &c.* & sic de alijs habitibus etiam infusis, qui ex sui natura non sunt obiectorum repræsentatiui. Ergo neque lumen gloriæ est repræsentatiuum, & sic nequit gerere vices speciei intelligibilis Dei in repræsentando.

Fidei habitus non continet obiecta.

Dum obiectum immediatè mouet frustra ponitur species.

115 Prob. 4. Frustra ponitur species obiecti, aut eius vicaria in repræsentando, quando obiectum est immediatè præsens, & immediatè cognoscitur; ergo, Anteced. prob. Nam species gerit vicem obiecti, & est quoddam eius idolum, quod cum potentia causat quidem cognitionem, sed in absentia obiecti, & abstractiuam. Visio autem beata est ab obiecto beatifico, & est intuitiua.

Habitus non sunt similitudines obiectorum.

116 Prob. 2. pars. Species aliorum obiectorum ideo dicuntur fœcundare intellectum, eumque illuminare, & irradiare, quia sunt semina obiectorum, eorumque imagines, sed non ita se habet lumen gloriæ: ergo. Min. probatur. Habitus non sunt similitudines obiectorum neque irradiant intellectum. Hæc enim irradiatio, & clarificatio fit ex eo quia intellectus affectus specie intelligibili alicuius obiecti, fit quasi de natura eius; quod non præstat nullus habitus, neque naturalis, neque supernaturalis. Ergo neque lumen.

117 Prob. 2. Species adiuuat intellectum solum ob notitiam abstractiuam, vel in absentia obiecti, vel in præsentia eius, quando est imperfectionatum, & sic, cum prius sit potentia tantum intelligibile, fit actu intelligibile. Id autem non potest præstare lumen respectu Dei; tum quia Deus est præsens, tum etiam, quia est summè intelligibile; imò summa lux. Neque assignari potest, quam intelligibilitatem Deus acquireret per lumen, quam antea non haberet; est enim, ne dum remotè, & potentia intelligibilis, sed proximè, & actu. Nam non acquirit per lumen esse spirituale, quod accidit in obiectis corporeis, quæ nisi opere intellectus agentis producantur species eorum intelligibiles, non possunt proximè, vel actu intelligi, vel assignetur in quo consistet illa intelligibilitas, quam præstat lumen loco speciei substitutum.

Lumen non potest dare cognoscitiuitatem Deo

118 Prob. 3. Si hoc modo concurrit lumen: ergo est necessarium ex parte obiecti, non ex parte intellectus videntis. Contrarium autem decernit *Concil. Viennense*. dicens eleuare potentiam; in sententia autem istorum eleuaret obiectum. Sicuti regulariter de omni specie dicitur, quod est necessaria ratione obiecti, vel enim ipsum est præsens, & materiale, ideoque improportionatum, vel est absens, & requiritur imago eius, vt actu abstractiuè possit cognosci. Tota ergo speciei necessitas est ex parte obiecti; & hinc est, quod si Angelus, seu anima sit præsens alteri Angelo, intellectus illius non eget specie Angeli, vel animæ ad ista videndum, ac proinde intellectus nullo alio indigeret. Ex quibus concludo, lumen non requiri per modum speciei; immò esse ei improprium eiusmodi munus, & ratione sui, & ratione visionis, quæ ex obiecto immediatè, & ex intellectu emanat.

Arg. ex absurdo, quia non saluatur decr. Conc.

A sufficienti quęnam necessa speciei peberet supplere lumen

119 Prob. 4. Officium speciei, quod deberet præstare lumen, vel est repræsentatio, vel intelligibilitas, vel proportio obiecti, vel vnio obiecti cum potentia. Nullum istorum potest asseri: ergo. Min. prob. Non duo prima, vt ex nuper dictis. Non tertium, nempe proportio; nam hæc, vel est in ratione ordinis supernaturalis, & verum est, sed id non præstat lumen, vt species, sed vt habitus; patet de fide, spe, & charitate in via; & de hac vltima pariter in patria, illi enim habitus dant esse supernaturale per modum formæ afficientis subiectum, non per modum speciei intelligibilis. Igitur lumen non gerit vicem speciei ad effectum proportionandi, vel dicitur, quod proportio ista consistit in ratione intellectiui, & intelligibilis; & tunc recurrit argumentum præcedens. Quia neque lumen est imago, aut similitudo obiecti; neque obiectum eget fieri intelligibile; quia est spirituale simplicissimum, & lucidissimum; imò summa lux, neque intellectus per lumen fit magis intellectiuus. Et esto magis; non tamen per ipsum in ratione speciei, sed in ratione habitus.

Lumen suget actuitatem, vt habitus.

120 Neque potest pro effectu luminis assignari vnio physica obiecti cum potentia (dixi physica, quia de morali, seu ex ordinatione Dei admittam infra). Ratio est; quia alia obiecta, vel sunt absentia: vel si præsentia, non tamen actu intelligibilia, ideo egent aliquo, tamquam medio coniungente ipsa cum intellectu, quod medium est species. Sed hæc non sunt necessaria inter intellectum beatum, & Deum, qui est ei intimè præsens, & quando vult, etiam vnitum in ratione motiui, & mobilis. Ergo

go ex nullo capite lumen potest gerere vicem speciei intelligibilis diuinæ essentiæ.

Essentia est actualissime intelligibilis

121 Prob. 5. Essentia Dei est adeo intelligibilis, vt ipsa sit ratio videndi alia omnia creata, & creabilia, sicut dicetur in disput. de obiecto terminatiuo visionis beatæ: Ergo tantum abest, vt ipsa fiat à lumine intelligibilis, quod potius facit alia, & ipsum met lumen intelligibile in ipsa.

Lumen non potest fungi munere speciei.

122 Prob. 6. Lumen omnia alia prædicata potest subire præterquam speciei, nisi peruertamus consuetum philosophandi modum, & nouum instituamus. Ergo nequit dici hoc esse luminis officium. Antec. prob. Species ex sui primaria institutione, ac fine naturæ, seu Dei illam adinuenientis, est esse vicaria obiecti, eius similitudo, repræsentatio, illustratio, & intelligibilitatem dare eidem obiecto, & tandem in eius absentia concurrere ad abstractiuam eius cognitionem. Ista, vt ex præced. patuit non potest præstare lumen, ergo non potest cum veritate dici, quod gerat speciei vicem, vel eius effectus præstet, & sine fundamento id nomen sine rei tribuitur, vt dicatur poni loco speciei, eiusque effectum saltem aliquem præstare. Sed cum omni proprietate dici debet esse habitum, & ea efficere, quæ alij supernaturales habitus efficiunt.

Ob. 1. Elevatio, quæ fit in intellectu ex adiutorio luminis, non potest in alio consistere, nisi quia Deus, qui prius non erat proximè intelligibilis, fit per lumen intelligibilis. Hic autem effectus est proprius speciei. Ergo lumen est necessarium per modum speciei, seu ad supplendam speciem.

123 Resp. dist. maiorem, quò ad primum effectum; subdistinguo de intelligibilitate per modum repræsentatiui, nego per modum obiecti voluntariè se manifestantis, nego. Quò ad omnes alios effectus, nego, Declarantur omnia, lumen gloriæ duo præstat, facit enim, vt Deus se ostendat intellectui: & adiuuat eum physicè ad eliciendam visionem, de hoc secundo nunc non loquor, sed de primo. Ista ergo intelligibilitas Dei, quæ habetur per lumen non consistit in similitudine aliqua obiecti, seu alio repræsentatiuo, hoc enim est proprium speciei intelligibilis munus. Sed consistit in hoc, quod Deus, qui est obiectum voluntarium, & si vult videtur, si non vult non videtur, statuit non se ostendere alicui intellectui, nisi prædito lumine, ista autem intelligibilitas non præstatur à specie. Ergo lumen non est necessarium, vt suppleat vicem speciei.

Quomodo. Deus dicitur fieri intelligibilis per lumen gloriæ.

Non tamquam per speciem.

Ob. 2. Species vnit obiectum cum intellectu. Lumen autem vnit Deum cum Beato in ratione visibilis proximè, quia eo posito statim Deus fit proximè visibilis. Ergo est necessarium, vt gerat vicem speciei.

124 Resp. distinguo mai: Vnit physicè per modum similitudinis repræsentatiuæ, concedo. Per modum causæ ex ordinatione diuina disponentis Deum, vt se manifestet visibilem intellectui, nego. Tum distincta min. eodem modo, nego consequ. Quia non hoc secundum, sed primum tantum est speciei munus; in quo lumen succedere non potest.

Quomodo lumen vnio Deum cum beato.

Ob. 3. Dum aliquod obiectum videtur, causatur primo species sui in intellectu, deinde visio. Deus autem non causat sui speciem, sed lumen. Ergo ipsum supplet vicem speciei.

125 Resp. 1. dist. mai. Causatur species tamquam effectus quidam præuius natus causari ab obiecto ante efficientiam cognitionis, concedo. Tamquam necessaria ad efficiendam cognitionem, nego. Quia hæc immediatè causatur ab obiecto, & ita ex hoc capite tolleretur necessitas luminis, quam illi authores existimant absolutam; quia Deus immediatè causat cum intellectu cognitionem sui.

Species sunt effectus præuij obiecto rum.

126 Resp. 2. nego min. Numquam probatam, quod Deus non possit causare speciem sui in intellectu videntis illum. Imò *Scotus* de facto eam admittere videtur in Beatis, ita *in 4 dist. 49. quæst. 11. G.* Qui enim asserunt Paulum vidisse Deum, vt est, in suo raptu, & audiunt eum de Deo loquentem, quomodo possunt negare in eo remansisse speciem obiecti, quod viderat; non enim fieri potest recordatio, vel reflexio, nisi in specie.

Species Dei potest ab eo causari.

127 Resp. potest 3. Negando suppositum, quod scilicet nequeat obiectum causare cognitionem, nisi prius causet speciem; & maximè, quando est summe intelligibile, & summe lucidum; cum enim effectus ille sit in genere causæ efficientis posset à Deo impediri, nè causaretur; & tamen idem Deus posset cum obiecto concurrere ad visionem.

Obiectum sine specie potest causa re visionem.

At quidquid de hoc sit, lumen non est suppletiuum speciei.

## ARTICVLVS VI.

### *An lumen requiratur ad recipiendam essentiam diuinam.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4 sent. dist. 49. quæst. 11. sub A.* confutat sententiam docentem, quod eatenus nequit homo ex puris naturalibus Deum videre, quia essentia non est in intellectu per modum informantis illum, quod requiritur in omni cognoscente, respectu cogniti, & docet hoc non esse necessarium pro visione beata, neque habitum aliquem posse id præstare.

128 Adu. Quod, vt aliàs innui in

Authores contrariæsent.

*disp.15.art.6.§.2.& 3.* Sententia quædam, quæ *Henrico*, *& D. Thomæ à Scoti*, margine tribuitur, pro secundo *in 4. sent.dist.49. art.2. quæst.6.* pro *Henrico* vero *quodlib.4. quæst. 7.* docet Deum ideo non posse ex vicibus hominis ab eo cognosci, quia non est in eius intellectu, sicut debet esse obiectum cognitum in cognoscente, nempe per modum informantis intellectum, & determinantis illum ad hanc speciem operationis, id autem per lumen gloriæ præstatur, hoc enim determinat, & supplet illam informationem, quæ deberet à Deo fieri. In quam sententiam acriter *Scotus* inuehitur. Ideo

Lumen non facit, vt Deus recipiatur in intellectu.

129 Dico. Lumen non est necessarium, vt Deus recipiatur in intellectu, & sit in eo, vt in cognoscente, est *Scoti* loco citato.

130 Prob.1. Gratis asseritur essentiam; aliudue obiectum debere in intellectu recipi, vt cognoscatur: ergo, Antecod. prob. Obiecta, quæ nos intelligimus, non recipiuntur in intellectu, sed sunt ei præsentia per modum motiui externi per speciem.

Informatio specierum, est.

131 Prob. 2. Si aliqualis obiectorum receptio, & informatio admitteretur, re vera non est obiectorum, secundum se, sed similitudinum, ac specierum intelligibilium: Lumen autem non est species intelligibilis, nec vllo modo potest munus eius subire: ergo. Neque haberet intentum, quod Deus per lumen reciperetur in intellectu.

Arg. ad hominem.

132 Prob. 3. Ettò ad visionem requireretur illa obiecti receptio, quæ apud me est incapibilis; non esset ad hoc necessarium lumen, sola enim essentia posset immediatè in intellectu recipi obiectiuè, sicut in eodem recipitur, ideſt intimè est præsens per illapsum. Ergo ad hunc effectum non est necessarium. Quid enim faceret, aut ad quid disponeret lumen per hanc receptionem.

Instantia eluitur.

133 Dices. Roboraret intellectum pro receptione obiecti adeo excellentis. Sed contra. Roboratio ista, vel esset ad efficiendum, vel ad pariendum. Non secundum, quia in præced. probatum est, obiecta non recipi. Ergo essentia non eget dispositione in genere causæ materialis. Si primum, ergo requiritur sicut cæteri habitus ad coagendum scilicet cum potentia, non verò ad recipiendam essentiam.

Non est necessaria receptio obiecti ad visionem.

134 Prob. 4. Ista receptio necessaria ad visionem, vel esset cum inhærentia, vel cum sola assistentia. Primum est impossibile: nequit enim Deus alteri inhærere. Si dicitur secundum. Ergo non est receptio, quia hæc importat passionem, & informationem. Præterea ad quid ista receptio, si Deus immediatè per modum obiecti, & efficientis assistere potest intellectui, sicut nunc assistit eidem, & omni alteri causæ secundæ, absque receptione in ea; vel informatione illius.

135 Conf. Si esset necessaria receptio, vel informatio; sequitur, quod numquam, neque cum lumine gloriæ posset ab aliquo Deus videri. Nam dato lumine, numquam Deus reciperetur in intellectu, aut illum informaret: neque posset recipi, aut informare, nisi abutamur vocabulis, & loquendi modo, numquam enim potest Deus supplere munus causæ formalis.

Ex absurdo arg. neque cum lumine videretur.

136 Prob. 5. Admissa necessitate receptionis, lumen ad eam nullo modo concurrit: ergo. Antec. prob. Non per modum subiecti, vt patuit, neque per modum similitudinis Dei. Alius modus nequit assignari. ergo

Arg. contr.

Ob. 1. Intellectus nihil potest cognoscere, nisi obiectum sit in eo, vt in cognoscente per modum naturæ, cognoscentis. Sed Deus nequit esse in intellectu nudè accepto, nisi fiat supernaturalis. Id autem à lumine præstatur: ergo.

Quomodo obiectum debet esse in intellectu

137 Resp. ex *Sco.4.dist.49.quæst.11.A.* dist. ma: Nisi sit in illo, vel per speciem sui, vel vt præsens per modum mouentis concedo. alio modo, nego. Nulli enim fundamento nititur hæc doctrina, quod, scilicet obiectum alio modo vltra præfatos esse debeat in cognoscente, vt informans illum. Ad illud de supernaturalitate; dico præterquam quod hoc est ex Dei dispositione; data ea necessitate, non proinde exigitur informatio obiecti, sed eius præsentia, & motio, neque ad eam inseruire posset lumen. Ergo vana est illa receptionis necessitas.

Ob. 2. Omne obiectum, saltem per speciem sui, vel per habitum est in cognoscente. Ergo Deus per lumen est in cognoscente obiectiue. Antec. prob. De omni cognoscibili, nisi enim hoc modo vniatur intelligenti, & fœcundetur memoria non potest generari notitia. Nam prius poni debet actus primus integer necessarius ad causandam notitiam, quam habeatur attingentia obiecti, & sic prius est, quod ipsum sit in intellectu per aliquid sui, quam cognoscatur.

Habitus nũquam gerit vicem obiecti.

138 Resp. neg. secundam partem anteced. Nam habitus, numquam gerit vicem obiecti sed potentiæ, adiuuat enim illam. Ad probat. dico, quod verum est, omne cognoscibile præmittere sui speciem antequam sui notitia producatur, quia ista duo, sunt duo effectus ordinatè procedentes ab obiecto, & facilè concedam essentiam diuinam causare prius speciem sui, quam cognitionem. At ex hoc nihil sequitur. Quia siue admittatur species præcedens repræsentatiua Dei, siue hoc concederetur habitui, neutrum harum concurrit ex parte obiecti ad cognitionem intuitiuam, quæ fit ab obiecto immediate. Ideoque actus primus, seu totale principium visionis, non est per se, nisi intellectus, & obiectum, quod quidem habet rationem actus primi, quatenus mouet, ad causan-

Species non concurrit ad intuitiuã cognitionem.

dam

dam notitiam, per quam postea cognoscitur, ideo, vt mouens, non vt cognitum est actus primus.

Instab. Ex hoc euidenter concluditur, quod essentia diuina debeat esse in intellectu, vel per speciem, vel per lumen. Ergo hoc admitti potest pro luminis munere.

Essentia Dei non recipitur in intellectu.

139 Resp. neg. secundam partem. Quod sit hoc modo per lumen; sola enim species potest id præstare, quia illud non est requisitum ex parte potentiæ, sed ex parte obiecti, lumen verò semper ex parte potentiæ, sicut, & cæteri habitus. At si contendatur lumen etiam requiri ex parte obiecti, dicendum esset, requiri ex parte obiecti, non ex natura rei, sicut lumen respectu oculi corporei, sed ex dispositione Dei. At non proinde sequitur, quod possit fœcundare potentiam, tamquam semen obiecti. Hoc autem est proprium officium speciei, per quam cum omni veritate dici potest, etiam essentiam diuinam esse in cognoscente.

Ob. 1. Ex natura rei, ex concessis, obiectum debet esse in cognoscente. Sed Deus non potest per aliud esse in intellectu, quam per lumen. Ergo hoc est officium luminis. Minor prob. Non potest esse per speciem, quia dabilis non est tale repræsentatiuum Dei; deberet enim esse ens infinitum; alioquin non esset proportionatum.

Quomodo Deus est in intellectu, vt videatur.

140 Resp. neg. min. ad probat. Dicetur infra, gratis negari speciem intelligibilem Dei; non enim est necessarium, vt sit infinita in essendo, sed sufficit si sit infinita in repræsentando. Et euidens est instantia de specie expressa, nempe de notitia, seu visione Dei: cum hæc sit similitudo, expressio, & repræsentatio Dei: & tamen est finita. Adde ad hominem. Isti authores loco speciei substituunt lumen, vt semen obiecti, quæro, an aliquo modo exprimat, aut repræsentet obiectum, nec ne. Si negatur, frustra ponitur, vt vicarium, seu substitutum pro specie, & obiecto, cum nullum pro his præstet officium. Si conceditur, vt debet ab authoribus: idem argumentum de proportione esset ab eis soluendum; lumen enim est ens finitum, & non potest exprimere (ex eorum doctrina) infinitum. Ergo, vel dicendum est, speciem esse necessariam, vel lumen non posse præstare, quod præstaret species. Et sic non est necessarium ad hoc, vt essentia diuina recipiatur per modum cognoscibilis in cognoscente.

Argum. ad hominem contra. adu.

## ARTICVLVS VII.

### *An lumen actiuè concurrat ad visionem beatam.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 49. quæst. 11. G.* docet, *quod si aliquod supernaturale requiritur in beato, prius operationibus, hoc non est necessarium propter receptionem, sed propter operationem, vt eliciatur operatio in beato, qua attingit Deum, &c.*

Sensus art. plura inuolut.

141 Adu. sensum articuli clarum quidem esse, sed plura inuoluere. Primum, an lumen sit actiuum. Secundum, an totaliter afferat actiuitatem, ita quod tota actiuitas sit ex parte luminis attendenda. Primum nunc inquirimus, postea erit sermo de secundo.

Lumen gloriæ actiuè concurrit ad visionem

142 Dico ergo. Lumen gloriæ actiuè concurrit ad caudandam visionem beatam. *Est Scoti, vbi supra, D. Thom. 1. par. qu. 12. art. 5. D. Bonauent. in 3. sent. dist. 14. nu. 19.* & communis.

143 Prob. 1. Omnis habitus actiuè concurrit ad actus potentiæ, cui tribuitur, ita ex sui definitione: est enim qualitas immobilis inhærens potentiæ, eam adiuuans ad certas quasdam, & determinatas operationum species: ergo alioquin frustrarentur. Et experientia docet habituatos maxima cum facilitate operari. E contra verò carentes habitu. Ergo, & lumen sic concurrit.

A paritate aliarum habituum.

144 Prob. 2. Fides, spes, & charitas in via actiuè concurrunt ad actus supernaturales. Ergo etiam lumen.

145 Prob. 3. De charitate in Patria, quæ, vt dicetur simul cum voluntate concurrit actiuè ad actum dilectionis Dei, seu fruitionis, & quo intentior est charitas, eò intentior fruitio.

Ex absurdo argum.

146 Prob. 4. Nequit assignari, ad quid sit necessarium lumen, si ei negetur actiuitas; ergo. Antec. prob. Non ad receptionem visionis, neque essentiæ, vt patuit; neque ad decorem, seu ornatum. Ergo ad agendum. Adde, quod omnes Moderni (exceptis Scotistis) docent, totam intentionem visionis resundendam esse in intentionem luminis, immò totalem actiuitatem à lumine procedere; & intellectum se habere, velut instrumentum luminis. Ergo nulli dubium est, ipsum esse actiuum.

Eleuare quid sit.

147 Prob. 5. ex *Clement. ad nostrum de haret.* Vt sæpè dictum est, damnatur sent. negans animam egere lumine gloriæ eam elenante ad videndum. Ergo munus eius est elenare. Eleuare autem importat actiuitatem, qua virtus potentiæ adiuuatur, vt faciat, quod de se non faceret. Immò ex hoc Verbo, *Eleuans*, non ab re moderni va-

validum sumunt argumentum de totalitate actiuitatis: si enim anima, vt videat eget virtute eleuante, inquiunt ergo eam non habebat.

A priori arg.

148 Prob. 6. Vt aliquod agens sit sufficienter actiuum in aliquo ordine, debet habere principia agendi pro tali ordine, vt de singulis ipsa met docet experientia. Sed videre Deum intuitiue, est ordinis operandi supernaturalis. Igitur, vt intellectus constituatur in eo ordine habere debet actum primum, seu principium actiuum illius ordinis, hoc autem est lumen gloriæ respectu intellectus: ergo.

Ad actum supernaturalem, etiam in via, quæ sunt necessaria.

149 Conf. Etiam in via dari nequit actus supernaturalis, nec de condigno, nec de congruo meritorius, nisi cum potentijs rationalibus concurrat aliquod comprincipium supernaturale actiuum, quod in eis receptum sit, vt illuminatio in intellectu, & inflammatio, seu inspiratio voluntate. In actibus verò iustorum, seu meritorijs de condigno, præter hæc actualia auxilia seu comprincipia prærequiruntur habitus supernaturales, fides, spes, & charitas, ad eiusmodi meritorios actus influentes. Ergo, cum intellectus visurus Deum, debeat constitui per lumen in ordine agentium superiori, sequitur, hoc comprincipium esse actiuum.

Ex supernaturalitate obiecti 2 g.

150 Prob. 7. Visio beata est verè supernaturalis, non solum quia est circa obiectum supernaturale, sed quia prouenit à principio supernaturali. Ergo hoc concurrit ad eam actiuè. Alioquin intrinsece non esset supernaturalis. Sed specificatiuè tantum, quatenus est ab anima habente donum supernaturale. Sicut opera indifferentia, & naturalia, quæ facit homo existens in gratia, ad quæ ipsa gratia non concurrit. Quod quidem est absurdum.

Arg. contr.

Ob. 1. Lumen materiale non concurrit actiuè ad visionem sentitiuam. Ergo neque spirituale ad intellectiuam.

Disparitas de lumine materiali.

151 Resp. neg. paritatem. Disparitas est, quia lumen materiale illuminat medium, & obiectum, & ipsum met oculum quatenus est diaphanus, seu perspicuus, & non est habitus quidam totaliter receptus in ipsa pupilla in qua fit sensatio. At lumen gloriæ est habitus totaliter receptus in intellectu. Sicuti est fides supernaturalis, alijque habitus scientifici, in via: & habitus, siue supernaturales, siue naturales in voluntate, hi enim omnes dantur potentijs, vt eas adiuuent, & cum eis concurrant ad earum actus; cum hoc sit de natura habitus, reddere scilicet potentias faciliores, ac promptiores ad certas quasdam, & determinatas operationum species: alias frustra darentur. Vnde Philosophus, vt *Scotus* docet, *in 1. dist. 17 quæst. 2. habitus est, quo sic possumus.*

Ob. 2. Lumen non est, quid vitale. Ergo non potest visionem actiuè producere.

Lumen non est totalis imò neque principalis causa.

152 Resp. dist. consequ. Non potest totaliter, aut principaliter, concedo. Non potest partialiter, & vt causa secunda respectu intellectus; sicut alij habitus cum potentijs vitalibus, nego. Alioquin sequeretur, quod nullus habitus esset actiuus; quod est falsum. Dicemus autem infra, quomodo lumen gloriæ intellectum adiuuet, ac simul cum intellectu vnum principium integrent.

Ob. 3. Vel lumen concurrit, vt agens vniuocum intellectui, vel vt æquiuocum. Neutrum dici potest. Non primum, quia non est agens vitale, secundò, quia si sic, posset absque intellectu ex se solo visionem causare, quod est falsum. neque secundum; quia nequit in effectu assignari, quid à lumine sit causatum; totum enim esse effectus intellectui correspondet. Ergo nequit dici effectiuum visionis.

Lumen æquiuocè concurrit.

153 Resp. Concurrere æquiuocè respectu intellectus. Ad probationem, dico, non posse in effectu assignari gradus aliquos, qui dici possint producti à lumine, & alios, qui producti sint ab intellectu, sed eadem visio quantacunque sit, siue intensa, siue remissa indiuisibiliter est ab vtroque, neque est nouum in sola visione, sed in omni alio actu procedente à potentia habituata; actus enim charitatis, & spei supernaturalis in via non est partim ab habitu partim à voluntate; neque actus fidei partim ab intellectu, partim à fide, & ita de alijs. Sed sicut si duo etiam ejusdem rationis agentia vntantur ad causandum aliquem effectum, vt duo trahentes nauim, nequit in effectu, scilicet tractu assignari pars procedens ab vno, pars verò ab alio, sed totus tractus à duobus est. Addo, quod etiò potentia, & obiectum concurrant æquiuocè ad visionem, non potest assignari gradus procedens ab obiecto, & alius procedens à potentia, sed indiuisibiliter ab vtroque, nam ex *cognoscente, & cognito paritur notitia*; neque proinde negatur, quod obiectum actiuè concurrat. Item pater, & mater concurrunt actiuè ad generationem prolis, & non potest assignari pars genita à patre, & pars à matre; neque proinde negatur alterutrum concurrere actiuè, ita à pari. Vnum tamen addi posset; quod adhuc assignari potest aliquid in visione, quod soli lumini tribuendum est, nempe supernaturalitas.

Indiuisibiliter visio producitur ab intellectu, & a lumine.

Multa exempla ad hoc.

Ob. 4. Vel actiuitas luminis est talis naturæ, vt compleat actiuitatem intellectus, quam sine eo non haberet; vel solum auget illam. Neutrum dici potest: ergo. Minor prob. Non primum; quia sequerentur duo absurda; primum, quod lumen daret etiam vitalitatem; virtus enim intellectus nequit augeri secundum actiuitatem, nisi augeatur secundum vitalitatem. Secundum absurdum, quia numquam posset intellectus sine lumine, etiam per potentiam absolutam,

Arg. ex absurdis.

tam, Deum videre. Neque dici potest secundum; quia sic frustra requireretur lumen; augeri enim posset virtus intellectus, & pertingere ad visionem, & ita naturalibus viribus efficeret opus supernaturale.

Lumen ad quid arg. & virtutem intellectus.

154 Resp. ex *Scoto in 4 dist 49. quæst. 11. sub H.* in fine de charitate, quod charitas absolutè non esset necessaria. Sed de facto necessaria est ad eliciendam operationem adeò intensam, quam non posset voluntas elicere sine charitate. Pariformiter ergo loquendo de lumine; dico, quod auget virtutem intellectus de facto ad efficiendam visionem in tali gradu intensam, quam non efficeret sine lumine; ad probationem, dico, non frustra requiri, sed quia disposuit Deus non se facere obiectiuè præsentem intellectui, non illustrato lumine, neque cum eodem intellectu concurrere ad visionem in determinato gradu sine lumine eidem cooperante. Esto igitur luminis actiuitas, sicut, & omnis habitus sit diuersæ rationis ab actiuitate potentiæ; tamen potest eam adiuuare, vt operationem simpliciter eum ea faciat, & intensiorem, si fuerit intensior; sicut de habitu fidei, spei, atque charitatis in via manifestum est: alioquin omnem actiuitatem habituum abrogare oporteret.

Habitus omnes iuuant potentias, quibus insit.

Ob. 5. Si lumen actiuè concurreret, vel esset causa subordinata, vel principalis. Neutrum dici potest: ergo. Min. prob. Non primum, quia intellectus determinatur à lumine, non è contra, ergo lumen est causa superior. Patet de Deo, & alijs causis, à quibus habetur esse simpliciter tale in aliquo genere. Neque dici potest secundum, quia si esset causa principalis, esset intellectu perfectior, imò posset eius virtus adeo crescere, vt se sola efficeret visionem.

155 Resp. In diuerso genere dici posse subordinatam, & principalem. Ratio primi, quia omnis habitus est potentiæ subordinatus, sunt enim velut mortuæ quædam qualitates, nam potentiæ vtuntur habitibus, non è contra. Ratio secundi est, quia lumen est ordinis supernaturalis, & visio causata est etiam supernaturalis, quando autem ad aliquem effectum concurrunt duo, quorum vnum est supernaturale, aliud naturale, perfectius, ac principalius est supernaturale.

Lumen in diuerso genere dici causam subordinatam, & principalem.

## ARTICVLVS VIII.

*An lumen det totam actiuitatem intellectui ad videndum Deum.*

SCOTVS *in 1. sent. dist. 17. quæst. 2. D. & I.* De omni habitu, etiam supernaturali, negat dare actiuitatem simpliciter potentijs, sed solum concedit, eas adiuuare ad intensius agendum, idem habet *in 3. dist. 14. quæst. 2.* Vbi pariter docet intellectum cum lumine, & voluntatem cum charitate actiuè concurrere ad actus beatificos. Idem confirmat *in 4. dist. 49. quæst. 12. G. H. &c.* ac proinde tam hic, quam in 3. dicit per absolutam Dei potentiam sine habitu luminis, haberi posse visionem beatam, si Deus se faciat obiectiuè præsentem intellectui. Ideo

Scoti mens.

156 Aduert. sensum art. esse an intellectus habeat in se totam actiuitatem requisitam ad causandam visionem Dei, an saltem aliquam, & aliam mutuet à lumine. An potius ipse nullam habeat, sed totam à lumine recipiat, sicut aqua verbi gratia, quæ de se nullam habet actiuitatem ad calefaciendum, sed totam recipit à calore, vel superficies, quæ nullum ex se habet colorem, sed eum recipit à qualitatibus externis.

Sensus art. multiplex.

157 Aduert. 2. Sententiam docentem, quod habitus supernaturales dant potentijs simpliciter agere referri à margine *Scoti in 1. dist. 17. quæst. 2. B. pro Henrico Gandauensi in quodlib. 4. quæst. 10.* Quem postea secuti sunt innumeri recentiores sea moti ratione, quia intellectus est causa naturalis, visio verò supernaturalis, ac proinde à causa supernaturali prouenire debet, quæ non est alia, nisi lumen. Sed Moderni eum sequentes diuisi sunt. Quidam enim substinent lumen solum in intellectu existentem habere totam actiuitatem, intellectum autem nullam. Alij dicunt lumen esse totalem causam actiuam intellectum verò instrumentalem tantum, per potentiam obedientialem eleuatum ad agendum instrumentaliter. Alij dicunt vtrumque actiuè concurrere, sed æqualiter. Alij, actiuè vtrumque, sed lumen principalius. Authores harum Sent. non refero, ne paginas frustra impleam. legatur *Facolus 1. 1. quæst. 12. art. 5. dub. 5. 6. 7. 8. &c.* Scotistæ omnes cum suo Doctore *in 1 dist. 17. qu. 2.* per totam, *in 3. dist. 14. quæst. 2. B. & C. & in 4. dist. 49. quæst. 11. G.* docent intellectum in suo ordine habere totam actiuitatem requisitam ad causandam visionem; sed non posse eam de facto causare sine lumine, non quia lumen dat actiuitatem simpliciter, sed quia Deus statuit sine eo non facere se præsentem obiectiuè, & dicunt præterea, quod si

Henr. Gandau. docuit lumen esse totam actiuitatem.

Moderni ab Henr. accipientes, diuisi sunt.

Diuersi sent. circa actiuitatem luminis.

Deus per absolutam potentiam se faceret præsentem obiectiuè, absque lumine, intellectus non causaret tantam visionem, quantam causat cum lumine. His præmissis.

Lumen non dat totam actiuitatem.

158 Dico 1. Lumen gloriæ non dat intellectui totam actiuitatem necessariam ad causandam visionem beatam. Est *Scoti in 1.dist. 17.quæst.2.E.in 3.dist.14.quæst.2.C. in 4.dist.49.quæst.11. P.* ex *D.Thoma in 3.par. quæst.12.art.5.* in corpore manifestè etiam colligitur. est *Dur. in 4.dist.4.quæst.2. Bassolÿ 3.dist.14.quæst.1.art.1. Aureoli quodlib.9.art.3.propos.1.&c.*

159 Prob.1. ex *Scoto 1.dist.17.quæst.2. cit.* Si lumen esset tota actiuitas sequitur cum esse potentiam, non habitum, quod est absurdum. Prob. sequela. Potentia est, qua simpliciter possumus, habitus verò, quo sic possumus.

Ex absurdo.

160 Prob. 2. Si sic, ergo anima beata ita se haberet respectu visionis, sicut aqua calefacta respectu calefactionis manus, vel alterius rei: & ita per accidens esset beata, quod est absurdissimum. Perfectissimus enim actus, qui potest intellectui competere, ad quem est summe inclinatus, competeret ei per accidens.

Ex S. Thoma euidens ratio.

161 Prob. 3. ex ipsomet *S. Thoma*, cuius verba libentissime refero, quia digna sunt, *in 1.par.quæst.12.art.5.* vbi agit de necessitate luminis in corp. hæc habeo. *Cum aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam, ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus. Vnde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur, ad hoc, quod ducatur ad tantam sublimitatem. Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, vt ostensum est, oportet quod ei ex diuina gratia superaugeatur virtus intelligendi.* Ergo ex *Diuo Thoma* lumen non est tota virtus necessaria ad videndum, sed accretio virtutis. Igitur supponit aliam partem cui fit accretio.

A priori aliorum habitum.

162 Prob. 4. principaliter. Alij habitus supernaturales non dant simpliciter virtutem operandi, ergo neque hic. Consequ. Est manifesta nulla enim potest assignari disparitas inter hunc habitum, & cæteros, æquè enim potentiæ sunt impotentes ad actum fidei, & charitatis supernaturalis, sunt intellectus ad visionem. Æqua obiectum est supernaturale vtrobique. Æquè pariter actus. Etenim, vt existimo supernaturalitas in indiuisibili, secundum se consistit, vt scilicet non possit aliquid fieri tota concurrente natura. Si autem semel admittatur, aliquid esse supra vires naturæ, istud quò ad hoc est æquale omni supernaturali, sicut de miraculo dixi semper, miracula secundum se omnia esse æqualia ex parte facientis, quia ad nullum potest tota natura, & ad omnia potest solus Deus, quo ad nos autem, aliqua videntur maiora, quia rarius accidunt, vt est, resuscitatio mortui, illuminatio cæci nati, quies Cæli, &c. Tamen ista omnia in ratione miraculi æqualia sunt sanationi caneri alteriusue etiam minimi mali, quod in certis circumstantijs, hic, & nunc non possit à natura sanari, Stat ergo, quod nequit, nisi voluntariè assignari disparitas actuum, & habituum supernaturaliū in ratione supernaturalitatis si ad eos concurrit etiam creatura, esto in alijs essent dispares. Anteced. prob. Actus fidei, spei, aut charitatis, pœnitentiæ, &c. in via non procedunt à solis habitibus infusis, neque à solis auxilijs supernaturalibus, sed à potentijs informatis eiusmodi donis, seu formis: alioquin actus illi non essent meritorij, quia non procederent, à potentia liberè operante, cum virtus operatiua consisteret in entitate habituum, sed potius potentia se haberent modo mortuo. imò, sicut aqua calefacta non produceret calorem in manu, quia re vera, a qua merè materialiter, & subiectiuè se habet in sustentatione caloris in se existentis, & nullo modo effectiuè respectu caloris producti.

Supernaturalitas consistit in indiuisibili.

Miracula ex parte agentis erat via æqualia ex parte nostri maiora, vel minora.

Intellectus videns se haberet, sicut aqua calida calefaciens.

163 Prob. 5. principaliter ex *Scoto cit. in 1.* Si lumen esset tota actiuitas, sequitur, quod si separaretur ab intellectu, adhuc posset agere. quod est falsum: ergo. Ma. prob, à pari, quia calor est tota actiuitas aquæ calidæ ad calefaciendum, si separaretur, vtique posset calefacere. A priori sic prob à *Scoto subP.* Principium totale agendi vt est in subiecto, si per se est, potest per se operari. Minor prob. Lumen separatum ab intellectu, cum sit qualitas mortua non potest actum videndi Deum elicere.

Aliud absurdum.

164 Prob. 6. principaliter. Id est tota virtus respectu alicuius effectus, quod in se continet, vel formaliter omnia prædicata specifica effectus, si est agens vniuocum; vel continet eminenter, seu virtualiter illa. Sed lumen non ita continet omnia visionis beatæ prædicata. Ergo non est tota virtus respectu eius. Maior est per se nota de omni causa efficiente vniuoca, vel æquiuoca; nullum enim agens dat esse, quod non habet; & ideo neque producit totaliter aliquid se perfectius, sed vel æquè, vel minus perfectum. Minor per se patet; actus videndi est vitalis operatio includens attingentiam vitalem, & expressam similitudinem obiecti. Quæ quidem prædicata in lumine formaliter non sunt, vt conspicuum est; neque virtualiter: nam non viuum, sed mortuum non continet virtualiter totaliter viuum. Cælum enim, Sol, &c. & si virtualiter contineant cæpam, aut ranam, non possunt tamen aliquam earum se solis producere; quia neutrum ipsorum est tota virtus respectu cæpæ, aut ranæ.

A priori ratio.

Nullū agens producit aliquid se perfectius.

165 Prob. 7. Eatenus opposita sententia acriter defenditur; quia nequit aliter saluari, quod intellectus sine lumine sit nè

dum

Ex impugnatione fundamenti oppositi.

dum non potens, sed impotens, cum lumine verò potens, & sic potentia, seu virtus tota agendi, quæ deficiebat per negationem luminis ponitur per eius positionem. Sed hæc ratio, licet valida appareat; tamen non obstat, neque firmat hanc sententiam: ergo. Minor prob. à pari, & à priori. Primò sic, homo sine gratia sanctificante, imò sine auxilio efficaci supernaturali non potest operari meritoriè de condigno, & per eam potest sic operari; & tamen non sequitur ergo tota virtus operis meritorij est gratia, & auxilium. Item sine auxilio efficaci non potest se homo actu disponere ad iustificationem per actus fidei, spei, dilectionis, & pœnitentiæ actualis, & per tale auxilium potest; & tamen non sequitur, quod tota virtus faciendi eos actus sit auxilium supernaturale efficax; nam ex *Tridentin. sess. 6. can. 4.* homo à Deo motus non se habet, vt inanime quodam, & nihil omninò agens, mereque patiuè se habens, sed cooperatur, & potest dissentire si velit: ideoque operatio illa voluntati adiutæ tribuitur, quia vere in eam influit, & non tribuitur soli auxilio mouenti, atque excitanti. Ergo, neque tota actiuitas visionis lumini est tribuenda, licèt sine eo non habeatur, & cum eo habeatur. A priori autem sic prob. Quando ad operandum requiruntur duo comprincipia, ex eo quod vnum eorum non potest operari non existente alio, & operatur eo existente, non concluditur, quod aliud sit tota actiuitas. Ergo ex hoc, quod sine lumine non habetur, & cum eo habetur visio, non sequitur, quod lumen sit tota virtus respectu eius.

A paritate operis meritorij.

Ratio à priori, & posteriori.

A paritate aliarum concausarum, arg.

166 Prob. 8. Alia fundamentalis ratio, cur videatur tota actiuitas, tribuenda lumini, est, quia visio est ens supernaturale, ideoque à causa supernaturali debet prouenire in se; intellectus autem non est causa supernaturalis, sed hæc ratio non cogit: ergo. Minor prob. Vt effectus sit supernaturalis sufficit, si altera ex concausis sit supernaturalis. Euidens est instantia de actibus meritorijs, siue de condigno in iustis, siue de congruo in peccatoribus dum per pœnitentiam se disponunt ad iustificationem; hi enim à potentijs naturalibus, & gratia cum auxilio supernaturali producuntur, vel ex potentijs cum solis, auxilijs, vt in aliquo se disponente ad iustificationem. Ergo idem prorsus de visione dicetur, si ad eam partialiter tantum concurrat lumen. Secundo, actus fruitionis, seu dilectionis Dei propter se in beato est verè supernaturalis, & tamen à potentia naturali, charitate tamen informata elicitur. Ergo idem de lumine. Adde, vt in proprio quæsito, si Deus vellet videri ab intellectu sine lumine, vt absolutè dicemus possibile, adhuc visio illa esset supernaturalis, & tamen à potentia sine habitu supernaturali, sed ex solo concursu obiectiuo supernaturali; esset supernaturalis, vt in suo loco dicetur.

'Aliud fundamentum ad. vers. discutitur.

Exempla de multis potentijs, quæ cum habitu supernaturali concurrét

167 Dico 2. Neque potest subtineri, quod lumen gloriæ sit tota virtus actiua, intellectus verò sit instrumentum luminis ab Deo elevatus ad inseruiendum lumini.

Non potest dici quod lumen sit tota virtus,

Secunda pars, est contra DD. multos modernos citatos, *à Pasolobus. 1. quæst. 12. dubit. 7.*

168 Prob. 1. Nulla potentia vitalis est instrumentum habitus, quem in se recipit, sed potius è contrà: ergo. Antec. inductione potest comprobari. De omni habitu, siue morali, siue naturali, siue tandem supernaturali, fide, spe, & charitate; qui quidem adiuuant potentias, quæ ijs vtuntur, at non sunt causæ principales, potentiæ verò instrumentales: ergo.

Potentia nô potest esse instrumentú habitus.

169 Prob. 2. Est manifesta implicantia, quod agens viuum sit instrumentum accidentis mortui. Res è conuerso se habet. Lumen autem est qualitas mortua, intellectus verò agens viuum: ergo.

Agens viuus non est instrumentum rei mortuæ.

Dices. Ita res procedit naturaliter; tamen si qualitas mortua à Deo eleuetur ad hanc altitudinem, vt vtatur potentia viua, nullum videtur absurdum.

170 Resp. Assumptum, ne dum esse impossibile, sed incapibile, vel enim qualitas mortua per eleuationem illam euaderet viua, vel non: si primum cessat quæstio hæc; sed insurgit alia, an accidens esse possit causa principalis, substantia verò instrumentalis, cum instrumentum semper sit agente principali inferius. Si verò non eleuatur ad vitam semper remanet idem absurdum, quod mortuum accidens vteretur viua substantia.

A sufficienti diuisione argum.

171 Prob. 3. Omne instrumentum cuiuscumque generis, vel attingit effectum principalem, vel non. Si primum, ergo non est instrumentum, sed causa principalis saltem partialis, siue primaria, siue secundaria, parum refert. Si secundum, ergo est deterioris conditionis, quam sit causa principalis: fiat inductio de instrumentis artis, quæ verè, & in rigore sunt instrumenta; alia enim, quæ dicuntur talia, metaphoricè tantum sunt instrumenta; patet de causa secunda respectu primæ; de mandatario respectu mandantis, de corpore, & eius membris respectu hominis; de accidentibus disponentibus ad generationem respectu substantiæ generantis: & sic de singulis. At non ita se habet intellectus respectu luminis; quia est substantia, lumen verò accidens. Ergo nequit dici, nec esse instrumentum respectu luminis.

Instrumentũ non attingit entitatem effectus,

172 Prob. 4. Quod principalius, & substantialius attingit effectum cum alia concausa, nequit dici instrumentum respectu illius. Sed intellectus principalius, & substantialius attingit visionem, quam lu-

Alia ratio valida cur intellectus non sit instrumentum

men: ergo. Maior est euidens, vel assignetur definitio causæ efficientis principalis. Minor prob. Visio est actus vitalis, quo attingitur vitaliter obiectum. Ergo essentialiter, & principaliter prouenit à principio vitali, quale est intellectus tantum, & non lumen. Et confirmatur, quia potentia non vitalis non producit operationem vitalem. Ergo hæc agnoscit pro suo parente potentiam vitalem, neque aliter est producibilis. Ergo intellectus est causa principalis visionis.

Ex conditione instrumenti.

173 Prob. 3. Instrumentum agere non potest, nisi in virtute principalis agentis, quæ ab eo sibi communicatur in actuali motione. Sed hoc nequit verificari de intellectu, ac lumine respectu visionis: tum quia antecedenter ad actum videndi intellectus, & cum lumine, & sine eo habet potentiam, saltem remotam, ad videndum Deum. Ac proinde non in actuali motione: ergo ex hoc capite immunis est à ratione instrumenti. Secundo, lumen in se non continet virtutem visiuam, quia est de genere non vitalium, & mortuorum: ergo non potest eam communicare intellectui, quia nemo dat, quod non habet.

Ex confutatione contr. sent.

174 Prob. 6. Fundamentum oppositæ sententiæ vnicum, & præcisum est, quia visio supernaturalis non continetur, nec virtualiter, nec eminenter in intellectu, sed in lumine; ideoque cum negari non possit concursus intellectus, non potest aliter concurrere, quam vt instrumentum luminis. Sed hoc fundamentum est debile, imò videtur ad oppositum: ergo. Minor prob. Argumentum continentiæ magis refragatur lumini, quam potentiæ, & magis probat causalitatem instrumentalem luminis, & principalem potentiæ, quam è contra. Nam lumen non continet, neque potest inuariatum essentialiter continere vitalitatem actus, quæ essentialiter est perfectior lumine. Secundo, quia supernaturalitas in actu haberi potest aliunde, quam à lumine at vitalitas, non potest aliunde haberi, quam à potentia. Tertio, est principalius, & essentialius in visione, quod fit visio, vitalisque operatio, quam quod fit supernaturalis; quia illa sunt prædicata absoluta quidditatiua; supernaturalitas verò est prædicatum relatiuum in ordine, scilicet ad agens aliquod supra naturæ vires ad prædicata illa concurrens. Si ergo, quod est principalius in visione magis continetur in virtute intellectus, imò absolutè in eo solo; quod verò est minus principale in virtute luminis, absque ratione dicitur, lumen vti intellectu, vt instrumento; sed debet dici è conuerso.

Efficax arg.

Vitalitas est magis principalis in visione, quam supernaturalitas.

Causa principalior est intellectus.

175 Dico 3. Licet in vno genere lumen dici possit causa perfectior; in alio genere intellectus: absolutè tamen causa magis principalis dicendus est intellectus. Colligitur ex *Scoto*, ne dum *in 3. dist. 14. qu. 1. C. & in 4. dist. 49. quæst. 11. G. & quodlib. 14. art. 2.* sed vbicumque docet lumen non esse absolutè necessarium, & intrinsecè, ac essentialiter, sed de facto, & ex ordinatione Dei.

176 Prob. 1. pars. Agens supernaturale, quatenus tale est perfectius omni agente naturali. Sed lumen est eiusmodi, non sic intellectus: ergo. Maior de se patet, & à posteriori probatur, nam habitus fidei est perfectior omni scientia naturali, ita de charitate, &c.

A priori ratio.

177 Prob. 2. pars. Illa censenda est causa principalis alicuius effectus, sine qua nullo modo effectus esse potest: illa verò non ita principalis, sine qua esse potest effectus. Sed sine intellectu nequit dari visio intellectiua, & sine lumine potest dari: ergo. Minor prob. Dari nequit attingentia vitalis intellectiua, absque intellectu, neque vlla potentia, vllumue aliud ens potest supplere hoc munus. E contra verò (vt in proprio dicetur quæsito) lumen potest supleri per aliud supernaturale actuale: imò dicemus absque vllo luminis supplemento Deus, qui ex voluntaria dispositione exigit lumen, vt se faciat præsentem, posset absque lumine se ostendere intellectui, & cum eo concurrere ad sui visionem: ergo.

Instantia contra Scotum.

Dices hoc argumentum retorqueri potest contra Scotum; quia ipse concedit Deum posse immediatè producere actum intellectionis in intellectu creato. Ergo si etiam iste potest suppleri, argumentum nihil concludit.

Intellectio à Deo causari potest totaliter, sed in intellectu

178 Contra. Estò Deus possit intellectionem causare; tamen hæc non esset operatio vitalis in alio subiecto, nili in intellectu, & ideo dixi sine intellectu nequit dari visio intellectiua; & alia vice dixi, nequit dari attingentia vitalis. Non enim est ita liberum in Scoti sententia, quod possit Deus in potentia non intellectiua causare intellectionem: at estò sic; nullus Scotista concedet, quod si causaretur intellectio in voluntate, vel in lapide, in oculo, aure, &c. eiusmodi subiecta intelligerent, seu operarentur vitaliter. Nequit ergo hæc functio, in qua consistit essentialiter visio ab alia potentia, aliaue causa suppleri. Stat ergo firmum argumentum, quod neque in sententia Scoti, de qua fortè quis dubitabat, operatio, seu attingentia vitalis visiua ab alia potentia esse possit, quam ab intellectu. Et ideo firmius erit stabilitum, quod intellectus est principalior causa.

Si in alia potentia hæc non intelligeret per eá

179 Prob. 2. & reddit in idem. Ea est causa principalior respectu alicuius effectus, quæ continet virtualiter prædicata essentialiora, & intrinseca effectus. Talis est intellectus respectu visionis: ergo. Minor probatur, ex dictis in prima, & secunda conclusione.

180 Prob. 3. Intellectus in genere potentiæ habet totum, quod requiritur ad pro-

Intellectus habet quod requiritur in potentia ad eliciendam visionem.

producendam visionem Dei, neque aliquid in hoc genere requiritur, aut potest adiungi, ergo est principalissima causa in hoc genere. Aliud autem est, an sit totalis, aliud an principalis: secundum enim stat sine primo. Habitus verò luminis requiritur ex parte potentiæ, & non facit, vt actus sit vitalior, sed vt sit intensior; & ante hunc effectum, ex Dei ordinatione, facit, vt sit Deus obiectiuè præsens. Ergo non ipsum, sed intellectus est causa principalis.

Habitus in alijs est causa minus principalis.

181 Prob. 4. In alijs potentijs habituatis producentibus actus, siue naturales, siue morales, siue supernaturales, non habitus, sed potentiæ sunt causæ principales. Et ideo eis imputantur, non verò habitibus; alioquin voluntas imperans, & potentiæ, quibus imperat non essent principales causæ meritoriæ, quod est absurdum.

182 Prob. 5. Causa principalis effectus alicuius illa censenda est, quæ quò magis potest, assimilatur effectui. Talis autem est intellectus respectu visionis, quia tam ille, quam ista sunt entia vitalia, ille in actu primo, hæc in actu secundo: ergo.

Arg. contr. 1.

Ob. 1. contra 1. Forma dans subiecto actuitatem, & virtutem, quam non habet, dicenda est tota eius virtus, & actuitas: sic est lumen: ergo. Maior prob. De omni forma adueniente materiæ, siue primæ, siue secundæ. De anima respectu corporis, &c. Minor prob. Intellectus ante quam lumine informetur, vel actuitatem non habet, vel remotam tantum habet; alioquin posset exire in actum videndi. Ergo ad minimum, dici debet, lumen esse totam actuitatem saltem proximam.

Quare sine lumine intellectus nō potest videre,

183 Resp. neg. min. ad probat. dico, intellectum habere totam actuitatem ex parte potentiæ remotam, & proximam loquendo de ea, quæ requiritur essentialiter; ad replicam, quod si haberet posset agere, dico si obiectum esset sibi præsens vtique posset. Et hoc est commune omni potentiæ: nulla enim potest exire in actum suum, nisi existente obiecto in debita distantia, & tamen potentia habere potest omnia ex parte sua requisita. At quia Deus statuit non se facere obiectiuè præsentem, nisi intellectui informato lumine gloriæ; ideo intellectus carens eo, dicitur non esse proximè potens, non ex defectu virtutis, sed ex carentia obiectiuæ præsentiæ Dei.

Instabis. Ergo lumen per accidens concurreret, & actiuè non se haberet, quod est contra omnes Theologos. Sequela prob. Etenim ex dictis intellectus haberet totam virtutem. Igitur ea, quæ aduenit à lumine, est merè accidentalis, & superflua.

Quomodo lumen dici potest per accidens agere

184 Resp. dist. Sequelam spectatis rerum naturis metaphysicè, vt possunt à Deo dirigi, concedo. Supposita Dei ordinatione exigente lumen, vt se faciat præsentem, nego. Ratio primi est, quia sine lumine Deus posset se ostendere intellectui, siue cum aliquo supplente, siue absque illo, ac proinde respectu talis possibilitatis, seu ordinis rerum, lumen videtur per accidens exigi. Ratio secundi est, quia supposita Dei ordinatione statuente, vt sine lumine ipse non sit præsens, nec visio causetur, vt hæc ordinatio impleatur, per se & non per accidens requiritur lumen. Manifestum exemplum est de necessitate Sacramentorum ad salutem. Ex hoc enim, quod Deus sine Sacramentis, potuit, potestque absolutè saluare, cum non alligauerit virtutem, seu potentiam tuam Sacramentis; respectu huius ordinis, seu status ex rerum naturis possibilis, Sacramenta per accidens sunt necessaria. Supposito tamen decreto de institutione Sacramentorum, & de non saluando sine Sacramentis, baptismi respectu omnium, & Pœnitentiæ respectu adultorum habentium mortale, cum attritione, Sacramenta sunt per se necessaria ad salutem.

Quomodo per se etiam concurrat.

Sacramenta quomodo necessaria ad salutem.

Ob. 2. Nisi tota actuitas lumini tribuatur, nequit saluari eleuatio intellectus facta per lumen ex decreto *Concil. Vienn.* ergo. Sequela prob. Eleuatio stat in hoc, quod obtineat virtutem, quam prius non habebat. Sicut eleuari dicitur æger, si obtinet sanitatem, & regulariter in mecanicis eleuari dicitur, ad aliquod obiectum, qui sua proceritate ad illud non peruenit, sed alio subtus subleuante peruenit. Ergò ex translatione, ad agere, id eleuatur, quod non poterat agere, deinde potest.

185 Resp. neg. sequelam, ad probat. dist. anteced. Eleuatio dat totam virtutem quam non habebat, nego. Dat aliquam, & facit, vt obiectum ex Dei ordinatione sit præsens, concedo, & nego consequ. Ratio est, nam vt optimè *Scotus* innuit *in 4. dist. 49. quæst. 11. F.* tota impotentia quam habet intellectus ad videndum Deum ex suis viribus prouenit ex hoc, quia non habet eum præsentem obiectiuè, & motiuè, sicuti habet eum præsentem per illapsum. Quando autem habet lumen, Deus facit se sic præsentem. Et ideo ex hoc capite à lumine dicitur accipere potentiam. Deinde ab eodem lumine adiuuatur sicuti cæteræ potentiæ à suis habitibus. In hoc ergo stat eleuatio, primò, vt habeatur per illud præsentia obiecti (non quidem physicè, & in genere causæ representatiuæ, sed moraliter, seù ex ordinatione Dei;) secundò, vt per ipsum met iuuetur potentia. Totum autem hoc non importat totam virtutem respectu visionis causandæ.

Eleuatio per lumen in quo constitut.

Deus semper præsens per illapsum non verò obiectiuè.

Instabis. Negari nequit, quod intellectus sit saltem potentia remota respectu visionis beatæ, & fiat proxima per lumen ex *Scoto in 4. dist. 49. quæst. 11. N.* Ergo ab eo habet actuitatem. Consequentia probatur.

de

de omni subiecto, respectu actus eliciendi à forma, quam non habet, aqua frigida respectu calefactionis, corpus organicum ante infusionem animæ respectu sensationis, superficies colore carens, aut lumine respectu sensationis, &c. ergo.

Intellectus quomodo est potentia remota sine lumine.

186 Resp. dist. ant. Est potentia remota ex abnegatione virtutis nego; ex obiecti absentia, concedo. Ab prob. Apparet disparitas, quia omnia, quæ enumerantur sunt potentiæ remotæ per abnegationem virtutis: non ita intellectus cui in genere potentiæ nihil deficit quin videat, nisi sola obiecti præsentia, & hæc est eius eleuatio, quam ex se numquam posset habere, &c.

## ARTICVLVS IX.

### An lumen habeat aliam causalitatem circa visionem.

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 49. quæst. 11.* P. assignans rationem cur non possit homo ex puris naturalibus fieri beatus, ait. *Anima humana non est sufficienter actiua ex puris naturalibus ad consequendum actum visionis quia impossibile est intellectum esse causam visionis, nisi habeat in se obiectum cognitum, vel aliud, in quo eminentiùs continetur, sed natura humana non potest habere Deum in se ex se præsentem, nec in alio, in quo eminentius continetur. Ergo ex se non sufficit ad habendum cognitionem diuinæ naturæ visiuam.* & *sub K.* dicit, *in via esse potentiam remotam, in Patria proximam.* Hæc *Scotus.* Idem repetit *in quodlib. 14. art. 2.*

Sensus art. clarus.

187 Adu. sensum quæsiti clarum esse. Petit enim, quod nam munus exerceat lumen gloriæ respectu visionis beatæ præter concursum physicum, sicut cæteri habitus. An, & quomodo adducat obiectiuam Dei præsentiam.

Lumen moraliter causat Dei præsentiam obiectiuam.

188 Dico. Lumen gloriæ inter effectus, quos causat respectu beatæ visionis, omnium primò ex ordinatione diuina, seu (vt moderni dicunt) *moraliter* causat, seu adducit obiectiuam Dei præsentiam. Hæc conclusio ex *Scoto, obi supra*, colligitur; & meo videri est communis, quia omnes docent Deum, sine lumine gloriæ non esse ab aliqua creatura visibilem.

In omnium sententia licet Deus obiectiue præsentem.

189 Prob. In omnium sententia, Deus, qui per illapsum, & immensitatem est omni creaturæ præsens, non est obiectiuè, & per modum visibilis intellectui præsens, nisi hic sit lumine perlustratus. Ergo, siue dicatur, quod det totam actiuitatem intellectui, siue partem: siue sit agens principale respectu intellectus siue instrumentale, semper valebit dicere, quod sit causa obiectiuæ præsentiæ Dei. Euidens est consequ. Quod enim non habetur aliquo præciso, & obtinetur eo posito, est effectus eius præcisus. Et estò aliquid per plures causas disiunctiuè possit poni in esse, si tamen alterutra concurrit, & sine ea regulariter effectus non habetur, illa censenda est præcisa regularis causa eius effectus, hoc autem addidi quia Deus sine lumine potest se obiectiuè præsentem facere.

Ex Dei ordinatione adducit eius præsentiam,

190 Quod autem effectus hic ex sola Dei ordinatione, seu moraliter competat lumini, probatur euidenter. Quodlibet obiectum duplici tantum modo potest fieri per aliud præsens potentiæ, nempe per aliud, vt repræsentans, verbi gratia per speciem impressam sui, vel per aliud eminenter continens, vt clarè *Scotus locis cit.* verbi gratia Deus, qui eminenter continet omnia creata, siue præterita, siue futura, siue præsentia, potest esse beatis ratio videndi ea omnia. At lumen neutro ex his modis potest facere Deum præsentem: non primò, quia aduersarij horrent admittere speciem Dei impressam. Secundo, quia vt dictum est in suo loco, habitus nequit esse species repræsentans. Tertio, quia omnes concedunt etiam cum *D. Tho. par. 1. quæst. 12. art. 5.* lumen se tenere ex parte potentiæ, non verò obiecti, quod est summa lux, species autem se tenet ex parte obiecti. Quarto, quia visio beata est intuitiua, & ideo nequit fieri per speciem repræsentatiuam, excluditur ergo à lumine hic modus causandi obiectiuam Dei præsentiam per repræsentationem. Clarius, & fortius excluditur alius modus per continentiam eminentialem, cum ne dum non detur; sed nec dabilis sit ens creatum eminenter continens Deum, contentum enim est imperfectius continente, & ab ipso aliquo modo producibile.

Lumen non continet Deum, neq; repræsentatiue, neque eminenter.

191 Si igitur per lumen obtinetur hæc obiectiua Dei præsentia, quæ alias non obtineretur, cum effectus iste nequeat esse physicus, restat dicendum, vt sit moralis, effectibus seu causalitate Sacramentorum non absimilis. Ordinauit enim Deus se nolle hac dignitate creaturam donare, vt illi obiectiuè sit præsens, & per modum visibilis, nisi supernaturali illo habitu sit ad ordinem supernaturalium agentium eleuata. Eo autem posito, & se obiectiuè demonstrato, totum illud coniunctum ex intellectu, & lumine cum concursu obiecti elicit visionem. Neque videtur posse aliter eiusmodi causalitas circa obiecti præsentiam posse explicari.

A sufficienti inductione illatio.

Doctrina apta pro omni sententia.

192 Prob. 2. Hic modus dicendi saluat causalitatem, & necessitatem luminis in omni sententia. Ergo est admittendus, maximè cum nequeat alius adinueniri, qui effectum obiectiuæ Dei præsentiæ aptè valeat declarare. Anteced. prob. Qui enim dicunt, lumen requiri, vt visio recipiatur, debent supponere, quod Deus regulariter non

non est obiectiuè præsens, cum sit obiectum voluntarium, ideoque sit præsens, dum causat lumen, vt eius visio recipiatur mediante lumine, & sic cum hæc præsentia non habeatur per repræsentatiuum, vel per eminenter contentiuum, habebitur per lumen, solum dispositiue, & moraliter. Ita de alijs, qui dicunt concurrere actiuè, siue totaliter, siue partialiter; fateri enim debent, quod posita tota illa virtute actiua in intellectu, vel suppleta ea, quæ deest, Deus quæ soli suo intellectui est naturaliter, & necessariò præsens obiectiuè, alijs verò contingenter, & voluntarie, velit se facere præsentem, istam autem volitionem, obiectiuam præsentiam, & motionem nequit lumen physicè causare. Igitur dispositiuè moraliter. Ergo hic est effectus luminis primus in ordine, secundus verò est physica influentia.

De alijs sententijs est clarum.

Arg. contra.

Ob. 1. Si lumen adduceret obiectiuam Dei præsentiam esset species intelligibilis. Sed *Scotus* id non admittit; neque aliæ scholæ concedunt: ergo. Sequela probatur. Non potest alio modo adduci obiectiua præsentia alicuius rei, nisi per modum speciei.

Lumen non repræsentat Deum.

193 Resp. neg. sequelam, ad probat. dist. Non potest alio modo repræsentatiuè adduci, transeat. per modum causæ moralis, & disponentis Deum ad faciendum se præsentem ex ipsius met Dei ordinatione, nego, quod tale adducens sit species. Ita autem se habet lumen.

Ob. 2. Hic effectus luminis est nouus, & inauditus ergo non videtur admittendus. Anteced. Probatur nullus scripturæ, Concilij, aut Patrum authoritas effectum istum insinuat: ergo.

Effectus iste luminis semper fuit admissus.

194 Resp. neg. antec. Est enim tantum antiquus, quantum est antiqua necessitas luminis. Ad probat. dist. Nullus locus, &c. id insinuat explicitis verbis, concedo. implicitis, nego. Ratio est, quia quoties assignatur necessitas luminis ad videndum Deum, qui sine lumine non est obiectiuè præsens, assignatur etiam iste effectus adducendi Dei præsentiam dispositiue. Videtur enim demonstratio hæc, sine lumine Deus non est obiectiuè præsens: cum eo est obiectiuè præsens: ergo lumen adducit præsentiam obiectiuam. Ergo, vel formaliter physicè, vel dispositiuè moraliter: non primum, quia non repræsentat, nec continet eminenter Deum. Ergo dispositiuè moraliter. Adde ex loco scripturæ, *in lumine tuo videbimus lumen*, & *ex Clemens. de haeresis*, colligimus solam necessitatem luminis ad videndum Deum, sed non colligimus causalitatis speciem, & tamen supposito hoc principio credito, ex physicis, & metaphysicis concludimus ex eius natura causalitatem; hinc Theologicè concludimus non esse speciem intelligibilem repræsentatiuam, esse causam quidem visionis, non materialem, sed efficientem, item, vel dantem totam actiuitatem, vel partem, informare intellectum, &c. eiusmodi. Et quid vetat, quin ex eius necessitate inferamus etiam causalitatem hanc dispositiuam, seu moralem obiectiuæ præsentiæ Dei. Et quod magis vrget est, quia cæteræ causalitates (supposita luminis necessitate, quæ de fide est) possunt impugnari, sicut de facto controuertuntur probabiliter. At causalitas obiectiuæ præsentiæ per lumen acquisitæ, à nullo concedente luminis necessitatem, potest impugnari. Quæro enim an Deus alicui intellectui creato in naturalibus tantum considerato sit præsens per modum obiecti sicuti est præsens per illapsum, & immensitatem, ac vbiquitatem? certe non. Iterum quæro, an de facto sit beatis, siue hominibus, siue Angelis præsens? certè de fide est. Tertio quæro an sine lumine sit de facto obiectiuè præsens? quilibet Catholicus respondebit, negatiuè, imò addunt aliqui, ne dum de facto, sed neque de possibili, Deum posse fieri præsentem alicui intellectui carenti lumine, vel aliquo alio supernaturali, siue habituali, siue actuali gerenti vicem luminis (licet Scotistæ dicant oppositum) ergo à primo ad vltimum, ex principio credito de necessitate luminis, & ex alio, ne dum credito, sed euidenter, ac experimentaliter noto, quod Deus nulli est obiectiuè in ratione visibilis præsens, si in puris naturalibus consideretur, sequitur hoc necessariò consequentia, ergo lumen est causa cur intellectus habeat Deum obiectiuè præsentem.

Theologicè ex scriptura colligitur hic effectus.

Notabilis discursus.

Effectus præsentiæ Dei est euidens.

Ob. 3. Lumen materiale non præstat hoc: ergo neque lumen spirituale. Antec. prob. Nam lumen materiale illuminat medium, & non adducit obiecti præsentiam.

Arg. ad oppositum est.

195 Resp. hoc arg. Esse in aliquibus ad oppositum. Nam oculus nequit videre obiectum coloratum, nisi hoc sit illuminatum. Igitur aliquo modo concurrit ad debitam præsentiam obiecti, vt sit visibile. Disponit ergo, & oculum, qui est perspicuus, & eget illuminatione, vt medium, illuminat medium, & obiectum, qua dispositione supposita, obiectum causat primo speciem sui in oculo, deinde visionem. Ita, sed cum disparitate dici potest de lumine gloriæ, quod illustrat quidem intellectum, & disponit ex Dei ordinatione, vt ipsemet, qui sine lumine nemini se ostendit, dato lumine se ostendat, quam obiectiuam ostensionem Moyses enixè cupiebat: *Exodi 33. Si inueni gratiam in conspectu tuo ostende mihi faciem tuam*. Ergo eam lumen dispositiue seu moraliter causat.

Ordo causandi obiecti.

ART I-

## ARTICVLVS X.

### *An absolutè possit produci visio beata sine lumine gloriæ.*

Scoti mens, clara.

SCOTVS explicitis verbis proponit, & soluit hoc quæsitum *in 3. sent. distin. 14. quæst. 2. C. in fine*, & respondere videtur affirmatiuè, remittit enim se ad id, quod dixit in *quæst. 4. dist. præced.* vbi loquens de necessitate charitatis respectu fruitionis, docet de potentia ordinaria esse necessariam; absolutè tamen nequaquam; *sed* sine ea non produceretur tanta fruitio, quanta causatur cum ea, nisi Deus suppleret eius causalitatem. Ac proinde idem videtur per eum concludendum de lumine respectu visionis. Secundo *in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. H.* agnoscit maiorem esse necessitatem ponendi in beato charitatem, quam lumen gloriæ. Ex quo loco ansam acceperunt aduersarij arguendi Scotum, quod negauerit necessitatem luminis etiam de facto. Sed toto cælo errant; quia loquitur de possibili, & in casu metaphysico, qui nunc agitatur.

Quid imponitur Scoto,

Sensus art.

196 Adu. sensum art. Esse, an tanta sit luminis necessitas; vt si Deus vellet aliter videri, quam ab intellectu illuminato posset id præstare. In quo dubio sunt duæ sententiæ extremè contrariæ. Vna docet, posse id fieri, Authores mox referam. Alia, quæ existimat, totam virtutem videndi inesse intellectui à lumine, negant posse id per vllam Dei potentiam fieri: in sequ. not. tab. referam Authores.

Duæ sent. oppositæ.

Plures status quæstionis.

197 Adu. 2. Duo in hoc dubio esse inquirenda. Primò, an absolutè sine lumine posset Deus videri. Secundò, an saltem vt necessarium, vt Deus per aliquid aliud creatum, intellectui de nouo immissum, suppleat vicem luminis; an sine vllo prorsus nouo, ipsemet Deus se solo supplere possit id, quod præstat lumen. *Scotus* docet nullum aliud creatum esse necessarium, sed à Deo solo suppleri posse, quod facit lumen, ita *in 3. sent. dist. 13 quæst. 4. §. Ad quartam*, vbi de charitate loquitur, & ad quam se remittit *in distin. 14. quæst. 2. C.* eam secuti sunt *Aureolus*, *Bassolus*, *Durandus*, & innumeri ex Modernis, quos abundè citat *Facolus t. 1. 1. per. quæst. 12. art. 5. dubit. 12.* Alij Authores docent, quod licet sine lumine posset Deus absolutè videri, non tamen, sine aliquo alio supernaturali supplente vicem luminis. Et hi locuntur consequenter; quia inquiunt, intellectus non habet actiuitatem circa supernaturalia; idcoque per nullam potentiam potest in visionem agere, nisi actiuitatem prius acquirat. Ita sentiunt *Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 4 art. 3.* & alij permulti cum *Caietano, Soncinate, Ferrariensi, &c.* quos abundè pariter refert idem *Facolus, vbi supra*. His præmissis.

Posset Deus videri sine lumine per absolutam potentiam.

198 Dico. Nulla est implicantia, quin per absolutam Dei potentiam possit ipsemet Deus videri ab intellectu creato absque lumine gloriæ. Hæc conclusio sic nudè concepta est communis omni Scholæ *Scoti*, *vbi supra*, *D. Thom. in 4. dist. 49.* & *qu. 10. de Verit. art. 11.* quia controuersia est de supplente vicem luminis.

A sufficienti arg.

199 Prob. Sine dicatur lumen dare actiuitatem totaliter, siue partialiter, non est absoluta eius necessitas; posset enim Deus eam actiuitatem per aliud supernaturale auxilium communicare. Ergo multò magis si lumen non det actiuitatem, sed solum coagat ad intensius videndum.

Deus supplet causam efficientem.

200 Prob. 2. Deus non est ita alligatus virtuti alicuius entis creati, quin sine eo, & cum alio eundem effectum possit producere, qui à tali ente natus erat produci. Imò; & sine eo, si effectus dependeat ab eo ente in genere causæ efficientis.

201 Prob. 3. Necessitas luminis, vel est intrinseca, vel extrinseca. Quidquid dicatur potest suppleri: ergo. Minor prob. Si intrinseca dari poterit æquiualens forma supernaturalis, quæ constituat illud principium *quod* productiuum visionis simul cum intellectu. Si verò extrinseca, facilius potest suppleri ex Dei ordinatione, vt; scilicet non requiratur: ergo.

Argum. ad visione Moysi, & Pauli.

202 Prob. 4. Qui docent Moysem, ac Paulum vidisse essentiam Dei, vt est in se, negant eos habuisse habitum luminis; sed docent tantummodo habuisse actum beatificum. Vnde *S. Thomas in 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 3.* ait, *Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed habuit actum beatificum.* & *in quæst. 10. de Verit. art. 11.* perspicuè id docet sic, *Deus sicut Petrum fecit super aquas ambulare sine hoc, quod ei totum agilitatis tribueret, ita potest mentem ad hoc perducere, vt diuina essentia uniatur illo modo quo sibi unitur in patria, sine hoc quod lumine gloriæ perfundatur.* hæc *S. Thomas.*

A pari de intellectu, cuius actiuitas potest suppleri.

203 Prob. 5. Virtus luminis gloriæ non est ita ad visionem necessaria, sicut virtus intellectiua etiam in ratione productiui. Et tamen hæc posset suppleri; quia posset Deus producere se solo visionem sui in creato intellectu: ergo. Vel, si dicatur, hoc esse magis difficile, quam ipsam thesim, quia non conceditur ab omnibus, actus vitales produci posse ab alio extrinseco ipsi potentiæ vitali; adhuc argumentum probat; nam lumen non est principium vitale intrinsecè, & essentialiter requisitum, sicut ipsa potentia, sed est forma eleuans potentiam ad ordinem supernaturalium, eamque roborans ad videndum. Sed alia roborantia possent à Deo produci ad id peragendum; ergo.

Prob. 6.

A paritate operis meritorij.

204 Prob. Gratia habitualis est ita necessaria ad operandum meritoriè de condigno, de facto, vt nequeat dari opus sic meritorium sine ea, & tamen, nulla est implicantia, quin per absolutam Dei potentiam sine ea opus aliquod sit meritorium. Idem de habitu fidei, ac spei, de facto enim non dantur eiusmodi actus supernaturales sine suis habitibus, & tamen absolutè, imò, & regulariter in peccatore iustificando admittuntur, etiam si per infidelitatem, aut desperationem alterutrum habitum anteamiserit, vel numquam eos habuerit. Ergo idem dicendum est de habitu luminis.

205 Prob. tandem omnibus medijs, quibus sequens conclusio fulcitur; quia sunt à fortiori.

Etiam sine supplemento luminis Deus potest videri.

206 Dico 2. In casu possibili, quo Deus videndus esset sine habitu luminis, supposita eius obiectiua præsentia non esset necessarium aliquod supplementum luminis ad videndum simpliciter. Colligitur ex *Scoto in 3 distinct. 14. quæst. 2. C.* & *in 4. distinct 49. quæst. 11. H.* eam sequuntur omnes relati *in 2. not.*

207 Prob. 1. Intellectus creatus in genere potentiæ habet totum, quod requiritur ad videndum omne visibile sibi præsens obiectiuè. Ergo, si Deus faciat se præsentem obiectiuè alicui intellectui separato, seu independenter a sensibus operanti, sine alio addito poterit ab eo videri. Antec. prob. Ex *Sco. 3. dist. 14. C. in fine.* idem intellectus, qui nunc credit in via, videbit in Patria, nunc autem habet totum, quod requiritur ad videndum omne visibile, ac spirituale, & videret, nisi impediretur à sensibus. Ergo, cum nullum habebit impedimentum, & Deus erit obiectiuè præsens poterit immediatè absque alio addito eum videre.

Lumen non dat actiuitatem simpliciter.

208 Prob. 2. Lumen gloriæ, vt in superioribus patuit non dat intellectui actiuitatem simpliciter, sed adducit tantum obiectiuam Dei præsentiam, & hoc est, quod etiam *S. Thomas in 4. dist. 49. art. 6.* & alij ex eo docent, cum dicunt, essentiam diuinam, absque lumine non esse formam intelligibilem: licet ipsa sit actu summè intelligibilis. Si ergo supponatur obiectiuè præsens intellectui, iam suppletum est, quod à lumine exigebatur. Ideoque poterit intellectus ex se videre.

Ex munere luminis arg.

209 Prob. 3. Ad videndum de facto Deum simpliciter, etiam in minimo gradu, ideo requiritur lumen, quia hoc adducit Dei præsentiam tamquam dispolito, & morale instrumentum ex ordinatione Dei, igitur si Deus iam sit præsens obiectiuè, absque hac dispositione luminis, cessat huius necessitas pro visione simpliciter, & ideo supplementum ad hoc non est necessarium, quia effectus, ad quem erat necessarius, nempe præsentiæ adductio, iam est in re positus.

210 Prob. 4. Quia Deus medijs Sacramentis de facto producit gratiam, ista sunt necessaria; si tamen vellet Deus absque illis eam producere, sicut ante euangelicam legem faciebat in contritis, vel in aliquo sanctificato in vtero; vt Baptista, vel in præseruato etiam ab originali, vt in B. Virgine, non esset necessarium aliquod supplens causalitatem Sacramenti, & adhuc haberetur effectus. Lumen autem gloriæ ex Dei ordinatione, & non ex natura rei est necessarium ad hoc, vt Deus se faciat obiectiuè præsentem. Ergo si Deus velit ita se ostendere, nullum aliud requiretur supplementum.

A paritate Sacramentorum.

Ex impugnatione adu.

211 Prob. 5. Tota ratio, cur dicatur esse necessarium aliquod extrinsecum, ideò additum supplementum, est quia lumen dat actiuitatem, quam ex se intellectus non habet. Sed hoc non obstat: ergo. Min. prob. In primis, falsum est, intellectum non habere totam actiuitatem in genere suo, imò si non haberet, esset impossibile aliunde habere, quia actiuitas simpliciter est intrinseca potentiæ vitali: ergo non potest eam expectare à qualitate extrinseca. Alijs præterea modis in proprio loco id probatum est. Secundo, esto lumen actiuitatem daret, nullus alligauit Dei potentiam, quin eam actiuitatem intellectui sine vllo extrinseco augeret, & se solo potest quidquid cum causis secundis potest. Ideoque sine vllo externo addito, posita eius obiectiua præsentia, intellectus posset simpliciter eum videre.

Si intellectus non haberet actiuitatem, esset impossibile videre Deú.

Alia aduers. ratio refellitur.

212 Prob. 6. Alia ratio pro contraria sententia est, quia intellectus est causa naturalis, ideoque debet per aliquid supplens vicem luminis supernaturalizari. Sed neque ista obstat. Primo, quia, etiam si adsit lumen, intellectus numquam amittit esse suum naturale, & cum ipso, ac per ipsum, & non per esse luminis operatur, non enim qualitas extrinseca mortua mutat intrinsecè agens viuum, quod cum ea, & non per eam operatur. Perspicuum est in operibus meritorijs in via, voluntas enim licet adiuta gratia tamen cum suo, & per suum esse naturale, & intrinsecum operatur, neque dicitur secundum tale esse causa supernaturalis: sed gratia tantum, seu auxilium dicitur tale. Totum verò coniunctum ex voluntate, & auxilio dicitur quidem supernaturale principium, non absolutè, & adæquate, sed denominatiuè ratione compartis, sicut Christus Dominus est quidem Deus, sed ratione diuinitatis, non verò totius: est pariter homo ratione humanitatis, non totius. Sic dicendum de intellectu cum lumine, imò & voluntate cum charitate. In casu autem, quo videret sine lumine, careret hac denominatione supernaturalis à lumine proueniente, sed adhuc supernaturaliter ageret, quia & cum obiecti supernaturalis præsentia sibi indebita,

Qualitas mortua non dat esse vitum.

Intellectus non est supernaturalis per hoc quod lumen est tale, sed totum coniunctum dicitur tale.

& cum eiusdem concursu, ac motione, & tandem cum eius terminatione. Secundo, vnde probatur necessitas absoluta illius supernaturalitatis extrinsecæ qualitatis in potentia, si aliunde adhuc constitueretur in ordine agentium supernaturaliter per vnionem obiectiuam supernaturalem, & influentiam ad actum suum etiam supernaturalem, cum horum neutrum sit naturæ debitum, vel à natura attingibile. Ergo supernaturalitas non concludit necessitatem supplementi luminis.

Vt visio eliceretur interest esse necessarium supplementum luminis.

213 Dico 3. Si Deus esset videndus sine lumine, vt visio eliceretur tantæ intensionis quantæ fieret cum lumine esset necessaria suppletio alicuius; vel formæ supernaturalis, vel saltem diuini concursus abundantioris. Est manifestè *Scoti in 3. dist. 13. quæst. 4. §. Ad quartam, & dist 14. quæst. 2. C.* vti se remittit ad præfatam *dist. 3. quæst. 4.* Præter *Scotum* eam tenent omnes Moderni, & maxime ij, qui defendunt defectum luminis esse supplendum à Deo per se ipsum immediatè, vel per aliud creatum supernaturale.

A priori arg. efficax de duobus causis altera deficiente.

214 Prob. Quandocunque effectus natus est produci à duplici causa, vt sit in gradu aliquo determinato intensus, deficiente alterutra causa, nequit secundum eum gradum produci, nisi illius causæ virtus suppleatur, & altera adiuuetur. Sed intellectus cum lumine producit visionem intentiorem, quam sine eo. Ergo deficiente lumine, non potest eam sic intensam producere, nisi adiuuetur per aliquid supplens virtutem luminis. Min. est ex terminis manifesta, idem enim manens idem, non potest se solo ita intensè operari, sicut operatur cum alterius adiutorio. Et patet inductione de duobus trahentibus aliquod pondus, de potentijs operantibus cum habitibus, &c. Min. Etiam patet, nam quælibet potentia habituata intentius operatur cum habitu, quam sine eo: ergo.

Inductione probatur.

215 Conf. Effectus capax intensionis crescit, & decrescit ex multiplicatione causarum, vel virtutum in principio elicitiuo. Ergo si alterum ex concurrentibus deficit, nequit sic intensus emanare, nisi loco deficientis aliud substituatur. Ergo ita in casu dicendum est.

Arg. contra 1. De causa determinata intrinsecè.

Ob. contra 1. Lumen gloriæ est causa intrinsecè determinata ad productionem visionis beatæ. Ergo sine eo impassibilis est visio beata. Consequ. prob. De omni causa determinata ad effectum aliquem, de igne respectu combustionis, aqua respectu madefactionis: de intellectu respectu intellectionis, voluntate respectu volitionis, oculo respectu visionis, & sic de omni alio sensu. Anteced. prob. Lumen gloriæ ideo dicitur tale, quia ex sua natura ostendit nobis Deum, qui est nostra gloria, & hoc est proprium eius munus ideoque nequit alteri aptari.

Lumen ex ordinatione Dei requisitum.

216 Resp. dist. antec. Est causa determinata ad visionis productionem ex natura rei, nego. Ex ordinatione Dei, concedo. Sic ad probat. & nego consequ. Quæ autem assumuntur in probatione consequentiæ, vel non sunt ad rem; vel sunt ad oppositum. Quod enim dicitur de potentijs, non est ad rem, quia istæ ex natura rei sunt intrinsecè determinatæ ad eas effectus, imo in genere actionis suppleri possunt à Deo, qui causare potest, & speciem sensibilem in oculo, aure, &c. & actionem, qua oculus, vel auris sentit, licet nequeant in genere causæ formalis sentire, audire, videre, &c. nisi isti met sensus, quod dicitur de igne, aqua, &c. falsum est, non posse per alias suppleri causas, non enim à sole igne alius producitur ignis, sed ex attritu lapidis, & calybis, nec non ab ipsomet Deo. Sic madefactio, non à sola aqua, sed à vino, sanguine, & omni alio humore potest generari. Ita de luminis effectu dico, primo quod ipsum non habet causalitatem in visionem ex sui natura, sed ex Dei ordinatione, loquendo de primo effectu, scilicet de præsentiæ obiectiuę, additione. Quòd ad secundum verò licet concurrat physicè, & modo intrinsecè determinato, tamen hæc causalitas non est ita ad lumen restricta, vt nequeat alteri à Deo communicari. Euidens est instantia aliorum habituum etiam supernaturalium, fidei spei atque charitatis, qui possunt per alia actualia auxilia Dei suppleri, & ita supernaturales, ac intensi cum his auxilijs elici actus, sicut cum illis habitibus.

Effectus luminis potest suppleri.

Ob. contra 2. Si nihil suppleat defectum luminis deficit virtus productiua. Ergo non poterit sine tali supplente produci visio. Anteced. prob. Virtus luminis est virtus supernaturalis. Hæc autem est necessaria ad causandam visionem, quæ est supernaturalis.

Contra 2.

217 Resp. neg. antec. ad probat. dist. min. Virtus supernaturalis requiritur, vt partialiter concurrens, concedo, vt totaliter concurrens, nego. Hoc autem est valde notandum; quia, vt sæpè innui, vt effectus aliquis sit supernaturalis, requiritur in principijs aliqua supernaturalitas; non vero vt principia omnia sint supernaturalia. De effectibus gratuitis, & actibus meritorijs est manifestum, ad quos concurrit auxilium supernaturale, & voluntas, atque intellectus, quæ sunt naturales potentiæ. Ergo idem dicendum de intellectu carente lumine.

Supernaturalitas vnius principij sufficit, vt actus sit supernaturalis.

218 Dices in hoc casu nullum adesset supernaturale: ergo.

In defectu supplementi adhuc enectus esset supernaturalis & vnde.

Resp. neg. assumptum, adesset enim obiectum supernaturaliter præsens, & supernaturaliter concurrens. Quod sufficeret ad denominandam visionem supernaturalem.

Inst.

Inst. Principium priùs debet fieri ordinis supernaturalis, antequam ab eo emanare possit actio supernaturalis. In hoc autem casu non esset principium supernaturale: ergo.

Dei præsentia obiectiua est supernaturalis.

219 Resp. neg. min. Ex eo enim quod Deus modo indebito, & impossibili naturę faceret se præsentem intellectui in ratione obiecti, & paratus esset cum eo concurrere ad sui visionem producendam, iam intellectus esset in ordine supernaturalium, in statu scilicet ad quem ipse non potuisset vnquam peruenire. Ergo iam esset in actu primo ordinis supernaturalis; ita ex *Scoto 3. distin. 14. quæst. 2. C.*

Vrgeb. Ista supernaturalitas est merè extrinseca. Secus se habet illa, quæ habetur per lumen, aliamuè formam suppletiuam. Ergo illa non sufficit ad constituendum principium in ordine supernaturalium, sed requiritur aliqua forma ei inhærens.

220 Resp. neg. consequ. Nam hoc requisitum supernaturale inhærens, vt sæpè dixi ex ordinatione Dei tantum requiritur, non ex natura rei, neque ad denominandum visionem supernaturalem simpliciter, quia ad hoc sufficeret obiectiuus concursus supernaturalis.

Arg. ex defectu virtutis.

Ob. 2. Intellectus à lumine habet virtutem videndi Deum, quam prius non habebat. Ergo, si deficiat lumen, & per aliud non suppleatur, nequit causari visio Dei. Anteced. prob. Ante infusionem luminis, quantumcunque concurat intellectus, non potest visionem producere; posito lumine statim potest: ergo.

Virtus luminis non est ad simpliciter.

221 Resp. dist. anteced. Habet virtutem ad videndum intensius, concedo. ad videndum simpliciter, nego. Ad probat. dist. ant. Sine lumine non potest visionem producere ex defectu virtutis simpliciter, nego. Ex defectu absentiæ obiecti, quæ comparatur per lumen, concedo. Addo, quod posito lumine, de facto ex Dei ordinatione potest intellectus visionem causare, non ex natura rei, quia, si stante etiam lumine, Deus nollet videri, & non faceret se præsentem, non posset videri. Ecce, quod manifestè apparet, lumen non esse virtutem videndi simpliciter sed qualitatem inseruientem primo, vt instrumentum morale ad comparandam Dei præsentiam, deinde sicuti cæteri habitus eum concurrere physici cum intellectu ad eliciendam visionem. Ac proinde, eo deficiente, si Deus non se faceret præsentem, non posset intellectus videre simpliciter. Et si non augeret virtutem intellectus, vel alio modo suppleret actiuitatem luminis, non haberetur visio adeo intensa, sicut esset cum lumine, sed simpliciter haberetur.

Etiam stante lumine, posset Deus nõ videri,

Ob. 3. Intellectus creatus sine lumine se habet ad Deum, sicut noctua respectu Solis. Sed ista non potest solem videre nisi detur sibi actiuitas: ergo.

Exemplum noctuæ non est ad rem.

222 Resp. neg. parit. in anteced. Noctua enim habet virtutem videndi debilem tamen. Intellectus verò habet sanam, & ideo non videt, quia obiectum non sit ei præsens. Addo, quod concesso antecedenti, argumentum est ad oppositum, nam, sicut Deus nullo extrinseco addito, in noctua, sed temperato solis lumine, vel aucta noctuæ virtute posset facere, vt ipsa solem videret; ita data præsentia obiectiua sui intellectui, qua hic prius carebat, eleuaret illum ad videndum, absque alio addito.

Et est ad oppositum.

Ob. 4. Non potest Deus facere, vt intellectus sine potentia videndi, videat: Ergo neque, vt sine lumine Deum videat.

223 Resp. consequ. esse probandam. Quia lumen non est potentia videndi, sed adiuuat eam, sicut quilibet habitus iuuat potentiam, in qua est.

Ob. 5. Si nil aliud adderetur, nihil suppleret causalitatem luminis. Ergo non posset visio produci.

Vna causalitas à Deo suppleretur, pro simplici visione. altera etiam pro intensa,

224 Resp. neg anteced. Nam obiectiua præsentia Dei esset effectus primus, quem causare solet dispositiue ex ordinatione Dei, lumen. Hæc ergo causalitas ad videndum simpliciter, à Deo suppleretur. Alia verò circa intentionem visionis, si æquè intensa esset causanda sicut cum lumine, vel à Deo se solo, vel ab eo augente vires intellectus; vel adiutorium ei præstante, proueniret.

Ob. vlt. Negari non potest, quod intellectus non est tota virtus effectiua visionis, sed simul cum lumine integrat virtutem totalem requisitam. Ergo de necessitate est supplendum lumen per aliquid aliud.

Intellectus de facto non est tota virtus agendi.

225 Resp. dist. ant. De facto non est tota virtus in actu exercito, concedo. Non habet in se totam virtutem in genere potentiæ, nego. & uego consequ. Ratio sæpe allata est, quia sicut Deus de facto vult, vt actiones meritoriæ procedant à voluntate adiuta gratia actuali, vel habituali, & tamen sine his absolutè posset eas pro meritorijs acceptare. Sicut pariter de facto concurrit cum Sacramentis ad causandam gratiam, & tamen sine eis posset causare. De facto voluntas cum habitu charitatis elicit actum fruitionis, quam absolutè posset sine eo elicere, estò non sic intensè. Ita de facto vult Deus, quod cum intellectu concurrat lumen ad causandam sui visionem, ideo de facto vtrumque concurrit, & intellectus exercitè non est tota virtus productiua, quia cum eo concurrit simul lumen. At habet in se totam virtutem potentiæ. Vnde si Deus vellet ex se facere illi præsentem, & non iradiante lumine, intellectus se solo exiret in actum videndi. Ideoque nihil esset supplendum, seu addendum vice luminis. Secus, si intensior expectatur visio.

Exempla multa ad idē

Quia tunc adiutorium aliquod, vt dixi, exigeretur.

## ARTICVLVS XI.

### *An visio beata sit connaturalis intellectui illustrato lumine gloriæ.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 3. sent. distin. 14. quæst. 2.* cum *sub B.* statuisset, non esse necessarium habitum ad recipiendam visionem beatam, sed intellectum immediatè posse eam recipere, & per eam tendere in obiectum: obijcit contra se, quod sequeretur *intellectum sine habitu illo luminis ex paris naturalibus elicere visionem.* & *sub C.* Respondet *id etiam sequi si concedatur lumen, quia hoc est qualitas creata, ideoque naturaliter concurreret:* & tamen inquit *in neutro casu diceretur ex paris naturalibus operari; quia vsque ad illud instans in quo intellectus videt, non habet in se, vnde ex sua natura posset in istam visionem, sed obiectum quod non est naturaliter illius motiuum, est causa, vt ipse videat.* Et sic supernaturalitatem refundit in obiectiuam præsentiam, naturæ indebitam.

Scotus art. vt cognoscatur actiuitas luminis,

226 Adu. sensum quæsiti clarum esse. In hoc enim magis inquiritur actiuitas intellectus, ac luminis; nec non supernaturalitas visionis; vnde nam principalius proueniat.

Connaturale multiplex

227 Adu. 2. Pluribus modis intelligi posse, quod visio sit connaturalis intellectui prædito lumine. Primò, vt sit ei debita, tamquam effectus naturaliter consequens illud aggregatum, vt v. gr. calor sequitur naturam ignis, frigus naturam niuis. Secundò, vt sit debita ex ordinatione Dei. Tertiò, vt sit connaturalis, id est non violenta. Quarto, vt sit connaturalis, id est non libera. Quintò, vt sit connaturalis, id est non supernaturalis; quia nempe tam intellectus, quam lumen sunt entia creata, & naturali modo, nempe naturæ propriæ competenti, operantur.

Duo ad minus requisita pro omni cognitione.

228 Adu. 3. Ad cuiuslibet rei cognitionem de necessitate duo concurrere, potentiam, scilicet & obiectum, vt docet *August. 9. de Trinit. cap. vlt. Ex cognoscente, & cognito paritur notitia.* Et si enim in aliqua potentia concurrat etiam habitus, iste cum potentia faciunt vnum principium cognoscens. In visione ergo diuina concurrit Deus, non solum terminatiuè, vt cognitus, quia sic supponitur iam causata cognitio, quæ ad eum terminatur, sed concurrit etiam effectiuè per modum mouentis. Imò est principalior causa, ipsius; tum quia habet suum peculiarem concursum obiectiuum; tum etiam, quia, cum ipsomet intellectu concurrit, vt causa vniuersalis influens in omnes effectus, atque actiones causarum secundarum, vt *Scotus* optimè monet *in 1. sent. dist. 3. quæst. 8. C.*

Deus ad extra operatur libere, nec potest aliter operari.

229 Adu. 4. Deum ad extra omnia liberè operari, neque posse operari necessario, seu naturaliter, à nullo enim creato potest necessitari, sed à sola sua essentia, quam non potest non amare, ex infinitate bonitatis suæ, & ex summa, ac infinita inobliquabilitate, ac rectitudine. Nullum autem creatum tantam induit bonitatem, vt non possit non amari. Ideo etiam in ratione obiecti Deus extra se liberè mouet omnem intellectum, à quo vult videri. Ita *in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. C. in 4. dist. 49. quæst. 11. F. & in quodlib. 14. M.* quod accepit à *S. Augustino, & Ambrosio*, vt nos diffusè diximus *in disp. 15. art. 6. §. 5.* his præmissis.

Visio quo sensu est connaturalis

230 Dico 1. Sumendo connaturale pro effectu debito alicui principio, seu causæ, siue ex natura rei, siue ex ordinatione Dei, visio beata est connaturalis de facto toti coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ. Est communis sine controuersia.

Visio de facto debita intellectui illustrato,

231 Prob. Siue visio sit totaliter à lumine, siue tantum partialiter, de lege ordinaria est debita illi aggregato ex intellectu, & lumine: ergo. Anteced. prob. Neque Deus se abscondit à tali coniuncto; neque suberahit ab eo concursum à productione visionis. Ergo est ei debita, saltem ex ordinatione Dei.

A paritate Sacramentorum arg.

232 Conf. à pari in naturalibus, quia corpori perfectè organizato, statim est infundenda anima, hæc dicitur ei debita, & connaturalis; numquam enim Deus deficit infundere. Ergo idem de visione dicendum; cum tale coniunctum numquam impediatur ab huius effectus productione.

233 Conf. 2. Estò Sacramenta ex Dei ordinatione causent gratiam, vt moralia instrumenta, nihilominus gratia ipsa causata, & eiusdem causalitas sunt eis connaturales, id est debitæ, quia numquam carent, vel fraudantur suis effectibus: ergo idem de visione dicendum.

A paritate operis meritorij.

234 Conf. 3. A paritate operis supernaturalis, siue de condigno in iusto, siue de congruo in iustificando, ante iustificationem. Nam opera primi generis sunt connaturalia, id est debita iusto volenti ex auxilio efficaci gratiæ operari, & hoc ex Dei ordinatione. Item & opera bona præcedentia iustificationem, dicuntur ex Dei ordinatione connaturalia homini iustificando, efficaci auxilio adiuto, id est sunt conuenientia tali principio operanti.

A paritate omnium causarum.

235 Prob. tandem de omni effectu, aut operatione conueniente alicui coordinationi causarum, siue naturalium, siue supernaturalium, siue mixtarum. Omnes enim sunt illis connaturales, seu debitæ, ac propriæ. Deus autem pro elicitione visio-

nis

nis sui constituit quoddam coniunctum ex intellectu, & lumine. Ergo productio illa est ei propria, ac debita.

Visio non est violenta.

236 Dico 2. Sumendo connaturale, vt distinguit à violento visio beata est connaturalis toti coniuncto. Est communis sine controuersia.

237 Prob. Intellectus habet summam inclinationem ad summam perfectionem, qualis est visio beata. Ergo hæc nullo modo potest esse ei violenta.

A priori.

238 Conf. Intellectus perfectè quietatur in visione Dei, *Nam satiabor cum apparuerit gloria tua*, *Psal.* 16. & ideo Dei visio est requies æterna respectu intellectus, sicut fruitio respectu voluntatis. Ergo non recipit eam violenter.

239 Conf. 2. Inter intellectum illuminatum, & visionem, nulla est contrarietas, vel repugnantia. Imò hæc est finis vltimus formalis intellectus. Ergo nulla violentia: *Violentum enim est cuius principium est extra non conferente vim passo*, ex 3. *Etic. cap.* 5.

Visio est supernaturalis intellectui.

240 Dico 3. Sumendo connaturale, prout distinguitur à supernaturali visio non est intellectui connaturalis, sed supernaturalis. Est *Scoti loco cit.* & omnium Theologorum, præsertim eorum Thomistarum, qui asserunt totam virtutem videndi esse in lumine.

Quia obiectiuè semper concurrit supernaturaliter.

241 Prob. Stante illo coniuncto ex intellectu, & lumine supernaturali, adhuc obiectum concurrit supernaturaliter, ait *Scotus in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. C. non enim est naturæ debitus ille concursus obiectiuus: neque potest tota natura, quantumuis conetur, ad illum pertingere. Ergo effectus ex eo procedens ex duplici capite est supernaturalis, nempe ex parte luminis, & ex parte concursus obiectiui supernaturalis.

Si absque lumine heret visio adhuc esset supernaturalis.

242 Prob. 2. Si solus intellectus absque alio etiam supplemento luminis stante obiectiua Dei præsentia, Deum videret, visio ista esset supernaturalis, non solum ratione termini, seu obiecti visi, sed etiam ratione causalitatis obiectiuæ impossibilis attingi à natura, eique indebitæ. Ergo multò magis est supernaturalis, quando, & hæc causalitas obiecti, & luminis supernaturalis concurrit.

A paritate actus meritorij.

243 Prob. 3. Actio sancta, seu meritoria, siue de condigno, siue de congruo est supernaturalis ex causalitate gratiæ habitualis, & auxilij efficacis, vt est operatio de condigno, vel ex solo auxilio actuali efficaci, vt est meritoria de congruo, v. gr. actus diligendi, credendi, pœnitendi ante iustificationem. Ergo multo magis actio procedens ab habitu supernaturali luminis, & obiectiuo concursu supernaturali.

244 Prob. 4. Si quid obstaret, quin saltem in Scotistarum sententia visio dicenda esset supernaturalis maximè esset, quia vis operandi potiori iure tribuitur intellectui, & non lumini. sed hæc non obstat. Nam in primis actio videndi, licet comparatiuè ad lumen tribuatur potius intellectui; tamen comparatiuè ad obiectum magis tribuenda est obiecto, quam toti coniuncto ex intellectu, & lumine ex *Scoto in* 1. *dist.* 3. *quæst.* 8. C. Imo *Scotus* totam supernaturalitatem refundit in respectu ad obiectum, ita *in* 3 *dist.* 14. *quæst.* 2. C. quia ait, lumen est qualitas creata, & sicut, si cæcus miraculosè reciperet potestatem videndi; tamen videret naturaliter, ita licet lumen supernaturaliter producatur, postea euadit forma naturaliter perficiens intellectum, quia creata. Non sic autem obiectiuus concursus. Sed quidquid sit de hoc, esto concurrat potentia intellectiua cum sua virtute naturali, tamen de facto non videt, nisi duo supernaturalia concurrant, & lumen in ipsa receptum, & obiectiua Dei præsentia supernaturalis. Secundò, quia, vt nuper dictum est, actus supernaturales, fidei, spei, charitatis, & omnium virtutum moralium ex fine supernaturali eliciti non perdunt denominationem supernaturalis, licet ad eos principaliter concurrant potentiæ vitales naturales.

Visio magis tribuenda obiecto beato, quam alijs causis.

Actus supernaturales quare dicuntur tales.

Effectus quando est liber.

245 Conf. à pari, si ad producendum aliquem effectum concurrant plures causæ, aliquæ naturales, & vna tantum libera, effectus denominatur, & est liber; quia denominatur à causa potiori. Ergo, cum ad visionem concurrant causæ supernaturales indiuisibiliter producentes vnum, & eundem effectum cum causa naturali, effectus dicendus est supernaturalis.

Visio beata est libera, & quare.

246 Dico 4. Sumendo naturale, vt distinguitur à libero, visio Dei dicenda est libera. Est *Scoti in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *in* 4. *distinct.* 49. *quæst.* 11. & *in quodlib.* 14. *art.* 2.

Obiectum beatificum libere concurrit.

247 Prob. Ad visionem beatam concurrit principaliter causa libera, qua volente visio producitur, & qua nolente non produceretur; & ita libera, vt non possit concurrere, nisi liberè; nam concurrit obiectum beatificum: ergo. Consequ. prob. Nam cæteri effectus ad quos concurrit causa libera cum alijs causis necessarijs, dicuntur liberi, eò quia possint ab ea causa libera impediri. Antec. prob. Deus ad extra non potest agere, nisi liberè; maximè in ratione obiecti, est enim obiectum voluntarium, vt diximus in *disp.* 15. *art.* 6. §. 3. Si vult videtur, si non vult non videtur, iuxta illud *Psal.* Omnia quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra. Si autem ad extra non sic ageret, necessariò ageret; & sic non solum tolleretur contingentia à rebus, quia deesset prima eius radix, sed tolleretur omnis causalitas causæ secundæ; quia prima agens necessario, cum sit omnipotens, & non posset ad extra contemperare concursum suum, & accommodare iuxta exi-

Si Deus ageret necessario, causa secunda nihil ageret.

exigentiam causarum secundarum, præueniret eas in agendo, & effectum totaliter produceret.

Opera meritoria sunt libera,

248 De alijs effectibus liberis non obstante concursu comprincipij non liberi, est manifestum exemplum de omnibus operibus sanctis, quæ fiunt ex influentia gratiæ habitualis, & auxilij actualis efficacis in iustis; in iustificandis verò ex solo auxilio efficaci: & tamen opera ista sunt libera, quæ possunt fieri, & non fieri, licet tam gratia habitualis, quam auxilium actuale non sint causæ liberæ. Adde in sententia eorum, qui dicunt cognitionem obiecti, siue determinati, siue indifferentis concurrere ad operationem sanctam; adhuc ista est libera, & tamen ad eam concurrunt tres causæ non liberæ, & vna tantum libera. Si tandem cum alijs dicatur, ad volitionem, seu amorem concurrere etiam obiectum, multiplicantur causæ non liberæ, & tamen ratione concursus vnius tantum liberæ, effectus est liber. Ergo idem de visione ab obiecto beatifico liberè se ostendente, & concurrente, dicendum est.

Quando alia causa est libera effectus est liber.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Spectato intellectu cum lumine, nullum adest necessitans Deum ad se ostendendum obiectiuè. Ergo visio non est ei debita, ac proinde neque in hoc sensu connaturalis. Consequ. prob. Si causæ concursus non est alicui debitus, neque erit debitus effectus talis causæ. Antec. prob. Intellectui ideo non est debitus Dei concursus ad visionem, & proinde nec visio, quia est creatura. Sed lumen etiam est creatura, ergo neque ratione ipsius est vtrique vel alterutri debita. Igitur in nullo sensu est connaturalis toti coniuncto.

Lumen quomodo ex Dei ordinatione necessitat ex suppositione,

249 Resp. dist. Nullum adest necessitans Deum antecedenter & ex natura rei, concedo. Consequenter ex suppositione, & exordinatione Dei, nego. Adest enim decretum, quo statuit facere se præsentem obiectiuè intellectui perlustrato lumine, & cum eodem producere visionem. Argumentum ergo legitimè procedit spectatis naturis intellectus, & luminis, præciso Dei decreto. Sicut de Sacramentis dictum est.

Instabis. Posito lumine in intellectu, est ita liberum Deo se obiectiuè ostendere, & cum illo coniuncto concurrere, sicut erat liberum ante luminis infusionem, neque vlla fieret illi coniuncto iniuria, si non concurreret, ergo non est ei connaturalis, neque obiectiua præsentia, neque visio.

Tenetur Deus ex suo decreto concurrere.

250 Resp. dist. antec. Est ei ita liberum physicè, sicut ante, concedo. Ita liberum moraliter, nego. Ex quo enim Deus decreuit aliquid facere cum causa secunda infallibiliter, & immutabiliter id exequitur, neque vnquam deficit concurrere, nisi in casibus à sua infinita sapientia iam præuisis, & ab infinita prouidentia decretis. Neque potest aliter dici in hac materia concursus Dei cum causis secundis, alioquin sequitur, quod nullus effectus esset suæ causæ connaturalis ex eo, quod Deus post decretum generale de concurrendo cum illis, remanet liber ad non concurrendum. Et sic ignire, aut calefacere non esset igni connaturale, neque madefacere aquæ, &c. cum hi effectus possint, ex sua libertate à Deo impediri, & de facto aliquando fuerint impediti. Connaturalitas ergo effectuum respectu causarum attendenda est penes debitum, seu connexionem eorum cum suis causis, attento communi rerum ordinatione, ac dispositione. Ita autem se habet visio beata respectu intellectus illuminati suppositâ Dei ordinatione de se obiectiuè præsentando, & de concurrendo, numquam enim deficit, esto posset id non exequi, ideoque debita est; & connaturalis hoc modo.

Connaturalitas, vnde desumatur.

Ob. 2. Lumen gloriæ, & obiectiua Dei præsentia non sunt intellectui connaturalia, neque ex natura rei, neque exordinatione Dei, ergo neque visio. Antec. patet. Nam sunt supra vires intellectus non eleuati ad ordinem naturalem, ideo neque ei debita. Ergo neque effectus eorum.

251 Resp. 1. neg. consequ. Quia fit transitus ab intellectu non constituto in ordine supernaturali, ad illum iam constitutum, In primo casu, non supponitur Dei ordinatio, sicut in secundo, ideo nulla est paritas.

Dei præsentia debita intellectui beati.

252 Resp. 2. dist. anteced. Non sunt connaturalia intellectui non prædestinato to, & Dei ordinatione non beatificando, concedo. Intellectui prædestinato, & beatificando, nego. Nam eadem est ratio de tali intellectu, respectu luminis, ac de eo illuminato respectu visionis. Vtraque enim forma ex natura rei, & absolutè est ijs indebita, suppositâ tamen Dei ordinatione, est vtrique altera debita. Ex quo enim statuit Deus, aliquem ad gloriam eligere, ex vi talis decreti statuit ei omnia, quæ sunt necessaria, siue per modum medij, siue per modum causæ, aut comprincipij ad eam habendam, igitur ea omnia illi eleuato sunt debita, quæ ex natura rei sunt indebita.

Instab. Si sic, ergo ita erit connaturale intellectui habere lumen, & toti coniuncto visionem, sicut corpori organizato animam, igni calorem, aquæ humiditatem. Quæ sunt maxima absurda.

Disparitas de connaturali in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ.

253 Resp. dist. anteced. Ita erit connaturale in ordine gratiæ, & gloriæ, sicut illis in ordine naturæ transeat. Vtrisque eodem modo negatur. Ad sequelam de absurdis, dico esse voluntariam. Ratio est, quia suppositio, quod Deus velit habitum supernaturalem creare ad aliquos effectus

pera-

peragendos effectus, illi sunt ei connaturales in ordine supernaturalium agentium. Supposito autem, quod statuerit hominem beatificare, & se illi manifestare, cognitio illa, & fruitio sequens, tali beato sunt connaturales. Supposito, quod velit beatificare cum habitu aliquo, ille habitus, beatificabili reduplicatiuè accepto est connaturalis; quia competens tali subiecto in eo ordine.

Arg. contr. 3 Obi. contra 3. Effectus procedens à causis naturalibus est eis connaturalis, & non supernaturalis, talis est visio: ergo. Min. prob. Tam intellectus, quam lumen sunt creaturæ, ergo non operantur, nisi modo naturali. Secundo, illi coniuncto est ita proprium causare visionem, sicuti est igni proprium calefacere, & aquæ madefacere.

Validum arg. Conf. *Scotus* ipse *in 3 dist. 14. quæst. 2.* C. docet, ita se habere visionem respectu luminis, sicut visu cæci illuminati licet enim illuminatio, seu restitutio visiuæ potentiæ sit supernaturalis, visio tamen ab ea procedens est naturalis. Sic autem ait, *si enim cæcus miraculosè illuminatur, tamen illuminatus naturaliter videt quia habet formam creatam, qua naturaliter potest vti adoperationem illam. Ita si detur intellectui supernaturaliter aliquis habitus, quo dato tamquam per formam sufficientem intellectui potest videre Deum, & cum ipse habitus sit aliquid creatum naturaliter perficiens intellectum, sequeretur, quod per aliquam formam creatam possibile esset naturaliter videre Deum.* Ergo visio, vt procedens ab intellectu, & lumine non est supernaturalis.

Quomodo visio connaturalis est & supernaturalis. 254 Resp. dist. ant. Est eis connaturalis, id est ex Dei ordinatione debitus in ordine supernaturalium, modo prædicto, concedo. Est eis connaturalis, vt distinguitur à supernaturali: nego. Ad probat. Dico, quod licet vtraque causa sit creata, vna tamen non debita naturæ, & ideo supernaturalis. Alioquin actus fidei, spei, & charitatis infusarum procedentes ab his habitibus creatis non possent dici supernaturales. Imò, neque actus fidei, dilectionis, pœnitentiæ, &c, essent supernaturales, quod est erroneum.

Scotus vindicatur. 255 Ad conf. ex *Scoto*, supponendum est, quod *Scotus*, nullum eius creatum appellat supernaturale essentialiter, sed solum extrinsecè, & in ordine ad agens, vnum tantum admittens supernaturale essentialiter, & quidditatiue, nempe Deum. Hoc autem stante, in citato loco defendit lumen non esse necessarium absolute ad recipiendam visionem. Et facto sibi argumento, quod tunc sequeretur intellectum ex puris naturalibus videre Deum, quia sine lumine gloriæ, & sine alio habitu præcedente visionem. Respondet, quod hæc illatio videtur etiam sequi ponendo lumen, vel alium habitum præcedentem visionem, vt necessarium, vel sufficientem respectu visionis, recipiendæ, & adducit doctrinam in argumento allatam. Sed post allata verba, ait, *sed hoc non sequitur negando talem dispositionem, sive dicatur lumen, sive habitus; quia in quocunque instanti priore ipsa visione, nulla est causa naturaliter prior ipsa visione, & vsque ad illud instans, in quo intellectus videt, non habet vnde possit in istam visionem, sed tantum præcedit naturaliter ipse intellectus, & obiectum, quod non est motiuum naturaliter proportionatum sicut posse, nec natum naturaliter mouere ipsum.* Et postea respondet ad formam argumenti, quod scilicet in casu, quo intellectus videret Deum sine lumine, *non videretur ex naturalibus suis, quia non potest ei inesse nisi à Deo immediatè causante illam visionem, quia quando causat illam, immediatè, & supernaturaliter causat.* Itaque ex doctrina ista *Scoti* non deducitur, quod visio Dei non sit supernaturalis, sed oppositum, immò & quod in casu possibili, si videretur Deus sine lumine, adhuc visio esset supernaturalis ex indebita præsentia, & concursu obiecti. Sed solum ad summum deducitur, quod *Scotus* non concedit in visione supernaturalitatem in ordine ad lumen, aliumuè habitum si hic concurreret passiuè, sed solum in ordine ad Deum concurrentem supernaturaliter; & fortè idem diceret de actibus meritorijs, sive de condigno, sive de congruo, quod sunt quidem supernaturales, quia ad eas non est sufficiens sola natura, sed suppositis habitibus, & auxilijs supernaturaliter à Deo productis, Deus modo speciali, & indebito naturæ concurrit. Sed quidquid sit de hoc, in primis loquitur *Scotus* de lumine, si ponatur necessarium ad receptionem; nam postea mouet dubium, an etiam actiuè possit intellectus sine lumine videre Deum, &c. Secundo, concedit visionem esse supernaturalem, vndecunque autem idoriatur, in *Scoti* sententia parum refert.

Semper visio per Scotum est supernaturalis, etiá si non esset à lumine.

Quomodo lumine videtur Deus adhuc supernaturaliter videtur.

Instab. Non tollitur difficultas ex paritate oculi cæci illuminati, qui naturaliter videt. Ergo, licet lumen gloriæ supernaturaliter producatur, actio tamen ab eo, & intellectu procedens erit naturalis.

Difficultas de cæco illuminato naturaliter videte maxima videtur.

256 Resp. neg. paritatem. Ratio est, quia in primis illuminatio cæci est restitutio formæ alias debita naturæ, & ideo licet modus dandi post priuationem sit supernaturalis, forma tamen est naturalis. Non sic infusio summis, quod quidem nullo modo est debitum naturæ, nec in ordine naturæ, nec vmquam ab ea factibile. Secundo, data hac forma naturali cæco, licet supernaturaliter, Deus cum oculo illuminato concurrit concursu generali, quo influit in effectus, cum alijs causis naturalibus. At causando lumen, & eo causato concurrendo obiectiuè cum intellectu illuminato, concurrit modo indebito naturæ, & supra eius

Disparitas manifesta de cæco illuminato, & lumine gloriæ

Scotus tantum vnum admittit supernaturale essentialiter scilicet Deũ

eius ordinem, ideo actio ista videndi, seu visio ipsa ex solo isto respectu ad talem obiecti præsentiam, est supernaturalis, etiam si omni alio respectu supernaturalitatis careret.

Ob. 2. Concursus Dei cum intellectu illuminato est generalis, eius nempe ordinis, quo Deus concurrit cum omni causa secunda: ergo. Anteced. patet. Eodem modo concurrit cum intellectu, & lumine sicut cum voluntate habente gratiam in via ad actus meritorios. Sed cum hac concurrit generali concursu ex *Scoto in 1. sent. dist. 17. quæst. 2.* ℣. Vbi ait, concursum illum esse de communi lege.

Duplex concursus Dei ad visionem

257 Resp. neg. antec. ab probat. in primis dist. mai: Concurrit ad actus illos concursu generali ordinis gratiæ, concedo. ordinis naturæ, nego. Ratio est quia, vt alibi supponimus dicendum, etiam in ordine gratiæ admittendus est concursus generalis, quem Deus omnibus impertitur, & concursus specialis, quem aliquibus tantum, vt vocatio Pauli, conuerso Magdalenæ, &c. Sed hæc sint obiter dicta. Secundo, neg min. Nam Deus, nè dum effectiuè concurrit cum intellectu, & lumine ad producendam visionem, sicut causa prima cum qualibet causa secunda etiam ordinis supernaturalis. Sed præterea concurrit obiectiuè, qui concursus poti sine supernaturalis est, vt nuper ex *Scoto* patuit, & nullo modo à natura acquisibilis, vel eidem debitus. Ac proinde ex duplici capite visio est supernaturalis.

Duplex concursus, generalis Dei, in ordine gratiæ, & naturæ,

Dei præsentia in beatis est primi ordinis.

Ob. contra 4. Visio est actus determinatus ad vnum, intellectus, & lumen pariter sunt intrinsecè determinata ad vnum. Ergo est naturalis non libera.

Arg. contr. 4

258 Resp. neg. consequ. Quia alterum ex comprincipijs, nempe obiectum non est naturale, id est operans modo determinato ad vnum. Id est liberum, nam Deus ad extra liberè manet, eius enim naturæ non est videri, si vult videtur, si non vult non videtur inquit. Ex *Ambr. August. lib. de Vid. Deo cap. 6.*

Ob. 2. Deus ita concurrit cum causis secundis, vt eorum modo operandi se accomodet, cum liberis enim liberè, & cum naturalibus, seu intrinsecè determinatis, naturaliter. Ergo cum coniunctum ex intellectu, & lumine sit causa naturalis, & intrinsecè ad vnum determinata, concurrit cum eo determinatè. Igitur neque ex parte concursus Dei visio est libera.

259 Resp. distinguo consequ. Concursus quem præstat intellectui, ac lumini, vt causa prima, & vniuersalis, seu author naturæ, est naturalis, concedo. Concursus, quo se solo concurrit obiectiuè mouendo intellectum, & producendo partialiter cum eo visionem, nego. Ratio est. quia cum exteris causis ad cæteros effectus, Deus concurrit, vt author naturæ, & causa vniuersalissima, sicut enim omnia entia creata dependent á Deo in esse, & conseruari, sic & eorum effectus, & proinde Deus concurrendo ad tales effectus, conformat se eorum operandi modo. At cum intellectu, ac lumine in visione sui, & cum voluntate habituata charitate in fruitione, dupliciter concurrit, & cum illis, vt causa vniuersalis, & sic naturaliter cum intellectu, ac liberè cum voluntate: & præterea alio concursu speciali obiectiuo, hic autem non potest esse, nisi liber, quia est agentis purè liberè, nec potentis aliter agere: & propterea ratione huius secundi concursus, non verò primi, visio est libera.

Concursus obiectiuus Dei est liber

Duplex concursus Dei ad visionem

Instab. Estò obiectum liberè concurrat, tamen potentia habituata concurrit naturaliter. Ergo visio dicenda non est libera, sed naturalis. Prob. consequ. Visio magis participat de natura potentiæ, quam de obiecto, est enim vitalis intrinsecè, quod habet à potentia, non ab obiecto reduplicatiue, vt obiectum est: ergo.

260 Resp. neg. consequ. Sicut enim, quia á potentia habet, vt vitaliter attingat obiectum, ideo dicitur vitalis. Ita quia ab obiecto habet, vt possit non poni, ab eo sumit, vt sit libera.

Soli obiecti libertas sufficit, vt sit libera.

Ob. 2. Posito intellectu illuminato, obiectum beatificum non potest non concurrere ad visionem. Ergo hæc non est libera. Ant. prob. Decretum Dei est infallibile, & immutabile: sed statuit concurrere posito intellectu illuminato. Ergo non potest non concurrere.

261 Resp. dist. antec. Non potest non concurrere ex intrinseca ratione, vel necessitate obiecti, nego. Ex ordinatione, seu decreto eius volentis sic operari, concedo, & nego consequ. Agens enim inobliquabile, seu immutabile, per hoc, quod decreuit aliquid facere; & non potest deficere, non amittit liberè agere: alioquin Deus, qui ab æterno decreuit facere, quæ nunc facit, & in futurum facturus est, ageret semper necessariò, & sine libertate, quod est hæreticum, nam *Deus omnia quæcunque voluit, fecit. Psal. 13.*

Necessario ex suppositione Deus concurrit.

Ob. 3. Quia Deus decreuit concurrere cum igne, alijsue elementis, concursus eius est naturalis, & non liber. Ergo quia decreuit concurrere cum intellectu illuminato ad visionem, eius concursus non est liber.

262 Resp. neg. suppositum in anteced. Quod scilicet Dei concursus cum elementis non sit liber. Aliud enim est, quod Deus se conformet modo agendi eorum naturali, seu determinato ad vnum, aliud est, quod hoc non faciat libere; primum enim est verum, secundum autem falsum. Quia Deus ad extra nequit aliter agere, quam liberè. Secundo, experientia ignis babylonici, constat etiam cum igne concurrere liberè,

Concursus cum elementis, ex parte Dei est liber

in

Se accomodat modo agendi creaturæ.

in productione autem visionis præter concursum hoc modo liberum accomodatum modo naturali agendi intellectus, habet vt dixi concursum ex parte sua solitarium, quo se solo obiectiuè mouet, ac partialiter causat visionem.

Ob. 4. Actus intellectus, licet præcipiantur à voluntate, adhuc tamen sunt naturales. Ergo, licet ad visionem concurrat obiectum liberum, adhuc tamen ipsa erit naturalis, ratione dependentiæ ab intellectu, à quo specificatur.

Actus intellectus sunt liberi principiatiuè respectu voluntatis imperantis.

263 Resp. dist. antec. Sunt formaliter naturales, concedo: imperatiuè, nego. Ratio est, quia omnes actus potentiç cuiuslibet sensitiuæ, & intellectiuæ, vt à voluntate imperantur, sunt liberi, vt tamen eliciuntur à potentia naturali imperata sunt naturales, quia applicata tali potentiæ ad obiectum suum, si non sit indispositæ, non potest non elicere actum suum. Adde, quod est alia maior ratio de visione, quia non ex participatione libertatis imperij, sed ex ipsomet obiecto per se libero, est libera.

Ob. 5. Est quid inauditum, quod actus intellectus sint liberi, cum proueniant à potentia naturali, sicut, quod actus videndi corporaliter, sic & audiendi, olfaciendi, &c. ergo.

Actus imperati, vt tales sunt liberi.

264 Resp. primò esse inauditum rudibus, non doctis. Nam speculationes, reflexiones, studia, omnes actus fidei dependenter à voluntate fiunt, vnde ait *Augustinus. Cætera potest homo nolens, credere verò non nisi volens.* Ita de sensationibus externis, quæ voluntate imperante fiunt, applicantur scilicet obiecta ad potentias, & ex hoc capite tantum, dicuntur liberæ, cæterum formaliter acceptæ sunt naturales, quia si obiecta applicentur non possunt non sentire, sic & intellectus circa euidentia. At in nostro proposito non angustiamur in hoc genere libertatis, sed habemus libertatem obiecti, qua immediatè ad eam visionem concurrit, & proinde ex hoc capite visio est libera.

## ARTICVLVS XII.

### *An fieri possit intellectus, qui ex suâ naturâ Deum videre possit.*

Scoti mens.

SCOTVS *in quodlib. 14. §. de secundo sub N.* Assignata prius distinctione notitiæ in intuitiuam, & abstractiuam, sic habet. *De vtraque videtur ista conclusio, tunc tenenda, quod anima non potest attingere ad notitiam Dei propriam, & immediatam ex professione sua naturali etiam pro quocunque statu naturæ, concurrentibus etiam quibuscunque causis naturaliter motiuis ipsius animæ ad cognoscendum, & idem dicetur de Angelo.* Assignat autem rationem, quia ex sui natura nequit habere obiectum præsens, nec in se, nec in alio eminenter illud continente, &c. Hæc Scotus.

Ratio huius quæsiti.

265 Adu. Quod quamuis *in disp. 15. art. 6.* conclusum sit, neminem ex suis naturalibus posse fieri beatum, de facto tamen hoc dubium de anima creabili saltem alterius speciei decisum non est; id ergo hic inquirimus an Deus possit animam aliquam creare, quæ ex sui natura possit Deum videre, sicut posset videre omnia entia spiritualia, siue naturalia, siue supernaturalia.

Sensus art.

Notitia intuitiua requirit præsentiam obiecti.

266 Adu. 2. Et suppono cum *Scoto in quodlib. 14. circ. N. & in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. F.* & alibi sæpè, haberi non posse visionem propriam alicuius obiecti claram, & intuitiuam, nisi tale obiectum sit præsens potentiæ intellectiuæ, vel in propria existentia, vel in aliquo eminenter illud continente. Et hoc secundo modo, dicemus, multa creata, vel creanda, vel etiam creabilia videri intuitiuè à Beatis in Deo, quia licet realiter naturæ eorum in eo non sint, adsunt tamen eminenter.

Ordo motionum in entibus incipiendo à Deo.

267 Adu. 3. ex *Scoto quodlib. 14. Q.* Primam omnino motionem, quæ assignari potest in omnibus entibus creatis, & increatis esse motionem, qua essentia diuina mouet intellectum diuinum ad cognitionem sui, secundam verò esse motionem, qua eadem essentia mouet voluntatem ad sui amorem; deinde intellectus simul cum essentia *dicit*, seu producit notitiam genitam, quæ est verbum æternum; & voluntas, cum essentia producunt, seu spirant Spiritum Sanctum. His completis motionibus, essentia Dei, quia infinita, & communicabilis, seu participabilis, ac imitabilis ad extra, mouet intellectum diuinum ad productionem creaturarum in esse possibili, & sic ideæ omnium creabilium habentur. Postea eadem essentia continens præfatas ideas mouet voluntatem ad productionem aliquorum ex ijs, quæ repræsentantur, & sic fiunt decreta de rebus factibilibus. Hac autem completa motione ad intra, id est respectu diuini intellectus, ac voluntatis, ex quo decreuit Deus producere aliqua extra se, vt mundum, &c. ea liberè omnino producit, & sicut statuit, concurrens cum aliquibus creaturis ad effectus earum liberè eas mouet: si deinde velit ab aliquo intellectu, siue Angelico, siue humano videri, liberè se ostendit eumque obiectiuè mouet. Si tandem, cum alicuius voluntate vult ab eo diligi, liberè pariter eam mouet, efficienter concurrendo ad causalitatem voluntatis, & obiectiuè partialiter causando dilectionem.

Omnia liberè extra se facit Deus,

Ex quibus euidenter concluditur, quod quælibet motio Dei extra se, nequit esse aliter, quam libera. Id autem didicit *Scotus à Sancto Augustino in Commonitorio ad Orosium*, quod ponitur ante *lib. de Vid. Deo*, & à plerisque totius libri capitibus, incipiens à 6. in quo ad ducit prolixam *Ambrosij in cap. 2. Lucæ* doctrinam. vterque ante Sanctus Doctor prolixè, & sæpè docet, Deum esse obiectum voluntarium respectu creaturarum, *cuius natura est non videri, nisi vult videtur, si non vult non videtur.*

Hæc est Augustini doctr.

268 Adu. 4. Et suppono cum *Scoto in 3. dist. 13. quæst. 1. & 2.* Quæ breuissimæ sunt, non posse à Deo creari rem aliquam, siue substantialem, siue accidentalem intensiue, seu intrinsece infinitam, implicat enim in adiecto, quod sit creatura, atque ens participatum, & tamen non habeat perfectionem limitatam, quia sic est à Deo, vt ab ipso habeat esse in genere creaturæ, & dari possint aliæ in eo genere: & proinde non absorberet totam eius generis perfectionem, patet de immultiplicabilitate Dei, quæ ex eo prouenit, quod vnus numero Deus absorbet omnem perfectionem entis à se, & increabilis. hac & alijs pluribus rationibus impugnatur intensiua creaturæ infinitas, quæ ad nos nunc obiter spectat. At admissa creatura hac etiam intellectuali infinita (defectibili intrinsecè quia reducibilis in nihilum, non enim minus eius esse dependeret à Deo in conseruari, quam inferi) adhuc tamen respectu eius ipse Deus esset agens liberum, ac voluntarium motiuum, quia etiam respectu ipsius esset Deus, & Dominus, non verò agens necessarium.

Creatura infinita implicat.

Etiam si daretur Deus liberè eam moueret,

269 Adu. vlt. Eiusmodi quæsitum procedere, non solum de intellectu, absque lumine, sed etiam de eo eminenter continente perfectionem luminis, si hic sit dabilis, an scilicet ille ex suis viribus posset, absque alio supernaturali adiutorio Deum videre. His positis,

270 Dico 1. Per nullam potentiam, etiam absolutam Dei creari potest aliqua anima, cum intellectu adeo perfecto, vt videre possit Deum ex suis naturalibus, absque aliquo saltem extrinseco supernaturali adiutorio. Et communis *Scoto loco cit. & D. Tho. 1. par. quæst. 12. art. 5.* Sed ratio non est communis.

Dari non potest creatura quæ suis viribus Deum videat,

271 Prob. à *Thomistis* quibusdam sic. Nullus talis intellectus haberet actiuitatem supernaturalem intrinsecam, & sibi naturalem: ergo. Sed hæc ratio non videtur probare, quia assumit medium ignotius, imò, & improbabile multis, scilicet quod intellectus non habeat totam actiuitatem ex parte potentiæ, quod est falsum, quia hanc habet de facto, alias visio non esset vitalis operatio. Secundo, quia quis diceret, quod etiam de facto, licet lumen sit ens supernaturaliter productum, quia & est naturæ indebitum, & ab ea incausabile, dum tamen productum est, agit naturaliter, sicut visiua potentia cæco supernaturaliter restituta. Tertio, quia diceretur, quod talis intellectus esset extra ordinem, ac speciem aliorum, naturæ indebitus, & ab ea improducibilis, & sic supernaturalis, sicut aliæ res, quæ hac pollent denominatione, & tamen per suam virtutem Deum videret.

Ratio aliquorum non placet Authori.

272 Prob. ab alijs sic. Dari non potest intellectus infinitus: ergo. Sed neque hoc medio concluditur intantum. Quia diceretur, quod antecedens est probandum. Secundo, dato antecedente consequentia non est necessaria, quia diceretur ad videndum ex suis viribus, non esse necessarium actiuum infinitum, nam moderni sustinent à lumine gloriæ tribui actiuitatem intellectui ad eliciendam visionem, & tamen lumen non est infinitum. Tertio, cum alijs Doctoribus, & intellectus, & lumen faciunt principium completè actiuum, & tamen hoc coniunctum non est infinitum. Quarto, quia sic per nullam potentiam Deus esset à creatis intellectibus visibilis, neque adiutis habitibus, aut auxilijs, quia ista semper deficerent ab infinitate.

Alia ratio, quæ neque placet Authori,

273 Prob. ergo sic. Nullus dabilis intellectus haberet ex sua natura Deum in se obiectiuè præsentem, neque aliquod obiectum eminenter continens ipsum Deum: ergo. Consequ. est per se necessaria, quia sine talibus obiectis fieri nequit visio intuitiua. Anteced. prob. Nullus talis dabilis, esset diuinus, sed creatus plusquam genere à diuino differens, & totaliter extra Dei essentiam, ac Trinitatem personarum positus, ergo liberè mobilis à Deo quantumcunque igitur conaretur, vincere non posset Dei dominium, ac libertatem circa sui demonstrationem, ac motionem intellectus creati.

Ratio propria Auth. quia Deus non est obiectiue præsens.

274 Dico 2. Esto talis intellectus dari posset, qui vel æquaretur, vel superaret luminis actiuitatem, adhuc tamen non posset solis suis viribus Deum videre. Colligitur ex *Scoto* ibidem.

Dato intellectu cum actiuitate æquali, & maiori lumine, neque naturaliter videt.

275 Prob. Talis intellectus non haberet in sua potestate obiectum: ergo. Consequ. probatur. Id potest suis viribus cognitionem obiecti elicere, quod suis viribus potest acquirere præsentiam obiecti. Anteced. prob. Talis intellectus non auferret à Deo voluntarietatem in sui ostensione, neque haberet aliquod in se eminenter continens obiectum beatificum: alio autem modo nequit suis viribus obiectum videre, assumptum probatur: quantumcunque crescat creatura, numquam potest efficere, vt Deus ad extra moueat necessariò, vel vt non possit se illi abscondere, cum ex *Ambros. in cap. 2. Lucæ natura illius sit non videri extra se. Et si vult*

1. part.

A priori rationes.

*vult videtur, si non vult, non videtur.*

276 Prob. 1. De facto intellectus cum lumine non ex natura sua, sed ex Dei ordinatione habet, vt obiectiuam Dei præsentiam possideat, quia, scilicet statuit Deus se ostendere intellectui illuminato. Si igitur daretur intellectus, qui virtualiter contineret virtutem luminis, eodem prorsus modo se haberet, quod, scilicet si Deus ordinaret se illi ostendere, ex sua benignitate, & fidelitate se ostenderet, at non esset de necessitate visibilis à tali intellectu. Hoc autem importat intellectum ex suis viribus, absque alio extrinseco adiutorio posse Deum videre.

Idem esset si sine lumine Deus videretur.

277 Prob. 3. Si Deus per absolutam potentiam vellet videri ab intellectu sine lumine, hoc in tantum eueniret, in quantum decerneret se illi præsentem facere obiectiuè. Ergo idem prorsus esset dicendum de alio intellectu creabili, quia iste non esset diuinus, cui soli nequit Deus abscondi ex natura ipsius intellectus.

Etiam si intellectus esset infinitus, vel lumen infinitum non videret naturaliter.

278 Dico 3. Etiam si fingatur possibilis intellectus creatus infinitus, seu cum lumine infinito: adhuc ex suis solis viribus non posset ad Dei visionem, absque extrinseco adiutorio pertingere.

A priori ratio.

279 Prob. Talis intellectus non mutaret naturam, aut proprietatem Dei: ergo. Anteced. supponitur de fide Deus enim secundum omnia, quæ sibi formaliter insunt, siue absoluta, siue relatiua est immutabilis. Consequ. probatur; in tantum, sine lumine, vel etiam cum lumine nequit videri, nisi ipsemet decernat se ostendere visibilem, in quantum est obiectum voluntarium, seu liberè mouens extra se. Hæc autem proprietas non mutaretur: ergo.

Iste intellectus esset à Deo dependens.

280 Conf. Talis fictus intellectus esset essentialiter à Deo dependens in fieri, & conseruari, & intrinsecè contingens, quia creatus, neque ex alio capite, nisi quia Deus potest cessare ab influendo per subtractionem concursus. Quæ quidem subtractio ei competit, quia ad extra liberè agit. Sed omnes alias motiones eodem modo liberè agit, neque potest ab alio extra se determinari, ne ita agat. Ergo respectu illius infiniti creati intellectus, esset liberum obiectum, sicut nunc est; ac proinde nisi decerneret, se ei ostendere; hic quantumuis conaretur, non posset vnquam ad eius obiectiuam præsentiam peruenire. Ergo ex suis naturalibus non posset Deum videre.

Arg. contr. 1 & 2.

Ob. contra 1. & 2. Potest Deus duo creata aggregare in vno, & facere, vt hoc per suam virtutem sibi intrinsecam, & naturalem Deum videat, nempè intellectum, & lumen; hoc enim coniunctum, sua virtute videt Deum. Ergo poterit vtriusque virtutem in vno solo indiuisibili intellectu vnire; & tunc iste ex suis naturalibus videret.

Intellectus & lumen de facto non dicitur naturaliter videre.

281 Resp. neg. suppositum in anteced. Lumen enim & intellectus se solis, spectatis non possunt Deum videre per suam virtutem; sed requiritur obiectiua præsentia Dei, qui est eis præsens per illapsum, per inexistentiam scilicet in eisdem. Hoc ergo coniunctum cum sua virtute non potest facere sibi Deus obiectiuè præsentem. De facto autem ex ordinatione Dei lumen, vt morale instrumentum habet hoc, vt eo posito Deus faciat se præsentem. Et hoc modo potest Deus facere intellectum nudum, qui, scilicet sine lumine Deum videre possit, faciens se tamen præsentem obiectiuè. Sed hoc non est posse videre suis solis viribus; quia indiget extrinseca Dei ostensione, ad quam nulla potest creatura peruenire.

Ob. 2. Estò de facto Deus sit extra latitudinem obiecti adæquati attingibilis ab intellectu creato: tamen posset à Deo crescere virtus intellectus, vt ei adæquaretur: ergo. Consequ. prob. In hoc casu nihil ei deficeret. Antec. prob. Dei virtus non est ita determinata ad producendos intellectus in determinata mensura perfectionis, vt non possit eam augere in infinitum.

Quantumuis crescceret virtus intellectus non posset naturaliter videre.

282 Resp. dist. sequelam, vt ei adæquaretur in ratione motiui, & mobilis naturaliter, nego. in alia ratione, concedo. & nego consequ. Ratio autem, vt dixi est, quia estò crescceret vsque ad infinitatem; adhuc tamen deficeret ab adæquatione mobilis, & motiui naturaliter, quia esset extra Deum, & sic non mobilis ab illo, nisi voluntariè; & hac de causa non posset facere, quin esset voluntarium, neque vt posset se sibi abscondere. Et in hoc stat supernaturalitas principaliter respectu visionis, vt *Scotus* docet *in 3. dist. 14. quæst. 2. C.* detur mihi intellectus, qui suis viribus possit habere obiectiuam præsentiam Dei, & ego concedam suis viribus posse Deum videre.

Arg. à paritate aliarum formarum, quæ ex virtute sibi inditâ naturaliter agunt

Instabis. Potuit Deus igni concedere virtutem calefactiuam, & hæc, stante concessione, est ei ita naturalis, & propria, vt sua virtute dicatur calefacere. Et ita de alijs formis, quæ iam rebus ex Dei ordinatione, ac voluntate concessæ sunt; & tamen res per eas operantes dicuntur suis viribus agere. Ergo posset Deus intellectui alicui, siue cum lumine, siue absque eo virtutem videndi se, & obiectiuam præsentiam concedere, quibus positis talis intellectus per vires suas estò à Deo sibi concessas, diceretur Deum videre. Consequ. prob. Non enim videtur maior ratio de elementis, alijsque agentibus creatis, quæ à Deo suas actiuitates obtinuerunt, imò in suis actibus egent libero Dei influxu, ac de intellectu, cui concessa sint, & lumen, & potentia videndi, & obiectiua præsentia.

Disparitas de intelle-

283 Resp. nego consequ. Disparitas est, quia licet omnibus rebus liberè sit à

actu, & alijs formis,

Deo concessa forma actiua pro suis actibus, eisdemque liberè promissus, & exhibitus eius concursus per modum authoris naturæ ad agendum, tamen regulariter per modum permanentis habent hæc omnia, & ideo per vires suas creatas (quod idem est, ac dependentes à Deo in esse, & operari,) suas eliciunt actiones. At intellectus, siue factus, siue factibilis non haberet in se omnia ad visionem in actu primo requisita, quia non præsentiam. Cum autem dicitur, etiam ista esset in potestate illius, quia promissa, & ideo infallibiliter danda. Dico ex hoc ipso colligi quod eam non haberet in sua potestate physice, nisi dispositiue, & moraliter, etiam si semper eam haberet, & numquam deficeret, sicut accidit in lumine gloriæ respectu beatorum de facto. Ipsi enim promissa est Dei præsentia obiectiua in æternum duratura, nec vnquam intermittenda, & tamen nullus sanæ mentis dicet, lumen, vel intellectum, cum lumine per suas vires solas, absque supernaturali obiectiuo concursu, Deum videre.

Quia habet dispositiuè tantum Dei præsentiam cum lumine considerata, & hoc moraliter,

Ob. 3. Vel intellectus cum lumine videt viribus suis, vel non. Si secundum, assignetur per quas alias vires, videat. Si primum, ergo si fieret intellectus alius, qui toti illi coniuncto esset æqualis, iam hic suis viribus videret.

284 Resp. dist. ant. Supposita obiectiua præsentia suis viribus, posset videt. Ea remota nequaquam. Et ideo alius intellectus, qui fieret illi coniuncto similis, eodem prorsus modo se haberet, & sic non solis viribus suis, sed ex adiutorio obiecti.

Instabis. Omnes aliæ potentiæ, & ipsemet intellectus, respectu cuiuscumque obiecti indiget concursu obiecti, quia ex cognoscente, & cognito paritur notitia, & sine eo nullo modo haberi potest: neque per hoc negatur, quin potentiæ per vires suas operentur. Ergo licet sit necessaria etiam obiectiua Dei præsentia negari non potest, quod intellectus ille æqualis alteri cum lumine, suis viribus videat.

Ex paritate aliarum potentiarum arg.

285 Resp. dist. antec. Indigent concursu obiecti, cuius præsentia est in eorum potestate, nec potest se illis occultare, concedo. Si posset se illis occultare, nego, quod suis viribus possent. Hoc igitur est maxime hic aduertendum, non enim negamus, ex hoc non posse intellectum creabilem suis viribus Deum videre, quia nempe est etiam necessarius concursus obiecti, quia sic, vt benè probat argumentum, nulla potentia diceretur suis viribus elicere actum suum, quia ad omnem requiritur concursus obiecti, sed ex eo præcisè, quia præsentia obiectiua est in potestate talis intellectus, ac proinde quia quantumcunque conetur per suas vires nequit illam habere, non potest illud videre non enim habet per suas vires omnia requisita in actu primo. At respectu aliorum non ita se habet, quia per suas vires potest quis inuenire præsentiam obiectorum, & ideo per suas itidem vires ex parte potentiæ ea videre. E contra ergo, quia adhibito quocunque intellectus creabilis labore, adhuc Deus, si nolit videre, se occultat, si autem velit, se ostendit, quia in quam hoc aliud extrinsecum, seù supernaturale requiritur adiutorium, hinc est, quod dicamus, intellectum illum creabilem etiam perfectissimum, non posse per suas vires Deum videre.

Adæquata ratio, cur intellectus cũ lumine non videat naturaliter, est quia obiectum liberè se ostendit. & disparitas de alijs.

Ob. contra 3. Si dabilis esset intellectus infinitus, nihil ei deesset quin suis viribus videret, naturaliter enim moueretur ab obiecto beatifico: ergo. Antec. prob. Hac præcisa ratione intellectus diuinus mouetur naturaliter à sua diuina essentia. Arg. contr.

286 Resp. concessa hypothesi impossibili, nego anteced. & probat. Nam intellectus diuinus, non præcisè, quia infinitus mouetur ab essentia naturaliter, sed quia diuinus, & essentiæ in omnibus æqualis, qui quidem nequit se essentia occultare, quia idem ei realiter. At ille ficus infinitus intellectus realiter distinctus ab essentia, & plusquam genere ab ea diuersus, inæqualis, defectibilis extra Deum, non posset moueri, nisi liberè, sicut non potuisset creari, nisi liberè, quia hæc est Dei proprietas, vt scilicet extra se nequeat, nisi liberè operari, vt sæpè cum *Ambrosio*, & *Augustino* innuimus.

Intellectus mouetur ab essentia naturaliter, quia diuinus,

## ARTICVLVS XIII.

### *An fieri possit intellectus cui sit connaturale lumen gloriæ.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. sent. dist. 23 quæst. vn.* circa finem, *ad solut. penult. arg.* G. soluens hoc arg. *Deus potest facere creaturam impeccabilem per gratiam, ergo & per naturam, quia non repugnat facere creaturam vnitiue continentem gratiam, vel charitatem, cum neutra sit infinita, & sic gratia esset connaturalis tali creaturæ, & consequenter esset impeccabilis. Scotus*, respondet, *esse impossibile, quod forma contineatur vnitiue in suo subiecto, vt scilicet cuadat eius essentia, solus enim Deus continet vnitiue rerum perfectiones.* & concludit *licet gratia, vel charitas sit infinita, non potest vnitiue contineri in creatura, quia semper gratia esset gratia, & numquam naturalis, vel consequens naturam necessario.* Hæc ibi *Scotus*. Idem repetit *in 4. dist. 49. quæst. 11.* in fine, docens quod etiam si createtur summa voluntas, non posset vnitiue naturaliter continere perfectionem charitatis. Ideo

Quomodo natura non potest gratiam continere.

287 Adu. 1. Articuli sensum hunc esse,

an

an Deus possit producere animam aliquam, cui sit ita proprium habere lumen gloriæ, sicut est ei proprium habere potentias intellectiuam, volitiuam, & cæteras alias. Quod quidem potest dupliciter intelligi, primò ponendo in ea realiter habitum luminis. Secundò non ponendo habitum, sed dando illi animæ virtutem maiorem, & lumini similem.

Duplex sensus.

288 Adu. 2. ex *Scoto* pluribus in locis præsertim *quæst. 1. Prologi §. Ad quæstionem igitur L.* clarius *in 4. dist. 10. quæst. 8. G.* & alibi sæpè supernaturalitatem in rebus creatis aliud non importare, nisi respectum ad agens, vt illud dicatur supernaturale, quod non potest fieri à natura, nec exigitur à natura, ideoque non esse entitatem aliquam absolutam in rebus. Et quia potest vlterius inquiri, quid intelligitur per naturam, & naturæ ordinem, cum multa producí non possint à natura, & tamen sint ordinis naturæ, vt anima rationalis, & Angelus: dicendum est, quod per ordinem naturæ intelligi debet totus ordo, & processus rerum sublunarium, & cælestium, quas decreuit Deus creare absque vllo prorsus ordine ad beatitudinem, seu cognitionem, ac fruitionem sui. Et sic cæli, sydera, elementa, mixta omnia, animæ ipsæ rationales, atque Angeli spectant, vt sic, ad ordinem naturæ, & tamen hæc non potuerunt, nisi à Deo produci. Ad ordinem supernaturalem spectant entia, quæ non possunt quidem à creaturis produci, & non sunt illis debita, & præterea ordinata sunt ad Dei visionem, & fruitionem obtinendam, siue per modum medij, vt sunt auxilia gratiæ, habitus Theologici, Sacramenta, &c. vel per modum causæ instrumentalis, aut immediatæ dispositionis, vt lumen gloriæ, & charitas consummata. Vel tandem per modum principij elevati, seu ordinati ad eam, & sic etiam animæ electorum, reduplicatiuè acceptæ, vt electæ sunt de ordine supernaturalium, scilicet vt elevatæ, ac prædestinatæ sunt. Imò hoc modo omnes animæ, & omnes homines elevati ad beatitudinem (*ex quo vult Deus omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*) vt sic dicuntur esse ordinis supernaturalis, vt omnes DD. fatentur.

Natvræ ordo quid sit.

Ordo supernaturalis quid sit.

Multa supernaturalia.

289 Adu. 3. Omnes Theologos conuenire in thesi negatiua, & omnes pariter conuenire in docendo, quod per nullum potentiam etiam absolutam Dei possit creari aliqua substantia supernaturalis, sed in assignandis rationibus, non conuenire. Ideo in thesi conuenientes in fundamentis disconuenimus.

Sent. neg. communis.

290 Dico ergo. Non potest produci à Deo aliquis intellectus, cui sit connaturale lumen gloriæ. Est *Scoti vbi supra*, *D. Tho. 1. par. quæst. 12. art. 5. ad 3.* & omnium Recentiorum.

Non potest produci intellectus, cui sit connaturale lumen gloriæ,

291 Probari solet 1. Deus non potest producere substantiam aliquam supernaturalem: ergo. Probant consequ. Quia accidens supernaturale non potest fieri connaturale, nisi substantiæ supernaturali.

Sed hoc fundamentum cuiuscunque sit, ruit ex multiplici capite. Primo in sententia eorum, qui dicunt potentias animæ esse accidentia. Si enim intellectus est accidens, quare non potest Deus intellectum aliumsupernaturalem efficere, id est non huius speciei, neque debitum naturæ, tunc autem hoc argumentum nullius esset vigoris.

Non placet prima ratio.

292 Secundo falsum videtur assumi, quod lumen nequeat fieri connaturale, nisi substantiæ supernaturali, quid enim impedit, quin substantiæ naturali sit connaturalis. Diceretur enim, potest Deus creare intellectum aliquem, & simul decernere, vt hæc qualitas sit ei à primo instanti suæ creationis congenita, & per eam operetur sicut ignis per calorem. Nam antequam ignis haberet calorem, id est antequam Deus ab æterno decerneret illi hanc qualitatem tribuere, poterat aliam assignare, non enim idæa ignis concepta ante decreta diuinæ voluntatis, vt repræsentans ignem possibilem, continebat inseparabiliter hanc qualitatem, sed solum possibiliter, & nihilominus postquam à Deo est ei decreta talis qualitas, dicitur illi connaturalis. Ita de hoc intellectu in mente Dei existente dici potest, ex quo enim videt Deus, posse illi congenerari talem qualitatem, potest decernere de ea conferenda, si autem faciat, quid prohibet, nè dicatur ei connaturalis, & hoc argumento maximè vrgeor, vt verum fatear.

Multa assumpta falsa in prima ratione.

Auther vrgetur hoc arg.

293 Tertio. Videtur assumi medium ignotius conclusione, cum dicitur non posse fieri substantiam aliquam supernaturalem. Hæc enim licet ab omnibus existimetur impossibilis, tamen impossibilitatem non video. Non enim negari potest ex eo, quod esset infinita, aut Deus, quia conceduntur accidentia supernaturalia, quæ nec infinita, nec increata sunt. Secundo, esset ab intrinseco defectibilis, limitata, in determinata specie, non continens omnia individua illius speciei virtualiter, vel eminenter. Ergo non infinita, nec à se. Neque videtur neganda ex eo, quod esset per sua naturalia beata, quia cum tali lumine non posset ad obiectiuam Dei præsentiam peruenire, cum Deus sit agens, & mouens liberum extra se, & sicut nunc, ideo supposito lumine facit se præsentem, quia decreuit sic facere, ita & tunc nisi id decerneret, non posset talis intellectus ad obiectiuam eius præsentiam peruenire, sed semper egeret illo externo adiutorio, & sic non per suas vires. Addo, quod si hoc habeatur pro absurdo, de facto nunc etiam admitti-

Hic assumitur medium ignotius cõclusione,

Refellitur allata ratio.

mittitur ab ijs, qui dicunt per lumen dari actiuitatem intellectui; hic enim per vires quas in ſe habet eſtò ſibi à Deo datas videt; ita & videret ille alius, qui à primo ſuæ creationis inſtanti vires illas habuiſſet. Ergo, vel hoc non eſt abſurdum, vel de facto admitteretur; æquè enim ſemper vrget ratio actiuitatis communicatæ, ſiue ab initio, ſiue in fine.

Idem abſurdum ſequeretur de facto,

294 Neque videtur neganda ex eo, quod eſſet de facto concedenda talis ſubſtantia, cum multæ reperiantur, quæ à ſolo Deo poſſunt produci, vt animæ, Angeli, materia prima, &c. Nam diceretur, hæc non dici ſupernaturalia, tum quia pertinent ad ordinem, ſeu machinam mundi, quam Deus decreuit facere nullo habito reſpectu ad ſui communicationem, & participationem per viſionem, & fruitionem: ſecus ſe haberet eiuſmodi intellectus. Concedo ergo, cum Magiſtris meis *Scoto*, ac *D. Thoma*, fieri non poſſe ſubſtantiam ſupernaturalem, & in hoc credo eis; quia rationes conuincentes ruditatem meam non reperio.

Sequela quam inferunt aliqui non vrget,

Author credit D. Thomæ, ac Scoto in hoc.

295 Probari ſolet 1. concluſio, quia lumen reddit creaturam Deiformem, ita ait *S. Thom. 1. par. quæſt. 12. art. 5. ad 3.* & *Scotus* id dicit de charitate *quodlib. 17. B.* & eadem de vtroque habitu eſt ratio. Et ſic concludunt, cum ſit impoſſibile creaturam eſſe connaturaliter Deiformem implicat aliquem ex his habitibus ei eſſe connaturalem. Sed contra. diceretur eſſe quidem Deiformem ex Dei beneficio, qui naturam illam ſibi tribuit; non autem à ſe. Et ſicuti de facto totum illud coniunctum ex intellectu, ac lumine; voluntate, ac charitate, dicitur Deiformis, & nullum ex hoc inſurgit inconueniens: ita ſi faceret talem intellectum cum lumine.

Alia ratio non concludit.

296 Probari ſolet 3. Ex hoc quia lumen gloriæ eſt ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam. Sed neque hæc ratio cogere videtur, & miror quomodo à Scotiſtis aſſumatur; nam per nos ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam eſt ſolus Deus: omnia autem creata ſolum ratione agentis, ex Scoto, ſunt ſupernaturalia. At dato, quod ita ſit ſupernaturale, quod à ſolo Deo petit fieri, & quod eleuet ad participationem Dei; vnde ſequitur conſequentia, quod Deus non poſſit facere illud connaturale, & emanans ab intrinſecis intellectus, ſi ab eodem Deo intellectus cum eo habitu produceretur? Sicut nunc Deus producit animam intellectiuam cum ipſis potentijs intellectu, ſcilicet, ac voluntate, & tamen iſtæ potentiæ emanant ab eſſentia animæ. Et ſicut de facto à ſolo Deo producitur, ita & in eo caſu; neque per hoc amitteret eſſe ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam.

Tertia ratio non placet.

297 Probari ſolet 4. ab eiſdem Scotiſtis ſic. Habitus ſupernaturalis nequit eſſe debitus creaturæ, id autem importat eſſe connaturale. Sed contra diceretur, nequit eſſe debitus abſque Dei ordinatione, concedo. poſt eam, nego. Potuit enim Deus hanc qualitatem præfigere illi intellectui, ſicut præfixit alijs rebus ſuas formas, & actiuitates. Tunc autem eſſet ei debita, ſicut & aliæ ſuis ſubiectis. Vel dicant mihi quare igni eſt debita virtus calefactiua, an ante decreta diuinæ voluntatis, & an fuerit cognitus ignis, vt poſſibilis ſine illa actiuitate, facto tamen decreto de faciendo eum cum illa, eſt ipſi debita. Quis ergo poſſet conquæri, ſi idem diceretur de illo lumine præfixo tali intellectui à Deo ex conditione naturæ talis intellectus? Quod ſi dicatur, tunc non eſſet debita connaturaliter, ſed ex Dei diſpoſitione, ac decreto. Contra, nulla qualitas cuiuſcunque formæ ſit, vel ſaltem aliquarum formarum eſt talis naturæ, vt ante decreta diuinæ voluntatis fuerit præuiſa, ita de neceſſitate connexa cum aliqua ex ijs formis, vt non fuerit præuiſa ſeparabilis ab illa, & poſſibilis in alia, & tamen euaſit connaturalis huic, & non alteri, quia Deus decreuit facere eam formam cum tali qualitate. Ergo idem dici poſſet de lumine, quod de facto accidit intellectui: potuit enim Deus decernere de faciendo illud congenitum, & de natura talis intellectus, & tunc nihil ei deficeret, quin eſſet connaturale. Hoc enim importat vox *connaturale*, vel aſſignetur diſparitas de alijs formis creabilibus ſine ſuis qualitatibus, & tamen iſtæ ſunt eis connaturales, quia Deus decreuit, cum ijs tales formas producere.

Validè impugnatur,

Ante decreta omnes qualitates videntur poſſibiles in alijs ſubiectis.

298 Probari ſolet præterea tam à Scotiſtis, quam ab alijs, ſic. Sequeretur, quod talis intellectus, ſeu anima eſſet per naturam impeccabilis. Sed non video vim huius illationis præſertim in ſententia *Scoti*. Omnes enim habitus extrinſecè tantum, ſecundum illum, faciunt impeccabilem. Igitur ſi natura aliqua rationalis haberet ex ſua natura connexum habitum aliquem ſupernaturalem, hic non faceret alium effectum in ea tunc, quam faciat nunc. Sed nunc non dat intrinſecè impeccabilitatem, quia habens gratiam ſanctificantem, poteſt peccare, & de facto peccat. Imo ſi Deus non daret electis donum perſeuerantiæ non decederent in gratia. Ergo idem diceretur tunc de tali natura rationali cum habitu illo connaturali. Præterea, lumen non eſt gratia ſanctificans, ſed eam ſupponit, quia ipſum ſuccedit, fidei, & de ſui natura non habet ſanctificare, ſed illuminare. Igitur non ſequitur, quod habituatus eo connaturaliter eſſet per naturam impeccabilis, ſed tantum ſequitur, quod eſſet per naturam illuminatus. Sed quid inde? hoc eſt, quod quæritur, & non poteſt aſſignari implicantia, licet fortaſſe, vt credo adſit.

Alia ratio non concludit.

Arg. quod non debet à Scotiſtis aſſumi.

Quarta ratio non concludit.

299 Probari ſolet 6. Quia implicat aliquid

Sexta ratio est frivola.

quid per se vnum constans ex subiecto naturali, & forma supernaturali. Sed hoc non efficit. Primò, quia diceretur ens non per se vnum, & sicut non implicat de facto coniunctum ex intellectu, & lumine, & anima Christi à primo instanti creationis cum lumine gloriæ, & sanctificante gratia, ita, neque in eo casu. Secundò, diceretur ita vnum sicut ignis cum formali potentia calefactiua, quæcunque vnitas illa sit. Tertiò, in sententia eorum, qui dicunt potentias animæ esse eius accidentia, saluatur, quod anima cum illis sit ens per se vnum. Quartò, totum illud ens diceretur supernaturale. Ille enim intellectus, licet quò ad aliqua esset eiusdem naturæ cum alijs, non tamen quòad omnia, essetque indebitus naturæ, ac productus à Deo contra, seu supra communem cursum naturæ, & sic tam ipse, quam forma illa essent entia supernaturalia.

Multæ inflâgtiæ.

Scotistarum ratio neque conuincit.

300 Probari solet 7. à Scotistis ex doct. *Scoti*. Quia nullum subiectum potest vnitiuè continere perfectionem sui habitus, nisi sit ens infinitum. Sed hæc ratio non videtur concludere. Primo, quia nunc agitur de lumine secundum suum reale esse vnibile cum intellectu illo creabili, non verò de intellectu ita perfecto, qui virtualiter contineret perfectionem luminis. Tunc enim admittenda esset illa probatio, & videndum si concluderet.

Authoris protestatio.

Ex quibus, vt verè, & ingenuè loquar, nè vmquamsimulem aliterque dicam quam sentiam, concludo, quod, vel sum adeo fatuus, vt vim rationum istarum non percipiam, & fortasse ita contingit, vel re vera non concludunt.

Ratio quæ placet authori.

301 Probari posse dicerem hoc medio. Quia si id esset possibile fuisset concessum intellectui animæ Christi, qui super omnes intellectus est dignificandus omnia enim gratuita, quæ potuit illi sanctissimæ animæ Deus concedere, tenemus de facto concessisse. Ideo admittimus summum lumen in intellectu, & summam gratiam in voluntate. Sed nullius Doctorum admittit intellectui animæ Christi fuisse connaturale lumen, aut voluntari gratiam. Ergo non est possibile fieri, si autem hæc ratio aliquem non conuincat.

302 Conclusioni tamen communi assentior ex motiuo quidem extrinseco pro nunc, quia eam docet *Scotus*, *S. Thomas*, & Doctores ferè omnes, ijque sapientissimi, quorum authoritati malo acquiescere, quam sapere plusquam oportet: piaculum siquidem existimo ipsis retragari, etiam in puncto mere Theologico, seu potius metaphysico.

Arg. contr.

Ob. 1. Si admittatur lumen connaturale alicui creaturæ nulla sequitur implicantia neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ. Ergo metaphysice saltim est possibile. Anteced. prob. Vtrumque extremum, lumen, scilicet & intellectus sunt entia creata, & neque seorsim, neque simul habent repugnantiam, & totum ex eis coalescens esset creatura. Igitur ex parte creaturæ non repugnat. Neque ex parte Dei, nam Deus potest facere quidquid non implicat contradictionem ex parte obiecti.

Non esset donum supernaturale gratuitum, si connaturale.

303 Resp. neg. ant. ad probat. Dico ex parte creaturæ repugnare, vt sit ei connaturale, quod Deus liberè supra naturam omnium creaturarum aliquibus ex eis concedit, illud enim tunc non esset indebitum naturæ, neque merè liberum Dei donum, sicut sunt omnia supernaturalia, imo esset miraculum, si intellectum eo priuaret, sicut est miraculum, quod priuet ignem potentia calefactiua, absque eius destructione. Adde, quod esset impossibile priuare ipsum eo habitu, quod est contra rationem doni gratuiti.

Instantiæ validæ.

Dices 1. Supposita voluntate Dei de faciendo tale lumen connaturale intellectui, nullum absurdum est, si non posset absque miraculo spoliare intellectum tali lumine, sicut quia dedit igni virtutem calefactiuam, nullum est absurdum, si absque miraculo non possit eam ab igne separare, imo sit impossibile separare absque destructione ignis.

Disparitas de alijs formis connaturalibus.

304 Resp. neg. paritatem. Ratio est, quia potentia calefactiua in igne non est de numero formarum supernaturalium, & proinde mirum non est, si nequeat absque miraculo, imò & destructione ignis separari, quia idæa ignis ab æterno in mente Dei retinet hanc inseparabilem connexionem formæ ignis, & calefactiuæ potentiæ. At non reperitur talis connexio inter ens naturale, & formam supernaturalem, si enim daretur hæc idæa in aliquo, fuisset in effectu posita, saltem in intellectu animæ Christi, qui in gratuitis creditur perfectissimus omnium, qui possunt creari. Ex quo ergo lumen esset supernaturale, & gratuitum, esset separabile. Ex quo verò connaturale, inseparabile. Et intellectus ille fieri non posset sine eo lumine.

Alia instantia.

Dices 2. Licet de facto res ita se habeat, vt omne gratuitum sit seperabile ab intellectu, & voluntate, in casu tamen possibili res aliter se haberet. Sicut ex eo, quod Deus statuit pro electis beatitudinem æternam sine interruptione, non sequitur, quod beatitudo non sit supernaturalis, & gratuita.

305 Resp. neg. assumptum. Si enim esset inseparabile in eo casu, esset etiam naturale, & non gratuitum, ad id quod dicitur de beatitudine falsum est, quod nequeat separari ab anima, licet certum de fide sit, quod numquam separabitur, alias enim non esset æterna requies.

Dices

Dices 3. Saluaretur ratio gratuiti in primo decreto, quo statuit, tali intellectui lumen illud concedere, cum ei non deberetur.

Quid requiritur, vt aliquod sit gratuitum.

306 Resp. neg. antec. Alioquin omnes rerum formæ, siue accidentales, siue essentiales dicerentur gratuitæ, quia Dei decreto factum est, vt rebus conueniant, & tamen per hoc gratuitæ non sunt quia naturis rerum adscriptæ.

Dices 4. Dici posset in eo casu lumen non esse gratuitum, & ex hoc nullum sequitur absurdum. Ergo per hoc non implicat.

307 Resp. neg. anteced. Quia implicat formam aliquam esse supernaturalem, ac Dei donum, & non gratuitum.

Dices 5. Gratis dicitur non dari in intellectu diuino ideam talis intellectus, de possibili sit coniungibilis ex sui conditione, cum lumine illo, *quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit.*

Ex ijs quæ facta sunt arguimus, quæ sint possibilia, & quæ habeant in Deo ideam.

308 Resp. Certè neminem nostrum vidisse ideas, quæ sunt in mente Dei ex his tamen, quæ Deus fecit, vel facere posse credimus, arguimus talem ideam esse, vel non esse in mente Dei. Et quia duo contradictoria nequeunt vniri, dicimus in Deo non habere ideam. Ex primo capite, cum credamus, Deum intellectum Christi dignificasse quantum potest dignificari intellectus creatus, & tamen ei non fecerit connaturale lumen gloriæ, dicimus id non esse possibile. Ex secundo capite, cum creatura ex suis intrinsecis principijs nequeat exigere, nisi, quod est sibi debitum, & supernaturalia dona non sint ei debita, neque eleuatio ad ordinem supernaturalem; dicimus, huius rei impossibilis in Deo non esse ideam, tamquam rei possibilis.

Ob. 2. Esto nequeat creari intellectus, cui sit connaturale lumen gloriæ, vt habitus quidam ab eo distinctus, poterit tamen fieri intellectus, qui virtualiter contineat actiuitatem luminis, & tunc esset ei connaturale. Antec. prob. Nulla enim est implicantia, quin possit Deus actiuitates, duarum causarum in vno aliquo tertio vniri, maximè si sint eiusdem generis, & ad idem obiectum, vt est in casu.

Cur non potest fieri intellectus, qui contineat lumen intrinsecè.

309 Resp. neg. anteced. ad probat. Concederem, quod possit Deus facere aliquod tertium ita actiuum, sicut illa duo, si actiuitas est eiusdem rationis, & ordinis, in casu autem non est eiusdem rationis neque ordinis. Non primum, quia actiuitas potentiæ est actiuitas vitalis, non sic actiuitas habitus. Neque secundum, quia potentia est ordinis naturalis, habitus verò supernaturalis. Ita respondent omnes communiter. Sed ego addo, quod quamuis posset Deus hoc tertium facere continens talem, ac tantam actiuitatem, quantam illa duo, non proinde sequitur, quod intellectui esset connaturale alterum formaliter, quia re vera non adesset: sed solum æquiualenter. At ex hoc nihil video inferri, nisi quod daretur agens aliquod nouum, præter rerum ordinem à Deo formatum. At quid inde? Quæstio est si dari possit intellectus eiusdem speciei cum nostris, cui Deus vniat tamquam essentiale, vel vt proprium prædicatum, ipsum lumen gloriæ. Et hoc negatur communiter, quia tale lumen est quid supernaturale, igitur nulli fieri potest connaturale.

## ARTICVLVS XIV.

### *An intellectus perfectior eum æquali lumine intensius videat.*

Scoti mens

SCOTVS in puncto de intellectu, & visione nullibi sub his verbis loquitur, sed de voluntate cum charitate respectu fruitionis loquitur *in 3. dist. 13. quæst. 4.* ad quam se remittit pro visione *in 3. dist. 14. quæst. 26.* & *in 4. dist. 50. quæst. 6. F.* vbi inæqualitatem beatitudinis quò ad causam dispositiuam reducit ad merita, quò ad efficientem vero ad potentiam, vel habitum. Ideo

Aliqua de hac alias dicta.

310 Adu. 1. Aliqua de hac difficultate fuisse à nobis dicta *in disp. 16. art. 10.* Sed confusè tam de visione, quam de fruitione. Hic autem concertatio est de sola visione. Sensus ergo est. Primò, an de facto, si duo beati habeant intellectus inæquales in perfectione, & merita inæqualia, habeant etiam lumen inæquale, an verò lumen æquale, & tamen intellectus perfectior superet alium, & iuxta sua merita intensiorem eliciat visionem. Secundò, potest agitari de possibili, an, si duo dentur intellectus inæquales, vnus alio perfectior, & vtrique concedat Deus lumen æquale, permittat tamen, vt quilibet agat secundum totum suum conatum, an tunc intellectus perfectior eliceret visionem intensiorem.

Sensus dubij

Vnde pendet hæc quæstio.

311 Adu. 2. Huius dubij solutionem pendere à doctrina de actiuitate intellectus, ac luminis. An, scilicet tota tribuenda sit intellectui, quod discussum est *in art. 13.* & *15.* ad quos est nunc recurrendum.

312 Adu. 3. & suppono ex *disp. 16. art. 9.* & 10. beatitudinem dari de facto iuxta quantitatem meritorum. *Qui enim parcè seminat, parcè & metet*, ait Apostolus 2. *Cor. 9.* de causa autem efficiente modo quærimus, an scilicet quantitas visionis habendæ, sit mensuranda à sola quantitate luminis gloriæ tantum, an à quantitate totius coniuncti ex intellectu, & lumine.

Si intellectus inæquales finantur operari iuxta

313 Dico igitur 1. Si dentur duo intellectus, vnus perfectior alio cum æquali lumine gloriæ, & finantur operari secundum totum

Ex tam actiuitatem, perfectior maiorem elicit visionem.

torum suum conatum, perfectior eliciet visionem intentiorem alio. Colligitur ex *Scoto vbi supra*, est omnium Scotistarum *Alens. 1. par. quæst. 7. membr. 2. Ricardi in 4. sent. dist. 49. art. 2. quæst. 8. art. 3 quæst. 2. Durandi 3. dist. 14. quæst. 1.* Paludani ibidem, &c.

314 Prob. 1. Quoties ad aliquem effectum concurrunt duo agentia, si hæc sinantur agere, sicut possunt, quò maior est actiuitas siue vtriusque, siue alterutrius, eò intensior est effectus: ergo, cum intellectus, & lumen actiuè concurrant ad visionem, quò perfectior est intellectus, eo intensior erit visio. Et hac ratione vtitur *Scotus in 3. dist. 13. quæst. 4.*

A pari arg.

315 Conf. Si duo intellectus essent æquales, & lumen eorum esset inæquale, habens lumen perfectius seu intensius, intentiorem eliceret visionem: ergo è contra. Non enim est maior ratio de vno, quam de alio.

316 Prob. 2. In via, quò perfectior est intellectus, & attentius applicat ad eliciendum actum fidei, eò intensiorem facit supposito habitu, & auxilio efficaci, vel hoc tantum in ijs, qui veniunt ad fidem: ergo. Nam etiam illi actus sunt supernaturales.

Ex impugnatione tent. contr.

317 Prob. 3. Ratio cur ab alijs authoribus teneatur contrarium, est, quia lumen solum dat actiuitatem; adeòque incrementum visionis nequit aliud principium agnoscere, nisi lumen. Sed iam statuimus id esse falsum, quia intellectus, ne dum habet actiuitatem circa visionem, sed principaliorem, quæ nullo modo potest lumini conuenire.

318 Conf. Iam probatum est, quod sine lumine gloriæ, imò & sine alio habitu, vel forma æquiualente, dummodo Deus sit obiectiuè præsens posset intellectus Deum videre. Ergo quò est perfectior eò intensius videret. Igitur etiam cum lumine exercet actiuitatem, quæ de facto ei inest.

Aliæ rationes refelluntur,

319 Prob. 4. Alia ratio, cur id negetur, est, quia gradus illi intensionis in visione essent naturales, quia procederent ab intellectu excedente in perfectione naturali. Sed hoc est falsum, vt in citato articulo diximus. Nam, sicut de facto visio, & quilibet actus procedens à potentia habituata, indiuisibiliter producitur à toto coniuncto; non vero secundum aliquos gradus ab habitu, & secundum alios à potentia; ita totus ille actus videndi esset supernaturalis, quia totus indiuisibiliter à principio supernaturali. Accedit, quod si absque lumine de possibili Deus videretur, iam actus ille secundum se totum esset ab intellectu spoliato omni habitu, & tamen diximus, adhuc esse supernaturalem, ratione, non solum obiecti terminatiui specificantis, saltim extrinsecè actum, sed ratione obiectiuæ præsentiæ, quæ esset illi intellectui indebita, & impossibilis ab eo acquiri. Imò diximus, ex hoc præcipuè etiam de facto desumendam esse supernaturalitatem visionis, quia sine habitu saluari potest, & visio, & supernaturalitas; sed neutra sine præsentia obiectiua. Ergo absurdum de gradibus intensionis naturalis non obstat.

Ex aliorum rationibus comprobatur ex Durando.

320 Prob. 5. rationibus aliorum. *Durandus in 3. dist. 14. quæst. 1.* docet, quod si Deus daret tantum lumen gloriæ Angelo, quantum dedit animæ Christi, Angelus esset beatior anima Christi. & *Caietanus 3. par. quæst. 10. art. 4. ad 2.* ait, si verbum assumpsisset naturam Angeli cum lumine gloriæ æquali illi, quod de facto anima Christi habet de facto, Angelus perfectius videret diuinam essentiam, quam modo videat anima Christi. *Alex. Alensis 1. p. quæst. 7. memb. 2. in corp.* ait. *Quia ergo in gloria erit differentia intellectuum erit differentia apprehensionum.* Et exemplo lucis materialis, sic declarat. *Luce manente eadem, non intensa, vnus oculus secundum quod est perspicacior plus de ea videt, quam alius. Sic luce diuina manente eadem, & in eadem dispositione ad res quantum est de se, ille intellectus, qui erit perspicacior per gloriam, plus de ea percipiet, quam alius minus perspicax.* Hi ergo Doctores non habent pro implicante, quod vnus intellectus alio perfectior, cum æquali lumine, possit intensius videre; imò *Alensis* existimat sic esse de facto.

Ex Alexandet Alen.

De facto nó videtur certum, sed inæqualitas oriatur ex intellectu etiam, sed videtur contrarium dicendum.

321 Dico 2. De facto certum non est, an inæqualitas visionum, iuxta inæqualitatem meritorum beatis conuenientium, oriatur ex sola inæqualitate luminis, vel etiam ex inæqualitate intellectuum actiuiorum, licet primum videatur magis congruum.

Non videtur alicubi definitum, quod ita sit.

322 Prob. 1. pars. Nullibi est hoc reuelatum, neque ab aliquo Concilio declaratum, an permittendum sit intellectibus, vt secundum totam actiuitatem agant circa visionem, sibi proportionatam ex meritorum mensura; an potius attemperanda sit eorum actiuitas, & lumini sufficienti ad eam quantitatem visionis submittenda. Ergo id certò sciri nequit.

323 Conf. Nam in alterutra sententia saluantur, quæ sunt de fide. Nempe necessitas luminis de facto; & inæqualitas visionis. Sicut à fortiori, ista dogmata saluantur, tam in sententia eorum, qui tribuunt totam actiuitatem lumini, quam eorum, qui ei tribuunt partialem, vel instrumentalem causalitatem. Igitur idem dicendum esset de efficientia inæqualitatis, dummodo saluentur inæquales visiones, vndecunque inæqualitas ista proueniat.

2. pars. quod ex lumine extendatur.

324 Prob. 2. pars. Congruentius est dicere, quod de facto inæqualitas ex parte efficientis proueniat ab inæqualitate luminis. Nam congruentius est, quod Beato habenti plura merita concedantur inten-

fiores habitus luminis, & charitatis: alioquin ob perfectionem maiorem in naturalibus fierent peioris conditionis in supernaturalibus; & quod fuit causa maioris forsasse meriti, esset postea causa maioris damni. Nisi diceretur, quod talis beatus perfectioris intellectus, si intensiorem alio habiturus esset visionem, intensius quidem haberet lumen; vtriusque tamen actiuitas contemperaretur iuxta mensuram visionis eliciendæ. Sed de hoc nihil certi firmare possumus.

*Arg. contr.* Ob. contra vtramque. Intellectus habet à lumine posse videre simpliciter. Ergo ab eodem habet posse magis, vel minus. Anteced. prob. Sine lumine non potest, & cum lumine potest. Hoc autem est proprium causæ præcisæ signum.

*Sine lumine de potibili habet potest visio.* 325 Resp. nego anteced. ad probat. Sine lumine non potest de facto, concedo. absolutè, nego. Quia, vt sæpè dictum est, sine lumine posset Deus videri absolutè, si faceret se præsentem obiectiuè.

Inst. Ergo saltim de facto dat posse simpliciter; cum de facto sine eo non possit.

326 Resp. neg. consequ. Quod enim de facto non possit, non oritur ex eo, quod careat actiuitate, sed quia caret præsentia obiecti, quod statuit non se ostendere, nisi intellectui illuminato.

Vrgebis. *Scotus in 4. dist 49. quæst. 11. §. Ad argumenta*, in fine, docet intellectum in via esse potentiam remotam ad videndum Deum; in patria verò esse proximam, sed in patria nil aliud habet, quam lumen. Ergo per illud fit proxima.

*Quare Scotus dicit sine lumine potentiam esse remotam,* 327 Resp. concedo totum. Nihil enim ex hoc argumento in quatuor terminis deducitur. Deberet enim probari, quod remotio prouenit à defectu actiuitatis: sed statim hoc negaretur. Quia potentia aliqua ex duplici capite dici potest remota circa suum effectum; primò, ex defectu actiuitatis, & hæc remotio est essentialis. Secundo, ex defectu passi, vel obiecti, & hæc remotio est accidentalis; multæ enim potentiæ perfectè in suo genere constitutæ non agunt ex defectu obiecti, vel subiecti. Ita se habet intellectus in via respectu visionis Dei; sibi enim deficit obiectum non actiuitas.

Ob. 2. Implicat admittere actum supernaturalem admixtum partibus naturalibus. Ita accideret in casu; quia actiuitas illa excedens actiuitatem luminis influeret in partes sibi similes, nempe naturales.

*Non essent in visione partes naturales & aliæ supernaturales; sed omnes supernaturales.* 328 Resp. neg. min. Totum enim coniunctum in totum actum ita concurreret, vt non possent assignari partes procedentes ab vno comprincipio, & partes ab alio. Alioquin etiam si intellectus essent æquales id eueniret, & actus mixtus ab illo cum lumine emanaret. Totus igitur actus est ab intellectu, & totus à lumine.

Ob. 3. Licet intellectus sit actiuus, non tamen actiuitate supernaturali: intensio autem actus, sicut, & ipse actus est supernaturalis. Ergo nequit ex alio attendi, quam ex habitu, aliaue forma supernaturali. Naturale enim non producit supernaturale.

*Forma supernaturalis in quouis gradu sufficit, vt effectus sit supernaturalis.* 329 Resp. dist. secundam partem ant. Nisi aliquid habeat comprincipium supernaturale, concedo. si habeat, nego. In casu autem supponeretur illud habere, lumen, scilicet in quouis gradu. Sicut namque de facto totum coniunctum cum quouis gradu luminis dicitur agens supernaturale; ita & tunc; & sicut modo intensio est à toto, ita & tunc. Adde, in casu quo vellet Deus sine lumine, vel alio vice luminis videri; tota entitas, ac intensio visionis, adhuc esset supernaturalis; & tamen ex parte potentiæ nihil adesset supernaturale; sed solum ex parte obiecti, quod super ordinem naturæ ostenderet se visibile; quantò magis illa visio, & intensio esset supernaturalis, si etiam in potentia adesset forma aliqua supernaturalis.

Vrgeb. In eo casu lumen non esset proportionatum actiuitati intellectus, sicuti nunc, & ideo non posset ei dare actiuitatem supernaturalem, sicuti nunc.

*Etiá exiguũ lumen sufficit, vt visio sit supernaturalis.* 330 Resp. dist. anteced. Non esset proportionatum, id est æquale actiuitati intellectus, concedo. non esset proportionatum, id est sicut requiritur ex Dei dispositione, nego. & nego consequ. Nam neque nunc in omni beato lumen est æquale omni actiuitati intellectuum, neque essentialiter, quia diuersæ speciei; neque accidentaliter, quia non eiusdem intensionis, si enim sit intellectus perfectissimus pauca habens merita, paruum habet lumen, & tamen hoc est proportionatum, quò ad supernaturalitatis denominationem. Idem esset in eo casu.

Dices. Eatenus nunc paruum lumen intellectui perfectissimo est proportionatum, quia parua actiuitas supernaturalis ei tribuitur. Non ita in alio casu.

*Adhuc non probatum quod lumen dat actiuitatem simpliciter,* 331 Resp. neg. anteced. Hoc enim est probandum, quod nempe lumen det intellectui actiuitatem simpliciter. Sed dicimus eam augere, sicut omnis habitus, cuiuscunque generis auget potentiæ actiuitatem, at non facit simpliciter actiuam.

Dices 2. Lumen facit, vt agat supernaturaliter. Igitur dat ei supernaturalitatem actiuam.

*Quomodo lumen facit, vt intellectus agat.* Resp. dist. anteced. Facit, vt agat supernaturaliter, id est vt actio illa, quæ ab eo coniuncto procedit sit supernaturales, concedo. Facit, vt agat supernaturaliter, id est, vt actiuitas, quam prius habebat intellectus sit supernaturalis; vel si non habebat vllam, habeat postea supernaturalem, nego; nam vt *Scotus* monet *in 3. dist. 14. quæst. 2. C.* in fine, idem intellectus, eademque potentia naturalis, quæ nunc in via intelligit, videbit in patria. Actiuitas

ergo

ergo intellectus non euadit supernaturalis; neq; acquirit aliud nouũ esse supernaturale; sed cum antiqua sua naturali coniungitur actiuitas supernaturalis luminis, & obiectiuæ præsentiæ; & actio illa videndi, quæ ex his omnibus emanat, non ratione intellectus, sed ratione aliorum duorum, est supernaturalis. Quod est maximè notandum; quia in hoc fit tota vis contrariæ sententiæ, quasi nempe actiuitas intellectus, quæ erat naturalis euadat supernaturalis. Vel quod prius non habebat actiuitatem ad videndum, & postea per lumen habeat. Non enim ita est; sed intellectus habet totam actiuitatem sibi necessariam in genere potentiæ in ordine ad omne intelligibile, etiam Deum; sed non habet actiuitatem habitus, neque instrumentalem moralem respectu obiectiuæ præsentiæ, neque effectiuam physicam coadiuuantem respectu actus intensioris; & per lumen vtramque acquirit. Non potest ergo argui. Non habet istam actiuitatem habitus: ergo nullam. Quia habet totam per quam etiam sine habitu posset, & proximè si adesset obiectiua Dei præsentia. Si igitur habet actiuitatem, dum est intellectus perfectior, habet perfectiorem: & si isti vnitur lumen remissum, adhuc cum hoc elicit actum intensum, haberet enim per lumen actiuitatem instrumentalem circa præsentiam obiecti, & physicam adiuuantem pro mensura intensionis ad actus productionem.

Intellectus cum sua antiqua actiuitate agit in beato.

Explicatio magna est, in argum. aduers.

Aliter discurrendum.

Ob. 4. De facto conferatur visio pro mensura meriti, ergo & lumen. Igitur certum est, quod de facto non procedat intensio, nisi iuxta intensionem luminis.

332 Resp. consequ. esse probandam. Admitto enim inæqualitatem visionum iuxta inæqualitatem meritorum at non proinde sequitur necessariò inæqualitas luminis, quia hoc non est præmium, & licet congruum sit, vt merito etiam respondeat, non tamen videtur necessarium, quia licet volens finem, velit etiam media, si tamen plura sint media, & causæ simul concurrentes potest vtrumque velle, sed magis vnum, quam aliud. Vult Deus beatis visionem in determinato gradu, vult merita ad eam ordinata, vult causas, nempe intellectum, & lumen, potest velle vtrumque æque actiuum, vel si non æque in quantitate, tamen in proportione ad visionem causandam, etsi alterutrum posset in quantitate virtutis aliud excedere.

Lumen non est præmiũ.

Quomodo possit de intensione argui.

Instab. Non potest lumini negari conditio premij: ergo. Antec. prob. Charitas etiam cadit sub præmio, ergo & lumen. Secundo, quia est habitus supernaturalis.

333 Resp. Saluo omni meliori iudicio, à nemine decisum video, quod lumen cadat sub præmio, cum præmium sit vita æterna non autem media. & dicerem, quod sicut gratia, neque actualis, neque habitualis cadit sub merito (sed solum augmentum habitualis), quia cum hæc sint media, sunt dona merè gratuita; ita neque lumen gloriæ ex eodem capite. De charitate autem patet, quod non augeatur sed an in eadem intensione maneat in qua erat in via, ipsa enim non euacuatur, sed eadem perseuerat, erit autem perfectior tunc, & ratione inamissibilitatis, & ratione obiecti clarè visi, ideoque erit consummata, at non existimo augendam, sed nolo de hoc contendere. Concedamus cui vis lumen, & charitatem cadere sub merito, & detur lumen iuxta mensuram meriti, quomodo ex hoc concluditur, quod potius actiuitas intellectus excedens visionem causandam remanere debeat otiosa, & non potius actiuitas luminis, sed hoc concurrat quidem circa primum effectum obiectiuæ præsentiæ secundum totum suum conatum, at circa alium effectum physicum producendi visionem attemperetur eius actiuitas, & permittatur intellectui perspicaciori, seu actiuiori, vt visionem, secundum totum suum conatum eliciat. Sic enim expletur desiderium, seu inclinatio intellectus, & virtus sibi intrinseca non remanet per totam æternitatem otiosa. Certum igitur non est, an de facto intensior intellectus cum lumine æquali, iuxta proportionem maioris meriti intensiorem eliciat visionem, & Alensis, Doctor irrefragabilis existimet sic esse.

Non videtur ab aliquo Doctore decisum, quod lumen sit præmium:

Etiam concesso, quod lumen cadat sub merito, & charitas, non concluditur intentum.

Ob. 5. De fide est certum, quod ad videndum Deum, intellectus indiget eleuatione luminis. Ergo quo magis debet videre, eo maiori eleuatione. Igitur quantitas visionis mensuranda est à quantitate luminis eleuantis. Hoc argum. existimatur à Neothericis validissimum.

Arg. à simpliciter ad magis, non tenet sui, & ratio.

334 Resp. dist. antec. Indiget eleuatione, vt tribuente vires simpliciter, nego. vt acquirente instrumentaliter dispositiuè obiectiuam præsentiam, & coadiuuante ad intensius ex parte sua operandum, concedo. & nego consequ. Illud enim argumentum per gradationem, seu arithmeticum à simpliciter ad magis valet quando forma aliqua præcisa, dat simpliciter esse, vel operari, quale ex millies dictis non est lumen. Eleuatio ergo etiam in indiuisibili consistens sufficit ad videndum magis, vel minus iuxta actiuitatem intellectus, & qui vnum gradum luminis habet, æquè est eleuatus ad supernaturalia, ac ille, qui tres, vel quatuor gradus habet. Quia æquè sunt in ordine supernaturalium, licet, qui habet quatuor, ex hoc capite maiorem virtutem habeat, quam qui vnum, & ex alio capite si habens vnum haberet intellectum perfectiorem eo, qui habet quatuor, maiorem etiam actiuitatem haberet. Ergo eleuatio maior, nec datur; nec est necessaria, sed vtique datur lumen intensius.

Quia non est causa præcisa.

Instab. Actiuitas intellectus eatenus con-

currit ad visionem, quatenus est in potentia obedientiali Dei ad assumi per lumen, eamquam instrumentum visionis attingendæ. Ergo tantum eleuatur, quantum est lumen. Et sic ex luminis intensione accipienda est intensio visionis.

Non admittit author in hoc casu potentiam obedientialem, & dicit esse commentitiam & non necessariam.

335 Resp. neg. antec. Ista enim potentia obedientialis est prorsus meo videri commentitia in hoc negotio; cum intellectus habeat omnia requisita ad cognoscendum omne ens, etiam infinitum, si fiat ei obiectiuè præsens. Alioquin deberemus fingere illam potentiam obedientialem in voluntate respectu fruitionis. Imò in via respectu vtriusque potentiæ ad credendum, & diligendam supernaturaliter, quod nullus antiquorum commentus est. Sustinemus ergo, intellectum, & voluntatem habere posse, & actiuitatem simpliciter in genere potentiæ, & à nullo alio eam expectare. Vnde ex mutuatione illius actiuitatis non est petenda visionis quantitas. Si autem de facto admittimus intensionis diuersitatem petendam esse à diuersitate intensionis luminis, id non est, quia intellectus à lumine habet actiuitatem simpliciter, sed quia cum lumen detur iuxta mensuram visionis producendæ, quo maior elicienda est visio, eo maius lumen Deus elargitur. Lumen autem facit vnum integrum principium cum intellectu, & hoc totum elicit visionem. Et quia maius lumen integrat actiuius principium, inde fit, vt à maiori lumine attendenda dicatur visionis maioritas, re tamen vera à toto illo actiuiori adæquate sumenda est.

Quare admittitur intensio luminis iuxta intensionem visionis causandæ.

## ARTICVLVS XV.

### *An ponenda sit species impressa Dei pro visione beata.*

Scoti mens.

SCOTVS pluribus in locis plura docet de specie intelligibili, seu impressa Dei. Primo, speciem impressam repræsentatiuam Dei, vt est, esse possibilem, ita *in 2. sent. distinct. 3. quæst. 9. D.* vbi docet de facto eam inditam fuisse Angelis ab initio suæ creationis, item admittit eam possibilem *in 4. sent. distinct. 49. quæst. 11. G. G. & H.* & alibi. Secundo, docet speciem diuinæ essentiæ non esse necessariam in visione Dei, & talem assignat rationem *sub G. & G. Quando obiectum in se præsens sufficit ad actionem visionis causandæ quantum ad illud quod requiritur ex parte obiecti, tunc non requiritur species.* Hæc *Scotus*.

Plura speciei intelligibilis munera. Primum facere actu intelligibile,

336 Adu. 1. & suppono, quod species intelligibilis ad plura potest admitti necessaria. Primò, vt obiecta, quæ sunt potentia tantum intelligibilia, vt sunt omnia sensibilia fiant actu intelligibilia, ex eis enim, vel immediate ab Angelo, vel anima separata virtute intellectus agentis, vel mediatè per species phantasticas causatas mediis sensibus externis, idem met intellectus agens causat species spirituales receptas in intellectu possibili, quæ sunt repræsentatiuæ obiectorum, & hoc modo obiecta fiunt actu, seu proximè intelligibilia, hoc munus colligitur ex *Scoto in 1. sent. dist. 3. quæst. 6. O.* secundum munus speciei impressæ intelligibilis, imò & phantasticæ etiam, est, vt in absentia obiecti, hoc, per eam supplentem obiecti vicem, & complentem memoriam, abstractiuè cognoscatur, & hoc habetur ex Philosopho *3. de Anima t. 38.* vbi docet lapidem non esse in anima, sed speciem eius, & per eam cognosci lapidem. Tertium munus speciei impressæ, est, vt obiectum, seu cognitio eius sit in potestate nostra, vt quando volumus possimus illud intelligere. Quartum, vt species ipsa physicè concurrat cum intellectu ad causandam cognitionem obiecti, non autem sui. Quintum videtur reddere in idem, species determinat intellectum ad cognoscendum hoc obiectum, & non aliud.

Secundum repræsentare absens.

3. vt sit obiectum in potestate cognoscentis.

4. efficit cognitionem abstractiuã.

5. Determinat ad hoc obiectum.

337 Adu. 2. & colligo ex *Scoto in 2. dist. 3. quæst. 9. O.* Quod obiecta actu intelligibilia, id est spiritualia, nullo alio cooperante possunt ex se ipsis causare speciem sui in intellectu separato, puta Angeli vel hominis. sed eiusmodi intellectus nullo modo ex se habere possunt speciem Dei. (Et hoc non ex alio capite, vt puto, nisi quia Deus non est eis obiectiuè præsens, nisi in statu beatitudinis). Sed eam habere possunt à Deo illam imprimente, ita *Scotus* ibi.

Obiecta spiritualia ex se causant species,

338 Adu. 3. ex *Scoto* pluribus in locis sed præcipuè *in 2. dist. 3. quæst 9. B. & C. in 4. dist. 45. quæst. 2. C. quodlib. 7. F. & quodlib. 13. art. 2.* ac sæpè alibi, cognitionem, seu notitiam intellectiuam distingui in duas species, nempe intuitiuam, & abstractiuam. Prima est illa, qua attingitur obiectum in se præsens, vel in aliquo eminentiori contentum ex eod. *in 4. dist. 49. quæst. 11. F. & quodlib. 13. L.* Abstractiua verò est illa, qua cognoscitur obiectum, non quidem, vt in se existens, sed vt repræsentatum in aliqua similitudine, seu specie.

Cognitio intuitiua, & abstractiua.

339 Adu. 4. Sub hoc quæsito plura comprendi dubia discutienda. Primum, an sit possibilis species impressa distinctè repræsentans Deum. Secundum, an ista species de facto reperiatur in beatis. Tertium, an concurrat aliquo modo actiuè ad visionem beatam.

Plura dubia.

340 Adu. 5. Circa primum, & secundum duas, etiam ex tempore *Scoti* fuisse oppositas sententias. Prima docent esse impossibilem omninò speciem intelligibilem Dei repræsentatiuam, ita *Henricus Gandauen.*

Diuersę sent.

quod-

*quodlib.3.quæst.1.quodlib.4.quæst.7.& 9.* ac *quodlib.5.quæst.14* quem secutus est *S.Thomas* à margine *Scoti* relatus *in 1.par. quæst.56.art.3* quem postea secuti sunt omnes veri Thomistæ; diuersis autem rationibus ab vtroque authore, speciei impossibilitas probatur. Altera sententia est *Scoti in 2.dist. 3. quæst.9.* docentis, nè dum esse possibilem, sed de facto primo homini, & Angelis in sui conditione inditam. Quem sequuntur innumeri Recentiores, mox referendi.

Circa secundum. Multi, nè dum Scotistæ, sed Neotherici admittunt eam de facto in beatis, ita *Mayronus quæst.15. Prælegi art.2. & quodlib.4. art.2. Faber in 3. sent. disp.34.cap.2.* in fine. *Molina 1.par.quæst.12. art.2.disp. Fasolus, Vasquez, Valentia, Turrianus, Suarez*, item *in metaph.disp.30. sect.11.* Alij negant de facto, vt *Alensis 1.par. quæst.2.memb.3.art.1.ad 2. D.Bonau. in 2.sent. dist.23.par.2.quæst.3.* & Scotistæ multi, vt infra.

Multi de facto concedunt speciem impressam Dei.

Circa tertium. *Scotus*, vbique locorum suæ doctrinæ negat de facto, vel de possibili, per speciem impressam Dei, imò neque per speciem alterius obiecti haberi posse visionem intuitiuam Dei, seu alterius rei. E contra verò, Authores omnes citati pro prima sententia in secundo puncto *Mayronus, Faber, &c.* docent per eam produci posse notitiam intuitiuam, & de facto etiam in beatis sic produci.

Aliqui dicunt concurrere ad intuitiuam notitiam.

Et quia quæsitum hoc in tanta generalitate parit confusionem, in plures §§. illud secabimus.

## §. 1.

## *An sit possibilis species impressa Dei.*

Possibilis est species Dei impressa.

341 DIco. Est possibilis ita *Scotus in 2.dist.3. quæst.9. D.E.F.G &c.* per totam, *in 4. dist. 49. quæst.11. C. F. & H.* & Scotistæ omnes, nullo excepto, eum sequuti sunt. *Aureolus, Riccardus*, Neotherici multi. Et *Molina in 1.par.quæst.12. art.2. disp.1 Fasolus ibid.dub.10. Valentia puncto 2. Suar. in Metaph. disp.30.sect.11.* & inter Patres Societ. & est valde familiaris hæc sententia.

Arg. à paritate speciei expressæ.

342 Prob.1. ex *Scoto*. Est possibilis species Dei expressa, ergo & impressa. Antec. prob. Cognitio, seu visio Dei est expressa species Dei, nam est similitudo formalis naturalis Dei, ex *Ioann.13.* habetur, *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ideo *August lib.14 de Trinit. cap.17.B.* In hac quippe imagine, *tunc perfecta erit Dei similitudo, quando Dei perfecta erit visio*, & refert dictum *Ioannis*, *cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*, & subdit. *Hinc apparet tunc in illa imagine Dei fieri eius plenam similitudinem, quando eius plenam percepit visionem.* Idem *August.lib.9.de Trinit cap.10* in fine ait, *omnis secundum speciem notitia similis est rei, quam novit*, & *cap.11.* in principio, ait, *quo circa in quantum Deum novimus similes sumus, sed non ad æqualitatem similes, quia non tantum eum novimus, quantum ipse se*, & paulo post dicit, *quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora fit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoria est, &c.* & hoc est, quod docet *Aristot. 3. de Anima t.18.* Intellectum intelligendo fieri omnia, quia intellectio est rerum intellectarum imago.

August. expressam, vocat similitudinem Dei.

Consequentia principalis prob. Non est maior ratio, cur admittenda sit species, seu similitudo expressa; non autem impressa, cum æquè videantur repugnare.

Ex non repugnantia argum.

343 Prob.2. Ex nullo capite repugnat hæc species: ergo. Anteced. prob. Vel enim ex capite infinitatis, vel supernaturalitatis. Neutrum dici potest. Non primum, quia infinitum potest videri, & exprimi formaliter per similitudinem eius formalem. Ergo potest exprimi per repræsentatiuum virtuale. Secundum, quia inter repræsentatum, & repræsentans non requiritur adæquatio entitatiua, sed repræsentatiua. Alias spiritus non posset repræsentare corpus, & species expressa non posset esse repræsentatio, seu similitudo obiecti infiniti, quod est falsum. Neque secundum, nam species illa, vt *Scotus* monet *in 2.loco cit. O.* esset supernaturalis à solo obiecto supernaturaliter operante, causata. Secundò, quia si notitia, quæ etiam ab intellectu producitur, potest repræsentare obiectum supernaturale, multo magis species illa, quæ nihil participat de naturali.

Quæ adæquatione .e. quiritur.

Arg. ex beatitudine naturali Angeli.

344 Prob.3 ex *Scoto in 2.d.3 q.9.* Beatitudo naturalis, quam habuit Angelus, excedere debuit beatitudinem naturalem primi hominis; igitur debuit habere notitiam distinctam de Deo. Hæc autem haberi non potuit, nisi per aliquod distinctè repræsentatiuum Dei, alia enim repræsentatiua potuit habere homo, & de facto nunc omnes fideles per speciem aliquam in memoria existentem ex diuersis, licet communibus prædicatis Dei formatam habent, neque proinde distinctè cognoscunt. Ergo Angelus habere debuit aliquam aliam distinctius repræsentantem Deum, quam isti. Sed hoc argumentum non cogit quia diceretur, quod non fuit necessaria talis species ita distinctè repræsentans Deum in intellectu Angeli, vt hic posset eum amare, cum intellectio illa debuerit esse obscura, nempe fidei, sicut fuit in Prophetis.

Arg. desumptum ex raptu Pauli. & recordatio.

345 Prob. 4. à *Scoto* ex raptu Pauli, hic enim post raptum recordabatur eorum, quæ viderat, nam 2. *Cor.* 12. ait *Veniam ad visiones, & reuelationes Domini*: & post.

Ra-

ne eorum, quæ viderat

*Raptus est in Paradisum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Glossa* Ordin. *August.* ibi, ait, *propriè hoc ea visione videtur, quæ superat omnes*: & post multa: *Hoc modo Moysi petijt videre Deum, id est in substantia qua Deus est*: & post. *Arcana verba intimationem de secreta Dei essentia, quasi per verba.* Visione ergo Dei præterita, inquit *Scotus*, Paulus recordabatur eorum, quæ viderat, & reflexum actum circa ea faciebat: id autem effici non potuit sine specie impressa repræsentante ea, quæ viderat. Et quamuis ego *in disp. 14. art. vlt.* dixerim, me non inclinare ad tenendum, quod Paulus, vel Moyses, viderint Deum immediatè in se, seu in propria natura, sed in aliquo repræsentativo, vel corporali sensibili intensionali, scilicet in phantasia existente, vel in spirituali specie non distinctè sed confuse aliquid excellens repræsentante; nihilominus, cum *S. Augustinus*, vt ibi docui, *S. Thomas*, *Scotus*, & alij penè innumeri id teneant, cum isti fateri debeant ex dicto canonico ipsius Pauli, quod recordabatur eorum, quæ viderat; infero, quod istis non appareat impossibilis species Dei, & aliorum, quæ viderat, quæ non licet homini loqui.

Author non tenuit Paulum vidisse Deum, & est in natura.

346 Conf. Si beatus à Dei visione seiungeretur, recordari posset de Deo, non enim hoc est impossibile, imò videtur impossibile oppositum, quod nempe quis videat excellentissimum obiectum, & tamen eo absente, non possit neque immediatè post ipsius recordari. Sed hæc recordatio haberi non posset, nisi per repræsentatiuum: ergo.

Ex recordatione beati si separaretur à Deo,

347 Prob. 5. Ex prædicatis Dei, quæ per libros, vel magistros audimus, ex nobismetipsis formamus speciem aliquam confusè repræsentantem Deum. Ergo multò magis Deus ipse poterit aliam perfectiorem, & distinctè repræsentantem efformare.

348 Prob. tandem solutione omnium argument. oppositæ sententiæ, quæ quidem, vt patebit, nullam inferunt repugnantiam; sed multum habent de apparentia.

Arg. contr.

Ob. 1. argum. *Henrici*, & *D. Thom.* à *Scoto* adductis. Omnis ratio intelligendi aliquod obiectum debet per adæquationem illud repræsentare: sed nulla creatura, aut species potest per adæquationem repræsentare Deum: ergo.

Quæ adæquatio requiritur in repræsentatiuo.

349 Resp. ex *Sco.* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. *I.* dist. mai. per adæquationem in entitate, vel in repræsentando perfectè quantum est obiectum repræsentabile, nego. in repræsentando, per adæquationem ad actum eliciendum, concedo. Deinde subdit *Scotus* nulla species adæquatur obiecto primo modo, quia species albi, nunquam adæquatur albo, nec vlla alterius rei adæquatur ipsi rei, quia species semper deficit à perfectione rei repræsentatæ; maximè quod ipsa sit accidens intentionale, res verò, vel accidentia realia, vel substantiæ. Secundo modo potest repræsentans adæquari repræsentato, id est repræsentare illud quantum est repræsentabile illi, cui repræsentatur, & sic perfectissimum album, v. gr. potest per speciem sui perfectè repræsentari. Tertio modo quæcunque species albi, v. gr. etiam in oculo cæcutienti, licet non repræsentet illud quantum in se est repræsentabile, tamen perfectè repræsentat illud per comparationem ad actum sequentem, quia ita perfectè repræsentat, sicut requiritur ad habendum actum circa obiectum. Tunc ait *Scotus*; species possibilis essentiæ diuinæ non esset adæquata, neque primo modo, quia creata, finita, & accidens; neque secundo modo, quia Deus est infinito modo repræsentabilis, neque potest sic videri, nisi à comprehendente, quod non competit creaturæ. Sed solum tertiò modo species impressa Dei adæquatur essentiæ in ratione repræsentabilis comparatiuè ad actū, quo intellectus creatus potest eam attingere. Quod idem est, ac dicere, est adæquata essentiæ diuinæ proportionaliter ad capacitatem intellectus creati.

Multa genera repræsentantium.

Quantum repræsentaret illa species,

Dices species illa esset finita; ergo non posset repræsentare infinitum; quia finiti ad infinitum non est proportio.

350 Respondet *Scotus* neg. consequ. ad probationem respondet per idem non est proportio in entitate, concedo, in ratione repræsentantis, & repræsentati, proportionaliter ad actum eliciendum, nego. Et addit, quod obiectum magis attingitur ab actu, quam à specie; & tamen actus finitus potest terminari ad obiectum infinitum; ita species potest repræsentare obiectum sub ratione infinita. Item potentia finita per suum actum potest attingere obiectum infinitum sub hac ratione infiniti: ergo, & species, estò finita, poterit obiectum infinitum repræsentare. Tandem omnes concedunt speciem expressam, seu cognitionem, seu, vt Thomistæ dicunt verbum, quę repræsentat Deum infinitum, eitque adæquata similitudo illius, quia naturali modo repræsentat Deum, vt est, neque hoc potest negari. Ergo qualis adæquatio admittitur in expressa, talem nos admittimus in impressa.

Finitum potest proportionari infinito repræsentative.

Paritas de expressa concincu.

Ob. 2. Species repræsentatiua obiecti, debet esse determinata, sicut ipsum obiectum; alias non magis repræsentaret, hoc obiectum, quam aliud; sed Deus ex *August. 8. de Trinit. cap. 3.* est maximè indeterminatus. Ergo non potest repræsentari per speciem.

351 Resp. dist. mai. Determinata quò ad esse singulare, concedo. quò ad esse participatum, seu limitatum, nego. ad min. dist. Deus est indeterminatus quò ad vniuersalitatem, nego. quia est ens singularissimum.

Deus est ens determinatum quoad singularitatem, & indeterminatus quoad perfectionem.

simum: quò ad perfectionem, concedo, sed nego consequ. Quia, inquit *Scotus* hæc indeterminatio non impedit repræsentationem. ad illud Augustini respondetur per idem; nam ibi docet Deum esse summum bonum, & non aliquod limitatum, aut participatum. *Tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes, ita Deum videbis. Non alio bono bonum, sed bonum omnis boni*: & paucis interiectis, ait *sic amplectus Deum, non hoc & illud bonum, sed ipsum bonum*. quæ aliud non concludunt, nisi quod Deus non est determinatum bonum, sed infinitum. Et de hoc est quæstio, an possit repræsentari per speciem; & patet, quod sic; quia potest, vt tale, videri, & per visionem exprimi formaliter. Ergo potest etiam repræsentari per speciem impressam. Numquam enim poterit assignari disparitas.

Ex absurdo arg.

Ob. 2. Si daretur talis species, esset imago Dei. & magis quam ipsemet Angelus, vel anima; quod est falsum, Prob. sequela. Quia per eam quis cognosceret Deum distinctè, saltem abstractiuè; & tamen per Angelum, vel animam nequit Deus distinctè abstractiuè cognosci. Igitur illa est magis, & verior imago. Minor probatur, ex *August. 14 de Trinitate cap. 8.* vbi ait: *Ea quippe ipso imago est eius, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest, quod tam magnum bonum, nisi per hoc, quod imago eius est, intelligi non potest*.

Species non esset verior imago Dei, quam Angelus, nisi in ratione repræsentantis

352 Resp. ex *Scoto in 2. vbi supra sub N.* species esset magis imago Dei, quam Angelus in ratione repræsentantis, concedo, in ratione rei imitantis, & cognitæ, nego. Ratio est, ait *Scotus* duplex est imago alicuius rei; quædam quæ est res aliqua, imitans aliam per similitudinem eius, estque cognita res, & ducens in alterius cognitionem. Quædam verò est præcisa similitudo imitans, seu repræsentans rem; at ipsa similitudo non est res cognita, sed solum ratio cognoscendi. Exemplum primi statua Cæsaris est imago Cæsaris, est enim cognita, & ratio cognoscendi. Exemplum secundi est quælibet species obiecti existens in sensu aliquo, siue interno, siue externo, vel in ipso intellectu; & hæc non est ratio cognita, sed ratio qua, seu cognoscendi. Si loquamur de hac imagine secunda certè species impressa est magis imago Dei, quam Angelus; quia est ratio qua cognoscendi Deum distinctè, qualis non est Angelus. Non verò secundo modo; quia sic species non est imago Dei in existendo. Nam hæc imago consistit in aliqua vnitate, ac Trinitate, & in anima, vel Angelo reperitur, non verò in specie, quæ est merum accidens intentionale. Ad Augustinum respondetur, eum loqui de imagine

Angelus est imago in essendo,

in essendo, ac repræsentando non vero de imagine, quæ est ratio qua; & ideo eam primam dicit reperiri in ijs, qui sunt mentis capaces. Ergo nihil contra nos.

Ob. 3. Vel species illa repræsentaret Deum, vt est, vel non. si non, ergo non repræsentaret Deum, sed aliquid aliud. Si sic: ergo, vt repræsentabilis, sed hoc modo, ex ipso met *Scoto* non est repræsentabilis, quia infinitus est eius essendi modus: ergo.

Species repræsentaret Deum, vt est huic potentiæ repræsentabilis.

353 Resp. Repræsentare, vt obiectum potest huic potentiæ repræsentari, at non potest repræsentari modo infinito, quia sic comprehenderetur. Itaque repræsentat Deum infinitum, sed non modo infinito, quia nec ipse Deus est sic repræsentabilis per creaturam, neque creatura est capax talis modi, neque tandem intellectus talis cognitionis. Sed prorsus res se habet, sicut species in oculo cæcutiente, quia ipsa repræsentat huic oculo quantum ipse est capax.

Instabis, vel illa species repræsentat quidem Deum quantum repræsentabilis est, & intellectus non sic percipit, vel repræsentat alio modo. Primum negatur à *Scoto*, quia dari nequit creatura, quæ sic contineat Deum. Si dicitur secundum, ergo non repræsentatur totus Deus, neque repræsentatio illa est rei, vt est.

Deus non repræsentatur quantũ ipse est repræsentabilis.

354 Resp. dist. Quantum est repræsentabilis creaturæ non vero quantum est repræsentabilis intellectui diuino. Alio enim modo intellectio Dei repræsentat, seu exprimit intentionaliter ipsum Deum, quam faciat species ista impressa, quia illa exprimit omnem modum cognoscibilem Dei, cui entitatiuè etiam adæquatur, non sic species impressa, quę semper deficit à perfectione repræsentati. Neque valet dicere, quod repræsentet aliud, seu aliter, quam sit, nam species albi in oculo debili, seu cæcutiente repræsentat album, sed non totam intensionem albi. Ita species illa repræsentat Deum infinitum, sed non modo infinito.

Instantia vrget.

Dices eadem difficultas est de repræsentatione obiecti infiniti, ac modi infiniti. Igitur, si nequit hoc secundum, neque primum. Anteced. prob. Modus enim infinitus nil habet supra infinitum, per quod illud excedat.

Modus Dei infinitus repræsentatur.

355 Resp. dist. anteced. Loquendo de modo se tenente ex parte obiecti, concedo, de modo se tenente ex parte repræsentantis, nego. Declaratur, cum dicimus, Deum non posse repræsentari per speciem, modo infinito non negamus modum infinitatis Dei non repræsentari, quia est implicantia dicere, quod Deus infinitus repræsentetur, non autem modus infinitatis. Sed dicimus primò, quod species non habet modum infinitum repræsentandi, quia est formaliter finita. Secundò, quod non repræsentat modos infinitos, quibus Deus est repræsentabilis, & cognoscibilis.

Vrget valide.

Ob. 4. Quodlibet obiectum repræsentatur per speciem sui cum entitate, quam habet,

bet, eique commensuratur. Certum est quod obiectum finitum petat repræsentari modo finito, infinitum modo infinito. Sed iste modus non potest commensurari speciei finitæ: ergo.

Imago quomodo commensuratur imagato.

356 Resp. dist. secundam partem; ei commensuratur in repræsentatione, concedo, in entitate, nego. Hoc autem modo species finita commensuratur obiecto infinito. & ratio est, quia numquam imago est æqualis in entitate cum imagato, quia sic esset prototypum, seu originale, & non imago. Patet de omni Imagine, siue quæ est ratio qua, vt sunt species impressæ rerum, siue sit ratio, quæ, vt sunt statuæ picturæ, & cætera.

Arg. à simpliciter ad magis.

Dices. Quò obiecta sunt perfectiora, eò perfectiores sunt species. Igitur si obiectum est infinitum, etiam species est infinita. Antec. patet nam species paleæ, verbi gratia est imperfectior specie hominis; & sic de alijs.

Omnes species formaliter sunt æquales, quia qualitates, sed repræsentatiue differunt.

357 Resp. dist. antec. Eò sunt perfectiores in repræsentando, concedo, in essendo, distinguo; modo sibi conueniente, concedo. improportionato, nego: & nego consequ. Ratio est quia species intelligibiles omnes sunt sub specie qualitatis intentionalis, quæ dicitur passio, seu passibilis qualitas; repræsentatiuè autem perfectionem desumunt à suis repræsentatis. Et sic nullum est inconueniens, quod species impressa Dei dicatur repræsentatiuè infinita. Neque negari potest, quod etiam differant in essentiali perfectione. Sed augumentum earum admitti tantum potest vsque ad gradum sibi possibilem, & entitati ipsarum non repugnantem. Sicut licet gratia, lumen gloriæ, charitas, alijque habitus, siue supernaturales, siue naturales possint augeri per appositionem gradus ad gradum, non tamen possunt augeri in infinitum, quia, cum sint entia creata, eis repugnat modus istæ infinitus, ita de speciebus dicendum, quælibet enim causata ab obiecto perfectiori habet esse perfectius, & sic procedendo vsque ad terminum. Hinc fit, quod licet ex hoc calculo species repræsentans obiectum infinitum, deberet habere entitatem infinitam, tamen, quia ipsa, cum sit creatura, non est capax huius gradus infiniti, remanet in suo esse finito. Neque hoc officit quin repræsentet obiectum infinitum. Sicut à pari, imagines, quæ repræsentant personas, siue sint ligneæ, siue terreæ, sine argenteæ, repræsentare possunt Principes, Reges, &c. & dicuntur eorum similitudines, & quò magis assimilantur, eò magis sunt adæquatæ, & nihilominus in entitate sunt dissimiles.

Species non potest esse infinita, & quare.

Eadem arg. fieri possunt contra speciem expressam.

358 Addendum tamen ad hæc omnia argumenta, quod ipsa, vt sunt fieri possunt contra speciem expressam, seu notitiam, aut Verbum, quod Beati (per Aduersarios) habent de Deo. Talis enim notitia repræsentat Deum adæquatè, estque similitudo formalis eius, & hoc in omnium sententia. Ego quæro, an valeat de his expressiuis similitudinibus processus ab imperfectiori ad perfectiorem, & deinceps, vsque ad similitudinem Dei, *cui similes erimus, quando videbimus eum, sicuti est*. Quod ergo respondent aduersarij ad hoc argumentum, respondet *Scotus* ad aliud de impressa, estque argumentum à maiori ad minus. At omnes eodem modo ad vtrumque respondemus, scilicet tam speciem expressam, seu notitiam, & vt alij dicunt perfectum verbum, quod de Deo habent Beati, quam speciem impressam, finita entia esse, & repræsentare ens infinitum, ac proinde in repræsentando tantum dici posse infinitas. Et sicut notitia obiecti perfectioris habet esse perfectius, quam notitia imperfectioris, & notitia perfectissimi, perfectissimum; non tamen notitia infiniti infinitum, nisi ipsa met notitia sit capax infinitatis, vt est notitia Dei in Deo ipso.

Eodem tamen modo omnia soluuntur.

Ob. 5. Species impressa ex generali sua conditione naturaliter repræsentat totum obiectum, & totaliter. Igitur implicat dicere, quod detur species impressa Dei, & non repræsentet eum totaliter, & secundum omnem intelligibilitatem. Sed hoc repugnat. Igitur & species: Mai. prob. Species non est similitudo libera obiecti. Sed naturalis, ideoque quantum potest exequitur, nec potest se limitare, & contrahere à repræsentando.

Ex natura speciei naturaliter repræsentantis arg.

359 Resp. ex *Scoto in* 2. vbi supra *lit. H.* in fine, dist. anteced. De specie, quæ ab ipso met obiecto modo naturali, & determinatè eam imprimente, producitur, concedo. de specie, quæ producitur ab agente libero, & iuxta conditionem subiecti, cui infunditur, nego. Hæc enim tantum repræsentat, quantum subiectum est capax, & obiectum potest ei repræsentari. Deus autem nequit totaliter repræsentari intellectui creato, alioquin ab eo comprehenderetur.

Deus non potest totaliter repræsentari intellectui creato.

Ob. 6. Si species ista esset possibilis, sequeretur, quod aliquis Angelus, vel anima separata posset eam naturaliter videre, & sic per eam, etiam naturaliter videre Deum. Consequens est falsum: ergo. Prob. sequela. Species illa esset quid creatum, & consequenter contentum intra latitudinem obiecti Angeli, vel animæ. Et sicut videns speculum, videret id, quod apparet in speculo, ita videns speciem, quæ est Dei similitudo videret etiam Deum.

Idem arg. fit specie expressa.

360 Resp. 1. Idem argumentum fieri potest de specie expressa, seu de cognitione intuitiua Dei, quæ quidem licet ab intellectu illuminato producta sit, & à Deo supernaturaliter operante, tamen est ens creatum, & finitum; supernaturalitas autem eius non est sicut supernaturalitas Dei,

& in-

& intrinseca, sed extrinseca ratione agentis, & termini. Quod ergo dicitur de ista, dicit Scotista de alia. Et si contenditur de supernaturalitate, & substinetur, quod visio sit intrinsecè supernaturalis, idem dicet Scotista de specie.

Quare videś illam speciē non videret naturaliter Deum,

361 Resp. 2. ex *Scoto sub N.* negando vtramque sequelam, & quod aliquis posset, suis viribus eam videre, & quod per eam videret Deum naturaliter. Ratio primi est, quia est aliquod supernaturale, quia supernaturaliter facta, & supernaturale repræsentans. Ratio secundi est quia licet sit ens creatum, tamen est relatiuum ad Deum, eiusmodi autem relatiua nequeunt naturaliter videri, quòd ad rationem relatiui, quia nequit videri terminus eorum. Et proinde, licet Angelus, vel anima separata posset viribus naturæ videre habitus supernaturales, fidei, spei, & charitatis, & auxilia supernaturalia in intellectu, & voluntate alterius Angeli, vel hominis, in ratione qualitatis; non tamen potest ea videre in ratione supernaturalis, seu gratificantis. Ita prorsus de hac specie dicendum est, quod videri posset naturaliter qualitas illa, sed non repræsentatio. Vel quod neque vt qualitas videretur, quia Deus non permitteret eam videri ab aliquo intellectu non illuminato.

Relatiua ad Deum non possunt videri naturaliter.

Ob. 7. Non potest dari species repræsentans infinita obiecta, quia sequeretur eam esse infinitam, ita arguit *Scotus in 1. dist 3. quæst 10. §. Ista opinio.* Sed idem sequitur de specie impressa Dei, non enim est minoris perfectionis Deus quidditatiuè, & intrinsecè infinitus, quam numerus infinitorum obiectorum.

Difficile arg.

362 Resp. hoc argumentum esse difficilius, quam appareat. Potest tamen dici primo, quod *Scotus* negat dari posse vnum habitum, seu speciem repræsentantem plura, & infinita, quia quodlibet eorum contineretur in illa secundum vnum gradum saltem repræsentabilitatis. Igitur, si infinita, infinitæ essent gradus, vel perfectiones in ea. Quælibet enim ratio repræsentatiua, secundum se, & præcisè dicit aliquam perfectionem, infinitæ autem, infinitas. Non sequitur hoc de specie repræsentante infinitum intensiuè, seu intrinsecè, quia non essent tot numero perfectiones vnitiuè contentæ in illa, ita vt æquiualeret infinitis repræsentatiuis.

Non sequitur arg. infinitum in specie vnius tantum obiecti.

Dices 1. Esset vna perfectio formaliter infinita. Quia obiecti intensiuè infiniti.

Falsitas ex Scoto accepta non concludit.

363 Resp. neg. sequelam. Non enim probatur continentia vnitiua infinitarum repræsentatiuitatum, sicut sequitur in specie repræsentante infinita. Ita illud absurdum *Scoti* colligitur ex parte infinitarum repræsentatiuitatum, quæ continerentur in illa vna specie. Quod non sequitur in casu speciei impressæ Dei.

Dices 2. Si species repræsentaret Deum, vt continentem virtualiter omnia, & infinita possibilia, sequeretur illud inconueniens, quod abhorret, & meritò *Scotus*.

364 Resp. Posse aliquem negare talem speciem esse possibilem, non verò speciem Dei, vt est in se secundum sua prædicata quidditatiua, & relatiua. Sed melius resp. 2. neg. sequelam. Quia in eo casu non species impressa Dei contineret repræsentationes omnium possibilium, sed Deus, ideoque habens speciem cognosceret Deum continentem omnia, & infinita. Verum non ipsa species repræsentaret illa, quia sic est idem absurdum, quod respuit *Scotus*; sed Deus visus ea contineret. In termino ergo cognito esset infinita continentia non in specie.

Ob. 8. Species hæc contineret, vel virtualiter, vel eminenter intelligibilitatem Dei. Ergo est impossibilis. Prob. antec. Per eam posset Deus intelligi, siue intuitiuè, siue abstractiuè. Consequentia etiam probatur, intelligibilitas est passio entis intelligibilis: igitur species illa contineret Deum.

Species continet intelligibilitatem extrinsecam Dei, & accidentalem, sicut aliæ imagines rerum,

365 Resp. dist. antec. Continet intelligibilitatem extrinsecam, & accidentalem Dei. concedo. intrinsecam, & essentialem, nego. Ratio est, quia ens, quodlibet intrinsecè includit intelligibilitatem sui; imagines autem, & species, ac similitudines entium continent intelligibilitatem extrinsecam, id est sunt rationes, quibus medijs possunt intelligi, ea entia. Et sic non est absurdum, quod species equi, quæ est accidens intentionale contineat virtualiter, seu per modum actus primi, & extrinsecè intelligibilitatem extrinsecam equi. Et idem de specie expressa dicendum, quæ in actu secundo continet intelligibilitatem extrinsecam obiecti, quod exprimit. Et visio beata intelligibilitatem Dei, & hoc est commune omni speciei respectu omnis entis repræsentati.

## §. 2.

## *An de facto in Beatis detur species impressa Dei.*

Scoti mens

SCOTVS non videtur firmiter adhærere alterutri parti, modo enim videtur eam de facto admittere in Angelis beatis, imò & per eam videre Deum, vt *in 2. dist. 3. quæst. 9.* circa finem *sub O.* modo eam negare, vt ibidem. & *in 4 dist. 49. quæst 11. G & K.* vtrumque dicit.

Duo dubia.

366 Adu. Duo posse inquiri, primum, an de facto Beati habeant speciem impressam diuinæ essentiæ. Secundum, an hæc concurrat aliquo modo ad visionem beatam. Primum, nunc agitatur. De secun-

do dicemus in sequenti. Hoc posito

Probabilius videtur quod beati non habeant speciē impressam, licet sit probabile oppositum.

367 Dico. Probabile videtur, quod beati de facto habeant speciem impressam Dei: sed probabilius est, quod non habeant. Primam partem quam *Scotus loco cit. in 2. & etiam in 4.* videtur asserere tenent multi Recentiores, præcipuè *Vasq. 1. par. quæst. 12. disp 43. cap. 7. num. 32.* qui conatur ostendere *D. Tho.* esse huius sententiæ, & quod lumen gloriæ potest etiam dici species impressa, eò quod S. Doctor cum concedit habitus Angelis, ait eos esse species impressas. Eam defendunt *Swising. t. 1. tract. 2. disp 6. quæst. 1. Ouandus in 4. dist. 49. procœs. 10. & alij*. Secunda vero pars defenditur ab omnibus ferè Scotistis, & Thomistis, quia esset frustratoria.

1. pars. quod detur.

368 Prob. 1. pars. Alia obiecta, cum videntur causare sui speciem in intellectu: ergo. Consequ. probatur. Species Dei est possibilis, vt probatum est, neque videtur ratio, cur non debeat de facto produci.

369 Prob. 2. Species obiecti, vel causatur tamquam effectus prævius ante cognitionem, vel vt concurrat cum intellectu ad illam. Ergo, cum intellectus respectu visionis Dei sit maximè improportionatus, non est ei denegandum hoc speciei adiutorium; neque essentiæ diuinæ hæc causalitas respectu speciei.

370 Conf. Nam *Scotus in 2. sent. dist. 3. quæst. 9. O.* respondens ad quodam argumentum *§. Ad vlt.* ait, *dico si teneatur, quod Angelus beatus non videt per istam speciem, tunc nec alius videns eam in intellectu eius videbit per eam supernaturalia. Si autem ponatur, quod ipsa sit ratio ipsi intellectui, vt in quo videndi Trinitatem potest, concedi, quod etiam alij videnti sit ratio, quia etiam, & alius habet in se similem speciem videndi, & tunc oportet dicere, quod visio est naturalis.* Ergo *Scotus* habet pro certo, quod Angeli beati habent speciem Dei, & solum dubitat, an per eam videant Deum, nec nè.

Argum. ex Scoti doctr.

371 Conf. ex eodem *in 4. dist 49. quæst. 11. G.* vbi docet, quod si intellectum concurrat actiuè ad visionem oportet concedere has formas supernaturales, præcedentes: *Vna est correspondens obiecto, scilicet species intelligibilis in memoria, secunda est ex parte intellectus, quæ dicitur lumen.* Et infra *sub H.* dicit, quod si intellectus concurrat passiuè tantum, non est necesse ponere in eo lumen, & addit, *vnde minus videtur mihi necesse ponere lumen, quam speciem, quia si species ponitur, hoc est, vt memoria sit perfecta ex parte intellectus, sed an sit ponere talem speciem propter formalem operationem, & perfectionem potentiæ, hoc dicetur alias.* Ergo secundum *Scotum* hoc videtur certum, quod beati actiuè concurrentes ad producendam visionem Dei, habent speciem eius intelligibilem, quæ constituit cum intellectu memoriam perfectam; dubitat autem, an ista species concurrat ad operationem formalem, nempe ad visionem Dei.

Aliud arg. ex Scoti doctr.

Videtur Scotus ad hoc inclinare.

372 Prob. 2. pars, Species hæc impressa in beatis esset frustratoria, numquam enim aliquem effectum esset productura: ergo. Anteced. prob. Effectus, ad quem ponuntur species intelligibiles sunt cognitiones abstractiuæ obiectorum in absentia eorumdem. Sed beatus numquam habebit cognitionem Dei abstractiuam, neque si vellet, posset eam habere, nam semper habebit Deum obiectiuè præsentem: ergo.

2. pars. quod non detur de facto species Dei impressa.

373 Conf. Species impressæ aliorum obiectorum, ideo semper producuntur ab eis, tamquam effectus prævij, quia non semper esse possunt præsentia immediatè potentijs cognoscentium, & ideo, vt cognoscentes habeant in sua potestate notitiam obiectorum, natura, seu Deus prouidit de eiusmodi speciebus. Sed hæc necessitas non est in beatis, quia semper habent obiectum præsens: ergo.

Effectus specierum.

374 Conf. 2. Alia obiecta ideo causant speciem sui in potentijs, neque possunt non causare, quia agunt naturali modo, scilicet, vt intrinsecè determinata ad vnum. Sed Deus non sic agit, cum agat liberè ad extra, & potest speciem non causare: ergo ex conditione causalitatis obiecti, non potest colligi species ista de facto, & hoc argumento vtitur *Scotus in 2. dist. 3. quæst. 9. in fine N.*

375 Prob. 1. Species impressa obiecti, vel est necessaria, vt transferrat illud de ordine in ordinem, vel vt effectus prævius, & vt substituatur loco obiecti, sitque eius vicaria. Sed neutrum horum efficere potest species impressa Dei in beatis: ergo. Non primum, quia, Deus est proximè, & actu intelligibilis, cum sit spiritualissimum ens. Non secundum, quia non est necessarium substitutum, quando ad est principale. At respectu beatorum semper Deus est obiectiuè præsens: ergo.

A sufficienti excluditur necessitas speciei.

376 Conf. Frustra enim multiplicantur entia sine necessitate, nulla autem apparet huius speciei necessitas: ergo.

Frustra esset

377 Conf. 2. Vel datur, vt intellectum roboret, vel vt ad visionem concurrat. neutrum asseri potest. Non primum, quia sufficit lumen ad roborandum. Secundo, quia species aliorum obiectorum non roborant intellectum, ergo neque ista. Non secundum, quia, vt in sequenti dicetur implicat, quod cognitio intuitiua fiat per speciem, vel cum eius concursu partiali. Nam intuitiua est producta ex obiecto in se præsente. Igitur non potest recipere influxum speciei, quæ, vt repræsentans obiectum influit in cognitionem.

Non roborat.

378 Ob. contra 1. partem, omnibus arg. allatis pro secunda, & responderi posset ad pri-

Arg. contra 1 partem sa-

Ad pro secunda solutur.

primum, speciem illam non esse frustratoriam; sed esse primò ad ornatum intellectus. Secundò, quia talis est natura intellectionis, vt semper præcedat species obiecti. Tertiò, quia omne obiectum primo causat speciem sui, deinde notitiam. Ad illud de frustra respectu notitiæ, aliqui dicunt (sed nescio quo fundamento) quod species concurrit etiam actiuè ad cognitionem intuitiuam; at quia ego hoc non teneo dico, non esse frustra, sicut neque frustra erunt membra genitalia in beatis, & alia multa, quæ sunt de integritate hominis, sed ad nihilum inseruient. Ita de specie diceretur, quod ad nihil inseruiet, quia tamen est quid præcedens, & comitans omnem obiecti cognitionem, permanebit in intellectu in æternum.

Est necessaria ex natura rei.

379 Ad 2. diceretur, quod illa ratio ponendi speciem, vt in absentia obiecti, eius cognitio sit in potestate habentis speciem, est vnum motiuum, sed non adæquatum; posset enim assignari aliud nempè, vt constituatur memoria in actu primo disposita ad cognitionem obiecti, ad quam disponit species, tamquam huius semen, & vt roboret, ac illustret potentiam, vt circa illud agat connaturaliter.

Omne obiectum prius producit speciem.

380 Ad 3. diceretur quod est connaturale omni intellectioni, vt præcedat eam obiecti species, siue obiectum naturali modo agat, siue liberè. Et ita non potest dari visio alicuius obiecti, sine specie, sicut neque potest dari in sensibus cognitio sensitiua sine specie.

Ad quid necessaria.

381 Ad 4. diceretur, quod species Dei in actuali visione beata, est necessaria ad minimum, vt effectus prævius: non quidem, vt sit substituenda loco obiecti, ac vt vicaria eius; sed quia id petunt natura visionis, & obiecti visi, si videri velit.

Non frustra esset.

382 Ad 5. de multiplicatione frustratoria, negatur assumptum; apparuit enim in præcedenti resp. necessitas ex conditione visionis, & obiecti visi. Sicut à pari Angelus respectu alterius Angeli est actu, & proximè intelligibilis, & tamen, vt intelligatur ab eo, debet prius speciem impressam sui in eo causare.

Species est lumen quoddam obiecti

383 Ad vlt. Diceretur, quod species datur ex necessitate, vt dictum est dispositiua cognitionis. Et licet non concurrat effectiue ad visionem, tamen intellectum roborat, diuerso modo, à lumine, nam species est velut quodam lumen connaturale intellectus respectu intelligibilis, lumen vero gloriæ est aliquid supernaturale, & instrumentale ex dispositione diuina necessarium, sicut pluries dictum est, & ad obtinendam Dei præsentiam obiectiuam, & ad fortificandum intellectum, vt intensius agat. Ex quibus concluditur probabilitas illius sententiæ.

Arg. contra 2 sunt ratio.

384 Ob. contra 2. partem. argum. pro prima parte allatis. Et ad primum resp. cum *Scoto in 2. dist. 3. quæst. 9. N. in fine*. Quod alia obiecta id eo causant sui speciem antequam causent cognitionem, quia modo naturali operantur, & non possunt non agere, non sic essentia diuina, quæ liberè operatur, & ideo potest speciem sui non producere. nes pro prima,

385 Ad 2. De improportione, diceretur quod si aliqua est improportio in intellectu, tollitur per lumen, ideo non est necessaria species.

386 Ad argumenta ex *Scoti* authoritate adducta, dico, quod, vt patet ex eius doctrina ipse posuit in Angelis speciem Dei, cum essent in statu viæ, & proinde mirum non est concedere etiam remansisse in eis pro statu Patriæ, de alijs tamen beatis nihil tale dicit. Vnde cum istis non fuerit concessa in via, neque videtur eisdem concedenda in Patria. Neque valet argumentum de Adamo, cui etiam supponitur concessa talis species, quia Adam, sicut, & Angeli rebelles fuerunt spoliati omnibus gratuitis, quando peccarunt. De Angelis facile conceditur, quia eos habuerunt in via.

Ob. 2. Species constituit memoriam in actu primo proximè operatiuam, ex *Sco: in 4. dist. 49 quæst. 11.* ergo.

387 Resp. vt in sequ. §. Constituit memoriam in ordine ad cognitionem intuitiuam, nego. in ordine ad abstractiuam, concedo. & proinde non est necessaria Beatis.

Alia argum. quæ possunt adduci pro necessitate speciei, adducentur in sequenti.

## §. 3.

## *An species impressa Dei concurrere possit ad visionem beatam.*

SCOTVS videtur parti affirmanti præbere fomentum, eo quod *in 2. dist. 3. quæst. 9. O.* dicat. *Si teneatur, quod Angelus Beatus non videt per istam speciem:* & post. *Si autem ponatur, quod ista sit ratio ipsi intellectui, vt in quo videndi Trinitatem, &c.* & *in 4. dist. 49. qu. 11. H.* dubitat, *an sit ponenda species Dei propter formalem operationem, & perfectionem potentiæ.* & ait, de quo dicetur alias. Ex vniuersali autem *Scoti* doctrina infertur per necessariam consequentiam, non posse speciem Dei concurrere ad intuitiuam Dei visionem, ita *in 2. dist. 3. quæst. 8. & quodlib. 14. art. 2.* Scoti mens.

388 Dico ergo. Species impressa Dei, siue ponatur in Beatis de facto, siue de possibili, non potest concurrere effectiue ad intuitiuam Dei cognitionem. Colligitur ex *Scoto in 2. dist. 3. quæst. 8. C. & quæst. 9. §. Ad quæstionem, & quæst. 11. & quodl. 14. art. 2.* Species impressa non concurrit ad visionem Dei.

389 Prob. Hæc est differentia inter cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, quod illa fiat ex obiecto immediatè mouente, ac terminante, abstractiua verò per speciem repræsentantem obiectum. Sed, vt de fide probatum est in suo loco, beati vident Deum intuitiuè, & immediatè, ac facialiter. Ergo non concurrit ad eam species, hæc enim aliud non est, nisi repræsentatiuum in actu primo, & virtualis similitudo obiecti.

A prioriarg.

390 Conf. Species impressa potius impedit cognitionem intuitiuam, quam eam adiuuet. Nam facit, vt obiectum cognoscatur in imagine; ergo est arcenda à concursu intuitiuæ visionis.

391 Conf. 2. Vel actus procedens ab intellectu cum specie, & à Deo est vnus actus, vel duplex neutrum potest asseri; non primum, quia idem actus esset abstractiuus, & intuitiuus, ex quo enim fit per similitudinem obiecti, esset abstractiuus. Ex quo verò fit immediatè ab obiecto, esset intuitiuus. Neque secundum, quia licet duo isti actus haberi possint de eodem obiecto, tamen nequeunt simul produci, quia concurrentibus obiecto, ac specie, obiectum vincit, & se solo causat. Secundo, quia frustratoria esset in beato abstractiua cognitio, dum haberet intuitiuam.

Ex absurdo arg.

392 Prob. 2. Idem obiectum reuelatum, & clarè visum non potest concurrere ad eundem numero actum. Ergo neque obiectum in se existens, & repræsentatum in specie. Probatur paritas consequentiæ, ideo non potest obiectum reuelatum seu obscurum, & clarum, seu euidens simul concurrere ad actum eundem, quia sunt diuersa lumina, seu diuersi modi causandi per modum obscuri, & per modum euidentis, & actus non posset participare de vtroque, ita prorsus se habet obiectum in se existens, quia clarum; & obiectum in specie repræsentatum, quia obscurum. Ergo nequit vtroque modo concurrere, neque actum de vtroque, abstractiuo scilicet, ac intuitiuo participantem producere.

A pari de actu fidei, & scientiæ.

393 Prob. 3. Vel species concurreret ex parte obiecti, vel ex parte potentiæ: neutrum potest dici; ergo, Mai: est sufficiens. Min. probatur. Non ex parte obiecti, quia hoc est ex se immediatè, ac intimè præsens potentiæ, & sufficienter actiuum, nec eget aliquo supplctiuo; species enim sunt vicariæ obiectorum: quando nempe ista nequeunt esse immediatè præsentia. Neque dici potest secundum, quia in primis intellectus, vt diffusè probatum est, habet sufficientem actiuitatem in genere potentiæ, & si qua ei deficeret, supplerur per lumen. Ergo non est ei necessaria species adiuuans actiuitatem.

A sufficienti excluditur species in cognitione intuitiua.

394 Prob. 4. Est implicantia in adiecto, dicere, cognitionem esse intuitiuam, & esse per medium cognoscendi: ergo. Euidens est consequentia. Quia species est medium cognoscendi, & visio est intuitiua. Anteced. prob. Cognitio intuitiua excludit omne medium, & est ex obiecto, & circa illud in se existens, & cognitum. Si autem fiat concurrente specie, iam vt in ea existens moueret, ac terminaret, quæ sunt contradictoria.

Implicat intuitiua cognitio per speciem,

395 Prob. 5. Quælibet res habet intrinsecè vnum, ac determinatum modum operandi, nisi sit ens liberum. Ergo species impressa Dei, cum intrinsecè sit determinata ad repræsentandum obiectum, & ad causandam notitiam abstractiuam, non potest causare intuitiuam, neque apparet modus, quo eam causet.

Ex modo operandi determinato, arg.

396 Conf. Quia obiectum immediatè præsens intellectui, est determinatum ad causandam notitiam intuitiuam, numquam, vt immediatè præsens potest concurrere ad abstractiuam, quia nequit assignari modus concurrendi, ergo neque species, quæ est apta causare abstractiuam, poterit causare intuitiuam.

Ab opposito de intuitiua cognitione per obiecti.

397 Prob. 6. Implicat, vt imago simul cum prototypo concurrat ad cognitionem intuitiuam corporalem alicuius obiecti. Ergo idem dicendum de intellectuali. Consequ. prob. Eædem prorsus occurrunt difficultates in vtroque casu. Anteced. est euidens, tum quia est superflua imago quando ad est prototypon. Secundo, quia imaginis influxus impediret claritatem, & illustrationem visionis.

Imago, & prototypum non possunt simul concurrere.

Ob. 1. *Scotus* non habet pro absurdo, quod de facto in Angelis ipsa species influat in visionem Trinitatis: ergo. Antec. patet ex initio articuli.

Arg. contr.

398 Resp. *Scotum* loqui disiunctiuè, vt respondeat ad illud argumentum, quod si daretur species impressa Dei, alius Angelus videns eam, videret naturaliter Deum. Et *Scotus* ait hoc non sequi, quia si teneatur, quod Angelus eam habens non videat per illam, neque alius Angelus per eam videret. Si verò teneatur, quod videt per eam, potest concedi, quod alius etiam videret, quia habet in se similem speciem videndi. At non determinat, an sit ratio videndi, sed discurrit, quod in neutra sententia sequeretur visio omninò naturalis.

Scotus respondet conditionate.

Inst. *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11. H.* ex principio art. dubitat, an species concurrat ad visionem; ait enim, *de hoc dicitur alias*. Ergo, vel conceditur de facto, vel saltem non est repugnans, alioquin *Scotus* absolutè id negasset, tamquam quid implicans.

399 Resp. Certè hoc argum. aliquid probat in doctrina *Scoti*. Verum dico, quod licet tunc non firmauerit id implicare: tamen *in quodlib. 14.* semper negat cognitionem intuitiuam fieri per speciem.

Ex alijs Scoti doctrinis habetur implicare, quod per speciem fiat visio,

Ob. 2. Eatenus negatur concursus speciei

ciei ad notitiam intuitiuam, quia hæc fit ex obiecto præsente, sed species potest repræsentare obiectum præsens, etiam in *Scoti* sententia. Ergo intuitiua potest fieri per speciem.

Species potest repræsentare obiectum præsens.

400 Resp. dist. min. Potest repræsentare, ita tamen vt obiectum immediatè moueat, & efficiat, nego. Ita vt ipsa moueat, & efficiat, obiectum verò præsens repræsentatum, solum terminet, concedo, & nego consequ. Nam aliud est, quod species possit repræsentare obiectum existens, vel præsens, & aliud est, quod obiectum præsens, vt tale concurrat ad notitiam. Si primo modo res se habeat, notitia est abstractiua, per accidens enim est, quod repræsentatum sit præsens, si ipsum met immediatè non moueat, ac terminet. Hoc est enim de ratione notitiæ intuitiuæ. Quæ autem fit per repræsentans, siue repræsentet præsens, siue absens, est abstractiue.

Ob. 3. ex Apostolo 2. *Cor.* 5. habente. *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*. Ergo si modo in via cognitio Dei per fidem est abstractiua, tunc per speciem erit intuitiua.

Species aliquando significat præsentiam.

401 Resp. neg. consequ. Ratio est quia nomine *speciei*, Glossa Interl. intelligit *præsentiam Dei*, quæ est species, seu maiestatem, & pulchritudo Dei. Et Glossa Ord. ibi, Ver. *Peregrinamur à Domino*, ait *non fide, sed specie*. Et infra illuminamur nunc per fidem, non per speciem, & hoc dictum conforme est alteri dicto eiusdem Apostoli, 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Imo nunquam in scriptura fit mentio de specie ista, de qua loquuntur Philosophi, ac Theologi: sed omnem cognitionem, quæ non est Dei immediatè in se, scriptura vocat ænigmaticam, & figuratiuam, *Num.* 12. de Moyse dicitur. *Ore enim ad os loquor ei, & palam, non per ænigmata, & figuras Dominum videt*.

Ob. 4. *Scotus in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 11. G. docet speciem constituere memoriam. Ergo, cum visio procedat à memoria, (per eundem), & per omnes Theologos, ac per *Augustinum*; sequitur, quod ad visionem concurrat species.

Species non semper necessaria, vt constituat memoriam, nisi quando datur.

402 Resp. dist. antec. Quando datur species obiecti, tunc constituit memoriam, concedo, est semper necessaria, vt constituat memoriam, nego. Ratio est quando obiecta causant speciem sui, tunc constituunt memoriam facundam; at non in ordine ad cognitionem intuitiuam. Sed in ordine ad eam, quam potest causare species, nempe abstractiuam. Vt enim docet ex *Augustino*, *Scotus in* 1. *sent. dist.* 3. *quæst.* 7. *Y.* obiectum est pars memoriæ, id est partialis causa, & comprincipium respectu intellectionis efficiendæ, si est intuitiua. Species autem est etiam comprincipium vice obiecti pro abstractiua.

Instab. Species obiecti determinat intellectum ex se indeterminatum, vt circa hoc, & non circa aliud obiectum operetur. Ergo in omni visione est necessaria.

Duplex responsio.

403 Resp. 1. dist. consequ. Est necessaria ad videndum, id est effectiuè concurrendum, nego. ad videndum præsuppositiuè, seu dispositiuè, concedo. Ex hoc autem probatur, quod detur tantum.

Resp. 2. dist. anteced. Determinat intellectum, & efficit cum eo intuitiuam, nego. efficit abstractiuam, concedo. At ex hoc non probatur, quod semper sit necessaria species, & concurrat efficienter. Hoc autem inquiritur.

Ob. 3. Intellectus antequam intelligat debet assimilari obiecto per speciem. Ergo hæc concurrit tamquam assimilatiua; & ideo in visione datur similitudo in actu secundo; quia in intellectu datur in actu primo; ergo ista concurrit effectiuè, ad illam.

Si obiectum naturaliter agat causat sui speciem.

404 Resp 1. dist. anteced. Loquendo de obiectis, quæ naturali modo imprimunt sui speciem, concedo. de obiecto, quod liberè eam producit, nego. Id enim est in quæstione, an Deus producat speciem sui in intellectibus beatorum.

Non semper actus cognitionis supponit speciem.

405 Resp. 2. nego consequ. Licet enim species impressa assimilet in actu primo obiectum, id est sit similitudo virtualis eius, potens nempe concurrere effectiuè ad similitudinem formalem; non tamen ad eam, quæ in cognitione intuitiua habetur; sed ad eam, quæ habetur in abstractiua. Vtraque siquidem cognitio est similitudo obiecti, sed intuitiua causatur ab ipso met obiecto; abstractiua verò à specie, hoc autem est probandum, quod omnis similitudo formalis, seu in actu secundo habeatur effectiuè à specie.

Ob. 4. Similitudo in actu secundo est naturalis; igitur debet esse producta à causa naturaliter agente. Hæc autem est species. Ergo ad eam concurrit effectiuè.

Visio beata licet producta liberè, vt similitudo naturalis.

406 Resp. neg. consequ. Est enim naturalis similitudo, sed ab agente libero, & liberè producta, & ab intellectu. Vt enim habeatur in visione naturalitas, seu intrinseca ad vnum determinatio, sufficit intellectus, qui hoc modo intrinsecè determinato producat. Imò, etiam si intellectus actiuè non concurreret, sed solum passiuè, adhuc visio esset naturali modo similitudo obiecti; quia licet Deus sit agens liberum, tamen elementa, mixta, habitus supernaturales, &c. ab eo causata, sunt entia non libera intrinsecè, sed naturalia. Ideoque ad hanc naturalitatem similitudinis in visione adstruendam non est opus recurrere ad speciem effectiuè concurrentem.

Ob. 5. Nulla est repugnantia, quin species partialiter eliciat Dei visionem: ergo. Antec. prob. Habet omnia ad eam requisita; continet enim obiectum secundum

præ-

præsentiam, & existentiam; & est effectiua alterius cognitionis. Ergo etiam intuitiuam.

Species continet obiectum repræsentatiuè tantum.

407 Resp. neg. ant. ad probat. dist. ant. Continet repræsentatiuè, concedo. continet formaliter, vel eminenter, nego. & nego consequ. Nam natura cognitionis intuitiuæ, est vt ab obiecto præsente in se, & non in imagine fiat. E contra verò abstractiua, vel saltem est necessaria continentia eminentialis, sicut dicemus de creaturis intuitiuè visis in Deo, estò in illo non sint formaliter, sed tantum eminenter. Species autem Dei non contineret Deum, neque formaliter, quia non est Deus; neque eminenter, quia non est quid perfectius Deo.

Instab. In visione beati adest obiectum præsens. Ergo nihil deficeret quin species illa impressa concurreret ad visionem.

Species de sui natura non potest causare visionem.

408 Resp. Deficere hoc, quia de natura sua non potest facere visionem, sed abstractiuam cognitionem. Hanc autem neque posset facere. quia ab obiecto impediretur. Et estò posset hanc, non tamen concluderetur intentum de cognitione intuitiua.

Ob 6. Aliæ species possunt concurrere ad cognitionem intuitiuam. Ergo & species Dei. Consequ. prob. Non enim est maior ratio de alijs, quam de hac nobilissima specie. Anteced. prob. Species obiecti in oculo facit visionem, sic & de auditu, & alijs. Imò & ipsamet species in sensu communi faciunt cognitionem intuitiuam obiectorum, quæ per alios sensus percipiuntur.

In nullo sensu species causat intuitiuam notitiam.

409 Resp. de omnibus neg. anteced. Miror autem, quod Scotistæ aliqui id concedant de speciebus sensibilibus; constans enim est *Scoti* sententia, quod cognitio per speciem numquam est intuitiua. Ad probat. de speciebus sensibilibus, dico, eas non concurrere ad actum cognoscendi; sed esse effectus quosdam præuios, & ordinatas ad causandam alias species in sensu communi. Ijs autem causatis in sensibus, ipsi sensus, & obiecta causant cognitionem sui. Alias obiecta sensibilia numquam immediatè, vt in se sunt cognoscerentur; non enim ab intellectu, quia ipse cognoscit per species intelligibiles, cum tamen sensibilia non sint actu, seu proximè intelligibilia. Neque à sensu, quia non per se, sed per species. Ergo numquam intuitiuè cognoscerentur.

Arg. de specie in speculo.

Instabis. Per speciem visam in speculo habetur cognitio intuitiua. Ergo non repugnat hanc fieri per speciem. Antec. prob. Tunc non videtur obiectum sed species tantum illius.

410 Resp. dist. antec. Habetur cognitio intuitiua speciei, concedo. intuitiua obiecti, nego. De hoc autem disputamus, an species concurrat effectiuè ad visionem Dei. Non autem, an ipsa possit intuitiuè cognosci, quia hoc vltrò concedimus. Imò argum. est ad oppositum. Quando videtur species in speculo, non videtur obiectum; ergo per speciem nequit intuitiuè obiectum videri. Ratio autem cur species in speculo videatur, non verò per medium, est, quia in opaco speculi duplicatur species ex reflexione, & quæ priùs erat inuisibilis, postea fit visibilis. Ita etiam species coloris non videtur, dum tamen terminatur ad corpus opacum, videtur, vt docet *Scotus in 2. dist. 13. F.* & proinde nihil contra nos.

Arg hoc est ad oppositũ

Vrgebis. Species est ratio qua cognoscendi obiectum. Ergo non potest ipsa met videri; alioquin esset ratio quæ.

411 Resp. dist. consequ. In ea cognitione, in qua est ratio qua, non potest esse ratio quæ, concedo. in alia, nego. Quando enim species visibilis intenditur, vt fit in speculo, & radij luminis Solis in Luna, tunc est ratio, quæ videtur, ita quod dum videtur species in speculo ipsamet intensa videtur non verò obiectum.

Ex doctrina Scoti concedente speciem impressam.

Ob. 7. Per *Scotum* non repugnat species impressa Dei distinctè eum repræsentans, vt est secundum essentiam, existentiam, infinitatem, immensitatem, & alia prædicata Dei. Ergo neque repugnat, quod concurrat etiam ad cognitionem intuitiuam. Prob. consequ. Nihil aliud cognoscitur per intuitiuam, quam præfata prædicata.

412 Resp. negando consequ. ad probat. Dico eadem prorsus prædicata posse cognosci per speciem, & per ipsum met obiectum; sed cum hac differentia, quia cognitio per speciem, est abstractiua; per obiectum verò, est intuitiua; & repugnat intuitiuæ, vt fiat per aliquod repræsentans, estò repræsentaret, vt præsens, quia petit fieri ab ipsomet obiecto præsente tantum.

Ob. 8. Non repugnat visioni intuitiuæ Dei, quod producatur à Deo mediante voluntate: ergo neque quod producatur mediante specie. Si enim vnum admittit medium potest admittere plura, cum non sit maior ratio.

Quare non officit visioni, quod hat ex voluntate Dei, & species officit.

413 Resp. neg. consequ. ad probat. Dico disparitatem esse in primis quia voluntas Dei, quæ est efficiens causa visionis, est realiter identificata cum essentia Dei; species autem impressa est realiter distincta. Secundo, quia voluntas non est medium in ratione repræsentatiui, quod respuit visio intuitiua, & ideo quia illa mediatio, est mediatio effectiua, non officit.

# DISPVTATIO XIX.

## DE OBIECTO BEATÆ VISIONIS.

### ARTICVLVS I.

*Quodnam sit obiectum primarium, & essentiale beatæ visionis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. sent. distinct. 1. quæst. 2. G. dist. 17. quæst. 2. in 3. dist. 13. quæst. 2. 3. & 4. dist. 14. quæst. 2. in 4. dist. 49.* per duodecim quæstiones, cum fide Catholica, modo probat, modo supponit obiectum primarium, & essentiale visionis beatæ esse Deum. Ideo

Ratio dubij alias discussi

1 Adu. 1. Quod, licet de hoc videatur sufficienter dictum in *disp. 14. art. 3.* in quo cum fide stabilitum est, beatitudinem non consistere in possessione alicuius rei creatæ; sed necessariò ferri ad rem increatam: non tamen distinctè de toto hoc negotio actum est; quid nempe de necessitate includat obiectum visionis, imò, & fruitionis beatæ.

Dei nomine quid intelligimus.

2 Adu. 2. Quod nomine *Dei* intelligimus essentiam diuinam cum suis prædicatis quidditatiuis, & attributalibus existentem in tribus personis. Et nomine obiecti primarij, & essentialis intelligimus illud, sine quo visio non diceretur, neque esset beatifica. Et hoc ad differentiam aliorum, quæ à beato de facto videntur, sine quibus adhuc esset Beatus. An verò visio solius diuinæ essentiæ, absque visione attributorum, vel relationum, siue personarum, aliorumuè, quæ in Deo relucent sit possibilis; & an si daretur, esset beata, dicetur postea. His positis

Obiectum primarium quid.

3 Dico 1. Obiectum primarium, & essentiale beatitudinis est Deus. Est de fide.

Obiectum primarium beatitudinis est Deus.

4 Prob. 1. ex *Psal. 72. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Ex Psalterio pluries.

5 Conf. ex eodem *Psal. 72. Mihi adhærere Deo bonum est. Ponere in Domino Deo spem meam.* Ergo Dei visio speratur.

6 Conf. ex eodem *Psal. 35. Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

7 Prob. 2. *Exodi 33.* Moyses beatitudinis cupidus orabat, *Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam.* Ergo Dei facies, seu præsentia est obiectum visionis beatæ.

Ex Euangelijs pluries.

8 Prob. 3. ex *Ioan. 10.* vbi Christus de prædestinatis, ait, *oues meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis.* Sed vita æterna est visio Dei, ex eodem *Ioanne cap. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & eum, quem misisti, &c.*

9 Conf. ex *Ioan. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.*

10 Conf. ex 1. *Ioan. 3. Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

11 Prob. 4. ex *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ecce, in quo consistit visio beata.

12 Conf. ex eodem *cap. 18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris, qui in cælis est.*

Ex ep. Pauli.

13 Prob. 5. ex 1. *Cor. 13. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* In hoc ergo consistit beata visio, & sine hoc obiecto non est beata.

Ex August. Sæpe Aug.

14 Prob. ex S. *August. lib. de Beata Vita in disp. prima dici M. & disp. secunda dici N. Beatus est, qui Deum habet, & lib. de Moribus Eccl. cap. 14. Summum hominis bonum, Deus est. lib 5. Confess. cap. 4. Beatus est, qui Deum scit, etiam si alia nesciat. & è contra, infelix est, qui alia scit, & non scit Deum. lib. 10. Confess.* habet, *Beatitudo est gaudium de Deo; & gaudium de veritate.*

15 Conf. ex eodem *lib. 11. de Trinitate cap. 6. Beatus est, qui Deum videt.* ex eodem *lib. 9. de Ciuit. Beatitudo in solo Deo est.*

16 Conf. ex *August. lib. 13. confess. cap. 3. Beatitudo Dei est ipsemet Deus.* Ergo multò magis hominum.

Ratione ex Boetio.

Probari potest ratione. Beatitudo est status bonorum omnium aggregatione perfectus ex Boetio, vt in suo loco dictum est. Ergo siue consistat totaliter, aut principaliter in visione, siue partialiter in ea, semper sequitur, quod debeat de necessitate includere, seu habere pro obiecto Deum. Si enim hoc bonum per essentiam deficiat, nihil fere remanet. Secundo, quia non quietaretur intellectus, si non videret hoc summè visibile, & sic vltima eius operatio non esset beata.

Aliæ rationes ex disp. 14. desumendæ.

17 Potest eandem probari rationibus desumptis ex *disp. 14. art. 3.* quæ sunt ad idem.

Trinitas de facto est obiectū beatū,

18 Dico 2. De facto obiectum primarium, & essentiale visionis beatæ est Deus, vt est realiter existens in tribus personis.

Est

Est de fide, & *Scoti*, vbi in principio.

19 Prob. 1. ex *Ioan.* 17. habetur, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* & cap. 14. ait, *qui diligit me diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.* *Matthæi* autem 18. de Angelis Beatis dicitur, *in Cælis vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.*

Multa scripturæ loca ad idē. Ex his ergo locis euidenter habetur, visio personarum diuinarum Patris, & Filij, Et ex cod. 14. *Ioan. Philippe, qui videt me videt, & Patrem.*

20 Conf. ex *Ioan. ep. 1. cap. 3. Videbimus eum, sicuti est.* Sed Deus est in tribus personis. Ergo in hoc consistit de facto visio Beata.

Conſt. Eugenij IV. 21 Prob. 2. ex *constit. 17. Eugen. IV.* quæ est *Concilij Florentini* pro concordia Ecclesiæ Græcæ cum Latina. *in §.* enim 6. habetur. *Illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractæ peccati maculam, &c. sunt purgatæ in Cælum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum sicuti est, &c.* ergo.

Ex Auguſt. 22 Prob. 3. ex *S. Augustl. lib. de Spir. & lit. cap 33. C. Beatus videns Patrem videt Filium, & Spiritum Sanctum.* Secundo ex *lib. 1. de Trinit. cap. 8. D. Sive ergo audiamus ostende nobis filium, sive audiamus ostende nobis Patrem, tantundem valet, quia neuter sine altero potest ostendi,* & post aliqua, *nec separatur vtriusque spiritus, id est Patris, & Filij Spiritus. Hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est frui; scilicet Trinitate Deo.* Hæc *Augustl.*

Conf. ex cod. *lib. 1. de Trinit. cap. 10. B. Contemplabimur enim Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum:* ergo.

Ratione ex fidei doctr. deducta, 23 Prob. 4. Ratione deducta ex principijs fidei *Ioan.* enim. *ep. 1. cap. 3.* habetur, *Videbimus eum, sicuti est.* Sed est de fide, quod sit vnus in tribus: ergo ita videbitur. Secundo, Apostolus. 1. *ad Cor. 13.* ait, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Sed nunc in ænigmate, & per speculum fidei videmus Trinitatem; ergo in Patria videbimus facie ad faciem.

Arg. quia visio succedet fidei Trinitatis. 24 Conf. Fidei succedet visio, ambulamus enim nunc per fidem, & non per speciem. Sed fides nostra est de Trinitate, ait enim, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Ergo fides de Trinitate est necessaria ad salutem, ac proinde visio huius mysterij pertinet ad beatitudinem.

25 Prob. 5. Deus est idem realiter cum personalitatibus; beatus autem non videbit Deum præcisiuè: Ergo simul cum illis.

Ex identitate essentiæ cum personis. 26 Conf. Diuina essentia est, ita cum personalitatibus identificata, vt vix, & solum Scotistæ concedant, per potentiam Dei absolutam posse videri essentiam non visis personis. Ergo de facto nulla, est controuersia, sed simul cum illis videtur.

Arg. contr. 2 Ob. contra 2. Personæ non pertinent ad obiectum beatitudinis, ergo non est necesse, vt de facto videatur essentia cum personis. Consequ. prob. Eatenus de facto id admittitur, quia personæ partialiter saltim concurrunt ad constituendum obiectum beatificum. Anteced. prob. Primo, quia personalitates, vt ab essentia præscindunt non important, neque perfectionem, neque imperfectionem, vt *Scotus* docet, sed solum vnitiuè, & identicè, quatenus essentiæ identificantur. Secundò, & est confirmatio præfati argum. per absolutam potentiam potest beatificè videri essentia non visis personis, vt *Scotus* tenet *in 1. distin. 1. quæst. 2. G.* & ideo affert pro fundamento, quod Pater diuinus in signo præcedente generationem filij est perfectè beatus, quia beatitudinem habet à se, & non à filio; imò ipse communicat eam filio. & tamen pro tunc visio Patris, seu individui Deitatis, quod pro illo signo consideratur ante generationem videt solam essentiam, non personas, quæ adhuc non concipiuntur productæ. si ergo personæ, seu (vt melius dicam) personalitates non pertinent ad obiectum beatificum Dei; neque pertinent ad obiectum beatificum creaturarum.

Validū arg. 27 Resp. dist. anteced. Dupliciter; non pertinent ad obiectum beatitudinis, vt distinctæ. & præcisiuè ab essentia consideratæ, concedo. vnitiuè, & cum ea coniunctæ, nego. Distinguo secundo, non pertinent ad essentiam obiecti beatifici quatenus bonitatem aliquam distinctam non habent, concedo. Non pertinent quatenus sunt realiter identificatè, & constituunt veram Trinitatem, quæ fuit obiectum credibile, & postea visibile, nego. & nego consequ. Ratio est; quia, vt dicetur in sequenti, & supponimus ex *tract. de Deo, & de Trinit.* essentia diuina sola, & præcisiuè considerata, est sufficiens obiectum beatificum, cum habeat infinitatem radicalem, & primariam in genere entis, & virtualiter, etiam vt distincta ab attributis, contineat perfectionem eorum. Personalitates autem in *Scoti* sententia non præseferunt perfectionem, vt formaliter ab essentia distinctæ. Nihilominus, quia obiectum beatificum est obiectum verum, vt est in se, cum essentia Dei sit in tribus personis, de necessitate videnda est hoc modo, quia hoc etiam modo credita fuit in via.

Personalitates pertinēt ad obiectū beatificum, non quia dicunt bonitatem distinctam, sed quia identificatæ essentiæ.

Et qui obiectum beatificum est res, vt in se est.

Inst. Ante legem Euangelicam multi etiam Sancti non habuerunt notitiam, neque fidem

fidem de Trinitate. Ergo saltem isti eam non vident.

28 Resp. Quidquid sit de antecedenti; quia saltem implicitè habuerunt fidem de illa, credentes in Deum, vt est in se, est autem trinus in personis. Adde, quia, vt paruit paruuli, qui nullam actualem fidem, neque de Trinitate, neque de Deo habuerunt, tamen videbunt Trinitatem, & hoc ideo, quia Deus in tribus est obiectum beatificum.

## ARTICVLVS II.

### *An videri possit essentia, non visis personis.*

Scoti mens; SCOTVS hoc duplex quæsitum soluit *in 1. sent. dist. 1. quæst. 2. G.* vbi docet primo, posse videri essentiam non visis personis. Secundo; visionem illam essentiæ, absque visione personarum esse beatam.

Duo dubia; 29 Adu. 1. Hoc quæsitum complecti duo dubia vnum est, an stante simplicitate essentiæ, & eius identitate cum personis, possit per absolutam Dei potentiam ea videri non visis personis, quibus est identificata. Secundum est, dato hoc possibili, an visio illa esset beata, vel alia simplex notitia: primum nunc discutitur, reliquum in sequenti.

30 Adu. 2. & suppono ex tractatu de Deo, eiusque attributis, cum *Scoto in 1. distinct. 2. quæst. 7. FF.* & *dist. 8. quæst. 4. Q.* inter essentiam Dei, & proprietates relatiuas personarum de necessitate admittendam esse distinctionem aliquam nullo intellectu cogitante, & actualem: alioquin saluari nequit quomodo essentia sit communicabilis, relationes verò non; quomodo pater communicet totum quod habet filio præter paternitatem. Et quomodo essentia sit ens absolutum, & à se; paternitas verò relatiuum, & ad aliud. Imò quoad me non video, nec capio, quomodo sine actuali distinctione, & non per intellectum saluari possit vnitas realis essentiæ, cum multitudine reali personarum. Idem enim formaliter actu, & ex natura rei, nequit esse vnum, & multa.

Distinctio ex natura rei inter essentiam attributa, & personalitates admittenda,

31 Adu. 3. ex *Scoto quodlib. 1. art. 1.* & *quodlib. 5. X.* quod essentia diuina secundum se considerata, vt distinguitur, seu vt præscindit à suis attributis, & à relationibus personalibus, siue ista præcisio sit ex natura rei, vt ait Scotus, siue per intellectum tantum, vt putant Thomistæ, quia nunc non curo, est entitas actu existens infinita; infinitate primaria in genere entis continens eminenter, ac virtualiter ordinatè tamen, tam attributa, quam relatiuas proprietates; alioquin impossibile esset intelligere,

Essentia vt distincta est ens infinitum,

quomodo absolutum præcedat relatiuum; & pater secundum individuum Deitatis sit prius relationibus paternitatis, & filiationis; imò, & ipse prior origine filio; & vterque Spiritu Sancto.

32 Adu. vlt. ex dictis sæpe in disputat. præced. cum *Scoto in 3. dist. 14. quæst. 2. in 4. dist. 49. quæst. 11. F. quodlib. 14.* & alibi sæpè, Deum ad extra, seu respectu creaturæ esse agens, & obiectum voluntarium, *cuius natura est non videri, si vult videtur; si non vult non videtur*, inquit *August. lib. de Vid. Deo cap. 6.* Ideoque potest ostendere se beato secundum omnia ea, quæ actu continet, vel secundum aliqua, prout sibi placuerit. His positis

Deus ad extra liberè agens.

33 Dico 1. Licet de facto Deus à beatis videatur vnus in tribus; tamen non implicat, quin absolutè ab aliquo intellectu videri possit secundum essentiam, & non secundum personas. Est *Scoti, vbi supra*, & totius scholæ Scoti.

Non implicat videri posse essentiam, non visis personis,

34 Prob. 1. Omnis actus habens obiectum primum, à quo essentialiter dependet; & obiectum secundum, a quo essentialiter non dependet, sed tendit in illud virtute primi obiecti; licet non possit manere idem actus, nisi habeat habitudinem ad primum obiectum, potest tamen manere idem sine habitudine ad secundum. Sed essentia diuina habet rationem primi obiecti; alia verò in ea visa habent rationem secundi obiecti; ergo, licet non possit videri secundum sine primo; poterit tamen primum sine secundo. Maior explicari, & probari potest exemplo *Dei visi*, & creaturarum in eo visarum; licet enim à beatis videatur Deus, vt est, non tamen omnes creaturæ in eo contentæ, sed illæ tantum, quas vult Deus eis demonstrare. E contra vero non possunt in Deo videri creaturæ non viso Deo. Applicando hoc ad Deum ipsum in ordine ad attributa, quæ sunt veluti passiones Deitatis, & ad relationes, quæ pariter ab ea emanant, illamque non constituunt; cum vtraque pertineant ad obiectum, quasi secundarium, licet ista videri nequeant sine essentia; hæc tamen videri poterit sine illis.

A priori ratio.

Explicatio maioris propositionis de obiecto primo, & secundo.

35 Respondere solent ad hoc argum. Aduersarij. Quod vel nomine primarij intelligitur id, à quo aliud pendet non essentialiter, sed accidentaliter; vel id, cuius virtute aliud ei connexum essentialiter, cognoscitur. Si primum, vera est maior, sed falsa minor. Si secundum, falsa est maior, quia licet vnum ab altero emanet, potest tamen esse ita cum eo connexum, vt sicut non potest alterum esse sine altero; ita neque videri; sicut enim se habet res ad esse, ita se habet ad cognosci. Et ex hoc, argumentum *Scoti* non concludit, quod videri possit essentia non visis personis.

Adue. Resp.

36 Contra. Nomine *primarij* intelligit *Scotus* illud obiectum, quod primo, & per

Refellitur,

per se natum est mouere intellectum quando, vel ipsum, vel alia contenta in ipso videnda sunt. Quid sit obiectum primarium. Qualis est essentia cum suis, prædicatis quidditatiuis, & cum relatiuis proprietatibus. Ista enim videri non possunt, essentia non visa; neque ab intellectu diuino possunt videri, nisi prius videatur essentia, Hoc autem stante, ait *Scotus*; licet obiectum emanans, seu pendens ab alio, sit ei connexum essentialiter, vt non sit ab eo separabile; cum tamen est ab eo distinctum, si obiectum illud primum mouet libere aliquem intellectum, potest mouere ad cognitionem sui, non autem ad cognitionem aliorum à se emanantium, & aliquo modo distinctorum.

Arg. ex distinctione efficax est. 37 Prob. 2. Quando aliqua duo sunt ita distincta, vt concipi possit vnum non concepto alio, & hoc absque deceptione; potest vnum eorum videri non viso alio, & hoc absque deceptione. Sed essentia diuina potest absque deceptione à quouis intellectu, siue hominis, siue angeli concipi absque deceptione. Ergo potest pariter videri. Maior prob. à posteriori, quia quidditas animæ potest concipi non concepto intellectu, ac voluntate, si ipsa voluntariè moueret intellectum videntis se, videretur, si vellet, non viso intellectu, vel voluntate. In obiectis verò, quæ mouent naturaliter, potest sic exemplificari; quia potest concipi quantitas continua, non conceptis omnibus suis partibus, ex quibus constat; potest pariter videri eis non visis; & quia potest concipi vna, non concepta alia potest videri vna non visa alia. Terramus modo ad diuina; quia concipi potest essentia Dei, non conceptis idæis, vel decretis Dei, potest, & de facto videtur essentia, non visis idæis, vel decretis.

Exempla multa de ijs, quæ possunt concipi, & videri aliis non visis.

Minor etiam prob. Absque vlla prorsus contradictione concipimus in via naturam Dei, & de ea disputamus, quid sit, ex quibus constat, &c. nihil concipiendo de personis, imò cum de essentia loquimur, quasi de quodam individuo sine omni personalitate loquimur. Ergo nulla est implicantia, quin videatur non visis personis, cum liberè ad sui, & personarum cognitionem moueat.

Ex eo quod detur articulus distinctus, 38 Prob. 3. De essentia Dei datur articulus distinctus. & creditur aliquo actu fidei distincto. Imo, & in lege veteri, licet doctiores, & primiores tam iudæorum, quam antecessorum habuerint notitiam de Trinitate, tamen tota communitas fidelium hanc notitiam non habebat, & actus fidei eorum Deum tantum habebat pro obiecto, & circa personas se habebant non quidem contrariè, credendo eas non dari, sed merè negatiuè. Et hinc est, quod dicebant Samaritæ, *Act. 19. Neque si Spiritus Sanctus est audiuimus*; & quamuis ab initio mundi adfuerit fides Messiæ, non tamen erat omnibus certum, an futura esset alia Fides Messiæ antiqua, sed non erat, & notum, at futurus esset Deus, qua persona diuina, sed magnus quidam Sanctus, ac Propheta; hinc est, quod Iudæi licet Christum Dominum, vt prophetam libenter habuissent, excanduerunt tamen, & contra eum, vt Blasphemum in Concilio Synedrim, quod erat sacrum, seu Ecclesiasticum processerunt; quia dicebat se esse Dei filium. Si ergo datur distinctus articulus fidei de Deo vno, poterit dari pariter visio Dei vnius, absque visione personarum.

Ex beatitudine Patris ante filij productionem. 39 Prob. 4 Ratione *Scoti* (quæ licet à marginista dicatur ab originali cancellata, tamen in omnibus reperitur; & etiò *Scoti* non esset, validissima est in omni schola). Pater diuinus in aliquo signo antecedente ad productionem personarum cognoscit essentiam, non cognitis personis. Ergo id poterit etiam accidere respectu intellectus beati. Anteced. sic probatur. Vt concipiatur à nobis, quomodo detur Vnitas essentiæ cum Trinitate personarum, & modus essendi, ac procedendi earundem personarum, docent omnes Theologi plura signa, siue naturæ, siue originis cum ordine prioritatis, & posterioritatis esse in Deo admittenda; ita vt omnium primo consideretur, seu concipiatur essentia diuina, siue hic Deus, tamquam radix, & origo omnium in sequentibus cognoscendorum. In secundo signo, seu naturæ instanti, concipiuntur ab illa essentia emanare omnia absoluta, intellectus, ac voluntas, & attributa. In tertio vero signo seu instanti essentia mouens intellectum, ac cognitionem sui, & voluntatem ad amorem, & sic in hoc instanti habetur intellectus fœcundatus essentia visa, & hoc totum est memoria; quæ quidem exit in actum producendi, seu dicendi Verbum, seu notitiam genitam. Hic ergo sistendo, habetur hic Deus, cum intellectu cognoscente essentiam vt prodeat in productionem filij; & sic videt essentiam, non viso filio, neque Spiritu Sancto, & hæc non est imperfectio, sed obiectorum ordo id exigit; neque possumus aliter Theologizari, vt ordinem Trinitatis possibilem adstruamus.

Ordo productionum, & emanationū in diuinis.

Instantia cōtra discursū Scoti, valida 40 Dices hæc ratio, neque in Scoti sententia aliquid probat. Potest enim dici, quod illa signa, & instantia sic ordinata, in rei veritate non adsunt; sed sunt à nobis conficta, vt intelligamus, quomodo sit ordo inter personas. Secundo diceretur, quod in eo signo, in quo hic Deus videt essentiam, videt etiam personas, siue eminenter, siue virtualiter in essentia contentas, vt docet ipsemet *Scotus in 1. dist. 10. quæst. Vn.* in calce, & *in dist. 6. quæst Vn.* docet, Patrem generare filium voluntate, id est volendo; quod autem est volitum, est etiam cognitum, & ibi *Scotus sub B.* docet, quod pater generat filium volens, non solum voluntate sequente, sed antecedente. Ac proinde, ex hoc argumento non con-

Scotus ipse dicit personas cognosci, antequā producantur

concluditur pro conclusione; sed contra eam, quod scilicet sicut pater antequam concipiatur generans, cognoscit quidem essentiam, sed non absque personis, quibus est communicanda; ita neque alius intellectus. Si enim non potest absque personis cognosci, nec etiam quando ipsemet personæ non concipiuntur esse: multò minus poterit sine ipsis cognosci, quando istæ ita sunt, vt implicet concipi eas non esse.

In Scoti doctrina habet vim hoc argum.

41 Sed contra. Licet enim arg. hoc in Scoti schola videatur tantam vim non habere, quia hæc schola admittit cognitionem intuitiuam in aliquo eminenter continente: tamen in schola aduers. quæ eiusmodi genus intuitiuæ cognitionis non admittit vim habet. Si enim pro illo signo personæ non concipiuntur esse, & negari non potest, quod tunc ab hoc Deo essentia videatur, debet de necessitate admitti, quod videatur intuitiuè essentia, non visis intuitiuè personis. Ecce quomodo Scoti argum. eos vrget. Potest enim, & de facto eam videt Deus in signo illo præcedente, secundum nostrum intelligendi modum, cum fundamento in re, cum tamen essentia moueat intellectum Dei naturaliter. Ergo multò magis poterit videri ab intellectu creato, quem mouet liberè.

Sed nec etiã in Scoti Schola ib. stat instantia allata.

42 Quod verò etiam in sententia Scoti admittente intuitiuam cognitionem in eminenter continente, & de facto cognitionem personarum ante earum productionem, adhuc argumentum sit validum, euincitur, cum alio argumento ipsius Scoti à nobis primo loco allato de obiecto primario, & secundario. Quoties enim obiectum aliquod est primarium, & virtute eius videtur secundarium, licet hoc secundum videri nequat, non viso primo; adhuc tamen potest videri primum, non viso secundo. sic autem dicendum in casu. Etsi ante productiones cognoscantur personæ producendæ contentæ eminenter in essentia; adhuc tamen cognoscuntur ordinatè, sicut sunt, & sicut procedunt ab essentia. Et quoniam prius est essentia, quam cognoscatur imitabilis, seu communicabilis; quia prior est quidditas, quam proprietas, prius cognoscitur essentia, quam communicabilitas. Addo, quod personalitates in Scoti sententia, etiam in esse reali pertinent ad obiectum quasi secundarium. Ergo multò magis in esse cognito, quod habent in signo illo priori, antequam concipiantur emanare secundum esse reale. Tunc sic arguo; esse quidditatiuum, & reale essentiæ est prius natura esse personali reali, & ideali, seu cognito personarum: ergo prius natura cognoscitur illud, quam illud. Et sic semper euidens est conclusio, quod essentia prius natura cognoscatur ab intellectu Dei, quam cognoscantur personæ, siue in esse reali, siue cognito, & hoc propter harum rerum naturalem ordinem.

Ex ordine essentiæ ad personalitates ab ea emanantes.

43 Prob. 1. Potest essentia communicari non communicata personalitate; ergo & videri ea non visa. Prob. consequ. Non requiritur maior distincto ad vnum, quam ad aliud. Imò minor ad secundam, quam ad primam. In prima enim adest identitas rei communicatæ, cum non communicata, & necessitas communicandi, absque alterius communicatione; in secunda verò adest contingentia ostendendi se, non ostensa personalitate. Si ergo essentia communicata potest esse terminus communicatus per communicationem, absque eo, quod personalitas eam communicationem terminet. Poterit pariter esse terminus visionis.

Ex communicatione essentiæ seu de personis,

Ob. 1. Essentia cum personis sunt simplicissimum ens: ergo. Consequ. prob. Ens simplicissimum, vel totum scitur, vel totum ignoratur. Antec. prob. Simplicitas est passio entis disiuncta, Deo tantum conueniens. & perfectio simpliciter, quia est melior ipsa, quam non ipsa, iuxta *Anselmi* definitionem.

Arg. contr. ex simplicitate Dei.

44 Resp. dist. Sunt vnum ens loquendo de ente in rigore, id est pro absoluto, & substantiali per se existente, concedo. Quia vnum tantum est in personis diuinis, in eis enim vna est diuinitas, ex *Symbolo Athan.* Loquendo de ente latè sumpto, seu de relatiuo, nego. Quia ex eodem Symbolo alia est persona Patris, alia Filij; alia Spiritus Sancti. Neque vllus potest nisi hæreticè loquendo negare hæc tria relatiua in Deo. Ad illud de simplicissimo, dico quamlibet personam cum eadem essentia, dici, & esse simplicissimum ens, prout simplicitas opponitur compositioni; non verò, pro vt opponitur multiplicati formalitatum ex natura rei, qualis apparet inter absolutum, & plura relatiua; inter communicabile, & incommunicabilia; communicatum, & non communicata actu, nullo cogitante intellectu. Dicat mihi quis, si simplex aliqua forma, formalitas, vel conceptus ex natura rei communicetur, & non communicetur, sit absolutus, & relatiuus; ita quod eadem simplicissima formalitas referatur, & non referatur.

Quomodo pers. in se cũ essentia sunt eorum ens.

Simplex formalitas cũ communicata, non remanet incõmunicata.

Dices 1. Si admittitur multitudo realitatum, seu formalitatum in Deo, quorum vna ex natura rei non est alia; de necessitate admittenda esset, vel aggregatio, vel compositio. Vtrumque repugnat Deo: ergo.

45 Resp. nec. Sequelam, admitteretur enim identitas realis istarum formalitatum.

Inst. Saltem sequitur compositio metaphysica plurium realitatum, sicut in Angelo, vel anima.

Eique compositio metaphysica est in Deo,

46 Resp. neg. sequelam, quia compositio metaphysica scilicet generis, & differentiæ, siue subiecti, & passionum, importat in alterutro extremo potentialitatem, seu

actuabilitatem, in alio vero actuationem. Patet de singulis; communis enim ratio perficitur à differentiali. Sic & subiectum à passione, & prima ex his sunt subiecta, secunda verò sunt formæ; in Deo autem non sic; quia non ex necessitate perfectionis acquirendæ, sed ex perfectionis summæ redundantia ab essentia emanant, seu pullulant attributa, & relationes; quæ ei sunt realiter identificata.

Omnes vrget hoc arg.

47 Resp. 2. hoc argum. Esse ab omnibus soluendum. Nam omnes Catholici debent ponere in Deo ex natura rei intellectum, & voluntatem; ista sunt adeo diuersa, vt implicet vnam potentiam esse formaliter aliam. Debent admittere scientiam, & decreta; implicat ista esse formaliter eadem, quia liberum, & naturali formaliter differunt, nemine cogitante alioquin omnis Dei scientia est libera; vel omnis volitio Dei ad extra est necessaria, Quæ non solum sunt hæretica, sed monstra philosophica. Tertio, debent Catholici concedere essentiam communicari quidditatiuè Filio, & Spiritui Sancto. Paternitatem verò neutri; item filiationem, nec Patri, nec Spiritui Sancto. Spirationem passiuam, nec Patri, nec Filio. Quæro, ista multiplicitas est nè vocum tantum, vel rerum, aut realitatum per voces significatarum? Si secundum, hoc est, quod admittimus, & ista distinctio saluat quomodo videri possit essentia, non visis personis. Si dicitur primum. Hoc est Sabellianum. Sabellius enim, vnam tantum personam in Deo admittebat plura munera exercentem, & iuxta ea pluribus nominibus pollentem. Si enim patet nihil est aliud, quam essentia, & tamen non dicitur filius. Item filius non est aliud, nisi essentia, & tamen non dicitur pater; tandem Spiritus Sanctus non est aliud præter essentiam; & tamen non dicitur pater, neque filius, vna tantum esset persona sub diuersis nomenclaturis. Si autem tres actu distinctæ, tunc recurrit argumentum. Non distinctæ secundum essentiam, sed secundum personalitates. Igitur quælibet earum habet aliquid, per quod actu, nullo intellectu cogitante conuenit cum alijs; & aliquid, per quod differt ab alijs; & hoc est, quod nobis sufficit, vt aliquid possit videri, aliud non.

Multæ instantiæ fundent inicatum.

Sequitur Sabelliana hæresis.

Ob. 1. Visio intuitiua, non abstrahit in re visa conceptum aliquem, sed terminatur ad eam, vt est in se. Si autem videretur essentia, non visis personis, iam fieret abstractio quædam, & res non videretur, vt in se est, sed aliter quam est. Esset enim in personis, & non videretur in eis: ergo.

Videretur essentia secundú se, licet non in personis.

48 Resp. dist. ma. Terminatur ad rem, vt demonstratur, seu vt apparet, & videri debet in tali demonstratione, concedo; vt est in se extra apparentiam, & demonstrationem, nego. tum ad min. nego, quod fieret formalis abstractio: ad illud verò quod non videretur, vt est in se distinguo: vt est in se, secundum esse suum absolutum, & quidditatiuum, nego non sic videri vt est in se. secundum esse hypostaticum, concedo: & nego consequ. Assignatur omnium ratio. Intuitiua cognitio, vt ab abstractiua distinguitur petit fieri ex obiecto immediatè præsente, mouente, ac terminante. Quando autem obiectum includit plura, si apparet seu demonstratur secundum ea omnia, non potest cognitio eius dici intuitiua, nisi exprimat ea omnia. Si verò obiectum apparet, seu repræsentatur secundum vnum tantum ex illis, cæteris occultatis, illud vnum debet exprimere. Neque valet dicere, quod fieret abstractio, seu præcisio, adesset enim materialis, seu obiectiua non formalis præcisio, id est non per actum præscinderetur consideratio vnius ab alio, alioquin cognosceretur etiam illud aliud, à quo fieret præcisio; sed se haberet materialiter, & obiectiuè, quia nempe obiectum sic præcisum repræsentatum videretur.

Non per hoc est abstractiua notitia.

Obiectiua præcisio nó facit cognitionem abstractiuam.

49 Ad illud de videri, vt est in se, dicendum, quod intelligi potest dupliciter, vt est in se, id est, vt reperitur realiter à parte rei secundum omnia sibi connexa, siue vt constituentia, siue vt comitantia rem. Secundo, vt est in se, id est secundum prædicata constituentia ipsam. Quando ergo videretur essentia non ostensis personis, videretur vt est in se secundo modo, non autem primo modo.

Dices. Visio est actus merè naturalis; ergo non potest diuidere obiectum, vt cognoscat in eo aliquid, & non omnia, quæ in ipso sunt. Ergo non potest videri essentia, non visis personis.

50 Resp. vltimam consequ. esse probandam, & suppositum in argumento. Supponitur enim quod opera, ac diligentia visionis oriretur illa diuisio, seu præcisio in obiecto. Hoc autem est falsum; nam in casu illo possibili, præcisio oriretur ab obiecto, quod demonstraret essentiam tantum, non demonstratis personis.

Visio naturaliter repræsentat obiectum quod videtur.

Vrgeb. Non potest Deus diuidere à se personas, neque potest se demonstrare aliter, ac est. Ergo non potest, neque ex parte obiecti haberi hæc præcisio. Antecced. prob. De primo, quia est identificatus realiter cum eis. De secundo, quia non potest aliquem decipere; quod quidem eueniret, si se demonstraret aliter, ac est.

51 Resp. nego consequ. Non enim se diuideret, neque se demonstraret aliter, ac est. Nam, sicut non se diuidit, quando communicat filio Deitatem, & non paternitatem; & non se demonstrat aliter, ac est, quando incarnatur vna persona, & non alia; ita neque quando demonstrat aliquod ex ijs, quæ in se continet, alijs non demonstratis.

Si apparet essentia, & non personæ Deus non diuiditur.

stratis. Et est longe maior difficultas de communicatione, quia agitur de intrinseca diuisione; visio autem passiua non est quid intrinsecum, sed extrinseca tantum denominatio; & sicut maius est, quod à rationali separetur animal, quam si consideretur, aut videatur non viso rationali, & hoc secundum admittitur, non autem primum, & è contra irrationabiliter discurreret, qui concederet animal posse communicari non communicato rationali, & postea negaret non posse videri non viso rationali. Ita prorsus in casu est; quilibet enim Catholicus admittit primum, quod est maximum, & penè incapibile, nisi fides adiuuet, & recusat admittere secundum, quod fere palpatur; eò vel maximè, cum vtrumque in eiusdem generis distinctione fundetur.

Difficultas de incarnatione vnius sine alia, & communicatio sine alia est maior quam visionis.

Ob. 3. Summa totius argumenti, quo *Scotus* hanc defendit sententiam, est distinctio essentiæ à personis, & paritas communicationis essentiæ absque communicatione personalitatum. Sed hæc ratio caret solido fundamento: ergo. Min. prob. Si dicatur essentiam distingui à personalitate virtualiter, & vt talem posse communicari secundum conceptum absolutum, non verò secundum relatiuum iam eliditur ratio *Scoti*, quæ super distinctione ex natura rei fundata est. Neque potest talis distinctio virtualis impugnari. Ergo ruit *Scoti* fundamentum.

Ex impugnatione doctrinæ Scoti argum.

5. Resp. neg. min. ad probat. Nego assumptum; si enim asseratur sola virtualis distinctio inter essentiam, & personalitates, asseretur quidem, sed non saluabitur Trinitas realis personarum, sed tantum imaginaria; neque communicatio realis essentiæ, absque communicatione relationum, sed imaginaria, & ferè fictitia; sic enim ostendo. Vel hæc distinctio virtualis est inter extrema virtualiter tantum duo, vel actualiter duo, quorum vnum non est aliud. Si dicitur secundum in re conuenimus, & quæstio est de nomine. Imò conueniam cum aduersarijs, etiam in nomine, & dicam esse virtualem inter duo, quorum vnum actu non est aliud, nullo intellectu cogitante. Et sic firma stat ratio *Scoti*, illud absolutum, quod actu non est relatio, & communicatur non communicata relatione, potest etiam videri non visa relatione. Si verò distinctio illa, quam dicunt virtualem, non est inter extrema actualiter duo, sed virtualiter duo; quæro, an ista virtualis dualitas euadat vnquam actualis. Si euadit, quæro cuius virtute, vel intellectus, vel ex natura extremorum. Si dicitur secundum recurrit argumentum; nam si aliquando ponenda est in actu hæc dualitas, maxime est quando vnum communicatur, alio non communicato, quod iam ab æterno factum est, & sic valet arguere, extremum illud virtualiter olim distinctum, postea actualiter communicatur, alio non communicato; ergo potest videri, alio non viso. Si dicitur, quod extrema illa, id est essentia, & relatio sunt actu vnum, & virtute duo, quatenus scilicet exercet munus duorum, vel ab intellectu concipitur, vt aliqua duo; hoc admisso Trinitas non est amplius realis actualis, sed vel fictitia, vel Sabelliana. Euidenter probatur fictio. Eatenus personæ sunt tres, quia relationes hypostaticæ, & incommunicabiles sunt tres, & essentia vna, sed si essentia ad relationes comparata est actu, & simplicissimè ex natura rei est cum eis vnum, & solum per intellectum concipitur, vt multa, iam per intellectum datur actu Trinitas; & sic eo non concipiente eam pluralitatem essentiæ, & personalitatum, actu non erit realis Trinitas. Personæ enim nil aliud continent, quam essentiam vnam, & relationum pluralitatem. Quod argumentum mihi videtur euidens. De Trinitate Sabelliana probatur. Sabellius dicebat vnam esse Dei personam, quæ quidem quatenus creat omnia dicitur Pater: quatenus est incarnatus, dicitur filius, & quatenus elargitur hominibus supernaturalia bona, dicitur Spiritus Sanctus; sed hæc omnia sunt vna simplex persona. Idem prorsus fit argumentum contra authores distinctionis virtualis essentiæ à relationibus, explicatæ per diuersa munia exercita ab eadem simplici formalitate. Essentia enim, vt ad se, est quid absolutum; vt exercet munus referendi, est quid relatiuum; vt hæc relatio concipitur procedere per intellectum est paternitas, &c. ergo sequitur, quod in re non dantur ista extrema, quæ dicuntur absolutum; relatiuum; generans; genitum; spirans; & spiratum, vbi ergo realis Trinitas sancta, & venerabilis personarum cum reali, & actuali distinctione personarum; cum reali actuali vnitate Deitatis; & reali, ac actuali multiplicitate relationum? qui discursus certè omnem discurrentem deberet conuincere, nisi ego decipior.

Trinitas esset quid fictitium, nisi actualis distinctio admittatur.

Virtualis distinctio essentiæ à relationibus non saluat Trinitatem actualem.

Discursus notabilis;

Ob. 4. Videtur implicantia, quod obiectum aliquod distincte videtur, non viso eo, quod est ei realiter identificatum. Ergo, cum etiam in Scoti sententia diuinitas sit realiter identificata relationibus implicat eam videri sine illis. Anteced. prob. Si enim non videtur cum alio sibi identificato, iam non videtur secundum ea, quæ habet.

Ex identitate essentiæ cum personis, arg.

5. Resp. dist. anteced. Si tale identificatum est de quidditate, seu prædicatum constitutiuum visi, concedo. si ei accessorium, seu extra quidditatem, nego. ad probat. respondetur per idem. Nam videtur secundum suum conceptum quidditatiuum, absque alijs, quæ non pertinent ad quidditatem. Manifesta est enim instantia de

Quod est de quidditate visi debet videri.

Euincens ratio.

de Deo ipso, & idæis, atque decretis. Videtur enim Deitas à Beatis, & non omnes ideæ, neque omnia decreta; & tamen sunt Deo identificata. Deinde semper redit argumentum de essentia communicata. & relatione non communicata.

Ob. 5. Si posset hoc fieri, vel fieret per eandem numero visionem, vel per diuersam. Non primum; quia eadem numero visio non potest modo repræsentare aliquid, seu exprimere illud, modo non. Neque secundum; quia non exprimeret rem, sicuti est. Est autem realiter constitutiua personarum: ergo.

Eadem; & diuersa visione potest hoc fieri.

54 Resp. vtrumque posse dici. Ad improbationem primi, facilis est responsio; quando enim obiectum liberè ostendit plura, visio ad ea terminata omnia videt, & exprimit. Si autem processu temporis obiectum occultaret aliquod eorum plurium, vel casu deficeret, Visio, quæ prius repræsentabat plura, postea repræsentat pauciora; habet enim similitudines plures omnium, scilicet quæ in obiecto relucent. Ad improbationem secundi, dicendum, sicut prius, quia exprimeret rem secundum suam quidditatem ostensam, non verò secundum alia extranea non ostensa.

Arg. de cõmunicabilitate intrinseca essentiæ.

Ob. 6. Non potest videri essentia, nisi videatur communicabilis. Ergo non potest videri non visis personis. Consequentia prob. Non enim potest videri relatio, non viso termino. Anteced. prob. Nam communicabilitas est de intrinseca ratione essentiæ, & non aliquid ei aduenies extrinsecum.

Communicabilitas est quid rationis;

55 Resp. neg. anteced. ad probat. dist. anteced. Est de intrinseca ratione constitutiua essentiæ, nego. intrinseca, id est à se ipsa ei conueniens, & non per aliquid extrinsecum, concedo. & nego consequ. Ratio autem est; quia communicare, & communicari in Deo, ait Scotus sunt relationes rationis. Secundo, estò essent relationes trascendentales, sunt tamen omnes extra conceptum quidditatiuum rei, cuius sunt. Ac propterea videri potest quidditas, relatione non visa.

56 Resp. 2. neg. consequ. Nam, vt dicemus infra potest videri intuitiuè relatiuum, & ipsamet relatio, absque eo, quod videatur intuitiuè terminus. Sed sufficit si abstractiuè cognoscatur.

## ARTICVLVS III.

### *An ex hypothesi, visio essentiæ absque personis esset beata.*

Scotus mens.

SCOTVS *in 1 sent. dist. 1. quæst. 2. §. Quantum ad istum articulum* C. docet, quod data hypothesi de visione essentiæ diuinæ, non visis personis, ea visio esset beata, & ex eius doctrina sequitur pariter esse eiusdem rationis essentialis cum alijs visionibus quibus videtur cum personis.

Sensus art. plura dubia includens.

57 Aduerto hoc esse aliud dubium à primo. An ista visio essentiæ dici deberet beata. & si talis, an eiusdem speciei, seu rationis cum alia visione, qua attingitur essetia cum personis. In quo oppositæ sunt sententiæ; quidam enim arbitrantes personalitates importare perfectionem diuersæ rationis à perfectione essentiæ dicunt visionem illam essentiæ solius, beatam non esse. Alij cum *Scoto* docent oppositum. Præterea, dato quod sit beata, adhuc alia restat quæstio, an sit eiusdem rationis. In qua aliqui dicunt non esse eiusdem rationis, sed diuersæ; ita *Vasquez 1. par. disp. 48. cap. 3. num. 10.* & alij cum eo. E conuersò, docent alij, futuram eiusdem prorsus rationis essentialis; et accidentaliter tantum diuersam. Ita cum *Scoto* omnes, qui, vel ei in schola adhærent, vel tenent primam sententiam de visione essentiæ sine personis.

Diuersęsent;

Beatitudo includit omnia bona.

58 Adu. 2. et suppono ex *disp. 14. & 16.* Beatitudinem simultaneè acceptam esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum. Vt verò spectat ad intellectum esse visionem obiecti summè seu infinite perfecti, eius appetitum adæquatè quietantis. Vt tandem spectat ad voluntatum, esse fruitionem obiecti summè, et infinitè boni, eius appetitum adæquatè quietantis. Quoties ergo istæ potentiæ possident tale summum, beatæ sunt. His positis

In casu visio essentiæ solius esset beata.

59 Dico 1. In hypothesi, quod videretur essentia diuina, et non viderentur personæ, adhuc visio illa esset beata. Est *Scoti in 1. sent. dist 1. quæst. 2. C.*

60 Prob. 1. Essentia diuina in se præcise considerata est bonum infinitum primaria entis infinitatè, et Pelagus omnium perfectionum, à qua cæteræ emanant. Ergo eius soluis visio est beata. Consequ. prob Visio beata, ex parte obiecti est illa, qua videtur ens infinitum, ex *Psal. 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua*, et *Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ex parte autem potentiæ, vel actus est illa, quæ satiat appetitum videntis; intellectus enim inclinatur ad videndum intelligibile infinitum; ęs tunc quietatur quan-

Satiat sola.

quando ad illud peruenit. E conuerso autem personalitates formaliter acceptæ, vt ab essentia distinctæ non important, neque perfectionem, neque imperfectionem, vt cum *Scoto* supponimus. Igitur non impediunt, quin essentiæ solius visio non sit beatifica.

Sola est beatitudo patris in aliquo signo.

61 Prob. 2. & est ratio valde efficax. Visio solius essentiæ præcisiuè à personis est in Patre diuino beata; ergo multo magis in creato intellectu. Euidens est consequentia; minus enim requiritur ad beandum potentiam aliquam creatam, & finitam, quam increatam, & infinitam. Anteced. prob. Ex *Scoto vbi supra sub* C. Pater diuinus, seu potius individuum Deitatis in illo primo signo originis, antequam concipiatur productio filij, est perfectè beatus, & tamen pro tunc cognoscit solam essentiam; pro illo enim signo non apparent personæ, quę adhuc productæ non sunt, & consequenter obiectum beatitudinis eius est essentia non adhuc communicata tribus.

Dices. Pater habet per obiecto essentiam in tribus personis, & non adest aliqua prioritas, in qua obijciatur ei essentia, vt est in vna tantum persona, & non vt in tribus. Sicut neque ipsa essentia in aliquo priori naturæ obijcitur vni personæ, & non tribus sed.

Quælibet persona sibi ipsi intelligit.

62 Contra ait *Scotus*. Quælibet persona intelligit formaliter intellectu, vt est in ipsa, non vero pro vt est in alia; ait enim *Augustinus lib. 15. de Trinit. cap 7.* quælibet persona diuina intelligit sibi ipsi, id est per intellectum, vt in se existentem, licet eum habeat ab alia. Et sic intellectio perfecta, quæ est beatifica, non necessariò ex se requirit essentiam, vt est in tribus. Ergo Pater videt essentiam, & est beatus per eam, non quatenus in tribus. Consequ. prob. Non minus ad visionem beatam requiritur intellectus, quam essentia; & tamen, vt intellectus beatificè videat non est necesse, vt sit in tribus; ergo vt essentia beatificè videatur non est necesse, vt sit in tribus.

Ex absurdo quod pater a filio aliquid acciperet.

63 Conf ex *Scoto ibidem sub* C. si Pater beatificè intelligere deberet essentiam prout est in filio, alioquin non esset beatus, sequitur, quod non à se esset beatus, sed aliquid quasi reciperet à filio, vel ab alio, vt in filio. Quod est absurdum. Primò quia perfectionem simpliciter, qualis est beatitudo, Pater à se non haberet, & ita non omnem perfectionem à se haberet: neque dici posset prior origine; eatenus enim talis dicitur, quia omnia; quæ in Trinitate, vel extra eam sunt, ab eo originantur, ipse verò à se, & à nullo alio priori se ea habet; & multò minus à posteriori; implicantia enim in adiecto est, quod prius origine habeat à posteriori origine id, quod ei communicat; sed communicat filio perfectam beatitudinem. Secundò sequitur aliud granius absurdum: quod, nempè proprietates absolutæ, seu prædicata essentialia non essent priora relatiuis, & nationalibus, quomodo autem intellectus Patris, qui ante productionem filij personas non intelligit, postea eadem intellectione intelligat, quando sunt iam productæ personæ: & quomodo pariter eadem intellectione productis personis intelligat creaturas, dicetur postea.

Argum. ad impossibile.

64 Prob. 3. Si per impossibile Deus non esset in personis trinus, adhuc esset obiectum beatificum; quia esset ens infinitè verum, & infinitè bonum, omnemque bonitatem eminenter, virtualiter, vnitiue, ac identificè, vel formaliter continens. Ergo nihil deficeret, quia esset obiectum beatificum. Ergo visio ad eam præcisè terminata, esset beatifica.

Talis visio esset eiusdé rationis essentialiter.

65 Dico 2. Si visio terminaretur ad essentiam, & non ad personas esset eiusdem rationis essentialiter cum visione, quæ terminatur ad totam Trinitatem; et accidentaliter tantum ab hac differret. Colligitur ex *Scoto locis citatis*.

A priori arg:

66 Prob. 1. pars. Haberet idem obiectum primarium cum ista: ergo Anteced. prob. Obiectum enim primarium omni primitate, siue originis, siue perfectionis, siue specificationis, est essentia. Consequ. prob. Nam visiones quidditatiuè, et primariò sumunt suum esse, et specificationem non ab obiecto secundario, sed primario.

67 Conf. Quando aliqua cognitio terminatur ad aliquod obiectum, quod ex se ipso se ipsum demonstrat, et alia præter se repræsentat. siue ista videantur, siue non, cognitio, quæ ad principale terminatur, vniformiter se habet, et est eiusdem rationis, siue alia videantur, siue non, talis est visio essentiæ, et personarum: ergo. Maior prob. Beati multi de facto videat in Deo aliqua futura, vel possibilia, quæ Deus eis reuelat; finita reuelatione seu manifestatione, ea non vident, et tamen, eodem modo beati sunt. Ergo idem dicendum de visione essentiæ, non visis personis. Experientia confirmari potest de visione cuiuscumque corporalis cui sit annexa aliqua circumstantia, quæ illud non constituat, vt cognitio Petri stantis, vel iacentis: vestiti, vel spoliati, &c. certè cognitio Petri vestiti, vel stantis non differt specie à cognitione eiusdem Petri spoliati, vel iacentis. Quia sicut primaria intentio videntis dirigitur ad Petrum videndum, ita specificatio visionis fit à Petro viso: ita prorsus de beatorum visione dicendum; qui, cum non cessent à visione Dei, modo vident in eo plura obiecta secundaria, modo pauciora; & tamen visio essentialiter est eadem, ac beata. Ergo à pari idem dicendum.

A paritate aliorum quę videntur simul.

68 Prob. 2. pars. Cognitio terminata ad

Accidentaliter differt ab alijs.

ad obiectum primarium, tantum accidentaliter differt ab alia quæ terminatur, nedum ad primarium, sed ad secundarium. ita se haberet in casu. Maior patet; quia terminatio diuersa, diuersificat saltem accidentaliter visionem terminatam: non enim haberi aliter potest illa diuersitas terminationis, nisi per diuersos respectus attingentiæ fundatos in ipsa visione, & terminatos ad obiecta secundaria diuersa relucentia in primario. Et ita saluatur, quomodo per eandem visionem beatam, modo videantur à Beatis aliqua de nouo, modo non.

Dices hæc ratio, sicut præcedens aliquid concluderet, si probaretur personas non pertinere ad obiectum primarium. At hoc opus, hic labor est: quia obiectum beatificum essentialiter constituitur per Deum in essentia vnum, in personis trinum. Igitur ruit tota Scoti ratio.

Personæ sit quasi secundarium obiectum.

69 Contra. Licet enim personæ non sint absolutè obiectum secundarium, quia non sunt entia creata, quibus propriè conuenit ratio secundarij. Tamen respectu intellectus, ac voluntatis diuinæ in comparatione ad essentiam sunt obiecta secundaria; quia formaliter inspectæ relationes, seu personalitates, vt ab essentia præscindunt, non important perfectionem; obiectum autem primarium diuini intellectus est ens infinitè bonum. Secundo, si relationes personales constituerent obiectum beatificum, Pater, seu hic Deus in primo signo originis, in quo consideratur memoria perfecta, ante productionem filij non esset beatus; imò, non posset filio beatitudinem formalem, neque obiectiuam, quam non habet, communicare. Adde, quod eam haberet à personis, & ita non à se. Quod maximum absurdum est, ex *August. 15. de Trinit. cap. 7.* C. vbi habet, *ad illam redatur absurditatem, vt Pater non sit sapiens de se ipso, sed de filio; nec sapientia, sapientiam genuerit, & ea sapientia Pater dicatur sapiens esse, quam genuit. Vbi enim non est intelligentia, nec sapientia potest esse; ac per hoc si Pater non intelligit ipse sibi, sed filius intelligit Patri profectò filius Patrem sapientem esse facit. Et si hoc Deo est esse quod sapere, & ea illi essentia est, qua sapientia non filius à patre; sed à filio potius haberet pater essentiam; quod absurdissimum est, atque falsissimum. Est ergo Deus pater sapiens ea qua ipse est sua sapientia, & filius de sapientia patris, de sapientia quod est pater.* hæc & alia plura *August.* Igitur antequam filius à patre sit, habeatque ab eo intelligentiam, sapientiam, & beatitudinem, Pater est intelligens, & sapiens, ac beatus. Quid autem pro illo priori videt, intelligit, sapit, aut fruitur, nisi sola essentia. Ergo hæc constituit obiectum primarium beatitudinis Dei. Si ergo Dei, quod maius est; etiam creaturæ, quod minus est.

Fit absurdo, arg.

Pater est sapiens à se.

Arg. contra.

Ob. contra 1. Deitas, vt à personis præcisa, est quid abstractum. Ergo nequit esse obiectum beatæ visionis. Consequ. prob. Hæc enim non est abstractiua, sed intuitiua. Anteced. est euidens. Si enim ab aliquo complexo præscindatur aliquod prædicatum, & in abstracto consideretur, est prædicatum abstractum.

Essentia præcisa a personis, quomodo est quid abstractum.

70 Resp. dist. anteced. Est abstractum, id est per cognitionem aliquam practicè abstrahentem consideratum, nego. est abstractum prædicatum, id est solitariè absque alio sibi coniuncto demonstratum, ac visum, concedo. Tum nego consequentiam; dupliciter enim accidit, quod res aliqua dicatur abstracta. Primo, quia intellectus in aliquo complexo diuidit vnum extremum ab alio; & hoc fit abstractum practicè opere intellectus, & hoc modo diuinitas in eo casu non est abstracta, quia intellectus circa eam præcisionem non negotiatur. Secundo modo aliquid dicitur abstractum materialiter tantum, & est dum absque opere, & negotiatione intellectus ostenditur aliqua res, forma, vel obiectum, alijs non ostensis. Sicut, cum Deus ostendit beato idæas aliquas, vel aliqua decreta, alijs non ostensis, licet omnia sint in Deo, tamen quia aliqua tantum ostenduntur, & non alia, illa ostensa dicuntur abstracta ab alijs. Ita esset in casu; ostenderetur enim essentia, non ostensis personis; at non per hoc cognitio illa terminata ad solam essentiam esset abstractiua, sed intuitiua.

Abstractum dupliciter sumitur.

Ob. 2. Obiectum beans est Trinitas. Ergo si sola essentia videretur, non esset visio beatifica. Antec. prob. Ex *August. Res, quibus fruendum est, sunt Pater, filius, & Spiritus Sanctus.*

Conf. Si sola essentia videtur, intellectus non satiaretur, nec quiesceret: ergo. Antec. prob. cuperet videre eum, sicuti est.

Trinitas est obiectum beatificum, sed sub ratione Deitatis, non Trinitatis.

71 Resp. dist. antec. ex *Scoto in 1. dist. 1. quæst. 2. C.* de facto, & subdistinguo est Trinitas sub triplici ratione beandi, nego; sub vnica, concedo. & nego consequen. De facto enim ita res se habet, quod Deus in tribus personis existens, sed sub vnica bonitate, ac perfectione beat. Ista autem ratio beandi in essentia est. Ergo sufficeret ad beandum in eo casu. Et ita respondetur ad Augustinum: Tribus enim fruemur, sed vna summa, & infinita perfectione pollentibus.

In eo casu intellectus esset quietus.

72 Ad confir. nego sequelam. Sicut enim de facto beatus non videns idæas, ac decreta, non est inquietus, ita neque tum; quia in vtroque casu haberet perfectissimum, & quietatiuum obiectum. Addo, quod appetitus deliberatiuus esset conformis Dei voluntati, & ideo contentus; imò Deus non concurreret cum eo ad appetendum aliorum visionem; & sic esset quietus, & beatus.

Ob. 3.

Ob 3. Essentia est obiectum beatificum, quatenus continet virtualiter, & eminenter omnes alias perfectiones, quæ aliquo modo ab ea fluunt, & sunt ab ipsa distinctæ; & quatenus communicabilis tribus personis. Ergo, nisi ita videatur, non videtur beatificè. Antec. prob. Est obiectum beatificum, vt est ens infinitè bonum. Sed vt est tale, continet præfatas perfectiones, estque communicabilis sine sui diuisione, ergo vt sic concepta est obiectum beatificum.

Essentia est obiectum, non reduplicatiuè, vt continens relationes, sed specificatiuè.

73 Resp. dist. anteced. Si ly *quatenus* se tenet reduplicatiuè, nego anteced. si se tenet specificatiuè, concedo anteced. & nego consequ. Nam est verissimum, quod essentia, quæ est obiectum beans animas, continet ea omnia. Sed non beat quatenus ea continet, sed ob perfectionem infinitam in genere entis primariam; alioquin sequeretur, quod neque esset obiectum beatificans, nisi quatenus continet omnia possibilia, & futura; quia hæc etiam continet, quatenus omnipotens: est autem omnipotens, quatenus diuina. Et tamen beat absque eo, quod cognoscatur, vt omnipotens. Ergo ita de alijs dicendum.

Fit ex arg. de continentia.

Instab. Essentia est obiectum beans, quatenus diuina, non verò quatenus quod vis ens; quia si videretur altitudo infinita, vel linea infinita, vel aliud quod vis ens creatum etiam substantiale infinitum (si esset possibile), non proinde visio terminata ad illud, esset beata. Si igitur, vt diuina, non est talis, nisi, vel vt continet vnitiuè omnes perfectiones, vel saltem virtualiter, aut eminenter. Ergo nequit beare, nisi vt sic videatur; & per consequens visio terminata ad eam præcisis personalitatibus non esset beata.

Eminétialis continentia radicaliter spectata est ipsamet essentia.

74 Resp. neg. consequ. Nam diuinitas, vt dicit rationem quidditatiuam, per quam differt ab omni ente creato, adhuc concipi potest secundum sua prædicata essentialia, vt distincta ab alijs, quæ sunt ei vnita tamquam proprietates; inter hæc autem adest continentia, vel virtualis, vel eminentialis eorum; quæ quidem continentia radicaliter, seu fundamentaliter considerata, est ipsa met essentia; formaliter verò, est veluti respectus quidam transcendentalis; & ideo si proprietates contentæ non spectant ad eius quidditatiuum conceptum, multò minus continentia. Et sic non est necesse, vt videns essentiam, videat continentiam eminentialem aliorum. Nisi dicere velimus, cum alijs, quod visa essentia videretur quidem continentia intuitiuè, non verò contenta, nisi in confuso, & abstractiuè; sicut dicemus, quod de facto beati vident Deum cum attributis, & personis, & vident esse omnipotentem, non tamen vident intuitiuè omnia obiecta ad quæ terminatur omnipotentia; neque per hoc negatur eos esse perfectè beatos.

Visa omnipotentia sufficit, si possibilia videantur confusè.

Instabis 2. Talis visio non esset ad Deum, vt est; ergo non esset beata. Consequ. prob. Obiectum beatificum debet esse verum ens, vt existit. Anteced. prob. Esset ad Deum aliter ac est; ipse enim est in personis, & non videretur sic. Igitur aliter, non enim datur medium inter videre, vt est, & videre aliter, ac est.

Talis visio esset ad Deum vt est, secundum rationem absolutam.

75 Resp. sicut in præced art. Non esset ad Deum, vt est secundum rationem absolutam, & quidditatiuam Dei, nego. Secundum rationes personales, & relatiuas, concedo. & nego consequ. ad probat. Falsum est, quod in eo casu videretur aliter, si alietas illa se teneat ex parte rei visæ. Si verò se teneat ex parte annexorum cum re visa, est verum, sed nihil inde sequitur, nisi quod demonstrata essentia, & non demonstratis personis, videretur essentia non visis personis, & in præcisione illa videretur, vt est.

Ob. 4. Neque ex parte Dei potest concipi, quomodo se faceret beatificè præsentem, cum essentia sola, & non cum personis, ergo. Anteced. prob. Non enim potest diuidere se à personis, neque potest se præscindere, vel abstrahere, nequit autem esse aliquo modo terminus talis visionis præcisiuę, nisi interueniat aliqua ex his actionibus: ergo.

Arg. ab omnibus soluendum,

76 Resp. neg. anteced. ad probat. dico hoc argum. esse ab omnibus soluendum de actuali visione beatorum; ipsi enim actu vident essentiam, & ipsam Dei cognitionem qua cognoscit se, & alia à se, & tamen ista alia cognita non vident. Item vident voluntatem, & volitionem, qua Deus amat se, spirat, & amat alia à se & tamen ista alia non videt, saltem omnia, & hæc est maior difficultas, quam de essentia, & relationibus seu personalitatibus; nam istæ distinguuntur saltim formaliter ab essentia; sed cognitio qua Deus cognoscit se, & Trinitatem, non distinguitur formaliter ab alia cognitione qua cognoscit alia à se: & idem dicito de volitione, sed vna & eadem cognoscit se, & alia à se; vna & eadem vult, seu amat se, & alia à se; & nihilominus cognita ea cognitione, & volitione, per eas cognita, & volita non cognoscuntur. Dico ergo ad argumentum, quod in casu isto metaphysico, Deus qui est agens liberum extra se, ostenderet essentiam, non autem personas. Quia adest tanta distinctio inter essentiam, & personas, vt possit hoc fieri. Si enim adest distinctio, quæ sufficit ad verificandum duo contradictoria, nempe communicari, & non communicari; hæc eadem sufficiet ad verificandum hæc alia duo videri, & non videri ostendi, & non ostendi. Vel assignetur disparitas, cur sufficit in illo, & non in hoc.

Instantia clara de cognitione possibilium.

Sed omnia saluantur ex libertate obiecti.

Ob. contra 2. Visio adæquatè, & completè beata differt ab alia inadæquata, & incompleta, in eo casu visio esset inadæquata, &

Arg. contra

incompleta: ergo. Min. prob. Quia visio terminata ad vnam partem obiecti beatifici est inadæquatè talis.

Esset adæquatè beata illa essentiæ visio.

77 Resp. neg. min. vel dist. Esset inadæquata ratione omnium, quæ apparere solent in obiecto beatifico, concedo. Esset inadæquata respectu obiecti beatifici, nego. ad probat. resp. peridem, quia in eo casu non esset terminata ad partem obiecti beatifici, sed ad partem illius complexi in quo est obiectum beatificum: at ipsa terminaretur ad illud.

Instab. Hæc diuersitas termini specificat actum visionis diuersum. Negari enim non potest, quod visio terminata ad totum hominem sit diuersæ rationis à visione terminata ad solum corpus, vel ad solam animam. Quia visio est expressio, & formalis similitudo obiecti; & proinde similitudo, quæ exprimit aliquid non expressum ab alia, est diuersæ rationis ab illa, sicut species impressa repræsentans aliquod obiectum, est diuersæ rationis ab alia repræsentante aliud, vel idem adiunctum alteri. Eiusmodi enim qualitates importantes talem relationem similitudinis sunt entia merè naturalia, ideſt intrinsecè determinata, & variantur, sicut numeri.

Arg. efficax pro diuersitate ex natura repræsentatiui.

78 Resp. dist. antec. Specificat in ratione beatifici, nego. in alia ratione, transeat, concedo. Patet ergo, quod visio Trinitatis personarum, cum vnitate essentiæ sit diuersæ rationis à visione essentiæ tantum, quia sunt similitudines, seu expressiones diuersæ; tamen, quia vtraque habet pro motiuo, & terminatiuo obiecto Deum, vtraque est beata, & in hac ratione solum numericè inter se differunt eiusmodi visiones, quia sunt duo actus numero diuersi; non tamen specificè imò ratione obiecti, neque numericè. dicendæ ergo sunt eædem numero obiectiuè, diuersæ numerò formaliter.

Duæ ille visiones numero differant in ratione beatæ.

## ARTICVLVS IV.

### *An possit videri vna persona non visa alia.*

Scoti mem.

SCOTVS *in 1. sent. dist 1. quæst. 2. §. De prima A.* docet possibile esse viatorem frui ordinate vna persona, non fruendo alia. *& §. Quantum ad istum* C. docet, non esse contradictionem, quod de possibili comprehensor videat vnam personam, non visa alia; eaque fruatur non fruendo alia, licet habitualiter frueretur omnibus, ita in calce eiusdem quæst.

Difficile quæsitum, & quare.

79 Adu. Præsens quæsitum apparere facilius, sed re vera eadem patitur difficultatem; tum propter naturam relatiuorum, quæ *sunt simul tempore natura, & cognitione.* Tum etiam propter rationem formalem obiecti beatifici. Si enim semel concedatur, quod Trinitas, vt Trinitas, sit obiectum beatificum iam non poterit vna persona, saltem beatificè videri, non visis alijs. Duo ergo hic sunt videnda. An vna persona possit videri, non visa alia; & an hæc visio esset beatifica.

Vna est ratio beatificans.

80 Adu. 2. ex præcedd. Rationem formalem beatificantem, siue respectu visionis, siue fruitionis, vnam esse, nempè infinitam Dei perfectionem indiuisam in personis diuinis, & hanc terminare appetitum rationalem cuiuscunque intellectualis agentis quod verò sit in vna, vel impluribus personis, hoc esse merè extraneum rationi formali beatificantis ita discurrit *Scotus in 1. dist. 1. quæst. 2.* in principio, quod colligit ex *Augustino 5 de Trinit. cap. 14.*

Relatiuum cognosci nequit sine termino.

81 Adu. 3. Quod quamuis ad cognitionem relatiui, siue intuitiuam, siue abstractiuam, sit necessaria etiam cognitio correlatiui, seu verius termini, quia relatiua sunt simul cognitione; tamen controuersia est, an sit necessarium, vt eodem cognitionis genere cognoscatur terminus. An sufficiat, quod si relatiuum cognoscitur distinctè, terminus possit cognosci confusè: & si illud intuitiuè, hoc abstractiuè.

Posset absolute vna persona videri sine alia.

82 Dico 1. Licet de facto tota Trinitas videatur à beatis; de potentia Dei absoluta fieri posset, vt beatus videret vnam personam non visa alia est *Scotus, vbi supra*.

83 Prima pars remanet probata ex principijs fidei in articulo primo huius disputationis.

A pari de fide viatoris circa vnam, & non aliâ.

84 Prob. secunda pars. ex *Scoto* ibi de facto in via dantur tres articuli de tribus personis, & haberi possunt tres actus fidei distincti circa ipsas. Secundo, inuocantur distinctè, *Pater de Cælis Deus; Filii redemptor mundi Deus; Spiritus Sancte Deus. Veni Sancte Spiritus, &c.* multas orationes habet Ecclesia, quibus inuocat personas distinctè actualiter; quidquid sit habitualiter: ergo poterunt sic videri. Consequ. probatur illi actus credendi terminati ad personas distinctas, & singulariter apprehensas sunt honesti, ordinati, ac meritorij si fiant ex auxilio gratiæ, vt supponitur. Igitur, cum fidei succedat visio, ijs fidei actibus poterunt succedere actus videndi distincti, & ordinati. Igitur, saltim non implicat.

Ex incarnatione vnius sine alia arg.

85 Prob. 2. ex eodem *Scoto* ibidem. Potuit incarnari vna persona non incarnata alia. Ergo, & videri vna non visa alia. Antecedens est de fide, quia de facto ita est, *Verbum enim caro factum est, Ioann. 1.* non Pater neque Spiritus Sanctus, & sicut Verbum fuit incarnatum; ita potuit incarnari Pater, vel Spiritus Sanctus. Consequ. probatur. Eadem prorsus; imò facilior ratio est de visione quam de incarnatione. Quia vtrobique adest sola terminatio; sicut enim verbum solum terminat assumptionem,

nem, à tota Trinitate causa tam: ita vna persona terminaret visionem à tota quidem Trinitate productam, sed ad vnam tantum terminatam. Ecce identitas rationis. Adde, terminatio incarnationis importat sustentationem, & intrinsecam denominationem vniti, cum verbum intrinsecè concurrat ad constituendum ineffabile illud compositum, quod dicitur Christus. At visio passiua vnius personæ importat solummodò denominationem extrinsecam in viso. Igitur facilius hæc terminatio admitti poterit, quam prima.

Fortior ratio de visione.

86 Prob. 3. Paritate rationis Scoti, de beatitudine Patris ante productionem filij, sic. Pater in secundo signo originis cum concipitur produxisse iam filium, videt intuitiuè solum filium, non autem Spiritum Sanctum. Item pro eo signo ante productionem Spiritus Sancti, filius hunc intuitiuè non concipitur videre, sed solum patrem. Ergo ita poterit aliqua tantum persona apparere creato intellectui, alia non apparente.

Ex beatitudine patris ante filium.

87 Prob. 4. Nulla est implicantia, neque ex parte personæ visibilis, neque ex parte videntis: ergo. Anteced. prob. Distinctum realiter ab alio potest videri, alio non viso. Personæ autem sunt realiter distinctæ, quia ex *Symb. Athan. Alia est persona patris, alia filij, &c.* ergo. De videnre etiam probatur, quia videns, ea tantum videt, quæ sibi apparent. Ergo si vna appareat persona, vnam tantum videbit. Potest autem, & vna apparere, sicut potuit vna mitti, atque incarnari: ergo.

Ex non implicantia.

88 Prob. 5. Ante Christi prædicationem, & explicitam de Trinitate doctrinam, toto tempore præcedente, exceptis aliquibus Ecclesiæ principibus, non habebatur explicita de Trinitate notitia, & tamen Deus, conceptus, tamquam vna persona, sine peccato colebatur. Igitur non est implicantia concipere sic Deum, eumque adorare: & sic neque erit implicantia vnam personam diuinam videre, eaque frui, si separatim ostendatur.

89 Dico 2. Possibilis illa visio vnius personæ diuinæ, alijs non visis, adhuc esset beata. Est *Scoti, vbi supra*.

Visio vnius esset beata.

90 Prob. In ea persona sola adesset obiectum beatificum, essentia scilicet diuina: ergo. Antec. in præced. articulis patuit. Quia essentia, vt est ens à se, & Pelagus omnium perfectionum satians omnem appetitum, est obiectum beatificum, non verò vt relationibus personalibus est coniuncta: ergo multò magis si in aliqua persona videatur.

Essentia sola est obiectū beans.

91 Prob. 2. argum. alias adducto, Pater in priori signo originis, antequam concipiatur genuisse filium, est perfectè beatus, quia à se habet beatitudinem in actibus intellectus, ac voluntatis consistentem, & eam non accipit à personis, sed potius illis eam communicat. Immò antequam concipiatur pater in esse relatiuo (hoc enim esse habet per filij generationem) de necessitate admitti debet, quod detur hic Deus, sicut hæc essentia cum intellectu, & voluntate operantibus, id est intelligente, & volente; nam essentialia præcedunt notionalia, ex *Scoto quodlib.* 1. & prius origine est, essentiam esse, quam patrem esse; prius intellectum, & voluntatem intelligere, ac amare essentiam illam infinitam, quam dicere, vel spirare notionaliter. Igitur cum in primo illo signo habeatur perfecta beatitudo intellectus, & voluntatis, quæ personis est communicanda; & tamen pro eo signo personæ non concipiantur, euidenter sequitur, essentiam, non vt in personis, sed vt in se, & ex se esse obiectum veræ, & perfectæ beatitudinis. Sed hæc videretur in vna persona. Ergo visio esset beata.

Ex beatitud. patris ante filium.

Ob. contra 1. Relatiuum non potest cognosci non cognito termino. Ergo cum personæ diuinæ sint relatiuæ, non potest cognosci vna non cognita alia. Antec. prob. Primò, quia ex Philosopho relatiua sunt simul cognitione. Secundò, quia totum esse relatiui formaliter accepti, est ad aliud se habere.

Arg. contr. 1

92 Respondet *Scotus, vbi supra B.* in fine hoc argumentum probare, quod non possit cognosci pater sine filio, & è contra. At non probat, quod nequeat cognosci alteruter eorum, non cognito Spiritu Sancto. Ex hoc autem sequitur quod non Trinitas, vt Trinitas est obiectum beatificum, sed vt Deus.

1. Scoti resp.

93 Resp. 2. dist. anteced. Non potest cognosci relatiuum, nisi cognito termino, confusè, vel distinctè; intuitiuè, vel abstractiuè, concedo. distinctè semper, vel intuitiuè cognito termino, nego. & per hoc ad probationem. Certum ergo est, quod, cum relatiuum cõstituatur per esse ad aliud non potest cognosci, nisi cum hoc ordine; alioquin cognosceretur aliter, ac est. Sed non est necessarium, vt si relatiuum cognoscitur intuitiuè, etiam terminus sic cognoscatur; sed sufficit si cognoscatur abstractiuè. Neque vt si relatiuum cognoscitur distinctè, etiam terminus sic cognoscatur; sed sufficit si cognoscatur confusè. Exempla multa suppetunt; videns enim statuam Petri, sine viderit aliquando Petrum, siue non, statuam cognoscit intuitiuè, ac distinctè, Petrum verò abstractiuè, vel distinctè, vel confusè. Ita videns aliquem, si ei dicatur, visum esse alteri similem, videbit similem distinctè, non verò terminum. Sciens aliquem esse Patrem filiorum, in horum absentia videt Patrem, non visis distinctè, vel intuitiuè filijs. Ita in casu diceretur, quod viso Patre distinctè aliæ personæ viderentur confusè, & abstractiuè.

Ad cognitionem relatiui requiritur, vt saltem confusè, vel abstractiuè cognoscatur terminus.

Instabis. Illa sola persona non posset præ-

Arg. de adorations, cùm adorari quia separaretur Trinitas. Ergo neque potest videri

94 Respondet *Scotus* in calce quæst. quod visa vna eaque actu adorata aliæ adorantur habitualiter, sicut nunc inuocata vna, aliæ habitualiter inuocantur, seu implicitè Et licet non possit quis diuidere Trinitatem adorando vnam personam alijs contrariè non adoratis; tamen si vna tantum ostendatur, vel vna veniat in mentem, & non alia, illa potest videri amari, & adorari, alijs non visis, nec adoratis suspensiuè, seu contradictoriè.

Ob. 1. Saluator pro impossibili ducit, vt viso filio non videatur Pater, cum enim *Ioann. 14. Philippus* diceret, *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, Christus respondit. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me, Philippe, qui videt me videt, & Patrem*, quasi dicat cum me ex tanto tempore videatis, videtis etiam, & Patrem. Ergo non potest videri vna persona, non visa alia.

Duplex responsio, quo modo intelligitur Christi dictum. 95 Resp. 1. ex hoc argum. Colligi tantum, quod saltem filius non potest cognosci, non cognito Patre At poterit cognosci non cognito Spiritu Sancto; quia Christus non dicit, qui videt me, videt Spiritum Sanctum. Ergo saltem sine ista persona poterunt Pater & filius videri.

96 Resp. 2. ex *Scoto in 4 dist 49 quæst. 4.* in calce, neg. anteced. ad probat. dico, Saluatorem loqui de visione per speculum, seu enigmatica, Philippus enim petebat instrui de fide Patris, frequenter enim audierat Christum loquentem de Patre; & quia ipse compleram de Trinitate doctrinam tunc non habebat; ideo petit, vt ostendat, id est declaret, & doceat quis sit eius pater, vt perfectam haberent de Trinitate doctrinam. At non loquitur de visione beata Ideo Christus respondet, *qui videt me, videt & Patrem*; certum autem est, quod neque Philippus, neque alij Apostoli viderant clara visione Christi diuinitatem, sed visione ænigmatica, nempe fide. Voluit ergo dicere, sicut fide credidistis me, eadem fide creditis, & patrem meum, Deum nempe qualis sum ego. Et proinde ex hoc nihil colligitur.

Philippus petit erudiri in doctrina Trinitatis.

Arg. est de facta conclusio de possibili, 97 Glosta Interl. in hunc locum ait, *qui videt me spiritualibus oculis videt & patrem, non quia aliud sit filius aliud pater, sed quia omnino similis*. Lyranus ibidem ait, si cognouissetis me perfectè quantum ad diuinitatem, Patrem meum vtique cognouissetis, quia pater, & filius vnum sunt in Deitate. Hæc Lyr. Sed hoc non facit contra conclusionem, quæ loquitur de visione clara vnius personæ ostensæ, non ostensa alia, & de visione possibili.

Aliæ resp. Patrum. 98 Alij Patres putant Philippum cupere visionem Patris in aliqua figura corporea, ita *Cyrillus lib. 9. in Ioann. cap. 37.* & idem Sanctus pro Christo, sic respondet Philippo, *An igitur Philippe cum multò melius in me Patrem videre possis, quam ipsi antiquiores viderunt, alium quendam modum videre Patrem desiderasi. Tu autem videre Patrem petis, quia non penitus adhuc credidisti, quod ego in Patre, & Pater in me est.*

99 *Augustinus* autem à quo accepit *Scotus* de intellectuali cognitione per fidem hunc locum intelligit, nam *in cap. 14. Ioann. tract. 70. C.* ait, Qui videt me videt, & Patrem, non quod ipse sit Pater, & filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani damnat catholica fides: sed quod tam similes sunt pater, & filius, vt qui vnum nouerit, ambos nouerit. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis, qui vnum illorum vident, & qualis sit alius volunt nosse, vt dicamus vidistis istum, illum vidistis. Hæc & alia plura *August.*

Ex arg. concluditur cõtrarium. 100 Concluditur ergo, quod, cum locus ille non intelligatur de clara visione, sed de visione ænigmatica fidei; & de cognitione alterius personæ, quam volebat Philippus agnoscere. Imò ex Philippi petitione concluditur, quod videbatur filius, siue fide, siue aliter, & non videbatur pater; Christus autem innuit, quod idem est videre ipsum, ac videre Patrem, id est quoad fidem diuinitatis.

Inst. Si cognitione ænigmatica non videtur vna persona, sine alia, vnde ait Christus, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem*. Ergo multò minus cognitione intuitiua distincta poterit videri vna persona alia non visa.

101 Resp. nego suppositum in anteced. Imò est ad oppositum, quia Philippus credebat vnam, & non aliam, quam nesciebat, & hac ratione Christus, ait, *qui videt me, &c.* quasi diceret, est hæc alia persona mihi similis, imò eadem in Deitate, & qui credit Deitatem meam, credit Deitatem personæ Patris; quia *Pater in me, & ego in Patre* per circumincessionem, quò ad personas, & per identitatem, quò ad essentiam.

Instab. 2. Vna persona est in alia per circumincessionem, Ergo videri nequit vna, non visa alia. Consequ. prob. Vt aliquid obiectum videatur perfectè, ac distinctè debet videri id, quod in eo est: ergo.

Circumincessio personarum non facit, vt nequeat videri vna sine alia 102 Resp. neg. consequ. ad probat. dist. anteced. Si quod est in illo pertinet ad rationem quidditatiuam ipsius, concedo. si est extra quidditatem, nego. Et ratio est, quia quodlibet realiter distinctum ab alio potest videri eo non viso. Et semper vrget clara instantia de Deo, & idæis, atque decretis, quæ sunt ei realiter identificata; & tamen his non visis, vt infra, Deus videtur.

Arg. contr. 2 Ob. contra 2. Vna sola persona non habet

b et totam rationem fruibilitatis, quia non totam bonitatem, ergo non potest esse obiectum beatæ visionis. Anteced. prob. Nam ex 1. *Ethic* 7. bonum æqualiter dicitur cum ente, sed sunt tria entia ergo tria bona.

Tres personæ sunt vna summa bonitas.

103 Resp. ex *Scoto in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 2. 1. *§. Ad argumenta*, dist. min. Sunt tria bona importantia perfectionem summam, nego. sunt tria bona, prout bonum conuertitur cum ente, concedo. & nego consequentiam. Ait enim *Scotus* non bonum in communi, sed bonum perfectum, quale non est relatio, sed sola essentia, non enim valet dicere, quod in tribus personis sunt tres summæ bonitates, sed vna bonitas; nam *Greg. Naz. Orat* 49. ait. *Qui videt me, videt Patrem, & non immeritò quia vnitate substantiæ, & maiestate diuinitatis vnum sunt.* Vna ergo est in eis ratio fruibilitatis.

Instabis. Negari nequit, quod sint ibi tria bona suppositalia, & vnum essentiale, Ergo, si tres sunt rationes fruibilitatis, cum vna non contineat alias omnes, nequit esse obiectum beatificum.

Personæ nõ dicunt perfectionem quidditatiuam.

104 Resp. ex *Scoto* ibidem nego consequ. Quia tria illa bona suppositalia non dicunt perfectionem quidditatiuam; neque sunt ratio agendi, aut ratio terminandi. Hoc autem bonum est obiectum beatificum, non verò quodlibet aliud, quod cum ente conuertitur. Nam illud bonum dicitur essentiale, & ratio formalis agendi, ac terminandi fruitionem, & hinc est, quod eo solo pater est perfectè beatus.

Ob. 3. Actus beatitudinis formalis terminatur ad tres, in quantum tres. Ergo tota Trinitas est formale obiectum. Igitur vna sola terminante, visio non est beata. Anteced. prob Actus beatitudinis correspondet actui credendi; visio enim succedit fidei: sed credimus Deum in quantum est trinus. Ergo, vt talis est videndus, vt obiectum beatitudinis.

Trinitas quo modo est obiectum formale, & non vt Trinitas.

105 Resp. distinguo anteced. Si ly in quantum reduplicat rationem terminandi formalem, vt sit causa inhærentiæ prædicati cum subiecto, neg. anteced. si reduplicat solum tria subiecta, in quibus de necessitate reperitur ratio formalis terminandi beatitudinem, concedo. sed nego consequ. Quia aliud non significat illa propositio, nisi quod obiectum fruibile, vt tale est in tribus. Non verò, quod eatenus sit fruibile, quatenus in tribus. Ad illud de actu credendi inquit *Scotus sub L.* disparitatem esse, quia nunc intellectus noster intelligit personas diuinas ex creaturis, modo scilicet distincto, quo cognoscit creaturas. Et ita quò ad nostram cognitionem Trinitas est ratio formalis cognoscendi, & ideo credendi. At in patria, non Trinitas, sed essentia diuina erit ratio formalis videndi, & ea visa videbitur Trinitas, & illa erit ratio videndi Trinitatem, & omnia. Sed ego salua pace adderem, quod in via possumus elicere, nunc actum fidei circa totam Trinitatem; nunc circa patrem tantum, nunc circa filium tantum, nunc tandem circa solum Spiritum Sanctum; & quilibet ex his erit verus actus fidei, & supernaturalis, si ex auxilio gratiæ sit elicitus; de quolibet enim ex præfatis obiectis datur articulus fidei. Ergo ex hoc potius sequitur oppositum, quod nempe possit videri vna, non visa alia, sicut, & credi actu vna, absque actuali directione fidei ad aliam.

Essentia est formalis ratio beandi.

Ob. 4. Visio beata non potest esse confusa, sed visio vnius personæ absque alia esset confusa: ergo. Minor prob. Persona illa cognosceretur esse relatiua, & tamen non cognosceretur id, ad quod refertur; sicut si quis videret aliquem, ei sibi diceretur esse patrem alicuius egregij filij; ille videret confusè eum in ratione patris, quia non videret filium eius.

Visio illa vnius personæ esset distincta.

106 Resp neg. min. ad probat. dico, vt in præcedentibus, quod licet non cognosceretur filius, adhuc visio patris esset distincta, quia de ratione relatiui est, vt non cognoscatur absque ordine ad terminum; at non exigit vt eodem modo cognoscatur terminus, quo ipsum relatiuum. Exempla multa adduximus, quibus addo hoc, quod creatura distinctè, & intuitiuè cognoscitur, creator autem confusè, & abstractiuè. Verum quidem est quod cognitio comprehensiua exigit hoc: sed nos de ista non disputamus. Et sicut diximus, quod visio essentiæ præscindendo à personis esset visio intuitiua, & beatifica; multò magis visio vnius personæ, quæ vt supponimus constituitur ex personalitate, & essentia.

Quia terminus cognoscitur.

Ob. 5. Visio vnius personæ non quietaret intellectum: ergo non esset beata. Consequ. patet; quia beata visio quietat videntem, *satiabor cum apparuerit gloria tua*, *Psal.* 16. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, *Psal.* 102. *Replebimur in bonis domus tuæ*, *Psal.* 64. Anteced. prob. quia cognoscens relatiuum non quietatur non cognito termino, imò anxius est hunc etiam cognoscere, præsertim, cum etiam in terminum crediderit, & in eum sperauerit. Et Trinitatis mysterium, vtpotè difficillimum maximoperè scire percupiat. Ideo cum ea anxietate esset.

Videns vnã personam non remaneret anxius, & quare,

107 Resp. neg. anteced. & probat. Nulla enim in sic vidente remaneret anxietas; tum quia essentia sola repleret omnem cupiditatem; tum etiam, quia talis videns conformaret se voluntati diuinæ sic disponenti, & maximè quia esset certus se postea visurum etiam alias personas; tum tandem, quia Deus non concurreret cum tali vidente ad desiderium visionis aliarum personarum. Et quod diximus futurum in casu hypotetico de visione essentiæ, non visis personis; id idem dicimus in præsenti. Adde,

quod

quod sicut de facto beati non videntes possibilia, nec futura, saltem omnia, non proinde remanent anxij, sed satiantur, ita in casu esset dicendum

Dices, non esse eandem rationem de possibilibus, & de personis quia illa sunt entia creata, non sic personæ.

Eadem ratio de personis, ac de possibilibus.

108 Resp. Eandem prorsus esse rationem de vtriusque quantum adesse obiectum beatificum, vel pars illius; essentia enim sola, non autem relationes diuinæ constituit obiectum beatificum. & ideo quò ad hoc æqualiter se habent. Ratio autem increati tantum, quæ in relationibus personalibus reperitur non sufficit ad faciendum obiectum beatificum, quia est ratio negatiua: & si ipse conceptus positiuus relationis non facit ad rationem beatificam, multò minus ratio illa negatiua.

Ob. 6. Vel esset visio beata eiusdem rationis, vel diuersæ. neutrum potest dici: ergo. Non primum, quia respiceret aliquid diuersum. Non secundum, quia omnes visiones Dei sunt eiusdem rationis.

Visio vnius personæ esset beatifica & eiusdem rationis,

109 Resp. In vno sensu esse eiusdem rationis; in alio diuersæ. Ratio primi, quia est circa idem obiectum primarium. Ratio secundi, quia accidentaliter differret ratione diuersę expressionis: vt diximus de visione essentiæ sine personis.

## ARTICVLVS V.

### *An beati in essentia diuina videre possint creaturas.*

Scoti mens,

SCOTVS *in Prol. sent. quæst. 3. AA.* docet, intellectum beati posse cognoscere omnia scibilia, quæ Deus cognoscit; & hoc virtute obiecti primarij, nempe essentiæ; de facto autem, ea tantum cognoscit, quæ Deus ei reuelat. *in 2. sent d. 14 quæst. 2.* diffusè docet, intellectum animæ Christi in verbo vidisse, ac videre omnia, quæ videt verbum. *in 4. dist. 45 quæst. 4. D.* docet, beatos in essentia Dei videre ea obiecta secundaria, quæ illis reuelat Deus, & ibidem *dist. 50. quæst. 3.* docet, beatos videre pœnas damnatorum in ipso Deo, idemque sæpè docet de cognitione creaturarum in Deo.

Multa dubia soluenda.

110 Adu. 1. De visione creaturarum in Deo multa esse inquirenda. Primò, an possint beati eas videre in Deo; nam de visione in proprio genere dicetur postea. Secundò, an de facto videant omnes, vel aliquas, & quas. Tertiò, an eas videant ex vi visionis, an ex speciali Dei reuelatione. Quartò, an visio illa, qua de nouo aliquid vident, differat à visione beata. & alia ad hæc comitantia, nunc autem possibilitatem inquirimus.

111 Adu. 2. & suppono ex tract. De scientia Dei, & de Idæis diuinis. Deum ante mundi creationem, & ante rerum omnium euentus habuisse rerum omnium notitiam *Dan. 13. Deus æterne, qui nosti omnia antequam fiant. Sapientiæ 8. Signa, & monstra scit antequam fiant, & euentus temporum, & sæculorum. Psal. 138. Tu Domine cognouisti omnia nouissima, & antiqua. Deuter. 31. Scit cogitationes eius, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram quam pollicitus sum. Hier. 1. Priusquam te formarem in vtero noui te, & antequam egrederetur de vulua, &c. Prou. 5. Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. & cap. 16. Omnes vię hominis patent oculis eius; spirituum ponderator est Dominus.* & hoc de fide est. Deus ab æterno præscit omnia,

Difficultas autem est, quomodo ea cognoscat antequam sint, & postquam sunt. Cum Deus non aliter nouit facta, quam fienda, ex *August. lib. 15. de Trinit. cap. 13.* Et licet omnes conueniant in hoc quod quæ Deus præter se cognoscit, non extra se, sed intra videt ex *August. lib 5. de Gen. ad lit. cap. 13.* & ex illo *Ioann. 1.* infert, *Omnia per ipsum facta sunt. Quod factum est in ipso vita erat.* Vbi *August.* ait. *Porro si nouerat, vbi, nisi apud se ipsum, apud quem verbum erat, per quod facta sunt omnia; nam si extra se ipsum ea nouerat, quis eum docuerat.* Hæc *August.* discordant tamen in assignando, quomodo ea cognoscat in essentia, num tamquam in causa; num tamquam in specie, seu medio cognoscendi; num vero tamquam in medio cognito vel vt in speculo, seu exemplari. Et omnium maximè dubium est, quomodo omnia creata habeant in Deo primum esse, quod est esse possibile, seu cognitum. Sed ad præsens quæsitum hæc non spectant; sufficit enim nunc scire, quod in Dei essentia, creata, vel creanda, aut creabilia possunt videri.

Difficultas est de modo cognoscendi.

In essentia cognoscit, sed adhuc modus controuertitur.

112 Adu. 6. ex *Scoto in 1. sent. dist. 35. I. in fine*, & *in 4. dist. quæst. 3. G. quodlib. 14.* atque alibi sæpè, diuinam essentiam ratione suæ infinitæ perfectionis continere virtualiter, & eminenter omnia facienda, & factibilia. Ideoque duplex esse creaturarum considerandum est in Deo, antequam fiant; vnum est esse eminentiale, & hoc est esse ipsius Dei, vt *Scotus* docet *in 4. dist. 1. quæst. 1. Q.* quia, *quod factum est, in ipso vita erat.* Aliud autem est esse possibile, vel futurum, quod possunt habere, vel habebunt, & est cognitum ab intellectu Dei, & hoc est esse idæale; & secundum hoc esse cognoscuntur in Deo creaturæ. Et quoniam ista omnia facta, & facienda, in Deo relucent, essentia Dei appellari solet speculum, sed voluntarium ad extra, vt monet *Scotus quodlib. 14. art. 2. ex Ambr. in cap. 2. Lucæ*, & *August. in lib. de Vid. Deo cap. 6.* quia in ea tamquam in speculo res videntur. Solet etiam appellari species repræsen-

Essentia eminenter, & virtualiter continet omnia.

Essentia est speculum voluntarium,

sentans omnia; ita tamen, vt sit illimitata, & non solum ratio qua, sed etiam ratio quæ: quia species est solum repræsentatiua determinata, & ratio qua tantum videndi, non verò ratio quæ visa: essentiæ autem diuinæ, non est determinata ad vnum tantum repræsentandum, sed ad omnia entia, siue facta, siue fienda, siue præsentia, siue præterita, siue tandem possibilia. Et insuper est ratio, quæ videtur, imò ipsa prius est videnda, quam alia in ea videantur.

113 Adu. 3. Quod quamuis Theologi selectiores communiter negent, & præcipuè Scotistæ omnes, fieri posse intuitiuam cognitionem in specie obiectiua omnes tamen concorditer docent, visionem illam, qua beati vident in Deo creaturas, siue actu existentes, siue futuras præteritas, aut possibiles, esse cognitionem intuitiuam. *Scotus* autem, vniuersaliter, vbique ac semper doctrinam de cognitione intuitiua sic firmat; vt illa semper sit intuitiua, quæ sit ex obiecto immediatè præsenti, vel ex aliquo eminentiore illud obiectum continente, & hoc modo docet semper, Deum ab æterno intuitiuè videre ea, quæ post innumera, & infinita sæcula sunt facienda his autem positis.

Cognitio creaturarũ in Deo est intuitiua.

Beati possũt in Deo videre creaturas.

114 Dico. Beati possunt in essentia Dei videre creaturas, siue præsentes, siue futuras, aut possibiles. Quas autem videant, dicetur postea. Est communis *Scoti vbi supra. D. Tho. in 4. sent d. 49. quæst. 8. art. 4. & in 1 par. quæst. 12. art. 8. D. Bonau. in 3 sent dist. 14. par. 2. quæst 1 & 2.* & omnium Theologorum, nemine excepto. Nam controuersia est de modo, & numero visorum.

A priori ratio.

115 Prob. 1. Deus potest eas sic videre in essentia sua. Ergo, possunt etiam beati. Consequ. prob. Quod apparet, seù relucet in aliquo obiecto, potest videri à quocunque vidente tale obiectum, nisi aliunde impediatur. Ergo, cum creaturæ in Deo appareant, & à Deo in se ipso videantur, poterunt etiam videri à creaturis, nisi aliunde impediantur. Anteced. prob. ex *D. Augustin. lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 13.* supra relato in se enim cognoscit omnia non extra se, & *in lib. 6. de Trinit. cap. vlt.* vbi ait. *In Deo est verbum, ipsum verbum perfectum, cui non deest aliquid & ars quædam omnipotentis, atque sapientis Dei, plena omnium rationum viuentium incommutabilium*, et post subdit, *ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipsam, & ideo cum decedant, & succedant tempora, non decidit aliquid, vel succedit scientiæ Dei.* Tertio, quia nequit aliter dici, cum enim ab æterno Deus cognoscat omnia, quæ sunt facienda, vel possibilia vel alia, quæ nunc ita sunt præterita, vt nihil eorum maneat; et Deus non habeat species intelligibiles eorum. sequitur, quod nequeat alio modo, quam in se cognoscere, cum ab æterno nihil fuerit extra se.

116 Prob. 2 ex *S. Augustin. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 31. Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, vt omnia, vel in se, vel in illo veraciter intellecta conspiciat.* Ergo beati possunt alia à Deo, in Deo ipso conspicere & *lib. 13. confess. cap. 15.* ait de beatis; *qui non opus habent suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit æterna voluntas tua legunt eligunt, & diligunt semper; legunt, & numquam præterit, quod legunt. Eligendo enim, & diligendo, legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui.* In libro pariter, *de triplici habitaculo cap. 6.* erudite hæc habet. *Sicut enim per speculum vitreum trina nobis visio administratur; quia nosmetipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens adest videmus: sic per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est videbimus, quantum possibile est creaturæ. & nos ipsos, & cætera, vera, & certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum, & ipsius inferni, videndo Deum videbimus.* Ergo perspicuum est in *Augustini* sententia, in Deo alia à Deo, et posse videri, et videri.

Aug. euident authoritas.

117 Prob. 3 Ex communi omnium Theolog. sententia Christus in verbo videbat omnia, quæ videt verbum. Ergo hæc visio non est impossibilis creato intellectui.

118 Prob. 4. ex dicendis in seqq. Sunt enim à fortiori; nam de facto dicemus multa à beatis videri in Deo, quorum species ipsi non habent, ergo est possibilis ista creaturarum visio in Deo.

Ob. 1. Res creatæ aut creabiles non sunt in Deo; ergo non possunt ab aliquo in eo videri.

Arg. contr.

119 Resp. dist. Non sunt in Deo secundum esse proprium formale actuale, concedo; secundum esse eminentiale; vel possibile, seu actuale cognitum, id est secundum sui ideas, nego. et nego consequ. Esto enim lapis, verbi gratia, et lignum, etc. non reperiantur in essentia Dei, secundum esse actuale, et formale eorum; tamen reperiuntur eminenter, & virtualiter, et secundum esse cognitum, quia *quod factum est in ipso vita erat. Ioann. 1.* Alioquin hoc argumentum concluderet etiam de Deo, quod scilicet creaturas in se non videat, quia in ipso non sunt.

Arg non concludit, vel est ad impossibile,

Ob. 2. Si possent videri in Deo, Deus esset species impressa repræsentatiua creaturarum. Sed hoc est falsum. Sequela prob. non enim datur aliud genus repræsentatiui. Min. prob. Quia Deus non est similitudo; seu ratio qua, et accidens.

120 Resp. neg. sequelam. ad probat. dico, Deum continere omnia alia à se ratione infinitatis; et quia potest ea producere virtute omnipotentiæ. Et continet etiam in intelligentia, quia ab æterno actu

Ratione infinitatis, & omnipotentiæ Deus continet omnia.

ea cognoscit, vt *ex tract. de Ideis, & de scientia Dei ad extra*. Adde, quod idem argumentum militat contra scientiam Dei. Nam ab æterno nosci creaturas possibiles; istæ autem non habentes esse extra Deum, & tamen ab eo videntur.

Ob. 3. Vel creaturæ dicunt aliquod esse diuersum in Deo existens, & illi vnitum, seu coniunctum, vel idem formale esse Dei. Primum nequit dici, quia tale esse, vel esset creatum; & sic Deus esset identificatus cum aliquo creato, vel esset increatum: & sic non essent creaturæ. Si esset idem formale esse Dei, iam non viderentur creaturæ, sed Deus.

Esse possibile creaturarum à Deo cognoscitur

121 Resp. hoc argumentum non esse præsentis speculationis: pertinet enim ad tractatum de scientia Dei, & de ideis. Est enim esse possibile creaturarum, quod à Deo cognoscitur ratione infinitatis, quæ continet virtute, ac eminentia omnes illos gradus perfectionis, quos potest creaturis communicare. At quidquid importent, de fide est quod Deus tales creaturas extra se, vel actu existentes, vel futuras, vel possibiles in se ipso cognoscat. Dicimus ergo, quod vel illa omnia, vel aliqua ex illis possunt cognoscere beati, quæ Deus eis ostendit.

Ob. 4. Si viderent, vel videre possent aliqua, viderent omnia. Deus enim est ens simplicissimum; ideoque cum nihil possit abscondere, omnia demonstraret.

122 Resp. dist. sequelam, si Deus demonstraret omnia, concedo. si non demonstraret, nego. ad probat. dist. Deus est ens simplicissimum, simplicitate opposita compositioni, concedo. opposita multiplicitati formalitatum, nego. ad illud, quod nihil potest abscondere, nego, quia est obiectum voluntarium, si vult videtur, si non vult, non videtur, ex *August. lib. de Vid Deo cap. 6.* quod probat ex *Ambros. in cap. 2. Lucæ*.

Beati ideo non vident omnia, quæ Deus non ostendit.

## ARTICVLVS VI.

### *An Beati, de facto videant in Deo, alia omnia quæ videt Deus.*

Scoti mens.

SCOTVS *in Prol. sent. quæst. 3. AA.* docet. Theologiam Beatorum *de facto non habere limitationem, nisi ex voluntate Dei ostendentis aliquid in essentia sua; & ideo actualiter est de tot, quot voluntarie Deus ostendit eis in essentia sua.* in 3. *sent. dist. 14. quæst. 2. ad 1.* & deinceps, admittit, intellectum animæ Christi videre in Verbo omnia alia à Verbo, quæ videt ipsum Verbum in se ipso, *in 4 distinct. 45. quæst. 4.* docet, non esse de ratione beatitudinis, vt beati videant, quæ nos facimus, neque orationes, tamen ea videre, quia Deus eis reuelat.

Multa dubia soluenda.

123 Adu. 1. Quod aliud est inquirere, an de facto, beati videant in Deo omnia obiecta secundaria creata, & creabilia, quæ videt Deus, & aliud an possint videre. Item aliud est, an videant ex vi visionis beatæ, ita vt implicet esse visionem beatam, & non terminari ad ea obiecta; & aliud est, an videant, vt cuncta sciant. Hic ergo inquirimus primum tantum, in quo pauci tenuerunt partem affirmatiuam, citatur pro ea *Geffredus in quod. 6. 7. quæst. 3.* & alij cum eo docentes, quod omnes beati in cognitione matutina creaturarum, sunt æquales intellectui animæ Christi; sicut enim Christus omnia actu videt in Verbo ita, & illi. Alij communiter negant eos videre in Deo omnia creata, quæ videt Deus, siue actu existentia, siue præterita, siue futura, siue possibilia. Ita *Scotus locis citatis*, hoc enim dicit esse priuilegium animæ Christi; idem docet *S. Thom. in 4. sent. dist. 49. quæst 2. art. 5. & quæst 8. art 4. & in 1. par. quæst. 12. art. 8.* quibus in locis ait, beatos videntes Deum per essentiam, non videre omnia in Deo, & loquitur, tam de animabus, quam de Angelis.

Pauci tenẽt sent. affirm.

124 Dico ergo. Beati de facto non vident in Deo omnia creata, vel creabilia, quæ videt Deus. Est *Scoti, vbi supra*, *D. Tho.* & omnium Theologorum.

Beati actu non vident omnes creaturas.

125 Prob 1. ex *Matth. 24.* de die iudicij hoc habetur *de die illa, & hora, nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*. Glossa Ordin. ait, *neque electi Angeli quamquam sciri fecerunt; vel nulli Sanctorum Angelorum concessit Deus notitiam diei huius, neque filio adoptiuo, id est neque vlli Sanctorum hominum*. Idem habetur *Marci 13. De die autem illa, vel hora, nemo scit, neque Angeli in cælo*. Ergo, si ipsimet Angeli hoc futurum certissimum non agnoscunt; neq; alia omnia agnoscere putandi sunt.

Arg. ab experientia, & paritate.

126 Prob. 2. Angeli multa secreta facta, ac facienda ante aduentum Christi non cognouerunt, & per Ecclesiam cognoscunt: ergo. Anteced. prob. ex *Ephes. 3.* vbi habet, *Mihi autem omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, &c.* Interl. Ver. *Sacramenti absconditi*, ait, cælati omnium sæculorum creaturis, & existentis in sola notitia Dei. & Verbo, *Principatibus, &c.* ait diuersis ordinibus Angelorum, Ver. *In cælestibus*, ait, qui sunt in cælo, vbi & nos erimus. Glossa Ordinar. & est *Hieron.* Ver. *Principatibus*, ait, dignitates memoratas mysterium ad purum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & prædicatio per gen-

Angeli multa non cognouerunt ante incarnationem.

gentes dilatata. Igitur Angelis fuit ignota incarnatio facienda, & reparatio generis humani, & nouum testamentum, donec completa sunt in effectu per Christum, & prædicationem Apostolorum ad omnes gentes directam.

Ex vet. test. Glossa, & PP.

127 Conf. ex *Psal.* 23. vbi ingrediente in cælum Christo inquiunt Angeli, *Quis est iste Rex gloriæ? Hieron.* in hunc locum præ cæteris, ait, *Postquam Christus ascendit una cum corpore suo super omnes virtutes cælorum, postea Angeli lætati sunt; quia animas Sanctorum apud se illuc deduxit. Quis est iste Rex gloriæ, vox Angelorum, qui apud patrem semper fuerant, ac si dicerent nos patrem, & filium semper in simul esse videmus. Iste Rex gloriæ quis est?* Ergo eousque ignorauerant factum per Christum.

128 Conf. 2. ex *Isa.* 63. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare rubrum est indumentum tuum, &c. Torcular calcaui solus.* Interl. & *Hieron.* in hunc locum dicunt, hoc accidisse, quando post passionem Saluator intrauit in Cælum; tunc enim Angeli intellexerunt mysterium incarnationis, & mortis, ac resurrectionis, ideo interrogant *Quis est iste?* & Saluator respondet, *Ego qui loquor iustitiam. Quare rubrum, &c. Torcular calcaui, &c. Hieron. in cap.* 63. *Isaiæ*, ait. Mysterium passionis, & resurrectionis Christi secundum Apostolum Paulum cunctis retro generationibus fuerat ignoratum, & post aliqua. Respondit Dominus interrogantibus Angelis, quæritis, quis sim, qui ad cælos cruentus ascendam, &c. Ego sum, cui Pater tradidit omne iudicium, &c. & post multa. Rursus autem Angeli scisciantur, & dicunt. Didicimus, quod tu sis, qui loqueris iustitiam, & salus omnium in tuo sit ore constituta. Nunc scire volumus, quare vestimenta tua sint velut musto tincta, aut quid causæ extiterit, vt tunicam, quæ desuper texta est, & scindi non potest, & de vtero virginali tantum candorem habuit, &c. Quibus respondit Dominus, &c. Prosequitur Hieronymus interpretationem totius colloquij inter Christum, & Angelos, ex quibus manifestè colligitur, quod non omnia creata, facta, aut factibilia, quæ cognoscit Deus, cognoscant Angeli beati. Ergo neque homines.

Incarnatio ignota Angelis antequá fieret.

129 Prob. 3. ex 1. *Cor. cap.* 2. *Quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi Spiritus Dei.* Ergo solius Dei est cognoscere omnia, quæ fecit, facit, aut potest facere Deus.

Ex Dionys. Angeli inferiores illuminantur à superioribus.

130 Prob. 4. ex *Dion. de cælesti hierarc. cap.* 7. circa medium, sic habente, *Hoc enim Theologi planè tradunt, inferiores cælestium naturarum ordines à Superioribus vtes diuinas scientias discere. Summus autem à Deo ipso pro suo captu doceri mysteria, quasdam enim earum inducunt ritè à prioribus hoc discere Dominum esse virtutum cælestium Regemque gloriæ eum, qui in cælos, vt hominem decuit elatus est. Alias autem ad ipsum Iesu aspectum hæsitantes, diuinique eius pro nobis susceptí operis scientiam discentes, Iesumque ipsum eas per se docentem, ac primùm eis suam in hominem benignitatem explicantem. Ego enim loquor iudicium, & iustitiam Saluatoris, &c.* Ergo si Angeli inferiores docentur, & illuminantur à superioribus de multis, sequitur euidenter, eos, ex quo beati sunt, non videre omnia in Deo. Quæ autem videant, dicetur postea.

Aliorum ratio authori non placet.

131 Probant alij 5. Si actu viderent omnia, comprehenderent Deum. Sed hæc ratio salua pace non concludit, quia dicemus in sequ. art. quod etiam si viderent omnia possibilia, quæ Deus videt, adhuc non comprehenderent; quia actus, & potentia visiua non coequarentur cum obiecto viso, quod diximus esse necessarium, vt in proprio loco *disp.* 17. *art.* 5. tum etiam, quia non ex vi visionis ea videret, sed ex fauore, seu beneficio obiecti, se, & suos effectus tali beato ex gratia ostendentis.

Arg. contr. Ex August.

Ob. 1. ex *Aug. lib.* 18. *de Ciuit. cap.* 7. vbi ait. *Cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, vt ita dicam quam cum in Dei sapientia cognoscitur velut in arte, qua facta est. Ideo vespera congruentius, quam nox dici potest*: ergo.

Conf. ex eodem *lib.* 4. *Gen. ad litteram c.* 29. vbi de Angelis ait. *Proculdubio vniuersam creaturam in qua ipsi sunt principaliter conditi in ipso verbo Dei primi nouisse, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt æternæ rationes, tamquam in eo, per quod facta sunt omnia, ac deinde in ipsa creatura.* Ergo Angeli beati omnia vident, quæ Verbum videt.

132 Resp. ad primum nos in sequentibus etiam tenere, quod beati aliqua vident, sed de omnibus est quæstio. Id autem non concluditur ex *Augustino*.

Angeli cognouerunt creaturas conditas, non possibiles.

133 Ad conf. Responderi potest per idem, quod scilicet viderint in Deo omnem creaturam in qua ipsi creati sunt, idest omnes rerum species tunc à Deo creatas. At non dicit de omnibus indiuiduis creandis, imò neque creatis, aut factibilibus; ista enim sunt infinita, & de illis *Augustinus* non loquitur. Adde, quod locus ille *Augustini* indigeret longa explicatione; quia Angeli non fuerunt beati à primo instanti suæ creationis, & tamen tunc habuerunt rerum species infusas, ac propterea non video, quomodo beatifica visione potuerint primò videre obiecta creata in verbo, & matutina cognitione, quam ea viderint in proprio genere. Sed quidquid sit de hoc, dico, non loqui de omnibus, quæ videt Deus. Et de hoc non disputo, quia admitto.

Ob. 2. ex *S. Prospero lib.* 1. *de vita contem-*

*templ. cap.4* dicente. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum. Et *in lib.3.cap.31.* ait, non solum omnium creaturarum rationem, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facio reuelata conspicient. Ergo omnia creata, atque creabilia videbunt.

Mysteria, seu secreta, quæ crediderunt vident acta beati.

134 Resp. ad 1. Intelligendum esse de secretis idest mysterijs, quæ in via credidit beatus, hæc enim omnia conspiciet, quos Deus omnia ei reuelabit. At non loquitur de omnibus creatis, ac creabilibus.

135 Ad 2. Dico æquiuocum esse ly *omnem creaturarum rationem*; sumi enim potest pro ratione eminentiali, aut virtuali; vel etiam pro ratione generica rerum, quod nempe genera rerum creatarum, Deo ostendente, beati conspicient.

Ob. 3. ex S. *Basilio lib.1. de vera virginit.* vbi hortatur virginem, vt cunctos Sanctos Angelos, & homines veneretur, & ait. Et quid singula commmemoro, Angelorum innumerabiles multitudines, cumque ijs Sanctos Patrum spiritus? Nullus enim eorum est, qui non vbique prospiciat, cum ipse quidem corporis oculis non conspectus, incorporeo tamen visu ad notitiam vniuersa complectatur. Ergo spiritus beati vident omnia.

Nihil ex Basilio concluditur.

136 Resp. neg. consequ. Aliud enim ex *Basilij* doctrina non colligitur, nisi quod Angeli, & animæ Patrum prospiciunt vbique, cum vident Deum, qui complectitur omnia ad notitiam; sed non dicit, quod ostendat omnibus omnia. De aliquibus imò, & de multis facilè concedo, sed non de omnibus.

Ob. 4. ex *Origene lib.2 de Princip. cap.12.* dicente. Cum ergo ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc etiam rationem actionem per singula peruidebunt. Et siue animantia sint, sine quidquid illud est, comprehendent. Ergo videbunt omnia.

Ex Origene colligitur oppositum.

137 Resp. neg. consequ. Quia ex *Origenis* dicto solum sequitur, quod de aliquibus erunt edocti. Quod inde patet. Quia post relata argumenti verba, ita sequitur. *Sed & alias rationes operum Dei quas eis ipse reuelabit intelligent. Iam enim tamquam filij rerum causas, & virtutem sua conditionis ostendet, & docebit eos, quare illa Stella Cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spatio separatur.* Hæc *Origenes* ergo non omnia, sed aliqua tantum beatis ostendet Deus.

Ob. 5. ex S. *Greg. Papa 1. Homil.40.* docente. *Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint*: ergo.

Ex Gregor. infertur quod possint omnia videre, non quod videant.

138 Resp. ex hoc probari, quod possint omnia, quæ aguntur videre, si Deus eis ostendat; non verò, quod actu videant, vel eis ostendantur. Imò hic locus *Gregorij* nobis inseruit ad probandum, quod de possibili non sit implicantia, beatos videre omnia, nè dum facta, sed possibilia.

Ob. 6. ex eod. *Greg. lib.4. dialog.cap.33. Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt; quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt* idem habet *in lib.2. mor.c.2.* de Angelis beatis: ergo.

Omnia sciũt necessaria ad beatitud.

139 Resp. ex his haberi, quod sciunt omnia, quæ sunt ad beatitudinem necessaria; non autem singula rerum individua quia hæc necessaria non sunt.

Ob. 7. ex *Bernardo lib. 5. de Consider. ad Eugenium*, vbi explicans illud *Rom.1. Inuisibilia Dei, &c.* dicit, in via esse necessariam cognitionem Dei per creaturas, tamquam per scalam; non sic in Patria, & ait. Et vere, quid opus est scalis tenenti iam solium, creaturæ Cæli illa est præsto habens, per quod potius ista intueatur. Videt verbum, & in verbo facta per verbum, nec opus habet ex ijs, quæ facta sunt factoris notitiam mendicare. Neque enim, vt vel ipsa nouerit ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, vbi longè melius sunt, quam in se ipsis: ergo.

Bernardus non loquitur de omnibus,

140 Resp. consequ. esse probandam; quia in anteced. habetur tantum, quod beati in verbo vident aliqua; at de omnibus est quæstio.

Ob. 8. ex *Albino Flacco lib. de diuinis off. cap. de celebr. Missæ*, habente. Nec dubitandum est, fidelium petitiones à iustorum spiritibus sciri; quia qui intus Dei claritatem vident, non est credendum, quia sit aliquid foris, quod ignorent. Ergo omnia vident.

Vident orationes fidelium, & alia ad suum statum pertinentia.

141 Resp. neg. consequ. Concedimus enim, quod aliqua videant, & qui plura, & qui pauciora, ac præ cæteris petitiones, seu orationes fidelium ad eos directas, & alia, quæ pertinent ad statum propriæ beatitudinis, at de alijs non video cur sit admittenda in eis notitia in verbo.

Ob. 9. Creata, vel creanda sunt obiectiuè in mente Dei. Beati autem vident mentem, & cognitionem Dei: ergo.

Vident Dei mentem secundum esse absolutum.

142 Resp. dist. min. Vident mentem, & cognitionem Dei secundum suum esse absolutum, concedo. Secundum relationem attingentiæ, quæ est annexa illis absolutis, & subdistinguo secundum attingentiam terminatam ad obiectum primarium, concedo. secundum eam, quæ terminatur ad secundaria, nego. Quia ad extra Deus, & eius cogitatio est obiectum voluntarium, & se, ac sua prædicata ostendit, quando, & quibus vult, alioquin beatus esset amniscius, vt Deus, vel saltem, vt Christi anima.

Ob. 10. Beati vident omnipotentiam Dei, ergo vident omnia, quæ fecit, & facere potest Deus. Consequ. prob. Non potest videri aliquod relatiuum, nisi videatur terminus talis relationis, omnipotentia autem est quid relatiuum: ergo.

Resp

Vident omnipotentiã secundum rationem absolutam.

143 Resp. dist. anteced. Vident omnipotentiam pro subſtrato ideſt attributum illud Dei per quod poteſt facere omnia, concedo. Vident illam pro formali, id eſt ſecundum relationem, quam importat omnipotentia, nego. & nego conſequentiam. Et inſtantia eſt de viſione immenſitatis: vident Dei immenſitatem, per quam poteſt eſſe in omnibus locis; nec proinde vident omnia loca, vel ſunt in omnibus locis.

Relatiuum ad ſui cognitionem exigit terminũ confuſè cognitum.

144 Resp. 2. Vident omnipotentiam pro formali, concedo. Ergo omnem terminum eius diſtinguo, in generali conceptu infinitorum, concedo. indiuidualiter ſingula talis termini, nego. Id enim non ſpectat ad beatitudinem; nam ſicut dictum eſt, ex SS. Patribus ſi per tot ſæcula Angeli fuerunt beati, & tamen non cognouerunt myſterium incarnationis futurum, quod maximè erat cognoſcendum, cum ſit opus ſummum ad extra multo minus officit beatitudini eorum, ſi neſciant in indiuiduo quot ranas, aut aues, vt ita loquar poſſit Deus producere.

Ob. 11. Beatus cognoſcit Deum eſſe omnium cauſam: ergo, omnia cognoſcit. Sciens enim aliquid eſſe cauſam vnius effectus, cognoſcit illum; ſi ſcit eſſe cauſam duorum, cognoſcit duos: ergo, ſi ſcit, Deum eſſe cauſam omnium, cognoſcit omnes.

Effectus confuse cognitus, quando distinctè cognoscitur causa.

145 Resp. ſicut in præced. diſtinguo conſequ. Cognoſcit omnia confuſo quodam modo, & in genere, concedo. diſtinctè, & indiuidualiter omnia, nego. Hoc enim eſt probandum quia id non ſpectat ad rationem quidditatiuam beatæ viſionis.

Ob. 12. Eſſentia diuina eſt ens ſimpliciſſimum. Ergo videns eam videt omnia, quæ ſunt in ea ſed omnia creata, & creabilia ſunt in illa: ergo.

Deus quomodo est ens simplex.

146 Resp. Diſtinguo, eſt ens ſimpliciſſimum ſimplicitate compoſitionis, concedo. ſimplicitate formalitatum, nego. Quia vt ſæpè dictum eſt, non poteſt ſaluari Trinitas perſonarum cum vnitate eſſentiæ, niſi admittatur in Deo multiplicitas formalitatum; nequit enim ſaluari, quod eſſentia non multiplicetur, & relatio multiplicetur.

147 Resp. 2. neg. conſequ. vel diſt. Videns eam videt omnia, quæ ſunt in ea formaliter, ſiue quidditatiuè, ſiue vnitiuè, concedo. Videt omnia, quæ ſunt in ea obiectiuè, nego. Entia autem creata, vel creabilia ſolum obiectiuè ſunt in Deo. Hæc autem Deus poteſt abſcondere ſi vult; quia voluntarie oſtendit, tam ſe, quam alia.

Ob. 13. Eſſentia eſt veluti ſpeculum quodam, in quo relucent omnia creata, & creabilia. Quæ autem relucent in ſpeculo, omnia videntur viſo ſpeculo. Ergo, qui videt Deum videt omnia, quæ relucent in eo.

Essentia est speculum voluntarium.

148 Resp. diſt. ma. Eſt ſpeculum voluntarium, concedo. naturale, nego. Vel eſt naturale naturaliter mouens, nego. voluntariè mouens, concedo. Dixi enim in proprio quæſito *diſp. 15. art. 6. §. 5.* cum *S. Auguſtino lib. de Vid. Deo cap. 6. & Ambr. in cap. 2. Lucæ*, quem ſequitur *Auguſt.* Deum extra Trinitatem ita voluntariè, ſeu liberè operari, vt nequeat aliter operari, non enim ab aliquo obiecto creato poteſt neceſſitari.

## ARTICVLVS VII.

### *An de poſſibili beatus aliquis videre poſſit in Deo omnia etiam poſſibilia.*

Scoti mens.

SCOTVS *in Prologo ſent. quæſt. 3. AA.* docet, poſſibile eſſe, quod beatus videat omnia creata, & creabilia, quæ relucent in Deo, ſi Deus ea illi oſtendat. In tertio autem *ſent. diſt. 14. quæſt. 2. H.* docent, intellectum animæ Chriſti de facto videre omnia, quæ videt verbum.

Sensus art. est de possibili, non de facto.

149 Adu. ſenſum quæſiti clarum eſſe. Supponitur enim, quod beati de facto non videant omnia creata, qui videt Deus, ſed vel aliqua, vel nulla, regulariter. Et inquiritur, an ſaltem per abſolutam Dei potentiam poſſit hoc ei communicari, vt ſcilicet videat in eo omnia, quæ ipſe met Deus videt. In quo quidem puncto duæ ſententiæ ſunt, vna veriorum Thomiſtarum, qui Sanctum Doctorem perpetuò ſequuntur; hi autem docent, nullo modo eſſe poſſibile, quia ſequeretur, quod talis beatus comprænderet Deum, ita cum *S. Tho. in 1. par. quæſt. 12. art. 8. Caiet.* & cæteri omnes. Alia ſententia, eſt *Scoti loco cit.* quam accepit *à Magiſtro ſent. in 3. diſt. 14. §. Quibus reſpondetur*, & poſtea *ab Alberto Magno ibid. art 1. cap. 3.* & de intellectu animæ Chriſti de facto id tenet. *Scotum* ex modernis innumeri ſequuntur. Hæc autem ſententia eſt adeo probabilis, ac de veriſimili, vt aliqui Sancti Eccleſiæ Doctores relati in præcedente articulo in obiectis, videantur de facto admittere, quod beati omnes videant omnia nihilque ſit eis abſconditum. Hoc poſito.

Duæ sent.

Absolutè posset beatus videre omnia quæ videt Deus.

150 Dico. Per abſolutam Dei potentiam quilibet ex beatis videre poteſt omnia obiecta creata, quæ videt Deus. Eſt *Scoti vbi ſupra*, & omnium Scotiſtarum, quos ſequuntur *Arriaga diſp. 13. ſect. 1. Quia dopar. 2. tract. 1. contr. 4. puncto 5. de Lugo diſp. 17. de Incarnat. ſect. 2. &c. Abulenſis in cap. 17. in Matt. quæſt. 114 ad 3.*

A sufficienti arg.

151 Prob. 1. Non repugnat ex parte Dei ostendentis, nec ex parte obiectorum ostensorum nec tandem ex parte videntis. Ergo absolutè non repugnat. Antec. prob. Deus ea videt, & à nullo detinetur quin ea ostendat. De secundo pariter est euidens; quia de facto sunt visibilia, & à Deo visa. De tertio probatur, quia beatus potest videre hoc, & illud, tantam, vel talem multitudinem, ergo & omnem; non enim est maior ratio de hoc, quam de illo, de hac, quam de illa multitudine.

Comprahé. sio non impedit.

152 Dices. Repugnare ex parte videntis, quia nequit comprædendere Deum. Sed contra, dicetur enim in solut argum. ex hac visione non sequi comprædensionem; quia visio non coequaretur obiecto; & non ex vi sua, sed ex obiecti beneficio haberet, vt posset ea omnia videre. Sed de hoc infra.

Arg. de anima Christi.

153 Prob. 2. Animæ Christi de facto fuit hoc concessum, vt videret omnia, quæ videt verbum, & hoc a primo instanti suæ conceptionis. Ergo si non repugnat vni intellectui creato neque repugnat alijs. Anteced. probatum supponitur *ex tract. de Incarnatione ex epist. ad Coloss. 2. In agnitionem mysterij Dei Patris, & Iesu Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondit.* Glossa Ordin. quæ est *Ambr.* ait. *Omnis enim ratio superne scientiæ totius creaturæ superne, vel terrenæ in eo est, qui est caput eorum, & author. Lyr. ibid.* ait. In eo secundum naturam diuinam est sapientia diuina, quæ est infinita; & secundum naturam humanam habet plenitudinem scientiæ, sicut & gratiæ, cognoscens omnia, quæ cognoscit verbum scientia visionis. Hæc *Lyr.*

Ex Hieron. ted.

154 Conf. ex *Isaia* 11. vbi de Christo præ cæteris prædicitur. *Replebit eum spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis*, & hoc verificatum est, quia *Ioann* 1. dicitur *vidimus gloriam eius, &c. plenum gratia, & veritatis.* Habuit ergo omnem scientiæ plenitudinem, sicut & gratiæ. Quod confirmare videtur Eusebius, qui in epistola ad Damasum Episcopum in qua refert, quod *S. Hieronymus* morti proximus sic ad Christum alloquebatur. *Tua anima statim, vt vnita fuit inseparabiliter diuinitati omnia perfecte scimus, quæ ipsa est diuinitas*, Idem dicit *S. Fulgentius ad 3. quæst. Ferrandi*, vbi præ cæteris habet. *Non solum ad diuinitatem Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quam ipsi Christo beatus assignat Apostolus, dicens, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei; si enim non ad mensuram accipit spiritum sapientiæ, & scientiæ, necesse est, vt omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ habeat. Quod si ei aliquid eius plenitudinis demitur, consequens est, vt ad mensuram spiritum accepisse prædicetur.* Et alia plura ibi *Fulgentius.* Ergo, si potuit id communicari animæ Christi, poterit ex Dei beneficio alteri beato concedi.

Ex Fulgent.

155 Prob. 3. Est adeo verisimile, ac probabile, quod de possibili beatis id concedi possit, vt innumeri Doctores videantur de facto hoc concedere. Et probatur nam Author *speculi apud Augustin. cap. 27.* habet, *quid nos tunc latere poterit quando ta Deus noster, vita viuentium, causa causarum, forma formarum, informata te nobis clara visione insinuabit.*

Ex Prospero

156 *S. Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 4.* ait. *Nec latebit tam perfectè beatos aliquid secretorum*, & assignat rationem, dicens, *qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum.* Et *in lib. 5. cap. 31.* ait, *non solum omnium creaturarum rationem, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie reuelata conspicient.*

Ex August.

157 *S. Augustin. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 29.* clarè docet, Angelos in sui conditione vniuersam creaturam in ipso verbo Dei nouisse. In quo sunt omnium, etiam, quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes.

Ex Greg. I.

*S. Greg. Papa I. Homil. 40.* docet, *Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatum agitur, quod videre non possint.*

Ex Bernard.

158 *S. Bernardus lib. 5. de consider. ad Eugenium* in principio explicans illud *Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c.* Declarans, quod in via per creaturas tamquam per scalas Deum, & quæ Dei sunt cognoscimus, in patria autem non sic sed in Deo omnia videntur, præ cæteris hæc habet. *Ibi videt verbum, & in verbo facta per verbum, nec opus habet ex ijs, quæ facta sunt facturi notitiam mendicare, neque enim, vt vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quæ ibi ita videt vbi longe melius sunt quam in se ipsis.* Hæc *Bernardus.*

159 Ex quibus concluditur, quod præfati Doctores existiment de facto omnia creata videri in Deo. Ergo tantum abest, vt repugnet ea videre, vt potius admittendum esset videre. Ergo ad summum deducetur, saltem esse possibile, vt beatus aliquis omnia videat.

Arg. contr. de comprahenfione.

Ob. 1. Impossibile est creatum intellectum comprædendere Deum: ergo, Prob. consequ. Si videret omnia possibilia comprædenderet omnipotentiam Dei; hoc enim modo comprædenditur omni: potentia.

Quare non comprahenderet.

160 Resp. ex *Scoto in 3. dist. 14. quæst. 2. §. Contra rationem*, nego sequelam, & probationem. Ratio inquit ipse, est, quia si quis non potest comprædendere subiectum ex distincta cognitione subiecti, multo minus comprædendet illud ex cognitione passionis illius. Sed in Deo infinitas intensiua Dei est subiectum, & infinitas extensiua creaturarum est velut passio. Cognoscens autem Dei infinitatem illum non com-

comprehendit, vt dictum est in proprio quæsito. Ergo neque si cognoscit infinitam multitudinem creaturarum possibilium. Ratio autem à priori, vt in suo loco fuit dictum, est; quia intellectus non adæquatur obiecto, siue enim videatur infinitum intensiuè, siue infinitum extensiuè, intellectus semper est finitus, & actus etiam finitus; comprehensio autem requirit, vt tanta sit intellectiuitas in intelligente, quanta intelligibilitas in obiecto. Quod non accideret in casu, quia intellectiuitas esset finita; imò potentia non ex suis viribus obtineret hoc, sed ex Dei beneficio ostenderentur enim à Deo illa, quæ videri deberent, & hæc est vna ratio *Scoti in 3. dist. 14. q. 2. M.* Et semper vrget argumentum de Deo viso secundum sua prædicata quidditatiua, & attributalia, non tamen comprehenso.

Ob. 2. Quo plures effectus videntur procedere ab vna causa, eo perfectius videtur illa causa. Ergo, si viderentur infiniti, infinito modo cognosceretur. Sed hoc repugnat creaturæ finitæ: ergo.

Ex plurium effectuum cognitione nõ comprehenditur causa.

161 Resp. dist. anteced. perfectius videtur illa causa, loquendo de perfectione se tenente ex parte causæ cognitæ, concedo. se tenente ex parte cognoscentis, nego. & dist. eodem modo consequens, cognoscitur causa infinito modo, concedo; potentia cognoscit per infinitum modum, nego. Alioquin sequitur, quod quælibet visio Dei in se esset infinita, quia ad obiectum infinitum terminata.

Ob. 3. A pari quo plures conclusiones cognoscuntur procedere ab aliquo principio, eò perfectius cognoscitur principium. Ergo quo plures effectus à causa, eò perfectius cognoscitur causa. Igitur si omnia possibilia, quæ infinita sunt, infinitè cognosceretur causa; & sic comprehenderetur, quia cognitio coæquaretur.

Arg. non est ad rem.

162 Resp. neg. anteced. ex *Scoto in 3. vbi supra H.* nam licet cognoscens perfectius principium, plures conclusiones cognoscat ex tali principio deriuare, non tamen è contra. Quidditas enim subiecti, sicut non dependet à conclusionibus, in esse neque in cognoscibilitate, & ideo *Scotus* obseruat, quod *Arist. 1. Poster. t. 25.* docet quod *maximè oportet cognoscere de subiecto, quod quid est.* Et ratio est, quia in quidditate subiecti virtualiter includitur tota ratio scientiæ. Nec per conclusionem acquiritur, quod quid est subiecti, imò totaliter præsupponitur; sed tantum per eam acquiritur cognitio passionum sibi inhærentium. Et sic arguendum est de principio; cognitio enim principij totaliter præsupponitur demonstrationi, & non acquiritur per eam. Vnde Scotus ad argum. dicit quod perfectius cognoscens causam, si ista repræsentat plura causata, potest plura cognoscere, non è conuerso. Quia stare potest cognitio causæ, vel principij in se non aucta per cognitionem plurium effectuum, aut conclusionum. Si ergo Deus in se cognoscitur, vt est, ac infinitus, non augetur eius cognitio per hoc, quod plures, aut infiniti effectus ab eo producibiles cognoscantur. Quæ quidem ratio videtur euidens.

Non augetur cognitio principij per cognitionẽ plurium conclusionum.

Ob. 4. Si posset hoc fieri, vel fieret per vnam solam visionem, vel per plures; neutrum potest dici: ergo. Non primum; quia visio illa esset infinita: nam finita non sufficit attingere obiecta infinita; nam quælibet visio, vt terminata ad vnum obiectum dicit vnum gradum perfectionis; vt terminata ad duo, duos. & sic deinceps. Igitur, si ad infinita infinitos. Neque potest dici secundum; quia potentia finita nequit simul habere duos actus eiusdem rationis, & multò minus infinitos; at deberent esse infiniti, quia obiectum quodlibet exigeret vnam visionem, & sic infinita infinitas, quod repugnat.

Validè arg.

Vna, vel pluribus visionibus posset beatus videre omnia.

163 Resp. à Scoto admitti possibile vtrumque, ad impugnationem primi, Respondetur falsum esse, quod visio duorum, vel trium obiectorum requirat arithmeticam proportionem perfectionis in visione, vno enim gradu perfectionis videri possunt multa obiecta simul. Ergo illa visio terminata ad obiecta infinita, non haberet infinitos gradus perfectionis, sed infinitos respectus attingentiæ ad obiecta. Concedit etiam, posse ea omnia videri per visiones infinitas, imò ad eas posse intellectum creatum elicitiuè concurrere. Ad hanc autem partem non ita libenter inclinat, sicut ad primam. Stando ergo in prima responsione, ait *Scotus loco cit. in 3. dist. 14. q. 2 M.* quod eadem visio qua beatus videt essentiam, haberet tot respectus, quot obiecta videret; neque per hoc sequitur, quod visio illa esset infinita, sicuti est visio diuina; quia visio illa ad tot obiecta terminata, non esset comprehensiua obiecti primi, neque obiectorum secundariorum, neque necessario ex perfectione sua esset obiectorum secundariorum; sed posset esse idem actus, etiam si ad solum obiectum primum terminaretur; non sic est visio qua Deus videt se; nam & se comprehendit, & necessario ex sui perfectione comprehendit secundaria. Hæc *Scotus*.

Ad 2. non sic facile inclinat Scotus.

164 Resp. 2. Si hoc argum. valeret concluderet etiam in opposita sententia de visione Dei; nam visio obiecti, quantumuis minimæ perfectionis, est finitæ, & minimę perfectionis; si sit obiecti magis perfecti, est maioris perfectionis, si maximi maximæ; igitur si infiniti, infinitæ; & tamen non concludit in nulla sententia, quia non sic augetur perfectio visionis, sed vsque ad gradum sibi compossibilem in genere entis creati, & limitati. Ita neque concludit argumentum de pluribus obiectis etiam infinitis secundarijs; tum quia non pro quolibet obiecto crescere debet perfectio visionis;

Arg. hoc vrget etiam aduersarios

nis; tum etiam, quia crescit vsque ad gradum compossibilem; tum tandem, quia non perfectiones absolutę, sed reuelationes in eodem actu multiplicantur. Argumentum ergo perfectionis in visione ex argumento perfectionis in obiecto, vel obiectis, debet quidem esse proportionale, sed geometricum, non verò arithmeticum, scilicet tantum quantum; sed ita, vt sit alijs maior.

Instabis. Illa sola visio contineret eminenter perfectiones omnium, & singularum visionum, quæ terminarentur singulariter ad singula obiecta: ergo esset infinita; nam, sicut obiecta visibilia sunt infinita, sic & visiones ad ea terminabiles.

Visio illa æquiualet multis quò ad attingentiam, non quo ad perfectionem.

165 Resp. neg. anteced. Nam solum respectus haberet infinitos, non autem perfectionem; quod verò æquiualeret infinitis visionibus quò ad attingentias, non infert æquiualentiam in gradibus entitatis absolutæ. Illi autem respectus extensiuè tantum, immo, & sincategorematicè secundum aliquos, essent infiniti. At per hoc nihil concluditur de infinitate intensiua.

166 Resp. 2. per instantiam, visio essentiæ diuinæ eminenter continet visiones obiectorum infinitorum, quorum quodlibet, vnum saltem habet gradum perfectionis, & tamen neque per hoc est infinita. Ergo multò minus ista.

Arg. Scoti de specie vna repræsentante plura, quia sic esset infinita

Instabis 2. *Scotus* ad excludendam speciem repræsentantem plura, aut infinita obiecta, hoc argumento vtitur *in 2. dist. 3. quæst. 10 §. Ista opinio*. Quia repræsentans vnam dicit perfectionem, sic duo, tria, &c. si ergo posset repræsentare infinita, esset infinita, & sic esset intensiuè infinita: sicut, ait, si portare vnum pondus est perfectio, portare duo maior perfectio; si infinita, erit infinita perfectio. Igitur in casu valet contra ipsum, sic repræsentatio in visione importat perfectionem, igitur calculando, repræsentatio duarum, maiorem; trium, maiorem: igitur infinitarum infinitam.

Disparitas de specie, & visione.

167 Resp. neg. paritatem; disparitas desumitur ex eodem *Scoto in 3. distinct. 14. quæst. 2. §. Tertio modo L. & in calce quæstionis Q.* quod infinitas extensiua non importat semper perfectionem in eo, quod eam habet; nam infinitas receptiua in intellectu respectu infinitarum specierum, vel visionum, aut in materia respectu infinitarum formarum, non inducit infinitatem intensiuam, vt patet de facto adsunt enim in intellectu tot potentiæ, seu respectus ad ea, & in materia ad formas. Sed infinitas extensiua in ratione causabilium reperta in vno aliquo subiecto inducit infinitatem intensiuam, quia dicit virtutem actiuam simul causatiuam infinitorum. Ita in casu nostro, quia species impressa effectiuè concurrit ad productionem cognitionis abstractiuæ, si continet simul infinita obiecta, iam haberet, ne dum infinitatem extensiuam similitudinum, sed cum ea infinitatem intensiuam causandi simul omnium cognitiones, quia naturaliter omnia repræsentaret, & naturaliter ad omnium cognitiones concurreret; neque posset determinari ad vnum, vel ad vnam potius quam ad alia, & alias. At in casu, quod visio terminaretur ad infinita obiecta secundaria, ipsa non haberet virtutem causandi actiuam, sed ad summum contineret in se respectus illos attingentiæ infinitos.

Infinitas extensiua inducens causalitatem, importat etiã infinitatem intensiuam.

Vrgeb. Respectus isti adhuc ex visione, & obiectis essent producti, imo verius ex sola visione, seu ex intellectu. Et sic sequitur infinitas intensiua, ex illa extensiua iuxta modum arguendi Scoti de specie impressa.

Grauis instãtia contra Scotum.

168 Resp. Quod actiuitas respectu relationum non est vera actiuitas, quia istæ ex se insurgunt. Si enim darentur infinita ouа, & gallina produceret aliquod ouum, hoc haberet infinitos respectus similitudinis cum illis infinitis ouis, & tamen, neque actio gallinæ, neque gallina esset infinita. Ita de producente partem aliquam quantitatis, hæc enim habet infinitas partes sincategorematicas, & puncta infinita, & tamen producens eam esset ens finitum, & actio eius pariter finita. Secus est de virtute productiua infinitarum cognitionum, qualis esset in specie impressa continente infinita obiecta. Quia esset actiua respectu infinitarum cognitionum abstractiuarum; quod non accidit in visione habente infinitos respectus. Imò ad eos magis concurreret Deus, eos causando, quam intellectus.

Relationes non producuntur, sed ex se ipsis insurgunt,

Vrgebis 2. Sequeretur dari infinitum in actu in relationibus tendentiæ.

169 Respondetur hoc idem argumentum militare de idæis; negari enim non potest, quod Deus videat infinita possibilia, & ista omnia habent esse idæale in Deo; quod ergo dicitur de hoc numero; illud idem dicetur de numero illo relationum. Vel si dicatur possibilium idæas non esse infinitas, neque infinitus erit numerus relationum: Vel si dicitur numerum earum sincategorematicè tantum esse infinitum, id idem dicemus de tali numero.

Hoc arg. militat contra idæas in Deo existentes, quæ tũt infinitæ.

Dices. Est maior difficultas de isto numero relationum, quam de numero idæarum, quia in hoc præter idæas omnes quas Deus habet, non sunt possibiles aliæ, neque in genere, neque in specie, aut numero. Non sic de numero relationum, quia præter eas, quas haberet talis visio essent aliæ possibiles, nam adsunt omnes visiones aliorum beatorum, in quibus sunt propriæ relationes attingentiarum, & vnus alio plures habet, quò plura videt obiecta. Ergo plura absurda sequuntur in hoc numero, quam in illo.

Resp.

In numero infinito datur maius, & minus materiale.

170 Resp. neg. sequelam, ad replicam de maioritate, & augumento talis infiniti. Resp. esse materiale augumentum entitatum non formale numeri infiniti, qui in hoc consistit, quod acceptis quibusuis entitatibus, semper restant aliæ accipiendæ. Et eadem difficultas, est de infinitate hominum quos videt Deus; ipsi enim haberent maiorem numerum capillorum, oculorum, digitorum, &c. & tamen non proinde infinitas hominum cessaret esse infinitas; quia augumentum illud in digitis, oculis, atque capillis esset quid materiale in numero infinito.

Ob. 5. Ad cognoscendum illa omnia obiecta requireretur maior attentio: ergo si infinita sunt visa; infinita attentio.

Arg. de attentione nō concludit, quia idem sit de visione obiecti infiniti.

171 Resp. hoc argum. Æquè concludere de visione Dei solius; quia si ad videndum minimum obiectum, sufficit minima attentio; ad videndum maius, maior: ad maximum maxima; igitur ad infinitum infinita. Et tamen non concludit, quia numquam inter potentias, & obiecta requiritur proportio arithmetica, sed sufficit geometrica. Ita neque concludit in casu ex eodem capite.

In patria nō est necessaria tanta attentio, & quare,

172 Resp. neg consequ. Estò enim in humanis existens intellectus ob connexionem, quam habet ad sensus, qui facilè distrahuntur indigeat, magna attentione ad plura cognoscendum; & quò magis crescunt obiecta, eò maiore, & maxima indigeat. In Patria tamen, vbi nulla est distractio, neque lassitudo animæ, aut corporis, & quod magis est in re nostra, non sua industria, labore, vel diligentia, intellectus quærit obiecta; sed ipsi à diuina essentia ostenduntur, non eget augumento attentionis, vt plura, ac plura videat, sed solacorum ostensione, & relationibus attingentiæ, quas ipsemet Deus in visione eadem potest causare.

Inst. Negari non potest, quod maior conatus est necessarius ad videndum plura distinctè, quam ad videndum vnum, & longè maior ad maiorem pluralitatem. Igitur infinitus ad infinitam multitudinem.

Idem arg. vrgeret de solius Dei visione,

173 Resp. idem argum. fieri posse de solius Dei visione, & tamen non concludit, vt supradictum est. Igitur neque in hoc casu concludit; quia conatus crescere debet geometricè. Sicut autem intellectus lumine adiutus sufficit ad eliciendam visionem tanto conatu, qui sufficiat ad attingendum obiectum primarium infinitum; ita sufficit, ad attingenda infinita secundaria.

Ex arg. Scoti non firmāte sententiā in hac re,

Ob. Scotus ipse videns has difficultates noluit firmare sententiam, quod anima Christi, vel pluribus visionibus, seu infinitis, vel vna tantum viderit infinita obiecta secundaria in Verbo. Sed tres vias insinuat, quod nempe infinitis visionibus à Deo causatis in eius intellectu se habente merè passiuè; vel etiam elicitiuè, & hæc est vna via. Secundo, quod vna visione habente tot respectus attingentiæ, quot sunt obiecta. Tertio tandem, quod intellectus animæ Christi videt in verbo infinita, sed habitualiter; ita quod habeat quidem omnia præsentia, sed non videat omnia simul; sed ordinatè, modo vnum, modo aliud, modo plura, vt sibi placuerit, semper tamen sunt ei præsentia, vt videat quando vult, & hoc est videre omnia habitualiter: & per hoc differt à cæteris beatis, quia isti non habent ea omnia præsentia obiectiuè, vt quando voluerint possint videre quælibet; sed egent speciali Dei reuelatione, ita disertè discurrit *Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. ab l. vsque ad Q.* & hic sistit, nempe in visione illa omnium, sed habituali.

Sent. Authoris est de casu metaphysico,

174 Resp. ita esse. Et ita nos omnes cum eo dicimus, ostendimus si quidem non esse id impossibile; non tamen putamus esse demonstrationem mathematicam; sed opinionem valdè fundatam. Imò censemus numquam hunc casum euenturum; & proinde, vt de possibili metaphysico loquimur.

Quare Scotus non firmat sent. de visione Christi,

175 Addo, mirum non est quod adeo modestè loquatur Scotus, quia agitur de visione perpetua existente, & duratura in Christo; ideo quid durum videtur dicere, quod perpetuò intellectus eius creatus, sistebat in illa omnium visione; sed congruum magisque aptum videtur dicere, quod circa secunda, ita se habet vt aliquando vnū, aliquando aliud, aut plura intueatur. Et ita existimo factum tempore illo, quo nobiscum versabatur, & nostras miserias contemplabatur, & maximè prædicationis, ac passionis, aliorumuè laborum tempore, vt ad illa quidem secundaria, & forte non ad alia applicauerit. Sed hæc ipse Dominus scit; quod enim nobis videtur possibile dicimus, non audentes asserere quid fuerit, nisi Deus ipse reuelet, vel Ecclesia doceat.

Ob. 6. Vnum ex præcipuis huius sententiæ fundamentis, est, quod id fuit animæ Christi concessum, vt videret omnia possibilia in Verbo. Sed hoc tantum abest, vt sit verum, quod potius habeatur, vt erroneum, & computetur inter errores Arnaldi de Villanoua. Ergo ruit sententia ruente fundamento.

176 Resp. 1. hoc argum. de anima Christi, non esse præcipuum, cum sit à pari tantum, & ab effectu; sed præcipuum in quo hæc pariter sententia de scientia animæ Christi matutina, seu in Verbo, fundatur, est non repugnantia, quin Deus sicut ostendit se, qui omnia nouit, ita possit alia ostendere; & ex SS. Patribus visum est ea fere de facto cuicunque concedere.

Arnaldi sententia de scientia Christi, quare damnatur.

177 Resp. 2. ad argum. neg. min. ad probat. dico, Arnaldum qui de anno 1310. emersit ex medico Theologaster, & Alchimista, naturalia cum diuinis commiscens, Alchimiæ fumo obcæcatus in ignominiosam dementiæ incidit mixturam; & inter

quin-

quindecim præcipuos errores duos de Christo asseruit. Primus est, quod natura humana assumpta, est Deo æqualis per omnia; & quod tam alta sit humanitas in Christo, quantum Deitas, & tantum possit. Secundus cum primo connexus est, quod quam citò anima Christi fuit vnita diuinitati, ita. tim ipsa anima, sciuit omnia, quæ Deitas scit, quia alias non fuisset cum ea vna persona, præcipuè quia scire est circumstantia pertinens ad suppositum indiuiduale, non ad naturam. Sic ad verbum sunt accepte ex erroribus Arnaldi, quos refert *Bimericus in direct. Inquisit. par. 2. quæst. 11.* Sed patet in quo consistit error, non quidem de scientia Christi, quia de fide est, eum habuisse omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei, vt patuit, sed de ratione, seu causa, quia dicit naturam humanam esse æqualem Deo, & quatenus talem ex necessitate sciuisse omnia, & quia scire non pertinet, nisi ad suppositum. Ex hoc ergo nihil concluditur contra nos; quia anima Christi, vt Verbo inferior, & ab eo distincta, cognoscebat in Verbo ea, quæ videt Verbum.

Errores eius quinam sint.

Ob. vlt. Si Beatus posset videre omnia, posset etiam videre suam visionem, qua ea omnia videt: sed hanc nequit videre. Quia cognitio non cognoscit se, cum ratio qua nequeat esse ratio quæ.

178 Resp. Quod licet multi maximum tempus terant in hoc argumento; ego nullius neque valoris, neque vtilitatis ad rem præsentem existimo. Nullius quidem valoris, quia negatur minor, si enim visio est quid creatum, & in Deo relucens in Deo videtur; & licet cognitio nequeat se cognoscere in proprio genere per se ipsam, potest tamen se cognoscere in alio repræsentatam. Ad illud de ratione qua, & quæ, concedo, quod in eodem ordine, & eodem modo ijs se habentibus ratio *qua* non possit esse *quæ*; tamen in diuerso ordine potest. Patet de specie impressa obiecti sensibilis, quæ quidem non est ratio, quæ videtur. Et tamen cum in speculo intenditur per duplicationem reflexionis, ipsamet est ratio quæ videtur. Ita de cognitione, quæ non potest semetipsam in se cognoscere, sed se cognoscit, veluti vt ita dicam, depictam in Deo, qui est speculum omnium creatorum.

Avg. non vult de existimâ dam.

Ratio quæ potest aliquando esse ratio quæ.

179 Quod verò argumentum istud nullius sit vtilitatis, neque ad infringendam conclusionem, & probandum oppositam sententiam, patet. Quia diceretur videri in Verbo ea quæ possunt videri per vnam cognitionem, per aliam verò videri ipsam met cognitionem; imò & istæ cognitiones ita se haberent, vt vna aliam videret; & hæc alia primam. sed quid inde colligitur? nihil.

Nullius est vtilitatis.

## ARTICVLVS VIII.

### *An Beati ex vi beatæ visionis, vel aliter videant aliqua obiecta secundaria in Deo.*

SCOTVS hoc dubium quò ad vtramque partem soluit pluribus in locis. Primo *in Prolog. sent. quæst. 3. AA.* vbi docet, Beatos de facto videre in Deo ea tantum, quæ Deus eis voluntariè ostendit in essentia sua. Secundo, *in 1. sent. dist. 1. quæst. 2. C.* & deinceps, ex professo probat, cognitionem obiecti secundarij, seu creaturæ non esse de essentia beatæ visionis; neque ipsius Dei: quia Pater in signo antecedenti ad productionem filij, non cognoscit creaturas, & tamen est perfectè beatus, & cognitio creaturarum supponit productionem personarum, ex *Scoto in 1. dist. 35. H. dist. 39. quodlib. 1. & quodlib. 14.* & *in 2. dist. 1. quæst. 1. D.* & idem replicat *in 3. dist. 14. quæst. 2.* circa finem, vbi docet visionem, qua videtur Deus, & alia in Deo non ex ratione sua necessariò ista secundaria attingere, sed ex fauore Dei reuelantis.

Scoti mens.

180 Adu. Articulum duo complecti; primum est, an vt visio sit beata, de necessitate debet attingere aliqua obiecta secundaria; ita quod si ista etiam non attingeret, non esset beata. Secundus sensus est, an ex se intellectus peruenire possit ad aliqua obiecta secundaria attingendum: an sit necessaria Dei specialis reuelatio, & quomodo hæc fiat.

Duo dubia hic sunt explicanda.

181 Adu. 2. Plures in hoc art. esse sententias circa vtrumque punctum. Prima docuit ex vi visionis beatæ, vt ad Deum terminatæ videri omnia, quæ videt Deus, eo quod cum sit ens simplicissimum & nihil abscondi possit in ente simplici, repræsentat simul omnia, quæ continet, & hoc cuicunque eum intuenti, ita *Durandus in 3. d. 14. quæst. 2.* & *in 4. dist. 49. quæst. 3.* & eam accepit à *Goffredo quodlib. 7. quæst. 3.* sed de factis, & de possibilibus tantum id defendunt, non verò de futuris. Secunda sententia est *Henrici quodlib. 7. quæst. 4. & 5.* vbi docet primo, quod si videtur Deus, vt est ens ad se, per eam visionem non videntur necessariò creaturæ. Si verò videtur Deus, vt est idæa, de necessitate talis visio terminatur ad omnes rerum species tantum, non verò ad indiuidua; quia ipse non admittit in Deo idæas indiuiduorum, sed tantum specierum. Tertia sententia est quorumdam Thomistarum, docentium ex vi visionis Beatum quemlibet videre aliqua obiecta secundaria in Deo, non tamen omnia, neque de facto, neque de possibili. Ita Expo-

Plures sunt.

Aliqui dicũt omnia possibilia videri.

Henr. dicit quod omnes species rerũ videntur.

sito-

sitores D. Tho. in 1. par. quæst. 12. art. 8. & alij eius discipuli in 4. dist. 49. & moderni. Sed isti adhuc diuisi sunt quidam enim docent, vno & eodem actu beatifico videri Deum, & obiecta quædam secundaria. Quidam docent duplici actu id fieri, vno quidem terminato ad Dei essentiam; alio autem terminato ad obiecta secundaria. Scotus vtrumque negat, & docet quod ex vi visionis beatę non sunt de necessitate videnda aliqua, vel aliquod obiectum secundarium; sed hoc accidere visioni beatæ, & esse extra eius quidditatem; & ex Dei speciali fauore, ac reuelatione id concedi. Et si non concederet, adhuc visio esset beata. Secundò, docet, vno, & eodem actu de facto videri Dei essentiam, & alia obiecta secundaria, quæ dignatur Deus beatis manifestare.

Thomistę de aliquibus concedunt.

Scoti sent.

182 Dico 1. Visio beata ex sua propria, & quidditatiua natura non exigit, vt tendat ad alia obiecta secundaria præter Deum. Est *Scoti locis cit. in Prologo in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *G. D. &c.* in eodem 1. *d.* 35. *quæst. Vn. in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *D. & quodlib.* 14. *S.* Hic intelligendum est, quibus in locis docet, Deum esse perfectè beatum ante cognitionem creaturarum; & ideo Verbum non produci ex cognitione creaturarum, & tamen à Patre perfectè beato. Scotum Moderni innumeri sequuntur, & ante eum, ita tenuit Henricus, vt patuit pro prima sententia, *S. Bonau. in* 3. *sent. dist.* 14. *par* 1. *quæst.* 3.

Visio beata ex se non exigit tendere ad obiecta secundaria.

183 Prob. 1. Visio, vt sit beata, essentialiter aliud non requirit, nisi obiecti beati attingentiam: ergo. Anteced. est ex terminis notum. Consequ. prob. Deus solus, vt Deus est beat: *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Non dicit creaturas. Secundo, ex *Ioan.* 14. *Qui diligit me, &c. & manifestabo ei me ipsum*: ergo. Tertio, *Ioan.* 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Quarto, 1. Cor. 13. *Videbimus facie ad faciem.* Quinto, ex 1. *Ioan* 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Ex quibus clarè habetur, quod essentia beatæ visionis consistit in visione essentiæ de necessitate, non in alijs: ergo.

Arg. à priori ex scriptura.

184 Prob. 2. ex *S. August. lib.* 5. *confess. cap.* 4. *Infelix homo, qui scit alia omnia, te autem nescit. Beatus autem, qui te scit, etiam si illa nesciat. Qui autem, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus est.* Ergo in Dei solius notione stat beatitudo essentialiter. & ex eodem *lib. de beata Vita, in disput. secunda dici*, ait, Beatus est, qui Deum habet, & *lib.* 13. *confess. cap.* 3. Beatitudo Dei est ipsemet Deus, & *lib.* 9. *de Ciuit. cap.* 2 Beatitudo in solo Deo est: ergo. & ipsemet *S. Tho. in* 1. *parte quæst.* 12. *artic.* 8. *ad* 2. docet, quod si solus Deus videretur, nihil aliud quæreretur, vt quis esset beatus.

Ex August. arg.

S. Th. ratio ad idem.

185 Prob. 3. Beata visio Dei non includit de necessitate terminationem ad creaturas, vt sit talis. Ergo multò minus visio beata creaturæ hominis, vel Angeli. Consequ est euidens. Minus enim requiritur ad satiandum intellectum finitum, & limitatum, quam infinitum, & illimitatum. Anteced. prob. ex *Scoto in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *D. & quodlib.* 14. Intellectus diuinus naturali ordine ita procedit, vt prius natura, vel origine videat diuinam essentiam, & cum ea producat Verbum, cui essentiam, & voluntatem communicat, deinde cum eo per voluntatem producat Spiritum Sanctum, quam habeat cognitionem creaturarum in esse possibili, seu cognito; quia per cognitionem essentiæ in tribus à tota Trinitate producuntur creaturæ in quolibet esse, etiam possibili; alioquin non penderent à tota Trinitate in eo esse. Et sic intellectus patris pro eo signo præcedente ad filij productionem, creaturas non cognoscit, nec Verbum dicitur Verbum creaturarum, sed solius essentiæ, & Patris. Et tamen in illo signo Pater est perfectè beatus; nec beatitudinem accipit à personis, & multò minus à creaturis, sed personis eam communicat. Ergo ad obiectum primarium, seu Beatificum ipsiusmet Dei, non spectant creaturæ in eo relucentes.

Arg. à fortiori de beatitudine Dei.

Verbum nó producitur ex cognitione creaturarum.

186 Probant alij ex absurdo, quia si viderentur aliquæ, viderentur omnes, quod est impossibile, quia Deus comprehenderetur, sed hæc ratio apud nos est friuola, quia cum dicamus Deum esse speculum voluntarium ad extra, cum *Scoto in* 3 *dist* 14. *qu.* 2. *O.* potest aliqua ostendere, alijs non ostensis.

Aliorum ratio non placet authori.

187 Probant alij. Ex eo, quod, vt mox dicetur, SS. Patres docent, ex peculiari Dei reuelatione, tam Angelos, quam Beatos, multa progressu temporis in Deo, & per Deum cognoscere. Sed hoc argumentum, licet quò ad maiorem, seu anteced. sit verum; non tamen quò ad consequ. stare enim potest vtrumque, & quod Beati aliqua creata videant, ex vi visionis, & quod alia videant ex peculiari reuelatione.

188 Dico 2. Obiecta secundaria, quæ in Deo vident beati, ex peculiari beneficio, ac reuelatione Dei vident. Est *Scoti in Prol. sent. quæst* 3. *later. AA. & in* 3. *d* 14. *quæst.* 2. *O.* vbi docet, quod hæc est differentia inter animam Christi, & aliorum intellectuum circa visionem creaturarum in Verbo, quod Verbum omnibus, & ipsi Christo est speculum voluntariè repræsentans creaturas, sed animæ Christi repræsentat omnia, alijs verò aliqua. & *in Prol. loco cit.* ait ea scire beatum de facto, quæ Deus ei reuelat. Eam quoque videtur docere *D Tho. in* 4. *sent. dist.* 49 *quæst.* 2. *ar.* 5. & *de Verit. quæst.* 8. *art.* 3. vbi ex *Dionys.* probat Angelos superiores illuminare inferio-

Beati ex speciali Dei reuelatione vident aliqua obiecta secundaria.

riores, eos vero à Deo illuminari in multis. Moderni ferè omnes eam defendunt.

189 Prob. 1. Multa creata, creanda, ac creabilia multi beati cognoscunt, vt postea dicetur, & aliqui plura, alij verò pauciora. Sed non cognoscunt ex vi visionis beatæ. Ergo, ex peculiari reuelatione, non enim alius modus est assignabilis.

Angeli multa processu temporis scirent,

190 Prob. 2. ex *Dionys. de cælesti Hier. cap. 7.* circa medium, vbi ait. *Theologi planè tradunt, inferiores cælestium naturarum ordines, à superioribus vitâ diuinas scientias discere, summos autem à Deo ipso pro suo capiu discere mysteria*; & post aliqua. *Alias autem ad ipsum Iesu aspectum habitantes, diuinique eius pro nobis suscepti operis scientiam discentes Iesumque ipsum eas per se docentem, ac primum eis suam in homines benignitatem explicantem, Ego enim loquor iustitiam, & iudicium Saluatoris.* Ergo per reuelationem, seu per manifestationem Dei ea nouerunt & vident.

Origenes de beatis successiue plura credentibus.

191 Prob. 3 ex *Origene lib. 2. de Principijs cap. 12. Cum ergo ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc iam rationem astrorum per singula perundebunt, & siue animantia sunt, siue quidquid illud est comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse reuelabit intelligent. Iam enim tamquam filij rerum causas, & virtutem suæ conditionis ostendet, & docebit eos, quare illa stella cæli in illo loco posita est; & quare ab alia tanto diremente spatio separatur, &c.*

Idem dicit per reuelationem eas scituros multa.

192 Et in *Psal. 36. homil. 5.* præ cæteris; ait. *Vltra enim non erit aliquis imperitus in Regno Dei; non indocilis permanebit; nullus erit à rerum scientia peregrinus; omnes efficiemur, si tamen meruerimur filij sapientiæ. Sicut homo hic positus imbuitur, & instruitur in his, quæ potuit in carne positus attingere; ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea quæ hic studio, ac labore quæsita sunt, ad compendium futuræ inibi institutionis accendent.* Hæc Orig.

Angeli per Ecclesiam multa sciunt

193 Prob. 4. ex ijs quæ dicemus infra, ex *Ephes. 3. Vt innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei.* Quem locum explicans *Hieron.* ait. *Angelis eius ignota fuit multiplex sapientia Dei, quæ nunc eis per Ecclesiam reuelata est.* & *S. Ioan. Chrysost. in Prol. Euang. Ioan.* ait. *Neque Angeli priusquam hic diceret, nouerunt namque & ipsi nobiscum, per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus, & quod nobis cum Beatus etiam Paulus his verbis significauit, vt innotescat Principatibus, & Potestatibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei. Et statim addit Cherubim etiam, & Seraphim didicisse per Ecclesiam, quæ nescibant.* Ergo, quæ sciunt beati præter Deum per reuelationem sciunt. Hæc autem in Deo sciunt, & vident, vt præclarè *Augustinus lib. de triplici habitaculo cap. 6.* vbi docet, quod *in cælo per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est, videbimus quantum possibile est creaturæ, & nosmetipsos, & cæteros vere, & certa scientia cognoscemus.*

194 Prob. 5. ex *Isidoro lib. 1. sent. siue de summo bono cap. 12. sent. 17.* dicente: *Angeli in Verbo Dei cognoscunt omnia, antequam in re fiant; & quæ apud homines adhuc futura sunt, Angeli iam reuelante Deo nouerunt.* Isid. idem.

Prob. 6. ex *August. lib. 13. confess. cap. 15.* vbi de Sanctis loquens docet, eos non legere in firmamento, vel alibi, sed in ipso verbo, sic. *Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum; quid velis æterno voluntas tua legunt, eligunt, & diligunt.* August.

195 Prob. 7. ex *Alex. Alensi 4. parte quæst. 16. memb. 3. art. 5.* Orationes nostræ tribus modis innotescunt Sanctis, scilicet reuelatione, & denunciatione Angelica; inspectione, & intuitione in speculo Trinitatis, & propria comprehensione, &c. & post. Vnde orationes, quæ diriguntur Sanctis, quatenus vtilitati nostræ sufficit, illis sufficienter reuelantur. Ergo reuelatione sciunt. Alensis.

196 Prob. 8. ex *Durando in 4. sentent. dist. 45. quæst. 4.* vbi de Sanctis, ait. Beati orationes illas cognoscunt; & cum hoc non fit cognitione naturali relinquitur, quod fit cognitione reuelatoria, quæ pertinet ad beatitudinem accidentalem. Durand.

197 Prob. tandem ex dicendis in duobus seqq. articulis, qui ad idem sunt.

198 Dico 3. Ea quæ de creatis Deus reuelat Beatis, videri possunt vel eadem, vel diuersa visione ab illa, qua videtur ipsemet Deus. Vtraque pars 1. *Scoto* docetur *in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. K. L. M. &c.* ex Modernis autem aliqui primum modum loquendi tenent, quod, scilicet eadem visione beata, videant etiam alia, quæ reuelantur. Alij, dicunt per diuersam. & hæc est facilior via. Secundaria reuelata possunt eadem, & diuersa à visione beata videri,

199 Prob. 1. pars, ex *Scoto in 3. loco cit. §. Potest dici.* Eadem visio obiecti primarij, potest etiam terminari ad secundaria: ergo. Anteced. prob. Deus eadem cognitione cognoscit se, & creaturas, & eodem actu intellectus attingit præsentia, præterita, futura, ac possibilia. Et diuersitas scientiarum in eo non importat diuersos actus, sed solum diuersas terminationes, seu diuersos respectus rationis. Ergo idem dici potest de cognitione Beatorum. A pari de visione Dei.

200 Prob. 2. Authores, qui cum Diuo Thoma tenent, ex vi visionis posse, ac de facto à Beatis multa cognosci, non habent pro inconuenienti, quod eadem cognitione videatur Deus, & aliqua, ex ijs, quæ relucent in eo: ergo.

201 Prob. 3. SS. Patres qui docent, vel de facto Beatos videre omnia quæ Deus videt, vel posse omnia videre, vt ex articulis præced. vel saltem multa ex eis posse Beatis de-

demonstrati, nullam prorsus faciunt mentionem de diuersitate, aut multiplicitate visionum. Ergo vnica visione Deus, & creata, quæ reuelantur, videntur.

A pari arg. de sensu,

202 Prob. 4. De facto cum aliquid sensibiliter cognoscimus, omnia, quæ in eo apparent, eadem visione videmus. Non enim alia visione videmus Petrum, & Petri maculas, quæ in eius facie apparent; sic, cum videmus speculum, eadem visione videmus, quæ in speculo repræsentantur. Ergo idem dicendum de visione Dei, & aliorum in eo.

Augustin.

203 Prob. 5. ex *D. Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 16. sub B.* vbi de rebus in Deo visis, & de visionibus Beatorum, sic loquitur. *Fortassis etiam volubiles non erunt nostræ cogitationes ab aliis in alias euntes, & redeuntes, sed omnem scientiam nostram, vno simul conspectu videbimus.* Ergo vno actu videtur Deus, & quæ ipse reuelat.

2. pars. quod pluribus actibus videtur Deus, & creaturæ in eo.

204 Prob. 2. pars. Quod scilicet pluribus actibus videtur Deus, & quæ sunt in Deo. Primo, ex *S. Augustino lib. de triplici habitaculo cap. vlt.* sic habente: *Sicut enim per speculum vitreum, trina nobis visio administratur; quia nos ipsos, & ipsum speculum, & quidquid præsens adest videmus; sic per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est videbimus, quantum possibilis est creaturæ, & nos ipsos, & cæteros viros, & certa scientia cognoscemus. Tum additæ creaturarum, & ipsius inferni videndo Deum videbimus.* Ergo, sicut trina visione videtur speculum, & ea, quæ sunt in speculo, ita multiplici visione videtur Deus, & quę sunt in Deo.

Ex Augustin.

205 Verum nolo esse infidelis. Idem Sanctus Doctor in citato loco circa finem, videtur non applicare totum exemplum de visione speculi, nisi solum quòad multitudinem visorum, non autem quò ad multitudinem visionum. Ait enim, tres in Beatis resurgentibus futuras visiones, & de tertia sic loquitur. *Et visio intellectualis qua puro mentis oculo in spiritu Deum videbunt, & suas animas, & virtutes intimas, & spiritus Angelicos*, ex quibus videtur, quod vna visione videbunt hæc omnia; sed forte illud verbum visio est specificum, & est multiplex iuxta ea, quæ dixerat paulò ante de trina visione in speculo, translata ad Dei, & aliorum visionem in Deo.

S. Augustin. non videtur sic concludere.

Facilior via est secunda.

206 Prob. 2. Hæc videtur via facilior ad intelligendum, quomodo de nouo possit beatus aliquid videre, quod prius non videbat; dicendo enim, quod causat aliquem actum videndi, non in termino beatifico, ualuatur, quod visio beatifica, quæ est imago naturaliter, ac determinatè exprimens obiectum beatum, non varietur essentialiter. Et aliunde variatio illa accidentalis per additionem alterius respectus attingentiæ, non ita facilè capitur, sicut facilè dicitur; quia nouæ illa visio, seu attingentia, est noua vitalitas addita priori, ideoque importat aliquid plus, quam relationem.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Beati ex vi visionis vident essentiam, vt est. Sed est expressiua creaturarum: ergo.

Ex vi beatæ visionis non debent videri creaturæ.

207 Resp. dist. ma. Vt est ad se, concedo, vt est extra se, seu ad aliud, nego. Quia hæc alia non spectant ad obiectum beatificum, vt sæpius dictum est. Alioquin omnes omnia deberent videre de facto, quod tamen nullus affirmat.

Ob. 2. Visio exprimit obiectum naturaliter: ergo nihil quod est in obiecto remanet extra attingentiam visionis, vt beatæ.

Semper sequitur absurdum de omnibus.

208 Resp. dist. consequens. Nihil remanet extra eius attingentiam ex ijs, quæ obiectum demonstrat, concedo. ex ijs, quæ non demonstrat, nego. Hoc enim est priuilegium obiecti voluntarij, vt ait *Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. O.* & ideo inquit, anima Christi videns Deum omnia videt; quia omnia ei patefacit. Aliæ verò beatorum animæ non omnia vident; quia non omnia patefacit. Adde semper, quod nisi hoc dicatur, sequitur, quod cum omnia facta, facienda, & factibilia reluceant in Deo, & vt eminenter contenta, & secundum esse cognitum, quia adsunt in eo omnium ideæ, sequitur, quod omnia deberent videre, & ita authores incidunt in Scyllam cupientes euitare Carybdim; nempe cupientes vitare visionem creaturarum per specialem reuelationem, incidunt in præsentiam comprehensionem Dei, quam horrent.

Cognita causa reduplicatiuè, debet effectus cognosci, sed sufficit si cófusè, & abstractiuè.

Ob. 3. Ex vi visionis causæ cognoscitur effectus. Ergo ex vi visionis beatæ cognoscentur omnes creaturæ. Consequ. prob. Quia illa terminatur ad Deum creatorem, & omnipotentem.

Instantia de intellectu Patris vrget.

209 Resp. sicut alias ad hoc arg. Cognita causa reduplicatiuè in ratione causæ, concedo debere cognosci effectum, vel confusè, & abstractiuè, vel distinctè, & intuitiuè. Cognita causa specificatiuè, & non in ratione causæ, sed sub alia ratione, nego. tum nego consequ. Ratio est, quia visio beata terminatur ad Deum, qui est causa, sed non vt causa, neque sub hac formalitate. Eo semper vrget clara, & euidens instantia de intellectu diuino, priusquam in eo reluceant creaturæ, quod quidem euenit completis processionibus personarum ad intra; ita *Scotus in 1. sent. dist. 35. §. Possit dici H.* & *quodlib. 14. §. Hic intelligendum est*. Si ergo essentia illa Dei sanctissima, & perfectissima, quæ omnium perfectionum est pelagus beatificat intellectum Dei, quando nulla adhuc apparet creatura, neque secundum esse reale, neque secundum esse cognitum. Quantò magis beatificare sufficit intellectum finitum, absque cognitione causalitatis, quæ in Deo est purus respectus rationis formaliter accepta, realiter verò ipsamet voluntas Dei. Et dato,

quod cognoscereturr, vt omnipotens, & vt causa formaliter, adhuc ex vi talis cognitionis non viderentur distinctè, & intuitiuè omnes effectus, sed sufficeret, si concipiantur in confuso. Et hoc tenentur omnes confiteri; anima enim doctissimi, vel mediocris Theologi, quæ in via credidit, in Deo dari idæas omnium creabilium, & ipsum esse omnipotentem; cum erit in Patria videbit Deum, & sciet euidenter esse omnipotentem, & habere rerum omnium idæas; at nullus per hoc concedit, quod omnes idæas videbit, & quod omnes effectus cognoscet, ad quos terminatur omnipotentia. Igitur argumentum de intuitu causæ non conuincit.

Fuidens inantecedens.

Ob 4. Ex vi visionis beatæ vident omnia, quæ mæruerunt videre. Sed vel multa, vel omnia creata mæruerunt videre; ergo. Maior probatur, nam visio est præmium partiale, saltem animæ, sed totale intellectus. Minor probatur, ea videbunt in præmium, quæ crediderunt in meritum; crediderunt autem, vel omnia; quia, saltem Theologi, crediderunt in Deo esse idæas omnium. Et alij, multa facta, ac facibilia crediderunt.

Apparens argum.

210 Resp. dist. Loquendo de pertinentibus ad obiectum beatificum, concedo, de alijs, nego. Esto ergo pro præmio etiam partiali concedatur visio multorum, ex secundarijs obiectis, tamen non est necesse, vt eadem beata visione, & æquè primo ea videant: sed sufficit si alia. Sicut supra dictum est de visione incarnationis, quæ ante eam in Angelis non fuit, & de alijs multis mysterijs, quæ ijs per Ecclesiam innotescunt, ex *Ephes. 3.* Ad illud de omnibus creditis, intelligendum est de mysterijs fidei difficilibus. Si enim quis hic credidit Deum posse producere infinitas muscas, aut culices, non proinde videbit muscas infinitas. Qui ergo credidit, in Deo esse omnium idæas, videbit adesse in Deo idæas, intuendo aliquas sibi reuelatas, non autem omnes; sed ex ijs visis, arguet adesse alias non visas.

Beati in præmium vident, quæ pertinent ad obiectum beatificum.

Ob. 5. Ex vi visionis Beatus cognoscit omnipotentiam: ergo. Consequ. prob. Non potest cognosci omnipotentia sine termino illius: quia relatiua sunt simul natura. Anteced. prob. Attributa Dei pertinent, saltem de facto, ad obiectum beatificum: inter ea autem præcipuum est omnipotentia.

Arg. de visione omnipotentiæ.

211 Resp. dist. antec. Cognoscit omnipotentiam, specificatiuè, id est Deitatem, & voluntatem, quæ est omnipotens, concedo. reduplicatiuè sub formalitate omnipotentiæ; subdistinguo, cognoscendo eam intuitiuè, & distinctè; terminum autem confusè, & in genere, concedo. Vtramque intuitiuè, ac distinctè, nego. Non enim est necessarium, sicut alias dixi, quod cognoscens intuitiuè fundamentum, cognoscat eodem modo terminum. Imò hoc debent omnes Theologi fateri; alioquin omnes debent concedere, quod quilibet Beatus de facto cognoscat omnia futura, & possibilia; quia quilibet de facto intuitiuè cognoscit omnipotentiam.

Omnipotentia quomodo cognoscitur a beatis, & quomodo terminus illius.

Ob. 6. Deus ex vi visionis beatæ cognoscit se, & omnia creata. Ergo etiam Beatus.

212 Resp. 1. neg. consequ. Quia Deus vnicum tantum cognoscendi actum habet, ideo eodem cognoscit omnia. Nam sic intellectus creatus, qui potest plures, ac plures, simul, & successiuè habere. Ideo per aliam visionem potest videre obiecta creata, & per aliam Deum.

213 Resp. 2. neg. anteced. Nam, vt optimè docet *Scotus in 1. sent. dist. 1. quæst. 2. & quodlib. 14.* Pater æternus in eo signo, in quo concipitur habere memoriam fœcundam ante filij generationem, beatus perfectè est, tamen pro eo signo, nec ad creaturas; imò quod maius est, nec ad personas terminatur eius cognitio. Secundo, quia ex *quodlib. 1.* essentialia licet sint priora notionalibus, nempe personis tamen hoc intelligitur de essentialibus, quæ sunt ad intra, non verò de ijs, quæ important respectum, saltem rationis ad extra, ex eodem *Scoto ibid.* & sic, licet cognitio creaturarum pertineat ad essentialia, quia tamen dicit respectum rationis ad creaturas, non relucentes in essentia, nisi completis processionibus ad intra, & in quarto signo, ipsamet cognitio, vt terminata ad creaturas, non concipitur adesse in Deo ante productiones ad intra. Et sic optimè saluatur, quod opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa in omnibus ordinibus, etiam quò ad productionem creaturarum inesse cognito. Et quod creaturæ quò ad omne suum esse, etiam possibile, & cognitum dependentes sunt à filio etiam, & Spiritu Sancto, neque possunt gloriari de independentia ab eis, quò ad illud esse, quantumuis dimminutum.

Disparitas de Deo, & creatura cognoscente Deum.

Essentialia quædam ad intra, quædam ad extra.

Ob. contra 1. Si ex reuelatione vident. Ergo non in verbo; imò neque intuitiuè. Et talis cognitio esset mera fides, & de obiecto obscuro. Hæc enim est natura reuelationis, & cognitionis rei reuelatæ.

Arg. contra

214 Resp. neg. consequ. ad veramque probationem nego assumptum. Quia talis reuelatio non est manifestatio ænigmatica alicuius rei, sed est manifestatio clara rerum in Deo eminenter contentarum. Non enim reuelatio semper sonat obscuritatem, & ænigma, sed sæpissimè manifestationem; quiquim aliqui manifestat secretum cordis, vel aliud aliquid, obscurum quidem, sed iam clare per manifestationem reuelat; innumera sunt huius rei exempla in Sacra Scriptura. *Psal. 36. Reuela Domino viam tuam; Ier. 10. Tibi reuelaui causam meam. Ezech. 16. Et reuelata est ignominia tua. Luca 10. Cui voluerit filius reuelare. 2. Thes. 1.*

Reuelatio non semper est ænigmatica, sed aliquando clara,

Exempla scripturæ de hoc.

*fal.* 2. *Reuelatus fuerit homo peccati*, & ter id de Antichristi manifestatione replicatur. 1. *Petri*, *in salutem paratam reuelari in tempore nouissimo*. & *cap.* 4. *Vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes*. Ecce quod *reuelatio* stat pro clara manifestatione. Sic ergo Deus facit cum Beatis; cum enim ipse sit obiectum voluntarium, ex *August. lib. de Videndo Deo cap.* 6. & sit velant quodam speculum, ex eodem *lib. de tripl. habitac. cap.* 6 dicendum est, esse speculum voluntarium, quod celat, quæ vult Beatis; deinde quando vult, manifestat, quæ, & quot vult.

Ob. contra 3. Non potest vna, & eadem cognitio, nunc exprimere vnum nunc plura, remanens inuariata; nam est naturalis similitudo, & repræsentatio formalis in actu secundo. Quæ variatur ad variationem repræsentatorum: ergo.

Contra 3.

215 Resp. dist. anteced. Remanens inuariata accidentaliter, concedo, quia sic variatur, substantialiter, nego. Nam eadem prorsus visio, qua videtur Deus repræsentat Deum per se primò; & si quid postea nouum Deus in se eidem ostendit, per nouam attingentiam & similitudinem, perseuerante prima similitudine Dei, exprimit illud nouum.

Eadem visio ac identaliter mutatur, dum repræsentat plura creata.

## ARTICVLVS IX.

### *Quænam de facto Beati videant in Deo de obiectis secundarijs.*

Scoti mens.

SCOTVS *in Prol. sent. quæst.* 3. & 3. *Later. AA.* dicit videre ea, quæ reuelat Deus idem docet *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 2. *O.* solum Christi animam videre omnia, quia Deus omnia ei ostendit; cæteras verò animas non sic, sed ea tantum, quæ vult Deus ostendere. Sed numquam descendit ad numerum visorum. Licet, vt postea videbimus, doceat, eos videre orationes, quas ipsis porrigimus, & etiam pœnas damnatorum.

Difficilis huius art. solutio.

216 Adu. titulum quæsiti esse clarum, sed solutionem difficilem. De orationibus hic non loquar, neque de pœnis damnatorum; quia speciales de his erunt articuli. Sed de alijs tantum loquar. In quo quidem puncto, vt in præcedentibus retuli transeunter, aliqui putarunt, quod dum Deus videtur sub ratione ideæ, Beatus videt actu in ipso omnes species tantum creaturarum, vel factarum, vel factibilium, non autem indiuidua; sed ista, vel aliqua eorum potest Deus ei manifestare peculiari reuelatione, ita *Henricus quodlib.* 7. *quæst.* 4. & 5. *Goffredus* vero *quodlib.* 6 *quæst.* 3. & *Durandus* cum eo *in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 1. & *in* 4. *dist.* 49 *quæst.* 3. & alij cum eis dicunt omnia possibilia videri de facto in Deo ab omni beato, non tamen futura. Alij quos retulimus in præcedenti cum *Caiet.* 1. *pa. D. Th. quæst.* 12. *art.* 8. & *seq. Capr. in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 6 *art.* 1. & 3. *Soius quæst.* 3. *art.* 3. *Ferrar.* contra gentes *cap.* 56. 59 & 60. & alij omnes Recentiores, qui à *Ricardo*, *Scoto*, *D. Bonau. D. Thoma*, &c. supradictis acceperunt docent, videre aliqua tantum. sed non omnia. Licet diuisi sint. Quidam dicunt videre species tantum, non verò indiuidua. Alij ex his, & ex illis. Alij dicunt, quæ vident, siue species, siue indiuidua, videre ex vi visionis Beatæ: alij tandem dicunt, omnia, quæ vident, videre ex speciali beneficio, ac reuelatione. In hoc tamen conueniunt, quod omnes incertum relinquunt numerum visorum. His præmissis

Esto aliqui Sancti dicant Beatos de facto videre omnia, non est tenendum.

217 Dico 1. Licet aliqui Sancti Patres videantur docere, quod Beati de facto omnes vident in Deo omnia, quæ fecit facier, aut facere potest extra se Deus; probabilius tamen est, eos non velle loqui de omnibus figillatim, sed de aliquibus, vel multis eorum. Est communis inter omnes, præsertim Thomistas, & Scotistas. Est *Scoti locis citatis*, & *D. Thom.* 1. *par. quæst.* 12. *art.* 8. *D. Bonau.* 3 *dist. dist.* 14. *p.r.* 1 *qu.* 3.

1. p. affirm. Ex Origene.

218 Prob. 1. pars. Primo, ex *Origene lib.* 2. *de Princip. cap.* 11. dicente. *Cum ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc eam rationem Arborum per singula peruidebunt. & siue animantia sint, siue quicquid illud est comprehendent. Sed & aliæ rationes operum Dei, quas eis ipse reuelabit intelligent.* & *in Psal* 36. *homil* 5. præcæteris habet: *Vbi enim non erit aliquis imperitus in Regno Dei, non indocilis permanebit: nullus erit à rerum scientia peregrinus: omnes efficiemur, si tamen meruerimur, discipuli sapientiæ.* Ergo scient omnia.

Ex August.

219 Prob. 2. ex *S. August. in lib. de tripli habit. cap. vlt.* præcæteris habente. *Per speculum diuinæ claritatis, & ipsum Deum, vt est videbimus, quantum possibile est creaturæ; & nosipsos, & cæteros, vera, & certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum, & ipsius inferni videndo Deum videbimus.* Ergo de omnibus loqui videtur *Augustinus*.

Ex eodem August.

220 Conf. ex eodem *lib.* 13. *confess.* 15. vbi sic de Beatis loquitur. *Non opus habent suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere Verbum tuum, Vident enim faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua; legunt, eligunt, & diligunt semper; legunt, & numquam præterit, quod legunt, &c.* ergo quidquid volunt in Deo legunt.

Ex Greg. I. Papa.

221 Prob. 3. ex *S. Greg. Papa I. lib.* 4. *Dial. cap.* 33. dicente de Beatis. *Quia illic omnes communi claritate Deum conspiciunt; quid est quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt.* Ergo vident omnia, quæ videt omniscius.

Prob. 4.

Author speculi.

Prob. 4. ex *Authore speculi* apud *Augustin. cap.* 3. Quid nos tunc latere poterit, quando tu Deus noster vita viuentium, causa causarum, forma formarum, informata te nobis, clara visione insinuabis? Ergo omnes formæ, quæ in eo apparent, erunt manifestæ; & sic omnes ideæ videbuntur.

Prospero;

222 Prob. 5. ex *S. Prospero lib. 1. de vita contempl. cap. 4.* Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum, & *lib. 3. cap. 31*, dicit non solum omnium creaturarum, sed etiam ipsam sui creatoris eminentiam facie reuelata conspicient. Ergo omnia vident.

Bernard.

223 Prob. 6. ex *S. Bernardo lib 5. de consider. ad Eugen.* vbi declarans illud *Roman. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, &c.* docet, nos in via per creaturas, tamquam per scalas ascendere ad cognitionem inuisibilium. Sed non sic in patria, de Beatis enim ait. *Quid opus est scalis tenenti iam solium creatura tali illa est præsto habens, per quod potius ista intuetur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum*: & post aliqua. *Neque enim, vt vel ipsa nouerit, vbi longè melius sunt, quam in se ipsis.* Vbi, vt patet indifferenter loquitur de omnibus.

Conc. Sen.

224 Probari potest 7. ex *Concil. Senon. in decr. fidei*, vbi damnatur error negantium Sanctos non esse orandos, quia nō vident nostras orationes; ita loquitur. *Quam sit bon, non modo veritati, sed scripturis quoque dissonum, facilè intelligit, qui beatis perfectum esse non ignorat, omni formæ illud diuinitatis speculum in quo quidquid eorum intersit illucescat*: ergo.

1. pars, neg.

225 Prob. 2. pars. Quod, scilicet non ita sit, & PP. aliter sint intelligendi. Nullus enim Theologus hoc priuilegium alteri animæ tribuit, quam animæ Christi, *in qua abscondits erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Alijs autem Beatis, aliqui aliqua, alij plura concedunt, non autem omnia. Imò S. *Thomas 1. par. quæst. 12. art. 8.* & alibi, & Thomistæ veri omnes cum eo docent, esse impossibile, etiam per absolutam Dei potentiam, vt beatus videat omnia, quæ potest Deus facere; quia inquiunt comprehenderetur Deus: ergo.

Fulgentius,

226 Conf. ex S. *Fulgentio in resp. ad 3. quæst. Ferrandi*, vbi priuilegium hoc videndi omnia, quæ Deus videt soli animæ Christi concedit, si autem ait. *Animæ Christi totius diuinitatis inesse notitiam. Et per hoc non solum ad diuinitatem, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quam ipsi Christo Beatus assignat Apostolus, dicens. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Si enim non ad meritum accipit spiritum sapientiæ, & scientiæ, necesse est, vt omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ habeat.* Ergo, cum sit Christi priuilegium habere Dei, nedum sapientiam, qua diuina omnia videntur; sed etiam scientiam, qua videntur creata, creanda, & creabilia; nullus præter eius animam videt omnia in Verbo.

Dionys.

227 Conf. 2. ex *Dionys. de cælesti Hierarch. cap. 7.* vt in præced. relatum est. *Angeli inferiores illuminantur à superioribus circa multa. Superiores autem ab ipsomet Deo.* Ergo non omnes Beati vident omnia in Deo: alioquin frustra aliqui expectarent se ab alijs illuminandos, sed ex se ipsis in Deo, tamquam in speculo, omnia repræsentante, nullius adiutorio indigentes, conspicerent.

S. Bonau.

228 Prob. ex S. *Bonau. in 4. sent. d. 45. dub. 9. lit.* vbi explicans illud *Gregor. quid est, quod non vident, &c.* ait, non sic intelligi, quod Sancti vident omnia; sed solum per æquiualentiam, quia vident eum, qui æquiualet omnibus. Multa tamen in Verbo vident. Hæc S. *Bonau.*

Non est certum quot obiecta creata beatus videt in Deo

229 Dico 2. Certum non est, quot obiecta secundaria Beatus quilibet in Deo videbit; in primis tamen certum est, quod quilibet videbit ea, quæ credidit fide diuina in via.

230 Prob. 3. pars, ex *Isa. 64. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* & ex 1. *Cor. 2. Quod oculus non vidit, nec auris, audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligent illum. Nobis autem reuelauit per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Sed nulli est reuelatum; neque in veteri, neque in nouo testamento, quænam, & quot præcisè ex obiectis secundarijs videre debeant beati: ergo.

Hoc non est reuelatum.

231 Conf. ex eadem 1. *ad Cor. 2. Quæ sunt hominis nemo scit, nisi spiritus hominis; ita, & quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* Hæc autem creaturarum manifestatio est quid pertinens ad Deum; neque fuit nobis reuelatus numerus manifestandorum. Ergo nemo nostrum scit, aut scire certò potest, nisi Deus reuelet.

232 Conf. Nullus ex SS. Ecclesiæ Doctoribus certum numerum videndorum docuit, sed indefinitè dixerunt in Deo videndas esse creaturas. Quod quidem dictum nihil determinat; quia potius de omnibus esset intelligendum, & tamen non ita erit, vt probatum supra est. Ergo sic intelligi debent PP. quę videnda sunt ex secundarijs in Deo, vt in speculo videbimus; at quot, & quæ, non dicunt.

Ea quæ credita sunt videbuntur.

233 Prob. 2. pars. Primo ex S. *Paulino Nolano Epist. ep. 12. ad Severum.* Tunc reuelanda nobis cum specie videbimus, quæ nunc per fidem præsidemus. itaque hic seminamus, & ibi metemus. Ergo, nedum, quæ attinent ad obiectum primarium, sed etiam, quæ ad secundarium, si in via credita sunt, videbuntur.

234 Prob. 2. ex S. *Prospero Aquitanico*, de

Prosp. idem. *de Vita contemplat. lib. 1. cap. 4.* Hæc est vita beata ad quam qui peruenerint, Beatis Angelis similes erunt. Quod hic crediderunt, ibi videbunt sui creatoris substantiam contemplantes, &c. Ergo in Deo videbunt etiam obiecta secundaria, quæ crediderunt.

Augustin. 235 Prob. 3. ex *S. Augustin. lib. de triplici habitac. cap. 6.* vbi numerans, quæ Beatus visurus est in Deo ex spectantibus ad obiectum primarium; subdit. *Videbit, quomodo mundus erat in Deo, antequam in seipso esset, non mundus, sed Deus. Et quomodo vbique Deus totus sine loco, magnus sine quantitate; bonus sine qualitate. Et quomodo omnia penetrat munda, & immunda sine sui pollutione, &c.*

Ex eodem Aug. 236 Conf. ex eodem *lib. 14. de Trinit. cap. 2.* vbi loquens de fine vitæ, in qua peregrinamur à Domino, quando videbimus Deum facie ad faciem, subdit, *Neque enim fides tam erit qua credantur, quæ non videntur; sed species quæ videntur, quæ credebantur.* Speciei autem nomine, intelligit Deum, in toto illo capite. *& in lib. 20. de Ciuitate cap. 21.* ait. Quid videbimus, nisi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes? tandem *in lib. de diligendo Deo.* in fine, inquit, quod hic crediderunt, ibi videbunt. Igitur quæ credita hic sunt in Deo videbuntur, etiam ex secundarijs obiectis.

Vident quæ pertinent ad constitutionem mundi. 237 Dico 3. Probabilissimum est, quod Beati videant de facto, quæ pertinent ad totius mundi compositionem, species nempe rerum, siue factas, siue faciendas. Est communis inter Theologos, licet de individuis talium specierum producendis, non idem sentiant.

Augustin. 238 Prob. 1. ex *D. Augustin* supra relato *de triplici habitac. cap. 6. Videbit Beatus, quomodo mundus erat in Deo, &c.* Secundo ibidem ait. *Tunc abdita creaturarum, & ipsius inferni, videndo Deum videbimus.*

Origenes. 239 Prob. 2. ex *Origene* allato in prima concluſ. vbi de rerum ordine, astris animantibus, & de alijs omnibus, vt patet legenti loquitur, dicens, ea esse in Deo videnda.

240 Prob. 3. ex alijs Patribus in prima conclusione allatis, qui nisi de omnibus factibilibus, tamen de factis ad rerum ordinem pertinentibus, saltem intelligendi sunt.

Ex S. Thoma clare id docente. 241 Prob. 4. ex *S. Thom. 1. par. qu. 12. art. 8. ad 4.* docente desiderium rationalis creaturæ est ad sciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc sunt, species, & genera rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit, quilibet videns essentiam diuinam. Idem docet *3. par. quæst. 10. art. 2.* in *lib. de Verit. qu. 8.* dicit hoc esse satis probabile, in *in lib. 3. contra Gent. cap. 59.* in fine rationis secundæ, ait. Omnia igitur, quæ Deus ad perfectionem vniuersi produxit intellectui se videnti manifestat. Et in ratione tertia, dicit, oportet vt quilibet Deum videntium cognoscat in ipsa diuina substantia omnia genera, species, & ordines rerum.

Ex successione visionis ad fidem argum. 242 Conf. Beati in via crediderunt vniuersi totius creationem à Deo processisse, crediderunt enim Deum creatorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Cum igitur fides sit euacuanda, eique succedere debeat visio, quicunque credidit genera, & species rerum omnium, quæ in Genesi, & alijs Scripturæ locis sunt narrata, eadem videbit; alias minus videret, quam credidisset.

Est probabile, quod individua videant. 243 Dico 4. Non est improbabile, quod videant etiam de facto, vel omnia, vel multa ex individuis talium specierum, quæ facta sunt, vel facienda.

244 Prob. 1. *S. Augustin. in Enchirid. cap. 62.* de Angelis, ait, *Vtique nouerunt Sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis expectet,* & loco sæpè citato, *de triplici habitac. cap. 6.* ait. *In Deo nos metipsos, & cæteros viua, & certa scientia cognoscemus. Tunc abdita creaturarum, & ipsius inferni, Deum videndo videbimus;* & circa finem, dicit, *pura mentis oculo in spiritu Deum videbunt, & suas animas, & virtutes intimas, & spiritus Angelicos.* Ergo, vel omnia, vel saltem multa.

Ex D. Tho. 245 Prob. 2. ex *S. Thoma de Veritate quæst. 8. art. 4. ad 12.* dicente, ad beatitudinem Angeli pertinet, vt cognoscat omnes, quibus officio committuntur, &c.

Ex Origene. 246 Prob. 3. ex *Origene* pluries relato, *in lib. 2. de Princip. cap. 12.* Cum ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc iam rationem astrorum per singula peruidebunt, & siue animantia sunt, siue quidquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse reuelabit, intelligent: & post. Et docebit eos, quare illa stella cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spatio separatur. Ergo, vel omnia singularia facta saltem, vel ferè omnia beati videbunt.

Ex eodem. 247 Conf. ex eodem *in Psal. 36. hom. 5.* Vltra non erit aliquis imperitus in regno Dei; non indocilis permanebit; nullus erit à rerum scientia peregrinus; omnes efficiemur, si tamen mærebimur discipuli sapientiæ. Sicut homo hic positus instruitur, & imbuitur in his, quæ potuit in carne positus attingere, ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis; & ea, quæ hic studio, ac labore quæsita sunt, ad compendium futuræ inibi institutionis accedent: ergo singularia videbunt. Et licet possit locus ille intelligi de cognitione creaturarum in proprio genere: tamen non videtur modo eius loquendi consonum; quia dicit hæc esse scienda ab ijs, qui erunt discipuli sapientiæ,

id est

id est à Deo magistro reuelante, & in se illa ostendente, intelligent.

De facto vident multa, & quæ,

248 Dico 5. Probabilissimũ est, quod Beati de facto videant in Deo, ea quæ ad ipsos pertinent, vel ratione propriæ personæ, aut status, dignitatis, officij, vel aliquo alio titulo. Hæc conclusio ex parte, vt dicetur in sequenti articulo est *Scoti in 4. dist 45. quæst.4. sub H. S. Bonauent. dist.45 par.1. quæst 2. & 3. S. Thom. lib. 3. contra Gentes cap.59. & de Verit. quæst.8. art.4. S. Antonini 3. par. tit. 30. cap. 4 §. 4.* quos omnes Recentiores sequuti sunt. Ex antiquis autem multi, qui. vt patuit in prima, dum de omnibus indefinitè videntur loqui; de his saltem congruè intelliguntur.

Ex conditione beati.

249 Prob. 1. Beatus ex *Augustin. lib. de Beata Vita disput. primæ diei*, & *in disp. secundæ diei*, est, qui habet quidquid vult. Idem habet *lib.13. de Trinitate cap. 5.* vbi addit, *& nihil malu vult*. Sed verisimile est; quod Beati velint videre, quæ pertinent ad suum statum, dignitatem, officium, &c. quæ in vita habuerunt; vt Religionum institutores, v. gr. & qui aliquod aliud ad Dei gloriam institutum elegerunt: vel quid fiat, in Ecclesia. quid à filijs, amicis, &c. Si Reges fuerunt, quomodo regatur Regnum, & eiusmodi. Hoc autem velle, malum non est. Ergo est probabile, quod isti petant à Deo videre, & videant.

A pari ex S. Thoma,

250 Conf. ex *S. Thoma de Veritate quæst. 8. art.4 ad 12.* supra allato. Ad Beatitudinem Angeli pertinet, vt cognoscat omnes, qui suo officio committuntur, & similiter ad Sanctorum Beatitudinem pertinet, vt cognoscant eos, qui sua beneficia implorant, vel etiam alias creaturas, de quibus laudare debent Deum.

Vident orationes nostras.

251 Prob. 2. ex *Magistro Sent. in 4 distinct. 45.* ex *D. Tho. Bonau. Scoto*, & omnibus ibidem. Vbi docent cum Magistro Sanctos, sicut Angelos videre in Deo nostras petitiones, & in eodem videre, an implendæ sint, nec nè. Eius verba in seq. art. adducam. Ergo existimandum est, quod videant alia ad suum statum, & gaudium spectantia. Immò addit Magister, eos videre omnia, quæ illis ad gaudium, & nobis ad auxilium pertinent.

Th. Argent.

252 Prob. ex *Thoma de Argentina in 4. sent. dist.45. art 4.* Posito quod Sanctorum animæ cognitione naturali non cognoscant mentalem orationem: tamen possunt eam cognoscere cognitione supernaturali, pro vt eiusmodi oratio relucet in diuina essentia, in qua quilibet Beatus videt omnia ad suam beatitudinem spectantia, & quæ ad ipsum diriguntur cognoscenda.

Hug. Vict.

253 Prob. ex *Hugonis Victor. lib. 2. de Sacr. par.16. cap 11.* Hoc certum est, Sanctorum animas in secreto diuinæ contemplationis constitutas, eorum, quæ foris aguntur tantum scire, quantum illis, vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodest, se constat. Et ex ipso accepisse puto *Mag. Sent.*

Gugl. Aluer.

254 Prob. ex *Guglelmo Alurno*, qui anno 1230. floruit in *lib. de vitribus.* SS. vbi proponit hoc dubium. Si quis quæret, vtrum & omnia, & singula, quæ sunt, vel esse possunt, visuræ sint animæ nostræ in illa gloria intellectus, seu virtutis intellectiuæ nostræ? Respondemus, quidquid decebit, & delectabit eas videre, visuræ sunt: quod autem, nec decet, nec delectaret, non sunt visuræ. Sed decet, ac delectat videre, quæ pertinent ad propriam personam, statum, vel officium: ergo hæc vident, ac videbunt.

Concil. Sen.

255 Prob. tandem ex *Concil. Senon. in decr. fidei*, vbi contra eos, qui docebant Sanctos non esse orandos, quia non cognoscunt quid hic agamus, ait, *facile intelliget, qui Beatis peruium esse non ignorat omniforme illud diuinitatis speculum, in quod quidquid eorum interest illucescat.* Ergo vident, quæ ad eos omni modo spectant.

Arg. contr.

Ob. contra 1. Melius saluantur dicta SS. & magna Dei liberalitas, si dicatur, de facto omnia videre, quæ Deus videt: ergo.

Conf. præter ibi allatos Doctores, multi alij id docent, vt *S. Basilius Magnus de vera Virgin.* dicit. *Nullus est, qui non singula, vbique consideret*: & post. Incorporeis obtutibus complectuntur omnia, & comprehendunt. *Ambrosius lib. de Viduis*, præ cæteris ait, isti sunt Martyres nostri Præsules spectatores vitæ actuumque nostrorum. *Beda in cap.16. Lucæ.* Qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatdra agitur, quod videre non possunt. *Aleuinus lib. 2. de Trinit. cap.5.* idem docet, *Haimo in hom. Dom. 2. post Pentecost.* Sancti qui creatori suo coniuncti erunt, nihil erit in creaturis, quod non videant. Ergo dicendum est omnia videre.

Ex P.P. arg.

Patres declarandi iuxta doctr. fidei.

256 Resp. neg. anteced. Sancti enim declarandi sunt modo congruo doctrinæ fidei. Certum autem de fide est, quod in gloria accidentali Beati sunt inæquales. Eiusmodi autem inæqualitas ex parte obiecti primarij esse non potest: sed vel in actus intensione respectu illius, vel in extensione, & quantitate discreta respectu obiecti secundarij. Congruum enim non est, vt infans, qui nullum prorsus habuit meritum in visione, sit æqualis B. Virgini, Sancto Petro, &c. Si autem admittatur visio omnium in omnibus, iustitia distributiua in præmio, & coronarum differentia non relucet.

Aliqui PP. de posse loquuntur nõ de actu.

257 Ad 2. dico tam citatos in argumento Patres, quam adductos in prima parte conclusionis intelligi de ijs, quæ Deus, vel ex merito Beatorum, vel ex sua gratia vult eis reuelare; omnia autem, vt dixi in vltima conclusione ad statum cuiuslibet spectantia reuelat. Et hæc sunt illa om-

omnia, quæ vident. Aliqui autem eorum, vt patet, loquuntur de posse videre, non de actuali visione. Vel loquuntur de potentia Beatorum ad videndum omnia obiecta, dum ad ea accedunt.

Arg. ex non implicantia videndi omnia.

Ob. 2. Nulla est implicantia, neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, quin omnia actu videant; imò maxima est congruentia, quod omnia videant: ergo. Anteced prob. de primo: commendatur maximè Dei beneficentia, & dilectio circa electos; Saluator enim *Ioann. 15. 15.* ostendens maximam dilectionem in Apostolos, ait. *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis*, eius ergo amicitia, & distinctio Apostolorum, quos vocat amicos à seruis consistit in eo, quod manifestabat omnia, quæ à Patre audierat. Ergo, cum electi sint amici Dei, omnia eis erunt nota; cum ex parte Dei nulla sit repugnantia; ita enim potest ostendere omnia obiecta secundaria, sicut ostendit aliqua, & se ipsum. Neque repugnat ex parte Beatorum; quia intellectus creatus est capax; cum intellectus Christi de facto id obtinuerit.

Instantia tacita eluditur aduers.

Neque potest dici non esse sic faciendum, quia beatitudines sunt inæquales. Nam respondetur, quod non obstante inæqualitate intensiua videndi, vel fruendi, adhuc tamen omnes vident eandem essentiam, quod est maximum; ergo, cum eadem inæqualitate intensiua omnes videntes omnia obiecta secundaria, adhuc essent inæquales in beatitudine.

Arg. ex scriptura est ad oppositum.

258 Resp. hoc argum. probare possibilitatem, quam nos admittimus iam in *art. 7.* non autem factum. Ad illud de manifestatione facta Apostolis à Christo, non est ad rem, imò probat oppositum. Primum patet, quia in *cap 6. 12.* idem Saluator, ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, & quæ ventura sunt annunciabit vobis.* Igitur non omnia, quæ ipse sciebat manifestauit. Secundo, quia nota fecit Apostolis necessaria ad fidem & Euangelium, nec non vtilia ad salutem; imò, vt notat Glossa, ea quæ fient in resurrectione. De secundo patet; quia Apostoli non sciuerunt omnia, quæ sciebat Christus, in ipso enim solum *absconditi erant thesauri sapientiæ, & scientiæ* Dei. Et hoc est, vt sæpè diximus priuilegium Christi, vt sciret omnia, quæ sciebat Deus. Estò ergo non repugnet; congruum tamen non est, vt omnes omnia videant, omnes æquè fruantur; quia, quamuis omnibus concedatur visio essentiæ, quę est denarius promissus omnibus electis, & hoc, quia non potest esse capax diminutionis, indiuisibilis enim est, & ideo vel tota negatur, vel tota conceditur; in ijs tamen, quæ sunt capacia graduationis, seu diuisibilitatis, esse potest disparitas iuxta meritorum ordinum æquum enim, & congruum non videtur, vt tot obiecta sciat puer vix natus, quot Adam, Abraham, Iacob, Apostoli, Martyres, Beata Virgo, &c. Ecclesiæ coriphæi.

Christus, quę reuelauit Apostolis.

Apostoli nõ sciebant omnia, quæ sciebat Christus.

Instab. Saltem concedi potest, quod omnes Beati omnia simul cognoscant habitualiter; & pro libito possint quando voluerint ea in indiuiduo videre actualiter.

Beati neque habitualiter cognoscunt omnia.

259 Resp. neg. anteced. Nam in hoc consistit præeminentia aliquorum, qui plura vident; non enim existimo, quod semper omnia illa actu attingant; sed pro libito, quando scilicet eis placuerit alicui, vel aliquibus eorum attendere. Si autem dicatur, omnes in hoc esse æquales, tollitur excellentia, & inæqualitas beatitudinis accidentalis ex parte intellectus.

Quomodo vident actu.

Ob. 3. Omnibus argumentis adductis in præced. artic. sed eodem modo soluuntur. Addendo, quod neque ex vi beatæ visionis, neque ex vi accidentalis beatitudinis omnes vident omnia. Imò ex hoc secundo capite debet inferri oppositum.

Arg. contr. 2

Ob. contra 2. Si ita dicatur, sequitur, quod infantes, & rudes non videbunt omnia mysteria, & alia, quæ sunt obiecta fidei in via, quod est falsum. Sequela prob. Quia ista non crediderunt. Minor prob. Quia, sic non viderent Trinitatem, nec productiones ad intra, nec ordinem personarum, incarnationem, &c.

Rudes implicitè credunt mysteria omnia fidei.

260 Resp. neg sequelam ad probat. dico, rudes implicitè ea credidisse, cum crediderunt ea quæ credit Catholica Eccle. sia; & ideo omnia mysteria, quæ alij docti explicitè crediderunt, etiam rudes in Deo videbunt. Infantes pariter, quia licet non crediderint actu in via, crediderunt tamen habitu; alioquin non saluarentur, quia Saluator *Marci vlt.* ait. *Euntes in vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*, & tamen paruuli non credunt; sed ficut ait Glossa ibi, *Parvuli per alios credant, sicut ex alijs ea, quæ in baptismo eis remittuntur peccata, contraxerunt.* idemque habetur in *cap. In Ecclesia, cap. Paruuli, cap. Mater Ecclesia, de consecr. dist. 4. & c. 81. Tres sunt, de pœnit. dist. 1.* & dicuntur fideles, qui recipiunt Sacramentum fidei, ex *cap. Nihil est aliud, de consecr. dist. 4.* & habitum fidei, ex *cap. Mater, de Baptismo.* Omnes autem Beatos indifferenter visuros esse omnia mysteria diuina, quæ erant in via obiecta fidei, aperte docet *Augustinus in libro de triplici habitac. cap. vlt.*

Infantes aliter scilicet habitu.

## ARTICVLVS X.

### *An Beati videant in Deo orationes fidelium.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist 45. quæst 4.* docet, quod licet non sit de ratione Beatitudinis, vt Beati videant in Deo orationes nostras, eas tamen in Deo vident, & pro nobis orant, &c.

Duplicitèr videri possunt orationes nostræ à beatis.

261 Adu. 1. Quod, vt Scotus notat dupliciter Beati possent nostras orationes videre. Primo in genere proprio, vt si ad nos accederent in debita distantia. Secundo, in Deo, quia scilicet Deus eis manifestat. Hoc secundum nunc inquirimus.

Hæret. negant.

262 Plures in hoc puncto adesse sententias. Prima est negatiua, & hæreticorum negantium Sanctos posse pro nobis interedere, & proinde non videre, nec posse videre nostras orationes ad eos porrectas. Ita Vigilantius, quem impugnat *Hieron. lib. contra Vigil. cap. 3.* Idem dixerunt Vvaldenses, Lollardi, &c. quem errorem renouauit Lutherus *in Dom. septima post Trinit. & in cap. 9. Ecclesiastes, & in Ionam.* Catholica autem sententia est, Sanctos esse inuocandos; & pro nobis apud Deum præces fundere, & ideo orationes nostras cognoscere. Ita semper traditum fuit in Ecclesia, & de fide definitum, in *Concil.* tandem *Trident. sess. 25. de Inuocat. Sanctorum*, & hoc nunc non inquirimus. Sed quomodo eas videant, vt Deo offerant, & pro nobis orent.

Aug. & Hier. de modo videndi aliter, ac nos sentiunt.

263 Adu. 3. S. *Augustt & Hieron.* diuersimodè docere, quomodo Beati videant orationes fidelium. Licet Theologi posteriores, ad eos, pro comperto habeant videre in Deo: nam *Augustt. in lib. de Cura pro mortuis agen. cap. 16.* valde angustiatur, vt inueniat modum, quo Sancti Martyres nos audiant, videant, & opitulentur, an, scilicet per diuinam potentiam ad nos deferantur; & quomodo locis tam diuersis adesse possint, vt fidelibus eos orantibus, & spatio remotissimo distantibus simul possint subuenire. Et dicit hanc quæstionem superare vires intelligentiæ suæ; an scilicet deferantur ad nos per Deum, vel per Angelos, vel nos ad eos deferamur, & concludit, *Res hæc altior est, quam vt à me possit attingi, & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari.* & tamen non recurrit ad visionem in Deo, vt in speculo, sicut recurrit *in lib. de triplici habitaculo cap. 6.* vbi dicit, omnia à nobis videnda in Deo, vt in speculo. Ratio autem, cur dubitet Augustinus, & ad visionem in Deo non accedat, est quia, vt dixi *in disput. 14. art. 6.* ante *const. Bened. XII.* non erat ab Ecclesia definitum, quod Sancti ante diem iudicij videant Deum, & aliquando sententiæ contrariæ ipsum Augustinum adhæsisse itidem ostendi; ideo in citato *loco de Cura pro mort. cap. 16.* non dicit, Sanctos videre nostras præces in Deo, & ideo nobis opitulari orando.

An beati ad nos accedãt, vel nos deferamur ad eos dubitat Augustt.

Quare Aug. non dicit videre in Deo

S. *Hieron. contra Vigilant.* dicit, beatos ea scire, quia mira celeritate ad nos deferuntur; & sic idem sensit cum Augustino. Alij verò infra adducendi, præsertim post Magistrum Sent. id est ab vndecimo sæculo docuerunt, Beatos de facto videre in Verbo, seu in Deo orationes fidelium, & pro eis orare.

Hier. quid dicit.

Post Magistrũ omnes dicunt in Deo videre.

264 Adu. vlt. Quod, licet duo hic essent videnda, an scilicet Sancti videant orationes nostras quas ad eos dirigimus in necessitatibus; & quomodo videant: secundò, an etiam orent pro nobis; quæ duo connexa videntur, & simul à Scoto tractantur; quia tamen hic agitur de visione; id tantum, nunc discutietur, an scilicet videant. Aliud autem in alia disputione soluetur, quia extra chorum saltaremus, si de eo hic etiam ageremus. His præmissis

An videant hic discutitur non verò, an orent.

Beati vidẽt orationes nostras.

265 Dico 1. Beati vident orationes, quas homines ad eos dirigunt. *Est Scott in 4. dist. 45. quæst. 4. D. D. Thom. at Bonau. ibidem.*

266 Prob. 1. de fide esse dicemus, Sanctos pro nobis orare in Cælo: ergo, Consequ. prob. Non possent orare pro nostris necessitatibus, & nostras præces Deo offerre, nisi eas viderent. Anteced. prob. Ex lyturgijs Ecclesiæ ab initio à Sanctis Apostolis, Petro Romæ Iacobo Hierosolymis, & cæteris alibi compositis; in quibus supponitur B. Mariam, & cæteros Angelos, ac Sanctos pro nobis orare, & in oratione Sancti Stephani, sic oratur Deus, *Concede, vt is pro nobis intercessor existat, &c.* Prob. præterea ex antiquis Ecclesiæ Patribus in proprio loco adducendis id expressè tenentibus; & tandem ex *Concil. Trid. sess. 25. in decr. de Inuocat. Sanctor*

Greg. Nazz

267 Prob. 2. ex S. *Greg. Nazz. or. 11. ad Gorgoniam*, sic affatur. Quod si quid eos quoque qui sibi à nobis habentur honores curas, atque hoc præmij Sanctis animis diuinitus contingit, vt ista sentiant, nostram quoque orationem pro multis, ac præmultis funebribus donis accipias velim, quam Cæsario ante, & tibi post illum persoluimus. Ergo vident.

Athanas.

268 Prob. ex S. *Athanasio in quæst. 11. de animabus Sanctor.* non est dubitandum. nam & post mortem, & in die iudicij cognoscent omnia.

Cyprian.

269 Prob. ex S. *Cypriano, de stella, & Magis, & Innocentium morte.* Innocentes in ordine Sanctorum Prothomartyres primum habeant locum, & secretorum conscij diuinorum propinquitate familiarissima, clementiam Dei pro nostris exorent laboribus, quos vsque hodie funestus Herodes

rodes persequitur. Ergo, si pro nobis exorant, vident indigentias.

Basil. Mag. 270 Prob. ex *S. Basilio Magno, de vera virginitate*. Vbi de Sanctis, & Angelis, sic loquitur. Nullus ex his est, qui non singula vbique consideret. Et si enim oculis carneis minimè conspici sunt; incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt. Ergo etiam orationes.

Ambros. 271 Prob. ex *S. Ambrosio in lib. de Viduis*, vbi considerans Apostolorum pietatem rogantem pro Socru Simonis, sic concludit. Tunc enim pro affinitate poterant; nunc iam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Deinde de Martyribus, ait. Illi enim sunt Martyres nostri Præsules, spectatores vitæ, actuumque nostrorum: ergo.

Greg. Nyss. 272 Prob. ex *S. Gregorio Nysseno, orat. de S. Theodoro*. Quamquam tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias, & necessitates non ignoras; impetra nobis pacem. Ergo vident, & orant.

273 Prob. ex *S. Prospero lib. de contemplat. Vitæ cap. 4.* Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum. Ergo etiam orationes, & necessitates hominum.

Hug. Vict. 274 Prob. ex *Hugone Victorino lib. 2. de Sacram. p. 16. c. 11.* dicente. Hoc certum est Sanctorum animas in secreto diuinæ contemplationis constitutas eorum, quæ foris aguntur tantum sciunt, quantum illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat, &c.

275 Prob. tandem ex dictis in *præcedenti art. conclus. 1.* quia SS. Patres, vel omnia, vel saltem quam plura, quæ hic aguntur à Beatis cognosci defendunt.

Antiquis dubium erat, quomodo Sancti videant orationes nostras, tamen vident in Deo. 276 Dico 2. Licet aliquibus antiquis dubium fuerit, quomodo Sancti videant nostras orationes; tamen probabilissimum est eos videre ipsas in Deo per eius specialem renelationem. *Est Scoti in Prologo sent. quæst. 3. & 3. Later. AA. in 3. sent. dist. 14. quæst. 2. O. & in 4. dist. 45 qu. 4. D. D. Tho. in 1. par. quæst. 12. art. 8. de Verit. quæst. 8. art. 4. & lib. 3. contra Gent. cap 59. D. Bon. in 3. dist. 14. par. 1. quæst. 3. & in 4. d. 45.*

Quare dubij fuerint. 277 Prima pars prob. Quia, vt patuit in notab. SS. Augustinus, & Hieronymus non assignant modum, quo Beati nostras videant necessitates, & *Aug.* dicit *est quid abstrusum*. Hoc autem, vt supra innuitur ex eo, quia aliquando dubitarunt de præsenti visione Dei. Nam, vt mox dicam *S. August.* docet Beatos in Deo visuros omnia, quæ videbunt. Ita teneo explicandos alios Doctores, qui huic modo videndi in Deo obiecta creata, non consentiunt.

278 Prob. ergo secunda pars. Christus Dominus secundum animam etiam in Verbo omnia videbat, & videt. Ergo & alij.

279 Prob. 2. ex S. *Augustino qui in lib. de triplici habit cap. 6.* sic. *Tunc abdita creaturarum, & ipsius inferni videndo Deum videbimus*. Igitur, cum de fide iam sit, etiam nunc beatos videre Deum; etiam nunc in Deo orationes nostras, sicut & alia videre dicendum est.

Ex August. 280 Conf. ex eodem *lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 31.* dicente. *Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, vt omnia, vel in se, vel in illo verociter intellecta conspiciat.* Loquitur autem de videntibus Deum Ergo, si vident orationes, in Deo vident.

Ex eodem. 281 Conf. ex eodem *lib. 13. confess. c. 15.* dicente de Beatis, *qui non opus habent suspicere firmamentum hoc, & legendo cognoscere Verbum tuum. Vident enim faciem tuam semper; & ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit aterna voluntas tua, &c.* Ergo, cum Beati ex eodem videant orationes nostras, vt pro nobis intercedant; non in alio, quam in Deo vident.

Greg. Mag. 282 Prob. ex S. *Gregor. Mag. lib 2. dial. cap. 35.* Animæ videnti creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breue fit omne, quod creatum est; quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus tantumque in Deo expanditur, vt superior existat mundo: & post aliqua. Quid ergo mirum, si mundum ante se collectum vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundum fuit.

Ex eodem. 283 Conf. ex eodem *lib. 4. dial. cap. 33.* Quia in illa æterna hæreditate omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciunt, vbi scientem omnia sciunt. Ergo, si Beati vident orationes fidelium, in Deo eas vident.

Ex German. 284 Prob. ex S. *Germano Constantinop. ser. 2. de Assumpt. B. Mariæ*, in quo ait, omnia obseruas Maria, omnia contueris, & inspecto tua ad omnes se porrigit. Quam ob rem, licet oculi nostri impediantur, nè te videre queant; tu tamen Sanctissima Virgo dignis te ipsam patefacis, &c. si ergo videt; & non sit in distantia proportionata circa vos, in Deo videt.

Mag. Sent. 285 Prob. ex *Magistro Sent. in 4. d. 45. F.* Forte quæris numquid præces supplicantium Sancti audiunt, & vota postulantium, in eorum notitiam perueniunt. Non est incredibile, animas Sanctorum, quæ in abscondito faciei Dei veri luminis illustratione lætantur, in ipsius contemplatione, ea quæ foris aguntur intelligere, quantum illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita Sanctis, qui Deo assistunt petitiones nostræ innotescunt in Verbo Dei: & post aliqua. Si autem Angeli à Deo per Verbum eius discunt petitiones nostras, & quid de his implendum sit, & quid non: cur non credamus, & animas Sanctorum Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces

hominum, & quæ implendæ sunt, vel non. Hæc *Magister Sentent.*

Alex. Alen. 286 Prob. ex *Alex. de Alef. p. 4. qu. 26. memb 3. art. 5.* Orationes nostræ tribus modis innotescunt Sanctis, reuelatione, & denunciatione Angelica: inspectione, & intuitione in Speculo Trinitatis: & propria comprahensione, vt quando præsentialiter assistunt in locis, in quibus ad illos dirigu.tur orationes: ergo.

Riccard. 287 Prob. ex *Riccardo de Media Villa in 4 dist. 45 art. 7. quæst 1.* Beatæ animæ omnes orationes nostras, quas illis porrigimus cognoscunt in Verbo Dei, quod clarè vident.

D Thom. 288 Prob. ex *S Thoma in 4. sent. d. 45. quæst. 8.* Cogitationes cordium solus Deus per se ipsum nouit: sed tamen Sancti cognoscere possunt, quatenus eis reuelantur per visionem, vel alio modo.

S Bonau. 289 Prob ex *S. Bonau. in 4. sent. d. 45. dub. 9. litter.* vbi explicans illud D. *Gregor.* quid est, quod non vident, qui videntem omnia vident, ait, non quidem omnia sed per æquipollentiam, quia vident Deum, qui omnibus rebus æquipollet: sed addit dicendum, quod multa addiscunt Angeli, siue per ipsum Verbum, & per alios Angelos, siue per experientiam.

Thom. Arg. 290 Prob. ex *Tho. de Argent. in 4. sent. dist. 45. art. 4.* Posito, quod Sanctorum animæ non cognoscant mentalem orationem, tamen possunt eam cognoscere cognitione supernaturali, prout huiusmodi oratio relucet in diuina essentia, &c.

Bedæ. 291 Prob. ex *Bedæ in cap. 16. Lucæ*, de diuite, vbi præ cæteris docet iustos videre iniustos, vt gratias Deo agant: & subdit, *Quia qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.* Ergo, si orationes nostras vident, in Deo vident.

Alcuin. 292 Prob. ex *Alcuino lib. de diuinis off. cap. 39.* Nec dubitandum est, fidelium petitiones à spiritibus iustorum sciri, quia, qui intus claritatem Dei vident, non est credendum, quia sit aliquid foris, quod ignorent.

Arg. per rationem, 293 Prob. tandem ratione. Sancti pro nostris necessitatibus orant. ergo eas vident. At non vident semper in proprio genere, quia prope nos non sunt, neque ad nos semper descendunt. Igitur, cum aliter non possint regulariter videre, nisi in Deo, sic vident, & ideo orant. Dixi *semper*, quia, num aliquando Sanctorum animæ, prope nos per Dei potentiam accedant, siue propria virtute, siue Angeli deportatione, videbimus in propria Disput. infra. Dixi regulariter, quia possent Deo sic ordinante, scire nostras necessitates ex reuelatione Angeli nostri custodis, vel alterius. Sed magis clarum, & facile est, quod ea, quæ vident, in Deo videant, & præsertim orationes; hoc enim nec eis repugnat; nec Deo est impossibile.

194 Conf. ex *Concil. Senonen. in decr. fidei*, vbi de hoc puncto agens, & quod Sancti orandi sint, contra sententiam contrariam, ait, *sed quam sit hoc, non modo veritati, sed scripturis quoque diuinum facile intelliget, qui Beatis perunum esse non ignorat omniforme illud diuinitatis speculum in quod quid eorum interfit illucescat.* Ergo vident quod petitur. Cõc. Senon.

Ob. 1. ex *Isaiæ 63.* habetur in fine, *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos.* Interl. quæ notatur pro *August.* ait, *Mortui nesciunt, etiam Sancti quid agant vivi, etiam eorum filij.* Ergo Sancti non vident nostras orationes. Argum. ex script.

295 Resp. nego consequ. Quia, vt ait *Scotus in 4. dist. 45. quæst. 4. S. Ad argum.* Abraham tempore Isaiæ non erat Beatus; sed erat in Limbo, nos autem loquimur de Beatis clarè Deum videntibus.

296 Ad illud *August.* iam sæpè dixi, quod aliquando adhæsit sententiæ illi de prorogatione visionis Dei, vt in proprio quæsito, quia adhuc non erat ab Ecclesia reprobata. Et nihilominus, vt in eodem quæsito dixi confitetur, Sanctos videre nostras necessitates, nosque adiuuare. August. quare videtur hoc negare.

Ob. 2. Possunt Sancti inuocari mentaliter. Ergo tunc non possunt videre. Quia solus Deus scrutatur secreta cordium.

297 Resp. neg. consequ. ad probat. dico, quod non loquimur de propria virtute Beatorum, sed de reuelatione facta in Deo. Secundò, si in debita distantia essent, videre possent nostra secreta, sicut Angeli; quia sunt entia creata, & proportionata illis. Ad impugnat. de Deo, dico quod Deus omnia secreta cognoscit præsentia, præterita, futura, & possibilia: secundò cognoscit ea, vt iudex. Beati autem, si essent in debita distantia, solum præsentia cognoscerent, sicut Angeli Custodes; alias quomodo viderent, quando à custoditis corde tantum inuocantur: vel tentationibus mentis, infidelitatis, &c. tentantur, vt possent eis auxiliari. Beati si essent proximi vidi. dere possent nostra secreta.

Ob. 3. Frustra viderent orationes: ergo. Anteced. prob. Deberent videre, vt pro eis intercederent; sed non possunt id facere: nam vel vident clientes suos saluandos, & à Deo exaudiendos, vel vident non exaudiendos. Si primum, frustra orarent. Si secundum, non orarent, quia Deo displiceret: ergo.

298 Resp. neg. antec. ad probat. dico, ex *Scoto in 4. dist. 45. quæst. 4. G.* non esse concedendum, vllum ex illis duobus membris; neque quod Deus reuelet Beato salutem finalem orantis, neque exauditionem, potest ergo reuelare Beato, quod aliquis non oret, non reuelando alterum ex ijs duobus, & sic non frustra orat Beatus. Imo hoc argumentum fieri posset de nobis orantibus non enim scimus, an saluandi simus, Non semper Deus reuelat, si exaudiet, vel quid fiet de orante.

mus, vel exaudiendi, nec nè; & tamen oramus. Addit Scotus, quod etiam si Beatus sciret suum præcatorem esse, vel non esse exaudiendum, adhuc non oraret frustra; quia, sicut Deus vult illum saluare, vel exaudire, ita vult per determinata media, vt per orationem talis eam consequi. Si autem non reueletur Petro determinatè quod Deus nollet illam orationem exaudire; Petrus non esset ibi mediator orando. Si verò non reuelaretur sibi, quod velit, nec quod nolit exaudire, Petrus orat expectando, vt orationem suam consequatur determinata reuelatio exauditionis, vel saltem determinatus effectus exauditionis, quantum ad ipsum petentem. hæc *Scotus*.

Quare non frustra orant beati.

Instab. Si nesciat beatus ex auditionem, remanet anxius, & inquietus; quod est contra rationem beati.

299 Resp. neg. sequelam. Cum enim Beatus habeat semper conformitatem ad Dei voluntatem, nil aliud vult præter id, quod vult Deus, vt dicam in sequenti de pœnis damnatorum, quæ à Beatis videntur. Dum ergo videt Deum ei reuelare orationem sui clientis, vt pro eo oret, id exequitur, nec aliud quærit. Et si Deus reuelet etiam quid de eo faciendum sit, & nunc exaudiendus libenter id accipit; sin autem non reuelet, id etiam libenter omittit, nec aliud optat, nisi, quod Deus vult.

Beatus non est anxius, quia conformis Dei voluntati.

## ARTICVLVS XI.

### *An Beati videant in Deo pœnas damnatorum, & quomodo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 50. quæst. 3.* docet, Beatos videre in Verbo pœnas damnatorum positiuas quidem per proprias idæas; priuatiuas verò per habitus oppositos; neque proinde de illis habere tristitiam. hæc *Scotus*.

300 Adu. ex *Scoto* ibidem, quod tam pœnæ damnatorum, quam alia omnia obiecta secundaria dupliciter possunt à Beatis cognosci, cognitione vespertina, seu naturali, ac in proprio genere; & cognitione matutina, seu supernaturali, ac in verbo. De secunda hic loquimur; quia de prima erit peculiaris disputatio de omni obiecto naturaliter cognoscibili à creato intellectu.

Cognitio matutina, & vespertina, quæ sint.

301 Adu. 2. ex eodem ibidem *sub B.* quod damnatorum pœna, vt dictum est in *disput. 13.* est multiplex; quædam damni nempe carentia visionis diuinæ. Alia est tristitia de ipsamet carentia. Tertia est tristitia de culpa, non quatenus offensiua Dei, sed quatenus est causa pœnæ. Quarta est tristitia de igne detinente perpetuò. Quinta est tristitia de igne immutante, & detinente intellectum damnatorum in perpetua consideratione sui. Et addit Scotus, quod tertia tristitia de culpa est vermis conscientiæ. Et his stantibus quæritur primò, an beati eas videant in Deo, & quomodo videre possint cum pœnæ in Deo non habeant idæam. Ideo

Multiplex damnatorũ pœna.

302 Dico 1. Beati vident in Deo pœnas damnatorum. Est *Scoti, vbi supra. D. Tho. in 4. sent. dist. 50. quæst. 2. artic. 4. quæstiuncula 1. & seq.* & communis.

Beati vident pœnas damnatorum in Deo.

303 Prob. 1. ex *Isa. 66. 24.* ibi enim prædicitur futura gloria, sic, *& erit mensis ex mense, sabbatum ex sabbato, veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea. Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, &c. erunt ad satietatem visionis omni carni.* Glossa Ordinar. Ver. *Et egredientur*, ait, electi quasi ad videndum, non loco, sed intelligentia, vel visione manifesta, vt ad laudem Dei magis accendantur. Ver. *Et videbunt*, ait, non mirum si Sancti iam immortales reprobos videant, cum prophetæ adhuc mortales hæc omnia videre meruerunt. & Verbo, *Cadavera*, ait, quia in æternam damnationem cadent, secundum quod, & dæmones cadavera possunt dici, &c. ergo.

Ex S. Script.

304 Prob. 2. ex *Luca 16.* vbi habetur, quod Abraham in requie existens diuitem damnatum in pœnis positum vidit, quem locum declarans *S. Greg. lib 4. dial. cap. 33.* prolixè, docet beatos cognoscere etiam damnatorum pœnas.

Greg. Mag.

305 Prob 3 ex *Bedæ in cap. 16. Lucæ.* Credendum est, quod ante retributionem extremi iudicij, &c. Iusti in tormentis semper intuentur iniustos, & assignat rationem, dicens. Vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer euaserunt, &c. ergo.

Beda.

306 Prob. 4. ex *Haimone in Dom. 2. post Pentecostem.* Non solum boni cum sint in æterna requie recepti malos conspiciunt in pœna, &c. ergo.

Haimo.

307 Prob. 5. ex *Hinchmaro Rhemensi* idem docente *in Vita S. Remigij*, & referente eadem prorsus Bedæ verba.

Hinchmarus

308 Prob. 6. ex *Magistro Sent. dist. 50. C. F. G.* diffusè id explicante, &, quod licet Beati pœnas damnatorum videbunt, non per hoc tristabuntur, sed maximas Deo agent gratias, quod ex eius modi calamitatibus eos liberauerit.

Mag. Sent.

309 Dico 2. Beati cognoscunt pœnas damnatorum in Deo, non solum positiuas, sed etiam priuatiuas est communis cum *Scoto in 4. dist. 50. quæst. 3. D. Tho.* indifferenter de omnibus etiam loquitur.

Positiuas, & etiam priuatiuas cognoscunt in Deo

310 Prob. 1. pars. Pœnæ positiuæ, vt sunt afflictio ab igne, & tristitiæ omnes, quas habent damnati sunt cognoscibiles in Deo, quia habent propriam idæam. Ergo si ex SS. Patribus tam allatis Beati vident pœnas,

nas, vident eiusmodi cruciatus, ac tristitias.

311 Conf. ex *Luce 16.* Abraham, qui est beatorum figura videbat cruciatus diuitis, inde dicebat, *tu verò cruciaris*. Ergo pœnas positiuas videbat.

De priuatiuis.

312 Prob. 2. pars. Licet pœna damni sit negatiua, nihilominus videri potest in Deo per habitum quem negat; nam ex *August. 9. de Trinit. cap. 10.* quoddam est cognoscibile secundum speciem, quodam secundum priuationem, & quod ita cognoscitur per aliud cognoscitur. Hinc docet Philos. 4. 7. & 9. *Metaph. Priuatio cognoscitur per habitum*. Ergo hoc modo cognoscitur in Deo pœna damni eorum, qui in inferno cruciantur.

Arg. contr.

Ob. contra 1. Si cognoscerent pœnas damnatorum, vel eas vellent in ipsis, vel nollent. Neutrum potest dici; non primum, quia essent crudeles. Si nolunt eas, sequitur primò, quod difformes essent diuinæ voluntati, quæ eas vult. Secundo sequitur, quod essent tristes, quia nollent, & tamen adessent; *tristitia* autem *oritur ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt*.

Beati pœnas videntes nó tristantur.

313 Resp. ex *Magistro Sent. dist. 50. G.* à quo Scotus accepit ex parte, quod Beati videntes pœnas damnatorum non afficientur dolore, sed lætitia satiabuntur, agentes gratias Deo de sua liberatione; & id hoc adducit textum *Isa.* supra allatum, *& erunt ad satietatem visionis omni carni*, ait Magister, *id est electis*, quia *Psal. 57. Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*. *Scotus* autem ait, quod Beati volunt pœnas damnatorum, sed non primò, quia volunt quidquid Deus vult. Neque per hoc sunt crudeles; quia nolunt prima volitione. Neque sunt tristes, quia non sunt capaces tristitiæ, sed volentes, quod Deus vult, in hoc satiantur, & lætantur, delectatio autem perfecta impedit omnem tristitiam.

Quomodo satiantur beati.

Ob. 2. Essentia diuina non potest eas pœnas repræsentare: ergo. Anteced. prob. Quia est entitas indeterminata. Ergo non potest repræsentare obiecta determinata.

Essentia diuina actiuè tantum est indeterminata.

314 Resp. neg. anteced. ad probat. dist. antec. Est indeterminata passiuè, & potentialiter, sicut materia, seu aliud subiectum ad plures formas, nego. actiuè, & per modum agentis illimitati, concedo: quia revera essentia diuina non est ratio determinata ad producendum, siue inesse reali, siue esse cognito vnum tantum, sed indeterminata ad innumera, imò ad infinita. Hoc autem non impedit, quin possit esse beatis ratio cognoscendi pœnas damnatorum: sic enim neque esse posset ratio cognoscendi alia; quia de omnibus est eadem ratio. Adde, quod si argumentum hoc valeret, concluderet, neque Deum posse cognoscere in se omnia obiecta creata.

Ob. 3. Pœna in Deo non habet idæam: quia pœna est quoddam malum; malum autem formaliter acceptum non habet in Deo idæam, quia est negatio.

Pœnæ positiuæ in Deo habent idęá propriam, negatiuę per habitum oppositum.

315 Resp. facillimè ex Scoto ibi, dist. anteced. pœna sensus, nego. pœna damni, concedo. ad probationem dico, pœnam esse malum positiuum, vel negatiuum, pœna sensus est malum positiuum: quia est passiuus cruciatus, & tristitia: pœna verò damni est quid negatiuum, & vt tale non est per se cognoscibile, sed per habitum; quod quidem omni negationi est commune.

# DISPVTATIO X X.

## DE FRVITIONE,

## ET

## PRINCIPIIS ILLIVS.

### ARTICVLVS I.

*Quid sit fruitio, & an actus voluntatis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. sent. distinct. 1. quæst 3. §. Quod tantum*, docet, quod, *frui, est amore inhærere alicui propter se*. & esse actum elicitum voluntatis.

Multa discutienda.

1 Adu. 1. Quod priusquam ad hanc secundam, & principalem partem beatitudinis descendamus, multa sunt inquirenda. Et omnium primò quid fruitionis nomine intelligamus, & quod sit eius significatum, cuius potentiæ actus, &c.

Fruitionis significata.

2 Adu. 2. Vocabulum hoc *frucr*, tam apud sacros, quam apud prophanos historicos idem importare, ac potiri, seu voluptatem capere de aliqua re, & idem est, ac fructum capere, *Gen. 38. Vt fruaris contubitu meo. Ecclesiastes 2. Affluam delicijs, & fruar bonis. ibid. v. 10. Omni voluptate fruebatur. cap. 7. In die bona fruere bonis, &c.* Hoc autem non sic intelligendum est, vt fruitionis actus consistat in illa delectatione, & voluptate, quæ ex aliquo obiecto præsente insurgit, hæc enim est passio non actio; sed consistit fruitio in amore alicuius obiecti

per

per se, ad quem consequitur delectatio; ita *August.* innumeris in locis infra adducendis. Et quamuis sumatur interdum pro delectatione, interdum pro actu amandi; verius tamen sumitur pro vtroque, amore, scilicet cum delectatione.

Frui significat amore propter se & delectationem,

3 Dico ergo 1. Licet frui aliquando significet delectationem; tamen magis proprium significatum eius est actus amandi obiectum propter se. Est *Scoti in 1. dist. 1. quæst 3. B. C. &c.*

4 Prob. 1. pars, ex locis scripturæ allatis. Secundo, ex eadem scriptura *Eccles. 5. 17. Vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo*: & paulo post, *& fruatur parte sua, & lætetur de labore suo. Sapient. 17. Venite ergo, & fruamur bonis, & vtamur creatura. ad Rom. 15. 24 Si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Interlin. ait de fructu vestro lætatus. & in *epist. ad Philemonem* 20. ait, *ita frater ego te fruar in Domino.* Glossa Ordinar. ait, id est gaudebo de te in regno Dei, si feceris quod rogo.

Frui pro delecta.

5 Conf. ex *August. lib. 1. de Trin. cap. 10.* in fine, *hoc est enim plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Trinitate*: ergo. Licet, vt docet *Scotus* authoritas ista intelligi possit causaliter, quod nempe frui est causa gaudij, seu delectationis.

6 Prob. 2. pars, ex 1. *ad Timoth. 6. 17.* vbi præcipit non esse sperandum in diuitijs, *sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Glossa Ordinar. ait. Temporalia enim in hac vita dat ad vtendum, æterna ad fruendum, illa vnde bona faciamus: illa, vnde boni efficiamur. Ergo cum vti importet amare in ordine ad aliud, frui non importat voluptatem, seu delectationem, quia per hanc non efficimur boni, sed actum aliquem quo tales efficimur.

Frui pro amore propter se.

7 Prob. 2. ex S. *August. lib. 1. de doctr. Christiana cap. 3.* Frui est dilectio finis vltimi, & *cap. 4.* frui est amore inhærere alicui propter seipsum, vti vero est referre ad id, quod amandum est. Idem repetit in *lib. 10. de Trinit. cap. 11.* vbi addit, *frui est vti cum gaudio non spei, sed rei.* Ergo fruitio non importat solam delectationem, sed actum.

S. August. clare.

8 Conf. ex eodem *lib. 83. qq. quæst. 30. Omnis itaque humana peruersio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis vti velle, atque vtendis frui.* Sed peruersio non consistit in delectatione; sed in actu, & tunc delectatio est mala, quando actus est malus.

Idem, ibi.

9 Prob. 3. ex dicendis in sequenti conclusione, quæ vt patebit, sunt ad idem.

10 Prob. tandem. Voluntas actu elicito amat Deum. Vel ergo fruitur, vel vtitur per illum actum: non secundum; quia non amat Deum propter aliud. Ergo primum. Igitur frui est actus non passio.

Frui est amare, cum delectatione.

11 Dico 2. Fruitio est actus voluntatis cum delectatione consequente. Est *Scoti ibid.*

12 Prob. 1. Frui ex modo dictis est amore inhærere alicui propter se: ergo. Quod autem sit cum delectatione; experientia constat, quod in omni amore obiecti propter se, adest delectatio.

Aug. sæpè.

13 Prob 2. ex eodem *August. lib. 10. de Trinit. cap. 10. B. Voluntas autem adest per quam fruamur eis, vel vtamur. Fruimur enim cognitis, in quibus voluntas ipsis propter se ipsa delectata conquieuit. Vtimur verò eis, quæ ad illud referimus, quòd fruendum est. Nec est alia vita hominum culpabilis, quam malè vteni, & malè fruens.*

14 Conf. ex eodem *lib de fide, & symbolo cap. 9. Frui Dei sapientia, est ei dilectione inhærere.* in *lib. 1. de Doctr. Christiana, cap. 3. Frui est dilectio finis vltimi, vti verò est eorum, quæ sunt ad finem, in quantum talia.*

15 Conf. ex eodem *lib. 8. de Ciuit. cap 9. Quisquis fruitur, quod amat, verumque & bonum summum amat*, item ibidem. *Fruitur omnis beatus eo, quod amat, quamuis tuam miseri fruantur eo, quod malè amant.*

16 Conf. 3. ex eodem *lib. 83 qq. qu. 30. Fruimur ea re, de qua capimur voluptate, vtimur ea, quam referimus ad idem, vnde volup. as capienda est.*

Hieron.

17 Prob. 3. ex S. *Hieron. in ep. ad Philemonem, ita frater ego te fruar in Domino*, vbi sic habet. Apostolus non fruitur, nisi eo qui multas in se habet concinnentesque virtutes, & totum quod Christi dicitur pro varietate causarum, sapientiam videlicet, iustitiam, continentiam, &c. has imprecatur Philemoni, vt cum his abundauerit ipse eo perfruens impleatur. Ergo frui significat (per Hieronymum,) amorem cum delectatione. Subdit enim, & nè putes illam fruitionem dici, qua nos sæpè nostri inter nos præsentia delectamur, addidit in Domino, vt ex eo, quod Domini nomen adiunctum est, intelligeretur & alia esse fruitio, qua quis absque Domino perfruatur. Igitur optat, seu vult cum delectatione eas virtutes Philemoni.

Theodor.

18 Prob 4. ex *Theodoreto* in hunc locum Pauli *ad Philem.* dicente illud fruar in Domino, pro eo, quod est, fruar omnibus tuis bonis in Christo actionibus, videam te locupletem in omnibus bonis spiritualibus. Igitur significat actum volendi cum gaudio aliquod bonum.

Arg contr.

Ob contra 1. Fructus à fruitione dicitur. Ergo consistit in delectatione; sicut enim fructus est vltimum, quod habetur ex arbore, ita delectatio est quid sequens actum: ergo.

19 Resp. 1. Ex hoc argumento sequi oppositum, si enim fructus est quid sequens fruitionem, fruitio non consistit in delectatione, sed in actu, qui est causa eius.

Arg. de frustra non offic.

20 Resp. 2. ex *Scoto, vbi supra in solut. argum.* quod, sicut fructus est vltimum, quod expectatur ex arbore, non vt corpo-

ra-

raliter possidendum, sed actu potentiæ gustandum, quam gustationem sequitur delectatio; ita frui non est delectari, sed actus ille, quem nos expectamus, per quem cum obiecto coniungemur, ad quem actum sequetur delectatio.

Ob. 2. Fructus Spiritus Sancti, quos enumerat Apostolus ad *Gal.* 5. sunt passiones sequentes actus. Sunt enim Gaudium, Pax, &c. Ergo, cum frui consistat in possessione fructus, in passione, nempe delectatione consistit.

Fructus Spiritus Sancti, quos Paulus numerat nó omnes sunt passiones,

21 Resp. 1. neg. anteced. Non enim omnia, quæ enumerat ibi Apostolus sunt passiones, sed multa eorum sunt actus, ait enim charitas, gaudium, pax, patientia, mansuetudo, castitas, &c. vsque ad duodecim. Sed vt patet charitas est actus dilectionis; patientia, actus sufferentiæ, & ita de multis. & parum refert, quod aliqui ex illis fructibus sint passiones.

22 Resp. 2. Cum *Scoto, vbi supra in solut. argum.* neg. consequ. si enim fructus sunt passiones, frui non est passio, sed actus, ad quem sequitur passio illa, quæ est fructus.

Dices. Per fructum quis fruitur, ergo fruitio est fructus.

Quomodo quis per fructum fruitur

23 Resp. ex *Scoto ibid.* per fructum tanquam per rationem formalem, nego, vt sensus sit fructu fruitur, sicut ignis calore calefacit. Sed per fructum, tamquam obiectum, admitti potest quod quis fructu fruitur, sed ex hoc deducitur, quod fruitio sit actus; fructus verò, vel fruitionis obiectum, vel quid eam comitans.

Ob. 3. Fruitio est merces, & vltimatum præmium creaturæ. Sed vltimum, quod habetur est delectatio, seu passio ergo. Maior prob. Nam vltimum, quod ex arbore expectatur est fructus. Secundo, quia S. Ignatius Martyr ardore patiendi vehementer incensus, non curans corporis totius contritionem, membrorum discerptionem, dicebat *tantum, vt Christo fruar*, & *Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 10. Hoc est plenum nostrum gaudium frui Trinitate*. Minor prob. Experientia de omni possessione obiecti amati; ex qua insurgit delectatio.

Merces est quid vltimú per modum operationis,

24 Resp. dist. mai. vltimum, per modum operationis, concedo. per modum passionis, nego. Tum ad min. delectatio, est vltimum, vt passio, non vt actus, seu operatio. & nego consequ. Sicut enim diffusè dictum est *in disp. 16. art. 5 & 8.* principalis fons beatitudinis consistit in actu, quo voluntas ex charitate consummata amat Deum propter se, tamquam finem vltimum ad alium non referibilem, ex quo quidem amore consequitur maxima delectatio. Hæc enim ex Phylosopho *Ethic. 10. cap 4.* consequitur ad operationem.

Ob. 4. Fruitio consistit in ea re, quæ constituit beatitudinem. Sed delectatio, seu lætitia, ac gaudium est eiusmodi. Maior est Scoti docentis, beatitudinem consistere in fruitione. Minor prob. ex *Aug. lib. 10. Confess. cap. 22. & 23. Beata vita est gaudium de Deo, & gaudium de veritate.* Hinc Saluator sæpè inuitat iustos, dicens, *intra in gaudium Domini tui, Matth. 25.* & toties in scriptura nomine solius gaudij explicatur, *Psal. 10. Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo, &c.*

Lætitia est beatitudinis consequentia.

25 Resp. sicut dixi in *elt. disp. ar. 8* dist. min. Gaudium, & lætitia est eiusmodi consecutiuè, concedo. formaliter, nego. ad omnia loca, quæ explicant beatitudinem titulo gaudij, sæpè responsum est, per illud declarari, tamquam magis notum, magisque hominem delectans: & re quidem vera gaudium perfectissimum est beatitudo; sed eius essentia non consistit in gaudio, sed in operatione ad quam sequitur gaudium; vnde *August. lib. 14. de Ciuitate cap. 9 F.* ait. *Potest ergo dici perfectam beatitudinem sine stimulo timoris, & sine vlla tristitia futuram, non ibi autem futurum amorem, gaudiumque quis dixerit, nisi omni modo à veritate seclusus.* Igitur beatitudo amorem, & gaudium includit, non autem gaudium solummodo.

Quare per lætitiam declaratur beatitudo.

Ob. contra 2. Ne dum anima, sed etiam corpus potest frui. Ergo non est actus voluntatis. Anteced. prob. Omnes potentiæ appetitiuæ cum obiecta concupita possident, exultant, ac lætantur. Imò eis maximè videtur competere fruitio, quia propter se adhærent obiectis concupitis.

Arg. contr. 2

26 Resp. dist. anteced. Corpus fruitur propriè, nego. abusiuè, concedo. ad probat. Respondetur ex *Scoto in 1. sent. d. 1. quæst. 5. §. Ad quæstionem*, sensitiuas potentias, negatiuè tantum amare propter se, quatenus scilicet neque referunt ad aliud, neque possunt referre. Imò subdit *Scotus*, quod appetitus sensitiuus propriè non inhæret obiecto, quia ad illud non se applicat, quia ex *Damasc. lib. 2. fidei ortbod. c. 4.* sensus non ducit, sed ducitur.

Corporeæ potentiæ negatiue amãt propter se sua obiecta.

Ob. 2. ex *August. lib. 83. qq. quæst. 30.* dicente: *Frui qualibet corporali voluptate, non absurdè æstimantur, & bestia:* ergo.

27 Resp. sicut in præced. Eum loqui de abusiua, & impropria fruitione, cum ipsemet, vt pluribus visum est, doceat quod frui est amore alicui inhærere propter se. E contra verò vti est amare propter aliud. Cum ergo bestiæ hanc referentiam non habeant, verè, & propriè frui non possunt.

Bestiæ abusiue fruuntur.

28 Ex his ergo, & ijs, quæ dicta sunt in *disput. 16.* ferè per totam, sed præcipuè *ar. 5.* colligitur, fruitionem esse actum illum, quo voluntas amat aliquid propter se, quo habito, gaudet, seu lætatur, ac delectatur.

ARTI-

## ARTICVLVS II.

### *Cui competat frui?*

Scoti mens.

SCOTVS *in* 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 5. per plures quæstiunculas, docet, actum fruendi conuenire propriè, & in rigore agenti intellectuali, siue creato, siue increato. Brutis verò, vel appetitui sensitiuo, nequaquam.

Sensus art. de Deo de beatis, de viatore, & de brutis etiam,

29 Adu. quæsiti sensum clarum esse. Cuinam scilicet subiecto competat frui; num Deo, Angelis, & hominibus; an etiam bestijs. Item, an viatori, siue homini, siue Angelo, siue peccatori, siue iusto.

Fruitionis ordinatæ, & inordinatæ obiectum.

30 Adu. 2. ex *August. lib.* 83. *qq. qu.* 30 fruitionem ordinatam esse amorem obiecti propter se amabilis, id est summi boni; vel etiam alterius in summo, vt dicetur de obiecto fruitionis. Inordinata verò fruitio est actus quo propter se amatur obiectum aliquod amabile propter aliud. Regula autem vniuersalis discernendi fruitionem ordinatam ab inordinata, est quando amor tendit in obiectum creatum sistendo in illud, tunc est inordinata; quia creaturæ omnes sunt obiectum vsus, non fruitionis. his præmissis

Deo competit frui.

31 Dico 1. Deo competit frui. Est communis sine controuersia.

32 Prob. 1. Deus amat se propter se: ergo fruitur. Anteced. est de fide, tam quòd ad amorem, quia cum habeat voluntatem, nec possit se odio habere, amat se; quam quoad referibilitatem; quia non potest se ad aliud referre; alioquin peccaret, cum ipse sit vltimus finis omnium. Consequ. prob. Frui enim ex *August. lib.* 1. *de doctr. Christiana cap.* 4. est amore inhærere alicui propter se.

A priori rationes.

33 Prob. 2. Deus est perfectissimè Beatus in se ipso ex *August. lib.* 13. *confess. c.* 3. & ipsemet, ex eodem, est sua beatitudo: ergo. Consequ. prob. ex eodem *Augustin. lib.* 8. *de Ciuit. cap.* 9. Beatus est, qui fruitur eo, quod amat.

A pari.

34 Prob. 3. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed Deus ob suam infinitam perfectionem est causa, vt eo viso, etiam nos fruamur. Ergo multò magis ipse fruitur se ipso.

35 Conf. Siue dicatur, quod fruitio sit amor, siue quod sit delectatio, Deus fruitur; amat enim se infinito amore, vt decet infinitam essentiam amari, *& delectationis in dextera eius, vsque in finem*, inquit Dauid *Psal.* 15.

Omni agenti rationali competit frui.

36 Dico 2. Cuilibet agenti rationali, siue Angelo, siue homini conuenit frui. Est *Scoti, vbi supra*, & communis.

37 Prob. 1. Quilibet horum potest amare aliquid propter se: ergo. Anteced. experientia probatur; quia, siue ordinatè, siue inordinatè, tam Angeli, quam homines id exequuntur. Angeli enim boni Deum amant propter se. Homines autem aliquando Deum amant propter se, aliquando creaturas, in Patria autem semper Deum propter se: ergo.

August.

38 Prob. 2. ex *August. lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 5. 6. *&* 32. summa merces nostra est, vt Deo perfruamur: ergo. Secundo, fruitio facit Beatos ex eodem *lib. cap.* 3. ergo cum Angeli, & homines sint beati, conuenit eis frui.

39 Prob. 3. à priori. Fruitur voluntas, quando aliquibus cognitis propter se ipsa delectata conquiescit, ex *August. lib.* 10. *de Trinit. cap.* 10. sed Angeli, & homines possunt sic tendere in obiecta: ergo.

Ex constit. Bened. XII.

40 Prob. 4. ex *constit.* 4. *Benedicti XII. Benedictus*, vbi definitur iustos decedentes ex hac vita absque reatu alicuius pœnæ, vel purgatas ab illo mox recipi in cælum, & quod tales vident diuinam essentiam nudè, vt est; & additur. *Quodque sic videntes, eadem diuina essentia perfruuntur*: & de decessuris, subdit, *eamdem diuinam videbunt essentiam, ipsaque perfruentur*: ergo.

Viatoribus etiam competit frui.

41 Dico 3. Ne dum Beati, sed etiam viatores frui possunt Deo. Est communis cum *Scoto ibidem §. Quaro, & in* 4. *sentent. dist.* 49. *quæst.* 2. *§. Secunda conclusio.*

A priori arg.

42 Prob. ex eadem definitione. Viatores possunt inhærere amore Deo propter se: ergo. Anteced. prob. Nam de tali amore datur præceptum *Deuter.* 6. *& Matt.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, &c.* Secundo, quia ex *August. lib.* 83. *qq. quæst.* 30. *Omnis humana peruersitas, quod etiam vitium vocatur, est vti fruendis, & frui vtendis.* Igitur in via homo ordinatè fruitur, & inordinatè: primo modo, quando fruitur fruendis, id est obiectum amat propter se amabile; secundo autem modo, quando amat propter se obiectum amabile propter aliud.

Eadem charitate amatur, Deus in via, & in Patria.

43 Prob. 2. Eodem habitu charitatis, quo viator diligit Deum propter se in via, ordinando ad eum creaturas, diligit etiam ipsum Deum in Patria; charitas enim non euacuabitur, ex 1. *ad Cor.* 13. sed in Patria fruitur. Ergo etiam in via.

A pari de fruitione proximi.

44 Prob. 3. Homo viator potest frui etiam se, & proximo propter Deum, ex *August. lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 10. & *lib.* 22. *contra Faustam cap.* 78. nec non *lib.* 9. *de Trinit. cap.* 8. vnde Apostolus *ad Philemonem*, ait, *ego te fruar in Domino*. Ergo multò magis frui possumus Deo. Qui enim amat proximum propter Deum multò magis amat Deum.

45 Prob. 4. Frui est diligere finem vltimum, ex *August. lib.* 1. *de doctr. Christ.* sed viator diligere potest vltimum finem: ergo.

46 Prob. 5. Tunc aliquis fruitur, de re ali-

aliqua, quando eius capitur voluptate, tunc verò vtitur quando refert ad id, vnde voluptas capienda est, ex *Aug. lib.* 83. *qq. quæst.*30. sed viator Dei voluptate capitur, & refert creata ad Deum à quo capit voluptatem. Ergo fruitur Deo.

Peccatores etiam fruuntur inordinatè,

47 Dico 4. Etiam peccatores fruuntur in mundo, sed inordinatè. Est *Scoti ibid §. Quaritur tertio.*

48 Prob. ex sæpè cit. *Augustin.* hæc est maxima peruersitas humana, frui vtendis, & vti fruendis. Ergo homo potest malè vti, & frui.

49 Prob. 2. In hoc consistit omne peccatum mortale, quod homo ponat in creatura rationem vltimi finis; amando creaturam propter se. Ergo inordinatè fruitur. Frui enim est amore alicui inhærere propter se.

A priori multa argum.

50 Conf. ex *Augustin. lib.*1. *de doctrina Christiana cap.*22. homo non fruitur se, vel alia creatura, quia se, & omnia in Deum debet referre. Ergo immediatè potest se frui, & alijs creaturis.

51 Prob. 3. ex *Gen.* 38. vbi habetur, *vt fruaris concubitu meo. Prou.* 7. *Fruamur cupitis amplexibus.* Ergo datur hæc species fruitionis etiam in peccatore.

52 Conf. Angeli mali ex nimio sui amore sibi optauerunt æqualitatem Dei. Ergo se ipsis fruiti sunt.

Bruta impropriè fruuntur.

53 Dico vlt. Bruta impropriè tantum frui possunt: propriè verò, nequaquam. Est *Scoti ibid. §. Quaritur quarto.*

54 Prob. 1. pars, ex *Augustin. lib.*83. *qq. quæst.*30. Frui qualibet corporali voluptate non absurdè æstimantur, & bestiæ: ergo.

55 Conf. Bestiæ amant, seu appetunt sensibilia obiecta, & ijs delectantur; imò maximo cum labore ab eis retrahuntur. Ergo saltem impropriè fruuntur.

Exempla de sensitiua fruitione.

56 Conf. 2. Appetitus sensitiuus hominis vehementer appetit suum obiectum, eoque acquisito gaudet, ac delectatur, vt nuper apparuit, ex *Gen.*38. *Vt fruaris concubitu meo, & Prou.*7. *Fruamur cupitis amplexibus. Ecclesiastici* 2. *Omni voluptate frueretur*, quæ quidem ad partem sensitiuam spectant. In his autem communicamus cum bestijs. Ergo etiam ipsæ suo modo, quamuis impropriè, fruuntur.

Non propriè & quare,

57 Prob. 2. pars. Frui propriè est diligere, seu amare propter se. Bestiæ autem hanc referentiam habere nequeunt.

58 Conf. & redit in idem. Frui ex *Augustino* supra allato est finis dilectio in quantum talis, vti autem est mediorum in quantum talia, ex *lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 3. Bruta autem non discernunt finem, aut media, sed ex instinctu ducuntur in obiecta, quæ appetunt. Ergo verè, & propriè non fruuntur.

Quid exigit verè frui.

59 Conf. ex eodem *lib. cit. cap.*39. *Cum adest, quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat, per quam si transierit, tamque ad illud, vbi permanendum est retuleris, vteris ea, & abusiuè, & non propriè frueris; si verò inhæseris, atque permanseris, finem in eo ponens lætitiæ tuæ; tunc verè & propriè dicendus es frui.* Ergo cum bruta id non habeant non fruuntur.

Ob. contra 1. Deus numquam fuit in spe alicuius obiecti appetibilis. Ergo propriè non fruitur. Consequ. prob. Fruitio enim succedit spei.

Arg. contr. 1

60 Resp. neg. consequ. ad probat. anteced. non est necessarium; licet enim in nobis, qui spem vitæ æternæ habemus, verum sit, quod spei succedit fruitio; non tamen, est de necessitate fruitionis, vt fruens careat prius bono concupito. Si enim quis ab instanti primo suæ conceptionis Deum videret, vt Christi animæ accidit, vel saltem ab eodem instanti primo quis haberet perfectum vsum rationis, & reuelationem de Dei existentia, posset eo frui, vel per modum comprehensoris, vt Christus; vel per modum viatoris, vt de bonis Angelis defenditur, qui Deum propter se dilexerunt.

Fruitio succedit spei in nobis.

Ob. 2. Deus non habet obiectum à se distinctum, quo fruatur; ergo. Consequ. patet; quia actus fruendi nequit esse idem cum fruitionis obiecto. Anteced. prob. Dei voluntas, ac volitio sunt idem realiter cum Dei essentia & essentia eadem nequit esse diligens, ac dilecta.

Obiectum fruitionis potest esse idē cum fruente

61 Resp. neg. consequ. Quilibet enim amare potest se ipsum. Ergo multo magis Deus. Non enim est necessaria distinctio semper inter amans, & amatum. Imo charitas ordinata ad Deum primo tendit, deinde ad ipsum amantem. Postea ad proximum: propterea dicitur *Matth.* 22. *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Igitur potest quis se diligere: & sic multò magis Deus potest se propter semetipsum amare.

Ob. 3. Deus non habet finem, ergo non fruitur. Consequentia prob. Quia fruitio est dilectio finis. Anteced. prob. Deus non intendit aliud præter se. Secundo, quia respectu eius est finis, respectu cuius est efficiens. Tertio, quia Deus non ordinat se ad se. Ergo non est finis sui.

Deus non respicit suā reduplicatiuè,

62 Resp. dist. anteced. Non habet finem sub reduplicatiua ratione finis, transeat. non habet illud bonum, quod est finis omnium, nego. & nego consequ. Ratio est, quia summum bonum non est obiectum beatitudinis sub ratione finis, sed sub ratione summi boni explentis omnem appetitum. Cum ergo Deus respectu sui sit summum bonum, licet non sit respectu sui finis, sed respectu aliorum, qui ad eum assequendum laborant, potest omnium maximè se ipso frui. si enim homo potest se, imo & proximo propter Deum frui, ex *Augustin. lib.*3. *de doctrina Christiana cap.* 10.

quan-

quantò magis se ipso Deus. Adde, quod *Prouerb. 16.* Deus dicitur, *propter se ipsum omnia operari*; & sic videtur propter finem agere; hoc ita intelligitur, vt scilicet suas perfectiones, & attributa exerceat, non verò vt aliquid non antea habitum adipiscatur. Ratio enim finis supponit respectum aliquem, & carentiam in operante propter finem. Et *Scotus in solut. argum.* ait, Deum esse finem effectus, non sui, quia ordinat non se, sed effectum ad se.

Quomodo Deus propter operatur?

Deus est finis effectus non sui.

63 Et per hoc ad 2. Deus enim operans est finis non sui, sed effectus. Vt autem fruatur, non est necessaria ratio finis reduplicatiuè. Sed bonum illud, ad quod omnia alia tamquam ad finem diriguntur. Imò tam viatores, quam Beati Deo fruuntur, absque cogitatione formalitatis finis, sed eo vt fine negatiuè, id est non amato propter aliud, & hoc sufficit, etiam si non aduertant, ad rationem illam *propter se*. Et per hoc pariter ad tertium, quia in fruente non est necessaria talis ordinatio.

Arg. contr. 3 de viatore.

Ob. contra 3. Viator non possidet Deum: ergo non potest frui. Consequ. prob. Fruitio, vel est actus, vel passio sequens possessionem boni concupiti. Quandiù autem non habetur, anxius est, non habens, illudque desiderat: ergo non fruitur.

64 Resp. neg. consequ. ad probat. dico, posse aliquem frui obiecto adhuc non habito. Ita *Scotus ibi §. Ad argum. secunda.* quia, nè dum aliquis potest habere actum desiderij, seu concupiscentiæ, ac spei respectu alicuius boni, sed etiam actum amicitiæ, quo amatur obiectum non vt alteri bonum, sed vt in se, & per se bonum. Cum ergo frui per Augustinum, sit amore inhærere alicui propter se, & Deum sic amet viator, debet dici frui; & hic propriè est actus charitatis; primus actus est actus spei. Verum quidem est quod perfectior sit fruitio, & magis propria cum obiectum actu, & clarè cognitum immobiliter possidetur, quam dum obscurè, & per fidem tantum, ac inhabitantem gratiam; sed negari nequit, quod hic actus charitatis, quo Deus diligitur in via sit fruitio.

Quare viator fruitur.

Dices, absente obiecto, non sequitur delectatio; ergo non habetur fruitio. Nequit enim esse sine delectatione fruitio.

65 Resp. neg. ant. Potest enim fieri, vt amans sit securus de obiecto, imò illud possideat in absentia, eoque absente fruatur, vt qui thesaurum absentem possidet, vxorem, liberos, amicos, quibus cogitatis delectatur. Ita viator Deum per gratiam possidens; imò etiam peccator per solam fidem potest illum diligere; & de eius dilectione etiam delectari. Quod quidem viatoribus iustis sæpissimè accidere, compertum est.

Absentia obiecti non impedit fruitionem, si possideatur.

Dices 2. Est valde impropria hæc absentium obiectorum fruitio: ergo. Anteced. prob. Fruitio, vel est actus, vel delectatio, vel vtrumque. si autem actus, non est spei, sed possessionis.

66 Resp. neg. anteced. ad probat. dico, esse actum cum delectatione, & non spei, sed charitatis. Ita *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 2. §. Secunda conclusio*, & assignat rationem; quia etsi Deus non sit habitus ab amante viatore, & ideo possit desiderari, vt habendus: Tamen talis viator non desiderat aliquod bonum habendum à Deo, quod non habet, sed complacet sibi infinita bonitas eius, cui vult, & complacet ei inesse omne bonum; & sic fuitur fruendis. Alioquin vana esset Augustini doctrina, quod peruersitas sit vti fruendis, si quis non possit Deo frui, sicut potest vti creatura.

Quomodo viator fruitur.

Ob. 2. Si viator fueretur, esset beatus, quod est falsum. Sequela probatur, haberet actum illum in quo per Scotum consistit beatitudo, & circa idem obiectum, & ex eiusdem charitatis influxu. Ergo nihil deficeret.

67 Resp. ex *Scoto in locis cit. distinct. 49.* neg. sequelam; non enim quælibet fruitio Dei est beatitudo, sed Dei clarè visi, & inamissibiliter, seu immobiliter possessi. Hac autem caret viator. An autem eiusmodi fruitiones specie differant, Scotus dupliciter respondet, primò negatiuè, sed secundum magis, & minus, nam sub eadem specie stare potest gradualis latitudo. Secundo respondet esse probabilius, quod specie differant, se ipsis quidem formaliter, sed à causis, vel earum habitudine causaliter; nam, inquit, intellectio viatoris, & visio beata differunt specie: ergo effectus earum: tales autem sunt illæ fruitiones sequentes ad eas cognitiones. Vel enim dicitur, ait Scotus quod intellectio sit causa volitionis, vel conditio sine qua non: vtroque modo sequitur diuersitas in effectu. Imò, sicut volitiones sunt diuersæ speciei per hoc, quod tendunt ad obiecta diuersa specie; multò magis, si tendunt ad obiectum idem, diuerso modo cognitum, nempe clarè, ac euidenter, & obscurè. Sed hoc ad rem nostram parum refert: sit ergo firmum, quod viator potest frui Deo, amando illum non amore concupiscentiæ, vt sibi bonum; sed amore amicitiæ, vt in se, & propter se bonum.

Quare viatoris fruitio non est beatitudo.

Viatoris, & beati fruitio per quid differunt.

Arg. contr. 4

Ob. contra 4. Peccator non innititur alicui bono immobili. Igitur nullo modo potest frui. Anteced. prob. Quod enim amat peccator peccando, est bonum caducum, & defectibile. Consequ. prob. Obiectum fruitionis debet esse bonum firmum, quod terminare possit referentiam aliorum, & in quo sistat amans.

68 Resp. dist. anteced. Non innititur bono immobili reali, ac vero, concedo. præstituto, & putato, nego. Hoc enim agit peccator peccando, præstituit enim sibi rationem aliquam boni, imò & finis vlti-

Ratio cur peccator fruitur.

mi, saltem negatiuè, in re, in qua talis ratio non est. Et ideo verum quidem est, quod talis fruitio non est dicenda simpliciter fruitio, sed secundum quid; tamen negari nequit, quod sit fruitio, quia tendit in obiectum propter se.

Dices. Peccator non quietatur in obiecto creato; quia hoc non est summum bonum. Ergo non fruitur; quia de ratione fruitionis est quietatio.

Peccator quietatur quantum est ex parte sua

67 Resp. dist. anteced. Non quietatur quantum est ex parte sua, nego. quia in eo actu sibi maximè complacet. Ex natura rei, concedo. Quia appetitus eius, tam deliberatiuus, quam naturalis, cum sit capax maioris, & summi boni, in illo caduco non quietatur. Ad probat. consequ. ait *Scotus in 4. loc. cit.* de ratione fruitionis non esse quietationem simpliciter, nisi sermo sit de vera, perfecta, ac simpliciter dicta fruitione. Non autem de fruitione secundum quid, quia ad hanc sufficit quietatio ex parte fruentis, vt scilicet eam apprehendat, vt sufficientem suo appetitui, & de alio non curet.

Ob. 2. Peccator vult Deum vti actu suo: ergo non potest frui. Qui enim vult aliquem vti suo actu, non fruitur, quia non appretiat illum actum, vt summum bonum. Anteced. prob. Peccator vult actum suum esse; igitur vult esse à Deo, non enim potest aliter esse. Deus autem vtitur omni re, quæ est ab eo.

Non implicat quod peccator velit actum suum esse à Deo,

70 Resp. neg. anteced. ad probat. inquit *Scotus*, quod non est necesse, vt qui vult antecedens, velit etiam, & consequens explicitè: vult ergo peccator actum suum esse & licet implicitè cum hac voluntate velit etiam, vt sit à Deo, & vt Deus vtatur illo, eo quod sit creatura: non tamen sequitur, quod debeat explicitè, vel reflexè, aut relatiuè hoc velle. Et ita neque sequitur, quod non appretiet actum suum, vt summum.

71 Resp. 2. neg. consequ. & probat. Quia non habet peccator hoc velle, vt scilicet Deus vtatur actu suo. Cum enim inordinatè amat creaturas contra Dei legem, in hoc errat, quia eas non ordinat ad Deū; non verò, quia explicitè refert Deum ad creaturam; sed quia eius voluntatem postponit creaturæ, suæ nempè concupiscentiæ, neque habet alium actum, aut reflexionem regulariter loquendo.

Ob. 3. Peccator inordinatè amans creaturam, & Dei legem transgrediens, non concipit creaturam sub ratione vltimi finis, neque ad eam refert Deum. Ergo in eo actu non fruitur. Consequ. prob. Eatenus Beatus Deo fruitur; imò & viator, quia diligit Deum per modum vltimi finis. Anteced. patet experientia, nam peccans non solum non existimat creaturam, vt finem vltimum (quia sic peccando semper committeret hæresim,) sed nec etiam cogitat rationem finis, seu irreferibile. Sed fruscibilem, vel concupiscibilem sequens, eius obiectis vnitur.

Fruitio non exigit, vt obiectum ametur reduplicatiue, vt finis, sed sufficit si negatiuè sit tale, vel materialiter.

72 Resp. nego consequ. ad probat. dico, ad fruendum non esse necessarium, vt fruens consideret obiectum per modum vltimi finis, sed sufficit si obiectum amatur propter se contra legem Dei. Quoties autem sic amatur, amatur tamquam vltimus finis, quia huic tantum competit propter se amari; & sic creatura amata contra Dei legem, negatiuè tantum, vel materialiter habet rationem vltimi finis, quia sic amatur, ac si esset vltimus finis.

Arg. contr. vlt.

Ob. contra vlt. Bruta propter se appetunt obiecta, ad quæ inclinantur, imò non possunt aliter appetere, nec aliter in eis complacere; non enim possunt ipsa ad aliud referre: ergo. Anteced. prob. Nam ex 1. *Ethicor. cap.* 10. Omnia appetunt bonum naturali amore, & non propter aliud: ergo.

73 Resp. distin. Appetunt, & complacent actu amandi, nego. actu sensitiuo concupiscendi, concedo.

Bruta negatiuè amant res propter se non referendo.

Responderur 2. Appetunt, & complacent propter se, negatiuè, concedo. positiuè, nego. Eatenus enim bruta appetunt, & complacent propter se, quia non referunt ad aliud, neque possunt referre, nec alio modo possunt tendere in sua obiecta. Hoc autem non sufficit ad propriam, & veram fruitionem, sed requiritur, vt sit dilectio, & talis, vt per eam obiectum amari possit cum referentia, vel aliorum ad illud, vel illius ad alia, si sit inordinata. Ad illud verò de amore naturali omnium entium respectu boni, dico, non esse amorem elicitum à voluntate, sed vel sensitiuum, vel inclinationem naturalem ad aliquem terminum.

## ARTICVLVS III.

### *An Beati de facto fruantur.*

Scoti mens,

SCOTVS 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 2. 3. & 4. *in dist.* 17. *quæst.* 2. *in* 3. *dist.* 14. *qu.* 2. *in* 4 *dist.* 49. *quæst.* 1. 2. 3. & 4. docet, Beatos de facto frui Trinitate; imò in *quæst.* 5. docet in actu fruitionis consistere beatitudinem principaliter.

Quæsitum alias solutū.

74 Adu. quæsitum hoc facile esse suppositis ijs, quæ diximus de Beatitudine formali in *disp.* 16. ibi enim in *artic.* 3. & 4. diximus consistere in duplici actu, intellectus scilicet, ac voluntatis. In quinto diximus consistere principalius in actu voluntatis, qui dicitur fruitio. In octauo, delectationem sequentem ad fruitionem comitari eam, non tamen esse de eius essentia.

75 Adu. 2. Nullam de hoc puncto esse con-

Excusatio Authoris.

controuersiam; Omnes enim concedunt, Beatos frui; sed controuertunt solum, si fruitio sit pars principalior beatitudinis: & si sit passio, nempe gaudium, ac delectatio. Sed propter ordinem dicendorum interserendus fuit hic articulus.

Beati de facto fruuntur.

76 Dico ergo. Beati videntes Deum fruuntur. Est de fide.

77 Prob. 1. ex *Psal.* 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Interlin. quæ citatur pro *Augustin.* ait, *de futuris bonis intelligi*. Ordin. Verbo, *Inebriab.* ait, *non potest res exprimi, sed per hoc, &c. & tunc in re ebrij, qui modo sperant*. Ver. *Torrente*, ait, *impetus erit gratiæ, & misericordiæ ad inebriandum*. *Psal.* 15. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem*. *Psal.* 86. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Glossa Ordinar. quæ est *Augusti.* ait, talis erit lætitia, qualem hic non nouimus. *Psal.* 149. *Exultabunt Sancti in gloria lætabuntur in cubilibus suis*. Glossa Ordinar. ait, *in cubilibus* in diuersis mansionibus est gloria Sanctorum, de quibus Dominus, in domo Patris mei mansiones multæ sunt: ergo.

Scrip. loca.

Vet. test.

78 Prob. 2. ex *Isa.* 35. 10. *Lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus*. Interlin. ait. Cum venerit in cœlestem gloriam, vel Ierusalem, succedente gaudio, nunc in spe, tunc in re. Ex eodem *cap.* 65. 18. *Gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo; quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium*: ergo.

Euangel.

79 Prob. 3. ex *Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui*. *Ioann.* 16. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis*. *Rom.* 14. *Non est regnum Dei esca, & potus, sed pax, & gaudium in Spiritu Sancto*.

80 Ex quibus omnibus colligitur à posteriori, Beatos frui; gaudium enim, seu delectatio, consequitur fruitionem, ex 10. *Ethic. cap.* 4. Pro ijs autem, qui tenent fruitionem non consistere in actu, sed in delectatione, hæc argumenta probant à priori.

A priori ratio.

81 Prob. 4. à priori, ex *S. Augusti. lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 4. & *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 11. Frui est amore inhærere alicui propter se. & *cit. lib. de doctrina Christiana cap.* 3. fruitio facit beatos: ergo. Hoc enim modo Beati Deum amant.

Augusti.

82 Prob. 3. ex eodem *Augusti. lib.* 1. *de doctrina Christiana cap.* 6. & *cap.* 32. *Fruitio Dei est summa merces*. & *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 8. *Frui Trinitate est plenum gaudium nostrum*.

Ex constit. Bened. XII.

83 Prob. 5. ex *constitut.* 4. *Benedicti*. *Benedicti XII.* in qua definitur, Beatos Deum videre ante diem iudicij, & de fruitione sic loquitur Papa, *Quodque sic videntes, eadem diuina essentia perfruuntur*, & post, *eandem diuinam videbunt essentiam, eaque perfruuntur*.

Arg. aliis allata ad rem, quæ.

84 Prob. tandem omnibus argumentis allatis in *disput.* 14. *art.* 12. in quo gaudia, & felicitates beatitudinis compendiosè sunt explicatæ, & omnia redolent fruitionem, complacentiam, gaudium, exultationem, & delectationem. Igitur Beati verè, ac propriè fruuntur.

Reliqua ex articulo quinto colligantur; in eo enim de actuali fruitionis obiecto agemus.

## ARTICVLVS IV.

### *Quodnam sit veræ fruitionis obiectum.*

Scoti ment.

SCOTVS *in* 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 1. 2. 3. *&c. in dist* 16. *quæst.* 2. *in* 3. *d.* 14. *quæst.* 2. *in* 4. *dist.* 49. per totam, docet, obiectum veræ, & perfectæ, atque ordinatæ fruitionis esse Deum vnum in essentia, & trinum in personis; non quod Trinitas sit ratio per se requisita ad obiectum fruitionis; quia sola essentia sufficit; sed quia personæ sunt idem cum essentia.

Fruitio ordinata, & inordinata.

85 Adu. 1. ex *Scoto in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. quod, cum fruitio esse possit ordinata, & inordinata, obiectum illius non est aliquod specificè idem; sed est bonum præscindens à summo, seu per se amabili, & à bono secundum quid tali, siue præstituto, siue existimato, siue apparente. De vtroque obiter dicemus aliqua; sed de obiecto perfectæ, ac ordinatæ fruitionis diffusè loquemur.

Sensus art. de vltimo fine.

86 Adu. 2. Quod cum summum bonum sit etiam vltimus finis, quia est tale bonum, ad quod omnia bona ordinantur; oritur quæstio, an sit obiectum fruitionis sub ratione vltimi finis; ita quod nequeat quis frui, nisi tale bonum amet, vt terminum referentiæ omnium aliorum; an ratio hæc vltimi finis materialiter se habeat; & summum bonum quatenus tale sit fruitionis obiectum.

Bonū quod habet rationem vltimi finis est obiectum fruitionis, vt sic.

87 Dico 1. Obiectum fruitionis, vt sic, seu in communi præscindentis ab ordinata, & inordinata, est bonum, quod habet rationem vltimi finis, siue realis, & veri, siue apparentis, ac præstituti. Est *Scoti loca cit. in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. & *D. Th.* & *D. Bonau. ibidem*.

A priori ratio.

88 Prob. Certum est voluntatem creatam posse inordinatè frui creaturis amando eas propter se, vt docet *Augustinus lib.* 83. *qq. quæst.* 30. & *hæc est magna peruersitas, quæ vitium vocatur, nempe vti fruendis, & frui vtendis*. Tunc autem fruitur quis vtendis, quando ea amat, non ordinando ad alia, sed propter se. Hoc verò est amare, vt finem vltimum: ergo.

89 Prob. 2. Non potest concipi, quod ali-

A sufficienti arg.

aliquis fruatur, nisi quietetur: neque potest quietari, nisi in summo ente; si enim apprehendat dari ens perfectius eo, quod per amorem possidet: illud appetit, & non quiescit, si eo caret; & ideo inquietum est cor nostrum, donec ad Deum perueniat, quia fide apprehendimus esse bonum omnium summum. Bonum autem sic quietans apprehenditur, vel apparet, vel præstituitur, vt vltimum supra quod non detur maius. Ergo bonum, quod vt finis vltimus diligitur, est omnis fruitionis obiectum.

Ex Augusti.

90 Prob. 3. Frui ex *Augusti. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 4. Est amore inhærere alicui propter se.* Ergo, nisi obiectum propter se ametur, id est in eo fistendo, non habetur fruitio. Sic autem amari, est amari, vt vltimus finis.

Ex Augusti. De modo fruendi proximo.

91 Conf. ex eodem euidenter in *cit. lib. de doctrina Christiana cap. 33.* vbi inquirens qualiter hominibus fruendum sit: hæc habet aurea verba. *Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius, quam homine frueris. Illo enim frueris quo efficieris beatus, & ad eum te peruenisse lætaberis, in quo Spem ponis, vt venias. Inde ad Philemonem Paulus, ita frater, inquit, ego te fruar in Domino. Quod si non addidisset in Domino, & te fruar tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ: quamquam & vicissitudine dicitur frui cum delectatione vti. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat. Per quam si transieris eamque ad illud, vbi permanendum est retuleris, vteris ea, & abusiuè, non propriè diceris frui. Si verò inhæseris, atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc verè, & propriè frui dicendus es, quod non faciendum est, nisi in Trinitate id est summo bono.* Ergo obiectum fruitionis est vltimus finis.

A priori ratio.

92 Prob. 4. Rationibus Scoti contra Auicennam 9. *Metaph. cap. 4.* docentem bono inferiori ad vltimum finem posse intelligentias frui. Non potest potentia aliqua frui, nisi in obiecto quietetur. Sed in bono inferiori ad supremum non potest quietari. Nam si apprehendat aliquod obiectum non comprehendere omnia bona, sed dari aliquod bonum maius extra illud non quietatur in illo, sed anxia est, vt illud maius obtineat: ergo.

A sufficienti arg.

93 Conf. ex eodem. Videns, & diligens bonum aliquod sub summo, vel videt illud esse finitum; vel credit esse infinitum, vel præscindit; si credit esse infinitum, non fruitur, neque est beatus, quia ex *Augusti. lib. 11. de Ciu. c. 4.* nihil potest dici stultius, quam, quod falsa opinione anima sit beata. Si verò non videt, an sit finitum, an infinitum, non videt illud perfectè, quia non videt, vt est, & sic inquietus est. Si autem videt illud esse finitum; iam scit dari aliud maius illo, vel saltem posse dari, & potest illud appetere, & consequenter non quietari. Ergo à primo ad vltimum concluditur, obiectum fruitionis esse bonum per modum vltimi finis, seu summum, siue reale, ac verum; siue apparens, ac præstitutum.

Alia ratio non conuincit, nisi fideles.

94 Probari solet ab alijs, scilicet *S. Bonau.* sic. Anima fruitur quatenus est imago Trinitatis, & sic quantum esse potest particeps Dei. Ergo non potest quietari, nisi in summo. Antec. probant ex *Augusti. lib. 14. de Trin. c. 8.* Sed ait *Scotus* hæc ratio probat pro fidelibus, qui credunt, animam esse ad imaginem Trinitatis; non verò contra Philosophos id negantes.

Alia ratio non cogit, nisi pro eisdem:

95 Probari solet ab alijs scilicet pro *D. Th.* sic: Anima immediate creatur à Deo: ergo non potest satiari, nisi in eo, & sic frui non potest alio bono excepto summo. Sed hæc ratio, ait *Scotus*, probat pariter pro fidelibus, qui credunt animam à Deo creari, non vero contra Philosophos id negantes. Addit præterea, per accidens contingi in obiecto fruitionis rationem vltimi finis, & primi efficientis; si enim potest ratio primi efficientis separari à summo bono, illud adhuc esset obiectum fruitionis.

A pari de primo principio.

96 Prob. tandem conclusio. Sicut intellectus assentitur primo vero propter se, alijs autem propter illud; ita voluntas aliquod vult propter se, alia verò propter illud. Sed intellectus tunc quietatur, quando assentitur propter se. Ergo & voluntas quando diligit propter se. Sed quando hoc modo diligit, sub ratione vltimi finis diligit: ergo.

Non est necesse, vt ratio vltimi finis consideretur.

97 Dico 2. Licet vltimus finis realis, vel apparens sit obiectum omnis fruitionis; non tamen sub ratione vltimi finis. Est *Scoti ibidem sub B.*

98 Prob. 1. Obiectum fruitionis non est tale per respectum aliquem præsertim rationis, sed per rationem absolutam: ergo. Conseq. prob. Ratio vltimi finis in quouis obiecto, etiam Deo considerata est respectus rationis, non enim Deus ex capax respectus realis in ordine ad creaturas.

Argum. ad impossibile.

99 Prob. 2. Si per impossibile daretur præter Deum aliud obiectum summum, ad quod voluntas fruentis non ordinaretur, sicut ad finem; adhuc frueretur Deo, quatenus summo, & infinito bono.

100 Prob. 3. Quod Deus, qui est obiectum nostræ fruitionis, sit etiam vltimus finis, hoc se habet concomitanter. Si enim id non apprehenderetur sub hac ratione, sed solum quia est bonum infinitum, adhuc esset obiectum fruitionis.

101 Confir. Quod summum bonum v.g. consideretur etiam, seu apprehendatur, vt vltimus finis, præcedit actum fruitionis, quia voluntas fruens amat tale obiectum quatenus bonum summum. Et hoc in fruitione ordinata. In fruitione autem inordinata, vel comitanter, vel antecedenter fieri potest, vt apprehendatur bonum aliquod

quod delectabile, seu vtile, vt in se sistens, ac potens satiare appetitum. Quando autem voluntas, vel sensus eo fruitur, non fruitur sub ratione illa terminantis, vel sistentis, &c. sed sub ratione illa vtilitatis, ac delectationis. Igitur in omni fruitione ratio finis vltimi, siue realis, siue apprehensi non est ratio, seu motiuum formale fruitionis, sed quid comitans ipsum obiectum, & materialiter se habens ad illud.

A priori ratio,

Ratio finis comitanter se habet,

102 Confir. 2. experientia. Cum peccator fruitur inordinatè aliquo obiecto potest crapula, venere, &c. non existimat tale obiectum, vt finem vltimum, id est cum referentia omnium aliorum ad illud, sed apprehendit, vt quietatiuum sui appetitus, de nullo alio cogitans, immò in facto omnia alia postponens, & ita se habet, ac si Deum ad creaturam, & sui appetitus expletionem postponeret, sistendo in illa expletione, hoc autem est amare propter se, & esse comitanter finem vltimum præstitutum, vel apparentem. Idem dicito de viatore iusto fruente Deo, credit eum fide diuina esse summum bonum, & ideo ex charitate diligit, omne aliud excludens quod in eo continetur. & hoc est sistere in Deo propter se, & tamquam vltimo fine. Ex quibus clarè colligitur, rationem vltimi finis comitanter, vel materialiter se habere in obiecto fruitionis.

Declaratur huiusmodi sistendi in alio propter se.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Viator expectat fruitionem bonorum inuisibilium, ex *August. lib. 83. qq. q. 30.* ergo obiectum non est vltimus finis. Quia hic est vnus.

103 Resp. neg. consequ. quia bona inuisibilia, quibus primario fruendum est in Patria, sunt perfectiones plures quidem, sed realiter idem in Deo.

Ob. 2. In Sacra Scriptura leguntur multi actus fruendi, qui tamen non habent pro obiecto vltimum finem, & multæ ex ijs sunt fruitiones ordinatæ: ergo. Anteced prob. *Gen. 38. 16.* Thamar dicit ad Iudam, *quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? Deut. 28. 16.* inter multas imprecationes, & calamitates. Quas Deus prædicit Israeli, hæc est vna. *Filios generabis, & filias, & non fruereris eis. Prou 7. 18. Fruamur cupitis amplexibus. Eccles. 2. Affluam delicijs, & fruar bonis*, simile habetur in *cap. 5. & 7.* idem *Sapientiæ 2.* De ordinatis autem fruitionibus habentur exempla plura. *Rom. 15. 14. A vobis deduear illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero.* & *1. ad Tim. 6. 17. In Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* & *in epist. ad Philem. 20. Ego te fruar in Domino.* Ex quibus infertur, quod neque fruitio ordinata, neque inordinata exigit, vt habeat pro obiecto vltimum finem; nullum enim ex recensitis est vltimus finis.

Arg. de obiectis fruitionis, quæ nó sunt summa bona.

Omnes allatæ fruitiones habuerunt

104 Resp. neg. anteced. ad probat. dico, quod fruitiones adductæ inordinatæ habuerunt quidem pro obiecto aliquid creatum; sed quia hoc fuit propter se volitum habuit rationem vltimi finis, in hoc enim vt sæpè dixi stat ratio vltimi finis apparētis, aut præstituti, vt scilicet ametur propter se, quod non est sic amabile. Et ideo illæ fruitiones inordinatæ fuerunt peccaminosæ, quia in creatura sistebant. Ad alias verò ordinatas à Paulo Apostolo enumeratas, & ab eodem exercitas circa obiecta creata, dico cum *Augustino lib 1. de doctr. Christ. cap 33.* considerante locum illum Pauli ad Philemonem, quod fruitio est respectu vltimi finis, & etiam creaturarum in Domino, sic enim diligitur tunc creatura, ac si esset in Deo, vel cum Deo. Idem docet *August. lib. 3. de doctrina Christiana cap 10. & lib. 22. contra Faustum cap. 78. & lib. 7. de Trin. c. 8.* quod nempe potest homo frui nedum Deo, sed etiam se, & proximo propter Deum; & hinc est, quod eodem habitu Charitatis diligit se, & Deum, ac proximum propter Deum. Et sic patet, quod adhuc fruitio creaturæ terminatur etiam ad vltimum finem. Nam frui creatura propter se est peccatum, & hoc modo peccant homines, & peccauit ipsemet Adam, ex *August. lib. de vera Relig. cap. 37.*

pro obiecto finem vltimum, quia in eo sistebant.

Ex absurdo arg.

Ob. 2. Peccans non existimat creaturam vltimum finem, & tamen fruitur: ergo. Anteced. prob. Primo, quia sic omnis mortaliter peccans esset hæreticus. Secundo experientia, quia peccans non refert alia ad obiectum quod concupiscit; nec fingit in eo rationem irreferibilis ad aliud, sed prosequitur hoc obiectum sub ratione boni vtilis, vel delectabilis: ergo.

Referentia actualis non est necessaria pro obiecto fruitionis.

105 Resp. ex secunda conclusione neg. consequ. non enim est necessaria illa reflexio, vel referentia, aut fictio talis respectus in obiecto concupito; sed sufficit, si peccans aduertat actum suum esse contra Dei legem, & obiectum illud prohiberi, tunc autem prosequens illud contra tale dictamen ponit Dei voluntatem rei creatæ; & hoc est in facto, seu materialiter habere creaturam pro vltimo fine: si enim illi ponit verum vltimum finem, in ea ponit rationem vltimi, & sic facto, ac materialiter refert Deum ad creaturam. Et per hoc patet ad probationes; prima enim vera esset, si tale iudicium peccans exerceret. Secunda autem non officit; quia factum ipsum præferendi creaturam, seu suam voluptatem voluntati, seu legi Dei, ostendit creaturam interpretatiuè existimari vltimum finem.

Ob. 4. Illud obiectum potest habere fuitio, quod potest satiare capacitatem fruentis. Sed alia præter vltimum finem possunt satiare, quia capacitas fruentis est finita: ergo.

Quare finis non vltimus facit peccantem.

106 Resp. neg. min. ad probat. inquit *Scotus in 1. dist. 1. quæst. 1. in fol. arg. ad 2.* Quod necessariò admittenda est in rebus relatio finita ad terminum infinitum; quia om-

omnis creatura hoc modo refertur ad Deum. Et ideo mirum non est si capacitas finita nequeat satiari, nisi obiecto infinito, quia ad illud est relatio non similitudinis, sed proportionis. Et vt diximus de visione beata, & in *disp. de Beatitudine*, nihil creatum, aut finitum potest esse obiectum humanæ beatitudinis, & tamen homo est ens finitum. Quia capacitas, seu appetitus humanus est finitus quidem subiectiuè, non tamen obiectiuè.

Instabis. Fruens debet adæquari obiecto: ergo.

107 Resp. distinguo adæquatione entitatiua, nego. proportionis, concedo. Hæc autem exigit extrema dissimilia, vt patet de materia, & forma, quæ nunquam adæquantur entitatiuè, imò debent in hoc esse diuersæ, & oppositę; materia enim est actuabilis, forma est actuans. Et nisi ita se haberent non essent proportionaliter adæquatæ.

Obiectum fruitionis, quomodo adæquatur fruenti.

Ob. 5. Sicut se habet intellectus ad primum verum, & alia vera, sic voluntas ad primum bonum, & alia bona. Sed intellectus firmius assentitur alteri vero, quam primo vero; quia facilius, & euidentius videntur alia quam primum. Ergo ita, & voluntas magis quiescet in alio bono, quam in summo, & sic potest frui alio bono non habente rationem primi, seu summi boni, ac vltimi finis.

108 Resp. ex *Scoto, vbi supra in resp. ad quintum*, neg. min. nam si euidens æquè sit primum verum, ac alia vera, non est in potestate intellectus firmius adhærere vni, quam alteri, ergo arg. nihil concludit. Secundo, quia voluntas, cum tendat liberè circa omne bonum, in sua potestate habet, vt magis intensè amet vnum, quam aliud. Ergo arg. non est ad rem. Adde, quod nequit intelligi, quomodo quis amet propter se, nisi cum amat alia postponendo amato obiecto. Sic autem operatur omnis homo cum Deum ordinatè, vel creaturam inordinatè amat.

Quando vera sunt æquè euidentia, intellectus æquè assentitur.

Ob. 6. Quælibet forma satiat appetitum materiæ; alioquin esset violenter sub illa, quia per eam inhiberetur nè esset sub illa perfectiori, seu perfectissima, ad quam inclinaretur. Ergo quodlibet obiectum satiat capacitatem potentiæ; quia ipsum respicitur à potentia per modum formæ.

Arg. de materia, quæ per omnem formam satiatur.

109 Resp. neg. conseqn. Ratio est, quia materia non inclinatur determinatè ad hanc, vel illam formam: tunc enim violenter quiesceret sub opposita; sed est indeterminata ad quamcunque sicut graue ad deorsum; quod tamen in quocunque situ, seu loco circa centrum quiescit. Non sic autem voluntas respectu boni, quia inclinatur ad summum, vel reale, vel præstitutum, ac apparens; alias non quiescit.

Disparitas quia non respicit eas determinatè

Instabis. Licet voluntas Beati inclinetur ad summam fruitionem, tamen quietatur in quolibet gradu, & adhoc firmandum *Scotus in 4. dist. 49. qu. 6. A.* vtitur exemplo grauium, quæ quidem licet omnia appetant esse in centro, non tamen omnia sunt in eo, sed aliqua in eo; alia propè illud; alia remotiora, alia tandem remotissima, vt sunt ea, quæ existunt supra terram, & nihilominus omnia quiescunt. Ita inquit de diuersitate fruitionum, quod licet omnes appetitus naturales sint ad summam; tamen quia deliberatiui sunt conformes Dei voluntati, præscribenti mensuram eius per proportionem ad merita, quiescunt in quolibet gradu. Ergo ita dici potest de appetitu obiecti; licet enim voluntas sit inclinata ad summum bonum, poterit tamen quiescere in non summo; & sic fruitio non respicit de necessitate finem vltimum, siue realem, siue apparentem, ac præstitutum.

Arg. de beato in omni gradu.

110 Resp. neg. paritatem de inclinatione ad summam beatitudinem formalem, & summum obiectiuam. Disparitas est, quia inclinatus ad summam formalem, quando habet summam obiectiuè, iam habet aliquid summum, quietatur autem in formali non summo, quia circa illud deliberatiuè operatur, & conformat se Dei voluntati: at appetitus naturalis, vt dixi in *disp. 15. ar. vlt.* non satiatur per quemlibet gradum, nisi summum: neque propterea tristatur, quia appetitus naturalis non est quidam actus, ex *Scoto in 4 dist. 49. qu. 10.* sed est inclinatio naturalis; tristitia autem non oritur, nisi ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt; quod in casu non euenit, quia nullus beatus appetit summam beatitudinem. In casu autem quietis circa obiectum, non potest eam obtinere voluntas in obiecto infra summum, saltem apparens, ac præstitutum; quia cognoscitur ab intellectu, quod datur latitudo, & magis, ac minus inter bona, & voluntas semper appetit magis bonum, etiam ordinatè volens, immò sic debet velle, vt ordinatè velit, & ideo non potest quiescere sub aliquo non summo.

Disparitas de quouis gradu beatitudinis quietante, & de obiecto fruitionis.

Quare non tristatur beatus non habens summa

Ad exemplum de granibus respectu centri; dico non esse ad rem, quia graue non cognoscit centrum, & ideo quiescit circa illud, sed tamen respicit illud. Imò hoc exemplum inseruire potest pro fruitione creaturæ propter Deum; quia tunc adest aliquis respectus ad centrum voluntatis, nempè finem vltimum. Dices ipsemet *Scotus in 1. sent. dist. 1. quæst. 5.* vtitur hoc exemplo grauium circa centrum, vt declaret diuersas fruitionum species, dicens Deum immediatè respicere se ipsum tamquam centrum, & se ipso frui, & habet primum gradum fruitionis. Deinde sequitur fruitio creata, quæ non per se primo, sed participatiuè à Deo, & per formam sibi intrinsecam nempè charitatem eo fruitur, & hic est secundus gradus. Tertio est voluntas iusti viatoris, qui non euidenter, sed obscurè

Exemplum grauium nó cogit.

Arg. ad hominé contra authorem ex doctr. Scoti.

scurè cognoscit summum bonum, & amat illud non tamen adhærendo ei immobiliter. Vltimò tandem est peccans, qui fruitur alio obiecto à Deo. Ergo ex hoc discursu sequitur, quod voluntas possit quietari in alio bono à summo, sicut corpora in alio loco remoto à centro.

Arg. Scoti est ad oppositum quia omnia grauia respiciũt centrum, siue proximè, siue remotè ei adhæreãt.

111 Resp. ex discursu hoc Scoti inferri oppositum eius, quod intenditur. In omnibus enim exemplis allatis relucet ratio summi boni, seu vltimi finis; sicut in omni loco circa centrum adest ratio centri, quæ non est indiuisibilis. Adde quod magis facit ad rem, quia Scotus in casu de peccatore fruente, ait, quod licet istè quantum est ex parte actus voluntatis se quietantis vehementer inhæreat alteri obiecto à Deo, ita vt nec mediatè, nec immediatè adhæreat Deo; ex parte tamen obiecti non potest quietari simpliciter, sed se habet, vt quiescens respectu nauis, qui tamen respectu centri non quiescit simpliciter, ita peccans quietans se quantum potest in aliquo actu circa obiectum creatum, tamen non quietatur simpliciter, quia non respicit, quod est perfectissimè quietatiuum in vniuerso. Quod inde patet, quia quantuncunque firmiter in obiecto illo peccans adhæreat, & in ipso se immergat, propter se amando illud, non tamen satiatur, imò neque quiescit, sed pulsatur saltem synderesi, quæ in nullo peccante extinguitur, sed semper remordet. Adde secundo, quod Scotus vtitur exemplo centri ratione adhæsionis immediatæ, vel mediatæ; mobilis, vel immobilis; tamen semper corpora respiciunt centrum, alioquin nullo modo quietarentur: ità quod lapis nunc existens in monte, si mons extollerentur supra Cælum, non quiesceret naturaliter; quia non respiceret centrum. Ergo stando in similitudine ista, voluntates omnes respiciunt, vel mediatè, vel immediatè, vel mobiliter, vel immobiliter vltimum finem; & non possunt quiescere, nisi illum respiciant, vel realem, vel præstitutum.

Paritas Scoti est ad immediatam, vel mediatã adhæsionem

Dices, Fruens bono creato, nec apprehendit illud, nec existimat, vt finem vltimum; & tamen in eo quiescit, eoque fruitur: ergo. Anteced. patet experientia de auaro, luxurioso, vindicatiuo, &c. isti enim in suis actibus circa obiecta talium inclinationum, seu vitiorum vehementer, & (vt ita dicam) summè delectantur, & quiescunt, nec existimant eos, vel eorum obiecta tamquam aliquid infinitum; & vlterius non ordinabile. In hoc autem consistit ratio vltimi finis: ergo.

Non est necessario cõparatio, vt aliquid fit obiectum fruitionis.

112 Resp. iterum, non esse necessarium, vt fiat istud iudicium, ponderatio, seu compensatio obiecti, & præferatur formali existimatione. Sed sufficit si tale existimetur præsumptiuè, ac interpretatiuè præponendo illud in executione etiam Dei legi præcipienti contrarium. Sicut enim sciens legem humanam prohibentem aliquid, si eam transgreditur, vt suæ voluntati satisfaciat; præsumitur, quod existimet eam viliorem sua voluptate, & in facto posponit eidem. Ita prorsus se habet peccans. in facto enim postponit Dei legem suæ voluntati, & in hoc consistit ponere rationem vltimi finis in creatura, præferre, scilicet eam Deo in executione, neque est necesse, vt iudicet esse præferendam. Hoc enim argumentum soluere debent, qui sustinent ad actum liberum requiri vltimum iudicium determinatum dictans agibile. Ipsi ergo videant, quomodo sic dicendo omnis peccator non sit mentalis, saltem, hæreticus iudicans in omni actu peccaminoso, sic esse faciendum. Nos autem eiusmodi iudicium determinatiuum in liberè operante non existimamus absolutè necessarium, ideo nos non cogit.

Peccans præsumitur existimare Deũ viliorem creatura.

## ARTICVLVS V.

### *Quodnam sit Beatæ fruitionis obiectum.*

SCOTVS *in* 1. *sent. dist.* 1. *quæst.* 2. per totam, docet, de facto obiectum fruitionis beatorum esse essentiam in tribus personis diuinis; nullam tamen esse repugnantiam, quin sola essentia sit fruitionis obiectum præscindendo à Personis. Statuens pro fundamento, quod vltimus finis, secundum vnam tantum rationem fruibilitatis est fruitionis obiectum.

Scoti mens.

113 Aduert. in hoc loco plura esse inquirenda. Primo, quodnam de facto sit fruitionis beatæ obiectum. Secundo, si sola essentia præcisis personis posset per absolutam Dei potentiam esse obiectum perfectæ fruitionis; & si vna persona absque alia. Et quia de his duobus abundè egimus in *disp.* 19. *art.* 2. 3. & 4. obiter ea attingemus. Supponit autem hoc quæsitum alterius quæsiti solutionem, quod scilicet personalitates diuinæ præcisæ ab essentia non dicunt perfectionem, neque imperfectionem. Imò etiam si dicerent aliquam perfectionem in proprio genere, adhuc procederet quæsitum, num scilicet quis frui possit essentia non fruendo personis, sicut & aliud, an possit quis frui essentia non fruendo attributis. Hoc stante.

Plura discutienda.

Supponitur aliud quæsitum solutũ de relationibus.

114 Dico 1. De facto, & per totam æternitatem obiectum fruitionis Beatorum est Deus vnus in essentia, & trinus in personis. Est de fide *Scoti, vbi supra, &c.*

Obiectum beatæ fruitionis est Trinitas.

115 Prob. 1. De facto, & per totam æternitatem videbunt Deum vnum in essentia, & trinum in personis: ergo sic eo fruentur. Anteced. prob. ex 1. *Ioann.* 3. *Videbimus eum, sicuti est*, est autem vnus, & tri-

Ex S. Script.

trinus; ergo, Secundo ex *Ioann.17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Consequ. prob. Fruitio est actus dilectionis propter se. Trinitas autem ita mæretur propter se diligi; ergo.

Ex August. 116 Prob.2. ex *S. Augustino lib. 1. de Trinit. cap. 8. D. Beatitudo est frui Trinitate, & in hoc nostrum plenum gaudium consistit*. Vbi subdit, quod quamuis Beatitudinis obiectum aliquando dicatur Pater solus, aliquando filius, aliquando Spiritus Sanctus, hoc non est, quasi vna sola persona sit obiectum beatitudinis, sed quia vna includit alias inseparabiliter. Idem docet *in lib. de spir. & lit. cap. 33.* in fine, nempe quod quilibet videt totam Trinitatem, in *lib. 1. de doctrina Christiana c. 4 & cap 33.* ait, fruitionis obiectum est Trinitas.

117 Prob. 3. Spei succedit tentio, seu fruitio, sicut fidei visio. Sed viator speraț in Trinitate, in quam crędidit; ergo ea fruetur,

Arg. ex visione, quia omnes videntur 118 Prob. 4 ex *Ioann. 14* qui videț vnam personam videț aliam: ergo qui diligit vnam diligit aliam, item ex *Ioann. 15.* qui odit vnam personam odit aliam: ergo, & qui amat vnam, amat aliam.

Ex Cyprian, 119 Prob.5. ex *S. Cypriano epist. 56.* vbi de gloria Beatorum, præ cæteris habet, *Quæ erit gloria, & quanta lætitia admitti, vt Deum videas, honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis, ac lucis æternæ gaudium capias*. Ergo cum Deus sit in personis trinus, de Trinitate gaudebunt. Idem ait, *de Ascensione Dom.* explicando illud *Ps. 149. Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Videbunt*, ait. *Deum & gaudebunt, lætabuntur, & delectabuntur, & fruentur gloria, & in fœlicitate iucundabuntur æterna*, sed Deum trinum in personis videbunt: ergo.

August, 120 Prob. 6. iterum ex *August. lib. de triplici habitaculo cap. vlt.* vbi de Beatis habet, *Tunc iustis manifestum erit quid inter est inter nasci, quod ad filium pertinet, ac procedere, quod ad Spiritum Sanctum, & quomodo omnia Dei sunt vnum in Deo, excepto quod ad relationem pertinet;* & post multa. *Tunc ardentissimo amore liberatorem suum, & omnium bonorum datorem amabunt, &c.* propter se autem amabunt. Ergo eo sic viso, fruentur.

Ex constit. Bened. XII. 121 Prob. 7. ex *constit. 4. Bened. XII.* alias relata Beati nunc vident, & fruuntur diuina essentia, vt est, & ita fruentur in perpetuum, sed est in personis diuinis; ergo.

122 Prob. tandem. Omnes personæ diuinæ sunt propter se amabiles, & dignæ amore, & debent sic amari, Ergo, cum ex *Augustino* sæpè citat. in anteced. artic. frui sit amore inhærere alicui propter se, ex eodem *lib. 1. de doctrina Christiana c. 4.* sequitur beatos sic amare, & frui tribus personis.

Beati fruuntur etiam creaturis in Deo. 123 Dico 2. Beati fruuntur etiam creaturis rationalibus propter Deum, seu in Deo, licet hæc fruitio abusiuè dicatur talis.

Ex August. 124 Prob. 1. ex *epist. ad Philem. Ego te fruar in Domino, & August. in lib. 1. de doctrina Christiana*, vtitur hoc loco Pauli dicens, *Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius quam homine fueris. Illo enim frueris quo efficieris Beatus, & ad eum te peruenisse lætaberis, in quo spem ponis, vt venias. Inde ad Philemonem Paulus, ita frater inquit, ego te fruar in Domino. Quod si non addidisset in Domino; & te fruar tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis sua. Quamquam ea vicissitudine dicitur frui cum delectatione vti, cum enim adest quod delegitur, etiam delectationem secum necesse est gerat. Per quam si transieris, eamque ad illud, vbi permanendum est retuleris vteris ea, & non propriè, sed abusiuè diceris frui, &c.* Ecce, quod totam conclusionem probat *Augustinus*.

Ex eodem 125 Conf. ex eodem *lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10.* Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum, Cupiditatem autem motum animi adfruendum se, & proximo, & quolibet corpore, non propter Deum. Hæc *August.*

Ex eodem 3 126 Conf. ex eodem *lib. 22. contra Faustum cap. 78.* Fit autem homo iustus cum ob aliud non appetit rebus vti, nisi propter quod diuinitus institutæ sunt; ipso autem Deo frui propter ipsum, seque, & amico in ipso Deo propter eundem ipsum Deum. Propter Deum enim amat amicum, qui Dei amorem amat in amico. hæc *August.* Ergo, si etiam in via potest homo licitè frui proximo propter Deum, seu in Deo; multò magis in Patria.

Ex eodem 4 127 Conf. ex eodem *lib. 9. de Trinitate cap 8.* Tunc cupiditas est cum propter se amatur creatura; & tunc non vtentem adiuuat, sed corrumpit. fruentem. Cum ergo, aut par nobis, aut inferior creatura sit, inferiori vtendum est ad Deum; pari autem fruendum, sed in Deo. Sicut enim te ipso non in te ipso frui debes, sed in eo, qui fecit te. sic etiam illo, quem diligis, tamquam te ipsum, & nobis, & fratribus fruamur. Hæc *Augustinus*. Ergo, si proximius, & fratres à Beatis in Deo videntur; eos amant, ijsque in Deo fruuntur.

Ex Cyprian. 128 Prob. 2. ex *S. Cypriano in ep. 56.* Quæ erit gloria, & quanta lætitia admitti, vt Deum videas; honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis, ac lucis æternæ gaudium capias; Abraham, & Isaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare. Cum iustis, & amicis Dei in Regno Cælorum darę immortalitatis voluptate gaudere. Cum ergo hi omnes diligendi sint in Domino, Beati ijs fruentur in Deo.

Prob. 3.

119 Prob. 3. ex *Lactantio lib. 7. diuin. instit. cap. 23.* Vbi de animabus beatorum, Ex Lactan. ait, Prioris vitæ, & factorum omnium memores essent, & in bonis cælestibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum, &c. ergo alijs etiam fruuntur.

120 Prob. 4. ex *Prospero lib 1. de Vita contemplat. cap. 2.* præ cæteris, sic de beatis Ex Prosp. habente. Diuina, ac mutua dilectione possessi, Deo suo in æternum, & inuicem sibi adhærebunt.

121 Prob. 5. ex dictis in *disput. 14 ar. 12.* in quo tota beatitudinis series, quantum fas est homini capere, compendiosè ex SS. PP. dictis est explicata; in quo pariter fruitio de omnibus etiam proximis, est declarata.

122 Prob. tandem. Angeli, & homines à beatis inuicem cogniti, dilectione digni Ex dignitate Sanctorum arg. sunt; quia Sancti, perfecti, & Deo chari, ac nostri amatores. Ergo diliguntur, sed non dilectione propter se, quia non sunt summum bonum. Ergo in Deo, seu propter Deum.

123 Quod autem hoc dilectionis genus, fruitio dicenda sit; nequit controuerti; eam enim sic appellat Augustinus, sic Paulus Apostolus *ad Rom. 15. & ad Philem.* sic tandem Spiritus Sanctus *Eccles. 7. 15. In die bona fruere bonis*, vbi hortatur fruendum esse creaturis non quidem eas amando propter se, quia hæc est peruersitas. Igitur amando in Deo, seu propter Deum.

124 Quod tandem hæc dilectio sic abusiua fruitio, docet, vt patuit ipsemet Au- Quare fruitio abusiua. gustinus; nam rigorosa, & propria fruitio est diligere absque ordine ad aliud, sed propter se. Si ergo aliquid propter vltimum finem diligitur, abusiuè dicitur fruitionis obiectum; eatenus autem sic denominatur talis dilectio, quatenus ad finem etiam apparentem in medio, & in eodem dilectum terminatur.

Ob. contra 1. Si Trinitas esset obiectum Arg. contr. 1 fruitionis Beatorum, essent plura obiecta fruitionis. quod est falsum. Sequela prob. Quia personæ sunt tres; ergo ad minus tria obiecta. Minor prob. In omni ordine essentiali datur vnum, quod est primum, vt patet de primo efficiente in genere causarum officientium; de materia prima in genere subiectorum. Ergo idem dicendum in genere finium. Secundo, quia sic sequitur, quod si vna tantum persona videretur à Beato, vel sola essentia non visis personis, Beatus non posset, hac, aut illa frui.

125 Resp. dist. sequelam, si esset Trinitas sub ratione numeri, seu reduplicatiuè, Trinitas est obiectum non reduplicatiue quatenus talis. vt Trinitas, concedo. si esset Trinitas, vt Deus, nego. tum concessa min. & probationibus eius, negatur consequ. Quia vnus est vltimus finis, & vnum obiectum primarium fruitionis, nempe Deus, vt Deus; quod quidem obiectum comitantur omnes eius proprietates. Ita ex *Scoto in 1. dist. 1. q. 2. L. in solut ad 3.*

Inst. Quælibet persona, vt ab alia distincta est per se amabilis, ergo obiectum fruitionis, & sic tria obiecta. Anteced. prob. Persona quælibet, vt ab alijs distincta non est odibilis: ergo.

126 Resp. dist. Est per se amabilis, quatenus Deus, concedo. sub ratione perso- Personæ sub amabiles, vt Deus. næ, nego. Quia, vt optimè docet *Scotus quodlib. 5.* personalitates, seu relationes, vt ab essentia distinctæ non sunt summum bonum. & per se patet; alioquin essent tria summa bona, & tres vltimi fines. Cum ergo sola essentia sit summum bonum, & hoc sit per se amabile; personæ vt habent essentiam sunt per se amabiles.

Vrgeb. Personalitates, vt ab essentia distinctæ videntur à beatis: ergo possunt etiam per se amari.

127 Resp. neg consequ. Non enim omne ens, & præsertim relatiuum est per se Quare personalitates; vt distinctæ non sunt per se amabiles, amabile, sed summum bonum, ex *August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 33.* in fine, vbi sic habet, *Si verò inhæseris, atque permanseris, finem in eo* (id est creatura) *ponens lætitiæ tuæ, tunc verè, & propriè frui dicendus es, quod non faciendum est, nisi in illa Trinitate, id est summo, & incommutabili bono.* Vbi maximè obseruandum est, quod dicit obiectum fruitionis esse Trinitatem, non simpliciter, sed quatenus summum, & incommutabile bonum, non in plurali summa, & incommutabilia.

Ob. 2. ex *August. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 5. Res, quibus fruendum est sunt Pater, filius, & Spiritus sanctus.* Ergo plures sunt Hieron. res, & sic plura beatitudinis obiecta. Igitur nequit asseri, quod fruitionis beatæ obiectum sit Trinitas.

128 Resp. ex eodem *August* ibi, qui Trinitatem, vt vnam rem dicit esse fruitio- Trinitas, vt Deus est fruitionis obiectum. nis obiectum, sic autem ait. *Res igitur, quibus fruendum est Pater filius, & Spiritus Sanctus est; eademque Trinitas, vna quædam summa res, communisque omnibus fruentibus, &c.* Deinde omnes tres personas vnius nomine appellat, Deum, omnipotentem æternitatem, incommutabilitatem, maiestatem, &c. Igitur, cum Trinitas, non vt Trinitas, sed vt Deus, & sic vt vna res sit beatæ fruitionis obiectum, non potest ex hoc inferri pluralitas.

Ob. contra secundam. Creatura, vt talis non est vltimus finis. Ergo nequit vllo Contra 2. modo esse fruitionis obiectum.

129 Resp. dist. consequ. nequit, vt creatura est, concedo, vt participat de vltimi Creatura quare fruibilis. finis amabilitate, nego. Sicut enim media secundum se possunt non esse eligibilia, quatenus tamen participant de amabilitate finis, sunt eligibilia: ita creaturæ secundum se non sunt fruitionis obiectum; quatenus tamen propter Deum amantur, vtique possunt.

Ob. 2. Creatura siue consideretur, vt amabilis propter se, siue propter Deum, non potest terminare ordinatam fruitionem. Ergo Beatus nunquam dici potest frui creaturis in Deo. Anteced prob. de primo, Si enim propter se diligitur, sistendo in illa, est inordinata fruitio, quia ponitur in ea ratio vltimi finis, quod damnat *August. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 33.* si autem diligitur propter Deum, iam est obiectum vsus, & non fruitionis, per hoc enim secernitur vsus à fruitione ex *August. ibidem. & cap 4.* eiusdem libri. Igitur Beati non fruuntur se inuicem.

Creatura, vt in ea relucet terminatio finis, est saltem fruibilis impropriè.

140 Resp. neg. anteced. quoad secundam partem, ad probat. Dicendum, quod licet in rigore fruitio sit solum finis vltimi, vsus verò mediorum, seu aliorum obiectorum, in quibus non sistitur; aliquo tamen modo, inquit August. abusiuè creatura ipsa, vt dilecta propter vltimum finem, est obiectum fruitionis. Et ego adderem, quod quando quis diligit creaturam, nec sistendo in ea, nec ordinando ad finem, sed solum secundum proportionatum amorem, tum propriè vtitur, & actus ille nequit dici fruitio, quando vero eam diligit cum ordine illo explicito finis vltimi, dicitur frui, sed cum aliqua impropriet ate, vt docet Augustinus.

## ARTICVLVS VI.

### *An possit quis frui essentia absque personis, vel vna persona sine alia.*

Scoti ment.

SCOTVS ex professo soluit affirmatiuè vtrumque quæsitum de potentia tamen absoluta, si scilicet videatur essentia non visis personis; vel vna persona, non visa alia, ita *in 1. sent. dist. 1. quæst. 2.* per totam.

Ratio disputandi de hoc

141 Adu. Quod licet eadem quæsita sint etiam soluta in *dispu. 19.* in ordine ad visionem, & ibi dicta sufficerent ad eadem soluenda pro fruitione; quia tamen distinctè in ordine ad fruitionem ea discutit Scotus; quia fortasse specialem continent difficultatem pro fruitione; separatim, & nos ea tractabimus.

142 Adu. 2. Difficultatem moueri posse de viatore, & de comprehensore. De facto, & de possibili, excepto dubio de facto, quod in præcedenti solutum est; de alijs omnibus hic agemus. His præmissis.

Viator potest frui essentia non fruendo personis.

143 Dico 1. Viator de facto fruitione ordinata frui potest essentia non fruendo personis. Est *Scoti in 1. dist. 1. quæst. 2. §. de primo A.*

144 Prob. Potest considerari essentia secundum sua prædicata quidditatiua, vt præscindens à personis, estque summum, & infinitum bonum. Ergo sic concepta potest à Viatore propter se amari: ergo. Anteced. prob. ex *Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 1. si essentia relationi dicitur non est essentia, quia essentia, qua relatiuè dicitur est aliquid excepto relatiuo, & cap. 3.* habet, qua propter si Pater non est aliquid ad se, non erit aliquid, quod ad alterum dicatur. Si ergo est aliquid ad se, potest sic concipi. Consequ. prima prob. Ens summè, & infinitè bonum potest, & debet propter se amari; quia non est ordinabile ad aliud. Essentia autem concepta, vt aliquid ad se est ens summè bonum, & Pelagus, ac radix omnium perfectionum, & ipsarum relationum; ergo.

A priori ratio.

145 Conf. ex *Scoto ibid.* Potest Philosophus ex puris naturalibus concludere, quod detur vnum summum bonum; non tamen, quod hoc bonum sit in tribus personis indiuisum; quia primum bonum probat *Arist. 12. Metaph.* Dum autem concludit summum illud bonum, potest amare propter se, irreferibiliter ad aliud. Et talis amor est ordinatus, quia secundum rectum dictamen rationis: ergo.

A posteriori probatur summum bonum.

146 Conf. 2. Regulariter, cum Deus concipitur, & oratur, licet habitualiter orentur etiam personæ, tamen Deus concipitur, & propter se amatur.

Ex oratione

147 Confirmatur 2. in statu puræ naturæ, & etiam in lege Moysi non erat omnibus nota Trinitas; sed solum aliquibus de Primoribus, vt Patriarchis, Prophetis, &c. non verò toti populo nota; & tamen totus populus vnum Deum credebat, & propter se amabat. Imò cum Gentiles catechizantur, à fide in vnum Deum est incipiendum, & successiuè diuinæ personæ significandæ, & credendæ. Tertio; quia de Deo vno datur articulus distinctus. Poterit ergo aliquando viator hunc solum articulum meditari, ac credere, & dilectionis actum in Deum sic apprehensum, ac creditum exercere. Tunc ordinatè fruitur, quia propter se diligit, quod diligendum est.

Sic amabát Iudæi in lege.

148 Dico 2. viator potest ordinatè frui vna persona non fruendo alia. Est *Scoti ibidem sub B.*

Viator potest frui vna persona sine alia.

149 Prob. ex eodem. De qualibet persona datur articulus distinctus; in Patrem omnipotentem. In Iesum Christum filium eius. In Spiritum sanctum, &c. Potest autem viator considerare aliquando vnam tantum personam, v. gr. Patrem eumque diligere, vt mereatur, nempe propter se; quia est summum bonum: ergo.

Dantur distincti ati.

150 Confir. Potest viator concipere filium incarnatum, propter nos passum, ac sepultum, vt mediatorem, ac redemptorem nostrum, & eum propter se amare ordinatè: ergo.

151 Dico 3. Licet de facto Beatus non fruatur essentia, non fruendo personis: tamen

De potentia absoluta.

etiam beatus potest sic frui.

men do potentia Dei absoluta potest hoc contingere, si ostendatur essentia non ostensis personis. Est *Scoti in 1. sent. distin. 1. quæst. 2. §. Quantum ad istum* C.

152 Prob. ex *Scoto ibid.* Pater diuinus in signo originis præcedente generationem filij, est perfectè beatus; & tamen pro illo signo non fruitur, nisi sola essentia, quia tunc non adhuc concipiuntur productæ personæ: ergo. Anteced. prob quia, vt dictum est in *disp. 19. ar. 2. 3. & 4.* Pater nihil habet à personis productis, & beatitudo eis communicatur à Patre. Igitur de ratione essentiæ, vt essentia est, & non vt communicatæ tribus, est beare.

153 Conf. Pater omnem perfectionem habet à se. Ergo omnium maximè beatitudinem. Igitur est beatus à se, & non ratione aliarum personarum.

Arg. ex ordine essentialium, & notionalium.

154 Conf. 2. Perfectiones essentiales præcedunt in diuinis prædicata notionalia. Ergo cum beatitudo sit de numero essentialium, præcedit. Igitur Pater, seu hic Deus, prius quam concipiatur produci filius, habet illam. Sed tunc nil aliud respicit, & nullo alio fruitur, quam essentia; cum personæ pro tunc non concipiantur esse. Ergo obiectum fruitionis est essentia.

155 Hoc autem stante sic arguo. Posset Deus ostendere alicui iusto essentiam non ostendendo Personas. Hic posset eam videre, & amare propter se, non amando alia præter eam. Ergo tunc posset frui.

Arg. à priori.

156 Prob. 2. conclusio. Ostendens obiectum primarium, & virtute primi etiam secundarium; potest ostendere primarium non ostenso secundario, & sic amari propter se solum primarium. Ergo potest quis frui essentia non fruendo personis; nam, vt supponimus, ex tract. de Scientia Dei, relationes diuinæ sunt, quasi obiectum secundarium respectu intellectus diuini.

157 Alia argumenta ad hoc sunt desumenda, ex *disputat. 19. ar. 2. 3. & 4. de obiecto Visionis.*

Beatus de potentia absoluta potest frui vna persona sine alia.

158 Dico 4. De potentia Dei absoluta posset Beatus frui vna persona, non fruendo alia. Est *Scoti §. Quantum ad istum* C.

159 Prob. eisdem medijs. Potest ostendi vna persona non ostensa alia, quia istæ sunt realiter diuersæ, & Deus, ex *Augustin. lib. de videndo Deo cap. 6.* est obiectum voluntarium. Igitur potest videri, vt vult. Tunc autem amaretur vna, non amata alia.

160 Conf. ex dictis de lege naturæ, & scripta. Homines illarum legum vnam personam amabant propter se, quia vnam ex fide cognoscebant. Igitur, si vna tantum eis in Patria ostenderetur, vna tantum fruerentur.

Probatur eisdem argumentis pro viatore.

161 Probari potest eodem argum. quo supra. Pater enim ante productionem filij fruitur se solo; post productionem filij, ante productionem Spiritus Sancti fruitur filio. Ergo non est contra rationem ordinatæ fruitionis, vt vna tantum persona (absq; tamen exclusione positiua aliarum) sit eius obiectum.

162 Prob. 3. Vna persona ostensa est Deus de se, & summum bonum. Igitur propter se amabilis: ergo.

Arg. contra 1.

Ob. contra 1. & 2. Viator non potest concipere vnam personam, non concepta alia, nam *Ioan. 14.* ait Saluator, *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Ergo neque frui.

163 Resp. sicut in *disp. 19. art. 2. & 4.* non potest concipere, non concepta alia, saltem confusè, concedo. distinctè, nego. & nego consequ. Ratio, est quia quoties concipitur relatiuum, de necessitate debet concipi correlatiuum, seu terminus ad quem est. Tamen non est necessarium, vt terminus cognoscatur eodem modo. Exemplum de cognitione Dei creatoris, ac omnipotentis distincta, absque distincta cognitione creaturarum, vel possibilium. Adde ex *Scoto loco cit. in princ. sub B.* quod licet non posset concipi relatiuum sine termino, potest tamen quis frui relatiuo, non fruendo termino, & adducit exemplum de creatore; potest enim quis frui creatore, non fruendo creatura. Ergo multò magis, si vna tantum persona consideretur, absque termino referentia.

Cognito relatiuo, confusè debet cognosci terminus.

164 Ad illud *Ioan.* dicendum nihil officere, quia verum est, non posse aliquem cognoscere fide filium, nisi cognoscat, & Patrem, quem nescire se dicebat Philippus. At non est necesse, vt quis actu considerans Patrem, dirigens ad eum suam intellectionem, & diligens illum, debeat eodem actu considerare, ac diligere filium.

Ob. 2. Non potest viator credere, vel adorare vnam personam, non credendo, vel adorando alias. ergo neque frui. Consequ. prob. Nam eadem voluntas est, quæ imperat actum fidei, & cultum, ac fruitur. Anteced. prob. ex *Damasc. lib. 1. fidei orthod. cap. 9.* quia vna est in Trinitate maiestas vna debetur ei adoratio. Igitur nequit adorari vna sine alia.

Adorans vnã personam, adorat alias habitualiter.

165 Resp. dist. anteced. Non adorando alias, saltem habitualiter, concedo, actualiter, nego. Nam ait *Scotus, vbi supra in solut. arg. vlt. M.* Viator toti Trinitati se subijcit; tamen non oportet quoties vnam personam considerat, cogitet etiam de alia. Imò de facto per Ecclesiam inuocatur actu vna, & non alia. Vt in hymno de Magdalena, *Pater superni luminis.* in hymno, *Veni sancte spiritus*; in Litanijs distincte inuocantur personæ.

Ob. 3. Non potest vna Persona creare, quin creet alia, eo quia Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa, ex *August. lib. de vera Relig. cap. 7.* & ex *Concil. Ephesino in epist. Cyrilli ad Reginas.* Ergo neque potest esse obiectum, & comprincipium fruitio-

tionis vna persona sine alia.

Ad efficiendam fruitionem tota Trinitas semper concurrit, sed ad terminandã, potest vna sine alia.

166 Resp. neg. consequ. Disparitas est, quia operatio dicit actum emanantem à voluntate, quæ est in tribus; non sic terminatio fruitionis. Et quia ad fruitionem necessarius est duplex concursus, vnus effectiuus, quo Deus tamquam obiectum concurrit cum voluntate ad eam producendam, & alius terminatiuus talis actus; ad primum quidem concurrit tota Trinitas, ad secundum verò concurreret sola essentia, vel sola illa persona, qua actu concipe. retur, & amaretur. Clarissimum est exemplum de Incarnatione, ad quam tota Trinitas operata est, ex *Concil. Later. 4.* & habetur, *de summa Trinitate, & fide catbol. cap.* 1. vna tamen persona eam terminauit, quia *verbum caro factum est*, *Ioan.* 1. & hæresis est dicere, quod tota Trinitas sit incarnata, ex *cap. vlt. de consec. dist.* 3. ita à pari de fruitione dicendum.

Ob. 4. Fides Trinitatis est necessaria ad salutem. Ergo, sicut non potest creatura credere in vnam personam, quin credat in alias; ita neque potest frui vna, non fruendo alijs.

Potest aliquis actus fidei tendere in vnam personam.

167 Resp. dist. est necessaria aliquando, concedo. semper & in omni actu credendi in aliquam personam, subdistinguo, est necessaria explicitè, vel actu, nego. implicitè, & habitualiter, concedo. & nego consequ. quoad vtrumque. Ratio est, quia fides Trinitatis adultis in lege noua est necessaria quidem, & explicitè ad salutem. Attamen, si postquam adultus credidit in Trinitatem, vult distinctè Personas considerare, easque, vt singulas amare, & credere, potest vtique id exequi. Et tunc propter se amaret quamcunque, ideoque frueretur.

Ob. 5. Essentia sola præcisa à Personis, non est obiectum amabile propter se; quia vt sic non est ens reale; non enim reperiri potest absque personis. Ergo non potest esse obiectum fruitionis viatoris.

168 Resp. neg. anteced. ad probationem, quamuis nequeat reperiri diuisa, potest tamen considerari, vt præcisa à personis, & vt est illarum fons, & origo, ac infinita perfectio. Et quia, vt talis est propter se amabilis, & terminus omnis referentiæ, potest esse fruitionis obiectum.

Arg. contr. 3

Ob. contra 3. Beatus non potest esse falsa beatitudine beatus. Ergo non potest frui essentia non fruendo personis. Consequentia prob. Quia essentia sic præcisa non datur, & sic, si vt talis apprehenderetur esset obiectum falsum, & fruitio esset falsa.

169 Resp. nego conseq. ad probat. dist. non datur sic præcisa, per diuisionem, concedo. per distinctionem, nego. sic autem est verum obiectum. Vt enim diximus in *disp.* 19. *art.* 2. & supponimus, ex *tract. de Trinit.* essentia est ita distincta à personis, vt ipsa communicetur, personæ verò nequaquam; hæc autem distinctio non est ficta, sed ex natura extremorum. Si ergo vnum ex eis extremis concipiatur, vt est distinctum aliquid verum concipitur; & si amatur, aliquid verum amatur. Igitur, nec cognitio, nec fruitio essent falsæ. Addo, etiam si per impossibile posset cum falsitate, beatus apprehendere essentiam, vt realiter ab essentia distinctam, & quoad distinctionem deciperetur; non propterea fruitio esset falsa; quia ipsa non tenderet ad distinctionem, tamquam aliquid propter se amabile, sed ad essentiam, vt bonum summum, & distinctio illa materialiter se haberet in obiecto fruitionis.

Essentia non potest diuidi à personis, sed potest concipi sine illis.

Quare non esset falsa fruitio.

Ob. 2. Voluntas non potest habere actum distinctum circa obiectum, nisi appareat in obiecto distinctio, vel re, vel ratione. Sed non potest sic apprehendi essentia, vt distincta, neque ex parte rei, quia talis non est, neque ex parte intellectus, quia sic distinctio facta esset ab intellectu cognoscente vtrumque extremum; & consequenter voluntas frueretur vtraque.

170 Resp. neg. min. Quia cum essentia ex natura rei formaliter sit distincta à personis, sic potest à Deo ostendi non ostensis personis, sicut in primo signo originis illam cognoscit Pater, seu melius, induiduum Deitatis. Et ita patet, quod non ex parte actus cognoscendi nasceretur distinctio, sed inueniretur in obiecto. Hoc autem obiectum sic cognitum, amaretur propter se.

Dices adhuc sequitur, quod frueretur etiam personis. Nam obiectum videretur distinctum ab alijs. Ergo aliud extremum videretur, & sic vtrumque amaretur.

Non videretur essentia, vt distincta reduplicatiue.

171 Resp. ex *Scoto sub F.* non esset necessarium videre illud, vt distinctum, sed sufficeret videre id, quod ex natura rei est distinctum. Essentia ergo concepta, vt est substantia, atque ens ad se, sic amaretur, & propter se.

Ob. 3. Fruitio Beata debet esse quietatiua, sed in eo casu non esset talis. Ergo non esset beata. Minor prob. Quia expectaret alia obiecta fruibilia.

Essentia est quę quietat.

172 Resp. neg. min. ad probat. neg. sequelam. Quia obiectum quietans est essentia, in quocunque autem ipsa sit, siue in se, siue in personis, quietat. Vnde *Scotus loco nuper cit. F.* ait. Pater quia in essentia quietatur, quando adhuc non est communicata, in eadem quietatur, quando est communicata. Eadem ergo quietatione quietaretur beatus post visionem, & amorem personarum; qua ante per visionem solius essentiæ, quia amaret personas, vt Deus sunt, eisque vt sic frueretur.

Ob. 4. Anima est imago Trinitatis. Ergo non potest satiari, nisi in Trinitate.

173 Resp. nego consequ. Quia fruitio non habet pro obiecto aliquo numerum,

sed

Obiectum fruitionis nó est numerus, sed bonum.

sed aliquod summum bonum propter se amabile, & quoniam hæc ratio reperiretur in essentia præcisè considerata, in ea satiaretur. Imò de facto, licet Trinitate fruatur, & in ea satietur, tamen non in ea sub alia ratione, nisi sub qua Deus est.

174 Alia argumenta, quæ possunt contra hanc thesim adduci de fruitione, sunt adducta, & soluta *in disput. 19. de obiecto Beatæ Visionis*, quia contra hanc magis vrgent. Si enim admittitur, quod possit videri, poterit etiam propter se amari. Et ideo ea non repetimus.

## ARTICVLVS VII.

### *An voluntas ad fruendum egeat aliquo habitu supernaturali.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 1. sent. dist. 17. quæst. 2.* in postremis verbis, ait. *Respondeo nullus negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu; & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis. in 1. dist. 13. quæst. 4.* per totam, præsertim *sub R.* docet, quod *voluntas in patria semper cooperabitur secundum vltimum potentiæ suæ actiuæ gratia secundum vltimum eius.* & in calce quæstionis *sub S.* ait, *Gratia requiritur ad fruitionem, vt eliciendam actiuè à voluntate.* Et licet de possibili teneat posse voluntatem frui sine habitu supernaturali, vt dicetur postea; tamen de facto docet esse necessarium; & tandem (vt alia loca omittam) *in 4. distinct. 49. quæst. 11. G.* docet, quod forma supernaturalis requiritur ex parte voluntatis Beati, quæ dicitur charitas. & paulò post, ait. *Quia secundum scripturam, & fidem habemus ponere charitatem; saltem necesse est eam ponere in Beato, propter operationem eliciendam.* quam operationem sæpissimè ibi appellat *fruitionem*, idem confirmat *in dist. 50. quæst. 6.* vbi ex diuersitate charitatis, concludit diuersitatem intensiuam fruitionis in beatis.

Concursus habituum à Scoto compendio declaratus.

Sensus quæsiti.

175 Adu. 1. sensum quæsiti clarum esse. An scilicet sicut intellectus ad videndum Deum eget supernaturali habitu, qui dicitur lumen gloriæ: ita & voluntas egeat habitu aliquo supernaturali, siue hic sit charitas, siue alius.

Multa dubia

176 Adu. 2. Quod in sequentibus plura sunt videnda, an scilicet charitas det actiuitatem simpliciter voluntati ad fruendum, seu diligendum. Secundo, an de absoluta Dei potentia posset voluntas frui sine habitu. Tertio, ad quid sit necessarius habitus. Quæ distinctè discutientur. Hic autem de necessitate tantum loquimur de facto.

177 Adu. vlt. & supp. ex tract. de Virtutibus, & cum *Scoto in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Quantum ad 3. NN.* in fine. Habitum Charitatis formaliter tantum distingui ab habitu gratiæ infusæ, ob diuersos effectus eis correspondentes; realiter tamen esse vnum, ac eundem habitum. Sed quidquid sit de hoc, de habitu charitatis est hic sermo, an sit necessarius in Patria ad fruendum Deo. Ideo

De facto est necessarius habitus charitatis.

178 Dico. Voluntas Beati de facto ad diligendum Deum, seu fruendum eo, habet habitum supernaturalem, qui alius esse nequit, quam charitatis. *Est Scoti locis supra cit. S. Bonau. S. Thomæ*, & communis de fide, ait ipse *Scotus in 4. dist. 49. qu. 11.*

Iustificatio per charitatem fit.

179 Prob. 1. Omnis beatus discedit ex hac vita, iustificatus in charitate per hanc enim præ cæteris fit iustificatio, ex *Clem. de summa Trinitate. & fide cathol.* etiam in paruulis; idemque habetur ex *Concil. Trident. sess. 6. cap. 7.* Ergo sicut in via est necessaria ad actus supernaturales diligendi Deum, seu illo fruendi, sic in patria. Consequ. prob. Alioquin frustra poneretur remanere. Anteced. prob. Primo ex *1. Corinth. 13. Charitas numquam excidit*, Glossa ait, si credendo, & sperando diligimus, quod non dum videtur, quanto magis cum videbitur. Lyran. ibid. dicit ex hoc quidam malè dixerunt charitatem semel habitam non posse amitti, quod est falsum, quia *Apocal. 2.* dicitur, *charitatem tuam primam reliquisti*. Sed intelligitur de cessatione donorum ad hanc vitam pertinentium per superuenientem gloriam; & hoc modo charitas non excidit; quia, sicut in vita, sic permanebit in patria, cum augumento. Hæc Lyran. & eadem Glossa Ordinar. Ver. *Euacuabitur, quod ex parte est*, inquit præ cæteris, *Verumque de charitate, & scientia omnis imperfectio tolletur, sed sicut duo sunt diligenda Deus, & proximus, ita & duo principales modi, vt scilicet Deus propter se, & proximus propter Deum. Hi modi in futuro non euacuabuntur, sed modus imperfectionis tolletur.* Hæc Glossa.

Ambros.

180 *Ambros* in hunc Pauli locum, ait. *Hæc scilicet charitas in præsenti prodest, & in æternum cum Deo permanet.*

Hieron.

181 *Hieronymus* in eundem locum, ait, *charitas numquam excidit, hoc est ipsa sola permanet in futuro.*

Theodor.

*Theodoretus* in eundem, dicit, *numquam excidit, hoc est non mouetur, aut labitur, sed semper manet, vt quæ firma, stabilis, & immobilis permaneat. Hoc enim docuit per ea quæ sequuntur, siue prophetiæ euacuabuntur, siue lingua cessabunt, siue scientia destruetur, &c.*

Tertull.

182 *Tertull. in libro de Patientia cap. 12.* Declarans locum Pauli dicit merito ergo numquam excidet, nam cætera euacuabuntur, consumabuntur.

Ex Origene.

183 *Origenes lib. 5. in epist. ad Rom cap. 6.* circa finem. Hæc de charitate habet. Quid autem sit, quod in futuris sæculis teneat

neat arbitrij libertatem, ne rursum corruat in peccatum, Apostolus docet, Charitas numquam cadit. Idcirco enim, & fide, & ipsa maior charitas dicitur; quia sola erit, per quam delinqui vltra non poterit. Si enim in id anima perfectionis ascenderit, vt ex toto corde suo, ex tota anima sua, & ex totis viribus suis diligat Deum, & proximum suum, tamquam se ipsum, vbi erit peccati locus. Igitur in Patria beati retinent charitatem supernaturalem, quam in via habebant, & modo perfectiori.

Iusto inest charitas.

184 Prob 2. De fide est, viatori iusto inesse Virtutem charitatis. Ergo de fide est perseuerare in Patria. Anteced. prob. Ex eod. *cap. 13. epist. 1. ad Cor. Nunc manent fides spes, & charitas, tria hæc maior autem horum est charitas.* ex *Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Ad quod alludens *Concil. Trident. sess. 6. cap. 7.* ait, *Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, & ipsis inhæret.* Consequ. prob. Habitus charitatis non est incompatibilis cum beatitudine, sicut habitus fidei, quæ tendit circa obiectum obscurum; in gloria autem omnia sunt clara; & habitus spei, quæ est circa absens, cum tamen in gloria speratum obiectum sit præsens, & possideatur, ac teneatur; charitas autem est circa Deum, vt summum bonum, siue obscurè, siue euidenter, & clarè notum. Ergo hunc habitum Beatus habet etiam in Patria.

A pari de dilectione in via.

185 Prob. 3. Non est minus supernaturalis dilectio Dei super omnia, & propter se in Beato, quam sit in Viatore; ergo si in viatore ad eum eliciendum est necessarius supernaturalis habitus charitatis, est etiam necessarius in Beato. Conseq. prob. Voluntas enim eadem est in via, ac in Patria sed viribus naturæ nequit actum illum elicere in via; igitur neque in Patria.

Ex proportione actus cum Deo.

186 Prob. 4. Non est magis proportionata Deo Voluntas quam intellectus. Sed hic per habitum luminis gloriæ proportionatur Deo. Ergo & Voluntas per alium correspondentem. At nullus alius nominatur in scriptura, præter Charitatem. Ergo per hanc proportionatur.

Ex Glossa.

187 Conf. ex Glossa Ordin. *in cap. 6. Leuitici*, Versu, *Ignis vtiè perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*, Glossa ait, *Quia vero eadem charitas in cordibus electorum inextinguibilis manet, bene subditur, ignis vtis perpetuus, ignis iste de altari non deficit, quia in futuro in mentibus sanctorum charitatis feruor accrescit. Æterna quippe contemplatione hoc agitur, vt quo magis videtur Deus magis diligatur.* Ergo perseuerat in Patria Charitas, qua Beatus Deum propter se diligit.

Ex Augustin.

188 Prob. 5. ex *S. Augustin. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 38.* Vbi loquens de fide, & spe, postea addit; *Charitas autem etiam ipsis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus, quod nondum videmus quanto magis cum videre cœperimus, & sperando diligimus quo nondum peruenimus, quanto magis dum peruenimus,* Et ibidem *cap. 39.* in fine, ait, *Maior autem horum est charitas, quia & cum quisque ad æterna peruenerit, duobus istis decedentibus, charitas auctior, & certior permanebit.* & *in lib. 15. de Ciuit. cap. 3.* habet. *Charitatis perfecta concordia in Cœlo est.*

Ex eodem.

189 Conf. ex eod. *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* De Charitate loquente. *Nullum est isto Dei dono excellentius.* & infra, *propriè Spiritus sanctus est per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.* Cum ergo adeo excellens forma sit, non debet ea carere Beatus.

Instantia quod omnia hæc intelligantur de auxilio,

Dices. Ex his omnibus aliud non colligi nisi quod detur in beatis charitas, sed non probatur esse habitum supernaturalem, & hac de causa Magister, vt *Scotus* notat *in 1. dist. 17. quæst. 2.* non admisit habitum charitatis, licet *Scotus 9. Quantum ad tertium articulum*, conetur eum declarare, sed charitatem actualem tantum concessit in iustis. Ergo ex omnibus his ad summum concludetur esse in Beatis auxilium aliquod inflammans voluntatem, eamque adiuuans ad exercendam Dei dilectionem propter se.

Diluitur.

190 Resp. sicut dictum est de lumine gloriæ, quod licet non legatur in Scriptura explicitè habitus charitatis; tamen Theologi omnes de habitu intelligunt, vt *Scotus* ipse *in 4. dist. 49. quæst. 11. H.* testatur; ibi enim licet lumen non dicat esse absolutè necessarium; de charitatis tamen habitu, dicit, *sed quia secundum scripturam, & fide habemus ponere charitatem, saltem necesse est eni ponere in beato propter operationem.* Secundo, quia congruè potentia perpetuò operatura circa Deum, cum habitu connaturalius operatur, quam cum actuali inflammatione. Tertio, quia in via iustus per habitum charitatis diligit Deum, & non per solum actuale auxilium. Tertio tandem, quia licet tempore magistri sent. qui vndecimo sæculo floruit, non erat firmatum in Ecclesia, an per iustificationem primam in baptismo infunderentur habitus; tamen in sæculo decimotertio in *Concilio Viennensi*, quod celebratum est sub *Clemente V. anno 1311.* id definitum est, & nunc habetur in *Clement. de summa Trinit. & fide Catol.* in qua referuntur prius duæ sententiæ Doctorum, vna quæ negabat parulis in baptismo infundi habitus virtutum, alia vero asserebat infundi quo ad habitum, & si non pro illo tempore quo ad vsum. Deinde tale decretum firmatur, *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptismum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam, & virtutes, tam-*

Ex connaturalitate operandi infertur, quod sit habitus.

De ann. 1311 definitur habitus infundi in iustificato,

*tanquam probabiliorem; & dictis Sanctorum, ac doctorum modernorum Theologia magis consonam, & concordem sacro approbante Concilio duximus eligendam.* Et hic ego noto, quod controuersia eorum erat solum de paruulis in baptismo iustificatis; non verò de adultis, quibus concedebant habitum gratiæ, & alios virtutum Theologicarum habitus. Hoc autem, vt patet factum est post Magistrum.

Corollarij quod decedens sine peccato habet habitum charitatis.

191 Ex his ergo deducitur, quod cum in iustificatione infundatur habitus Charitatis, & hæc per peccatum mortale amittatur, ex *cap. Charitas, de pœnit. dist. 1. n. 2.* Deinde per iustificationem ex pœnitentia iterum restituatur; dum homo decedit absque mortali peccato, in Charitate habituale decedit. Igitur, cum per charitatem in Patria beatus diligit Deum propter se, eoque fruitur, hæc est habitus.

Ob. 2. Actus diligendi Deum, licet sit supernaturalis, potest saluari absque habitu, sed cum solo actuali auxilio: ergo. Anteced. prob. Actus dilectionis ante iustificationem est etiam supernaturalis, & tamen absque habitu Charitatis.

192 Resp. de possibili, concedo antec. de facto, & secundum præsentem Dei prouidentiam, nego. Ad probat. concedo assumptum, sed nego consequ. incongruum enim est, vt beatus sibi ipsi, vel alteri, qui in statu peccati fuit, & disposuit se ad iustificationem comparare, sed potius sibimet iusto in via; & sicut in via iustus diligebat per habitum Charitatis, sic & in Patria.

Ob. 3. Frustra multiplicantur entia: ergo. Consequ. prob. Quia sine tali habitu, imò sine aliquo supplente vicem eius viso clarè Deo, posset voluntas elicere actum dilectionis Dei propter se: ergo.

Non frustra ponitur habitus charitatis.

193 Resp. neg. consequ. Deus enim non operatur frustra. Ei autem placuit per hunc habitum eleuare voluntatem, eamque adiuuare ad eliciendum fruitionis actum.

Dices. Non constat, Deum sic fecisse; nullus enim Consiliarius eius fuit: ergo.

Non est necesse, vt quis sit Dei consiliarius, vt sciat quæ disposuit.

194 Resp. neg. ant. ad probat. nego consequ. vt enim mysteria obscura sciantur ab Ecclesia, vel aliqua priuata persona, non est necessarium, vt hæc sit Dei consiliarius, sed vt sit eius auditor. Sancti enim Patres, per quorum ora locutus est Deus non fuerunt Consiliarij Dei, sed Præcones eorum, quæ à Deo loquente audierunt. Deus enim hominibus, vt Scriptura testatur diuerso modò locutus est.

Vrgebis. In hac materia nulli legitur locutus: ergo.

Ecclesia declarauit sensum Scripturæ sensum.

195 Resp. dist. ant. Nulli legitur locutus sub his verbis explicitis, concedo, sub verbis id significantibus, & ab Ecclesia postea sic declaratis, & communi sensu Doctorum sic acceptis, nego. Patuit autem, Ecclesiam in Viennensi, & Tridentino Concilijs adunatam, de habitibus virtutum, & præsertim Charitatis Scripturæ verba declarasse. In eiusmodi autem obscuris ad decreta Conciliorum recurrendum est, ex *cap. fin. dist. 20.*

## ARTICVLVS VIII.

### *An habitus charitatis actiuè concurrat ad fruitionem beatam.*

Scoti mens.

SCOTVS, licet *in 1. sent. dist. 17. q. 2.* discutiens tres sententias Authorum circa causalitatem habituum, etiam supernaturalium, videatur dubius, an sint verè actiui respectu actuum, ad quos dantur, tamen absolutè ibi docet esse actiuos, ita *sub I. & 2 à §. Ad solutionem*, & deinceps. Imo *in §. Sed tunc*, comparat habitum gratiæ ad potentiam, quænam eorum sit causa prima, & dicit esse potentiam; quia ipsa est qua simpliciter possumus, habitus verò, quò sic possumus, *in 3. dist. 13. quæst 4. F. §. ad quartum*, absolutè docet, esse habitum actiuè concurrentem, *in 4. dist 49 quæst 11.* explicatius docet, esse admittendam charitatem in Beatis, vt eliciant operationem. Et tandem in *dist 50. quæst. 6.* ex diuersa intensione habituum charitatis mensurandas dicit intensiones fruitionum.

Plures sent. de ca Charitate habitus charitatis.

196 Adu. in hoc art. plures fuisse DD. sententias, sicut & de lumine gloriæ dictum est, quidam enim dixerunt charitatem in voluntate esse necessariam ad decorem eius. Alij vt causam dispositiuam materialem. Alij vt pondus, seu propensionem inclinantem ad actum diligendi. Alij in genere efficientis quidem, sed solum respectu supernaturalitatis actus, non verò respectu actus. Alij respectu intensionis actus, non autem respectu substantiæ. Alij tandem, & communior est sententia, quod charitas cum voluntate actiuè concurrat ad fruitionem, seu dilectionem Dei propter se. Sed isti adhuc diuisi sunt. Quidam enim dicunt, eam conferre voluntati actiuitatem simpliciter ad producendam fruitionem. Quidam verò docent voluntatem habere secundum se actiuitatem simpliciter; & ideo quod de absoluta Dei potentia possit voluntas ostenso obiecto, eo frui sine aliquo habitu; & de facto tantum ab eo coadiuuatur ad eliciendam fruitionem. Sed de hoc postremo puncto dicam in sequenti. His positis

Subdiuisio authores.

Charitas rò dat solum decorem.

197 Dico 1. Charitas in beatis non debet ob solum decorem, & ornatum animæ admitti. Est *Scoti in 1. dist. 17 quæst 2. GG. in 3. dist. 13. quæst. 4. in 4. dist. 49. quæst. 11.* & communis.

Ratio ex natura habitus

198 Prob. 1. De communi virtutis ratione est, vt potentiam adiuuet ad certas quasdam, & determinatas operationum species. Ergo, cum charitas sit virtus,

propter operationem, non propter ornatum est admittenda.

A pari in via.

199 Prob. 2. Charitas in via non infunditur propter solum animæ ornatum, sed propter dilectionem Dei propter se, & proximi propter Deum. Ergo sic in Patria.

A pari de lumine.

200 Prob. 3. Lumen gloriæ non est in Beatis ad solum decorem, sed vt animam eleuet, secumque concurrat ad eliciendam visionem. Ergo idem de Charitate dicendum.

201 Prob. 4. ex *Scoto sub GG.* si ad solum decorem posset, tam in via, quam in Patria à sola voluntate elici intensissimus, & perfectissimus actus dilectionis; quod est absurdum. Prob. sequela. Sola voluntas esset totale dilectionis principium, igitur si toto conatu ageret, æquè cum habitu, ac sine illo, intensissimè ageret.

201 Conf. ex eodem, si charitas nihil ageret, falsa esset Augustini doctrina, quod *gratia se habeat ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum.* Charitas autem idem realiter est cum gratia, & falsa pariter alia, ex *epist. ad Sixtum*, vbi ait, *& voluntate non præeunte, sed comitante, pedissequa non domina:* at non esset voluntas pedissequa charitatis, si hæc causalitatem nullam exerceret, sed esset tantum ad ornatum voluntatis. Ergo non hoc solo modo concurrit, sed aliter.

Charitas nõ inseruit, vt dispositio materialis.

203 Dico 1. Charitas non est tantum necessaria per modum dispositionis materialis. Est *Scoti in 3. dist. 14. quæst. 2.* & *in 4. dist. 49. quæst. 11. H.* & communis in omni schola.

204 Prob. 1. Alij habitus non sic se habent in potentijs, vt nempè in eis recipiantur proprij actus. Ergo neque charitas.

A sufficienti arg.

205 Prob. 2. Id conueniret charitati ob supernaturalitatem actuum, sed ex hoc capite non competit: ergo. Sequela ma. est euidens; quia alijs habitibus respectu actuum naturalium non competit esse causam materialem. Minor prob. Etiam habitus ipse charitatis est supernaturalis, & tamen non eget alio subtracto in voluntate, quo mediante in ea recipiatur: ergo neque hoc eget actus. Secundo, quia magis est supernaturalis habitus, quam actus; cum ad eum solus Deus concurrat; ad hunc autem etiam potentia, & tamen ille non eget præuia dispositione materiali. Tertio, si ad hoc solum concurrit, frustra concurrit, quia cum fruitio sit actus immanens. Si exit à voluntate immediatè agente, & sine habitu, poterit etiam immediatè recipi. Plus enim requiritur ad agere, quam ad pati.

A paritate luminis.

206 Prob. 3. Lumen gloriæ non sic est necessarium ad videndum. Igitur neque charitas est sic necessaria ad fruendum. Istæ enim duæ potentiæ in ordine ad suos actus sunt æquè dispositæ, ac proportionatę.

207 Prob. 4. Virtutes, aliaque auxilia supernaturalia in via, non sunt necessaria ad recipiendum, sed ad agendum, ait enim Saluator, *Sine me nihil potestis facere. Ioan. 5. Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. ad Rom. 8.* ergo neque charitas in patria est necessaria ad patiendum.

Argum. ad impossibile.

208 Prob. 5. Si tantum ad recipiendum; ergo voluntas ex suis naturalibus, absque concursu charitatis eliceret actum fruendi, seu diligendi. Quod est hæreticum, quia sine Deo cooperante nullus actus supernaturalis fieri potest, ex nuper allato Saluatoris oraculo, *sine me nihil potestis facere.* Adde, quæ supra dicta sunt ex Augustino, quod charitas se habet, vt sessor ad equum, vt domina voluntatis non pedissequa. In casu autem, nec esset pedissequa, quia nil ageret.

Charitas nõ se habet, vt põdus quoddam,

209 Dico 3. Neque potest asseri, quod charitas in Beatis solum se habeat, vt pondus quoddam inclinans voluntatem ad fruendum. Est *Scoti locis cit.* & communis sensus Ecclesiæ, quæ dicit actiuè concurrere.

210 Prob. Hic modus loquendi nouus est, & in Scholis inusitatus; omnis enim habitus, siue naturalis, siue supernaturalis actiuè concurrit cum potentia, cui confertur. Quia adiuuat eam ad operandum; neque potest aliter iuuare, quam actiuè, & non per modum ponderis.

Omnis habitus actiuè concurrit.

211 Prob. 2. Quilibet Philosophus vel Theologus concedit habitui causalitatem circa actum. Ergo non saluatur talis loquendi modus per solam ponderositatem respectu potentiæ elicientis actum.

212 Prob. 3. Omnes concedunt, habitum concurrere, vel ad substantiam, vel ad intensionem actus: ergo aliqua causalitas est ei concedenda.

Argum. ad impossibile.

213 Prob. 4. Si in hoc consisteret virtus habitus charitatis, sequitur, quod eam habens in via, non posset vnquàm peccare; nam grauitas, vel pondus eius semper traheret voluntatem. Habens enim formam sibi prædominantem, non potest moueri contra inclinationem eius: vt patet de mixto graui, quod non potest ascendere contra inclinationem terræ prædominantis.

Charitas in via, & in patria concurrit actiuè.

214 Dico 4. Charitas tam in viatore, quam in comprehensore actiuè cum voluntate concurrit ad dilectionem, seu fruitionem Dei. Est Scoti locis initio artic. citatis, & communis.

215 Prob. 1. Alij habitus supernaturales, vt fides, ac spes in via actiuè concurrunt ad suos actus. Ergo & Charitas, non enim est maior ratio de illis, ac de ista.

Ex definitione habitus.

216 Prob. 2. Ex definitione habitus, vt sic, ex 2. *Ethic. cap. 3.* Est enim qualitas dans operari delectabiliter, faciliter, expeditè, ac promptè, & ex *comment. 3. de anima com. 18.* Habitus est, quo habens vtitur, cum voluerit. Hæc autem sunt prædi-

cata

cata agentis nempè, vel, operari faciliter, &c. Cum ergo Charitas sit habitus contentus sub hoc genere est causa efficiens.

217 Dices hic definiri habitus naturales. Resp. verum esse. Sed definitio illa competit habitui, etiam supernaturali. Et ita conuenit vt moderni ferè omnes dicant, eum, nè dum esse actiuum, sed dare potentiæ actiuitatem simpliciter; quod quidem verum non esse postea dicetur.

Ex inductione arg.

218 Prob. 3. Omnes habitus practici, sunt vel actiui, vel factiui: Charitas autem est habitus practicus: ergo. Sed non est factiua, quia non est ars, ergo actiua. Min. prima patet, quia dirigit actus voluntatis, qui sunt praxes.

Ex communi ratione habitus.

219 Prob. 4. Charitas ex communi ratione habitus inclinat potentiam ad actum; sed non inclinat ad pati: ergo ad agere. Consequ. est à sufficienti, potentia est sum. mè dispositа ad pati, quia non habet contrarium, & ideo immediatè recipit actum.

220 Prob. 5. Qualitates corporis sunt actiuæ; ergo & qualitates animæ, tales sunt habitus: ergo.

Ex proprijs conditionibus charitatis.

221 Prob. 6. Ex proprijs ipsius charitatis affectionibus; Charitas ex 1. Cor. 13. *Patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, &c. Omnia suffert omnia credit, omnia sperat.* Hæ autem omnes sunt operationes in genere causæ efficientis. Ergo ipsa est actiua. Eadem autem est in via, & in Patria ergo concurrit ad Dei dilectionem actiuè.

Ex S. Script.

222 Conf. ex *ep. ad Hab. 12. Habentes gratiam, per quam seruiamus, placentes Deo, cum metu, & reuerentia.* Seruire autem cum metu, & reuerentia, est actus; ergo à gratia efficiente emanat.

223 Conf. 2. ex 1 *Petri 2. Hæc est gratia si propter Dei conscientiam sustineat quis tristitias, patiens iniurias, si benefacientes sustineatis.* Hi autem actus effectiui sunt: ergo.

Ex absurdo argum.

224 Prob. 7. Si charitas actiuè non concurrat ad Dei dilectionem, seu fruitionem in Patria, sequitur, voluntatem posse suis viribus actum supernaturalem elicere, quod est hæreticum. Sequela prob. Nullum enim assignari posset comprincipium, quod esset supernaturale,

Ex effectu.

225 Prob. 8. Charitas datur ad aliquod opus faciendum, nempe diligendum; alioquin esset otiosa. Sed non potest assignari quomodo concurrat ad dilectionem, si ei negetur actiuitas: ergo actiuè concurrit.

Scriptura loquitur de charitate, tanquam de causa efficiente.

226 Prob. 9. Ex multis alijs S. Scripturę locis in quibus de charitate tanquam de efficiente aliquo fit mentio. *Cantic. 8. Fortis est, vt mors dilectio.* Fortitudo autem actiuus habitus est. *Ecclesiastici 2. Qui diligunt Deum conseruabunt viam illius. Ioan. 14. Si diligitis me mandata mea seruate.* & *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* & *Si quis diligit me sermonem meum seruabit. cap. 15. Qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Ad Rom. 12. Charitate fraternitatis inuicem diligentes. 1. Cor. 6. Omnia vestra in charitate fiant. 1. Ioan. 5. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* & *cap. 6. Hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius.* Et alia innumera Scripturæ loca, in quibus causalitas Charitatis declaratur per actiuam influentiam. Igitur eodem modo influit in dilectionem, seu fruitionem Dei, & proximi in eo, in Patria.

Ex August.

227 Prob. 10. ex *S. August. tract. 8. in Epist. Ioan.* Charitas est sicut Imperator, quia sicut iste cunctis militibus, sic illa omnibus virtutibus imperat. Imperare autem ad efficientem pertinet: ergo.

Arg. contr. 1 ex Scoto sumptum.

Ob. contra 1. *Scotus in 1. dist. 17. q. 2. G.* Docet quod per omnes proprietates habitui conuenientes, vt est facilitas delectatio, &c. non potest concludi necessitas habitus supernaturalis: tum quia omnes illæ qualitates haberi possunt per habitus naturales, tum etiam, quia ex illis quis posset concludere naturaliter, se habere habitum supernaturalem; sed ponendus est talis habitus, vt per eum anima sit Deo acceptabilis, & gratificabilis in ordine ad vitam æternam. Ergo Charitas est necessaria animæ ad ornatum, & decorem facientem animam gratam.

Charitas simul facit gratum, & est causa efficiens.

228 Resp. dist. dictum Scoti per eam anima fit grata solum formaliter tanquam à forma solum perficiente. nego. Fit grata formaliter, & efficienter, ita vt effectus eius ex influentia charitatis eliciti sit grati, concedo. & nego consequ. Scotus enim se ipsum statim declarat, sic. Per hanc acceptationem naturæ habitualem etiam quando non operatur; & propter acceptationem actualem actus eliciti à tali natura, oportet ponere habitum supernaturalem; quo habens formaliter acceptetur a Deo, & quo actus elicitus eius acceptetur, tamquam meritorius: & post aliqua addit. Quia, nec actus videretur esse in potestate agentis, nisi illud, quo formaliter ageret esset forma eius; sic ipse: & post multa subsequitur. *Oportet igitur dicere, quod iste habitus præter hoc quod est decor spiritualis, etiam est inclinans ad determinatos actus, & hoc siue non actiuè, siue quod magis videtur actiuè alioquin sine isto haberi posset actus intensissimus diligendi Deum, siue in Patria, & ita beatitudo esset à sola voluntate.* Tandem in §. immediatè sequenti, sed tunc supposito, quod tam voluntas, quam habitus supernaturalis charitatis actiuè concurrant ad operationem, quærit quænam eorum sit causa prima, & quæ secunda. Et dicit potentiam esse primam. Ergo Scotus docet esse actiuam.

Clara est sent. Scoti in contrar.

Arg. contr. 4 vlt.

Ob. contra vlt. ex generica ratione habitus. Qui ex *Philosopho 7. Phis. t. 17. & 5. Met. t. 20.* est ad aliquid. Relatio autem

non est actiua. Ergo Charitas non se habet actiuè.

Habitus pro habere est relatio.

229 Resp. dist. anteced. Habitus acceptus pro vno ex vltimis prædicamentis nempè pro habere, concedo. Habitus sumptus pro prædicamenti qualitatis specie, subdistinguo est ad aliquid, id est pura relatio, nego est ad aliquid id est concretum relatiuum relatione trascendentali aptitudinis, concedo. Sed nego consequ. Quia cum eiusmodi relatiua dicant etiam entitatem absolutam, vt creatura, scientia, &c. Per hanc sunt actiua. Ita *Scotus sub T.*

Ob. 2. Vnius effectus, seu actionis vnius vnum debet esse principium, ex *Coment. in 5. Phis. Comment. 37. & 38.* Sed voluntas est actiua respectu fruitionis. Ergo non debet respectu eiusdem admitti Charitas.

Potentia, & habitus faciunt vnum principium.

230 Resp. ex *Scoto ibid. sub T.* Vnius effectus, vel actionis vnum est principium per se, & in vno ordine causandi, concedo. in diuerso ordine, & per accidens, nego. Ratio est; quia Potentia, & Charitas sunt duo principia in diuerso ordine, & per accidens. Estò enim faciant vnum principium vnitate ordinis, quando simul sunt; habitus tamen est forma accidentalis voluntati. Imò, vt postea dicetur voluntas sola sine ea ex absoluta Dei potentia posset diligere, seu frui, non tamen ita intensè, sicut cum ea.

Ob. 3. Nequit accidens esse actiuum alterius accidentis in proprio subiecto. Charitas autem est accidens: ergo.

231 Resp anteced. Gratis assumi; nam quælibet forma est causa transmutans suum subiectum. Species intelligibilis est causa intellectionis, saltem abstractiuæ in intellectu, cui inest. Adde, quod hoc argumentum concluderet de omni habitu, etiam naturali, & de omni habitu, & auxilio supernaturali; quod in omnibus est falsum, vt experientia constat. Adde, potest potentia in se ipsa causare effectum. Ergo multo magis habitus ab ea distinctus.

Ob. 4. *Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Tenendo tertiam viam*, inclinat in sententiam docentem, quod habitus se habeat in potentia sicut grauitas in graui: igitur non concurrit actiuè ad fruitionem.

Habitus est causa partialis actus.

232 Resp neg. consequ. & suppositum consequentis. Nam tertia vita quam tunc tuetur Scotus est sententia, quam sequitur in *§. Tertio modo sub H.* Vbi dicitur, quod habitus quilibet est causa partialis actiua partialis, quæ facit cum potentia causam totalem vnam vnitate ordinis. In *§.* autem *Tenendo tertiam viam*, id confirmat, & vtitur exemplo grauitatis, sed in ratione actiui, sic dicens; *Quia, sicut si esset in lapide grauitas aliqua quæ non esset sufficiens principium actiuum respectu descensus deorsum esset tamen partiale principium actiuum: Ista inquam grauitas diminuta cum alia potentia motiua principaliter mouente ad descensum posset diminutè agere, ita quod alia potentia motiua ex æquali conatu agente, descensus esset velocior ea, quæ moueretur cum grauitate diminuta, quam ab ea quæ sine grauitate. Ita in proposito habitus mouet potentiam quasi quodam pondus, qui tamen ex se non sufficit ad eliciendum actiuè ipsam operationem, &c.* hæc *Scotus*, ex quibus patet, quod *Scoto* docet habitum actiuè concurrere, sed partialiter.

Exempla clara,

Ob. 5. Habitus est diuersæ speciei à potentia. Ergo non potest concurrere ad effectum eiusdem speciei imò, & numeri, Specie enim differentia, causant effectum specie diuersum.

Plures causæ totales vnitiuocæ non possunt concurrere ad eundem effectum.

233 Resp. neg. consequ. ad probat. dist. De causis totalibus, & vnitiuocis, concedo. de partialibus, & æquiuocis, nego. Manifestum est exemplum de Deo solo elementis, & homine concurrentibus ad eundem numero effectum. De phantasmate, & intellectu agente ad producendam speciem. De intellectu, & obiecto ad notitiam. De voluntate, & bono ad amorem, & sic de alijs.

## ARTICVLVS IX.

### *An Charitas det voluntati actiuitatem simpliciter, vel qualem.*

Scoti mens;

SCOTVS *in 1. sent. dist. 17. quæst. 2. §. Contra istam opin. in 3. dist. 13. quæst. 4. & dist. 14. quæst. 2.* Et alibi sæpe, constanter docet, neque Charitatem, neque gratiam, neque vllum alium habitum supernaturalem conferre potentijs actiuitatem simpliciter, sed solum eas adiuuare, ad intensiorem actum eliciendum.

Idem de lumine dubiũ, iam resolutum.

234 Adu. articulum hunc affinem esse cum alio de lumine gloriæ in *disp. 18. ar. 8.* discusso, ideoque paucis exceptis eodem prorsus modo esse resoluendum.

Aliorum sent.

235 Adu. 2. ex *Scoto loco cit. in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Ad istam supra B. Henricum Gandau. quodlib. 4. quæst. 10.* docuisse quod habitus supernaturalis per hoc differt à naturali, quia hic adiuuat potentiæ actiuitatem, & simul cum ea elicit actum. Supernaturalis verò dat simpliciter agere. Henricum secuti sunt Moderni cum *D. Thoma*. *Goffredus* verò *quodlib. 9. quæst. 4.* vt *Scotus* idem refert *sub G.* Docet vtrumque habitum concurrere ad actum, sed cum hac differentia, quod potentia respectu actus supernaturalis concurrit ad substantiam, habitus autem ad intensionem. In naturalibus verò, tam potentia, quam habitus concurrunt ad vtrumque. *Scotus* autem in eod. loco *§. Tertio modo H.* Docet Charitatem sicut, & alios habitus supernaturales esse causam actiuam partialem respectu

Scoti sent,

actus;

actus; & in §. *Concede igitur*, inquit, has duas causas, nempe potentiam, & habitum facere vnam causam vnitate ordinis, ita vt habitus se habeat, vt causa secunda, potentia verò vt prima. His autem positis.

Charitas nõ dat actiuitatem simpliciter.

236 *Dico* 1. Charitas non tribuit voluntati actiuitatem simpliciter ad diligendum Deum, seu fruendum eo. Est Scoti vbi supra, quem sequuntur moderni multi, sicut in articulo de lumine gloriæ.

237 Prob. 1. ex *Scoto* §. *Contra istam* B. si Charitas dat simpliciter operari esset potentia. Potentia enim est illa qua simpliciter possumus, habitus verò, quo sic possumus. Quod est absurdum: ergo.

Absurda multa.

238 Prob. 2. Si Charitas dat actiuitatem simpliciter, sequitur, quod voluntas fruens se haberet, vt aqua calefaciens, & sic non esset per se actiua respectu fruitionis, sicut nec aqua respectu calefactionis. Quod est absurdum.

Sequitur quod separata posset agere.

239 Conf. Si sic dat actiuitatem sequitur, quod sicut calor separatus ab aqua, & alteri inhærens, vel solitariè existens posset calefacere, ita Charitas separata à voluntate posset frui. Quod est falsum. Sequela prob. Quod est per se principium agendi in aliquo subiecto, si per se sit, id est à subiecto separatum, potest per se operari. Et hoc patet de omni forma actiua existente in subiecto, vt anima respectu cognitionis, & volitionis, igne in materia, forma aquæ in aqua, &c. Nullo prorsus excluso, quia per se actiuum retinet in se hoc esse; & subiectum ratione eius per accidens tantum est tale; ideoque ab isto separatum, est semper tale. Falsitas autem est euidens; quia habitus quilibet est qualitas mortua, & nequit dilectionem, seu fruitionem, aliamue similem operationem elicere.

A pari in via.

240 Prob. 3. Si Charitas dat simpliciter agere, hoc idem faceret in via, quoniam est eiusdem rationis, imò eadem numero cum charitate in Patria, & ad actus supernaturales vtrobique concurrit. Sed nequit hoc præstare in via: ergo neque in Patria. Min. prob. Si hoc faceret in via, actus ex ea, & voluntate procedens, non esset liber; quia Charitas est principium merè naturale, seu necessariò ac determinatè agens; & sic nullum velle ex charitate elicitum, esset liberum.

Non posset perdi.

241 Conf. sequitur pariter, quod semel habens charitatem, numquam posset eam amittere, quia nec peccare mortaliter; quod est hæreticum. Prob. sequela anteced. Habens formam actiuam totaliter, seu simpliciter sibi prædominantem, non potest moueri contra inclinationem talis formæ prædominantis. In casu autem charitas esset principium totale, ac simpliciter, & prædominans. Ergo semper voluntas sequeretur prædominium charitatis, & sic numquam peccabit. Operans enim ex charitatis influentia, ac prædominio sanctè semper operatur.

Actus amandi nó essent actus voluntatis.

242 Conf. 2. Si sic dat actiuitatem, dilectio, & fruitio non possent dici ipsius fruentis; quia non essent in libera eius potestate, & sic neque essent meritoriæ. Neque fruens dici posset agere illa actione, quæ maxima sunt absurda. Prob. sequela. Duo adessent in operante, voluntas, & Charitas, illa non est de se actiua, quia sola Charitas supponitur actiua simpliciter, Charitas autem non est libera, quia est qualitas necessariò agens. Igitur operatio sequens, cum non esset à voluntate libera, sed à Charitate totaliter, & simpliciter efficiente, non esset libera. Actio autem non libera libertate indifferentiæ, sed solius coactionis, non est meritoria, vt fides docet: ergo.

Arg. ex implicantijs.

243 Prob. 4. Implicat in adiecto formam non vitalem formaliter, vel virtualiter producere totaliter, ac simpliciter operationem vitalem. Alioquin lapis posset sensationem, vel intellectionem producere. Sed Charitas est mortua qualitas, omni vitali potentia carens. Ergo nequit simpliciter dare actiuitatem voluntati respectu fruitionis.

Ex impugnent. contra

244 Prob. 5. Hæc sententia eo potissimum nititur fundamento; quia fruitio, seu dilectio Dei super omnia, & propter se nequit esse à potentia, seu forma naturali, cum sit supernaturalis actio, ideoque danda est forma supernaturalis ad eam simpliciter concurrens. Sed hoc non obstat: ergo. Minor probatur. In via dantur actus fidei, & spei supernaturales procedentes ab his habitibus infusis; & tamen nullus huc vsque dixit, solum habitum fidei, aut spei producere actum credendi, aut sperandi, & qui hoc diceret, esset deridendus, homo enim credit id est fidei actum ex habitus inclinatione producit, ait enim Saluator, *Marci vlt.* 10. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*, & ex *Rom.* 10. *Quomodo credent sine prædicante?* Si ergo actus credendi non est ab ipsomet homine, quomodo per eum meretur, vel demeretur salutem? & hoc est argumentum Scoti nuper allatum, de merito. Adde, quod si habitus fidei, aut spei simpliciter, aut totaliter hos actus eliceret, cum sint qualitates necessariò agentes, semper hos actus produceret, & continuo homo esset in actu credendi, ac sperandi; vel saltem propositis obiectis spei, & fidei, non posset non credere, & sperare cuius contrarium experitur. Ergo supernalitas actuum non exigit, vt habitus tantum habeant actiuitatem simpliciter respectu eorum.

Tollereturomne meritum.

Homo nihil ageret se disponendo ad iustificationem,

245 Conf. Ex supernaturalitate actus conceditur soli causæ supernaturali actiuitas: sequitur, quod peccator disponens se ad iustificationem per actus dilectionis pœniten-

nitentiæ, fidei, ac ſpei, eſto careret his omnibus habitibus, nihil ageret, quod eſt hæreticum. Prob. ſequela. Omnes illi actus ſunt ſupernaturales, neque poſſunt fieri ſine ſpeciali Spiritus ſancti inſpiratione, & adiutorio, ex *Concil. Trident. ſeſſ. 6. can 3.* Igitur à ſolo illo ſupernaturali auxilio eſſent totaliter. Quid ergo ageret homo? nihil certè in hac ſententia.

Eſt impertinibilis hæc ſent.

246 Prob. tandem. Eſt prorſus incapibile, quomodo charitas poſſet actum dilectionis, ſeu fruitionis ſimpliciter efficere in voluntate. Vel enim hęc reciperet dilectionem cauſatam à charitate, & ipſa per eandem tẽderet in obiectum beatificum, vel vtrumque eſſet à charitate. Si dicitur ſecundum, eſt impoſſibile, & fatuum. Quia charitas non attingit vitaliter, ſed ſuppoſitum eam habens; hoc enim eſt fruens, & beatum, non verò Charitas. Si dicitur primum; eſt pariter abſonum; nam actus ille dilectionis eſt vitalis formaliter; ideoque non poteſt produci à principio non vitali totaliter. Secundò, quia vrget idem inconueniens. Conceſſo enim, quod ſpiratio, ſeu fruitionis productio ſit à ſola Charitate, quomodo attingentia obiecti per eam erit à voluntate. Tertio, quia qui id defendunt, docent actum vitalem non poſſe produci ab extrinſeco; in caſu autem eſt ab extrinſeco. Quarto, vitalitas dilectionis, vel conſiſtit in productione illius; vel in attingentia obiecti per eam: quidquid dicatur, recurrit difficultas, quæ vrget aduerſarios. Tendentia enim illa, ſeu attingentia obiecti, eſt circa obiectum ſupernaturale, igitur deberet ab aliquo ſupernaturali eſſe ex eorum ſiſtemate. Et ſic neque attingentia eſſet à voluntate. Quid ergo facit homo, vel Angelus fruens, ſi neque fruitionem, neque attingentiam obiecti producit. Certè non ipſe, ſed habitus Charitatis fruitur. Negandum ergo erit, quod homo fruatur, & hoc eſt hæreticum, quia ipſi non habitui dicetur, *Intra in gaudium Domini tui*; vel negandum erit, quod ſola, & totaliter, ac ſimpliciter Charitas efficiat actum fruitionis; quæ conſequentia neceſſaria eſt.

Implicantiæ multæ in ea ſent,

Dilemma neceſſarium.

247 Dico 1. Neque poteſt dici, quod voluntas concurrat ad ſubſtantiam fruitionis, Charitas verò ad eius intenſionem. Eſt communis contra *Goffredum cum Scoto in 1. diſt. 17. quæſt. 2. §. Alio modo G.*

Neque dici poteſt, quod charitas ad ſolam intenſionem concurrit.

248 Prob. 1. ex *Scoto ibid.* Intenſio actus non eſt aliquid ei extrinſecum, ſed gradus actui intrinſecus, quia actus cum intenſione eſt quid per ſe vnum indiuiduum in ſpecie. Ergo fieri non poteſt, vt aliud ſit principium ſubſtantiæ eius aliud verò intenſionis. Conſequ. prob. A quo accidens aliquod habet eſſe, ab eodem habet gradum intrinſecum ſuo eſſe. Qui enim producit calorem, neceſſe eſt, vt in aliquo gradu intenſum producat, & impoſſibile eſt, vt quodlibet accidens ſuſcipiens magis, & minus, vel etiam non ſuſcipiens producatur ab aliquo agente, quin recipiat ab eo gradum determinatum, & ſignatum in indiuiduo.

A priori arg.

249 Prob. 2. ex eodem *Scoto ibid.* Si ab habitu Charitatis eſſet intenſio in Patria, & in via, non verò ſubſtantia actus voluntatis, vt dilectio, aut fruitio; ſequitur hoc abſurdum, quod quantumuis modicè conetur voluntas, ſemper tamen actus eius eſſet æquè intenſus: ergo. Prob. ſequela. Si cum cauſa libera cooperetur etiam cauſa naturalis, hæc operatur quantum poteſt non enim poteſt moderare ſuum influxum, vt modo magis, modo minus influat; igitur, licet libera non operante, ipſa naturalis non cooperetur, tamen illa operante, hæc ſemper vniformiter agit; quia à nemine poteſt impediri, & refrenari: & ſic dum voluntas produceret ſubſtantiam actus, modo maiori modo minori conatu; habitus charitatis, qui producit intenſionem, vniformiter ſemper eam produceret, quia neceſſariò, & modo determinato ſemper cauſaret. Et certè euidenter hoc argumento conuincitur aduerſarius.

Magnum abſurdum;

Semper maximus eſſet actus.

250 Prob. 3. ex eodem. Si charitas daret intenſionem, hoc erit in aliquo gradu finito. Signetur iſte gradus, & ſit vt quatuor, certum eſt, quod voluntas cum tali habitu producet dilectionem, vt quatuor. Tunc ſic, fiat à Deo alia voluntas excedens, ſeu magis perfecta, quam prima, & habeat eundem habitum, quem habet prima, vel non habeat: ſi habeat, certe producet actum intenſiorem, quam prima, & tunc exceſſus iſte intenſionis, non erit à ſolo habitu. Si non habet, & excedat etiam perfectionem habitus, adhuc eliceret actum aliquo modo intenſum, & ſic intenſio non eſſet ab habitu. Sed hæc ſecunda ſequela, quæ Scoti eſt (ſalua pace) non conuincit; quia diceret aduerſarius quantumuis creſcat voluntas, numquam poterit ſine habitu actum ſupernaturalem elicere, neque remiſſum. Et ſic, quia non concludit, ego primam intuli ſequelam, quæ concludit. Quia eſt inueriſimile, & impoſſibile, quod voluntas perfectior cum habitu non eliciat actum intenſiorem.

Aliud abſurdum,

Ingenuitas Authoris.

251 Dico 3. Charitas auget in ſuo genere, ſicut cæteri habitus actiuitatem voluntatis reſpectu fruitionis. Eſt *Scoti in 1. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. § Tertio modo H.*

Charitas auget actiuitatem, ſicut cæteri habitus,

252 Prob. Alij habitus, ſiue naturales, ſiue ſupernaturales hoc modo concurrunt cum potentijs; iſtæ enim ſaltem partialiter cum eis agunt. Ergo idem de charitate eſt dicendum; alioquin non videtur, quomodo charitas concurrat actiuè. Antecedens probatur. Fides, ac ſpes in via, & lumen gloriæ in Patria, ſic concurrunt. Potentijs enim accreſcit virtus per habi-

tum,

rum, vt terminis vtar S. Thomæ loquentis de lumine gloriæ 1. *par. quæst.* 12. *art.* 5. *in corp.* vbi ait, *Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex diuina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi, & hoc augmentum virtutis intellectiuæ illuminationem vocamus, &c.* ergo, sicut lumen auget actiuitatem intellectus, ita charitas actiuitatem voluntatis.

Ex S. Thom. potentiæ accrescit virtus per habitum,

253 Conf. & reddit in idem. In via voluntas actiuè concurrit ad actus, siue elicitos, siue imperatos bonos, ac sanctos. Ergo, dum ei cooperatur habitus supernaturalis, seu auxilium, ista augent actiuitatem. Anteced. potest innumeris scripturæ locis, vt in articulo præced. probari. Ait enim Saluator, *si vis ad vitam ingredi serua mandata. Matth. 19. Et hoc fac, & viues. Sine me nihil potestis facere. Ioan. 15. Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, & proximum sicut te ipsum. Deut 6. & Matt. 22. Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri. Matth. 5. Facite vobis facculos de mammona iniquitatis.* Et enumerari possunt omnia præcepta Decalogi, quæ homini imponuntur, vt ea exequatur, igitur actiuè se habet in eorum obseruantia. Cum ergo habitus supernaturalis, imo & auxilium actuale etiam concurrat, nequeunt hæc alio modo cooperari, & concurrere, nisi actiuè, & partialiter adiuuando, seu seu accrescendo actiuitatem potentiæ.

Scripturæ loca de actiuo concursu

254 Prob. 2. Nequit alio modo explicari adiutorium, quo eget homo ad exercendos actus supernaturales, concurrens actiuè cum voluntate. Et hac de causa omne supernaturale vocatur adiutorium, seu auxilium, quia potentiam adiuuat, vnde *Psal. 7. Adiutorium meum à Domino. Ps. 34. Exurge in adiutorium mihi. Psal. 69. Deus in adiutorium meum intende. Psal. 87. Factus sum sicut homo sine adiutorio.* Item sæpe nomine auxilij appellatur donum supernaturale, quod facit nos operari sanctè. *Psal. 19. Mittat tibi auxilium de sancto. Psal. 59. Da nobis auxilium de tribulatione. Psal. 70. Deus meus in auxilium meum respice. Psal. 83. Beatus vir cuius est auxilium abi te. Psal. 120. Auxilium meum à Domino*, & alia penè innumera sacri testus suppetunt loca, in quibus habetur, supernaturales formas, quibus possumus sanctè operari, & actu operamur dicuntur auxilia, & adiutoria, quibus iuuamur fortificamur, & habemus potentiam proximam ad sanctè operandum. Eiusmodi autem supernaturalia auxilia, seu adiutoria quædam sunt habitualia, vt omnes infusi habitus, quædam actualia, quæ permanentia non sunt, sed in solo fieri consistunt, & ista per anthonomasiam appellantur regulariter auxilia actualia.

Arg. ex natura agendi hominis ex Dei adiutorio.

Auxilia omnia supernaturalia actiuè concurrunt.

255 Ex his autem concludo, quod cum habitus charitatis, sicut, & cæteri infusi dicantur, & sint adiutoria, seu auxilia hominis, habent effectum nominiproprium, adiuuare nempe actiuitatem potentiæ. Vtrumque enim, habitus scilicet, ac potentia actiuè influunt; sed potentia, vt principale agens adiutum ab habitu; hic autem, vt adiuuans.

Nequit iuuare nisi actiuè,

256 Dico 4. Voluntas, & charitas se habent in operando, vt causa prima, & secunda vtraque tamen partialiter producit fruitionem. Est *Scoti in 1. sent. dist. 17. quæst. 2. H. & I.* Secus de supernaturalitate.

Voluntas est causa prima,

257 Prob. 1. De ratione agentis ordinati est, vt potentia, vtatur habitu non è conuerso. Vtens autem est principalius eo quo vtitur, quia hoc se habet instrumentum, vel causa secunda: ergo.

258 Prob. 2. Causa superior est illimitatior in agendo, saltem extensiuè. Voluntas autem sic se habet respectu Charitatis, quia in plura se potest extendere, quam Charitas. Ergo hæc est causa inferior in operando.

259 Prob. 3. Quilibet habitus est causa naturalis, seu necessariò agens. Ergo, si ipsa esset causa prima mouens, & directrix potentiæ, ista ageret per modum naturæ: nam agens, quod agit in quantum mouetur, si mouetur per modum naturæ, eodem modo agit. Et sic omnis actio potentiæ liberæ esset naturalis, & necessaria, quod est falsum.

Ex absurdo arg.

260 Prob. 4. ex dicendis in seq. art. Per absolutam Dei potentiam haberi potest actus fruitionis Dei propter se sine habitu charitatis, non tamen sine voluntate, saltem tendente, quidquid sit de producente. Ergo ipsa est principalior circa actus substantiam.

Sine charitate haberi potest absolutè fruitio.

261 Prob. 5. Ex super dictis, habitus omnes sunt auxilia, & adiutoria potentiarum. At de ratione auxiliarij non est, vt sit causa principalis respectu eius cui datur in auxilium patet manifeste, tam in physicis, quam in politicis.

Adiutoria sunt causæ secundariæ.

262 Prob. 6. Potentiæ competit frui, & ipsa denominatur fruens: ergo. Imò repugnat dicere charitatem frui. Adde, quod voluntas fruitur ipsamet charitate. Non è contra: ergo.

263 Prob. 7. Vitalis actus principalior causa, est vitalis potentia. Sed hoc est substantialius in fruitione, ergo principalius est à potentia, quam ab habitu; quò enim effectus magis assimilatur causæ, eò magis ostendit principalitatem causantis, quæ ex vniuocatione, seu assimilatione maiore, vel minore attenditur.

Ex vniuocatione, vel assimilatione attenditur principalitas,

264 Sed quo ad supernaturalitatem aliter dicendum est: nam non à potentia, sed ab obiecto, & habitu desumitur. Et licet indiuisibiliter fruitio sit à potentia, & habitu, & totum hoc coniunctum dicatur quid supernaturale non tamen syncate-

Secus quoad supernaturalitatem.

gore-

gorematicè sumptum, sed categorematicè; quod sufficit ad denominandum actum supernaturalem, id est à principio aliquo supernaturali procedentem.

Arg.contr.8

265 Ob. contra 1. Omnibus arg. quibus in *disput. 18. art. 8.* argutum est pro lumine gloriæ, quod det actiuitatem simpliciter, & eodem modo respondetur, nempe, quod voluntas habet ex parte potentiæ totam virtutem ad fruendam quocunque obiecto, siue finito, siue infinito; quia est totius entis. Quia tamen nequit habere illud infinitum obiectiuè præsens, eget auxilio supernaturali, vt fiat præsens. Habita autem præsentia, de lege ordinaria ex Dei ordinatione eget habitu supernaturali, quo adiuuatur, vt intensiorem actum eliciat sed, vt postea dicetur posset ex se elicere, sine habitu non tamen ita intensum.

Ob. 2. Fruitio, seu dilectio est qnid supernaturale. Ergo à virtute supernaturali elicienda. Effectus enim debet causæ proportionari.

Denominatio supernaturalis habetur ab vno principio.

266 Resp. dist. consequ. A virtute supernaturali totaliter eliciente, nego. partialiter saltem, concedo. Hoc autem sufficit, vt patet de actibus in meritorijs, siue de condigno, siue de congruo, qui sunt supernaturales, facti tamen à potentia supernaturaliter adiuta. Imò, vt dictum est de Visione, solo Deo concurrente cum potentia, adhuc actus ille esset supernaturalis; quia concursus ille Dei immediatè præsentis per modum visibilis, & fruibilis. esset supernaturalis; & hoc sufficeret ad denominandum effectum supernaturalem.

Ob. 3. Voluntas sine habitu non potest frui Deo clarè viso: ergo. Consequ. prob. Hoc est præcisum signum causæ, seu formæ dantis actiuitatem simpliciter, vt sine ea produci nequeat effectus, cum ea possit: ergo. Anteced. prob. Quia actus supernaturalis debet esse à forma supernaturali.

Sine habitu supernaturali voluntas posset frui.

267 Resp. ex *Scoto in 1. dist 17. quæst. 2. §. Ad argumenta pro opinione OO. ad 2.* neg. anteced. & ait, quod si Deus ostendatur voluntati nude vt in se est, vel etiam per actum fidei, posset voluntas sine habitu Charitatis eum amare; sed tamen talis actus, nec esset beatificus, nec meritorius, idem docuerat in eodem *1. dist. 1. quæst. 4. §. Quantum igitur ad 1.* in fine. Sed de hoc argumento fusè dicetur in articulo seq. qui in hoc versatur. Et ibidem dicetur, an dilectio illa esset supernaturalis, vel beata.

Ob. 4. Dilectio propter se Dei, est donum eius. Ergo vel dependet immediatè à Deo, vel totaliter ab habitu Charitatis.

Merita nostra sunt Dei dona, & tamen à nobis sunt,

268 Resp. neg. consequ. Omnia enim bona opera sunt Dei dona, vnde Apostolus *1. Cor. 4. 7. Quis te discernit? quid habes quod non accepisti.* & *Trident. sess. 16. cap. 16. Deus vult nostra esse merita tua dona*, & tamen ad ea concurrit potentia. Ideo *Scotus in dist. 17. vbi supra sub PP. §. ad 3.* ait actum fruendi non creari loquendo propriè de creatione, quia respectu eius concurrit causa secunda actiua; secus dicendum de actu primo supernaturali, nempe habitu, qui totaliter est à Deo. Itaque ex ratione doni Dei non compellimur asserere esse totaliter ab habitu; imò repugnat hoc dicere, cum habitus non sit causa viralis. Et optime saluatur ratio doni per dependentiam ab habitu, quod est immediatum, & totale donum. Secundo ex concursu ipsius obiecti nudè, seu clarè visi.

269 Alia arg. desumantur, vt dixi, ex *disp. 19. art. 8.* Et facilius pro actu fruitionis soluuntur, quia iam obiectum supponitur supernaturaliter visum, voluntas autem amat quodcunque visum, etiam si amor ille esset naturalis, & non beatificus.

Arg.contr.2 ex Scoto desumpta,

Contra 2. Ipsemet *Scotus in 1. loco cit. sub PP. ad 1.* ait, quod si voluntas ex suis viribus operaretur sine habitu charitatis, non eliceret actum adeo intensum, sicut voluntas habituata. Idem docet *in 3. dist. 13. quæst. 4.* Ad quam etiam se remittit in *dist. 14. quæst. 2. C.* loquens de intellectu sine lumine, & cum lumine, quod nempe non ita intensè operaretur sine eo, sicut cum eo. Ergo habitus concurrit ad intensionem actus.

Conf. Experientia patet in non habituatis, & habituatis; primi enim remissum actum circa aliquod obiectum habere possunt: secundi verò intensum; hæc autem intensio prouenit ab habitu, quia eo præciso non adest: ergo.

Scotus non bene adducitur.

270 Resp nego consequ. Ex eo enim Scoti discursu colligitur, quod actus intensior, non autem intensio sit ab habitu; Potentia enim sola facit actum v. g. vt duo; habituata tamen, facit vt quatuor; isti autem omnes indiuisibiliter sunt à potentia, & habitu. Et per idem ad confirmationem; habituatus enim experitur se facere actum habentem plures gradus, seu partes; non verò, quod partes actus sint à potentia, intensio vero ab habitu. Quid autem est intensio, nisi additio gradus ad gradum, seu partis ad partem in eadem parte subiecti, & hoc quando successiuè qualitas aliqua intenditur, quod nequit actui aptari, quia totus simul producitur. Quando ergo à potentia habituata exit actus cum sex partibus, seu gradibus, & tamen prius à non habituata exibat cum duobus; quis discernet partes causatas ab habitu? at dato, quod discernat; inueniet habitum etiam concurrisse ad substantiam partialem actus: omnes enim illæ partes, siue à potentia, siue ab habitu emanantes faciunt totam actus substantiam.

Partes actus simul à toto principio completo producuntur.

Ob. contra 3. Habitus actiuitas est diuersæ rationis ab actiuitate potentiæ. Igitur, si concurrit coagendo potentiæ, effectus

Arg. contr. 3

que erit ætherogeneus. Quod est absurdum, & falsum, quia est homogeneus. Prob. consequ. Quælibet causa intendit assimilare sibi effectum quantum potest.

Arg. hoc est contra omnes habitus, sed nihil officit.

271 Resp. hoc arg. æquè vrgere contra omnes habitus, & tamen nullum infringit. Ideo negatur consequ. Quia actiuitas illa est conformis indigentiæ potentiæ; & licet diuersæ rationis, quia non vitalis, sicut potentia; tamen non facit effectum diuersum, sed se habent sicut causa prima, & secunda respectu eiusdem numero effectus, sicut sol, & arbor fici respectu fructus, & sic de alijs, quæ ætherogenea sunt, & producunt effectum homogeneum; quia vnum eorum est principale, alia vero adiuuant. Ita prorsus de voluntate, & habitu dicendum.

Effectus ab habitu, & potentia homogeneus.

Instabis actiuitas habitus est supernaturalis, & actiuitas potentiæ naturalis. Igitur non possunt facere aliquod vnum actiuum per se.

272 Resp. 1. ex *Scoto sub* PP. dupliciter, primò quod potentia naturalis, & habitus supernaturalis faciunt vnum vnitate ordinis, sicut Deus, & creatura, & tamen eundem indiuisibilem effectum producunt, & ex solo habitu supernaturali actus est supernaturalis.

Quomodo habitus, & potentia faciunt vnum actiuum per se.

Respondet 2. & hoc est valdè notandum, quod habitus est supernaturalis, quia à Deo solo producibilis, ac productus: tamen iste habitus iam positus ineſſe est causa naturalis, & actus procedens ab illis duobus principijs est naturalis. At omittendo pro nunc hoc arduum dubium; argumentum adductum non officit, quia ita se habet actiuitas luminis gloriæ, cum intellectu, & tamen ab vtroque vnus effectus emanat. Ita fides, & intellectus in via, & tamen vnus indiuisibiliter actus credendi ab ijs efficitur, ita voluntas, ac spes, vel gratia, seu Charitas; & tamen ab vtroque principio idem actus emanat, quia hæc omnia faciunt vnum vnitate ordinis.

Habitus supernaturalis est causa naturalis.

Ob. contra vlt. Charitas ex *Aug. tract. 8. in epist. Ioan.* circa principium, comparatur Imperatori respectu militum. Ergo habet rationem causæ primæ. Sic enim se habet Imperator.

Arg. contr. vlt.

273 Resp. dist. Respectu aliarum virtutum est Imperator, concedo. respectu voluntatis, nego. Augustinus autem explicitè id dicit, *Sic illa virtutibus omnibus imperat*. Non autem voluntati, sicut nec imperator id est dux exercitus imperans militibus, imperat etiam Principi, seu Regi, cui inseruit. Habitus autem, vt sæpe diximus inseruiunt voluntati, adiuuantes eius debilitatem. Igitur ei non imperant, quia sic essent domini, non auxiliares eius.

Habitum inseruit voluntati.

Ob. 2. ex *S. Aug. lib. arb.* se habet ad voluntatem hominis, sicut sessor ad equum. & *in ep. ad Sixtum*, nec non ad Bonifacium. Voluntas est gratiæ pedisequa, non domina. Charitas autem, & gratia idem sunt ex Scoto. Ergo est causa prima, non secunda.

274 Resp. intelligi *Augustinum*. De gratia actuali, seu auxilio, siue sufficienti, siue efficaci; ipsum enim voluntatem, id est volitionem præcedit, illuminando intellectum, & inflammando voluntatem ad operandum, & voluntas sine ista gratia nequit operari, neque est potens completè in actu primo, & vtique voluntas respectu auxilij efficacis, ex *Augustino* pedisequa est, quia ipsum trahens sequitur delectabiliter, hoc enim Pater cælestis trahit hominem, nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum *Ioan. 6.* & ex eodem motiuo se habet ad voluntatem, vt sessor ad equum eam mouendo incitando, faciens, vt voluntas faciat; vnde Apostolus, *Ad Rom. Quicunque spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*. Et Ecclesia orat, vt Deus nostras rebelles ad se compellat voluntates, id est per auxilium efficax gratiæ. At non loquitur *Aug.* de virtutibus, seu habitibus; isti enim sunt veluti mortuæ quædam qualitates in anima, quæ non excitant, aut mouent; sed quando voluntas auxilio excitata operatur, habitu, quem habet vtitur,

Quomodo gratia actualis iuuet voluntatem.

Auxilia sunt quæ dominantur.

Ob. 3. Forma superioris ordinis nequit esse velut causa secunda, respectu alterius rei ordinis inferioris: ergo. Anteced. prob. Forma superioris ordinis dirigit agens inferius. Consequ. prob. Quia directum est causa secunda respectu dirigentis.

275 Resp. dist. anteced. Si forma superioris ordinis detur, vt instrumentum respectu agentis ordinis inferioris, nego anteced. Si detur, vt agens vniuersalius, seu principalius, concedo anteced. Per idem ad probationem; quia habitus, aliæque formæ supernaturales dantur agenti rationali, vt adiutoria, & instrumenta, quibus medijs agens rationale operatur. Instrumenta autem nequeunt esse causa principalis respectu agentis, eo vel maximè, quod habitus sunt qualitates mortuæ. Addo, quod licet respectu supernaturalitatis sint causæ principales, absolutè tamen respectu actus, ad quem cum potentia concurrunt, nequeunt dici tales.

Forma superioris ordinis si detur, vt instrumentum inseruit potentiæ.

276 Ad illud de directione dicendum, quod habitus non possunt habere rationem directiui, sed potius directi; prudentia enim, & iudicium practicum intellectus habent rationem directiui. Imò, etiam si haberent rationem directiui, non proinde essent causæ principaliores, seu primæ respectu actum, quia dirigerent per modum dictantis, non per modum imperantis, vt facit voluntas. Et patam hoc est in omni agibili. licet enim fides pro supernaturalibus, & prudentia pro naturalibus dictent, & dirigant circa opus agibile, tamen non sunt causa prima respectu operis facti, sed voluntas est talis causa. Ita prorsus in casu. Addendum insuper, quod hoc argumentum vrgeret etiam pro auxilijs actualibus,

Habitus non dirigunt potentias.

Exempla ad hoc.

bus, quibus vtitur voluntas, cum possit ea respuere, & dissentire si velit, vt docet *Concil Trident sess. 6. can. 4.* & de facto sæpè dissentiat, respuat, eisque resistat, ex *Prouerb. 1. 24. Conuertimini ad correctionem meam proferam vobis spiritum meum, & ostendam verba mea. Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, &c.* & *Actuum 7. Dura cervice, &c. Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Igitur si istæ formæ supernaturales, eo quod tales non sunt causæ, principales respectu actus, vt sic, sed voluntas; neque aliæ similes formæ supernaturales; cum, sicut dictum est, sint auxiliares respectu voluntatis.

Voluntas sæpe resistit.

## ARTICVLVS X.

### *An voluntas de potentia absoluta Dei possit frui sine Charitate.*

Scoti mens.

SCOTVS pluribus in locis suæ doctrinæ tenet affirmatiuam partem vt *in 1. sent. dist. 1. quæst. 4. §. In ista quæst.* Proponit enim quatuor quærenda, quorum vltimum est, an fine vltimo clare viso in non habente habitum supernaturalem in voluntate; posito, quod Deus de potentia absoluta ostenderet se intellectui, non dando habitum aliquem supernaturalem voluntati, posset voluntas illo fine frui. Ad quod respondet in §. *Quantum igitur*, in fine dicens, *Quantum ad quartum dico, quod voluntas non eleuata supernaturaliter potest frui illo fine*, item in cod. 1. *sent. dist. 17. quæst. 2. § Ad argumenta pro opinione, quæ imponitur Magistro.* Idem docet, posse nempè voluntatem habere ex puris naturalibus actum circa obiectum supernaturale visum; sed subdit, quod iste actus non esset beatitudo, quia non esset ita perfectus; sicut posset haberi à tali potentia. Item in 3. *sent. dist. 13. qu. 4. §. Ad quartam P.* docet, *quod si obiectum fruibile sit præsens intellectui, & voluntas sine omni habitu, præsente tali obiecto possit actum elicere, &c.* Non posset tantam fruitionem elicere quantam elicit cum habitu, idem colligitur ex eodem *in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. H.* Vbi de facto tantum dicit necessarios esse habitus supernaturales in intellectu, & voluntate beatorum, secus tamen absolutè, ita expressè *sub H.* in fine.

Sensus multiplex.

277 Adu. sensum quæsiti facilem esse; ex ijs, quæ in præcedenti articulo, & in *disp. 18. art. 10.* de luminis gloriæ necessitate dicta sunt; eædem enim sunt rationes pro vtriusque habitus necessitate. Plura ergo complectitur hic artic. primum si intellectu (siue illuminato, siue non) ostenso Deo clarè, & immediatè, voluntas posset illo frui, etiam si careret habitu Charitatis. Secundo, an in eo casu esset necessarium, vt charitas suppleretur per aliquid aliud supernaturale existens in voluntate. Tertio, an fruitio illa posset esse tantæ intensionis, quantæ fieret cum adiutorio illo siue habitus charitatis siue alterius supernaturalis formæ. Quarto, an fruitio illa, si sit possibilis, esset beata. Quæ omnia hic breuiter, sed distinctè discutientur.

Plura discutienda.

278 Dico 1. De absoluta Dei potentia potest se Deus ostendere alicui habenti lumen gloriæ in intellectu, non verò charitatem in voluntate, & talis voluntas posset Deum propter se diligere, seu eo frui. Est Scoti locis initio art. citatis.

Si voluntas non habet charitatem, & Deus se clare ostendit, potest frui,

279 Prob. prima pars. Nulla est implicantia, quin Deus ostendat se animæ, vel Angelo illustrato lumine gloriæ, non verò habituato charitate: ergo. Anteced. prob. Talis ostensio, immò, & visio, quæ indè sequitur, non dependet essentialiter ab habitu Charitatis.

280 Confirmatur potest Deus pet fidem cognosci, & credi ab homine non habente habitum Charitatis. Ergo per lumen gloriæ videri ab anima carente hoc habitu. Consequ. est euidens, quia vterque actus, tam credendi fide infusa, quam videndi lumine gloriæ, est actus supernaturalis; & sic cum sit potentiæ prioris naturæ voluntate, potest poni in esse independenter ab habitu voluntatis. Antecedens probatur, quia existens in peccato mortali potest elicere actum fidei supernaturalem, licet informem, & non meritorium.

A priori ratio,

281 Prob. secunda pars. Voluntas in puris naturalibus potest propter se diligere quodlibet bonum, nedum reale, ac verum, sed apparens, vt dictum est de obiecto fruitionis, & in hoc est maxima peruersitas, vt homo vtatur fruendis, & fruatur vtendis, ex *Aug. lib. 83. qq. q. 30.* Frui autem vtendis est amare propter se bonum summum præstitutum, vel apparens. Ergo multò magis potest propter se amare summum bonum reale, ac verum clarè visum. Consequ. prob. Nihil eam impedit, quin sic amet.

A pari de operante in via.

282 Prob. 2. Quilibet purus Philosophus concludens à posteriori dari causam primam, seu primum bonum, ac vltimum finem, potest per sua naturalia eum finem sic cognitum propter se diligere; quia potest exercere actiuitatem suæ potentiæ circa obiectum eius proprium, & maximè perfectum. Ergo multò magis poterit eum propter se amare per sua naturalia, dum est clarè visus.

Philosophi à posteriori probantem dari Deum possent eo frui.

283 Prob. 3. Cognito Deo per fidem à viatore existente in mortali, potest ab eodem amari per sua naturalia: & licet ait *Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. PP. ad 2.* talis actus non esset meritorius, vel supernaturalis, quia supponitur factus absque auxilio gratiæ, tamen est possibilis fieri naturalis.

A peccatore potest Deus propter se amari non meritorie.

lis. Ergo à pari viso Deo clarè per lumen gloriæ, voluntas non habens habitum supernaturalem, neque aliud gerens vicem habitus, esto non posset elicere fruitionem beatam, posset tamen elicere fruitionem naturalem.

Nihil deficeret.

284 Prob 4. In tali casu adessent omnia requisita ad fruitionem; tam ex parte intellectus, & obiecti, quam ex parte voluntatis: ergo. Anteced. prob. Intellectus ostenderet obiectum summè amabile, voluntas autem haberet actiuitatem requisitam ex parte potentiæ, quia est respectu boni, vt sic etiam infiniti; igitur eo iam cognito posset propter se absque relatione ad aliud, diligere.

A sufficienti

285 Prob. 5. Si quid obstaret, maximè esset, quia fruitio circa obiectum clarè ostensum debet esse supernaturalis, & beatifica, quod non potest esse sine habitu supernaturali. Sed hoc non obstat: nam gratis dicitur, quod talis actus de necessitate debeat esse supernaturalis, & beatificus, quia posset esse merè naturalis, sicut in via actus diligendi Deum propter se factus à fideli peccatore.

Ex impugnatione aduersè sent.

286 Prob. 6. Alterum quod obstare posset est, quod voluntas non habeat actiuitatem simpliciter respectu fruitionis Dei, sed ea sibi conferatur per habitum. Hoc autem patuit esse falsum: quia quamuis voluntas non habeat actiuitatem circa actum meritorium, vel supernaturalem ex puris naturalibus, habet tamen actiuitatem circa non meritorium, & purè naturalem. Si enim potest illicitè amare naturaliter propter se creaturam, & licitè propter aliud; insuper, & amare Deum propter aliud illicitè; quare non poterit eundem ex eisdem naturalibus amare propter se. Quid enim impedit, quin figere possit in Deo rationem vltimi finis, si illam peruersè naturaliter figit in creatura. Et cum iam ab intellectu ei proponitur adesse verè, ac realiter in Deo rationem vltimi finis, quidnam obstabit, quin eam velit.

Conuincens arg.

287 Ex his omnibus ergo concluditur, de absoluta Dei potentia non implicare, quin Deus ostendat se clarè intellectui illustrato lumine gloriæ (imò, & sine illo, vt in suo loco dictum est,) & voluntas carent habitu charitatis tamen fruatur Deo non beatificè, sed naturaliter.

Etiam absq; aliquo supplente vicè charitatis voluntas posset frui.

288 Dico 2. Vt voluntas carens habitu Charitatis in casu præfato posset frui Deo clarè viso non esset necessarium aliquod suppletiuum supernaturale Charitatis.

289 Prob. 1. Ex dictis de lumine respectu visionis. Secundo sic. Tunc in defectu alicuius principij est necessarium suppletiuum eius, quando desideratur effectus ille, qui à tali principio expectabatur. Ergo non esset in hoc casu necessarium aliquod suppletiuum. Consequ. prob. Non expectaretur à voluntate beatifica, vel supernaturalis fruitio, sed solum naturalis. At hunc effectum non præstat charitas, sed natura. Ergo non esset necessarium aliquod suppletiuum.

A paritate Voluntatis in via.

290 Prob. 2. In via licet ad supplendum effectum gratiæ, charitatis, aut fidei, esset necessarium aliquod principium supernaturale; tamen, vt natura eliciat actus sibi ex sua virtute competentes, non est necessarium aliquod suppletiuum. Ergo idem de voluntate suppositâ clara Dei visione dicendum est.

Fruitio sine habitu non esset ita intensa.

291 Prob. 3. Voluntas ex pluries dictis habet totam actiuitatem requisitam ex parte potentiæ, ideoque si obiectum ei ostendatur potest illud amare, siue propter se, siue propter aliud. Ergo in hoc casu ostensionis obiecti summè boni, vt illud amet, non eget aliquo suppletiuo.

292 Dico 3. Fruitio, quæ eliceretur à voluntate sine charitate, non esset tantæ intensionis, quantæ esset si emanaret etiam ex charitate. Est *Scoti in 1. sent. dist. 17. quæst. 1. PP. Respondeo.* & *in 3. dist. 12. q. 4.* ex professo, & tandem *in 4. dist 49. qu. 11. H.* in fine.

Arg. à priori

293 Prob. Actus potens procedere à duplici principio vnitiuè, si ab altero tantum eorum diuisiuè eliciatur, non est tantæ intensionis, quantæ esset si ab vtroque eliceretur. & patet de duobus trahentibus aliquod pondus. De intellectu habituato fide, vel prudentia, & non habituato. De voluntate habituata spe, fortitudine, temperantia, &c. item de omni habitu scientifico, vel artis, siue factiuo, siue actiuo. Omnis enim sic habituatus maiorem, ac intensiorem elicit actum, quam non habituatus.

Ab authorit.

294 Prob. 2. In omni schola diuersitas accidentalis, seu intensiua, tam visionis, quam fruitionis de facto refunditur in diuersitatem intensiuam habituum luminis, vel charitatis: ergo habitus facit intensiorem.

A pari,

295 Prob. 3. Ideo communiter intellectui animæ Christi conceditur summa visio, & voluntati summa fruitio, quia admittitur in eo summum lumen, & summa gratia, ex *Scoto, D. Thoma, ac D. Bonau. cum Magistro Sent. in tertio dist. 14. qu. 2.* ergo habitus concurrit ad intensiorem actum, & quo ipse maior est, eò actus est intensior.

Fruitio sine habitu supernaturali non est beata.

296 Dico 4. Fruitio illa, quæ eliceretur à voluntate carente habitu charitatis circa obiectum clarè visum non esset beata. Est *Scoti in 1 sent. dist. 17. quæst. 2. PP. 8. Ad argumenta ad 2.*

297 Prob. 1. ex *Scoto ibid.* Actus ille non esset ita perfectus, sicut posset esse ex influxu habitus supernaturalis: ergo. Consequ. prob. Beatitudo consistit in actu perfectissimo, qui possit homini inesse, cum ex

*Portio sit status bonorum omnium aggregationi perfectus.*

298 Prob. 2. Visio Dei, nisi esset supernaturalis, non esset beatifica. Ergo neque fruitio. Cum non sit maior ratio de alterutra.

A priori ratio.

299 Prob. 3. Non quiesceret talis voluntas, sed appeteret habere actum supernaturalem. Ergo non frueretur beatè. Negari enim non potest, quin frueretur, quia amaret propter se, sed quia non esset reddita consors diuinæ naturæ per habitum supernaturalem, non frueretur beatificè.

Ex absurdo argum.

300 Prob 4. Beatus ideo est talis, quia habet operationes superantes statum naturalem viatoris. Sed in hoc casu ex parte voluntatis non esset in statu superiori, imò fortasse in inferiori; quia fieri posset, vt in via habuisset habitum supernaturalem charitatis. Ergo hic est necessarius, vt beatè operetur, & dono Charitatis nihil est excellentius, ex *Aug. lib. 15. de Trin. c. 18.*

Quid exigit status beati.

301 Prob. 5. Status Beati exigit, vt habeatur Charitas, tum quia ex 1. *Cor. 1.* ipsa non excidit. Tum etiam quia ex eodem homo sine Charitate nihil est, & ex 1. *Ioan 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Ideoque de ratione beati est, vt Charitatem habeat. Dato igitur, quod ea carens, Deum videret, vel frueretur illo, non esset beatus.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Non potest creatura exercere actum aliquem circa vltimum finem supernaturaliter cognitum sine aliquo habitu supernaturali. Nam natura est improportionata enti supernaturali; ergo.

Sine aliquo supernaturali non potest diligi Deus supernaturaliter, sed solum naturaliter.

302 Resp. ex *Scoto sub PP.* dist. antec. non potest exercere actum mæritorium, seu supernaturalem, concedo, naturalem, nego. Ratio est, quia de facto credens in Deum, dum existit in peccato mortali, potest eum naturali amore diligere etiam sine actuali adiutorio supernaturali. Quia *Tridentinum in sess. 6. can. 3.* Dicit anathema ijs, qui dicunt sine Spiritus sancti inspiratione, & adiutorio posse hominem credere, diligere, pœnitere, ac sperare, *vt oportet*, vt iustificationis gratiam consequatur, ideoque loquitur de dilectione, vt oportet, seu dispositiua ad iustificationem: non verò de dilectione non dispositiua, seu non supernaturali.

Ob. 2. Intellectus nequit sine forma supernaturali luminis Deum videre; ergo neque voluntas frui. Non enim hæc est illo perfectior, seu eleuatior.

Discursus notabilis de actibus supernaturalibus sine habitibus factis,

303 Resp. sicut in suo loco dictum est, neg. anteced. De facto enim res ita se habet. At de potentia Dei absoluta posset Deus se ostendere intellectui carenti lumine, & sic ab eo videri. Impossibilitas autem quæ de facto impedit intellectum, est quia Deus est obiectum voluntarium ex sæpe dictis cum *Augustin. in lib. de videndo Deo cap. 6.* quod accipit ex *Ambr. in cap. 2 Lucæ*, & si vult videtur, si non vult non videtur: statuit autem non facere se visibilem, nisi intellectui illuminato, & ideo hic eget lumine de facto. At supposito, quod Deus ab intellectu clarè cognoscatur, nihil remoratur voluntatem, quin eum amet. Sicut de facto si per fictionem mortalis peccati adultus reciperet habitum fidei, non autem charitatis, seu gratiæ; ex fidei, etiam actualis adiutorio posset supernaturaliter Deum credere; & tamen absque habitu charitatis, & absque auxilio actuali; amare naturali amore. Ita in casu metaphysico nostræ conclusionis voluntas sine habitu, naturaliter Deum amaret.

Ob. 3. Fruitio illa, quia esset circa obiectum supernaturale, supernaturaliter cognitum esset supernaturalis. Ergo petit fieri ex influentia habitus supernaturalis. Anteced. prob. Creatura ex se non potest pertingere ad habendum Deum per modum obiecti præsentem. Igitur ostensio illa, & præsentia, sunt quid supernaturale. Obiectum autem, & quo ad essentiam, & quo ad præsentiam est supernaturale. Ergo cum totum hoc sit supernaturale, etiam actus sequens debet esse talis.

Quare actus sine habitu esset naturalis,

304 Resp. nego sequelam. Quia vt sæpè cum *Scoto* diximus actus, quo voluntas frueretur Deo clarè viso sine habitu, vel sine alio supernaturali, esset naturalis, ad probationem concedo, quod tota illa præparatio, & cognitio obiecti esset supernaturalis, quia ad eam natura sola non sufficit. Tamen cum voluntas habet obiectum amabile, iam cognitum clarè per intellectum, alio supernaturali non indiget, vt circa illud eliciat actum amandi. Et licet obiectum sit supernaturale, & sic etiam cognitum, amor illius potest esse non supernaturalis formaliter, sed solum esset talis dispositiuè ex parte cognitionis; & terminatiuè ex parte obiecti, nisi ipsummet obiectum, non cum sola influentia generali, sed cum speciali etiam concurreret, quia tunc amor ille ex hoc concursu esset supernaturalis.

Ob. 4. Voluntas circa supernaturalia non habet actiuitatem. Ergo sine charitate non posset frui obiecto supernaturali. Maior prob. Primo, quia nulla est inter ea proportio. Secundo, quia ex *Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.* & 2. *Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tãquã ex vobis sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Voluntas circa supernaturalia non habet actiuitatem supernaturalem.

305 Resp. dist. antec. Non habet actiuitatem supernaturalem, & mæritoriam, aut beatificam, concedo, naturalem, & puram, nego. Per id resp. ad probat. Quia ibi de operatione supernaturali, ac mæritoria est sermo. Si enim Philosophus ex naturalibus potest peruenire ad cognitionem abstractiuam, & confusam causæ primæ, & concludere per necesse, quod sit ens supra naturam, poterit illud amare. Item exi-

stens

stens in peccato, cognoscens tamen Deum per fidem, & non se disponens ad pœnitentiam, sed considerans Dei bonitatem esse infinitam potest eam naturali amore amare. Ita si Deus existenti in mortali appareret, & manifestaret, se esse vltimum finem, & summum bonum non infundens illi aliquid supernaturale in voluntate, hic naturali amore, cum amare posset, vt naturæ authorem. Ita, & multo magis in homine iusto negatiuè, id est sine habitu Charitatis, vel alterius doni supernaturalis.

Quomodo Deus naturaliter ametur,

Ob. contra vltimam. Actus ille fruitionis posset elici secundum totum conatum voluntatis, & sic eam quietare, ergo esset fruitio beatifica. Prob. consequ. Beatus est qui habet, quod vult, ex *Aug lib. de Beata vita disp. dici* 2. & *lib.* 13 *de Trin. c.* 5. Beatus est, quo habet quidquid vult. Talis autem voluntas haberet quidquid vult. Quia maximum, quod vult anima, est frui Deo, ex *lib.* 1. *de doct. Christ. c.* 3. & *lib* 10. *Confess. c.* 22. & 23. & *lib.* 8 *de Ciuit. Dei c.* 9.

Arg. contr. vlt.

306 Resp. ex *Scoto sub* PP. neg. sequelam ad prob. distinguit, beatus est, qui habet quidquid vult eo modo, quo debet velle concedo. alio modo, nego. Debet autem inquit Scotus velle acceptabiliter diligere, quod quidem non haberet; Charitas enim ex *eodem* GG. facit animam Deo acceptabilem coram, & gratam.

Beatus quo ordine vult quidquid vult.

Respondet 2. Non habere quidquid vult neque actum illum fruendi esse beatum, quia non esset talis, ac tantæ perfectionis, qualis posset ei inesse per habitum Charitatis. Dicit 3. Non haberet quidquid vult, quia neque tanta volitione, quanta esset ex consortio habitus, sed solum quanta posset sibi ex puris naturalibus inesse.

Instab. ex hoc, quod aliquæ voluntates beatorum non habent Charitatem intensissimam quam possent habere, non sequitur, quod non sint beatæ. Ergo neque ex hoc, quod voluntas illa carens habitu non haberet tantam actus intensionem quanta posset adesse cum habitu. Ergo, si semel concedatur, quod sine habitu potest frui, debet pariter concedi, quod fruitio esset beata.

307 Respond. neg. consequ. In primo enim casu, quietæ sunt voluntates, quia deliberatiuè appetunt tantam charitatem, tantamque fruitionem, quanta potest eis inesse per sua merita, & ad hunc actum ita moderatum concurrit Deus cum voluntatibus Beatorum. In casu autem nostro, non sic se haberet voluntas, neque ad talem volendi modum, cum ea concurreret Deus, sed cum generali causarum secundarum influentia. Præterea, sciret talis fruens, se non habere stolam illa, qua sit aliquis Deo carus, & acceptus. Et se non habere actum illum fruendi ita perfectum, quem habent illi, qui secundum præsentem Dei prouidentiam dicuntur, & sunt beati, quia semper deficit, nè dum à ratione supernaturalitatis, sed etiam à gradu intensionis.

Quare Beati quieti sũt nunc, & non essent sine habitu charitatis.

Instab. Fruitio illa esset summi boni clarè, & nude visi. Ergo esset beata. Nihil enim videtur deficere.

308 Resp. neg. consequ. Deficit enim, quod quietat, nempè status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quomodo autem est status perfectus, si deficit charitas, sine qua ait Apostolus 1. *Cor.* 13. *Nihil sumus*, & *August. lib.* 15. *de Trin. cap.* 18. *Nihil est charitate excellentius*. Deficit. secundo, quod actus sit maximè perfectus, scilicet quoad supernaturalitatem, & intensionem.

Quare fruitio sine charitate non esset beata.

Ob. 2. Beatitudo est gaudium de Deo, & de veritate, ex *Aug lib.* 10. *confess. c.* 23. & *lib.* 1. *de Trin. cap.* 8. habet, *Beatitudo est frui Trinitate, & in hoc consistit plenum gaudium nostrum*. Sed voluntas hac frueretur, & hoc gaudium haberet: ergo.

309 Resp. dist. anteced. Est gaudium procedens ex supernaturali habitu charitatis, concedo. alio modo, nego. Et per idem ad secundum. Non enim sufficit simpliciter frui; alioquin etiam viator esset beatus. Sed requiritur frui ex inclinatione, & influentia charitatis, per quam fruens scit se esse Deo carum, & acceptum, & se habere actum ita perfectum, sicut statuit Deus dilectis, & charis concedere.

Gaudium ex charitate procedens est beatificũ non extera.

310 Ad hæc omnia addendum talem actum fruitionis sine charitate non esse perpetuum, & cum securitate, quæ ad rationem veræ beatitudinis diximus *in disp.* 14. esse necessaria, & ideo non esse beatificum.

## ARTICVLVS XI.

### *An fruitio sit actus liber.*

SCOTVS *in* 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 6. Quærens, an perpetuitas sit de essentia beatitudinis, multa docet, inter quæ hoc est vnum, quod actus formalis fruendi, licet sit in æternum duraturus ex Dei extrinseca protectione, & influxu continuo in eum, absque concursu ad alia obiecta incompossibilia; tamen docet, quod actus iste intrinsecè est liber, quod pariter docuerat in 1. *sent. dist.* 1. *quæst* 4. §. *Contra* 3.

Scoti mens.

311 Adu. quod sicut notauimus in *art.* 10. *disp.* 14. De beatitudine, inter cætera solent quæri, an sit in æternum duratura, & diximus partem affirmantem esse de fidei; secundum, an hæc perpetuitas sit intrinseca beatitudini, & diximus ab extrinseco ei conuenire. Nunc autem quærimus, an intrinsecè, saltem fruitio voluntatis dicenda sit contingens, & libera; licet ex Dei voluntate non concurrente ad actum oppositum

Multa dubia iam soluta.

situm contrariè, vel contradictoriè, numquam sit ab eo actu cessatura. Quod quipunctum, vt patet est merè metaphysicum.

Libertas multiplex.

312 Adu. 2. Quod libertas, vel est essentialis, vel contingens, seu, vt dici solet accidentalis: De prima nunc non loquimur; quia non est ad rem: hæc enim competit cuicunque voluntati, etiam diuinæ operanti ad intra necessariò, in quo autem ipsa consistat, non est præsentis speculationis, nec ad nos pertinet. Alia autem libertas, quæ dicitur contingentiæ, est libertas indifferentiæ, secundum quam voluntas potest in actus appositos, sine contrariè, siue contradictoriè. Dicitur autem contingens, & accidentalis, non quia sit formalitas quædam, quæ accidat voluntati, quia est ei intrinseca, sed dicitur talis ratione effectuum, quia sic potest producere vnum, sicut oppositum, & hæc est libertas, quæ requiritur ad meritum, & demeritum; neque ad hoc sufficit libertas à coactione, vt putabat Iansenius; & mirum est, quod hoc intolerabile monstrum putat firmare per doctrinam *Scoti* de libertate essentiali; numquam enim somniauit Scotus, ad meritum sufficere libertatem essentialem, quæ stat etiam cum necessitate, sed perpetuò docuit, libertatem indifferentiæ contradictionis, seu contrarietatis esse ad meritum necessariam. Sed de hoc hactenus pro re nostra.

Libertas cõtingens, quare dicitur accidentalis

Iansenius imponit Scoto

313 Adu. 3. Quod libertas, seu indifferentia voluntatis in actu primo aliquando esse potest remota; aliquando proxima. Tunc proxima est, quando positis omnibus requisitis, tam ex parte creaturæ, quam ex parte Dei, voluntas potest in vtrumque oppositorum disiunctiuè. Remota verò, dicitur, quando aliquod ex requisitis deficit, siue ex parte Dei, siue ex parte creaturæ. V.g. si desit obiectum, per intellectum voluntati demonstratũ; vel si desit Dei concursus paratus ad vtrumque ex oppositis, sed adsit solum determinatus ad vnũ illorum. Aliqui exemplificant de voluntate physicè prædeterminata ad actum bonum per gratiam efficacẽ ex natura sua. Alij abhorrentes nomen physicæ præderminationis, exemplificant de voluntate adiuta auxilio ex sua natura efficaci. Alij vt Ianseniſtæ de ipsa voluntate cum auxilio efficaci necessitante; & odio habentes omnes has sententias, dicunt, voluntatem in quolibet ex præfatis casibus non remanere indifferentem proximè, sed solum remotè, quia cum tali auxilio, & præmotione, dicunt, non posset voluntas, si vellet, æque in actum bonum, ac in omissionem eius. Sed ego ab his exemplis nunc abstineo; vtar alio, ad rem accomodatiore, scilicet de Voluntate cum concursu Dei ad vnum determinato, non ad vtrumque parato: tunc enim voluntas non esset proximè indifferens ad faciendum oppositum; sed solum remotè; quia si haberet concursum paratum ad oppositum, & non impediretur, posset in illud.

Indifferentia voluntatis duplex.

Proxima indifferentia, & remota.

314 Adu. vlt. ex *Scoto in 1. sent. dist. 1. cap. 4. §. In ista quæstione* de amore, & fruitione vltimi finis plures fuisse sententias. Aliqui enim docuerunt, quod homines apprehenso vltimo fine, etiam obscurè per fidem, illum necessariò ament. Alij id negarunt de fine vltimo apprehenso in vniuersali, & docuerunt de fine apprehenso in particulari, etiam obscurè, & per fidem. Alij de fine clarè viso, dummodo voluntas habeat charitatis habitum. Alij tandem de eodem vltimo fine clarè viso, etiam si voluntas non haberet habitum charitatis, omnes ergo hi authores docuerunt in his casibus, voluntatem necessariò amare finem vltimum, seu eo frui. Scotus autem è contra, docet ibi, in nullo horum casuum voluntatem necessariò amare, seu frui, sed semper liberè, de quibus omnibus casibus diffusè egimus *in disp. 15. art. 3.* & per tres sequentes *§§.* Loquendo de appetitu beatitudinis, & quia ibi in *§. 3.* diximus, quod clarè viso vltimo fine, voluntas liberè appetit illum: nunc solum quærimus, an supposito appetitu illo, actus amandi, seu fruendi, qui sequitur ad illum, & duraturus est in æternum in beatis, sit dicendus necessarius, an liber, & qua libertate. His præmissis.

Circa amorem liberum vltimi finis varię sent.

Multi docẽt necessariò amari.

Sensus quæsiti.

315 Dico actus fruendi Deo, duraturus in æternum in Beatis, non est intrinsecè necessarius, sed liber. Est *Scoti in 1. sent. dist. 1. quæst. 4. §. Quantum igitur, & §. Contra tertium.* & *in 4. dist. 4. quæst. 6.* per totam, & præcipuè *sub H.* vbi docet, quod Michael tantum in sensu diuiso potest peccare, loquendo de potentia remota.

Actus fruendi in beatis non est intrinsecè necessarius.

316 Prob. 1. De ratione intrinseca voluntatis est, vt liberè operetur, & in hoc consistit libertas. Ergo omnes actus ab ea procedentes sunt liberi. Anteced. prob. ex *D. Aug.* pluribus in locis *lib. 3. de lib. arb. cap. 3. & lib. 1. Retract. cap. 9. & cap. 22. Nihil magis est in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas*, id est volitio, & *in Enchir. cap. 73.* Aut voluntas non est, aut libera dicenda est, & in eod. *lib. 3. de lib. arb. cap. 3.* C. Voluntas esse non potest si necessariò operatur. Consequ. prob. Primo ex *2. Post. cap. 4.* Quod inest alicui essentialiter, & secundum, quod ipsum, inest si vniuersaliter. Secundo, quia voluntas non mutatur intrinsecè, & essentialiter, cum per beatitudinem perficitur.

De ratione intrinseca voluntatis est libertas.

317 Prob. 2. ex *Scoto 1. dist. 1. quæst. 4. §. Contra 3.* Quando principium elicitiuum non necessariò elicit, habens principium illud non agit necessario. Voluntas autem humana non est principium elicitiuum necessariò in via. Ergo, cum idem remaneat in Patria, non agit necessariò ibi quãtum est ex parte sua. Ergo libera est fruitio intrinsecè.

Prob.

Aug. evidens sept.

318 Prob. 3. ex *D. Aug. lib. 2. de lib. arb. cap. 14.* vbi loquens de fruitione summi boni, ait: *Nullam fruitur anima cum libertate, nisi quando fruitur cum securitate*; & post aliqua, subnectit multas beatitudinis perfectiones, dicens: *Nulla sunt angustiæ, nullus in ea defectus omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit; & omnibus communis est, & singulis casta est. Nemo alteri dicit recede, vt ad eam accedam. Omnes inhærent, &c.* multa. Ergo libera est fruitio per Augustinum,

319 Prob 4. Vel hæc necessitas fruitionis inesset voluntati fruenti, ratione obiecti, vel ratione habitus: vel ratione actus, vel ratione status. Nullum horum potest dici. Ergo non est necessarius actus, sed liber.

A sufficienti argum.

320 Prob. min. Non ratione obiecti; quia obiectum quantumuis infinitum non variat naturam potentiæ tendentis circa illud. Voluntas autem essentialiter est libera in ordine ad obiectum vt sic. Ergo in ordine ad quocunque, etiam summum, & infinitum.

Habitus voluntatis non necessitat.

321 Neque ratione habitus, nam habitus quicunque, etiam supernaturalis datur potentiæ, vt eam adiuuet, & perficiat; non eam mutet, aut destruat; imò ipse est in potestate potentiæ, non è contra. Ergo si potentia est essentialiter libera, per habitum non potest fieri non libera. Sicut intellectus, quia essentialiter agit per modum naturæ, & vt intrinsecè determinatus ad vnum, per quemlibet habitum non potest acquirere modum operandi liberum.

Actus fruendi est liber à paritate fruitionis in via.

322 Neque ratione actus, fruitio enim Dei obscurè, & per fidem cogniti in via, non est actus necessarius, sed liber. Ergo & in Patria, licet non libertate proxima, vt mox dicetur. Consequ. prob. Ideo actus ille in via est liber, quia procedit à potentia libera. Sed ab eadem prorsus inuariata essentialiter procedit in Patria: ergo. Quod si dicatur, in Patria Deus clarè visus determinat voluntatem, vt circa eum agat, ideoque dispar est ratio: Respond. in primis determinationem illam, si qua est, esse extrinsecam, non intrinsecam in potentia; quia eadem prorsus, quæ fruebatur in via, fruitur in Patria. Secundo, si ratione obiecti oriretur determinatio: ergo non ratione actus quatenus talis, de quo nunc est quæstio.

Status beati non facit, vt actus voluntatis sit intrinsecè necessarius.

323 Neque ratione status. Nam status beati exigit quidem, vt in æternum fruatur, vt in suo loco dictum est. An autem fruitio sit libera, vel necessaria, est impertinens ad eum, dummodo æterna sit. Sed hoc spectat ad naturam potentiæ. Sed hæc est voluntatis natura, vt libera sit, liberèque operetur: ergo.

Arg. contra

Obiic. 3. Voluntas beati non potest non frui: ergo. Consequ. patet in hoc consistit libertas. Antec. prob. Primo, ex *Aug. lib. 13. de Trinit. cap. 8. Beata vita esse non potest, nisi sit immortalis, & qua amissi non possit.* Secundo, si posset non frui posset fieri miser; & peccare.

Beatus non potest non frui proximè.

324 Resp. sicut alias in *disp. 14. & 15.* Non potest non frui proximè, concedo. remotè, nego. Ad probat. facillimè per idem respondetur, potest peccare, & fieri miser proximè, & in sensu composito cum beatitudine, nego. remotè concedo. Cum autem SS Patres, & Aug. docent beatum non posse non velle fœlicitatem, & fruitionem in hoc sensu loquuntur; quia de facto, & vt dici solet, Deus secundum præsentem iustitiam, statuit ita determinare voluntatem beati per concursum suum, vt nolit cum ea ad alium actum concurrere, quam ad actum fruitionis. Si tamen vellet eam sibi dimittere, dando concursum paratum ad oppositum, vel ad disparatum, posset voluntas vti sua libertate, & deficere, ac peccare. Imo *Scotus in 3. sent. dist 11.* quærens, an Christus, vt homo potuerit peccare, respondet cum fide Catholica negatiuè; sed addit fuisse impeccabilem, sicut beati, quasi diceret secundum aliud decretum possibile, quod à Deo factum non est, neque fiet, aliter esset dicendum, id est sicut de beato, quia ipse non admittit in Christo pro causa intrinseca impeccabilitatis, vnionem, sed beatitudinem, & hanc etiam, vt extrinsecam, sed de hoc hactenus.

Si beatus sibi dimitteretur posset cessare à fruitione.

Christus quo modo impeccabilis.

Ob. 2. Non potest beatus recedere ab amore summi boni, quia nulla est in eo ratio mali: ergo. Fruitio non est libera.

325 Resp. dist. antec. Non potest recedere, ex determinatione intrinseca tollente libertatem proximè, & remotè, nego. ex determinatione extrinseca tollente libertatem proximè, concedo. At nego causalem, quod scilicet perfecta ratio boni, & carentia omnis mali sufficiat ad necessitandum intrinsecè voluntatem, hoc enim per nullam potentiam fieri potest, sed deberet mutari voluntatis essentia.

Absolutè beatus potest licet remotè recedere ab amore.

Ob. 3. Indignum videtur asserere, quod Michael Arcangelus possit cessare à fruitione, quia sic sequeretur etiam, quod posset peccare. Nam operari posset contra Dei legem statuentem, ne homo beatus cesset ab amore Dei. Hoc autem sequitur concessa libertate fruitionis.

Hæreticum est dicere, quod beatus proximè possit peccare.

326 Resp. videtur indignum, imò hæreticum asserere, quod proximè id possit contingere, vel quod aliquando continget, concedo. Indignum videtur, quod remotè, nego: nisi loquamur de indoctis, & imperitis, qui, quæ non intelligunt putant indigna. Quæ autem est indignitas asserere, quod de potentia absoluta Dei, si voluntas sibi dimittatur, & Deus non det ei concursum determinatum ad vnum, sed paratum ad opposita, possit voluntas beati experiri suum posse. Ad illud de peccare

Imperiti, quæ non capiunt putant indigna.

adhuc

adhuc est distinguendum. Vel enim in eo casu Deus præciperet, ne à fruitione recederet, vel non, sed permitteret voluntati beati experimentum sui posse. Si primum, certè peccaret; & tunc non est quid contrarium beato in sensu composito; sed sequeretur solum, quod beatitudo illa non foret æterna. Si secundum, nullum adesset peccatum, quia neque contra legem positiuam, neque contra naturalem, nulla enim extat talis de semper fruendo summo bono, cum sit lex obligans quidem, sed non ad semper.

Quare peccaret beatus, vel non peccaret.

Instab. Hęc libertas sic declarata ad nihil inseruit, imò est libertas de nomine. Non enim de facto potest amittere fruitionem si velit.

327 Resp. neg. antec. Inseruit enim ad explicandam naturam voluntatis, & actuum ab ea procedentium, falsum est autem, quod sit libertas nominalis, primò, quia ista, nec intellectui, nec alteri potentiæ potest concedi, vt, scilicet si mutetur solus concursus possint non agere circa determinatum obiectum. Secundo, in sententia eorum, qui dicunt voluntatem cum auxilio ex sui natura efficaci, siue physicè, siue moraliter prædeterminata, siue neutro modo, sed tantum per scientiam mediam præcisam, in sensu composito cum illa gratia, seu præuisione non posse operari contrarium, adhuc saluant libertatem, non de nomine, sed de re. Ergo quantò magis in casu nostro, in quo non agitur de operatione imputabili, seu mæritoria, saluabitur libertas indifferentiæ, saltem remota, cum asseritur, voluntatem beati in sensu composito cum beatitudine, seu proximè non posse desistere à fruitione ob extrinsecam Dei determinationem; remotè, tamen seu in sensu diuiso, posse.

Non est libertas de nomine illa remota beati, sed de re.

Ob 4. Hæc sententia videtur fauere Iansenio, docenti voluntatem non indifferentem, sed ex determinatione gratiæ ad vnum determinatam remanere liberam, posset enim dicere, quod esset libera remotè, & tamen hæretica est eius sententia.

328 Resp. neg. antec. Iansenius enim docet gratiam ex sui natura efficacem determinare, & necessitare voluntatem, auferendo ei indifferentiam ad oppositum, quod quidem Caluinianum est; quia ad mærendum, & dæmerendum requiritur indifferentia proxima ad alterutrum, & ideo *Concil. Trident. sess. 6. can. 4.* dicit, voluntatem à Deo motam, & excitatam per gratiam posse eam abijcere, seu ei dissentire si velit. Ideoque Iansenij sententia, quæ in sola carentia coactionis, absque vlla prorsus indifferentia admittit libertatem, damnata est. At non est damnata sententia de posse in sensu diuiso; vel remotè, vel proximè, parum curo. Quæ quidem quantas patiatur difficultates, palam est. Et tamen agitur de libertate requisita ad opus imputabile. Si ergo hæc non fauet Iansenio, imò est longe ab eo remota (cuius tamen mærita relinquo in suo statu) quomodo fauebit Iansenio libertas respectu actus non meritorij, sed beatifici. Sicut, neque ei fauet libertas voluntatis diuinæ in productione Spiritus sancti, estò necessariò operantis, quia non agitur de actu libero meritorio. Licet longè, lateque distet libertas actus fruitionis creatæ à libertate productionis Spiritus sancti; hæc enim nè dum immutabilis, sed ineuitabilis est. Illa verò immutabilis tantum.

Hæc sent. non fauet Iansenio.

Quæ dam. nata sententia Iansenij.

Libertas remota beati non fauet Iansenio.

Libertas essentialis non fauet Iansenio.

Ob. 5. Beatus est impeccabilis, ergo fruitio eius non est libera. Consequ. prob. Quia, si libera posset etiam peccare. Antec. prob ex *Aug. in Enchir. cap. 68. Anima nostra, sicut habet nolle infœlicitatem; ita nolle iniquitatem semper habitura est.* & postea subdit, *Miseri non solum esse nolumus, sed nequaquam velle possumus.*

329 Resp. sicut dictum est supra, negando consequ. Ex hoc enim præcisè, quod liberè fruatur, aliud non sequitur, nisi quod posset non frui. At non sequitur, quod peccaret: diximus autem, quod neque habet proximè, vt possit non frui, sed remotè tantum, proximè autem non potest non frui, quia non habet Dei concursum ad aliud, quam ad fruitionem. Remotè verò potest non frui, quatenus si haberet concursum ad cessationem ab ea, posset ex suo arbitrio cessare. Sed propter hoc, adhuc concedimus ex *Scoto sub G. & H.* beatum remotè esse peccabilem, seu in sensu diuiso, id est posse diuidi à beatitudine, & coniungi cum peccato; non tamen de facto, & proximè, sed de possibili, & remotè, quatenus Deus posset variare concursum, & dimittere voluntatem, vt agat liberè, sicut agebat in via, Itaque, vt *Scotus* docet *sub G.* non per causam intrinsecam, sed per extrinsecam, beatus est impeccabilis, & exemplificat, de oculo, si enim perpetuò seruaretur distantia inter cælum Empireum, & oculum, hic non posset propinquè per extrinsecam causam impedientem videre cælum Empireum. At posset remotè, quia ea potest auferri. Ad illud de Augustino, dico, quod ita est de facto; non enim potest beatus, nec recedere, nec velle recedere à beatitudine, nec esse, aut velle esse miser, aut peccator. Et in casu, quo sibi dimitteretur, neque velle esse miser, si recederet à fruitione, sed vellet condelectari in experimento suæ libertatis, iterumque redire ad fruitionem. Qui quidem casus, & si numquam accident, sunt tamen discutiendi, vt rerum naturæ, & quidditates percipiantur.

Beatus, non proxime, sed remote habet posse non frui.

In sensu diuiso à beatitudine.

Aptum exé plum.

Ob. 6. Negari non potest, quod voluntas beati determinatur ad fruendum, ab ipsomet Deo. Ergo effectus eius non est contingens, & liber. Nam est contra naturam liberi, & contingentis determinatio cum impotentia proxima ad oppositum.

Ne-

Neque minus tollitur indifferentia voluntatis proxima per causam superiorem, quam per inferiorem.

Determinatio extrinseca non tollens posse in oppositum non tollit libertatem.

330 Resp. neg. consequ. ad probat. dist. Determinatio extrinseca relinquens potestatem ad oppositum, saltem in sensu diuiso, est contra naturam liberi, nego; vel ad summum subdistinguo, contra naturam liberi meritorij, transeat. liberi absolutè, & essentialiter, neg. Determinatio intrinseca est contra naturam liberi cuiuscunque, concedo. In casu autem adest extrinseca determinatio, & remota potentia, seu in sensu diuiso ad oppositum. Ad paritatem determinationis à causa inferiori. Respond. *Scotus sub K.* Non est contra naturam liberi, vt determinetur à causa superiori; sed vt determinetur ab inferiori. Cum enim à superiori determinatur, ex parte voluntatis æqualis est contingentia, sed ex parte aliorum requisitorum ad agendum non est æqualis, & ideo effectus non absolutè, & simpliciter contingens. At quando ab inferiori, absque sua determinatione determinaretur; in nullo esset libera. Vel quidquid sit de hoc; cum fruitio beati ex hoc tantum dicatur libera, quia in sensu diuiso, & per absolutam Dei potentiam posset voluntas sibi dimitti, & ita cessare ab ea, vnde dicitur habere remotam potentiam ad cessandum; nullum prorsus sequitur inconueniens ex ijs, quæ inferri solent contra sententiam prædeterminantium in via, vel contra gratiam ex se efficacem; quia in via debemus saluare libertatem proximam, & in sensu composito ad meritum, & demeritum cum etiam gratiam abijcere possit si velit. At in nostro negotio non arctamur ad hoc, quia non concedimus, nisi potentiam remotam, & in sensu diuiso ex alio possibili decreto ad non frui, & hoc, vt saluetur, quod voluntas in omnibus suis actibus etiam in Patria liberè operetur.

Quæ determinatio ab inferiori repugnat voluntati, non verò à superiori.

# DISPVTATIO XXI.

## DE BEATITVDINE CORPORVM, EORVMQVE PERFECTIONIBVS.

### ARTICVLVS I.

*An corpus humanum sit beatificandum.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 8. sub A.* docet solum naturam humanam ratione animæ esse simpliciter beatificabilem. *sub B.* tamen ait, *Dico tamen, quod aliqua natura inferior humana est beatificabilis secundum quid, vt omnis natura, quæ per suam operationem potest suo fini immediatè coniungi, & sic suo optimo, non optimo simpliciter, sed omnia habentia operationes proprias, & immanentis, vt sensus possunt coniungi suo optimo, & sic possunt beatificari, sed non simpliciter.* Et paulo post, concludit, quod quæ non habent potentiam operatiuam, non sunt simpliciter, nec secundum quid beatificabilia; quia non habent operationem; in hac autem consistit beatitudo, hæc Scotus. Scotimens;

1 Adu. sensum art. clarum esse. An præter animam, etiam corpus peculiari beatitudine donabitur, & quænam hæc sit. Et quamuis omnes actus sentiendi hominis sint à toto coniuncto, anima scilicet & corpore, & sic quilibet actus, siue cognoscendi, siue appetendi, animæ principaliter tribuatur, quæ per corpus, tamquam per organum, seu instrumentum, operatur. De ijs tamen, vt corporis proprijs loquemur, quia immediate in corporeo subiecto recipiuntur. Hoc stante. Sensus art.

2 Dico 1. Corpora beatorum non sunt simpliciter beatificabilia. Est communis, & decidetur ex fidei principijs haberi. Corpora nó sunt simpliciter beatificabilia.

3 Prob. Beatitudo simpliciter consistit in visione, & fruitione Dei. *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt. Matt. 5. Hæc est vita æterna, vt cognoscat te solum Deum, &c, Ioan. 17.* & ex alijs permultis

allatis in *disp. 16. art. 4. & 5.* Sed corpora secundum sensum, seu animam, aut potentias sensitiuas non possunt Deum, vt in se est videre, nec eo frui, quia obiectum sensuum est quid sensibile, & corporeum, qualis non est Deus: ergo.

Corpora secundū quid beatificabilia sunt, & ita erunt beata.

4 Dico 2. Corpora humana ratione sensuum, seu animæ sensitiuæ sunt secundum beatificabilia: & corpora electorum beatificabuntur. Est etiam communis.

5 Prob. prima pars. Sensus hominis possunt coniungi cum optimis sensibilibus, ijsque delectari. Et optimas perfectiones corporeas obtinere; quarum ipsi sunt capaces, de quibus postea dicetur: ergo. Consequ. prob. Beatitudo præscindens ab omni, siue simpliciter, siue secundum quid, *est operatio optima*, ex Aristot. 1. *Ethic. cap* 8. & 9. Ergo sicut in anima intellectiua visio, & fruitio est Beatitudo simpliciter; sic in sensitiua attingentia optimorum sensibilium, ait enim Saluator *Matt.* 13. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis.*

Corpora electorum erūt beata.

6 Dico 3. Beatorum corpora dum post resurrectionem vnientur animabus, erunt beata modo sibi proportionato, seu beatitudine secundum quid. Est communis de fide.

Ex S. Script.

7 Prob. 1. ex 1. *Cor.* 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, resurget in gloria.* Interl. ait, *Gloriosum*. Ibid. Apost. ait, *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Ver. *Mysterium* Glossa Ord. dicit, quia dixit resurrecturos in gloriam. Ver *Nos immutabimur*, Interl. ait, in gloriam immortalitatis, & impassibilitatis.

Ex Hieron.

8 *S. Hier* in hunc locum ait. Sanctis, & peccatoribus communis resurrectio, carnis est, sed sanctorum corpora æterna gloria vestientur, cum in corruptione, & immortalitate. Et surget corpus in gloria splendoris vt Sol.

9 Conf. ex dicendis in seqq. art. de perfectionibus Beatorum.

10 Prob 2. Sensitiuæ corporis potentiæ attingent obiecta sensibilia perfectissima, ijsque delectabuntur: ergo. Antec. prob. Primo, ex *Tob.* 13. *Porta Ierusalem ex saffiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur. Et per vicos eius alleluia cantabitur.* Interl totum hoc de Cælesti Patria intelligendum dicit, & meritò, quia statim sequitur textus, *Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam.*

Ex Apocal. multa delectabilia sensibilia.

11 Item *Apocal.* 21. Ioanni dictum est, *Veni, & ostendam tibi sponsam vxorem agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo habentem claritatem Dei. Et lumen eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi Iaspidi, sicut christallum*, & alia pertulit. Deinde *Ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est est quanta, & latitudo.* & postea. *Erat structura muri eius ex lapide iaspide, ipsa vero Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri Ciuitatis omni lapide pretioso ornata, & fundamentum primum Iaspis, secundum saffirus; tertium Calcedonius, &c.* vsque ad duodecim. *Et duodecim porta duodecim margaritæ sunt per singulas, & singula porta ex singulis margaritis; & platea ciuitatis aurum mundum tamquam vitrum perlucidum. Et ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius est agnus, & nox non erit illic. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abhominationē faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.* His, & alijs immuneris præconijs etiam in sequenti capite Ioannes describit Paradisi pulchritudinem. Ita ait, *Ambr. in cap. 21 Apocal.* in principio. *Septima visio, ad quam Domino donante peruenimus, tota ad illud tempus, quod post resurrectionem fatorum est pertinet. Et ordo poscebat, vt generali resurrectione descripta gloriam sanctorum, quam post resurrectionem sine fine possidebunt describeret, quæ sub figura Ciuitatis Hierusalem in hac visione describitur.* Interl. autem Ver. *Lapide Iaspidis*, ait. Nihil ibi contristans, sed totum delectans, sicut viriditas iaspidis. Et certè non videtur conuenientiori, ac elegantiori modo describi posse cælestem Patriam, vt delectatio etiam sensitiuæ partis exprimatur; quid enim pulchrius auro, gemmisque prætiosis.

Multa de Paradiso encomia.

Corporei oculi maxima delectatio est videre Christum ex Cypriano.

12 Prob 2. Maxima oculorum delectatio est, qua maior excogitari nequit videre Christi corpus glorioſum, imò, & electorum omnium. vnde *Cyprianus in epist 56.* ait. Quæ erit gloria, & quanta lætitia, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis, ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Isaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare; cum iustis, & Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere, sumere illic, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, &c.

13 Conf. ex *Isa.* 33. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Vbi de Christo sermo est. Interl. enim ait, nunc in spe, tunc in re, vnde addit, *Beati qui habitant in domo tua Domine.*

Alia sensibilia auditus.

14 Prob. 3. In cælesti Patria continuo cantatur Alleluia, ex *Tobia* 13. *Per vicos eius Alleluia cantabitur*, & *Apocal.* 19. *Audiui vocem tubarum in cælo dicentium alleluia, salus, & gloria, & virtus Deo nostro.* & *Psal.* 82. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabant te.* *Psal.* 149. *Exaltationes Dei in faucibus eorum.* *Psal.* 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

*ror*. & *Psal. 86. Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Quid autem dulcius, ac suauius audiri potest, quam totum Cælestem Chorum Deum laudare, ac glorificare.

A priori ratio, ex remotione malorum corporis.

15 Prob. 4. Corpus ratione animæ sensitiuæ, seu sensuum tunc coniungitur optimis obiectis, & beatum est, quando, nedum caret perpetuò ijs, quæ sensibus sunt contraria; sed perpetuò possidet ea omnia, quæ secundum rectam rationem sensus possunt appetere. Sed vtrumque aderit in Beatorum corporibus. Ergo erunt beata. Min. prob. de primo. Carebunt omni defectu passione, ac dolore, &c. Nam vt infra dicetur erunt immortalia, incorruptibilia, & impassibilia, ex 1. *Cor.* 15. *Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neq; clamor, &c. Apocal.* 21. *Non esurient, neque sitient amplius. Apoc.* 7. Quia corpora erunt spiritalia, ex 1. *Cor.* 15. vt infra.

Ex Chrysost. sensuum tranquillitas

16 Et *Chrysost. in epist.* 5. *ad Theodor.* Nō erit illic cur pauperiem metuas, & morbum. Nemo videbit contumeliosum, & oppressum; nemo exasparatum, & irascentem, aut inuidentem. Nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mœrentem, aut à Magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur.

Idem ex August.

17 *August. lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 30. Ibi nullum erit malum, nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur. & *ser.* 64. *de Verb. Dom. cap.* 3. ait. Non ibi erit lassari, & dormire, non ibi erit esurire, & sitire, non ibi erit crescere, & senescere. & *lib.* 3. *de symb. ad Catech.* Non est ibi mors, non luctus, non lassitudo, non infirmitas: nulla fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia.

Eucher.

18 *Eucherius Lugdun. homil.* 1. *de Epiph.* Veniet tempus illud, quando nulla desideretur cibi, somnique refectio, nulla sentiatur ieiunij lassitudo; nulla timeatur, vel de carne inquietitudo, vel de hoste tentatio, &c.

Cyprian.

19 *Cyprianus de Christi Ascensione.* Vbi de gloria beatorum loquens, præ cæteris dicit. Non erit concupiscentia in membris, non vltra illa exurget rebellio carnis, &c.

20 Concluditur ergo, quod Beatorum Corpora, quoad remotionem omnium contrariorum, & passionum, ægestatum, ac necessitatum coniungentur optimo, quod appetunt sensus; nihil enim in hoc genere dari potest melius, quam perpetuò, & cum securitate carere omni malo. Igitur quò ad hanc partem erunt Beati.

Arg. ex bonis, quæ inerunt.

21 De secundo nunc probatur, quod nempè bonis positiuis sibi proportionatis sensus corporum beatorum coniungentur. *Sap.* 7. *Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent*. Quod confirmatur *Matt.* 13. *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*. Idem dictum fuerat *Daniel* 12. *Qui docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*. & ad *Philipp.* 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia, &c.* vt dicetur infra de dote claritatis. Ergo eiusmodi splendore fruentur sensus corporis, nedum in se, sed in alijs.

Greg. Nyss.

22 Conf. ex *Greg. Nis. orat.* 1. *de Pauper. amandis*. Quando istius assiduè fluentis carnis spolijs exuti, immortalitatem induerimus, vitam beatam nullum finem habituram nullis malis obnoxiam in summis, & admirandis, quæque hic à nobis cognitione comprehendi non possunt versantem gaudijs, & voluptatibus, hæc *Nis.*

Cyprianus sensibiles multas Paradisi delicias explicat.

23 *Cyprianus de laude martirij*, præ cæteris habet, numquam excidit Christi locus, vbi caret gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno se induit gramine, & redolente pascitur flore; vbi altum nemora tolluntur in verticem; & vbi arbor densiore coma vestit, quidquid curuantibus ramis scæna deiacens inumbrauit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris, nec vt in autumno arua requiescant: vnius cuncta sunt temporis vnius poma feruntur ætatis. Et post, habet populos, qui ea læta, sedes tenet placida sui, & alijs pluribus sensibiles etiam Paradisi extollit delicias, ad quas sanctos inuitat athletas.

Idem Cypr.

24 Idem *de Christi Ascensione*, ait, Totus hominis status erit pudicus, & pacificus, sana ex integro natura sine omni macula, & ruga deinceps permanebit.

Chrysost.

25 *Chrysost. epist* 5. *ad Theodorum lapsum*, præ cæteris habet; contemplare cælum, animaduerte permutatum fore habitum totius creaturæ: nihil enim huiusmodi; vt nunc est manebit, sed multò pulchrius erit, ac præclarius. Etenim nunc multa patitur creatura, seu corruptionis particeps; tunc verò hæc vniuersa reijciet, nobisque exhibebit elegantem, & incorruptibilem habitudinem. Et sicut puellus regius primum alitur cibo non ad modum splendido, terretur minis Pedagogi, &c. Mox regiam nactus maiestatem omnia hæc mutat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpura, diademateque ornatus, stipatus numeroso, satellitio abiectis ab anima rebus humilibus, ac subamaris, in quorum tunc locum omnia magnifica omnia iucunda successerunt sic tum eueniet omnibus sanctis: & post. Atqui sermonis elegantia, & vires nihil possunt; ad montem illum oratione pergamus, vbi Dominus transformatus est, contemplemur eum spendentem sicut resplenduit; quamquam nè sic quidam vniuersum nobis futuri sæculi splendorem exhibuit, quia fuit, quod tunc apparuit attemperatio quædam

Innumera de Paradiso encomia.

pro captu noſtro, ne vtiquam accurata rei demonſtratio, quod ex Euangeliſtæ verbis manifeſtum eſt, *ſplenduit*, inquit *ſicut ſol*. Cæterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus, neque talem eiuſmodi oculi mortales capere ſufficiunt. Verum in monte tum apparuit tantum lucis, quantam ferre potuerunt citra læſionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter accidit; procciderunt enim in faciem, hæc *Chryſoſt.* En quale ſenſibile obiectum cernent corporei oculi.

Transfiguratio Chriſti in monte nó exprimit adæquatè gloriam corporis, ait Chryſoſt.

26 Idem ibidem, ſic de ſenſibilibus præſtantiſſimis proſequitur. Dic obſecro, ſi quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum ſederet amicta, ſtolis aureis, & in medio haberet aliquem adornatum eximiè gemmis, regio veſtitu inſignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te aſſumpturum in numerum eorum, num omnia faceres, quæ ipſe inſſerit? Euola nunc in cælum animo; & in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiuſmodi viris. Conuentus eſt illic eorum, qui exuperant omne pretium auri, lapidum prætioſorum, radiorum ſolis, & omnis viſibilis formæ. Hæc *Chryſoſt.* ergo in cælo obiecta ſenſus ad ſunt excellentiſſima.

Alia elogia delitiarum.

27 Idem *homil. 6. in epiſt ad Hebr.* Repera enim eſt illa requies, vbi aufugit dolor, triſtitia, & gemitus; vbi, neque curæ, neque labores, neque angor, neque motus, &c. Omnia ſunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, manſuetudo. Non eſt ibi æmulatio, nec inuidia. Non morbus, neque mors corporis, non mors animæ, non ſunt tenebræ, neque nox. Omnia ſunt dies, omnia lux, omnia mitia, omnia ſplendida.

Ex eodem Chryſoſt.

28 *Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 30.* Omnia membra, & viſcera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vſus neceſſitatis varios deſtributa, quoniam tunc non erit neceſſitas, ſed plena fœlicitas omnia proficient in laudem Dei. Omnes quippe illi, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, non latebunt intrinſecus, & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ, atque mirabilis videbuntur, rationales mentes in tanti artificis laudem rationalis pulchritudinis delectatione ſuccedent. Ergo corpora beatorum proportionata beatitudine donabuntur.

Auguſt.

29 Conſ. ex dicendis in ſequenti de præcipuis corporum beatorum qualitatibus, ſeu dotibus, quibus nil pulchrius, nil melius, ac delectabilius poteſt à parte ſenſitiua deſiderari. Ergo proprijs obiectis optimis ſuo modo fruentur.

30 Conſ. 1. ex *S. Anſelmo in lib. de ſimilitudinibus cap. 47. & 48.* à nobis *in diſp 14. ar. 11.* De compendio beatitudinis relato. Partes beatitudinis quatuordecim ſunt, quas omnes electi habebunt, & ſunt pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, ſanitas, voluptas, longæuitas, ſapientia, amicitia, concordia, honor, poteſtas, ſecuritas, gaudium *cap. 50.* ait, pulchritudo iuſtorum ſolis pulchritudini, qui ſeptemplicitèr, quam modo ſit ſplendidior erit adæquabitur, vnde ſcriptum eſt, *fulgebunt iuſti, ſicut ſol in conſpectu Dei*.

Anſelmus narrat mul ta corporis, & animæ bona in beatis.

31 Velocitas (*cap. 51.*) quæ pulchritudine non minus amatur tanta nos comitabitur, vt ipſis Angelis Dei, æquè celeres ſimus, qui à cælo ad terras, & è conuerſo, dicto citius dilabuntur. & *cap. 52.* In futuro ſæculo ſic iuſtus fortis erit, vt etiam ſi velit terram commouere poſſit. *in cap. 53.* ait. Sicut Angelis nihil obſiſtit, nec aliquid eos impedire poteſt, vel conſtringere quin pro velle ſuo cuncta penetrent, ita non erit obſtaculum, quod nos retardet, nulla clauſula, quæ nobis vllatenus obſtet, &c.

Pulchritudo. Velocitas. Fortitudo.

32 In *cap. 54.* inquit. Incuntanter, vt mea quidem fert opinio aſtruere licet ſanitatem vitæ futuræ ita vigere, & immutabilem, ac inuiolabilem fore, vt inceſſabili quadam dulcedine ſuauitatis totum hominem repleat.

33 In *cap 56.* In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæſtimabili dulcedine ſui totos eos innarrabili abundantia ſatiabit. Quid dixi totos? Oculi, Aures, Nares, Os, manus, Guttur, Cor, Iecur, Pulmo, oſſa, medullæ, exta etiam ipſa, & cuncta ſingulatim, ſingulaque membra eorum communi, tam mirabili delectationis, & dulcedinis ſenſu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei poretur, & ab vbertate domus eius inebrietur. Ex quibus omnibus etiam caſtis corporum delectationibus; manifeſtè concluditur ea fore beatificanda.

Delectatio ineffabilis variùm ſenſuum & membrorum.

34 Conſ. ex *Hugone Victorino in lib. 4. de anima cap. 16.* Vbi compendio quodam perfectiones, ac delectationes Beatorum, etiam quoad corpora explicat, ſic. In ea cæleſti Patria eſt vita ſine morte, iuuentus ſine ſenectute, ſanitas ſine infirmitate, requies ſine labore, gaudium ſine triſtitia, pax ſine diſcordia, delectatio ſine faſtidio, lux ſine tenebris, pulchritudo ſine turpitudine, agilitas ſine ponderoſitate, fortitudo ſine imbecillitate, libertas ſine ſeruitate, voluptas ſine anxietate, longæuitas ſine vitæ termino, ſapientia ſine inſipientia, amicitia ſine inimicitia, concordia ſine diſcordia, honor ſine dedecore, ſecuritas ſine timore.

Hugo Vict. compendiũ beatitudinis corporum.

35 *Bernardus de meditat. cap. 4.* Poſt innumera, quæ refert de honoribus, & gaudijs Paradiſi concludit, in torrente illius voluptatis nihil vltra appetet cumulata ſatietas, tanta erit fœlicitas; ibi ſiquidem

Bernardus.

erit

erit cumulus fœlicitatis, superemineus gloria, & superabundans lætitia, &c.

Laur. Iustin. 36 *Laurentius Iustinianus lib. de disciplina, & perfectione monastica conuersationis cap.* 17. & 23. mirabilia docet de beatitudine. Sed in *libro de casto connubio verbi, & animæ cap.* 5. descendit ad multa sensibilia, & præ cæteris habet. Ciuitas quidem hæc magna est, aspectu grata, ab hostibus secura, à doloribus aliena, à perturbatione extranea, à morte libertima; nil immundum in ea est, nil sordidum, nil corruptione obnoxium: totum in illa placet, totum lucet, totum arridet; plateæ eius auro mundo sternuntur, portæ ex saffiro, & smaragdo ædificantur, & ex lapide prætioso omnis circuitus muri eius, super turres, & super muros custodes constituti sunt, qui die, noctuque nomen Domini laudare non cessant, sed & per plateas, vicosque mirabili exultatione ab vniuersis *Alleluja* cantatur. Non indiget Solis, aut Lunæ lumine, vt illustretur, quoniam claritas Domini illuminat eam, & lucerna eius est agnus. Fulget enim claritate, amœnitate floret, æternitate viget, & mirabili dilatatur immensitate. Sine comparatione pulchra, sine defectu conspicua, sine oppositione præclara. Ibi virgines, quæ nescierunt thorum in delicto, omnes auro textis ornatæ cicladibus, choreas ducentes, sponsique vestigia imitantes, hymnos amoris personare noscuntur, &c. permulta, & post aliqua, subdit. Singuli quoque in illa terra viuentium duplicibus vestientur. Corporibus quippe inerit iucundus splendor, & immortalitatis decor. Omnia namque huius corpusculi membra quendam diuinæ bonitatis personabunt concentum, ita vt nihil à Dei laude videatur alienum. Nulla deformitas, nulla membrorum erit inæqualitas. Videbunt oculi Regem in decore suo, &c. sicque singula singulis decorabuntur ornamentis.

Multa sensibilia oblectamenta.

37 Ex his ergo alijsque SS. Patrum dictis concluditur, nè dum beatorum animas beatas futuras, per coniunctionem cum suo fine, scilicet summo bono; sed etiam corpora, per vnionem cum optimis, ac perfectissimis obiectis, quibus nil melius possunt appetere, in quo, vt cum Scoto diximus beatitudo corporum consistit. De præcipuis autem corporum beatorum perfectionibus, dicetur postea.



## ARTICVLVS II.

### *An corporum beatitudo sit de essentia beatitudinis.*

*SCOTVS in 4. sent. dist. 49. quæst. 3. §. Ad argumenta pro prima, ad 3. sub F.* sic habet, *Totalis quietatio naturæ loquendo de totalitate extensiua requirit, vt quidquid est in natura quietabile, quietetur, & huiusmodi beatitudo hominis non est sine reassumptione, & reunione animæ ad corpus, quia aliquis appetitus est in ipsa anima ad corpus, tamquam ad proprium perfectibile; vel saltem è conuerso in materia, sicut in proprio perfectibili ad formam illam scilicet animam.* Hæc *Scotus*. Scoti mens.

38 Adu. 1. articulum hunc duplicem habere sensum. Primus est, an vt homo beatificetur sit necessarium, vt prius in corpore resurgat, ita quod differenda sit animæ beatitudo, vsque ad resurrectionem, & post iudicium. Secundus sensus est, an vt homo sit completè beatus sit necessarium, vt etiam corpus beatificetur eo modo, quo potest. In primo sensu agitata est quæstio in *disp.* 14. *art.* 6. & quia ibi fusè offensum est, animas Sanctorum non expectare vsque ad diem iudicij, vt Deum videant, & beatitudine donentur, sed acta Deum videre, eoque frui, ex *constitut.* 4. *Benedicti XII.* incipiente *Benedictus*, obiter tantum ob dicendorum ordinem illam attingemus. Sed de secundo sensu loquemur; licet nulla, vel exigua sit inter Doctores controuersia. Duplex artic. sensus. In vno sensu iam discussus est.

39 Dico 1. Ad beatitudinem essentialem animæ hominis, non est necessaria beatitudo corporis. Est communis de fide. Beatitudo essentialis animæ non est beatitudinem corporis.

40 Prob. 1. Christus de facto in via fuit Beatus essentiali beatitudine quo ad animam, non tamen quo ad corpus: ergo. Consequ. est euidens, quia eadem est de omnibus ratio. Antecedens est de fide, fuit enim beatus à primo instanti suæ conceptionis, fuit namque dispensatiuè simul viator, & comprehensor, vt de fide supponimus, ex *tract. de Incarnatione*.

41 Prob. 2. De facto animæ Sanctorum beatitudine fruuntur absque corporibus, vt diffusè probauimus in *disput.* 14. *art.* 6. earum autem beatitudo est essentialis; nam ex *Matth.* 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* & *cap.* 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* & *Ioan.* 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Animæ autem illæ Deum, vt in se est vident. Secundo, beatitudo dicit, vel principaliter, vel partialiter fruitionem, quia ex *August. lib.* 1. *de doctrina christiana cap.* 32. *Fruitio Dei est summa quies, & lib.* 1. *de Trinit. cap.* 8. *Vna Trinitate* Ex S. Script. id ostenditur.

*nitate est plenum gaudium nostrum*, animæ autem illæ viso Deo, eodem fruuntur, vt ex *const. 4. Benedicti XII. loco cit.* probatum est, ait enim in §. 3. *Vident diuinam essentiam visione intuitiua, & faciali. Et sic videntes, eadem diuina essentia perfruuntur.* Ergo vera, & essentiall beatitudine potiuntur. Ex quibus colligitur; quod ad essentialem beatitudinem animæ non est necessaria beatitudo corporis.

Completa animæ beatitudo exigit beatitudinem corporis,

42 Dico 2. Ad completam totius hominis beatitudinem est necessaria Beatitudo corporis. Est communis cum fide catholica.

43 Prob. 1. ex *Scoto, vbi in principio*, tota natura humana est capax aliarum delectationum ratione sensuum, quas non habet dum sola anima beatificatur. Et ad eas est maximè inclinata, quas si non habeat inquieta est. Ergo, vt completè, & plenè quietetur, est necessaria corporis etiam beatitudo.

Anima appetit vniri corpori.

44 Prob. 2. Ex parte ipsius animæ, quæ appetit vniri corpori, & exercere operationes totius coniuncti. Ergo tunc plenè satiatur, quando corpus beatificatur.

45 Prob. 3. ex Interl. *in cap. 11. ad Heb.* in fine, vbi Apostolus loquens de sanctis Patribus, qui ante Christum mortui sunt, ait, *& hi omnes testimonio fidei probati, nunc non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non sine nobis consumarentur*, Interl. ait, duas stolas, Plenam corporis, et animæ beatitudinem, vt in communi gaudio omnium maius fiat singulorum. Ergo corporis beatitudo spectat ad plenam hominis beatitudinem.

Corporis beatitudo est pars præmij.

46 Prob. 4. Corporum beatitudo est pars præmij, & vna ex duplici veste promissa homini electo; nam *Isa. 61. 7.* habetur, *Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.* Interl. Ver. *In terra*, ait, *Viuentium, quæ sursum est non deorsum.* & Ver. *Duplicia*, inquit, *anima, & corporis membra.* Lyr. ibid. inquit, duplicia possidebunt, id est duplicem gloriam, animæ scilicet, & corporis, ideo subditur lætitia sempiterna erit eis. Ergo pertinet ad completum beatitudinis præmium.

Irenæus:

47 Prob. 5. ex Patribus. *Irenæus lib. 2. cap. 51.* habet. Quia in corporibus perficiuntur ea, quæ sunt iustitiæ, corpora, quæ cum animabus participauerunt iustitiæ, obtinebunt similiter refrigerij locum. Ergo pars præmij hominis est corporis batitudo. *Athan. in symbolo*, ait. *Homines resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam*: ergo, vt pars præmij reposita est corona etiam corpori.

Cyprian.

48 *Cyprianus de Cardinal. Christi oper.* Ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare, & impios, Dei hoc dictante iustitia, vt pietas, & impietas debitis stipendijs donarentur. Et qui gloriati sunt in cruce, cum Crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes. Ergo si est pars præmij spectat ad plenam gloriam.

Ambros.

49 *Ambrosius in orat. de fide Resurrect.* Cum omnis vitæ nostræ vsus in corporis, animæque consortio sit, resurrectio autem, aut boni actus præmium habeant, aut pœnam improbi, &c. Ergo est præmij pars. Eadem autem phrasi loquendi Patres omnes vtuntur.

Magna promissio est corporis gloria.

50 Prob. 6. ex *Apost. ad Philipp. 3. 21.* Hoc est maximum hominis gaudium, & expectatissima promissio, vt corpus glorificetur, ait enim, *Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Interl. ait, quia assimilabitur corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione. Ergo corporis glorificatio est pars, seu complementum beatitudinis humanæ.

Ex script.

51 Prob. 7. ex *Psal. 15. Propter hoc lætatum est cor meum, insuper, & caro mea requiescet in spe.* Spes autem carnis, ait Interl. est ad immortalitatem, & ad gloriam resurrectio. Ergo est complementum beatitudinis.

Ex societate corporis, & animæ,

52 Prob. 8. Corpus est fidus animæ socius in via, ac passionibus: igitur debet esse in consolationibus: æquum enim est, vt ait Apostolus 2. Cor. 1. vt qui socij sunt passionum sint etiam, & consolationum. Tota ergo, & completa consolatio hominis exigit etiam corporis glorificationem.

Ex Christi corporis gloria;

53 Prob. 9. Hæc est maxima Christi gloria, vt corpus eius resurrexerit gloriosum, ac immortale; anima enim semper fuit beata, & nihilominus numquam absolutè beatus, aut glorioſus est appellatus, nisi vel cum talis in corpore glorioso apparuit in monte Thabor, vel cum è mortuis resurrexit, vnde Petrus *in epist. 2. cap. 1.* qua. si ex tunc inceperit Saluator esse glorioſus, ait, *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiusmodi à magnifica gloria, hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui ipsum audite, & hanc vocem nos audiuimus à cælo allatam dum essemus cum ipso in monte sancto*, ibi autem, vt habetur *Matth. 17.* in corpore transfiguratus, & glorioſus apparuit, *cum resplenduit facies eius sicut Sol.* Vnde canit Ecclesia Gloria, & honore coronasti eum, & Glorioſus apparuisti in conspectu Domini. Si ergo gloria corporis Christi adeo celebris, & eximia est, vt pro ea fere sola, glorioſus, magnificus, & beatus appelletur, cum ex *Philipp. 3.* Eodem modo electorum corpora sint glorificanda, fatendum est, corporum beatitudinem, seu gloriam, ad completam hominis beatitudinem pertinere.

Prob.

Totus homo meruit.

54 Prob. 10. Totus homo, nedum ratione animæ, sed etiam corporis meruit. Ergo totus est præmiandus, igitur corporis gloria pertinet ad beatitudinis complementum.

Augus.

55 Prob. 11. ex *D. Augustin. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 35.* Vbi de anima separata ait, inest ei quidam naturalis appetitus administrandi corpus, à quo retardatur, vt tota intensione feratur, in illud summum cælum. Sed hic *Augustin.* locus videtur supponere sententiam eorum, qui docebant animas exutas corporibus detineri extra cælum in quibusdam receptaculis. Sed adhuc concludit corporis gloriam complere ipsius ipsiusmet animæ Beatitudinem.

Dion. Areopag.

56 Prob 12. ex *Dion. Areopag. de Eccles. Hierarch. cap. 7.* sic habente. At vero casta sanctarum animarum corpora, cum quibus vna & vitæ mortalis iter egerunt, & simul descripta sunt, simulque certarunt, pro sacris sudoribus suis in animarum firmitate, ac sede resurrectionem quoque vna recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Christi effecta membra diuinam, atque immortalem, beatamque recipient requiem. In his ergo (concludit) est sanctorum quieta obdormitio in lætitia, & spe immobili cum ad sanctorum certaminum peruenerint finem. Ergo completa totius hominis beatitudo exigit corporis beatitudinem, qualiscunque illa sit.

## ARTICVLVS III.

### *An Beatorum corpora post resurrectionem erunt impassibilia.*

Sententia.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 13.* Cum Catholica fide docet, beatorum corpora futura esse immortalia; & hanc dotem illis competere ex protectione diuinæ voluntatis conseruantis ipsa, & non coagentis causæ secundæ ad eorum destructionem.

Dotes, quæ hic discutiuntur sunt præcipuè, & quare dotes,

57 Adu. 1. Vt passim dicetur, inter cætera Corporum beatorum dona, quædam esse maximè conspicua, de quibus omnes ferè SS. Doctores, ac Scholastici loquuntur, quæ vocantur dotes corporis glorioſi, inde deducto vocabulo, quod sicut sponsis dari solent munera quædam, quæ dotes dicuntur, ita & hominum corporibus præclara quædam præ cæteris à Deo sunt eroganda. Primum autem horum est impossibilitas, per quam vlterius corrumpi, aut pati non poterunt, sed in æternum sunt duratura.

Dubia discutienda,

58 Adu. 2. Duo hæc esse videnda. Primo, an sint immortalia, & impassibilia, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco. Secundo, vnde proueniat hæc impassibilitas; num ab aliqua qualitate intrinseca ipsis corporibus; nimi vero à sola Dei voluntate impediente causas intrinsecas, nè inter se pugnent, & extrinsecas, nè contra ipsa machientur.

Aliqua communia omnibus, alia solis electis.

59 Adu. 3. Quod quamuis de incorruptibilitate omnium corporum resurgentium, tam electorum, quam reproborum, multa sint dicta in *disput 7.* huius tomi per tres articulos; in speciali tamen de electorum impassibilitate, alia restant dicenda, quæ cæteris resurgentium corporibus non sunt communia, vnde ait Apost. 1. *ad Cor. 15.* ait. *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Interl. Ver. *Mysterium*, dicit, quod multis est occultum; & Glossa Ord. *Hier.* Ver. *Immutabimur*; ait, sed soli sancti; & infra, ait Apost. *Et nos immutabimur.* Interl. ait, *in gloriam impassibilitatis.* Ex quibus habetur, quod altioris ordinis est incorruptibilitas electorum; ipsi enim nedum immortales erunt, sed nihil ab aliquo extrinseco patientur; quod impijs non continget. His ergo sic positis.

Diuersi sent. vnde proueniat impassibilitas.

60 Adu. 4. Quod omnes Catholici conueniunt in conclusione, non tamen omnes in assignando causam impassibilitatis. Quidam enim quos citat, *Marsil. Scoti* docuerunt hoc prouenire, quia corpora beata carebunt qualitatibus contrarijs. Alij quod qualitates ille tunc non erunt contrariæ. Alij quod erunt redactæ ad medium, seu iustitiam, & pondus, vt vna nequeat aliam vincere. Alij quid corpora non suscipient contraria. Alij dixerunt id procedere ex vigore quodam insuperabili redundante ex anima in corpus. Alij ex defectu motus in causis secundis, quia cessante motu cæli, omnes alij cessabunt. Scotus autem his omnibus impugnatis, docet, causam impassibilitatis talium corporum esse diuinam voluntatem protegentem illa, & non coagentem causis secundis ad eorum destructionem. His positis.

Corpora beatorum erunt immortalia, & impassibilia.

61 Dico 1. Beatorum Corpora erunt immortalia, incorruptibilia, & impassibilia. Est de fide.

62 Prob. 1. ex 1. *Cor. 15. Seminatur corpus in corruptione, surget incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &* post aliqua. *Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile, hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Interl. Ver. *Nos immutabimur*, inquit, in gloriam immortalitatis, & impassibilitatis. Ergo nedum erunt immortalia, & incorruptibilia, nullam diminutionem, aut defectionem, aut patientia, sicut erunt etiam corpora impiorum, sed erunt impassibilia, quod istis non competet.

Dionys.

63 Prob. 2. ex PP. *Dionysius* enim *lib. de Eccl. hier. cap. 7.* allatus in præced. art. ait, *Corpora beatorum Christi membra effecta diuinam, atque immortalem, beatamque requiem*

*pient*

*pient requiem*. Idem habet *in lib. de diu. nom. cap.* 1.

Theodor. 64 *Theodoretus in epist. ad Coloss. cap.* 2. habet, in futura vita à corruptione, & interitu alienum, ac immortale corpus effectum, non potest amplius, &c.

Iræn. 65 *Irenæus lib.* 5. *cap.* 2. præ cæteris habet, corpora resurgent suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris. Qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptili incorruptelam gratuitò donat.

Auguſt, 66 *Auguſt. lib.* 10. *de Ciuit. cap.* 29. habet. Qualia Sanctorum corpora in resurrectione futura sunt, potest aliquanto scrupulosius inter Christianarum Scripturarum

Sicut Christi corpus erunt doctissimos disputari, futura tamen sempiterna minimè dubitamus; & talia futura, quale sua resurrectione Christus demonstrauit exemplum. Sed qualiacunque sint cum incorruptibilia prorsus, & immortalia, &c. multis prosequitur *Augustus*.

Idem Aug. 67 Idem *Auguſt. in lib.* 20. *de Ciuit. cap.* 18. mouens dubium, vbi nam erunt sanctorum corpora quando in iudicio totus mundus ardedit, & in fine, ait. Talia illis in erunt corpora, vt illic sint, vbi esse voluerint, sed nec ignem conflagrationis illius pertimescunt, immortales, atque incorruptibiles facti: sicut trium virorum corruptibilia corpora, atque mortalia incamino ardenti viuere illæsa potuerunt. Et ad hoc possunt adduci omnes Ecclesiæ DD. sed quia est fidei articulus, beatorum vitam fore æternam, & immortalia corpora, hos paucos adduxisse sufficiat.

Erunt etiam incorruptibilia, 68 Quod autem nè dum immortalia, sed etiam incorruptibilia omnino sint futura. Prob. 1. ex eodem Apostolo, vbi supra. *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem*. Secundo, quia si corruptibile, iam non esset immortale, & æternum, tandem enim deficeret.

PP supra relati ad idé. 69 Conf. ex relatis PP. in *disp.* 7. *art.* 2. *ac* 3. & in præcedd. art. huius disp. & ex nuper relatis pro immortalitate. Conf. ex *Dion. Areop. lib. de diu. nom. cap.* 1. dicente. Tunc verò quando incorruptibiles immortalesque effecti fuerimus, & ad imaginem Christi, beatissima dignati requie, &c. ex *Chryſoſt. in epist.* 5. *ad Theodorum lapsum*. ex *Cyrillo Alex. lib.* 12. *in Ioan. cap.* 58. ex *Theodor. in ep. ad Coloss. cap.* 2. ex *Cypriano de Christi Ascens.* ex *Hilar. in psal.* 60. *lib.* 2. *de Abraham cap.* 1. ex *Hier. in ep.* 1. *ad Cor. cap.* 15. ex *Auguſt. lib.* 3. *de symb. ad Catech. cap.* 11. & *lib.* 20. *de Ciuit. cap.* 18. ex *Prospero de vita contemplat. cap.* 4. Et ex omnibus Ecclesiæ DD. docentibus vnanimiter, Beatorum corpora futura incorruptibilia.

Impaſſibilitas probatur 70 De impassibilitate autem, probari posset conclusio per eadem allata loca, quia si sunt æterna, & incorruptibilia, sunt etiam impassibilia, quia passio tandem inducit corruptionem. At quoniam etiam damnatorum corpora erunt immortalia, atque incorruptibilia, & tamen infernales cruciatus perpetuò sustinebunt; alio debemus vti argumento ad probandam impassibilitatem Corporum Beatorum.

Arg. à requie beata. 71 Prob. ergo 1. Beati requie æterna fruuntur. Ergo nihil omninò, nec in anima, nec in corpore patientur: vbi enim est passio, est inquietitudo. Antecedens est de fide, & sæpe patuit in præced. ex Dionysio, & alijs. Ergo corpora erunt impassibilia.

Ex scrip. arg. quod non aderit dolor. 72 Prob. 2. ex *Apoc.* 7. *Abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor*. Ergo nulla aderit passio, hæc siquidem esse nequit sine dolore. Et fuit etiam prædictum *Isaiæ* 35. 10. *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum gaudium, & exultationem obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus*.

Ex lætitia eorum. 73 Prob. 3. Status beatorum est status gaudij, & exultationis perpetuæ, ex *Ioan.* 16. *Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à nobis*. *Isa.* 65. *Gaudebitis, & exultabitis, vſque in ſempiternum*. *ad Rom.* 14. *Regnum Dei eſt iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*, & locus, ac status ille appellatur antonomasticè *Gaudium*. *Matth.* 25. *Intra in gaudium Domini tui*. Ergo est omnis passionis expers. Hæc enim nequit cum gaudio copulari.

A sufficienti arg. 74 Prob. 4. Passio potest accidere, vel ab intrinseco per Elementorum pugnam; vel ab extrinseco, per contrarium, siue simplex elementum, siue mixtum, siue animal, siue hominem. Sed nullo ex his modis potest accidere, vt testantur SS. Patres: ergo. Antec. maior prob Nam

PP. docent ab intrinſe. eo non esse paſsibilia. Cyprian. 75 *Cyprianus de Chriſti Aſcenſ.* ait, Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, fœlix æternitas.

Ephrem. 76 *Ephrem de Compunct. cordis cap.* 8. præ cæteris habet, in vita illa immortali, vbi fugatur dolor, tristitia, et gemitus; vbi non est timor, et tremor; vbi non est mors, et corruptio; vbi non est aduersarius, et impugnator, etc.

Greg. Nyſſ. 77 *Greg. Nyſſ. orat.* 1. *de Pauperibus amandis*, ait; post autem, quando istius assiduè fluentis carnis spolijs exuti immortalitatem induerimus, vitam beatam nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam.

Auguſt. 78 *Auguſt in Pſal.* 147. Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, nihil litigabit aduersus animam in homine; non ipsa aduersum se ex quadam parte saucia; non carnis fragilitas, non indigentia corporis, non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non vlla inopia, non prouocatio rixæ, non certè ipsa cautela vitandi inimici, etc.

Chry-

Chrysost.

79 *Chrysost. ep. 5. ad Theod. lapsum.* Non est illic senium, & senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni è medio, & è pedibus, quod aiunt tollentur. Et in *hom. 6. in epist. ad Hebr.* ait, non est illic æmulatio, nec morbus non mors corporis, neque animæ.

80 *Eusebius Lugdun. Hom. 1. de Epiph.* Dum veniet tempus illud expectatissimum, &c. nulla obsistet infirmitas, nulla contradicet miseriæ carnis aduersitas, nulla viterius remanet pugnandi necessitas. Veniet inquam tempus illud, quando iam nulla desideretur cibi somnique refectio, nulla sentiatur ieiunij lassitudo; nulla timeatur, vel de carne inquietitudo, vel de hoste tentatio, &c.

Ex quibus alijsque, quos tædium esset afferre, Patrum doctiuis, euidenter constat Beatorum corpora futura omnino tam ab intrinseco, quam ab extrinseco incorruptibilia, & impassibilia.

Impassibilitas non est ex qualitatū carentia.

81 Dico 2. Impassibilitas illa non oritur ex carentia qualitatum consequentium naturam mixti, neque ex carentia contrarietatis earumdem inter se, vtraque pars est *Scoti in 4. dist. 49. q. 13. A.*

Ex natura mixti arg.

82 Prob. prima pars. Si corpora illa carerent qualitatibus mixti, non essent mixta, nec illa, quæ sunt mortua: ea enim erant mixta ex elementis, siue formaliter, siue saltem virtualiter, ait enim *Iob. 19. In carne mea videbo Deum meum*, igitur in carne eius naturæ, quæ in illo erat. Secundo, anima non potest animare, seu informare elementum, sed mixtum. Tale autem includit qualitates. Ergo corpora non erunt impassibilia per carentiam qualitatum.

Quare contrariæ.

83 Prob. secunda pars. Primæ qualitates sunt essentialiter contrariæ. Ergo quoties manent eædem secundum speciem, manent etiam secundum contrarietatem: subiectum enim poni non potest sine propria passione.

84 Dices. Tunc non futuras contrarias, quia contraria cum nata sint fieri circa idem, sunt talis naturæ, vt sibi succedant; sed qualitates corporum sibi non succedent, quia non fient amplius generationes, & corruptiones; & ideo tolletur ab eis ratio contrarietatis.

Contrariorum definitio, quomodo intelligitur.

Contra, inquit *Scotus sub B.* primò committitur circulus; quæritur enim, quare non erunt contraria, & dicitur, quia nō succedent. Si quæritur, quare non succedent dicitur, quia non erunt contraria. Ecce circulum. Secundo, ait Scotus definitio illa contrariorum malè à multis intelligitur, quia debet intelligi de eodem secundum speciem. Si intelligitur de eodem secundum numerum, non tamen est verum de omni; nimirum quod ea tantum sunt contraria, quæ in eodem subiecto numerico sibi succedunt numericè. Quia hoc est falsum, nam albedo, quæ est in hoc subiecto numericè, & nigredo, quæ est in alio numquam sibi succedunt. Et tamen sunt contraria. Sed albedo secundum speciem potest succedere nigredini secundum speciem. Et aliquando neque secundum speciem possunt sibi succedere albedini enim in cigno non potest succedere nigredo, neque nigredini in conco albedo. Igitur ex hoc, quod qualitates in corpore beato non possunt sibi succedere, non propterea amittunt contrarietatem.

Contrariæ secundum speciem sibi succedunt.

Non oritur ex reductione qualitatū ad statum medium.

85 Dico 3. Impassibilitas corporum beatorum non oritur ex eo, quod qualitates sunt redactæ ad statum medium, vt vna nequeat aliam vincere. Est *Scoti loco cit. sub B.*

86 Prob. Gratis asseritur, nec probatur hic status medius, nam in mixto etiam ad pondus, & ad iustitiam, aliqua qualitas prædominatur.

87 Prob. 2 Etiam si admittatur status iste medius, & attemperatus qualitatum; adhuc tamen est causa diminuta impassibilitatis, quia saluaret eam solum ab intrinseco, non autem ab extrinseco. Assignari ergo debet aliquod adæquatum illius principium.

Non oritur ex respontia contrariorum.

88 Dico 4. Impassibilitas non oritur ex eo, quod corpora non sunt susceptiua contrariorum. Est *Scoti loco cit. sub B.*

A priori ratio.

89 Prob. Erunt corpora eadem, quæ nunc: ergo. Consequ. prob. Idem secundum speciem, secundum se est susceptiuum earumdem formarum. Neque potest dici, quod nunc corpora maneat sub priuatione qualitatum. Tunc verò manebunt sub negatione. Quia semper contradictio est, priuationem formæ, tolli à subiecto, nisi ipsa insit; non enim potest auferri à subiecto aptitudo recipiendi aliquam formam, manente natura susceptiui. Si autem manet aptitudo, manet etiam priuatio.

Forma quando tollit à subiecto omnem priuationem.

90 Dices. Potest forma superior, ac excellentior auferre priuationes omnium formarum inferiorum, sicut in cælo forma cæli auferet à materia cæli omnes priuationes aliarum formarum, & hac de causa non potest corrumpi:

Contra. In primis certum est, quod forma nobilior, quæ erit in corpore beato est anima intellectiua: hæc autem eiusdem est rationis pro nunc, & pro tunc. Sed nunc non tollit omnem priuationem: ergo neque tunc. Secundo, vt forma aliqua faciet omnem appetitum subiecti, & tollat ab eo omnes priuationes, necesse est, vt virtualiter saltem contineat omnem perfectionem cuiuscunque formæ inferioris; sed anima, talis non est. Imò neque est dabilis talis res creata. Et quod dicitur de forma cæli est somnium; materia enim cæli est verè priuata omnibus formis, & aptitudinem ad eas habet, & maxi-

Materia cæli habet priuationē omnium formarum.

mè ad quamlibet animam. Igitur, cum anima non tollat omnem priuationem, corpus æquè habet priuationem qualitatum, estque earum susceptiuum.

Non est ex vigore aliquo.

91 Dico 5. Impassibilitas corporum beatorum non est ex vigore, seu virtute aliqua in eis posita ad resistendum contrarijs. Est *Scoti ibidem B.*

A sufficienti enumeratione argum.

92 Prob. Virtus illa, vel est forma substantialis, vel accidentalis. Si primum dicatur, vel est substantia spiritualis. vel corporea, neutrum dici potest. Primo, quia homo non esset idem, qui prius, substantialiter enim esset mutatus. Secundo, quia talis forma non esset inuincibilis, & insuperabilis ab alio agente. Tertio, quia nullibi in scriptura legitur forma illa substantialis superaddenda; neque SS. Patres aliter explicant incorruptibilitatem, quàm per negationem corruptiuæ actionis. Prob. modo de forma spirituali; non potest dari forma nobilior anima, quæ tamen nequit exilteus in corpore resistere actiuitati contrariorum, ne inter se pugnent, seque inuicem destruant. Ergo neque alia forma.

Neque corporea, neque spiritualis forma potest id præstare,

Secundo, nequit assignari cuius generis esset hæc forma spiritualis, & quomodo faceret vnum per se cum homine ente completo. Neque potest esse forma materialis. Primo, quia faceret ens per accidens cum homine iam constituto in esse completo. Secundo, quia ipsamet esset destruibilis ex quo reciperetur in materia, quæ haberet appetitum ad alias formas, esset que in potentia contradictionis.

Non forma accidentalis

93 Neque dici potest quod forma illa sit accidentalis; quia vel esset qualitas cælestis, vel elementaris, vel mixta. Nullum horum potest dici; neque si dicatur est ad rem. Non primum, quia qualitates cælestes sunt, vel lux, vel perspicuitas, neutra harum est, quia corpora beatorum esto futura sint splendida, vt Sol, tamen, nec erunt perspicua, seu diaphana, quia densa, sicuti nunc, ec opaca; neque lumen, aut lux, quia colorata, quod lumini repugnat. At esto aliqua ex his, non poterit resistere agenti externo, patet de lumine, vel luce in igne, et alijs luminosis, de perspicuitate in aere, aqua, Christallo, et cæteris, quæ corruptiuis externis non resistunt. De alijs, scilicet elementari, vel mixta, euidens est, quod non posset resistere; nulla enim talis qualitas resistit omni corruptiuo, vt patet. Immò neque resistit actioni mutuæ sui oppositi. Secundo, quia qualitas illa, vel prohibet omnem actionem alterius, et sic pugnat cum opposita saltem; vel non prohibet, et sic alia possunt in eam agere. Ergo non videtur possibilis aliqua qualitas adducens impassibilitatem,

Neque cælestis qualitas.

Neque elementaris.

Non ex defectu motus cæli,

94 Dico 6. Impassibilitas corporum Beatorum nequit prouenire ex defectu motus cælorum, causante defectum motus in alijs causis secundis ratione cuius non possint agere in eà corruptiuè. Est *Scoti in 4. dist. 49. quæst. 13.* est contra Philosophos.

Est artic. Parisiensis.

95 Prob. 1. Hæc doctrina est vnus ex articulis Parisiensibus damnatis, qui est 17. Et taliter conceptus, stante cælo, approximato igne stuppæ, ignis non corrumpit stuppam est error. Et verè error, quia cum tempore Gedeonis *Iosue* 10. cessante motu cæli. Non proinde cessauit motus certantium, ac digladiantium in eo bello, imò vt posset bellum compleri, et à Gedeone obtineri victoria, stetit Sol. Et *S. Aug. lib* 11. *Confess. cap.* 10. ait, *si Cælum staret, adhuc moueretur rota figuli.* Igitur hoc arg. non est ad rem.

Ex script.

A priori.

96 Probat 2. Scotus hanc conclus. sic. Eatenus Cæli motus est causa genetrationum, et corruptionum, ex 2. *de Gener. t. cap.* 55. quia adducit generans. Igitur si haberetur præsentia generantis adhuc dari posset actio generatiua, et corruptiua. Stante autem cælo post iudicium corpora beatorum erunt sibi inuicem præsentia, qualitates mixtionis contiguæ, imò, et continuæ in eodem corpore. Ergo possent in se inuicem agere.

Neque est ex dominio animæ in entia creata.

97 Dico 7. Impassibilitas illa non oritur ex dominio, seu imperio animæ in entia creata, quibus possit imperare ne corpus attingant, aut corrumpant. Est *Scoti loco cit. quæst.* 13. C. & F.

A pari de Angelo non potente id impedire.

98 Prob. 1. Neque supremus Angelus ex imperio suæ voluntatis potest impedire causas naturales, nè agant, si sint approximatæ subiectis, istæ enim non obediunt Angelis ad nutum, quantum ad actionem, et alterationem. Licet per potentiam Angelorum possent localiter remoueri, et impediri, nè subiectis approximent. Hoc autem non est ad rem; quia qualitates mixti supponuntur futuræ in corpore, et sine illis anima non informaret, neque viuificaret. Ergo solo nutu non posset eas impedire, nè agerent.

99 Prob. 2. ex *Scoto sub F.* Anima beati non fiet omnipotens, neque potens facere quidquid volet. Et licet quidquid volet obtinebit, etiam circa corpus, et hoc perfectè subderut eius voluntati, vt ei obediat in omnibus, tamen hoc eueniet effectiuè à Deo, cui corpus est perfectissimè, et dispoticè subditum; at non poterit per suum imperium obtinere, nè qualitates actiuæ agant in subiecta disposita.

Impassibilitas vnde proueniat.

100 Dico tandem. Impassibilitatis corporum Beatorum causa est diuina voluntas conseruans corpora, et subtrahens concursum causis secundis, nè corruptiuè agant in illa. Est *Scoti in 4. dist. 49. quæst.* 13. *D. S. Dico ergo.*

101 Prob. 1. à sufficienti, ex dictis enim nulla videtur assignabilis ex parte creaturæ, nisi demus formam aliquam in audi-

tam,

Arg. à sufficienti enumeratione.

tam, et amplius non productam; quæ quidem, neque in corpore Christi ad fuit; cum nihil nouum in Christi corpore adfuerit post resurrectionem, quod Ecclesiæ, aut SS. Patribus notum non sit. Nullus autem huc vsque asseruit, formam istam positiuam impassibilitatis in Christi corpore, cum tamen omnes cum fide Catholica confiteantur illud glorioſum, et impassibile. Et ideo Augustinus diligens perfectionum corporis beati indagator *in lib. 22. de ciu. cap. 17.* Docet corporibus resurgentibus vitia tantum esse auferenda, sed naturam esse relinquendam *in cap. 19.* ait, seruata integritate substantiæ sola deformitas peribit, *in cap.* autem 30. vbi de omnibus bonis beati loquitur, nullum verbum facit de eiusmodi positiua forma impassibilitatis.

Aug. diligés Theol.

101 Conf. Omnes SS. Patres, qui lo. cum Pauli declarant fatentur cum fide, corpora impassibilia esse, seu pati non posse; numquam tamen de forma aliqua positiua loquuntur. Et aliunde sola Dei assistentia, seu protectio non coagens causis secundis sufficit: ergo.

Paritas de pueris in fornace Babylonica.

103 Prob. 2. Ex eodem Scoto ibid. hoc modo fuerunt præseruata corpora trium puerorum in fornace Babylonica. Et hoc arg. desumpsit, ex *August. in epist. 146. & in lib. 20. de Ciu. cap. 18.* Vbi comparat corpora beatorum ad tres illos pueros, quos fornax non corrupit, et ipsemet *Aug.* accepit à *Tertulliano lib. de Resurrect. carnis, cap. 58.* Quorum authoritates verbatim adduxi *in cit. disp. 7. ar. 3.*

Aliæ præseruationes per subtractionem concursus.

104 Prob. 3. Aliæ præseruationes rerum à corruptione hoc prorsus modo acciderunt, nempe per subtractionem concursus à contrarijs agentibus: ergo, et hæc. Anteced. prob. Hoc modo sunt præseruata hæbreorum vestimenta, et calceamenta per annos 40. in deserto *Deuter. 29.* cum *Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. cap. 2. in cit. art. 3.* diximus. Hoc modo Ionas à Pisce; hoc pariter modo Enoch, et Elias præseruantur, ait, *Tertullianus in lib. de Resurr. car. cap. 58. eius verba in art. 3.* citato adduximus. Ergo per extrinsecam Dei protectionem, et continuam conseruationem in eodem statu corpora illa erunt impassibilia.

Arg. contra 1.

Ob. contra 1. Corpus glorioſum erit palpabile: ergo et corruptibile. Antec. prob. Primo, quia Christus post resurrectionem, *Luce 24.* ait, *Palpate, & videte.* Secundo, quia omne sensibile est palpabile. Consequ. prob. ex *Greg. in cap. 20. Ioan. infir digitum tuum huc*, vbi ait, corrumpi necesse est, quod palpatur.

Duplex resp. ad Gregor.

105 Resp. ex *Scoto in 4. dist. 49. qu. 13. §. Ad rationes sub G.* neg. consequ. ait enim Gregorij authoritatem non esse necessariam. Secundo dicit, corpus palpabile habens qualitatem immutantem sensum tactus dum palpat, puta calorem, vel frigus; durum, vel molle, &c. esse corruptibile, secus si illis careat, vt de beatis dicemus. Tertio dicit authoritatem illam hoc tantum probare, quod corpus palpabile ex sui natura corruptibile est, nisi ex Dei assistentia; & protectione præseruetur.

Ob. 2. Sensus beatorum tendent in sensibilia excellentissima: ergo patientur imò ab illis poterunt corrumpi. Consequentia prob. ex *2. de anima t. 123.* excellens sensibile corrumpit sensum. Et si non sint excellentia, saltem agent in sensus; & hi patientur ab illis, aliter enim fieri non potest sensatio, nisi agendo, & patiendo ab obiectis.

Sensibilia quando inducunt passionem.

106 Resp. ex *Sco.* neg. consequ. ad probat. dist. quando excellens, vel aliud sensibile operatur cum immutatione intentionali, & reali corruptiua, concedo, si absque ista secunda, nego. Philosophus autem loquitur de sensationibus, quæ modo fiunt in animali. In Beatis autem erit immutatio realis per receptionem speciei, & intentionalis; quia cognoscet; tamen nec obiectum, nec species poterunt lædere organa illa; quia Deus cum eis non coaget ad destruendum.

Quare non inducent in beatis.

Ob. 4. Corpora Beatorum constabunt ex elementis: ergo non poterunt esse perpetua. Consequ. prob. Quia cum elementa sint ibi extra regionem suam, non poterunt esse, nisi cum violentia. Violentum autem nequit esse perpetuum, ex *1. Cæli t. 15. & 2. Cæli t. 18.*

Quare elementa non essent violenter in corporibus beatorum.

107 Resp. ex *Sco. sub H. §. ad 3.* vel neg. anteced. quia ipse semper sustinuit elementa non esse formaliter in mixto, sed tantum virtualiter. & sic arg. non concludit. Vel resp. cum eodem neg. consequ. ad probat. negat, quod si elementa sunt in Beatorum corporibus essent violenter. Et optimam, ac subtilem pro hoc adducit doctrinam, sic violentum tunc dicitur, quando est contra naturale. In casu autem non esset contra naturale vniuersi, licet contra naturale elementorum esse extra suam regionem, sed secundum naturam vniuersalem. Et exemplificat de aqua sursum se mouente ad impediendum vacuum; hic autem motus, inquit, non est simpliciter violentus; imò si tunc descenderet relicto vacuo superius, esset simpliciter violentus; quia natura totius vniuersi magis est principium naturalitatis, quam natura ista particularis; & magis naturale est, quod tali toti conuenit, quam quod propriè huic. Applicat deinde ad propositum. Corpus naturale, & præsertim humanum mixtum, est perfectius quodam naturale quocunque elemento secundum se: ideoque magis est naturale quod ipsum conseruetur, & elementum sit violenter in eo, quam quod corpus hominis dissoluatur, & elementum quodlibet tendat in proprium locum.

Quod est conforme naturæ vniuersi, non est violentū.

Vnde concludit, quod hoc dictum, *nullum violentum eſt perpetuum*, non eſt neceſſaria propoſitio pro Theologis, loquendo de violentis contra naturam particularem huius, quia Deus poteſt conſeruare aliquod particulare perpetuò, & ſub oppoſito eius, ad quod naturaliter inclinatur. Sed apud *Ariſt.* eſt vera propoſitio, quia in natura, omni potentiæ paſſiuæ correſpondet aliqua actiua, quæ reducitur ad actum, & ſic violentum illud aliquando corrumpetur. Hæc *Scotus*.

Violentum ſecundum quid poteſt eſſe perpetuum.

108 Et huius argumenti ſolutionem inuenio in *Auguſtino lib. 22. de Ciuit. cap. 11.* reſpondente ad Platonicos dicentes corpora ponderoſa, vt ſunt humana conſtantia, ex elementis non poſſe eſſe in cælo, cum ita ſint ordinata elementa, vt terra ſit ſub aqua, hæc ſub aere, iſte ſub igne. Ad quod dicit *Auguſtinus ſub B. Ecce qualibus argumentis omnipotentia Dei contradicit humana infirmitas. Quid ergo faciunt in aere terrena tot corpora, cum à terra ſit aer terius, &c.* idem dicit de hominibus, qui ſupra terram ſunt, & de piſcibus, qui ſub aqua. Deinde multa adducit artificialia, quæ grauia quidem ſunt, vt plumbum, &c. quæ tamen ab artifice ita aptantur, vt ſuper aquam ſint, &c. & concludit, quod ſi naturaliter corpora deorſum trahere poſſunt animas, quare non poterunt animæ ſurſum detinere corpora. At poſtea ad miraculum accedit, & irridens eorum deos, quorum virtute multa contra naturam dicebant eſſe patrata, vt dum veſtalis virgo falſa ſtupri ſuſpitione verſaretur, cribrum aqua de tyberi plenum ad ſuos portabat indices nulla gutta ſtillante; à fortiori arguit, cur non poterit Deus facere, vt corpora grauia in cælo ſint, & ita terminat. *Nihil igitur aſſirmant ex ponderibus elementorum, atque ordine, vnde omnipotenti Deo, quo minus faciat corpora noſtra talia, vt etiam in cælo poſſint habitare, præſcribant.* Quod igitur corpora humana ponderoſa ſint in cælo, Auguſtinus dicit, eſſe perpetuum miraculum, Scotus ex Auguſtino, nè dum miraculum aſſerit, ſed dicit non eſſe quid violentum ſimpliciter, ſed violentum ſecundum quid, nec obſtare perpetuitati, quia cauſa ſecunda non poteſt corruptiuè agere.

Scotus hoc arg. accepit ab Auguſtino.

Diſcurſus eudens Auguſtini.

Ob. 5. *Ariſtot. lib. 1. de cælo t. 124 & 138.* contra Platonem exiſtimat impoſſibile, cælum eſſe corruptibile, & tamen poſſe ab alio extrinſeco perpetuari. Ergo idem dicendum de corporibus beatorum; intrinſecè enim eſſent corruptibilia; quia mixta, igitur non poſſunt perpetuari.

Scotus dicit arg. Ariſt. contra Platonem non valere.

109 Reſp. Scotus, quod, vel Plato concedebat in cælo corruptibilitatem, & perpetuationem contingenter: & tunc ratio Ariſtot. contra eum non valet; quia licet actus repugnet actui, vt corruptio perpetuationi, & è contra; non tamen actus potentiæ, nempe perpetuatio corruptibilitati. Si autem Plato poſuit alterum iſtorum eſſe neceſſarium, ſecundum Ariſtot. verum eſt argum. quia neceſſarium, & ſempiternum conuertuntur. Vel dicamus, Theologos non premi ab hac authoritate Philoſophi; quia dicunt, vtique corpora eſſe ſecundum ſe corruptibilia, ſicut & cælos ipſos; tamen quia agentia creata impediuntur à Deo ne agant contra illa; & hoc impedimentum eſt perpetuum, ideo cum hac potentia remota ad corrumpi, numquam actus copulabitur. Quæ quidem reſponſio omnia Philoſophorum diluit argumenta.

Contra Theologos concludit, ſed iſti ſaluant dictum per Dei potentiam.

Ob. contra vlt. Impaſſibilitas eſt dos corporis. Ergo importat aliquid exiſtens in eo. Alioquin non eſt eius dos.

110 Reſp. ex *Scoto loco cit.* neg. conſequen. & probat. quia dos, ex qua deſumpta eſt translatio non eſt res aliqua exiſtens in perſona dotata, neque in ſponſo, niſi quo ad vſum, vt euidens eſt. Et ſicuti datur ſponſis dos, ita in ſponſalitio illo in reſurrectione conſumando, cuicunque Beato dabitur impaſſibilitas pro dote, eritque diuina protectio, ſeu aſſiſtentia præſeruans corpora, nè patiantur à cauſis ſecundis corruptiuis; licet illa præſeruatio, ſeu aſſiſtentia non inſit ipſis corporibus. Vel, inquit Scotus, quod ſicut dotatus habet ius in re illa, quæ ſibi aſſignatur pro dote, ita beatus habet ius in hac diuina cuſtodia ſibi impendenda; & quia eſt ad cuſtodiam corporis dicitur dos eius.

Dos non debet exiſtere in perſona dotata.

Ob. 2. Si ita declaretur dos impaſſibilitatis, eſſet etiam damnatis communis; & cælis, aliiſque etiam elementis. Igitur non eſſet aliquod ſpeciale beatorum donum. Antecedens prob. Etiam damnatorum corpora, nec non elementa, & cælorum formæ præſeruabuntur à corruptione.

111 Reſp. diſt. Eadem, & eodem modo erit in dictis rebus communis, nego. diuerſa, & diuerſo modo, concedo. Ratio eſt, quia corpora damnatorum erunt quidem incorruptibilia, ſed paſſibilia; patientur enim immutationem realem, & incorruptibilitas illa erit ad perpetuam eorum afflictionem, & ex demeritis. Non ſic impaſſibilitas beatorum, quia nullo vmquam modo aliquid patientur, & hoc in eorum commodum ex meritis. Impaſſibilitas autem elementorum eſt à Deo collata in delectationem beatorum, eſt ad oſtenſionem ſuæ magnificentiæ, neque cadit ſub merito eorum.

Corpora damnatorum incorruptibilia, ſed paſſibilia.

Ob. 3. Si hoc modo ſunt impaſſibilia, ſequitur, præſeruationem illam eſſe miraculoſam; quod videtur abſurdum. Nam S. Auguſtinus non videtur concedere, quod opera diuina perpetua, ſint miraculoſa. Sic enim Deus res, quas condidit adminiſtrat, vt motus ſuos agere ſinat.

112 Reſp. ex *Scoto ibid. ad 3.* neg. ſequelam. Tunc enim erit connaturale agenti

Impossibilitas erit connaturalis.

ti creato non agere corruptiuè, nunc autem est miraculosum, quia pro hoc tempore deputata sunt ad agendum, & Deus decreuit pro hoc tempore tantum cum omni creatura agere ad generationem, & corruptionem, non verò per totam æternitatem; completa ergo ratione mundi, quoad præsentem statum, sicut erat creaturis naturale agere corruptiuè ex concursu Dei cum illis; ita erit eisdem connaturale sic non agere ex defectu eiusdem concursus. Et sicut dictum est de cessatione motus Cæli in fine mundi, ita de motu corruptiuo omnium entium dicendum est, quod sicut cessatio à motu tempore Iosue fuit miraculosa, per totam verò æternitatem à parte post erit naturalis; ita impedimentum ignis in fornace Babylonis ne combureret, & in alijs martyrum casibus in lege noua fuit vtique miraculosum, quia contra naturam ignis secundum præsentem cursum; at per æternitatem à parte post erit naturale. Immò inquit Scotus est magis naturale, quod corpora beatorum non corrumpantur, sed præseruentur, quam, quod Deus coagat cum agente creato ad corrumpendum. Status ergo ille erit naturalis. Addendum, quod nutritio nunc est naturalis, & cessatio ab ea esset miraculosa; at per totam æternitatem corpora non nutrientur, quia, vt dicemus erunt spiritalia, & nihilominus hæc cessatio à nemine dicitur miraculosa; neque hoc aliunde prouenit, nisi, quia completa est periodus operandi pro potentia vegetatiua. Ideo similiter discurrendum de actione corruptiua agentium naturalium circa beatorum corpora.

Multa nunc miraculosa, quæ postea erunt connaturalia.

## ARTICVLVS IV.

### *An Beatorum corpora erunt agilia.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. q. 14.* cum fide catholica Beatorum docet corpora futura agilia, & diffusè, ac distinctè declarat causam talis dotis, eiusque effectus.

Agilitas quid significat.

113 Adu. 1. Vocabulum hoc *agilitas* ex communi etiam Philosophorum, ac Doctorum sensu significat virtutem, seu qualitatem quandam, qua corpus aliquod celeriter, promptè, ac expeditè, cum dexteritate se mouet. legatur Calepinus Ver. *Agilis*. *Scotus* autem *in 4. dist. 49. qu. 14. D.* ait, Agilitas in corpore beato est habilitas ad promptè mouendum se secundum locum ex perfectione virtutis motiuæ animæ, & congrua dispositione corporis. Et si ergo naturaliter in via, maxima, & mirabilia in hominibus, imò & beluis humana industria educatis experiamur agilitatis, ac dexteritatis exempla; quia tamen eiusmodi corpora cum violentia id exequuntur, & facilè, ac statim fatigantur, videndum est, an corpora Beatorum futura sint agilia: & qualis quantaque erit eorum agilitas, & ad quos motus se extendet.

Motus localis in animali duplex.

114 Adu. 2. & supp. ex libris de anima, cum *Scoto loco cit. sub A.* quod tam in homine, quam in alio animali de facto duplex est motus localis; Vnus ratione elementi prædominantis. Alius verò ratione animæ, & est motus progressiuus. Isti autem motus differunt ratione principij, & termini. & tandem ratione dominij in principijs. Quia primus est ab elemento prædominante, & ideo mortuo animali corpus grauius est. Progressiuus verò est ab anima, vt à principio. Item ratione termini, quia motus procedens ex elementi prædominio sequitur inclinationem naturalem, & ideo est determinatus ad vnum terminum; motus verò procedens ab anima non est determinatus ad vnum situm, seu locum, sed ad diuersos iuxta apprehensionem, & appetitum animæ. Tandem differunt ratione dominij in principijs, quia motus procedens ab Elemento, non potest ab eodem sisti, aut impediri ne fiat. Sed motus progressiuus animalis potest ab eodem sisti; nam, nè dum homo, sed & bruta mouentia se ad aliquem situm, possunt se in motu sistere, & vlterius non progredi.

Motus elementi prædominantis, & progressiuus, & eorum differentiæ.

115 Adu. est 3. Quod, vt exactè agilitatis natura percipiatur, videndum est, an ipsa sit qualitas, aliqua positiua superaddita beatis, & an supernaturalis; & an hæc sit corpori, an animæ collata. An sit pura quædam habilitas procedens ex remotione impedimentorum in corpore. An tandem sit ipsa met anima, quæ remotis corporis impedimentis, ac retardatiuis, ad suum nutum moueat celeriter corpus.

Multa dubia discutienda.

116 Adu. 4. Non leuem esse controuersiam pro agilitate ista, an corpus beati moueri possit alio motu, quam organico, sicuti nunc in via mouetur, nempe pars post partem, cum enim mouetur brachium caput, aut crus, certum est, non totum illud membrum simul moueri, sed successiuè, nempe pars post partem: remanet modo dubium, an moueri possit motu non organico, & totum simul, sicut v. gr. Angelus, vel ipsa met anima, quæ quidem carens partibus nequit organicè moueri; ita corpus beati possit de loco ad locum, & ad qualibet positionem, seu situm, siue sursum, siue deorsum, siue dextrorsum, siue sinistrorsum, totum simul, & non pars post partem, vel sua virtute, vel animæ facultate moueri.

De motu alio vitali inorganico est difficultas.

117 Dico 1. Corpora beatorum erunt agilia. Est communis de fide. *Magister sent. Scotus, D. Th. D. Bonau. &c.* omnes id docent *in 4. sent. dist. 49.*

Corpora beata erunt agilia.

Prob. 1.

Sapient.

118 Prob.1. ex *Sap.*3. 7. ***Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.*** Glossa Ord. ait, scintilla duo facit, scilicet mutat cito arundinetum, & vindicat. Lyran. ibid. ait, ***tamquam scintillæ***, per dotem agilitatis, quia corpus obedict ad nutum animæ quantum ad localem motum.

Isaiæ 40

119 Prob.2. ex *Isa.*40. 31. ***Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient S. Hier.*** declarans hunc locum, præ cæteris habet. Itaque, & sanctos repuerascere, & assumpto immortali corpore, laborem non sentire mortalium, sed rapi in nubibus obuiam Christo, &c.

Augustin.

120 Prob. ex *August. lib.*13. *de Ciuit. cap.*18. vbi contra Platonicos negantes corpora ratione ponderis non posse in cælo existere, *sub B.* ait. ***Cur ergo sanctorum perfectos, atque beatos diuino munere spiritus sine vlla difficultate posse ferri, quo voluerint, & sua corpora non credamus.*** & *in lib.*22. *cap.*30. Licet definire, ait, non audet, qui motus talium corporum sint illic futuri, addit tamen, ***Certè, vbi volet spiritus illic protinus erit corpus.***

Anselm.

121 Prob. ex *D. Anselm. lib. de similitud.* vbi omnes Beatorum corporum perfectiones enumerans in *cap.* 51. ait, velocitas; quæ pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui à cælo ad terras, & è conuerso dicto citius dilabuntur.

122 Probari potest, ex 1. *Cor.* 15. vbi de corporis beati dotibus, ita dicitur, ***seminatur corpus in infirmitate, surget in virtute. Seminatur animale, & surget spirituale,*** spiritalitas autem, quæ excludit ciborum indigentiam, & consequenter humorum crassorum, & excrementitiorum redundantiam, adducit promptitudinem, ac facilitatem ad motum. Virtus pariter opposita infirmitati videtur in hoc saltem specialiter sita esse, vt pigritiam, torporem, & difficultatem mouendi reijciat à mobili. Igitur corpora illa erunt agilia.

Agilitas ab anima originatiuè prouenit formaliter à corpore.

123 Dico 2. Agilitas corporum Beatorum prouenit principiatiuè ab anima, formaliter à corpore. Est communis cum Scoto ibidem, vno excepto Riccardo infra adducendo.

124 Prob. 1. pars, ex *S. August. lib.*13. *Ciuit. cap.* 18. nuper à nobis relato, qui corporum beatorum motum sine difficultate, à spiritibus esse affirmat. Idem dicit in *lib.* 22. *de Ciuit. cap.*11. à spiritu nempe posse ferri corpora sursum, &c. idem in *cap.*30. supra adducto.

A priori ratio.

125 Prob. ratione. Motus progressiuus animalis, cum non sit ad vnum determinatus, est ab anima; ergo, & facilitas mouendi: cui enim competit subiectum competit passio; facilitas autem actiuè mouendi est in potentia mouente.

126 Prob. secunda pars. Corpori competit denominatio agilis, & ipsum est, quod sic mouetur; anima enim secundum se semper agiliter moueret, nisi esset impedita à resistentia membrorum, & humorum in nervis, ac iuncturis ipsius corporis. Igitur agilitas formaliter competit corpori. 2. pars.

Arg. à paritate motus cæli.

127 Conf. Velocitas, ac tarditas motuum sphæratum, licet effectiuè sit ab intelligentijs, formaliter tamen, & denominatiuè competit sphæris, non verò intelligentijs, nisi actiuè, & principiatiuè.

128 Conf. 2. Eatenus corpus alicuius animalis dicitur agiliter moueri, quia habet membra disposita, ac non impedita ad recipiendum motum impressum ab anima. Ergo formaliter corpori competit agilitas; ideoque dicitur corporis dos.

Agilitas non consistit in aliqua qualitate positiua.

129 Dico 3. Agilitas non consistit in qualitate aliqua positiua supernaturali corpori, vel animæ superaddita. Est *Scoti loco cit.* contra *Riccardum in dist.* 49. *art.* 4. *quæst.*7.

130 Prob.1. Non potest assignari quænam qualitas sit ista facilitans ad promptum, ac facilem motum corporis ad omnem positionem, seu situm. Vel enim est, qualitas cælestis, vel elementatis, vel mixti, quæcunque asseratur, non potest effectus illos æterogeneos efficere, quia quælibet earum est naturalis, id est intrinsecè ad vnum determinata. Et tamen corpus beati ad diuersas, & contrarias loci positiones poterit cum agilitate, seu promptitudine, ac facilitate celerrimè moueri. A priori arg.

Qualitas hæc retardaret.

131 Prob.2. Hæc noua qualitas reddens agilem, cum non esset libera, sed determinata ad vnum vbi, potius adduceret corpori fatigationem; & laborem, quam facilitatem: ergo. Prob. sequela; si enim determinat corpus ad vbi sursum, cum difficultate posset moueri deorsum, & è contra, si inclinet ad vbi deorsum. Neque datur, aut dabilis est forma aliqua inclinans ad motum, quæ non inclinet ad determinatum motum. Corpus autem beati, ad motus indeterminatos est inclinatum, & respectu omnium, vt ait, Augustinus erit agile: ergo.

Agilitas oritur ex virtute motiua animæ, & remotione quorundam humorum.

132 Dico 4. Agilitas in corpore beato orietur ex intensione virtutis motiuæ in anima, & ex remotione humorum crassorum impedientium tam in iuncturis, quam in toto corpore facilem, ac promptum corporis motum. Ita *Scotus in dist.*49. *qu.*14. *§. Respondeo sub H.*

133 Prob. Hæc duo saluant agilitatem; & non multiplicant miracula: ergo. Secundo, potentia visiua v.g. in corpore beato intendetur, ita vt poterit quodlibet perfectum visibile intueri. Ergo intendetur pariter in anima potentia motiua, qua possit fortius, & celerius mouere corpus. Neque hoc est impossibile, aut difficile.

134 Prob. secunda pars. Ratio cur nunc cor-

8. part. de remotione humorū.

corpus aliquod maiori cum difficultate possit progressiuè moueri, est multitudo humorum in juncturis, nervis, & toto corporis habitu, & fumositatum existentium in capiti, seu cerebro, quæ quidem reddunt hominem desidem, ac pigrum. Ergo, cum isti humores, ac vapores, ex quo excrementitij sunt, non pertineant ad veritatem humanæ naturæ, auferentur à corporibus beati, seu verius ista non resurgent in illis, sed spiritus subtiles, & perfecti, qui maximè apti sunt ad celerem, ac expeditum motum. His autem duobus positis salvatur agilitas, neque videtur aliud esse necessarium. Ergo ita futurum esse dici potest.

Vnde oritur pigritia.

Arg. contr. 1

Ob. 1. Frustra ponitur agilitas in corpore beato: ergo. Anteced. prob. Ibi non erit motus, nam motus est actus entis in potentia, & sic imperfecti. Corpus autem beatum non erit imperfectum. Secundo, quia tunc non erit motus cæli. Ergo nec alij. Tertio, quia non aderit, tunc tempus: igitur nec motus. Cum autem agilitas detur propter motum; si hic non erit, neque illa.

Corpus beatum in aliquibus accidentalibus est capax perfectionis.

135 Resp. facile neg. anteced. ad probat. Scotus distinguit min. non erit imperfectum in eis, quæ pertinet ad sui constitutionem, concedo. in alijs accidentalibus extrinsecis, nego. Quia corpus beati non est infinitum, & carens omni imperfectione, sed finitum, & carens multis accidentibus, & præsertim vbi; eaque potest acquirere, & huiusmodi sunt omnes Angeli, imò, & ipsum Christi corpus, quod non est vbique. Ad secundum neg. consequ. Diximus enim de motus Cæli cessatione, quod eo cessante, non proinde cessabunt alij, nisi motus generationum, & corruptionum. Vnde ait Augustinus, quod cessante motu Cæli, non propterea cessaret motus rotæ figuli; quod accidit Gedeonis tempore *Iosue* 10. quando stetit Sol, item & Ezechiæ tempore 4. *Reg.* 20. nec proinde cessarunt motus hominum, aut animalium, imò perfectum est à Gedeone bellum; & vt dixi in præced. art. *Scotus in dist. 49. quæst. 13. sub* C. dicit hunc esse errorem damnatum Parisijs. Ad tertium dicendum, quod cessante motu primi mobilis, cessat tempus extrinsecum, quo omnia per annos menses, & horas mensuramus. At non cessat tempus intrinsecum cuiuslibet motus. Hoc enim est motui cuilibet intrinsecum, sicuti hic est intrinsecè successivus.

Cessante motu cæli non cessant alij.

Tempus intrinsecum, & extrinsecum.

Ob. 2. Si corpora beatorum resurgerent agilia, non egerent alio motore, vt se conferrent in aeris locum, vbi manebit Christus in iudicio. Sed hoc aliter se habet; nam ex *Thessal.* 4. habetur, *Rapiemur cum illis obviam Christo in aera*, raptus autem ille, ait Interpret. fiet per Angelos.

Quare beati ferentur ab Angelis ob

136 Resp. *Scotus in fine quæst.* neg. sequelam. Et si enim se solis possent beati se transferre velociter ad locum in quo manebit Christus; tamen in obsequium, ac reverentiam eorum permittet Deus, vt ab Angelis ferantur. Nisi velimus dicere hoc faciendum ob velociorem motum; quia forte non esset adeo velox corporis ex anima motus. Eo vel maximè, quia vt docet *Scotus sub H.* Agilitas corporum erit inæqualis iuxta mærita, & proinde, cum omnes beati debeant simul coram Christo in ictu oculi comparere, & non omnes æqualem sint habituri agilitatem, Angelorum ministerio omnes simul adducentur.

obviam Christo.

Ob. 3. Si possent moueri localiter, posset à Christo recedere, & eiusdem visione priuari. Quod est absurdum. Nam incongruum est, vt accidentali illo præmio etiam ad tempus priuentur. Prob. sequela. Beati quo maiora habent mærita, eò proximiores sunt Christo. Igitur si se moverent, recederent ab illo.

Beati recedentes à Christo adhuc eum videns.

137 Resp. ex Scoto in fine quæstionis neg. sequelam de priuatione visionis corporalis Christi. Estò enim recederent aliquantum, adhuc viderent. Et licet etiam remotissimi recederent vltra distantiam sphæræ oculi, ita vt Christum corporaliter non viderent, non esset eis pœna, primò quia oculis mentis viderent. Secundo, quia voluntariè ad libitum recederent.

Ob. 4. Corpora beatorum erunt perfectissima. Ergo non indigebunt motu locali. Consequ. prob. ex 2. *de Cælo t.* 52. quo entia sunt perfectiora eo paucioribus egent operationibus: patet de Deo, & Angelis.

Paucas operationes beati exercebunt.

138 Resp. ex *Scoto in calce quæst.* 14. nego consequ. ad probat. dist. Si habeant omnia, quæ possunt etiam accidentaliter eis inesse, concedo. si non habeant, nego. Secundo resp. concesso assumpto, nego consequ. Quia corpora beata adhuc pauciss imas habebunt operationes, si motus localis eis concedatur. Non enim sunt entia infinitæ perfectionis, sicut Deus. Et si Angeli habent hunc motum, estò perfectissimi, quare non etiam Corpora beata.

Ob. 5. Si essent agilia, non essent mixta, vel non esset perpetua talis agilitas: ergo. Prob. sequela, si mixta debent esse grauia; grauia autem non possunt perpetuo esse agilia; quia essent in statu violento.

Erunt mixta & ponderosa.

139 Resp. vt in sequ. neg. sequelam. Erunt enim verè mixta, & ponderosa, cum ponderè proprio naturæ mixti, omni reiecto excrementitio humore; hic autem est, qui impedit promptitudinem, & agilitatem. Status autem ille erit naturalis perpetuò ita à Deo conseruandus, impediente, nempe excrementorum, aliorumue humorum crassorum generationem. Et licet naturalis erit coniunctio animæ, & corporis, sic & humorum purorum mixti.

## §. 1.

### *An corpora beata mouebuntur ſolum organicè, vel aliter.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. diſt. 49. qu. 14. §. Reſpondeo ſub D.* Verſu, *Tertio videndum*, mouet dubium an anima ſolo motu organico poſſit mouere corpus beati, an totum ſimul, & poſt prolixam diſcuſſionem, concludit affirmatiuè.

Curioſum dubium, & ſcitu dignũ.

140 Adu. dubium hoc eſſe ſcitu dignum. Certum eſt, ait *Scotus ſub D.* in homine reperiri motum organicum, qui conſiſtit in hoc, quod corpus non mouetur totum ſimul, ſed pars poſt partem; cum enim mouetur vna pars, altera quieſcit, vt patet in motu progreſſiuo, in eleuatione brachij, cruris, & alterius ſimilis flexibilis membri; vna enim eius parte mota, alia non mouetur, ſed ſucceſſiuè. Hic motus, inquit Scotus eſt manifeſtus. An verò adſit in anima, à qua motus ille procedit, facultas ad mouendum corpus alio modo, quam organicè, nempè non partem poſt partem, ſed totum ſimul, ſicut cum quis mouet lapidem, vel ſi Angelus eleuaret hominem, alioquè transferret totum ſimul moueret. Hoc ergo hic inquiritur: quod, ait Scotus, non eſt ita manifeſtum, ſed ratione probatur.

Si beatus mouebit ſe inorganicè.

Operatio vitalis, vel eſt ab anima ſola, vel ab organo.

141 Adu. 2. Quod vt ſupponimus ex libris de anima omnis operatio vitalis in animali eſt, vel ab anima ſola, vt in homine intellectio, ac volitio, vel à toto organo conflato ex anima, & organo corporeo, vt ſunt ſenſationes omnes, ac vegetationes. Suppoſito autem, quod anima habeat facultatem producendi vtrumque motum, oritur alia quæſtio, an iſta potentia ſit vna, vel duplex. Et ſiue ſic, ſiue ſic, an ſit vtraque, vel altera organica, vel vtraque, aut altera inorganica. His poſitis

Alia nobilis quæſtio ſi ſit vna potentia organica, & inorganica,

Eſt incertum ex ſcriptura quot motus erunt in corpore beato.

142 Dico 1. Per Scripturam incertum eſt quot motibus poterunt ſe mouere, ac ſe mouebunt Beatorum corpora; cum Scripturæ poſſint aliter declarari.

143 Prob. 1. Excepta celeritate, & agilitate motus, nihil aliud in Scriptura legimus. Imò primus motus, qui de Beatis reſurgentibus legitur eſt motus raptus, ex 1. *Theſſal. 4. Rapiemur cum illis obuiam Chriſto in aera.* Interl. ait, *ab Angelis.* Ex quo datur occaſio dubitandi, an beati ſe mouebunt, localiter, & quomodo.

Aug. ita docet.

144 Prob. 2. ex *S. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 29. G.* ſic habente de Beatorum corporibus. *Sed quia ſpirituale corpus noſcimus, quantos habebit acceſſus, de re quippe in experta loquimur, vbi aliqua, qua aliter intelligi nequeat diuinarum ſcripturarum non occurrit, &c.*

145 Conſ. ex eodem, ibidem *cap. 30. B. Qui motus illic talium corporum ſunt futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen, & motus, & ſtatus ſicut ipſa ſpecies decens erit; quocunque erit, vbi quod non decebit non erit. Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus. Nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritum poſſit decere, nec corpus.*

Mouebuntur progreſſiuè.

146 Dico 2. Licet ex Scriptura explicitè non habeatur, qui motus inerunt beatis; tenenduni tamen eſt, quod corpora beatorum poſſint ſe mouere localiter progreſſiuè. Eſt communis cum *Scoto in 4. diſt. 48. quæſt. 14.*

Sap.

147 Prob. 1. ex Scriptura habetur, quod *ſicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Sap. 3. Quod current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Hæc autem loca ſi anagogicè intelligantur de iuſtis in Patria, iam conſequentia eſt de neceſſitate illata.

Apocal.

148 Prob. 2 ex *Apocal. 14. Vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia.* & poſt multa; ait. *Virgines enim ſunt, hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* Ex quo habetur, quo intellecta viſione in ſenſu anagogico, vt videtur ſonare, beati agnum, id eſt Chriſtum ſequentur, ſe mouendo. Et ſic motus Chriſti progreſſiuus, & aliorum beatorum euidenter concluditur.

Congruentia.

149 Prob. 3. *S. Auguſt.* licet dicat ſe ignorare, quos motus habebunt ea corpora, concedit tamen, quod protinus mouebuntur, quò voluerit ſpiritus. Magis autem proprium videtur, quod motu animalis, & progreſſiuo moueantur potius quam volando v. g. vel alio ſimili in excogitato inſuetoque modo.

150 Prob. 4. ex *Hugone Victor. lib. 4. de anima cap. 15.* vbi de beatis, ait veloces ſunt, quia vbicunque eſſe vult ſpiritus, ibi eſt etiam corpus: ergo.

Argum. ad impoſſibile.

151 Prob. 5. Si corpora beata moueri non poſſent progreſſiuè, fruſtra concederetur eis agilitas, quæ reſpectu motus localis tantum poteſt exercere. Hinc *Auguſtinus lib. 22. de Ciu. cap. 20.* docet ab eis omnem abſturam tarditatem, & Anſelmus, vt in præced. docet futura velocia, ſicut ſunt Angeli.

152 Prob. 6. Immutatio corporum glorioſorum, quæ beatis competet, ex 1. *Theſſal. 4.* non detrahet decorem, & pulchritudinem eorum, ſed augebit. Indecorum autem eſt, vt corpora viua, & agilia ſint immobilia, ſicut ſtatuæ marmoreæ: ergo.

Poteſt etiã aſſeri, quod mouebuntur inorganicè.

153 Dico 3. Et ſi manifeſtum non ſit, an anima præter virtutem mouendi corpus organicè, habeat etiam virtutem mouendi illud inorganicè, & totum ſimul: aſſeri tamen poteſt vtramque habere. Eſt *Scoti in 4. diſt. 49. quæſt. 14. ſub B. & C. &c.* vbi prolixè id declarat, & probat.

Prob. 1.

154 Prob. 1. pars: Nullo scripturæ expressæ, aut simili Patrum testimonio potest concludi; immò Sanctus Augustinus in 1. conclusitatus, dicit, non posse certò sciri, quia scriptura quælibet ad hoc adducta, potest aliter explicari.

Ratio concluſ.

155 Prob. 2. pars. Primo ex parte animæ. Anima ex se habet potentiam ad se mouendum de loco ad locum; non quidem progressiuè, & organicè cum partibus careat; sed tota simul. Ergo potest etiam mouere corpus non organicè, sed totum simul. Probantur singula, & primo anteced. Quodlibet ens non immensum potest virtute sua acquirere vbi, quod non habet, vel secundum prædominium elementi, si sit mixtum, ac corporeum, vel pro libito, si sit incorporeum, et rationale, vt patet de Angelo. Consequ. prob. Si anima potest se mouere inorganicè, potest etiam mouere eodem modo quodcumque sibi annexum; & patet experientia, ex hoc enim, quod Angelus potest se mouere inorganicè, potest etiam hoc modo hominem, vel aliam rem mouere. Secundo, quia lapis inorganicè mouetur, si deorsum descendat trahit secum hominem sibi alligatum, quem pariter inorganicè mouet. Igitur cum anima possit se inorganicè mouere, vnita corpori in Patria, poterit illud sic mouere.

Conuincens arg.

156 Conf. ex *Scoto ibid.* Si repugnat animæ separatæ mouere se, & aliud corpus sibi vnitum, vel hoc oritur ex intellectualitate, vel ex imperfectione animæ. Neutrum potest dici. Non primum, quia Angelo competit mouere se, & cælum. Ergo non ratione intellectualitatis. Neque secundum, quia corpus quodlibet mouet se, & alia sibi vnita; & tamen est imperfectius anima. Secundo, quia anima potest exercere actus nobiliores, vt intellectionem, & volitionem. Ergo pariter, poterit exercere motum localem.

A ſufficienti argum.

157 Prob. 2. Anima de facto in via mouet se, dum mouet corpus: se autem non mouet organicè. Ergo inorganicè. Igitur habet ex se hanc potentiam.

De facto anima ſic ſe mouet,

158 Prob. 3. Corpora beata adeo celeri motu poterunt moueri, vt eorum motus dicatur volatus *Isaiæ 40. Vt aquilæ volabunt, & non deficient.* Ergo poterunt tota simul, & inorganicè moueri.

Equatur velocitati motus Angeli.

159 Conf. ex *Anselm. lib. de similitud. cap. 51.* Velocitas tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui à cælo ad terras, & è conuerso dicto citius dilabuntur. Ergo motu inorganico citissimo poterunt moueri.

De Chriſti aſcenſione.

160 Conf. 2. Ascensio Corporis Christi in cælum non fuit organica, sed totius corporis simul. eodem pariter modo descendet ad iudicandum, iterumque in cælum ascendet. Neque potest dici, quod eiusmodi motus non sint ab anima, sed à diuinitate; frustra enim recurritur ad miraculum, quando facta saluari possunt per naturalem virtutem: neque putandum est maioris virtutis quo ad hunc motum esse Angelos, quam Christi, vel aliorum beatorum animas.

Vna & eadē eſt potentia mouens organice, & inorganice.

161 Dico 4. Potentia animæ ad motum proprium, & corporis, siue organicum, siue inorganicum est vna, & eadem. Est *Scoti in 4. dist. 49. quæst. 14. C.*

162 Prob. Numquam ponenda est pluralitas sine necessitate, sed non est necessitas multiplicandi has potentias; vna enim & eadem potest vtrumque motum efficere; organicum quidem cum corporis actiuo etiam consortio; inorganicum verò se sola, corpore merè passiuè se habente; sicut si homo ab Angelo raperetur ad aliquem locum, absque propria actione ad eum; & sicut si à graui deorsum traheretur.

Eadem potentia facere potest vtrunque.

163 Prob. 2. Vna & eadem potentia loco motiua, quæ nunc mouet organicè, partem post partem, poterit mouere simul, & immediatè omnes partes: ergo. Anteced. prob. & declaratur. Anima de facto sic animat, & vitam dat toti corpori, vt prius cor viuificet, deinde partes propinquiores, & remotas, postea remotiores, & remotissimas; vnde in moribundis, remotissimæ prius amittunt vitam, & cessant nutriri, ac viuificari, & sic deinceps quousque deueniatur ad cor fontem vitæ, & vitalium spirituum. Et non ex alio capite, nisi, quia sic sunt dispositæ, vt successiuè, & per proprias vias ab eodem termino à quo progredientes communicentur spiritus toti corpori. Si autem corpus esset ita dispositum, vt in omni eius parte formarentur spiritus; anima immediatè, & æquè primo partes omnes viuificaret, ac nutriret. Ita prorsus de potentia loco motiua est dicendum. Quod nunc sicut corpus viuificat partem post partem, ita etiam mouet naturaliter, quia medijs spiritibus motum exercet in corpore. At tunc in patria poterit immediatè etiam mouere, quia habebit partes omnes æquè dispositas, quia æquè omnes erunt spirituales, non cibis, aut nutrimento egentes, sed sola anima viuificatæ, vt postea dicetur. Igitur non egebit aliquo adiutorio, vt si velit, immediatè omnes moueat. Hæc autem potentia naturalis erit, non enim dabitur, tunc aliqua noua potentia, sed antiqua exercebit nouos actus, propter nouam corporis reformationem.

Moribundi ſucceſsiue perdunt vitam.

Dignos Sco. ti diſcurſus.

A ſufficienti arg. ad hominem.

164 Prob. 3. Si quid obstat, maximè est, quia eadem potentia esse nequit organica, & inorganica, cum hæc sunt contraria. Sed hoc non obstat: ergo. Min. prob. Nam aliæ potentiæ in homine, vt sensitiuæ, & appetitiuæ non habent hanc duplicem conditionem organici, & non organici. Minor prob. Nulla est implicantia, quin eadem formalitas, quæ est potentia motiua realiter animæ identificata, vt sic considerata,

rata, & vt operatiua, seu factiua motus se sola absque corporis actiuo adiutorio sit inorganica. Vt verò cum ipsomet corpore per modum totius causat motum eius in parte post partem, dicatur organica. Sicut ipsamet anima secundum se spectata est intellectiua, & nihilominus cum organis corporis operans est etiam sensitiua.

Obiectio

165 Dices. Potentiæ sensitiuæ, siue externæ, vt visus, auditus, &c. siue internæ, vt sensus communis, non sunt organicæ, & inorganicæ, sed solum organicæ. Ergo alterutrum concedi debet potentiæ motiuæ animæ. Vel duæ sunt ei concedendæ, organica vna, inorganica altera.

Quare potentia cognoscitiua non est etiã inorganica, sicut motiua

166 Resp. ex *Scoto quæst. 14. sub D.* neg. paritatem. Disparitas autem est, quia potentiæ apprehensiuæ, & appetitiuæ sunt potentiæ operatiuæ, id est vitaliter productiuè; potentia verò motiua est potentia factiuæ. Actio primarum recipitur in toto coniuncto, nempe organo conflato ex potentia, & membro corporeo, & implicat apprehensionem, vel appetitionem sensitiuam recipi in sola anima, vel in solo corpore. Non sic motus, qui & in sola anima, & in solo corpore recipi potest. Declaratur manifestè. Operatio visiuæ, vel auditiuæ potentiæ, & sic de alijs, recipitur immediatè in toto coniuncto ex corporea parte, & sensitiua potentia, & implicat contradictionem, quod recipiatur in anima separata, vel in cadauere; & sic patet, quod respectu istarum operationum non datur potentia sensitiua inorganica. E contra verò potentia motiua est factiua, quia potest causare motum, non in se, sed in alio, & quia causat in organo corporeo mouendo partem post partem, est motiua organica; & quia in alio, & non in se, est factiua non immanenter operatiua. Et quoniam si totum organum est æquè dispositum potest illud totum simul mouere, & non partem post partem, mouet inorganicè. Addo, quod anima separata potest se mouere, & tunc patet, quod non organicè, eadem autem potentia quę se mouet posset etiam mouere inorganicè suum met cadauer mouendo illud totum simul, sicut si moueret lapidem. Cum autem erit corpori glorioso coniuncta eadem potentia vti poterit, aliquando mouendo corpus organicè, aliquando inorganicè, vnica tamen erit potentia duplicem motum efficiens. Non sic dici potest de potentia apprehensiua, & appetitiua, quæ operantur immanenter.

Anima separata inorganicè se mouet, & sic posset mouere corpus separatum, & coniunctum.

Ob. contra 3. ex *Aug.* sæpè cit. Corporibus beatorum non est concedendum aliquod indecens, ac indecorum. Sed videtur indecens, quod moueantur, quasi per saltum, ac raptum, & non modo proprio, animalium nempe motu progressiuo: ergo.

Arg. contr. 3

Non est indecens, quod celeritèr sine progressu corpus moueatur.

167 Resp. neg. min. quod enim celerrimo, ac citissimo motu corpus moueatur, est quidem quid mirabile, non autem indecens, alias indecens fuisset in Christi Ascensione, & *August. lib. 22. de Ciuit. cap. 30.* vbi negat ijs corporibus, quæ sunt indecentia, concedit, quod, *vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus*. Id autem non potest accidere per motum progressiuum. Quia non accideret protinus. Item Anselmus dicit, quod sicut Angelus, poterit anima dicto citius de cælo ad terram, & è conuerso mouere corpus. Id autem progressiuè fieri non potest. Ergo indecorum, non est sed maximè spectabile, vt inorganicè anima corpus moueat quò vult, estò non semper sic factura credatur.

Ob. 2. Motus corporum beatorum erit naturalis, alias non duraret. Sed talis inorganicus esset violentus; quia contra inclinationem mixti grauis.

Ille motus non esset violentus.

168 Resp. neg. min. ad probat. Dico naturam corporis tunc se conformaturam naturæ vniuersali exigenti huius potentiæ vsum in corpore glorificato. Sicut docuimus in art. de impassibilitate, erit secundum naturam vniuersalem, vt agentia creata non coagant corruptiuè contra gloriosum corpus; licet sit contra naturam propriam non agere. Et dat Scotus exemplum de aqua ascendente ad impediendum vacuum, quæ quidem licet contra naturam suam operetur, non tamen contra naturam vniuersalem, & ita dicendum puto de igne babylonico non comburente corpora trium virorum.

Quæ sunt secundum naturam vniuersalem sunt naturalia, licet sint contra particularem.

Ob. 3. Ascensus Christi in cælum fuit miraculosus. Ergo si corpora manebuntur inorganicè hoc fiet per miraculum; & sic non erit, quid eis connaturale. Antecedens prob. ex *August. lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 46. B.* Vbi docet Christum fecisse plura miracula, sed præcipuè duo, primum, *quod ita mirabiliter natus est. Vltimum autem, quod cum suo resuscitato à mortuis corpore ascendit in cælum*. Neque valet respondere, quod fuit mirabile, quia nouum, & insolitum videtur, immò, & improprium alijs corporibus; nam *August.* loquitur de vero miraculo dicens, *Qui vt se commendaret Deum, miracula multa fecit*. Inter quæ ponit ascensionem.

Argum. de ascensu Christi miraculoso.

169 Resp. admisso anteced. tamen ex Scriptura vtrumque eruitur, & quod à diuinitate id acciderit. Et, quod ab anima ait enim *text. Actuum primo, Eleuatus est, & nubes suscepit eum*; deinde Angeli apparentes in vestibus altis dixerunt, *hic Iesus, qui assumptus est à nobis in cælum*. Item *Marci vlt.* habetur, *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis; assumptus est in cælum, &c.* Nihilominus ex eodem textu *act. 1.* habetur, quod ipsemet Christus, vt homo actiuè se habuerit, ascendendo, quia vt Deus non poterat ascendere, nec loco moueri: ait enim idem textus *act. 1. Cumque intuerentur in cælum eunten illum*, &

Christus se ipso et am vt homo elevauit se in cælum.

post:

post: *hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cælum sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*, Ioan. 20. Christus ait, *non dum enim ascendi ad Patrem meum. Ecce ascendo ad Patrem meum. Eph.* 4. habetur, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*, & post, *ascendit super omnes cælos*, & Ecclesia in symbolis hoc semper canit, *ascendit in cælum*, & huius functionis festum solienne celebrat, quod communi vocabulo dicitur *Ascensionis*, non sic illud beatæ virginis, quod dicitur assumptionis; nec ex alio capite, nisi quia beata virgo passiuè se habuit in illo transitu de terra ad cælum ibique gloria, & dotibus corporis fuerit dotata; Christus autem actiuè, sed vt nuper innui ascensio est verbum actiuum intransitiuum, quod significat motum in ipsomet agente, igitur cum talem motum nequeat habere, vt Deus, qui immobilis est, & non potest, nec ascendere, nec descendere propriè, & in rigore, dicendum est conuenire Christo, vt homini glorioso in anima, & corpore. At potest etiam saluari, quod fuerit miraculosa ascensio, vel quia insolita, & indebita corporibus humanis; tamen debita gloriosis. Vel propriè, & in rigore, quod nempè in Christi glorioſi obsequium, & reuerentiam noluerit diuinitas, vt hac dote agilitatis in eo facto vteretur, sed ipsamet diuinitas, quæ eum suscitauit, ad cælum aduxerit immediatè, vel Angelorum ministerio. Et hoc in honorem, & gloriam Christi admitti potest, & etiam, vt Augustini dictum saluetur. At re vera Phrasis loquendi Scripturæ, quod in cælum inierit, ascenderit, &c. ostendunt sua virtute, ac agilitate inorganico motu id peregisse. Sed quidquid sit de hoc, certum est, quod hunc motum sæpè exercuit, dum post resurrectionem per dies quadraginta in terra conuersatus est apparens Apostolis, modo duobus in via Emauntis *Luca* 24. modo omnibus stans ex abrupto in medio eorum *Luca* 24. cum ostendit eis manus, & latus, modo ad mare Tyberiadis cum essent septem, & piscarentur *Ioan.* 21. modo in monte Oliueti vndecim orantibus *Matt.* 28. modo in cœnaculo ianuis clausis apparens vndecim in absentia Thomæ, deinde iterum eo præsente, *Ioan.* 20. cum Sacramentum Pœnitentiæ instituit, accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata; sic & alijs vicibus. Cum autem in diuersis locis ex improuiso apparebat, non videtur potuisse aliter ad loca illa se conferre, quam celerrimo, & inorganico motu non autem progressiuo, nisi dicamus eum semper à Deo miraculosè ductum, quod potuit quidem esse, at mihi non videtur congruum; quid enim ei contulisset gloria corporis secundum agilitatè, cum, vt iam euidenter à Scoto probatum est, hic motus inorganicus animæ competere possit, & respectu sui, & respectu corporis, siue separati, siue coniuncti. Sed quidquid de hac motus specie dictum est probabile quidem tenemus, nec de hoc tamquam euidenti re contendimus.

Scripturæ, & Symbola id canunt scilicet quod ascenderit non fuerit raptus in cælum.

Secus de B. Virgine.

Quare miraculosa potest etiam dici ascensio

Ex phrasi Scripturæ apparet, quod ascenderit.

Multi motus Christi inorganici fuerunt post resurrectionem,

Protestatio Authoris.

## §. 2.

### *An beatorum corpora abiecta grauitate erunt leuia.*

SCOTVS, vt exactam tradat de agilitatis dote doctrinam, mouet hoc dubium *in* 4. *sent. dist.* 49. *quæst.* 14. *sub F. 9. Quarto videndum*, & contra Riccardum dicentem auferendam à corporibus grauitatem, dicit se hoc non intelligere, quomodo esse possint corpora mixta, & non grauia, & ideo dicit auferendam esse grauitatem extraneam, & accidentalem, seu aduentitiam naturæ mixti; non verò propriam, & connaturalem ipsi.

Scoti mens;

170 Adu. quæsitum hoc clarum esse; sed scitu necessarium. An scilicet corpora erunt grauia sicut nunc. Et si ita, quomodo perpetuo manebunt extra centrum. Quod quidem quæsitum ab Augustino contra Platonicos docentes esse impossibile, vt in cælo sint corpora, quia grauia acutissimè, & eruditissimè discussum est in *lib.* 22. *de Ciuit. Dei cap.* 4. *& cap.* 11. quibus in locis docet, in cælo futura corpora, & ponderosa.

Dubium scitu dignum ab August. discussum.

171 Adu. 3. Grauitatem, vt supponimus, esse qualitatem corpori mixto competentem, cuius quidem natura cum nos lateat, à posteriori eam definimus per effectum, eam nempe esse, quæ vergit ad centrum; & ad illud ducit quodcunque corpus, cui est annexa. At supponendum est primo, eam non consistere in indiuisibili, sed pati latitudinem, & graduationem, vt de elementis patet; terra enim granior est aqua, & hæc aere. Et quodlibet earum naturaliter manet in ea mundi parte, in qua situm est: idem de mixtis clarum est, non enim omnia eiusdem sunt ponderis. Supponendum secundo, quod grauitas quædam est propria naturalis indita, seu ascititia mixti, vel elementi, quædam verò accidentalis aduentitia, & (vt loquar de mixto animato) excrementitia, quæ ex defectu operationis vegetantis causatur in animato, impotente suas functiones exactè perficere, & in eis degenerante. De vtraque grauitate videndum, an in corpore beato remaneat. Et si maneat, quomodo agilitati non repugnet. His positis.

Grauitas quid sit.

Grauitas habent latitudinem,

Grauitas naturalis, & aduentitia.

172 Dico. Corpora beatorum non carebunt grauitate connaturali competente perfectè mixto, sed grauitate accidentali, & superflua ab extrinseco in eo intrusa. Est communis cum Scoto loco cit. contra Riccardum *in* 4. *dist.* 49. *ar.* 4. *quæst.* 7.

Corpora erunt grauia.

173 Prob. prima pars. Corpora illa erunt eiusdem rationis substantialis, quam

habebant in via, vt latè probatum est in *disp.* 5. *ar.* 4. et in præsenti *disp. ar.* 3. Igitur, cum carnę ossibus, etc. grauibus: nam partes istæ sunt terreæ, et consequenter graues, hæc enim est terræ passio. Anteced. pluries patuit si enim partes illas non haberet, non esset idem, quod est contra fidem, ait enim *Iob.* 19. *& in carne mea videbo Deum meum*. Neque anima posset illud informare, sed solum assistere.

Ex natura sua sunt graues.

174 Prob. 2. Corpus hominis reformabitur quidem in similitudinem Corporis Christi; sed non auferentur ab eo proprietates; nam ex *August. lib.* 22. *de Ciuitate cap.* 17. *Corporibus illis vitia detrahentur, natura seruabitur*. Grauitas autem naturalis corporis, non est vitium, sed passio, seu proprietas. Sicut in ossibus duritiei in carne, leuitas, & eiusmodi; & talia erant corpora in statu innocentiæ.

Grauitas nó est vitium.

175 Prob. 3. Corpus humanum non est capax leuitatis: ergo. Anteced. prob. Quando aliquod subiectum determinat sibi vnum ex contrarijs, oppositum eius non potest sibi inesse, neque per se, neque per accidens. Patet de igne determinante sibi caliditatem, & leuitatem, cui neque per se, neque per accidens potest inesse grauitas. E contra de terra determinante grauitatem, quæ neque per se, neque per accidens potest habere leuitatem. At corpus humanum determinat sibi grauitatem ex sui natura. Igitur nequit fieri leue. quia mutaretur eius natura.

Leuitas non potest competere corpori.

176 Prob. 4. ex *S. August. lib.* 22. *de Ciuitate cap.* 4. viriliter pugnante contra Phylosophos quosdam, & præsertim *Ciceronem lib.* 3. *de Repub.* asserentem hominum corpora terrena, & grauia non posse ad cælum transferri, vbi vtitur argum. à fortiori, sic. Potuit Deus animas ne dum vegetatiuas, ac sensitiuas, sed etiam rationales, ac spirituales ita corpori connungere, vt corpora eis alligata possent ipsas in hac ima terra detinere. Ergo potuit pariter efficere, vt animæ, quæ validiores sunt in cælo secum teneant coniuncta corpora. Et subdit hoc esse mirabilius, quod nempe animi incorporei terrenis alligati corporibus in terra maneant, quam è contra. Ergo secundum Augustinum manent in cælis corpora cum grauitate; si enim ea spoliarentur, cessaret argumentum Ciceronis, qui dicit impossibile esse, quod corpus terreum in cælum eleuetur, vel alibi maneat, quam in terra: si enim esset grauitate priuatum, vbique secundum Ciceronem esse posset. Et sic vana Augustini esset impugnatio.

August. impugnat Phylos. negantes in cælo posse esse corpora

177 Conf. 2. ex eodem *lib.* 22. *et Ciuit. cap.* 11. Vbi specialius disputat contra Platonicos docentes corpora rationę ponderis in cælo esse non posse, quam sententiam acriter impugnat; non quidem negando corporibus grauitatem, sed asserendo, sic eos impugnat. Primo, quia multa animalia, quæ in terra deberent manere, in cælo, id est in aere sunt, vt aues. Secundo, sic metalla grauia, vt plumbum, &c. terrena, sunt corpora, & tamen artificis industria, super aquam natare videntur, quare Dei potestate corpus humanum, nequit qualitatem accipere, qua etiam in cælo esse possit. Tertio ad hominem eos irridendo, *Perhibet Varro vestalem virginem cum periclitaretur falsa suspitione de stupro, cribrum implesse aquę de Tyberi, & ad sues iudices, nulla eius parte stillante portasse, quis aquæ pondus super cribrum tenuit, quo tot cauernis patentibus, nihil inde in terram cadere permisit? Vel Deus, vel dæmon*. Si Deus aliquis, numquid hic est maior eo, qui fecit hunc mundum? si dæmon, numquid est maior Angelo, qui Deo seruit, qui fecit hunc mundum? & sic prolixè, & eruditè discurrit potuisse Deum facere, vt corpora in cælo, à terra remoto existant: & postea sic concludit. *Nihil igitur afferunt ex ponderibus, atque ordine elementorum, vnde Omnipotenti Deo, quo minus faciat corpora nostra talia, vt etiam in cælo possint habitare præscribant*. Ergo corpora humana erunt in cælo cum suo naturali pondere. Alioquin frustra totus esset Augustini labor, si futura essent leuia, quia Phylosophus non diceret esse repugnans.

Multis exēplis ostendit grauia posse esse in cælo.

Ad hominē Aug. arguit.

178 Prob. modo secunda pars, de grauitate accidentali, & extranea, Corpora enim beata erunt pura ab omni extranea impressione, & magis perfectiora, quam fuerint creata, & Christi corpori consimilia. Sed Christi corpus glorioſum ab omni eiusmodi commixtione alienum fuit: ergo.

De accidentali grauitate tenetur oppositum.

179 Conf. ex *Prospero Aquitan. lib. de Vita contempl. cap.* 4. Corpora resurgentia reparabuntur ad formam, & integritatem status innocentiæ. Sed tunc carebant accidentali pondere. Ergo & in Patria.

A pari de corpore statu innocen.

Ob. 1. Si corpora erunt grauia, non erunt agilia. Consequentia prob. Hæc impedit promptitudinem.

Arg. contra

180 Resp. neg. consequ. ad probat. dist. Grauitas connaturalis impedit dist. nisi augeatur vis motiua animæ, transeat, si augeatur, nego. de accidentali verò alterante compositionem iuncturarum, & neruorum, concedo, quod ista impediat. Nihilominus, si stante hac etiam augeretur vis motiua animæ, adhuc facilius, & promptius moueret corpus. In cælo autem totaliter purgabitur corpus ab eiusmodi excrementitijs qualitatibus, & augebitur vis motiua animæ. Adde, quod si grauitas tolleretur, corpus non diceretur agile, quia fieret leue. Improprium autem est dicere, quod leue sit agile, verbi gratia anima, vel Angelus, ventus, &c. ideo corpus, quia graue, erit expeditè, ac celeriter mobile, dicitur agile.

Quæ grauitas impedit agilitatem.

Aliud arg. A. g. contra Platonicos.

Ob. 2.

Ob. 2. Est contra naturam corporis terrei, vt maneat supra sphæram ignis, & supra cælum. Ergo si ibi est futurum, non erit qualitatis terreæ, nempe graue. Antecedens prob. eod. Scoti arg. quod sibi determinat ab intrinseco, & connaturaliter vnum loci situm, si est in opposito, est ibi contra naturam. Corpus autem terreum determinat sibi locum centri: ergo. Et confirmatur, quia aer, & ignis nequeunt naturaliter esse sub terra, sed si quando ibi sunt, violenter sunt.

Non repugnat graue esse sursum.

181 Resp. 1. dist. anteced. Si tale corpus remaneat cum ijsdem imperfectionibus, quibus aggrauat animam, & animæ vires non augeantur, transeat. si aliter, negatur. In Patria autem corpus purum erit, & animæ potentia augebitur; ideo non erit contra naturam eius manere supra terram, & ab ea remotissimum.

Est contra naturam particularem, & corporis corruptibilis, & pro vt nunc, concedo. contra naturam vniuersalem, & corporis immortalis, nego. & nego consequ. Nam, vt optimè *Scotus in quæst.* 13. vt nos in art. præced. adnotauimus est contra particularem aquæ naturam ascendere in locum aeris, & tamen in canalibus, ac siphonibus aquarum ductoribus, aerem ab aquæ impetu concitatum, cum velocitate expellens, nè locum aeris vacuum relinquat, ascendit naturaliter; & si perpetuò duraret aqua, & vas illud perpetuo ascenderet, vt naturæ vniuersali se conformaret. Idem cum proportione de humano corpore est dicendum; quod scilicet exigit quidem, vt nunc est, & secundum præsentem Dei prouidentiam sic esse in terra; tamen secundum alium statum, vt toti naturæ humanæ glorificatæ se conformet, aliter, & alibi esse exigit, immò, cum de ratione corporis primo conditi sit esse perfectissimè subiectum animę, & sic sit futurum in gloria; naturaliter sub dominio, ac imperio animæ perpetuo viuet. Posset aliud simile de eodem corpore adduci. Quod secundum præsentem prouidentiam animale est, & alimentis indigens, & hoc naturaliter, ita quod si nunc absque cibis conseruaretur miraculosè id accideret. Et tamen in Patria erit spiritale, ex 1. *Cor.* 15. *Seminatur corpus animale, & resurget spirituale.* Et hoc, quod nunc est contra naturam, erit tunc naturale, & iucundum.

Exemplum de ascensu aquę ad implendum vacuum.

Alia instantia de corpore non egente alimentis.

173 Posset 3. dici, & reddit in idem, quod iuxta prouidam Dei dispositionem aliqua elementa, quæ exigunt superiorem, vel inferiorem locum in vniuerso, vt existant naturaliter ratione grauitatis, adhuc tamen naturalitatem seruant, etiam si aliquando talis ordo peruertatur. Loquar cum *Augustino lib.* 22. *Ciuit. cap.* 4. Terra vendicat sibi locum infimum, aqua secundum, sed supra terram. Aer tertium, & supra vtramque. Ignis vltimum, & supra omnes: tamen, & aerem, & aquam, & ipsum ignem sub terra inuenimus naturaliter existentes. Et aquam etiam, ait Augustinus ex nubibus supra aerem pendentem.

Alia resp. de ordine grauium.

184 Potest 4. addi. Aquarum natura in pondere vniformis est, & tamen æquè naturaliter manet aqua sub terra, sicut supra terram immediatè, vel mediatè, vt de aquis supra cælos existentibus est manifestum. *Gen.* enim 1. habetur, quod *creauit Deus cælum, & terram; & Spiritus Domini ferebatur super aquas*, totum enim, quod fuerat creatum opertum erat aquis: & paulo post addit. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant super firmamentum ab his, quæ erant sub firmamento.* Aquæ ergo supra firmamentum sunt. Et quamuis Interl. & Patres multi allegoricè aquas intelligant, Glossa tamen Ordinar. quæ est Augustini literaliter, & historicè de veris aquis intelligit, & alibi sæpè idem docet *August. vt lib.* 1. *de Gen contra Manichæos cap.* 11. & *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 1. 2 3. 4. 5. 10. & *lib.* 12. *de Ciuit. Dei cap.* 9. Fuit ergo constans Augustini doctrina aquas veras esse supra cælum. Hinc *Genes.* 7 diluuium ex ijs aquis processisse concluditur; dicitur enim, *Cataractæ cæli apertæ sunt, ruptique sunt fontes abyssi magnæ, & facta est pluuia super terram.* Cataractæ autem sunt fenestræ, seu hostia, & propriè sunt hostia Fluuij Nili, inquit Glossa Ordinar. hinc etiam in Cantico trium puerorum inuitantur ad benedicendum Deum, *Aquæ omnes, quæ super cælos sunt.* Hoc ergo stante; sic arguo. Aquæ eiusdem ponderis naturaliter sunt super terram, & sub aere. Et naturaliter sunt etiam supra aerem, ignem, & ipsum cælum, hoc ex diuina prouidentia rerum omnium exigente machina, ac natura. Idem pariter de corpore corruptibili, & incorruptibili ex diuina dispositione dicendum. Et hoc potissimè, quia aliqualiter mutatur in pondere, quod in aquis non accidit; & subijcitur totaliter animæ iam fortiori redditæ ad ipsum subleuandum, & dexteriter, seu agiliter mouendum; quæ ex abundantia dicta sint.

De aquis quæ naturaliter sunt extra centrum.

Aquæ super cælos.

Aug. semper idem dicit de aquis supra cælum.

Aquę diluuij ex illis fuerunt.

Ob. vlt. *D. Ansel. lib. de similitud. cap.* 49. Assignans proprietates corporum electorum, & damnatorum, inter cæteras damnatis assignat ponderositatem, Beatis verò velocitatem. & *in cap.* 51. idem confirmat. Ergo corpora beatorum carebunt grauitate.

Euidens ex his conclusio

185 Resp. intelligi de ponderositate accidentali, & extranea aggrauante in pœnam; non vero de naturali, & intrinseca mixto. Quod inde patet, quia in *cap.* 51. ait, *Velocitas* (non dicit leuitas) *tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui à cælo ad terras, & è conuerso dicto citius delabuntur. Malus verò tanto pœ-*

Damnato si corporum qualis erit ponderositas.

na-

*narum pondere præmetur, vt nec pedem quidem, vel manum, vel aliquid sui corporis possit mouere, vnde, & illud in Euangelio Matth. 22. Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Loquitur ergo de pondere accidentali, ac pœnali, quod procul à Beatis abesse fatemur; non de naturali, & intrinseco, ac proprio corporis. Et hinc est, quod Anselmus dicit, beatos veloces futuros, non autem leues. Quæ de præsenti dubio grauitatis corporum dixisse sit satis.

## §. 3.

## *De Positione, seu situ corporum Beatorum.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 14. sub L.* occasione agilitatis, & ponderis, seu grauitatis corporum Beatorum, mouet dubium, quonam situ in cælo existent, & cum S. Augustino respondet, ea habitura situm erectum; non iacebunt, nec sedebunt, sed stabunt.

Ex scriptura nascitur difficultas,

186 Adu. dubium hoc difficultatem habere ex Scriptura exortam; aliquando enim corpora sessura dicuntur, aliquando erecta futura. Et de ipsomet Christi corpore prædictiones eius ascensum præcedentes legimus, sessionem afferentes: & articulum fidei idem confirmantem. Aliquando autem stationem, et prædictam, et visam inuenimus. Quod quidem dubium à paucis video exagitatum, ideoque ex Scriptura, et Patribus, si quos inuenerimus, Scoti sententiæ adhærebimus. Ideo

Incertus est situs, sed probabilius est quod stabût

187 Dico, Quamuis incertum nobis sit, et nimis curiosum sit scire, quo situ, et positione sanctorum corpora coram Sanctissima Trinitate in cælo debeant consistere, num stando, vel sedendo: probabilius tamen est, quod stabunt. Est *Scoti loco cit. sub L.*

1. pars de incertitudine.

188 Prob. 1. pars, ex *S. Augustin. lib. de fide, & symbolo cap. 6.* in fine, vbi docens contra Platonicos corpus Christi in cælo esse, ibique etiam futura omnia beatorum corpora, præ cæteris habet, *Sed vbi, & quomodo sit in cælo corpus Dominicum, curiosissimum, & superuacaneum est quærere, tantummodo in cælo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ cælorum secreta discutere. Sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia, & honesta sapere.* Quod autem de Christi corpore dicitur, de alijs est dicendum, nescimus enim, et curiosum valde est id inuestigare, et præsumptuosum, aliquid non reuelatum, de eis asseueranter, et indociliter affirmare. Sed quæ probabili videntur possunt in medium adduci. Ideo

189 Prob. 2. pars. Angeli licet positionem, vel situm nullum patiantur, quoties tamen describitur eorum coram Deo assistentia, semper stantes, (et hoc forte pro nostro captu) describuntur: ergo. Anteced. prob. Ex *Iob. 2. Cum venissent filij Dei, & starent coram Domino. Psal. 133. 2. Qui statis in domo Domini*, Glossa Ordin. ait, seruorum est non sedere in domo Domini. Idem in *Psal. 134. 2. Qui statis in domo Domini, laudate Dominum, quia bonus, &c.*

Angeli stare dicuntur,

190 Secundo ex *Isaiæ 6. 2. Seraphim stabant super illud sex ala vni, & sex ala alteri.* Glossa Ordin. Ver. *Stabant*, ait, id est *stant assistentia Dei. Dan. 7. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.*

Seraphim stant.

191 Tertio ex *Actuum 7. 55. Stephanus intendens, in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem, dextris Dei*, & ait. *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Interl. Ver. *Filium hominis stantem*, ait, quia stare pugnantis, vel adiuuantis est, rectè à dextris stantem vidit, ostenditur veritas resurrectionis.

Christus visus à Stephano stans,

192 Quarto idem anteced. prob. ex *Apocal. 7. 9. Post hæc vidi turbam magnam ex omnibus gentibus, & populis, & linguis stantes ante thronum Dei, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & ceciderunt in conspectu throni.* Interl. Ver. *Stantes*, ait, *scilicet parati Deo obedire:* item *Apocal. 8. 2. Alius Angelus venit, & stetit ante altare habens turribulum, &c.*

Turba Apocal. stans visa,

193 Prob. præterea, ex *August. lib. de cognitione vera vitæ cap. 45.* Vbi de corporibus beatis, ait. Ergo extra mundum nulla re materiali sulciuntur; vbi nulla materia inuenitur. Si autem in hoc mundo erunt, similiter nulli elemento localiter stando, vel sedendo inhærebunt, quia æquales Angelis erunt. Ergo sicut Angeli stant ante Dei conspectum, sic et beatorum corpora stabunt.

August. idem dicit.

Ex quibus omnibus habetur, quod siue Angeli, et animæ de præsenti, siue de futuro beati cum corpore, et anima coram Deo stant, et stabunt erecto corpore.

194 Prob. tandem ex Scoto per congruentiam. Erectio, seu statio corporis est situs conueniens illi, in quantum instrumentum animæ; et tunc est magis promptum ad operationem, quando est erectum; quia non importat curuitatem partium. Ideo hominis figura a Deo erecta data est, os homini sublime dedit cælumque videre, etc.

Arg. contr.

Ob. 1. Corpora beatorum erunt similia corpori Christi, et similiter habebunt positionem, ac situm. Sed Christus sedet in cælo: ergo. Min. prob. tum quia id habetur ex symbolo, *ascendit ad cælos sedet ad dexteram Dei Patris*, et clarè in Euangelio le-

legitur *Marci* 14. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, &c. et *Luca* 22. *in fine*. *Ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei*. Tum etiam quia de ipso hoc prophetauit Dauid *Psal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis*. & ipsemet Saluator pro se hunc locum allegat *Luca* 20. 42. *Quomodo dicunt Christum filium Dauid, si ipse Dauid dicit dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec*, &c. Ergo si sedet Christus sedebunt, et beati.

A paritate de sessione Christi.

195 Resp. ex *S. August. lib. de fide, & symb. cap* 7. vbi declarans illum articulum, sede à dextris meis, dicit nomine sessionis à dextris, intelligi maiestatem, & potestatem Christi, non verò materialem, & corporalem sessionem. Eius verba adducam, quia aurea sunt. *Credimus etiam, quod sedet ad dexteram Dei Patris, nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus dextrum, aut sinistrum, locus animo occurrat, aut id ipsum, quod sedere Patri dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est*, &c. multa subdit: *Ad dexteram ergo intelligendum est dictum esse in summa beatitudine, vbi iustitia, & pax, & gaudium est, sicut ad sinistram hædi constituuntur, id est in miseria propter iniquitates, & labores, atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Dei, non membrorum positionem, sed iudiciariam significat potestatem, qua illa maiestas numquam caret semper digna dignis tribuendo*, &c. idem docet *lib. de cognit. vera vitæ cap.* 46. Cum ex alio capite à Stephano stans visus sit.

Sessio Christi à dextris Dei significat potestatem eius magnam.

196 Ad alia similiter respondetur. Nam ad illud *Marci* 14 Interlin. quæ est *Hieron. Ver. Sedentem à dextris*, &c. ait in vita regnantem sempiterna, & virtute diuina. Glossa Ordin. ait, quia dedit illi nomen quod est super omne nomen. Idem dicendum ex Glossa Ordinar. ad illud *Luca* 22. ad illud *Psal. Sede à dextris meis*. Glossa Ordin. *Cassiodori* dicit *conregna secundum quod homo*. Igitur concorditer omnes declarant sessionem Christi in cælo non importare corporis situationem, sed regnandi, seu dominandi potestatem, alioquin Deus ipse qui sedere sæpè dicitur in scriptura corporeus dici deberet, & materialiter sedere, quod est hæreticum: habemus enim *Psal. 9. Sedisti super thronum. 28. Sedebit Dominus Rex in æternum. 45. Deus sedet super sedem sanctam suam. 79. Qui sedes super Cherubim. 101. Deus in cælo paravit sedem suam*, & millies alibi reperti inuenies sedem, & sessionem Dei; quæ tamen loca, vt in singulis Glossis Interl. & Ord. patet, quod de Gloria, maiestate, potentia, dominio, iudicandi forma intelliguntur; neque scriptores sacri, & Canonici aliter potestatem Dei maiestatem, & potentiam, præsertim iudiciariam explicare, quam per

Omnes Glossæ sic eam explicant.

Deus quomodo sedere dicitur.

comparationem ad creatas Respublicas, in quibus Principes pro maiestate sedent. Ergo ex eo loco sessionis Christi in cælo, non colligitur euidenter, neque probabiliter, quod Sanctorum corpora sedebunt, alioquè modo iacebunt, aut inclinata erunt.

Ob. 1. *Matth.* 20. 21. dum mater filiorum Zebedæi orat, *dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram, alius ad sinistram in regno tuo*, esto ipsa de Regno temporali loqueretur: tamen Saluator, qui de cælesti eam, & filios erudiebat, ait, *sedere autem ad dexteram, vel sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*. Igitur asseuerat eos aliquando sessuros. Igitur sedebunt corpora beatorum.

Arg. ex petitione matris Iacobi, & Ioanni.

197 Resp. cum Glossa Ordinar. ibi, & *Marci* 10. Christum loqui de sessione, qua ipse & Deus sedet, id est de gloria, & beatitudine. Adde, quod neque potest hoc intelligi de sessione corporali, quia nihil singulare eis pro calice potando, seu martyrio promisisset, cum omnibus commune esset sedere. Locutus est ergo de singulari gloria, & aureola martyrum, quæ quidem gloria præparata est à Deo merentibus per martyrium; ideo subdit, *calicem quidem meum bibetis. sedere autem &c non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*.

Christus locutus est de gloria singulari martyrij

Ob. 3. *Apocal.* 3. 21. de se, & de alijs Beatis, loquens Saluator, ait, *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut, & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*.

Secundo quia *cap.* 4. nedum Christus erat supra sedem sedens, sed *viginti quatuor seniores sedentes erant*. & tam ibi, quam in *cap.* 5 6. 7. 9. 11. & per totam Apocalypsim visus fuit Christus in throno sedens, & *cap.* 11. de alijs beatis dicitur, *qui in conspectu Dei sedent*. Ergo situs corporum beatorum non erit erectio, sed latio.

Ex Apocal. p. omittitur sanctis sessio

198 Resp. ad primum, ex Glossa Ordinar. & Lyran. nec non ex *Ambros.* in hunc locum, esse ibi sermonem de gloria, beatitudine, ac potestate iudicandi nomine sedis, seu loci nuncupata, vt in primo arg. dictum est. Ad secundum quamuis Glossa Ordinar. imo, & *Ambros. in cap* 4. *Apocal.* locum illum allegoricè intelligat, dicens, sedem significare Ecclesiam, sedentem significare Saluatorem, 24. Seniores significare Patres Veteris testamenti, sedilia 24. significare 24 libros veteris testamenti; & sic nihil concluditur ex eo pro sensu litterali, vel anagogico futuræ gloriæ: tamen si anagogicè sumatur locus ille, eodem modo potest declarari, de potestate nempè, & gloria Sanctis conferenda, quæ sedis, & mansionis etiam nomine ab ipsomet Saluatore solet appellari.

Omnia loca intelliguntur de potestate & maiestate

199 Ad illud ex *cap.* 11. Respondetur per idem, quia de eisdem 24. Senioribus

est

est sermo, & tam Glossa Interlin. quam Ordinaria, sic intelligunt. Nam Ver. *Sedent*, Interlin. dicit, *iudicant, quod est in præsenti*, loquitur enim de Ecclesiæ Prælatis. Sed *Ambrosius* declarans hunc locum, ait. *Per 24. seniores in hoc loco, animas Sanctorum, quæ in cælesti beatitudine cum Domino commorantur, possumus intelligere. Sedes vero requiem sempiternam designat. Viginti igitur, & quatuor seniores in conspectu Dei sedent in sedibus suis, quia Sanctorum anima sine corporibus in cælesti beatitudine, modo cum Domino requiescunt.* Ergo nihil ex hoc concluditur ad rem.

Int. Interl. id intertur.

Ob. 4. Saluator promittit Apostolis sessionem in sedibus, ac thronis: ergo. Anteced. prob. ex *Matth.* 19. *Sedebitis super sedes duodecim.* & *Luca* 22. 30. *Dispono vobis regnum, vt sedeatis super thronos, &c.* ergo.

Sessio promissa Apostolis est potestas.

100 Resp. pariformiter intelligi de gloria, scilicet & potestate, non de corporali sessione. Ad illud *Matth.* patet, quod promittit potestatem iudicandi pro tempore extremi iudicij; & Glossæ omnes, & Patres, vt nos diffusè vidimus in *disput.* 10. *art.* 6. Ad aliud Lucæ, manifestum est, locum illum figuratè intelligi; non enim literaliter defendi possunt, quæ ibi dicuntur, id enim vetat fides. Nam sic, ait Saluator, *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.* De fide autem est, quod corpora Sanctorum erunt spiritalia, non egentia cibo, ac potu. ideo Interlin. ait, *fruenda desiderato olim, & amato gaudio veri boni:* & post: *Mensa, qua Sanctis omnibus est ad fruendum proposita, est cælestis vita gloria.* & Glossa Ordinaria, Ver. *Et sedeatis*, dicit, de potestate iudicandi id intelligi, quia malos iudicabunt. Quæ pro casta, & sancta curiositate de corporum positione dixisse sufficiant.

## ARTICVLVS V.

### *An Beatorum corpora erunt clara, & lucida.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 11. §. Respondeo*, docet, tertiam beati corporis dotem esse claritatem; quam pluribus explicat, sed in fine illius §. ait, *Corporis colorem vltra perfectionem complexionis suæ cum fulgentia, dotem claritatis vocat.*

Plura discutienda de claritate,

202 Adu. 1. Pro explicatione præcellentissimæ huius Beati corporis dotis, tria esse videnda. Primo, quid sit claritas. Secundo, quid sit esse lucidum, & quid luminosum, & consequenter, in quo differt lux à lumine. Et tertio tandem, an vtrumque nempe lux, & claritas in Beato corpore sit futurum. Ideo

Clarum multis materijs aptatur,

203 Adu. 2. Quod tam apud prophanos, quam apud sacros Scriptores, & ipsummet Canonicum textum *claritas*, multis materijs applicata inuenitur. Sumitur interdum pro lucido, & luminoso, vt *clara dies*. *Cicero in somnio Scip.* & in sacro textu 2. *Reg.* 3. 35. *Clara adhuc die iurauit Dominus*, idem 3. *Reg. cap.* 3. 21. *Isaiæ* 18. 4. *Si meridiana lux clara est.* Aliquando sumitur pro lumine, *Lucæ* 2. de lumine super Pastores oborto, *claritas Dei circumfulsit illos.* Aliquando pro luce ipsiusmet corporis luminosi. 1. *Cor.* 15. *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, & sicut differt stella à stella in claritate, &c.* aliquando pro splendore, & nitore corporis non luminosi, 1. *Machab.* 5. *Claritatem in auro, & argento.* Aliquando figuratè sumitur pro nobilitate, vt de familia nobili dicitur clara familia, inde Veneti primores olim dicti *clarissimi*, & *Sap* 4. 1. *Quam pulchra est casta generatio cum claritate.* Aliquando pro egregio forti, ac strenuo, siue alias virtuoso viro, *Cic.* 1. *de fin. Claris, & fortibus viris commemorabilis.* & 1. *Machab.* 2. 17. *Principi, & clarissimus.* Aliquando pro decore, & venustare, *Tob.* 13. *Ad videndam claritatem Ierusalem.* Aliquando pro lumine spirituali, 2. *Cor.* 3. *Transiati à claritate in claritatem, & cap.* 4. *Scientia claritatis Dei.* Aliquando tandem (vt alia significata omittam) pro manifestatione perfecta, & expressa alicuius perfectionis in gradu optimo; innumera habemus de hoc exempla. *Sap.* 7. 25. de sapientia dicitur, *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Dei sincera.* Interlin. ait, candor gloriæ consubstantialis. Glossa Ordinar. pluribus, ac dignis declarat hunc locum de sapientia incarnata, nempe Dei filio, qui est realiter, & essentialiter manifestatiuus essentiæ Dei Patris, ibidem *cap.* 8. 10. dicitur. *Habebo propter hanc claritatem ad turbas.* Interl. ait, doctrinam Saluatoris, quibus Euangelium prædicabo. Et de hac claritate sæpè Saluator loquitur in Euangelio, nempe de manifestatione perfecta eius perfectionis, quam in se includebat, & ab hominibus non agnoscebatur, *Ioan.* 5. ait, *Claritatem ab hominibus non accipio. cap.* 12. 23. *Venit hora, vt clarificetur filius hominis, &* v. 28 *Pater clarifica nomen tuum, & audita est vox dicens, Et clarificaui, & clarificabo. cap.* 13. pluries dicitur, *clarificatus est filius hominis, clarificatus est Deus in eo, cap.* 13. *Clarificatus est Pater meus. cap.* 16. *Ille me clarificabit. c.* 17. *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te; & nunc clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret.* Hæc & alia innumera sunt in Euangelio, præsertim Ioannis loca, quibus insinuatur,

Clara multa dicuntur.

Saluator sæpe de claritate. & clarificatione loquitur.

quod

quod clarificare est manifestare in gradu excellenti perfectionem aliquam alicuius subiecti, vnde claritas corporis, inquit *Scotus est passiua manifestatio excellentiæ coloris corporalis in gradu perfectissimo cum splendore, seu fulgore illius.*

Claritatis definitio.

204 Adu. quod lux, & lumen pro eodem sæpè sumuntur, licet re vera non semper ita sit; sed quidquid sit de hoc, lucidum, & luminosum non semper sunt idem: lucidum enim propriè est corpus opacum, quod lucem, seu splendorem terminat, & non habet partes perspicuas, seu porosas, per quas lumen penetret, vt patet de omni superficie illuminata, & de Luna terminante solis lumen; imò et de ipsomet corpore, à quo lumen exit, vt est Sol, ac stellæ, ignis, etc. quæ lumen emittunt. Corpus verò luminosum est, quod in se toto recipit lumen, et est quodlibet corpus diaphanum illuminatum, vt aer, aqua, crystallum, etc. eiusmodi. Et siue bona sit, ac sufficiens hæc differentia inter lucidum, ac luminosum, siue non, quærimus, an corpora beatorum futura sint lucida, id est illuminata quidem sed terminantia lumen. An etiam luminosa, id est pernia, ac perspicua, ita vt lumen penetret ea secundum omnes partes, etiam interiores, ita vt possint exta, seu viscera eorum videri, vt existimat *D. Gregor.* infra adducendus; cuius contrarium censet *Scotus*. His positis.

Lucidum, & luminosum in quo differant.

Sensus quæstionis.

205 Dico 1. Corpora Beatorum habebunt dotem claritatis. Est communis, *Scoti dist. 49. quæst. 15. A. D Thomæ in 4. sent. dist. 49. art. . D. Bonau. in 4. dist. 49. p. 2. quæst. 1. & par. 5. quæst. 1. ac 2.*

206 Prob. 1. ex *Epist. ad Philipp. 3. 20. Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Interl. ait, assimilabitur corpori illius in claritate, quam habuit in transfiguratione.

Ex script. loca multa.

207 Prob. 2. ex 1. *Cor. 15. Alia est claritas Solis, alia est claritas Lunæ, alia est claritas Stellarum, Stella enim differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Interl. ait, etsi vnius naturæ, diuersæ tamen sunt claritatis, ita homines in resurrectione, idem dicit Glossa Ordin. Ver. *Claritas*, idem *Ambrosius*, & *Theodoretus*, atque alij.

208 Prob. 3. ex *Sap. 10. 14.* Vbi enarratur tota iusti vita, mærita promissiones, ac finis; deinde sic concluditur, *Et dedit illi claritatem æternam.*

Hieron.

209 Prob. ex *Hier. in Epist. ad Philipp. 3.* super locum relatum, *configuratum corpori claritatis suæ* dicente, sicut monstrauit in monte cum vnum ex viuentibus, & vnum ex mortuis claritatis suæ corporis configurat.

Christus est splendida colorum.

210 Dico 2. Claritas corporum consistet in splendida seu lucida manifestatione colorum in gradu excellentissimo vltra mensuram propriæ complexioni connaturalem. Est *Scoti in 4. dist. 49. quæst. 15. §. Respondeo*, per totum.

manifestatio, &c.

211 Prob. 1. de splendore, ac fulgore. *Sap. 3. Fulgebunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.* Lyr. ibi ait, non solum quantum ad animam, sed etiam quantum ad corpus, quod resurget gloriosum quantum ad dotem claritatis corporis.

212 Prob. 2. ex *Matth. 13. 43. Tunc fulgebunt iusti sicut Sol in Regno Patris eorum.*

De splendore.

213 Prob. 3. ex supra cit. loco 1. *Cor. 15.* Vbi Apostolus mortuos resurrecturos comparat Soli, Lunæ, ac Stellis, quæ quidem corpora lucida, ac splendentia sunt. Quem locum Patres omnes vnanimiter sic explicant. Immò *Theodoretus* declarans illud, *Philipp. 3. Configuratum corpori claritatis suæ, non quoad gloriæ quantitatem, sed quoad qualitatem, nam erit*, ait, *ipsum quoque luminosum*. Id idem ex *Ambrosio*, ac *Hieronymo*, aliisque Ecclesiæ Patribus habemus.

Theodoret.

214 *Dionysius Areop. de diuin. nom. cap. 1.* De lumine, ac splendore corporis, & animæ beati, hæc habet præ cæteris. Tum verò beatissima dignati requie, semper, sicut scriptum est cum Domino erimus visibili quidem ipsius diuina præsentia contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus, ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Hæc *Dionys.* deinde loquitur de spirituali intellectus lumine.

Dionys.

215 *Cyrillus Hierosol. Catech. 18.* habet, Deus lucida fecit, vermibusque paruulis, vt in ætate splendeant dedit, præuidens incredulitatem hominum, qui quod iusti tamquam Sol splendere dicuntur, credere nolunt, & vt ex apparentibus crederetur id quod expectamus. Qui enim partem potest præstare poterit, & totum; & qui fecit, vt vermis lumine splenderet, multo magis illustrabit hominem iustum: ergo.

Cyrilli

216 *Chrysost. epist. 5. ad Theodorum*, inter præclara, & aurea multa, quæ de Beatorum, & maximè corporum gloria docet hæc sunt, oratione pergamus ad montem illum, vbi Dominus transfiguratus est. Contemplemur eum splendentem sicuti resplenduit: quamquam, ne sic quidem vniuersum nobis futuri sæculi splendorem exhibuit; quia fuit, quod tunc apparuit attemperatio quædam pro captu nostro, ne vtiquam accurata rei demonstratio. Quod ex verbis Euangelistæ manifestum est. *Resplenduit*, inquit, *sicut sol*. Cæterum incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus; neque talem eiusmodi oculi mortales capere sufficiunt. Ad hanc quidem

Chrysost. multa dicit de hoc,

visionem oculi requiruntur incorruptibiles, & immortales. Verum in monte tantum lucis apparuit, quantum ferre potuerunt citra læsionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter accidit prociderunt enim in faciem. hæc *Chrysost.* Igitur iuxta hanc auream, lucidamque eximij huius Magistri doctrinam, splendor corporum beatorum erit maior eo, quem vix potuerunt tres Apostoli in Christi corpore acie fixa intueri.

Est inexplicabilis ille splendor corporis,

217 *Gregorius Magnus* in sequenti conclus. adducendus *lib* 18. *Mor. cap.* 28. ait, Quid aliud in auro, vel vitro accipimus, nisi illam supernam Patriam, illam beatorum societatem, quorum corda sibi invicem, & claritate fulgent, & puritate translucent.

Greg. Mag.

218 *Euthymius*, etiam Græcus explicans illud 13. *Matth. Tunc iusti fulgebunt sicut Sol* ait, verum cum tunc futurum sit, vt Dei splendor illos circundet; vtique ipsi conformes erunt, ac diuini reddentur, & consequens est, vt sole splendidiores efficiantur. Quomodo ergo dicit, *sicut Sol*, quia noto apud illos exemplo vtendum erat; nec quicquam illis notum erat, quod esset Sole splendidius. hæc *Euthymius*: ergo.

Euthym.

219 *Rabanus Maurus tract. de vniuerso lib.* 4. *cap.* 13 refert ipsissima *Chrysostomi* verba eiusdem sequens sententiam de corporum beatorum splendore, ac lumine.

Rabanus.

220 *Ansel. lib. de similitud. cap* 50. ait, in illa vita pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui sette simpliciter, quam modo sit, splendidior erit adæquabitur, vnde scriptum est *fulgebunt iusti sicut Sol*.

Anſel.

221 *Bernardus lib. de medit. cap.* 4. præ cæteris habet, erit integra corporis, & animæ societas, fulgebit sicut Sol humanitas glorificata.

Bernardus,

222 *Magister sent. in* 4. *dist.* 49. quem sequuntur omnes Scholastici *Alensis, D. Thomas, D. Bonau. ac Scotus*, idem prorsus docet, quatuor dotes corpori Beato assignans, quarum vna est claritas, quæ in excellenti, ac fulgida corporis sui manifestatione, vt Scotus declarat, consistere dicitur.

Mag. Sent.

223 Secunda pars conclusionis, quod nempe claritas sit colorati corporis perfecta manifestatio. Prob. ex dictis in notab. 2. claritas enim semper sonat excellentis alius formæ manifestationem, siue de corporalibus, siue de spiritualibus rebus sit sermo; siue propriè, siue figurato, & per appropriationem sumatur, vt ex Sacræ Scripturæ exemplis abundè manifestauimus; vt de clara die, clara luce, clara voce, clara familia, claro viro compertum est. Item de Dei claritate, de claritate Christi sexcenties exemplificauimus, omnes enim eiusmodi acceptiones, alicuius formæ manifestationem secundum excellentem gradum indicant. Ergo, si corpora beatorum erunt clara, & conformia Christi Domini glorioso corpori; erunt secundum excellentem gradum coloris in qualibet specie, complexionibus conformi, præfulgida, ac splendentia.

Claritas est colorum manifestatio in excellenti gradu.

Dico 3. Quamuis aliquis Patrum existimauerit corpora beatorum futura luminosa, perusa, seu perspicua, ac diaphana; probabilius tamen est, non sic futura, sed lucida densa, & opaca, & facile dicta Sanctorum possunt declarari. Est *Scoti in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 15. *B. T. Ad primum. S. Bon. dist.* 49. *par.* 3. *quæst.* 1.

Licet aliqui dixerint corpora beatorum esse perusa; tamen erunt opaca.

224 Prob. prima pars. *S. Greg. I. lib.* 18. *Moral. in cap* 28. *Iob. cap.* 27. aliquanto post principium explicans verba illa *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*, præ cæteris de beatis habet, *Ibi quippe vnusquisque iusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus: patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicque vnusquisque tunc erit conspicabilis alteri, sicut nunc esse non potest conspicabilis sibi. Nunc autem corda nostra quandiu in hac vita sumus, quia ab altero in alterum videri non possunt, non intra vitrea, sed intra lutea vascula concluduntur.* & post multa, iterum ait. *Illa itaque ciuitas, quæ sua vicissim singulis corda manifestat, ex auro dicitur similis vitro mundo, vt designetur auro clara, vitro perspicua. Sed quamuis in ea sancti omnes tanta claritate fulgeant, tanta perspicuitate translucent, ei tamen sapientiæ, de cuius imagine habent omne, quod sunt, æquari non possunt.* Igitur per S. Greg corporum beatorum claritas, & fulgor erit sicut vitri perspicui luminosi. Et sic corpora illa per eum erunt transparentia.

1. pars, ostenditur ex SS.

Probari putant alij, ex *S. Aug. lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 29 *&* 30. Sed dicetur infra loqui de spirituali visione.

225 Prob. altera pars, quod scilicet corpora beatorum non erunt perusa, seu perspicua, ac diaphana, sicut vitrum, vel aqua, sic. Corpora beatorum erunt colorata igitur lucida non luminosa, & sic non perspicua, sed opaca, & densa. Anteced. est euidens, impossibile enim est dari corpus mixtum sine colore. Secundo quia, vt sæpè dictum est, corpus, quod nunc est cum sua forma, figura, & qualitatibus naturalibus intus, & foris, demptis imperfectionibus, resurget, ex 1. *Cor.* 15. incorrupti enim omnes resurgent, id est absque vlla imperfectione, *Corporibus enim illis vitia detrahentur, sed natura seruabitur*, ait *August. lib.* 22. *Ciuit cap.* 17. & erunt colorata ex eodem *lib.* 22. *de Ciuitate cap.* 19. & de colore, ait, *coloris porrò quanta erit suauitas, vbi iusti fulgebunt, sicut* Sol *in regno Patris sui.* Consequ. prob. ex *Auicenna* 6. *Naturalium*, & 2. *cæli cap.* 42. Lumen, lux, & color habent receptiua diuersa, & multò minus potest aliquid esse receptiuum lucis, & luminis, quam lucis, & coloris. Nam susceptiuum lucis est opacum, sicut susceptiuum

Quod erunt densa, prob.

Id corpus quod nunc resurget.

coloris; sed susceptiuum luminis est pervium, & perspicuum. Singula autem patent; nam Stella, quæ lucida est, & lucem subiectat est densissima pars orbis, & non est peruia, seu perspicua, vt patet; nam videri per eam non potest, quod post eam positum est, imò eclipsat illud, aliæ autem partes orbis, vt aer, aqua, & ignis elementaris sunt luminosæ, quia perspicuæ, & res post eas positæ per eas medias videri possunt. Idem patet de susceptiuo coloris, quod quidem densum est, & opacum quia color in perspicuo tantum recipi potest. Cum ergo corpora sint colorata, & splendentia, vt iam probatum est, & lux cum colore sit compossibilis dicendum est, ea futura lucida, non autem luminosa, id est corpora densa resplendentia per lucem, non autem diaphana, vel perspicua, seu transparentia luminosa.

Lucidum est opacum non sic luminosum.

Color in denso accipitur.

216 Prob. 2. Corpora beata ratione claritatis, in Scriptura comparantur corporibus lucidis, ac densis, seu opacis; non verò luminosis, & peruijs. Ergo erunt lucida densa. Anteced. prob. *Matth.* 13. comparantur Soli *fulgebunt sicut Sol*, et sic resplenduit Christi corpus in Thabor *Mat.* 17. et 1. *Cor.* 15. comparantur Soli, Lunæ, ac Stellis. Omnia autem ista sunt corpora densa, non autem peruia, et perspicua: ergo.

217 Prob 3. ex D. *Aug lib.* 22 *de Ciu. c* 19. corpora illa erunt pulcherrima; pulchritudo autem ex eodem ibi hoc dicit, ait enim. *Omnis corporis pulchritudo est partium congruentia cum quadam coloris suauitate*. Subdit autem ibi *Augustin. Coloris porrò suauitas quanta erit, vbi iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris sui?* vbi distinctè de partium congruentia, de coloris suauitate, et fulgore corporum beatorum loquitur, vt concludat eximiam eorum pulchritudinem; et tamen nihil dicit de perspicuitate, et transparentia. Adde, quod perspicuum non potest esse coloratum, vt patet de aere, aqua, vino, etc. ergo non erunt perspicua, seu peruia, sed opaca.

Pulchritudo exigit colorem.

218 Prob 4. Optimum exemplar claritatis, et fulgoris beatorum corporum fuit claritas Corporis Christi in Thabor, quando *resplenduit sicut sol*. Sed tunc non apparuit tribus Apostolis perspicuum, aut pervium, immò cum dicunt, sicut Sol implicat, vt fuerit corpus illud peruium, Sol enim peruius non est, sed densissimus. Ergo neque beatorum corpora erunt peruia, sed densa, et opaca.

Christi corpus fulgidū non fuit perspicuum.

Ob. contra 1. et 2. Corpora humana non erunt gloriosiora corpore Christi post resurrectionem. Sed hoc non fuit clarum, et lucidum ergo. Maior patet, nam Christus in resurrectione fuit exemplar nostræ resurrectionis. Minor prob. sæpè visus est Christus post resurrectionem sine tali luce, et splendore, vt *Luce* 24. à discipulis prope Emmaus, item dum ex eodem apparuit vndecim, ostendens manus, et latus; item apparet Magdalenæ, et cognoscitur, ec non fulget. *Ioann.* 20. cum dixit, *accipite Spiritum Sanctum, &c.* ex eodem *cap.* 21. ad mare Tyberiadis; et cum eis pranduit *Luce* 24. *& Matth.* 28. quando omnibus videntibus ascendit in cælum, et tamen numquam Euangelistæ mentionem faciunt de luce, aut splendore sui corporis quod quidem non omisissent, si cum eo apparuisset, quia res maximi momenti erat; et non omittunt, quando narrant transfigurationem in monte Thabor; imò quando erat ascensurus in Cælum, prolixum sermonem de multis habuit cum Apostolis *Actuum* 1. et visionem splendoris non commemorant, et tamen narrant visionem virorum in vestibus albis, qui dixerunt *Viri Galilæi, quid statis, &c.* ibidem *Act.* 1. ergo signum est, splendorem nullum in eo fuisse. Igitur, neque in aliis beatis.

Arg. contr. 1 & 2.

A pari arg. quod Christus non apparuit clarus post resurrectionē.

219 Neque valet argum. de visione Thabor *Matth.* 17. quia miraculosè tunc accidit, quod apparuit; nec potuit esse qualitas aliqua illius corporis; alioquin, vel per totam vitam, vel saltem post resurrectionem eam ostendisset. Adde, quod visus à Stephano *Actuum* 7. non apparuit lucidus. Neque dum *Ioann. in Apocalypsi* toties meminit de Christo viso, atque adorato à senioribus, vnquam loquitur de splendore, seu luce corporis. Ergo talis claritas cum fulgore non subsistit.

Reijciunt instant. ac Thabor.

220 Neque 2. valent doctrinæ adductæ ex Scriptura vtriusque testamenti; quia benè intelligi possunt de fulgore, ac splendore animæ, quæ à lumine gloriæ illustrata, erit perlucida, ac splendentissima.

221 Respondetur argumenta hæc esse difficiliora, quam appareant. Ideo patienter, et maturè discutienda sunt. Ad primum de corpore Christi splendorem non ostendente; Respondet *S. Augustinus l.* 22. *de Ciuit. cap.* 19. *sub C.* sic. *Qua claritas in Christi corpore cum resurrexit aboculis discipulorum potius abscondita fuisse, quam defuisse credenda est. Neque enim eam ferret humanus, atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci:* et post aliqua. *Cum autem aliquid non videtur quamuis adsit, à quibus alia, quæ pariter ad sunt videntur, sicut illam claritatem dicimus affuisse non visam à quibus alia videbantur eorosia à græcis dicitur, quod nostri interpretes latinè dicere non valentes in libro Geneseos* 19. *caecitatem interpretati sunt. Hanc enim passi sunt sodomitæ, quando quærebant ostium viri iusti, nec poterant inuenire, &c.* igitur ex S. Doctore aderat in Christi corpore splendor, et claritas, sed mortales oculi non poterant eam videre; proinde *Luce* 24. dicitur, *oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Sic etiam respondet cum *Augusti. Scotus*, in fine quæ-

Difficilia arg.

Claritas erat in corpore Christi post resurrectionem, sed non videbatur,

Non poterát oculi Apostolorum videre illum magnum splendorem.

sionis, Et iam cum *Chrysostomo* diximus mortales oculos non posse fixa acie splendorem corporis immortalis intueri, vnde Apostoli in monte Tabor eam sufferre non valentes ceciderunt in faciem suam. id autem fieri potuit hoc modo, quod, scilicet Deus subtraxit potentiæ eorum visiuæ concursum, nè attingerent lucem, & splendorem. Cum enim duo distincta videntur, potest Deus facere, vt videatur vnum non viso alio. Viderunt ergo corpus Christi secundum antiquum naturalem statum, splendore non viso.

Quomodo factum est hoc.

Transfiguratio Christi fuit figura gloriæ beatorum,

231 Ad secundum de Thabor Patres omnes hoc argumento vtuntur ad concludendam gloriam corporum beatorum. Ergo, licet tunc fuerit miraculosa, quia corpus Christi erat passibile, & indigens alimentis, seu vegetabile; post resurrectionem verò erat ei iam connaturalis, id est, ex Dei decreto debita. Vnde *Matth.* 17. Versu, *Transfiguratus est ante eos*. Interl. ait, *non substantiam carnis amisit, sed gloriam futuræ resurrectionis ostendit*. *Hieron.* in eum locum, ait, *Resplenduit facies eius sicut Sol. Certè transformatus est Dominus in eam gloriam, qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit*.

Quare Stephanus non dicit vidisse etiam splendorem,

232 Ad illud de visione Stephani, in primis dico, quod non fuit necessarium, vt diceret totum, quod videbat, sed quia de Christo, & pro Christo erat eius quæstio, dicit se videre Christum pro quo patiebatur. Secundo, quia in eo loco dicitur, *eum autem Stephanus esset plenus Spiritu sancto intendens in cælum vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, &c.* Interl. ait, Deus homo crucifixus apparet in gloria. Igitur vidit etiam Christi gloriam corporalem, & licet non explicet textus, in quo consistebat, quia tamen de gloria corporis Christi habebatur in Ecclesia inter discipulos, & Apostolos plena notitia ex transfiguratione iam diuulgata, Lucas scriptor visionis Stephani putauit sufficienter exprimere claritatem, ac splendorem corporis Christi à Stephano visum, cum dixit *vidit cælos apertos, & gloriam Dei, & Iesum, &c.* Tertio, etiam si non vidisset gloriam corporis adhuc nihil ex hoc concluderetur, quia diceretur oculos mortales non posse in eam intendere, & accidisse Stephano, quod alijs Apostolis accidit post Christi resurrectionem, qui eius gloriam non viderunt.

Lucas putauit sufficienter explicare splendorem.

3. Quod non viderit, & quare.

234 Ad vlt. dicitur, iam in Ecclesia hoc esse firmatum, quod, nè dum anima luce spirituali perfundetur, sed etiam corpus luce materiali; ea enim, quam viderunt tres Apostoli in Thabor materialis erat. Et fides docet cum Apost. 1. *Cor.* 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloria*, vbi de gloria corporis loquitur, Interl. enim, ait *gloriosum*, item ad *Philip.* 3. corpus nostrum simile erit in claritate corporis Christi. Ergo Christum eam habet.

Inst. Si corpus Christi erat clarum, ac splendidum, & non fuit visus splendor, neque claritas; sequitur alterum de duobus, vel quod Apostoli, Magdalena, discipuli, ac Stephanus Christum in propria humanitate non viderint, vel, quod Christus eos deceperit; vtrumque autem esset falsum. Igitur cum ex fide constet eos vidisse; & fides non firmet, quod gloriam, seu splendorē viderint, concludendum est, in eo corpore non fuisse; ne illa absurda cogamur admittere.

Apostoli nō videntes splendorem Christi non sunt decepti

235 Resp. ex *Scoto loco cit. in fine quæst.* neg. vtramque sequelam. Viderunt enim verum Christi corpus, neque sunt decepti, vel illusi, immò id suspicantes *Luc.* 24. quando ex improuiso, *stetit in medio discipulorum, & dicit eis Pax vobis, Ego sum nolite timere, & ipsi conturbati, & conterriti existimabant se spiritum videre, Christus dixit, videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Deinde, cum adhuc *illi non credirent*, comedit cum eis partem piscis assi, & fauum mellis, de fide ergo est, quod corpus Christi fuit visum. Potuit autem diuinitas subtrahere concursum ab illo splendore, nè emitteret, aut causaret sui speciem in oculis eorum, & ab illis ne concurrerent ad eam recipiendam, & sic non causari visio: quia non repugnat, quod si in aliquo subiecto existant duæ formæ visibiles, realiter distinctæ, vna causet sui speciem in aliquo oculo, alia verò non. Sicut de facto ignis Babylonicus in oculis trium puerorum speciem visibilem causabat, quia ab eis videbatur; non tamen speciem tangibilem doloriferam, seu realiter corruptiuè immutantem, & hoc quia duo sensibilia erant. Neque valet dicere, disparitatem esse, quia erant diuersi generis. Nam pro nostro casu hoc parum refert; quia vtraque forma respiciebat eundem oculum, et ratione visus, & ratione tactus; & sicut ista duo diuersi generis approximata eidem sensui, ex Dei potentia possunt ita se habere, vt vnum causet speciem sui, aliud verò impediatur, nè causet; ita & duo illa visibilia, vt caro Christi, & splendor.

Deus impediuit, ne splendor videretur,

Aptum exēplum.

Cum autem dicitur, splendorem non apparuisse, verum est, sed si negetur non adfuisse, hæreticum censeo; quia eius corporis claritas erit exemplar nostrorum corporum claritatis.

Arg. de illusione.

Dices non potest saluari, quod non fuerunt decepti, vel illusi, si qualitatem illam in Christi corpore existentem non viderunt. Quid enim est deceptio, nisi vnum pro alio cognoscere. Et quid illusio, nisi vnum pro alio apparere.

236 Resp. neg. antec. ait enim ibi Scotus. Deceptio est tantum in via morum, quādo de agibili aliquo tractatur, quod non accidit in visionibus illis. Secundo, quia habens

Quare non fuerunt illusi Apostoli nõ videntes splendorem,

bens duas formas si ex aliquo fine ostendit alicui vnam ex illis, & non aliam, non decipit, patet de Deo habente in se ideas, & tamen non ostendente omnes beatis, neque per hoc eos decipit. Neque adfuit illusio; quia non viderunt vnam personam pro alia, sed eandem cum qualitatibus quas erant assueti videre; & diuinitas non permittebat, vt splendor, & fulgor ille de eius corpore emanans sui speciem in oculis eorum causaret, & sic non videretur; neque hoc mirum; quia, vt cum Chrysostomo diximus. & Augustino, mortales, seu animales oculi nequeunt excellentem illum fulgorem aspicere. Sed hoc proprium est oculorum immortalium, ac spiritalium.

Arg. contr. vlt.

Ob. contra vlt. Partes internæ corporis admirabilem continent harmoniam, ex *Greg.* vbi supra, & ex *Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 30.* ergo sunt visibiles corporaliter. Igitur corpora erunt pervia; alioquin essent inuisibiles. Impediret enim densitas, & opacitas, nè videretur, quod intus existit? Et proinde *S. Greg. loco cit. in 3. contl.* & ex eo *Laurentius Iustin. lib. de descrip. & perfect. monast. Conuersat. cap. 13.* & alij cum eis docent, corpora beatorum pervia, & perspicua futura.

Partes internæ per oculum mentis videbuntur.

237 Resp. *Scotus* partes illas internas videndas esse per oculum mentis. Vel dici potest pro Greg. reuerentia, quod corpora erunt subtilia, & porosa, & oculi spiritales, & perfectissimæ virtutis, qui per poros illos videre poterunt internas partes. Quod si hoc non quadret, ait Scotus, per solum intellectum esse videndas, quod sufficit: cum repugnare videatur, quod corpus sit lucidum coloratum, ac solidum, & tamen perspicuum, dixi *solidum*, ad differentiam Iridis.

Ob. 2. *S. Augustinus* de corpore glorioso loquens in *lib. 22. de Ciuit. cap. 29. & 30.* dicit, tunc omnia futura manifesta, & nihil posse latere, & per corpora ipsa videri omnia, in omni corpore quocunque fuerint spiritualis corporis oculi acie peruenientes directi. Ergo etiam interiora nunc latentia videbuntur, & ideo corpora erunt perspicua, alias non possent videre.

August. non adducitur ad rem.

238 Resp. *August.* (qui me maximè mouet) non loqui de visione corporali, sed intellectuali. Et quia maximè eius doctrinam veneror adducam propria verba. in *cap. 29.* quærit quomodo sancti in futuro sæculo videbunt Deum, & grauibus firmisque doctrinis docet esse videndum oculis mentis, neque posse aliter videri. Inquirit postea an cum beati oculos corporis apertos habebunt, per eos Deum videbunt, & dicit nequaquam, sed per eos videndum Deum, sicut promittitur *Luca 3. Et videbit omnis caro salutare Dei*, & Simeon *Luca 2. Viderunt oculi mei salutare tuum*, & alia, quæ quidem de Christo intelligenda sunt, sed possunt nihilominus de ipsamet diuinitate intelligi, nam *Iob. 19.* ait, *in carne mea videbo Deum meum*. Sed sic, vt in carne visuri simus diuinitatem; quid autem poterit tunc oculus, dicit se ignorare, sic *sed quia spiritale corpus nescimus quantos accessus habebit, de re in experta loquamur*. & post multa, addit. *Sicut homines inter quos viuentes motumque vitalem exercentes viuimus; mox vt aspicimus non credimus viuere. sed videmus, cum eorum vitam sine corporibus videre nequeamus; quam tamen in eis, per corpora remota omni ambiguitate conspicimus ita quacunque spiritalia illa lumina corporum nostrorum circumferimus incorporeum Deum omnia regentem, etiam per corpora intuebimur.* Itaque ex corporum visione, dicit, oculos corporales visuros Deum in effectu quatenus illa regit. Vbi, vt patet nihil de interiorum partium visione: & postea concludit. *Ita Deus erit nobis notus, atque conspicuus. vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis; Patebunt etiam cogitationes nostræ inuicem nobis. Tunc implebitur, quod Apostolus dixit nolite ante tempus iudicare donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum. & manifestabit cogitationes cordis.* hæc ibi *Augus* ex quibus nihil contra nos de visione corporali interioris harmoniæ, vel de corporis perspicuitate.

Loquitur de visione mentali & per oculos corporeos videbitur Deus in effectibus

De corporea visione viscerum nõ loquitur Augus.

239 Ad aliud ex *cap 30.* dico *Augustinum* nihil penitus dicere de hac interiorum, & viscerum visione corporali. Sic enim loquitur in principio, illius capitis. *Omnia membra, & viscera incorruptibilis illius corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios, & motus distributa, quoniam tunc non erit ipsa necessitas, & perficient in laudem Dei. Omnes quippe illi, de quibus tam sum locutus, qui nunc latent harmonia corporalis numeri non latebunt intrinsecus, & extrinsecus per corporis cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, quæ ibi magna, & mirabiles videbuntur, rationali menti in tanti artificis laudi rationabilis pulchritudinis delectatione succedent.* Ex quibus, vt clarè patet nullum prorsus facit verbum de corporali internorum visione, sed de cognitione rationalis potentiæ; certum autem est, quod intellectus tunc videbit interiora, quæ nunc non videt. Tunc enim corporalis densitas intellectui non obstabit,

Arg. ex Apocal. p. quod corpora erunt sicut vitrum.

Ob. 3. ex *Apocal. 21.* vbi de ciuitate celesti dicitur, *lumen eius sicut christallum.* & infra. *Ipsa verò Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo.* & post alia, *platea ciuitatis aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum*, in his locis fit mentio de habitatoribus, nempè beatis in anima, & corpore, quæ erunt pulchra, & perlucida, vt vitrum; nam Interl. Ver. *Vitro mundo*; ait; quia, & corda sanctorum translucebunt, quantum ad corpus. Ergo corpora erunt pervia.

240 Resp. locum istum diuersimode à SS. Patribus declarari, vt ex Glossa Ord. ma-

manifestum est. *Ambrosius* autem in hunc locum, ait, quod *per vitrum mundum intelliguntur Angeli, quos nulla macula peccati, unquam sordidare potuit.* & declarans postea alium locum, *Platea, &c.* ait. *Per plateam Ciuitatis hic intelligimus mentes fidelium: per aurum verò mundum, & vitrum perlucidum munditia mentium hominum designatur, atque Angelorum; quia sicut ad mentes Angelorum nulla unquam vana cogitatio accedere potuit, qua eos macularet, ita & Sanctis post resurrectionem nulla unquam inutilis cogitatio adueniet, qua eorum mentes commaculet.* Ergo, neque ex sensu literali, neque ex anagogico ab illo loco infertur corporum perspicuitas. Ad sensum Interl. dici potest, quod translucebunt quidem corpora sicut aurum, & vitrum munda, tersa, & perlucida, quia fulgebunt sicut Sol, at non erunt perspicua, sicut non est, nec ipse Sol.

Sumendum est vitrum anagogicè, & quid significet.

Hic locus non intelligitur literaliter.

## ARTICVLVS VI.

### *An Beatorum corpora erunt subtilia, & quomodo.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 16.* plura docet. Primo, quod beatorum corpora habebunt dotem subtilitatis. Secundo, docet hanc dotem non consistere in aliqua qualitate positiua, sed in penetrabilitate, quod scilicet corpus glorioſum possit esse in eodem loco cum alio corpore penetrando illud. Tertio, contra Philosophos probat hoc esse possibile, sed ex fidei principijs. Quarto, adducit omnes authorum dicendi modos de penetrabilitate corporum; quomodo scilicet possit hoc fieri, eosque impugnat. Et apponit suum dicendi modum, *sub K.* dicens, potentiam illam ad penetrandum prouenire à voluntate beati volentis, & à potentia Dei facientis.

Scoti mens.

241 Adu. quod in hoc art. plura sunt videnda. Primo, an corpora beatorum erunt subtilia, & an hoc ex scriptura eruatur. Secundo, in quo consistat hæc subtilitas, num in penetrabilitate, vel alio. Tertio, quomodo concipi, & stabiliri possit hæc corporum penetratio. Primum in præsenti videbimus. Alia in distinctis §. vt confusionem effugiamus.

Plura in hoc art. videnda.

242 Dico 1. Corpora beatorum habebunt dotem subtilitatis. Est communis sensus Ecclesiæ pro hac conclusione. Est *Scoti loco cit. §. Respondeo ergo F. D. Th. in 4. sent. dist. 49. quæst. 4. ar. 5. D. Bonau. in 4. dist. 49. par. 4. quæst. 1.* Alensis, & omnium Theologorum.

Corpora beata erunt subtilia,

243 Prob. Hæc dos fuit in Christi corpore post resurrectionem: Ergo, cum ex *Philipp. 3.* corpora nostra sint reformanda in similitudinem corporis Christi, habebunt similem dotem. Anteced. prob. ex *Ioan. 20. Cum esset ergo una sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, &c.* Interl. Ver. *Fores clausæ*, ait, moli corporis, in quo erat diuinitas ostia clausa non obstiterunt, sicut, & natus fuerat de Virgine: ergo. In hoc enim consistit subtilitas.

A paritate Christi, qui sæpe corporaliter penetrauit.

244 Secundo ex eodem *cap. 20. Io.* circa finem. *Et post dies octo iterum erant discipuli intus, & Thomas cum eis, venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit:* ergo.

Clausis ianuis intrat.

245 Tertio ex *Marci 16.* Christus resurgens exiuit è sepulchro clauso sepulchri ostio. Mulieres enim venientes ad monumentum inuenerunt clausum, vnde dicebant, *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti: & vidierunt reuolutum lapidem erat quippe magnus valde.* Neque dicas, quod Christus ipse aperuit, vel Angelus, vt Christus exiret, & quod mulieres per viam torquebantur, quod non esset, qui eas iuuaret in reuolutione lapidis; at postea peruenientes inuenerunt reuolutum: non inquam dicas hoc; quia obserato sepulchro Christus de eo exiuit; nam *Mat. 28.* habetur. *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primo sabbati venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.* Sed tunc iam resurrexat Christus ante auroram. Igitur etiam si mulieres, vt Lucas, & Ioi dicunt inuenerint apertum, reuolutio lapidis facta est post resurrectionem; vnde Interl. Ver. *Reuoluit* ait, non vt egressuro ianuas aperiat, sed vt egressum eius pandat iam factum. & Glossa Ord. Ver. *Reuoluit* dicit, clauso potuit exire sepulchro, qui clauso natus est Virginis vtero. Et idem repetit in *cap. 24. Luca*, Ver. *Lapidem reuolutum*. Ergo quamuis mulieres ex *Luca 24.* in principio, & *Ioann. 20.* pariter in principio inuenerint lapidem reuolutum Glossa tamen & Aug. paulo post adducendus docent, Christum clauso sepulchro resurrexisse.

Refurgit clauso sepulchro.

Instantia quod ab alio fuerit apertum dilucidat clarè.

Clauso vtero natus est,

246 Quarto ex *Heb. 4. 14. Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit cælos Iesum filium Dei.* Interl. Ver. *Penetrauit*, ait, penitus intrauit, vt possimus sequi. Et quamuis *penetrare* in hoc loco accipi possit pro ascendere, vel peruenire; cum tamen in Ascensione eius ad cælum, non legamus, cælos ruptos, aut apertos, intelligi congruenter potest de Ascensione cum exercitio subtilitatis sui corporis, nempè per penetrationem. Imò Lyran. *in cap. 64. Isa. 1.* declarans illud *vtinam disrumperes cælos, & descenderes*, quod ex Glossa Ord. intelligitur, non de primo aduentu, quando venit in humilitate, sed de secundo quan-

Christus penetrauit cælos.

do

Quando veniet ad iudicium pariter penetrabit.

do veniet in gloria, dicit enim neque tunc non rumpentur cæli superiores, qui non sunt scissibiles, sed cælum aereum, quod inflammabitur igne conflagrationis: ergo, neque fuerunt rupti cæli superiores, quando Saluator ascendit. Et de Ascensione omnium electorum in cælum post iudicium, idem puto dicendum cum *Scoto in principio quæst.* 16. quod nempè nulla in eo facta scissura, ipsum penetrabunt, immò de cælo ad terram sæpè poterunt, penetrando cælum descendere. Sed hoc experientia ipsa, vt speramus docebit. interim verò, nec asserimus, nec negamus, an hoc modo, an aliter cælum sit penetrandum.

Sic etiam Sancti ascendent,

247 Prob. 2. ex *S. August. qui tract.* 121. *in Ioannem*, declarans subtilitatem corporis Christi glorioſi explicans illius. *Et fores essent clausæ*, ait. *Moli autem corporis, vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, qua nascente virginitas matris inuiolata permansit.* Ergo corpora gloriosa erunt sic subtilia.

Ex S. August. penetratio Christi.

248 Prob. 3. ex eodem, *libro de cognitione vitæ vitæ cap.* 45. (si modo sit eius (vbi sic habet, corpus autem sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, leuitate, perspicuitate, spiritibus erit æquale, & omne solidum erit ei penetrabile, sicut, & corpus Domini lapide clauso surrexit, & ianuis clausis intrauit.

Idem de Christo resurgente clauso sepulchro.

249 Prob. 4. ex *S. Ioan. Damasc. lib.* 4. *de fide Orthod. cap.* 28. Resurget corpus spiritale immutabile impassibile subtile, hoc enim significat spiritale, quale post resurrectionem corpus Domini erat cum per ianuas clausas transiret.

Spirituale idem ac penetrabile ex Damasc.

250 Prob. 5. ex *Anſel. lib. de similitud. cap.* 53. Sicut Angelis nihil obstitit nec aliquid eos impedire potest, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquos obstaculum, quod nos retardet, nulla clausula, quæ nobis vllatenus obstet.

Anſel.

Ob. 1. Corpora beatorum habebunt eas. dem partes materiæ, quas habent nunc: ergo non erunt subtilia. Consequ. prob. Subtilitas enim alicuius entis corporei habetur per dimminutionem partium illius, vt docet experientia. Anteced. prob. Quia surgent incorrupti. Id est absque vlla dimminutione. Secundo, quia, si auferantur partes à membris, hæc non remanerent organica.

Arg. contr.

251 Resp. neg. consequ. Subtilitas enim non consistet in dimminutione, sed in potestate penetrandi, & existendi cum alio corpore in eodem loco.

Subtilitas non importat dimminutionem partium.

Inst. Si in hoc consistit subtilitas, ergo sequitur, quod omnia corpora gloriosa possent esse in vno loco paruæ dimensionis; quod videtur absurdum. Prob. sequela. Si enim vnum potest esse in loco alterius non glorioſi: ergo duo, tria, centum, &c. quia non est maior ratio de vno, quam de alio. Et sicuti quia Angelus potest esse in eodem loco cum aliquo corpore sequitur, quod duo, centum, at omnes possent esse in eodem, quia habent virtutem penetratiuam. Ita de his corporibus dicendum si subtilitas in hoc consistit.

252 Resp. vt in *sequ.* §. Non repugnare, vt plura, & omnia corpora glorioſa sint in eodem loco, quantum est ex parte loci. Sed quia corpus glorioſum non habet, ait *Scotus in fine quæst.* 16. potestatem penetrandi aliud corpus glorioſum, quia dos subtilitatis omni corpori glorioſo concessa est in ordine ad non glorioſum.

Plura corpora glorioſa possunt esse in eodem loco.

Vrgebis. Si glorioſum potest penetrare non glorioſum, multò magis glorioſum. Quæ enim magis conueniunt, magis possunt esse simul: ergo.

253 Resp. dist. antec. Si talem potestatem acciperet à Deo, concedo posse. Sed eam non accipiet, quia potestas penetrandi importat superioritatem, & dominium quodam in penetrante. At vnum corpus glorioſum puræ creaturæ hoc dominiũ non habet in aliud, ideo non poterit aliud penetrare. Ad id, quod dicitur de similitudine, Respondet *Scotus in fine quæst.* non esse ad rem, quia hoc modo probaretur, quod magis possunt esse simul duæ qualitates contrariæ, saltim separatæ à subiectis, quam qualitas, & quantitas, quia duæ illæ qualitates conueniunt in genere: qualitas autem, & quantitas genericè differunt; & tamen istæ possunt simul esse, non autem illæ. Secundo probaret, quod de facto duæ quantitates possent esse simul. quod est absurdum. Ergo probatio non concludit.

Corpus glorioſum non accipiet potestatem in aliud corpus glorioſum.

254 Respondet 2. ibidem in calce quæst. posse etiam duo corpora glorioſa se penetrare, ac simul esse: tamen hoc de facto non habent vnum in aliud; quia illa virtus, & potentia penetrandi aliud corpus importat imperium voluntatis beati in illud; quod tamen Deus nulli beato concedit.

Duo corpora glorioſa possent se penetrare si Deus permitteret.

Ob. 2. Per dotem subtilitatis non potest corpus glorioſum esse in pluribus locis, ergo neque cum alio in eodem loco.

255 Resp. neg. paritatem. Disparitas est, quia ait *Scotus sub L.* cum natura non possit efficere motum aliquem acquisitiuum sine deperditiuo, & motus ad diuersa vbi, sit velut ad contraria, nequit corpus acquirere vbi nouum sine deperditione antiqui. Hoc autem non accidit quando duo corpora sunt in eodem loco. Secundo, ait Scotus disparitas est, quia si corpus esset in duobus locis, efficeret motum localem sine motu, quia acquireret alium locum distantem; hæc autem acquisitio non fit sine motu. At fieret sine motu, quia non relinqueretur prior locus; hoc autem necessario concurrit ad localem motum. Impossibile autem est, quod natura faciat mutationem sine motu, quando mutationis terminus natus est termi-

Disparitas cur non possit idẽ corpus esse in pluribus locis, & plura in eodem loco.

Plures disparitates.

termi-

minare motum localem. Tertio, ait Scotus disparitas est; quia ad hoc, vt aliquid sit in pluribus locis requiritur virtus activa maior; non sic, vt duo corpora sint in eodem loco, quia tunc vnum alteri cedit.

Ob. 3. Si subtilitas importaret hoc, sequitur, quod duo corpora essent vnum: ergo: Prob. sequela. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, ex 1. *Phis. t. 17. & 1. Prior. & 7. Topic.*

Duo illa corpora non essent eadem cum loco, sed in loco eodem.

256 Resp. neg. sequelam, ad probat. nego suppositum, quod scilicet illa corpora essent eadem cum loco. Vel distinguo quo modo sunt eadem vni tertio, eo modo sunt eadem inter se, concedo. diuerso modo, nego. Sed si duo corpora sunt in eodem loco non sunt idem illi, nisi præsentialiter; & hoc modo sunt idem præsentialiter inter se.

## §. 1.

## *An eadem sit spiritalitas corporis, & subtilitas, & qui nam effectus eius.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 49. quæst. 16.* docet, subtilitatem corporis glorioſi aliud non esse, nisi penetrabilitatis virtutem, secundum quam potest esse cum quolibet alio corpore solido in eodem loco, illud penetrando, ac si esset spiritus.

Omnia corpora erunt spiritalia in vno sensu.

257 Adu. 3. quod quamuis, ex 1. *Cor.* 15. Corpora omnia in resurrectione erunt spiritalia, vt dictum est in *disp. 7. ar. 3.* & fusius dicemus in sequentibus *ar. 7.* duo tamen sunt pro nunc de spiritalitate notanda; primum quod corpus dum fiet spiritale non erit spiritus, vt eruditè *August. lib. 22. de Ciu. cap. 21.* Sed erit verum corpus cum sua dimensione, et quantitate, ideoque Saluator *Luæ 24.* cum Apostoli putarent eum post resurrectionem esse spiritum, ait *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent, sicut me videtis habere.* Alterum, quod notari debet est, quod spiritalitas duo importat vnum, quod est omni corpori resurgenti commune, & est non egere alimentis, sicut ijs non eget spiritus, & hoc est præcipuum spiritalitatis significatum, vt dicam paulo post cum *Augustino*; ideo *Apost. 1. Cor. 15.* ait. *Seminatur corpus animale, resurget spirituale*, ait Glossa Ord. *Non egens alimentis, quia ita contraponitur animali.* Aliud, quod importat spiritalitas in corpore, quod quidem non est corporibus damnatorum commune, sed proprium beatorum, est esse penetrabile cum alio corpore, tamquam spiritus. Hoc stante.

Spiritalitas duo importat, vnum commune etiam damnatis, aliud non.

258 Dico. Sumpta spiritalitate pro penetrabilitate, idem est subtilitas, & penetrabilitas in corpore glorioso. Et hoc importat subtilitas, ac posse esse cum alio corpore solido in eodem loco. Ita *Scotus loco cit. D. Bonau. dist. 49. par. 4. quæst. 1. & 2.* Sed *S. Th. in 4. dist. 44. quæst. 2. ar. 2. & in ep. 1. ad Cor. c. 15.* dicit posse penetrari conuenire quidem corpori, sed non esse dotem subtilitatis. Idem tenet Alensis, & omnes sententiarij cum *Magistro in dist. 49.*

Subtilitas, & penetrabilitas, idem est in toto.

259 Prob. 1. Corpus beatorum resurget spiritale, ex 1. *Cor.* 15. Sed PP. omnes spiritalitatem corporis beati declarant vnum priuilegium spiritalitatis beatorum dicunt esse penetrationem cum alijs corporibus etiam non glorioſis: ergo. Prob. min. ex *S. Aug. lib. de cognit. vera vita cap. 45.* (si modo liber iste sit suus) sed cuiuscunque sit, hæc habet. *Corpus autem sanctorum resurget spirituale, quia velocitate, lenitate, perspicuitate spiritibus erit æquale, & omne solidum erit ei penetrabile, sicut, & corpus Domini lapide clauso surrexit, & ianuis clausis intrauit*: ergo.

Spiritale corpus est, quod non eget elementis.

Ex August.

260 Secundo eadem minor prob ex *Ioanne Damasc. lib. 4. de fide Orthod. cap. 28. Resurget corpus spirituale, subtile; hoc enim significat spirituale, quale post resurrectionem corpus Domini erat, cum per ianuas clausas transiret.*

Damascen.

261 Tertio eadem min. prob. ex *Anſel. lib. de similitud. cap. 53.* sicut Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, vel constringere quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè; ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet, nulla clausula, quæ nobis vllatenus obstet, ac post. Corpora nostra, ait Paulus configuranda sunt corpori Dominico, quod clauso sepulchro à mortuis resurrexit, ac deinde ad discipulos obseratis ianuis palpandum introiuit, nobisque in hoc futuræ libertatis grande documentum reliquit, hæc *Anſel.* ergo idem intelligunt Patres per spiritale priuilegium beatorum, quod per subtile, ac penetrabile.

Anselmo.

262 Conf. ex *Laurentio Iustin. lib. de discipl. & Perfect. monast. conuers. cap 23.* Cum in hac vita degit, & peregrinatur à Domino caro, animalis naturæ est, post verò resurrectionis gloriam, tota spiritualis efficietur, ita vt omne solidum ei sit peruium; non claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, sed liberam vbique ingrediendi, & egrediendi vbique recipiat facultatem: ergo.

Laur. Iustin.

263 Prob. tandem conclusio. Spiritale, vt est commune beatis, & damnatis, aliud non significat, sicut dicetur in *ar. 7.* & dictum est in *disp. 7. ar. 3.* quam esse viuens non indigens alimentis. Ergo si est quid singulare in Beatis, aliud nequit importare, quam subtilitatem, & penetrabilitatem, quod nempè [illegible] spiritus potest penetrare quodlibet

A sufficienti argum. aliud non esset beatorum priuilegium.

libet corpus solidum, ita & corpus glorio-sum.

Arg. contr. Ob. 1. Impossibile est, quod duo corpo-possint se penetrare in eodem loco. Ergo subtilitas non consistit in hoc. Antec. prob. ex *Boetio* 1. *de Trinit. cap.* 1. dicente differentiam in numero accidentium varietas facit, & sequitur; tamen locus semper est diuersus; quia vnum duobus nullo modo fingere possumus. Ergo cum varietas loci concurrat ad faciendam differentiam in-numero, implicat duo corpora esse in eodem loco.

Quando varietas accidentium faciat differentiam, & numerum. 264 Resp. ex *Scoto quæst.* 16. C. *Ad primum*, dist. antec. implicat naturaliter, vel loquendo de corporibus non glorioſis; concedo. supernaturaliter, vel de glorioſis, nego. Ad probat. ant. dist. Varietas accidentium facit differentiam, & numerum essentialiter, aut intrinsecè, nego. Accidentaliter extrinsecè, & ostensiuè, concedo, tum nego consequ. Ratio est quia, ait Scotus accidentia numquam possunt adducere differentiam intrinsecam in subiecto, sed solum extrinsecam, & manifestatiuam diuersitatis numericæ subiectorum. Et hoc maximè verum est de loco; duo enim loca significant esse ibi duo subiecta; at non faciunt diuersitatem in eis. Ex hoc autem, quod duo loca indicant duo subiecta locata, non concluditur, quod vnus locus inferat vnum locatum; quia anima, & corpus sunt in vno loco, sic Angeli plures possunt cum vno corpore esse in eodem loco. Sic erit de corporibus beatis, quæ tamquam spiritus penetrabunt alia corpora.

Quando ex pluralitate corporum concludun-tur plura loca. Dices. *Boetius* concludit; vnum locum duobus corporibus, nullo modo potest fingi. Respondetur intelligi de virtute naturali, quæ est in corporibus animalibus, seu mortalibus, non autem de glorioſis. De facto enim Christi corpus quantum, licet absque modo quantitatiuo, est in eodem loco in quo est quantitas panis, aut vini consecrati. Et de facto penetrauit claustra virginalia sepulchrum, fores domus, cælum, &c. ergo.

Arg. ex ratione dimensionis. Ob. 2. Dimensio, est formalis ratio repugnantiæ, vt duo corpora sint simul, ex *Philos. 4. Phis. t. 70.* ergo, cum in corpore beatos sit dimensio, sicut & in alio non-poterit aliud penetrare; & sic per hoc non bene saluatur subtilitas.

Conf. ita se habent duæ quantitates respectu vnius loci, sicut duo accidentia contraria respectu eiusdem subiecti. Sed ista nequeunt simul esse: ergo neque illæ. Min. prob. ex 4. *Metaph. t. cap.* 9. *ac* 27. si duo contraria possent esse simul in eodem subiecto, ergo etiam duo contradictoria.

Dimensio repugnat ei alia non formaliter, sed 265 Resp. ex *Scoto sub* C. neg. anteced. Dimensio enim non repugnat formaliter cum alia dimensione, sed repugnat solum virtualiter, ratione effectuum; effectus enim dimensionis est replere locum; ideo si repletus est iam locus per vnam, non potest ampliùs repleri per aliam; at non repugnat formaliter, tamquam album, & nigrum; quia duæ dimensiones non respiciunt vnum subiectum, respectu cuius attenditur contrarietas, sed respiciunt duo, quælibet nempè suum; locus autem, qui supponitur repletus à prima dimensione, non est subiectum dimensionum, sed quid illis extrinsecum.

virtualiter ratione effectuum. Dices. Corpus cum vna dimensione replet locum. Igitur hic non est capax alterius; quia non potest his repleri. Et consequenter nequeunt duo corpora esse in-eodem loco.

Corpus penetrans priuatur effectu replendi locum. 266 Respondet Scotus concesso arg. nego vlt. consequ. Corpus enim illud, quod penetraret non repleret, & esset causa sine effectu diuina virtute. Hoc autem non-repugnat, sicut non repugnat ignem esse-sine effectu calefaciendi, vt in fornace Babylonica *Daniel.* 3. & sicut potest Deus facere aliquem effectum, absque causa communi lege requisita ad talem effectum, vt quod virgo pariat, absque eo, quod concipiat. Vel quod sine maris commixtione concipiat; ita potest facere, vt sit causa-sine suo effectu.

Disparitas de contrarijs se expellentibus ab eodem. 267 Ad conf. ait Scotus disparitatem-esse, quia contraria sunt talia in ordine ad idem subiectum. At dimensiones duorum corporum in vno loco non respiciunt idem subiectum, nec sunt formaliter, sed virtualiter contraria.

Ob. 3. Si duo corpora possent esse simul, iam non essent duo: ergo. Antecedens prob. ex 6. *Phis. cap.* 1. vbi ait Philos. duo indiuisibilia esse non possunt immediata; quia tunc non essent duo. Ergo idem de-corporibus se penetrantibus dicendum est.

Disparitas de punctis; quæ non-possunt esse simul. 268 Resp. *Scotus ibid.* neg. sequelam, ad probat. Disparitas est, quia indiuisibilia nullam habent magnitudinem, & ideo simul posita faciunt vnum. Non sic duo corpora quanta.

Ob. 4. Si duo corpora esse possent in eodem loco habere deberent distinctum esse, vt essent duo. Sed in eo casu non haberent esse distinctum: ergo. Min. prob. Duo esse corporea requirunt duo loca, & duos situs, nisi à Deo aliter conseruentur, absque cooperatione causarum secundarum. Sed hoc non adesset in casu penetrationis; quia Deus non auferret ab ijs corporibus situm, neque facerent, vt essent extra locum. Ergo non essent duo corpora, contra suppositum.

Duo corpora in eodem loco essent cum suo situ 269 Resp. neg. min. ad probat. Dico esse duas quantitates, & duos situs, & nihilominus se penetrare. Hoc tantum Deus faceret, nempè, vt vnum corpus non haberet effectum illum replendi locum.

## §. 2.

### *An subtilitas, seu penetrabilitas sit forma positiua, vel quid sit.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. dist. 49. quæst. 16. E. §. Sed quidam dicunt, & sub I. Sed de tertio*, docet, subtilitatem non esse formam aliquam, siue qualitatem existentem in corpore beato, per quam dicatur, & sit subtile, ac penetrabile.

Status quæstionis.

270 Adu. Quod cum penetratio corporum sit aliquid naturaliter imperceptibile, & impossibile naturæ viribus, quam propterea Phylosophi omnino reijciunt, solique Theologi eam cum fide admittunt, maximè nihilominus inter se dissentiunt in assignando, per quid corpus fiat subtile, ac penetrabile, et quomodo possit hoc contingere. Vnde aliqui, vt *Riccardus in 4. dist 49. ar.4. quæst. 3.* docet corpus gloriosum futurum subtile per aliquam formam, seu virtutem creatam sibi superadditam; quia multa (inquit) corpora habent hoc naturaliter, vt possint simul esse, et exemplificat de igne cum ferro; et vino cum pane; et aqua, et aere; in his enim omnibus combinationibus, patet, duo corpora esse simul: in ferro enim ignito, adest substantia ferri, et substantia ignis. Sic de pane infuso in vino, de aere humido, etc. Alij, vt *Petrus de Tare*, et à margine *Scoti* citatur *D.Th. dist.* 40. *ar.* 2. *quæst.* 2. docent corpus gloriosum fieri subtile; ac penetrabile per amissionem grossitiei, et proprijs fundamentis id asserunt, vt infra. Alij, vt *Henr. Gandaven. quodl.* 9. *quæst. vlt. in solut.* 1. *ar.* docet corpus gloriosum esse penetratiuum per hoc, quia cum Deus possit ab aliquo subiecto separare accidens, quod connaturaliter esse solet in illo, vt à colore, quantitate, &c. ita potest separare situm à quantitate, et facere, vt quantitas aliqua non habeat situm suum: at quia ex situ oritur, quod duo corpora non se compatiantur in eodem loco, ideo ablato à corpore glorioso situ competente suæ quantitati, poterit esse cum corpore non glorioso. *Scotus* autem *sub F. §. Respondeo*, et deinceps docet tria, primum, quod corpus gloriosum potest esse cum alio corpore. Secundum, quod hoc competit corpori, vt informato ab illa anima gloriosa. Tertium, quod dos subtilitatis, qua tamen non est aliqua noua forma, sed importat ab intrinseco corpus informatum tali anima, ab extrinseco verò potentiam Dei cum eo coagentem, qui quidem diuinus concursus, et ordo agendi quasi de iure est tali corpori debitus. Et totum hoc dicendum est subtilitatis dos. Hoc stante

Riccardi sent. & explic.

Aliorum sent.

Henr. sent. de separatione situs.

Scoti sent. tribus declaretur.

271 Dico 1. Corpus gloriosum non erit subtile, seu penetratiuum per aliquam formam, seu qualitatem superadditam. Est *Scoti sub E. & I.*

Subtilitas non est aliqua forma positiua.

272 Prob.1. Subtilitas corporis glorioſi non est aliud ex communi Doctorum sensu, nisi non repugnantia corporis glorioſi ad essendum cum alio corpore in eodem loco. Sed non repugnantia non importat qualitatem aliquam positiuam: ergo.

A priuatiua impassibilitatis.

273 Conf. Impassibilitas non dicit formam aliquam positiuam, sed solum non posse pati ab alio extrinseco, vel etiam intrinseco per subtractionem concursus Dei ab alijs causis secundis, ne agant in corpus glorioſum: ergo neque est necessarium, quod subtilitas corporis sit aliqua forma positiua; sed sufficit, si dicatur, esse non repugnantia.

274 Prob.2. Forma ista non posset esse actiuior Angelo. Sed Angelus non potest causare duo vbi respectu eiusdem termini, seu superficiei: ergo neque illa qualitas.

A sufficienti argum.

275 Prob.3. Qualitas hæc esset absoluta; rursus, vel passiua, vel actiua. Nullum horum potest dici. Non passiua; quia sic corpus glorioſum esset passibile, contra suppositum; nam habet dotem impassibilitatis. Neque est actiua, cum nulla actio, nullusque terminus possit ei assignari; nam simultas deberet dici actio; hæc autem aliud non est quam non expulsio, quæ non est actio, sed potius oppositum eius, nempè expulsio est actio. Neque potest dici, quod sit aliquod accidens relatiuum; quia relatio non est de genere actiuorum: ergo,

Aliud dimensionale necessarium.

276 Conf. qualitas ista, vel diminueret corporis crassitiem, vel excauaret corpus solidum penetrandum; vel faceret vtrumque nullum horum potest admitti. Non primum, vt mox dicetur, quia corpora manebunt integra, & in nullo diminuta; neque secundum, quia sic non penetrarentur, sed partes vnius cederent locum partibus alterius. Secundo, quia, vel in vna cauitate, vel in pluribus non in vna; quia sic vnum contineret aliud, & esset locus alterius, & adhuc remaneret discutiendum quomodo corpus continens, nulla sui parte amissa, occuparet minorem locum. Si in pluribus cauitatibus, hoc est incapibile; quia sic vtrumque corpus esset discontinuatum; & ideo corpus glorioſum non esset organicum; cum non conseruaret partium densitatem, & continuationem, & se haberet velut cribrum foraminibus multis excauatum, quod est absonum.

Penetratio non efficitur ex ablatione grossitiei.

277 Dico 2. Penetratio corporis glorioſi non oritur, ex ablatione grossitiei. Est communis cum *Scoto quæst. 16. §. Alij dicunt E.*

278 Prob. Corpus glorioſum non amittit quanticatem cum sua triplici dimensione latitudinis, longitudinis, ac profunditatis: ergo non amittit grossitiem. Anteced.

patebit; quia ex *August. lib. 22. de Civit. cap. 30.* Licet euadat spiritale nempe spiritu solo viuens, & alimentis non indigens; tamen non euadit spiritus, sed est semper sensibile corpus, tale autem non est, nisi per trinam illam dimensionem: ergo.

Corpus gloriosum circumscriptiue erit in loco.

279 Prob. 2. Corpus gloriosum non erit in loco definitiuè tantum, vt Angelus, vel anima separata, neque Sacramentaliter, vt corpus Christi in Eucharistia, sed erit circumscriptiuè. Ergo non carebit grossitie. Consequ. prob. Quæ circumscriptiuè sunt in loco occupant locum, & expellunt alia corpora ab eo loco, & sic non carent grossitie.

Et extensum in loco.

280 Prob. 3. Verè caput illius corporis distabit à thorace, & vna pars lateris ab alia, & sic de cæteris partibus inter se distantibus. hæc autem distantia, à posteriori arguit grossitiem: ergo.

Erit situatū.

281 Prob. 4. Corpus gloriosum non priuabitur situ: ergo neque grossitie repletiua loci. Anteced. prob. Quia non existet Sacramentaliter in loco; neque per replicationem, aut totum in toto, & totum in qualibet parte; sed vna pars correspondebit vni parti loci; secunda secundæ, & sic de alijs; & totum loci toto. Id importat situs. Ergo non auferetur ab eo grossities per partium distantiam, & loci repletionem.

Arg. à sufficienti excludens sent. oppositam.

282 Prob. vlt. Per grossitiem, vel intelligitur quantitas, vel situs; aliud enim non potest assignari. Sed neutrum horum tolletur à corpore beato: ergo. Min. prob. de primo. Quia beatus habebit longitudinem, & latitudinem sensibilem carnem, & ossa, vt patet ex *Luæ 24. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Si autem dimensio ossium, & carnis non fuisset sensibilis, non potuisset videri: ergo. De situ patet; quia verè omnia membra inter se distabunt sicut nunc: non enim crus erit in loco ventris, aut capitis, sed cum debito, quem nunc habent ordine consistent. Secundo, quia situs corporis est à quantitate. Igitur, cum quantitas ab eo corpore non auferatur, neque situs tolletur. Et sic neque grossities.

Penetrabilitas non oritur à suspensione situs.

283 Dico 3. Corpus gloriosum non erit penetrabile per suspensionem situs. Est *Scoti quæst. 16. §. Alius est intellectus.*

A priori ratio.

284 Prob. sicut præcedens. Situs est quid necessariò sequens quantitatem, & non potest absque miraculo ab ea separari, sicut euenit in Sacramento altaris. Sed penetrabilitas, seu subtilitas corporis beati erit perpetua, & connaturalis illi, eique inexistens in actu primo ante actuale exercitium penetrandi. Ergo non potest consistere in ablatione, seu suspensione situs à quantitate.

285 Prob. 2. Omnes Theologi, qui concedunt corpori beato subtilitatem negant illi replicationem. Hæc autem esset ponenda, si penetrarent per suspensionem situs. Sicut patet de Christi corpore in Sacramento.

Instantia de replicatione

286 Dices. Non repugnat quin Deus separet situm à tota quantitate corporis, & tamen illa correspondeat absque replicatione toti loco. Quod enim nunc Christi corpus replicetur non accidit ex necessitate essendi sic; sed quia vult Deus, vt sit in tota hostia, & qualibet eius parte. Posset tamen facere, quod absque replicatione maneat corpus illud quantitatiuè extensum, absque situ.

Resp. posse quidem miraculosè id facere, inquit *Scotus supra F.* sed tamen non ita faciet. Quia sinet corpora illa vti sua connaturali potentia.

Erit dimensiue in loco extensum.

287 Prob 3. Corpus gloriosum cum penetrabit aliud corpus erit in loco sibi æquali: ergo non carebit situ. Anteced. prob. primò, quia sic intelligunt Theologi effectum istius penetrabilitatis. Secundo, quia alias non esset in eodem loco cum alio corpore, cum non esset in toto loco, sed in minima eius parte, sicut est corpus Christi sub accidentibus.

Vnde procedit illa penetrabilitas.

288 Dico tandem. Hæc penetrabilitas, & subtilitas procedit à voluntate beati, vt à causa intrinseca, & à voluntate, ac potentia diuina, vt extrinseca faciente, vt corpus illud sit in eodem loco cum alio. Ita *Scotus sub K.*

A sufficienti ratio.

289 Prob. nequit alia causa assignari: ergo. Anteced. patet ex sufficienti enumeratione. Neque potest aliud in hoc puncto dici. Confiteri enim tenemur effectum, licet nesciamus causam euidenter; hic autem modus ponendi est intelligibilis, & à sufficienti enumeratione fit inductio, quod non potest aliunde prouenire. Ergo ita dicendum est.

Arg. contr. de multis, quæ naturaliter sunt in eodem loco.

Ob. contra primam. Aliqua corpora habent hanc qualitatem, vt possint simul esse, ac se compati in eodem loco. Ergo poterit concedi etiam corporibus beatis. Antecedens prob. De igne, & ferro; ferrum enim candens includit ignem; & tamen occupat eundem locum, quem antea. Secundo de pane, & vino, seu aqua superinfusa. Vtrumque enim est in eodem loco. Neque potest dici, quod sit in aliquibus partibus vacuis. Quia licet hoc forte diceretur de pane; non tamen dici potest de ferro, quod est corpus solidum.

Ignis in ferro est in poris ferri,

290 Resp. ex *Scoto sub B. §. Ad aliud.* Quod in ferro ignito, vel non est ignis, sed qualitates intensæ ignis. Vel melius, quod adest quidem ignis, sed in poris ferri. Licet autem ferrum solidum sit non tamen ad eo densum, quod poros nullos admittat esto exiguos, quos potest penetrare ignis, qui subtilis est. Sicut patet de corpore humano, & ossibus, alijsque partibus solidis, quæ viuunt per transmutationem subtilium

spirituum transeuntium per poros.

Vinum, & panis habet diuersa loca

291 Ad illud de vino, vel aqua superinfusa pani, facilior est responsio, quod maxima pororum multitudo est in pane. Et in eis est vinum; in alijs verò partibus solidis panis non adest vinum, sed quædam humiditas. Et adducit exemplum Phylosophi de digito madefacto, aqua; humiditas enim aquæ propria, est in ipsa aqua; alia tamen producta ab ea est in digito. Ita de vino existente in poris panis, & de humiditate existente in partibus solidis panis; & hinc est, quod in toto pane, & qualiber eius parte videtur esse vinum, quia omnes sunt madefactæ.

Ob. 2. Subtilitas est dos nouiter collata corpori glorioso. Ergo debet importare formam aliquam positiuam de nouo ei collatam.

Subilitas non est forma positiua,

292 Resp. nego consequ. Sicut enim diximus de impassibilitate sufficit, quod sit aliquid nouiter competens corpori, non autem nouum quid positiuum ipsi inhærens, sed est aliquid morale, nempè ius, quod habet, vt Deus coagat beato volenti esse simul cum alio corpore in eodem loco.

293 Ob. 3. Potest Deus facere, quod corpus beatum sit cum alio in eodem loco per aliquod tempus, & perpetuò: ergo potest ei concedere hoc per aliquam formam superadditam,

Resp. neg. consequ. Si intelligatur de forma aliqua præcedente ad illam simultatem. Non enim assignari potest, quænam sit hæc forma, & quomodo hunc effectum produceret. Et ex alio capite potest hoc per Dei potentiam præstari,

Arg. contr. 3

Ob. contra 3. Corporis glorioſi subtilitas conuertitur cum spiritalitate, quam innuit Apostolus 1. Cor. 15. sed spiritalitas optimè explicatur per ablationem grossitiei: ergo, Min. prob. Spiritus caret omni grossitie; corpora autem beatorum æquiparantur spiritibus ab *Anſel. lib. de ſimilitud. cap. 53*,

Duo dat spiritalitas,

294 Resp. neg. min. Quia, vt supra dixi spiritalitas duo præstat in corpore glorioso: vnum est, quod facit ne egeat alimentis, & viuat solo spiritu, ac si esset spiritus. Secundum est, vt possit cum alio esse. At neutrum horum tollit à corpore quantitatem cum sua trina dimensione; ideo non tollit ab eo grossitiem,

Instab. Corpora sine quantitate non sunt repugnantia. Ergo potest dici, quod hoc modo fiant subtilia.

Non multiplicanda miracula,

295 Resp. neg. consequ. Deberet enim semper corpus spoliari quantitate, & hæc sine corpore conseruari, & fieri tot miracula. Vel deberet corpus beatum semper manere in cælo sine quantitate, & sic non esset sensibile. Tertio, corpus Christi, neque perpetuò, neque ad tempus fuit spoliatum quantitate post resurrectionem, & tamen penetrauit sepulchrum, ianuas, ac cælum. Ergo neque id accidet in corporibus beatis. Semper enim cum vellent de cælo ad terram ascendere, vt cælum, seu cælos penetraret, deberent spoliari quantitate, quod est absurdum, & inauditum, Præsertim, quia corpora beata non subiacebunt mutationi, aut passioni.

Exemplum de subtilitate corporis Christi.

Arg contr. 3

Ob. contra 3. Non alio capite saluatur à Theologis existentia corporis Christi in hostia, nisi quia est ibi carens situ. Ergo hoc etiam modo saluari potest penetrabilitas, seu subtilitas beati corporis.

296 Resp. dist. anteced. Non alio capite saluatur existentia Christi in parua illa hostia, multoties replicati, concedo. penetratio, nego. Duo enim habemus in Eucharistiæ Sacramento, & penetrationem, & existentiam corporis quanti septipalmaris in particula hostiæ. Hæc saluatur per ablationem situs, quia nempe pars corporis Christi non correspondet parti loci; neque totum toti; sed totum est in singulis partibus loci hostiæ. Si autem hoc modo deberet corpus beati esse in corpore solido, & in eodem loco cum isto concederem, quod per ablationem situs posset illud penetrare. At quia debet esse localiter extensum, non autem Sacramentaliter replicatum, id eo penetratio illa nequit fieri per ablationem situs; imò implicat in adiecto, quod corpus sit localiter, & circumscriptiuè extensum, & careat situ; cum in hoc consistat extensio localis, seu circumscriptiua, vt secernitur à diffinitiua, & Sacramentali. Ergo nequit penetratio illa fieri per ablationem situs.

Carentia situs in corpore Christi in Eucharistia saluat replicationem, & existentiam absque extensione locali,

Corpus glorioſum erit localiter extensum.

## ARTICVLVS VII.

### *An, & quomodo Corpora beatorum erunt ſpiritalia,*

Scoti mens,

SCOTVS de hoc puncto obiter loquitur declarando dotem impassibilitatis *in 4. dist. 49. quæst. 13. §. Ad rationes, ad secundum*, & declarans illud *Apost. 1. Cor. 15. Seminatur corpus in infirmitate, surget in gloria; seminatur animale, & surget spirituale*. Dicens animale esse id, quod eget alimentis, &c.

Priuilegium resurgentium.

297 Adu. hoc esse priuilegium resurgentium, vt fides docet; corpus nempè resurrecturum esse spiritale. De quo multa diximus in *disp. 7. ar. 3.* loquendo de omni corpore, & alia in præsenti *disp. ar. præced. §. 1.* ideo paucis hoc dubium expediemus: duo ergo breuiter discutientur, primo, an futura sint spiritalia. Secundò, in quo consistit spiritalitas.

Duo discutienda.

Spirituale multiplex.

298 Adu. 2. Pluribus modis sumi in Scriptura hoc vocabulum *spirituale*, seu *spiritale*, pro eodem enim inuenio accipi. Primo

pro

pro re aliqua incorporea, vt est anima, vel Angelus, & de his acceptionibus spiritus innumera habemus Scripturæ loca. Secundò sumitur spirituale pro aliquo mystico, ac figurato, seu allegorico, ac mysterio pertinente ad nouum testamentum, vel ad salutem. Vnde *Rom.* 1. 11. *Desidero vos videre, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritalis ad confirmandos vos*. Interl. ait, *doctrinæ* Spirituale, quid allegoricum. *cap.* 7. 14. ait, *scimus enim quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, &c.* Interl. Ver. *Spiritalis*, dicit, spiritum aiens dum de spiritualibus instruit. Glossa Ord. ait, lex Moysi spiritalis est, quia in ea sunt, quæ Dei sunt, & quia spiritualiter est intelligenda. Lex autem spiritus dicitur lex Euangelij, vbi Deus ipse est; ibi verba, hic res. Item 1. *Cor.* 2. 13. *Loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit, quæ sunt spiritus. cap.* 3. 1. *Ego fratres non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. cap.* 9. *Vobis spiritualia seminauimus. cap.* 10. *Escam spiritalem manducauerunt; potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali.* & Interl. ibi Ver. *Escam* ait, Manna, quod significabat Christum, & Ver. *Potum spiritalem*, ait, aquam de petra signum sanguinis Christi. Et sub hac significatione pluries alibi accipitur spiritale pro mystico nempè, ac figurato, seu allegorico, seu anagogico mysterio. Tertio pro spectante ad Dei laudem. *Ephes.* 1. *Benedictione spirituali*, scilicet, *hymnis, & canticis spiritualibus, &c.* Quarto sumitur spiritale pro eo, quod solo spiritu viuit estò corporeum sit; & è contra animale, quod viuit per nutritionem mediantibus cibis. Hoc stante.

Spirituale, quid pertinens ad salutem.

299 Dico 1. Corpora beata in cælo erunt spiritalia. Est communis de fide.

Corpora beatorum erunt spiritalia.

300 Prob. ex famoso textu 1. *Cor.* 15. *Seminatur corpus in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Neque de hoc est difficultas.

Conf. ex dictis in *disp.* 7. *art.* 3. per totum, ne eadem repetamus.

301 Dico 2. Corpus beatum erit quidem spiritale, non prout spiritale significat substantiam aliquam incorpoream, insensibilem, aut quantitate carentem; sed prout significat substantiam totaliter spiritui subditam, & viuentem sine cibo, ac potu, sed per solam informationem; ac viuificationem spiritus. Est *Scoti in* 4. *dist.* 49. *qu.* 1. *§. Ad rationes ad secundum*, & communis in tota Ecclesia.

Spiritale hic non significat aliquid intellectuale, sed viuè sine alimentis.

302 Prob. primo. Ex Glossa Ord. Ver. *Surget spiritale*, dicente non dicit spiritus, vt corpus vertatur in spiritum, vt quidam putant. Nam *Luc.* 24. ait. *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, sed spiritale, quia spiritui plenè subdetur, non iam repugnabit, nec alimentis egebit, vt & homo ante peccatum egit.

Ex Glossa.

303 Prob. 2. ex Interl. Ver. *Seminatur corpus animale*, sic habente verè viuum, & vegetatum, quod cibis sustentatur. Et Ver. *Surget spiritale*, ait, quod iam his non eget.

304 Prob. 2. ex eod. loco Apostoli post prædicta, sic dicente. *Si est corpus animale, est & corpus spirituale. Sicut scriptum est factus est primus Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem. Sed non prius, quod spirituale est, sed quod animale, deinde, quod spirituale.* Interl. Ver. *Primus Adam in animam viuentem*, ait id est viuere potentem, hoc est vitam dare corpori, per sustentationem tamen ciborum corpus viuificantem: idem latè explicat Glossa Ordin.

Ex script.

305 Prob. 3. ex PP. *Ambr.* in locum cit. Pauli. *Seminatur corpus animale, surget spirituale*, ait. Animale corpus est dum cibis sustentatur, vt viuat. Spiritale autem, cum horum nihil indigebit conuersum in vitam.

Ambros.

306 *Theodoretus* in eundem locum habet. Animale vocat, quod ab anima gubernatur; spiritale autem, quod à spiritu regitur.

Theodor.

307 *August. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 7. ait, spiritale autem pluribus modis dicitur; nam, & corpus, quod futurum est in resurrectione sanctorum spiritale appellat Apostolus, eò quod miris modis ad omnem facilitatem, & incorruptionem spiritui subdatur, & sine vlla indigentia corporalium alimentorum solo viuificatur spiritu; non quod incorpoream substantiam sit habiturum. Idem, & clarioribus docet, in *lib.* 5. *Gen. ad lit. cap.* 24. *& lib.* 9. *cap.* 3. Item *lib.* 13. *de Ciuit. cap.* 20. *in Enchirid. cap* 91. vbi ait, *corpora ibi futura sunt, non spiritus; spiritale tunc corpus erit, non spiritus.* & in *lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 21. ait, *Erit ergo subdita spiritui caro spiritalis, sed tamen caro, non spiritus, sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus, non caro.* Tandem in eodem *lib.* 22. *cap.* 24. in fine habet, *Quale erit corpus, quod omnimode spiritui subditur, & eo sufficienter viuificatum, nullis alimentis indigebit? Non enim animale, sed spiritale erit, habens quidem carnis, sed sine vlla carnali corruptione substantiam.* Ergo spiritalitas illa corporum non reddet illa incorporea, sed reddet subdita spiritui, & non egentia alimentis.

August. multoties.

Quare caro erit spiritalis.

Ob. contra 1. Etiam corpora damnatorum erunt incorruptibilia, & alimentis non indigentia. Ergo non est specialis conditio corporis beati spiritalitas.

Arg. contra

308 Resp. dist. anteced. Erunt cum illis qualitatibus, seu circumstantijs tantum, nego.

nego. cum illis, & alijs perfectionibus, concedo, & nego consequ. Nam corpora beatorum, nè dum erunt incorruptibilia, sed etiam impassibilia ab agente corporeo, sicut spiritus; non sic erunt corpora damnatorum. Secundo, corpus beati conuenit cum corpore damnati, quo ad non egentiam alimentorum: sed differt in multis; quia corpus beatum totaliter erit subditum spiritui, nec vllo prorsus modo ei repugnabit, ideo *Augustin. lib. 9. Gen. ad lit. cap. 3.* vbi de primis parentibus, & de posteris status innocentiæ si mansisset, ait. *Si iustè obedientes, omnes viuerent tunc fieret illa commutatio, vt sine vlla morte animalia corpora consurgerent in aliam qualitatem, eo quod ad omnem nutum regentis spiritui deseruirent, &c.* & *lib. 12. cap. 7. spirituale appellat Apostolus, eo quod miris modis ad omnem facilitatem, & incorruptionem spiritui subdatur.* in *lib. 13. de Ciuit. cap. 20. Resurget corpus non spiritus, sed spirituale, quia spiritui summa, & admirabili facilitate subdetur. ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimam voluntatem omni molestia sensus; omni corruptibilitate, & tarditate detracta.* in *lib. 19. cap. 17.* ait, *erit corpus spirituale, sine vlla indigentia ex omni parte subditum voluntati.* in *lib. 22. cap. 24.* in fine, dicit, *corpus spirituale erit omni modo spiritui subditum,* & in *cap. 21.* Existimans alia permulta futura huius spiritalis corporis dona, nec valens ea manifestare, ait, *qua sit autem, & quam magna spiritalis corporis gratia, quæ non dum venit in experimentum; vereor, nè temerarium sit omne, quod de eo proferatur eloquium.* At damnatorum corpora licet viuent, absque alimentorum indigentia, tamen corpus non erit spiritui totaliter subditum, vt spiritu præcipiente, statim obediat, ac moueatur: sed, vt ait, *Anselmus lib. de similitud. cap. 51.* Malus tanto pœnarum pondere præmetur, vt nec pedè quidem, vel manum, vel aliquid sui corporis possit mouere. Vnde *Matth. 22.* dicitur, *ligatis manibus, & pedibus proijcite eum in tenebras exteriores. in cap. 52.* inquit, Reprobus erit sic imbecillis, vt nec etiam vermes amouere queat ab oculis suis. *in cap. 53.* dicit, quod electos nullum impediet obstaculum quin penetrare possint pro velle suo cuncta liberrimè, &c. Malus verò ad omnia, quæ noluerit cogetur, & ab omnibus, quæ voluerit prohibebitur. Loquitur præterea *Anselm.* de corporis damnati turpitudine, ponderositate, infirmitate, &c. alijs malis, quorum contraria in corpore beato admittenda sunt. Spiritalitas ergo ista cum omnibus hisce perfectionibus sufficienter distinguitur à spiritalitate damnati corporis. Hinc optimè Apostolus *loco cit. Cor. 15.* De solo corpore beato loqui videtur, ait enim. *Seminatur in corruptione; surget in incorruptione,* dicit Interl. immortale, & impassibile; at hoc secundum, vt patet corpori damnato non competit, ait deinde textus, *seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* Interl. ait. *Gloriosum,* sequitur, *seminatur in infirmitate, surget in virtute.* Interl. ait potentia cui nihil noceat; hoc non competit damnato, cui omnes nocebunt. Deinde, *seminatur animale, surget spirituale.* Igitur licet in hoc conueniat corpus gloriosum cum non glorioso, quia vtrumque alimentis, ac cibis non egebit, nec nutrietur; differt tamen, quia illud spiritui totaliter subdetur, hoc verò nequaquam. Vnde ictu oculi quocunque voluerit anima beati, se conferet corpus, vt de agilitate diximus; neque ei vllatenus resistet. Quod in damnato non eueniet.

Diuersa spiritalitas in corpore beati, & damnati, imo & de innocentis.

Corpora damnatorũ non obediẽt spiritui,

E contra corpora beatorum,

Corpus beati erit spirituale impassibile, non sic damnati.

## ARTICVLVS VIII.

### *An omnes sensitiuæ potentiæ suos actus exercebunt in beatis.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 49. quæst. 13. §. Ad rationes ad secundum H.* docet, in corpore beati omnes ad esse sensitiuas potentias, licet non omnes erunt sub actu suo; & maximè illæ, quæ in actu suo habent imperfectionem comitantem, vt est potentia generatiua, & nutritiua, de sensibus tamen visus, & auditus nullus dubitat. Hæc Scotus ideo.

Scoti mens.

309 Adu. art. sensum clarum esse; an scilicet omnes potentiæ sensitiuæ suos actus habebunt, circa sua propria obiecta. Et communiter omnes negant de potentia vegetatiua, quæ secernitur in generatiuam, sibi similis, & in nutritiuam. De sensibus verò tam internis, quam externis, de visu, auditu, & sensu communi non videtur vlla difficultas, de alijs non est ita certum, ideo cum SS. Patribus, & Scriptura in hoc negotio procedemus, nec temere aliquid proferemus.

Sensus quisti,

Vegetatiua non erit in actu suo, nutriendi, &c.

310 Dico 1. Potentia vegetatiua nullum habebit actum, neque generandi, neque nutriendi. Est communis de fide.

Neque generatiua.

311 Prob. 1. pars. Ex *Matth. 22. 30.* vbi Saducæi negantes resurrectionem, obiecerunt Christo, tamquam absurdum, quod si aliqua mulier nupsisset septem viris successiuè, in resurrectione nesciretur, & & esset in lite, cuius nam deberet esse vxor, Saluator ita respondit. *Errati nescientes scripturas, in resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo.* Interl. ait viri, & fœminæ non producent, ecce spiritualis conuersatio. Glossa Ord. quæ est *Hieron.* Ver. *In resurrectione,* inquit, *Resurgent quidem corpora, quæ possint nubere, & nubi, quod de his dicitur, qui habent membra genitalia,* Lyr. ibi ait,

Non erit copula carnalis in cælo.

ait, quia non resurgent ad vitam carnalem, cibis, & venereis vtentem. Eadem Glossa Ord. in *cap. 20. Lucæ* 35. vbi refertur hoc idem Christi responsum, ait, *Cum connubia, propter filios; filij propter successionem, successio propter mortem; vbi ergo non est mors, neque connubia.* Ergo in Patria nullus vtetur copula carnali; & sic potentia vegetatiua, quò ad actum generandi non erit sub actu suo.

De nutritione idem dicitur.

318 Prob. secunda pars de nutritione. Corpus beati erit spiritale, non egens alimentis, vt in præced. art. probatum est, ex 1. *Cor.* 15. ergo nulla aderit nutritio, sed spiritu, nempe anima sola viuet.

313 Conf. ex dictis in *ar.* 3. corpora erunt impassibilia, omnem prorsus corruptionem abijcientes: ergo non nutrientur. Non enim ex alio capite fit nutritio, nisi ob augumentum, & ob reparationem partium perditarum.

Ex vet. test.

314 Prob. 1. ex *Isa* 49. vbi anagogicè de Beatis sic dicitur. *Non esurient, neque sitient amplius, &c.* sine fame autem, & siti non fit nutritio.

Ex Patribus.

315 Prob. 3. ex Patribus in locum Pauli, *surget corpus spirituale.* 1. *Cor.* 15. in quo omnes, vt *Ambr. Hier. Augustin. Theodoretus, &c.* dicunt, corpus beati non egere alimentis.

Idem docet *Chrysost. epist. 1. ad Theodorum, & Prosper Aquitan. de vita contemplativa cap.* 4.

Est incertum de omni vi externi sensus, an erunt sub actu suo.

316. Dico 2. Est incertum, an omnes sensus externi futuri sint sub actu suo. Est *Scotus in dist. 49. H. D. Th. in 4. dist. 44. ar. 2. quæst. 1. in sol. 3. & 4. D. Bonau. dist. 49. par. 4. quæst. 1.*

Aug. dicit se nescire.

317 Prob. ex *Augustin. lib. 22. de Ciuit. cap. 29. G.* de beatis sic dicente. *Sed quia spirituale corpus nescimus quantos habebit accessus; de re quippe inexperta loquimur, vbi aliqua, quæ aliter intelligi nequeat scripturarum non occurrit, sed succurrit authoritas. Necesse est, vt contingat in nobis, quod legitur in libro Sapientiæ 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ.* in *cap.* autem 30. *sub B.* ait, *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temere definire non audeo, quod excogitare non valeo; tamen, & motus, & status sicut ipsa species dicent erit, quicunque erit, &c.* ergo non est nobis exploratum, an sensus omnes futuri sint sub actu suo.

Ex script. incertum.

318 Conf. ex *Isa* 64. & 1. *Cor.* 2. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Ergo incertum est, an sensus omnes sua obiecta cognoscent, vt in illis delectentur.

319 Conf. 1. ex *Guilelmo Paris. lib. de vniuerso ante* 2. *cap.* 34. dicente. Res illius gloriæ, propter elongationem suam à consuetudine nostra, & a rebus sæculi istius, non facilè inueniuntur per vias probationis ad certum, & liquidum per singula, & quomodo vires sensibiles perficiendæ sint, quia ex sermonibus Prophetarum, vel alijs sermonibus authenticis perspicuum non est, facilè affirmandum non est.

Visiua potentia erit sub actu suo.

320 Dico 3. Potentia visiua erit sub actu suo. Est *Scoti D. Th. ac D. Bonau. locis nuper cit.* & est communis.

321 Prob. 1. ex *Isa.* 33. 17. *Regem in decore suo videbunt oculi eius.* Interl. ait, *perfecto iudicio.*

Ex vet. test.

322 Prob. 2. ex *Iob.* 19. *In carne mea videbo Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Igitur Deum in carne videbunt oculi. Primum autem, ac præcipuum sensibile, quod Beati videbunt corporaliter, est Christi corpus, de eo enim dicitur *Psal.* 44. *Speciosus forma præ filijs hominum, &c.*

Claritas videbitur.

323 Prob. 3. ex dictis de claritate corporum beatorum *ar.* 5. Omnes enim PP. docent, claritatem illam adeo excellentem esse, vt oculi immortales tantum eam possint intueri; & hac de causa tres discipuli in monte Tabor, ait, *Chrysost. in epist. 1. ad Theodorum lapsum*, non valentes sustinere eius fulgorem prociderunt in faciem suam. Ergo oculi corporei visuri sunt sensibilia, quæ in Patria reperiuntur.

Ex Augustino Manuali.

324 Prob. 4. ex *Manuali*, quod *S. Augustino* adscribitur *cap.* 26. Deus in similitudine hominis apparuit, vt vterque sensus hominis in ipso beatificaretur & reficeret: oculus cordis in eius diuinitate, & oculus corporis in eius humanitate, vt siue egrediens siue ingrediens in ipso pascua inueniret natura humana condita ab ipso.

Ex eodem.

325 Conf. ex eod. *lib.* 22. *de Ciuit. c.* 29. *B. Absit, vt dicamus illos sanctos in illa vita Deum clausis oculis non visuros quem spiritu semper videbunt, sed vtrum videbunt, & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio est*, & longum, exactamque texit quæstionem, an oculi corporei cum erunt spirituales in Patria peruenient ad hoc, vt etiam Deum videant, & concludit, non visuros Deum in se immediatè, sed per effectus videntes scilicet alia, quæ à Deo reguntur, & mouentur. & *sub H* ait, *quam obrem fieri potest, valdeque credibile est, fieri nos esse visuros mundana tunc corpora Cæli noui, & terræ noui, vt Deum vbique præsentem, & vniuersa etiam corpora gubernantem per corpora, quæ gestabimus, & quæ conspicietimus quaqua versum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus.* Et circa finem illius capitis ait, *Videatur, & per corpora in omni corpore, quæcunque fuerint spiritalis corporis oculi acie peruenientes directi* ergo oculi erunt sub actu suo circa colorata, & luminosa corporalia.

Clare ex Augustin. demonstrat.

326 Conf. ex eod. *lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 36. in fine. & *cap. vlt.* in quibus docet, beatos post resurrectionem habituros tres visiones, scilicet corporalem, animalem, seu spiritualem, ac intellectualem: ergo.

Prob.

Laur. Iustin.

327 Prob. ex *Laur. Iustin. lib. de disciplina & perf. monast. conuers. cap* 23. delectabitur oculus in amabili redemptoris aspectu, cum videbit Regem in decore suo gloria ornatum, ac diademate redimitum, &c.

328 Prob. tandem. Visio corporalis promittitur in partem vitæ æternæ, seu præmij: ergo. Anteced. prob. ex *Ioan.17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Vbi notandum est, quod non loquitur de diuinitate, nam dicens *te solum Deum*, loquitur de Trinitate, quæ est obiectum beatificum. Cum ergo addit, *& quem misisti Iesum Christum*, id est humanitatem eius gloriosam.

Christus glorioſus, visiua potentia vſus est,

329 Conf. fatuum esset negare, quod Christus post resurrectionem toties apparens discipulis *Lucæ* 24. *Ioan.*20. 21. *&c.* & in monte Oliueti ascensurus in cælum non viderit oculis corporeis Apostolos aliosque præsentes, Matrem, Magdalenam, &c. Item deliraret, qui diceret, Christum in iudicio non visurum oculis corporeis omnes homines iudicandos, vel non videre nunc cælos terram, & Beatam Virginem. Tandem frustra quæritur à Theologis, an Christus in Eucharistia oculis corporeis videat sacerdotem altare, &c. Si oculus corporeus glorioſus non posset exercere actum videndi. Si autem eum exercet oculus Christi, cum corpora beatorum sint reformanda in similitudinem corporis illius, dicendum est oculos eorum quoque visuros esse obiecta sensibilia luminosa, & colorata.

Sequerentur alia absurda.

330 Prob. tandem ex dictis in *art. 1. huius disp* quæ sunt de omni sensu.

Auditiua potentia exercebit suum actum,

331 Dico 4. Potentia auditiua exercere poterit actum suum. Est *Scoti loco cit. sub H. D. Th. at D. Bonau.* locis supra citatis.

Ex vet. test.

332 Prob. ex *Psal. 83. Beati qui habitant in Domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te*. Igitur audient inuicem cantantium, & laudantium voces. & *Psal. 149. Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exultationes Dei in faucibus eorum*. Glossa Ord ait, qui in corde, & in lingua non desinunt laudare eum, à quo habent æterna. Ergo audiuntur corporaliter voces faucium, seu corporales.

333 Prob.2. ex *Tob.*13. in fine, vbi de Cælesti Ierusalem anagogicè, sic ait. *Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur*. Ergo aderit obiectum auditus, si autem non perciperetur sensu, frustra ibi poneretur.

Ex Apocal.

334 Prob. 3. ex *Apocalyp.* 19. *Post hæc audiui quasi vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium alleluia. Laus, & gloria, & virtus Deo nostro. &c.* & post aliqua. *Et iterum dixerunt alleluia.* & postea, *viginti quatuor Seniores, & quatuor animalia adorauerunt Deum dicentes alleluia, &c.* multa ibi de laudibus quas beati canent in cælo. Ergo aderunt voces, & audientur.

Ex Augus.

335 Prob. 4. ex S. *Augus. lib. 22. de Ciuit. cap.*10. *Vacabitur ibi Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Nam quid aliud agetur, vbi nulla desidia cessabitur, nescio. Admoneor etiam sancto cantico, vbi lego, vel audio, Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te. Omnia membra, & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus per vsus necessitatis varios, & motus distributa; quoniam tunc non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secura fœlicitas profitebuntur laudibus Dei*, hæc *August.* Ergo lingua, & guttur in hoc exercebuntur, nempè in Dei laudibus; et sic sequitur, quod ab inuicem audientur.

336 Conf. ex eod *in psal* 88. *Misericordias Domini in æternum cantabunt, qui cantico in gloriam gratiæ Christi cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi iucundius Ciuitati*, hæc *Aug.* Ergo si aderunt aures, & cantica corporalia, corporaliter audientur. Neque enim obsurdescent beatorum aures.

A paritate Christi.

337 Prob. 5. Christus post resurrectionem, & locutus est corporaliter, et audiuit loquentium voces, cum Apostolis alijsque conuersans. Et in iudicio loquetur, et audiet voces electorum, et reproborum dicentium, *quando te vidimus esurientem, aut sitientem, &c.* Item electi Christi voces corporales, nec non, et respensiones reproborum corporaliter audient. Ergo sensus auditus erit in vsu suo.

Ex Gregor.

338 Prob. 6. ex S. *Greg. lib.* 8. *moral. cap. 31.* Bene os risu impleri dicitur, et labia iubilo, quia in illa æterna Patria cum iustorum mens in exultationem rapitur, lingua in cantum laudis eleuatur. Igitur si erunt voces, erunt et audientes illas.

Ex Apocal.

339 Prob.8. ex *Apocal.* 14. 2. *Et audiui vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & vocem quam audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis, & cantabant, quasi canticum nouum ante sedem, &c.* in hoc loco describitur gloria Paradisi, vnde Glossa Ord. Ver. *Et cantabant*, ait, id est de integritate animæ, et corporis exultabunt, quod gaudium nunquam eis veterascet, sed semper est eis, vt nouum. Et Lyr. totum hoc caput diffusè de gloria animæ, et corporis explicat, et ait, in hoc designatur magnitudo laudis, non solum ex laudantium multitudine, sed etiam ex modo laudis, et qualitate. Et Ver. *Sicut citaredi.* dicit, nam hæc laus est coram Deo, et Angelis gratiosa, etc. Hinc est, quod dum regulariter gloria Paradisi describitur, musicis, et choreis festiuis adornata exprimitur, vnde et S. Patri meo Francisco Angelus musicum instrumentum

mentum pulsans apparuit, vt gloriæ cælestis arrham obtineret, ex cuius suauitate concentus, penè mortuus effectus est. Cum ergo musica instrumenta, & cantantium voces in Cælo sint affuturæ, auditus erit in suo actu, alias frustra ponerentur.

De sensu tactus est etiã probabile, quod erit sub actu.

340 Dico 5. Probabile, & conueniens videtur, vt etiam sensus tactus futurus sit sub actu suo perfectissimo. Et expressè S. *Bonau. in 4. sent. dist. 49. par. 4. quæst. 1.*

341 Prob. Inuerisimile videtur, quod sensus ille per totum corpus extensus, suo actu careat; & quod vnus beatus, alium tangere non possit sensibiliter, & qualitates eius sensu apprehendere. Et quod Christus exponens se tangibilem, & palpabilem post resurrectionem *Luca 24. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habent*, & exponens latus tangendum à Thoma, si Apostolus eum attigisset, non sensisset tactum illum: ergo.

342 Conf. Nulla est imperfectio, neque ex imperfectione, aut necessitate fit tactus. Ergo potest admitti.

A paritate damnatorũ.

343 Prob. 2. In damnatis remanet sensorium tactus cum actuali sensatione in pœnam, vt possint corpora cruciari. Ergo in beatis remanere debet in delectationem, vt in omnibus totum corpus sit fœlix; hoc autem fieri nequit, nisi per coniunctionem cum perfectissimis sensibilibus: ergo.

De odoratu nihil certi habetur.

344 Dico 6. De odoratu, an futurus sit sub actu nihil certi habetur, neque aliqua coniectura, & de gustu videtur inuerisimile. Ita communiter omnes cum *Scoto, D. Bonau. & D. Thom. loc. cit.*

Et de gustu est inuerisimile.

345 Prob. 1. pars. Nullus est Scripturæ locus ex quo erui possint actus horum sensuum. Quamuis enim aliqua loca sint, quæ de odore, ac sapore, nec non de voluptatum abundantia loquantur: tamen non possunt in sensu literali accipi, sed mystico, ac tropologico: ergo. Anteced. prob. de odoratu, *Cantic. 1. 3.* de Christo dicitur, *curremus in odorem vnguentorum tuorum*, vbi autem est odor, & accursus ad odorem, est etiam actus odorandi. Sed locus hic intelligitur metaphoricè de sanctitate, & doctrina in via; Interl. enim ait, In fama nominis tui, quod comparatur vnguentis, vel in fide æternorum bonorum, quæ vnguentis sunt comparabilia. Glossa Ord. ait, *In odorem, &c.* in consideratione miraculorum. Ergo non est ad rem.

Multa scrip. loca mystice intelliguntur.

Ex Cant. de odoribus mysticis,

Secundo *in cap. 4. Cant.* de anima electa dicitur, *Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*. Et paulo post. *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Nam Interl. de primo ait, bona fama spiritualium, quæ ex claritate oriuntur, vnde, & Deo placent. Vel opera quæ fiunt per Spiritum sanctum. De secundo, ait Glossa Ordin. *Odor vestim.* Id est fama bonorum operum, quibus vestiuntur, est sicut, thus, quia in omnibus operibus suis orat cum benè operatur cum animo perueniendi ad Deum, &c. ergo ex hoc nihil infertur.

Eccl.

Tertio ex *Ecclesiastici 24. 22. 23. dedi suauitatem, odoris, & balsamum non mixtum odor meus*. Interl. autem dicit, pura, & sincera doctrina, quæ profert odorem virtutum, & spiritualem gratiam infundit mentibus hominum. Ergo non est ibi sermo de materialibus odoribus.

Ex Apocal.

Quarto ex 5. *Apocal. 8. Vigintiquatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum*. Ex quo videtur, quod in cælo adsint odoramenta, & sic actus odorandi, sed, vt videtur, est locutio tropologica. Orationes enim electorum, qui in hac vita sunt assimilantur odoramentis optimis, non quod sint ibi materialia odoramenta.

Ex Ansel. omnia membra habebũt gaudium, & delectationem.

346 Neque per hoc intendimus asserere negatiuam. Sed dicimus hoc esse nobis ignotum, quę *præparauit Deus diligentibus se, nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*. Fatemur tamen cum S. *Anselmo lib. de similit. cap. 57.* quod in illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inestimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit, quid dixi totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, iecur, pulmo, ossa, medullæ, exta etiam ipsa, & cuncta singillatim singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis, & dulcedinis sensu replebuntur, vt certè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, et ab vbertate domus eius inebrietur. Et cum *B. Laur. Iustin. lib. de disciplin. & perf. monast. conuers. cap. 23.* Caro gloria, et honore circumamicta, etc. per omnes sensus suos multis modis exuberabit delicijs. Sed nihil indiuidualiter possumus vltra proferre.

De gustu quod non erit vsus.

347 Prob. secunda pars de gustu. In Patria nullus erit cibi, ac potus vsus, igitur nullus actus gustandi. Anteced. iam remanet, probatum ex *art. 6.* vbi diximus corpus esse futurum spiritale, id est non egens alimentis.

A Christo promittitur cibus, & potus, sed mystice.

348 Prob. 2. Si aliquid vrgeret forte est scripturæ authoritas, quæ cibum, & potum promittit beatis. Sed hæc non obstat; nam intelligenda est spiritualiter: ergo. Probatur min. Primus locus est ex *Luca 22.* desumptus *v. 29. & 30. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, sed hoc spiritualiter intelligitur; nam Interl. Ver. *Edatis*, ait, Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, fruendo, scilicet desiderato olim, & amato gaudio veri boni. & Ver. *Mensam*, inquit, mensa, quæ omnibus sanctis est ad fruendum proposita, est cælestis vitæ gloria. Lyran. explicans hunc locum, ait,

intelligi de duplici Regno, vel Ecclesiæ militantis, vel triumphantis. Si primo modo, mensa, cibus, & potus, est altare cum corpore, & sanguine Christi. Si de triumphante, est gloriæ fruitio, ad quam Apostoli erant prædestinati. Ergo nihil ad rem.

Idem ex Ambros.

349 *S. Ambrosius* explicans *cap. 22. Luc.* de hoc dicto, ait, *Non enim victus, & potus nobis præmij loco spondetur, & honoris, sed communicatio gratiæ cælestis, & vitæ; neque duodecim throni, tamquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis; sed quia secundum diuinam similitudinem indicat Christus cognitione cordium non interrogatione factorum, ita & Apostoli in iudicium spirituale, &c.* hæc *Ambr.* declarans totum illum locum spiritualiter.

Alij script. loca de cibo & potu, sed non ad rem.

350 Secundus locus est ex *Luca* 24. vbi Saluator post resurrectionem legitur manducasse. *At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis, & cum manducasset coram eis sumens reliquias dedit eis.* Et sic videtur non repugnare statui beatorum, quod gustent cibum, aut potum. Sed hoc non est ad rem; nam aliud est, quod ex Dei præcepto, & mysterio aliquo peragendo possint id facere, aliud est, quod debeant in eiusmodi actibus se exercere, ideo Glossa Ord. Ver. *Habitis aliquid*, ait, ad insinuandam veritatem resurrectionis, non solum tangi, sed conuesci voluit, non quod vel ipse, vel nos post resurrectionem cibo debeamus indigere, sed vt corpus non spiritum esse manifestaret; manducauit potestate, non necessitate. Hæc Glossa.

Christus quare comedit post resurre. ctionem.

351 Conf. totum hoc ex *Rom.* 14. 17. *Non est enim Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu Sancto. S. Hieron.* in hunc locum, ait, *Hic manifestè monstratur, quoniam Regnum cælorum cibum, & potum non habet, temporalem, sed illic spiritualiter viuitur.*

Nescimus qui actus sensibiles erunt,

352 Cum ergo de horum sensuum actibus nihil inueniamus dictum, neque à Scriptura, neque à Patribus, satius erit dubitare cum *Augustino lib. 22. de Ciuit. cap 30.* dicente, *Qui motus illic tahum corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo: tamen, & motus, & status, sicut ipsa species dicenti erit, quicunque erit, vbi quod non decebit non erit.* & *sub H.* ait, *hoc perfectè scimus, quando perfectè vacabimus, & perfectè videbimus, quia ipse est Deus.* Qui plura de his sensus actibus desiderat alios Nouantes adeat; ego enim ab antiquitate non recedam, donec Ecclesia, seu Magister in Cathedra Petri sedens, de his aliud me doceat.

## ARTICVLVS IX.

### *An beatitudo corporum futura sit inæqualis.*

Scotimen.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 50. quæst. 6.* ex professo soluit hoc dubium affirmatiuè, saltem de illis dotibus, quæ patiuntur latitudinem secundum magis, & minus, vt sunt agilitas, & claritas.

Sensus clarus.

353 Adu. quæsiti sensum clarum esse. Ratio autem dubitandi est, quia impassibilitas cum sit priuatio non videtur habere latitudinem; item subtilitas, quæ consistit in penetratiua potentia non apparet, quomodo possit esse maior, vel minor. De cæteris autem facilis est resolutio.

Corpus beatitudo inæqualis.

354 Adu. 2. Quod corporum beatitudo non solum ex dotibus, sed ex omni alia delectatione casta corporali, quæ Beatis inerit desumenda est; & proinde ex ijs omnibus attendenda æqualitas, vel inæqualitas. Ideo

Dico. Corporum beatitudo in ijs, quæ patiuntur latitudinem, erit inæqualis; in alijs verò æqualis. Est communis cum *Scoto in cit. quæst. 6. §. Ad tertiam quæst. sub M.*

Ex Script.

355 Prob. 1. pars, ex 1. *Cor.* 15. *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum, stella enim differt à Stella in claritate sic, & resurrectio mortuorum.* Interl. ait etiam ipsa cælestia inter se differunt, & si vnius naturæ, diuersæ sunt claritatis, ita homines in resurrectione. Claritas autem, vt in suo loco dictum est, dos corporis est: ergo.

Ex iustitia Dei præmiatiua.

356 Prob. 2. In cælo, omnibus fiet iusta retributio; ergo nè dum in anima, sed etiam in corpore. Antec. prob. ex *Rom.* 2. *Reddet vnicuique secundum opera eius.* & 2. *ad Tim.* 4. & *Psal.* 61. *Reddes vnicuique secundum opera eius.* Consequ. prob. ex 2. *Cor.* 5. *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Interl. ait, *Plus vel minus.* Ergo, cum in corpore, vel per corpus possit aliquis magis, alius minus mœreri; debet pariter corpus magis minusvè præmiari.

A paritate damnatorū.

357 Prob. 3. Pœnæ damnatorum; nè dum in anima, sed etiam in corpore erunt inæquales. Ergo, & præmia beatorum. Congruum enim, imò, & iustum est, vt sicut qui fuerunt socij passionum, socij sint, & consolationum; sic & qui socij fuerunt maiorum passionum, maiores habeant consolationes: ideoque quo plura in corpore quis passus est, eò in hoc erit alijs gloriosius.

A paritate gloriæ animæ,

358 Conf. à paritate animarum. His enim inæqualis præparata est merces, vt in pro-

proprio loco dictum est, & hoc non ex alio capite, nisi iustitiæ, quia maiora, vel minora habent mærita, sed hæc mærita in corporibus, & cum eis multa congesserunt; ergo cum eis multa mercede potientur.

359 Prob. 4. ex *S. August. lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. C. Cæterum, qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus bonorum, atque gloriarum, quis est idoneus cogitare quanto magis dicere, quod tamen futuri sint, non est ambigendum.* hæc Aug. qui de omni genere præmij, tam animæ, quam corporis, de quibus ante per totum librum fuerat locutus, sermonem facit: ergo.

Impassibilitas erit æqualis.

360 Prob. secunda pars. Impassibilitas in indiuisibili consistit, & importat quid negatiuum, nempè non posse aliquid pati, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, vt in suo loco dictum est. Ergo non potest admittere inæqualitatem, seu magis, & minus. Antec. est per se notum, quia æquè nullus sanctorum pati aliquid poterit. Igitur non datur maior, ac minor impassibilitas.

Subtilitas erit æqualis.

Idem dicendam de subtilitate; consistit enim in indiuisibili. Nam vel potest corpus gloriosum esse cum alio non glorioso in eodem loco, vel non. Si non, caret subtilitate si sic, non datur magis, vel minus posse esse cum non glorioso. Ergo secundum ista duo dari non poterit inæqualitas in corporum beatitudine.

Arg. contr.

Ob. contra 1. partem. Ex *Aug tract. 66. in Ioannem*, omnium erit par gaudium. Ergo æqualis omnium corporum beatitudo.

Par gaudiũ essentiale, sed non par accidentale.

361 Resp. quod alias de beatitudine animæ hoc arg. solutum est, omnium futurum par gaudium essentiale; seu par gaudium obiectiuè, nam de eodem obiecto beatifico omnes habebunt gaudium idem. At de accidentali, & de formali, vel de corporum beatitudine non potest intelligi Augustinus, qui ex disparitate meritorum mensurat disparitatem præmiorum. Ideo, nec par gaudium, nec par delectatio in omnibus de corporum beatitudine.

Ob. 2. Non datur inæqualitas in præcipuis dotibus: ergo multò minus in alijs. Cum non sit maior ratio.

362 Resp. neg. consequ. Quia ille duæ dotes non important qualitatem aliquam positiuam, nec in anima, nec in corpore. Secus se habent aliæ, vt agilitas, quæ est qualitas, seu potentia motiua, aucta, seu perfectior reddita per beatitudinem, sic & claritas, quæ est expressio, seu manifestatio colorum secundum esse perfectissimum, cuius sunt capaces. Non sic se habent impassibilitas, & subtilitas, quæ in negatiuo aliquo consistunt.

Ob. 3. ex *Philipp. 3.* habetur, *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Ergo omnes habebunt claritatem similem claritati Christi. Et sic omnes in hac erunt æquales.

Quomodo gloria corporis erit similis Christi gloriæ.

363 Resp dist. consequens. Omnes habebunt claritatem similem in genere, seu specie, concedo. in individuo, nego. Etenim cum Saluator dicatur, *Speciosus forma præ filijs hominum. Psal 44. Primogenit. tui omni creaturæ Coloss. 1. In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & sic scientiæ Dei Coloss. 2.* Qui summam gratiam summum lumen, & summam possidet gloriam; nullus ei poterit in hac mensura coæquari. Sicut ergo non obstante hac configuratione specifica cum corpore Christi glorioso, restat adhuc differentia gradualis; multò magis esse poterit inter alia corpora ei configuranda iuxta mensuram meritorum.

Ob. 4. Dotes corporum beatorum per Scotum non sunt qualitates positiuæ in ipsomet corpore; ergo non possunt suscipere magis, & minus. Consequ. prob. In qualitatibus tantum reperiri potest gradualis latitudo.

Duplex responsio.

364 Resp. 1. neg. ant. vniuersaliter; nam licet de impassibilitate, & subtilitate, id concedat Scotus, non tamen de claritate, & agilitate. Primam enim immediatè ponit in ipsis coloribus; secundam verò in anima. Vtraque ergo potest esse maior, aut minor.

365 Resp. 2. neg. consequ. Nam sufficit si in aliquibus tantum vnum corpus sit alio glorioſius, maximè si in claritate.

Validũ arg.

Ob. 5. Omnes dotes, & accidentia corporis erunt in vltima perfectione: ergo. Consequ. euidens est; quia si vnum corpus sit alio glorioſius hoc, quod est minus glorioſum non esset in vltima perfectione.

Quomodo dotes corporis erunt in vltima perfectione.

366 Resp. dist. ant. In aliquibus concedo. in omnibus subdistinguo, erunt in vltima perfectione essentiali incorruptibili, ac perpetua, concedo. in vltima etiam accidentali, nego. Non enim omnes summam habebunt claritatem, aut agilitatem. Sed meritis proportionatam. Christi etenim corpus præcellens, ac præfulgidum omnibus est, sic corpus beatæ Virginis post Christi corpus; & ita de alijs dicendum, iuxta meritorum proportionem.

Instabis. Si aderit inæqualitas accidentalis, nequit assignari in quo consistat vltima perfectio essentialis, seu specifica omnibus communis. Ergo omnia corpora sunt æqualiter glorioſa.

Conuenientia, & differentia corporum glorioſorum.

367 Resp. neg. antec. Sicut enim, attenta similitudine Apostoli de Sole, Luna, ac stellis. Ista omnia sydera conueniunt in natura cælesti; & tamen differunt in claritate, & lumine; ita corpora glorioſa conuenient omnia in hoc, quod erunt impassibilia, ac subtilia indiuisibiliter. Conuenient pariter in hoc, quod erunt agilia, id est absque difficultate velocissime nedum organicè, sed inorganicè mouebuntur; hæc est specifica dos; vnum autem velocius alio, hæc est differentia. Item omnium colores

habebunt præfulgentiam, quam in via habere non potuerunt: hæc est essentialis ratio dotis claritatis, & tamen vnius color estò in eadem specie, v. g. albi, sub albi, rufi, &c. luculentius alio fulgebit. Hæc est diuersitas accidentalis.

Argumi de inquietitudine,

Ob. 5. Si admittatur hæc inæqualitas, admitteretur inuidentia, & inquietitudo. Vnus enim videns alterius claritatem maiorem, sicut, & agilitatem, & alia eiusmodi ea appeteret, & quia non haberet inuidus esset, & inquietus. Quod procul à beatitudine arcendum est. Neque potest ad hoc responderi cum paritate gloriæ animæ, quæ inæqualis est, & tamen alter alteri non inuidet; nec maiorem desiderat. Quia disparitas est, quod gloria animæ, aliorum occultari potest, nè videatur; non sic gloria corporis, quæ omnibus euidens, ac patens est.

Omnes erũt quieti, quia de gloria propria contenti,

363 Resp. neg. sequelam, & ad probat. dico, eandem esse rationem de gloria corporis, & animæ: quilibet enim, & in Deo, & in proprio genere videt magis meritum magis præmiari in anima, & corpore, & quilibet gaudet de bono alterius sicut de proprio. Omnes autem de proprio statu sunt contenti; quia appetitus rationalis, seu deliberatiuus moderatur inclinationem naturalem ad summum delectabile. Et sic habetur quies in beatis. Vt optimè docet *Augustin. lib. 22. de Ciuit. cap. 30. C.*

# DISPVTATIO XXII.

## DE AVREOLIS,

## ET ALIIS BEATORVM PRÆMIIS.

### ARTICVLVS I.

### *An detur in Beatis aureola, & quid sit.*

Scotus de hoc non agit,

SCOTVS de hoc puncto non agit, sed de inæqualitate tantum beatitudinis in genere loquitur *in 4. distinct. 50. qu. 5. & 6.* nullam prorsus mentionem faciens de aureola. Tamen

1 Adu. 1. Quod vocabulum hoc *Aureola*, seu *Laureola*, deriuatur à Laurea, & significat triumphalem coronam, vnde *Cicero lib. 2. epist. fam.* qualemcunque triumphum Laureolam appellat, id est rem corona dignam. De corona aureola in scriptura inuenio mentionem fieri in *Exodo cap. 25. 25.* vbi à Deo præscribitur forma tabernaculi, & arcæ construendæ, ait enim, *Facisque, &c. alteram coronam aureolam, & in cap. 30. 3.* de confectione altaris Thimiamatis, Deus id præcipit, *facies quoque ei coronam aureolam*, quod postea executus est Moyses, *Exodi 37. 27. fecitque coronam aureolam, &c.* Ex quibus patet, quod corona aureola, seu laureola, est speciale ornamentum decoris, ac venustatis; & insuper conceditur in præmium pro triumpho ijs qui vicerunt. Inde translata est similitudo laureolæ, quæ à Theologis solet quibusdam præcipuis Athletis electis concedi; qui nempe in arduis, ac difficillimis agonibus in militante Ecclesia decertarunt.

Aureola quid sit.

In Scriptura habetur hoc nomen.

2 Adu. 2. Quod secundum rem aureola aliud non significat in Beatis, quam specialem gloriam, seu accidentale præmium ob singularem victoriam ex alicuius heroicæ, sed præcellentissimæ virtutis exercitio; & licet nomen hoc videatur in Ecclesia nouum, res tamen antiquissima est, & cum Ecclesia incepit.

Aureola est speciale præmium.

3 Adu. 3. Quod præmium essentiale sæpe in Scriptura solet significari nomine coronæ *Psal 20. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* & *Apost. 1. ad Cor. 9. 25. Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam. 2. ad Timot. 4 Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex non solum autem mihi, sed ijs, qui diligunt aduentum eius. Iacobi 1. 12. Beatus vir qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. 1. Petri 5. 4. Cum apparuerit Princeps pastorum percipietis immarcescibilem coronam gloriæ.* & *Apocal. 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et tandem *2. Timot. 2. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* En quomodo beatitudo, seu gloria reddita meritis electorum dicitur corona. At notandum valde est, quod hæc communis corona dicitur aurea, nam *Apocal. 4. 4.* habetur, quod *viginti quatuor Seniores erant sedentes circumamicti stolis albis, & in capitibus suis coronas aureas habebant.* Aurea ergo corona omnibus sanctis, & electis communis est. Aureola verò non sic, sed quibusdam speciali virtute prædictis, vt dicetur in sequenti.

Præmium essentiale in Scriptura nominatur corona.

Sed dicitur corona aurea,

Accidentale verò aureola,

4 Dico 1. In beatitudine præter coronam auream communem omnibus beatis admittenda est etiam aureola. Est communis Ecclesiæ sensus.

Admitti debet aureola.

Prob.

Ex Glossa ja Exod. multis prob.

5 Prob. ex Glossa Ord. *in cap. 25. Exodi*, super illud *facies in labio coronam interrasilem. & super illam alteram coronã aureolam.* quem locum anagogicè declarans Glossa, ait, nec solum ipsi (id est sancti) præmium in cælis laboris accipiunt, sed obtemperantibus sibi eandem vitæ coronam promittunt. Corona verò interrasilis; quia æternum regnum omnibus indifferenter datur, & paulo post, declarans illud, *& super illam, alteram coronam aureolam*, ait Glossa, corona aurea additur, cum his qui mandata custodiunt vita æterna promittitur. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, &c. Vel corona aurea labio mensæ apponitur, cum in scripturis discimus, egredientes de corpore animas in cælis æterna recipere præmia. Huic aureola superponitur, cum in scriptura dicitur, quod ei sublimior gloria in receptione corporum seruetur. hæc Glossa. Igitur præter coronam auream, datur etiam aureola.

6 Conf. ex Glossa Interl. Ver. *Coronam aureolam*, dicente, *In hac figuratur remuneratio eorum, qui in doctoribus excellunt.* ead. Interl. in *cap. 30. 3. Exodi*, iterum explicans Ver. *Coronam aureolam*, ait. Vt sancti pro bonis, quæ se fecisse meminerint præmia præstolentur æterna.

Ex iustitia distributiua arg.

7 Prob. 2. ex 2. *Tim. 2. Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitimè certauerit.* Igitur qui in maiori, & duriore agone certat, maiori aliqua corona est coronandus, id enim exigit distributiua in præmiando iustitia. Certum autem est, quod quilibet viator electus certat in hac vita, quia ex *Iob. 7. Militia est vita hominis super terram.* Certum pariter est, quod præmium in alia vita, quod est gloria, seu beatitudo dicitur corona, eò quia est præmium certantium, & vincentium tentationes, mundum diabolum, omnemque concupiscentiam, ita habetur *Iacobi 1. Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* & 1. *Petri 5. Percipietis coronam immarcescibilem*, *Apocal. 2. Dabo tibi coronam vitæ*, & alia loca, vt in *notab. 3.* Palam autem est, quod agones, & certamina difformia sunt, quis enim neget martyrium præferendum esse domestico certamini confessorum, & ita tribulatio carnis in virginibus, &c. Ergo præter coronam communem, aliquod singulare præmium pro ciusmodi certaminibus est assignandum. Id autem præmium appellatur aureola: ergo.

Ex pluribus Scrip. locis arg.

Ex congruitate.

8 Prob. 3. ex 1. *Cor. 15. Sicut Stella differt à Stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Ergo, cum danda sint præmia accidentalia diuersa, iure optimo admitti debent aureolæ diuersæ.

9 Prob. 4. ex *Psal. 61. Reddet Deus vnicuique iuxta opera sua*, idemque habetur ex *Rom. 2.* & in scriptura sæpe. Sed redditio hæc sit eo prorsus modo, quo militibus strenue certantibus, vnde *in 2. ad Timot. 4. Bonum certamen certaui; cursum consumaui, fidem seruaui in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* Quo ergo grauius est certamen, eo maius præmium certantis, sed certaminis militaris præmium est corona aliqua. Hæc autem dicitur aureola.

Ex Augustin. aliqua corona accidentalis etiam danda.

10 Prob. *5. ex S. Augustin. lib de Sancta Virginit. cap. 14.* dicente, *sed quoniam dimittis remissisque peccatis, adiunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid liberatori voueatur, quod non sit criminis non vouisse, sed vouisse, ac reddidisse sit laudis*, & paulò post id applicat virginitati dicens, quod coniugia faciant, *vt qua Dei sunt minus cogitentur, qua sufficiunt adipiscendæ illi gloriæ, qua non erit omnium quamuis in æterna vita, ac salute manentium.* Ergo pro quibusdam virtutibus datur in cælo specialis gloria; quæ quidem aureola dicitur.

Aureolæ quid sit.

11 Dico 2. Aureola est accidentale præmium, ex operibus quibusdam priuilegiatis à Deo concessum, consistens in gaudio, quod percipitur ob insignem aliquam victoriam per illa opera, principaliter existens in anima, & per redundantiam in corpore. Ita describitur ab omnibus, qui eam concedunt, vt *Riccardo in 4. sent. dist. 49. ar. 5. quæst. 3. S. Th. in 4. dist. 49. quæst. 3. ar. 1. D. Bonau. in 2. sent. dist. 40. par. 2. qu. 3.* in fine, & *in 4. dist. 33. par. 2. quæst. 3.* vbi de aureola virginitatis agit diffusè, hos DD. secuti sunt postea omnes moderni.

A sufficienti argum.

12 Prob. In gloria dantur duo præmia, essentiale, scilicet, & accidentale. Hoc autem secundum distinguitur in aureolam, & fructum. Ergo cum aureola nequeat esse fructus, neque mera intensio visionis, aut fruitionis, dici debet gaudium de opere priuilegiato, quo mediante obtinetur victoria. Min. probatur. Non potest consistere in intensione; nam in Angelis datur maior, & minor beatitudo, non tamen aureola. Sic etiam in confessoribus; quibus tamen aureola non est promissa, nisi Doctores sint. Immò inter ipsosmet martyres, ac ipsasmet virgines, & doctores datur maior, & minor intensio visionis, ac fruitionis; quibus tamen datur eadem aureola. Igitur aureola non consistit in intensione beatitudinis. Neque in fructu; nam fructus secundum aliquos est præmium promissum virtuti continentiæ diuersimodè, sed heroicè exercitæ, vt dicetur postea. Igitur consistit in gaudio illo de opere priuilegiato, quo beatus vicit, & cui promissa est aureola.

Aureola animæ competit præcipuè.

13 Quod autem animæ principaliter competat prob. quia est præmium hominis. Igitur principaliter debet respicere ani-

animam. Et quoniam pars sensitiua in operis exercitio, atque agone multum incommodi passa est, ipsa pariter modo sibi proportionato exultare debet, ac delectari.

Arg. contr. Ob. 1. Præmium hoc aureolæ nullum fundamentum habet in scriptura: ergo non est asserendum. Anteced. prob. Ex scriptura nihil aliud colligitur, quam præmiorum iuxta opera diuersitas; ex hac autem diuersitate, nequit inferri, nisi maior, aut minor fruitio, vel visio: ergo.

Præmiorum diuersitas includit aureolas. 14 Resp. neg. anteced. ad probat. nego consequ. Nam diuersitas præmiorum potest comprehendere eiusmodi aureolas; quæ quidem diuersum constituunt præmium, non omnibus commune, quia neque de eodem obiecto. Neque abre delectatio illa, seu gaudium de victoria aliqua ex duro certamine acquisita dicitur aureola, ad differentiam communis aureæ, seu coronæ; & ideo *Exodi* 25 & 30. figuratè, ac anagogicè, aureola aureæ additur; quia communi coronæ, coronula alia accidentalis gloriæ ex singulare certamine debita est superaddenda.

Ob. 2. Maius, vel minus gaudium, ac delectatio non faciunt diuersitatem specificam; sicut, nec maior, aut minor visio, vel fruitio Dei. Et est commune axioma Phylosophicum, quod magis, & minus non variant speciem: ergo.

Aureola est gaudium de speciali virtutis actu, 15 Resp dist. anteced. Si sint de eodem obiecto, seu motiuo, concedo. si de diuersis, nego. & nego consequ. Quia aureola est gaudium de speciali à Deo priuilegiato opere. Et facile concedo; quod in eadem specie aureolę detur magis, aut minus. At nego quod aureola non sit quid specie diuersũ ab intensione visionis, aut fruitionis.

Ob. 3. Asserta hæc aureola est gaudium de opere heroico exercito cum victoria in certamine. Ergo omnes beati haberent aureolam. Quod non admittitur, cum dicatur, aureolam esse debitam certis personis. Ma. prob. Omnis electus adultus militat in hac vita, ex *Iob.* 7. certat ex 2. *Timot.* 2. est in agone, ex eod. 2. *ad Tim.* 2. & 1. *ad Cor.* 9. Ergo omnis electus haberet gaudium illud de victoria.

Non omne certamen fert secum aureolam. 16 Resp. neg. sequelam, ad probat. dico, omnes electos adultos esse in agone, militare, ac certare in hac vita cum carne mundo, ac dæmone, siue in operibus legis, siue in super erogatione consilij; & pro hoc certamine consequi coronam gloriæ, præmium nempe essentiale, ex quo etiam oritur gaudium, ac delectatio de suis heroicis operibus. At placuit Deo aliquibus operibus statuere gaudium aliud ab ijs diuersum, & hoc solum, non illa, dicitur aureola.

Ob. 4. Si daretur hoc præmium dictum aureola, deberet etiam Angelis concedi. Sed hoc est falsum: ergo. Sequela prob. Nam etiam ipsi pugnarunt in tentatione Luciferi, & vicerunt, ex *Apocal.* 12. *Factum est prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum draconi, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non prævaluerunt, &c.* Min. prob Nam Angeli omnia habent communia, ex *D. Greg. hom.* 34. *in Euang.*

Angelis quare non debetur aureola, & quare. 17 Resp. neg. sequelam, ad probat. Dico, quod licet Angeli restiterint tentationi, & hæc resistentia fuerit in eis meritum, quia victoria, non tamen omnis resistentia, quæ fit in tentationibus, est illa victoria cui debetur aureola; sed potius illa, cui debetur communis corona; id autem, quod adducitur de Apocal. non videtur ad rem; quia in primis Ioannes prædicit futura. Casus luciferi erat iam præteritus. Secundo, quia Glossæ, ibi per cælum intelligunt Ecclesiam protegendam à Michaele Archangelo, in tribulationibus.

## ARTICVLVS II.

### *Quotuplex est aureola, & quibus Personis competat.*

Ex diuersis pugnis dari potest aureola. 18 A Du. Quod cum aureola ex dictis sit corona debita alicui ex victoria; ex diuersis pugnæ ac victoriæ speciebus desumi potest aureolarum multiplicitas. Ideo sicut tres hostium species experitur homo, nempè, carnis, mundi, ac diaboli; tres videntur assignandæ victoriarum species, & proinde tres aureolæ, nimirum virginitatis pro victoria contra carnem; Martyrij pro victoria contra mundum; & doctrinæ pro victoria contra diabolum decipientem in fide, ac religione. Alij ex *S. Bonau.* mox citando assignant sufficientiam triplicis aureolæ ex triplici virtute, seu potentia existente in anima, nimirum rationali, concupiscibili, & irascibili, nam per primam doctrina fidei propagatur; per secundam mors propter Christum substinetur. Per tertiam delectationes carnales superantur. His stantibus

Virginibus debetur aureola. 19 Dico 1. Virginibus competit aureola virginitatis. Est *Ricardi in 4. sent. dist.* 49. *ar.* 5. *quæst.* 4. *D. Bonau. in 4. dist.* 33. *par.* 2. *quæst.* 3. & *D. Th. in 4. dist.* 49. *quæst.* 5. *ar.* 3. & modo communis.

20 Prob. 1. Aureola debetur certanti in maxima, ac difficili pugna. Sed virgines magnam, & difficillimam continuè experiuntur pugnam, & in ea vincunt. Ergo eis debetur aureola.

Ex Glossa in Exod. 21 Prob. 2. *Exodi* 25. vbi dicitur, *facies alteram coronam aureolam*, Glossa Ord. ait, ad hanc coronam pertinet canticum nouum, quod virgines tantum coram agno concinunt, & qui sequuntur agnum quocunque ierit. Ergo ipsi debetur aureola.

Prob. 3.

Ex Gloſſa in 56.

22 Prob. 3. *Iſaiæ 56.* vbi ſic dicitur, *Hæc dicit Dominus Eunuchis; qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs; & filiabus.* Gloſſa Interlin. dicit de ſeruantibus continentiam hoc intelligi, & Ver. *Nomen melius* ait, excellentius, quam ſi filios, & filias generaſſent.

Ex Cypr.

23 Prob. 4. ex *S. Cypriano de habitu virg.* vbi ſic de virginitate loquitur. Flos eſt ille Eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritualis, læta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Gaudet per illos, atque in illis largiter floret Eccleſiæ matris glorioſa fœcunditas. Quantoque plus glorioſa virginitas numero ſuo addit, gaudium matris augeſcit. hæc *Cypr.* & conſ. ex eod. in ſeq. concl. ergo huic tam ſublimi virtuti debetur propria aureola.

Ex Ambroſ.

24 Prob. 5. ex *Ambroſio lib. 1. de virginibus*, poſt initium. *Nè velati tranſitu quodam perſtricta videatur, quæ principalis eſt virtus; non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, ſed quia ipſa martyres faciat; quis autem humano eam poſſit ingenio comprehendere, quam nec natura ſuis inclauſit legibus; aut quis naturali voce complecti, quod ſupra vſum naturæ ſit, &c.* Ergo principaliſſimæ huic, & maximis difficultatibus implicatæ virtuti, aureola debetur.

Ex Hieron.

25 Prob. 6. ex *S. Hier. in 1. Cor. 7.* vbi declarans illud *Apoſt. volo autem omnes vos eſſe, ſicut meipſum*, ait, noui enim quanta caſtitas mercede penſetur, & in *lib. adu. Iouin.* iſtud idem dictum Apoſt. explicans dicit, *Conſidera, quod aliud donum virginitatis ſit, aliud nuptiarum, nec ambarum eſt eadem merces.* & poſtea adducens illud *Matt. 19. Sunt Eunuchi, &c.* ait, *proponit præmium, inuitat ad curſum, tenet in manu virginitatis brauium, oſtendit petiſſimum ſantum, & clamitat qui ſitit veniat ad me, & bibat, qui poteſt capere capiat, &c.* & poſt aliqua, *Nuptiæ finiuntur in morte; virginitas poſt mortem incipit coronari.* Ergo virginibus debetur aureola.

Ex ſcript.

Idem Hier.

Et in *cap. 56. Iſaiæ* à nobis adducto, *dabo Eunuchis, &c.* prolixè diſcutiens virginum laudes, & talem Eunuchum ait fuiſſe Ioannem, qui recubuit ſupra pectus Domini; & de his ait ſe excepturos in Eccleſia Domini locum optimum.

Ex Auguſt.

26 Prob. 7. ex *Auguſt. lib. de virg. c. 13.* dicente profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne. & in *cap. 14.* allato in præced. ait poſt remiſſa, vel deuitata peccata *adeunda eſt vita æterna, in qua eſt quædam egregia gloria, non omnibus in æternum viſuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda.* & poſt aliqua id applicans virginitati dicit, coniugia faciunt, *vt non cogitentur, quæ ſufficiunt adipiſcendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium, quamuis in æterna vita, ac ſalute manentium. Stella enim differt à ſtella in gloria, ſic & reſurrectio mortuorum.* in *cap. 27.* ait, vos affertis ad nuptias agni canticum nouum, quod cantabitis cytharis veſtris, non vtique tale, quale cantat vniuerſa terra, ſed quale nemo poterit dicere niſi vos, & tandem in *cap. 31.* inquit, *perpetuæ continentiæ profeſſores ſe coniugatis comparantes ſecundum ſcripturas comperire infra eſſe, & opere, & mercede, & voto, & præmio.* Igitur ex *S. Aug.* virginibus debetur merces magna, præmium magnum, & aliquid magnum; quod quidem aliud nequit eſſe, niſi hæc aureola virginitatis, gaudium nempe excellens de tam præcellenti virtute, ac pugna.

Idem Aug.

Magna merces virginibus debita.

Auguſt. ſpeciale gaudium concedit virginibus.

27 Conſ. ex eod. *Auguſt. lib. de S. Virginitate cap. 27.* dicente, *gaudium virginum Chriſti eſſe de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, propter Chriſtum. Gaudia propria Virginum Chriſti, non ſunt eadem non virginum, quamuis Chriſti. Nam ſunt alijs alia, ſed nullis talia.* Ergo ſpeciale gaudium eſt virginum, & ſic ſpecialis aureola.

Martyres habent aureolam.

28 Dico 2. Martyribus debetur aureola. Eſt eorundem DD. locis citatis in prima.

Ex S. Script. Speciale præmium debetur martyrio.

29 Prob. 1. ex *Matt. 5. Beati eſtis cum vtale dixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me. Gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo.* Interl. ait, quia tantò merces vberior, quantò gaudio, & exultatione fides erit deuotior. Gloſſa Ordin. de hac perſecutione ait, in prædictis ſeptem eſt perfectio; in octaua perfectionis oſtenſio, & probatio. Igitur martyrio debetur præmium ſpeciale, & corona glorioſior.

Exemplo coronarum è cælo oſtenſarum martyribus.

30 Prob. 2. Aureola debetur victori triumphanti poſt certamen. Sed martyres certant, & de tyramnis, ac mundo triumphant: ergo. Imò Patres aliqui explicantes illud *Pauli 2. Timot. 4. Repoſita eſt corona iuſtitiæ, &c. Tertull. in Scorpiaco cap. 13.* ait, corona paſſionis: Vnde quadraginta illis martyribus, qui apud Sebaſtem Armeniæ ſub Licinio frigidiſſimo tempore in rigens ſtagnum immiſſis coronas triginta nouem è cælo miſſas obſeruauit carcerum Ianitor, *&c.* Hinc *Cyprian. lib. 4. ep. 6.* præmium eſſentiale à martyrij corona ſecernit, ideo de infantibus, ait, *ætas nec dum habilis ad pugnam idonea extitit ad coronam.* & poſt multa, de martyrio inquit, *Ecce agon ſimilis, & magnus, & corona cæleſtis præmio glorioſus, quanta eſt gloriæ dignitas, quanta felicitas præſide Deo congredi, & Chriſto iudice coronari.* Idem in lib. 2.

Cyprianus aliud præmium decernit martyri.

*lib. 2. ep. 6. Certent nunc charissimi singuli ad utrosque honores amplissimos accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas; vel de passione purpureas. In cælestibus castris, pax & otium habent flores suos, quibus milites Christi coronantur.* Hæc autem corona non potest esse communis illi aureæ, quæ omnibus electis promittitur, de qua Psalmista *Psal. 24. Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso*; alioquin nullus saluaretur sine martyrio. Ergo est singularis, & specialis corona, reddita certantibus cum mundi Tyrannis.

Ex Athanas.

31 Prob. ex *S. Athanasio in Apol. 1. de fuga*, vbi exaltans laudes martyrij, etiam ijs, qui in fuga moriuntur paratam dicit coronam. *Qui in fuga moriuntur, non in gloriy moriuntur; nam & hi quoque martyrij aduersam consequuntur.* Ergo multò magis martyribus in agone corona est debita.

Ex August.

32 Prob. ex *S. August. lib de S. Virgin. cap. 46.* sic habente. *Nemo quantum puto ausus fuit præferre virginitatem martyrio.* Ergo cum virginitati debeatur aureola, multo magis martyrio.

33 Conf. ex eod. *epist. 180. Si Dominus nobis imperauit fugam in eis persecutionibus; vbi potest esse fructus martyrij, quanto magis, &c.* Ergo martyrio aliquid aliud debetur diuersum à communi præmio.

Ex Ambros. Nobilissima corona debetur martyri.

34 Prob. ex *S. Ambr. in cap. 6. Lucæ*, vbi declarans illud, *Beati eum vos oderint homines, &c.* præ cæteris ait, *vsque ad finem te ducit, vsque ad martyrium prosequitur, ibi constituit beatitudinum palmam.* & paucis interiectis, numerans omnes alias beatitudines, ait, *Qui autem patitur persecutionem in vltimo certamine constitutus probatur aduersis, vt cum legitimè certauerit coronetur. Hos quidem gradus volunt esse virtutum, per quos ab vltimis, sed superiora possimus ascendere. Denique sicut incrementa virtutum, ita sunt incrementa præmiorum.* Ergo corona martyrij est nobilissima inter omnes, & sic est ab aliis nedum essentiali communi, sed etiam accidentalibus diuersa.

Idem Ambr.

35 Conf. ex eodem in *cap. 22. Lucæ*, vbi declarans verba illa, *quando misi vos sine sacculo, etc. duo gladij hic, &c.* habet. *Est etiam gladius passionis, vt exuas corpus, & immolata carnis exuuijs ematur tibi sacri corona martyrij, quod ex benedictionibus Dominicis colligere potes, qui summam omnium coronam, si quis persecutionem patiatur pro iustitia prædicauit.* Ergo nobilissima, & prætiosissima est corona, quæ martyribus est reseruata. Et merito, nam ex *Io. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Ex Glossa.

36 Prob. ex Glossa Interl. in *cap. 6. Lucæ*, in ea verba. *Beati eritis cum vos oderint homines, &c. Gaudete, & exultate; ecce enim merces vestra multa est in cælo*, vbi Interl. ait, multa patientibus in terris multa merces erit in cælis. Ergo martyres, quia omnium maximè patiuntur, speciali mercede, & corona decorabuntur.

37 Prob. tandem ex modo loquendi Ecclesiæ, & Patrum de martyribus defunctis, eos enim martyrij corona donatos prædicant: ergo.

Doctoribus competit aureola.

38 Dico 3. Doctoribus Ecclesiæ competit peculiaris aureola, est communis cum eisdem DD. vbi supra.

Ex Glossa, Ex Hieron.

39 Prob. 1. ex *Danielis 12.* vbi prædicitur resurrectio mortuorum, & præmiorum distributio, sic, *Et multi* (ait Interl. *omnes, de his qui dormiunt in terræ pulueri euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ecce singulare Doctorum præmium, & propria aureola. Interl. Ver. *Qui docti fuerint*, ait, Magistri aliorum non modo prædicando, sed scriptis confirmando. Glossa Ord. quæ est *Hieron. cap. 12. Dan.* ait. Vulgata editio ita, & intelligentes fulgebunt, quasi splendor firmamenti. Deinde sequitur; secundum Theodotionem tantum interest inter eruditam sanctitatem, & sanctam rusticitatem, quantum distant cælum, & stellæ, qui doctis similitudinem cæli, iustis absque doctrina Stellarum fulgorem tribuit singularum. Ergo singularis aureola Doctoribus, ac Magistris est præparata.

Ex vet. teſt.

40 Prob. 2. ex *Prou. 4. Posside sapientiam; arripe illam, & exaltabit te glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus, dabit capiti tuo augumenta gratiarum, & corona inclita protget te.* Interl. Ver. Corona inclita, ait, vitæ æternæ in futuro. Glossa Ord. *Hieronymi in Prou. cap. 4.* Ver. *Dabit capiti*, ait. Nostro capiti, si sapientiam amplectimur, amplior gratia spiritus augetur, & corona insuper vitæ in futuro dabitur. Ergo Doctoribus, ac Magistris alios dicto, vel scripto in Dei doctrina, ac disciplina erudientibus inclita corona est præparata; quæ iure merito aureola dici debet. Et *Hier.* cuius est Glossa, sic prosequitur in *cap. 4. Prou. de qua corona Paulus; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die.* Quasi dicat Paulus pro merito doctrinæ, & prædicationis Euangelij esset specialiter coronandus.

Interlin.

41 Prob. 3. ex Interl. *in cap. 25. Exodi 25. Facies super illam alteram coronam auream*, sic dicente. In hac significatur remuneratio eorum, qui in Doctoribus excellunt: ergo.

Ex Ambros.

42 Prob. 4. ex *S. Ambr. in orat. de fide Resurrect.* in fine sic habente. *Sponsa cælestis deducitur videre thalamos ornatos byssino, rosis, liliis, & coronis. Sic enim ornantur nuptiæ confessorum labore martyrum sanguine liliis virginum, coronis etiam sacerdotum, sacerdotes enim, siue Episcopi, & Antistites Eccle.*

*Ecclesia Doctores esse, quis nescit?* Ergo Doctores Ecclesiam docentes scripto, vel dicto, corona peculiari accidentalis gloriæ erunt redimiti.

Ex Hieron. 43 Prob. 5. ex *S. Hieron. in epist. ad Paulinum, Daniel in fine sacratissimæ visionis iustos ait fulgere, sicut Stellas, & intelligentes, hoc est doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distant iusta rusticitas, & docta iustitia? alij Stellis, alij cælo comparantur.* Ergo Doctoribus, seu Magistris Ecclesiam docentibus fulgentissima reseruata est corona.

Ex Glossa in ep. ad Eph. 44 Prob. 6. ex Glossa Ord. in *epist. ad Ephes.* 1. Ver. *Vt sciatis, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos*, sic habente, quodam incrementum gloriæ habebunt summi Doctores, vltra illud, quod communiter omnes habebunt. Habebunt enim omnes eumdem denarium, sed differt Stella à stella in claritate, & erunt diuersæ mansiones in domo Patris. Et inter alios clarius fulgentes Apostoli altius sedebunt. Vnde in tabernaculo Domini super mensam facta est corona interrasilis alta quatuor digitis operiens totam mensam, & super eam altera corona aureola. Et postquam dixit per coronam interrasilem intelligi coronam communem omnium electorum, ait, *Corona aureola super illam est perfectio remunerationis eorum, qui in Doctoribus excelluut.* Hæc Glossa.

45 Prob 7. ex Glossa Ord. in *cap. 8. Cant.* Ver. *Vinea fuit pacifico tradidit eam custodibus*, dicente, ostendit quantam curam habeat de hac vinea; & quid singularis præmij Doctoribus disponat. Ergo est eis præparata singularis aureola.

Arg. à ratione. 46 Prob. 8. Doctores Ecclesiæ ex officio, non minus pugnant contra diabolum seductorem hominum, quam martyres contra mundum, eiusque tyrannos, cum per prædicationem, ac doctrinam Ecclesiam erudiunt, falsas diaboli doctrinas impugnantes. Ergo non minus illis, quam martyribus reseruatur aureola. Anteced. prob. ex *S. Cypriano in epist. ad Moysen, & alios Confessores*, sic dicente, *Aliud gloria vestra sublimis gradus, ecce iterum cum confessione geminatus promerendi Dei titulus, stare firmo gradu, & in hac acie, qua Euangelium coronatur irrumpere, & præceptis Domini subruendis manus impias inferentes, fidei robore submouere, præbuisse ante initia virtutum, nunc & morum magisteria præbere.* Ergo certamen Doctorum in docenda, ac propugnanda fide comparatur à Cypriano cum ipsomet martyrio, quod subeunt Doctores ipsi pro eiusdem confessione fidei.

Inter aureolas datur inæqualitas. 47 Dico tandem. Nè dum inter tres iam dictas aureolas admittenda videtur diuersitas; sed etiam sub vnaquaque earum gradualis, seu accidentalis differentia.

48 Prob. prima pars. Martyrij aureola dignior est alijs. Sic & aureola virginitatis, aureola doctoratus: ergo. Anteced. prob. ex *S. Augustin. qui lib. de S. Virginitate*, licet per 56. capita dignitatem præclaræ huius virturis summis laudibus extollat, tamen in *cap. 46.* sic habet, *Nemo quantùm puto ausus fuerit virginitatem præferre martyrio.* Et iure merito, nam martyrium, est euidentius charitatis supernaturalis indicium teste Christo *Ioan 15. Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, hinc est quod ad commendandam summam in nos Charitatem Saluator pro nobis mortuus est, *Propter nimiam charitatem qua dilexit nos Deus tradidit se ipsum pro nobis ad Ephes. 2.*

Aureola martyrij excedit alias.

49 De aureola Virginitatis præferenda alteri, probatur, nam ex *Ambr.* supra allato, non ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur, sed quia ipsa martyres efficiat. Imò, vt mox patuit ex Augustino non videtur quidem præferenda martyrio, sed non proinde multum postponenda, & *Ambr. in exhortat. ad Virg.* explicans illud *Isaiæ 56.* de Eunuchis ait, *Virgines habent in cælo præmia cæteris præstantiora*: ergo.

Aureola virginum est secunda.

50 Prob. secunda pars. In eiusmodi priuilegiatis operibus, ac certaminibus, datur, vt patens est maior minorue pugna, maior minorue passio; maior minorue labor: ergo & aureolæ in eodem genere erunt magis minusue gloriosæ. Alias non seruaretur distributiua præmiorum Iustitia. Anteced. prob. Nam inter virgines aliquæ alijs graviores, ac diuturniores passiones, & molestias carnis superarunt. Inter Martyres, alij alijs duriores, ac productiores cruciatus sunt perpessi. Inter Doctores, alij alijs graviores labores in Euangelicæ doctrinæ propagatione subierunt. Deus autem nihil relinquet irremuneratum: ergo.

In eodem genere aureolarum datur diuersitas accidentalis.

Ob. contra 1. Si aureola ratione certaminis debetur virginibus: Ergo multò magis viduis. Sed nullus concedit viduis aureolam. Ergo nec virginibus. Sequela maioris probatur. Nam fortiores tentationes patitur vidua, quam virgo, vnde *Hieron. in epist. ad Geruntiam*, exaltans viduas continentes, ait, *quantò maior est difficultas à voluptatis illecebris abstinere tantò maius est præmium.* Sed maior est difficultas viduarum, quæ habitu, carnis illecebris erant assuetæ, quam sit virginum, quæ eas non degustarunt: ergo.

Arg. contr. 1

Vidua maiores habet tentationes, quam virgo.

51 Resp. neg. sequelam, ad probat. resp. 1. neg. assumptum, viduæ enim licet carnis concupiscentijs sint assuetæ, incommoda tamen concomitantia sunt expertæ, & ideo non tanta auiditate eas appetunt, quanta virgines, quæ longe maiorem in eis iudicant delectationem, ac proinde earum sensus effrenius ad eas est propensus. Et sic pugna crudelior.

Viduæ non tanta auiditate carnis illecebras appetunt, & quare.

Resp. 2. Non quamlibet cum carne pugnam aureola coronandam, sed pugnam incorruptarum, quæ quidem hosti numquam cessit, aut manus dedit. Verum quidem est, quod viduis accidentale quodam præmium reseruatur, quod fructus dicitur, vt infra.

Ob 2. Si status innocentiæ permansisset, virginitati non fuisset concessa aureola. Ergo neque nunc. Consequ. prob. Eadem enim est virtus, quæ tunc fuisset. Anteced. prob. Ea virginitas à natura prouenisset. Imo etiam nunc est naturæ congenita. Igitur non est, nec laude, nec vituperio digna, Et consequenter non meritoria, seu præmiabilis.

52 Resp. neg. consequ. & probat. Eatenus enim nunc est laudabilis, ac virtus, quia concupiscentiæ stimulis agitata. Ad illud, quod dicitur de virginitate à natura, dico omnes à natura produci virgines, sed non omnes per naturam sic conseruari, sed arte, & Dei auxilio, & propterea illa virtutis conseruatio est præmiabilis: non productio, quę physica est, ac naturalis.

Virginitas quare nunc est actus virtutis, non vero in statu innocentiæ.

Ob. 3. Si virginibus deberetur aureola, etiam Eunuchis, & frigidis, qui coinquinari non possunt, esset redenda; sed hoc est falsum. Sequela prob. quia illi etiam sunt virgines. Min. prob. Eunuchi, & frigidi sunt virgines ex necessitate, non ex voluntate. Meritum autem in voluntate consistit; & præmium operi voluntario correspondet.

Arg. de Eunuchis.

53 Resp. dist. sequelam. Si Eunuchi, & frigidi voluntariè ferunt se tales esse. & nullo modo apperunt habere membra ad opera carnis necessaria, concedo eis deberi aureolam virginitatis. Si è contra dolent ea membra non habere, vt opera carnis exerceant, nego. Sic etiam distinguenda est minor. Estò enim à natura, ab arte, vel ab inimicis aliquis sit castratus, vel omnino abscissus, si mente abhorrent copulari etiam si possent, & hoc propter Deum, aureolam mærentur; incorrupti enim, & physicè, & moraliter sunt. Hinc est quod *Isaiæ* 56. Eunuchis promittitur *nomen melius à filijs, & filiabus*. Lyr. enim in *cap.* 19. *Matth.* explicans illud, *sunt Eunuchi, qui sic de matris vtero nati sunt*, ait, continentia, quæ est ex naturali frigiditate contracta à parentibus, vel à priuatione membrorum genitalium, non est laudabilis, nisi in quantum per voluntatem acceptatur. Et propterea ait postea Saluator, *Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, id est voluntariè continentes. Virgines ergo si potentes sunt exercere opera carnis, & ab ijs propter Deum abstinent, vel si Eunuchi à natura, vel violentia facti sunt, & hoc, nè dum acceptant; sed quoties de possibilitate operum carnis cogitant, adhuc respuunt, aureolam virginitatis merentur.

Eunuchis, & frigidis voluntarijs aureola an debeatur.

Ex Glossa.

Ob 4. Si virginitati deberetur aureola, maximè beatæ virgini esset concedenda. Sed hoc non potest admitti; quia ipsa cum non fuerit carnis stimulis subiecta, numquam certauit, aut victoriam de carne reportauit.

54 Resp. de beata Virgine in sequenti esse disputandum. Quamuis enim carnis concupiscentias, vtpote ab originali præseruata, & dono gratiæ ab instanti primo suæ animationis præuenta, & in ea confirmata, ita vt ab omni, & mortali, & veniali culpa fuerit immunis; tamen aureola virginitatis donatur; quoniam estò non à carne tamen à diabolo supponitur tentata, sed victrix perpetua euasit.

Cur B. Virgini debetur aureola.

Ob. 5. *S. Augustin. lib. de bono coniug. c.* 21. in fine, docet quod *non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullæ expertus est nuptiæ, & in Abraham, qui filios genuit*, ergo si coniugio non datur aureola, neque virginitati.

Validè arg.

55 Resp. *Augustin.* intelligi de merito respectu præmij essentialis contra eos, qui nuptias damnabant, nam ante relata verba dixerat, *non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Ioanne, qui passus nõ est.* & post relata verba subdit, *Ipsius enim celibatus, & illius connubium pro temporum distributione Christo militauerunt, sed continentiã Ioannes in opere, Abraham verò in solo habitu habebat.* Estò ergo vtrumque fuerit Deo gratum, & ad vitam conducens negari tamen non potest, cælibatum Ioannis fuisse opus heroicum, & maximè laudabile sicut virginitas dignior, & sanctior connubio est asserenda, ex eodem *Augustino lib. cit. de bono coniug cap.* 8. *A. & cap.* 9. *B. cap.* 22. *C.* 23. *&* 25. diffuse imò in *cap.* 10. ait, melius esset si omnes continerent, quia sic citius impleretur ciuitas Dei. Idem postea de excellentia virginitatis supra coniugium docet in *lib. de sancta Virginitate cap.* 7. 11. 13. 14. 18. 19. 20. *&* 21. & in *cap.* 24. dicit, virginibus in cælo gloriam specialem correspondere. Idem docuit *Ambr. ad Syricium Papam*, & habetur in *cap. Nuptiæ terram* 32. *quæst.* 1. & ideo eam sibi elegit Christus. Idem confirmauit *Concil. Trident. sess.* 24 *can.* 10. & omnes ex 1. *Cor.* 7. acceperunt, ait enim *qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit.*

Quomodo cælibatus Ioannis dicatur paris meriti cum matrimonio Abrahami.

Inflab. Si aureola virginibus conceditur, sequitur quod etiam inuitè stupratis esset danda. Sed hoc est falsum, quia ex *cap. Illa autem* 32. *quæst.* 5. Eiusmodi coactæ violatæ non sunt comparandæ ijs, quæ nullo modo virginitatem amiserunt.

56 Resp. absque præiudicio aliter sentientium neg. min. Existimo enim, quod inuitè violata, si neque consequenter consensit, aureola est donanda; nam coacta corruptio carnis non polluit si maneat virginitas mentis, ex 32. *quæst.* 5. *cap. Re vera*

Inuitè stupratæ mærentur aureolam.

*cap.*

*cap. Ita me aliquam, cap. Propositi, cap. Non fidelibus, cap. De Pudicitia cap Ad Deum, cap. Non potest, & alij* ibi. & *S. Augustin. lib. 1. de Civit. Dei cap. 16. & 18* docet, *Virginem per vim stupratam, pudicitiam non amittere, licet pudorem incurrat, & voluptatem inuitè sentiat*: Hinc sanctæ Virgines deridebant Tyrannos de stupro coacto eas minitantes, vnde Lucia dicebat; *si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*.

Aureola virginitatis sub his verbis non reperitur promissum, sed sub alijs.

Ob. 6. Non reperitur in Scriptura, vel Patribus. fuisse aliquando aureolam promissam virginibus: ergo.

57 Resp. non reperiri sub his explicitis verbis: patuit tamen, quod singulare præmium, seu singularis gloria sit eis præparata. Nihil autem prohibet, eam appellare aureolam.

Arg contr. 2

Ob. contra secundam. Aureola non debetur operibus solius consilij, ergo multò minus operi necessitatis, quale est martyrium. Anteced. prob. Nullius id concedit, quod v. g. paupertati voluntariæ, obedientiæ perpetuæ, & continentiæ etiam post corruptionem debita sit aureola. alioquin omni religioso esset debita. Consequ. prob. Opus necessitatis estò conducat ad salutem, tamen non mæretur aliquod præmium accidentale, ficut opera supererogationis. Quilibet autem tenetur exponere se morti pro tuenda fide, ergo est opus necessitatis mori pro illa.

Martyrium licet sit opus necessarium tamen dignum præmio.

58 Resp. neg. consequ. ad probat. Dico, mortem oppetere pro fide, licet in casu persecutionis Tyrannicæ sit necessarium ad salutem, qui enim cogitur negare, debet potius mortem substinere, quam fidem negare; at non per hoc dicitur opus necessarium ad salutem. alioquin omnes homines tenerentur pati martyrium, vt saluentur. Dicitur ergo necessarium in casu. Et hoc modo etiam virginitas dicitur necessaria; quæ enim virgines Deo dicarunt virginitatem, in casu oppressionis tenentur potius mortem substinere, quam consentire, vt de tot virginibus compertum est, & tamen virginitas non est quid absolutè necessarium ad salutem, sed in casu, ideo neg. consequ. Nam aureola non operi supererogationis, sed singularibus quibusdam virtutibus est promissa, vt virginitati, martyrio, ac doctrinæ.

Martyrium non absolute necessarium, sed in casu,

Ob. 1. Vel aureola debetur martyrio consumato, vel etiam inchoato. Neutrum potest dici: ergo. Minor prob. Non primum; quia estò voluntarie martyr subeat martyrium; mors tamen est violenta, hæc autem violentia non videtur speciali præmio remuneranda. Neque secundum; tum quia martyr dici non potest, qui in agone non moritur; tum etiam, quia innumeri essent censendi martyres, qui, scilicet sola voluntate, ac desiderio patiendi pro Christo essent contenti.

59 Resp. vtrique competere. Vtrumque enim verum martyrium est, si pro Christo cum fidei perseverantia substineatur. Ratio autem est, quia *Martyr* Græcè idem sonat, quod Latinè *testis*, ex *Aug. in Psal 118. octonione 9.* Et licet olim confessores etiam dicebantur testes, quia Christi Euangelium prædicabant, tamen peculiari vsurpatione vocabulum hoc ijs testibus est applicatum, qui pro eiusdem Euangelij prædicatione mortem oppetebant, vel contra illos media ad eam inferendam à persecutoribus applicabantur, sed tamen ex aliquo casu tunc mors non sequebatur. Et ideo *S. Cyprianus ep. 16.* Mosem, & maximum, & alios pro fide cruciatos tortos atque afflictos estò citra mortem, martyres appellat, idemque confirmat in *epist. 30. Chrysost. orat de S. Eustasio*, appellat eum martyrem, licet pro Christo passus non fuerit mortem; sed solum à patria relegatus, assignans pro ratione, quia non voluntas martyrio, sed voluntati martyrium defuit. *S. Augustin. in Psal. 127. ver. 4.* Fœlicem appellat martyrem, licet hic antè cruciatus in carcere pro Christo inclusus vitam ibi finierit. Hinc Ecclesia, vt martyres colit multos præcipuè Marcellum, & Ioannem primum, Siluerium, Martinum primum, & Pontianum, qui in ærumnis, & necessitatibus non gladio, alioue tormento mortui sunt. Illi ergo, qui, vel in ipsis tormentis, mortui sunt, vel ex vulnere in eis accepto post aliquod tempus decesserunt, vt de sancta Cæcilia, & alijs, vel in ærumnis, carceribus, alijsue similibus afflictionibus absque ferro, igne, &c. Vitam pro Christo finiuerunt, martyres sunt, & aureola digni.

Marty. quid significet.

Etiã morte non secuta quis martyr dictus,

Voluntas inefficax martyrij non facit martyrẽ.

60 Ad illud autem de voluntate martyrij, dicendum est, quod si est inefficax, non facit nec re, nec nomine martyrem. Si verò efficax, vtique; est autem efficax, quando vel in tormentis ob fidem mortui sunt, vel alijs afflictionibus, vt carceris exilij, &c. pro fide perpessis; videndi sunt *Cyprianus epist. cit. & ep. 37. & lib. de Exhortat. in art. cap. 12. Synodica epistola Concilij Africani ad Cornelium*, quæ est *ep. 54. Cypriani. Athanas. in Apol. de fuga sua*. Quæ de martyrij speciebus innuimus pro nunc sufficiant; multa enim, de causa præsertim martyrij essent dicenda; nam scilicet sola fides, an alæ virtutes possint martyrium specificare, quæ in alio nostro opusculo Deo duce discutiemus.

Arg contr. 3

Ob. contra 3. Docere non spectat ad virtutem aliquam. Ergo non videtur Doctoribus aureola specialis assignanda. Anteced. prob. Non enim ad virtutes infusas, neque ad morales, vt ex harum actibus potest concludi.

61 Resp. neg. antec. ad probat. Dico ad charitatem, & eius filiam misericordiam spectare. Ideo inter misericordiæ opera

actus docendi connumeratur. Docere ergo doctrinam fidei, & salutis, est opus ad eo excellens, vt ad Deum placandum hoc onus subire promiserit Dauid *Psal.* 50. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Et hoc præcipuum munus Saluator ascensurus ad Cælum Apostolis imposuerit, *Matth. vlt. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes, &c.* docentes *eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Hinc tertium locum in Ecclesia tenent Doctores, ex 1. *Cor.* 12. 28. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores.* Quoniam autem hoc est maximè necessarium pro fidei dilatatione, ac conseruatione, voluit Deus speciali præmio eiusmodi laborem coronare.

Docendi onus maxime Deo placet.

Ob. 2. Non videtur hoc præmium ex Scriptura colligi: ergo.

61 Resp. neg. anteced. patuit enim in probationibus à Scriptura id concludi. Adde, quod Saluator *Matth.* 5. 19. ait, *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum; qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cælorum*, ex quo patet, quod docere alios, singulare præmium magni in regno cælorum habet adiunctum.

Docere alios habet singulare præmium.

Ob. 3. Aureola est præmium pugnæ: sed non apparet in quo pugnet Doctor, vel cum quo: ergo. Maior fuit sæpè probata, ex 2. *Timoth.* 2. *Non coronabitur, nisi, qui legitimè certauerit.*

63 Resp. neg. min. Docens enim alios veritatem doctrinæ ad salutem necessariæ pugnat cum diabolo quærente seducere homines, & à fidei doctrina auertere, vnde *Petrus epistola* 1. *cap.* 5. *Aduersarius vester diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Pugnant ergo Doctores cum hoste adeo valido, vt *non sit potestas, quæ comparetur ei super terram. Iob.* 41. 24.

Doctoris pugna cum diabolo.

Ob. 4. Doctrina, & magisterium est causa inflationis, & superbiæ: ergo non habet annexum præmium exaltationis. Consequentia probatur, ex *Luca* 14. *Qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Anteced. probatur, ex 1. *Corinth.* 8. *Scientia inflat.* & ex Glossa Ordinar. super *Matth.* 4. explicante illud, *Diabolus statuit eum supra pinnaculum templi*, sic dicit Glossa. In Palæstina desuper plana erant tecta, & ibi erat sedes Doctorum, vnde populo loquerentur, vbi multos cæpit vana gloria honore magisterij inflatos: ergo.

64 Resp. dist. anteced. In docentibus ob finem gloriæ, humanæ, concedo. ob finem gloriæ Dei, nego. Vel dico, etiam docentes ob Dei gloriam, posse præuaricare, & gloriæ mundanæ tentationibus concuti, & hic certè non solum non exaltabitur, sed in ima deprimetur. At qui cum tentatione certans facit de ea prouentum, exaltabitur; hic enim maximè humilis est, cum nec sibi aliquid tribuat; nec suam, sed Dei gloriam quærat.

Docentes ex vanagloria inflantur non alij.

Ob. 5. Si Doctoribus præparata est aureola, hæc erit propria Episcoporum, quibus ex officio competit docere. sed hoc est falsum. Alioquin omnes Episcopi donarentur aureola; & sic Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Chrysostomus, &c. æqualem cum alijs simplicibus Episcopis estò Sanctis, vt Spiridione, cæterisque multis pijs Pastoribus, qui in literis non claruerunt.

Ex absurdo arg.

65 Resp. dist. Episcoporum docentium, concedo. non docentium, nego. Iterum distinguo Episcoporum tantum, nego. Aliorum etiam Doctorum, concedo. Ratio autem est, quia Episcopi, ex *Clemente I. epist.* 4. sunt Doctores populorum, ideo Apostolus 1. *ad Timoth* 3. præ cæteris, ait, oportet *Episcopum esse Doctorem, vt potens sit exhortari, & eos qui contradicunt arguere.* Vnde *Hilarius lib.* 8. *de Trinitate*, ait, Summa omnium virtutum Episcopalium est scientia, & doctrina. *Theophylact.* ait *in cap.* 1. *ad Tit.* Est enim doctrina virtus, & character Episcopi. Aduertant ergo, qui Episcopatus quærunt, non sufficere esse Doctoratum, sed debere esse Doctorem. Qui ergo non solum doctorati, sed Doctores; neque solum in habitu, seu in actu primo, sed in exercitio, seu in actu secundo docent fideles, vt necessarium ducit *Chrysostomus homil.* 15. *in* 1. *ad Timoth.* isti mærentur aureolam doctoralem. Ac præter Episcopos, alij fideles, qui scripto, vel opere, seu dicto Ecclesiam docent, vt de S. Hieronymo, alijsque antiquis; de S. Bernardo, Thoma Aquinate, Antonio Patauino, alijsque permultis Ecclesiæ Doctoribus clarum est, aureolam Doctorum promeruerunt. Idemque de eximijs alijs Magistris, quorum nomina scripta sunt in libro Vitæ, dicendum est.

Aureola Doctorum Episcopis docentibus, & alijs etiam est præparata.

ARTI-

## ARTICVLVS III.

### *An Angelis, B. Mariæ, & ipsi Christo competat aureola.*

SVb vnico titulo omnia hæc complectimur, vt breuibus finem de aureolis faciamus; quæ enim ab antiquis Patribus omissa videmus, haud libenter discutimus. Et tamen, vt alijs morem geramus, de eiusmodi sermonem instituimus.

Sensus elatus.

66 Adu. Aureolam, vt in præced. dictum fuit, esse præmium quodam accidentale de victoria in exercitio alicuius virtutis priuilegiatæ. Importat ergo gaudium de illa victoria. Videndum nunc est vtrum in Angelis, B. Virgine, atque Christo admittendam sit istud præmium.

Angelo non competit aureola.

67 Dico 1. Nulli Angelo competit aureola. Est communis cum *Ricardo in 4. dist. 49. ar. 5. quæst. 6.*

68 Prob. 1. Nullus Angelorum certauit in materia virtutis priuilegiatæ. Non enim contra carnem, mundum, ac diabolum peruersè docentem: ergo. Consequ. probatur; corona, seu corolla aureola debita est certanti 1 *Timot. 2. Non coronabitur, &c.* neque omni certanti; alioquin omni electo, quia omnis talis certat, cum *militia sit vita hominis super terram. Iob. 7. 1.* Anteced. prob. Angelus expers corporis, non potuit carnis concupiscentiis agitari. Item à nullo tyranno persecutionem pati, alioue modo cruciari, aut affligi. Tandem nullum docuit contra peruersam diaboli doctrinam: ergo.

In quo sensu virginitatis aureola non debetur B. Virgo.

69 Dico 2. Si aureola virginitatis sumatur pro victoria pugnæ contra carnis stimulos carnis B. Virgo hanc aureolam non habet, sed aliam excellentiorem virginitatis, ac maternitatis. Est communis.

70 Prob. prima pars. Beata Virgo stimulos concupiscentiæ, nec habuit, nec habere potuit; isti enim consequuntur hominem originali culpa infectum. Ideoque ex *August. lib. 13. Trin. cap.* carnalis concupiscentia in primis parentibus ante peccatum non erat. Igitur, neque adest in ijs, à quibus abest fomes peccati.

2. pars. de excellentiori aureola Virgini debita.

71 Prob. secunda pars. Virginitas Mariæ fuit origo, & exemplar omnium virginum, vnde Virgo Virginum, & absolutè virgo per antonomasiam appellatur, hinc *Ambr. lib. de Institu. vir. cap. 5.* ait, *Maria nobis non solum virginitatis insentiuum attulit; sed etiam Deum intulit. Egregia igitur Maria, quæ signum sacræ virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum leuauit, &c.* Hæc ergo præcellens singulariſque virginitas singulare præmium obtinere dicenda est. Priuilegium siquidem Principis non præiudicat præmio virtutis. Si enim ab originali præseruata non fuisset, & fomes concupiscentiæ in ea extinctus non esset; vtique certamen cum carne iniisset, & victoriam, ac triumphum de ea reportasset. Igitur hoc Dei priuilegium non debuit virginitatis præmio præiudicare. Sicut, si quis martyrio expositus à Deo præuentus decederet, coronam martyrij non amitteret.

Beda de Maria elogium.

72 Conf ex *Beda homil. biemal. in 4. feria quatuor temp.* Maria dicens, quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, propositum suæ mentis reuerenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decreuisse; quæ quia prima fœminarum tantæ se virtuti mancipare curauit, iure singulari præ cæteris fœminis beatitudine meruit excellere. Ergo virginitati Mariæ non est deneganda corona.

73 Conf. 2. ex *S. August. lib. de sancta Virginit. cap. 8.* Virginitas mentis est perfectior, quam virginitas carnis. Igitur cum vtraque perfectissimè fuerit in Maria, non est ei deneganda aureola.

B. Virgini debetur aureola martyrij.

74 Dico 3. Beatæ virgini competit martyrum aureola.

75 Prob. Licet in cruciatu, & pœnis mortua non sit, gladio tamen doloris in filij morte confixa est, iuxta Simeonis oraculum *Luc. 2. 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Glossa Ord. Ver. *Gladius*, ait, dolor Dominicæ passionis, quia non potuit videre crucifigi sine affectu materni doloris. Ideo B. V. dicitur, *Regina martyrum*, hinc *Hier. in sermone de Assumptione B. Virg.* ait, *Quia in parte impassibili passa est, plusquam martyr fuit.* & *August. lib. de Assumpt. Mariæ cap. 4.* ait, Eruinnam Maria sustinuit, cuius animam gladius passionis Christi pertransiuit. Et si *S. Paulinus in Natali 1. & 3 S. Felicis*, qui post irrogata tormenta demissus diù superstes fuit vocat eum martyrem sine sanguine, quanto magis dicenda est martyr, ac plusquam martyr Beata Virgo, quæ cordis tormenta in filij passione perpessa est.

Martyrium coæquat Mariæ.

76 Conf de *S. Martino* canit Ecclesia, *Cuius animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.* Et hoc non ex alio motiuo ait *Laurent. Iust. Iustin.* nisi quia martyrij ardore flagrans, non se subtraxit periculis, non fugam arripuit, non celauit veritatem. Ergo idem de B. Virgine, & fortius dicendum, quæ passionis tempore cum omnes relicto Christo fugissent, omnes in fide hęxistassent, patiendi amore flagrans stabat ipsa iuxta crucem, in fide constans, contemnens pericula, facto veritatem confessans, cruciatibus, ac morti se exposuit; & dolorem re ipsa passa est. Ergo aureola martyrij coronanda est.

A paritate S. Martini.

Christo, quæ aureola cõpetit.

77 Dico 4. Christo Domino non competit aureola illa, quæ alijs pueris hominibus

bus est præparata. Sed aureola, omnem gloriæ, atque gaudij plenitudinem complectens de virginitate, de Martyrio, ac doctrina, Est communis, ita docent *Ricardus in 4. dist. 49. ar. 5. quæst. 5. D. Th. in 4. dist. 49. quæst. 5. ar 4.*

A priori ratio.

78 Prob. prima pars. Aureola alijs præparata importat gaudium diminutum, additum supra communem aliorum beatitudinem. Sed Christus nihil habet diminutum, & nullum augumentum factum est gloriæ eius. Ex primo enim instanti suæ conceptionis fuit *plenus gratia, & veritatis Ioann. 1. Et de plenitudine eius accepimus omnes ibid. 16* Ergo non potest dici, quod hæc aureola Christo competat.

79 Conf. aureola propriè est corona, quæ militi strenuè pugnanti conferrur à Principe. Sed ipsemet est Princeps qui coronas distribuit. Igitur aureola, eo modo, quo alijs datur, non competit Christo.

Excellentissima corona Christo cõpetit.

80 Prob. secunda pars. Christus habet summam gloriam, quæ possit creatæ animæ conferri, vt supponimus ex *tract. de Incarnat.* quia *plenus fuit gratia, &c. Io. 1. & ad Coloss. 1. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare.* & *cap. 2. 9. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* & *Lucæ 4. Iesus autem plenus Spiritu sancto, &c.* Ergo excellentissima beatitudo, & summum gaudium est in Christo.

De virtutibus est gaudium maximum in Christo.

81 Quod autem etiam de virtutibus priuilegiatis sit gaudium in Christo, probatur; primò de virginitate. Fuit enim perfectissimus virgo tam corpore, quam mente. Vnde *ad Heb. 7. 26. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus innocens impollutus segregatus à peccatoribus.* Hinc de eo canit Ecclesia, *Iesu corona virginum.* & proinde *Apoc. 14.* centum quadraginta quatuor millia visa sunt sequi agnum, ait enim textus *Virgines enim sunt, & sequuntur agnum.* Interl. dicit, imitantur Christum, *integritate animæ, & corporis*, neque enim aliter esse poterat, cum celebs, corpore, & animo fuerit, & castitatem omnimodam, nedum actu, sed etiam virtute; ac potentia coluerit, cum fuerit impeccabilis: omnem ergo virginitatis excellentiam in plenitudine suæ perfectionis obtinuit, & sic superexcellenti, ac singulari aureola virginitatis dignus. sumino nempe virtutis illius gaudio.

De martyrij aureola in Christo.

82 De aureola martyrij supereminenti, clarum est. Quod enim fuerat per Prophetas de eo prædictum circa victoriam, & triumphum de inimicis tyrannis, ac ipsa morte reportandum, opere impletum est; ait enim *Ioanni 16.* in fine, *in mundo pressuram habebitis, confidite ego vici mundum.* Interl. ait, ego caput vestrum, vici. *Apoc. 3. Qui vicerit faciam eum sedere in throno meo, sicut & ego vici, & sedeo in throno Patris mei.* & *cap. 5. Vicit Leo de tribu Iuda.* & *Apoc. 6. Exiuit victus, vt vinceret.* Vicit ergo Saluator, quando pro veritate fidei; quam prædicabat, occisus est. Certum autem est, quod *Martyr* græcè, latinè dicitur testis: & sicut martyres omnes tales sunt, quia testificantur veritatem, & pro ea occiduntur; potiori cum ratione, martyrum caput Christus est, qui veritatem prædicans occisus est, *Veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati, Io. 18.* ideo Pilatus ab eo petijt, *quid est veritas*; ex veritatis ergo prædicatione crucifixus est, & sic verissimè martyr est; vnde de eo canit Ecclesia, *Rex gloriosè martyrum*, & *Tu victis inter martyres.*

Ob prædicationem veritatis occisus fuit Christus,

83 De doctrina tandem prob. *Mat. 23. 8. Magister vester vnus est Christus.* Et ideo per antonomasiam vocabatur Magister, vt & omnibus quatuor Euangelistis plenissimè constat; vnde *Ioann. 11.* Magdalena dicit sorori, *Magister adest.* & ipsemet Saluator dicit, *vocatis me Magister, & Domine, & bene dicis.* & *Matth. 26.* Mittens Apostolos ad præparandam cænam ait, *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei Magister dicit, etc.*

Doctrinæ superexcellens aureola Christi.

84 Ideo magisterium exercuit docens ex Palæstina vniuersam hominum congregationem, quænam erat lex deinceps obseruanda pro necessitate salutis, quia scriptum erat *Isa. 2. De Syon exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem*, hinc *Matth. 5. Aperiens os suum docebat eos. cap. 9. Docens in Synagogis eorum. 13. Docebat eos in Synagogis. 26. Sedebam docens in templo.* & in toto Euangelio centies id inuenies repetitum. Et hic est Doctor à Deo promissus. *Ioelis 2. 23. Filij Syon exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ* Interl. ait, Christum, qui vos docebit omnem veritatem. Docuit ergo omnes homines veram fidem, & viam salutis, ac proinde præcellentissimam, doctrinæ aureolam, summum nempè huius operationis, seu virtutis gaudium in gratiæ plenitudine à primo conceptionis instanti obtinuit.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Angelis competit virginitas doctrina, & pugna cum Lucifero tentante, de quo reportarunt victoriam: ergo competit etiam aureola.

Angeli per naturam sint Virgines.

85 Resp. dist. antec. Competit virginitas per naturam, concedo, cum mærito, nego. Ratio est; quia neque proximè, neque remotè possunt ipsi esse in agone, ac pugna carnis. Quod si dicas, etiam beata virgo fuit immunis ab eiusmodi carnis tentationibus, & tamen ei conceditur aureola virginitatis. Respondetur disparitatem esse; quia beata virgo remotè capax erat, sed à Deo præmunita, ne molestijs illis afficeretur. Potuit insuper mente concipere earum possibilitatem in se, & in alijs, & strenuè abhominari. Angeli autem, nec factum, nec possibile in se concipere potuerunt,

runt, & sic nullam de carnis tentationibus habere victoriam.

Angeli quare non habent doctrinæ aureolã.

85 Ad aliud de doctrina, dicendum primò, quod Angeli Custodes illuminant quidem custoditos, & hoc ex Dei speciali mandato, at nullo cum labore; neque eis, sed illuminatis tribuitur victoria; quienim non potest succumbere, neque poterit mœreri vincendo.

Quare non martyres licet tentati.

Ad aliud de pugna, & prælio cum Lucifero, dico simplicem tentationem, & suggestionem passos esse; quæ quidem non faciunt martyrem; alioquin omnes tentati in quolibet tentationum genere, martyres forent appellandi, quod est ridiculum. Adde, quod licet martyrij vocabulum latè acceptum pluribus hominum generibus aptari soleat à Patribus, qui pro Deo, & iustitiæ exercitio multa perpelli sunt, vt luculenter docent *S. Methodius apud Epiphanium hær. 64.* & *Gregor. Nazianz. orat. 6. Chrysost. orat. in S. Barlaam*, *Ambros. in Psal 118.* Ver. *Multi qui persequuntur me*, &c. id tamen neque in casu, neque in alijs materijs potest Angelis aptari, qui nullum incommodum, nullumque dolorem pro Deo, aut iustitia, vmquam passi sunt. Igitur, cum martyrium, nec strictè, nec latè sumptum possit Angelis aptari, martyrij aureola eis debita non est.

Arg. contr 2

Ob. contra 2. Aureola ex sui primario significato, est præmium pro pugna; sed in virtute castitatis B. Virgo nullam habuit cum carne pugnam, cum fuerit immunis ab hac lege membrorum, & concupiscentiæ stimulis: & fomes in ea fuerit extinctus: ergo.

Quæ aureola Virginitatis B. Mariæ debetur.

87 Resp. dist. mai. Aureola quæ regulariter alijs conferri solet, concedo. Aureola, quæ singulari priuilegio Matri Dei conceditur, nego. tum nego conseq. Ratio autem est; quia virginitas secundum se in adultis per totam vitam conseruata, est excellentissimum donum, hominem Deo assimilans. Tripliciter autem potest creaturæ conuenire, vel cum extinctione fomitis per naturam, vt in Christo, vel cum extinctione fomitis per gratiam, vt in Beata Virgine & aliquo alio Dei seruo, si forte Deus concesserit. Vel tandem cum consistentia fomitis, & pugna carnis cum spiritu, quomodo regulariter in multis ex speciali Dei auxilio conseruatur. Cum ergo gaudium de virginitate, quomodocumque seruata, sit maximum, denegari non debet Virginum Reginæ; & quia illud non habet cum summa, & plenissima gratia, vt Christus, necesse est, vt eam habeat tamquam speciale donum, sine pugna quidem, sed non sine mærito. Gaudium ergo maximum habet Maria de Virginitate fœcunda; & maternitate virginea. Hoc vero gaudium singularem aureolam appello.

Gaudium magnũ Mariæ de virginitate fœcunda.

Ob. contra 3. Martyrium, ex *D. Gregorij lib. 2. epist. ep. 36.* & accipit ex *S. Cypriano*, non facit pœna, sed causa. Debet enim quis pati in odium fidei Christi; ideo *Actor. 5.* *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Sed B. V. non est passa in odium fidei. Ergo non habet aureolam.

Arg. contr. 3

88 Resp. dist. mai. Si loquamur de communi hominum martyrio, concedo. si de singulari Virginis passione in anima, nego. Et ratio est: quia licet B. V. à tortore, vel carnifice ipsam immediatè torquente passa non sit, neque in odium fidei, seu virtutis ab ea exercitæ, vt dictatæ à fide: passio tamen Christi, quæ in odium fidei sustinebatur, Beatam Virginem in anima torquebat; ideo ex eodem motiuo, quo filium perimebat, matrem etiam contorquebat. Hinc *l. 1. reuel. B. Brigitta cap. 35.* *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum, & sicut Adam, & Eua vendiderunt mundum pro vno pomo; ita ego & filius meus redimimus mundum vno corde.* & *Arnoldus de laud. Virg.* inquit, *omnino tunc vna erat Christi, & Mariæ voluntas vnumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis.* & post. *Diuidunt coram Patre inter se mater, & filius pietatis officia.* imo *S. Bernardus super signum magnum*, considerans virginem iuxta crucem compatientem cum filio, de ictu lanceæ, & lateris vulnere, sic alloquitur, cum Simeone, *Tuam ipsius animam, doloris gladius pertransibit. Verè tuam, ô beata mater animam gladius pertransiuit, quando crudelis lancea filio tuo iam mortuo latus aperuit; ipsius enim anima ibi non erat; sed tua planè cuncti nequibat.* & *Ioannes Lanspergius hom. 54. de pass.* inquit. Vulneris hoc vulnus in suo sensit corde, quæ pro ipso doluit; diuisit itaque Christus cum matre huius vulneris iniuriam, vt ipse quidem vulnerationem reciperet, non tamen dolorem sentiret: Mater verò huius vulneris reciperet pœnam, & dolorem. Si ergo cum filio patitur, ex eadem causa patitur, & anima eius transuulneratur; cur negemus, eam martyrij singularis corona donandam, sicut singulariter in corde passa est?

Martyrium B. Virg. singulare fuit.

Domine Patres dolorũ filij fuisse matres etiam.

Ob. contra 4. Nulla est implicantia, quin Christo concedatur vera, & propria aureola in triplici materia priuilegiata, virginitatis, scilicet martyrij, ac doctrinæ: ergo. Anteced. prob. Si quid obstat, maximè est, quod aureola est quoddam accidentale augumentum gloriæ. Sed hoc non obstat, quia in alijs potuit anima, & Corpus Christi habere augumentum. Nam, licet habuerit summam scientiam matutinam de Deo, & rebus omnibus creatis, atque creandis; nec non scientiam vespertinam, nempe earumdem in proprio genere per infusas species: tamen adhuc de eo dicitur, quod *proficiebat sapientia coram Deo, & hominibus.*

Arg. contr. 4

Validè arg. de alijs augumentis Christi.

minibus Lucæ 2. Item licet à primo instanti suæ conceptionis extiterit perfectè beatus; tamen non ante resurrectionem habuit corporis beatitudinem. Tertio exaltationem nominis habuit post mortem; nam Philip. 2 dicitur, *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quarto per passionem, & resurrectionem habuit dominium super viuos, & mortuos; *in hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur.* Rom. 14. Ergo dici potest idem de gaudio triplicis huius virtutis, virginitatis, martyrij, & doctrinæ. Et sic triplex, & præcellentissima aureola, est Christo concedenda.

Cur non admittantur in Christo aureolæ cómunes.

89 Resp. dist. anteced. Vt concedatur aureola singularis, & superexcellens, concedo nullam esse implicantiam. Vt concedatur aureola communis, & martyribus, virginibus, ac etiam Doctoribus assignata, nego, ad probat nego min. Ad replicam dico, quod scientia potuit habere augumentum quoad actualem experientiam; vel quod ostensiuè tantum augebatur, id est ostendebatur augumentum, re tamen vera in eius anima, *erant omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei abscondisti ad Coloss.* 2. Ad illud de gloria corporis, dico, non potuisse ei conferri ante mortem; alioqnin non fuisset peracta redemptio; tamen post mortem, resurgens eam obtinuit in summo. Sic etiam dicendum de nominis exaltatione, dominio super omnem creaturam, & sessione ad dexteram Patris; sed omnia hæc in summo Christo competunt, non verò secundum aliquam particulam, aut dimminutionem. Ita prorsus dicimus de aureolis virginitatis martyrij, ac doctrinæ; quod non competunt ipsi cum dimminutione in aliquo determinato gradu, sicut cæteris, sed in excellentissimo. Et omnes præfatæ aureolæ sunt velut exemplar; imò, & origo, ac fons omnium aliarum, quæ cæteris singulariter, & in determinato gradu conceduntur; ipse enim est speciosus forma præ filijs hominum, & Dei dilectus filius *plenus gratiæ, & veritatis; in quo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare*, Coloss. 1. 19. & cap. 2. 9. cui sit gloria in sæcula amen.

Scientia quo modo aucta

Quare gloria corporis ei data post mortem,

## ARTICVLVS IV.

### *An detur in Beati præmium fructus; quale sit; & cui competat.*

SCOTVS de fructu loquitur in 1. sent. dist. 1. qu. 2. in solutione arg. ad 1. & ad 2. dicens fructum esse vltimum, quod expectatur ex arbore, in quantum expectatur, vt gustandum, & actu gustus attingendum, quam gustationem sequitur delectatio. Nec de alio genere fructus loquitur.

Scotus non declarat fructum præmij

90 Adu. vocabulum hoc *Fructus* ex primæua sui institutione significare pomum, quod ab arbore, vel frutice producitur, ita Gen 1. 11. *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum secundum genus suum*, hinc Gen. 3. Euadicit, *de fructu lignorum vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, &c.* Secundo sumitur pro omni eo, quod producit terra, & est gustabile, ideo Gen. 4. 3. *Factum est, vt offerret Cain de fructibus terræ*, & v. 12. *Cum operatus fuerit terram, non dabit tibi fructus suos.* De quibus acceptionibus plena est sacra Scriptura. Tertio sumitur pro omni conceptu, fœtu, seu partu, ideo Deuter. 28. 4. *Benedictus fructus ventris tui*, & v. 11. *Fructu vteri tui, & fructu iumentorum tuorum.* Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, & Gabriel dicit ad Mariam, *benedictus fructus ventris tui.* Aliquando sumitur pro omni vtili prouectu, sic reditus vocamus fructus. Et etiam in hoc sensu accipitur in scriptura, Prou. 16. 8. *Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate.* & alias centies. Aliquando sumitur metaphoricè, & hoc multipliciter, pro opere meritorio, Prou. 31. in fine, *date ei de fructu manuum suarum, & laudent eum in portis opera eius.* Cant. 2. 3. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* Matt. 3. 8. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* cap. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ioann. 4. 36. *Congregat fructum in vitam æternam.* Secundo sumitur pro conuersione aliorum, & bonis operibus, quæ ex eis habentur ex prædicatione, & exhortatione. Ioann. 15. 16. *Ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Rom. 1. 13. *Vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut in cæteris gentibus.* Tertio sumitur pro specialibus quibusdam gratijs, seu donis Dei; quę virtutis actus sunt, & appellantur fructus Spiritus sancti, & enumerantur ab Apost. ad Gal. 5. vbi distinguens opera sensus ab operibus spiritus, ait, *manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia,*

Varia significata fructus.

Fructus pro omni reproducta de nouo,

Fructus metaphoricè pro merito.

Fructus Spiritus sancti.

*dina, impudicitia, luxuria, &c.* & post omnium enumerationem, ait, *fructus autem spiritus est, charitas gaudium, pax, patientia, &c.* Quarto sumitur fructus pro ipsamet gloria, quæ, cum principaliter in fruitione consistat, ab ea deriuatur fructus, de quo habetur *Sap. 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus, Rom. 6. Liberati à peccato, & serui facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Qui quidem fructus æqualis non est in omnibus, vt in suo loco diximus, sed admittit latitudinem, vt maior sit in vno, quam in alio iuxta meritorum proportionem.

Fructus pro gloria.

91 Adu. 2. Quod præter has acceptiones metaphoricas *fructus* putarunt aliqui dari quoddam aliud præmij genus, quod dicitur fructus, & non est præmium essentiale, neque aureola, quæ specialibus virtutibus cum pugna exercitis debita est; sed est præmium quodam virtuti continentiæ debitum; & quia hæc triplex est nempè coniugalis, vidualis, & virginalis; huic triplici continentiæ correspondet triplex ille fructus de quo loquitur Saluator *Mat.* 13. Trigesimus sexagesimus, & centesimus. Alij vero nullum aliud admittentes speciale præmium præter auream, & aureolam, dicunt, fructum centesimum sexagesimum, & trigesimum significare maius, vel minus præmium in eadem specie, nempe maiorem, vel minorem intensionem visionis, aut fruitionis.

Fructus pro genere quodam præmij accipitur.

Aliqui dicit continentiæ virtuti conuenire,

92 Dico ergo. Licet præmium, quod appellatur fructus, ab aliquibus existimetur esse peculiare præmium continentiæ debitum: probabilius tamen videtur, quod significet, vel opus meritorium æternæ vitæ; vel si præmium, significet præmium correspondens diuersis virtutibus vel maiorem, aut minorem beatitudinem intensiuè.

Probabilius est non dari speciale præmium dictú fructus, sed significat latitudinem omnis præmij:

93 Prob. 1. pars, ex *S. Hier.* qui *in cap. 13. Matt.* explicans illud de seminibus, *Alia verò ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum*, sic habet, *Prius debemus intelligere, & post intelligentiam fructus videre doctrinarum, & facere, vel centesimum fructum, vel sexagesimum, vel tricesimum; de quibus plenius in libro contra Iouinianum diximus, & nunc breuiter perstringimus centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis, & continentibus, tricesimum casto matrimonio deputantes.* hæc *Hieron.* quæ multi ex modernis secuti sunt.

Hier. sumit fructum per speciali præmio.

94 Conf. ex Glossa Ord. in *cap. 13. Mat.* Ver. *Aliud quidem*, sic habente. Triginta enim refertur ad nuptias; sexaginta ad viduas, centum, qui numerus iam est in dextera, ad virginitatem: ergo.

95 Prob. secundo. Ex ipsomet *S. Aug.* aliquando ita sentiente *in lib. de S. Virgin. cap. 45.* vbi sic habet. *Quidquid significet fœcunditatis illa diuersitas, viderint qui hæc melius quam nos intelligunt; fiue virginalis vita in centesimo fructu sit, in sexagesimo vidualis, in tricesimo autem coniugalis; fiue centena fertilitas in martyrio potius imputetur; sexagena continentia; tricena connubio, &c.* Igitur aliquando huic intelligentiæ adhesit, sed vt apparet, sumit fructum pro opere meritorio,

Aug. videtur aliquando admittere fructum pro speciali præmio.

96 Prob. secunda pars. Numquam in Scriptura reperitur sumi fructum pro præmio peculiari debito alicui virtuti; sed, vel pro opere meritorio, vel pro ipso præmio maiori, aut minori retribuendo. Ergo non datur speciale præmium, quod dicitur fructus. Anteced. prob. Primo ex locis in notab. acceptis. Secundo prob. ex alijs. *Sap. 3. Labores sine fructu.* ibid. *habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Eccl. 24. Flores mei fructus honoris. Isa. 3. Fructum ad inuentionem suarum.* *Item. 6.* Fructum *cogitationum eius.* & ex alijs innumeris veter. testam. Ex nouo autem, præter adducta, *Matthæi 7.* sæpè de fructibus operum, Christus loquitur; item 12. 13. & 21. *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Luca 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ cap. 8. Fructum afferunt in patientia.* & *Ephes. 5 Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate. Philipp. 1. Repleti fructu iustitiæ.* & *hic mihi fructus operis est. Iacobi 3. Plena misericordia, & fructibus bonis,* & iterum, *fructus autem iustitiæ*, & alijs sexcentis, ex quibus, vt consideranti patet, semper *fructus*, vel significat opera bona, seu meritoria, vel præmium illis debitum, ac reseruatum in alia vita, indifferenter omni benè operanti; numquam verò præmium specialis virtutis.

In Scriptura non reperitur præmiú speciale, quod dicitur fructus.

Fructus in Script. pro mærito accipitur, vel per commuiú præmio.

97 Prob. 2. Locus scripturæ, in quo maximè fundantur authores huius præmij specialis, quod dicunt fructus, est locus *Matth. 13.* sed iste non probat intentum: ergo. Min. prob. hæc habet textus. Saluator noster, vt ostenderet turbis quare cum multi audiant verbum Dei aliqui conuertuntur ad pœnitentiam, & benè operantur, alij verò non; & quare alij alijs melius operantur, adducit parabolam, seu similitudinem de seminibus cadentibus, vel inter lapides, vel inter spinas, vel secus viam, &c. & hac de causa non germinare, nec fructus afferre, tandem concludit, *Alia verò ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum.* Sed locus iste non loquitur de præmio aliquo peculiari alicuius virtutis, vt clarum est, sed vel de operibus cuiuscunque virtutis, vel de præmio cuilibet operi reddendo: Nam interrogantibus discipulis quid sibi velit hæc parabola, Christus distinctè, & clarè dicit, *qui audit verbum Regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est, hoc est qui secus viam seminatus est. Qui autem super*

Argum. ex euersione fundamenti sententiæ contrariæ.

Locus adductus ab aduersarijs non est ad rem.

*pretiosa, &c.* discurrens de singulis, tandem inquit, *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit, aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trecentesimum.* Vnde autem ex claro hoc Saluatoris discursu, potest colligi præmium peculiare, quod vocatur fructus, soli continentiæ debitum? Poterit quidem continentiæ applicari, sic, vt nempe cadente in cordibus hominum verbo illo Dei, *Matt. 19. Sunt Eunuchi qui se ipsos castrauerunt propter regnum cælorum*, vel diuino illo Pauli consilio 1. *Cor. 7. Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit melius facit*, aliquis se disponat ad coniugium, alius ad continentiam virginalem. & sic in hoc virtutis genere alius germinet boni operis fructum trecentesimum, alius centesimum. Vel quod vnus seruans virginitatem, recepturus sit præmium magnum, quod respectu seruantis castè coniugium, dici possit centesimum, comparatum trecentesimo. At mea tenuitas non valet ex eiusmodi verbis inferre singulare præmium, continentiæ tantum debitum, per vocem *fructus* significatum.

S. Augustinus pro præmio communi accipit fructum,

98 Prob. 2. ex S. *Augustin. lib. 1. quæstionum Euangeliorum cap. 9.* sic habente *Quod dicit aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum propter sanctitatem vitæ, vel contemptum mortis, sexagesimum virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis. Solet enim contedi otium sexagenarijs post militiam, vel post actiones publicas. Trecentesimum coniugatorum, quia hæc est ætas prolientium, ipsi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus superentur.* Ergo ex *Augustin.* fructus non est præmium solius continentiæ, sed etiam martyrum. Imò ex eodem, fructus videtur significare, non præmium, sed meritum. Si autem significat præmium, non est quid speciale pro continentia, sed commune omni virtuti.

Et etiam pro merito,

99 Conf. ex eodem *in libro de S. Virg. cap. 45.* vbi post verba relata in *num. 95.* dicit, siue centena fertilitas martyrio potius imputetur, sexagena continentiæ, & tricena connubio, siue virginitas accedente martyrio centenum fructum impleat, sola verò in sexageno sit, coniugati autem tricenum ferentes ad sexagenum perueniant, si martyres fuerint; siue quod probabilius mihi videtur, quoniam diuinæ gratiæ multa sunt munera, & est aliud alio maius, ac melius, &c, hæc *Augustinus*. Ergo tantum abest, vt per eum *fructus* sit præmium quodam peculiare continentiæ debitum, vt potius doceat, vel esse præmium diuersis virtutibus debitum; vel esse meritum, seu donum aliquod diuinæ gratiæ in via, & quia vnum donum est alio melius; vnus habens, fructum facit centesimum, alius sexagesimum, quia dono inferiori præditus; alius trecentesimum, quia minus habens.

Aug. mens ad oppositū,

100 Prob. 3. Ipsemet *S. Hieron.* postquam triplicem fructum triplici continentiæ gradui tribuerat in eit. locum *Matt. 13.* ait. Quidam nostrum centesimum fructum ad martyres referunt, quod si ita est, Sancta conjortia nuptiarum excluduntur à fructu bono. Ergo ipse quoque de significatione fructus dubitat, nec firmiter tenet esse præmium solius continentiæ.

Ipsemet Hier. non adnæsit firmiter sententiæ de fructu,

101 Prob. 4. ex Glossa Interl. in *cap. 8. Lucæ*, vbi replicatur hæc parabola de semine cadente in terram bonam, *quæ facit fructum centuplum*. Interlinear. ait. *Cum perfecta bonorum operum plenitudine creuit.*

Idem ex Glossa.

102 Conf. ex Glossa Ordinar. Ver. *Centuplum*, sic habente. Centenarium per multiplicatum denarium præceptorum decem, surgit, pro magna perfectione ponitur. Cor igitur centuplum facit fructum, quod per amorem proximi actiuam, & per amorem Dei contemplatiuam adipiscitur vitam, & spiritualium ornatus perfectione virtutum, &c. ergo fructus centenarius est opus mariti, cui debetur quidem præmium, sed non est ipsum præmium.

Ambr. stat pro hac sententia.

105 Prob. 5. ex *S. Ambros. in epist. 1. ad Corinth. cap. 15.* declarante illud Apost. *Alia est claritas Solis, et stella differt à stella in claritate, &c.* dicente, sicut Sol, & Luna, & stellæ, cum sint vnius naturæ, diuersæ tamen claritatis sunt; ita & homines, cum sint vnius generis, erunt dissimiles. In gloria, vt claritati Solis illorum dignitas exæquetur, qui centesimum numerum habent, de quibus dictum est. Tunc iusti fulgebunt, sicut Sol. Lunari quidem claritati hi comparandi sunt, qui sexagesimum numerum bonis operibus mercati sunt, vt secundi gradus meritum haberent. Stellis autem clarioribus eorum merita comparanda sunt, qui trigesimum numerum tertij gradum dignitatem iustis laboribus quæsierunt. hæc *Ambros.* Liquidò ergo ex S. Doctore constat, fructum significare præmium; centesimum, sexagesimum, ac trigesimum significare intensionem, & inæqualitatem præmij, non verò speciale quodam præmium speciali alicui virtuti debitum.

Lyr. idem firmat, quod fructus sit quid commune omni virtuti.

104 Prob. 6. ex Glossa Lyran. in 13. *Matth.* Ver. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, &c.* dicente. In hoc assignantur tres gradus, qui possunt signari in qualibet virtute, verbi gratia in virtute castitatis, coniugalis, vidualis, & virginalis. Similiter in virtute fortitudinis possunt tres gradus assignari. Primus gradus, quando propter bonum virtutis sustinet constanter detrimentum in exterioribus bonis, vt diuitijs, &c. Secundus, quando sustinet detrimentum proprij corporis,

poris; vt flagellationis, &c. Tertius, quando propter virtutem contemnit totam vitam, vt in martyrio, &c. hęc Lyranus. Ergo euidenter concluditur, quod acceptio fructus in dicta parabola, non stat pro pręmio solius continentię; sed vel pro merito, vel pro pręmio diuersarum virtutum, vel diuersorum graduum eiusdem virtutis.

Arg. contr. Ob. 1. Dicta Hieron. Augustin. & Glossę, quæ videntur sumere fructum pro præmio solius continentię: ergo.

105 Resp. facilè: quod nec Hieron. nec Augustin. cuius est illa Glossa firmiter adhęserunt illi sententiæ, cum ad alias virtutes transtulerint fructum.

Secundo respond. quod dum de virtute continentiæ loquuntur, non intendunt pro ea tantum firmare pręmium *fructus*, sed de ea loquuntur exemplificatiuè: cum enim Christus loquatur de semine diuino in hominum cordibus immisso, & corda hominum diuersimodè fructificent, vnum fertilius altero, non potest locutio illa arctari ad solam fructificationem continentię; sicut neque semen, seu lumen diuinum, de quo Christus loquitur restringi potest ad solam virtutem continentiæ. Sed quia in hac virtute facilius occurrit occasio exemplificandi de centesimo, sexagesimo, & trigesimo; ideo Hieronymus, & aliquando etiam Augustinus de ea exemplificant. Re tamen vera fructus, vel non significat aliud nisi opus meritorium, quod nascitur ex diuino semine in cor hominis immisso, vel si etiam significet quid externum tali operi ex semine orto correspondens; nullo iure, nulloque fundamento potest hęc acceptio soli virtuti continentię, solisque eius speciebus aptari.

Ex discursu Christi colligitur sent. authoris.

Quare de continentia exemplificant.

Obj. 2. Aureola differt à fructu; ergo sicut illa significat pręmium; ita & fructus. At non videtur quale sit hoc pręmium, nisi virtutis continentię: ergo.

106 Resp. 1. nego 1. consequ. Nulla enim est necessitas admittendi pręmium speciale, quod dicatur fructus, sed omne pręmium cuicunque operi collatum dici potest fructus boni operis possessiuè, id est bono operi correspondens. Sed re vera acceptio fructus in scriptura stat pro opere. Sicut enim fructus cum proprietate est fœtus arboris ex ea concursu humoris, ac Solis productus, eique coniunctus, non verò aliquid ab extrinseco illi affixum; ita fructus metaphoricè est actio sancta procedens ex homine cum concursu diuini humoris, nempe auxilij supernaturalis; & hoc modo est vera acceptio fructus in sensu metaphorico.

Non est necessitas admittendi prœmium, quod dicitur fructus.

107 Respondetur 2. neg. min. subsumptam. Nam si fructus sumatur pro pręmio, quod videtur esse aliquid germinatum ab opere mæritorio, significat omne præmium omni virtuti pręparatum. Diuersitas autem centesimi, sexagesimi, &c. significat latitudinem, seu graduationem diuersam pro diuersitate meritorum.

108 Resp. 3. neg. 1. anteced. Nam etiam aureola est species fructus, si fructus sumitur pro pręmio. Imò fructus centesimus dici potest aureola martyrum: sexagesimus virginum, &c. nulla enim est implicantia; neque scripturę diuinę repugnat. Quę de fructu dixisse sit satis.

# DISPVTATIO XXIII.

## DE PERMANENTIA HABITVVM IN BEATIS.

### ARTICVLVS I.

*Vtrum in Beatis remaneat fides infusa.*

SCOTVS *in 3. sent. dist. 31. quæst. V n. 9. Respondeo*, de fidei infusę permanentia, duo docet; primum, quod euacuetur; secundum, quod hoc non accidat ex incompossibilitate habitus fidei infusæ cum actuali clara Dei visione, sed *sub* C' dicit, quod respectu obiecti poterit manere, & inclinare in obiectum etiam proprium. hæc *Scotus*. Scoti mens.

1 Adu. sensum art. clarum esse; an scilicet habitus fidei, qui infunditur in baptizato, & reperitur in anima electi cum separatur à corpore, debeat perseuerare in ea per totam æternitatem. In quo quidem puncto communis Theologorum sententia, quam secuti sunt *Scotus in 3. sent. dist. 31. & D. Tho. ibid. & in 2. 2. quæst. 67. art. 3.* & post eos alij, docet habitum fidei non permansurum, sed euacuandum. Aliqui tamen, ne dum ex antiquis, sed ex modernis docuerunt non euacuari. Ita habetur ex *Tertulliano lib. de Patientia cap. 12. ex Irenæo lib. de hæres. cap. 47. & lib. 4. cap. 25. Photio in ep. 1. ad Cor. cap. 13. ex Durando in 3. sent. dist. 31. quæst. 3. nu. 11. ex Argent. in 3. distinct. 31. art. 3. ex Gerson de Vita spirit.* & alijs. Ego autem licet à communi Sensus art. clarus. Diuersi sent.

Mens authoris,

nolim recedere; tamen vt ingenuitati meę semper consulam, demonstrabo non colligi ex Sacra Scriptura, neque ex PP. sententiam asserentem euacuationem fidei habitualis, sed solum actualis. At nescio quo titulo eam prætualuisse; ac proinde contrariam non esse improbabilem.

Error Hier. de Praga, & abiuratio,

2 Adu. 2. Quæsitum hoc nullam habere connexionem cum errore, seu hæresi Hier. de Praga abiurata in Concilio Constantiensi, docentis, beatos habere fidem de Deo, adduco eius abiurationem, quæ habetur *in sess. 19.* estque talis. *Et quia à quibusdam intellectum est, quod vellem dicere, quod in Ecclesia triumphante esset fides; cum tamen credam firmiter, quod ibi sit beatifica visio; assero, & declaro, quod numquam fuit intentionis meæ dicere, quod ibi esset fides sub ratione fidei, sed cognitio fidem subaquivalenter excedens.* ita hæreticus abiurans. Ex quo euidenter colligitur, quod ipse erat suspectus de sententia tenente, quod beati non videant Deum clare, & facie ad faciem, sed cognoscant obscurè, & ænigmaticè. Hic ergo non agitatur hæc hæretica sententia de fide actuali, in patria circa obiectum beatificum; sed de habitu fidei infusæ, de qua non loquebatur Pragensis.

Obiectum fidei quid, & quale,

3 Adu. 2. & supp. ex tract. de fide supernaturali habituali, cum *Scoto loco citato in 3. dist. 31.* quod obiectum fidei est vtique aliquid latens iuxta illud *Heb. 11. Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, sed ait *Scotus ibid. sub B.* non sic est intelligendum hoc dictum, quasi latentia sit ratio formalis obiecti, nam ratio obiecti formalis fidei est Deus, vt Deus; & subdit, *tunc non videtur, quod formali ratione obiecti careant habitus fidei, & spei, & ita poterunt manere, & inclinare in obiectum, & proprium.* Itaque latentia est conditio, seu circumstantia, quæ facit, vt actus elicitus à fidei habitu circa Deum determinet actum in hac specie obscuri, scilicet; at non proinde sequitur, quod habitus ille secundum rationem qualitatis, non possit inclinare intellectum ad assentiendum Deo clare, & immediatè loquenti. Et hinc, vt ex eodem tract. suppono, docent Doctiores moderni assensum fidei infusæ posse immediatè in veracitatem Dei, euidentem resolui.

Latentia non est de ratione fidei

Vnde oritur euacuatio fidei,

4 Adu. 3. Quod supposita euacuatione futura habitus fidei, adhuc quæritur, an proueniat ex natura rei; quia nempe habitus fidei est incompossibilis cum lumine gloriæ, seu cum visione Dei clara. An ex ordinatione Dei; ex eo quod habitus ille foret otiosus; & vtrumque dubium hic resoluetur.

Credibilia triplicis generis.

5 Adu. 4. ex *Scoto in 3. dist. 31. in solut. arg. ad 3.* Quod credibilia sunt in triplici differentia. Quædam enim sunt, quorum visio per se pertinet ad beatitudinem, sicut est visio Trinitatis, & talia sunt scibilia, seu visibilia, & de illis intelligitur, quod fidei succedet visio. Alia sunt, quorum visio aliquo modo pertinet ad beatitudinem; non essentialiter, sed comitanter, quæ non sunt scibilia, quia sunt quædam facta temporalia, vt sunt credibilia de incarnatione, & de talibus dicitur, quod fidei succedet comitanter visio, non tamen rei in se (quia non videbitur in Patria Christus in cruce, nec in vtero virginis) sed in verbo. Alia sunt, nec vnquam visibilia, nec scibilia; quia facta temporalia, nec pertinentia ad beatitudinem principaliter, nec comitanter, cuiusmodi sunt aliqua vera pertinentia ad actus humanos. De talibus, autem si aliquis viator haberet fidem potest concedi, quod in illo potest manere fides, hæc ad amussim Scotus.

Scoti verba.

6 Dico. Quamuis communior sententia teneat habitum fidei infusæ euacuari, & in Beatis non remanere, & ita tenendum sit: tamen non est adeo certa, vt opposita non possit optima ratione defendi, quod nempe euacuetur subratione fidei non vero sub ratione habitus, seu qualitatis. ex *primo notab.* habentur authores vtriusque partis. Et ego censeo sic tenere Scotum, vt ex 2. *notab.*

Communis sent. est quod fides euacuatur tamen opposita non est improbabilis,

7 Prima pars, est communis sententia probata ex quibusdam scripturæ locis, quæ existimo non esse ad rem. Et ex otiositate talis habitus; quam tamen dicam non officere. Aliud fundamentum inuenire non potui. Sed solam adhærentiam authorum. Ideo

8 Prob. secunda pars. Primum fundamentum cui innititur sententia abijciens habitum fidei sunt loca quædam scripturæ. Sed ista non sunt ad rem: ergo. Min-prob.

9 Primus scripturæ locus est ex 2. *Cor. 5. Quandiu sumus in hoc corpore peregrinamur à Domino; per fidem enim ambulamus, & non per speciem*, ex quo colligunt authores, quod in via tantum habetur fides, non autem in Patria. Sed hic locus intelligitur de fide actuali. Nam Glossa Ord. ait. Est enim illuminatio per fidem, & illuminatio per speciem; modo per fidem tantum illuminamur: Homini enim vitam agenti adhuc mortalem, non potest contingere, vt dimoto, & discusso omni nubilo phantasiarum corporalium, secretissima incommutabilis veritatis luce potiatur, & mente penitus à consuetudine huius vitæ alienata constanter, & indeclinabiliter illi adhæreat. Hæc Glossa.

2. pars, quod scilicet sententiæ de permanentia non est improbabilis.

Ex loco script. non deducitur opposita, quia loquitur de actuali fide.

Glossa sic explicat.

10 *S. Hieron.* in hunc locum, ait, *fide adhuc speramus, & non specie possidemus.* Igitur de actu fidei loquitur Apostolus non de habitu.

Hier. idem.

11 *S. Ambros. in cit. locum*, ait, manifestum est, quia per fidem cum Domino sumus, non per præsentiam, ac per hoc non peregrinamur fide, sed specie. Et paulò post

Ambros. similiter explicat.

post mouet dubium, quomodo peregrinamur à Domino, si Dominus vbique est; & respondet. Sed quia sedes Dei in cælis est, & illic semper videtur, ideo hic positi, vbi non videtur, peregrinari ab eo dicimur. Quando enim non videmus, licet præsens sit, absentes ab eo sumus, hæc *Ambr.* ergo fides, per quam modo peregrinamur, & quæ cessabit per successionem speciei, expressæ scilicet, ac visionis, est fides actualis.

Theodor. idem dicit.

12 *Theodoretus* in eundem locum, ait, non dicit, quod longe sumus à Domino huic mortali corpori coniuncti, sed quod non videmus; tunc autem videbimus, & simul cum eo versabimur. Nunc enim, inquit non videmus eas res, quæ expectantur; sed eas per solam fidem cernimus, & propterea etiam desideramus ab hoc corpore excedere. Ergo fides euacuanda per speciem, de qua loquitur Paulus, est actualis.

Alius Script. locus eodem modo intelligitur.

13 Secundus scripturæ locus, cui innititur illa sententia destruens habitum fidei, est ex 1. *Cor.* 13. *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Nunc manent fides, spes, et charitas.* Ex quo sententiæ illius authores colligunt, quod nunc quidem manet fides, non autem postea, seu in Patria. Sed locus ille non est ad rem, nam est ibi sermo de fide actuali, ait enim, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* Ecce fides, quæ nunc manet, & postea non manebit; de habitu autem nullum prorsus verbum; ideo neque per vllam legitimam consequentiam potest inferri deperditio eius ex antecedenti isto. Addo, quod ex sacra Scriptura non solum vllus Doctor poterit colligere destructionem habitus fidei; sed neque an homines in via illum habitum habeant in baptismo; est enim de fide, quod habeant, sed ex *Clement. de sum. Trin. etc. cap. 1. §. Ad hæc*, id habetur. Et ideo mirum non est, si sancti Patres numquam de habitibus infusis explicitè loquuntur. Imò Magister sent. negabat habitum Charitatis expressè, dicens Spiritum sanctum mouere voluntatem ad exercendos actus dilectionis. Igitur ex illo scripturæ loco non deducitur euacuatio habitus fidei, sed actualis tantum.

Quare de habitibus PP. non sunt locuti.

Gloss.

Conf. ex Glossa ibid. Ver. *Euacuabitur*, expressè docente euacuationem actus, non verò habitus; ait enim. *Alij dicunt, non solum modum scientiæ, sed scientiam ipsam, quæ nunc est euacuari. De actu quidem, et visu ipsius scientiæ probabile est, quod euacuetur, de scientia vero non adeo; scientia enim est permanens qualitas, cuius actus est visio ipsa qua videmus nunc, qua ad aliam perducimur.* Igitur ex Glossa locus illæ scripturæ est ad oppositum.

Ambros.

14 Conf. 2. ex *Ambrosio* in hunc locum dicente: apertum est, nunc imagines videri per fidem; tunc res ipsas; modo scio ex parte; tunc autem cognoscam sicut cognitus sum, id est videbo, quæ promissa sunt, sicut videor. Igitur ex *Ambr.* loquitur Paulus de euacuatione fidei actualis, id est ænigmaticæ cognitionis, non de habitu fidei. Et idem dixerat paulò ante super illud, *sive prophetiæ euacuabuntur*, inquiens, omnia charismatum dona euacuari dixit, quia non tantum possunt comprehendere, quantum veritas ipsa. Ideo destruetur imperfectio nostra, non id, quod verum est euacuabitur; sed cum additur, quod decet, imperfectio destruetur, destructio enim imperfectionis est, quando id quod imperfectum est impletur in verum. Ergo de actibus credendi semper loquitur.

Theodor. idem docet.

15 Conf. 3. ex *Theodoreto* in eumdem locum, Ver. *Sive prophetiæ cessabunt, etc.* dicente, futura enim vita eorum minimè indiget, & post. Cessat autem, quæ minor est cognitio maiore suppeditata. Deinde declarans illud, *Cum essem paruulus*, ait assimilauit cognitionem, quæ nobis in præsenti vita data est puerorum cognitioni, eam autem, quæ expectatur virorum perfectorum. Et declarans illud, *Nunc manent fides, spes*, ait, superuacanea enim est fides in futura vita, cum res euidenter apparent; si enim fides est eorum, quæ sperantur substantia, rebus iam apparentibus, fide non amplius opus est, &c. Ergo ex Theodoreto locus Pauli de euacuatione fidei, intelligitur de actuali, non verò de habituali.

Hieron. idem ait.

16 Conf. 4. ex *Hier.* in eundem locum sic habente. In præsenti tria hæc, in futuro sola Dei charitas permanebit. Maius ergo est, quod semper erit, quam quod aliquando cessabit. In Patre, filio, & Spiritu sancto fides stabilis est; additamento opus non habet. Spem autem eam manere dicit, quæ non est eorum, quæ videmus: charitas verò ideo maior est omnibus, quia qui diligit, & credit; & sperat omne, quod speramus, credimus; non omne, quod credimus, speramus. Hæc *Hier.* igitur secundum eum euacuatio fidei, de qua loquitur Paulus, intelligitur de fide actuali non de habitu, de quo numquam, nec ipse, nec alius ex antiquis Patribus locutus est.

Tertull. idem dicit.

17 Conf. 5. ex *Tertull. lib. de Patientia cap. 12.* dicente, exhaurientur linguæ, scientiæ, & prophetiæ, permanent fides, spes dilectio, fides quam Christi induxit patientia; spes, quam hominis patientia expectat, dilectio, quam Deo Magistro, patientia comitatur; si ergo per Tertull. permanet fides, hæc non potest esse, nisi habitualis; quia actualis cessabit.

Auguſt. idem.

18 Conf. 6. ex *S. Augustin. lib. 14. de Trin. cap. 2.* qui de euacuatione fidei loquitur, sed de actuali semper exemplificat; eius

verba

verba hęc sunt. *Quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus non per speciem.* Profectò quandiu iustus ex fide viuit, quamuis secundum hominem interiorem viuat, per eamdem temporalem fidem ad veritatem nitatur, & tendat ad ęterna; tamen in eiusdem fidei temporalis retentione, contemplatione, &c. nondum talis est Trinitas, vt Dei etiam imago in temporalibus constituta videatur, quę constituenda est in ęternis. Mens quippe humana, cum fidem suam videt, qua credit, quod non videt, non aliquid sempiternum videt. Peregrinatione finita, qua per fidem ambulare necesse fit, species illa succedet per quam Deum videbimus facie ad faciem, sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre mærebimur, atque ad speciem nos per fidem productos esse gaudebimus. Neque enim iam fides erit, qua credantur, quę non videntur, sed species, qua videantur, quę credebantur. Igitur actualis fides per *Augustin.* euacuabitur, quia visio rerum aderit. At de habituali nihil prorsus vnquam dicit.

Conf. ex Aug.

19 Idem *Augustin. ibidem cap.* 3. ait, Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quę non erit semper. Et paulò post, inquit, dici enim potest non perire istam Trinitatem, etiam cum fides ipsa transierit; quia sicut nunc eam, & memoria tenemus, & cogitatione cernimus, & voluntate diligimus ita etiam tunc. Est ergo *Augustin.* perpetua sententia, quod in via habemus imaginem Trinitatis, quę per eam sita est in anima cum potentijs actualiter operantibus per cognitionem, & dilectionem; hoc stante, inquit, in via habemus Trinitatem, quia intellectus per actum fidei cognoscit; hęc autem Trinitas non peribit, quia in Patria fides hęc euacuabitur quidem, sed succedet cognitio. Igitur de actualis fidei de perditione semper loquitur.

Alius Aug. locus ad idē

20 Idem *Augustin. lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 10. ait. Ibi (id est in Patria) virtutes non contra vlla vitia, vel mala quęcunque certantes, sed habentes victorię prę mium ęternam pacem, quam nullus aduersarius inquietet. & *in lib. de triplici habitu cap. vlt.* ait, erit in Beatis visio intellectualis, qua puro mentis oculo in spiritu Deum videbunt, & suas animas, & virtutes intimas, &c. ergo retinebunt virtutes, estò non sint contra mala, seu vitia certaturi. Sed fides est vera, & potissima virtus: ergo.

Irenæus idē docet.

21 Conf. ex *Irenæo lib.* 2. *cap.* 47. quędam commendemus Deo, & non solum in hoc sęculo, sed et in futuro, vt semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo, sicut & Apostolus dixit, reliquis partibus destructis, hæc tunc perseuerare, quæ sunt fides, spes, & charitas. & in *lib.* 4. *cap.* 25. ait, Paulus dixit omnibus cæteris euacuatis manere fidem, spem dilectionem: ergo.

Aliud fundamentum opositæ sent. diluitur.

22 Prob. 2. conclusio. Alterum præcipuum fundamentum cui sententia negans habitus fidei permanentiam innititur, est, quia esset otiosa; cum enim de fide sit in Patria, nullum esse futurum actum cognitionis ænigmaticæ, atque obscuræ, sed solam claram visionem fides remaneret prorsus otiosa; & huic motiuo ipsemet *Scotus* ex vna parte videtur adhærere *in §. Respondeo.* Sed hoc motiuum ex pluribus capitibus non obstat: ergo. Minor prob. Primo, nam licet futura esset otiosa in genere causæ efficientis; quia non concurreret ad vllum actum credendi, adhuc tamen esset actuosa, seu operosa in genere causæ formalis, nam ornaret, & nobilitaret intellectum. Neque hoc vrgeret pro solo fidei habitu, sed pro multis alijs, quæ in beato erunt, nam corpus habebit multa membra, multasque potentias absque vllo actu, vt de generatiua, & nutritiua de intestinis, de sexibus, & cæteris multis, quæ nihil prorsus efficient in homine, sed erunt ibi ad integritatem, & ornatum eius, vnde *Hieron. in epist. 61. ad Pammach. cap.* 11. inquit, *nec statim superflua videbitur membrorum resurrectio, quæ carnitura sunt officio suo, cum adhuc in hac vita positi nitamur opera non implere membrorum.* Igitur si otiositas non officit pro membris, neque officiet pro habitibus infusis, qui sunt maxima animarum ornamenta. Secundo, otiositas non officit. Nam, vt optimè *Scotus* docet *in* 3. *dist.* 31. *B* fides habet quidem pro obiecto Deum latentem, sed latentia non est ratio formalis obiecti fidei, sed ipsemet Deus, & concludit, quod inclinare potest in Deum, vt obiectum proprium; quod sic intelligitur, fides habet virtutem inclinandi intellectum ad assensum circa reuelata latentia, & pro hoc statu; & habet etiam virtutem inclinandi in assensum circa veracitatem Dei euidenter cognitam; quam doctrinam secuti sunt Recentes, & præ cæteris *Cardin. de Lugo in tract de fide disput.* 1. *sect.* 6. & *disp.* 17. *sect.* 3. *numer.* 36. hac ergo supposita, & non facile superabili sententia; dici posset, quod habitualis fides in Patria posset concurrere, non ad actus ænigmaticos circa latens, sed ad assensum circa veracitatem Dei euidenter cognitam. Addo, quod posset Deus multa præterita futura, vel possibilia per immediatam locutionem reuelare beatis, & isti assentiri Deo reuelanti; cum iste assensus esset supernaturalis; igitur dependere deberet ab aliquo habitu supernaturali. Patet ergo, quod non esset otiosa. Tertio, si dicatur, quod fides, habet duplicem operandi modum, vnum pro via, alium pro Patria, & quod in via inclinet ad omnes actus obscuros, & circa obiecta latentia; in Patria vero ad omnes assensus quos

Fides non esset omnino otiosa.

Et estò otiosa non officit.

Posset fides habitualis concurrere ad assensum obiecti euidentis.

ha-

habere potest beatos circa obiecta clare, & facialiter visa; iam non esset otiosa, nisi solum in ratione fidei, & secundum facultatem, quam potest exercere circa latentia. Quod vero id possit dici patet ex *Scoto eit.* & patebit ex eodem in sequ. art. de habitu spei, cui duplex influentia à Scoto assignatur, vna circa obiectum absens, altera circa præsens iam habitum, ac possessum. Quarto, ex eodem *Scoto in 3. dist. 31. ad 1.* dantur quædam obiecta, vt ex *notab. 3.* quæ à Beato non sunt, neque scibilia, neque visibilia, quia sunt actiones quædam præteritæ non pertinentes ad beatitudinem, neque per se primò, neque comitanter, quæ quidem forte non videbuntur in Verbo; si eas actiones Deus reuelaret beatis, possent illas credere per assensum. Ergo tunc concurreret fides infusa, licet non in vera ratione fidei, quæ & obiectum exigit latens, & veracitatem Dei non euidenter cognitam; & quidquid sit de hoc, haberet efficientiam circa tales effectus. Ergo non esset omnimode otiosa, sed circa aliqua posset esse actuosa.

Duplex operandi modus fide credendus, circa obscurum, & clarum.

Et ideo *Gregorius de Valentia disp. 1. de fide quæst. 5. puncto 2.* vt soluat argumenta veterum, qui docent non esse destruendum habitum fidei, dicit, eos docere, quod mansura sit fides secundum rationem quandam communem visioni. Nos autem negamus absolutè mansuram fidem actualem, sed de sola habituali contendimus esse mansuram secundum rationem habitus inclinantis etiam ad assensus circa obiectum euidenter reuelatum esto non beatificum; quod multò minus est.

23 Prob. 3. conclusio. Tertium motiuum, cui innititur sententia abijciens habitum fidei, est, quia visio beatifica non potest simul stare cum habitu fidei, sed hoc motiuum non solum non obstat, sed est debilius alijs: ergo. Minor prob. ex *Scoto in eodem loco in 1. dist. 31. B.* Licet actus fidei opponatur cum actu videndi, & sint simul incompossibiles; tamen habitus inter se, vel habitus cum actibus non sunt incompossibiles. Et probat, ex eo, quod quando Paulus in raptu vidit Deum (vt ipse tenet) non amisit habitum fidei. Secundo posset probari à pari, quia licet sessio pugnet cum motu; tamen potentia sedendi non repugnat cum actuali motu. Licet dormitio pugnet cum vigilantia, non tamen cum potentia vigilandi. Intemperantia actualis non potest coniungi cum temperantia actuali; potest tamen coniungi cum habitu temperantiæ; & sic de alijs omnibus vitijs, ac virtutibus. Ergo habitus fidei non est incompossibilis ex natura rei cum actu claræ visionis.

Tertiũ fund. tollens habitum fidei.

Fides habitualis stare potest cum visione, non verò actualis.

Ob. 1. Fides habitualis esset superflua; ergo. Anteced. prob. Non posset exire in actum aliquem; ad id, quod dicitur de effectu formali, videtur effugium; quia non est vera actio. Et sic ad solum ornatum poneretur; quod *Scotus* vbique impugnat; præsertim *in 4. distinct. 49. qu. 11. sub G.*

Arg. contr.

Conf. *Scotus in dicta dist. 49. quæst. 11. G.* docet, si ponendi sint habitus supernaturales, illi essent ponendi, lumen gloriæ in intellectu, & charitas in voluntate; & hoc propter operationes exercendas, nempe visionem, & fruitionem. Ergo alij habitus non sunt admittendi in Beatis.

24 Resp. ex supradictis non esse superfluam, etiam si nihil operaretur efficienter. Ad illud Scoti de ornatu, dico loqui de habitibus nouiter producendis, vt sunt lumen gloriæ, & charitas, quos quidem habitus, inquit, non esse admittendos propter solum ornatum. At habitus antiqui, cum ex nullo demerito debuerint à beatis auferri, est alia ratio. Adde, quod neque characteres Baptismi, Confirmationis, aut ordinationum aliquid operabuntur in cælo, & tamen remanebunt in animabus Beatorum. Ergo multò magis de habitu fidei tenendum est, qui fuit primus in anima, & fundamentum Christianitatis; quare ergo dicendum est, fore abolendum? datum quippe videtur, vt adeo nobilis, ac excellens qualitas annihiletur. Eò, vel maximè, quia, vt dictum est posset concurrere ad assensum circa veracitatem Dei claré visam, & circa alia facta præterita à Deo reuelata, non pertinentia ad beatitudinem.

Quare Scotus negat habitus propter solum ornatum.

25 Ad conf. respondetur per idem; Scotus enim loquitur de habitibus, qui necessarij sunt ad beatitudinem; illi enim duo, ad minus admittendi sunt propter duos actus, in quibus completè, & adæquate consistit beatitudo, nempe visionem, & fruitionem. Ideoque lumen ponendum in intellectu ob visionem; charitatem verò in voluntate ob fruitionem. De alijs autem, qui aderant in via, & non necessarijs ob actum beatitudinis, sed ob alium finem non loquitur. imò, vt postea dicetur, inclinat in sententiam, quod virtutes morales remaneant in Beatis.

Quare duos tantum concedit Scotus beatis.

Ob. 2. Nisi teneatur sententia destruens habitum fidei, coinciditur in sententiam Hieronymi de Praga, vel saltem aliquis ei fauor impenditur; ergo.

Ex absurdo argum.

26 Resp. neg. sequelam. Ille enim, vt patuit, admittebat actum fidei in Beatis & quod peius erat circa diuinam essentiam; & ideo erat hæreticus. Quando autem abiuratio fuit ei a Concilio imposita, id tantum detestatus est, non autem sententiam de habitu. Igitur hæc non fauet priori.

Hier. de Praga fidem actualem asseruit in Beatis.

Dices saltem fauet, si dicatur, quod fides habitualis, quæ admitteretur posset in Patria concurrere ad aliquos actus.

27 Resp. neg. sequelam; quia qui concedunt illi habitui aliquos actus; vel dicunt, non esse actus fidei, vt in via. Vel di-

Qui fidei actus asserit in Patria ne, gant de obiecto beatifico.

dicunt esse actus fidei, non circa obiectum beatificans, sed circa alia non pertinentia ad beatitudinem, neque per se, neque comitanter. Vtrumque, vt dixi innuit Scotus; ait enim fidem inclinare in Deum, & Deum esse rationem formalem obiecti; itaque potest etiam inclinare in assensum eius reuelantis, esto clarè visi. Dicit præterea, quod posset Deus reuelare quædam facta præterita non pertinentia ad beatitudinem siue anima crediderit ista in via, siue non, tunc autem verè crederet Deo euidenter reuelanti aliqua latentia, non ostensa in verbo. At numquam concedi potest, quod anima, vel Angelus habere possit actus fidei, secundum rationem fidei de obiecto beatifico, vel alijs quoquo modo ad beatitudinem spectantibus; quia sic incideretur in sententiam *Hieronymi de Praga*. Ideo male dixit, *Theodoretus* fundatus in illo 1. *ad Tim. 6. Deum nullus hominum vidit potest*, explicans enim postea illud 1. *Cor. 13. Videmus nunc per speculum, tunc autem facie ad faciem*, declarauit beatos non diuinitatem, sed humanitatem Christi esse visuros; quia de fide iam est, esse visuros deitatem immediatè, nisi declaretur de visione corporali post resurrectionem.

Non potest concedi fides circa obiectum beatificum clare visum.

Theodoretus errauit.

Ob. 3. Habitus fidei repugnat cum lumine gloriæ. Ergo, cum de fide sit, lumen affuturum in intellectu beatorum, non poterit in eodem stare fides. Anteced. prob. Illi habitus habent effectus formaliter diuersos, nam lumen illustrat intellectum; fides autem obtenebrat.

28 Resp. dist. antec. Repugnat formaliter, nego. virtualiter, concedo; quia producit actus, qui sunt contrarij actibus fidei. Ad probat. neg. secundam partem assumpti, quod scilicet fides obtenebrat. Imo ipsa fides actualis est lumen quoddam illuminans intellectum ad cognoscenda supernaturalia, licet non ita clarum; & consequenter habitus inclinans ad eam, debet esse lumen quoddam, licet non ita splendens sicut habitus scientificus, vel lumen gloriæ. Et de hoc lumine dicitur, *Luca 1. Lumen ad reuelationem gentium*, quia doctrina Euangelica, quæ fides est illuminatura erat Gentiles. quod & factum est. Item *Ioann 11. Adhuc modicum lumen in vobis est*. & 2. *Petri 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucerne lucenti in caliginoso loco donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris*. Glossa Ord. Ver. *Firmiorem*, si quis sermoni nostro minus credit, sermoni prophetico, nullus audebit contradicere. Et Ver. *In caliginoso*, inquit huius sæculi nocte, in qua necessaria est lucerna, & sequitur, sed numquid semper erit necessaria? non vtique. & post aliqua. Interim ad nostram lucernam pertinet, quod filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, &c. Ex quibus omnibus habemus; quod fides habitualis non est tenebra, sed lucerna quædam, illuminans quidem, non clarè, sed subobscurè in caliginoso hoc sæculo, in quo mysteria cognoscimus, & ænigmaticè videmus Deum, ac diuina. Sicut autem lumen paruum comparatum ad magnum non est tenebra. sed non illuminat, quia præuenitur, seu impeditur à magno, ita se haberet fidei habitus respectu luminis gloriæ.

Fides habitualis non repugnat formaliter cum lumine, sed virtualiter.

Fides etiam dicitur lumen, & quomodo.

Ob 4. ex *Heb. 11. Fides est substantia rerum sperandarum*, sed Beati nihil sperabunt: ergo. Non habent fidem habitualem.

29 Resp. dist. dictum Pauli. Fides actualis, concedo. Fides habitualis, subdistinguo, in via, vel sub ratione fidei inclinantis in latens, concedo. In Patria, seu sub ratione habitus inclinantis in omnem assensum circa ea, quæ dicit Deus, nego. Et sic patet, quod si remanet habitus fidei, non remanet sub ratione fidei tendentis in latens, sed sub ratione habitus tendentis in Deum quomodocunque loquentem. Si enim Deus reuelat beato, se in æternum conseruaturum animas, & corpora beatorum, quæ implicantia est, quod per habitum illum assentiatur Deo clare, & immediate ei reuelanti futurum.

Apost. ferè semper loquitur de fide actuali.

Ob. 5. ex eodem Pauli loco *fides est argumentum non apparentium*. In Patria autem omnia clarè apparebunt: ergo.

30 Resp. dist. Loquendo de actuali, concedo. de habituali distinguo est non apparentium tantum, nego. Est istorum sub ratione fidei, & etiam apparentium sub ratione habitus tendentis in Deum, concedo. Qui ergo vult tenere, quod fides non sit futura otiosa, dicere potest, quod cum obiectum formale fidei sit Deus, latentia verò sit conditio quædam requisita in obiecto fidei pro via, seu vt fides est; apparentia autem sit conditio habitus pro Patria, poterit ad actus assentiendi Deo clare loquenti concurrere. Qui autem vult admittere, quod non implicat eam esse otiosam potest concedere, quod ad nullum actum concurret.

Fides actualis est arg. non apparentium;

Ob. 6. *S. Augst. in Soliloq. lib. 1. cap. 7.* diffusè, & explicitè docet, neque fidem, neque spem in alia vita remanere. Et assignat rationem sic. *Fides quare sit necessaria cum iam videat, & spes, quia iam tenet.* & post aliqua, ait, *Ergo nec spes dum in hac est vita animam deserit, sed post hanc vitam cum tota se in Deum collegerit, charitas restat, qua ibi teneatur. Nam neque dicenda est fidem habere, quod illa sint vera*; & post concludit tria in hac vita esse necessaria, vt anima sana sit, fidem, spem, & charitatem; post hanc vitam verò, solam charitatem: ergo.

Arg. ex Aug. authorit.

31 Resp. totum anteced. Esse verissimum. Sed consequentiam gratis elici; quia Augustinus, nec ibi, nec alibi vnquam locutus

Aug. semper loquitur de fide

actuali, num quam de habituali.

cutus est de habituali fide, aut spe; sed de fide, & spe actuali; ista ergo fides, & spes neque adsunt, neque adesse possunt in alia vita circa obiectum beatificum, & alia comitantia beatitudinem. Ac de habitibus non video difficultatem, cur non possint remanere. Addo, quod Augustinus, vt patuit, concedit, in beatis remanere virtutes non tamen contra mala, seu vitia. Ergo, & virtus fidei. Secundo, dicit *August.* non esse necessariam, quia videt. Igitur loquitur de actuali fide. Non de habitu, & decore.

## ARTICVLVS II.

### *An habitus spei, & Charitatis permaneant in Beatis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 3. sent. dist. 31. quæst. Vnica*, paucis sed succi pleni verbis soluit vtramque partem quæsiti. De charitate autem, dicit eam permanere. De spe verò negat. Sed in decursu quæsiti *sub C. & D.* ait, posse admitti, quod spes cum respiciat Deum, & absentia sit conditio obiecti pro actu spei in via; eadem habitualis spes tendere etiam possit in Deum præsentem, & possessum. Imò *sub F.* ait, quod nisi obstaret doctrina sanctorum dicentium, spem distingui à Charitate realiter posset dici, quod idem habitus sit, habens plures actus. Tamen concedendo esse habitum distinctum, potest ei tribui actus vnus imperfectus circa obiectum absens, alius verò perfectus circa præsens, hæc Scotus. Ideo

Quare de vtroque habitu simul quæritur.

32 Adu. Quod de vtroque habitu simul loquimur; nam panca de charitate sui sunt dicenda, cum ex *disput. 20.* per totam abunde de hoc habitu actum sit. Ideo ob dicendorum connexionem, cum de permanentia habituum, qui erant in via, loquamur, aliqua dicemus etiam de Charitate.

Obiectum spei quod, & quale.

33 Adu. 2. Quod Scotus de spe duo docet, primum *sub A.* dicens eam euacuari, quia esset superflua. Secundum *sub G.* vbi dicit, quod obiectum spei est quidem bonum absens, sed ratio formalis obiecti non est absentia, sed Deus, & proinde datur ipsius spei obiectum, & postea subdit videtur, quod spes possit esse inclinans ad desiderandum absens, & ad amandum præsens. Quia sicut respectu eiusdem obiecti sub eadem ratione formali possunt esse actus multi eiusdem potentiæ diuersi specie, ita respectu eiusdem habitus; & postea *sub D.* latè prosequitur hanc doctrinam, ex qua videtur concludi, quod remaneat habitus spei, non vt inclinans in absens, sed in præsens possessum, antea desideratum.

Spes ad duos actus inclinat.

34 Adu. vlt. Idem iudicium fieri debere de spe, quod de fide factum est. Et pro fundamento statuenda sunt duo. Primum est, quod spes sit habitus inclinans in Deum attingendum per duplicem actum, nempe vt cognitum per fidem, & sic absentem non localiter, sed possessiuè, & vt cognitum beatificè, nempe clarè, & intuitiuè; & sic possessum. Aliud, quod videtur supponendum, est, quod scriptura, & Patres antiqui nullum faciunt mentionem de habitu spei, Sed de actibus sperandi; quia de habitibus, vt dixi in præcedenti ar. factum est decretum definitiuum *in Clem. de summa Trinit. & fide Cathol. cap. 1. §. Ad hæc*, & ideo nunc de fide est infundi habitus. At ante hoc tempus erat opinabile, vnde *Magister sens. vt Scotus notat in 1. sent. dist. 17. quæst. 2.* negabat habitum Charitatis in viatore. Ideo mirum non est, si ex scriptura, vel PP. non eruatur explicitè, & manifestè permanentia, vel euacuatio habitualis spei, sed euacuatio spei actualis, sub ratione actus tendentis in absens. His præmissis

Charitas nõ euacuatur,

35 Dico 1. Habitus charitatis, qui erat in voluntate viatoris non euacuatur in Beatis. Est communis de fide, cum *Sco. to D. Th. ac D. Bonau. in 3. sent. dist. 31.*

36 Prob. 1. Omnibus argumentis allatis *in disp. 20. ar. 7. 8. & 9.* nè eadem repetamus.

37 Prob. 2. De fide est, dari in viatore iusto habitum Charitatis. Sed ista non pugnat cum statu Beati. Ergo remanet in illo. Min. prob. ex *Scoto sub B.* Charitas eadem, & eodem modo tendit in Deum præsentem, & absentem; tendit enim in eum propter se amabilem, & actus eius nullam importat imperfectionem. Ergo permanebit.

Ex S. Script.

38 Prob. 3 ex 1. *Cor. 13. Charitas nunquam excidit, sive prophetiæ euacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Glossa Ord. ait, si credendo, & sperando diligimus, quod nondum videtur, quantò magis, cum videtur. Lyran. ibidem ait, charitas non excidit, quia sicut est in vita, sic permanebit in Patria, cum augumento.

Ambros.

39 *S. Ambr.* in hunc locum, ait, charitas in præsenti prodest, & in æternum cum Deo permanet.

Hieron.

40 *S. Hieron.* ibidem inquit, sola ipsa charitas permanet in futuro, aut certè, quæ vera est non finitur.

Theodor.

41 *Theodor.* in eum locum, ait, charitas non mouetur, aut labitur, sed semper manet; vt quæ forma, stabilis, & immobilis permaneat; hoc enim docuit per ea, quæ sequuntur, sive propheriæ euacuabuntur, sive lingua cessabunt, sive scientia destruetur.

August.

42 *S. August. lib. contra Donatistas post collationem cap. 20. B.* docet longo sermo-

ne, Charitatem esse vestem nuptialem sine qua nullus cæleste regnum ingredi potest, & *in lib. 1. Retract.* docet in hac vita haberi non posse charitatem ita perfectam, quæ excludat omnem culpam venialem, sed hanc haberi in alia vita.

Idem Aug.

43 Conf. ex eodem *in Soliloq. libro 1. cap. 7.* vbi loquens de euacuatione fidei, ac spei in Patria, ait, *Charitati verò non solum nihil detrahitur, sed addetur etiam plurimum.* & post aliqua. *Sed cum post hanc vitam tota se in Deum collegerit, charitas restat, qua ibi teneatur.* & in fine, inquit, *alia tria fides, spes, charitas; primum illorum trium, & secundum semper sunt necessaria. Tertium verò, & in hac vita omnia; post hanc vitam sola charitas.*

44 Prob. tandem ex omnibus S. Scripturæ Interpretibus in locum citatum Pauli. & ab omnibus Scholasticis nullo prorsus excepto; qui fidem, & spem euacuandas docent, charitatem verò permansuram.

Dices. Neque Scriptura, neque Patres loquuntur de charitate habituali, sed de dilectione. Ergo non concluditur ex illis permanentia habitus.

Quare ex Scriptura non infertur habituum permanentia.

45 Resp. neg. consequ. Si enim admittitur actus, multò magis admittendus est habitus. Eatenus enim negatur communiter permanentia habituum fidei, & spei, quia neganter actus illarum. Quod autem ex Scripturis, & Patribus non concludatur explicitè habitus permanentia, inde procedit; quia hæc difficultas de habitibus non erat controuersa. Cum ergo de fide sit in Baptismali iustificatione infundi habitus fidei, spei, & charitatis. Et habitus isti non contradicant statui Beati, & charitas præsertim sit maxime ei consentanea; defenditur eam manere; immò, vt ait Augustinus augeri in Patria.

Spes euacuatur sed sent. opposita nó est improbabilis.

46 Dico 2. Licet communiter teneatur habitum spei euacuari: nihilominus improbabile non est, neque euidenter confutabile, quod remaneat habitus ille, non vt inclinans ad actum desiderij de absente; sed ob alium finem, vel ad complacentiam de præsente. Colligitur ex Scoto locis initio citatis.

47 Prob. 1. pars. ex Scholasticis adducendis in obiectionibus.

Prob. 2 pars. Nulla est repugnantia, quod supernaturalis illa qualitas remaneat connincta cum alijs, sicut fuit in via. Et incongruum videtur, vt sit annihilanda, absque animæ demærito: ergo.

2. pars probatur eisdem argum. quibus fides.

48 Prob. 2. eisdem medijs, quæ allata sunt pro fidei permanentia. Vel enim sententia negans innititur locis Scripturæ, vel Patrum dictis. Ex neutro illorum infertur spei habitualis destructio, vel annihilatio. Omnia enim loca Scripturæ, & Patrum dicta sunt de spe actuali, actibus nempe sperandi. Et de hoc habitu neque verbum quidem aliquando videtur factum; Imo, nisi in *Chemnitina 1. de summa Trinitate, & fide Cathol. §. Ad hoc*, fuisset decisum habitus infundi paruulis, adhuc esset inopinione, vsque ad *Concil. Trident.* quod *in sess. 6. cap. 7.* docet in iustificatione baptismali infundi fidem, spem, & charitatem. At neque PP. neque Scriptura mentionem faciunt de habitibus illis explicitè, licet implicitè de illis loquantur, & ex ijs deductum est Ecclesiæ decretum.

Argum. ex otio excluditur.

49 Prob. 2. Aliud motiuum excludendi habitum spei, est otium illius perpetuum. sed neque hoc vrget: ergo. Minor prob. Sicut de fide dictum est, multa alia in Beato manent otiosa, & tamen admittuntur, vt patet de Characteribus, & potentijs multis organicis, olfactiua, gustatiua, generatiua, nutritiua, &c. igitur multò magis possunt permanere hæc supernaturalia dona. Præterea, dicemus remanere virtutes morales, quæ adhuc erunt in perpetuo otio. Ergo & spes.

Non esset otiosus, quia concurreret ad complacentiam.

50 Secundo prob. min. Gratis dicitur, habitum spei manere totaliter otiosum? licet enim, non concurreret, neque posset concurrere in actum desiderandi Deum absentem, obscurè cognitum, & non possessum in ratione obiecti fruibilis, posset tamen concurrere ad actum complacentiæ de illo obiecto prius desiderato, & postea possesso. Cum in creatis eadem forma, quæ est principium motus ad terminum, sit principium quietis in termino. Secundo, quia ex *August. lib 9. de Trinitate cap. vlt.* appetitus inhiantis sit amor fruentis. Igitur multò magis id erit verum de habitu inclinante ad desiderium alicuius termini.

Aliud arg. ex consequè tia Scripturæ non connincit.

51 Prob. 3. Si quid aliud magis vrgeat est, quia cum de spe fit sermo in Scriptura, semper coniungitur cum ordine ad rem absentem non possessam, vt patet ex *Psal. 13. Dominus spes mea est. Psal. 70. & 62.* & sæpe in Psalt. *Sap. 3. Spes illorum immortalitate plena est.* & millies id in Scriptura repetitur, & omnium maximè vrget locus Apostoli, *ad Rom. 8. 24. Spes, quæ videtur non est spes*, id est, si obiectum habetur, & possidetur non habetur in illud spes. Sed hæc loca probant tantum, vel quod non posset operari circa Deum possessum; vel, quod non posset exercere illud genus actuum, quod tendit in obiectum absens non possessum. At ex hoc non concluditur, quod non possit ad alios actus circa obiectum præsens concurrere. Ergo ex hoc capite non videtur neganda permanentia habitus spei.

Arg. ab author. ex Tertull. & alijs.

52 Prob. 4. ex *Irenæo, ac Tertulliano* in præced. art. adductis, qui vniformiter loquuntur de permanentia fidei, ac spei.

53 Prob. 5. Si auferendus esset habitus spei, vel hoc procederet ex physica incompossibilitate ipsius cum statu gloriæ; vel ex morali repugnantia ex Dei ordinatio-

tione, statuentem habitum illum ab anima beata eripere. Neutrum dici potest. Non primum; quia in voluntate, quæ est subiectum spei, vt suppono, non ponetur alius habitus ei contrariè oppositus. Cum charitate autem nullam habet oppositionem, quia de facto in via stant simul. Secundo, quia habitus numquam sunt contrarij quando respiciunt idem obiectum, siue in magno, siue in paruo lumine relucens. Ergo ex hoc capite impossibilitatis physicè non est euacuandus habitus spei. Neque dici potest secundum. Nullibi enim habemus in scriptura hanc Dei ordinationem de habituum supernaturalium destructione, nisi ex demeritis, vt ex demerito cuiuslibet peccati mortalis gratiæ habitus amittitur, ex *Concil. Trident. sess. 6. cap. 15. & can. 27.* fides verò per solum peccatum infidelitatis, ex eodem Concilio. Et spes per peccatum desperationis. Alio autem modo non destruuntur; quia *Sapien. 11.* habetur, *nihil odisti eorum, quæ fecisti*. Ergo non potest dici, quod ex Dei ordinatione sit destruenda spes habitualis.

A sufficienti arg.

Non habet spes fiduciæ cum beato.

Ob. contra 1. ex *1. Cor. 13.* ait enim Apost. cum autem venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod est parte est; sed non sola fides, ac spes, verum etiam Charitas est ex parte, & imperfecta, ergo etiam ipsa euacuabitur. Min. probatur. Charitas viæ, siue sumatur pro actu, siue pro habitu est inferioris conditionis, quam sit charitas Patriæ; hæc enim facit beatum, non illa. Ergo est perfecta in Patria, imperfecta in via.

Arg. contr. 1

54 Resp. neg. min. Illæ enim virtutes dicuntur imperfectæ, & ex parte, quæ essentialiter ex parte actuum determinant sibi imperfectionem, quod charitati non competit; accidit enim, quod obiectum sit præsens, vel absens, & actus eius sunt vniformes. Ad probat. inquit Scotus, & prius ipso Augustin. vt patuit, eandem esse charitatem in via, & in Patria, sed hic magis auctam. Quod verò hic, & non ibi faciat beatum, id prouenit ex cognitione clara, & possessione inamissibili obiecti. Ideoque licet charitas æquè in via, ac Patria esset intensa, non proinde in via faceret beatum, quia deficeret clara visio, & inamissibilis possessio obiecti; & ex alterutrius defectu prouenit carentia propriæ, ac perpetuæ beatitudinis.

Quæ aliæ virtutes dicuntur imperfectæ, non vero charitas,

Inst. Ideo fides, & spes euacuantur, quia sunt circa obiectum absens. Sed circa idem prorsus est charitas: ergo.

55 Resp. 1. neg. suppositum; quia licet fides, & spes actuales euacuentur, non tamen habituales: quia istæ remanent, vel ad aliquos actus alterius generis, vel otiosæ in genere causæ efficientis.

Charitas, eiusdem est rationis in via, & in Patria.

56 Resp. 2. neg. consequ. Quia etiam actualis charitas est eiusdem rationis intrinsecæ in via, & in Patria. Si enim in via Deus se ostenderet clarè alicui, vt de Paulo, & Moyse tenent multi cum Augustino; dilectio eius clarè visi, est eadem cum dilectione illius antea per fidem crediti. Non sic se habent actus fidei, & spei.

Ob. contra 2. De ratione essentiali spei, est, vt inclinet voluntatem in bonum commodum absens: ergo. Anteced. prob. ex *Rom. 8. Expectantes redemptionem corporis nostri; spe enim salui facti sumus; spes autem, quæ videtur non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat. Si autem, quod non videmus speramus, per patientiam expectamus*. In quem locum omnes interpretes dicunt, spem tendere in absentia, & non visa; Glossa autem Interl. Ver. *Spes quæ videtur*, ait, non est subiecta spei virtuti, quæ non est nisi de non apparentibus. Ver. *Quid sperat?* ait, quod videtur, non speratur, sed quod non videtur, ergo implicat admittere virtutem spei præsente obiecto iam viso & possesso.

Arg. contr. 2

57 Resp. ex *Scoto sub C. & D* De ratione spei, vt inclinantis ad desiderandum est inclinare in non habitum, concedo. De ratione spei, vt inclinantis ad complacentia duo de re possessa, & prius desiderata est inclinare in absens non habitum, nego. & neg. consequ. Ad probat. anteced. Dico cum Scoto, loca illa optima esse ad probandam vnam facultatem, seu inclinationem spei, nempe propensionem ad desiderium rei non habitæ; non verò ad probandum omnem spei virtutem, quæ est etiam ad producendam complacentiam de re illa prius desiderata, & postea habita. Hunc autem effectum haberet spes in Patria, si adesset.

Spes inclinat in non habitum & in habitum obiectum, & quomodo.

58 Resp. 2. neg consequ. Qui enim vellet sustinere, quod spes habet vnam tantum inclinationem nempe in bonum absens; diceret spem in Patria ad hoc non inclinare; sed ibi manere sine actu, sicut manebunt membra multa, & organa corporea sine actibus suis.

Etiam cum orio posset defendi spes sicut alia multa.

Dices contra primum responsum. Sine fundamento assignatur spei actus alius præter desiderium; complacentia enim pertinet ad amorem, quæ est à charitate. Ergo ex hoc capite non remanet.

Instantia;

59 Resp. neg. anteced. Nam actus spei est amor concupiscentiæ, & tendit in obiectum bonum amanti; ac proinde complacentia de bono, vt amanti bono, nequit esse ab alia virtute, quam ab ea, quæ inclinat ad actus concupiscendi, & amandi, quia bonum amanti: hoc autem non potest competere charitati, quæ ex amicitia amat bonum, quia in se bonum, & amari dignum. Cum igitur in via charitas inclinet ad amandum Deum propter se, non quia bonus amanti; & in Patria sit eadem, & aucta charitas, vt ait Augustinus immutata quoad rationem obiectiuam, & modum tendendi, qui est propter se; complacentia

Quare spei assignari debet actus in rem habitã

A sufficienti arg.

de Deo possesso, quatenus est bonus, & perfectionem, ac delectationem afferens beato; non potest provenire ab ea virtute, quæ amat propter se, & non potest aliter amare; sed ab ea, quæ amat bonum, quia amanti bonum. Ergo sicut de necessitate admittendus est hic actus complacendi de proprio commodo prius desiderato, & postea possesso; ita de necessitate alicui virtuti tribuendus est. Sed non charitati, vt patet: ergo spei, quæ prius illud optabat.

Inst. 1. cum disparitate.

Dices contra 1. respons. Disparem esse rationem de membris aliisque organicis potentijs, & de habitu spei: nam membra illa, ac potentiæ pertinent ad integritatem hominis. Non sic iste habitus, qui ad essentiam, & integritatem non spectat; & aliunde est etiam otiosus.

Multæ instantiæ de alijs otiosis in Patria.

60 Respondetur adhuc alias suppetere instantias de characteribus, de speciebus intelligibilibus, ac scientijs, quas aliquis habebat in via. De Virtutibus, tam intellectiuis, quam appetitiuis. Primi enim habitus cum speciebus, superflui videntur, quia beatus per visionem matutinam, seu in Deo, videre posset obiecta illa, quorum species detulit decedens ex hoc mundo. Habitus verò virtutum moralium nullum prorsus actum habebunt, nec habere poterunt, si iusticiam excipias ad summum; quia nulla ibi passio irascibilis, aut concupiscibilis, contra quas positæ sunt virtutes. Eodem ergo modo stare poterit habitus spei, licet nullum esset habiturus actum, neque circa absens, neque circa præsens.

Ob. 2. Si spes posset habere aliquos actus, vel essent eiusdem, vel diuersæ rationis. Neutrum dici potest: ergo. Prob. min. non eiusdem; quia esset desiderium, quod requirit obiectum absens. Secundo, quia actus ille est imperfectus, & ex parte; & iuxta regulam Apost. 1. Cor. 13. *Cum venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.* Non diuersæ rationis, quia habitus quilibet operatur modo naturali, & determinato ad vnum. Igitur, si vnius est speciei habitus, vnius pariter speciei erit actus.

Actus spei in Patria essent diuersæ rationis ab actibus spei in via.

61 Resp. neg. min. ad probat. dico, actus spei in Patria esse diuersæ speciei ab actibus, quos exercet in via. Ad impugnationem, ait *Scotus sub C* quod circa idem obiectum sub eadem ratione formali possunt esse multi actus diuersæ speciei, ne dum à diuersis potentijs, sed ab eadem potentia, non solum differentes secundum magis, & minus; sed sicut plures species sub eodem genere, vt extrema, & media. Et fundamentalis eius ratio est; quia, cum actus sit à potentia, & obiecto, quando variatur aliqua ratio istorum, vel alterius in se, vel per coniunctionem cum alia causa, vel per approximationem, &c. variabitur perfectio huius actus. Posset exemplificari de Sole, qui ex eadem terra tot diuersos specie effectus producit iuxta maiorem, vel minorem approximationem. Ita de voluntate ait Scotus dicendum est: quæ habere potest desiderium circa obiectum absens; & tentionem, ac complacentiam circa præsens. Primus actus est imperfectus respectu secundi, & specie ab eo distinctus; neque ob aliam rationem provenit hæc diuersitas, nisi ob approximationem. Et sicut radius rectus, & reflexus faciunt effectus specie diuersos, solum ex approximatione. Ita eodem modo dicendum de habitu talis potentiæ; quod nempe vnus, atque idem habitus ratione approximationis diuersæ poterit producere circa idem formale obiectum effectus specie diuersos: ita se habet spes. Vnde concludit *Scotus sub D. Concedo igitur, quod bene posset vnus habitus tendens in ipsum Deum, vt est bonum commodum, & illam non oporteret euacuari. Sed spes ponitur præcisè ad actum imperfectum, & hoc ex absentia obiecti.* Itaque salua manet spes, si dicatur habere actus diuersæ speciei, quorum vnus euacuatur, alius permanet.

Exempla de Sole, & terra diuersa producentibus.

Idem habitus potest producere effectus diuersos ex diuersis obiecti approximatione.

Ob. 3. *Scotus in 3. dist. 26. quæst. Vnic. §. Quantum ad quartum, sub R.* aperte docet virtutes Theologicas non esse connexas, inter se, & assignat rationem, quia in Patria manebit actus, & habitus charitatis sine actu, & habitu fidei, & spei: ergo.

62 Respondetur Scotum aliquando sic sentire. Debet tamen vniuersaliter explicari de actibus, & habitibus secundum inclinationem ad obiectum latens, & absens, non autem absolutè secundum aliam inclinationem ad obiectum apparens, & præsens; quia secundum hanc importat perfectionem. Imò etiam si actum nullum efficerent, non important aliquid contrarium statui beati.

Scotus declaratur.



ARTI-

## ARTICVLVS III.

### *An in Beatis remaneant virtutes morales.*

Scoti mens.

SCOTVS soluit hoc dubium *in 3. sentent. distinct. 36. quæst. Vn. §. De tertio art.* P. vbi agens de connexione virtutum moralium saltim cum charitate; contra se ipsum tenentem virtutes morales non infundi, sed per actus acquiri, conficit validum argumentum de paruulis decedentibus, qui eas habent in Patria, cum tamen acquirere per actus non potuerint in via; & variè respondet, quomodo eas habeant: & dicit primò, paruulos in Patria non habere morales virtutes; neque omnem scientiam in genere proprio, sed sufficere eam, quam habent in Verbo. Secundo respondet, quod paruulis infundantur in instanti beatitudinis, & dicit hoc esse magis rationabile, quam si dicatur infundi in Baptismo. Tertio dicit, posse concedi, quod in Beatitudine eas acquirant per actus suos, et ita eas habere virtutes morales. hæc *Scotus ibi in dicto*. autem 33 G. in fine docet ex Magistro, in Patria remanere virtutes. idem dicit *in 4. dist. 45. quæst. 1. C.*

Numerus virtutum moralium supponitur.

63 Adu. 1. Quæritur hoc supponere naturam, ac numerum virtutum morabum, quæ quidem prolixam exigunt discussionem, quam ex proprio *tract. 2. tomi in 3. sent.* supponimus. Suppositio ergo numero quaternario virtutum prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, ac fortitudinis, licet aliàs species sub se contineant, vt ex eodem tractatu supponimus. Inquirimus vtrum in omnibus Beatis reperiantur.

Multa dubia de virtutibus.

64 Adu. 2. in hoc art. occasione principalis quæsiti plura dubia breuiter, et obiter soluenda esse; cum hic non sit proprius eorum locus. Primum quod virtutes morales non infundantur. Secundo, quod non de necessitate sunt connexæ, neque inter se, neque cum virtutibus Theologicis. Tertio, vtrum non solum sint contra passiones, sed ijs superatis, sint ad actus proprios sine repugnantia passionum. Quarto, an etiam pueri, et omnes rustici eas habituri sint in Cælo. Quinto, an possint augeri per proprios cuiuslibet actus, quæ omnia ob maximam inter se connexionem, distinctè quidem, sed breuiter, atque obiter soluentur.

Etiam inter veteres duæ sententiæ de permanentia virtutum in Patria.

65 Adu. 3. Etiam inter antiquos fuisse duas sententias in hoc puncto, quarum vna admittit Cardinales virtutes in Beatis; alia negat, vt refert *S. Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 9.* Præcipuus autem negatiuæ author fuit Cicero, qui post hanc vitam nullam virtutem moralem concedebat, sed solam scientiam. Eius verba ab Augustino relata, mox subijciam. Alij autem Authores, & maximè Scholastici omnes, duce S. Augustino, docent remansuras quidem cum actibus suis, sed valde differentes ab actibus, quos habent in via, hic enim sunt perfectiones purgatoriæ, quæ purgant animum à passionibus: ibi sunt perfectiones animi iam purgati. Ideo *Scotus in 3. distinct 33 quæst. Vn.* cum *Magistro Sent.* eas admittit, ne dum in beatis omnibus hominibus, sed etiam in Angelis.

In Beatis remanent virtutes morales.

66 Dico ergo in Beatis remanent omnes virtutes morales. Est *Scoti in loco cit. dist. 33. ar 36. & in 4. dist. 45. quæst 1. C. D. Thomas in 1. 2. quæst. 67 ar. 1. in 2. 2. q. 52. art. 3. & quæst. 136. art. 1. & in 3. sent. distinct 33. quæst. 1. art. 4. D. Bonau. in 3. sentent. dist. 33. quæst. 6.* qui omnes acceperunt à *Magistro Sent. dist. 33.* & hic ab *Augustino* infra adducendo, ipse autem à scriptura.

Ex script.

67 Prob. 1. ex *Sapientia* 1. habetur in fine, *Iustitia perpetua est, & immortalis*, quem locum *Magister Sent. in dist. 33. D. Thom. p. 2. quæst 67. ar. 1. & S. Bonau. vbi supra*, intelligunt de ea, non vt est virtus generalis, sed vt est specialis, seu Cardinalis virtus reddens cuique quod suum est. Ergo si remanet hæc, poterunt, & aliæ remanere.

Ex August. doctrina.

68 Prob. 2. ex *S. Augustin. lib. 14. de Trinit. cap. 9.* vbi ex professo rem tractat, sic, *Virtutes autem tunc etiam virtutes, quibus in hac mortalitate bene viuitur, desinant esse cum ad æterna perduxerint, nonnulla quæstio est quibusdam enim visum est defuturas, & de tribus quidem prudentia, fortitudine, temperantia, non nihil dici videtur. Iustitia verò immortalis est, & magis tunc perficietur in nobis, quam esse cessabit. De omnibus attamen quatuor, magnus author eloquentiæ Tullius in Hortensio dialogo disputans, si nobis inquit cum ex hac vita migrauerimus in beatorum insulas immortalem, vt fabulæ ferunt degere liceret, quid opus esset eloquentia cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus; nec enim fortitudini egeremus nullo proposito, aut labore, aut periculo; nec iustitia, cum esset nihil, quod appeteretur alicui; nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent habendæ; nec prudentia quidem egeremus nullo delecto proposito bonorum, & malorum, &c. ita Tullius*, qui, sequitur *August.* sola scientia animos beari putauit, sed contra Tullij doctrinam, ait ibidem *August. Ea est natura, quæ creauit omnes cateraque instituit naturas, eui regenti esse subditum, si iustitia est, immortalis est omnino iustitia, nec in illa esse beatitudine desinet; sed talis, & tanta erit, vt perfectior, & maior esse non possit; Fortassis, & aliæ tres virtutes, prudentia sine vllo iam periculo erroris; Fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; Temperan-*

In qua de omnibus distincte discurrit.

tia

*ita sint repugnatione libidinum erunt in illa felicitate, vt prudentia sit nullum bonum Deo proponere, vel æquare, fortitudinis, vt firmissimè cohærere. Temperantia nulla defectu noxio delectari. Nunc autem quod agit iustitia in subueniendo miseris; quod prudentia in præcauendis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs, quod temperantia in coercendis delectationibus prauis, ibi non erit vbi nihil mali erit.* hæc *S. Augustin.* qui, et permanentiam virtutum moralium, et eorum actus explicitè, et eruditè de more insinuat.

Glossa in Exod.

69 Prob. 3 ex Glossa Ord. quæ est *Beda in cap. 26 Exodi, ver. 32.* vbi habetur, *Appendes ante quatuor columnas de ligni Setim.* ait Beda, quatuor autem columnæ, ante quas appensum est hoc velum potestates cæli sunt quatuor eximijs virtutibus præclaræ, id est fortitudine, temperantia, prudentia, iustitia, quæ aliter in cælis seruantur ab Angelis, & animabus sanctis, ibi enim subditum esse Deo iustitiæ est; nullum Deo proponere bonum, vel æquare, prudentiæ; Deo fortissime cohærere fortitudinis; nulla re noxia delectari, temperantia. Et sequitur replicans, quæ supra dixi ex Augustino de actibus, quos in via habent istæ virtutes. Et post idem Bedæ ex eadem Glossa, sequitur, deauratæ sunt columnæ ante quas appenditur velum qui positæ intra velum cæli virtutes Angelorum summæ claritatis gratia vestitæ sunt. Ergo ex Beda remanent in Beatis istæ virtutes.

A paritate Christi.

70 Prob 4. Istæ virtutes fuerunt in Christo perfectissimo modo, & tamen erat beatus: ergo. Anteced. supponitur ex proprio tract. de Incarnat cum *Magistro sent. dist. 33* dicente, *hæ virtutes, Cardinales dicuntur, quæ in Christo plenissimè fuerunt, & sunt, de cuius plenitudine accepimus omnes; Ioann. 1. In quo habuerunt vsus eosdem, quos in patria habent, & quosdam in via.* Consequ. prob. Sicut non derogatur summæ Christi beatitudini, neque cum eo statu pugnat habere eas virtutes, estò sine necessitate frænandi passiones; ita neque derogatur aliorum beatitudini, neque cum eorum statu pugnat eas retinere.

Apriori arg.

71 Prob. 5. Nihil impedit, quin beati eas retineant: ergo. Anteced. prob. Possunt elicere actus illarum absque vlla prorsus imperfectione, vt notant Augustinus, Beda, ac Magister sent. Si enim iustitia in via exercebat actus respiciens aliorum miserias, hunc actum certè non habebit in Patria, sed alium, nempe Dei cultum, latriam, & subiectionem omnem circa eum; item, & velle inter alios locum meritis proportionatum, & non superiorem. Sic de prudentia dicendum, quod in via cauebat ne erraretur in mediorum electione circa finem, & vt insidias effugeret; id non habebit in Patria; sed optima media eliget pro dilectione Dei perfecta. Et ita de alijs, vt supra dictum est. Ergo, cum beatus habere possit optimas electiones regulabiles ab eiusmodi virtutibus, conuenienter possunt in eo admitti.

A sufficienti argum.

72 Prob 6. Eiusmodi virtutes, vel dicuntur infundi in baptismo, vel solum conceduntur acquisitæ. Quidquid dicatur in congruum est, vt in morte iustorum destruantur. Non enim Deus odit, quæ fecit *Sap. 11.* Et ex alio capite, maximo sunt decori, & ornamento animabus beatis. Ergo non sunt eis denegandæ.

Arg. ex congruentia.

73 Prob 7. Etiam si virtutes istæ non essent aliquid operaturæ, adhuc tamen non videntur denegandæ beatis. Alia enim per multa in eis erunt, vt potentiæ quædam organicæ, Characteres, &c. quæ quidem nihil prorsus efficient; & tamen in eis permanebunt. Item dona Spiritus sancti in eis erunt, quæ tamen non erunt necessaria absolutè, cum omnia possent per charitatem perfici. Ergo etiam virtutes morales.

Non valet arg. ex connexione virtutum.

74 Probant alij ex connexione virtutum. Sed hoc argumentum non est ad rem; nam licet, vt virtus aliqua moralis sit perfecta in genere supernaturali debeat esse connexa charitati sine qua nihil prorsus valeret, ex 1. *Cor. 13.* alijs verò si non in actu, saltem in habitu, vt docet *Augustin. in lib. de Bono coniug. cap. 21. A. & 3. & cap. 23. A.* tamen, vt sit perfecta in genere naturæ non est necesse, vt alijs sit connexa: poterit enim quis iustitiam exactam exercere, & tamen esse intemperatus. Vel dato etiam, quod concedo, morales virtutes in esse naturali esse connexas inter se, non tamen Theologicis, vt experimento constat: Ex hoc enim, quod quis habeat habitum fidei, spei, & charitatis non sequitur, quod habeat virtutes istas, præsertim paruuli. Ergo ex permanentia charitatis in Patria non deducitur existentia virtutum.

Neque valet arg. de infusione moralium.

75 Probant alij ex infusione, quia scilicet cum animabus sint infusæ à Deo, semper eas sequuntur. Sed hoc medium assumit aliud difficilius de infusione, quam Scotus non admittit. Secundo, estò concederentur infusæ, diceretur dari pro tempore viæ, nam hic tantum adsunt passionis, ob quas, virtutes conceduntur. Tertio, quia etiam fides, & spes infunduntur; & tamen, vt patuit communior sententia negat eas permanere. Igitur medium infusionis non est ad rem.

Arg. contr.

Ob. 1. Virtutes morales sunt ignobiliores Theologicis. & tamen istæ non permanent, sed destruuntur. Ergo & illæ.

76 Resp. 1. iuxta dicta *in ar. 1. & 2.* neg. min. Quia etiam illæ remanent, licet non secundum actus, quos habuerunt in via.

Vel paritas de Theologis non est

Resp. 2. neg. consequ. Ratione formæ; quia argum. est in quatuor terminis: & ratione materiæ; quia non propter nobilitatem,

tem, vel ignobilitatem remanent istæ, vel illæ, sed propter effectum, seu finem, & propter actus circa obiectum. Et quoniam fides, & spes habere non possunt obiectum latens, ac absens; neque actus credendi, ac sperandi habere poterunt. Non sic virtutes morales, quæ suas electiones, licet non pugnantes contra passiones habere possunt.

Ob. 2. Virtutes morales sunt virtutes actiuæ. Sed in Patria cessabit actiua vita, & vsus earum; ergo & ipsæ. Min. prob. ex *D. Greg. Hom. 5. in Ezzech.* post medium. & ex *lib. 6. moral. cap. 28.* vbi habet, *actiua vita opera cum corpore transeunt*: ergo.

Actiua vita cessabit in Patria quo ad aliqua.

77 Resp. dist. min. Cessabit actiua vita quò ad actus moderandi passiones, & metendi in ordine ad finem, concedo; quo ad electiones, quas potest animus purgatus exercere, nego. Et per hoc respondetur ad *Greg.* imò ipse in loco prius cit. *Ezzech.* ait in vita actiua fixi manere possumus, in contemplatiua autem intenta mente manere nullo modo valemus, & loquitur de hac vita. In æterna verò contemplari, & agere intenta mente, & fixè valebimus.

Ob. 3. Si conceduntur hæ virtutes beatis; non omnes eas haberent: ergo. Prob. sequela. Rustici, & pueri eas in hac vita non habuerunt. Igitur non possent retinere. At videtur incongruum, quod in eiusmodi formis naturalibus sint inæquales: ergo.

Omnes etiã pueri habebunt virtutes morales.

78 Resp. cum *Scoto* loco initio cit. omnes, etiam pueros eas virtutes habituros; & licet ipse neget eas infundi in Baptismo; tamen, ait in primo instanti beatitudinis eas esse infundendas ijs qui in via illis carebant; vel proprijs actibus illas acquisituros. Qui verò dicunt eas infundi, facilius respondent.

Ob. 4. ex 1. *Cor.* 13. Scientia destruetur, quæ est habitus naturalis: ergo etiam alij habitus morales naturaliter acquisiti non enim est maior ratio de his & illa.

Scientia secundum habitum non destruetur,

79 Resp. 1. dist. anteced. Scientia secundum actum, vel secundum imperfectiones, quas importat, destruetur, concedo. secundum habitum, & id quod dicit perfectionem, nego. Ita prorsus dicit Glossa Ordin. *Quidam dicunt non ipsam scientiam, seu donum scientiæ euacuari, sed modum, quia modo cognoscimus æniqmaticè, & umbratiliter, & obscurè; tunc autem per speciem, id est clarissimè:* & post. *Alij dicunt, non solum modum scientiæ, sed etiam actum, seu ipsam scientiam, quæ nunc est in futuro euacuari. De actu quidem, & vsu ipsius scientiæ probabile est, quod euacuetur; de ipsa verò scientia non adeo. Scientia enim est permanens qualitas, cuius actus est visio ipsa qua videmus nunc, à qua ad aliam perducimur,* hæc Glossa. Ex quibus duo colliguntur, & quod per scientiam euacuandam intelligitur cognitio fidei qua nunc scimus, seu cognoscimus Deum, & diuina. Et quod modus cognoscendi destruetur, non autem habitus. Igitur ex hoc nihil colligitur contra conclusionem.

Fidei cognitio ibi dicitur scientia euacuanda.

80 Resp 2. dist. consequ. Destruuntur virtutes eo modo quo scientia id est secundum modum, & secundum actum, transeat; secundum habitum, nego. Et de hoc est quæstio.

Alia resp.

Ob. 5. Virtutes istæ essent otiosæ: ergo. Anteced. prob. Non aderunt passiones contra quas datæ sunt: ergo.

81 Resp. 1. neg. consequ. Nam propter otium in præcedd. dictum est non esse negandos habitus. Quia multa alia erunt otiosa, & tamen non destruentur.

Actus virtutum non erunt contra passiones

82 Resp. 2. neg. anteced. ad probat. Dico, non habituras eos actus, quibus passiones domantur; sed alios independentes à passionibus, de quibus egregiè exemplificat Augustinus, vt in notab. dictum est.

Ob. 6. Si darentur hæ virtutes in Beatis, deberent admitti etiam in Angelis; sed hoc est absurdum, Angeli enim eis numquam egerunt, neque modo indigent.

Angeli habent virtutes.

83 Resp. ex *Scoto in 3. dist. 33 quæst. Vnica l. 6 Ad primum* neg min. & probat. Cum enim fuerunt creati eas habuerunt, quia omni dono, & virtute ornati, creati sunt, & ijs etiam tunc indigebant, imo, & ijs vsi sunt in tentatione illa vehementi elationis, seu appetitus æqualitatis diuinæ; tunc enim, & prudentes, & iusti, & temperati, & fortes apparuerunt. Quid mirum ergo, si etiam nunc habitus illos possideant, quibus non iam contra tentationes pugnent, sed ad actus perfectissimos vtantur. Et ita etiam docere video *sanctum Thomam 1. 2. quæst 67. ar 1. ad 1.*

Instab. ex 3. *Ethic. cap.* 10. Temperantia, & fortitudo dantur ob partes irrationales. Sed Beati ijs partibus carent; quia corrupto mortali corpore, quod agrauat animam, partes illæ irrationales, nempe irascibilis, & concupiscibilis corrumpuntur. Igitur, nec remanent subiecta earum, neque illæ potentiæ circa quas exercendæ sunt.

Virtutes fo. n. nt partes irrationales pro nunc.

84 Resp. dist. ma. Dantur ob partes irrationales, id est ad informandum eas tamquam earum subiecta, nego. Quia virtutes omnes, vt suppono, in anima subiectantur, dantur ob partes irrationales, id est ad frænandum illas, concedo: & nego consequ. Ratio est, quia, licet in morte separentur organa corporea ab anima; tamen remanet anima, quæ est virtutum omnium subiectum: cum autem reassumentur corpora, aderunt quidem organa; quæ licet motus inordinatos non habebunt, contra quos exerceri oporteat virtutes, ad ea purgandum ad

erunt

In Patria erunt effectus animi purgati,

erunt tamen actus perfecti, & purgati animi ex imperio, & inclinatione talium virtutum, quæ vt ait S. Bonau. tunc non tollentur, sed perficientur.

Ob. 7. Inter virtutes præcipuum locum obtinet prudentia, quæ in omnium aliarum exercitio est necessaria, tamquam regula, sine qua nulla virtus est in medio, sed vel excedit, vel deficit. Sed in Patria nulla videtur necessitas, nullumque exercitium Prudentiæ. Hæc enim ordinat media ad finem. Et tamen finis ibi possidetur: ergo.

Prudentia in Patria regulat actus circa finem colendum.

85 Resp. neg. min. ad probat. Dico, quod licet finis possideatur, multi tamen actus, vt charitatis, ac iustitiæ sunt circa eum exercendi. Hos autem à prudentia regulari oportet; nam licet non sit periculum imprudentiæ, quia beati non possunt deficere à recta regula, nec peccare; tamen concurrit prudentia positiuè, ac directiuè ad actus illos charitatis, & iustitiæ. Et sicut dicimus de Deo, quod deficere non potest, iustè tamen sapienter; ac prudenter operatur. *Prob. 8. Mea est prudentia, &c.*

Ex absurdo arg.

Ob. 8. Si ad alios actus, quam ad passionum moderationem admittuntur virtutes morales, non essent dispositiones perfecti ad optimum, sed essent formæ ex prima sui positione facientes optimum; immo datæ fuissent in statu innocentiæ, nedum hominibus, sed etiam Angelis: immò, & in ipsomet Deo essent admittendæ, quæ videntur absurda. Ergo fatendum est, eas homini datas contra passiones: ac proinde ijs cessantibus in Patria, virtutes etiam cessaturas.

Quomodo etiam in Patria virtutes faciunt optimum.

86 Resp. neg. sequelam. Ad primum, dico esse dispositiones, vt quis eas habens per suos actus fiat optimus: & si habens non possit deficere, ex prima earum positione fiat optimus. Vt de Christo Domino docet Magister; ipse enim indefectibilis, per habitus virtutum optimus ab initio fuit. Ad illud de hominibus in statu innocentiæ respondet *Scotus in 3. dist. 33. quæst. Vnic. G.* in fine, ex *Magistro sent.* hic primos parentes eas habuisse, & per eas fuisse perfectos in illo genere. Neque inquit, ex *August. Ep. 36. & in Soliloquio*, nec non *lib. 1. de Ciuit. cap. 15.* est necessarium, vt

Non semper pugnant contra sensum.

contra appetitus sensitiuos pugnent, quia virtus perfecta est ratio in anima perueniens ad finem. Ad illud de Angelis supra patuit, docet enim in eis adesse virtutes morales, ita ibidem *sub I.* Et tamen appetitu sensitiuo carent; & vniuersalem rationem assignat, tam pro Angelis, quam pro animabus Beatis, & est, quia omnem voluntatem non necessariò carentem perfectione conueniente voluntati conuenit habere quamcumque perfectionem voluntatis. Sed beati homines, & Angeli habent voluntatem perfectam: ergo conuenit eam habere formas eam perficientes in ordine ad actus perfectos: tales autem sunt morales virtutes. Ergo eas habent.

Omnes virtutes dempta imperfectione ponendæ sunt in Deo.

87 Ad illud de Deo, *Scotus* respondet *in 3. dist. 33. K.* quod sicut in Deo ponitur charitas sine omni accidentalitate: ita etiam omnis ratio virtutum moralium dempta imperfectione accidentalitatis; Prudentissimus enim est, *Prou. 3. Stabiliuit cælos prudentia cap 8. Mea est prudentia, mea est fortitudo. Iustissimus est. Psal. 10. Iustus Dominus, & iustitias dilexit. Psal 47. Iustitia plena est dextra eius, &c. Fortissimus est. Gen. 33. 20. Fortissimum Deum Israel. cap. 46. Ego sum fortissimus Deus, &c.* Et ita de omnibus harum virtutum speciebus. Si ergo incongruum non est, quod Deus virtutes istas, eminenti tamen modo possideat, licet appetitu sensitiuo, & passionibus carens, quid mirum, si eas retineant Angeli, atque homines beati.

Ob. 9. *Arist. 10. Ethic. cap. 10.* Negat in dijs morales virtutes: & hoc forte, quia iam fœlices sunt. Ergo neque admittendę sunt in Angelis, aut beatis.

Aristotelis de supernaturalibus nihil sciuit,

88 Resp. ex *Scoto dist. 33. K.* neg. consequ. Quia *Arist.* in eiusmodi supernaturalibus deceptus est. Immo ipse nullum habitum, seu formam accidentalem poneret in dijs. Scotus autem subdit, quod volitio duplex est; vna, quæ est quædam simplex complacentia obiecti: alia est efficax, quæ prosequitur ad habendum obiectum volitum si impeditur: hæc secunda sola dicitur electio. In habentibus ergo appetitum sensitiuum, datur hæc secunda volitio, quæ impeditur à passione. In ijs autem qui sensitiuo appetitu carent, vt sunt Angeli; vel illum habent, sed non contranitentem voluntati, vterunt beati, habent volitionem complacentiæ de obiecto, quæ quidem à virtute etiam procedit. Et ex hoc capite Angeli, & beati habent virtutes.

## ARTICVLVS IV.

### *An in Beatis remaneant dona, & fructus Spiritus sancti.*

Scoti mens.

SCOTVS de harum permanentia explicitè non loquitur. Ex ijs tamen, quæ docet *in 3. sent. dist. 34 O. &c.* vbi virtutes, & fructus non distinguit à donis concludi potest, secundum eum, in Beatis remanere dona, ac fructus.

Donum multipliciter sumitur.

89 Adu. 1. Quod nomine doni in sacra Scriptura, (vt supponitur) ex *tract. de Virtut. &c.* accipitur omne id, quod ex singulari Dei beneficio creaturæ tribuitur; nam *Ecclesiastes 3. 13.* dicitur, *vinere de labore suo hoc donum Dei est. Ecclesiastici 1. 23. Corona sapientiæ, & timor Domini, &c.*

*vira-*

Gratiæ etiã gratis datæ sunt dona.

*vtraque autem sunt dona Dei*. 1. *Cor*. 7. *Vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic alius verò sic*, & loquitur de nuptis, & non nuptis. *Ephes*. 2. 8. de fide saluante, ait, *donum enim Dei est*. *cap*. 3. De gratia Apostolatus, ait, *Per Euangelium, cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ Dei*. & *cap*. 4. Loquens de ministerijs, quæ Christus contulit hominibus in Ecclesia, ait, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*, & post aliqua. *Et ipse dedit quosdam Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas; alios autem Pastores, & Doctores*. Et hoc etiam vocabulo veniunt gratiæ gratis datæ, quæ ad aliorum vtilitatem dantur, ex 1. *Cor*. 12. *Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem*; & numerantur octo genera gratiæ gratis datæ. Possunt ad hoc æquiuocum nomen reduci duodecim fructus Spiritus Sancti, de quibus infra. Possunt reduci omnia opera misericordiæ, siue spiritualia, siue corporalia, & alia omnia bona, quæ à Deo, vel in actu, seu opere, vel in habitu, seu principio, homini sunt concessa. Sed speciali, ac proprio nomine vocantur dona Dei, seu Spiritus Sancti (appropriatè) illa septem, quæ prædicuntur *Isaiæ* 11. futura in Christo, nempe, *sapientia, intellectus, consilij, fortitudinis, scientia, pietatis, & timoris Domini*, quæ quidem dona ad perficiendas virtutes intellectuales, & morales pro actibus earum præsertim fidei, vt ex proprio tract. supponimus data sunt. De his quærimus, an sint in beatis.

Item fructus Spiritus Sancti.

Proprie tamen quę sint dona Spiritus Sancti.

Fructus Spiritus Sancti, qui.

90 Adu. 2. Quod præter dona Spiritus Sancti iam enumerata, habemus etiam alia quædam diuina beneficia, quæ vocantur fructus Spiritus Sancti; sunt autem duodecim, & referuntur *ad Galat*. 5. *Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*. Qui quidem fructus in operibus consistunt, & assimilantur fructibus arborum, ita ex Spiritus Sancti motione hos actus habet homo sanctè operans. Sufficientia autem duodenarij huius numeri, supponitur assignata *in tract. de Virtutibus, & donis, t*. 2. *in* 3. *sent*. De his ergo quærimus, an, vel omnes, vel saltem aliqui sint in Patria.

Dona dupliciter considerantur, & quoad entitatem, & quoad tendentiam,

91 Adu. 3. Quod siue dicatur dona esse habitus, siue qualitates adiunctas virtutibus, siue actualia Dei auxilia, de quibus modo non curo: possunt tamen considerari dupliciter, vel quoad eorum substantiam, vel quoad tendentiam, seu ordinem circa materiam, seu proprium obiectum. Et de ijs vtroque modo inspectis, quæri potest an maneant in Patria. Absti. nemus autem nunc à longa declaratione, cuiuslibet doni in particulari, cum hic non sit proprius eorum locus; sed supponimus hæc ex proprio *tract. in* 3. *sent*. & quærimus solam permanentiam.

Fructus alij quidem cum passione, alij sine,

92 Adu. 4. Quod ex fructibus enumeratis, quidam sunt cum conturbatione, ac passione externa; quidam verò passionis expertes; de primis nullum potest esse dubium, quod in beatis non sint, saltem cum passione, & conturbatione externa. De cæteris autem est quæstio. Ideo

Dona Spiritus Sancti remanent in Beatis,

93 Dico. Septem dona Spiritus Sancti remanent in Patria quoad esse quidditatiuum. Colligitur ex *Scoto loco cit*. sed expressè docetur à *S. Bonauent. in* 3. *sent. distin*. 34. *par*. 2. *quæst*. 3. à S. *Thoma* 1. 2. *q*. 68. *art*. 6. & *in* 3. *sent. dist*. 34. *quæst*. 1. *art*. 3. & alij omnes cum *Magistro dist*. 34.

Ex Glossa,

94 Prob. 1. ex *Apocal*. 4. *De throno procedebant septem lampades ardentes, ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei*. Glossa Ordin. Ver. *Septem spiritus*, ait, *lampades dona Spiritus sancti, quæ accendunt, & illuminant, parata omnibus illis, qui sunt sedes Dei*. Idem dicit Glossa Lyran. ibid.

Ead. Glossa i

95 Conf. ex *Exodi* 35. *Facies lucernas septem, & ponet eas super candelabrum, vt lucent ex aduerso*. Interl. Ver. *Facies*, ait, *dona Spiritus sancti*. Glossa Ordinar. Bedæ, Ver. *Facies*, ait, lucernæ septem, septem sunt dona Spiritus Sancti, quæ in Christo semper manserunt, & fidelibus distributa sunt secundum voluntatem eius. Hæ ponuntur super candelabrum, quia requieuit super eum spiritus sapientiæ, & intellectus. hæc Glossa.

Ead. Glossa.

96 Conf. 2. ex *Num*. 8. in principio. *Cum posueris septem lucernas, candelabrum in australi parte erigatur, &c*. Glossa Ordin. Bedæ, Ver. *Septem* dicit, septem dona Spiritus Sancti, quæ in Christo semper manserunt, & in membris pro voluntate eius distributa sunt, &c. Ergo cum Christus, & eius membra hæc dona habeant, in Patria retinebunt.

A pari de Christo.

97 Prob. 2. Hæc septem dona non pugnant cum statu beati, & de facto fuerunt in Christo, qui à primo conceptionis instanti fuit Beatus: ergo. Anteced. prob. ex *Isaiæ* 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini spiritus sapientiæ, & intellectus spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*.

Christus omnia habuit dona,

98 Glossæ omnes docent, literaliter totum hoc de Christo, in quo habitauit plenitudo diuinitatis, & septiformis gratia Spiritus Sancti. Et Glossæ additio secunda in fine illius capitis, ſait. Ista dona perfectissimè fuerunt in anima Christi; & plenariè ea habuit, vt ex ipso in alijs deriuentur, quia de plenitudine eius accepimus omnes *Ioann*. 1.

99 *S. Hieronymus* in hunc locum diffusè probat hæc dona in Christo plenissimè fuisse, & de eius plenitudine in alios deri-

uasse. Igitur dona ista non pugnant cum beatitudine.

Ex Ambros. Ex S. Tho. S. Bonau. ac Mag. Sent,

100 Prob. 3. ex *D. Ambr. in lib. 1. de Spiritu sancto cap.* 20. relato etiam à *Magistro sent. in 3. dist.* 34. *A. à D. Bonau. ibid.* in principio, & à *S Th.* 1.2. *quæst.* 68. *ar.* 6. Ciuitas Dei illa Hierusalem cælestis, non meatu alicuius fluuij terrestris abluitur. Sed ex vitæ fonte procedens Spiritus sancti, cuius nos breui satiamur haustu, in illis cælestibus spiritibus redundantius videtur effluere pleno septem virtutum spiritualium feruens meatu. Si enim fluuius riparum crepidinibus editis superfusus exundat, quantò magis Spiritus sanctus supereminens creaturam, cum nostræ mentis arcana, tamquam inferiora perstringat cælestem illam Angelorum naturam effusiore quadam sanctificationum vbertate lætificat. Et postea idem *Ambr.* declarans quid sit sanctificatio, ait. His autem sanctificationibus significatur plenitudo septem spiritualium virtutum, quas enumerat Esaias dicens, spiritus sapientiæ, & intellectus, &c. Vnum est ergo flumen Spiritus sancti, sed multi spiritualium donorum meatus, hæc *Ambr.* Ex quibus *Magister sent.* & alij citati cum eo colligunt, quod & in Angelis, & in beatis omnibus adsint septem Spiritus sancti dona.

Multis id probat Ambros,

Mag. Sent.

101 Conf. ex eodem *Magistro sent. sub C.* vbi congregans multas sanctorum authoritates, quæ videntur excludere dona Spiritus sancti a Beatis, ait, *Dicimus, quod septem illa dona, & in Angelis modo sunt, & in animabus Sanctis fœliciter viuentibus, & in nobis erunt in futuro; sed non habebunt omnia hos vsus, sunt hæc officia, quæ nunc habent.* Et exemplificat de timore, &c. Ergo adsunt in Beatis.

A paritate virtutum.

102 Prob. 4. Dona Spiritus sancti sunt perfectiora, quam virtutes morales, sed istæ remanebunt in Patria. Ergo multò magis illa.

A fortiori.

103 Prob. 5. Donum timoris est minimum inter dona, ait, S. *Bonau. loco cit. quæst* 3. & tamen istud manebit in Patria, ex *Psalmo* 18. *Timor Domini Sanctus permanens in sæculum sæculi.* Ergo multò magis aderunt alia sex, quæ perfectiora sunt.

104 Prob. 6. Beati omni Dei dono, ac beneficio perficientur, vt docet *S. Prosper de Vita contempl. lib. 1. cap.* 4. & omnia dona, quæ in statu innocentiæ fuissent eis collata, conferentur in Patria. Ergo etiam dona Spiritus sancti.

Ex ratione beatitudinis.

105 Prob 7. Beatitudo, vt sæpè dictum est ex Boetio est status bonorum omnium aggregatione perfectus. Cum ergo dona Spiritus sancti perfectissima sint; eis non carebit fœlicissimus ille status.

106 Prob. 8. Beatus est qui habet bona, quæ vult, ex *Augustin. lib. de Beata vita, & lib.* 13. *de Trinit. cap.* 5. honestè autem, seu rectè vult beatus dona Spiritus sancti. Et maxime qui ea habuit in via. Alioqui inesset peioris conditionis quò ad hoc in Patria quam in via; ergo.

107 Probari potest tandem, in sententia eorum, qui dona à virtutibus non distinguunt. Si enim admittunt virtutes, debent, & dona admittere. Ergo absolutè sunt Beatis concedenda.

Fructus etiã debent admitti,

108 Dico 2. Non solum congruè admittuntur in Beatis etiam fructus Spiritus sancti; Sed debent omnino admitti.

Glossa.

109 Prob. ex *Apoc.* 22. Vbi describitur cælestis Hierusalem, habitatores eius, & operationes eorum, & præ cæteris habetur, *In medio platea eius ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Glossa Ord. Ver. *Lignum* vitæ ait, quasi ipse refectionem dat, ipse etiam dat eis, qui pararent eos, quibus ipse reddat, & hoc est afferre fructus duodecim. Sed Lyran. eod. Ver. *Lignum* ait, ideſt Christus qui secundum diuinitatem est vbicunque sicut Spiritus sanctus cum vnum sint in essentia. & Ver. *Afferens fruct. duod.* dicit, qui etiam dicuntur fructus Spiritus sancti; nam indiuisa sunt opera Trinitatis, & sequitur, sciendum tamen, quod isti fructus aliter habentur in via per gratiam, aliter in Patria per gloriam. Primus ergo fructus est Charitas, qui in Patria est in Deum visum totaliter per amorem transformari. Secundus est gaudium, qui est in Deo viso delectari. Tertius est pax, qui est in ipso totaliter quietari. Quartus, est patientia, qui in via est in aduersis non frangi; in patria verò vbi nulla est aduersitas, est in Deo firmiter stabiliri. Quintus est benignitas, id est bona igneitas, quæ est in beatis ad amorem proximi inflammari quantum ad affectum, quia in eis est ardor cordium. Sextus, est bonitas, id est diffusio proprij boni ad proximum secundum effectum, quia vnus gaudet de alterius bono, sicut de suo. Septimus, est longanimitas, quæ est æquanimis expectatio boni futuri; animæ autem beatorum nunc expectant beatitudinem corporis. Octauus est mansuetudo, quæ in via est iræ moderatio; in patria autem non habet hoc materiale, quod est ascensio sanguinis circa eor, sed quantum ad formale, quod est appetitus vindictæ ibi habet locum, quia appetunt vindictam peccatorum, *Psal.* 57. *Lætabitur iustus, cum viderit vindictam*; & hic appetitus est moderatus secundum regulam diuinæ iustitiæ, & hæc est mansuetudo. Nonus, est fides, id est fidelitas. Decimus est modestia, quæ est excellenter in Patria; nam vires inferiores animæ sunt superioribus subiectæ. Vndecimus est continentia; & quia continens est, qui concupiscentias inordinatas patitur, sed ab eis non vincitur, quia fortiter se tenet, secundum hoc non est continentia in Patria, quia nulla ibi concupiscentia inordinata;

Singulorum fructuum natura, & qualitas,

Multi fructus in Patria ex cæsent obiecto materiali,

sed

sed est solum quantum ad non deduci, quia beatus non potest in aliquod malum flecti. Duodecimus est castitas, quæ munditiam importat. Ecce, quod ex Lyrano adsunt in Patria fructus Spiritus sancti.

Ex congruentia perfectionis fructum arg.

110 Prob. 2. De singulis eiusmodi fructibus, seu operibus, quæ maximam in anima perfectionem important, Ergo non debent statui illi fœlicissimo denegari. Charitas enim in Beatis perfectissima est, etsi in via, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis ad Rom.* 5. cum ex 1. *Cor.* 13. *Non excidat* manet perfectiori modo in Patria. Et dilectio Dei ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima ibi plenissimè, & perpetuò adimplebitur. De gaudio habetur *Ioann.* 16. *Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* & *Matth.* 25. gloria dicitur gaudium absolutè, *intra in gaudium Domini tui*, quod *Isaiæ* 35. fuit prædictum, *Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium, & exultationem obtinebunt.* De pace habetur, *Rom.* 14. *Non est regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, gaudium, & pax in Spiritu sancto, Lucæ* 1. 75. gloria dicitur, Pax per anthonomasiam, *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* & *Psal.* 147. *Qui posuit fines tuos pacem*, ideo Apost. 2. *Thessal.* 3. id auspicatur, & precatur Thessalonicensibus, *Dominus pacis det vobis pacem sempiternam.* Vnde ab Ecclesia vocatur, *Requies æterna*, & hanc precatur defunctis. Et ita de alijs ex scripturæ euidentibus locis potest concludi. Neque enim videtur congruum, aut rationabile denegare beatis omnium virtutum actus qui possunt eos perficere, dummodo imperfectionem non inuoluant.

Ex Script. omnes hi fructus in Patria probantur.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Dona Spiritus sancti conferuntur ad frænandum passiones, & tentationes, quibus homo tentatur in via. Sed in Patria non erunt tentationes, neque passiones: ergo.

Donorum effectus duo

111 Resp. ex *Mag. sent. dist* 31. dist. ma. dantur ad hoc tantum, nego. ad hoc, & ad eliciendum actus perfectos, concedo. Ratio est, quia quodlibet donum, vt in suo loco dictum supponitur, datur ad iuuandum, & erudiendum hominem, vt aliquod opus supernaturale, & heroicum operetur, & si potentia ex connexione cum sensibus ab his impeditur, ne cum facilitate possit opus illud exequi, superetur reluctantia sensus per tale donum; ideoque habet duo, & resistere impedienti, & concurrere ad operandum. Cum autem cessat pugna sen. suum, ac passionum non cessat influxus in opera. Manifestum est de Christo, in quo nulla fuit sensuum reluctantia, & tamen dona perfectissima in eo fuerunt. Sic ergo de Beatis dicendum, quod, scilicet dona eos iuuabunt, non ad resistendum, sed ad operandum.

De Christo clarum est.

Instab. dona dantur ad sanandum potentias debiles, ac infirmas. In Patria autem nulla erit infirmitas: ergo.

Dona in via sunt ad sanandum in Patria ad cooperandũ

112 Resp. dist. ma. ad sanandum tantum, nego. ad cooperandum circa opera heroica, & supernaturalia, concedo. nam in Christo hoc etiam modo fuerunt; fuissent etiam in statu innocentiæ, sicut & auxilia supernaturalia ad opera meritoria: & tamen tunc natura non erat infirma; sed ad complendum actum primum, seu principium operatiuum talium actuum.

Ob. 2. Donum intellectus procedit per inquisitionem ad cognoscendam perfectè, ac certitudinaliter veritatem. Sed in Patria non erit eiusmodi inquisitio, ex *August. lib.* 15. *de Trinit. cap.* 16. dicente, *ibi non erunt cogitationes volubiles de alijs in alias transeuntes*: ergo.

Donum intellectus nõ semper procedit per inquisitionẽ.

113 Resp. 1. dist. ma. Semper procedit per inquisitionem, nego. Aliquando, concedo. fieri enim potest, vt habens donum intellectus, simplici intuitu veritatem sublimium percipiat; eiusmodi enim dona suscipiunt magis, & minus. Et ita dici potest futurum in Patria.

Aug. non loquitur de omni visibili

114 Resp. 2. dist. min. Non erit inquisitio circa obiectum beatificum, concedo. circa alia, nego. Et de obiecto beatifico loquitur Augustinus, vt in *disput.* 17. *ar.* 3. dictum est cum *Scoto*, imò *August.* ibi dicit *forte* non erunt volubiles cogitationes; loquitur ergo dubitatiuè. Tertio, quia præter cognitionem quam Beati habent in verbo, habent aliam cognitionem rerum in proprio genere; & sic non implicat, quin circa ista inquirant, & certè, ac euidenter inueniant.

Validè arg. Greg.

Ob. 3. S. *Greg. lib.* 2. *moral. cap.* 27. alias 36. *Adhuc loquebatur ille, &c.* Loquens de calamitatibus Iob, declarat omnia dona Spiritus sancti per ordinem ad contrarietates, ac aduersitates, quæ occurrunt in præsenti vita. Ergo non sunt admittenda in illa, in qua nulla erit aduersitas, sed summa pax, & tranquillitas. Antec. prob. Inquit *Greg. Donum spiritus, vt mentem contra omnia tentamenta erudiat in septem modi virtutibus temperat, vt contra stultitiam sapientiam; contra habitudinem intellectum, contra præcipitationem, consilium; contra timorem, fortitudinem; contra ignorantiam, scientiam; contra duritiam, pietatem; contra superbiam, Dei timorem.* Imò addit, quod *ad humilitatis magisterium hæc dona hominibus aliquando se subtrahunt, &c.* Et postea de eorum subuentione singillatim pro tentatione appropriata discurrit. Ergo in via tantum contra hæc tentamenta sunt necessaria; non verò in Patria.

Dantur dona non solũ ad tentamẽta vincenda, sed ad operandum.

115 Resp. Sicut supra cum Magistro sunt necessaria in præsenti vita, & ad tentamenta vincenda, & ad opera supernaturalia operanda, concedo. solum ad tentamenta vincenda, nego. Imò frustra ad ea sola darentur, nisi aliquod opus esset cum

ijs faciendum. Mirum autem non est si de ijs in ordine ad præsentem vitam Gregor. discurrit, quia agebat de Iob tentato, & calamitatibus afflicto. Singula autem singulis applicando, potest beatus per sapientiam, omni carens stultitia de Deo altè sapere. Per intellectum, omni remota hebetudine, sublimia, ac summa penetrare. Per fortitudinem, omni metu fugato, esse dispositus ad arduissima peragenda si foret opus. Per consilium, nulla imminente præcipitantia, paratus esse, rectam rationem in omnibus sequi. Per scientiam, remotis omnis ignorantiæ tenebris, cuncta scibilia, & agibilia attingere. Per pietatem, omni secluſa duritia prona, & tenera viscera in omnium necessitates, si adessent habere. Per Dei timorem, elatione omni submota, humilitatis affectibus dilatari. En quomodo præcisis vitiorum tentamentis, Spiritus sancti dona adhuc suos sortiri possunt effectus, & in Christo Domino plenissimè sortita sunt. Sic ergo, & in beatis accidere dicendum est.

Opera donorum in Patria.

Instab. Quædam ex his donis versantur circa exteriora, & pertinent ad vitam actiuam. Ergo saltem ista non sunt admittenda in Beatis. Anteced. prob. Fortitudo, & pietas exteriores actus, & actiuam vitam respiciunt, sunt enim ordinatæ ad pugnã, & beneficentiam. Sed vita actiua circa exteriora præsertim terminatur cum via, ex *D. Gregor. lib. 6. moral. cap. 38* ergo.

Validũ arg. de exterioribus.

116 Resp. dist. consequ. Non sunt admittenda quò actum secundum exercendum externè, concedo. quoad actum primum, & promptitudinem ad eos si foret opus, nego. & neg. consequ. Nam licet finiatur vita actiua quoad exercitium, *quia absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor*; tamen habitus, qui in exercitio actiuæ vitæ fuerunt necessarij, non cessabunt, illi saltem, qui non pugnant cum statu beati. Estò igitur actus fortitudinis circa ardua, & actus pietatis circa indigentes non habebunt per totam æternitatem beati, adhuc tamen dona illa in actu primo habebunt, & gaudium de illis, eorumque actibus, quos per eos in via exercuerunt, & *D. Bonauent.* ait, quod per fortitudinem Beatus fortiter Deo adhærebit, & hoc erit exercitium eius.

Dona in Patria non sunt circa opera externa.

Ob. 4. Implicat admittere in beatis timorem, *Perfecta enim charitas foras mittit timorem, ex 1. Ioann. 4. Quia*, inquit, *timor pœnam habet.* Ergo, vel carebunt charitate, vel timore. Primum est impossibile: ergo timor non potest adesse.

Argum. de timore,

117 Resp. cum Glossa Interlin. dist. antec. Mittit forastimorem seruilem, concedo. filialem, nego. Timor ergo seruilis, de pœna scilicet peccatorum stare non potest cum perfecta charitate. & Glossa Ordinar. Ver. *Foras mittit*, ait, Perfecta charitas perfectam facit iustitiam, nec habet vnde timeat, sed desiderat. Aliud est timere Deum, ne mittat in gehennam, qui timor non dum castus cessabit. Aliud timere, ne te deserat, qui timor castus permanet in sæculum sæculi; hæc Glossa, & *Magister sent. in 3. dist. 34.* pluribus declarat, quomodo hic timor esse possit in Patria, & quomodo à charitate perfecta non pellatur, sed augeatur, ac proinde verè, & perfectissimè in Christo fuerit de eo enim *Isa. 11.* ait, *replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Charitas mittit foras timorem seruilem, non filialem.

Instab. Neque timor filialis videtur admittendus in Patria, nam hic importat passionem illam, seu dubium, nè timens separetur à Deo, & ne offendat illum; in Patria autem beatus est securus, quod non offendet, nec deseretur.

Filialis timor quid importet in Patria.

118 Resp neg. anteced. Nam filialis timor præter dubium illud, & trepidationem, nè offendatur Deus, ac nè deserat, includit reuerentiam maximam circa Patrem. Vnde *Magister sent. in dist. 34. cap. His autem*, ait. Non ergo metus separationis, vel offensionis nunc est in Angelis, vel in animabus Sanctis, nec in nobis erit in futuro; sed reuerentia, quæ est mixta cum subiectione dilectionis, quæ etiam in ipso Christo fuit. & *in cap. Illud quoque sub K.* ait, diligenter notandum est, quod Augustinus dicit, castum timorem esse æternum, & ideo spiritus timoris erit in futuro, sicut & alia dona Spiritus sancti, sed non habebit omnem illum vsum, quem modo habet, facit enim tunc nos reuereri Deum, non timere separari, vel carere. Fuit ergo in Christo timor ille, sed iuxta vsum illum quem habebit in futuro in Sanctis.

Arg. de consilio.

Ob. 5. In Patria nulla est dubitatio, vel hæsitatio. Ergo non est ibi necessarium donum consilij. Manus enim eius est iuuare in dubio.

Duo effectus consilij,

119 Resp. neg. consequ. Nam Consilium habet duo, primum est ponderata discussio de agibili; aliud est melior, seu dignior electio. Primum in via tantum est necessarium; secundum adest in Patria; quia beati semper sunt in continua electione melioris.

Arg. contra 2.

Ob. contra 2. In Patria non erit patientia, neque longanimitas, neque continentia, neque castitas: ergo. Anteced. prob. Fructus Spiritus sancti sunt actus, seu electiones elicitæ ex impulsu, seu supernaturali auxilio Spiritus sancti in materijs virtutum, vrgentibus passionibus. Nulla autem passio irascibilis ibi poterit vrgere, vt exerceatur longanimitas, aut patientia. Neque vlla passio concupiscibilis circa desiderium bonorum sensibilium, aut venereorum, vt possit exerceri continentia, vel castitas. Ergo isti actus nullo modo poterunt in Patria reperiri.

Resp.

Actus fruitionum, seu fructus quomodo sunt in beatis.

120 Resp. dist. anteced. Non erunt actus illi, vt pugnantes cum passionibus, easque superantes, concedo. præscindentes à pugna, nego. & nego consequ. Nam nulla est implicantia, quin beatus, actu saltem reflexo velit castitatem, quam in exilio exercet, item continentiam circa omnia concupiscibilia. Et sibi etiam complaceat de longanimitate, & patientia, quam habuit in via, & quam haberet si opus esset eam exercere. & ad hoc maxime facit, quod docet *Augustinus lib. 14 de Trinitate cap. 9. Fortassis & alia tres virtutes, prudentia sine ullo iam periculo erroris: fortitudo sine molestia tolerandorum malorum; temperantia sine repugnatione libidinum erunt in illis fœlicitate. Nunc autem quod agit iustitia in subueniendo miseris, quod prudentia in præcauendis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs; quod temperantia in coercendis delectationibus prauis ibi non erit, vbi nihil omnino mali erit.* Sic ergo dicendum de fructibus Spiritus Sancti, quod scilicet non erunt ibi secundum luctam, seu pugnam cum passionibus; sed secundum formalitatem perfectæ electionis. Et ideò non possent dari fructus illi, qui de necessitate habent annexam pugnam cum passionibus, vt sunt duo, vel tres ex enumeratis; aderunt tamen alij à pugna præscindentes, vt patet.

Aug. citata in hac doctrina.

## ARTICVLVS V.

### *An beati retineant habitus acquisitos, vel infusos intellectuales.*

Scoti mens.

SCOTVS soluit hoc dubium *in 4 sent. distin. 45 quæst. 1. & 3.* vbi sustinet animam separatam retinere species eorum, quæ cognouit in via, & omnium recordari; & *in 3. sent. dist. 14 quæst. 3.* docet Christum habuisse habitus scientificos omnium. Ideo

Sensus art.

121 Adu. sensum art. esse, an remaneant in beato habitus scientifici, quos habuit in via siue acquisiti sint actibus proprijs siue infusi à Deo. V. g. habitum mathematicæ, physicę, logicæ, metaphysicæ, & alios etiam artium liberalium, vel meccanicarum. Et ad quid remaneant in eis.

Supponitur alia quæstio.

122 Adu. 2. Quod hic art. supponit disputationem infra exagitandam de memoria præteritorum; an scilicet, & quomodo recordentur eorum, quæ viderunt, vel alio modo cognouerunt in via. Supponimus autem hic quod recordentur, quia species visorum retinent; quærimus solum, an retineant habitus, quos prius habebant.

123 Adu. 3. Quod habitus intellectuales qui in homine reperiuntur quidam sunt infusi, quidam acquisiti. Et ex his secundis quidam sunt veri certi, ac perfecti; quidam opinatiui; quidam verò erronei. De omnibus est quæstio, an remaneant in Patria.

Diuersi habitus.

Qui habitus non remanent.

124 Dico 1. Habitus intellectuales erronei, vel opinatiui, in Patria non remanent. Est communis.

125 Prob. prima pars. Habitus erroneus est qualitas generata ex multis actibus assentiendi erroneis, inclinans ad consimiles. Sed in Patria non poterit dari eiusmodi qualitas ad eos actus inclinans: ergo. Min. prob. Error omnis causatur ex ignorantia, in qua nascimur, ex *August. lib. 22. de Ciuit. cap. 22. A.* Sed in Patria nulla erit ignorantia, nullusque error. Beatus enim ex *1. Cor. 13. Cognoscet sicut, & cognitus est. & S. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 1.* habet; *Vnde in alteram terram vocatur plenam beatitudine, vbi non falsa pro veris sicut in hac vita, sed vinum rerum cernat sublantiam.* S. *Prosper de vita contempl. lib. 1. cap. 2.* ait, *vbi ipsa ciuitas Angelorum, & sanctorum hominum congregatio beatæ mentis fulgentibus micat, veritas regnat; vbi nec fallit quisque, nec fallitur.* & *in cap. 4.* De perfecta omnium reparatione, & reformatione loquens præ cæteris, ait, *omnia bona, quæ naturaliter accepta corruperat reparabuntur in melius, id est intellectus sine errore, memoria sine oblitione; cogitatio sine perturbatione, &c.*

Error ex ignorantia.

126 Dices. Ex his probatur tantum, quod nulla erit in Beatis deceptio, & actus erroris; at non concluditur, quod qualitas illa habitualis radicata in anima beati cum esset in via, ex ea delenda sit.

Contra. Qualitas illa esset, nedum inutilis, sed incompossibilis in beato intellectu: ergo si non potest dari actus ad quem inclinat, & beatus vera conspiciet, habitus erronei abijcientur. Anteced. prob. Numquam beatus poterit errare, quia numquam subiacebit pœnæ ignorantiæ, ex qua nascitur error. Igitur inutilis, & frustratoria esset qualitas illa. Pater pariter secundum: quia beatus videret in verbo veritatem obiecti circa quod decipiebatur. Secundo, per actus proprios cognoscere posset in genere proprio veritatem. Agnita autem veritate, habitus erroneus non potest cum ea componi. Tertio, quia beatus denudabitur omni imperfectione pœnali. Error autem, & erroneus habitus est pœnalis imperfectio ex August. supra relato. Ergo non potest componi cum statu beati.

Inutiles habitus erronei,

Quare non remanent.

127 Prob. 2. ex *Aug. lib. 2. de libero arbit. cap. 13.* Beatus est, qui incommutabili veritate fruitur, *& lib. 10. Confess. cap. 22. & 23. Beata vita est gaudium de Deo, & de veritate. lib. 15. de Trin. cap. 25. Beati veritatem sine difficultate vident.* Ergo non

Ex ratione beatitud.

pos-

possunt in Beatis remanere habitus erronei, quos forte habebant in via.

Opinatiui non remanent.

128 Prob. secunda pars. De opinatiuis. Primo eisdem medijs, quibus præcedens; nam habita veritate cum physica certitudine cessat opinatio, quæ licet in morali certitudine fundabatur; tamen adhuc cum formidine erat, poteratque ei subesse falsum. Igitur, cum actus opinandi esse nequeant in beatis, neque aderit habitus ad eos inclinans. Frustratorius enim immò incompossibilis est cum habitu scientifico euidenti.

Aug. sent.

129 Prob. 2. ex *S. August. lib. 15. de Trin. cap. 25.* dicente. *Ibi veritatem sine vlla difficultate videbimus, eaque clarissima, & certissima perfruemur, nec aliquid quæremus mente ratiocinante, sed contemplante cernemus, quare non sit filius Spiritus sanctus cum de Patre procedat. In illa luce nulla erit quæstio, hic verò ipsa experientia tam mihi apparuit esse difficilis, quod & illis qui hoc diligenter atque intelligenter legent, procul dubio similiter apparebit.* Ergo in Patria non remanebit opinio. Consequ. prob. Opinio est cum quæstione, & sine euidentia, ac matematica certitudine.

Ob imperfectionem reijciuntur.

130 Prob 3. Habitus opinatiui dicunt imperfectionem, & inclinant in actus imperfectos. Ergo non manebunt in Patria. Consequ. prob. ex 1. *Cor. 13. Cum venerit, quod perfectum est euacuabitur, quod ex parte est.* Ergo multò magis id, quod nullam prorsus dicit perfectionem, sed solam imperfectionem.

131 Conf. Habitus opinatiuus stare nequit cum habitu scientifico, vel cum actu circa idem obiectum. Vnus enim dicit certitudinem sine formidine; alius verò, vel non dicit certitudinem; vel si dicit, est cum formidine. Nequit autem intellectus de eadem re esse certus, & incertus, habere formidinem, & carere formidine: ergo,

Ex ratione opinionis respectu scientiæ,

132 Conf. 2. Opinio cessat aduenientc euidentia rei opinatæ. Sed in Patria omnium rerum opinatarum aduenier euidentia. Nam, vt inquit *Origenes lib. 2. de Princip. cap. 12.* cum ad cælestia loca peruenerint sancti tunc iam rationem astrorum per singula peruidebunt. Sed & alias rationes operum Dei, quas ipse reuelabit intelligent, iam enim tamquam filijs rerum causam, & virtutem suæ conditionis ostendet; & docebit eos, quare illa stella cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spatio separatur, &c. hæc *Origenes* ergo, si euidenter res cognoscet, cessabit opinatio earum, & habitus inclinans ad opinandum.

Habitus scientifici remanent.

133 Dico 2. Habitus intellectuales, siue scientifici, siue alij, qui erant in Beatis in via, remanebunt in Patria, ex *Scoto* colligitur *in 4. dist. 45. quæst. 1. & 3.*

134 Prob. 1. Scientia ex natura sua est ens spirituale, incorruptibiliter manens in anima: ergo, si cum anima separatur à corpore habet scientiam, eam retinet in perpetuum.

A paritate Angelorum.

135 Prob. 2. Angeli retinent scientias infusas in sui prima conditione, ex *Scoto 3. dist. 14 quæst. 3.* Ergo eas retinebit anima.

A perfectione Christi.

Prob. 3. Christi anima retinet omnem scientiam sibi infusam in primo instanti creationis. Ergo eam poterit quiuis Beatus retinere.

Origenes.

136 Prob. 4. ex *Origenes homil. 5. in psal 36.* præ cæteris habente. Si qui hic positus imbuitur, & instruitur in his, quæ potuit in carne positus attingere, ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea, quæ hic studio, ac labore quæsita sunt, ad compendium futuræ inibi institutionis accedent. hæc *Origenes*. Ergo remanebunt scientiæ, quæ hic habentur.

Ex Hieron.

137 Prob 5. ex *S. Hieron. in Prologo Biblia cap. 6.* in fine, vbi habet, *discamus in terris quorum scientia perseueret in cælo.* Glos. ibi ait. Non est contrarium illud, quod dicitur 1. *Cor.* 13. scientia destruetur; quia hoc erit secundum modum, & imperfectionem, sed permanebit secundum substantiam, hæc Glossa. Ex quo habes, quod omnes imperfectiones, & obscuritates, quæ in scientijs modo sunt, auferentur, & permanebit habitus scientificus inclinans ad assentiendum principijs, & conclusionibus ex ijs deductis.

138 Prob. 6. ex *Sapientia 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ*: ergo.

139 Conf. ex *Scoto loco cit. quæst. 1.* C. Valde indignum esset laborare tantum circa scientiam, & virtutes, si deficerent in morte: ergo.

Glossa.

140 Prob. 7. Si quid obstaret quin habitus scientifici non deberent in Patria remanere, est locus Pauli 1. *Cor. 13. Scientia destruetur.* Sed hic locus non obstat: ergo. Min. prob. Nam Glossa Ord. in hunc locum, ait, quidam dicunt non ipsam scientiam, euacuari, sed modum, quia modo cognoscimus ænigmaticè, & obscurè, tunc autem clarissimè, & post multa. Alij dicunt, non solum modum scientiæ, sed etiam actum siue ipsam scientiam, quæ nunc est in futuro euacuati: de actu quidem, & vsu ipsius scientiæ probabile est, quod euacuetur. De ipsa scientia non adeo; scientia enim est ipsa mentis qualitas, &c. Ergo locus ille non obstat.

Lyran.

141 Lyranus in eum locum ait, scientia destruentur hic acquisita, non quoad species intelligibiles, vel quo ad habitum, sed quo ad actum, qui modo est per conuersionem ad phantasmata. Tali verò conuersione non indiget anima separata, hæc Lyr.

Ambros.

142 *Ambrosius* in hunc locum ait, imperfectio nostra, non id, quod verum est euacuabitur, sed dum additur, quod deest

im-

imperfectio destruetur. Destructio enim imperfectionis est, quando id quod imperfectum est impletur in verum. Ergo scientiæ, quæ in anima sunt destruentur secundum imperfectiones, quas habent non verò secundum perfectionem, quam continent.

A priori arg. 143 Prob. 8. In Beatorum intellectibus remanent species intelligibiles rerum, & scibilium, quæ in hac vita cognouerunt, vt dicetur in seq. disput. ergo remanent etiam qualitates scientificæ, quæ sicut, & species sunt de difficili mobiles. Ideo dives in inferno *Lucæ* 16. recordabatur fratrum, qui erant in mundo.

Arg. de aureolis. 144 Prob. 9. Beati Doctores habebunt aureolam de Doctoratu; ergo & scientias quas docuerunt, omni secluſa imperfectione. Consequ. prob. Si enim gaudium habebunt de merito docendi, habebunt etiam species eorum, quæ docuerunt.

Arg. de dæmonibus. 145 Prob. 10. Dæmones etiam retinent scientias, neque possunt eas amittere etiam si velint ex *August. lib. 11. de Ciuit. cap. 11.* eas pariter retinent Angeli boni, ex *lib. 9. de Ciuit. cap. 22.* Ergo non sunt hominibus denegandæ, si eas in via habebant. Id enim non dicit imperfectionem, sed perfectionem.

Arg contra. Ob. 1. contra 2. Frustra ponuntur in Beatis scientiæ: ergo. Anteced. prob. In Verbo possunt cognoscere, quæ volunt. & meruerunt videre. Igitur alij habitus inclinantes ad earundem rerum notitiam, sunt frustratorij.

146 Resp. neg. anteced. ad probat. nego consequ. Quia notitia per scientiam est vespertina, & in genere proprio. Nihil autem officit, quod res aliqua duplici notitia cognoscatur, in Verbo, scilicet & in proprio genere à priori, & à posteriori. Per sua principia, & per experientiam. Christus enim omnem habebat omnium scientiam, ex *Coloss. 2. 3. In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.* Interl. Ver. *Sapientiæ* ait de diuinis. Ver. *Scientiæ* ait, *de humanis*. Et Glossa Ord. *Ambr.* ibi ait omnis ratio supernæ scientiæ totius creaturæ supernæ, vel terrenæ in eo est, qui est caput eorum, & author. Et tamen Christus ipse, vt homo ex *Lucæ* 2. 52. *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Et quamuis ex Glossa *Greg.* ibi dicatur, quod iuxta hominis naturam proficiebat sapientia, non quod ipse sapientior tempore, qui à prima conceptionis hora spiritu sapientiæ plenus permanebat, sed eamdē qua plenus erat sapientia, cæteris ex tempore paulatim demonstrabat. Tamen Lyr. Glossa, & additio ad eam cum omnibus Scholasticis, & *D. Th. 3. par. quæst. 12. ar. 2.* & *Scoto in 3. dist. 14. quæst. 3.* docent Christum profeciſſe in scientia acquisita, & experimentali, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad habitum; ita additio ad Glossam. Ergo non repugnat, quod Beatus duplici modo possit rem aliquam scire, nempe per visionem in Verbo, & per scientiam in proprio genere. Sicut, neque implicat, quod omnia visibilia simplici intuitu si vi proxima, siue corporalia, siue spiritualia cognoscat immediatè in se ipsis, & etiam in Deo.

Duplici modo possunt beati cognoscere res, in Verbo, & in proprio genere.

Christus etiā duplici modo res cognoscebat.

Instabis. Non potest de eodem obiecto haberi simul duplex scientia; vnum enim scibile, vnica scientia sciri potest: ergo.

147 Resp. neg. anteced. Instantiæ diuersæ afferuntur; quia idem obiectum, seu eadem conclusio potest sciri à priori, ac per causam, & à posteriori, ac per effectum. Potest sciri medio demonstratiuo, & authoritate. Per scientiam infusam, & per acquisitam. Per principia, & per experientiam.

Eadem conclusio duplicia via potest sciri.

Ob. 2. Istæ duæ cognitiones in Verbo, & in proprio genere numquam possunt simul stare, Ergo scientia habitualis non remanet. Anteced. prob. Quia duo accidentia eiusdem speciei non possunt simul esse in eodem subiecto. Consequ. prob. Visio in Verbo non potest deficere. Igitur cognitio in proprio genere deficit.

148 Resp. neg. anteced. Nam *S. August. lib. 4. super Gen. ad lit. cap. 32.* Docet has duas cognitiones simul manere in Angelis sanctis. Ad impugnationem dico esse diuersæ speciei, saltem accidentalis; quia vna perfectior alia. Vel si negetur esse diuersæ speciei, quia secundum *August. in epist. ad Deo gratias*, & secundum *Ambr. lib. de Incarnat.* Diuersæ causæ efficientes non faciunt effectum specie differentem, vt patet de homine naturaliter nato, & creato; & ideo cum cognitio matutina, seu in Verbo, & vespertina, seu in proprio genere respiciant idem obiectum, licet sint à causis efficientibus diuersis non sunt diuersæ in specie, erit dicendum quod duæ cognitiones eiusdem speciei, sed vna perfectior alia possunt esse in eodem subiecto. Christus enim cognitione beatifica in Verbo, & cognitione experimentali cognoscebat temporalia. Sicut neque implicat, quod viator scientificè à posteriori concludat, Deum esse vnum, & idem credat fide, nedum infusa, sed acquisita.

Duæ illæ scientiæ dici possunt eiusdem & diuersæ speciei.

Si eiusdem speciei, vna perfectior alia.

Ob. 3. Si remanerent scientiæ, Beatus simul, & semel cognosceret eandem rem intuitiuè, & abstractiuè; quod repugnat: ergo. Sequela prob. Per visionem in Verbo cognosceret intuitiuè, sicut cognoscit Deus. Per scientiam cognosceret abstractiuè; quia non omnia obiecta scibilia essent ei præsentia in se, sed cognosceret per species intelligibiles; quæ solam abstractiuam cognitionem possunt causare. Min. prob. Cognitio intuitiua est rei in se, abstractiua est rei in alio repræsentatæ igitur

Ex absurdo arg.

non

non possunt hæc duo simul esse respectu eiusdem intellectus.

Idem potest cognosci intuitivè, & abstractivè.

149 Resp. Omnia hæc arg. militare contra scientias Angelorum, & Christi in proprio genere, ideoque sicut tota Ecclesia respondet pro illis, ita pro beatis est respondendum, quod nempe notitia intuitiua, & abstractiua non repugnant simul esse circa idem obiectum, quia licet sint circa idem, tamen diuerso modo apparens. Alioquin sequitur, quod Angelus, Christus, aliusue beatus videns in Deo Beatam Virginem, vel aliorum animas in cælo existentes, non posset eas videre in se ipsis, quia obiectum diuersimodè appareret, in se scilicet, ac in alio. Secundo sequitur, quod aliquis eorum videns in Deo aliquem amicum, quem reliquit in mundo; vel aliud obiectum puta Templum, solemnitates agi solitas in Ecclesia, vel aliud simile, non posset id cognoscere abstractivè per speciem. Imò sequitur aliud maximum absurdum, quod Beati decedentes ex hac vita amitterent species intelligibiles omnium, quæ viderunt, & amarunt, etiam charorum; & eorum obiectorum, in quibus maximè desudarunt; quod videtur prorsus à veritate alienum, vt in seq. disput. dicetur.

Sequitur ex hoc magnũ inconueniẽs

Ob. 4. Si haberent scientias, vel cognoscere possent obiecta scibilia actualiter, vel habitualiter. Neutrum potest dici: ergo. Minor prob. Non actualiter; quia repugnat simul tot obiecta cognosci; non secundum, quia, cum omnia essent æquè patentia, & præsentia intellectui; nullumque adesset impedimentum, vel distractiuum, quin actu cognoscerentur, deberent actu cognosci: sed hoc ex dictis nequit contingere: ergo.

Habitualiter cognoscerent omnia illa, actualiter vero aliqua.

150 Resp. cum *Scoto in* 3. *dist.* 14. *qu.* 3. & 4. quod de Christo ibi docet, nempè in genere proprio habitualiter omnia cognoscere perfectissimè, quia species eorum habere supponitur; actualiter autem, quando sibi placet, esto enim species rerum essent intellectui beati præsentes; tamen non semper beatus vult ad eas attendere. Sed de hoc iterum recurret sermo in sequ. disput. ita autem Christus Dominus in genere proprio res cognoscebat, quando nempe ei placebat, hanc, vel illam contemplabatur.

Ob. 5. Si haberent scientias possent discurrere inferendo ex principijs conclusiones. Sed hoc non competit Beatis; nam ex *Augustin. lib.* 15. *de Trinit. cap.* 16. cogitationes Beatorum non erunt volubiles, de alijs in alias transeuntes: ergo.

Circa quæ possunt discurrere.

151 Resp. neg. min. ad probat. iam dictum est in *disp.* 17. *art.* 3. cum *Scoto*, quod circa obiectum beatificum poterit hoc dictum Augustini ad summum declarari, quia Augustinus, ait *forte* cogitationes non erunt volubiles. At circa proprietates obiecti beatifici poterit beatus discurrere, quomodo emanent ab essentia, & sint naturæ posteriores; quia pluralitas actuum beatis non repugnat. Sed de rebus creatis nulla prorsus est difficultas, quia ex suis principijs inferat proprias, ac veras conclusiones, absque vlla deceptione, & obscuritate, sed euidenter inferens, quæ sunt inferenda.

Instabis. Implicat, quod beati per scientias discurrant, atque inferant conclusiones; quia iam supponuntur eas scire in Verbo; ergo. Consequ. prob. Non transirent de nesciente ad esse scientes; quod est necessarium in discurrente.

Quare possunt circa aliqua discurrere, & etiam circa ea quæ cognoscunt in Verbo,

152 Resp. neg. anteced. ad probat. dico, quod non omnia sciunt in Verbo; & ideo scire possunt per discursum de nouo, siue in genere proprio. At dato, quod sciant, etiam illa scita in Verbo per intuitiuam notitiam possunt de nouo scire per discursum in genere proprio. Et hoc argumentum magis vrget de Christo, qui omnia videbat, & videt in Verbo, & tamen ait *Scotus in* 3. *dist.* 14. *quæst.* 3. *D. ad* 3. quod Christus potuit discurrere ad conclusiones, quarum prius habuit cognitionem abstractiuam, vel potuit addiscere conclusionem scientificam, licet præhabeat omnem notitiam quidditatiuam terminorum, quæ ex *Arist.* 8. *Phys.* & 2. *de anima t.* & *com.* 60. propriè non est scientia. Quantò igitur magis id poterit competere purę creaturæ, quę quidem habens species, & principia scibilium possit ex eis deducere conclusiones, & ex nesciente eas transire ad scientiam earumdem? certè nulla in hoc apparet implicantia, cum notitia principiorum, quæ latè dicitur scientia (propriè enim vocatur intellectus) differat à notitia conclusionum ex eis deductarum, tamquam causa ab effectu.

A priori ratio:

Ob. 6. Vel omnes beati haberent scientias naturales; vel aliqui tantum. neutrum potest dici. Non primum; quia pueri eas non habebant, neque Rustici: neque assignatur, quando, aut cur debeant eis infundi. Neque secundum quia sic in naturalibus non essent omnes æquales. Melius ergo negantur eiusmodi scientiæ, & admittitur sola visio in Verbo.

Diei potest; quod omnes habebunt scientias etiam naturales.

153 Resp. potest primo. Quod omnes habebunt, sicut dictum est cum *Scoto in art.* 3. de virtutibus; & quod ex Dei beneficio, ac fauore in primo instanti beatitudinis omnibus conferentur. & hoc est quod docet *Origenes homil.* 5. *in Psal.* 36. *Vtra enim non erit aliquis imperitus in Regno Dei non indocilis permanebit; nullus erit à rerum scientia peregrinus; omnes efficiemur, si tamen merebimur, discipuli sapientiæ. Si quis hic positus imbuitur, & instruitur in his quæ potuit, &c.* relata supra *num.* 132. *Sco. in* 3. *dist.* 36. *P.*

154 Resp. potest 2. Non omnes habituros habitus scientificos, sed eos tantum, qui

Alia resp. quod non omnes habebant habitus naturales.

qui eis erant prædi ti in via. Illa enim erunt omnibus communia, quæ pertinebunt ad statum comprehensoris: & si notitia aliquorum scibilium faciat ad eum statum omnibus communicabitur, sed in Verbo; ita idem *Scotus in 3. dist. 36.* P. & addit tertiò quod multa scibilia poterunt beati addiscere in genere proprio.

155 Quæ quidem prælibasse sufficiat, cum ex congruentijs, & ex ijs, quæ in terris positi scimus, dicamus, quod videtur futurum. Quod autem in Patria de facto est, vel erit circa eiusmodi habitus, Deus scit, & qui experiuntur beati, *Nec enim oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.*

# DISPVTATIO XXIV.

## DE STATV, ET MODO COGNOSCENDI ANIMÆ SEPARATÆ.

Authoris intentum.

QVONIAM de Nouissimis agimus, inter quæ mors connumeratur, quæ separationem animæ à corpore importat. Videndum est, quid sit de anima: num moriatur cum corpore, & postea sit eum resurrectura: num remaneat incorrupta; an status eius sit naturalis, & quomodo possit cognoscere, aliaque opera exercere. Ideo sit

*

## ARTICVLVS I.

### *An rationalis anima sit immortalis.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. distinct. 43. quæst. 2. §. De secunda, & 9. Potest dici*, duo docet. Primum est, quod anima rationalis est immortalis. Secundum est, quod ista veritas potest quidem rationibus naturalibus suaderi, non tamen demonstrari; sed sola reuelatione, seu fide diuina teneri. Ideo

Variæ sent. Philos. de origine animæ.

1 Adu. 1. De origine, seu inceptione, ac fine animæ, varias fuisse Philosophorum sententias teste *S. Augustino*. Nam Plato, ex *August. lib. 1. contra Academ. cap 17. A.* credidit, animam esse immortalem. Sed aliqui Platonis discipuli docuerunt, non solum esse immortalem, & æternam ex parte post, sed etiam ex parte ante, & coæternam Deo, ita refert *August. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 31.* Zeno docuit esse mortalem, ita refert *August. lib. 3 contra Academ. cap 17.* hic autem Philosophorum Stoicorum Princeps post Platonem immediatè in eadem Schola docuit ex *August ibid. sub B.* sed ante Zenonem tenuit hanc sententiam Epicurus postremus Assyriorum Imperator, vnde dicti Epicurei qui post mortem nihil de homine superuiuere docebant. Eandem postea sententiam tenuerunt Samaritani inter alios errores, vt refert *S. Io. Damascen. lib. de hæresibus, & Philastrius in lib.* pariter *de hæres.* idem docuerunt Arabici, ex *Prateolo*, Ver. *Arabici*. Horum verò rationes pro & contra in seqq. adducentur.

Duo discutienda, 1

2 Adu. 2. Duo à nobis esse videnda. Primum, an anima sit immortalis. Secundum, quibus rationibus probari possit, & an istæ concludant, an sola fide teneatur. His positis

Anima est immortalis.

3 Dico 1. Anima rationalis in morte hominis non moritur, nec vmquam morietur, aut destruetur, sed immortalis semper manebit. Est de fide communis *Scoto, obi supra, D. Thoma, D. Bonau. in 2. sent. d. 19. par. 1. quæst. 1.*

Script. loci.

4 Prob. 1. ex veteri testam. *Sap. 3. 1. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, & si coram hominibus tormenta passi sunt spes illorum immortalitate plena est*, & *cap. 5. Iusti autem in perpetuum viuent.*

5 Prob. 2. ex nouo testam. *Matth. 10. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus ani-*

*mam autem non possunt occidere*. & *cap.* 25. *Ibunt iusti in vitam æternam, iniusti autem in ignem æternum.* Ergo anima non potest interire. Secundo ex *Luca* 16. in facto enim diuitis Lazari, ac Abrahami apparet animas eorum, & si corpora putruerant, adhuc viuere. Tertio, quia articulus fidei est, quod Christus descendit ad inferos ad liberandas Patrum animas; vnde Petrus *ep.* 1. *cap.* 3. ait de Christo, *in quo & his qui in carcere erant spiritu, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, &c.* Tertio ex eodem *Luca cap.* 23. Saluator ait Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso*, ergo in morte latronis, anima non erat interitura.

Artic. fidei de descensu ad inferos.

6 Prob. 3. ex Concilijs. Primo ex Concil. Arabico celebrato sub Fabiano Papa, licet Prouinciale fuerit. Decernente animam esse immortalem. Secundo ex omnibus Concilijs statuentibus dari vitam, & mortem æternam, in quibus animæ, vel præmiantur, vel puniuntur. Item ex Concilijs quæ statuunt animas decedentes cum reatu, seu obligatione soluendi pœnas temporales, in Purgatorio detineri ad tempus, Indiuidualitatem autem immortalitatem animæ sub his verbis definit *Concil. Later. 5 sess. 8. const. 5. Apostolici*, & contrarium asserens est hæreticus ex eadem Constitutione.

Ex Concil.

7 Prob. 4. ex *ep.* 2. *decr. Fælicis Papæ I.* ex *Clem. lib. 6. const Apost. c.* 11. ex alijs Rom. Pontific. qui de vita, ac morte æterna, de statu animarum, de Purgatorio, & pœnis alterius vitæ multa docuerunt.

Ex Eccles.

8 Prob. 5. ex SS. Patribus, cæterisque Ecclesiæ DD. *Iustinus* enim *Martyr in dial. cum Tryfone*, præ cæteris habet, *Animas superstites manere etiam eo demonstrauerim, quod & Samuelis animam ventri loqua Pythonissa, ita vt Saul petierat euocauit.*

Ex Patribus Iustinus,

9 *Irenæus lib.* 5. *cap.* 7. declarans illud *Psal.* 21. *Et anima mea illi viuet*, ait, *caro est, quæ moritur, & soluitur, non anima, neque spiritus, &c.*

Irenæus,

10 *Tertullianus de testimonio animæ cap.* 4. ait, *Affirmamus eam remanere post vitæ disfunctionem, & expectare diem iudicij, proque meritis, aut cruciatui destinari, aut refrigerio, vtroque sempiterno.* & *in lib. de Resurr. carnis cap.* 34. inquit, recipimus animæ immortalitatem, vt perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est in gehennam, &c. multa.

Tertull.

11 *Origenes lib. in Cant.* ait. Vbi foret iustitia Dei, vbi bonorum merces, malorumque iusta supplicia, si anima mortalis esset. & *in lib. 7. contra Celsum* ait, persuasum habent non solum Christiani, & Iudei, verum etiam multi, tam Græci, quam Barbari, quod superst, & quod viuat post discessum de corpore humana anima, &c.

Origenes,

12 *Clemens Alexand. Origenis Magister lib. 5. Stromatum*, vbi de supplicijs, & pœnis, quæ post mortem luuntur agit, & ait. His autem consequens est, animam esse immortalem, quod enim punitur, vel castigatur, viuit etiam si dicatur pati.

Clem. Alex.

13 *Cyprianus Martyr lib. de mortalit.* declarans dictum Simeonis *Luca* 2. *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace*, inquit, tunc seruis Dei esse pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis, & securitatis æternæ portum petimus; quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus, &c.

Cyprian.

14 *Ambrosius lib. de Bono mortis cap.* 9. & 10 Anima, quæ vitam creat mortem non recipit, nec moritur. Et declarans illud *Io.* 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*, inquit. Vides igitur quia non moritur cum corpore, quæ, & ponitur, & resumitur, & paulò post. Repetitur enim anima non interimitur. & *lib* 2. *de fide cap.* 3. ait, an mori diuinitas potest, cum anima non possit, *Nolite inquit timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*.

Ambros.

15 *Hieron. in cap.* 22. *Matt.* ait, ad æternitatem animarum probandum de Moyse Christus ponit exemplum, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob*, statimque infert, non est mortuorum Deus, sed viuentium, vt cum probauerit animas permanere post mortem, neque enim poterat fieri, vt eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent, consequenter introduceretur corporum resurrectio, &c.

Hieron.

16 *Augustinus lib. de Immortal. animæ cap.* 3. ait, non igitur est harmonia corporis animus, nec mors potest accidere, immutabilibus rebus. Semper ergo animus viuit, siue ipsa ratio sit, siue in eo ratio inseparabiliter, idem docet *in cap.* 4. & *in cap.* 5. 6. 7. 8. 9. 11. & 12. & *in lib.* 14. *de Trinit. cap* 3. docet animam factam ad Dei imaginem esse immortalem. in *libro* autem 2. *Soliloquij* non solum id docet, sed varijs rationibus probat, *in cap.* 3. & 4.

August.

17 *Athanasius orat. contra Idola*; ait, quod mortalis sit anima id quoque necessarium est cognoscere ex doctrina Ecclesiastica. Et paulò post, si animam aliam esse à corpore ratio demonstrauit, corpusque ex natura mortale est; necessum est, animam immortalem esse. Deinde non enim anima est, quæ moritur; sed ob eius discessum corpus moritur.

Athanas.

18 *Greg. Mag. lib.* 4. *dial. cap.* 45. Anima, & mortalis esse intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe, quia beatè viuere amittit, Immortalis autem, quia essentialiter viuere numquam desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata.

Greg. Mag.

Possent omnes sancti scriptores, ac Scholastici ad id probandum adduci; sed cum fi-

des

des id docear, hos adduxisse sufficiat.

Immortalitas animæ non est sicut illa Dei.

19 Dico 3. Animæ immortalitas non est sicut immortalitas Dei, quæ à nullo potest destrui. Est communis de fide.

Augustin.

20 Prob. ex S. *Aug. lib. 1. de Trin. c. 1. B.* declarans enim illud *Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem*, ait, *cum & anima quodammodo immortalis esse dicatur, & si non diceret, solus habet, nisi quia vera immortalitas incommutabilitas est, quam nulla potest habere creatura, quoniam solius est creatoris. Ideo Iacobus dicit, apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio; hoc & Dauid mutabis ea, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es.*

Idem Aug.

21 Conf. ex eodem *lib. 2. de Trin. cap. 8.* Vbi differentiam inter Verbum diuinum, & animam assignans, præ cæteris habet, *Sapientia Dei non inuisibilis tantum est, quod & anima est, sed etiam incommutabilis, quod anima non est*, & paucis interiectis, *Illud, regi sæculorum immortali, & inuisibili; & illud alterum solus habet immortalitatem, &c. quomodo intelligenda sint, iam satis nos disseruisse arbitror*: ergo.

22 Conf. 2. ex eodem *lib. 7. Gen. ad lit. cap. vlt.* idem prorsus docente.

A priori ratio.

23 Prob. 2. Anima, sicut de nihilo creata est; ita potest in nihilum redigi; quod à Deo est alienum: ergo. Immortalitas animæ est plusquam genere diuersa ab immortalitate Dei. Intrinsecè enim annihilabile ab eo, quod est intrinsecè indefectibile, differt, sicut ens à se, & necessarium absolutè, & ens ab alio, & absolutè contingens.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. *Sap. 2.* habetur, *ex nihilo facti sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus*. Ergo anima perit, & destruitur cum corpore.

24 Resp. neg. suppositum, & consequ. Supponitur enim, quod sapientia, seu Spiritus sanctus per eum proferat illa verba. Sed hoc falsum est, nam sic incipit illud caput, *dixerunt impij cogitantes apud se non rectè*, & prosequuntur dicentes illa verba, *quia ex nihilo, &c.* Sapiens autem, seu Spiritus sanctus per eum dicit oppositum, *in cap. 3. Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos, tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.* & post aliqua, *fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, &c.* & *cap. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Videntes turbabuntur timore horribili, &c. dicentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Erravimus à via veritatis, &c.* multa. Deinde, *talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, quoniam spes impij, &c.* Ergo tantum abest, vt probetur ex scriptura mortalitas animæ, vt potius, nedum ex libro sapientiæ, sed Iob, & ex Psalterio sæpissimè comprobetur disertis verbis commoratio animarum apud inferos.

Locus script. difficilis declaratur.

Ob. 2. ex *Ecclesiastes 3. 19. Vt Deus probaret homines, & ostenderet esse similes bestijs, idcirco vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet homo amplius iumento.* Ergo anima hominis perit cum corpore.

Responsio aliquorum non admittitur.

25 Respondent aliqui, illum discursum esse stultorum. Sed salua pace, non video, quomodo sit stultorum, si ibi loquitur in persona propria Ecclesiastes, & omnia mundana reputat vana, & improperat scelera, & vanitates hominum, interque etiam vitam, & viuendi conditionem, quæ similis est bestijs.

Quomodo homines simul cum bestijs moriuntur,

26 Resp. Ergo in hoc homines esse bestijs similes, quod sicut illa sic ille viuunt, & moriuntur. Et omnes reduecuntur in terram, seu cineres. Non verò, quod ita de hominibus sicut de bestijs non superuiuat anima. Vnde Glossa Ordin. Ver. *Dixi in cor. meo* ait, non hoc dicit, quia animam hominis putaret perire cum corpore, vel vnum locum cum bestijs hominibusque præparari: sed quia ante aduentum Christi omnes animæ hominum pariter descendebant ad inferos. Vnde hominis, pecorisque spiritus eiusdem vilitatis videbatur. Et licet alter cum corpore periret, alter non, non multum intererat cum corpore perire, & ad inferos descendere, hæc Glossa ibi.

Hier. resp.

27 *Hieron.* autem ex eadem Glossa elegantius ait, hoc solum inter homines, & iumenta Deus esse voluit, quia nos loquimur illa sunt muta. & nos secundum corpus iumenta sumus, & sicut iumenta morimur. Hoc est enim quod ait, *Et spiritus vnus omnibus*, & amplius homini à pecore nihil est, hæc *Hier.* ergo conuenientiam in corpore fatetur Ecclesiastes inter homines, ac pecora, similiter communem spiritum, seu vitalem, seu aereum non verò communem animum.

Arg. quod multis apparuit difficile,

Ob. 3. Anima rationalis producitur ex parentibus per carnem: ergo est corruptibilis. Anteced. prob. Erat adeo controuersum inter antiquos Patres hoc dubium, vt S. *Greg. lib. 7 epist. ex registro epistola 54.* dixerit esse insolubile in hac vita. Consequentia probatur. Omne enim, quod actione humana producitur est corruptibile.

PP. multi aliquando dubitarunt de origine animæ.

28 Resp. Quod licet de hoc infra loquemur, tamen neg. anteced. ad probat. dico, quod verum est, multos SS. Patres, & Augustinum aliquando dubitasse, an anima rationalis producatur à parentibus, quia capere aliquando non poterat quomodo

filij contrahunt originale à parentibus, ſi iſti producunt ſolum corpus, quod non eſt peccati capax, anima verò producatur à Deo, qui non poteſt in ea peccatum producere: tamen ipſemet Auguſtinus firmauit ſuam ſententiam, quod anima à Deo creatur, Dubius ergo fuit de hoc *in lib. 3. de lib. arb. cap. 20. A. & 21. A.* ſed ibidem *cap 20. B.* & in *lib. 2. de Gen. contra Manich. cap. 8. B.* docet à Deo creari. Pariter fuit dubius in *lib. 10. Gen. ad lit. cap. 1. 2. & 3.* Sed ibidem etiam dicit eſſe à Deo creatam. Dubitauit etiam in *lib. 3. de peccat. mer. cap. 10.* Sed tamen ipſe tenuit à Deo creari. At quidquid ſit de antiqua dubitatione ista Eccleſia in *Concil. Later. 4. cap. 1.* & habetur in *cap. Firmiter de ſumma Trin. & fide Cat.* definiuit animam rationalem à Deo creari; & hoc iam eſt de fide.

Eccleſia definiuit animá creari.

Ob. 4. In ſexta ſynodo, nempe *Concil. Conſtantinop. 3. act. 11.* à Sophronio Patriarcha Ieroſolim. docetur, animam rationalem eſſe immortalem per gratiam. Et hoc in *act. 13* à Concilio approbatur. Ergo intrinſecè, & eſſentialiter non eſt immortalis. Anteced. prob. Ex epiſt. Sophronij ante medium, ſic habente. *Omnia per filium facta ſunt; ſenſibilia quidem ſini temporali ſuppoſuit, intellectualia verò, & inuiſibilia hac meliori dignitate dignatus eſt: & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur iuxta quod ſenſibilia deſluunt, non tamen ſunt immortalia per naturam, neque in eſſentiam incorruptibilem tranſeunt, ſed gratiam ei largitus eſt à corruptione ea, & à morte coercentem. Sic hominum anima permanent incorrupta, ſic Angeli immortales perſeuerant, non naturam reuera, ſicut aſſerui incorruptam, proprieuè immortalem habentes eſſentiam, ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, qua immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet:* ergo.

Argum. ex Concilio, quod anima ſit ex gratiâ immortalis.

29 Reſp. per ſecundam concluſionem, nempe animam, & Angelos, eſſe quidem incorruptibiles, & immortales non ex ſeſe, ſed ex Dei gratia, & beneficio; ſolus enim Deus eſt primo modo immortalis, vt dicit S. *Auguſtinus*. Nos autem hic loquimur de immortalitate, non de modo; ſufficit, quod Epicurei, aliiue eiuſmodi ſicophantæ concedant pro nunc, quod cum corpore non perit anima rationalis; & hoc fatetur idem Sophronius paulò poſt in eadem Epiſtola. *Nos verò recte fidei, ac pudico lacte potati, tenebroſa dogmata repellentes, præſentis ſæculi conſummationem dicimus, vitam illam quæ poſt præſentem futurorum eſt, credimus permanſuram, & immortale habemus ſupplicium; illam quidem indeſinenter exhilarantem laudabilium operum patratores, iſtam verò inceſſabiliter affligentem, &c.* ergo, ſi fatetur vitam, & mortem æternam; fatetur, animam eorum corporum, eſſe immortalem. Et hoc totum approbatum eſt à Concilio.

Reſp. habetur in ſecunda concluſ.

Ex eodem Concilio habetur ſolutio.

Dices ex hoc colligitur tantum, quod poſt iudicium totus homo erit æternus, & immortalis. Ergo, ſicut ex hac æternitate, & immortalitate corporis non colligitur, quod corpus ſit immortale; neque ex illa æternitate animæ: dici enim poſſet, in morte vtrumque corrumpi; & in reſurrectione vtrumque reſurgere.

30 Reſp. in primis, nullum neque Paganum, neque Hæreticum docuiſſe hanc ſpeciem mortalitatis animæ cum futura reſurrectione. ſed qui negarunt, abſolutè negarunt; nam aliam vitam præter præſentem confiteri noluerunt. Hinc, qui confitentur vitam, & mortem æternam, ad ſummum negant reſurrectionem corporum, & fatentur horum tantum corruptionem, quam oculariter experiuntur; non verò corruptionem animæ intermediam vſque ad reſurrectionem. Eſt autem fide certum, quod neque hoc intermedio tempore anima ſit corruptibilis, vel mortalis: nam *Pſal. 6.* habetur, *in inferno quis confitebitur tibi. Pſal. 15. Non derelinques animam meam in inferno. Pſal. 138. Si deſcendero in infernum ades. Iob. 14. Quis mihi det, vt in inferno protegas me;* item *cap. 7. Qui deſcendunt ad inferos. Sapien. 5.* vt ſupra. *talia dixerunt in inferno. Luc. 16. Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Item viſus eſt Abraham, & Lazarus. Et Saluator, vt patuit dicit, *Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſem, &c. viuere;* ideo exiſtentes in Infernis, ſcilicet Lymbo expectabant redemptionem, *illuminare his qui, in tenebris, & umbra mortis ſedent;* & propterea *deſcendit ad inferos*, quia ibi erant animæ Patrum. Vnde ſæpè definiuit Eccleſia, animas decedentium de hoc mundo, vel in cælo, vel in inferno, vel ſaltem in purgatorio recipi, ita *Concil. Florentin. in ſeſſ. vlt. in litter. Vnionis.*

Qui negat immortalitatem abſolutè negat; ideo argum. non concludit.

Neque in tempore intermedio ad reſurrectionem anima eſt mortalis.

Alia argumenta, quæ ex Philoſophia poſſent adduci, parui vel nullius momenti ſunt, ideo & non adduco.

ARTI-

## ARTICVLVS II.

### *An ratione naturali, vel sola fide teneatur immortalitas animæ.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. quæst. 2. §. Potest dici sub 1.* docet, quod rationes, quæ possunt adduci ad probandam animæ rationalis immortalitatem probabiles quidem sunt, non tamen demonstratiuæ, neque necessariæ. & *in §. Dico ergo*, in fine, dicit sola fide teneri, quod anima sit immortalis, eo quod Christus dicat in Euangelio *Luca 12. Animam autem non possunt occidere.*

Sensus art.

31 Adu. Nonnullos Theologos, & Philosophos docere, quod rationibus, quibusdam naturalibus potest probari, quod anima rationalis sit immortalis. Neque inter Scotistas defuit, qui hoc acriter defenderit. Quod autem est in his mirandum, præ cæteris est, quod laborant, vt ostendant Aristotelem sic tenuisse, quasi dictum Aristotelis esset oraculum diuinum; in quo dupliciter eos peccare video. Primò, quod dicant ratione naturali probare, & ad hoc adducunt authoritatem Philosophi. Si enim nituntur authoritati, Igitur non rationi. Secundum, in quo peccant. est, quia omnia media, quibus vtuntur sunt probabilia, et nullatenus euidentia. Hic ergo fundamenta eorum, qui naturaliter probari contendunt adducentur, et eorum insufficientia aperietur.

Multorum sent. affirmatiua.

Immortalitas potest suaderi naturaliter, sed fide tenetur.

32 Dico ergo. Immortalitas animæ, licet naturalibus medijs possit persuaderi; nullatenus tamen demonstrari; sed sola fide tenetur. Est *Scoti, vbi supra*, est *D. Bonauent. 2. dist. 19.* Thomistæ, et Neoterici plerique id defendunt cum *Caietano in cap. 3. Eccles. & in cap 9. ad Rom.*

33 Prob. 1. pars. Adducendo omnes rationes, et fundamenta quibus aduersarij vtuntur, et ostendendo esse persuasiones tantum, non demonstrationes.

Arg. primũ ex fundamẽtum elisione

34 Primum fundamentum est authoritas Aristotelis id docentis; nam *3. de an. cap. 21.* docet quod *intellectus separatur à cæteris, sicut perpetuum à corruptibili.* in *3. de an. cap. 7.* ponit hanc differentiam inter sensum, et intellectum, quod sensibile corrumpit sensum non sic intellectum. *16. de animal. cap. 4.* docet intellectum de foris aduenire, et non accipere esse per generationem; ideoque non posse corrumpi. *7. Metaph. 1. cap. 22.* Materia est illa, qua res potest esse, et non esse, anima autem caret materia, in *lib. 3. Ethicor. cap. 11.* docet, Fortem debere se morti exponere pro Respublica. et *lib. 9. cap. 9.* docet idem, addens hos fieri secundum iudicium rationis naturalis. Nullus autem potest appetere non esse suum propter quodcunque bonum, siue in se, siue in alio obtinendum.

Arg. ex authorit. non demonst. at.

35 Sed hoc medium non demonstrat, neque efficaciter probat, ait *Scotus in §. Potest dici.* Ratio primi est, quia authoritas non est medium demonstratiuum, neque à priori, neque à posteriori; sed est medium topicum, concludens conclusionem probabilem. Secundo, quia non omnia, quæ dixit Arist. probauit ratione demonstratiua, sed probabili aliqua persuasione. Imo in *lib. 2. de Cælo, & Mundo 1. cap. 60.* de difficilibus loquens, ait, tentandum dicere, quod videtur dignum, reputantes promptitudinem magis imputari verecundiæ, quam audaciæ, si qui propè Philosophiam stare, et paruas sufficientias diligit, de quibus maximas habemus dubitationes. et in fine eiusdem *cap. 60.* ait, de alijs astris dicunt Ægyptij, et Babylonij, à quibus multas credulitates habemus de vnoquoque Astrorum, &c. Ex quibus patet, quod Arist. adhæsit quandoque probabilibus rationibus, nè principia Philosophiæ deseret. Igitur parum iuuant allatæ authoritates ad demonstrandum intentum, sed multum suadent.

Non omnia quæ dicit Arist. probauit.

Rationes Philosophicæ, quare non concludunt.

36 Nihilominus omnes allatæ authoritates soluuntur, Ad primum dicitur, quod intellectus separatur à cæteris, sicut perpetuum, &c. hoc intelligitur de separatione in operando, quod nempe non operatur cum organo corporeo, sicut sensus. Virtus enim sensus corrumpitur per corruptionem organi; non sic virtus intellectus. Sed ex hac incorruptione in operando non concluditur, quod ipse sit perpetuus; posset enim aliquis Philosophus, præcisa fide dicere, quandiù manet homo, & corpus, intellectus non corrumpitur, sed desinente homine corrumpitur. Quomodo autem posset ratione naturali hoc dictum impugnari, non video. Adde quod *1. de anima 1. cap. 66.* ait *Arist. Intellectus corrumpitur in nobis, quadam interiori corruptio.* Ergo ex hoc nihil probatur ad rem.

Excellens sensibile, quare corrũpit sensum non sic intelligibile.

37 Ad 2. dicit *Scotus* nihil probare. Excellens enim sensibile corrumpit sensum per accidens, quia corrumpitur organum, & soluitur illa media proportio, per quam consistit bona dispositio organi. Intellectus autem quia non habet organum, non potest per excellens obiectum corrumpi. Sed ex hoc non probatur, quod sit vndequaque incorruptibilis.

Arist. dubius de origine animæ.

38 Ad 3. inquit *Scotus*, quod Arist. valde dubius fuit de inceptione animæ intellectiuæ, quia non ab agente creato, si ponitur incorruptibilis; in eius enim sententia, incorruptibile non potest esse terminus agentis naturalis. Neque à Deo, quia secundum eum sempiternè mouet, & sic ab æterno eam creasset. At dato, quod ab al-

te-

terutro agente dicat animam produci, & de foris aduenire; quomodo ex hoc concluditur, eam eſſe immortalem, aut incorruptibilem. Hoc eſſet probandum.

Sententia materiæ non conuincit.

39 Ad 4. De materia, dicit *Scotus* non concludere; quia materia eſt cauſa corruptionis, non ſolum rei, quam componit, vt pars; ſed etiam rei, quam recipit, vt ſubiectum illius, & hoc eſt euidens de omni forma elementari, vel mixtionis; quæ non conſtat materia; & tamen corruptibilis eſt; quia materia eam ſubiectans eſt in potentia ad aliam, & poſſunt in eam intro luci diſpoſitiones contrariæ formæ præexiſtenti.

Arg. de forti exponenti de morti, quare in Phyloſ. non conuincit.

40 Ad illud de forti exponente ſe morti propter actum virtutis, qui debet remunerari in alia vita. Reſpondet *Scotus ſub P.* eſſe magnam altercationem inter ipſoſmet Phyloſophos, an hoc eſſet ſecundum rectam rationem. Nihilominus inquit etiam ſecundum *Ariſt. lib. 9. cap. 9. Ethicorum*, actus iſte haberet præmium in præſenti vita; quia exercere actum illum virtutis, eſt maximum bonum, & maxima laude dignum, & hoc bono ſe priuaret; imò vitioſè viueret ſi ad ſeruandum ſuum eſſe, bonum illud prætermitteret. Nam ait Scotus bonum maximum virtutis licet momentaneum, melius eſt ſimpliciter, quam vita vitioſa per magnum tempus. Ex quo probatur euidenter, quod bonum publicum ſit magis diligendum, quam bonum proprium, & debet homo ſe exponere deſtructioni ſimpliciter propter ſaluationem boni communis etiam ſi neſciret animam eſſe immortalem. Ergo ex Phyloſophi authoritatibus vix ſuadetur, non ſolum non demonſtratur animæ immortalitas.

Alia media, quibus Phyloſophi probant immortalitatem non ſunt demonſtratiua.

41 Prob. 2. Aliud medium, quo vti poſſet Phyloſophus aliquis, eſſet aliqua, vel multiplex ratio naturalis a poſteriori, ab appetitu ſcilicet naturali ſemper eſſendi; vel ab appetitu fœlicitatis perfectæ, quæ in hac vita haberi nequit: vel ex præmio virtutum, & ſupplicio vitiorum. Sed nulla iſtarum euidenter demonſtrat intentum; niſi ſuppoſita fide, quod detur vita æterna, & animæ immortalitas: ergo.

Ex deſiderio ſemper eſſendi non concluditur immortalitas naturaliter.

42 Minor prob. De primo, ſcilicet deſiderio ſemper eſſendi. Nam, vel eſt ſermo de deſiderio naturali ſumpto pro inclinatione; vel de elicito, & conformi rationi. Quodcunque horum dicatur, non probatur naturaliter hoc deſiderium nobis ineſſe, niſi probatur naturaliter poſſibilitas iſtius termini deſiderati. Alioquin eſt manifeſta petitio principij; quia natura non inclinat ad id quod non cognoſcit; neque elicitiuè appetitur incognitum. Secundo, quia deſiderium elicitum, vt ſit bonum, debet eſſe ſecundum rationem rectam; ſi autem quis naturaliter apprehenderet poſſibilitatem immortalitatis, & formaret rationem, vel dictamen, aut iudicium dictans eſſe appetendam; adhuc non eſſet certus, an ratio illa eſſet recta, vel erronea, quia non eſſet notum naturaliter, an immortalitas deſiderata ſit poſſibilis. Hinc ait *Scotus ſub X.* quod omne medium ex deſiderio naturali, eſt inefficax; vt enim ſit efficax debet demonſtrari potentia naturalis in natura ad talem terminum. Vel, quod apprehenſio immortalitatis, ad quam ſequitur deſiderium, ſit recta; & non alicuius impoſſibilis. Sed hoc, vel eſt ipſa concluſio, vel quid ea ignorius. Si dicas naturaliter probatur inclinatio, quia homo naturaliter fugit mortem.

Reſp. hoc arg. Nihil probare, quia concluderet etiam de immortalitate Bruti. Secundo, quia ſæpe deſideratur impoſſibile, eſto inefficaciter; patet de Luciferi primo deſiderio æqualitatis Dei.

Noqs ex deſiderio naturali, ſeu inclinatione innata.

43 De 2. Nempe de appetitu Beatitudinis, vel perfectæ fœlicitatis, quem quilibet naturaliter in ſe experitur, non probatur immortalitas; nam naturaliter notum non eſt, quod beatitudo conſiſtat in vita æterna, & immortali, hoc enim eſt fide notum. Et hinc, vt in ſuo loco dictum eſt, errarunt Phyloſophi, qui quidem omnes dari, & appeti naturaliter beatitudinem confeſſi ſunt, ſed in aſſignando eius naturam diſcordes fuerunt. Naturaliter omnes appetentes beatitudinem, ſeu fœlicitatem, vel appetunt, quod poteſt haberi in natura; vel, quod eſt ei impoſſibile. Numquam autem poſſunt cognoſcere naturaliter, aliquam partem hominis eſſe immortalem; vel beatitudinem fore perpetuam. Secundo, quia natura non cognoſcit beatitudinem in ſpeciali, eſſe nempe hoc, vel illud viuendi genus; ideoque neque naturaliter eam poteſt in ſpeciali niſi ſecundum erroneam rationem appetere. Et ipſemet Phyloſophus qui 10. *Ethicorum cap. 10.* inquit beatitudinem non eſſe tantum in generali, ſed in ſpeciali, adhuc neſciuit, quid in ſpeciali eſſet, qui eam poſuit in ſpeculatione altiſſima cauſarum perfectiſſima, homini poſſibili ineſſe. Et poſita hac theſi, ſubdit, *oportet & corpus ſanum eſſe, & cibum, & famulatum eſſe; non tamen aſſimandum vtilis, & magnis indigere fœlicem.* Igitur vera fœlicitas non fuit Ariſtoteli nota; neque poteſt naturaliter cognoſci, aut appeti in ſpeciali. Ex ſic ex eius appetitu nequit concludi cognitio naturalis de immortalitate.

Naturaliter ignoratur, quæ ſit beatitudo.

Neque Ariſtot eam vouit in ſpeciali.

Neque concluditur euidenter naturaliter ex præmio, & ſupplicio.

44 De 3. nempe de præmio virtutum, ac vitiorum, pariter patet non concludere demonſtratiuè. Sed maximè præ cæteris perſuadere aliam vitam. Ratio primi eſt, quia diceretur præmium virtutum eſſe exercitia earum, præmium enim virtutis eſt ipſamet virtus, gloria pariter, & exiſtimatio prudentum, quæ eſt maximum bonum. Item, & de ſupplicio vitiorum, eſt enim infamia, dedecus, & vituperium. ita diceret purus Phyloſophus fide deſtitutus.

rus. Alij autem, vt Phariſei ſaro omnia tribuentes, non admitterent eiuſmodi retributiones in alia vita. Tertio, quia omnes ferè nationes retributionem confeſſi ſunt, & tamen immortalitatem animæ non omnes aſſeruerunt. Quarto, alij ſine fide, dicerent, per aliquod tempus animam pro hac retributione duraturam; ſed non fore æternam.

August. 45 Probatur 3. concluſio ex *August. lib. 13. de Trinit. cap. 9.* vbi de vita immortali loquens, ait, *Humanis quippe argumentationibus hæc inuenire conantes, vix pauci magno præditi ingenio abundantes otio, doctrinisque subtilissimis eruditi ad indagandam ſolius animæ immortalitatem peruenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt ſtabilem, id eſt veram.* Igitur non potuerunt Phyloſophi demonſtrare, ſed vix apprehendere.

Ex ſcript. SS. Patres probantur animæ immortalitas. 46 Prob. 4. Sancti Patres, & Eccleſiæ Doctores numquam alio medio vti ſunt ad concludendam immortalitatem, quam medio reuelationis, nempe ſcripturæ canonicæ: ſi autem poſſet naturaliter id probari non omiſiſſent ex rationibus oſtendere Phyloſophis, eos decipi, cum negant animam eſſe immortalem: ergo. Anteced. prob. Nam vt patuit in præced. ar. omnes vtuntur Saluatoris oraculo, *Animam autem non poſſunt occidere*, & alijs ſcripturæ locis id probantibus.

Arg. contr. Ob. 1. Apoſt. 2. *Cor. 5.* ait, *Nolumus ſpoliari, ſed ſuperueſtiri*. Ergo oſtenditur eſſe in homine appetitum ad aliam vitam.

Locus Pauli conſidit de fidelibus. 47 Reſp. ad hoc, & ſimilia, neg. conſequ. Apoſtolus enim loquitur de inſtructis in fide, qui credunt in aliam vitam; non verò de Phyloſophis, alijsque ſolo naturali lumine vtentibus. Vel dato, quod de his etiam loqueretur, quomodo concluditur, quod talia deſideria eſſent rerum poſſibilium naturaliter cognitarum, & non potius impoſſibilium, erronea ratione comprehenſarum.

Ob. 2. Naturaliter notum eſt, quod homo ſit pars vniuerſi, imò ſit perfectiſſima eius ſpecies. Ergo, & quod ſemper manebit.

Arg. hoc nihil probat. 48 Reſp. neg. conſequ. Primo, quia ſupponitur, hoc vniuerſum fore perpetuum, & hoc naturaliter, vt verum cognoſci. Sed vtrumque, vt patet eſt falſum. Secundo, data etiam perpetuitate vniuerſi, vnde nam colligitur, quod hominis anima ſit immortalis: nam ad ſummum concluderetur, quod in vniuerſo iſto ſemper ſucceſſiuè in diuerſis individuis deberet homo perſeuerare.

Ex modo operandi animæ concluditur per ſuaſiue, quod ſit immortalis. Ob. 3. Ex modo operandi animæ poteſt concludi eam eſſe immortalem: ergo. Anteced. prob. Quia ex hoc quod operetur independenter à corpore concluditur, quod ſit etiam independens quò ad eſſe.

49 Reſp. diſt. poteſt concludi demonſtratiuè, nego. perſuaſiuè, concedo. Ex ea enim operatione ad ſummum concluderetur, quod dum eſt, independens etiam à corpore eſt. At neque ex hoc concluditur aliqua ſuaſio; quia calor exiſtit in aqua calida, & operatur independenter ab aqua, hæc enim non producit calorem in calefacto, & tamen inde non ſequitur, quod calor habeat eſſe independens à corpore, & ita ſit immortalis. Ita pariformiter diceret purus phyloſophus de anima operante, & exiſtente in corpore.

Ex ſpiritualitate non demonſtratur immortalitas. Ob. 4. Ex ſpiritualitate animæ poteſt demonſtrari eius immortalitas: ergo ratione naturali poteſt probari.

50 Reſp. neg. anteced. Habitus enim recepti in intellectu, & voluntate, vt virtutes, ac vitia, ſpirituales ſunt: non tamen immortales. Secundo, eſtò de his dari poſſet diſparitas quia ſunt accidentia, anima autem ſubſtantia, adhuc non eſt medium demonſtratiuum, ſeu dialectiuum; quia hæc propoſitio omne ſpirituale eſt immortale, non eſt per ſe nota. Item hæc alia, anima eſt ſpiritualis, neque eſt per ſe nota. Vtraque enim multis rationibus eſt probanda. Et ſicut multi etiam ſancti aliquando dubitarunt animam eſſe à parentibus per generationem, licet poſtea ſit per Eccleſiam aliter declaratum; ita Phyloſophus aliquis diceret poſſe per creaturam deſtrui, vel ex ſe ipſa deficere; neque poſſet facilè conuinci ſed multa eſſent aſſumenda in eius doctrinæ probationem.

Ex independentia non demonſtratur immortalitas. Ob. 5. Ex independentia animæ à materia videtur poſſe demonſtrari immortalitas. Ex hoc enim, quod Deus, & Angeli ſunt à materia independentes, concluditur immortales.

51 Reſp. neg. anteced. Nam catholicus verus confitetur creationem animæ ex nihilo. Sed Phyloſophus, & vtinam nunc non adeſſent, medici permulti docent nedum animam dependenter à materia fieri, & conſeruari, ſed & à genitore corporis, ſaltem vt cauſa minus principali produci. Quis autem poterit hos conuincere, niſi fides, omnia enim Phyloſophica argumenta facile eludent, licet malè, tamen cum aliqua apparentia.

Ex fine, ſeu fœlicitate humana non concluditur fœlicitas. Ob. 6. Ex fine ſpeciei naturæ humanæ concludi poſſet hominem eſſe immortalem: quia finis eius eſt fœlicitas; quæ quidem in hac vita dari nequit. Ergo ex hoc colligeretur dari aliam vitam. Et ſic immortalitatem.

52 Reſp. diſt. ſequelam, ſicut ſupra, concludi poſſet perſuaſiuè tranſeat; demonſtratiuè, nego. Ratio eſt; quia eſtò finis naturæ humanæ ſit fœlicitas, non tamen eſt notum naturaliter qualis ſit hæc fœlicitas. Secundo dato, quod ſit fœlicitas, diceret Epicureus, eſt voluptas vitæ præſentis: diceret Stoicus virtus animæ in hac eadem vita; diceret Platonicus, bonum ani-

Philosophorum sent. circa fœlicitatem.

mæ, & corporis; diceret Peripateticus, speculatio altissimorum comitante sanitate corporis, bono commodo ciborum, ac famulatus. Omnia autem hæc præsenti vitæ congruunt. Cum verò assumitur, quod non est adæquata fœlicitas, quia præsens vita cito fluit; tunc petitur principium. Hoc enim quæritur, an detur alia vita, seu alius status, in quo anima viuit.

Ob. 7. Ex medio corruptionis posset probari, animam esse immortalem, quia non habet contrarium: omnis autem corruptio fit ex contrarijs.

Neque ex carentia cõtrarietatis concluditur,

53 Resp. Quod purus Philosophus, vel negaret, animam non habere contrarium: vel si concederet, diceret non corrumpi per se, sed ad corruptionem totius compositi. Remotis enim dispositionibus, quæ sunt necessariæ ad conseruandam eam inesse, deficeret. Et quamuis eiusmodi responsa nobis Catholicis videantur ardua; si tamen præsciadamus à doctrina fidei, ad huc & nos sicut oues errantes essemus, & omni doctrinę vento circumferremur; quod auertat à nobis Deus.

Ex eo quod non patitur diminutionem non concluditur demonstratiuè,

Dices, ex corruptionis medio posse instari; quod, sicut anima existens in corpore non patitur dimminutionem, ita neque potest totaliter destrui. Antecedens prob. Quia in progressu vitæ corpus debilitatur, intellectus verò nequaquam; immò in senibus est magis vegetus, atque fortis.

54 Resp. Neque ex hoc medio concludi intentum, nisi quod perseuerante vita hominis, anima non patitur dimminutionem; remotis autem vitæ dispositionibus, ipsa deficiat, diceret purus Philosophus. Ad illud de intellectu senum: dico in rei veritate sic esse; sed tamen non sic apparere. Neque enim senes omnes vegeti, ac fortes sunt in intellectuali operatione; vnde *Ecclesiastici* 25. 4. damnatur senex fatuus, & insensatus; quod quidem non ex debilitate intellectus, sed ex organorum indispositione contingit.

Senes non sunt vegeti in rebus intellectualibus,

Ex quibus omnibus manifestum est, multa suppetere rationum motiua persuadentia animæ immortalitatem, non vero demonstratiuè concludentia; ideoque fide firmata est sententia immortalitatis.

*

## ARTICVLVS III.

### *De origine, ac natura animæ rationalis.*

SCOTVS *in 2 sent. dist. 17. quæst. 1. & in 4. dist. 1. quæst. 2. M.* & alibi sæpe cum fide Catholica, docet animam rationalem esse formam finitam, atque creaturam, non ab æterno, nec à mundi initio existentem; nec ab aliquo agente creato productam; sed in generatione cuiusuis hominis, à Deo immediatè creatam, & corpori humano perfectè organizato infusam. Scoti mens.

55 Adu. 1. Alienum à proposito non esse, inquirere in hoc loco animæ naturam, & originem; vt inde concludi possit, an separata à corpore vsque ad diem iudicij, maneat naturaliter, an violenter. Cum ergo ad hunc effectum hæc inquiramus, breuissime, ex Scriptura, vel Sanctorum Patrum, nec non Conciliorum doctrinis hoc negotium persoluemus. Intentio authoris in hac disput.

56 Adu. 2. Quod quamuis titulus articuli plura videatur comprehendere ad tria tamen puncta restringitur; primum, an anima rationalis ex nihilo à solo Deo creetur; an à genitoribus producatur. Secundum est, an sit substantia creata, vel pars quædam diuinæ substantiæ, vt aurumabant Manichæi, quos impugnat, & conuincit *Augustinus lib. 2. de Moribus Manichæor. cap. 11.* Tertium punctum est; an dato, quod anima rationalis sit forma creata, an creetur in generatione cuiuslibet hominis; an fuerit in tempore antecedente, vel ab æterno, vt putauit Plato, vel saltem in mundi principio, vt putauit Origenes. Art. ad tria puncta restringitur.

57 Adu. 3. De essentia animæ, in primitiua Ecclesia Hæreticorum quorundam fuisse sententiam, quod sit pars diuinæ substantiæ, ita Manichæi relati à *S. Augustino, vbi supra*, & *lib. 7. Gen. ad lit. cap. 1.* id tamen docuerant ante Manichæos Carpocratiani, seu Gnostici ex Prateolo relato à *Salelle reg. 220. num. 74.* & post Manichæos, Priscillianistæ, qui in quarto sæculo vixerunt, ex eodem *reg. 240.* De productione verò animæ diuersæ fuerunt sententiæ. Quidam enim dixerunt produci ab Angelis. Ita Seleuciani relati à *Salelle reg. 238.* Alij inter quos, & multi SS. ac Doctores Ecclesiæ ante definitionem Concilij dubitarunt, an à parentibus, an à Deo solo producatur anima rationalis, ita præ cæteris Tertullianus, ex *August. lib. de hæresibus hær. 68.* & hoc procedebat ex eo quod difficillimè inueniebant modum, quo ex parentibus contrahitur peccatum originale, si ipsi non influunt in productionem animę. Hæret. sent. quod enim sit pars diuinæ substantiæ. De productione animæ multæ sent.

Ex

Qui à Deo dicunt fieri, errant in tempore.

Ex ijs verò, qui docuerunt à Deo produci, nonnulli errarunt de tempore; quidam enim dixerunt eam esse æternam, & simul cum Deo extitisse ab æterno, ita Platonici, ex *Augustino lib.* 10. *de Ciuit. Dei cap.* 31. & ex authoribus relatis à *Sabilic reg.* 210. *num.* 38. Quidam putarunt, omnes animas à Deo in principio mundi fuisse creatas, ita Origenes, ex *Baronio t.* 4. *Ann. an.* 393. *& t.* 7. *an.* 338. & ex *August. lib.* 7. *Gen. ad lit. cap.* 9. vbi id impugnat. Eiusmodi ergo puncta sunt breuiter discutienda.

Anima non est pars substantiæ Dei.

38 Dico 1. Anima rationalis non est pars substantiæ Dei. Est de fide.

59 Prob. 1. ex *Gen.* 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspiranit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* item *cap.* 2. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ergo anima hominis est facta, & creata, Dei autem substantia non est facta, neque creata: ergo.

Aptiori arg.

60 Prob. 2. Substantia Dei est indiuisibilis. Ergo non potest aliqua eius pars esse in alijs ab eo.

Conf. Nam sicut ferè infiniti sunt homines, sic infinitæ essent accipiendæ particulæ à substantia Dei, imò omnes homines essent dij.

61 Prob. 3. ex *S. August. lib.* 2. *contra Fel. cap.* 20. *lib.* 7. *Gen. ad lit. cap.* 1. & *lib.* 2. *de Gen. cont. Manich. cap.* 8. Anima est res à Deo diuersa, mutabilis in melius, & in peius; qualis non est Deus. Igitur non est substantia Dei. Hæc autem ratione ante Augustinum vsus est Athanasius in *quæst. de anima, & mente*, vbi præ cæteris ait, *Nemo existimet, quod ille spiritus quem in hominem insufflauit Deus, factus sit anima; absit; sed spiritus ille perficit animam. Nam si in homine spiritus ille esset anima esset nimirum ex Dei essentia, & sic esset anima inalterabilis, & semper esset, & immutabilis, qualis est Deus. Anima autem interdum quidem stulta est, interdum sapiens, interdum peccatrix, interdum iusta, &c. Cum hæc in se habeat anima, quonam pacto dici potest, quod ex Dei sit essentia? sed hæc inspiratio animam in homine fabricata est rationalem, & intelligentem.* hæc *Athan.*

Athanasij arg.

62 Conf. ex *Tertull.* qui ante *Athanas. lib. de anima cap.* 22. ait, definimus animam Dei flatu natam, substantia simplicem de suo patientem variè procedentem, liberam arbitrij, accidentis obnoxiam per ingenia mutabilem, &c. quæ Dei essentiæ, seu substantiæ nequeunt conuenire.

Tertull.

63 Conf. ex *S. Hieron. epist.* 61. *aduer. errores Ioan. Ierosol. cap.* 6. sic habente. *Dicis animam non esse de Dei substantia pulchrè. Damnas enim impiissimum Manichæum, &c.*

Hieron.

64 Prob. 4. ex *Concil. Brachar.* 1. *can.* 5. *& 6.* quibus statuitur animam hominis non esse substantiam Dei, & qui hoc dicit est hæreticus.

Concilium Brachar.

65 Prob. 5. ex *Concil. Later.* 4. *cap.* 1. Anima creatur à Deo. ergo non est substantia Dei; alias non posset ab eo creari.

Concil. Later. 4.

66 Prob. 6. Anima est per se forma corporis ex *Concilio Vien.* & habetur in *Clement. de summa Trinit. & Fide. Vno.* & contraria sent. ex eodem est hæretica. Sed Dei substantia non potest esse forma: ergo.

Conc. Vien.

67 Prob. 7. Anima rationalis independenter à corpore potest peccare peccatis merè intellectualibus, vt infidelitatis, odij, desperationis, iudicij temerarij, &c. Dei autem substantia est impeccabilis: ergo.

Prob. 8. ex *Leone IX. in epist. ad Petrum*, Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam peccato originali obnoxiam, credo, & predico.

Ex al. fontibus arguit.

68 Prob. 9. Animæ hominum quædam damnantur, quædam saluantur. Substantia autem Dei nequit damnari, atque cruciari: ergo.

69 Dico 2. Animæ hominum non sunt Deo coæternæ, & coexistentes. Est de fide.

Animæ non sunt Deo coæternæ.

70 Prob. 1. Fides docet nihil fuisse ab æterno, sed in principio temporis mundum fuisse creatum ex *Gen.* 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Idem definitum est in *Concilio Later.* 4. *can.* 1. & in *Concil. Later.* 5. *sess.* 8. & est *const.* 1. *Leonis X.*

Script. Concil. Later. 5.

71 Dices ibi definiri solum, quod mundus non sit ab æterno; sed non fit mentio de animabus. Contra Concilia loquuntur de omni creatura. Secundo, ex sequ. concluf. *Concil. Constant.* 3. quod est *Gen* 6. *act.* 11. *& Later.* 4. postea adducenda definiunt animas hominum non fuisse creatas in principio mundi, & antequam infundantur corporibus. Ergo multò minus ab æterno.

72 Prob. 2. ex *Zacharia* 12. 1. *Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Igitur cum animæ in hominibus producantur, non sunt productæ ante eos, & multò minus ab æterno.

Zachar.

73 Prob. 3. ex *Irenæo lib.* 2. *cap.* 64. vbi loquens de male opinantibus circa initium animæ, ait. *Distant quoniam sine initio, & sine fine, verè, & semper idem, & eodem modo se habens, solus est Deus. Quæ autem ab illo facta sunt, omnia quæcunque facta, sunt, & fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, &c.*

Irenæus.

74 Prob. 4. ex *Clemente Rom. lib.* 5. *Const. Apostol. cap.* 6. Ex modico semine genitali hominem in vtero format, & animam, quæ ante non erat in eo creat. Ergo in tempore fit, & sic non est æterna à parte ante.

Clem. Rom.

75 Prob. 5. Prima anima, de qua in Scripturis sacris fit commemoratio, est anima Adami: sed hæc fuit in tempore formata, in principio, scilicet quando creauit Deus cælum, & terram, & faciens ho-

minem de limo terræ, inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Ergo animæ non ſunt ab æterno.

76 Prob. argum in ſeq. concluſ. adducendis, quæ quidem ſunt à fortiori. Si enim animæ non ſunt productæ ante formationem corporis humani, ſeu in principio mundi, multò minus productæ ſunt ante productionem mundi.

Animæ non ſunt productæ ab initio mundi.

77 Dico 3. Animæ hominum non ſunt productæ in principio mundi quando creauit Deus cælum, & terram. Eſt de fide.

78 Prob. 1. Nihil poteſt dici creatum in principio mundi, niſi quæ refert Scriptura fuiſſe tunc creata. Sed hoc non refertur de animabus: ergo.

Ex Concilijs

79 Prob. 2. ex *ſexta ſynodo*, nempe *Conſtant. 3. actione 11. & 13.* Damnatur error Origenis docentis, animas omnes ab initio mundi fuiſſe creatas. Idem poſtea definitum eſt in *Concil. Later. 4. can 1.* & nunc habetur in *cap. Firmiter de ſumma Trinit.*

Nazianz.

80 Prob. 3. ex Patribus *Greg. Nazianz. orat. 31.* ait, vereor, ne tam abſurda, ac præpoſtera cogitatio cuiquam obrepat, tamquam anima alibi vſquam verſata ſit, ac deinde corpori huic adſtricta fuerit, atque prout illic ſe geſſerit, alij prophetiam accipiant, alij, qui improbè vixerunt condemnentur. Sed quoniam hoc exiſtimare, nimis ſtultum, & abſurdum eſt, atque ab Eccleſiaſtica fide, & doctrina alienum, &c.

Nyſſenus.

81 *Greg Nyſſenus Homil. 7. in Cant.* ait. Neque anima eſt ante corpus, neque ante animam conſtruitur corpus, &c

Cyrill. Alex.

82 *Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 9.* inquit, nonnulli ante corpora humana in Beata vita fuiſſe animas in cælo contendunt, &c. Cuius opinionis falſitatem modo redarguere tempus eſt. Et multis medijs probat falſitatem talis ſententiæ.

Ex Hieron.

83 *Hieron. ep 1. aduer. error Ioan. Ieroſol. cap. 6.* Poſtquam cum eo concluſit animam non eſſe Dei ſubſtantiam, ait. *Hoc nunc interrogo, anima quando facta ſit*, & impugnat dicentes, quod ante inſufflationem in faciem Adæ facta ſit anima; deinde cum illo *Pſal. 32. Qui fingit per ſingulos dies corda eorum*, concludit, *quotidie Deus fabricatur animas earum velle factas eſſe, & conditor eſſe non ceſſat.*

Auguſt.

84 *Auguſt. lib. 10. Gen. ad lit. cap. 7. & lib 1. de peccat. mer. cap. 1.* nec non in *lib. 11. de Ciuit. cap. 23.* tamquam grauiſſimum errorem hunc impugnat.

Sophronius.

85 *Sophronius Hier. in ep. ad Honor.* & habetur in *6. ſyn. act. 11.* damnat hunc Origenis errorem; & à *Concil. in act. 13.* approbatur damnatio.

Leo Mag.

86 *Leo Magnus in epiſt. 11.* ait, *In Origene meritò damnatum eſt, quod animarum antequam corporibus inſererentur, non ſolum vitas, ſed & diuerſas aſſerunt fuiſſe actiones.* & in *epiſt. 93. ad Thurib. cap. 10.* inquit, *Catholica fides conſtanter præcipit atque veraciter, quod anima hominum priusquam ſuis inſpirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, niſi ab apiſice Deo, &c.* ergo.

Ex ipſomet Origenis errore concluditur oppoſitum.

87 Prob. vlterius concluſio. Origenes, cuius eſt hic error, docebat, animas omnes ante corpora in principio mundi productas, deinde peccaſſe, & hac de cauſa in corpora humana tamquam in ergaſtula immiſſas, vt refert *Auguſtinus lib. 11 de Ciuit. Dei cap. 23.* Sed eſt falſum, animas productas fuiſſe ante corpora; & magis etiam falſum, omnes extra corpus peccaſſe: ergo. Min. prob. Nam *Gen. 2. Deus inſufflauit in faciem Adæ ſpiraculum vitæ*, quod quidem declarans *Chryſoſt. ſer. 11. in creationem*, ait, *hæc nonnulli imperiti homines, &c.* Quemadmodum enim cælum, & terra, Sol, & Luna, cæteraque omnia fabricata ſunt, ac poſtremum homo, cui verum imperium mandandum fuerat: ita in plaſmatione hominis prius formatur corpus, non anima, quæ honorabilior eſt. Ergo animæ non fuerunt creatæ ante corporum formationem.

Ex Chryſoſt.

88 Secundum de peccatis animarum apertè impugnatur: nam Apoſtolus *2. Cor. 5.* ait, *omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum.* Igitur non peccarunt animæ extra corpus, alias de ijs etiam peccatis diceret eas iudicandas.

Petrus Alex.

89 *Petrus Alexand. Martyr in 1. ſerm.* ait. Itaque non capit, ante corpora in cælo peccaſſe animas, quæ prorſus nec ante corpora quidem ſubſtiterunt, hæc enim doctrina à Paganorum Philoſofia eſt, quæ peregrina eſt, & ab ijs aliena, qui piè in Chriſto volunt viuere.

Athanaſ.

90 *Athanaſius Alexandrin Epiſc. in ſer. de B. Antonij vita*, ait, quomodo nos irridere audetis, quia dicamus Chriſtum hominem manifeſtatum eſſe, cum & vos dementem animam eſſe definientes, eam erraſſe dicatis, ac de cæli aplide in corpus deſcendiſſe.

Baſil. Mag.

91 *Baſilius Mag. in ſer. ſuper illud. In principio erat verbum*, ait, quomodo enim in principio erat humana ratio cum homo deorſum principium generationis acceperit.

Greg. Nyſſ.

92 *Greg. Nyſſenus in diſput. de homine*, animæ tranſmigrationem, in diuerſa animalia deridens; ait. Harum autem ineptiarum hæc cauſa eſt, quod præexiſtere animas opinio ſit, &c.

Cyril. Alex.

93 *Cyrillus Alex. in epiſt. ad monachos in Phua.* Huiuſmodi autem opinio ab impij probi Origenis dementia eſt, quem & Patres noſtri, vt veri depranatorem, abdicauerunt, & anathematizarunt. Non enim ſenſit, vt Chriſtianus, ſed Paganorum ſecutus ineptias, & nugas in errorem incidit.

dit. Hinc autem ei contigit morbi principium: asseuerat, animas ante corpora esse, & à sanctimonia adductas fuisse in cupiditates, et nequitiam, desciuisseque à Deo, à quo hanc ob causam damnatæ sunt, et corpori obstrictæ, suntque in carne tamquam in vinculis, etc.

94 Et numquam esset dicendi finis si Patres omnes Latinos, atque Græcos, et maximè Origenis ipsius contribules adducendos putaremus, qui eiusmodi errorem damnarunt, et manifestis rationibus confutarunt. Sed hos sufficiat adduxisse.

Arg. contr. 1

Ob. contra primam. Anima rationalis est facta ad imaginem Dei. Secundo à multis SS. Patribus appellatur diuina. Tertio, quia est immortalis. Quarto, quia est Dei cognoscitiua; ergo dicenda est pars substantiæ Dei.

Arg. probat oppositum,

95 Resp. Omnia hæc argumenta vidisse Augustinum, & Concilia. & tamen decreuisse, animam esse creaturam non autem Dei substantiæ particulam. Ad primum, resp. argum. probare oppositum; si enim est ad imaginem Dei facta, igitur non est aliquid prototypi, sed similitudinem habet cum eo, vnde *Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 20.* ait imago Dei maxima cum dissimilitudine est in homine. In hoc autem dicit consistere imaginem Dei in homine, quia sciens dicit verbum, & voluntas producit amorem; ita ibidem *cap. 27.* & in *lib. 14. de Trin. cap. 17.* in fine ait, quod imago Dei in anima tunc fiet perfecta similitudo, quando plenè habebit Dei visionem.

Anima quare dicitur diuina.

96 Ad 2. dicendum, animam, diuinam dici, quod particeps sit diuinæ cognitionis, obscurè in via, clarè in Patria, vnde ex 2. *Petri 1. Maxima nobis, & pretiosa promissa donauit, vt diuinæ efficiamur consortes naturæ.* Interl. ait, filij Dei non per naturam, sed per gratiam. Hinc *Ioann. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hoc prorsus modo anima diuina est, & quia sit opus solius Dei, & quia sit capax cognitionis, & fruitionis Dei.

97 Ad 3. De immortalitate, iam dictum est in 1. *art.* cum *August.* animam esse quidem immortalem, non sicut Deus, quia potest annihilari. Et præterea non est æterna à parte ante, quomodo ergo potest esse substantia Dei.

Potentia nõ est eiusdem naturæ cum obiecto.

98 Ad 4. facilis est responsio. Angeli enim cognoscunt Deum, & tamen non sunt substantia Dei. Secundo, & est vniuersalior ratio, omnis potentia cognoscitiua cognoscit suum obiectum, & tamen non est substantia obiecti. Ergo friuola sunt eiusmodi argumenta.

Arg contr. 3

Ob. contra 3. *Ecclesiastici 18. 1.* habetur. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, Ergo animæ omnes simul factæ sunt.

99 Resp. Locum hunc non de animabus, sed de omnibus creatis in ipsomet mundi principio difficultatem inducere. Certum enim est, quod in spatio sex dierum, omnium elementorum, cælorum, mixtorum, & animalium creatio perfecta est, & *Gen. 1* distinctè refertur creatorum omnium series. Quomodo ergo illa omnia dicuntur simul creata, ita de animabus dicendum. Sed S. Augustinus prius soluit argumentum pro omnibus. nam in *l. 5. Gen. ad lit. cap 6. 11.* ait, quod sicut in grano, seu semine arboris continetur potentialiter, & causaliter tota arbor ex eo consurrectura, *ita & ipse mundus cogitandus est cum Deus simul omnia creauit habuisse simul omnia, quæ in illo, & cum illo facta sunt, quando factus est dies non solum cælum cum Sole, & Luna, & Syderibus, &c.* hæc *August.* quia nempè in creatione cæli, & terræ aderat materia, ex qua tamquam ex seminali ratione erant omnia facienda, sed in *lib. 6. cap. 4.* declarans illud, *Eiecit de terra omne lignum pulchrum ad aspectum*, ait, manifestat, quod aliter nunc ieiecerit de terra lignum, quam cum tertio die produxit terra herbam, &c. hoc est enim eiecit adhuc super illud quod ieiecerat, tunc vtique potentialiter, & causaliter in operè pertinente ad creanda omnia simul. Nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum sicut vsque nunc operatur, hæc ibi *Aug. in cap 6. eiusd. libri 6* Monens fideles ne putent hominem factum primo die, eò, quod dicat scriptura *creauit omnia simul*, inquit, redeat ergo ad scripturam, inueniet, sexto die hominem factum ad imaginem Dei. Mouet postea dubium, quomodo postea, vel simul facta sit fœmina, & respondet, quod informatione hominis facta est simul fœmina potentialiter causaliter, quomodo fiunt futura non facta. Et in fine concludit, qui viuit in æternum creauit omnia simul, & tunc quando iam non simul, sed suis quoque temporibus creans finxit hominem de limo terræ, & ex eius osse mulierem, cum nec isto modo illo sexto die factos, nec tamen eos illos sexto die non factos intelligere scriptura permittat, hæc *Aug.* & in *cap. 7.* aperte dicit animas hominum tunc non fuisse formatas. Sed in *lib. 7. cap. 22. & 23.* clarius locum illum pro omni re creata exponit, dicens Deum creasse omnia simul, quia in primordijs creationis rationes seminales omnium creandorum produxit. Inquirens deinde quænam essent respectu hominis seminales rationes, & quasi potentiales, & causales, ait, respectu corporis fuisse terram; respectu autem animæ in *cap. 25.* dicit fuisse Angelicum spiritum. *Hanc faciendæ animæ causalem rationem Deus inseruit cum sexto die fecit hominem ad imaginem suam, causam scilicet rationemque præfigens secundum quam tot post dies illos septem faceret, vt*

Quomodo omnia fiat simul creata.

Augustin. declarat quomodo Deus simul creauit omnia.

Potentialiter, & causaliter omnia simul facta sunt.

Quia seminales rationes omnium fecit simul,

*videlicet corporis eius cauſalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius diei creaſſe credatur. Sed quid aliud dicitur, cum hoc dicitur, niſi angelicum ſpiritum quaſi parentem eſſe animæ humanæ, ſic in illo eſt anima humana creanda prædondita ratio; ſicut in homine futuræ prolis ſuæ, vt corporum quidem humanorum parentes homines, animarum autem Angeli, creator vero, & animarum, & corporum Deus, ſed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis, aut prioris corporis ex terra, & prioris animæ ex Angelica natura, vbi rationes earum cauſales præfixerat quando primitus fecit hominem in his, quæ ſimul omnia creauit. Deinceps vero homines ex hominibus, corpus ex corpore; animam ex anima.* Et ſubdit, quod licet durum videatur ratione huius primordialis cauſalitatis dicere animam filiam Angeli; durius tamen, quod ſit filia cæli, aut terræ. & in *cap.* 24. ſaluat hanc primordialem cauſalitatem animæ in aliquo opere Dei creato in principio latente & in *cap.* 28. eadem recapitulat docens, quod omnia Scripturæ loca vera ſint; & quod Deus in ſex diebus omnia fecit; & quod in ſeptimo requieuit, & quod vſque modo operatur; & tandem quod creauit omnia ſimul, quæ quidem hac ſola declaratione conciliantur, quod nempe in ſex diebus omnes rerum ſpecies factæ ſint; & ideo quæcunque modo fiunt in illis ſeptem continebantur cauſaliter, & tamquam in ſeminali ratione, et ſic homines in illo primo homine, et animę in illa prima anima, et ita Deus requieuit à cauſatione ſpecierum. Illæ autem ſpecies, quæ per ſex dies creatæ ſunt; in terra, cælo, ac ſpiritibus Angelicis continebantur ſecundum cauſales, primordiales, potentiales, ſeu genericas rationes; et ita verum etiam eſt, quod creauit omnia ſimul.

Ratio ſeminalis, ſeu cauſalis, vel potentialis omnium animatum dicit quod fuit Angelus.

In ſex diebus Deus omnia fecit, & vſque modo operatur

Ex his autem nullo modo hæreſis Origenis infertur, quod nempe omnium hominum animæ ſecundum earum exiſtentiam, et indiuidualem rationem fuerint ſimul creatæ ante omnia, et quod in cælis poſitæ ibi peccauerint, et in humana corpora, tamquam in ergaſtula immittantur.

## §. Vnicum.

### *A quo producantur animæ rationales.*

Olim dubiũ erat à quo eſſet anima, de fide tamẽ eſt à Deo creari.

100 DIco. Licet olim in Eccleſia maxima fuerit dubitatio de origine animæ, an eſſet ex traduce, nempe à Parentibus; De fide tamen eſt, quod non ſit à parentibus, ſed à Deo creetur.

1. part. à multis Patribus olim dicerta.

101 Prob. 1. pars. Ex *Gregor. Magno lib. 7. epiſt. ex regiſt. ep.* 54. poſt medium, vbi reſpondere ſatagens ad difficillimum illud quæſitum, quomodo paruuli culpam contrahant originalem, ſi anima, quæ capax eſt culpæ, à Deo ſolo creatur; ait, *charitas ſua ſciat, de origine animæ inter Sanctos Patres requiſitio non parua verſata eſt, ſed vtrum ipſis ab Adam deſcenderit, an certe ſingulis detur incertum remanſit, eamque in hac vita inſolubilem paſſi ſunt quæſtionem eſſe. Grauis enim eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi, quia ſi de Adam ſubſtantia animæ cum carne naſcitur, cur non etiam cum carne moritur. Si verò cum carne non naſcitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata eſt obligata peccati tenetur, &c.* Ergo dubium fuit, et permiſſum olim de hac re diuerſimodè ſentire.

Greg. Mag.

102 *Auguſt. lib. 3. de libero arb. cap.* 21. Supponens quatuor ſententias de origine animæ, ait. *Harum autem quatuor de anima ſententiarum, vtrum de propagine veniant, an in ſingulis quibuſque naſcentibus noua fiant; an in corpora naſcentium, tam alicubi exiſtentes, vel mittantur diuinitus, vel ſua ſponte labantur, nullam temerè affirmare oportebit. Aut enim non dum iſta quæſtio à diuinorum librorum Catholicis tractatoribus pro merito ſuæ obſcuritatis, & perplexitatis ſoluta, atque illuſtrata eſt. Aut ſi iam factum eſt, nondum in manus noſtras huiuſcemodi littera peruenerunt*, et in fine monet, non eſſe de hoc mirandum, neque temerè in hac re ſuccenſendum ei, qui ſuæ opinioni, humaniore fortaſſe dubitatione non cedit, etc. Ergo dubium hoc in Eccleſia erat.

Ex Auguſt.

Conſilium Augustini.

103 Idem *Auguſtinus lib. 3. de pecc. mer. & remiſſ. cap.* 10. vbi laudat, vt circumſpectum Pelagium, quod dubitatiuè loquatur, an anima ſit ex traduce, et ſic ipſemet loquitur. *Non enim, ait anima non eſt ex tradue, ſed ſi anima non eſt ex tradue, rectiſſimè faciens de re tam obſcura, de qua nulla in Scripturis Sanctis certa, & apta teſtimonia poſſumus inuenire, aut difficillimè poſſumus cunctanter loqui, potius quam fidenter. Quapropter ego quoque huic propoſitioni, non præcipiti aſſertione reſpondeo. Si anima non eſt ex tradue, ergo quæ eſt iſta iuſtitia, vt recens creata ab omni delicto, prorſus immunis*

Idem Aug. dubitatio.

nis

*nis, ab omni peccati contagione libera, &c.* & post multa, concludit. *Aut ergo virumque oculum feramus, & nos homines esse meminerimus, aut aliàs aliud de anima opus fi necesse videbitur; cautela sobria disputando moliamur.* hæc ibi, & alibi *Augustinus*. Licet alibi adhæreat sententiæ oppositæ, vt infra.

2. pars, quod creentur.

104 Secunda pars, quod scilicet à Deo creentur omnes animæ probari solet primo, ex *Concil Lateran 4. can. 1.* sed vt video non videtur strictè concludi ex hoc loco, quia ibi decernitur tantum, *Deum esse creatorem omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua virtute, simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & pore constitutam.* Sed decretum istud probat contra Manichæos antiquos, & nouos, nempe Albigenses, quod non dantur duo rerum principia, sed solus Deus omnia creauit. At non definit omnes animas rationales à Deo produci.

Eccles. 12.

105 Prob. ergo 1. ex *Ecclesiastis 12. Ibit homo in domum æternitatis suæ, &c. antequam reuertatur pulvis in terram suam, vnde erat, & spiritus reddeat ad eum, qui dedit illum.* Interlin. Ver. *Ad eum* dicit, *Deum*. & Ver. *Qui dedit*, ait, non est enim de traduce. Idem dicit S. *Hieron.* infra adducendus.

Isaias 42.

106 Prob. 2. ex *Isaia 42. Deus creans cælos, firmans terram, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.* Interl. Ver. *Flatum*, ait, animam, secundum illud, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Ergo omnes animæ hominum à Deo formantur, seu creantur.

Zachar. 12.

107 Prob. ex *Zacharia 12. Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Interlin. Ver. *Spiritum*, ait, *animam*.

Theodor.

108 *Theodoretus* declarans hunc Zachariæ locum, ait, Non ego vobis hoc narro, sed omnium factor, & opifex, qui corpora in aluos adhuc conclusa fingit, & vna cum his animas creat, &c.

Const. Apost. lib. 5.

109 Prob. 3. ex communi Ecclesiæ sensu, ex *lib. 5. constitut. Apostolic. cap. 6.* Qui eo modico semine genitali hominem in vtero formar, & animam, quæ ante non erat in eo creat.

Hieron.

110 *S. Hieron. in epist. 61. aduer. errores Ioann. Hierosol. cap. 6.* probans à Deo creatam animam Adami, & Euæ, defendit à Deo creari omnes animas, ait enim. *Cain, & Abel ex primis parentibus, vnde habuerunt animas. Omne deinceps genus humanum, quibus deinceps animarum censetur exordijs, virum ex traduce incta Bruta animalia, vt quomodo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima; an rationabilis creatura desiderio corporum, paulatim ad terram delapsa nonnisi modò etiam humanis illigata corporibus sint. An certè, quod Ecclesiasticum est secundum eloquia Saluatoris Pater vsque modo operatur, & ego operor, & illud Zacharie, qui format spiritum hominis in eo, & in psalmo, qui fingit per singuli corda eorum, quotidie Deus fabricetur animas.* hæc *Hieronymus*.

Idem Hier.

111 Idem *in cap. 12. Ecclesiastis*, declarans illud, *conuertetur pulvis in terram suam, & spiritus reuertetur ad Dominum, qui dedit illum*, dicit. *Ex quo satis videndi sunt, qui putant animas cum corporibus fieri, & non à Deo, sed à parentibus corporum generari. Cum enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum; manifestum est, Deum Patrem animarum esse non hominem.* hæc ibi *Hieron.*

Leo Mag.

112 *S. Leo Magnus in epist. 93. ad Thuribium cap. 10* animæ à Deo incorporantur, qui earum est opifex.

Leo IX.

113 *S. Leo IX. in epist. ad Petrum*, animam esse ex nihilo creatam credo, & prædico.

Aug. docet creari;

114 *S. Augustinus*, licet rem dubiam esse dixerit; tamen asseruit constanter, animam rationalem à Deo creari. Nam in *lib. de origine anima ad Optatum Milevitan.* præ cæteris, ait, Quis autem negat non vnius tantum, sed omnis animæ creatorem Deum, atque factorem, nisi qui eius eloquijs apertissimè refragatur? sine vlla quippe ambiguitate per Prophetam dicitur, *omnem flatum ego feci*, animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. hæc *August.* & paulo post dubium proponit, an Deus eas faciat ex nihilo, & affirmatiuæ adhæret.

Idem Aug.

115 Idem *August. lib. de anima quantitate cap. 1.* ait. *Propriam quandam habitationem animæ, at Patriam Deum ipsum credo esse, à quo creata est.* & in fine eius cap. subdit. *Non ergo aduersatur sententia, qua animam à Deo factam dicimus, & propriam quandam habere naturam. Hanc enim vius propriam naturam, & suam Deus ipse fecit.*

Idem Aug.

116 In *lib. tertio de lib. arb.* supra relato *cap. 20. B.* ait. *Neque omnino potuit, nisi Deus omnipotens esse etiam talium creator animarum, quas & non dilectus ipse faciat, & diligens eas reficiat, & dilectus ipse perficiat.* Licet ergo in *cap. 21.* relinquat dubium hoc insolutum, à quo scilicet anima producatur, an à Deo, vel ex traduce, tamen frequentissimè adhæret sententiæ, quod à Deo creetur.

Idem Aug.

117 In *lib. de Genesi contra Manichæos*, habet in *cap. 8.* Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, & ideo illam non esse partem Dei, vel naturam Dei, manifestè dicit Propheta, *qui finxit spiritum omnibus*, & alio in loco, *qui finxit spiritum hominis*, spiritus autem hominis dicitur in scripturis ipsius animæ potentia rationalis, hæc ibi *August.*

In

Idem Aug.

118 In *lib.2. de Trinit. cap.8.* ait. Anima quippe, cum sit substantiu spiritalis, cumque etiam ipsa facta sit, nec per alium potuerit fieri, nisi per quem facta sunt omnia, &c. In his, & alijs multis locis docet Augustinus, animas à Deo creari.

Cassiodorus

119 *Cassiodorus lib. de anima cap.3.* ait. Superest vt animam verissimè à diuinitate conditam esse fateamur, quæ sola creare potest mortalia, & immortalia.

Beda;

120 *Beda lib.4 de elem. Phylosofia*, præ cæteris de anima, hæc dicit. Nos verò dicimus, nullam esse illius causam, præter solum Creatorem, qui omnibus dat esse, & infra, ait, authoritate Augustini hoc probatur, qui dicit quotidie creat Deus nouas animas. Et verum dicit Beda, quia id docet *August. in lib. 10. de Gen. ad litter. cap.3. B.*

Bernardus,

121 *Bernardus ser.1. in Natali* Dom. de anima loquens ait. Nec ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur.

Hugo Vict.

122 *Hugo Victorinus in lib.2. Institut. Monastica, de animalibus cap. 26.* Anima rationalis, spiritus est; non traducitur à Patre in filium, nec vna sit anima amborum. Nec pars animæ Patris in filium, dum generat se transfundit. Quod si, vt delirant aliqui semen animæ cum semine carnis haberet generando transfundi, multa quidem inhonesta, & impossibilia possent exinde conclamari, quę de spiritu rationali, nec dici debent, nec opinari. & in *cap. 27.* ait, dicimus autem rationales animas pro essentia fieri quotidie de nihilo nouas. & in fine. Caro de carne generando producitur; spiritus de spiritu minimè propagatur.

Io. Damasc.

123 *Damascenus lib.2. de fide Orthodox. cap.12.* Anima creata est, & hæc omnia Dei beneficio, & gratia secundum naturam consecuta, à quo nimirum, & quod est, & quod hęc natura est, accepit: ergo.

Mag. Sent.

124 *Magister sent. in 2. dist.17.* Quidquid de anima primi hominis æstimetur, de alijs certissimè sentiendum est, quod in corpore creantur. Creando enim infundit eas Deus, & infundendo creat.

D. Thom.

125 *D. Tho.* in multis locis suę doctrinę docet animam rationalem non haberi ex traduce, seu à parentibus, sed à Deo. Ita in *Opusculis Theol. op. 3. cap. 93.* & in *1. p. quæst.90. ar.2. quæst.100. ar.1. ad 1. qu.118. art. 2.* imo in *1. p. quæst. 75. art. 6.* & alibi docet à Deo creari immediatè non verò educi de potentia materiæ. & in *2. sentent. distinct. 3. quæst. 1.* cum *Magistro sent.* docet, quod anima infundendo creatur, & creando infunditur.

D. Bonau.

126 *D. Bonauent. in 2. sent. distinc. 18. par.2. quæst 3.* docet, animam rationalem non esse ex traduce, de parentibus scilicet, sed à Deo ex nihilo creari. Idem sæpè alibi docet, præsertim in *Breuiloquio par. 2. cap. 9.* dicens, de anima rationali hæc in summa tenenda sunt secundum sacram doctrinam, &c. & subdit, forma quidem est non à se ipsa, nec de diuina natura, sed à Deo de nihilo per creationem in esse deducta, &c.

Scholastici omnes.

127 Scholastici tandem omnes, id docent cum Catholica Ecclesia, & *Scotus in 2. sent. dist.17. quæst.* 1. vbi docet animam à solo Deo produci, & licet non posset naturaliter demonstrari, quod non educatur de potentia materiæ, quia id Philosophi negarent; tamen adhuc concederent, quod à Deo sit. Idem docet *in 4. sent. distinct.1. quæst.1.* in principio, & *in dist.43. quæst.2. §. Potest dici sub N.* quibus in locis docet, animam à Deo ex nihilo creari. Neque vllus nunc est Catholicus, qui amplius de hoc dubitet.

Cõtra obel. arg. ex scrip. desumpta.

Ob.1. contra 2. partem. Ex multis scripturæ locis habetur. Parentes generare animas: ergo. Anteced prob. ex *Gen.13. 5. Abraham tulit Sarai vxorem suam Loth filium fratris sui, & animas quas fecerant in Aram. cap.14.21.* ait, Abraham ad Regem Sodomorum, *da mihi animas, cætera tolle tibi. cap.46.* sæpius habetur, *v. 15. Omnes animæ filiorum eius, & filiarum triginta tres. v.18. Et hos genuit Iacob sexdecim animas. v 22. Qui genuit Iacob omnes animæ quatuordecim. v.25. Et hos genuit Iacob omnes animæ septem, eunctęque animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacobo in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius absque vxoribus filiorum suorum sexaginta sex.* Ergo euidens est animas generari per parentes.

Anima in scriptura sæpe significat personam.

128 Resp. facillimè, nomine *animarum* intelligi personas, ita *S. August. lib.7. de Trinit.cap.4.* vbi quærens de diuinis personis, quomodo sint dicendæ tres, ait, difficile esse dicere, quid tria sint, quia verius cogitatur Deus quam dicitur: & post aliqua, ait, *Aut sicut scriptura nostra loqui solent tres animas cum à parte meliori totum appellari placet, id est ab anima cum corpus, & anima sit totus homo, ita quippe dictum est in Ægyptum descendisse cum Iacob animas septuaginta quinque, pro tot hominibus.* Ideoque ex hoc tantum non deducitur, quod animæ fiant à parentibus. Sed quod personæ illæ, seu filij, ac filiæ, à Iacob, Abraham, &c, genitæ sint.

Infantia,

Instab. Imò per hoc probatur euidenter; nam si persona genita est à Patre; & anima quia pars nobilior est stat ibi pro persona, sequitur euidenter, quod anima genita sit; alioquin non expressisset scriptura fœtus, seu filios Iacob, nominans eas formas, quæ ab eo genitæ non erant: ergo.

129 Resp. neg. consequ. Voluit enim Scriptura significare quot personæ descenderant in Aegyptum cum Iacob, & ait *animæ, &c.* quia anima aliquando significat personam, cum sit perfectior personæ pars. Quod verò pars ista debeat produci à ge-

ne-

nerante personam, hoc non dicit, nec fuit necesse, vt diceret ipsa scriptura.

Arg. ex generatione hominis.

Ob. 2. Parentes generant filios: ergo. Consequ. prob. Cum enim homo genitus constet ex materia, & forma, & certum sit non generari materiam; si neque etiam formam produceret, nihil produceret.

Quare parentes dicuntur generare filios.

130 Resp. dist. anteced. Generant filios quatenus producunt, seu communicant formam seminis, qua efficitur corpus in quo perfectè organizato producitur anima, concedo. alio modo, nego. Nam vt ex *lib. de generat.* et anima supponimus non concurrit homo, nisi hoc modo ad productionem hominis. Formato enim perfecto organo, anima infunditur.

A pari arg. de alijs.

Instab. Cætera animalia producunt sibi simile etiam secundum animam: ergo et homo. Non enim est deterioris conditionis.

Omnis anima per Scotum est à Deo.

131 Resp. ex *Scoto in 2. dist. 18. quæst. Vnic. §. Relinquitur*, vbi docet omnem animam sensitiuam etiam, immò et perfectam corporis organizationem à Deo esse. Cum ratio seminalis homogenea nequeat ætherogeneum adeo excellens, et diuertum efficere.

132 Resp. 2. neg. paritatem, quia cæteræ animæ sunt entia corporea, anima verò rationalis est ens spirituale.

Multa hic essent adducenda ex Philosophis argumenta, quæ consulto omittimus; et ad theologica diuertimus.

Arg ex Aug.

Ob 2. *S. August. in lib 10. de Gen. ad lit.* postquam in quatuor primis capitibus multa dixerat de origine animæ, et diuersas authorum sententias attulerat, in *cap. 5.* probat non esse ex Angelis, tamquam parentibus, neque ex elementis; et in *cap. 4.* tentans, an per scripturæ loca possit hoc probari, et adducens illud Isaiæ, *omnem flatum ego feci*, et illud *Psal. Qui finxit singillatim corda eorum*, inquit, id dupliciter intelligi, vel in sensu spirituali, quod scilicet Deus per gratiam renouat animam. Vel si intelligatur de natura ipsius animæ intelligi potest, quod Deus cum agente creato concurrit ad animæ formationem; ergo.

Aliud arg. ex eod.

Conf. nam in *cap. 17. vsque ad 22.* diffusè probat animam Christi non esse ex traduce, quia non ex copula viri cum muliere. At de alijs animabus dubitat in eisdem locis, et præcipuè in *cap. 21. & 26.* immò in *cap. 23.* dicit, quod parum refert scire, à quonam modo producantur animæ in *lib. 1. de orig. anim. ad Hier. c. 7. & c* seqq. manifestat, se nescire, an singulis infantibus singulas animas Deus modo faciat, in *lib. 4. de anima, & eius orig. cap. 2.* dicit, *de origine animarum, quæ post primum hominem, date sunt, vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire; quia fateor me nescire.* et in *cap. 8.* dolet quod Vincentius eum insimulet, quod dixerit id nescire, sic, *Et in quia præteritam originem animæ meæ non omnino nescio, sed non plenè scio; nam scio mihi datam esse à Deo, nec tamen esse à Deo, tanto me conuitio dignum putasti.* Tandem in *lib. de essentia diuinitatis*, docet originem animæ esse occultam, et Deo soli notam, ergo non est de fide, quod anima rationalis à Deo creatur. Alioquin Augustinus dubitasset in materijs fidei.

Multa Aug. loca contra conclus.

Tempore S. Aug. vel Gregorij nó erat firmata sent. de origine animæ.

133 Resp. Ex his aliud non concludi, nisi, quod tempore S. Augustini, nempe in quarto Ecclesiæ sæculo sententia de origine animæ non fuerit firmata, an scilicet à Deo solo immediatè anima sit, an etiam à parentibus; immò neque in sexto sæculo dum floruit S. Gregorius, vt patuit; et loca scripturarum quia clara adhuc non erant, pro vtraque sententia declarabantur: progressu tamen temporis ita inualuit sententia hæc, quod anima à solo Deo creatur, vt opposita nunc, nedum sit temeraria, sed et erronea, vel vt alij volunt de hæresi suspecta, vel tandem, vt *D. Thomas*, docet 1. *par. quæst. 118. ar. 2.* in corp in fine. *hæreticum est dicere, quod anima intellectiua traducatur cum semine*, verba S. Thomæ sunt. Idem dicit Caietanus ibi, citans S. Doctorem in alijs locis id docentem, vt in 2. 2. *quæst. 90. & in 2. sent. dist. 18. quæst. 2. ar. 1. & 2.* et alibi. Idem docet *Alfonsus de Castro aduer. hæreses lib. 2.* Ver. *Anima, §. Quintus error*, vbi etiam adducit *S. Thomam lib. 2. contra Gentes cap. 86.* dicentem, errorem esse, asserere, quod animæ fiant ex traduce, et hunc fuisse errorem Apollinaris.

Sent. contr. est hæretica

Instantia.

Dices. Sententia docens, animam fieri à Deo, cum parentum concursu, non est sacræ Scripturæ, aut definitioni Conciliorum, aut Romanæ sedis contrarium. Et ex alio capite tot Sancti, et docti Patres, inter quos Ecclesiæ Doctores Augustinus, et Gregorius eam docuerunt. Igitur neque hæretica, neque erronea censenda est. Anced. prob. De primo, quia scripturæ omnes, quæ possunt adduci, iam adductæ sunt, et erant valde notæ SS. Gregorio, et Augustino; imò hic eas declarat, et impugnat D. Hieronymum eas adducentem. De secundo probatur; quia nullus est Concilij locus, in quo id definiatur, nullumque Romani Pontificis decretum. Ergo nequit dici hæretica. Neque erronea; quia non est conclusio quædam contraria contra argumentum constans ex vna de fide, et altera euidenti naturali: ergo.

Pro quo tempore cœpit hæc concl. esse hæretica

134 Resp. Quod de hoc negotio cum maxima distinctione loquendum est, ne nostris Magistris, et Ecclesiæ Doctoribus notam aliquam impingamus. Et quidem si de tempore S. Augustini sit sermo, negari non potest, quod ipse de hoc dubitauerit, vt pluribus ostensum est; et Augustinum secutus est B. Eucherius Lugdun. Episcopus, qui in sæculo sequenti ad *August.* flo-

floruit, id autem docuit *lib.1. super Gen.* explicans illud. *Et ædificauit Dominus Deus costam*. Ideoque vsque ad ea tempora, cum Scripturæ explicitæ non adessent, quæ docerent, animas à solo Deo immediatè creari, neque ab Ecclesia in hoc sensu adhuc accipiebantur, pro eo tempore hæretica non erat hæc sententia. Idem pariter dicendum de tempore S. Gregorij, quod nempe neque in sexto sæculo in eo sensu intelligebantur, aut declaratæ erant scripturæ dicentes, animas à Deo creari, Sed accipiebantur pro effectione animarum, cum Dei concursu: & sic Doctores isti, ac sancti viri, neque hæreticum quid, neque de hæresi suspectum docuerunt.

Post tempora Leonis Noni cæpit esse hæretica,

135 Si vero loquamur de hac sententia post tempora Leonis IX. qui vt patuit prædicat animam esse ex nihilo à Deo creatam: ex eo tempore existimarem sententiam istam dicendam hæreticam, vt existimat S. Thomas quia per sententiam Cathedræ Petri, iam scripturæ de hoc negotio loquentes non possunt aliter intelligi. Et hinc est, quod à tempore huius Papæ, qui obijt anno 1054. firmata est hæc sententia in Ecclesia, statim enim prodijt *Petrus Lombardus*, *Magister sent.* quem secuti sunt Scholastici omnes: & post illa tempora non video sanctum aliquem Ecclesiæ Doctorem contrariæ sententiæ adhæsisse. Ideoque censeo nunc sententiam docentem animas ab alio, quam à solo Deo immediatè, ex nihilo produci, esse nō solum temerariam, quia contra communem Ecclesiæ sensum; neque solum de hæresi suspectam, vel erroneam, quia esset contra aliam de fide, nempe de immortalitate. Sed censeo esse hæreticam; quia contra scripturas docentes omnem flatum, & omnem spiritum à Deo produci, hoc sensu ab Ecclesia capite intellectas: & contra decreta Conciliorum Nycæni primi, & Constantinopol. in symbolo fidei dicentium, *Creatorem visibilium, & invisibilium*, quæ quidem decreta, licet antea de invisibilibus in principio creatis, nempe de Angelis, vel de creatis lato modo, id est productis intelligi poterant; stante tamen declaratione illa Leonis de omnibus invisibilibus, etiam animabus; & de vera propria, ac rigorosa creatione intelliguntur. Et proinde hæreticam censeo oppositam.

Ex vndecimo sæculo,

Post illud tempus hæretica est.

Inst. Si ita dicatur. Sequitur, quod Augustinus, & Gregorius, alijque cum ipsis, licet non docuerint hæresim, quia vt ipsi asserebant loca scripturæ non aderant, quæ contrarium docerent; essent tamen de hæresi suspecti, quia ex sententia asserente animarum traductionem, sequitur, animas esse mortales; quæ enim naturaliter, & cum corpore fiunt, cum corpore extinguuntur. Quod quidem est maximum absurdum.

Arg. ex absurdo, quod SS. essent hæretici.

136 Resp. neg. sequelam. Nullus enim eorum docuit, traductionem animarum; & *S. Augustl.* præ cæteris licet diceret se nescire an, & quomodo anima producatur; numquam tamen dicit eam traduci, sed potius dicit eam creari. Idem prorsus facit Eucherius, Gregorius, & alij cum ipsis. Vt autem quis fiat, seu dicatur suspectus de hæresi, debet asserere doctrinam aliquam, seu propositionem, ad quam per necessitatem consequentiæ, vel consequentis sequatur propositio hæretica, id autem non accidit in casu: ergo.

Nullus Sanctus docuit traductionē animarum, licet de ea dubitauerit.

137 Respondere solent alij 2. Quod etiam si Augustinus, aut alij tenuissent determinatè, animas fieri ex traduce, adhuc non sequitur hanc propositionem pro tempore illo esse suspectam de hæresi mortalitatis animæ, vel erroneam; quia non sequitur per necessitatem consequentiæ, producitur cum corpore, ergo est corruptibilis cum corpore; quia esset incorruptibilis ex quo spiritualis; tunc autem sequeretur esse cum corpore corruptibilem, quando concederetur esse corpoream. Et ideo S. Augustinus optimè convincit Tertullianum, qui docebat, animam esse corpoream, vt refert *in lib.10. Gen. ad lit. cap.25.* quia si est corpus, & nascitur cum corpore, perit cum illo. omne enim corpus sublunare est corruptibile. Qui verò tunc temporis dicebat esse spiritum, & produci à spiritu, nempe à Patris anima, non poterat convinci per necessariam consequentiam, quod esset mortalis; & sic non erat suspectus de hæresi mortalitatis. Et hæc etiam responsio bona est.

Alij aliter etiam respondent pro SS. defensione,

Dices. Quamuis Augustinus hoc modo excusaretur; quia scilicet suo tempore, scripturæ non intelligebantur in sensu rigoroso creationis; tamen non possent excusari alij, qui sanctum Leonem primum sunt secuti, nec ipsemet S. Gregorius; nam Leo primus, vt patuit, docet, animas à Deo creari. Hic autem Pontifex mortuus est anno *Christi* 461. Ergo de hæresi inurendus esset Gregorius, & alij, qui cum eo sentiebant dubitantes de creatione animæ. Ab hac tamen censura eximitur Augustinus qui anno 430. obijt.

Arg. decens ad aliud absurdum,

138 Resp. neg. sequelam. Nam Leo Magnus non sic expresse locutus est de animarum creatione, vt excluderet etiam alterius causæ secundæ cooperationem, sicut locutus est Leo IX. sed primarius eius scopus fuit damnare sententiam docentem animarum præexistentiam, valde radicatam suis temporibus, ait enim in *Epist. 11. In Origene merito damnatum est, quod animarum antequam corporibus insererentur non solam vitam, sed & diuersas asserit fuisse actiones.* & in *Epist. ad Turibium*, quæ est 93. ait, *Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quod anima hominum priusquam suis inspirarentur corporibus non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est creator, & corporum.* En quomodo hic Sanctus Pontifex in-

Leo I. non sic exp. esse locutus est de creatione, sicut Leo Nonus.

Sed intendebat damnare Origenē,

intendebat damnare sententiam Origenis, de præexistentia animarum; non verò decernere de causa immediata, ac præcisa earum. Immò ex eius verbis manifestè constat, sumere creationem pro influxu vniuersali Dei ad omnem creaturam; ita enim dicit, Deum creatorem animarum, sicut & corporum; ergo S. Gregorius, & alij vsque ad *Leonem IX.* non supponunt aliquam Ecclesiæ declarationem, quæ dicat, vel ex loquendi modo significet scripturas loquentes de animæ creatione, intelligi de productione ex nihilo, à solo Deo prouenient:

## ARTICVLVS IV.

### *An anima sit forma corporis, & propria in quolibet homine.*

Scotimens.

SCOTVS cum fide Catholica docet, in quolibet homine propriam, & particularem reperiri animam rationalem, & in resurrectione corporum, quamlibet proprium corpus esse informaturam, ita in 4 *sent. dist* 44. *quæst* 1. docet præterea animam rationalem esse formam informantem hominis, ita in eod. 4 *dist* 43. *quæst.* 2. *A.* quod per Concilia, & per Const. Pontificiam fuit confirmatum.

Duo dubia excogitanda.

139 Adu. 1. Duo hic esse videnda primum est, an quilibet homo habeat propriam animam; an verò Deus creauerit aliquam animarum multitudinem, quæ successiuè sint in pluribus hominibus. Secundum est, an anima rationalis sit vera, ac per se forma hominis informans corpus; an vero sit ei tantum assistens.

Pytagoræ sent.

140 Adu. 2. circa primum. Prima sententia fuit Pytagoræ, quam refert, & confutat *S. Augustin. lib.* 12. *de Trinit. cap.* 15. docentis animas reuolutionem quandam habere, & easdem post mortem aliquorum transire in alios, & sic successiuè informare diuersa corpora, quæ reuolutio appellari solet transmigratio, idem tenent Talmudistæ, ex *Salelle reg.* 250. eam postea renouarunt Albigenses. Secunda sententia, præter hanc reuolutionem docuit, animas aliquorum improborum post eorum mortem informare corpora bestiarum in pœnam, ita cum suo Magistro Platonici, vt refert *Augustinus lib.* 10. *de Ciu. cap.* 30. imo, & aliquas animas euadere etiam dæmones, idem *August.* hoc tribuit Platoni in *lib.* 9. *de Ciu. c.* 11. quam ibi confutat S. Doctor. Tertia sententia fuit Manichæorum dicentium, animas subire corpora modo hominum modo Brutorum, modo Plantarum, reptilium, &c. ita refert de Manichæis Epifanius *hæresi* 66. & *August. epist.* 72. Rufinus in symb. Idem docuerunt Gnostici ex eodem Epifanio *hæresi* 46. ex *Irenæo lib.* 1. *cap.* 24. & *lib.* 2. *cap.* 31.

Sent. Platonicorum.

Manichæi sent.

4. sent. Spiritum Dei esse animem omnium.

141 Adu. 3. Quod quarta sententia his omnibus contraria, dicit, nedum animas non multiplicari ad multiplicationem corporum, & non transmigrare; sed vnam tantum esse corporum omnium humanorum animam, & hanc esse Dei spiritum omnibus hominibus loco animæ inexistentem, ita Libertini, vt refert ipsemet *Caluinus lib. contra Libertinos cap.* 11. hæ & aliæ fuerunt Phylosophorum, & hæreticorum ineptiæ circa animarum multiplicationem.

Aliæ sent. circa 2. punctum, an anima sit forma corporis.

142 Adu. vlr. circa 2. punctum, an anima sit forma hominis. Prima sententia fuit cuiusdam Petri Ioannis, qui viuebat in duodecimo sæculo ex *Gualter. cap.* 21. *sæc.* 12. hic autem docuit, quod anima rationalis non potest sub hac ratione informare corpus, & eius sententia cum alijs hæresibus damnata fuit in Concil. Vienn. Secunda sententia est quorundam Catholicorum docentium esse quidem formam, sed non informare secundum gradum intellectiuum; sed quid ipsi sibi velint, non capio (& ex nostris sunt) quod doleo; docent enim cum Scoto potentias animæ non distingui realiter ab ea; & multo minus conceptus quidditatiuos entis, spiritus, vitæ, ac intellectualis; deinde docent informare corpus secundum priores formalitates, non verò secundum vltimam. Sed vbi nam hanc relinquat quando corpus informat non dicunt. Et sic euadunt ridiculi. Fortè dicent, animam vt in pede non intelligere, Sed dato, & non concesso hoc assumpto, vnde nam consequentia, quod secundum gradum intellectiuam non sit in pede potius deberent dicere, non exercet hanc functionem cum pede, non verò non intelligit in pede; si enim intelligit vbicunque sita sit, intelligit: neque potest simul intelligere, & non intelligere. Sed ad rem accedamus.

Anima non transmigrat de corpore in corpus.

143 Dico 1. Animæ rationales non transmigrant de corpore in corpus, sed in quolibet homine est propria anima. Est de fide.

Colligitur ex Symbolo Athan. omnes breuiores animas proprias habent.

144 Prob. 1. pars. De fide est, ex *symbolo Athan.* quod *omnes homines resurgere debent cum corporibus suis, & reddituri de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala ignem æternum.* ex *ep.* 2. *Cor.* 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum siue malum. Ioan.* 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. Et procedent qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt in resurrectionem iudicij. Matth.* 25. *Cum venerit filius hominis in maiestate sua congregabuntur ante eum omnes gentes*, & cætera eiusmodi scripturæ loca à nobis adducta in disp.

de omnium resurrectione, in quibus habetur, omnes homines qui viui in hoc mundo fuerunt, & mortui sunt debent resurgere. Ergo non datur transmigratio animarum de vno homine in alium. Consequ. prob. Si enim vna anima esset in pluribus hominibus; non resurgerent omnes, quia vna non posset simul esse in pluribus. Neque omnia corpora haberent speciale præmium, aut supplicium, prout meruerunt in via.

Fabula sept. est; 145 Prob. 2, Hæc sententia tamquam anilis fabula, & nulli neque rationi, neque authoritati innixa, semper ab Ecclesia reiecta est, vt notat *Aug.* locis supra citatis; ergo.

Ex script. 146 Prob 3. ex *Psal. 32. Qui finxit singillatim corda eorum.* Interl. ait, Hic destruitur hæresis quorundam, qui dicebant in Adam simul omnes animas esse creatas, Ex quo habetur, quod singuli homines singulas habeant animas; & non aliquis animam alterius. & *August. lib. de orig. anima ad Optatum* docet, Psalmistam per corda significare animas hominum.

147 Prob. 4. De fide definitum est, animas omnium creari, cum corpora formata sunt. Ergo non transeunt de corpore in corpus. Alias sæpè crearentur.

Arg. ex modo contrahendi originale. Prob. 5. De fide est, quemlibet naturaliter ex Adamo propagatum contrahere peccatum originale, quod modo per baptismum remittitur, in lege autem Moysi per circumcisionem remittebatur, & in lege naturæ per aliud remedium, puta sacrificium vel oblationem: peccatum autem in anima est, non in corpore, sed ex corpore, id est ex generatione, et traductione corporis. Ergo ex hoc duplici fidei principio,

Ex remissione eiusdē sequitur pariter de necessitate, animas non transmigrare de corpore in corpus; tum quia sæpè contraherent originale, alioquin non omnes nati ab Adam illud contraherent; tum etiam, quia sæpe pariter remitteretur.

Aīe de exitu animarū à corpore. 148 Prob. 6. De fide est, animas de corporibus exeuntes, vel in cælum immediatè recipi, vel in infernum, vel in Purgatorium, ex *Concil. Florent. in decr. Vnionis*. Ergo non migrant de corpore in corpus.

Naturali ratione confutatur. 149 Prob. 7. Hæc sententia, etiam naturali ratione posset euidenter confutari; quia anima recordaretur omnium eorum, quæ in alio antiquiore corpore cognouerat; experientia autem patet, quod omnes nascuntur ignari, & tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Deberet autem recordari; quia species intelligibiles non delentur, vt dicetur infra.

150 Prob vlt. SS. Patres ita eam sententiam deriserunt, vt neque dignati sint illam rationibus impugnare, sic *Aug. lib. 7. Gen. ad lit. cap. 11. Athanasius* solus *in tract. de Beatitud. filij Dei lib. 6.* præ cæteris habet. *Si quis confitetur animas hominum in reuolutionem rursus in mundo, aut in hominibus, aut in pecudibus, aut in serpentibus verti, anathema illi.* Ergo nedum hæretica, sed ethnica & omnimodè irrationabilis sententia hæc dicenda est.

Ex articulo Lymbi arg. 151 Confirmari posset ex articulo Lymbi, ad quem Saluator descendit, vt Patrum animas liberaret, ait enim Petrus *Ep. 1, cap. 1. His qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit.* Ergo illæ animæ non erant in corporibus aliorum in hac vita existentium.

Singulis singulas habent animas ex Conc, Lat. 5, 152 Prob. secunda pars, quod in singulis hominibus sint singulæ animæ, licet ex præcedenti remaneat probata; si enim animæ non migrant de corpore in corpus, singuli homines, singulas habent animas, ex *Concil Later 5.* loco cit. *sess 8.* definitur sic, *Cum anima non solum vere, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum etiam immortalis, & pro corporum quibus infunditur multitudine singularitèr multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit*; ergo.

August. 153 Prob. 2 ex Patribus omnibus, præcipuè ex *Augustino lib. de origine animæ ad Hieron. cap. 7. 8. 16. 18. &c.* vbi docet, singulis hominibus conceptis, etiam ad vltimos, singulas à Deo dari animas.

Anima est per se forma informans, 154 Dico 2. Anima rationalis est per se forma informans corpus, & constituens hominem. Est de fide cum Scoto vbi supra, & omnibus Catholicis.

Conc. Vien. 155 Prob. 1. Ex *Concil. Vienn.* & nunc habetur *in Clement. Vn. de summa Trinit, & fide Cathol. §. Penultimo*, sic dicente, *Porrò doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem, aut verentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectiua vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, sacro approbante Concilio reprobamus, definientes, vt quisquis deinceps asserere defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiua non sit forma corporis humani per se, & essentialiter tamquam hæreticus sit censendus*; ergo.

Conc. Lat. 5. 156 Conf. ex *Concil Later 5. sub Leone X. sess. 8. const. 1.* vbi de anima rationali hæc decernuntur. *Hoc sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hos in dubium vertentes, cum illa non solum vere, per se, & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone sel. record. Clem. Papæ V. in Generali Viennensi Concilio edito continetur, etc.* Ergo de fide est eam esse formam per se hominis.

Greg. Thaumaturg. 157 Prob. 2. ex *S. Greg. Thaumaturgo in disp. de anima*, dicente, Porro quod anima sit essentia, sic ostenditur, essentia est id quod cum vnum, & idem sit numero, contraria vicissim suscipit, quod autem anima

à na-

à natura propria non recedens, contraria suscipiat, manifestum est; quam ob rem, cum ea sit essentiæ proprietas, vt diuersis temporibus sit susceptrix contrariorum, idemque animæ conueniat, essentia vtique anima est. Præterea, cum corpus essentia sit, animam item essentiam esse necesse est, hæc *Greg.* Ergo anima non est in homine, vt forma assistens, tamquam Angelus, sed est pars essentiæ hominis. At non potest esse pars essentiæ, vt materia, seu subiectum ergo, vt forma.

Greg. Nyss.

158 Prob. 3. Homo ex anima rationali, & corpore constans, est vnum per se. Ergo anima est per se forma. Anteced. prob. ex *Greg. Nysseno de hominis opificio cap.* 29. Et est commune Philosophorum axioma. Quia species substantiæ per se subsistens, est ens per se.

Lactantius.

159 Conf. ex *Lactantio lib 7. c. 5.* Homo ex duabus rebus constat, corpore, & anima quorum alterum terrenum est, alterum cæleste. Ergo est forma per se hominis.

Ex definit. animæ.

160 Prob. 4. Anima ex *Arist. 2. de an. t. 6.* est actus corporis organici Physici potentia vitam habentis. Loquitur autem de omni anima, maxime rationali: ergo.

161 Prob. 5. Si anima non esset forma per se constitutiua hominis, homo esset ens per accidens; imò nulla operatio proueniens ab anima, competeret ei per se. Quia non haberet formam sibi essentialem, sed omnes eius operationes essent sicut motus cæli causatus ab intelligentia, & operationes arreptitiorum effectæ à prauo Angelo. Alias argumentationes Philosophorum relinquimus.

Anima etiã secundum gradum intellectiuum informat.

162 Dico 3. Anima rationalis est forma hominis etiam secundum gradum intellectiuum. declaratur. Dicunt aliqui animam informare vtique corpus, & esse formam per se hominis; sed secundum gradum vegetatiuum, ac sensitiuum; quia per istos corpus operatur. Non verò secundum intellectiuum; quia intellectio conuenit animæ secundum se, non vt in corpore existenti. Contrarium defenditur.

A priori arg.

163 Prob. *à Scoto in quodlib. 9. sub* C. in fine. Secundum eum gradum est forma per se, secundum, quem constituit hominem. Sed non constituit nisi secundum gradum intellectiuum: ergo. Maior est per se nota, quælibet enim forma secundum illud esse constituit formaliter, per quod constitutum differt ab omni alio specificè. Ad hoc enim datur forma composito, seu toti, vt per eam sit in determinata specie, & à cæteris differat. Min. est etiam per se nota. Nam homo constitutus per animam, secundum gradus, vegetatiuum, & sensitiuum conuenit cum animalibus, & plantis; per intellectiuum verò ab eis essentialiter secernitur. Igitur conclusio est euidens.

Ex effectu formali animæ argum.

164 Conf. Homo reduplicatiuè, vt intellectiuus est homo, ergo habet esse per se ab aliqua forma vt tali. Sed hæc est anima, ergo. Antec. prob. Omne totum, siue physicum, vt elementa, mixta substantialia per se, siue metaphysicum, vt omnes species, habet esse formale, & quidditatiuum, & cum forma sua reduplicatur; & per hoc denominatio totius proueniens à forma est intrinseca, quia reduplicatur cum forma; denominatio verò subiecti ab eadem forma est extrinseca, quia non potest cum ea reduplicari, Ver. Ignis vt ignis comburit, calefacit, &c. non sic valet dicere de materia ignis; imò ipsa non est ignis, sed ignita. Ita cum homo formaliter, vt homo sit intellectiuus, & intrinsecè talis denominetur à forma aliqua id habet secundum tale esse. Corpus verò hominis non sic, quia non est formaliter intellectiuum.

Arg. ex denominatione intrinseca.

165 Conf. à pari. Quia organum aliquod corporis constat ex forma dante esse sensitiuum peculiare, puta oculus ex esse visiuo; & ex ipsa parte materiali organica potest dici per se sensitiuum secundum gradum illum specialem sensitiui, & per se ab eo constitui, non sic dici potest de organica materiali parte; ita quamuis corpus hominis dici nequeat per se intellectiuum, ettò ab anima intellectiua informetur; ipse tamen homo per se est talis ex eo, quod ab intellectiuo gradu constituatur.

Arg. ad hominem à sufficienti.

166 Conf. 3. Cum Authores, etiam Scotistæ negant, animam esse formam per se secundum gradum intellectiuum; vel intelligunt de anima, vt informante, vel vt constituente. Quidquid dicant impugnatur euidenter. Et falsum assumunt, ergo. Min. prob. de primo. Nullum est absurdum dicere, quod anima sit forma informans secundum esse intellectiuum; primò, quia isti gradus sensitiui vegetatiui, & intellectiui in anima, etiam secundum Scotistas solum formaliter, imò virtualiter tantum sunt distincti; anima enim vt præscindit ab intellectu, & voluntate dicit substantiam potentem cum organis, vel sine illis actus suos efficere; ergo licet admittatur, eos distingui formaliter; dum ipsa informat corpus, secundum se totam illud informat, & non relinquit extra illud formalitatem intellectiui, ergo eam secum habet animam, & sic etiam secundum eum gradum informat. Sicuti, cum forma aquæ, vel ignis informant suas materias, secundum omnes suas formalitates quidditatiuas, immò & secundum proprietates informat. Et nouũ est in scholis dicere, quod ens physicè simplex informet secundum aliquid, & secundum aliud non. Quis dicet habitũ fidei vel charitatis informare intellectum, aut voluntatem secundum esse entis, vel qualitatis, non verò supernaturalitatis. Ridiculum autem esset, si interrogaret quis talem Scotistam si gradus intellectiuus animæ sit in Thorace, vel in Epate: vel enim diceret non adesse, & iterum hic interrogaretur, vbi

Exemplum aptum de aliis formis.

Ridicula responsio aduers.

fuit relictus, & quomodo separatus; vel diceret adesse, & esse cum anima non sit in corpore, nisi vt forma informans, cogetur dicere secundum omnia, quæ habet, informare Thoracem, epar, & omnia membra. Adde, quod si secundum gradum intellectiuum non informaret corpus, secundum eumdem non posset constituere hominem: nam forma eatenus est per se constitutiua totius, quatenus est informans subiectum, sicut è contra subiectum eatenus constituit totum quatenus informatur à forma. Ergo, vel gradus intellectiuus non constituit per se hominem, vel anima etiam secundum eum est informans.

Aliud inconueniens.

167 De secundo probatur euidenter. Homo enim essentialiter, & quidditatiuè est intellectiuus igitur constitutus ab hac forma, seu entitate. Dari enim non potest aliquid per se formaliter tale, nisi per formam dantem esse tale. Neque de hoc est controuersia, vt video, quia esset insania dicere, quod homo non constituitur ab anima secundum esse intellectiuum; cum secundum hoc differat essentialiter à Plantis.

Arg. contra 2

Ob. contra 2. Anima rationalis non est proportionata corpori cum sit spiritualis: ergo nequit esse forma per se corporis. Consequ. prob. Quia totum per se sit ex proportionatis.

168 Resp. dist. ant. in omnibus, concedo. in ratione substantiæ, & actus nego. Hoc autem sufficit ad faciendum per se totum, vt extrema se habeant, vt actus, & potentia per se. Anima autem sic se habet, quia est substantia incompleta per modum actus.

Ob. 2. ex *Arist.* 2. *de Anima t.* 13. dicente, *immanifestum est si sit actus corporis anima, sicut nauta actus nauis.*

Conf. ex eodem 8. *Phis. t.* 28. ait animam se habere ad corpus, sicut nauta ad nauim: ergo.

In reuelatis Philosophi non attendantur.

169 Resp. 1. Parum referre quod Philosophi ita loquantur, si Deus per Ecclesiam aliter docet, vt patuit.

Nesciebat Arist. quomodo anima sit in corpore.

170 Resp. 2. *Arist.* aliquando dubitasse de modo, quo anima est in corpore; neque mirum; quia neque ipse erat Angelus; aut scientiam habuit infusam, vel de omnibus. Et ideo putauit dubitatiuè an anima esset in corpore, sicut nauta in naui, id est vt assistens. Quando verò id affirmauit; dicimus supposita declaratione Ecclesiæ, quod anima sit in corpore, vt per se forma; adhuc saluari potest dictum Philosophi, quod sit etiam, sicut nauta in naui; quia reuera sicut nauta nauim regit, & ad libitum moderatur, ita anima corpus; cum hac tamen differentia, quod anima informat totum corpus est in qualibet eius parte, à semetipsa inseparabilis; operans per se cum corpore, &c. quæ nautæ respectu nauis minimè conueniunt.

Exemplum de nauta, & naui.

Ob. 3. Saluari possent omnia, quæ per animam fiunt in corpore, absque informatione: ergo. Anteced. prob. Dici posset, quod se haberet sicut Angelus malus, v. g. in demoniato; cum hac differentia, quod non damnificaret corpus, sed esset sicut bonus Angelus operando cum corpore, dirigendo illud vegetando, &c.

Paritas Angeli in corpore non valet,

171 Resp. neg. antec. Nam sicut Angelus non potest vegetare corpus, neque cum eo sentire, sed solum localem motum in eo exercere, ita faceret anima. Vnde ergo actus nutritionis, augumenti, &c. Secundo, quia si eo modo maneret anima in corpore, homo non esset vnum per se. Tertio, quia sic anima ex libito posset ab eo recedere, & relinquere cadauer. Quarto, sicut Angelus in corpore non sentit, neque anima sentiret. Quinto, se haberet, sicut Angelus mouens cælum. Quæ omnia sunt absurda.

Quare anima non est forma assistens.

172 Resp. 2. Esto Deus si voluisset, sic potuisset hominem formare, vt assistentem tantum formam haberet, non informantem, voluit tamen aliter facere, & de facto ita fecit, vnde habemus *Gen.* 2. *insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Igitur anima est talis forma in homine, quæ facit viuentem, sed assistens non facit viuentem, vt patet de Angelo assistente cælo, de dæmone in cadauere, vel in arreptitio. Et tandem, quia sic Deum fecisse, Ecclesia declarauit.

Arg. contra 3

Ob. contra 3. Anima non potest dare esse intellectiuum corpori: ergo. Anteced. patet; quia corpus non potest intelligere. Consequ. prob. Secundum illud esse anima informat, quod conuenit informato. Ad hoc enim datur forma.

Forma non constituit subiectum; sed totum.

173 Resp. dist. anteced. Non dat esse intellectiuum per modum constituentis, concedo. per modum informantis, nego; & nego consequ. Ratio est, quia omnis forma dat suum esse subiecto, informando illud, non verò constituendo subiectum in eo esse per modum principij operationum correspondentium tali esse. Et hoc est commune omniformæ; ignis enim forma se totam dat materiæ. non vt constituat materiam in esse ignis, neque vt materia per eam possit alium ignem efficere; sed vt ex ipsa, & materia fiat totum, quod est ignis; potestq; ignefacere: & sic de alijs. Imò est manifesta instantia de alijs prædicatis ipsius animæ. Nam dat corpori esse suum spirituale, & immortale, non vt reddat corpus tale, sed hominem ratione sui: neque proinde quis satuè negabit, animam non informare corpus secundum esse spirituale, & immortale. Item anima informat corpus secundum esse sensitiuum, aut vegetatiuum; isti gradus sunt perfectiones quædam, quæ animæ sunt identificatæ, & effectus tantum competunt corpori. Ergo,

Discursus à part.

cum

cum habeat etiam gradum intellectiuum sibi identificatum, licet corpus per eum gradum nequeat operari, negari tamen non potest, quod cum eo gradu informet corpus. Et hoc est validum illud argumquo vtitur *Scotus in quodlib. sub* C. Compositum ex partibus est totum illud, quod est. Sed est per se intellectiuum: ergo est tale, vt ex constitutiuo aliquo sit tale. Item subdit Scotus anima secundum gradum supremum perfectionis informat materiam, sed iste gradus est intellectiuus. Ergo secundum hunc informat corpus.

Ex ratione constitutiua arg.

Inst. Anima non intelligit, vt est in toto corpore: ergo. Consequ. prob. Secundum illud esse operatur in corpore, secundum quod est in illo. Anteced. prob. Anima vt in pede non intelligit, quia ibi non habet species proxime intelligibiles.

174 Resp. dist. anteced. Vel enim ly, *vt est in toto corpore*, reduplicat causam, per quam operatur; & sic verum est, quia anima non est intellectiua per corpus. Vel reduplicat modum essendi animæ in corpore, & sic est falsum, quia in toto corpore intelligit, cum enim sit ens indiuisibile, vbicunque est secundum se totam intelligit; parumque refert, quod instrumentum immediatè dispositiuum specierum, nempe sensus communis, sit in solo cerebro; quia anima, quæ intelligit est etiam alibi. Sicut à pari ex hoc, quod Deus in loco determinato creat aliquid, vel facit miraculum, quia ibi est materia determinata, vel res facta, non proinde sequitur, quod actus creandi non competat Deo in omni parte mundi. Et hoc est, quod expresse docet *S. Augustinus in lib. de origin. animæ ad Hieron. cap.* 3. vbi de anima, ait, *Per totum quippe corpus, quod animat non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur: nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, maior in maioribus, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter, quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguus punctus in carne vnius aliquid tangitur, quamuis locus ille, non totum totius corporis non sit, sed vbi in corpore videatur animam tamen totam non latet*, & diffusè id prosequitur. Idem docuerat contra epist. fund. *cap.* 16. 17. 18. igitur licet in pede v.g. species phantastica non sit, sed in solo cerebro, & propterea anima ibi formare intellectionem videatur; tamen in omni parte corporis sit talis actio intellectiua, neque potest aliter dici, quia ens simplex, estò per totum mundum diffusum, si aliquid facit, facto illa ex parte agentis vbicunque ei competit, quia non potest facere, & non facere, licet ex parte passi in vno tantum loco videatur ei competere. Et sic patet, quod intellectiuitas animæ competit, vt in toto corpore est, & sic illud informat, vt intellectiua.

Anima quomodo intelligit, vt est in toto.

Exemplum de creatione, licet terminus sit in vno loco.

Anima in toto operatur, licet actio competat vni parti.

## ARTICVLVS V.

### *An anima sit corporea, seu diuisibilis.*

SCOTVS frequentissimè cum fide Catholica, docet, animam rationalem esse indiuisibilem, ac immaterialem, præsertim in 1. *sent. dist.* 2. *quæst.* 7. DD. *in* 4 *dist.* 1. *quæst.* 5. B. *dist.* 43. *quæst.* 2. à C. & deinceps, & alibi sæpè. Scoti mens.

175 Adu. Quod præter Phylosophos Ethnicos, etiam inter fideles multi putarunt, animam omnem esse diuisibilem, & corpoream. Ita docuit Tertullianus, vt refert *August. lib.* 10. *Gen. ad lit. cap.* 25. imò, & Deum ipsum dicebat corporeum, & in hoc sicut in alijs infælix, licet doctissimus sequutus est Quintillianos, seu Cataphrigas, & Antropomorfitas, à quibus illusus est, vt refert *Baron. an.* 173. *n.* 31. quod est hæreticum, alij Catholici negarunt, animam esse corpoream, vel diuisibilem, concesserunt tamen eam, sicut & Angelos constare ex materia spirituali, et *D. Bonau. in* 2. *dist.* 17. &c. Et de hoc puncto non curabo loqui; quia metaphysicum quid est, et nolo *D. Bonau.* aduersari, licet existimem improbabilissimam eiusmodi sententiam, nisi reducatur ad materiam metaphysicam, nempe rationem generis, ac differentiæ. Multi fideles putarunt animam corpoream.

176 Adu. 2. Non ab re hoc aliud primum hic discuti, vt perfectè, ac distinctè cognita natura animæ, facilius percipiatur eius status, et modus operandi cum est à corpore vsque ad resurrectionem separata. Ideo Intentum, authoris.

177 Dico. Anima rationalis non est materialis, aut corporea, sed spiritualis. Est Scoti vbi supra, et de fide. Anima non est corporea.

178 Prob. 1. ex multis scripturæ locis, in quibus anima appellatur spiritus. *Gen.* 2. De creatione Adæ animæ habetur, *& inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ*, ex *Zacharia* 12. *Fingens spiritum hominis in eo. Ioann* 19. De morte Christi habetur, *& inclinato capite emisit spiritum*. Qui tamen *Ioan.* 10. dixerat. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* 1. *Cor. cap. Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei*. Spiritus autem non est corpus, vel corporeus: ergo. Ex scripturis.

179 Prob. 2. ex Patribus. *Greg. Thaumaturgus in disput. de anima*. Longo discursu, et ex multis absurdis confutat sententiam dicentem animam esse corpoream. Et tandem concludit, *Corpus adunctum corpori molem auget; anima verò in corpore existens, illud non tumidum, sed vinum facit. Non igitur corpus, sed expers corporis est anima hæc Thaumat.* Greg. Thaumaturg.

180 *S. Cyprianus tract. de Cardinal. Chri-* Cyprian.

*Christi oper. in praf.* ait. *Quod autem anima insensibilis sit, spiritu recedente dignoscitur, post cuius discessum nulli apta vsui superest putredinis massa. Quidquid enim sentit à natura corporis alienum probatur.*

Greg. Nyss. 181 *S. Gregor. Nyssenus, de hominis opificio cap.* 14. Anima reipsa vnica quidem est, intelligens, nulla ex materia crassa constans, sed per sensus naturæ illi crassæ immixta.

Ambros. 182 *S. Ambros. in epist.* 28, præ cæteris habet. Animæ, neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur, & ideo præferunt illius incorporeæ, & inuisibilis naturæ similitudinem, & supergrediuntur substantia sua corpoream, & sensibilem qualitatem.

Theodor. 183 *Theodoretus quæst.* 23. *in Gen.* declarans illud, *insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ*, ait. Præterea etiam ipsius animæ naturam obscurè declarauit, nempe ipsam esse spiritum creabilem, inuisibilem, & intellectiuum, expertem crassitudinis corporeæ.

Euseb. Cæs. 184 *Eusebius Cæsarien. lib.* 15. *de Præpar. Euangel. cap.* 20. ait, longe mihi abesse à veri ratione videntur, quotquot corpus animam esse pronunciant, &c.

Chrysost. 185 *Chrysost. hom.* 13. *in Genes.* ait, de Brutis dicebat Moyses sanguis enim: [illegible] eius est. In homine autem substantia quædam est incorporea, & immortalis, multò interuallo corpus excellens, & tanto, quanto incorporeis eminent corporea, &c.

Aug. sæpe. 186 *S. August.* multis in locis expresse docet animam esse spiritualem *libro* 13. *confess. cap.* 2. *lib. de quant. anima cap* 3. *lib.* 7. *Gen. ad lit. cap.* 12. 14. 17. 21. & in *lib.* 10. *cap.* 15. *ac* 26. multis impugnat Tertullianum docentem esse corpoream, & augeri, ac minui, sicut corpus. Idem docet *lib.* 12. *Gen. ad lit. cap* 33. vbi etiam fatetur, quod non est corporea, sed habet quandam similitudinem cum corpore, alias non posset dolorem sentire, &c. in *lib. de Vid. Deo cap.* 18. dicit, animam esse inuisibilem oculis corporeis, & alibi sæpe idem docet.

Cassiodorus 187 *Cassiodorus tract. de anima cap.* 4. ait. Dum omnia corporalia tribus nouerimus lineis contineri, longitudine, latitudine, & profunditate nihil tale probatur in anima reperiri: & post aliqua. Cesset ergo de eius corporalitate suspicio, quando & definitionem corporis à se omnibus modis redit alienam, & tales causas exquirit, ad quas solus sublimis spiritus contendit.

Greg. Mag. 188 *Gregor. lib.* 4. *dial. cap.* 5. Natura animæ inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibilis egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet. Idem dicit *lib.* 5. *Moral. cap.* 25.

Beda. 189 *Beda de elem. Phyloſ. lib.* 1. inquit. Non credimus animam, quæ spiritus est, & lenis, & munda, ex limo esse factam, sed à Deo homini inspiratam.

190 Prob. ex Scholasticis omnibus, idem cum fide docentibus.

Conc. Lat. 4 191 Prob. ex *Concil. Later.* 4. & habetur *in cap. Firmiter, de summa Trinitate, &c.* vbi statuitur, quod *Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constantem:* ergo.

Conc. Nic. 2. 192 Conf. ex *Concil. Nicæno* 2. *act.* 6. vbi statuitur, animam nemo circumscribere potest, quia inuisibilis est. Ergo non est corporea.

Ex medio immortalit. 193 Prob. ex medio immortalitatis. Nam SS. Patres hoc medio vtuntur ad concludendum eam non esse corpoream. Ita *Irenæus lib.* 5. *cap* 7. *Gregorius Nyssenus, lib. de anima.*

194 *Athanas. orat. contra Idola, Ioan. Chrysost. hom.* 13. *in Gen. Cyprianus de resurrectione Christi. Lactantius lib.* 3. *inst. cap.* 9. & 12.

Ratione prob. 195 Probari tandem potest ratione. Anima rationalis cognoscit per actum immaterialem aliqua obiecta. Ergo ipsa est immaterialis. Consequentia prob. Quia sensitiuæ potentiæ non possunt habere actum immaterialem. Anteced. prob. Cognoscit obiecta sub aliqua ratione, quæ à nullo sensu percipi potest; nam cognoscit vniuersale. Cognoscit enim ens, qualitatem, &c. Præterea cognoscit relationes consequentes naturas non sensibiles; relationes rationis, secundas intensiones generis, speciei, differentiarum, &c. Cognoscit ignotum ex noto, habet actus reflexos, &c. igitur homo experitur in se actus mere insensibiles, incorporeos, ac spirituales. Consequ. est euidens. Nam isti actus nequeunt esse à potentia sensitiua; quia nulla potentia potest cognoscere obiectum sub ratione vniuersaliori, ratione formali sui obiecti proprij. Visus enim non cognoscit aliquid vniuersalius colore. Neque potest sensus aliquis, estò communis distinguere rationem primi sensibilis ab ea, quæ non est talis. Et ita de alijs; sensus enim non faciunt, nec cognoscunt relationes rationis. Cum ergo actus isti insint homini, vt talis est, nequeunt ineſſe, nisi propter animam. Igitur, cum sensitiuum, & corporeum nequeat elicere actus incorporeos, & spirituales; sequitur euidenter, formam hominis, qua talis, nempe animam, esse spiritualem.

Ex eo quod anima cognoscit immaterialia.

Ratione dicta ex voluntate. 196 Conf. ex parte actuum voluntatis. Homo ratione animæ est dominus suorum actuum, ita vt in eius potestate sit se determinare ad hoc, vel ad oppositum, & hoc non solum cognoscit homo ex fide, sed naturaliter: ergo anima est incorporea. Consequ. prob. Sensus enim organici non habent hanc potestatem, & hoc dominium suorum actuum, sed sunt intrinsecè ad vnum de-

determinati; & suppositâ apprehensione obiecti, non possunt non appetere illud; ergo.

Arg. contr. Ob Homo secundum se totum est extensum. Ergo etiam secundum formam. Anteced. prob. Nam valet dicere homo, vt homo est quantus.

De absurdo arg. 197 Resp. neg. anteced. & probat. Cum enim homo includat duo spiritum, & corpus, sicut non est secundum se totum spiritus; ita neque secundum se totum est corpus.

Nihil prob. Ob. 2. Nisi dicatur, animam esse corpoream, & extensam, sequitur, quod anima esset immensa, sicut Deus. Quia per simplicem, & indiuisibilem entitatem esset in toto corpore.

198 Resp. neg. sequelam; anima enim est in determinato loco, sicut & Angelus, licet sæpè in eo loco iuxta multitudinem partium loci sit replicata.

Alia absurda. Inst. Sequitur animam à se ipsa distare. Est enim in capite, & pede: ergo.

Sed diluuntur. 199 Resp. idem argumentum militare de Angelo. Et tamen nullus dicit à se distare cum est in aliquo subiecto extenso ratio autem est, quia distantia dicit intercapedinem duorum locorum adæquatorum; anima autem est in toto corpore, tamquam in vno adæquato loco; quod autem sit tota in qualibet particula corporis, docet expresè *S. Augustin. in lib. de orig. anima ad Hieron. cap.* 3.

Ob. 3. Anima non in omni corporis parte intelligit. Ergo secundum aliquam partem est in vna, & secundum alias in alijs. Alioquin in omnibus posset exercere intellectionem.

Anima vbiq; est intelligens. 200 Resp. neg. anteced. nam vt in preced. art. dictum est. Licet præparatoria ad intellectionem fabricentur in sensu communi, quod in cerebro residet, deinde ex ijs, & intellectu agente producantur species intelligibiles; tamen, cum ipse intellectus agens sit vbicumque est anima; & intellectio, quæ, vt supponitur sit ab intellectu possibili, parirer sit vbicunque est anima, sequitur eam intelligere in omni parte corporis; estò denominatio intelligentis non competat, nec manui, nec capiti, sed ipsi met homini.

Arg. quod esset illimitata. Ob. 4. Anima est ens limitatum, ac finitum: ergo est diuisibile. Consequ. prob. Quia si non est corporea, ac diuisibilis, esset illimitata.

201 Resp. neg. consequ. Quia hæc est natura animæ & Angeli, vt in loco replicetur, tamen extra illum non possunt se extendere, vt sint in alio.

Alia argumenta ad Philosophos pertinent; quia nostra discussio in hoc non sistit, sed ad alia ordinatur.

## ARTICVLVS VI.

### *An anima separata sit in statu violento, vel naturali.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 43. quæst. 2. §. De tertia K.* docet, *quod si Philosophus posuisset animam immortalem, magis posuisset perpetuò eam manere sine corpore, quam in corpore;* & multa subnectens, concludit, animam rationalem separatam à corpore non esse in statu violento.

Status naturalis, vel violentus quid sint. 202 Adu. & suppono ex Physicis, naturalem statum, vt à violento secernitur, nil aliud importare, nisi statum conformem ad propria, & intrinseca principia alicuius. Violentum vero permanentiam contra inclinationem propriam. Circa hoc punctum aliqui etiam Theologi docent animam sic separatam à corpore esse in statu violento, ita multi cum *S. Thoma 1. par. quæst. 118. art. 3. & 4. contra Gentes cap.* 89. Qui verò docuerunt, animas in pœnam includi in corporibus, tamquam in ergastulis, vt Origenistæ, vt refert *Augustinus lib. 11. Ciuit. cap.* 23. docent in corpore esse in statu violento, extra corpus verò in statu naturali. Alij docent esse in statu indifferenti, siue neutro. Ita *Henric. quodlib. 7. q. 13.* quem secuti sunt multi, vt *Caietanus 1 par. quæst. 8. art. 1.* & tandem *Conimb. tract. de anima separata disp 2. art. 2.* Alij docent, vtrumque statum esse connaturalem, licet aliam differentiam adstruant, quod nempe status coniunctionis sit connaturalior; alij è contra.

Diuersa sent.

Anima separata est in statu, vel naturali, vel neutro, num. quam violento. 203 Dico 1. Anima separata respectu corporis mortalis non est in statu violento, sed vel naturali, vel neutro, ex *Scoto* colligitur loco citato.

Apriori arg. 204 Prob. prima pars. Anima separata non manet sic contra suam inclinationem; sed potius iuxta illam: ergo. Euidens est consequ. in hoc enim consistit violentia, vt scilicet principium eius sit extra non conferente vim passo, ex 3. *Ethic.* 3. Anteced. prob. Anima existens in corpore multa patitur contra suam perfectionem, & inclinationem; patitur enim ignorantiam, passiones corporis, dolorem, &c. cum nata sit corpori condelectari; & à corpore trahitur ad ea, quæ sunt sibi contraria, vnde dicebat Apostolus *Rom. 7 Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et, infelix homo quis me liberabit de corpore mortis huius, Rom. 6.* & *Sap. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam.* De scientia, dicetur postea, quia separata potest spiritualia cognoscere, quod non potest coniuncta; potest res vt in se sunt videre, quod nequit efficere coniuncta.

Ecce-

Anima separata aptior est ad intelligendum.

Etenim ex *Augustin. lib. de Im. mortalit. animæ cap.* 10. Tunc anima melius intelligit, dum se à corpore distrahit, & alienat. & in *lib.* 2. *Gen. ad lit. cap.* 32. docet animas separatas non falli approbando alia pro alijs. Cum ergo anima in statu coniunctionis impediatur ab exercitio suarum perfectarum operationum; & eo potiatur in statu separationis, hic dicendus est ei connaturalis, non ille.

2. pars. quod status sit naturalis.

205 Prob. secunda pars, eisdem argumentis. Secundo, quia anima cupit dissolui à corpore, ex *Epist. ad Philipp.* 1. *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium est propter vos.* Ergo status separationis est connaturalis.

Ex effectibus arg.

206 Prob. 2. Separata nulli corporeo subiacet, sicut coniuncta. expeditè, sine difficultate, aut in perfectione operatur: ergo,

207 Prob. 3. Separationis status esset æternus, nisi corpori incorruptibili esset viuenda; non sic status coniunctionis; quia ista nequit vllo modo esse æterna, nullus enim in corpore mortali est in æternum victurus.

Apriori arg.

208 Prob. 4. In statu separationis nihil est in anima contra suam inclinationem, sed omnia iuxta illam. Ergo status hic est ei connaturalis. Anteced. prob. Anima enim extra corpus habet omnia sua prædicata quidditatiua, & omnia accidentia sibi ab intrinseco conuenientia. Et non esset subdita extraneis passionibus.

3. pars. quod status sit neuter saltem,

209 Prob. tertia pars. Vbi non est neque inclinatio, neque repugnantia adest neutralitas. Sed anima separata per hoc, quod talis non est inclinata ad esse coniunctum, neque habet repugnantiam ad esse separatum: ergo.

210 Confi. hoc modo melius saluantur omnia, quæ de anima dici possunt, sicut dicitur de materia respectu formarum particularium: diceretur enim, quod cum anima sit in potentia neutra ad esse cum corpore, & sine illo; numquam, seu in nullo statu patitur violentiam.

Anima separata respectu corporis immortalis non est in statu naturali.

211 Dico 2. Anima separata saltem iusti respectu corporis immortalis, quandiu manet separata, non est in statu naturali, ex *Scoto* colligitur *in 4. dist. 43. quæst. 4. sub F. & dist. 49. quæst. 3. in solut. arg. ad 3. sub F.* & ex *S. Thoma 1. quæst. 76. ar. 1. ex D. Bonau. in 4. dist. 43. par. 2. quæst. 1.* & ex Recentioribus.

Arg. aliquorum non est ad rem, quia iusti vident Deum.

212 Probari solet primo. Antiquorum Patrum authoritate, & præsertim *Augustini lib. 12. Gen. ad lit. cap. 35.* vbi inquirit an animæ defunctorum cupiant recipere sua corpora recipere, & quare, & respondet, *vt videant incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident.* Sed hæc ratio nunc non est ad rem. Quia, vt in suo loco notauimus S. *Augustin.* cum alijs dubitauit, an animæ videant Deum ante resurrectionem corporum; & sic optimè concludebat, quod animæ naturaliter inclinentur ad corpora, vt possint esse beatæ, & videre Deum sicuti Angeli. At quia iam Ecclesia definiuit, animas ante resurrectionem corporum videre Deum, hæc ratio non concludit.

Aug. dicit animas cupere esse cum corpore glorioso.

213 Probatur ergo alio motiuo sancti Augustini in eodem *cap.* 35. Animæ defunctorum cupiunt corpora recipere, *ex aliqua latentiore causa, vel quia inest eis naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intensione pergat in illud summum cælum quandiu non subest corpus, cuius administratione appetitus ille conquiescat.* Ergo, cum ex *Augustin.* anima separata saltem iustorum appetat esse cum corpore, non est in statu naturali, quandiu manet sine eo.

Ex charitate arg.

214 Prob. 2. Anima diligit corpus ex charitate: ergo optat eius beatitudinem; igitur quandiu sine eo manet, non est totaliter quietata.

Ex effectu arg.

215 Prob. 3. Anima habet inclinationem ad perficiendum corpus. Ergo licet satiatus sit eius appetitus respectu corporis mortalis; non tamen respectu immortalis, quod adhuc non perfecit; ergo. Anteced. prob. Quia forma habet naturalem inclinationem ad exequendum suum primarium effectum, nempe perficiendi.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Anima naturaliter inclinatur ad informandum corpus. Ergo extra illud est in statu violento. Anteced. prob. Anima est actus corporis organici physici.

Separata quare non habet inclinationem ad corpus mortale, quod prius informauit.

216 Resp. ex *Scoto in 4. dist. 43. qu. 2. S.* dist. anteced. Ante actum informandi, concedo; post illum, nego. Habet anima, ait Scotus, appetitum naturalem ad informandum corpus, sed postquam informauit, appetitus ille iam satiatus est. Ideo ab eo separata talem inclinationem ad idem corpus, quod amisit, id est cum illis qualitatibus iam non habet.

Ob. 2. Forma naturaliter exigit esse in toto cum materia: ergo. Consequ. prob. Separata remaneret contra suam naturalem exigentiam.

217 Resp. dist. anteced. Si sermo sit de forma non habente esse per se subsistens per modum totius, concedo, de anima illud habente, nego. Ratio est, quia, quod per se est, potest per se solitariè existere.

Ob. 3. Anima in toto exercet omnes potentias, quas nequit exercere separata: ergo. Anteced prob. Nequit exercere sensitiuam, nutritiam, augumentatiuam, &c. Consequ prob. Agens inclinatum ad exercendum aliquem actum, si impediatur patitur violentiam.

Inclinatio animæ, quare cessat.

218 Resp. ex *Scoto, vbi supra*, neg. conseq. Quia sufficit, vt aliquando eas exercuerit. Alioquin sequitur, quod coniuncta cum corpore glorioso, adhuc esset in statu vio-

violento, quia nequit in eo exercere generatiuam, & nutritiuam. Itaque anima habet inclinationem ad aliquos actus sibi præscriptos à diuina prouidentia; aduenientibus autem præscripto termino cessat inclinatio.

Ob. 4. Anima inclinatur naturaliter ad corpus glorioſum. Ergo abſolutè eſt in ſtatu violento, dum eſt ſeparata. Conſequ. eſt euidens, idem enim eſſentialiter eſt corpus mortale, & immortale; non enim mutabitur natura corporis, ſed accidentia.

Iniuſtorum animæ non habent inclinationem ad corpus.

219 Reſp. neg. conſequ. Non enim anima habet inclinationem ad corpus, vt corpus, poſtquam ab eo eſt ſeparata, ſed ad illud quatenus non eſt ipſius in ſuis operationibus impeditiuum, & ex corporis ſpiritualis gloria augebitur animæ gaudium; quod inde patet, quia iniuſtorum animæ eiuſmodi inclinationem ad corpus non habent, cum ex vnione ad illa, augenda ſit ipſorum pœna.

Ob. 5. Si forma ignis extra materiam conſeruaretur; vel materia abſque omni forma, ſtatus earum eſſet violentus: ergo idem de anima dicendum. Conſequ. prob. Eſt paſſio communis omni enti incompleto, vt petat eſſe cum alio complente; anima autem eſt eſſentialiter ens incompletum. Ergo nequit ab ea ſeparari eiuſmodi exigentia. Et ſic manens extra corpus eſt in ſtatu violento.

Quando ens incompletũ exigit eſſe cum alio.

220 Reſp. neg. conſequ. ad probat. diſt. Aſſumptum, eſt paſſio communis omni enti incompleto, vt exigat eſſe cum allo, ſi hic ſit finis præciſus talis entis ſibi à Deo fine à natura præfixus, concedo. Si hic non ſit præciſus, & abſolutus finis, ſed ad tempus à Deo præfixus, nego. & nego conſequ. Ratio eſt, quia forma ignis, &c. nec non materia ad hunc finem ſunt à Deo deſtinatæ, vt nempe ſint vnitæ, & faciant aliquod totum ad exequendum Dei voluntatem. Anima verò non ſic eſt à Deo ordinata, ſed vt informet corpus corruptibile ad tempus à Deo præfixum; deinde per aliud tempus à Deo præfixum maneat ſine corpore, & tandem, vt per totam æternitatem maneat denuò incorruptibili corpori vnita. In omni ergo ſtatu expletur eius inclinatio, quod non euenit in alijs incompletis, de quibus loquitur argumentum.

Anima aliquo petit eſſe cum corpore: & aliquando non.

Arg. contra 2

Ob. contra 2. Ex modo allata reſponſione, cæterus ſtatus animæ ſeparatæ à corpore eſt naturalis, & non officit corporis exigentia, quia hic eſt ſibi à Deo præfixus pro tali tempore vſque ad reſurrectionem. Sed idem dici poteſt de ea comparata ad corpus glorioſum. Ergo neque in ordine ad illud eſt in ſtatu violento.

Inclinatio animæ eſt à Deo præſcripta,

221 Reſp. neg. min. Ratio eſt; quia anima iuſti cum hac inclinatione eſt à Deo præordinata, vt ſit in ſtatu ſeparationis, nempe, vt inclinetur ad corpus illud glorioſum; ſtante ergo hac naturali inclinatione, non poteſt dici eſſe in ſtatu naturali, quandiu glorioſo corpore caret.

Dices. Si ita eſt, ergo anima iuſti eſt in ſtatu violento; et ſic triſtatur appetens coniunctionem cum corpore, quæ tamen differtur.

Quare anima iuſti non eſt in ſtatu violento,

222 Reſp. neg. ſequelam. Stante enim naturali inclinatione ad eſſe cum corpore; anima illa ſecundum appeticum deliberatiuum conformis eſt Dei voluntati, et ideo non triſtatur ſi eius capacitas non impletur; quia non appetit eliciriuè adimpleri, niſi pro tempore à Deo conſtituto; triſtitia autem non cauſatur, niſi ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Et propterea, nulla ex hoc, neque ex alio eſt in beata anima triſtitia.

Ob. 1. Anima ſeparata nequit habere inclinationem naturalem ad corpus: quia nequit naturaliter illud habere. Ergo dum eo caret adhuc eſt in ſtatu naturali.

Inclinatio ſubiecti reſpicit omne agens etiam extra naturam.

223 Reſp. neg. anteced. Et cauſalem; quia inclinatio naturalis alicuius ſubiecti ad formam non requirit, vt natura talem inducere poſſit formam; ſed ſufficit ſi in toto rerum ordine adſit agens potens id exequi. Non enim eſt appetitus deliberatiuus, qui ſuppoſit cognitionem talis termini acquirendi, quia ſic ſaltem naturaliter cognoſci deberet eius poſſibilitas. Sed eſt mera inclinatio ad ſuam perfectionem à quocunque ſibi ineſſe poſſibilem.

Ob 3. Anima ſeparata, vel eſt beata, vel damnata, quæcunque ſit, nõ cupit vniri corpori: ergo. Min. prob. Si damnata non cupit maiores pœnas experiri, quod accidet dum corpori vnietur. Si beata, non optat perpetuò ligari, et incarcerari; magis enim fruitur, cum libera eſt.

Beata anima optat vnionem cum corpore, & quare.

224 Reſp. Quod, vel ſermo eſt de appetitu elicito, vel de innato; ſi de primo facillimè admittimus beatam optare vnionem cum corpore, et maximè appetere eiuſmodi vincula, & carceres, tum quia Dei voluntati ſe conformat; tum etiam, quia ſuum munus ad quod eſt deputata connaturaliter exequitur. De damnata verò concedimus non appetere vnionem cum corpore ad effugiendam pœnarum acerbitatem, imò & hoc cedere in grauius tormentum, & maiorem triſtitiam, cum hæc inſurgat ex rebus, quæ nobis nolentibus accidunt. Si autem ſermo ſit de appetitu innato, negari non poteſt quin vtraque appetat informare corpus immortale, ac æternum, cum ad eum finem ſit à Deo deſtinata; quælibet autem res ad finem ſuum, ob quem producta eſt, naturaliter inclinatur. Quæ dixiſſe pro animarum inclinatione ſufficiant.

Damnata id non optat, & quare,

## ARTICVLVS VII.

### *An animæ separatæ possint cognoscere res prius notas.*

Scoti mens. SCOTVS *in 4. sent. dist. 45. quæst 2.* respondet affirmatiuè Ideo

Adu. 1. Quod præsens dubium valde differt ab alio postea proponendo, an animæ separatæ recordentur præteritorum quia primum tangit difficultatem de permanentia specierum intelligibilium. Secundum verò aliam de subiecto memoriæ, num scilicet sit in parte sensitiua tantum, num in intellectiua, num tandem in vtraque. Primum nunc discutimus; & de cognitione in proprio genere, quia de cognitione in Verbo iam diximus.

Sententia docens in anima non remanere species, 225 Adu 2. Duas fuisse in hoc puncto sententias: vna, quæ docet, in anima non remanere species antiquas intelligibiles rerum & si aliquando contingat animam separatam abstractiuè aliquorum præteritorum recordari, id fieri per species à Deo nouiter infusas. Si autem concedatur in ea remanere habitus scientificos, à Deo infundi species repræsentantes habituum obiecta. Hæc autem tribuitur *D Thomæ in 4. sent. dist. 50. quæst. 1. & in 1 p qu. 89 art. 1.* Sed, vt patebit aliter loquitur S. Doctor. Alia sententia, quæ communis nunc est, admittit in anima separata species intelligibiles obiectorum, quæ ante cognouerat Et ideo per easdem posse iterum, ac sæpe res prius agnitas abstractiuè cognoscere; ita *Scotus vbi supra.* Tertia sententia est, quod remanent quidem species intelligibiles in intellectu, sed non posse ex eis solis cognitionem produci, sed requiri phantasmata. Tandem extrema omnium sententia negat in intellectu species intelligibiles, sed admittit species solum sensibiles in phantasia, & proinde, docet nullam remanere in anima separata, & sic non posse aliquid de præteritis, neque abstractiuè cognoscere; ita *Henric. quodlib. 4 qu. 7 & 8. Geofredus quodlib. 9 qu. 19.*

b. admittit.

3. admittit species, sed negat animã posse per eas cognoscere.

Anima separata per species quas retinet potest res cognoscere.

226 Dico. Anima separata potest abstractiuè cognoscere ea, quæ ante separationem cognouit. Est *Scoti in 4. vbi supra. D. Bonau. dist. 50. quæst. 1. D Tho. vbi supra,* & communis.

Ex Euang. 227 Prob. 1. ex *Luce 16.* de diuite in inferno, dicente, *Mitte Lazarum in domum Patris mei; habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, &c.* Ergo cognoscebat antea cognita.

Ex Sap. 228 Prob. 2. ex *Sap. 5.* vbi refertur lamentum damnatorum, sic dicentium, *Erraumus à via veritatis; lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis?* & post multa. *Vmbra quidem nullum fructum valemus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus.* Ergo recordantur eorum, quæ in via cognouerunt, isti autem, hæc non cognoscunt in verbo. Igitur in proprio genere.

A priori arg. 229 Prob. 3. habent perfectam memoriam. Ergo possunt actum cognoscendi producere Euidens est consequ. Anteced. prob habent intellectum, & rerum species, siue dicatur, has denuò à Deo esse infusas; siue easdem, nunc non curo. hæc autem duo constituunt memoriam perfectam.

Hieron. 230 Prob. 4. ex *S. Hieron in Prologo Bibliæ cap. 7.* sic dicente, *discamus in terris, quorum nobis scientia remanebit in cælis.* Scientia autem manere non potest sine scibilibus. Ergo animæ separatæ possunt ad libitum exercere actum intelligendi circa scibilia prius nota.

A sufficienti arg. 231 Prob 5. Si id negatur, vel prouenit ex eo, quod negentur species, vel ex eo quod non mouent sine phantasmate. neutrum potest dici. Non primum, quia gratis, & absque fundamento dicitur deleri species ab anima in actu separationis, alioquin, & ab animæ Christi fuissent deletæ. Secundo quia, vt nuper patuit damnati in inferno eas retinent. Tertio, quia hæc est maxima damnatorum pœna, vt recordentur malorum, seu peccatorum, in confusionem. Beatorum vero maxima gloria, vt recordentur de victoria tentationum: ergo. Et quamuis pro Beatis dici posset pro seruiendo, ea videre in solo verbo, quid dicetur de damnatis? Neque secundum; quia, vt in seqq. dicetur, anima separata potest, sicut Angelus immediate cognoscere, quoduis obiectum, siue materiale, siue immateriale, nullo præcedente phantasmate, sed sola agentis intellectus operatione ad depurandum materialia.

Species præteritorum sunt pœna in damnatis, gaudium in beatis.

Origenes idem docet. 232 Prob. 6. ex *Origene homil. 5. in Ps. 36.* vbi post quam docuit omnes beatos futuros sapientes ex visione diuinæ sapientiæ, subdit. *Si quis hic positus imbuitur, & instruitur in his, quæ potuit in carne positus attingere ibi iam illuminabitur per doctoribus discipulus; & ea quæ hic studio, ac labore quæsita sunt ad compendium futuræ ibi institutionis accedent.* Igitur species obiectorum, quæ hic attingi potuerunt, in anima separata remanent, & sic, quæ in hac vita cognoscebantur, possunt in alia etiam cognosci.

233 Probari potest omnibus aliis mediis adductis in *disput. præced. art. 3.* de permanentia scientiarum.

Arg. contr. Ob. 1. ex mediis Philosophycis, ex *3. de anima t. 39.* phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum; sed nequit sensus habere sensationem, nisi moueatur à sensibili. Ergo neque intellectus,

nisi

nisi moneatur à phantasmate. Hoc tunc non aderit; ergo. Et confirmatur, quia ex 1. *de an. t. 66.* intellectus corrumpitur quoddam interiore corrupto. Hoc autem interius est organum phantasiæ, quod in morte corrumpitur. Ergo intellectus quo ad operationem corrumpitur.

Non omnes intellectiones dependent à phantasmatibus.

234 Resp ex *Scoto in 4. dist. 45. qu. 1. §. Ad argumenta*, dictum Philosophi intelligi de prima intellectione, quæ inest animæ corpori coniunctæ circa aliquod obiectum; non de alijs sequentibus; nam licet non possit intellectus intelligere, nisi præcedente phantasmate; supposita tamen hac functione, cum causetur in eo species obiecti repræsentati per phantasma, ea residente in ipso, potest ad libitum obiectum illud cognoscere nulla prævia operatione phantasmatis. Hoc autem non competit sensibus externis, qui non sunt specierum conseruatiui, nec reflexiui, & abstractiui.

Pro hoc statu anima caret phantasmatibus.

235 Resp. 2. ex eodem *Scoto* ibi, Philosophum intelligi pro statu isto, in quo anima pendet à sensibus in operando. Non sic in statu separationis. Alioquin neque posset videri Deus, qui per phantasma nequit repræsentari, neque videri possent Angeli. Philosophus autem non poterat de alia animæ operatione loqui, quia aliam non fuerat expertus.

Corrupto organo dicitur corrumpi operatio intellectus.

236 Ad conf. respondetur per idem; quia scilicet pro hoc statu coniunctionis intellectus nequit aliter operari, ideoque corrupto organo famulitio, corrumpitur eius operatio. At quia separata retinet species intelligibiles, quæ independenter à sensibilibus, ac phantasmate possunt monere intellectum, & efficere cum eo intellectionem, potest obiecta ab eis repræsentata conspicere.

Instabis ex eodem *Arist. 3. de anima t. 20.* per mortem intellectus passiuus corrumpitur. Sed ad eum spectat intelligere. Ergo anima separata nequit cognoscere obiecta alias cognita.

Per mortem sensus desinunt esse.

237 Resp. ex *Scoto ibid.* dist. de intellectu passiuo, id est de cogitatiua, seu imaginatiua potentia, concedo. de vero intellectu, & iterum distinguo, quo ad operationem transeat, quo ad esse negatur. Non enim dici potest, quod potentia intellectiua destruatur per mortem, quia tunc in primis cessaret quæstio. Secundo, quia anima est immortalis; intellectus autem est animæ realiter identificatus. Passiuus autem intellectus, ait Scotus, non est intellectus possibilis, sed sensitiua illa pars, quæ dicitur cogitatiua, seu phantasia, aut sensus communis. Vel si intelligitur intellectus possibilis, dicatur sicut in præcedenti, quod corrumpitur quo ad operationem.

Ob. 2. Nemo expertus est, posse animam independenter à phantasmate operari. Ergo nequit hæc thesis absolutè firmari, quod possit anima separata videre spiritualia. Confirmatur, quia Philosophia abhorret modum alium operandi, quam per sensibilia, & intellectum agentem facientem omnia; Nequit autem facere omnia, nisi cum concursu phantasmatis: ergo.

Philosophia non admittit intellectum cognoscere sine sensu, quod confitetur Theologia.

238 Resp. in primis neg. anteced. quia etsi Philosophia id non sit experta; Theologia tamen id testatur de diuite, alijsque damnatis. Secundo sufficit, quod ratio id conuincat. Tertio, quia non omnes Philosophi docuerunt animæ immortalitatem; qui autem docuit, id concedit, vt est *Auicen.* qui *6. natural. par. 1. cap. 6.* ait, quod anima separata clarius videbit veritatem, quam coniuncta: ergo.

Ipsamet Philosophia tenetur de multis id concedere.

239 Ad confirmationem dico per idem abhorrere, quia considerat animam in statu coniunctionis, in quo nequit aliter operari, saltem in prima intellectione. Cæterum in secundis intellectionibus; in reflexionibus circa obiecta intelligibilia; in cognitionibus secundarum intentionum, entium rationis, &c. non video quomodo possit Philosophia negare modum intelligendi independentem à phantasmate. Quomodo enim se gereret logicus quomodo metaphysicus in contemplatione suorum obiectorum. Quomodo enim entia rationis, aut trascendentia, cæteraque vniuersalia prædicata cadent sub phantasia? quomodo conceptus, graduſque omnes metaphysici? certe non video. Quolibet autem in se ipso poterit id experiri, non expectans rationem à Philosophis. At si tota periret Philosophia, suffragatur Theologia, exhibens damnatum diuitem, domus, patris ac fratrum suorum species conseruantem; & præfata omnia independenter à phantasmate recogitantem.

Multa exempladiti,

Ob. 3 *S. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 3.* ait, quod præterеunte intellectione, nihil remanet in intellectu. Ergo, cum species non remaneant anima, nihil potest cognoscere.

Aug. non bene adducitur, licet abstrusus sit eius locus.

240 Resp. Augustinum non ita loqui; eius verba referam. Postquam S. Doctor de potentia sensitiua, quam appellat aciem, multa dixit, sic concludit, *cum autem cogitantis acies inde auersa fuerit, atque id, quod in memoria cernebatur destiterit intueri, nihil forma qua impressa erat in eadem acie remanebit, atque inde formabitur, qua rursus conuersa fuerit, qua alia cogitatio fiat. Manet tamen illud quod reliquit in memoria, quo rursus cum id recordamur conuertatur, & conuersa formetur, atque vnum cum eo fiat, vnde formatur.* hæc *Augus.* fateor, quod abstrusus est eius sermo; sed nihilominus clare refert, quod in sensitiua, nihil remanet post cogitationem, sed remanet aliquid in memoria. Neque hoc potest ab aliquo negari; memoria enim tenemus, quæ ante cognouimus, etiam mere spiri-

tualia, vt entia rationis, & conceptus metaphysicos.

Ob 4. ex 1. *Cor.* 13. *Scientia destruetur*, id est notitiæ rerum, quas nunc habemus cessabunt. Ergo non poterit anima separata cognoscere obiecta prius cognita.

Scientia imperfecta destruetur.

241 Resp. 1. Id intelligi de scientia imperfecta, seu ex parte, quia imperfectè sunt, vt ait Interlin. & propriè Apostolus loquitur de notitia fidei, quæ est imperfecta, nempe obscura. Non verò de alijs; alioquin neque in Christo moriente, ac resurgente permansissent.

Ex Glossa modus scientiæ non ipsa scientia destruetur.

242 Resp. 2. cum Glossa Ordinar. vt alias dixi. Non ipsam scientiam, sed modum eius destruendum, quia modo cognoscimus ænigmaticè, vmbratiliter, & obscurè: & post aliqua subdit. Alij dicunt non solum modum scientiæ, sed ipsam scientiam, quę nunc est, in futuro euacuari. De actu quidem & vsu ipsius scientiæ probabile est, quod euacuetur; de ipsa verò scientia non adeo; scientia enim est ipsa mentis qualitas, &c. hæc Glossa. Igitur qualitas illa permanens non destruetur, & sic, neque species intelligibiles; quia sine eis frustra esset in anima scientia. Et eadem Glossa *in cap 7. epist. Hier. in Prol. Bibliorum*, circa finem, explicans illud *Discamus in terris, quorum nobis scientia perseueret in cælo*, ait, hoc non est contrarium ei quod dicitur 1. *Cor.* 13 *Scientia destruetur*, quia hoc erit secundum modum, & imperfectionem; sed permanebit secundum substantiam, *Sapientia enim* 3. *Bonorum laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.* & subdit, Apostolum loqui de vanis scientijs, de illis, qui in eiusmodi terunt tempus, de quibus dicitur *Eccles.* 8. *Est homo qui diebus, & noctibus somnum oculis non capit, & intellexit, quod omnium operum Dei nullam posset homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole.* & quanto magis laborauerit ad quærendum minus inueniet. vnde 1. *Cor.* 1. *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* hæc Glossa. Igitur istæ scientiæ non autem veræ, & ad perfectionem redactæ, destruentur. Lyranus verò *in* 1. *Cor.* 13. *Sive scientia destruetur*, ait, scientia hic acquisita, non quo ad species intelligibiles, vel quo ad habitum, sed quo ad actum, qui modo est per conuersionem ad phantasmata, qua non eget anima separata.

Alia Glossa idem docet.

Instab. sequitur, quod scientia, & species intelligibiles essent immortales; quod videtur absurdum.

Species intelligibiles, & scientiæ beatorum erunt immortales,

243 Resp. non probari hanc absurditatem; alias absurdum etiam esset corpora per totam æternitatem cum suis accidentibus fore immortalia. Item lumen gloriæ, charitatem, aliaque dona spiritualia. Si autem hæc non sunt absurda, sed cum fide confitenda; vnde sequitur absurditas specierum? Eo vel maximè, quia vt *Scotus* notat in principio quæstionis primæ, ex *Arist. 3. de an. t. 6.* Anima est locus specierum, non tota, sed intellectus. loci autem est saluare locatum. & ex *Boetio* 5. *de consolat. prosa* 5. receptum est in recipiente per modum recipientis; anima autem recipiens species, est incorruptibilis, & recipit eas incorruptibiliter. Ergo mirum non est, si qualitates illæ spirituales non habentes contrarium, & conseruatæ in subiecto incorruptibili, perseuerent incorruptibiles, Deo eas præseruante.

Anima conseruat species incorruptibiliter.

Ob. 5. Si anima separata posset species retinere, & per eas obiecta prius cognita denuo intelligere, sequitur, quod omnia simul intelligeret, vel nullum; quia non adesset ibi, sicut hic aliquod determinatiuum ad applicandum se potius ad vnum, quam ad aliud, & omnes species æquè moueret. Hic autem determinat phantasma fortius mouens. Ergo non potest species retinere, nec prius cognita cognoscere.

Arg. ab omnibus soluendum per Angelos,

244 Respondetur 1. Quod hoc argum. ab omnibus est soluendum pro Angelis, qui habuerunt in prima sui conditione species rerum, easque modo retinent; & hoc est verum, tam in bonis, quam in malis, qui circa naturalia non fuerunt imminuti.

Quærem. mouet.

245 Resp. 2. ex *Scoto in* 4. *dist* 45. *qu.* 1. *D. Dico ergo*, quod, vel obiecta omnia, seu species sunt æqualis efficaciæ, vel vna fortior alia. Si primum, intellectus iuxta inclinationem modo mouebitur ab vna, modo ab alia; quæ hypothesis æqualitatis efficaciæ, ait *Scotus* est impossibilis. Si secundum euidens est determinatiuum determinans; nisi supponatur inclinatio maior ad vnum obiectum, quam ad aliud.

Ob 6. Si anima separata posset cognoscere obiecta, quæ ante cognouit, illa cognitio esset perfectior ea, quam habet in via, & esset sicut cognitio Dei, vel Angeli. quod est falsum. Sequela prob. Cognitio sine phantasmate est perfectior, quam cognitio cum illo.

Cognitio illa esset quo ad modum perfectior,

245 Resp dist. sequelam; est perfectior quo ad entitatem, nego. quo ad modum productionis, concedo. Phantasma enim nunc concurrit, vt obiectum fiat proxime intelligibile, quia ipsum cum intellectu agente concurrit ad effectionem speciei intelligibilis. Imò nullo modo sequitur maior perfectio in intellectione; quia supponitur, quod species existentes in intellectu separato essent illæmet, quæ fuerant productæ in coniuncto. Ergo adhuc ad eas habuisset concursum phantasma. Ad summum igitur, talis cognitio ex specie producta in anima separata esset similis ijs, quæ efficiuntur in intellectu coniuncto ex speciebus vniuersalium, vel entium rationis. Sed quid inde? quæ nam est hæc absurditas? nulla quidem.

Ob. 7. Operatio propria totius nequit competere parti, Sed intellectio est propria

pria hominis. Ergo nequit competere soli anime. Maior prob. Quia operatio sequitur esse. Minor prob. Homini enim vt homo est, & à Brutis diuerso, competit intelligere, ac discurrere.

Operatio totius competit soli parti quando hæc per se existit.

247 Resp. ex *Scoto in 4. dist. 45. qu. 1. §. Ad quartum* dist. ma. quando pars nequit per se esse, seu existere, concedo, si potest per se existere, nego. Ratio est, quia supponitur in primis, vt euidens, ac per se notum, quod principalis operatio, quæ competit alicui composito, competit ei ratione formæ: patet de singulis elementis, ac mixtis. Quod verò forma sola sine subiecto nequeat operationem illam primam, imò & nullam exercere, est, quia sibi non competit per se esse, id est existere. Si enim à Deo conseruaretur extra materiam, adhuc haberet effectus suos, sicut in illa, vt de accidentibus Eucharisticis est manifestum. Hinc est, quod anima, quia habet per se esse, id est existere, habet etiam effectus suos intelligendi, ac volendi extra corpus. Et vniuersaliter loquendo hoc est certissimum, quod operatio quælibet procedens à toto, denominat quidem illud per se primo, vt quod, sed ratione formæ. Et quando operatio non recipitur in toto, sed in forma, totum ratione formæ denominatur per se. Ita prorsus est in casu; in homine intellectus causat cognitionem, ipse recipit, ipse intelligit, non autem corpus, totus autem homo denominatiuè tantum dicitur intelligens. Adde, nisi anima se sola posset intelligere, non posset sine corpore videre Deum. quod est hæreticum.

Discursus notabilis pro denominationibus.

Ob. vlt. Intelligere dependenter à phantasmatibus est modus connaturalis animæ. Ergo separata nequit aliquod obiectum cognoscere. Anteced. prob. ex 3. *de anima t.* 39. oportet intelligentem ad phantasmata conuerti. Consequ. patet; quia anima separata caret phantasmatibus.

Intelligere potest anima sine phantasmate.

248 Resp. dist. anteced. pro statu coniunctionis; & subdistinguo, respectu materialium, & in prima intellectione eorum, concedo. respectu spiritualium, vniuersalium, vel in secundis intellectionibus, nego. & per idem ad probat. Patebit enim infra, animam separatam non egere phantasia ad cognoscendum.

## ARTICVLVS VIII.

### *An Anima separata recordetur præteritorum.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 45. quæst. 3.* Supponens, & meritò maximam esse differentiam inter præsens quæsitum, & præcedens, postquam in præcedenti docuit, in anima separata remanere species quiditatum, quas prius cognouerat; in præsenti docet habere etiam actum recordationis eorum, quæ in via operata est.

Recordatio quid sit, & quomodo fiat.

247 Adu 1, ex *Scoto ubi supra sub C.* quod recordatio est cognitio, seu cogitatio actus præteriti in quantum præteriti circa aliquod obiectum, & sic ad actum illum requiruntur hæc Primo, quod actus iste sit post tempus primæ cognitionis, seu operationis quia ex Philosopho *in lib. 1. de memor.* post tempus memoria omnis fit. Secundum est quod actus recordandi percipit fluxum temporis, seu distantiam inter instans, in quo actus præcessit, & illud, in quo fit recordatio. Tertium est, quod obiectum recordationis non percipitur, vt in se præsens, sed vt præteritum. Quartum est, quod obiectum, saltem per speciem debet esse recordanti præsens. Ex quo ait Scotus sequuntur ista, & quod recordans habet in actu recordationis duo obiecta, vnum proximum, estque actus, de quo recordatur, aliud remotum, & est obiectum illius actus Secundum, quod species talis obiecti fuit impressa, quando per primum illum actum fuit apprehensum. Tertium, quod nemo potest habere recordationem de actu, nisi proprio, & humano; etsi aliquando recordatur facti alieni, habet pro obiecto actum suum, quo cognouit factum alienum Quartum, quod obiectum potentiæ recordatiuæ est species actus proprij præteriti mouens eam ad faciendum actum illum cognoscendi se, qui actus dicitur recordatio.

Multa requisita ad recordationé.

Memoria dupliciter sumitur.

250 Adu. 2. Quod memoria dupliciter sumitur, primò pro principio adæquato productiuo intellectionis, seu verbi, & aliud non est nisi intellectus habens obiectum, vel in se, vel in specie præsens, proximè productura intellectionem, de qua sæpissimè *August.* maximè *lib. 15. de Trin. cap. 21.* & Theologi omnes cum eo in *tract. de Trinit.* dum docent filium generari ex perfecta Patris memoria, scilicet diuina essentia, & intellectu; immo omne nostrum verbum creatum sic à memoria producitur obiecto scilicet, ac intellectu, & de memoria sic accepta hic non loquimur. Secundo sumitur memoria pro potentia recordatiua (siue sit intellectus, siue sensus, de quo po-

Memoria pro potentia productiua intellectionis quid importat.

stea)

ſtea) conſeruante ſpecies actuum præteritorum, & obiectorum talium actum, & pro ipſomet actu recordandi. Et memoria ſic accepta ab *Auguſt. lib.* 10. *confeſſ. cap.* 14. vocatur venter animi, *lib. de Spiritu, & anima cap.* 34. & 37. eſt theſaurus, & cuſtos omnium rerum, & *in lib.* 1. *de ſymb. ad Catecum.* eſt codex, in quo quiſque debet retinere ſymbolum; quam quidem memoriam idem *Auguſt. lib.* 2. *de ordine cap.* 2. dicit eſſe cuilibet ſapienti neceſſariam ad retinendas diſciplinas honeſtas, & neceſſarias, & *lib. de Princip. Rethorica cap.* 1. dicit eſſe oratori maximè neceſſariam quia in memoria relinquitur quædam diſpoſitio poſt actualem intellectionem, qua quis recordatur de prius cognito, iſta *Auguſt. lib.* 14. *de Trin. cap.* 12. De hac memoria, ſeu potentia conſeruatiua, & recordatiua, & actu recordandi inquirimus, an reperiatur in anima ſeparata,

Memoria pro potentia recordatiua, quid ſit.

De hac quæritur hic.

251 Adu. 3. Duas in hoc puncto fuiſſe olim ſententias. Prima docet in anima ſeparata, nec haberi actum recordationis, neque memoriam; quia hominis memoria eſſe nequit ſine potentia ſenſitiua, quæ conſeruat phantaſmata. Oportet enim intelligentem conuerti ad Phantaſmata ex 3. *de anima t.* 39. & proinde animæ ſeparatæ non recordantur præteritorum, ſed ſi obiecta illa cognoſcunt, per ſpecies à Deo infuſas, tamquam noua cognoſcunt. Ita videtur docere *Henricus quodlib* 13. *quæſt.* 7. Altera ſententia, quæ Scoti eſt, & communis, docet, in potentia intellectiua reperiri veram, ac propriam memoriam, & proinde animas ſeparatas recordari præteritorum, quæ in via cognouit. His poſitis

Duæ ſent. negat aut in beatis memoriam; altera affirmat.

252 Dico. Anima ſeparata habet veram memoriam, & recordatur præteritorum. Eſt *Scoti, ubi ſupra*, & communis omni ſcholæ, & ex fidei principijs concluditur.

Anima ſeparata recordatur præteritorum.

253 Prob. 1. *Sap.* 5. vbi refertur damnatorum colloquium his verbis conceptum. *Hi ſunt* (de iuſtis loquentur) *quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem eorum ſine honore. Ergo erraximus à via veritatis, laſſati ſumus in via iniquitatis ambulauimus vias difficiles, viam autem Dei ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis. Tranſierunt omnia illa tamquam umbra.* Et alia permulta ibi referuntur à damnatis dicta de ſuis præteritis geſtis: ergo.

Damnati recordantur.

254 Conf. ex *Iſa.* 66. Et nos in proprio loco diximus, vnum ex præcipuis damnatorum tormentis, eſt vermis conſcientiæ, qui numquam morietur. Hic autem eſt ſyndereſis, remorſus, et dolor infructuoſus de malè geſtis. Ergo adeſt in anima ſeparata memoria, et recordatio præteritorum.

Vermis damnatis id arguit.

255 Conſ. 2. ex *Luca* 16 de diuite, qui in inferno poſitus recordabatur Patris, fratrum, et domus, dicente Abrahamo *Recordare fili, quia bona recepiſti in vita tua, &c.*

Ex Euang. de diuite.

Prob. 2. Ex parte Beatorum, animæ beatæ miſericordias Domini in æternum cantabunt ex *Pſal* 88. Igitur recordantur miſericordiarum, quas in eis exercuit Deus remittendo eorum peccata, et præſeruando à futuris.

Beati miſericordias cantant.

256 Conf. Beati habent aureolas, ſcilicet vt in ſuo loco dictum eſt. Aureola autem eſt gaudium de exercitio, et victoria virtutum priuilegiatarum. Ergo habent memoriam eorum, et recordationem. Etſi autem poſſet quis vim argumenti effugere, dicens, Beatas animas videre ſuos actus in verbo; in primis negarent ſcientias rerum in proprio genere, quod maximum eſt abſurdum, quia etiam in Chriſto aderant, et adſunt. Secundo, quid dicet de damnatis, quid de diuite relato à Saluatore.

Arg. de aureolis, quæ ſunt gaudiũ præteritorũ.

257 Prob. 3. ex S. *Auguſtino lib.* 14. *de Trinit. cap.* 3. *D.* vbi diffusè diſcutiens quorum memoria erit in nobis poſt exitum animæ à corpore, ait, *Qua verò tunc erit, quando tam recordabimur in nobis fuiſſe non eſſe alia profectò erit. Hanc enim, qua nunc eſt facit res ipſa præſens, & in animo credentis affixa. At illa, quæ tunc erit facies rei præteritæ imaginatio in recordantis memoria relicta.* Ergo in animabus ſeparatis adeſt memoria, et recordatio.

Auguſt. id docet.

258 Idem in *lib. de cura pro mortuis eg. cap.* 14. declarans factum diuitis cum Lazaro, et Abrahamo, dicit, *Nam hoc illi ait memento fili, quia percepiſti bona in vita tua, Lazarus autem mala. Sciebat ergo hæc, quæ vtique apud viuos, non apud mortuos geſta fuerant.* Ergo in anima ſeparata adeſt memoria, et recordatio.

Idem Aug.

259 Idem docet in eodem *libro cap.* 15. *Proinde fatendum eſt neſcire quidem mortuos quid hic agatur ſed dum hic agitur, poſtea verò audire ab eis qui hinc ad eos morindo pergunt. Non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare qui ſinuntur etiam iſta meminiſſe, & quæ illos quibus hæc indicant oportet audire.* Ergo animæ ſeparatæ meminerunt, ſeu habent recordationem.

Idem Aug.

Idem in *lib* 9. *confeſſ. cap.* 3. vbi de Nebridio, quem beatum tenebat, ait, *nec ſic eum arbitror inebriari ex ea, vt obliniſcatur mei; cum tu Domine, quem potas illi, memor ſis noſtri.*

Idem Aug.

260 Idem docet in *Pſal.* 108. declarans illud, *ſiant filij eius orphani, & vxor eius vidua, &c.* vbi ait, ad pœnam eorum ſcire, et recordari, quod filij eius mendicant, et fœnerator, ſubtraxit omnem ſubſtantiam eius. Et facta ſibi obiectione, quod mortui de nobis non recordantur, ſtatim adducit hiſtoriam diuitis, Lazari, et Abrahæ; idem docet in *lib.* 22. *Ciu. cap.* 30. *F.* vt infra.

Idem Aug.

Prob. 4.

Arg S.Greg. probatur, ex misericordiæ recognitione;

261 Prob. 4. ex *sancto Greg. lib. 4. moral. cap. 31.* Vbi de Beatis animabus præ ceteris, ait, ibi iam securam mentem culpæ suæ memoria non adducit, vbi non sub reatu animus trepidat, sed de eius indulgentia liber exultat. Sed si nulla ibi homo peccati sui memoria tangitur ereptum, se vnde gratulatur? aut quomodo largitori gratias refert de venia quam accepit, si interueniente obliuione transactæ nequitiæ, pœnę se esse debitorem nescit, neque enim neglectè prætereundum est, quod Psalmista ait misericordias Domini in æternum cantabo. Quando enim Dei misericordias in æternum cantat, qui se fuisse miserum ignorat, etsi miseriæ transactæ non meminit, vnde largitori misericordiæ laudes reddit? hæc *Greg.* ergo habent veram reminiscentiam, seu recordationem præteritorum.

Rationes probatur.

262 Prob. 5. ratione. Recordatio secundum veram suam rationem, vt est, scilicet actus cognoscendi præteritum quatenus præteritum, est in hominibus, cum in via sunt. Ergo etiam quando animæ sunt à corporibus separatæ. Anteced. est per se notum, ait Scotus, quia nisi id dicatur, deficeret in hominibus prima, ac potior pars prudentiæ qui secundum Tullium est recordatio præteriti. Secundo, quia alias destrueretur omnis politia, non enim iudices, et Magistratus cognoscerent qui nam essent præmiandi, et qui puniendi; nec ipsimet virtuosi, aut vitiosi suæ merita, ac demerita cogitarent. Tertio, quia tolleretur prouidentia, non enim posset homo prouidere pro futuro, nisi recordaretur de præterito. Consequ. prob. Animæ separatæ habent species actuum præteritorum; et siue reperiantur in cælo, siue in inferno, siue in Purgatorio, meritorum, ac demeritorum pro quibus præmiantur, aut puniuntur, aut ad tempus purgantur, habent memoriam; non enim à casu putant se in locis illis detineri.

Memoria de necessitate concedenda.

Memoria in parte intellectiua est.

263 Prob. 6. Memoria cum omni proprietate reperitur in parte intellectiua. Hæc autem remanet in anima separata: ergo. Maior prob. pluribus modis, ex *lib. de memor. & remin.* habetur, nos habere memoriam quorundam intelligibilium, vt quod triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, & hoc quia quis didicit, & fuit speculatus. Secundo Philosophus ibidem docet reminiscentiam soli homini competere. Tertio discursus, seu syllogizatio soli homini conuenit ratione intellectus, non verò sensus. Igitur recordatio syllogizationis est actus solius intellectus, qui eam facit. Quarto, quia discurrens procedit à notis ad ignota; à similibus à contrarijs, & alijs modis topicis, qui quidem actus subsensu non cadunt, postea recordatur eorumdem. Quinto, ex *Auicenna 6. natural. par. 5. cap. 3.* desiderium recordandi in particulari nulli bruto inest. Ergo, cum remaneat pars intellectiua, cuius propriè est recordari; & remaneant in ea species cognitorum, & actuum, remanet etiam potentia recordatiua.

A posteriori & à priori argum.

264 Prob. 7. ex *Scoto dicta quæst. 3. I. §. Dico ergo.* Intellectus coniunctus corpori, nedum abstractiuè cognoscit vniuersalia, sed cognoscit intuitiuè omnia, quæ cognoscit sensus, & cognoscit etiam sensationes, & proinde cognoscit perpositiones contingentes veras, & ex eis syllogizat; quod quidem præstare non posset, nisi intuitiuè cognosceret sensibilia in ratione existentis. Ergo vt intellectus est potest recordari. Consequ. est euidens non minus, ac anteced. Quia actus cogitandi, seu cognoscendi præteritum, vt præteritum, & actum iam præteritum circa tale obiectum est vera, & propria recordatio.

Ex discursu argum.

Ex absurdis arg.

265 Conf. Si non posset homo ratione intellectiuæ partis recordari præteritorum; non posset dari pœnitentia, seu detestatio peccatorum merè spiritualium, in quibus nullam prorsus partem habuit sensus, vt infidelitatis, disperationis, &c. omnium volitionum malarum.

Ex effecto arg.

266 Conf. 2. Experitur Intellectus, se recordari de obiecto necessario actus præteriti, quod quidem neque fuit neque est sensibile, V. g. quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, & de syllogizatione circa hoc obiectum. Eiusmodi autem actus est merè intellectiuus. Igitur nequit, nec ratione sui, nec ratione obiecti esse terminus, seu obiectum recordationis sensitiuæ.

Ab experientia arg.

267 Conf. 3. Experitur homo se recordari suarum volitionum obiectorum merè spiritualium. Sed istarum non dantur species sensibiles in phantasia. Ergo solum intelligibiles, & actus ille cogitandi, seu cognoscendi volitiones præteritas, est recordatio merè intellectualis.

Arg. contr.

Ob. 1. Anima separata non habet sensum communem, seu phantasiam: ergo neque memoriam. Anteced. est clarum, quia sensus communis est organicus. Anima autem separata caret organis. Consequentia prob. Non potest intellectus intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata.

Anima dependet à sensu dum est coniuncta, non postea.

268 Resp. neg. consequ. ad probat. dist. anteced. de anima coniuncta, concedo. de separata, nego. Alioquin sequeretur, quod non posset cognoscere, neque se ipsam, neque alias animas, neque Deum, nec aliud quoduis obiectum, nec spirituale, nec materiale; & hoc est contra fidem. Ergo dependentia, quæ nunc inest animæ ad phantasmata non vrget pro tunc.

Ob. 2. Memoria respicit circumstantias singulares obiecti secundum existentiam, aliaque accidentia singularia: ergo non

pos

potest competere potentiæ intellectiuæ, sed solum sensitiuæ. Vel non illi absque ista. Nam ex 1. *phis.* 249. & 2. *de an.* 160. intellectus est vniuersalium.

Intellectus est etiam particularis.

269 Resp. neg. consequ. ad authorit. Philos. respondet Scotus, eum loqui de intellectione scientifica, & abstractiua. Et nihilominus, neque vt sic est absolutè vera illa propositio, quod intellectus sit tantum vniuersalium, quia potest abstractiuè cognoscere rationes rerum indiuiduales, licet non vt indiuiduales.

Instab. Intellectus non cognoscit obiectum cum circumstantia indiuiduali v. g. vt hic quia hoc est proprium sensus: ergo non potest recordari de obiecto illo vt hic.

Cognoscit intuitiue obiectum, vt hic & etiam abstractiue.

270 Resp. ex *Scoto sub O* quod pro statu isto licet intellectus per sensum cognoscentem obiectum vt hic, intelligat tale obiectum existens; adhuc tamen cognoscit intuitiue illud existens; alioquin nihil cognosceremus alicubi existens, nisi per sensum. Et sic cognoscens Patrem aut matrem meam, non cognoscerem per intellectum vt singulares personas; quod est ridiculum; immo nullum singulare cognosceretur per intellectum; sed omnia vniuersalia, quæ falsa sunt. Intellectus ergo cognoscit singulare existens hic, & nunc, & quamuis esse hic, & nunc sint propria singulari adhuc tamen possunt sui cognitionem in intellectu efficere, & sic dabitur in eo species actus cognoscendi terminati ad tale singulare. Et de hoc recordatur quando est separata, & habet præfatam speciem.

Ob 3. *Arist. lib de memoria cap.* 20. docet memoriam esse vim sensitiuam. Idem docet etiam *Damasc. lib. de commemoratiua* Idem secuti sunt omnes interpretes *Arist.*

Nam omnis memoria est sensitiua.

271 Resp. dist. dictum *Arist.* Omnis memoria est vis sensitiua, nego. aliqua, concedo. Nam etiam intellectiua habet memorariuam partem: quia quod conceditur potentiæ inferiori non debet denegari superiori. Hoc autem est probandum. Et tamen euidentibus medijs demonstratum est hominem recordari de actibus merè spiritualibus.

Inst. Si competeret parti intellectiuæ recordari, etiam Deus recordaretur. Quod est falsum.

Deus recordatur, sed impropriè, & quare sic.

272 Resp. dist sequelam Deus recordaretur cum ea proprietate qua recordatur homo, nego. demptis imperfectionibus concedo. & nego falsitatem. Nam recordatio cum omni proprietate importat actum nouum cognoscendi, supponentem alium actum in tempore præterito iam habitum. Deus autem, qui per totam æternitatem vnum tantum habet cognoscendi actum, non potest hoc modo recordari. Sed dempta hac conditione pluralitatis actuum, recordatio Deo optimè competit, innumera pœne suppetunt pro hoc argumento scripturæ loca *Gen* 8. *Recordatus est Dominus Noe. cap.* 9. *Recordabor fœderis mei, Exodi* 2. *Recordatus est fœderis. cap.* 6. *Recordatus sum pacti mei. Iob.* 14. *Tempus in quo recorderis mei. Psal.* 77. *Recordatus est; quia caro sunt. Psal.* 97. *Recordatus est misericordiæ. Psal.* 101. *Recordatus est quoniam pulvis sumus. Thren.* 3. *Recordare paupertatis. cap.* 5. *Recordare Domine quid acciderit nobis.* Si ergo Deus habet recordationem, esto absque actuum multiplicitate, poterunt eam habere animæ separatæ. Adde quod Lucifer, & omnes rebelles Angeli recordantur de sua rebellione. Item & Angeli boni de sua constantia: ergo. Tandem quis neget Adamum recordari de sua trangressione, nec non de permanentia in terrestri Paradiso, de generationibus filiorum, & eiusmodi, quæ sibi in vita acciderunt. Ergo præter memoriam sensitiuam asserenda est intellectiua.

Multa loca scripturæ ad hoc

Lucifer; & alij rebelles Angeli recordantur

præteritorū

Ita Adam, & Eua,

Ob. 4. Si anima separata recordaretur præteritorum, esset misera; quia recordaretur peccatorum de quibus tristaretur; non enim posset in eis complacere; alioquin esset malus.

273 Respondeti potest neg sequelam. Nam recordaretur vtique peccatorum, sed dimissorum, & proinde gratias Deo ageret de eius misericordia, ideo *Psal.* 88. habetur, *misericordias Domini in æternum cantabo*. Vnde *Augustinus lib.* 22. *de Ciuit. cap.* 30. ait de beato, *Quantum attinet ad scientiam rationalem, memor erit præteritorum etiam malorum suorum quantum autem ad experientis sensum prorsus immemor.* Quomodo autem possit accidere, vt quis de malis recordetur sine eorum dolore; explicat hoc exemplo. *Nam, & peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes fere morbos corporis nouit. Sicut autem corpore sentiantur, plurimos nescit, quos ipse non passus est. Vt ergo scientia malorum duo sunt. vna qua potentiam mentis non latent; altera qua experientis sensibus inhærent; aliter quippe sciuntur omnia vitia per sapientiæ doctrinam; aliter per insipientis pessimam vitam; ita & oblationes malorum duæ sunt. Aliter namque oblatis eruditus, & doctus; aliter expertus & passus, ille si peritiam negligat, iste si miseria careat. Secundum hanc oblationem quam posteriore loco posui, non erunt memores sanctis præteritorum malorum, carebunt enim omnibus malis; ita vt penitus delentur de sensibus eorum. Ea tamen potentia scientiæ, qua magna in eis erit, non solum sua præterita; sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit; alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo sicut ait Psalmus, misericordias Domini in æternum cantabunt? quo canticio tu gloriam gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus nihil erit profecto illi iucundius etiam tu.* hæc *Augustinus*, à quo assumpsit *Greg. lib.* 4. *moral. cap.* 31.

Bene recordantur peccatorum. absque complacentia, sed cum gratiarum actione.

Aptum exemplum medici.

August. & Gregor. Magn.

*cap.* 31. vbi prolixè id exagitat.

Validè arg. à Scoto ad dictum prio tristitia beati.

Inst. Ista duo, Petrum peccasse, & Deum remisisse peccatum, sunt duo obiecta distincta, & seorsim cogitabilia. Ideoque poterit Petrus cogitare se peccasse, non cogitando quod Deus remiserit; quæro an tunc gauderet, aut doleret de peccato. Si primum esset malus; si secundum tristaretur; quia nollet peccasse, & tamen peccatum illud non potest non fuisse. Tristitia autem ex *August.* 14. *de Trin. cap.* 15. est, quæ de rebus, nobis nolentibus accidunt. Si autem viator non potest completa deliberatione recordari de peccato suo, quin detestetur, aut ei displiceat, alioquin peccat; quantò magis ad id tenetur Beatus, qui perfecta dilectione est Deo coniunctus, quando de suo peccato recordatur. Ergo, cum vtrumque sit absurdum non est admittenda præteritorum memoria in beatis.

Sed non concludit.

274 Resp. 1. Si hoc argumentum valeret, concluderet etiam pro beatis post resurrectionem. Quis autem dicet, Petrum, Magdalenam, Paulum, & alios innumeros sanctos diuinam misericordiam plenissimè expertos, de ingenti hoc beneficio non esse recordaturos, certè impium est hoc asserere. Et tamen dico, quod non obstante delictorum suorum recordatione, sancti ea detestantes non tristabuntur; quia inquit Scotus, etiam si recordatio peccatorum terminetur solummodo ad ipsa præscindendo à remissione, poterunt recogitare; & detestari, & tamen Deus non concurrere ad causandam tristitiam, quæ ex ea notitione posset accidere, sicut de igne non comburente pueros in fornace Babylonica videmus effectum. Eo vel maxime, quia obiectum beatificum causans gaudium vincit obiectum causans tristitiam; nam ex 7. *Ethic. cap.* 18. delectatio vehemens excludit quamcunque tristitiam, nedum contrariam, sed quamlibet contingentem.

Quia beati detestantes peccata non tristabuntur.

Alia resp. quod non cogitent peccata.

275 Respondet aliter secundum alios Scotus; nempe, quod licet sancti non possint habere gaudium de innocentia (si peccarunt) quia esset falsum gaudium; tamen neque de innocentia, neque de peccatis cõmissis esto remissis cogitarent, quia Deus de memoria eorum deleret eiusmodi cogitationem, ad excludendam proximam tristitiæ occasionem. Neque per hoc sequitur, quod beati sint imperfecti eo quod careant notitia peccatorum suorum; nam ex *Physic.* 3. *topic. cap.* 10. *Quorundam obliuisci, vt turpium, melius est, quam reminisci.* Et maximè hoc verum est, quando reminisci est pœnale. Sed Scotus videns hanc responsionem non multum, quadrare, ait sed si hoc non placet, & subiungit primam mox allatam responsionem; placuit eam adducere, licet non sequar, vt Doctoris acumens in omnibus innotescat. Placere tamen ea non potest, quia æternum illud canticum misericordiarum Domini à cælorum

Scotus eam non sequitur.

Regno exulare deberet, quod vt dixi impium censeo.

Arg. de memoriis brutorum; multa experimenta,

Ob. 5. Memoria est in parte sensitiua: ergo. Anteced. prob. Bruta pollent memoria; & tamen solam sensitiuam partem habent. Assumptum prob. primo, quia habent actus quosdam prudentiæ, & prouidentiæ, nam multa, vt formicæ, &c. congregant in æstate pro hieme. Secundo, quia habent actus vindicandi, & retribuendi, multis enim sunt irata à quibus passi sunt, & alijs placata, à quibus beneficia receperunt. Tertio, quia cogitant de conseruatione speciei, cum nidificant, & pullos nutriunt, & de locis, in quibus aliquo tempore fuerunt, & de pullis ipsis recogitant. Quarto, quia sunt disciplinabilia, disciplinatio autem nequit haberi sine memoria præteriti. Ex his ergo, & alijs Brutorum actibus, concluditur, ea pollere memoria, & in hac cum homine conuenire. Igitur, cum memoria pertineat ad partem sensitiuam, & hæc non adsit in beatis, nequeunt isti præteritorum recordari.

Esto concedatur memoria sensitiua, tamen neganda nõ est intellectiua,

276 Resp. 1. concedendo omnia assumpta, & neg. consequ. Quia estò sensitiuis omnibus concedatur memoria, non tamen neganda est intellectiuæ potentiæ. Alias neque Angeli possent recordari, & tamen recordantur de nostris orationibus, quas Domino offerunt, & præterea de ipsamet oblatione orationum Deo facta, *Tob.* 12. ait Rafael, *obtuli orationem tuam Domino.* Esset ergo probandum, quod solum sensitiua retinet species obiectorum, & actuum circa ipsa tendentium. sed hæc est quæstio. & tamen à priori, & à posteriori demonstrauimus, intellectiuæ etiam parti competere.

Bruta non recordantur

277 Resp. 2. neg. antec. & assumpta. Bruta enim non recordantur præteriti, vt præteriti, neque actuum, quos circa aliqua obiecta habuerunt, sed in imaginatiua retinent species impellentes ad actus consimiles. Et ita formica per speciem delectabilis circa grana impellitur ad ea congregandum, etiam si anno antecedente non congregauerit; quia adhuc non nata; species ergo illa mouet eius appetitum sensitiuum ad illa quærenda; quod verò hæc, & non alia colligat propriæ complexioni est tribuendum. Et estò, vt dixi numquam sit experta necessitatem in hieme, adhuc tamen tot grana congregat, quæ per decem annos ei sufficerent. Idem dicendum de vindicta, & retributione, seu beneficentia animalis læti, aut placati, quia ex beneficentia, vel damno accepto imprimitur in eius sensu species delectabilis, vel tristabilis mouens appetitum. Et quamuis in tempore intermedio suspendatur actio illa phantasmatis in mouendo sensum, quia ab alio obiecto impeditur; hoc tamen cessante, dum lædens, vel beneficans apparet, phantasma mouet appetitum ad iram, vel

Sed imaginatiua impellit ad consimilia ob species obiectorum,

Quia ea faciunt absque actu præterito.

Sed de Bruto grato, vel irato.

obsequium; numquam tamen animal illud recordatur sui actus præteriti. Ad aliud de nidificatione, ait Scotus, à complexione hoc procedere, vt in tali tempore sit animali delectabile congregare ligna, & alia pro nido formando; alijs autem temporibus non est ei delectabile, & proinde in alijs non nidificat; & sic apparet, id non procedere ex recordatione præteriti. Quod inde constat; quia etiam in primo anno in quo genitum est Brutum, esto numquam fuerit expertum nidificationem, generationem, &c. adhuc tamen in ijs se exercet.

Nidificatio, &c. à complexione impellente procedit.

278 Ad aliud de disciplina, ait Scotus id oriri, quia ex frequenti sensatione tristabilium, & delectabilium coniunctorum, impressum est Bruto phantasma ad illud inclinans, & sic quandocunque vnum phantasma mouet, aliud etiam mouet, & sic quando phantasma mouet appetitum ad sumendum cibum, statim etiam mouet phantasma virgæ percutientis; & sic vt tristabile ad fugiendum; etsi ex magna frequentia imprimatur phantasma huius valde tristabilis, magis retrahit à delectabili, quam delectabile alliciat ad se ipsum, hæc *Scotus*. Ex quibus colligitur, quod vel Bruta non recordantur præteritorum actuum. Vel etiam dato, & non concesso, quod recordentur; non proinde negandum est hominem, vt intellectiuum de eisdem recordari.

Quare Brutum disciplinatur,

Ob. 6. *Arist. lib. de mem. & remin.* docet, quosdam esse benè reminiscentes, quosdam malè propter diuersitatem organi. Ergo vbi non est organum, neque memoria, seu recordatio.

279 Resp. neg. consequ. *Arist.* enim loquitur de homine operante medijs sensibus; & certum est in hoc statu rem ita se habere; at non proinde negat omnem memoriam ab intellectu etiam coniuncto; quia recordatur vniuersalium, & entium rationis alias cognitorum, & actuum, quibus ea cognouit. Ad quæ non potest sensus peruenire regulariter. ergo, licet intellectus recipiat speciem intelligibilem omnis obiecti cogniti; & forte (inquit Scotus) omnis illas conseruat; tamen non potest exire in actum recogitandi, seu recordandi, si à sensu communi deleatur phantasma alicuius obiecti iam cogniti. Et hinc est quod habens perfectius organum, est magis reminiscitiuus. At non per hoc sequitur, quod in sola parte sensitiua sit reminiscentia.

Ex organi dispositione nunc oritur bona, vel mala memoria.

Ob. 7. Vel anima separata oblita est perfectè alicuius obiecti, vel non; si sic; sequitur, quod si per reminiscentiam potest redire in memoriam, nescit esse illud, cuius recordationem quæsiuit, quia, hæc est cognitio noua alicuius prius memorati, & postea in medio tempore obliti. Si non est perfectè oblita; igitur non potest reminisci: ergo.

280 Resp. Si quid probaret hoc argumentum, concluderet nullam omninò dari memoriam cuius oppositum experientia comprobatur. Dico ergo ex hoc ipso argumento vere concludi, quod si datur, vt dari debet memoria, hæc competit homini ratione partis intellectiuæ. Cum enim reuera quilibet recordetur de duplici obiecto, proximo nempe, ac remoto nimirum de actu cognoscendi, quem habuit circa aliquod obiectum, & de ipsomet obiecto cognito, & hoc non competat parti sensitiuæ, quæ reflexiua non est; sequitur, quod reperitur in intellectiua, species talis actus, & obiecti, ad quem actum, vel ex applicatione ad aliud, vel ex alio impedimento in aliquo tempore intellectiua non attendit: quando autem occurrit aliquod simile, vel inquirit, illud, quod in genere, & confusè scit aliquando cognouisse, tunc denuo cognoscit suum actum, & obiectum eius, & sic recogitat, seu recordatur. Habet ergo in se intellectus id, de quo potest recordari. Vnde ad argumentum in forma dicendum, quod anima eatenus dicitur perfectè oblita, quia habens obiecti, & cognitionis illius speciem, illo medio tempore applicata est ad aliud, postea verò per inquisitionem, vel per simile mouetur ab ea specie, & recognoscit actum cognoscendi prius habitum circa aliquod obiectum, & ipsummet obiectum in ea specie, quam retinet repræsentatum. Ista autem species mouens non residet in parte sensitiua, sed in intellectiua, quia sensitiua potest eas species amittere. Vel si retinet; non retinet circa actum prius factum, sed solum circa obiectum actus; quod non sufficit ad recordationem. Et quamuis facilius quis de sensibili recordetur quando de eo adest phantasma in sensu communi, tamen ex hoc non sequitur, quod prima radix memoriæ sit in eo, quia in ipso non potest esse cognitio actus præteriti, vt præteriti; sed solum inseruit ad hoc, quod phantasma magis disponit ad recordationem existendo in intellectu speciem intelligibilem illius obiecti, & actus circa illud olim exerciti.

Arg. nimis probat, & quod nulla detur memoria.

Quomodo fiat recordatio alicuius obliti.

Sensitiua quare non potest recordari.

281 Ex quibus plene concluditur, quod in statu coniunctionis animæ cum corpore in via habemus memoriam sensitiuam, & intellectiuam, id est potentias conseruatiuas specierum. Sensitiua enim est phantasia, seu sensus communis. Intellectiua verò ipsemet intellectus. Secundo concluditur, quod in via recordari potest homo de sensibilibus, & de merè intelligibilibus. Tertio, quod ideo facilius recordatur de sensibili; quia adest in phantasia species excitans aliam speciem intelligibilem in intellectu. Quarto, quod recordatio est actus cognoscens præteritum, vt præteritum, idest tendens in actum cognitionis alias habitæ circa obiectum. Quinto, quod nequit dari

Multa Corollaria.

In statu coniunctionis habemus memoriam intellectiuã, & sensitiuã.

hæc

hæc recordatio, nisi adsit species intelligibilis obiecti, & actus cognoscendi iam habiti in tempore præterito. Et tandem, quod hæc sola species intelligibilis sufficiat animæ separatæ ad recordandum. Et proindè animæ omnes separatæ recordantur præteritorum.

## ARTICVLVS IX.

### *An Anima separata possit cognoscere aliquod prius ignotum.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 45. quæst. 2.* per totam, & præcipuè *§. Ad quæstionem*, docet, animam separatam in proportionata distantia posse cognoscere obiecta prius ignota, in genere proprio; & hæc, siue sint spiritualia, siue corporalia. Ideo

De sensibilibus est quæstio præcipua.

282 Adu. Sensum quæsiti clarum esse; an scilicet anima separata cognoscat aliqua obiecta sensibilia prius ignota; de his enim est quæstio præcipua. Ratio autem dubitandi est, quia sensibile nequit intelligi, nisi mediante phantasmate, & intellectu agente transferatur de ordine in ordinem, & fiat actù intelligibile.

Prima sent. posse per species à Deo influxas.

283 Adu. 2. Duas in hoc puncto fuisse, & nunc esse sententias. Prima docet, animam posse quidem aliqua materialia de nouo cognoscere, non tamen accipiendo species eorum à rebus ipsis, quia non adest necessaria proportio; sed per species influxas, vel à Deo, vel ab Angelis; & hoc fieri ex generali influentia, quam exigit anima separata, vt operetur. Hanc sententiam docuit primo *Henricus Gandauen. quodlib. 10. 12. & 13.* quam secutus est postea *D. Th. in 4. sent. dist. 50. quæst. 1.* Secunda est Scoti vbi supra docentis animam separatam cognoscere de nouo, intuitiuè, & abstractiuè omnia materialia, quæ fiunt ei præsentia per ipsamet obiecta immediatè sui speciem producentia, & per intellectum agentem depurata.

Cognitio materialiũ, quomodo fit nunc.

284 Adu. 3. Et suppono ex libris de anima, cognitionem materialium in homine fieri hoc modo, sensibile præsens sensui causat sui speciem in externo sensu. Hæc autem causat aliam in sensu communi, seu phantasia. *Ista* vero cum intellectu agente causat speciem intelligibilem, & ista actio vocatur translatio obiecti de ordine in ordinem. Hoc autem supposito, oritur quæstio, quomodo anima separata carens sensibus externis, & phantasia, possit, vel intuitiuè, vel abstractiuè cognoscere sensibilia, cum ista nequeant sui speciem causare ex defectu organorum, aliorumque requisitorum ad eiusmodi fruitionem peragendam.

Dico primo. Anima separata de nouo cognoscit obiecta materialia; quæ prius non cognouerat. Anima separata de nouo cognoscit obiecta materialia.

Est *Scoti, vbi supra, D. Th. ibid. D. Bonau.* & communis. Non enim de hoc est controuersia, sed de modo cognoscendi.

285 Prob. 1. ex *Luæ 16.* in fine. Dives sepultus in inferno cognoscebat plura materialia, ait enim *crucior in hac flamma*, deinde, *ut & ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Ergo flammas de nouo cognoscebat, & locum nouum. Eadem pariter cognoscebat Abraham, dicit enim hic *consolatur, tu verò cruciaris*, deinde. *Inter nos, & vos magnum Chaos firmatum est.* Igitur hæc materialia animæ illæ cognoscebant. Ex script.

286 Prob. 2. Animæ separatæ in loco aliquo materiali sunt, siue in cælo, siue in inferno, siue in Purgatorio; siue ante Christum in Lymbo, vbi saltem, animæ puerorum cum originali decedentium esse ab aliquibus perhibentur. Ergo cognoscunt loca illa in quibus sunt. Quæ vero in pœnis, vt purgantes, & damnatæ cognoscunt etiam pœnas; quæ omnia materialia sunt, præsertim ignis, vt in suo loco dictum est, Ergo cognoscunt sensibilia prius ignota. Cognoscunt loca in quibus sunt,

287 Prob. 3. Angeli cognoscunt materialia prius incognita. Ergo & animæ. Euidens est consequ. Angelus enim, & anima sunt natura pares, licet officio impares ex *Augustino lib. 3. de libero arb. cap. 11.* A pari de Angelis.

288 Prob. 4. ratione, ex *Arist. 2. de cælo t. 17.* Nulla natura esse potest sine propria operatione specifica. Sed anima est perfectissima forma inter omnes: ergo. subsumo. Cognoscere omne eus finitum est propria, ac naturalis animæ operatio. Præterea, quod possit habere esse separatum, est secundum eius naturam. & sic ei proprium, quod non potest alteri ab ea competere. Ergo cognitio omnis finiti, siue spiritualis, siue materialis competit animæ separatæ. Potest autem accidere, vt nullam speciem sensibilium acquisierit, sicut patet de anima paruuli. Ergo poterit de nouo acquirere. Ex propria animæ operatione.

289 Dico 2. Anima separata intelligit, seu cognoscit de nouo corporalia, vel alia non per species à Deo, vel ab Angelis in ea influxas. Cognoscit corporalia non per species à Deo influxas.

Est *Scoti, vbi supra §. Hic tenetur.*

290 Prob. 1. ex *Scoto* ibi frustra multiplicantur entia sine necessitate, ex 1. *Phis. t. c. 50.* & 8. *Phis. t. cap. 58.* Sed frustra multiplicantur eiusmodi species, cum sine eis sufficienter posset anima ex obiecto ipso immediatè, & ex intellectu agente speciem elicere, deinde cognitionem efficere.

291 Prob. 2. ex *Scoto ibid. ex Philos. 2. de genet. t. cap. 59. & 8. Phis. t. cap. 56.* In nulla natura ponendum est, quod naturæ eius derogat, ait enim, semper natura desiderat, quod melius est, & sicut in toto vniuerso, sic & in qualibet parte ponen- Ex Arist. doctr.

dum eſt, quod melius eſt ſibi, niſi euidenter appareat ſibi illud non conuenire. Sed derogat naturæ animæ, dicere, quod nequeat ſeparata cognoſcere de ſe aliquid de nouo, niſi per ſpecies à Deo, vel Angelis nouiter infuſas. Cum ex alio capite poſſit ipſa de ſe, & ſpecies illas ex obiectis immediatè coagentibus elicere, & cognitiones eorum producere.

Sent. oppoſita vilificat animam,

292 Conſ. hæc ſententia vilificat animæ naturam; ſi non poſſit ex ſe cum obiecto præſentre operationem ſibi propriam elicere; & vilior eſſe anima, quam cætera, etiam inanimata. Lapis enim abſque aliquo nouo influxu poteſt operationem ſibi propriam elicere; ſic ignis, & cætera alia agentia, quæ obiectum, vel ſubiectum exigunt in quod, vel cum quo operentur, Anima autem hanc virtutem non haberet.

Ex Auguſt. ab Angelis, vel alijs animæ ſciunt, quod hic agitur,

293 Prob. 3 ex *S. Aug lib. de cura pro mortuis gerenda cap.* 15. Animæ ſeparatæ à corporibus neſciunt, quæ hic aguntur, niſi ab Angelis, vel alijs animabus ad eas venientibus diſcant. Hinc Ioannes Baptiſta in Lymbo exiſtentibus prædixit Chriſtum veniſſe, & ad eas deſcenſurum; ita *Grig. in cap.* 2. *Matt.* explicans illud, *Tu es qui venturus es, an alium expectamus*. Ergo animæ ſeparatæ non cognoſcunt res nouas per ſpecies illas influxas à Deo vel Angelis, alioquin fruſtra diſcerent ab alijs decedentibus, quæ fiunt in mundo, ſi per ſpecies illas eſſent cognituri.

Ex abſurdo arg.

294 Prob. 4. Si per ſpecies infuſas tantum deberent cognoſcere, ſequitur nunquam intuitiuè cognoſcere aliquod corporeum. Quod eſt falſum. Quis enim dicet animas damnatorum non cognoſcere intuitiuè locum pœnarum, ignem, & cætera tormenta, quibus addictæ ſunt, Quis dicet animas in purgatorio exiſtentes, locum illum, & ignem pariter, deinde cum inde egrediuntur, & ad cælum euehuntur, cælum ipſum non intueri? certe ridicula ſunt iſta. Sequela prob. Cognitio, quæ fit in repræſentatiuo non continente eminenter obiectum, non eſt intuitiua, ſed abſtractiua; quia intuitiua debet fieri ex obiecto in ſe exiſtente, & præſente.

Anima ſeparata cognoſcit per ſpecies ab obiectis, & ipſamet cauſatas.

295 Dico 3. Anima ſeparata cognoſcit obiecta de nouo, nedum intuitiuè, ſed abſtractiuè per ſpecies productas ab ipſamet anima, & obiectis in ſe præſentibus. Eſt *Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 2. §. Ad quæſtionem*.

A priori arg.

296 Prob. 1. Actiuo & paſſiuo ſufficientibus ſufficienter approximatis, & non impeditis, producitur effectus ſi naturali modo producitur. Sed anima cum intellectu agente, & obiectum in ſe præſens immediatè ſunt principia ſufficientia ad producendam vtramque cognitionem: ergo. Min. prob. de intuitiua. Hæc enim dicitur facialis ex eo quod immediatè à facie, ſeu præſentia obiecti producitur; vel aſſignetur quænam ſit cognitio intuitiua. De abſtractiua probatur; quia obiectum præſens ſemper natum eſt cauſare ſpeciem ſui, etiam in medio, licet nullus tendat vitaliter in illud. Neque aliter fit recordatio, niſi quia ex obiecto relicta eſt in memoria ſpecies illius. Anima ergo ex ſpecie cauſata per obiectum, poterit illud in eius abſentia abſtractiuè cognoſcere.

A pari de anima conjuncta,

297 Conſ. Intellectus agens cum phantaſmate in anima coniuncta cauſant ſpeciem intelligibilem; & intellectus poſſibilis, cum eadem cauſat cognitionem abſtractiuam. Ergo idem facere poterit intellectus agens cum obiecto in anima ſeparata, producere nempe ſpeciem intelligibilem; deinde cognitionem obiecti per eam repræſentati. Nihil enim eſt in phantaſmate reſpectu efficiendæ cognitionis, quod non ſit in obiecto. Ergo eodem modo cauſari poteſt cognitio abſtractiua.

Arg. ex modo prodoceudi ſpecies nunc,

298 Conſ. de intuitiua. De facto ſic facit anima cõiuncta præſente obiecto materiali, licet hoc producat prius ſpeciem ſui in ſenſu externo, & ex hoc in communi deinde communis, ſeu phantaſia ſpeciem intelligibilem cum intellectu agente; tamen totum hoc ſe habet, vt effectus præuius reſpectu cognitionis intuitiuæ, quæ immediate ex intellectu, & obiecto cauſatur. Alioquin numquam homo intuitiuè cognoſceret ſolem, neque cibos, neque amicos. Ergo idem contingere poteſt in anima ſeparata; imò & facilius, vt nempe emanante ex obiecto ſui ſpecie, ex hac cum intellectu agente producatur ſpecies intelligibilis, & totum hoc vt effectus præuius. Deinde ipſemet intellectus poſſibilis cum obiecto immediatè producat intuitionem eius.

Arg. ex non repugnantia

299 Prob. 2. Nulla eſt repugnantia, quin anima ſeparata ſic videat; & maxima eſt congruentia vt ita videat, ſeu abſtractiuè etiam cognoſcat. Ergo ſic eſſe fatendum eſt. Antecedens prob. de primo. Angeli enim ſic cognoſcunt obiecta, intuitiuè, nempe, & abſtractiuè, abſque ope phantaſiæ, & hoc tantummodo, quia approximati corporalibus rebus iſtæ cauſant, tamquam effectum præuium ſpeciem ſui in intellectu Angeli agens verò eam depurat, & in poſſibili recepta, ipſamet res cauſant cum poſſibili cognitionem ſui. In abſentia autem rerum, ipſæ ſpecies in intellectu poſſibili conſeruatæ cauſant cum eodem poſſibili abſtractiuam cognitionem. Igitur idem poterit efficere anima ſeparata.

A paritate Angelorum.

Ex congruē. tia arg.

De congruentia patet; quia inane videtur, quod quoties vult anima ſeparata aliquod corporale videre, Deus debeat ſpeciem illius efficere; quia non ſic facit cum Angelis, ſed ſinit eos ſua potentia vti. Secundo, quia talis cognitio poſtea cum ea ſpecie cauſata non eſſet viſio, ſeu intuitiua cognitio. Tertio, quia friuolum eſt dicere,

re, quod quoties animæ damnatæ ignem considerant, Deus speciem eius efficiat. Et nihilominus intuitiuè eum non viderent; quia in specie; quæ certè non videntur admittenda, neque vlla est necessitas, vt ad eas angustias redigamur. Concludendum ergo quod anima separata eodem prorsus modo, quo Angeli obiecta corporalia cognoscunt, siue intuitiuè, siue abstractiuè, nempe per obiecta ipsa speciem sui immediatè emittentia.

Anima cognoscit, sicut Angeli.

Ob. contra 1. Anima separata caret instrumentis necessarijs pro cognitione corporalium: ergo. Anteced. prob. Caret phantasia, & phantasmate. Hæc autem necessaria sunt ad cognoscendum, quia oportet intelligentem conuerti ad Phantasmata, ex *Arist. 1. de anima t. c. 66.*

Arg. contr. 1

300 Resp. neg. anteced. ad probat. Dico Philos. non agnouisse statum animæ separatæ, sed de ea in corpore operante semper fuisse locutum. In hoc autem statu nequit aliter intelligere, quam medijs phantasmatibus.

Arist. non cognouit statum animæ separatæ.

Inst. ex 3. *de anima t. c. 39.* phantasmata se habent ad intellectum, sicut sensibilia ad sensum: ergo, cum anima separata ijs careat, non poterit aliquid de nouo cognoscere.

301 Resp. per idem. De anima pro statu isto, hic enim in operando dependet à sensibus, saltem in prima intellectione. At certum pariter est, quod etiam coniuncta absque ope phantasmatum potest vniuersalia, secundas intentiones, entia rationis, actus voluntatis, & suosmet actus reflexiuè cognoscere. At in statu separationis sine vllo prorsus phantasmatis adminiculo, obiecta omnia sibi præsentia siue spiritualia, siue corporalia contemplabitur. Vnde *Origenes in lib. 2. de Princip. c. 12.* ait, *cum ad cælestia loca peruenerint sancti tunc tam rationem astrorum per singula perquirent, & siue animantia sint, siue quidquid illud est comprehendent.* & post aliqua, *Deus docebit eos, quare illa stella cæli in illa loco posita est, & quare ab alia tanto diriment. te spatio separatur, &c.*

Sine phantasmate anima cognoscit multa.

Ob. 2. Ideo anima vnienda est corpori, vt in eo operetur. Ergo sine eo nequit cognoscere corporalia. Anteced. prob. Non vnitur corpori, vt acquirat in eo perfectionem, sed vt suas potentias omnes exerceat, Alioquin frustra vniretur.

302 Resp. dist. anteced. propter hoc tantum, nego. Propter perfectionem totius, concedo. Ita *Scotus in 4. quæst. 2. §. ad argum.* Vt ergo totus homo consistat, anima est corpori vnienda, licet neque hoc ab illa, neque illa absque perfectionem aliquam esset recepturia.

Propter quod anima vnienda est corpori.

303 Respondet 2. neg. consequ. Quia potest operari, & cum corpore, & extra illud; per hoc autem, quod vnienda est corpori, vt cum eo operetur, non sequitur, quod sine eo nequeat operari.

Ob. 3. Anima separata est quid merè spirituale; sensibile obiectum est quid merè corporale. Ergo, cum non sint proportionata, nequit anima illud cognoscere. Neque valet instantia, quod æque de facto posset cognoscere; nam nunc phantasma, quod est quid medium facit proportionem inter ea extrema.

304 Resp. neg. consequ. Non enim inter potentiam, & obiectum requiritur entitatiua proportio, vt compertum est, Alioquin intellectus numquam cognosceret aliquod materiale. Imo nec Angelus, nec Deus. Secundo, oculus non coloratus non videret colorem. Instantia autem de anima cognoscente de facto est apprime ad rem. Neque iuuat dicere, quod phantasma sit quid medium; quia licet sit medium quo obiectum percipitur, non tamen medium in entitate, sed est extremum respectu intellectus, quia est materiale quid, seu corporeum. Quamuis ergo respectu intellectus vniti imperfectè operantis sit necessarium phantasma ad operandum; tamen respectu eiusdem separati hoc non est necessarium, quia neque Angelo, neque Deo. Alioquin incidere oportebit in illa incommoda, quod neque animæ damnatæ, neque existentes in purgatorio cognoscerent ignem, neque locum in quo sunt.

Inter potentiam, & obiectum, quæ proportio requiritur.

Absurda ex hoc.

Instabis. Hic est ordo naturalis operandi animæ, vt ex obiecto corporeo fiat transitus ad imaginabile, & tunc ad intelligibile. Ergo separata non poterit aliquid de nouo intelligere, præsertim corporale.

305 Resp. Est ordo naturalis pro hoc statu, concedo, absolutè & essentialiter ex natura ipsius animæ, nego. Non enim videtur aliqua ratio, cur ex specie in phantasmate existente possit intellectus agens formare speciem intelligibilem, & non possit eam formare, vel ex ipsomet obiecto immediate, vel ex specie eius per medium diffusa. Adde; quod neque posset cogitare obiecta corporalia, quorum species intelligibiles conseruat, quia non adesset phantasma, quod existimatur necessarium; quod est absurdum, quia diues in inferno recordabatur fratrum, & domus; vt in præced. art. visum est.

Ordo animæ separatæ non exigit sensu in operando.

Ob. 4. Si anima separata posset alia de nouo cognoscere, posset cognoscere omnia. Sed hoc est falsum; quia non potest simul ad omnia applicare. Neque valet responsio de distantia; quia cum incorporalia non sint in loco, non operantur dependenter à loco.

306 Resp. dist. sequelam. Si posset omnibus approximari, concedo. sin minus, nego. Ad replicam dico, quod neque Angeli cognoscunt nisi in determinata distantia. Ad illud de esse in loco, dicendum, quod vtique non sunt in loco circumscriptiuè, sed benè definitiuè. & hoc impedit, quin

Anima non potest cognoscere, nisi approximè vt obiecto.

quin Angeli, vel anima ſint ſimul in pluribus locis, & multò minus in omni loco. Et hinc eſt, quod ipſimet Philoſophi cum *Ariſt. 8. Phiſ. t. c. 84.* docent intelligentiam mouentem orbem eſſe in aliqua parte illius orbis, à qua incipit motus. Generaliter autem loquendo *Ariſt. in 7. Phiſ. t. c. 8.* ad actionem aliquam peragendam exigit, vt agens, & patiens ſint ſimul; quæ quidem ſimultas, vel eſt per contactum, vel per mutuam præſentiam. Igitur etiam ſi agens ſit ſpirituale id exigit. Sed anima poteſt eſſe ſimul cum corporalibus obiectis per mutuam præſentiam, & contactum mutuum. Ideoque dum hoc modo nequeunt eſſe ſimul, non poterit adeſſe actio. Certum autem eſt, quod anima ſeparata non eſt vbique locorum. Ergo non poteſt omnia ſimul cognoſcere.

Agens & patiens debent eſſe ſimul.

Ob. contra 2. ex *Henric. quodlib* 10. Anima dum eſt vnita corpori dependet ab eo in operando per influxum nempè corporis, & phantaſmatum; ergo quando eſt ab eo ſeparata, dependet à Deo, & ab Angelis.

Arg. contra

Confirm. Ideo anima vnita corpori non poteſt recipere influentiam ſpiritualium; quia impeditur eius actiuitas à corpore. Ergo, dum à corpore eſt ſeparata, non poteſt à corporalibus influentiam aliquam recipere, ſed omnem poſſibilem ſibi ineſſe recipit à ſpiritualibus, Deo nempe, & Angelis.

Conſ. 2. Anima, quò magis à corpore alienatur, eò eſt magis diſpoſita ad recipiendam notitiam rerum ſecretiorum, vt patet in extaticis, ſeu mentis exceſſum patientibus, & dormientibus. Ergo, quia ſeparata totaliter eſt magis parata ad recipiendas influentias ſpirituales; poterit reſomnes cognoſcere per eiuſmodi influentias ſpecierum, ſcilicet ab Angelis, & Deo productarum.

307 Reſp. neg. conſequ. neque probatam, neque ex antecedenti probabilem. Quod enim anima nequeat in corpore cognoſcere corporalia, niſi dependenter à corporali phantaſmate, numquam concludit, quod ſeparata nequeat operari, niſi per ſpecies à Deo cauſatas; vnde enim oritur hæc conſequentia? & quæ connexio eſt inter eam cum antecedente? Imò ex hoc deſumitur argumentum ad oppoſitum. Anima nequit cognoſcere corporalia dum eſt in corpore, quia dependenter à corpore agit, tamquam obiecto. Sed etiam ſeparata operatur dependenter à corpore, vt obiecto, quia ex cognoſcente, & cognito paritur notitia; ergo non poteſt operari per ſpeciem influxam à Deo, vel Angelis, ſed per ſpeciem emanantem à corpore. Deinde ſequuntur alia abſurda ſupra allata, & maximè quod animæ cruciatæ non cognoſcerent intuitiuè, nec vbi ſunt, nec pœnas, aut tormenta cruciantia; imò eodem modo animæ illæ cognoſcerent locum illum, ac pœnas, ſicut cognoſcunt obiecta, quæ in hac vita viderunt, quorum ſpecies ſecum retinent. quod eſt falſum.

Arg. nihil probat concludere.

Abſurda multa, quæ ex eo ſequuntur:

308 Ad confirmationem nego conſequ. Hæc enim eſt animæ illimitatio, & exceſſus ſupra ſenſus, quod ipſa cum eis operatur dependenter ab ipſis; ſeparata verò independenter. Senſus autem non ſic, Adde, anima coniuncta recipit Dei influentias inſpirationum, ac illuminationum, nullo corporis ſenſu coagente. Ergo ſeparata poterit influentiam corporalium recipere, non coagente aliquo ſuperiori incorporali.

Etiam coniuncta recipit Dei influentiam.

309 Ad 2. conſ. quamuis ad rem non ſit. Reſpondet *Scotus ſub &* neg. ſuppoſitum, quod nempe dormientes, vel extatici magis ſint apti ad recipiendum cognitiones veras à ſenſibus remotas. Ratio de dormientibus, eſt manifeſta, quia ſi per ſomnum quis alienatur à corpore, ſeu recedit, vt dicit Auicenna, & Auerroes, fit diſpoſitus ad recipiendum illuminationes ſpirituales, & à ſpiritibus, ſequitur, quod quò profundior eſſet ſomnus, eo aptior eſſet dormiens ad eas habendum, & ſic ebrij eſſent aptiſſimi. Falſum ergo apparet in primis, quod in ſomno profundo accidant ſomnia; hæc enim accidunt in ſomno leui. Addit *Scotus*, quod ſi vera eſſet hæc doctrina, Epileptici eſſent omnium aptiſſimi, dum Epilepſię ſymptomatibus corripiuntur ad videndum vera, & recipiendum à ſpiritibus, ſeu Angelis ſpecies, ſeu notitias; quod eſt patenter falſum. Id autem inquit *Scotus* effinxit *Auicenna libro 9. ſuæ Met. cap. 2. & 6. Naturalium par. 5.* ad ſubſtinendam Machometi fallaciam; is enim Epilepticus, cum eſſet, & de more iſtorum in terram frequenter caderet, dicebat ſe Angelum videre, & in eius obſequium in terram ſe proſtrare, ac in tali alienatione reuelationes ab Angelo de ſublimibus, ac ſpiritualibus recipere. Deceptiones ſunt iſtę, & inſaniæ.

Dormientes quare, & quomodo aliqua cognoſcunt.

In ſomno profundo non habentur viſiones.

Machometi fallacia.

310 Quod verò in extaſi, vel ſomno Deus, vel immediatè, vel Angelus aliqua reuelet, id non accidit ex eo, quod anima à corpore recedat, ſed quia tunc magis diſponitur homo per amotionem impedimenti diſtrahentis; vehemens enim occupatio circa aliud impedit, nè quis intensè operetur, ſeu attendat ad aliquod à Deo reuelandum. Immò ſubdit Scotus, tantum abeſt, vt hoc ſit connaturalius animæ ad eas reuelationes in tali alienatione recipiendum, vt potius ſit miraculum, quod in ſomno reueletur alicui veritas aliqua; nam tunc caret vſu rationis, quem habet in vigilia. Sed quidquid ſit de hoc, ad rem noſtram non facit, & in ſequenti tomo cum de Extaticis loquemur, materia hæc plenè diſcutietur.

Extaticus habet diſtrahens, & tollens impedimenti.

Maius eſt miraculum, quì ſomno fiat reuelatio, quia deeſt vſus rationis

Con-

311 Concluditur ergo falsum esse imò contradictorium, quod anima separata possit à superioribus spiritibus species, & notitias recipere, vt verò est coniuncta corpori non possit; quia nulla substantia separata potest aliter coniungi nobis, quam in ratione causæ efficientis, vel mouentis; Actiuum autem aliquod si in essendo recipit aliquid à superiori, & in quantum est actiuum, recipit ab eodem. hæc *Scotus*.

Arg. contr. 3 Ob. contra 3. Anima separata non potest transferre obiecta materialia de ordine in ordinem. Ergo non potest ex se immediatè illa cognoscere. Antecedens probatur. Illud munus transferendi est proprium intellectus agentis, & phantasmatis. Consequ. prob. Remota causa, remouetur effectus.

Anima separata habet speciem sensibilem extra se. 312 Resp. neg. anteced. ad probat. dist. antec. Est munus phantasmatis in ratione phantasmatis tantum, nego. est munus illius in ratione speciei sensibilis etiam, transeat. & neg. consequ. quia anima separata habet intellectum agentem, & speciem illam sensibilem obiecti corporalis.

Inst. Talis species est impossibilis; non enim adest potentia illam efficiens, vel recipiens, ex se autem consistere non potest: ergo.

313 Resp. 1. Nihil impedire, quin species illa per medium esset diffusa; imò de facto omnia corporalia causant sui speciem per medium, patet de odore, sono, & visibilium speciebus, ista enim omnia per medium etiam causantur,

Species sunt etiam in medio, Resp. 2. Nihil prohibet, quia obiectum immediatè concurrat cum intellectu agente ad causandam speciem illam intelligibilem; sicut enim in anima coniuncta id præstat phantasma; ita posset obiectum id præstare in separata.

Quæ de animæ separatæ cognitione dixisse sufficiat. Cætera verò experimentum ipsum præstabit.

# DISPVTATIO XXV.

## DE BEATORVM CVM VIATORIBVS COMMVNIONE.

BREVIS ista disputatio de communione defunctorum cum viatoribus, duo postulat exagitanda. Primum, an viatores debeant, vel possint ad defunctorum animas recurrere, & cum eis habere commercium orando, & se eis commendando. Secundum, an defuncti, beati præsertim orent pro viatoribus, eisque patrocinentur; & beneficia pro ipsis à Deo obtineant. Tertio, an appareant viatoribus. Quarto tandem, quomodo appareant, an in corpore proprio, an in assumpto, & quali, an reuelent aliqua, &c. Scoti mens

### ARTICVLVS I.

*An Beati sint orandi, at inuocandi.*

SCOTVS *in 4. sent. dist. 45. quæst. 4.* docet ex *Hieron.* hunc esse vnum ex erroribus Vigilantij, Sanctos non esse inuocandos; quia nec nos audiunt, nec possunt pro nobis aliquid obtinere. Sed contrarium dicit esse cum fide tenendum, ac docendum. Quod postea etiam per *Concil. Trident.* fuit confirmatum.

Primus qui in hoc errauit fuit Eustatius Sebastenus. 1 Adu. 1. Quod omnium primus, quem ego legerim negasse inuocationem Sanctorum, fuit Eustatius Sebastenus, hic enim inter alios errores damnatos *in Concilio Gangrensi*, contra ipsos congregato circa *annum* 325. docuit non esse recurrendum ad Sanctos, neque memoriam eorum faciendam in Ecclesia, contrarium decretum est in *canone vlt.* eius Concilij. Tenuit postea hunc errorem *Vigilantius*, teste *Hier-*

*ron.*

rom. lib. contra Vigilant. cap. 3. Hunc secuti sunt Patareni, Catari, seu Anabaptistæ, ac Vvaldenses, et tandem, ne in suis cloacis aliquid deesset fœtoris, amplexati sunt Lutherus, et Caluinus, contra quos factum est decretum in *Concilio Trident. in sess. 25.*

Contrarium semper tenuit Ecclesia

2 Adu. 2. Quod quantumuis multi etiam ex SS. Patribus, vt dictum est in *disput. 14. ar. 6.* abst definitione *Benedicti XI. seu XII.* docuerint, beatos non viuros esse Deum ante resurrectionem, nihilominus adhuc, vtpote Deo charos, et amicos dixerunt esse inuocandos vbicunque reperiantur, siue in cælo, siue in receptaculis, siue alibi, vt postea dicetur in seq. disput.

Beati possunt, & debent inuocari.

3 Dico ergo. Beati possunt, et debent à viatoribus pro suis indigentijs inuocari. Est de fide.

Conc. Gang.

4 Prob. 1. ex *Concilio Gangrensi can. vlt.* et habetur in *cap. Si quis dist. 30.* vbi sic dicitur. *Si quis superbia vsus affectu conuentus abhominatur, qui ad confessiones Martyrum celebrantur, & ministeria, quæ in eis fiunt simul cum memorijs exteratur, anathema sit.* ex *Concil. Cabilon. 2. sub Vitaliano Papa cap. 1.* hæc habentur. Pro zelo Religionis, vel Orthodoxæ fidei dilectione in Cabilonensi vrbe, in Ecclesia sancti Vincentij pariter conglobati ipsius sancti Martyris intercessionem poscentes, etc. ex *Concil. Calcedon act. 11.* vbi de sancto Flauiano Archiep. Constantinopol. Dioscori violentia interempto, sic dicitur. *Flauiano æterna memoria, ecce vivit, Flauianus post mortem vivit, martyr pro nobis orat.* ex *Concil. Gen. 6. Constant. 3. cap. 7.* Vnusquisque Christianus solo Deo adorato, inuocet sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. ex *Concil. Nicæno 2. act. 3. & 6.* sic habetur. Cum Dei timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminate Deiparæ, et semper Virginis Mariæ; itemque Angelorum, omnium, que sanctorum. etc. et vt alia Concilia omittam, *Tridentinum in sess. 25. in decreto de Inuocatione, &c. sanctorum*, damnat eos, *qui negant, sanctos, æterna fœlicitate in cælo fruentes inuocandos esse.* Ergo de fide est eos esse inuocandos.

Cabilon.

Calcedon.

Constantinopol. 3.

Nicæn. 2.

Trident.

Praxis perpetua Ecclesiæ.

5 Prob. 2. Ex praxi perpetua ab initio Ecclesiæ vsque nunc. Semper enim sanctos inuocauit. In Liturgia, namque Ecclesiæ Romanæ à S. Petro formata, incipiente, *Domine Deus omnipotens qui solus sanctus es, & in sanctis requiescis, &c. Misericordias tuas largiens intercessionibus sancta Dei genitricis, & omnium sanctorum tuorum*; & post aliqua, quorum intercessione, & precibus concede, vt in omnibus tua protectione muniamur, & ex Liturgia, seu canone, quo per tot ante secula ad vsque præsens vtitur, ait enim *Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper virginis, & omnium sanctorum Apostolorum, &c. Et omnium sanctorum, quorum meritis, precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.*

Ex Liturgia S. Petri.

6 Item ex omnibus aliarum Ecclesiarum Liturgijs, quibus orientales Ecclesiæ, Hierosolimitana etiam, & Alexandrina vsæ sunt, hodieque vtuntur, in quibus fit inuocatio sanctorum.

Ex aliarum Eccl. Liturg.

7 Conf. ex Litanijs, seu Rogationibus, quibus vsa est semper Ecclesia orando sanctos omnes ad implorandam Dei misericordiam; quas quidem, licet S. Mamercus Aruernorum Episcopus, vt refert *Sidonius lib. 5. epist. 4.* eas renouauerit in Gallia, ipsæ tamen antiquissimæ erant; & vt tales eas commemorat *Basilius epist. 63, ad Neocæsar. Eccl. Clericos.*

Litaniarum vsus.

8 Conf. 2. Ex collectis, quas Ecclesia dirigit ad sanctos, vt pro nobis orent; ergo sancti ex antiqua Ecclesiæ praxi orandi sunt, & inuocandi.

9 Prob. 3. ex Roman. Pontif. sanctionibus, ac rescriptis *Cornelius in epist. 1. de Translat.* Corporum SS. Petri, & Pauli, vbi præ cæteris habet, orantes Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vt intercedentibus suis sanctis Apostolis maculas vestrorum purget peccatorum, & in sua vos conseruet voluntate diebus vitæ vestræ, & in fructu boni operis vos perseuerabiles reddat.

Ex Rom. Pontificibus arg.

Cornelius.

10 *Damasus*, sanctorum quorundam memoriam, vt Andreæ Apost. Felicis, Agnetis, & Agatæ versibus eleganter pertractans, eosdem rogat, vt pro Ecclesia, ac pro se ipso intercedant.

Damasus.

11 *Leo Mag. ser. de Epifan. cap. 4.* præcæteris, ait. Confirmate amicitias, cum sanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis spondetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, martyribusque sociamini. Horum diuitias concupiscite, & per bonam emulationem ipsarum ambite suffragia.

Leo I.

12 *Hormisda in epist. 31.* Beatum Petrum Apostolum quotidie suppliciter obsecramus, vt nobis, per quos integrari membra sua sancta iam sperat Ecclesia, & effectum Deus celerem, & salutem tribuat largiorem.

Hormisda.

13 *Greg. Mag. in agenda mort.* ait subuenite sancti Dei, occurrite Angeli, suscipientes eam, offerentes eam in conspectu altissimi. in *lib. 11. epist. ex regist. ep. 8.* ad Brunechildem, loquitur de intercessione SS. Petri, & Pauli quibus eam, & suos precibus commendat.

Greg. I.

14 Adduci possunt omnes Pontifices, qui solemni ritu sanctos canonizarunt, incipiendo à *Ioanne XV.* qui in Concilio Rom. de *anno 993.* sacrum, dignumque hunc ritum auspicatus est. Omnes enim in Constitut. canoniz. hortantur fideles, vt eos orent, ac implorent, vt suis precibus diuinam nobis obtineant misericordiam. Sint pro exemplo *constit. 3. Paschalis II.* pro

In Bullis canonizat. omnes Pontif. erant Sanctos & suadent alijs, vt orent.

S. Pa-

S. Petro Anagniæ Episcopo: *constit. Vn. Innoc. II.* pro S. Hugone Gratianopol. Episc. Const. 1. Alex. III. pro S. Eduardo Angliæ Rege. *constit. 1. Cælestin. III.* pro S. Vbaldo, & sic de aliis, vsque ad Const. canonizat. Alexandri VII. pro S. Thoma de Villanova, in quibus omnibus, vt dixi suadetur fidelibus invocatio sanctorum.

13 Prob. 4. Ex articulo communionis sanctorum. Non enim, vt aliqui putarunt communio sanctorum restringitur ad sanctos id est fideles, qui sancti olim vocabantur, id est non ad solam Ecclesiam militantem; sed ad illam respectu omnium membrorum Christi corporis; & consequenter ad Ecclesiam quoque triumphantem. Nam Christus Dominus est caput totius Ecclesiæ etiam triumphantis, quia *ad Ephes 4. Ipse caput, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem inchuram subministrationis corporis secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri augumentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. & ad Coloss. 1. Ipse est caput corporis Ecclesiæ qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* Ex quibus, & ratio capitis in Christo respectu totius Ecclesiæ declaratur, & membrorum subministratio, & communicatio inter se exactè describitur. Accedit locus *Hebr. 12. Accessistis ad Syon montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis.* Ergo Ecclesia militans compaginata est, & vnita cum triumphante. Nostra autem militantis communio cum illa triumphante nequit in alio consistere, nisi, vt obsequijs, & congrua adoratione Beatos prosequamur, & cum eis commercium deprecationis habeamus, quibus cum mentaliter, vel vocaliter nostras indigentias tractemus. Ergo ex ratione communionis, sancti orandi sunt.

Ex artic. communionis sanct. arg.

Ecclesia militans compaginata triumphanti

16 Conf. ex Canone Missæ in quo expresse articulus communionis cum cælesti Hierusalem declaratur, dicitur enim, *Communicantes, & memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, &c. sed & Beatorum Apostolorum, ac martyrum tuorum Petri, & Pauli, Andreæ, Ioannis, & Omnium Sanctorum, &c. quorum meritis precibusque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio.* Deinde, in *sup. Nobis quoque peccatoribus* petitur, vt eorum consortio nos Deus admittere dignetur.

Ex canone Missæ,

17 Prob. 5. Ex Patribus Græcis, & Latinis, namquam enim in hoc discordes fuerunt; sed vnanimiter docuerunt, sanctos esse invocandos.

Ex Patribus arg.

18 *Dyonisius Areopag. de Eccles. Hier. cap. 7.* ait, sacræ scripturæ acquiescus veiles esse in hac vita dixerim sanctorum preces; si quis sanctorum munerum desiderio incensus, ad ea quoque recipienda affectus, quemiam sanctorum virorum adeat, oretque sibi adiutorem, & præcatorem accedere, capiet ex hoc vtilitatem, &c.

Dyonis.

19 *Cornelius Papa epist. 2.* Orantes Deum, &c. vt supra. *Gregorius Nanz. orat. 10 laudem S. Basilij Magni. quæ est 20.* sic orat. Tu vero sanctum, & diuinum caput è cælo nos quoque inspice, &c. & in *orat 187.* Tu viriliter age, ac pro nobis, qui magnis ærumnis premimur, Deum precare, vt peccatum è vita discessum consequamur.

Cornelius Papa.

20 *Greg. Nyssenus orat. in S. Theodoreum*, sic precatur. Multorum beneficiorum indigemus: & post multa subdit. Quod si maiore aduocatione etiam opus fuerit, fratrum tuorum martyrum cogo chorum, & cum omnibus vna deprecare. Admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum, ac discipulum dilectum, vt pro Ecclesijs quas constituerunt, solliciti sint, &c.

Greg. Nyss.

21 *Chrysost homil. 5. in Matt.* præ cæteris habet. Nos igitur quasi ociosantes, ac desides ex aliorum meritis pendeamus, habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes, supplicationesque sanctorum. & *homil. in Natali SS Apostol. Petri, & Pauli*, ait, salue beata Iuga, quæ vna es anima in duobus corporibus Petre, & Paule. Vos semper in Domino sine intermissione pro nobis rogamus orate. Promissa vestra implete; sunt enim hæc vestra conuenta, vnius quidem hoc, *venite mecum, & bonis non deficiamur*; alterius vero illud *Illud bapost obitum meum vestri facite mentionem.* Pactorum ergo conuentorum nolite obliuisci, sed Trinitati astistentes petite, quæ sunt nobis omnibus salutaria, &c. In Liturgia vero præ alijs, habet, Apostoli, Martyres, Prophetæ, sacerdotes, Confessores, & iusti cum mulieribus sanctis, qui benè certamen consummatis, & fidem seruastis, fiduciam seruantes ad saluatorem pro nobis ipsis orate saluari animas nostras.

Chrysost.

Colloquium cum Petro, & Paulo.

22 *Ambrosius in lib. de Viduis*, inquit; martyres obsecrandi sunt, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris. Qui proprio sanguine, si qua habuerunt peccata, lauerunt. Non erubescamus, &c. & in *orat. 2. prepar. ad Missam*, ait, Apostolorum intercessionem imploro; confessorum orationes expostulo. Talium Domine Deus preces numquam spernis, si vt pro me exorent, ipse inspiraueris.

Ambros.

23 *Cyrillus Alex. homil. 30. de S. Ioanne Euangel* in Concilio Ephesino recitata post egregias Apostoli laudes, ait, o Apostole, ecce tantus Pastorum cœtus ad te venit, remone nobis lapidem, sicut Beatus Iob pastoribus Haran; refera nobis puteum vitæ; da, vt nunc quoque de fon-

Cyril. Alex.

tribus haurlamus, immò vero tuum nobis fontem appone.

Hieron. 24 *Hieron. in epist. ad Eustochium de Epitaffio Paulæ cap.* 14. ait. Vale ò Paula, & cultoris tui vltimam senectutem oratio nibus iuua. Fides, & opera tua Christo te sociant, præsens facilius, quod postulas impetrabis. Idem fere dicit in vita Hilarionis.

Theodor. 25 *Theodoretus lib. 8. Græcarum affect.* præ cæteris, ait, orent Dei martyres, & tamquam diuinos homines intercessoresque sibi eos apud Deum adiocent. & præcentur: plè verò, fideliterque præcatos, ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa; quæ votorum rei dona persoluunt, manifesta nimirum adepta sanitatis indicia, *& in vita vltima sanct.* ait, eos obsecro, quorum vitam conscripsi, nè me despiciant procul degentem ab eorum spiritali choræa, sed trahant infra' iacentem, &c.

Aug. sæpe. 26 *August. in Iob. cap.* 14. declarans illud *Miseremini mei, saltim vos amici mei*, ait, Angelos videtur postulare, vt pro eo deprecentur, aut certè sanctos, vt pro pœnitente orent. & in *lib. 6. de Bapt. contra donat. cap* 1. de S. Cypriano digno cum elogio loquens, dicit, adiuuet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tamquam in caliginosa nube laborantes, vt donante Domino, quantum possumus dona eius imitemur. et *in ser* 17. *de Verb. apost.* ait, inlusta est pro martyre orare, cuius nos debemus orationibus commendari, &c.

Athanas. 27 *Athanasius ser. in Euang. de sancta Deipara*, dicit, inclina aurem tuam Maria in præces nostras; & ne obliuiscaris populi tui: & post aliqua. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo. Et tandem concludit. Intercede hera, & domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis.

Paulinus. 28 *Paulinus Nolanus* in Natalitijs multorum SS. quorum laudes versibus exornat vt in Natal. S. Fœlicis, Celsi, &c. eosdem rogat, vt pro nobis intercedant.

Origenes. 29 *Origenes lib. 2. in Iob.* ait, o beate Iob viuens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conspectu Regis Domini, ora pro nobis miseris, vt etiam nos terribilis Dei misericordia protegat in omnibus tribulationibus.

Io. Damas. 30 *Ioann. Damasc. orat. de transfigur. Dom.* ad S. Petrum conuersus, ait. Hanc Ecclesiam suo quidem cruore Christus comparauit, tibi autem, vt fidissimo famulo in fidem tradit. Hanc precibus tuis ita conserua, &c. Id à Christo pete, vt tempestas sedetur, tumultus comprimatur, &c.

Beda. 31 *Beda in Natali SS. Scholasticæ, & Benedictæ.* Intercedite Scholastica, & Benedicta pro nobis commissis, postulate pro nobis afflictis, rogate pro nostris delictis; poscite Christum, non solum pro monachis commissis, sed etiam pro vestris ancillis, vt, &c. & *homil. in Litania Maiori*, ait, Præcemur omnes sanctos, vt pro nobis intercedant ad Deum, vt dignetur nobis dare remissionem peccatorum, &c.

Tarasius. 32 *Tarasius Archiep. Constantinol. epist. ad Antioch. & Alexand Episc.* inquit. Obsecro intercessionem sanctissimæ, & incontaminatę Deiparæ, & semper Virginis Mariæ sanctorum Angelorum, omniumque Apostolorum, & martyrum, &c.

Omnes ante Conc. Trid. id docuerit

33 Neque vllus esset dicendi finis si sanctos, alioſque DD. siue Græcos, siue Latinos, siue antiquos, siue recentes ante Concilium Trident. adducere vellem, qui de sanctorum inuocatione locuti sunt, vt ipsum Concilium doctrinam istam in Ecclesia vniuersalem, incontrouersam, etiam ex principio Ecclesiæ (si paucos Sicophantas hæreticos nullius ingenij excipias) inter fidei dogmata reposuerit. Cuius quidem authoritas pro Catholicis sufficeret; at pro hæreticis, Patres, & Ecclesiarum omnium, atque antiquorum praxis Conciliorum, fuit adducenda.

Arg. constr. Ob. 1. In veteri testamento nulla fit mentio huius inuocationis, nisi solius Dei. Ergo nullum habet in Scriptura fundamentum. Anteced. prob. licet, ex *Maccab. 2. cap.* 15. Iudas Maccabæus in visione cognouerit Oniam, qui fuerat summus sacerdos, & Hieremiam orare pro populo. tamen, neq; ipse hortatus est populum, vt ad præfatos sanctos recurreret; neque alibi reperitur, quod aliquando Patres, quos saluos tenebant, inuocarent, vel rogarent, vt pro se apud Deum intercederent.

Arg. quod in vet. test. non fiebat recursus ad sanctos.

Conf. Cum Prophetæ, ac sancti veteris testamenti orabant, Deum rogabant, vt merito seruorum dilectorum eis subueniret, vnde *Psal.* 131. dicunt. *Propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.* & *Daniel* 3. *Ne auferas misericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum.* Et sic de locis aliis vet. test. in quibus inuocatur Deus, & oratur: vt merito sanctorum; qui præcesserunt subuenire fidelibus suis. numquam autem inuocantur ipsimet sancti Patriarchæ, aut Prophetæ: ergo.

Non inuocabantur SS. in antiqua lege, quia Deo non fruebantur;

34 Resp. neg. consequ. in vtroque arg. Ratio disparitatis est, quia, cum sancti veteris testamenti non fruerentur Deo, sed essent in Lymbo, non erant adhuc in statu beatitudinis, & licet non essent in rigore Viatores; neque adhuc in rigore erant in termino, sed peregrini, & potius in via, quam in statu. Deus ergo, vt hanc veritatem de aperitione cæli per Messiam Christum, nedum nos, sed & ipsos Iudæos doceret, etiamsi sancti Patres in Lymbo existentes, quia Dei amici possent pro alijs intercedere; noluit tamen, vt iudæi eos inuocarent, sed potius Deum, vt ob eorum me-

Licet existentes in Lymbo, adhuc possent Deū orare.

merita in necessitatibus subueniret. At post Christi ascensionem in cælum, & sanctorum veteris testamenti introductionem, concedit Deus, vt ad eos, & ad noui testamenti sanctos habeatur recursus, ideoque in Litanijs maioribus inuocantur, omnium primo Beata Virgo, deinde Angeli, postea omnes sanctorum spirituum ordines, Patriarchæ, & Prophetæ, &c. in Litanijs autem pro animæ commendatione, post Beatam Virg. & Angelos, inuocatur sanctus Abel, sanctus Abraham, & omnis Chorus iustorum, &c. Neque ex alio capite, nisi quia post Christi ingressum in cælum præfati Patriarchæ, & Prophetæ, Dei visione, ac fruitione potiti, Dei colloquio immediatè fruentes, digni sunt, vt exaudiantur; vt appareat, mærita omnium vtriusque testamenti sanctorum in vnius mediatoris, atque capitis Christi mærito fundari.

Post Christi ascensionem inuocantur SS. etiam veteris test.

Inst. de Angelis.

Instab. Estò hoc; non legitur ad Angelos recurrisse. Sed ad solum Deum. Ergo euidens signum est, alium neminem præter Deum esse inuocandum.

Cur Angeli non inuocabantur à Iudæis,

35 Resp. Vt aliqui iudæos vniuersaliter non habuisse fidem de creatione Angelorum. imò Saducæi apertè docebant, nec spiritum, nec Angelum esse, quia in Genesi nulla fit mētio de Angelorum productione, ipsi autem vniuersaliter id credebant quod literaliter in lege habebant. Ratio autem, quare explicitè Moyses eorum creationem non narrauerit, communiter assignatur, quia iudæi ad Idolatriam procliues, si adeo nobiles substantias dari percepissent, eas vt Deos adorassent. *Aug.* enim *lib. 1. Gen. ad lit. cap. 1. & cap. 17.* inquit creationem Angelorum describi per illa verba, *in principio creauit Deus cælum*, idem dicit in *lib 11. de Ciuit. cap. 9.* Ideo in cantico trium puerorum fit de illis mentio ex eod. ibid.

Dices. Sancti Patriarchæ, & Prophetæ notitiam Angelorum habuerunt, eos Dei seruos, atquè amicos crediderunt, & tamen nunquam ipsos inuocauerunt. Anteced. prob. Ex omnibus libris vet. test. in *Genesi* enim terdecies fit mentio de Angelis, in *Exodo* quinquies, in *Num.* nouies, in *Leuitico* vigesies, & sic in omnibus alijs, vt *Psalterio*, *Tobia*, *Daniele*, *&c.* Erat ergo clarissima doctrina de Angelis inter Iudæos; et tamen numquam alia legitur, nisi Dei inuocatio.

Non permisit hoc Deus quia Iudæi erant procliues ad idolatriam.

36 Resp. Eatenus Deum non permisisse, vt Iudæi vniuersim inuocarent Angelos, quia cum essent procliues ad Idolatriam de facili eos pro dijs adorassent. Et de facto multi etiam Reges Iudæorum adorauerunt Angelos, nam 2. *Paralipp. 33.* Manasses inter cætera mala, quæ fecit, non sequens vestigia Patris sui *Exercebia, adorauit omnem militiam cæli, & coluit eam. Ædificauitque altaria cuncta militiæ cæli in duobus atrijs domus Domini. Ierem. 8.* improperat Iudæis, et comminatur, *quod expandet Dominus ossa eorum ad Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ dilexerunt, quibus seruierunt, & quæ adorauerunt.* et *cap. 19.* de eisdem conqueritur, quod *sacrificauerunt omni militiæ cæli, &c.* Item *Sophon. 1. 5. Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & edituorum cum sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & iurant in Domino, & iurant in Melchon.* Ergo tantum abest, vt Iudæi abstinuerint ab inuocatione Angelorum, quod potius in eis omnem spem multi ponentes, adorauerint, et coluerint ipsos, et sacrificia eis obtulerint. Hinc Deus, vt ipsos à periculo Idolatriæ remoueret, eiusmodi recursum, et inuocationem, nec præcipit, nec permisit indiscriminatim toti Populo, sed aliquibus sanctis, ac perfectis, vt Iacob, Abrahę, Tobię, etc.

Exempla idolatriæ circa Angelos.

Ob. 2. In primitiua Ecclesia non erat eiusmodi inuocatio: ergo neque nunc est asserenda. Anteced. probatur, nam in nullo canonico libro id legitur.

Ex principio Ecclesię fuit inuocatio Sanctorum.

37 Resp. neg. antec. Nam patuit ex Liturgia Romana, quę vt ex traditione habetur fuit à S. Petro fuit composita. in qua præ alijs habentur ea verba, *Suscipe de ore nostro peccatorum hunc tertium Hymnum, nobis misericordias tuas, & miserationes largius intercessionibus sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, & Beatorum Apostolorum, ac martyrum tuorum, & omnium sanctorum.* In Liturgia Ierosolim., quæ est Beati Iacobi, habetur *commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ gloriosissimæ benedictæ Dominæ nostræ matris Dei semper Virginis Mariæ, & omnium sanctorum, & iustorum, vt precibus, atque intercessionibus eorum omnes misericordiam consequamur.* Et in Liturgia Mediolani, quę à S. Barnaba creditur composita, deinde à Sancto Ambrosio restaurata, habetur oratio illa S. Stephani, qua tota nunc vtitur Ecclesia, *Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias Martyrum in sancti Leuitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue quæsumus, vt is pro nobis intercessor existat, qui etiam, &c.*

Liturgiæ omnes id probant.

Liturg. Mediol à S. Barnaba composita.

38 Ad illud de scripturis canonicis, video sanctos, et ipsummet Apostolum Paulum rogare fratres, vt orent pro se ad Deum, ita *ad Rom. 15. 1. Thessal. 5. fratres orate pro nobis. & ad Hebr. 13.* Si ergo sanctos viuentes orabant, vt pro se orarent, quantò magis illos, qui in cęlis regnabant. Neque enim omnia, quę in suis Liturgijs, et ritibus sancti Apostoli faciebant, nos scimus, de quo sępe dolet *S. Hieron.* Verisimile autem est, vt se Angelis, et alijs iustis, qui se præcesserant pro se, et pro alijs orarent.

Sancti alios Sanctos viuos orabant,

Ob. 3. Si alij sancti inuocantur minuitur Christi obsequium; ipse enim est aduocatus noster apud Patrem, ex *1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud*

*Patrem, Iesum Christum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed pro totius mundi.* Ergo solum Christus inuocandus est, non autem alij.

39 Resp. nego anteced. Nam orationes fidelium, vel diriguntur ad Deum immediatè, vel ad Christum, vel ad Sanctos. Si dicatur primum, nulla fit iniuria Christo; quia ipse nos docuit sæpè, vt quando oramus, dicamus, *Pater noster, qui es in cælis, &c. Matth. 6.* Si secundum, pariter maximum ei præstatur obsequium. Si tertium, minueretur Christi obsequium quando recurreretur ad sanctos, tamquam ad authores gratiarum, ac beneficiorum, aut principales mediatores; non vero si tamquam ad amicos Christi, eiusque caros, vt ab eodem beneficia, quæ petimus, nobis obtineant. Et hinc est, quod Ecclesia orationes omnes, quas ad Deum ipsum dirigit, semper sic concludit, *Per Christum Dominum nostrum*; quia ipse est verus, & vnus in rigore mediator: sancti autem sunt mediatores secundum quid & ad ipsummet Christum, vnde *Augustinus lib. 2. contra Parmen.* ait, *si esset mediator Paulus, essent vtique & cæteri eospostoli eius, & sic multi mediatores essent, nec ipsius Pauli constaret ratio, qua dixerat vnus mediator Dei, & hominum Christus Iesus.* Hæc ergo mediatio sanctis non competit, sed alia valde inferior, de qua loquitur idem *Augustinus ser. 7. de Verb. Apost.* vbi locum ad memoriam sanctorum dicit esse, ad hoc, vt dum fideles recolunt, vbi sint reposita eorum, quos diligunt corpora, eisdem sanctis illos tamquam patronos susceptos apud Dominum adiuuandos, orando commendent. Ad sanctos ergo recurrendum est, non tamquam ad Dominos, & principales beneficiorum authores, sed tamquam ad Dei amicos, quorum præces libenter audit, & quorum meritis mouetur ad exaudiendum viatores.

Omnis oratio, vel immediatè, vel mediatè refertur ad Deum, & sic non fit iniuria Christo.

Sancti sunt mediatores secundum quid.

Ad sanctos recurritur, vt ad Dei amicos.

Ob. 4. Beati non vident, nec audiunt nos; ergo non sunt inuocandi. Frustra enim inuocarentur. Anteced. prob. ex *Isaia 63. Tu es Pater noster, Abraham nescivit nos, & Israel ignorauit nos.* Quod considerans *August. in lib. de cura agenda pro mort. cap. 13.* ait, *Si parentes non interfunt, qui sunt alij mortuorum, qui nouerunt quid agamus, quidue patiamur. Isaias Propheta dicit, Abraham nos nescivit, & Israel non cognouit nos.*

40 Resp. hoc argum. solutum fuisse in *disp. 19. ar. 10.* vbi dictum est beatos in verbo videre orationes nostras, nisi aliquando Deus permittat eos, vel propria, vel Angelorum, vel ipsamet diuina virtute ad nos accedere. Neque mirum, quod Iudæi dolebant se ignorari ab Abraham, & Iacob, quia illi neque in proprio genere ex magna distantia; neque in Verbo, cum adhuc Verbum non viderent, poterant eos cognoscere, & ipsorum indigentias præcipere. Ad locum August. dico, Augustinum non posse sibi contradicere, cum ad sanctos recurrendum dicat, & eos pro nobis orare, vt in sequ. art. dicetur. In citato ergo loco loquitur August. non de beatis, neque de orationibus; sed loquitur de cunctis mortuis, & de omnibus negotijs, contractibus, alijsque mundanis, quæ in hac vita aguntur, & dicit, eos non scire, quæ fiunt. ideo post relata in argumento verba, ait. *Si tanti Patriarchæ, quid erga populum, ex his pro creatum ageretur ignorauerunt, quomodo mortui viuorum rebus, atque actibus cognoscendis adiuuandisque miscentur?* & in *cap. 15.* dicit mortuos de præfatis negotijs, atque factis, ea tantum scire, quæ narrant illi, qui de hac vita decedentes ad eos perguut, & quæ Deus finit eos narrare. Vult ergo docere August. quod propria virtute, neque omnes mortui, neque qui olim erant in Lymbo, neque qui nunc in Purgatorio, neque beati ipsi possunt videre, quæ hic geruntur. Neque ipsimet beati aliqua ex his vident, nisi, quæ ad eorum statum, & beatitudinem spectant; neque absque speciali Dei, vel reuelatione, si ea ostendit in verbo. vel missione ad hæc inferiora, si vult eos in proprio genere illa aspicere.

Ante Christi ascensionem Sancti PP. non videbant illa.

Ob. 5. Si prædicatur inuocatio SS. fideles exponuntur periculo Idolatriæ. Possent enim spem suam in eis finaliter ponere: ergo.

41 Resp. neg. sequelam. Nam eodem contextu Ecclesia docet, eis non esse sacrificandum, sed Deo, ita *Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. & can. 5.* Sed esse tantum inuocandos, vt intercessores apud Deum. Et sicut, cum Apostolus Paulus rogabat fratres, vt pro se orarent, & Populus Hæbreus, Moysem, vt Deum placaret non ponebant spem finalem in eis, tamquam authores gratiarum; ita neque ponunt cæteri viatores, cum sanctos orant. Alioquin intolerabili errore huc vsque laborasset Ecclesia, quæ absque intermissione sanctos inuocauit, & orauit; inuocat, & orat, & inuocandos decernit.

Ex inuocatione SS. nō sequitur periculum idolatriæ.

Quia non ponunt in eis rationē finis.

Sancti in Deo vident orationes nostras.

## ARTICVLVS II.

### *An beati orent pro viatoribus.*

*SCOTVS in 4. sent. dist. 45. quæst. 4. §. De tertio*, docet, beatos mentaliter Deum pro viatoribus, nedum habitualiter id est pro tota Ecclesia, sed etiam actualiter, id est pro particularibus orare. Et hoc iam per Concilia definitum est.

Scoti mens.

Adu.t.

Aliud dubiũ circa communionem Sanctorum.

42 Ado.1. Hoc esse aliud dubium pertinens ad communionem beatorum cum viatoribus. An ipsi, vel auditis nostris precibus, vel non auditis, quia non porrectis, aut quia non perceptis, ex se ipsis absque aliquo stimulo, sed ex sola charitate in Ecclesiam, orent Deum pro illa. Quod quidem dubium eosdem patitur Aduersarios, quos precedens. Et quamuis videatur etiam decisum per decisionem illius, frustra enim ad eos recurreretur, vt pro nobis orarent, nisi essent in statu orandi, adhuc tamen distinctius illud pertractabimus, vt probationes istius confirment precedens.

Beati orant Deum pro viatoribus.

43 Dico ergo 1. Beati orant Deum pro viatoribus. Est de fide.

44 Prob. 1. ex *Baruch. 3. Domine Deus omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum qui peccauerunt ante te.* Ergo mortui electi orant ad Dominum.

Ex script. vet. test.

45 Conf. ex *lib. 2. Macsab. cap. vlt.* vbi in magna illa tribulatione Iudas Maccabæus narrauit fratribus visionem de Onia, & Ieremia orantibus pro Populo Dei. *Vidi Oniam manus protendentem orare pro omni populo Iudaorum.* Et ipsemet Onias de Ieremia, sic allocutus est, *Hic est fratrum amator, & Populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta Ciuitate Hieremias propheta Dei*: ergo.

Ex Apocal.

46 Conf. 2. ex *Apocal. 5.* vbi Ioan. narrat hanc visionem, *Viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, &c.* ergo.

Alia probatio non placet.

47 Probari solet etiam ex *Hier. 15.* vbi iratus Dominus ait, *Si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad Populum istum.* Sed vt verum fatear, non facit ad rem, quia hic est modus loquendi Dei, quasi dicat, sum ita iratus populo huic, vt etiam si starent Moyses, & Samuel coram me orantes pro eo, non exaudirem. Nam Glossa Ord. ait. Nec illos audio, quos propter magnum petitionis suæ meritum, minime contemno. Et confirmat Theodoretus in eum locum, ne putes, quod per sui contemptum supplicationem non susceperim; quia neque his acquieuissem supplicantibus, qui tanta ediderunt miracula. Ergo non est ad rem.

Ex ipsamet Glossa.

Neque alia desumpta ex ep. Petri.

48 Probari solet etiam ex *epist. 2. Petri cap. 1.* imo eo loco vtitur Chrysostomus in præced. ar. adductus, *Dabo operam frequenter habere vos post obitum meum, vt horum omnium memoriam faciatis.* Sed non capio quomodo ex hoc loco deducatur, quod sancti orent pro nobis. Glossa enim Ord. sic locum istum intelligit, *dum viuo, dabo operam frequenter, vt post obitum meum recordemini, vt vitare eos possitis.* Eodem modo eum explicat Lyranus. Ergo non est ad rem.

Ex Concil.

49 Prob. ergo secundo ex Concilijs, & Patribus allatis in præcedenti art. concludunt enim sanctos inuocandos esse, vt orent pro nobis. Et omnium nouissimè *Concil. Trident. sess. 25. in decr. de inuocat. sanct.* quo damnat eos, qui asserunt *sanctos pro nobis non orare.*

Ex art. de comm. SS.

50 Prob. 3. ex art. de communione sanctorum supra allato, vnde Ecclesia in canone eos inuocat, Deumque orat, vt eorum precibus ipsius muniamur auxilio. Præterea Litanijs vtitur, in quibus rogat sanctos, vt pro nobis orent. In maximo autem errore, & frustratorio labore esset, si sancti non orarent. Neque in præfationibus Ecclesia diceret, *cum quibus, & nostras voces, vt admitti iubeas deprecamur, supplici confessione, &c.*

Ex praxi Eccl.

Ex PP. consensu Dionys.

51 Prob. 4. Ex consensu omnium Patrum Ecclesiæ, & sanctorum incipiendo à primis sæculis, & progrediendo vsque ad nostra tempora. *Dion. Areopagita*, qui in primo sæculo vixit *lib. de Eccles. Hier. cap. 7.* ait, itaque scripturæ acquiescens vtiles esse in hac vita dixerim sanctorum preces; & post aliqua. Ad quempiam sanctorum virorum adeat, oretque sibi adiutorem, & precatorem accedere, capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem. Fruetur enim ijs, quæ petijt suauissimis donis suscipiente diuina clementia, &c.

Irenæus.

52 *Irenæus* qui in secundo sæculo floruit, in *lib 5. cap. 19.* ait, Eua seducta est, vt effugeret Deum; Maria suasa est obedire Deo, vt virginis Euæ virgo Maria fieret aduocata.

Cyprianus.

53 *Cyprianus in epist. 57.* ait, *Memores nostri inuicem simus, & si quis istbine nostrum prior diuina dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio; pro fratribus, & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*

Origenes.

54 *Origenes lib. 8. contra Celsum.* Vnus est nobis placandus Deus, & post aliqua. Cum aliquis Deum habet propitium, sequitur, vt amicos habeat omnes eius Angelos, animas, & spiritus, & post alia. Quibus non solum ipsi bene volunt, verum etiam dant operam, vt Deum ei seruire volentibus concilient, & vna nobiscum precantur: & in *Homil. 2. in cant.* ait, omnes sancti, qui de hac vita decesserunt habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo sunt, si dicantur curam gerere salutis eorum, & iuuare eos precibus suis, atque interuentu suo apud Deum, non erit inconueniens, scriptum namque est in Maccabæorum libris, ita, *Hic est Hieremias propheta Domini, qui semper orat pro populo.*

Ambros.

55 *Ambr. in lib. de Viduis.* Considerans factum circa socrum Petri ægrorantem *Luca 4.* pro qua Petrus, et Andreas Christum orantes impetrarunt sanitatem, ait,

Et

*Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos, habes Martyres, &c.* & in *orat. de obitu Valent. Imper.* loquens de Gratiano fratre, ait, *Quas ille nunc manus ad te Pater erigit? quas pro fratre preces fundit? &c.*

Euseb. Cæs. 56 *Euseb. Cæsarien. de Præparat. Euangel. lib.* 12 *cap.* 1. præ cæteris commendat hoc Platonis placitum, Plato aliquantulum progressus, certè inquit defunctorum animæ virtutem quandam habent, qua vel post mortem rebus humanis auxiliantur. Credere autem oportet huiusmodi sermonibus, quoniam à valde Priscis viris traditi sunt. Credendum est etiam illis, qui ita se habere, legibus confirmant; sic certè de Hieremia traditum fuisse Iudæis contendunt, & Maccabæorum liber retulit visum ipsum fuisse post mortem orare pro populo.

Hieron. 57 *Hieron. cap.* 3. *lib. contra Vigilant.* præ alijs dicit, *Tu dicis in libello tuo, quod dum viuimus, mutuo pro nobis orare possumus; post quam autem mortui fuerimus nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres vltionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiuerint. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias, & triumphos?* & alia multa.

Basil. 58 *Basilius Mag. in epist. ad Iulianum Apost.* ait, suscipio sanctos Apostolos, Prophetas, & Martyres, *qui pro me apud Deum supplicant, quo per illorum mediationem propitius sit mihi Deus noster, & remissionem peccatorum mihi gratis largiatur.* & *in Liturgia*, dicit, sanctifica animas nostras, & corpora nostra *intercessionibus sanctæ Dei genitricis, & omnium sanctorum tuorum, quorum postulationibus vinsita nos.*

Augusti. 59 *Augustinus in Psal* 85. ait, Dominus noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis, *omnes martyres, qui cum illo sunt interpellant pro nobis, &c.* & *in ser.* 5 *de SS. Petro, & Paulo*, declarans illud *Act* 5. *ponebant infirmos suos, vt vmbra saltem Petri transeuntis obumbraret eos*, ait. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, *quanto magis nunc plenitudo virtutis. Si tunc supplicantibus proderat aura quadam transeuntis, quantò magis nunc gratia permanentis? &c.* multa. & *tract* 8. *in Ioan* non sic commemoramus sanctos, vt pro eis oremus, *sed magis vt orent ipsi pro nobis, & eorum vestigys adhæremus.*

Greg. Nanz. 60 *Greg. Nanz. in orat. S. Basilij Magni*, quæ est 20. dicit, *At nunc ille in cælis est, illic etiam ni fallor sacrificia pro nobis offerens, & pro populo preces fundens; neque enim ita nos reliquit, vt prorsus nos reliquerit.* Idem ferè dicit *in orat.* 24. *de S. Athanasio.*

Leo Mag. 61 *Leo Mag. ser.* 1. *in Natali SS. Apost. Petri, & Pauli cap.* 7. Sicut nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus, atque confidimus inter omnes labores istius vitæ ad obtinendam misericordiam Dei, *semper nos specialium Patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apostolicis meritis erigamur.* & *serm.* 5. *de Iei. septimi mensis*, de S. Petro, ait, *eius orationibus adiuuandi, vt sanctorum desideriorum consequamur effectum.*

62 *Greg. Nyss. orat in Meletium Episcop.* præ cæteris dicit, ipse facie cum facie collata intercedit apud Deum. Intercedit autem pro nobis, & pro Populi erratis. Idem dicit *in orat.* 1. *in* 40. *Martyres.* Greg. Nyss.

*Greg. Mag. lib.* 7. *epist.* 96. ait. Cui omnipotentem Deum *intercessione B. Petri Apostolorum Principis retributionem citius esse confidimus.* & *in lib.* 9. *epist.* 38. ait. Cuius corpus vos terra cooperuistis, *eius vos intercessio ab omnibus peccatis protegat in cælo.* Greg. Mag.

63 *Theodoretus lib.* 8. *Græcan. affect.* vbi de martyrum corporum veneratione, præ cæteris ait, *Vt Vrbium custodes, & locorum præsides venerantur, quorum precibus, ac interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera consequuntur, &c.* Theodor.

64 *Beda in historia Anglorum lib.* 3. *cap.* 12. ait. Nec mirandum, preces illius Regis iam nunc cum Domino regnantis multum valere apud eum, qui &c. Beda.

65 *Ioann. Damasc. lib.* 4. *orthod. fidei cap.* 16. loquens de miraculis editis per sanctorum reliquias post multa digna eloquia, concludit. *Omnè demum donum optimum à Patre luminum eorum opera ad eos, qui fide minimè dubia postulant, defendit. Quid non laboris suscipias, vt Patronum quendam nancisearis, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur ij honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur, ac Deo, nostri causa supplicant.* Ioa. Damas.

66 *Petrus Dammianus in festo omn. sanct.* ait. Isti sunt sancti aduocati quos apud iudicem habemus, pro quo isti intercesserunt sententiam non timet capitalem. Confugiamus ergo ad probata suffragia, &c. Petrus Dam.

66 *Bernar. ser. in vigil. SS. Petri, & Pauli*; vbi à sancto auxilia obtineri ait, sic, auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viueret misertus est peccatoribus, et orauit pro nobis; nunc tanto amplius, quantò verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem, quia beata illa Patria charitatem eius non immutauit, sed augumentauit. Bernardus.

67 *Magister sent. lib.* 4. *dist.* 45. dicit, intercedunt pro nobis ad Deum sancti, et meritò dum illorum mærita suffragantur nobis, et affectu dum vota nostra cupiunt impleri. Quod tamen non faciunt, nisi Mag. Sent.

in

in voluntate Dei implenda didicerint.

Scholastici omnes.

68 Scolastici omnes *Alensis*, *D. Th.* *D. Bonav.*, *Scotus*, *Albertus Mag.* cæteriq; omnes, siue recentes, siue antiqui; ita quod non noua sit hæc doctrina de intercessione SS. apud Deum, sed antiqua, sicut sancti.

Beati orant etiam pro particularibus personis.

69 Dico 1. Beati non solum orant pro fidelibus, & Ecclesia in communi, & habituali oratione, sed pro aliquo particulari, seu oratione actuali. Id etiam de fide est; eam sub præcisis verbis docet *Scotus loco citato §. De tertio*.

Ex PP. arg. qui pro se præcari rogant.

70 Prob. Patres omnes allati in art. præced. & in concl. superiori, & alij adducendi, non solum docent, pro Ecclesia sanctos orare, sed insinuant pro particularibus personis præces fundere, se enim illis commendant. Nam *Origenes in lament.* inter alia ait, o sancti Dei vos lacrymis & fletu pleno dolore deprecor, vt procidatis eius misericordijs pro me misero. Heu Pater Abraham præcare pro me ne de finibus tuis aliener, &c. ergo.

Basil.

71 *Basilius Mag. Hom. 40. in 40 Mart.* Qui aliqua præmitur angustia, ad hos confugiat, qui rursus lætatur, hos oret hic vt à malis liberetur, illic, vt duret in rebus lætis, hic mulier orans pro filijs auditur, peregrinanti viro reditum incolumen, ægrotanti verò salutem implorat, & *Homil. de Sa Mart Mamante*, quæ est 26. quotquot aberrantes ad viam reduxit, quoscunque sanitati restituit, quibuscunque pueros iam mortuos ad vitam reductos reddidit, quotquot vitæ terminos prorogauit: ergo.

Damasus.

72 *Damasus I.* Papa in orat. pro sancta Agata, & pro S. Agneta se ipsum ijs commendat.

Ephrem.

73 *Ephrem Syrus ser. de Sanctis martyrib.* ait. Nunc igitur beatissimi viri, o gloriosissimi Martyres Dei me miserum vestris iuuate precibus, &c. ergo.

Chrysost.

74 *Chrysost. hom. 26. in 2. ad Cor.* hortatur fideles, vt quisque pro suis necessitatibus ad sanctos recurrat.

Theodor.

75 *Theodor. lib. 8. Græcarum affect.* præ cæteris de intercessione sanctorum, ait. Pie verò, fideliterque precatos, eò maxime consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei dona persoluunt, manifestæ nimirum adepta sanitatis indicia. Nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij porrò manuum simulacra suspendunt ex argento, auroue confecta. Ergo ad particularium etiam necessitates respiciunt sancti.

Hieron.

76 *Hieron.* vt patuit suam senectutem Paulæ iam mortuæ commendat.

Ex praxi Ecclesiæ.

77 Prob. præterea ex Ecclesiæ praxi, & collectis; non enim tantum pro Ecclesiæ communibus necessitatibus ministri, alijque omnes precantur, & Deum, & sanctos, sed pro peculiaribus alicuius indigentijs, siue corporis, siue animæ, pro peculiari negotio peragendo. Et in canonizatorum constitutionibus suaderur fidelibus, vt se sanctis commendent, & in suis quisque necessitatibus ad eos recurrat. Et vnusquisque de se testatur, quod pro se in particulari sanctos deprecetur: & nemo est, qui vel aliqua saltem beneficia suo sancto tutelari accepta non referat.

Ex custodia Angelorum singularium personarum.

78 Prob. vlterius Angeli custodes hominum orationes nostras Deo offerunt, & quilibet pro suo Cliente precatur, vt ex *Tobiæ* 12. *Quando orabas cum lacrymis, & sepelibas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc me misit Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui, &c.* Ergo etiam sancti pro peculiaribus hominibus precantur.

Ex miraculis

79 Prob. vltimo ex miraculis, & gratijs, quæ quotidie sanctorum intercessionibus in singularibus hominibus experimur; ergo orant sancti, & pro tota Ecclesia, & pro singularibus personis.

Arg. contra Ex Chrysost. Validè arg.

Ob. 1. contra vtramque. Patres antiqui sæpe negarunt sanctos pro viatoribus orare, præcæteris autem *Chrysostomus*, qui *in præfat. super Psal. 4. Cum inuocarem, &c.* sic ait, non potes dicere vereor accedere, & orare Deum, sed semper, & assidue eum potes interpellare, & nulla adest difficultas, nec opus est ianitoribus, qui te introducant, non dispensatoribus, non procuratoribus, custodibus, aut amicis, & post. Non ita enim eum per alium placamus orantes, sicut per nos ipsos, quando vident nos hoc per nos ipsos facientes, tunc maximè annuit; ita etiam facit in Chananea, & cum Petrus quidem, & Iacobus accederent, non annuit: cum ea autem permaneret, quod petebatur dedit, hæc *Chrysost.* & plura alia ibi. in *homil.* autem *de Profecta Euangel.* quæ extra numerum ponitur, habet. Cæterum non tibi est opus Patronis apud Deum, neque multo discursu; sed licet solus sis, patronisque careas, & per te ipsum Deum deprecaris, omninò tamen voti compos eris; neque enim tam facilè Deus annuit, cum alij pro nobis orant, vt cum ipsimet oramus; & replicat factum Chananeæ. Ergo inutiliter per eum orantur sancti; & consequenter ipsi pro nobis non orant.

Declaratur doctrina Chrysost. qui consulit, vt quilibet se ipsum Deum oret non tamen damnat inuocationem Sanctorum, dum homines pœnitentiam agunt.

80 Resp. sanctum hunc Doctorem non negare, quod sancti pro nobis orent, sed hortari fideles, vt ipsimet confidenter etiam ad Deum accedant, quia cor contritum, & humiliatum non despicit, sed respicit Deus. Vnde *homil. 5. in Matt.* ait, etiamsi Abraham Patriarcha pro his supplicet, qui in suis vitijs permanendo immedicabiliter ægrotant, abibit Deus relinquens rogantem, ne vocem pro talibus interuenientis exaudiat, & post aliqua. Non igitur quasi desitantes, & desides ex aliorum meritis pendeamus: habent enim vim pro nobis, & quidem maximam orationes supplicationesque

neſque Sanctorum, Sed tunc profecto, cum nos quoque id ipſum per pœnitentiam poſtulamus, &c. & *homil. 43. in Geneſim*, ait, quando quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & accedit interceſſio Sanctorum, plurimum nobis confert; quod ſi ipſi negligentes fuerimus, & ſpem in illis ſolis collocauerimus noſtræ ſalutis, nihil amplius nobis prodeſt. Non quod infirmi ſint iuſti, ſed quia propter noſtram deſidiam, nos ipſos perdimus. & in *hom. 8. in Matt.* Hæc autem dicimus, non vt pro peccatoribus ſupplicandum eſſe Sanctis negemus, ſed ne nos metipſos in otium, ac deſidiam reſoluamus, &c. Ecce quomodo dicit Chryſoſtomus recurrendum ad Sanctos, vt nempe nos quoque cum Minerua, vt dicebat ille, manum admoueamus. Clarè autem, ac perſpicuè Sanctos rogandos eſſe, & eos pro nobis orare, in his met locis, & in alijs ſupra adductis demonſtrat.

Arg. quod Chriſtus ſoluus oret pro nobis.

Ob. 2. ex Scriptura habetur, ſolum Chriſtum, ratione humanitatis pro nobis orare; de eo enim habetur *Rom. 8. 34. Qui eſt ad dexteram Patris; qui etiam interpellat pro nobis.* & *ad Heb 7. 14.* de Chriſto loquens Apoſtolus, inquit, *vnde, & ſaluare in perpetuum poteſt, accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* & 1. *ad Timoth. 2. Vnus eſt mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus nobis.* Ergo ſolus Chriſtus in cælo pro viatoribus mediat, & orat.

Diuerſo modo Chriſtus, & Sancti pro nobis mediant.

81 Reſp. neg. anteced. ad probat. dico, diuerſo modo Chriſtum, & beatos pro viatoribus mediare, atque orare. Chriſtus enim mediat vt Redemptor, Beati verò, vt redempti, & exaltati meritis quidem ſuis, ſed fundatis in meritis Chriſti. Quia ergo ſolus Chriſtus redemit, ſoluſque ſoluit prætium pro omnibus, ſolus mæruit nobis primam gratiam ſacramenta, remiſſionem peccatorum, perſeuerantiæ donum, & auxilia alia ad ſanctè viuendum, quæ quidem omnia mæruit de condigno. Sancti autem non ſic interpellant, neque ſic mediant; ideo *Auguſtin. lib. 2. contra Parmen. cap. 8.* ait. *Si eſſet mediator Paulus, eſſent vtique, & cæteri tanquam membra eius, & ſic multi mediatores eſſent, nec ipſius Pauli conſtaret ratio qua dixerat vnus mediator Dei, & hominum.* At non repugnat, quin alij præter Chriſtum dicantur mediatores, ſeu interceſſores alio modo, nempè, vt de congruo (ait *Scotus in 4. diſt. 45. quæſt. 4.* in fine) applicantes ſuas præces, ac merita pro viatoribus, eos orantibus. Nam hoc modo etiam Moyſes *Deuter. 5.* fuit mediator, ait enim *ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.* & Elias fuit interpellator ad Deum pro populo *Rom. 11. 2. An neſcitis quid dicit Scriptura, in Elia, quemadmodum interpellat Deum pro Iſrael*, & ideo SS. Patres, vt *Cyrillus in lib. 12. Theſauri cap. 10. S. Gregor. Nanz. in orat. Ad Greg. Nyſ.* Et alij quos ſupra retulimus, Martyres, & ſanctos Prophetas appellant mediatores. Et Eccleſia in ſuis rogationibus vocat interceſſores omnes ſanctos, et ſanctæ Dei intercedite pro nobis. Ipſi enim ſuas præces fundunt, et ſua merita Chriſti meritis innixa applicant pro nobis tamquam congruas diſpoſitiones ad obtinendum, quod precantur. Differentia autem mediationis in efficacia, ex effectibus patet. Nam Chriſtus ſemper exauditur, quia *Ioann. 11.* in reſuſcitatione Lazari ait; *Pater gratias tibi ago, quoniam audiſti me. Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* et *Heb. 5. 7. Et exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Non ſic ſancti, et Angeli, non enim ſemper exaudiuntur.

Sancti ſunt mediatores ſecundum quid, & apud Chriſtum.

Chriſtus eſt mediator ſimpliciter.

Chriſtus ſemper exauditur, non ſic Sancti.

Ob. 3. Fruſtra orarent ſancti: ergo. Anteced. prob. Vel enim ſciunt Deum exauditurum, vel non. ſi ſic, ad quid orant. Si non, neque orant; quia Dei voluntati ſe opponerent. Scirent enim eum nolle exaudire, & conſequenter nolle orari: ergo.

Arg. difficile.

82 Reſp. ex *Scoto in 4. diſt. 45. quæſt. 4. G.* Non eſſe neceſſarium, vt beati ſciant, an Deus exaudiet, nec ne; an ſui clientes ſaluandi ſint, vel exaudiendi. Et eſto Deus reuelaret eſſe exaudiendos, non proinde fruſtra orarent, quia ſicut vult Deus aliquem effectuè efficaciter, ita vult determinata media ad eum, verbi gratia, exauditionem viatoris per orationem S. Petri, &c. Si vero reuelaret nolle ſe exaudire, S. Petrus non oraret. Si tandem neutrum reuelaret S. Petrus eſſet mediator in orando, expectans, vt obtineat optatum effectum cum perfecta conformitate ad Dei voluntatem, vt exaudiat, vel non exaudiat, ſicut fuerit ei placitum.

Etiá ſi ſciant ſe non exaudiendos adhuc orant.

Sed neſciunt an exaudiendi ſint.

Ob. 4. Beati non ſunt in ſtatu mærendi, quia iam ſunt in termino. ergo non poſſunt orare. Oratio enim vt ſit fructuoſa, debet fieri a perſona potente mereri. Imò ideo peccatores non exauditur, *ex Ioan. 9.* quia mereri non poſſunt.

Oratio eſt meritum.

83 Reſp. conceſſo anteced. neg. conſequ. ad probat. Reſpondet *Scotus ſub K.* quod oratio in via eſt meritoria, immò maximum meritum reſpectu orantis, vnde ait Saluator *Matthei 11. quidquid orantes petitis, accipietis, & fiet vobis.* Præterea, eſt meritoria etiam pro eo ad quem dirigitur; ideo *Iacobi cap. 5.* habetur, *orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et adducit exemplum Scotus de humanis politijs, in quibus Princeps aliquid confert alteri ad interceſſionem alicuius cari, & maximè accepti, etiamſi ille, pro quo intercedit non ſit dignus. Hoc prorſus modo Beati ſe habent: licet enim ipſi non poſſint pro ſe aliquid aliud mereri, ſunt tamen Deo adeo grati, & accepti, vt eorum orationes ad aliorum beneficium directas, Deus exaudiat. Et ſic oratio eius eſt alteri meritum de congruo,

Exemplum in humanis, quomodo Sancti intercedunt.

gruo, vt obtineat quod petit.

Ob. 5. Si sancti orarent pro nobis, semper orarent pro omnibus, quia omnes diligunt, et non est apud eos personarum acceptio. Sed non orant pro omnibus, nec semper: quia neque omnes ad eos dirigunt orationes; neque omnes obtinent, quæ orant. Ergo signum est, eos non orare.

Beati habitualiter orát pro omnibus semper.

84 Resp. Sanctos habitualiter orare pro omnibus, vt inquit Scotus, quia pro Ecclesia semper orant, vt docet Cyprianus sermone de immortalitate, dicens *sancti de sua immortalitate securi, & de nostra incolumitate solliciti*. Oratione autem actuali, seu speciali orant, et pro amicis, et caris, nec non pro ijs, qui eos inuocant. Quod autem viatores precibus sanctorum non semper obtineant, quod petunt; id prouenit ex eo, quod non petunt in nomine Christi, id est quod ad salutem facit, ait enim *Quidquid petieris Patrem in nomine meo dabit vobis, Ioan. 16.* vel quod malè petant, vt dicit *Iacobus cap. 4. Petitis, & non accipitis, eo quid male petatis*. Vel quod non est iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ, quæ statuit aliquos rerum ordines, in quibus aliquos exaudiri non expedit.

Quare non semper obtinetur quod petitur.

Ob. 6. Sancti sunt valde à viatoribus distantes, ideoque non possunt eorum necessitates percipere; ac proinde, neque pro eis orare: In vanum enim laborarent, si nescirent quid, et pro quibus peterent: ergo.

Licet distantes sint vident in Deo orationes viatorum, vel Deus permittit ad nos accedere.

85 Resp. neg. consequ. Esto enim distantissimi sint, vident in verbo orationes fidelium, quas eis Deus manifestat, vt diximus in *disp. 19. ar. 10.* vel vident etiam eas in proprio genere si Deus permittit eos ad viatores accedere, vel hos ad beatos sua mirabili potentia appropinquare, quod non improbabile, esto dubium reliquerit S. Augustinus, vt in seqq de apparitionibus sanctorum dicetur. Si enim nostras miserias non viderent sancti, et petitiones pro his ad eos directas non audirent, vel in Deo non viderent, deluſa, et deludens esset Ecclesia, quæ tota est in orationibus sanctorum, Rogationibus, ac Litanijs, in quibus sanctiomnes rogantur, quod nedum hæreticum, sed et impium est.

Arg. ex negatiuis declarans script.

Ob. 7. Ex scripturis siue noui, siue veteris testamenti non habetur sanctos pro viatoribus orare. Ergo non est ita facile asserenda hæc doctrina. Consequ. prob. Supernaturalia, et quæ ad aliam vitam spectant non possunt, nisi per reuelationem Dei innotescere. Anteced. prob. Quia nullus adducitur scripturæ clarus locus, qui enim adducuntur in principio sub *num. 44. & 45.* facile soluuntur, nam locus ex Maccabæis non est textus assertio. Sed textus dicit solum, quod Iudas Maccabæus in in somnio vidit Oniam, et Hieremiam orantes pro populo sancto Dei. Potuit autem Iudas decipi ac illudi. Secundo, potuit æquiuocè loqui; optans enim, vt populus fortiter dimicaret, eum hortatur, et consolatur visione illa, quæ quidem æquiuoca potuit esse, quod Onias, et Hieremias orarent, id est, quod ea fuerant merita Oniæ, et Ieremiæ cum in terris erant, vt Deus eorum intuitu robur, ac victoriam Iudæis, tunc certaturis promitteret. Ille alius locus *Apocal. 5.* intelligitur allegoricè de sanctis Ecclesiæ militantis. Alia autem clara loca scripturæ non suppetunt. Ergo non est gratis firmanda sanctorum oratio pro viatoribus.

Loca script. de orationibus Sanctorum Eccle. sic intelligit literaliter.

86 Resp. neg. anteced. ad probat. dico, quod posset vtique proteruus aliquis loca illa sic intelligere, Ecclesia tamen Catholica non sic intelligit, sed in proprio, ac literali sensu, vt in pluribus allatis Concilijs definitum est. Neque id in Ecclesia nouum est, cum ab initio, vt ex ipsius traditionibus, Patrum vtriusque Ecclesiæ Orientalis, ac Occidentalis doctrina et Patriarcharum, et Episcoporum omnium, et cunctorum maximè Romani Pontificis, atque Ecclesiæ praxi sancti inuocentur, vt pro nobis apud Deum intercedant. Imò, et ipse Deus oretur, vt sanctos eo fruentes pro nobis intercedere permittat. Et væ nobis nisi sanctorum, et potissimæ B. Virginis auxilio, ac intercessionibus muniremur.

## ARTICVLVS III.

### *An Beati, vel alij defuncti appareant viatoribus, & quomodo.*

Scotus non agit de his.

SCOTVS de hoc puncto non loquitur; quia, forte, speculabile non est: ideo sacræ Scripturæ, & Patrum doctrinis innixi, illud explicabimus.

Multa dubia soluenda.

87 Adu. 1. Sensum quæstioni clarum esse; an animæ defunctorum, & præsertim beatorum appareant viatoribus in eorum beneficium, vt aliquid eis reuelent, vel ex alio fine. Et circa hoc parua est difficultas: sed maior est de modo. Et primum dubium est, an ipsemet animæ ad eum, cui apparent deferatur, an istæ ad eam in loco aliquo superiori, vel inferiori, à Deo, vel Angelis transferatur. Secundum dubium est, an appareat secundum esse spirituale, vel secundum esse corporeum; & si sic, an tale esse corporeum sit phantasticum, & apparens, an verò reale. Et si reale an proprium eius corpus resurgat; an aliquod aliud simile à Deo formetur, & ex qua materia.

Primus qui negauit Sanctorum apparitiones.

88 Adu. 2. Paucos ex antiquis, hæreticos negasse defunctorum apparentias. Pri-

mus, qui legatur est Vigilantius monachus, vt habet *S. Hieron. lib. contra Vigil. cap. 2.* Eum nuperrimè sequutus est Lutherus in *Euangel. de diuite, & Lazaro, & in lib. de abroganda Missa*, quibus in locis dicit, quidquid de spirituum apparentia dicitur, esse satanæ inuentionem; quia quæ in cælis sunt animæ, descendere non possunt; & quæ in inferno sunt, liberari nequeunt.

Ctorum apparétias fuit Vigilantius.

89 Adu. 3. Maiorem difficultatem esse de modo apparendi. Num scilicet sancti in anima tantum, vel in corpore etiam appareant. Etsi externis sensibus; an solis internis. Si in somno aut vigilia; quæ quidem infra discutientur. Hic ergo solum de ipsamet apparentia loquemur. Postea de modo, Ideo

Alia grauio ra dubia,

90 Dico 1. Animæ Beatorum, & aliorum, cum Deo placet, apparent viatoribus. Est de fide.

Animæ defunctorum cum Deo placet apparent,

91 Prob. 1. ex 2. *Macab.* 15. *Vidit Iudas Oniam per somnium manuiprotendentem, &c. Post hoc apparuit alius mir etate, & gloria mirabilis, respondens verò Onias dixit, hic est frater amator, & Populi Israel, Ieremias propheta Dei.* Ergo defuncti apparent.

Script. vet. testi.

92 Probari solet 3. ex 1. *Reg cap.* 28. & *Ecclesiastici* 46. quibus in locis refertur, quod Samuel apparuit Sauli, per artem Pythonissæ, nempe magicam. Sed de hac apparentia erit specialis dubitatio.

Ex facto Samuelis, sed authori non placet,

93 Prob 4. ex *Matt.* 17. & *Luca* 10. in Christi transfiguratione, *apparuerunt Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Licet autem Elias in corpore adhuc viuat, Moyses tamen mortuus est.

94 Prob 5. ex *Matt.* 27. In Christi morte, *multi mortui exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.*

95 Prob. 6. Ex historijs Ecclesiasticis narrantibus diuersas sanctorum apparitiones. De Paulo Apostolo refert S. Linus de passione Pauli hoc modo. Paulus iam occisus venit circa horam nonam ianuis clausis, stetitque ante Cæsarem, & ait, o Nero ecce ego Paulus Regis æterni, & inuicti miles, vel nunc crede miser, quia non sum mortuus, sed viuo Deo meo, & hæc dicens repente disparuit. Refert postea aliam Pauli apparitionem Longino Magistro, & Acetio.

Ex historijs Ecclesiast.

Pauli apparitio facta Neroni, & alijs,

96 Petrus simul cum Paulo apparuerunt Constantino, vt solemnis historia narrat in vita Syluestri, quæ ait, Imperatori cum lepræ curandæ causa sibi ex infantium sanguine balneum parari iussisset, sancti Apostoli Petrus, & Paulus in quiete apparuerunt, &c. Et alias eorum omitto apparitiones.

Petrus, & Paulus Constantino, & alijs.

97 Agnes Virgo, & Martyr teste *Ambr. ser.* 90. de ea sancta, cum plurimis alijs, apparet parentibus, qui dum ad tumulum eius vigilarent, vident in medio noctis silentio exercitum Virginum, inter quas vident Beatissimam Agnetem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius Agnum niue candidiorem: & post aliqua; ad eos sic alloquitur. *Nemo quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi.* Iterum apparuit Constantiæ Constantini filiæ, ex eodem *Ambros. ibid. Qua per visum vidit beatissimam Agnetem talia sibi merita præferentem, &c.*

Agnes Parétibus cum alijs apparet recitata,

Deinde Cõstantiæ.

99 Agata V. & M. apparuit Sanctæ Luciæ, ad eius sepulchrum pro matris sanitate oranti, vt ex Luciæ historia est manifestum. Ipsi vero Agatæ in carcere apparuit Sanctus Petrus, vt ex Agatæ habetur historia.

Agata, Luciæ

100 Potamiena V. & M. apparuit Basilidi Martyri, eique coronam promisisse, refert *Euseb. Cæsarien. lib. 8. Eccles. hist. cap. 4.*

Potamiena Basilidi.

101 Gamaliel apparuit Luciano Hierosolymit. Presbytero, eique significauit, vbi eius, & Stephani corpus requiesceret, & imperauit, vt adiret Eliam Hierosol. Episc. eique nunciaret, vt illa de eo loco acciperet, &c. ita historia Eccl. de Inuent. & reuelat. S. Stephani.

Stephanus Luciano.

102 Theodorus Martyr in vigilia apparuit Constantinopolit. Patriarchæ, vt refert *Nectarius cap. 7. de S. Theodoro*; eique statum Ecclesiæ, & perditionem animarum illius regiæ Ciuitatis significauit.

Theodorus Ep. Constan.

103 B. Virgo, & Ioannes Euangelista simul apparuerunt Gregorio Thaumaturgo cupienti quarundam difficultatum solutiones addiscere, & voti compos factus est per eorum dialogum, quo clare, & distincte omnes declararunt. Ita *S. Gregor. Nyssenus, de Greg. Thaumaturg. cap. 7.*

B. Virgo, & Io. Euang. Greg. Thaumaturg.

104 Nicolaus Miræ Episcopus sæpe apparuit, sed præsertim Diacono cuidam Theodori Miræ pariter Episcopi, vt ipsemet refert in septima Synodo, id est *Nicæna secunda, act. 4.*

Nicolaus.

105 Fœlix Nolanus Episcopus apparuit Paulino, vt ipse met refert *ser. 8. de S. Fœlice*, & ne dum ei, sed & alijs multis fuit conspicuus, ita ex eodem. quod pariter testatur *Augustinus libro de cura pro mort. cap. 16.*

Fœlix Nol.

106 Cæsarius sæpe apparuit Gregorio Nanzianzeno, vt ipsemet testatur in *orat. 10. de S. Cæsario.*

Cæsarius.

107 Philippus, & Ioannes Apostoli apparuerunt Theodosio Imperatori eique suaserunt, vt milites hortaretur ad prælium, & certum de Victoria rediderunt, quam visionem militibus publicè narrauit, & rei euentus visionis veritatem comprobauit, ita refert *Theodoretus lib. 5. Eccles. histor. cap. 24.*

Philippus, & Ioannes.

108 Quadraginta Martyres Sebaste occisi, Pulcheriæ Imperatoris sorori, apparuerunt, ex *Sozomeno lib. 7. cap. 28.*

40. Martyres

Petrus Apostolus sæpe apparuit, sed ex

Petrus Ap. Leoni I.

*Baron. t. 6. ann. 449.* apparuit S. Leoni Papæ I. hic enim cum in controuersia erroris Eutychetis, & Dioscori scripsisset epistolam ad Flauianum Archiep. Constantinopol. humillimè petijt, & rogauit S. Petrum, vt si quid minus cautè in ea epistola scripsisset emendaret; quam propterea posuit in sepulchro Sancti Petri, & post dies 40. apparens ei Petrus, dixit, legi, & emendaui; ideoque accipiens eam de sepulchro aperuit, legit, inuenitque emendatam.

Leo ipse.

109 Leo I. apparuit S. Eulogio, & Theodoro Dornæ in Lybia Episcopo, & Eulogio gratias egit, quod pro epistola sua ad Flauianum pro fidei defensione optime responderat; ita refert *Sophron. in pract. Spir. cap. 148.*

Ianuarius.

110 Ianuarius Martyr, cum alijs, in obsidione Neapoli per Robertum Guiscardum Northmandorum Principem apparuerit armatus; ita ex *Leone Ostiensi lib. 3. cap. 44.* & refert *Baron t. 11. anno 1074.*

B. Virgo Damasc.

111 B. Virgo innumeris apparuit, sed illa insignis fuit apparitio facta Ioanni Damasceno, cui per insidias, & imposituram Leonis Imperatoris, fuit ei amputata dextera manus per Principem Saracenorum, cuius erat consiliarius. Is enim deuotus imaginum cultor commendat se humillimè Beatæ Virgini, quæ apparens, manum restituit, vt refert *Baron. an 728. t. 9.*

Alij libri legendi pro eiusmodi.

112 Et nullus esset dicendi finis, si omnes Sanctorum apparitiones adducere hic vellemus, sufficiat has paucas adduxisse. Legatur *Gregor. Mag. lib. 3. Dial. à cap. 24.* & deinceps. Legatur Surius, Sophronius, Baronij Martyrologium, & Sanctorum Vitæ.

Arg. ex Hieron.

113 Prob. 6. ratione *Hieron. lib. contra Vigil. cap. 2. Ais, vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij animas Apostolorum, & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & vbi voluerint adesse præsentes:* & post aliqua. *Tu Deo leges ponis? tu Apostolis vincula injicis, vt vsque in diem iudicij tententur custodiæ, ne sint cum Domino suo, de quibus scriptum est sequuntur agnum quocunque vadit. Si agnus vbique est, ergo & hi qui cum agno sunt, vbique esse credendi sunt. Et cum diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia, vbique præsentes sint, Martyres post sanguinis sui effusionem, arca operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* Ratio ergo Hieronymi in paritate Angelorum, seu dæmonum, & in non repugnantia fundata est.

Arg. ex Aug.

114 Prob. 7. ex *S. August. lib. de cura pro mortuis geren.* vbi cum per tria capita 13. 14. & 15. constanter docuisset, quod animæ defunctorum non se immiscent in nostris negotijs huius sæculi; in *cap. 16.* docet, quomodo sciant aliqua de his, quæ hic geruntur, & tandem ait, *Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, sicut è contrario Paulus ex viuis in Paradisum raptus est, diuina scriptura testatur,* & adducit factum Samuelis, qui Saul apparuit; sed de hoc postea, idem dicit *cap. 17.* vt infra in solut. argum. & in *lib. de cognit. vera vitæ cap. 40.* docet, quale sit corpus illud, quod animæ assumunt, dum viatoribus apparent. Idem Aug.

Ex Scholasticis.

115 Prob. 8. ex omnibus Scholasticis, vt *S. Thoma in 1. par. quæst. 89. ar. 8. & in 4. sent. dist. 45. quæst. 1. art. 1. D. Bonau. in 4. sent. dist. 45. quæst. 3.* & alijs omnibus nemine excepto, qui ex Augustino id didicerunt.

Ex paritate apparitionú Angelorú, & dæmonú.

116 Probari tandem potest à pari. Angeli, & dæmones sæpe apparuerunt, & apparent hominibus, Deo id permittente; ergo poterunt apparere etiam animæ. Consequ. prob. non enim est maior ratio. Anteced. prob. Toties in scriptura id habetur, in nouo enim testamento.

Gabriel,

117 Gabriel Archangelus apparuit B. Mariæ *Luc. 1.* & cum ea prolixè est colloquutus. In Natiuitate Christi Angelus apparuit Pastoribus. Apparuerat etiam Zachariæ Patri Baptistæ *Luc. 1.* Apparuit Ioseph in somnis præcipiens, vt tolleret puerum, & matrem eius, & fugeret in Ægyptum *Matth. 2.* iterumque defuncto Herode apparuit eidem, dicens, *surge accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel, &c.* & in ascensione Christi in cælum, *apparuerunt duo viri, qui astiterunt iuxta discipulos, dicentes, Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum, &c.* ex testamento veteri pariter constat Abrahæ, Iacob, Tobiæ, &c. Angelos in humana forma apparuisse: ergo. Alijs Sanctis, ac pijs viris etiam apparuerunt, vt Angelus Sancto Patri Francisco, & Sanctæ Franciscæ Romanæ, &c. alijs; diabolus S. Martino, S. Francisco, & alijs innumeris veteris, & noui testamenti: ergo.

Id tandem habetur in *cap. Fatendum est 13. quæst. 2.* quod desumitur ex *Aug. lib. de cur. pro mor. g. r. cap. 15.*

Arg. contr.

Ob. 1. Animæ defunctorum sunt in termino viæ. Ergo non sunt amplius mobiles de loco suo. Consequ. probatur. Hoc importat status termini.

Status termini non omnicit quin appareant.

118 Resp. neg. consequ ad probat. nego anteced. Nam status termini importat finem circa meritа, vel demerita. Non autem circa motum; alioquin sequitur, quod dum animæ post resurrectionem erunt coniunctæ corporibus non poterunt se mouere, neque ad terras descendere. Quod diximus in suo loco esse falsum. Verum quidem est, quod neque quando eis placet, sed quando Deus disponit ad nos mittuntur.

Ob. 2. *S. August. lib. de cura pro mort. &c. cap. 13.* hoc habet pro inconuenienti, sic autem ait, *Si rebus viuentibus interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos quando eas videmus, alloquerentur in somnis; vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte*

*differret, quæ terra, maria que secuta est, vt mecum viueret:* ergo.

S. Aug. dicit sanctos non se immiscere nostris negotijs.

119 Resp. dist. anteced. Habet pro inconueniens, quod nos docemus de aliqua apparitione, nego; quia in *cap.* 16. docet ad nos mitti aliquos ex mortuis, & maximè id dicit de Samuele, qui Sauli apparuit. Habet pro inconueniente, quod alij putabant, nempe animas defunctorum adhuc in mundo nobiscum esse, & in nostris negotijs se immiscere, concedo. Hoc autem est, quod impugnat ibi Augustinus dicens. *Sed profectò quod Psalmus 26. personat verum est, Pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos parentes nostri quomodo nostris curis, & rebus interfunt? Si antè parentes non interfunt, qui sunt alij mortuorum qui nouerunt quid agamus, quidue patiamur?* & post multa in fine eius capitis concludit. *Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, vbi non vident quæcunque aguntur, aut eueniunt in ista vita hominum, quomodo ergo vident tumulos suos, aut corpora sua, vtrum obiecta iacent, an sepulta? quomodo interfunt miseriæ viuorum, cum vel sua ipsi mala patiantur, si talia merita contraxerunt, vel in pace requiescant, &c.* Igitur de casu nostro hic non loquitur *Augustinus*; sed de eo loquitur in *cap.* 16. vbi docet, quod dicimus, apparere scilicet quando à Deo mittuntur, idemque docet *in lib. de cognit. vitæ c.* 40.

Sed docet apparere.

Ob. 3. *August. in eod. libro de Cura pro mort. cap.* 17. & 18. pro maximo dubio habet, an dum aliquis apparitionem habet alicuius sancti, reuera appareat illi sanctus, an aliquod phantasma in somno, vel vigilia videat; & dum putat eum sibi loqui, re vera non loquatur, sed Deus reuelet, quod videtur sibi à sancto audire. Ergo per eum non videntur tales apparitiones admittendæ.

Aug. multa de mortuis docet, sed præ cæteris, quod aliquando appareant.

120 Resp. neg. anteced. *August.* enim plura ibi docet. Primo, quod mortui non se immiscent in negotijs huius mundi, & id dicit in *cap.* 13. Secundo dicit, defunctos scire aliqua de his, quæ in mundo aguntur, & id docet in *cap.* 14. Tertio dicit eos scire, quæ Deus permittit eisdem narrari, vel ab Angelis, vel ab alijs, qui moriuntur, & ad eos accedunt. Et hoc in *cap.* 15. In eodem pariter capite, docet quod aliquis ex defunctis apparet viuentibus, immo docet, Samuelem apparuisse Sauli, & futura ei prædixisse (quod quidem vt idem notat) multi negant. in *cap.* autem 16. docet, hoc non esse commune, & liberum omni mortuo, vt appareat, quando vult sed cum Deus vult, vtens hoc exemplo, *Nec quoniam Lazarus resurrexit, mortuus omniquando vult resurgit, aut eo modo exanimis à viuente. quomodo à vigilante dormiens excitatur:* & post aliqua. *Non igitur ideo putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam saluandis, nec saluandis martyres adsunt, sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interfunt; quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Sed postea mouet dubium difficile, quomodo possint sancti martyres in pluribus locis distantibus adesse, vt iuuent eos, à quibus inuocantur, an ipsimet per se ipsos adsint immediatè in illis locis; an vero Deus ad eorum intuitum, & meritum iuuet supplicantes simul in diuersis locis. Et dicit. *Res hæc aliter est quam, vt à me possit attingi, & abstrusior quam, vt à me valeat perscrutari, & ideo quid horum duorum sit, an vero fortassis vtrumque sit, vt &c. definire non audeo. Mallem à sentientibus ista perquirere, neque enim nemo est, qui hæc sciat, nisi qui sibi scire videatur. & nesciat, dona enim Dei sunt.* Imo in *cap.* 15. narrans apparitionem Ioannis cuiusdam monachi factam mulieri religiosissimæ cupienti eum videre; ait quæsissem ab ea, an monachus ille seu eius spiritus ad eam fœminam veniisset in somnis, id est, eius spiritus in forma corporis sui, sicut nos ipsos in effigie corporis somniamus, an ipsa aliud agente, seu somniante aliud, si dormiebat, siue per Angelum, siue quocunque alio modo in mulieris somnio talis facta sit visio. (Sunt verba Augustini), & post multa, concludit, se id nescire, sed eos tantum qui donum hoc Dei habent id scire.

Quid do Deus vult apparent mortui

Dubitat August. & dicit nescire, an in eo qui apparet vt Angelus, vel anima, qui alterutrum esse potest.

Ob 4. Si apparerent, vel hoc accideret in spiritu, quod scilicet anima tantum appareret, vt spiritualis: vel per phantasma, sicut apparent in somnis multa, quæ in re non sunt vel in corpore reali, & subsistente. Nullum horum dici potest. Non primum, quia anima coniuncta non potest videre spiritualia, cum intelligat per phantasmata. Non secundum, quia sic illuderentur illi, quibus fit apparitio, cum apparentibus non competerent verè, & realiter ea, quæ facerent, vt motus locutiones, &c. sed omnia essent apparentia ficta. Neque tertium; quia si in corpore, vel resurgeret corpus, vel fieret aliud corpus de nouo. Si primum esset duplex, vel triplex miraculum, resurrectio, apparitio, & delatio. Secundum, quia pluribus apparens in locis distantibus replicari deberet corpus in diuersis locis; quæ omnia absurda. Ergo sunt omninò negandæ sunt eiusmodi apparitiones.

Apparitiones aliquando fiunt per vera corpora, aliquando per imagines corporeum.

121 Resp. ex sequ. art. Apparentiam realem non fieri per phantasma, quia hæc visio esset in spiritu, sicuti vident extatici, & dormientes. Neque esse per simplicem spiritum, seu animam immediatè; quia in hoc essent necessaria plura miracula, & præsertim, vt anima cognosceret spiritum absque vlla dependentia à phantasmatibus. Sed dicimus, quod quando Sanctus aliquis ap-

apparet, hoc fit per eius animam in proprio corpore existentem, vel in alio ex aere formato; æquè enim Deo vtrumque est possibile, vt ex seq. are dicetur. Licet aliquando apparitio possit etiam accidere in solo spiritu, id est nullo existente corpore extra, sed apparente imagine, vel similitudine in phantasia. quæ ex sequentibus constabunt.

## ARTICVLVS IV.

### *Quot, & quibus modis Sancti, vel alij apparent viatoribus.*

Circa modū apparendi plura discutienda sunt.

122 ADu. 1. Quod licet communiter doceant omnes, ex Dei permissu, sanctos, aliosquè defunctos apparere viatoribus; maior tamen restat explicanda difficultas, de modo scilicet. Plura ergo sunt hic videnda. Primo, si anima sola appareat, vel apparere possit in se, & immediatè intellectui viatoris. Secundo, an apparente aliquo defuncto, semper cum corpore appareat, & quale sit illud corpus; num illud, quod dimisit in morte, an aliud simile illi, & ex qua materia factum, an extrinsecè tantum habens formam corporis; an etiam intrinsecè. Tertio, an apparitio esse possit in specie aliqua, seu imagine siue intellectuali sola, siue etiam sensibili in sensu communi recepta. Quarto, quomodo fiunt apparitiones in dormientibus. Quinto, quomodo in extaticis, & propheris, qui externè nil vident, & tamen internè innumera vident.

Omnes apparendi modi enunciantur.

123 Adu. 2. ex *August. lib. de cura pro mort. ger. c. 16. & 17.* quod quando fit apparitio alicuius Sancti in corpore reali, & visibili oculis corporeis, tripliciter potest accidere; vel enim ipsa met anima est in eo corpore, in quo loquitur, aut alios motus exercet; vel aliquis Angelus talia opera in illo facit, vel Deus ipse immediatè talia opera facit. Et postea maxima cum humilitate protestatur, se nescire, quonam horum modorum fiat; & quod hoc scire pertinet ad gratiam, quæ dicitur spirituum discretio. His positis de singulis singillatim loquemur.

Quando fit in corpore reali adhuc tripliciter accidit.



### §. 1.

### *An anima alicuius Sancti immediatè appareat viatoribus.*

124 ADu. quæst. esse posse de possibili, & de facto, vtrumque inquiritur. Et licet de facto, & via communi animæ coniuncta corpori, non cognoscat, nisi mediante phantasmate; tamen nulla est repugnantia, quin immediatè essentiam rei spiritualis agnoscat.

Duo dubia soluuntur.

125 Dico ergo. Possibile est per absolutam Dei potentiam, vt anima alicuius, siue beati, siue alterius immediatè appareat alicui viatori; & ab hoc videatur intellectualiter. Regulariter tamen id non accidit.

Possibile est animam immediate apparere, sed non ita fit.

126 Prob. 1. pars. ex *Apocal 6. 9. Et vidi animas interfectorum propter Verbum Dei.* Neque nomine animæ intelligi possunt personæ, sicut regulariter in scriptura accipi solet anima, vt *Exodi 1. Animæ quæ egressæ sunt de femore Iacob, &c.* quia eos nominat cum dicit interfectorum, impropria autem esset locutio dicere, vidi interfectos interfectorum. Ergo, cum possibilis sit visio intellectualis, ne dum animæ, sed Angeli; & Ioannes vt dicam postea, omnia, quæ in Apocalypsi vidit, spiritualiter viderit, et intellectualiter, ex *Aug. lib 12. Gen. ad lit. cap. 12.* in fine; accidere etiam potuit, vt ipsas animas intellectualiter viderit.

1. pars. Ex script.

127 Prob. 2. à pari, ex 2. *Cor. 12.* vbi Apostolus narrat se vidisse, & audisse arcana, quod non nisi intellectualiter potuit accedere. Veniam ad visiones, & reuelationes Domini. *Scio hominem in Christo ante annos 14. siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit raptum huiusmodi, vsque ad tertium cælum;* & postea. *Et vidi, & audiui arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ergo anima Pauli potuit immediatè videre illa spiritualia; et hæc immediatè ei potuerunt apparere. Euidens est consequ. Nam Paulus duo se vidisse dicit, scio hominem in Christo, hæc est quidem visio spiritualis, seu intellectualis, sed rei corporalis, quia Christus homo Deus, est corporeus. Secundò vidit, et audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hæc visio fuit intellectualis, et de re intelligibili, seu sola mente perceptibili. Imò ex hoc deducunt, tam *August. lib. 12. de Gen. ad literam c. 28. & D. Thomas, Scotus*, imò et omnes fere Scholastici, vt notauimus in *disp. 14. ar. vlt.* (licet huic sententiæ non firmiter assentiā) deducunt, Paulum vidisse essentiam Dei, vt est in se. Igitur aliquod spirituale potest

A pari rg. de visione Dei.

Paulus vidit intellectualiter Deum.

ap-

apparere intellectualiter, et sic videri à viatore. Ergo etiam anima alicuius defuncti, Deo volente, potest apparere immediatè alicui viatori, et ab hoc intellectualiter tantum videri.

Arg. ex Gl. interl.

128 Conf ex Glossa Interl. in *cit. locum* 2. *Cor.* 2. Ver. *Deus scit*, il primo, dicente; *ostendit Deus vitam in qua videndus est in æternum*. Ergo spirituale immediatè apparere potest viatori spiritualiter, seu intellectualiter tantum videnti; non enim posset aliter spiritum videre.

Ex Gl. Ord.

129 Conf. 2. ex Glossa Ord ibid. vbi ex *August.* declarans, tres cælos significare tria visionum genera, dicit. *Tertium cælum est intellectualis visio, quando nec corpora, nec imagines eorum videntur, sed incorporeis subtilissimi intuitus mentis mira Dei potentia figitur, ad hanc raptus est Apostolus, vt ipsum Deum in se, non in figura aliqua videret*; & paulo post. *Tunc apostolus non vixit, vt homo, id est secundum vsum sensuum corporis, sed ablatus est omnis sensus hominis*. Igitur viator potest videre merè spiritualiter obiectum aliquod spirituale, & hoc ei immediatè apparere. Et sic anima alicuius sancti poterit viatori apparere, & ab hoc videri.

Ex dicta Moysi.

130 Prob. 2. ex *lib. Num. cap* 12. vbi de Moyse dicit Deus. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Ex quo loco Patres multi, & præ cæteris *Augustinus lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 27. docent Deum immediate secundum suam essentiam, vt videtur in Patria, apparuisse Moysi, & hunc intellectualiter eum, vt est, vidisse. Ergo possibile est, aliquod obiectum merè intelligibile apparere alicui viatori, & sic ab isto videri.

A priori arg.

131 Prob. 3. ratione. Animæ defunctorum, siue in Patria, siue in Purgatorio, siue in inferno se inuicem vident, & discernunt. Ergo anima est obiectum alterius animæ. Et sic non repugnat, vt anima alicuius sancti immediatè videatur ab anima viatoris.

Arg. per sol. obiectionis.

132 Conf. tota difficultas cur videri non posset, est, quia anima viatoris in operando dependet à sensibus. Sed hoc non obstat: ergo. Min. prob. Posset Deus immediate speciem intelligibilem animæ defuncti in anima viatoris efficere, deinde illam isti præsentem facere; tunc autem nihil impediret, quin illa appareret, & ita videretur. Antec. patet à pari, potest Deus immediatè independenter à sensu causare in anima illuminationes purè intellectuales, & species intelligibiles obiectorum: ergo & animæ.

A pari arg.

133 Conf à pari. Maior est difficultas, quod anima viatoris immediate videat Deum, quam vt videat animam; & tamen Patres, & *August.* docent primum: ergo.

2. pars.

134 Prob. secunda pars. Regulariter apparitiones accidunt corporali modo: nam videntur vestes, membra, hilaritas vultus, color, fulgor, & eiusmodi. Secundò, quia remanent in vidente species talium corporalium. Igitur non apparet anima sola, sed in corpore; siue antiquo, siue nouo; siue solido, siue aereo, & apparente.

Omnes apparitiones, quæ narrantur, de aliquo corporeo fuerunt.

135 Conf. Omnes apparitiones, quæ narrantur, hoc modo acciderunt, vt corporeum aliquod apparuerit. Et quamuis fortasse alicui, siue in extasi, siue aliter sola anima præcisa à corpore aparuerit; tamen nullum de eiusmodi casibus scio, aut legi exemplum.

136 Conf. 2. Omnes apparitiones, quæ siue in scriptura, siue in Chronicis leguntur acciderunt cum locutione, seu manifestatione alicuius, vel futuri, vel præteriti, aut præsentis, sed secreti. Et manifestatio facta est cum corporeis signis, et actibus. Ergo regulariter non apparet sola anima.

Arg. contr.

Ob. 1. Purum spirituale nequit pro statu isto videri: ergo. Anteced. prob. Quia nunc homo nequit cognoscere, nisi dependenter à sensu; oportet enim intelligentem phantasmata speculari.

Absolute visio intellectualis potest fieri sine phantasmate.

137 Respond. dist. anteced. De communi lege, et concursu ordinario naturæ, concedo. ex natura potentiæ, et cum speciali Dei concursu, nego. Potuit enim saltem, secundum multos Patres, videri à Paulo, et Moyse Deus secundum suam essentiam nude: igitur multo magis poterit efficere, vt anima corpore spoliata ab alia anima, non concurrente corporeo sensu videatur.

Ob. 2. Nulla legitur eiusmodi apparitio solius animæ: ergo.

Resp. neg. consequ. Ex hoc enim, quod non legitur, non sequitur, vel quod facta non sit, vel quod nequeat fieri; multa enim facta sunt, quę scripta non sunt. Et multa fieri possunt, quę adhuc facta non sunt.

Validum arg.

Ob. 3. Vel anima eius qui videret esset separanda à corpore, vel non. Si primum, plura essent miracula, apparitionis, mortis, et resuscitationis; hęc autem vitanda sunt, si secundum, non posset is, cui facta esset apparitio recordari de anima visa, quia non haberet phantasma illius visi, non enim anima visa, vel aliud potuit causare phantasma repręsentatiuum eius.

Possibile putat August. quod anima tunc separetur à corpore.

138 Resp. ex *August. lib.* 12. *Gen ad lit. cap* 1. 2. & 3. vtroque modo posse contingere. Quia ibi de raptu Pauli, et eius visione loquitur, et notat *August.* quod ipsemet Paulus dicit, *siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum*. Vnde, ait *August.* fieri potuit, vt anima pro eo tempore separata fuerit à corpore, et sic viderit,

rit, et audiuerit arcana verba, quę non licet homini loqui. Et fieri potuit, vt non separata, sed existens in corpore isthęc viderit: Vtrumque autem ipsemet Paulus putauit possibile, cum dicat, *siue in corpore, siue extra corpus, nescio*. Igitur fieri potuit alterutro modo. Ad impugnat. primi, dico, parum esse Deo, vt duo, vel mille patret miracula, si pro confessione alicuius facti, quod negari non potest, tot essent necessaria. Cum ergo raptus Pauli, & visio sint de fide; & ipse dicat, possibile fuisse, vt extra corpus esset eius anima. Si ita factum est, plura miracula de necessitate sunt admittenda. Ad impugnationem secundi, dico, quod videns posset recordari per speciem intelligibilem tantum, quæ ex visione talis animæ remansisset; sicut de facto recordabatur Paulus de Deo viso, & arcanis auditis, & animæ separatæ de facto: esto enim in corpore factum fuerit, Deus tamen spiritualis visus est, & non potuit de eo alia species, quam intelligibilis in Paulo relinqui. Eo ergo modo quo Paulus recordabatur de Deo viso, & alijs arcanis visis, & auditis posset recordari, qui animam solam vidisset. Et si dicatur, quod ex speciali, & miraculoso Dei concursu Paulus recordabatur Dei spiritualis absque concursu, & motione phantasmatis; ita esset dicendum de anima vidente aliam apparentem animam.

Ob. 4. Frustratoria esset talis visio, & apparitio: ergo. Anteced. prob. Non posset cum vidente colloqui, nec aliquid ei significare. Regulariter autem istæ apparitiones ex hoc fine fiunt. Assumptum prob. Quia videns non est capax auditionis merè spiritualis, cum ipse sit materialis. Et anima visa non haberet actiuitatem ad causandam locutionem, vel auditionem, siue materialem, siue merè spiritualem; hoc enim est proprium Dei.

Anima apparens potest non loqui.

139 Resp. neg. anteced. ad prob. inprimis, nego esse necessarium, vt anima apparens loquatur. Fieri enim potest, vt Deus permittat eam apparere tantum, vt videns cognoscat animæ naturam, & perfectionem. Secundo neg. anteced. accidere enim posset locutio, & auditio pluribus modis, vel enim Deus solus immediatè in vidente causaret speciem sensibilem in phantasia illius, & ex hac causaretur species intelligibilis in intellectu; vel causaret solam intelligibilem in solo intellectu; vel vtramque, in phantasia nempe, & in intellectu: & hoc modo videns, per receptionem alterutrius, vel vtriusque speciei repræsentantis conceptum loquentis, diceretur, & esset videns, vel audiens. Posset pariter alio modo anima apparens loqui, causando nempe, vel speciem, vel intellectionem in anima vidente, vel vtramque, quia id fieri posse inter Angelos, docet *Scotus in 2. sent.* igitur etiam animæ; cum circa intellectionem, Angeli, & animæ pares sint, ex *August. lib. 3. de libero arb. cap. 11.* Addo, quod ex Dei adiutorio posset anima apparens causare speciem sensibilem in phantasia videntis, quæ species repræsentaret conceptum significandum ab anima visa.

Et potest intellectualiter tantum loqui.

Alijs modis potest loqui

Ob. 5. Nullus huc vsque author, de eiusmodi animæ solius apparitione loquutus, est, sed omnes, qui eam admittunt in corporibus fieri confitentur. Ergo signum est, non accidere, vel non posse accidere.

140 Resp. neg. anteced. Non enim Authores, & Patres expressis verbis id fieri posse docent, sed ex ipsamet Scriptura id docent de anima Samuelis; imo Scholastici hanc Samuelis animæ apparitionem conantur declarare de anima in corpore. Infra namque videbimus, quid de Samuelis apparitione dicendum sit. Certum tamen pro nunc est, quod narratur 1. *Regum cap. 28.* & *Ecclesiastici* 46. Samuelem Sauli apparuisse, & amissionem Regni, eidem prænunciasse, & tamen Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone, ait, animas superstites manere demonstrauerim, quod & Samuelis animam ab inferis, &c. ita vt Saul petierat euocauit. Tamen alij, qui docent apparitionem Samuelis, vt Hieronymus, Augustinus, Basilius, Tertullianus, &c. dicunt, Samuelem apparuisse. Ioann. *Apocal. 5.* ait, *vidi animas interfectorum, &c.* At licet nullus author de eiusmodi apparitione animæ fuisset locutus, quia de apparitionibus regulariter contingentibus agunt; non proinde de ea tractari non potest, aut possibilitas neganda; cum nec etiam Deus, vt est in se appareat viatoribus, aut ab eis videatur, imò ex *Apost. 2. Timot.* nec videri possit; & tamen controuertitur, an possit sic apparere, & videri; immò, an apparuerit, & visus sit, quæritur, multis affirmatiuè cum *Augustino*, et alijs permultis tenentibus, alijs verò negatiuè.

Licet aliquando factum non sit, fieri tamen non repugnat.

De anima Samuelis multi contendunt.

## §. 2.

## *An Sancti appareant cum corpore, & quali.*

121 DIco 1. Sancti, vel alij defuncti, dum apparent personaliter, in aliquo corpore apparere solent.

In corpore solent apparere,

142 Prob. 1. Tales apparentes, oculis externis corporeis videntur: ergo. Anteced. probari posset, de omnibus apparitionibus, quæ vigilantibus acciderunt; quæ innumerę sunt in Vitis Sanctor. et Chronicis relata, nos verò adducemus authenticas scripturales. *Matt. 17. Moyses, & Elias apparuerunt cum Christo loquentes*, et ex *Luc. 9. dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Tres autem Apostoli Petrus,

Quia oculis corporis videntur.

erus, Iacobus, et Ioannes apparitioni præsentes, vigilantes erant, et corporeis oculis tres illos viderunt, Iesum, scilicet, Moysem, et Eliam. Imò Petrus dixit ad Iesum, *Domine bonum est nos hic esse. Si vis faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum, &c.* vt ibi; quæ omnia à vigilantibus, et corporeis oculis videntibus facta sunt. Igitur duo illi cum Christo in corpore apparuerunt.

Ex facto Christi confirmatur.

143 Conf. ex PP. omnibus declarantibus hanc apparitionem, et docentibus Moysem, et Eliam in corpore apparuisse, Apostolos autem oculis corporeis vidisse. *Hieronymus* in hunc Matt. locum, ait, *vt Apostolorum augeat fidem, dat signum de cælo, Elia inde descendente quo conscenderat, & Moyse ab inferis resurgente.* idem fere ait *Ambros. in cap. 9. Lucæ*, *Chrysost* diffusè de hoc facto loquitur, vt in *disp 21. ar 5.*

144 Glossa Ordin. in *cap. 9. Marci.* Ver. *Apparuerunt*, ait. *Moyses Sanctus mortuus, Elias viuus in cælum raptus, visi in maiestate cum Domino.* eadem Glossa in *cap. 9. Lucæ*. Ver *Erant autem Moyses, &c.* ait. *Moyses legislator, & Elias Prophetarum eximius apparent, &c.* Lyranus in locum cit. Matt. ait, Moyses, et Elias non fuerunt ibi secundum apparentiam phantasticam, sed secundum veritatem; quia Elias fuit adductus de loco quodam eminenti ad quem fuerat raptus; Moyses autem de Lymbo Sanctorum Patrum, etc.

Augustinus docet fieri in corporibus.

145 Prob 2. ex *S. Augustino lib. de cura pro mort. ger. cap. 16. & 17.* quibus in locis, licet dubitet, et definire non audeat (vt nos infra) an quando apparent Sancti in corpore aliquo, in tali corpore adsit anima Sancti, vel aliquis Angelus, vel Deus in tali corpore aliqua exerceat opera; tamen docet apparitiones istas fieri in corporibus. Imò vt dicam postea in *lib. de cognit. vera vita cap 38. in fine, & cap. 40.* docet Sanctos apparere in corporibus ex aere formatis.

Ex eodem Augustino.

146 Conf. ex eodem *lib. de cura pro mort. ger. cap. 15.* docente, Samuelem sic apparuisse Sauli. Eum postea alij multi secuti sunt. Hic autem in corpore apparuit: ergo.

Argum ex operationibus.

147 Prob. 3. Ex operationibus, quæ fiunt à sanctis apparentibus; nam loquuntur prolixè corporali voce cum videntibus; vt de Stephano loquente cum Luciano Martyre, de Potamiena cum Basilide, de Ioanne Euangelista cum Gregor. Thaumaturg. de Petro, et Paulo cum Constantino, et de alijs, qui in Vitis Sanctorum narrantur. Aliquando tangunt corpora videntium, et palpabiles sentiuntur, vt de Gregorio primo cum Sabiniano, de Petro Apostolo curante, et restituente Agatæ mammillam, de Beata Virgine cum Ioanne Damasceno, cuius manum amputatam brachio coniunxit. et de alijs permultis, qui legnntur à Sanctis in corpore apparentibus curati à languoribus, & vulneribus, quibus erant affecti, & hoc per eorum contactum. Igitur apparitio, quæ accidit externè, & per corporeos oculos perceptibilis, in aliquo corpore fit. Non enim possunt oculi corporei aliud, quam corporea percipere.

Corpus in quo apparet quale sit.

148 Dico 2. Corpus, in quo apparent animæ Sanctorum regulariter non est corpus proprium, quod prius habebant, sed corpus aereum simile proprio quo ad extrinseca, saltim. Est communis.

Nec fit resuscitatio in apparitione.

149 Prob. 1. In apparitione non fit resuscitatio Sancti apparentis: ergo. Anteced. prob. Quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Multa autem tunc adessent miracula; cinerum collectio, resuscitatio, delatio ad locum, vbi fit apparitio; reductio corporis in præexistentes cineres, &c. ergo.

Ex Augustino.

150 Prob. 2. ex *S. Augustino lib. de cognit. vera vita cap. 38.* in fine, sic habente. *Anima extra corpus nihil corporeum videt, vel audit, quod si facit, tunc vtique aereum corpus induit.* & *in cap. 40.* ait. *Animæ etiam defunctorum cum viuentibus apparent, corpus aereum induunt, in quo corpoream vocem, vel verba audibilia exprimunt:* ergo.

151 Prob. 3. ex omnibus Scholasticis, qui in hoc Augustinum sunt secuti. Lyranus enim in *cap 17. Matt.* declarans apparitionem Moysi, & Eliæ. Ver. *Loquentes*, ait, Moyses, & Elias non fuerunt ibi secundum apparitionem phantasticam; & post, Moyses fuit adductus ibi de Lymbo SS. Patrum, non quia resurrexit, sed quia anima apparuit ibi in quodam corpore sibi adaptato, sicut apparent Angeli in corporibus assumptis. *Augustinus Triumphus de Potest. Eccles. cap 17. art. 3.* inquit Sancti non semper apparent in corporibus proprijs, sed vel de aere, vel de subtilissimis elementis formatis, sicut Angeli non apparent in corporibus proprijs, quibus carent. Dato tamen, quod in corporibus proprijs apparerent, possent ea deponere in locis, vnde recepta sunt, Deo faciente, & iubente. *S. Antoninus Epist. Florent. 1. p. Sum. tit. 5. cap. 6.* Aliquando apparent animæ sine corporibus proprijs suscitatis, sed alijs corporibus assumptis ex aere formatis.

Ex facto Christi cum Moyse, & Elia.

Validè arg. quod non in proprijs corporibus apparent.

152 Prob. 4. Sæpe Sancti apparuerunt corporaliter, loquentes & significantes viatoribus, in quibus locis essent sua corpora; quæ postea inuenta sua incinerata, vel expulpata, arida, & sine aliquo humore. Ergo non in proprio corpore regulariter apparent, sed in alio ex aere, vel simili materia à Deo, vel ab Angelis, vel ipsamet anima formato. Anteced. patet de multis, Sanctus Gamaliel apparens Luciano Presbytero Ierosol. indicauit ei, vbi essent eius, & S. Stephani ossa; & ibi corpora illa inuenit. Zaccarias Propheta, ex *Sozomeno libro 9. cap. 17.* apparens Calemero Eleuteropoli

poli in Palæstina iussit ei, vt terram in certo loco foderet, vbi inueniret arcam cum suo corpore, & ita factum est. Sanctus Martinus Turonensis visibiliter apparuit Gregorio Turonensi eius Sancti reliquias in nouam Basilicam transferenti. Et ita de alijs Sanctis, qui apparentes viatoribus, vbi iacerent eorum reliquiæ illis indicarunt. Ergo corpora illa, in quibus apparebant non erant ea quæ in sepulchris, seu tumulis iacebant, sed alia ex diuersa materia formata.

In corpore demonstrarunt, vbi essent sua corpora.

153 Prob. 5. Corpora eorum, qui apparent, statim euanescunt, & resoluuntur. Ergo non sunt corpora antiqua solida, quæ olim habuerunt in via. Antecedens patet de multis, nam de Paulo apparente Neroni, ex Lini historia, dicitur, *& hæc dicens statim disparuit*. De Ioanne Baptista apparente Gregorio Thaumat. dicitur, *statim se ab eius subduxit oculis*. De Sanctis Processo, & Martiniano, vt refert *Gregor. l. homil 32. in Euang.* cuidam Matronæ apparentibus, eique alloquentibus, ait *Gregor. Quo dicto ab oculis eius ablati sunt*. & ita de alijs, qui apparentes, & loquentes aliquibus, statim disparuerunt. Ergo corpora illa erant aerea, vel ex alia simili materia formata.

Arg. quia statim euanescunt.

Ex paritate Angelorum in corpore alieno apparentium.

154 Prob. 6. Angeli dum apparent hominibus in aliquo corpore, aereum vel aliud simile assumunt: non enim habent, vel habere possunt proprium. De apparitionibus autem Angelorum tota scriptura plena est; neque dormientibus tantum, sed & vigilantibus apparuerunt in visibili forma, in qua etiam loquuti sunt, vt *Tobiæ* 12. & *Lucæ* 1. de Angelo apparente Zachariæ ex cuius aspectu hic turbatus est, & longum cum eo dilocutum habuit Gabriel. Secundo idem *Lucæ* 1 apparuit B. Mariæ Virg. cum qua pariter collocutus est, *Lucæ* 20. in sepulchro saluatoris visi sunt duo Angeli sedentes in albis; in ascensione Christi ad cælum apparuerunt pariter Angeli, & loquuti sunt. In veteri testamento habemus innumeras eiusmodi Angelorum apparitiones, & sensibiles collocutiones. *Genes.* 16. 19. 21. 22. *Exodi* 14. *Num* 22. *Iudic.* 2. & 13. 3. *Regum* 13. & 19. 4. *Regum* 1. & 19. Primo *Paralip.* 21. & 2. *Paralip.* 32. *Tobiæ* 3. *Daniel* 3. & 14. *Osee* 12. *Zachar* 1 & 3. 1. *Machab.* 7. & alibi sæpè. Isti autem, cum visibiliter in forma humana, & splendida apparuerunt, corpora aliena ex aliquo elemento formata habuerunt, vt *Augustinus* clarè probat *libro* 15. *de Ciuitate Dei cap.* 23. & *lib.* 16. *c.* 29. Ergo idem dicendum est, cum anima de repente apparent in aliquo corpore; vel enim Dei virtute aliquod, quod reliquerat corpus assumunt, quid ego non ita facile teneo, vel aliud eadem Dei virtute, vel Angelorum, vel ipsius animæ ministerio, Deo cooperante dispositum; accipiunt, & in eo per apta instrumenta loquuntur, & alia, quæ videntur, sensibilia opera exercent.

Diuersæ Angelorum apparitiones in corpore aereo, vel alio.

Ob. Vel tale corpus est illud, quod antea habebat, vel aliquid nouum. neutrum potest dici. Non primum, quia sic resuscitaretur, & in hoc plura miracula essent patranda, fieri enim posset, vt tale corpus conuersum esset in aquam, plantam, piscem, immò & in corpus alterius hominis; tunc deberet Deus materiam illam à talibus corporibus auferre, & aliam eis dare. Deinde facta apparitione iterum corpus illud destruere, & materiam illam ad pristina loca remittere; in quo euentu multa facienda essent miracula. Neque secundum; quia corpus illud, vel esset solum apparens, & non subsistens; si primum, esset deceptio, imò præstigium, quia videretur aliquod corpus humanum, quod tale in re non esset. Si secundum, vel corpus illud haberet omnia membra interna, & externa, esseteque perfectè organizatum, vel non. Si non; est idem inconueniens, quod scilicet appareat sub aliqua forma id, quod in re non est tale. Si sic, frustra illud opificium fieret, quod adeo breui tempore esset duraturum.

Arg. cont. ad impossibile.

155 Resp. iuxta Dei placitum vtrumque esse posset. Sed congruentius videtur, quod sit secundum, nouum scilicet corpus ex aere, vt ait Augustinus, formatum. Ad impugnationem dicendum, quod vtroque modo potest à Deo fieri tale corpus, et quod, scilicet secundum superficiem tantum appareat humanum, secundum membrorum dispositionem, colorem, etc. et, quod habeat omnia membra, siue interna, siue externa; quia vtrumque Deo est possibile; quodnam autem fiat, incertum nobis est, neque vt inquit *August. de cura pro mort ger. cap* 17. id scire est necessarium. Ad illud de præstigio in seq. §. respondetur.

Vtrumq; potest à Deo fieri, & quod proprium corpus appareat, & quod aliud simile, & omnia habeat nobra.

## §. 3.

## *An apparente aliquo Sancto in corpore, semper adsit anima eius in illo:*

156 Deo. Apparente aliquo Sancto, vel alio defuncto, certum non est, an semper eius anima sit in eo corpore; vel Angelus, aut Deus ipse in tali corpore, opera, quæ videntur, et audiuntur, exerceat.

Non est certum, an semper anima Sancti at in eo corpore.

157 Prob. euidenter ex *S. Augustino libro de cura pro mort. geren. cap.* 16. vbi postquam docuit, Sanctos Martyres viatorum præces audire, eosque iuuare; mouet dubium, an hoc adiutorium præstetur per Martyrum assistentiam, atque præsentiam

Ex August.

ad ipsos met adiutos: an verò per præces tantum eorum, et per immediatum Dei adiutorium, et alt. *Res hæc altior est, quam, vt à me possit attingi, & abstrusior, quam vt à me valeat perscrutari, & ideo quia bonum dubium sit, an verò forsassis vtrumque sit, vt aliquando ista fiant per ipsam præsentiam martyrum; aliquando per Angelos sustinentes personam martyrum definire non audeo; mallem à scientibus ista perquirere.* Ergo res certa non est, an ipsa met anima apparentis, an Angelus, vel ipsemet Deus in apparente corpore operetur.

Casus ab Aug. adductus, & eius sententia de hac apparitione.

158 Conf. ex eodem *ibid. cap.* 17. vbi narrans apparitionem cuiusdam Ioannis Monachi factam fœminæ cuidam deuotæ, dicit, *si ipsum Sanctum Monachum ipse vidissem, quæsiuissem, vtrum ipse ad illam fœminam venisset in somnis, id est spiritus eius in effigie corporis sui. An ipso aliud agente, siue per Angelum, siue alio quocunque modo in mentibus somnio talis facta sit visio?* et post. *Et de martyribus ab illo pergerem quærere, vtrum ipsi adsint in somnis, vel quocunque alio modo videntibus eos, in qua figura voluerint, & maximè quando ab eis se conqueri dicentes in hominibus confitentur, & rogant eos, vt pareant sibi. An isti fiant Dei nutu per Angelicas potestates in bonorem commendationemq; Sanctorum, &c. An forte aliquando per ipsam præsentiam Martyrum fiant ista, aliquando per Angelorum. Et vtrum possint, vel quibus signis possint à nobis ista sine diuersis; an existentes, ne indicare non valeat, nisi qui habet illud donum per Dei spiritum diuidentem propria prout, vt vult vnicuique; dissereret mihi vis arbitror hæc omnia sicut vellem ipse Ioannes, aut eo docente discerem; & ea, quæ audirem, vera, & certa esse cognoscerem, aut ego crederem, quæ nescirem illo docente, quæ sciret.* Ergo, cum altero ex his tribus modis fieri id possit, incertum est, quomodo aliquando accidat.

Cur iosus erat Aug. vt interrogaret quis loqueretur in apparente,

159 Prob. 3. argumento ex eodem *Augustino* desumpto in *cap.* 16. aliquis Sanctus potest aliquando in diuersis locis apparere, et diuersis in eodem tempore auxilium præstare; sed quod eadem persona, vel anima sit simul in diuersis locis, vel non creditur à multis DD. vel si tenetur, vt à Scotistis, et Neotericis, id habetur, vt excellens miraculum, incertum est autem, an cum apparet alicubi appareat etiam alibi, et sic hoc aliud miraculum sit suspicandum; et ex alia parte possit totum id, quod in apparente cernitur alio modo, nempe per Angelum, vel per Deum ipsum immediatè haberi. Ergo incertum est, an semper, vel aliquando anima talis Sancti apparentis, in eo adsit corpore, vel aliquis Angelus, vel Deus immediatè illud moueat, et opera in eo faciat.

Arg. ex apparitione in diuersis locis.

160 Prob. 3. à pari. Cum in veteri testamento Deus apparebat, et loquebatur, siue in aliquo Angelo, siue in homine, siue in creatura aliqua insensibili, non semper ipsemet Deus immediatè loquebatur in ijs creaturis, in quibus apparebat, sed semper ferè per Angelum aliquem in persona Dei loquentem. Ergo idem accidere potest, dum aliquis defunctus viatori apparet, eique colloquitur. Vt Deus ipse, vel Angelus aliquis, vel anima defuncti immediatè in eo corpore appareat, & colloquatur. Anteced. supponitur ex multis scripturæ locis. Apparuit enim Abrahæ ad illicem Mambræ *Gen.* 18. apparuit Isaac, Iacob, Iob, Moysi, Michææ, Isaiæ, & alijs multis; numquam tamen in se ipso, sed in alijs creaturis, vt notat *Augustinus libro de Videndo Deo cap.* 5. vbi concordans loca illa scripturæ, *Deum nemo vidit vnquam Ioan.* 1. cum illis *Vidi Dominum facie ad faciem*, & *Isa.* 6. *Vidi Dominum sedentem*, & alia, in quibus Deus legitur apparuisse, in *cap.* 6. dicit, omnia concordari, quia Deus ab ijs visus est in aliena specie, & ex ista locutus est. Igitur idem dicendum de anima, pro qua Deus ipse, vel Angelus in corpore aliquo assistens loqueretur, & alia opera exerceret. In quocunque enim casu haberetur finis, & intentum & Dei id permittentis in gratiam viatoris, & ipeus met viatoris.

Multotiès Deus apparuit, sed in creaturis.

Ita possit accidere in apparitione alicuius Sancti.

161 Prob. 4. Si quid obstaret, quin hoc esset asserendum, maxime esset, quia intercedit aliqua deceptio, vel præstigium. sed neutrum obstat; ergo. Prob. de primo, si Deus per se ipsum, vel Angelus iussu Dei appareat in aliquo corpore alicui viatori non intendit eum decipere, nec eius finis primarius est, vt viator videns apparitionem, credat eum qui apparet habere animam propriam, seu esse in subsistentia illum, qui videtur in apparentia; sed finis Dei in hoc facto, est, vt viatorem iuuet, instruat, moneat, eique significet merito alicuius Sancti inuocati (cuius similitudinem videt viator) se beneficium petitum præstare; in hoc autem, vt patet nulla est deceptio.

Arg. ex solutione obiectionum,

Non esset deceptio, & quare,

162 Quod verò hæc annunciatio fiat per aliquem Angelum, vel ipsummet Deum immediatè loquentem in eo corpore, materialiter se habet. Quod si dicas ex parte videntis, sequitur deceptio in eo casu: ergo, cum ea oriatur ab ipsamet Dei operatione, sequitur saltem Deum esse causam deceptionis.

Resp. Neque videntem decipi, quia licet corpus humanum alicuius Sancti videat, non tamen potest, aut debet certò tenere in eo adesse semper animam illius Sancti; sed, vel illam, vel Angelum aliquem in eo; vel Deum immediatè loquentem, vt optimè notat *Augustinus de cura pro mort. ger. cap.* 17. Sicut ex hoc, quod videns talem Sanctum in corpore, & nesciens certò, an sit corpus, quòd reliquit, an aliud; & hoc aliud, an sit ex aere, vel alio elemento, an solidum, vel apparens, non proinde decipitur; quia, cum non sit certum, quo-

Neque Deus decipit, neq; videns decipitur.

modo

A paritate apparitionis Dei in creaturis.

modo res ista se habeat; non debet ex proprio marte credere, quod sic, vel sic acciderit; sed de hoc potius dubitare, seu esse suspensus, ita enim prudenter aget; sic in casu dicendum. Igitur motiuum deceptionis non officit.

Arg. Aug. à pari de deceptione, quod non adit.

163 Et confirmatur à pari, ex *S. Augustin. lib. 4. de anima, & eius orig. ad Vincent. cap. 21.* vbi docens animam non esse corpoream, & in somno, vel in extasi videre corporum similitudines, quæ sibi videntur corpora, & subdit, *fallitur autem in eis, non quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ea, sicut accipienda sunt accipit*. Ergo idem dicendum de eo, qui videt externis oculis aliquem defunctum loquentem, vel aliud facientem, si determinatè existimat, vel animam, vel Angelum in eo corpore adesse, vel Deum per se immediatè operationes, quæ videntur, facientem; debet enim iudicium suspendere, sed solum pro certo tenere, quod apparentem personam vidit, corpus, & animam alicuius defuncti repræsentantem, an verò illud esset proprium corpus, vel aereum; an pariter anima eius in illo, vel Angelus, vel potius Deus, in suspenso relinquere, & cum Paulo respectiuè dicere, siue sic, siue sic, nescio.

Qui videt apparitionē, non debet certo tenere esse propriū corpus, vel aereum.

164 Neque obstat motiuum præstigij. Nam præstigium ex sui natura est apparentia quædam cum deceptione sensuum, siue externorum, siue internorum, de quo diffusè loquitur *Augustinus lib. 18. de Ciuitate cap.* 18. de fabulis, & metamorfosibus Poetarum narrantium conuersiones hominum in bestias, montes, arbores, fructus, &c. in qua quidem actione per instrumenta quædam, & mixta per medium diffusa, vel naturali, vel dæmoniaca arte apparent quædam quæ non sunt, quod magi frequenter exequuntur. Et ideo omnis ars deceptoria appellari solet præstigium, & semper includit dolum, ac deceptionem cum falsa apparentia. In casu autem, nihil tale accidit, quia aliquid reale videtur, & dolus nullus adest; sed ex Dei iusto iudicio permittitur, vt interdum Angelus in corpore aliquo adsit, interdum anima, interdum tandem neutrum horum, sed Deus ipse per se immediatè operetur. Neque adest finis decipiendi, vel illudendi, sed iuuandi, instruendi, monendi, &c. & realiter adest is qui apparet, vel alius verè gerens vicem eius; quod non accidit in præstigio. Tandem, quia præstigium dæmonis opera accidit non sic apparitio alicuius defuncti.

Non adest præstigium.

Quid sit præstigium.

Ob. 1. Nisi semper anima propria esset in corpore apparentis, hic mentiretur loquens de sua persona, puta de aliquo actu proprio, quod nempe vel martyrium sit passus, vel alia opera virtutis, seu etiam peccati fecerit; vel quod Deum videat; vel quod in purgatorio, aut in inferno pœnas luat. Nullum enim horum verum esset; cum nec corpus illud esset suum, nec anima ergo.

Ab absurdo argum.

165 Respondetur neg. antecedens ad probat. dicendum, quod talis apparens loqueretur in persona illius, cuius similitudinem gerit; & sic verum diceret. Sicut, cum Deus in veteri testamento locutus est Moysi, & alijs Patribus, per Angelos locutus est; & tamen isti in persona Dei loquebantur *Ego sum, qui sum. Ego Deus & non mutor. Ego eduxi te de terra Aegypti*, & alia eiusmodi sexcenta, eo quia in persona Dei loquebantur, et pro eo verum dicebant. Ita prorsus de Angelo, vel ipsomet Deo in aliquo corpore loquente dicendum est. Adde, quod dum Prophetis, et ipsimet Ioanni in spiritu personæ multæ apparebant, et quædam futura de se, et de alijs prædicebant certè, vt mox dicetur, et in §. 2. dictum est, non personæ, neque res, sed rerum, ac personarum imagines loqui videbantur, et tamen non loquebantur; nec proinde dicendum est, quod dicta illa erant falsa, neque ipsamet visa; quia figuræ personarum erant, et pro iis loqui dicebantur. Si autem, is, cui accidit apparitio, et reuelatio, nesciens, an anima propria, vel Angelus, vel Deus in corpore illo loquatur, determinatè absque Dei illuminatione censeret, esse hoc vel illo modo, temerè censeret. Neque ex hoc periculo sic existimandi aliquod oritur malum; nam instructi de hoc sunt fideles, quod, nisi spirituum discretione polleant; nesciunt discernere; ideoque non debent temerè aliquid de hoc asserere. At dato, quod asserant esse sic, vel sic, quid tandem mali est. Existimo autem eos, qui hoc beneficio à Deo donantur, discernant pariter quidnam horum sit. At, si hoc secundo non donentur cum Augustino dicant, se nescire, quis in corpore apparente sit locutus, et ex hoc nihil absurdum sequitur.

Si Angelus, vel Deus in aliquo corpore loquitur, quare non dicit falsum.

Quia in persona alterius loquitur, & verum dicit.

Videns quid debeat facere, vt decipiatur in hoc.

*

## §. 4.

### *An apparitiones aliquando sint imaginariæ, & quomodo.*

166 Adu. ex *S. Augustino lib. 12. Gen. ad lit. cap. 2. 4. 6. 7 8. 11 12. &c. & 17.* quod cognitio illa, quæ per species rerum, seu imagines, ac similitudines in memoria receptas, habetur, dici solet spiritualis. Illa verò quæ fit per species in mente receptas, nempe per species intelligibiles dicitur intellectualis. Duo ergo specierum genera habere potest homo quasdam intelligibiles, et istæ sunt in intellectu; quasdam verò sensibiles, et istæ sunt in sensu. Quæritur modo, an aliquando Sancti, vel alij defuncti in specie tantum, siue purè intellectuali, siue etiam sensibili, id est in phantasia quoque existente appareant, et sic videantur, ita vt extra mentem, vel sensum internum, nihil eorum extet coram externis sensibus.

Cognitio phantastica dicitur spiritualis ab August.

167 Dico 1. Per Dei potentiam apparitio alicuius Sancti esse potest aliquando in sola specie intelligibili; sed regulariter non ita accidit.

Apparitio potest fieri in sol. specie intelligibili, sed non ita fit,

168 Prob. 1. pars. Potest Deus producere in intellectu viatoris speciem intelligibilem perfectè repræsentantem aliquem Sanctum, vel alium defunctum, siue purgatorium, siue damnatum. Sicut de facto in Angelis, et primis parentibus produxit species intelligibiles omnium rerum secundum species creandarum; et creatarum: ergo. Consequ patet. Tunc enim in imagine apparitio fieret.

A pari de facto.

169 Prob. 2. de facto. Doctores, qui negant Paulum, et Moysem vidisse Deum in sua natura, admittunt vidisse in specie intelligibili tantum. Et qui admittunt vidisse in propria natura, concedunt in eorum intellectu remansisse speciem intelligibilem illius, immò Scotistæ eam concedunt Adamo, et Angelis, vt in *disp. 18 ar 5.* dictum est. Ergo pariformiter producere posset in intellectu viatoris speciem repræsentatiuam alicuius Sancti, et iste sic apparere posset viatori.

A paritate apparitionū in extasi vel somno.

170 Prob. 3. ex dicendis in sequ. conclusione de apparitione interna imaginaria; et de apparitione in somno, aut extasi, in *§ 5. & 6.* quando tales accidunt apparitiones in sensu interno per productionem specierum sensibilium, seu imaginum, ac phantasmatum in intellectu quoque producuntur species intelligibiles, vel ab ipsis sensibilibus, et intellectu agente, vel ab Angelo, vel ipsomet Deo producentibus vtraque. Ergo poterunt etiam istæ solæ intelligibiles à Deo, vel aliquo Angelo produci; et sic apparitiones fieri in solis intelligibilibus.

Arg. de extaticis,

171 Prob. 4. Extatici, vt dicemus infra aliquando pura intelligibilia vident, aliquando sensibilia; etiam vtraque tamen per imagines. Ergo apparitiones primorum visorum fiunt per species pure intelligibiles.

2ª pars.

172 Prob. secunda pars. Regulariter visiones accidunt eo modo, quo homo connaturaliter solet cognoscere, & intelligere. Sed non intelligit per solam speciem intelligibilem in intellectu existentem, nisi alia eiusdem obiecti adsit in phantasia; ergo apparitio regulariter esse non potest per solam speciem intelligibilem, sed cum ea adiungi debet species sensibilis in phantasia.

Regulariter cognitio, quomodo fit,

Arg. ex memoria.

173 Conf. Quia videntes per eiusmodi apparitiones, recordantur earum; nequit autem recordatio accidere, nisi adsit in phantasia species sensibilis obiecti cum anima in statu coniunctionis intelligere nequeat, nisi per conuersionem ad phantasmata.

Arg. ex visione prophetali.

174 Prob. 2. Visiones Prophetarum, vt optimè docet *August. lib. 2. ad Simplic. q. 1.* fiunt per informationem mentium eorum cum speciebus corporalibus, & intellectualibus rerum, quas vident; idem docet *l. 12. Gen. ad lit. cap. 9.* & qui similitudines rerum corporalium habet, sed eas non intelligit, ex eodem *August. ibid.* non dicitur Propheta; vt autem sit Propheta, corporales illas similitudines habet, & per intellectuales species intelligit, quid significent illæ imagines corporales; & ideo Pharao, & Nabuch, estò similitudines corporales habuerint, quia eas non intelligebant, non erant Prophetæ. Ergo regulariter, si apparitio fit in specie, debet adesse etiam species sensibilis.

Potest apparitio in vtraque specie fieri

175 Dico 2. Apparitio esse potest aliquando, tantum in specie sensibili, ac intelligibili; ita vt videns non habeat, nec intra, nec extra se substantiam rei visæ, sed solam imaginem.

Ex script.

176 Prob. 1. Omnes apparitiones, & visiones quas habuit Ioannes in Apocalypsi fuerunt eiusmodi, ex *August. lib 12. Gen. ad lit. cap 2.* in fine. Imagines enim rerum videbat non res ipsas. & in *libro de anima, & eius orig. ad Vincent. cap. 1.* primo de omnibus, deinde de Ioan. Visionibus, ita loquitur, *Ex hoc genere similitudinum corporalium, quæ non corpora, sicut corpora apparent sunt omnia, quæ Sanctos libros legens in propheticis etiam visionibus non intelligis. Vbi enim visa sunt animæ martyrum* (deest *Apocal 5. & 6.*) *in eadem revelatione visus est agnus, quasi occisus habens cornua septem. Ibi equi, aliaque animalia sicut oportuit figurata. Ibi postremo stellæ ceciderunt, & cælum plicatum est, vt liber, nec tamen tunc contidit mundus.* Ergo apparitiones rerum, & personarum; nempe Sanctorum, & non Sanctorum, per similitudines, spe-

Omnes Prophetæ sic habuerunt.

cies

cies scilicet sensibiles, & intelligibiles fieri possunt.

Ex August. generale arg.

177 Conf. ex eodem *August. lib. 12. Gen. ad lit. cap. 2.* in fine, docente sic *Ezzechielis cap. 37.* apparuisse campum illum plenum ossibus, quibus immissa apparuit vita, & surrexerunt in exercitium maximum. Sic *Isaiæ 6.* apparuisse Deum in throno sedentem, & in conspectu, Seraphim alatos; & ex ara carbo acceptus apparuit, quo fuerunt eius labia mundata. & talis ex eodem fuit apparitio, & visio *Petri actor. 10. Cum cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, & descendens vas quodam velut linteum magnum submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. & factus est vox ad eum, surge Petre, occide, & manduca:* ergo.

De multis apparit.

Ex eodem August.

178 Conf. 2. ex eodem *ibid. cap. 14. Tamen & per corporalem visionem, & per imagines corporalium, quæ demonstrantur in spiritu, & boni intuentur. & mali fallunt.*

179 Conf. 3. ex eodem *lib 8. Gen. ad lit. cap. 25.* dicente de extaticis, *interius habent ea quæ animo per sensus corporis nuntiantur.* & *cap. 27. Illis autem qui eam capere non possunt cum loquitur Deus nonnisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritualem, sive in somnis, sive in extasi similitudinem rerum corporalium, aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis, vel aliqua species apparet, vel insonant voces.* & *lib. 11. cap 33.* ait. *Potuisse etiam illo quo sit per creaturam, sive in extasi spiritus corporalibus imaginibus, sive, &c.* et iterum *lib 12. cap. 12.* diffuse loquens de visionibus internis, per imagines corporum dicit fieri, *sive nimia cogitantis intentione, sive aliqua vi morbi, vt in phrenesiticis, aut per febrem accidere solet; sive commixtione alicuius spiritus boni, vel mali, & tunc ita corporalium rerum in spiritu exprimuntur imagines, tamquam ipsis corporis sensibus præsententur. Manente tamen in sensu corporis intentione, sic videntur, quæ in spiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus, ita vt cernantur simul & homo aliquis præsens oculis, & absens alius spiritu, tamquam oculis:* et paulò post, sequitur sic. *Quando autem penitus auertitur, atque abripitur animi intentio à sensibus corporis, tunc magis extasis dici solet. Tunc omnino, quæ sunt præsentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec illa voces prorsus audiuntur. Totus animus contulus, aut in corporum imaginibus est per spiritalem, aut in rebus incorporeis nulla imagine figuratis intellectualem visionem. Sed cum spiritalis visio, penitus abenato à sensibus corporis animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis, sive in extasi, si nihil significant, ipsius animo sunt imaginationes; si autem aliquid significant, sive dormientibus, sive vigilantibus, cum & oculis vident præsentia corpora, & absentium imagines cernunt spiritu, tamquam oculis præsto sint, sive illa quæ extasis dicitur aliena, to prorsus animo à sensibus corporis, &c* multa *August.* Ex quibus concluditur, quod res corporales, vel spirituales, vel mixtæ apparere possunt per imagines in visione intellectuali, vel spirituali, id est sensibili interna, & hoc accidere potest multipliciter, vel dormienti, vel vigilanti oculos apertos habenti, & videnti vnum corpus oculis, aliud verò spiritu, seu imagine: vel habenti quidem oculos apertos, nihil tamen per eos, sed solo spiritu videnti. Quocunque autem horum modorum (de quibus in sequent.) apparitio, & visio accidat, res in specie, seu imagine, non in se ipsis cernuntur. Ergo dantur apparitiones imaginariæ, seu per imagines, ac species.

Ex eodem Aug. optimè arg.

Omnes res possunt per species, seu imagines spirituales, & corporales apparere.

Multipliciter accidere potest, & apparitio in specie.

180 Prob. 2. ex Glossa Ordinar. in *epist. 2. ad Cor. cap. 12.* vbi declarans tres cælos ad quos ascendit Paulus; ait *secundum cælum est imaginaria, vel spiritualis visio, quando aliquis in extasi, vel somno videt non corpora, sed imagines rerum Dei revelatione:* & paulo post, inquit, *Spiritus tenet corporales imagines, vel veras, vel quasi fingit.* & tandem docens, quod in Patria videtur Deus non per imagines; sed immediatè, vt est in se, ait, ibi Deus videtur non per corporalem visionem, vt in Sina, vel spiritualem, vt Isaias, & Ioannes in Apocalypsi, &c. & idem docuit *August. vbi supra lib. 12. Gen. ad lit cap. 2.* vbi etiam de vigilante quodam Rusticano, qui apparitionem habuit, inquit, *In extasi vnum audire potuit illum rusticanum, vix valentem quid sentiebat exprimere, qui & vigilare se sciret, & videre quædam non oculis corporeis; nam & eius verbis vter anima mea, inquit videbat eum, non oculis mei, non tamen sciebat vtrum corpus esset, aut imago corporis.* Ergo dantur eiusmodi apparitiones, seu visiones non terminatæ ad res, sed ad rerum imagines.

Ex August. aliud arg.

Exemplo de quodam sic videnti per imaginem apertis oculis,

181 Prob 3 Hoc modo acciderunt omnes fere apparitiones, quas habuerunt Sancti Patres, imò, & Prophetæ incipiendo à Visione Iacob cum Scalam de terra ad cælum porrectam vidit, & prosequendo vsque ad omnes Isaiæ, Hieremiæ, Danielis, Ezzechielis, &c. & tandem perueniendo ad mirabiles illas, quæ in Pathmos insula Ioanni acciderunt. Sic enim orditur *Ego Ioannes fui in insula, quæ appellatur Pathmos, fui in spiritu.* Ecce quod internè tantum videbat. Deinde incipit narrare res apparentes, dictumque est ei, *quod vides scribe in libro, & mitte septem Ecclesijs, &c. Et vidi septem candelabra aurea, in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, &c.* & sequitur narrare compositionem illius personæ quam videbat, quæ nulli homini, neque Christo competit, & postea visiones alias innumeras per totum librum; cum tamen nullum ex ijs obiectis coram

Omnes apparitiones PP. & Prophetarum sic accederunt.

eo

eo extaret. Ergo admitti debent eiusmodi apparentiæ, & visiones per species, seu similitudines rerum corporearum in potentia sensitiua interna existentium.

Vix cognosci potest si apparitio sit in corpore, vel specie.

182 Dico vltimo. Eiusmodi apparitio in specie, seu imagine adeo frequens est, vt aliquando vix possit cognosci, an apparentia alicuius Sancti, vel alterius apparentis sit in proprio corpore, vel alio reali foris existente; an verò in sola specie, seu imagine interis tantum recepta.

Ex Aug. ead. verba conci. hibentur,

183 Prob. tertium fere *Augustini verba in lib. 4. de anima, & eius orig. ad Vincent.* vbi postquam de eiusmodi apparentijs, & visionibus per imagines multa dixit in cap. 21. ait: *Prætextoris autem sermonis est de ipso genere similitudinum corporalium, diligentissima discussio, vtrum Angeli, seu boni, seu mali sic appareant quando species hominum, vel quorumlibet corporum apparent; an habeant aliqua vera corpora, & in ipsorum potius veritate videantur; an vero in somnis, vel in extasi in illis cernantur, non corporibus, sed similitudinibus corporum vigilantibus autem, vera cernenda, & propius est etiam tangenda ingerant corpora, &c.*

Ex eodem Aug.

184 Cont. ex eodem *lib. 8 Gen. ad lit. cap. 25* vbi loquens de apparitionibus, & visionibus in somno, vel extasi, dicit fieri per similitudines; & subdit, *quia & hæc genera visionum, quamuis interius fiant, & sunt ea quæ animo per sensus corporis nuncupantur, tamen quia similia sunt eis, ita vt eum sint, discerni ab eis, aut omnino non possit, aut certe vix, & raríssime possit:* ergo.

Ratione,

185 Cont. 2. Quæ videntur in apparitionibus aliquando in extasi, aliquando autem in somno, & aliquando in vigilia, sed a sensibus alienato animo, ita apparent, ac si essent extra tangibilia, & visibilia, imò & actus illi interueniant, vt tactus sublevationes, & curationes. & nihilominus videntes non possunt certò discernere, an imagines sint, an solida corpora: ergo,

Ex facto Apostolorum argum.

186 Prob. 2. Est adeo incertum, an apparitiones sint in substantia rerum apparentium, an in imagine, vt ipsi met Apostoli *Luca 24. 37.* habentes obuiam Christum post resurrectionem, putauerint *se spiritum*, seu imaginem *videre*, vnde Salnator dixerit *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Glossa Ordinar. Ver. *Spiritum videre*, ait, postquam mortuus est, non credunt tertio die potuisse veram carnem de sepulchro resurgere, putant ergo, se videre spiritum, quem emiserat in passione; sed hunc errorem aufert Dominus: & paulo post. Petrus, & si credidit resuscitatum, turbari potuit, quod clausis ianuis Dominus cum corpore suo ex improuiso intremuit. Si ergo in ea celebri apparitione dubitant ipsimet Apostoli; meritò potest dubitari, quando defuncti apparent, an in vero corpore, quodcunque sit, an in imagine videantur, cum vtrumque sit possibile.

Ex alio facto Apost.

187 Prob. 3. ex clariori casu *Matt. 14. 26. & Marci 6. 49.* comparente ex improuiso Saluatore quarta vigilia nostris, & ambulante supra mare. Apostoli *putauerunt esse phantasma, & turbati sunt dicentes, quia phantasma est, & præ timore clamauerunt, Iesus autem dixit, habete fiduciam ego sum, nolite timere.* Petrus vero adhuc dubitans, ait, *Domine si tu es iube me venire ad te super aquas*. Ergo in eiusmodi apparitionibus difficile discernitur, an apparens, in propria substantia sit, an in imagine.

Ex facto Petri ei carcere educto.

188 Prob. 4. ex clarissimo Petri casu *act. 12. 9.* Cum Petrus esset in carcere, *Angelus Domini adstitit, & lumen resplendit in habitaculo, & percusso latere Petri excitauit eum dicens, surge velociter. Præcinge, & calcea te caligas tuas, & fecit sic, & dixit circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me, & exiens sequebatur eum*: & post tot motus, operationes, & functiones, *adhuc tamen nesciebat, quia verum esset, quod fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre, &c.* si ergo Petrus ipse dubitabat, an apparitio esset in imagine, an in re, & vtroque modo possit accidere, difficile est, cognoscere, an sic, vel sic acciderit. Possem innumeras eiusmodi dubitationes adducere, sed istæ quæ ex Scriptura habentur, & aliæ similes ex ea sufficiant.

Arg. contra

Ob. contra primam. Anima coniuncta non potest cognoscere, neque intuitiuè neque abstractiuè independenter à phantasmate: ergo.

Fidens ratio, quod possit spirituale videri.

189 Respond. dist. anteced. Si cognoscat modo naturali, & per sua consueta instrumenta corporea, concedo, si modo supernaturali, nego. Ratio est; quia, sicut diximus in § 1 Doctores, qui tenent Moysem, & Paulum vidisse Deum nudè, vt in se est, iam concedunt posse supernaturaliter animam coniunctam cognoscere independenter à phantasmate. Item, qui dicunt in specie intelligibili vidisse, adhuc sustinent posse sine phantasmate ex Dei potentia fieri intellectionem.

Ob. 2. Talis apparitio esset de re corporea. Ergo non in specie intelligibili, sed sensibili. Anteced. patet; quia appareret Sanctus aliquis in corpore, vestibus, &c.

190 Resp. neg. consequ. Nam species intelligibiles etiam repræsentant corporea. Habemus enim omnium, quæ nouimus corporum intelligibiles species.

Instab. Cum intelligibilibus de facto habemus sensibiles: imò istæ sunt adeo necessariæ, vt sine eis non possemus recordari. Igitur sine illis accidere non potest apparitio.

Quomodo possit per solam intelligibilem speciem fieri apparitio.

191 Resp. neg. consequ. Ratio est, quia in eo casu, vel Deus causaret in intellectu speciem intelligibilem, & in sensu sensibilem, vel illam sine ista. Si secundum facerct,

ceret, cessaret omnis difficultas. Si verò primum; per solam intelligibilem, tunc anima videret. Nam, quod de facto sit necessarium phantasma, id euenit, quia sine eo nequit produci regulariter species intelligibilis, non quia phantasma concurrat effectiuè, aut formaliter ad intellectionem. Si ergo Deus speciem illam efficeret, & in intellectu infunderet; quidnam impediret, quin intellectus cognosceret obiectum repræsentatum per illam speciem.

Vrgeb. Videns talem apparentem, nisi haberet etiam speciem sensibilem, non posset de eo recordari, seu illum recogitare: ergo non potest sic fieri apparitio.

192 Resp. in primis hanc aliam esse quæst. Dato enim, quod non posset recordari, quid inde? diceretur enim, quod ad videndum intellectualiter modo prædicto, sufficit species inteiligibilis, & quod talis videns non possit amplius de viso recordari, sicut alicui Prophetæ forte accidit, vel estatico, aut dormienti.

Si per solam speciem intelligibilem fiat, quomodo haberetur de viso memoria.

Resp. 2. De illo vidente esset dicendum idem quod de Moyse, et Paulo videntibus Deum omnes debent dicere. Illi enim recordabantur visionum, et visorum: siue ergo in specie Deum viderint, siue in se immediatè; absque phantasmatum operatione hoc factum est, quomodo ergo isti sine phantasmate recordabantur? vel dicendum, quod sola species illa intelligibilis ex connexione cum alio obiecto spirituali cognito sufficiebat ad talem recordationem, vel, quòd Deus modo speciali ad eam concurrebat. Idem esset dicendum de eiusmodi apparentia, et visione alicuius defuncti, vel Sancti, facta in specie intelligibili; imò in hoc casu minor est difficultas; quia diceretur, quod dum Deus speciem intelligibilem Sancti alicuius in intellectu viatoris efficeret, per quam solam intellectualiter videret, tunc, vel causaret etiam speciem sensibilem eiusdem Sancti in phantasia, vel non causaret tunc, sed postea, vt posset de visione recordari vel tandem ex connexione, seu similitudine alterius Sancti, seu speciei, cum illa specie intelligibili, hæc moueret intellectum ad recordationem rei visæ. Imò, vt optimè existimat Augustinus, et alij interpretes Sacræ Scripturæ, cum Deus Prophetis aliquid reuelauit, intellectualiter tantum hoc accidit, vel etiam sensibiliter, vt rerum imagines, siue intelligibiles tantum, siue etiam sensibiles illis infuderit.

Deus concurreret modo speciali.

Quomodo Prophetæ videbant.

Ob. 3. Si fieret in specie, non videretur, sed abstractiuè tantum cognosceretur: ergo.

193 Resp. dist. sequelam. Non videretur intuitiuè, et in se is, qui apparet, concedo, non videretur abstractiuè, nego. Parum autem hoc refert. Imò vrget hoc argumentum de omni propheiali cognitione, et ipsiusmet Ioannis, qui quidem omnes in imagine, siue purè intelligibili, siue etiam sensibili cognouerunt, et tamen fuerunt visiones, et Prophetæ appellabantur videntes. Iacob enim *Israel* dictus est, id est videns Deum; qui tamen numquam vt est in se eum vidit. Moyses Deum sæpè vidit, et ore ad os cum eo loquebatur, et tamen in specie eum vidit. Isaias dicit se vidisse Dominum sedentem, etc. et tamen, vt patuit in specie vidit. Vniuersaliter autem *August. lib. 12. Gen. ad lit. cap 6. 7. 8. 9. 10. 11.* et deinceps 28. & 29. tria docet dari visionum genera quædam enim est corporalis, quæ per oculos exteriores habetur; quædam spiritualis, quæ per sensum internum, seu communem; quædam tandem intellectualis, quæ solo intellectu fit. Licet postea illa tantum dici soleat per anthonomasiam visio, quæ siue per intellectum, siue per oculos externos terminatur ad obiecta in se existentia, et non in specie.

Tria visionum genera.

Ob. contra 2. et etiam 1. Si admittitur talis apparitio per speciem, siue sensibilem, siue intelligibilem, viatores exponuntur innumeris periculis illusionum. Mali enim Angeli possent species Sanctorum formare, et per eas loqui cum hominibus, et ad multa scelera inducere, ac illudere, seu decipere imò et ipsimet Sancti, eiusmodi illusionibus essent obnoxij.

Arg. contr. 2

194 Resp. dist. sequelam. Exponerentur his periculis incauti, superbi, ambitiosi, rudes, etc. concedo. Prudentes, humiles, pauperes spiritu, et cordati, nego. et nego contequ. Licet enim multi Pseudoprophetę in antiqua lege falso prophetauerint, et mendacia diuinauerint; et à dæmone illusi se à Deo illuminatos putauerint, non proinde omisit Deus veros Prophetas per imagines, et species rerum intelligibiles, ac sensibiles instruere, docere, ac illuminare. In pœnam autem, et populorum, et iniquorum Pseudoprophetarum immittebat Deus in eos spiritum erroris, et sic ab Antichristo permittet multos decipi, vt in suo loco dictum est. Et si ergo, vt infra dicetur, Diabolus transfiguret se in Angelum lucis, et suis inuentis, apparitionibus, ac illusionibus multos studeat dementare; non proinde veræ apparitiones in spiritu negandæ sunt; alioquin omnes Propheticas visiones negare oportebit, imò et ipsius celebratissimam Ioannis Apocalypsim; cum tamen, vt de se testatur in primo cap. in spiritu, id est in imagine intellectuali, ac sensibili interna, omnia viderit, quæ ibi narrat. Quænam autem sint signa veræ, vel falsæ apparitionis, aut reuelationis, licet nos in muneris non sit, aliquæ tamen de illis regulæ infra adducentur, in §. 7 & 8.

Instanti expositi sunt periculis illusionum.

Periculum hoc non officit.

Talis apparens abstractiuè videretur.

Ob. 3. Etiam si tales apparitiones essent à Deo, vel bono Angelo, adhuc tamen essent falsæ, et deceptoriæ: ergo. Anteced. prob. Per eas similitudines putarent homines se videre, vel res corporeas, vel spiritua-

Ex absurdo arg. quia essent falsæ,

tuales; et tamen eas non viderent, sed solas similitudines earum. Si autem ab aliquo interrogarentur, quid viderint, dicerent, se vidisse homines, animas, leones, etc. cum illa non viderint.

Vera essent apparitiones & vera visa, sed in imagine;

195 Resp. neg. anteced. Apparitiones enim illæ essent veræ, sed in imagine, sicut accidit nobis, cum in absentia obiectorum, ea mente, vel etiam sensu interno cognoscimus, ac recogitamus; illæ autem sunt veræ apparitiones, et veracia visa, licet in imagine sint visa. Idem autem dicendum est de illis: nam Iacob *Gen* 32. ait. *Vidi Deum facie ad faciem*; et tamen Deum non vidit in se, imo neque in specie, sed Angelum cum quo luctatus est. *Gen* 28. *Scalam vidit Iacob stantem super terram, cuius cacumen cælum tangebat, & Angelos ascendentes & descendentes & Dominum innixum scalæ.* et tamen nihil horum vidit in substantia, sed omnia repræsentata in speciebus. *Isaiæ cap* 6. ait. *Vidi Dominum sedentem super solium, & Seraphim stabant super illud sex alæ uni, &c. & Dominum exercituum vidi oculis meis.* et tamen hæc omnia repræsentata videbat. *Hieremi* 1. ait. *Virgam vigilantem ego video*, et iterum ibi *ollam succensam ego video.* et neutrum vidit in substantia, sed in imagine: *Ezechiel cap.* 3 8 37 40. et alijs multis in locis, multa se dicit oculis suis vidisse, et tamen *cap.* 8. dicit, *& ecce similitudo*, item *cap.* 40. 41 43. dicit. *Speciem vidi se.* et vt alios Prophetas, ac videntes omnes; de quibus possem innumera referre, *Act.* 7. de Stephano dicitur, *Vidit cælum apertum, & Iesum stantem à dextris Dei.* et ipse ait, *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* et tamen Ioan. dicit in imagine hoc accidisse, sic. *non revelatione elementorum, sed Spiritus sancti revelatione, qua in corde tuo fiebat. Act.* 10. *Cornelius vidit in visu manifeste Angelum Dei introeuntem ad se, et multa dicentem*, et tamen in specie fuit. ibidem ipsemet Petrus *vidit cælum apertum, & vas quoddam velut linteum magnum quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terra, & volatilia cæli, &c. quod factum est per ter.* et tamen nullum horum vidit in substantia, sed omnia repræsentata. et alia præteriens ex Apocalypsi sexcenta possent sumi exempla, in quibus Ioannes dicit se vidisse innumera, *cap* 1. *Vidi septem candelabra aurea, & in medio similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mammillas, &c.* multa, *cap.* 3. dictum est sibi *inunge oculos tuos, vt videas*: *cap.* 4. *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum*, et aliæ multæ visiones rerum, cælorum, animalium, Angelorum, dæmonum, abyssi, mundi noui, etc. vsque ad 21. caput narrantur. cum nullum horum Ioannes viderit secundum substantiam, sed omnia in specie, ac imagine. et tamen veræ sunt visiones. et *Augustinus* regulam generalem de eiusmodi visis, seu apparentibus assignat in *libr.* 12. *de Gen. ad lit cap.* 4. declarans illud Pauli raptum vsque ad tertium cælum, dicit intelligi posse etiam de cælo in spiritali imagine corporali similem, addens, *nam & nos cum somnia nostra narramus, vel aliquam in eis revelationem, vidi montem, vidi fluuium, vidi tres homines, & si quid eiusmodi ea nomina tribuentes illis imaginibus, quæ habent res ipsæ quarum similes erant.* Itaque visa in apparitionibus sunt ea, quæ nominamus, non in substantia, sed in repræsentatione; vt liceat dicere, vidi cælum, Angelum, terram, mundum vidi repræsentatum.

Aug. exemplum de somniante.

Adde quod egregie docet *August. lib.* 2. *ad Simplic. qu.* 3. *& libr. De octo dulcitij qq. quæst.* 6. omnia visa in somno, vel extasi proprijs nominibus repræsentatorum nominamus, vt si appareat imago Salustij. Ciceronis, &c. dicimus vidi Ciceronem, Salustium. Sic Pharao in somnio vidit spicas, & boues, sic & alij. Imò licet Ioannes in Apocalypsi omnia in imaginibus viderit, ea tamen proprijs nominibus appellat *Vidi agnum, vidi cælum, Ierusalem, &c.* Idem docet *Theodoretus in lib.* 1. *Reg. cap.* 28. declarans apparitionem Samuelis Sauli, quam dicit fuisse in imagine,

Instab. Neque per hoc saluatur, quod visa sint vera, ergo deceptoria. Anteced. prob. Quia non sunt res quas putat videre videns: ergo apparitio illa est deceptoria.

Multa exempla.

Stephanus in imagine vidit,

Visa vera sunt in repræsentatione non in substantia,

196 Resp. dist. antec. Non sunt vera in substantia, concedo, in repræsentatione, nego, Nam repræsentatiuum illud est verum repræsentatiuum, sicut omnes statuæ, & aliæ similitudines, repræsentantes originalia, sunt vera repræsentatiua. Vnde *August lib.* 4. *de an. & eius orig. ad Vincent. cap* 21. loquens de visis in specie à Ioanne in Apocal. ait, *vbi visa sunt animæ martyrum, in eadem revelatione visus est agnus, quasi occisus, & habens cornua septem, ibi equi, ubique animalia sicut oportuit figurata, ibi postremo, & stellæ ceciderunt, & cælum plicatum est, vt liber, nec tamen tunc sonuit mundari. Ista itaque omnia sic sapienter accipimus, quamuis dicamus visa veracia, non tamen vera dicimus corpora.* hæc *August* eleganter quidem, vt quisque sciat, quod in eiusmodi apparitionibus, & visionibus per species, seu similitudines corporum, *visa veracia sunt*, quia vera significant, seu repræsentant, sed corpora vera non sunt, quia solum repræsentatiua sunt. Vnde *Tertull. lib de anima c.* 57. in fine ait. *Non enim quia videntur vera sunt, sed quia admonentur*, itaque res visa non est ipsa res, sed eius species, at significatum eius verum est. Non ergo sunt deceptoria, quia apparitiones illæ ordinatæ sunt ad sic demonstrandum.

Ira Cornelius, & Petrus.

Elegans Augustini doctrina.

Multa ex Apoc. sunt figuræ exempla

Quare non sunt deceptoriæ.

Omnia in specie vidit.

Vrgeb. Videns talia apparentia iudicat esse vera obiecta, & vera corpora visa in

pro-

propria substantia; ergo decipitur.

Videns illa non debet iudicare, quod sint ea secundum substantiam.

197 Resp. Quod si videns sic iudicat, ipsemet decipitur, vt ait *August. loco nuper cit. de anima, & eius orig. c. 21. Falleris autem in eis, non quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ea, sicut accipienda sunt, accipis.* Qui ergo eiusmodi apparitiones habet, prudens in hoc, sicut in cæteris esse debet, vt benè consideret, an in somno, vel in vigilia eas habuerit. Et si in vigilia, an in extasi, seu cum alienatione animi, an sine ea, & cum perfecta aduertentia. & sic non decipietur iudicans esse corpora, seu alia obiecta in propria substantia. Adde ex cod. *August. lib. de spiritu & anima cap. 24.* quod *in extasi quando ab omnibus sensibus alienatur, & auertitur anima, amplius quam in somno, ipsa mente diuinitus adiuta, vel aliquo ipsa visa exponente, sicut in Apocalypsi Ioanni exponebatur, magna reuelatio est. Cum enim bono spiritu assumitur anima fallí non potest, quia sanctis Angelis mirabilibus modis visa sua facili quadam, ac potenti motione, vel commixtione nostra faciunt esse, & visionem suam quodam ineffabili modo in spiritu nostro informant.* idem docet *de cura pro mort. ger. cap 11.* Vnde desumi potest regula, quod dum talia ex Dei fauore videntur, non fallitur videns in iudicando esse vera obiecta, sed iudicat esse veras representationes, ac similitudines.

Quomodo debet se gerere videns tales apparentias in iudicando, an in substantia sint visa.

Arg contra 3.

Ob. contra 3. Incongruum videtur, vt cum tales fiunt apparitiones, nesciatur certò, an vera obiecta sint, an veræ similitudines eorum. Ergo non est incertum.

Parùm refert scire si in substantia, vel in imagine res videntur.

198 Resp. neg. anteced. Parum enim refert, quod nesciamus, an sic, vel sic fiant. Sufficit si is cui fit apparitio sciat; imo nihil officit, si etiam ipse nesciat, sicut an in specie, seu imagine, an in corpore vero sit apparitio, sicut de rusticano illo refert *August. vbi supra*, & Paulus ipse 2. *Cor. 12.* cum raptus est vsque ad tertium cælum, sed ait, siue in corpore, siue extra corpus nescio; imo idem *August. lib. 12. Gen. ad lit. cap. 14* de omnibus, & de Petro ait. *Nec aliquid obest omnibus hominibus, quod cum dormiunt vera corpora esse arbitrantur. Quorum similitudines in somnis vident, nec aliquid obfuit Petro quod soluto à vinculis sequente Angelo deducente, factum est repentino miraculo, vt putaret se visum videre. Vel cum in illa extasi respondit, nequaquam Domine, quia nunquam manducauit omne commune, & immundum; putauit ea ipsa, quæ in illo demonstrabantur, tamquam vera animalia. hæc quando aliter inuenta fuerint, quam putata sunt cum viderentur, non nos pœnitet ita fuisse visa. si non arguatur, vel infidelitas diuina, vel opinatio vana, siue sacrilega.* Imò subdit, *cum visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quod ludificentur oculi, si non erronea in veritate fidei, & intelligentia sanitate; aut si ludificet animam spirituali visione corporum imaginibus, vt putet corpus esse, quod non est, non aliquid obest anima si pernitiosa suasioni non consentiat.* Ex quibus omnibus eruitur, quod si facta apparentia in aliqua specie, videns aliquando non certò scit, an sit in specie, an sit in vero obiecto, nihil refert.

Exemplum Pauli confirmat.

Ex August. necessaria doctr. pro eiusmodi apparitionis iudicio.

## §. 5.

## *De apparentijs in somno, & quomodo fiant.*

Apparitiones multæ in somno fiunt.

ADu. quod in §. 2. & 3. de possibilitate apparitionum in imagine locuti sumus. in hoc autem de facto loquemur, quid nempe, & quomodo in somnis appareat. Ideo

199 Dico 1. Multæ defuctorum apparentiæ præter naturæ ordinem in somno accidunt. Dixi *præter naturæ ordinem*; quia frequentes sunt illæ, quæ accidunt à natura, vt patet in somniantibus regulariter.

Ex script. Apparitio Iacob.

200 Prob. 1. ex *Gen. 28. Vidit Iacob in somnis scalam stantem.* & *cap. 31. Vidi in somnis ascendentes, & descendentes Angelos. cap. 37.* Ioseph in somno vidit se esse cum fratribus in agro, & ligare manipulos, suum autem manipulum consurgentem stare, & cæteros fratrum manipulos adorare illum. Item vidit quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare eum. *cap. 41.* aliud vidit Pharao in somno, quod ab eodem Ioseph fuit explicatum, nempe septem vaccas, & septem spicas, &c. quod de charitate, seu penuria segetum post abundantiam fuit à Ioseffo explicatum. 3. *Regum 3. Dominus apparuit Salomoni per somnium nocte.* 2. *Machab. 15. Iudas Machab. In somno vidit Oniam, qui fuerat summus sacerdos manus protendentem orare pro populo. Post hoc apparuisse alium virum ætate, & gloria mirabilem, &c. Oniam verò dixisse hic est frater amator, & populi Israel. qui multum orat pro populo Ieremias propheta Domini.* imò *Num. 12.* Dominus promittit se in somnis etiam loquuturum Prophetis. Item in nouo testamento *Matt. 1. Angelus apparuit Ioseph in somno, dicens accipe puerum. cap. 2.* iterum *apparuit Angelus Ioseph dicens, surge, & accipe puerum, &c.* quæ apparitiones in somnis de sacra Scriptura accepisse sufficiat, nè in vanum omnes referamus, quæ ita authenticæ non sunt.

Apparitio duplex Iacob.

Apparitio Pharaonis.

Salomonis.

Iudæ Maccabæi.

Ioseph sponsi Mariæ.

201 Conf. ex Ecclesiasticis Historiis, ex quibus paucas etiam, & notiores adducemus ab omnibus admissas, ne simplicium, & mulierum præsertim somnijs aurem præstasse coniiciantur.

Petri, & Pauli, Constantino.

202 Petrus, & Paulus Constantino sic apparent. in edicto enim suo ad Syluestrum, sic alloquitur. *Nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus aduenisset, adsunt Apostoli Sancti Petrus, & Paulus dicentes mihi, &c.*

Agnetis.

203 Agnes, vt refert *Ambr. ser. 90.* sic apparet, Constantiæ licet adhuc paganæ. *Venit ad tumulum martyris nocte, & licet pagana precesfideliter fundebat, quod dum faceret repentina somni suauitate corripitur, & vidit per eisum beatissimam Agnetem talia sibi monita proferentem. Constanter age Constantia, & crede, &c.*

Gamaliellis, & Stephani.

204 Gamaliel & Stephanus protomartyr, Luciano Presbytero dormienti apparuerunt significantes locum in quo eorum condita erant corpora: ita in hist. S. Stephani.

Agathæ.

205 Agatha sic apparuit Luciæ Siracusanæ pro Matre orante.

Io. Euang.

206 Ioannes Euangelista, & Philippus Apostolus apparuerunt Theodosio Imperatori in somno, ita refert *Theodoretus libr. 5. Eccles. hist. c 7.*

Cosmæ, & Dam.

207 Cosmas, & Dammianus apparuerunt in somnis Iustiniano Imperatori ægrotanti, etiam moribundo, eumque curauerunt. Ita *Procopius Cesarien. de ædificijs Iustiniani orat. 1.*

Eutychij m.

208 Eutychius Martyr apparuit in somnis Redempto Ferentinæ Ciuitatis Episcopo, eumque solatus est. Ita & *Gregor. Mag. lib. 3. Dialog. c. 38.*

Maria Virg.

209 B. Virgo Ioanni Damasceno in somnis apparuit, eique truncatam manum dexteræ iunxit, ex *Baron. an. 728. t. 9.*

Petrus Laurentio ep.

210 Petrus Apostolus Laurentio Britanniæ Episcopo in somnis apparuit, ex *Beda lib. 2. hist Anglic. c. 6*

Ioan. Monachus.

211 Ioannes Monachus apparuit mulieri cuidam in somnio, vt refert *Augustin. lib de cura pro mort. ger c. 17.*

Apparitiones in somnis fiunt per imagines.

212 Et vt innumeras in dies contingentes apparitiones in somnis, omittam, sufficiant pro coronide illæ, quas referunt Patres *Synodi Nicenæ 2. act 4.* quæ plerisq; acciderunt.

213 Dico 2. Apparitiones, quæ accidunt in somnis fiunt non per corpora exterius apposita, sed per imagines, seu sensibiles species in phantasia productas, obiecta apparentia repræsentantes.

Aug. doctrina digna.

214 Prob. ex *Augustin. lib. 12. Gen. ad lit. cap. 2. Cum enim, vel in somnis, vel in extasi corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino à corporibus, nisi cum homo redditus sensibus corporis se cognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas non per sensum corporis hauriebat. Quis enim cum à somno euigilauerit, non continuo sentiat imaginaria fuisse, quæ videbat, quamuis cum ea videret dormiens à corporalibus visis discernere non valebat:* & post alia multa, ait. *Ita non poterat quamuis mirabiliter vigilans anima dormientis, nisi duci imaginibus corporum, ac si corpora ipsa essent.* Ergo per imagines tunc fit apparitio.

Multa eius loca.

215 Conf. ex eodem ibidem *cap. 4.* vbi discutiens raptum Pauli, & visionem tertij cæli, quæ it an vere, an per imaginem id acciderit, cum vtroque modo fieri potuerit, vtitur hoc exemplo *Nam & nos dictmus cum somnia nostra narramus, vel aliquam in eis reuelationem, vidi montem, vidi fluuium, vidi tres homines, & si quid eiusmodi; ea nomina tribuentes illis imaginibus, quæ habent res ipsæ, quarum similes erant.*

216 Conf. 2. ex eodem *lib 4. de anima, & eius origine cap. 17.* vbi loquens de his, quæ in somnis videntur imagines, ait. *De his visorum imaginibus maximè putatur animam non esse corpoream. nisi velis, & illa corpora dicere, quæ præter nos metipsos tamen multa videmus in somnis, cælum, terram, mare, Solem, montes, fluuios, arbores, animalia. Hæc qui corpora esse credit, incredibiliter desipit; sunt tamen corporibus omnino similima. Ex hoc genere sunt etiam, quæ alia significantia diuinitus demonstrantur, siue in somnis, siue in extasi*

Alia Augustini loca adhuc.

217 Conf. 3. ex eodem ibid *cap 18.* vbi refert visionem quandam Sanctæ Perpetuæ, quæ in somnis sibi visa est cum viro quodam Ægyptio luctari, & argumento à sufficienti conuincit Vincentium, quod vir ille visus luctans non erat corpus, sed imago corporis; & concludit. *Non mihi videtur ab illo errore posse erui, nisi Deo adiuuante diligenter consideraueris visa somniantium, & inde cognoueris esse quasdam, quæ non sunt corpora, sed similitudines corporum. Quamuis enim & ea, quæ similia corporibus cogitamus ex eo genere sint, tamen quod ad mortuos attinet, aptior coniectura de dormientibus ducitur.*

Aliter dicere est error.

218 Conf. 4. ex eodem ibid *cap. 21. Non omnis similitudo corporis corpus est. Dormi, & videbis, sed cum vigilaueris vigilanter discerne, quod videris. in somnis enim tibi corporeum apparebat, nec erat corpus, sed similitudo corporis erat:* & post aliqua, ait. *Ex hoc genere similitudinum corporalium, quæ non corpora, sicut corpora apparent, sunt omnia quæ sanctos libros legens in prophetiis etiam visionibus non intelligis. Rebus significantur ea quæ geruntur in temporibus, vel præsenti, vel præterito, vel futuro.* Et respondens ad tacitam obiectionem de fallacia videntis, & visi, ait. *Falleris autem in eis* (putans esse corpora) *non quia sunt ipsa fallacia, sed quia non ea, sicut accipienda sunt accipis. Vbi enim visa sunt animæ martyrum, in eadem reuelatione visus est agnus, quasi occisus habens cornua septem, ibi equi, aliaque animalia, sicut oportuit figurata. Ibi postremo, et stellæ ceciderunt, et cælum plicatum est vt liber, non tamen concidit mundus.* Ergo, cum fit apparitio in somnis, non adsunt corpora, quæ apparent extra, sed solum imagines, seu similitudines corporum.

Non proinde fallitur videns, quia accipere debet vt sunt.

219 Conf 5 ex eodem *Augustin. lib. 10 de spiritu, et anima cap. 25.* vbi explicans omnia quinque genera visionum, & apparentiarum, quæ in somnis possunt accidere, do-

docet ea per species, seu similitudines corporum accidere: ergo. Anteced. probatur. Quia omne, quod in somno potest videri, & apparere, vel est oraculum, vel visio, vel somnium, vel insomnium, vel phantasma, ita *August.* ibi. Oraculum enim est, cum in somnis aliqua Sancta grauisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus aliquid euenturum, vel non euenturum, faciendum, vel deuitandum aperte denunciat. Visio est cum id, quod videt quis eodem modo, quo apparuerat eueniet. Somnium est figuris tectum, & quod sine interpretatione intelligi non potest. Insomnium est quando id, quod fatigauerat vigilantem, ingerit se dormienti, sicut est cibi cura, vel potus, vel aliqua studia, vel artes; vel infirmitates. Secundum namque studia, quæ quisque exercuit, somniat, & solitarum artium simulacra in præsentia mentis impressa apparent in somnis; ita iuxta infirmitates, &c. Phantasma est quando, qui vix dormire cœpit, & adhuc se vigilare æstimat, & aspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas discrepantes, & varias, lætas, vel turbulentas. hæc & alia plura ibi *August* ex quibus habetur, quòd omnes apparitiones, & visiones, quæ in somnis habentur, fiunt per imagines.

Omnia visionum genera quæ in somnis accidere possunt.

Oraculum.

Visio.

Somnium.

Insomnium.

Phantasma.

220 Conf. 6 ex eodem *ibid. cap* 24 vbi, tam apparitiones extaticorum, quam visiones Prophetarum, & præcipuè Ioannis in Apocal. & eas, quæ in somnis habentur, vt illæ Ioseph *Matthæi* 1. & 2. dicit fuisse per imagines, seu similitudines: ergo.

Ex eodem August.

221 Prob. tandem à sufficienti. Eiusmodi apparitiones nequeunt dormientibus aliter contingere, nisi per imagines: ergo. Anteced. prob. Tunc enim homo viator sopitus est, & externus visus impeditus, nè aliquod extra se videat. Et tamen dormiens aliqua corporea, & motus corporeos videt, audit, tangit, &c. ergo non potest hoc accidere, nisi per cognitionem internam sensibilem, ac intellectualem.

Arg. contr. 1

Ob. contra 1. Apparitiones in somno sunt periculosæ, ergo nequeunt esse supernaturales. Consequ. prob. Quia sic Deus esset causa deceptionis. Antecedens prob. Multæ species ab ipsa dormientis complexione formantur, vt quotidie docet experientia; multæ possunt à dæmone ingeri, & sic homo eas habens eiusmodi periculo illusionum subderetur.

Curiosis, incautis, & ambitiosis Sunt periculosæ apparitiones in somno,

222 Resp. dist. anteced. Sunt periculosæ, ignauis, & incautis, seu curiosis, aut ambitiosis, concedo. prudentibus, cautis, humilibus, & panperibus spiritu, nego. ad probat. de omnibus, dicemus infra aliqua signa verarum apparitionum, vt à naturalibus, & dæmoniacis discerni possint; pro nunc dico cum *August. lib.* 12. *Gen. ad litter. cap.* 12. B. *Cum spiritalis visio penitus alienato à sensibus animo imaginibus corporalium detinetur, siue in somnis, siue in extasi, si nihil significant quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes.* Facilis ergo est hæc via ad cognoscendum, quando apparentiæ, seu imagines sunt naturales. Quando autem illæ imagines aliquid significat, si scilicet per eas aliquid faciendum, vel omittendum, aut dignoscendum innuatur, tunc ait *August. lib.* 12. *Gen. ad lit cap* 14. *Adhibetur intellectus quærens quid illa significent, vel utile doceant, & aut inueniens ad finem sanum peruenit, aut non inueniens in disceptatione se tenet, ne aliqua pernitiosa temeritate prolabatur in exitialem errorem. Indicat autem sobrius intellectus diuinitus adiutus, quæ vel quanta sint, in quibus etiam aliud putare, quam est, non sit animæ pernitiosum.* & de his adducit exemplum Petri, qui, cum ab Angelo de carcere educeretur putauit se visum videre. & in *lib. de spiritu, & anima cap.* 24. ait, *à Deo hominem adiuuari ne decipiatur, & sola mente diuinitus adiuta, vel aliquo ipsa visa exponente sicut in Apocalypsi Ioanni exponebantur, magna reuelatio est. Cum enim bono spiritu assumitur anima, falli non potest.* Alia autem verarum apparitionum signa in septimo ß aperientur, in quo aliqua certa signa, & alia dubia adducentur, quibus dignosci possit, an apparitiones significatiuę, seu reuelationes sint à Deo, vel immediatè, vel per bonum Angelum; an verò sint à dæmone se transfigurante, vt ait Apostolus in Angelum lucis. Facillimum autem dicemus esse, eas agnoscere, si sunt de obiecto malo, seu contra bonos mores, vel de alio contra communes Ecclesiæ regulas, vel non tendentes ad Dei gloriam, vel animarum salutem. Sed difficilius erit quando docet, vel instruit de aliquo bono, siue opere præcepti, siue consilij; quia sub specie pietatis ad aliquem pessimum finem intendit; ait enim *Bernardus ser. de vitat. Verb. Domini, transfigurat se malignus iste spiritus aliquando in Angelum lucis, vt virtutis simulatione plus noceat; fundet nonnullis singularis munia quædam, vnde cæteri scandalizentur; non quia diligit istorum, sed quia scandalo delectatur, &c.* & ita de alijs eiusmodi bonis operibus. Dicemus ergo infra, quomodo versutiæ dæmonis sunt discernendæ, vt apparitio cognoscatur, si diuina, vel dæmoniaca sit. Adde quod argumentum hoc est commune pro omni apparitione, & visione, siue in somno, siue in vigilia, & hoc tam in extasi, quam in plena aduertentia. Et nihilominus non proinde Deus abstinuit à concessione apparitionum, & reuelationum in somnis, ac vigilia. Cum enim eas permittit, & Dei perfecta sint opera, ipsemet, vt Augustinus docet dat intelligentiam ad cognoscendum diuinas esse ad erudiendum. Cum autem permittit dæmonem se immiscere in illis, & homines tentare, ac decipere,

Quando nihil significat sunt naturales.

Aliquæ apparitiones facile discernuntur, aliæ non quando scilicet sunt de malo.

Difficillimè, quando sunt de bono.

pere, dicendum est cum Glossa in 2. ad Cor. 11. Ver. *Satanas transfigurat se, &c.* Deum hoc permittere ad tentandum eos, quos ita gredire opus est, vel decipiendum, prout iustum est, Bonis ergo permittuntur hæc diaboli attentata, vt humiles fiant, & non sint in semetipsis confidentes, quos tamen regulariter decipi non permittit, malis verò, ambitiosis, & curiosis, in pœnam suæ curiositatis, & ambitionis.

Quare Deus permittit falsas apparitiones.

Ob. contra 1. Per apparitiones in somnis, Sancti, alijque apparentes multa opera corporalia exercuerunt; vt curationes, aliumque localem, & corporalem motum; ergo. Antec. patet de S. Petro cum S. Agata: de B. Virgine cum Ioanne Damasceno, de S. Greg. cum Sabiniano, & alijs innumeris. Ergo apparentes, in propria substantia, & corpore apparent.

Arg. contr. 2

223 Resp. neg. antec. Etsi enim ipsi apparentes in somnis, vsi sint curare, aliaue miracula edere: tamen non ipsi, sed Deus ad eorum intuitum, seu meritum opera illa edidit. Imò etiam si in proprio corpore, & anima apparuissent, adhuc tamen non ipsi, sed Deus miracula fecisset; Sancti enim miracula facere dicuntur, quatenus Deus ad eorum preces ea facit. Sed de hoc alias.

Miracula, quæ ab apparentibus fieri videntur a Deo fiunt.

## §. 6.

## *De apparentijs extaticorum, & quomodo fiant.*

224 Dic. 1. Quod estasis Græce, Latinè dicitur stupor, siue mentis remotio, vel alienatio ex re aliqua repentè obiata, & Dionysius vocat eam abstractionem mentis à corpore ad contemplanda cœlestia. Dicitur etiam excessus; & qui ab ea corripiuntur extatici appellantur. Multiplex est estasis, seu excessus. Quidam enim est naturalis procedens ex atra bile, vel senio, & affert deliriũm; imò inter maledictiones apponi solet *Deuter. 28. Deliratio, cæcitas, & excessus mentis corripiet impios.* & aliquando accidit ob inopinatum pauorem, vt habetur de Isaac, quando benedicto Iacob pro Esau, hic aduenit, dixitque se esse Esau primogenitum eius, sed hæc diuina fuit, saltem reuelatio, ait enim textus *Expauit Isaac stupore vehementi.* idemque de Iacob quando audiuit, Ioseph filium suum viuere, & dominari in Ægypto; *Stupuit enim, & quasi de graui somno euigilans, &c.* quidam vero excessus est supernaturalis, quando nempe à Deo rapitur mens humana, & totaliter à sensibus est distracta, vt diuinis attendat, & à Deo implcatur. De quibus excessibus habemus innumera scripturæ exempla, vt infra. Quidam est dæmoniacus, quando magica arte quis à sensibus alienatur, & in ea alienatione, dæmon per varias species illudit phantasiam, & per hanc mentem extatici putantis se ambulare, choreis, ac tripudijs interesse, volare, &c. quæ omnia cauenda docet *Consil. Ancir. c. 34. & cap. Nec mirum, 26. quæst. 5.* Cum ergo tam in dæmoniaca, quam in diuina, seu supernaturali estasi, multa appareant, videndum est, quæ nam appareant, & quomodo; an scilicet res ipsæ, vel earum species, seu similitudines, perquid autem vera, seu diuina estasis à dæmoniaca, & naturali differat, dicetur postea.

Estasis quid sit.

Dicitur etiã excessus.

Cause ex quibus oritur estasis.

Excessus dæmoniacus.

225 Dico 1. Dantur in hominibus extases diuinæ, & multæ apparitiones in eis habentur.

Dantur extases diuinæ, & apparitiones in eis.

226 Prob. 1. de Adami extasi, vbi enim *Gen 2.* habetur *immisit Deus soporem in Adam.* Patres legunt extasim, alij somnum, & extasim in qua multa vidit, *Aug.* enim *lib. 9. Gen. ad lit. cap. 19.* ait: *Illa extasis, quam Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immissa, vt ipsius mens per extasim particeps fieret, tamquam Angelica curiæ, & intrans Sanctuarium Dei intelligeret nouissima. Denique euigilans, tamquam prophetia plenum cum ad se adductam costam mulierem suam videret, erubuit continuo, quod magnum Sacramentum commendat Apostolus, hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, &c.* multa, idemque confirmat *tract. 9. in Ioan.* post medium. idem *Tertull. lib. de an. cap. 11.* cæcidit extasis super illum Spiritus Sancti vis operatrix prophetiæ. Item innumeri docuerunt secuti *Augst.* et *Bernardus, Dionys. Carthus. in Gen. art. 21. qu. 8. Abulen. Gen. 2. quæst. 24. & cap. 13. quæst. 356.* Moderni autem Doctores, verumque in Adamo confitentur, soporem, scilicet, & extasim; & præterea cum *August. Tertul. &c.* propheticas visiones nouissimorum. Ergo datur extasis, & visio, seu apparitio in illa. Idem docet *Philo Iud. lib. Quis rerum diuinarum heres sit.*

Adæ sopor cum extasi.

227 2. probatur de Abrahamo *Gen. 15. Cum sol occumberet pauor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum, dictumque est ad eum scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum, &c.* in quo loco Patres docent, Abrahamum mentis excessum passum esse, & multa ei reuelata. neque hic solum, sed & alibi alias apparitiones, siue in vigilia, siue in somno, siue in extasi habuit Abraham, vt *Gen. 18.* ad Illicem mambræ, & alibi.

Abrahæ extasis.

228 3. de Isaac *Gen. 27. Qui expauit stupore vehementi.* Glossa Ordin. Ver. *Expauit*, inquit, vt quædam mentis alienatio sequeretur, quæ extasis dicitur, quæ in magnarum rerum reuelationibus fieri solet. Vnde intelligendum, spiritualiter esse admonitum Isaac, vt confirmaret benedictionem in Iacob, cui potius irascendum fuit, quia Patrem fefellit, hæc Glossa.

Isaac extasis.

3. de

Dauid extasis, & reuelatio.

228 1. de Dauide sæpè hoc habemus, nam *Psal.*30 sic intitulatur *Psalmus Dauid pro extasi*, & Interl. ait excessu mentis qui fit pauore, vel mente rapta ad superna, in *ver* 23. sic ait. *Ego dixi in excessu meo proiectus sum à facie oculorum tuorum, ideo exaudisti vocem orationis meæ*; alienatus ergo mente ista cognouit. in *Psal.* 67. 28 habet, *ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu*, Interlin. dicit mente sursum vecta. Glossæ Ordinar. & Lyr. dicunt hic præuidit, & prædixit raptum, & reuelationem Pauli, qui futurus erat de tribu Beniamin, & adolescentulus, quia post alios Apostolos ad fidem vocatus. in *Psal.* 115. ait. *Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax.* Interl. ait in extasi mea, mente rapta ad superna. In ijs ergo excessibus multa vidit, & audiuit. ex vet. test. hæc sufficiant.

Præsiones quid.

Petri extasis, & reuelatio.

230 Prob. 2. ex nouo testamento, *Act.* 10. *Ascendente Petro in superiora, vt oraret cecidit super eum mentis excessus, & vidit cælum apertum, &c.* Interl. dicit *Ebrietate à terrenis.* in ea autem extasi vidit illud linteum dimitti à cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli, & reuelata est ei conuersio gentium. quia statim *aduenit Cornelius Centurio, & prosidens ad pedes eius adorauit eum.*

Paulis extasis & reuelatio.

231 2. de Paulo qui 2. *Cor* 12. ait, *veniam ad visiones, & reuelationes meas. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit; quoniam raptus est in Paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Glossa Ordinar. quæ est *Aug.* Ver. *Vsque ad tertium cælum*, in fine ait, tunc enim Apostolus non vixit, vt homo, id est secundum visum sensuum corporis, sed ablatus est omnis sensus hominis. idem dicit *August. lib.* 12. *Gen. ad lit. c.* 2. 3. 4. 5. & alij cum eo quod excessum, & extasim Paulus passus sit. Interl. Ver. *Raptum huiusmodi*, dicit, *ostendit ei Deus vitam, in qua videndus est in æternum*, in excessu ergo, raptu, seu extasi vidit, & audiuit ea quæ non licet homini loqui.

Ioan. suasp. extasis & reuelationes multæ.

232 3. de Ioanne in Apocalypsi, tota enim & multiplex illa futurorum visio, quæ Ioanni fuit communicata, in extasi accidit; sic enim ait in *cap.* 1. *Ego Ioannes frater vester fui in Insula, quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei, fui in spiritu in Dominica die, & audiui post me vocem magnam, tanquam tubæ dicentis. Quod vides scribe in libro, & mitte Ecclesijs, &c.* Interl. Ver. *In spiritu*, ait, *in excessu mentis.* Lyr. dicit in extasi, idem docet *Augusti. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 2. & *lib. de an. & eius orig. cap.* 21. Omnes ergo apparitiones, & visiones habuit in spiritu, seu extasi, ac excessu mentis.

Alios excessus, & extases, quæ diuinitus alijs Dei seruis acciderunt, imò & maiis etiam hominibus non adduco, quia non existimo necessarium, cum allatæ ex Sacra Scriptura sufficiant ad firmandam conclusionem, quæ est, quod extasis detur, & in ea fiant apparitiones.

Alias adducere sui est supe fluum.

Dantur extases demoniacæ, & apparitiones, & reuelationes

233 Dico 2. Præter extases supernaturales dantur etiam magicæ, & dæmoniacæ, in quibus adhuc fiunt apparitiones, & habentur visiones, & reuelationes.

Simon Magus his artibus erat adductus.

234 Prob. ex *Act. Apost.* 8. de Simone Mago, qui vocabatur *Virtus Dei; propterquod*, ait textus, *multo tempore magijs suis dementasset eos.* Interl. Ver. *Dementasset*, ait *fallendo*, Glossa Ordinar. dicit, *dementare est rationalem mentem abstentare.* Lyr. ait, *dementasset eos*, id est mentes eorum alienasset; ad hoc ergo Simon Magus attendebat, vt posset sensus internos illudere, per falsas apparentias alienabat mentes videntium. & auscultantium, arte dæmonis impedientis fieri sensationes externas, vel eas etiam per mixtionem humorum, & aliarum qualitatum in obiectis, illudendo; vnde *Clemens l. lib.* 2. *recogn.* ait, eum arte dæmonis assistentis in corpore pueri, iam necati dicebat animam huius ab inferis reuocasse. Et Clemens Alex. de Simone Mago scribit, sic dementasse Neronem, vt obtulerit se illi, & ceruices sibi auferendas detulerit, iactans se die tertio resurrecturum. Et in facto ita eos fascinauerat, & mentes ministrorum, ipsiusque Imperatoris alienauerat, vt arietem loco ipsius decollarent, putantes se Simonem Magum decollasse; vt proinde eo post diem tertium apparente, creditus sit aliquod magnum numen, & statua illi fuerit Romæ erecta, *cum Inscriptione Simoni Deo Sancto.*

Aliquæ eius deceptiones

Magorum illusiones.

235 Prob. 2. ex historijs omnium Magorum, quia ita alienant hominum mentes, vt quæ præ oculis habent non videant, sed alia in phantasia, & in mente apparentia ex dæmonum opera causantium eiusmodi species talia repræsentantia: ergo. Anteced. prob. ex *August. lib.* 3. *de Trinit. cap.* 7. *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 19. & *lib.* 10. *cap.* 9. Possunt adduci plura exempla notoria, de Apollonio Tyaneo, qui præ cæteris ita dementauit homines, & illusit alienando à sensibus mentem, vt innumera, quæ non erant apparere faciebat in imagine, & in phantasia: præ cæteris autem Romæ carceratus disparuit è carcere, id est disparere visus est, & Puteolis apparuit sociis, deinde Antiochiæ visus est, vt refert *Baron. anno* 91 & alia incredibilia de hoc nequam ibidem leguntur. De Marco hæretico in probationem suæ sectæ multa fecisse, legitur in eodem *Baron. t.* 2. *anno* 135. Præstigia multa à Magis fieri solita refert idem *Baron. t.* 2. *an.* 204. & *t.* 3. *an.* 351. De Epimenide Cretensi, & Aristea Proconnesio Poetis clarissimis, sed nequissimis Magis re-

Apollonij Tyanei deceptiones, & alienationes

Marci hæretici fascinationes,

Epimenidis illusiones,

refert *Plinius lib. 7. cap. 52.* sic homines dementasse, eosque alienasse, vt apparerent quando sibi liberet, corpus relinquere, & animo liberè per orbem vagari. Licet alij verius fateantur ipsosmet dementatos extasim, & alienationem passos illhæc omnia illusoria vidisse.

Aliorum exempla.

De ipsismet Magis extasim patientibus Bodinus, esto damnatus in libris Dæmonomanię innumeras recenset eiusmodi extases, & *Cardanus in lib. rerum varior.* ad finem de suo Patre, qui per annos triginta dæmonem habuit familiarem, idem dicit.

Conc. Ame. documenti circa illa,

236 Prob. 3. *Concil. Antiq. c. 24. & Concil. Rom. 4. sub Damaso can. 5.* præcipiunt monendas esse Sagas, striges, seu lamias, aliasque magas, quod dum videntur sibi equitare, & per aëra incedere, longaque itinera conficere, & alia similia facere, sunt illusiones, & falsæ apparentiæ. Hæc autem, vt compertum est, sagæ, magi, striges, &c. patiuntur per alienationem mentis à sensibus externis. hi enim impediuntur, ne videant, quæ exterius sunt; & phantasia tenetur applicata ad eas imagines illusorias; intellectus autem videt, quæ in phantasia apparent; id autem accidere potest eis, tam in somno, quam in vigilia. Sæpe enim accidit, vt aliquis ex his, carceratus, iactauerit se nocte aliqua è carcere egressurum, & in regionem longinquam profecturum; ideoque in sero sumpta aliqua potione somnifera, vel obstupefaciente, in carcere consopitus, & in terram iacens tota nocte, expergefactus dæmonsu, vel ad se rediens, mentisque compos narrauerit mirabilia, tamquam de longinquo reuersus. Eiusmodi autem dæmoniaci excessus, & alienationes præsertim sagarum, & maleficarum frequentes sunt: quotidie puniuntur eius farinæ personæ, nec tamen deterrentur alij, sed faciłe se dementari à dæmone patiuntur, ò verè dementiam.

Quo ordine censetur hęc illusio, & alienatio, seu estasis dęmoniaca.

Dantur etiã extases naturales.

237 Dico 3. Præter extases, & apparitiones in ea supernaturales, nec non dæmoniacas, dantur extases, seu alienationes naturales ex aliqua passione, & multæ apparitiones, & fictiones ex turbata phantasia in eis contingentes.

238 Prob. ex passione aliqua, præsertim ex pauore, ac timore, talis accidit stupor, & excessus mentis, vt animus à sensibus sit alienatus. De Isaac habetur in scriptura exemplum, qui cum benedixisset pro Esau Iacob, adueniente Esau, & petente benedictionem debitam primogenito *repauit stupore vehementi, & vltra quam credi potest admirans, ait &c.* Glossa Ordinar. ait *vt quadam mentis alienatio sequeretur quæ extasis dicitur, &c.* licet alij putèt hanc extasion fuisse diuinam; alij verò dicant extasim fuisse naturalem; reuelationem verò in ea habitam, diuinam. Alia notatur de Iacob *Gen. 45* cum audiuit Ioseph filium suum viuere, *quo audito quasi de graui somno exsurgens, &c.* ergo naturalis alienatio, & extasis dari potest.

Iacob naturalis.

239 Prob. 2. ex alijs sacris, & prophanis historijs excessus istos referentibus ex timore, amore, gaudio, terrore, &c. eiusmodi passionibus accidentes. 2. *Paralipom. cap. 9. 3.* Regina Sabba videns magnificentiam Salomonis, &c. ait textus, *non erat pra stupore vltra in ea spiritus.* de Nabal, 1. *Reg. 25.* cum ei nunciasset Abigail vxor ipsius Dauidis iram contra ipsum, ait textus, *emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* de Portia vxore Bruti expectante nuncium de ijs, quæ in coniuratione cum Cassio in Iulium Cæsarem gerebantur, audiente quæ ab eo fiebant, & mittente assidue nuncios, præ dolore, ait *Plut. in Bruto*, Postremò longiore temporis tractu non substituerunt vltra corporis vires, sed animo fluctuatione æstuante fatiscens elanguit, ac priusquam se in cubiculum recipere potuit, repente inter suas sedentem animi defectus, atque impensus animi stupor corripuit color mutatus, ac suppressa vox. De gaudio refert *Ioseph Hebr. lib. 19. Antiq cap. 2.* de Claudio, quod interfecto Caligula, cum metu periculi sese abdidisset, in angulo latens à militibus ad imperium raperetur præ gaudio simul, & metu pedibus insistere minimè valens, sublatus in humeros, in castra est deportatus. Hæc & alia adduci possunt exempla naturalium excessuum; quæ quidem ad nos non spectant, cum eos inquiramus extases, in quibus supernaturales obtinentur apparitiones, ac reuelationes. Imò etiam liberè, absque vlla passione quis extasim potest voluntarie, & ad libitum pati.

Multæ estases naturales ex diuersis passionibus ortæ;

Sabba Reginæ.

Portia Bruti vxoris.

Claudius ex gaudio alienatus.

240 Vnde *S. August. lib. 14. de Ciuit. cap. 24* de quibusdam naturalibus hominum passionibus loquens, ait *sub C. Presbyter fuit quidam nomine Restitutus, in Parochia Calamensi Ecclesiæ; quando ei placebat, ita se auferebat à sensibus, & iacebat similis mortuo, vt non solum vellicantes, atque pungentes minimè sentiret; sed aliquando etiam si igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere; non autem obnitendo, sed non sentiendo non mouere corpus eo probabatur, quod tamquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus, hominum tamen voces si clariùs loquerentur, tamquam de longinquo se audisse postea referebat.* Ergo naturaliter liberè sine vlla passione potest etiam accidere excessus, seu alienatio mentis.

Estases voluntariæ naturales,

Exemplum Aug.

241 De alijs multis naturalem estasim, & alienationem patientibus referuntur mirabilia, vt ex cursu *Conimbric. lib. 3. de an. cap. 8. quæst. 8. art. 3.* Aulus Gellius refert de Socrate, quod per diu, & etiam per nox abstractus manebat, & de eodem *Aranda lib. de homine in particulari*, hispanicè conscripto, dicit per horam oculorum obtutu Solis radios conspexisse; & *Gratianus in*

Alij naturaliter extatici.

Di-

*Dilucidario* 1. *par. cap.* 8. de eodem Socrate, aliisque Gentilibus similia refert. hæc pro hoc loco dixisse sufficiat. Reliqua ad tract. de gratijs gratis datis reponimus,

242 Conf. ex *S. Augustin. lib. de cura pro mort. ger. cap.* 12. vbi de multis apparitionibus, & locutionibus vigilantium prolixè discurrit; sic, similia sunt somnijs nonnulla etiam visa vigilantium, qui turbatos habent sensus, vt phrenetici, vel quocunque furentes modo. Nam & ipsi loquuntur secum, quasi verè præsentibus loquantur, & tam cum præsentibus, quam cum absentibus, quorum imagines cernunt, siue viuorum, siue mortuorum. Deinde narrat successum cuiusdam infirmi, qui quasi in somnis, licet vigilaret mira vidit, quæ astantibus narrauit; & cum aliquibus in ea alienatione loquutus est. Et confirmari potest experientia eorum, qui multos naturaliter apprehendunt sibi apparentes, & de multis loquentes, & proinde tamquam reuelationes interpas venditantes.

Apparitiones incitati quocunque sint per imagines.

243 Dico 4. Apparitiones, quæ accidunt extaticis, siue extasis sit supernaturalis, ac diuina, siue etiam dæmoniaca, fiunt in imaginibus, seu speciebus, ac similitudinibus rerum,

Augustin. doctrina, de omni visi apparitione.

244 Prob. ex *D. Augustin. lib.* 8. *Gen. ad lit. cap.* 25. vbi loquens de Dei interna, & intellectuali cum homine locutione, illam ab alijs discernens, ait, *non loquitur per scripturam corporalibus instrumentis assumptam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales in spiritu imaginaliter fiunt, sicut in somnis, vel aliquo excessu spiritus, qui à Græcè dicitur extasis*, imò audit difficile esse cognoscere, an eiusmodi apparitiones, & visiones sint solum internæ, vel externæ. in *cap.* 27. ait, Deus per creaturam loquitur, *siue spiritalem, vt in somnis, & extasi cum similitudine rerum corporalium, &c. in lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 33. discutiens, quomodo loquebatur Deus cum primis parentibus post lapsum, ait, *fortassis etiam illo, quo fit per creaturam, siue in extasi spiritus corporalibus imaginibus, &c.*

Idem Aug.

245 Conf. ex eodem *lib.* 12. *Gen. ad lit. cap.* 2. sæpe relato, vbi docet apparitiones, & visiones in extasi fieri per imagines rerum corporalium. Secundo in *cap.* 12 ait, *cum spiritalis visio penitus alienato à sensibus corporis animo, imaginibus corporalium detinetur, siue in somno, siue in extasi, &c. in cap.* 24. *C.* ait, *spiritalis visio etiam sine corporali fieri potest, cum absentium corporum similitudines in spiritu apparent. in cap.* 26. ait, *cum rapitur anima in ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, ita vt omnino à sensibus corporis auertatur, amplius quam in somno*: & post aliqua. *Porrò autem, si quemadmodum raptus est à sensibus corporis, vt esset in illis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, &c.*

Tria apparitionum genera, ex eodem Aug.

246 Prob. 3. ex eodem *Augustin. lib. de spir. & an. cap.* 24. vbi tria apparitionum, & visionum genera in anima distinguens, nempe corporale, quo corpora exterius videntur; spirituale & dicit esse illud, quo corporum similitudines spiritu, non mente cernuntur. Intellectuale tandem dicit esse illud, quo nec corpora, nec species corporum videntur, deinde subdit. In visione spirituali anima fallitur, & iluditur quoniam ea, quæ videt aliqua vera, aliqua falsa, &c. & postea ait. In extasi verò quando ab omnibus corporis sensibus alienatur, & auertitur anima, &c. non fallitur. & tandem concludit. *Quacunque tamen illis natura eorum est; procul dubio corpui non est, non enim corpora visa illas imagines in spiritu faciunt, &c.*

Prob. ratione à sufficienti.

247 Prob tandem ex ijs, quæ dicta sunt in §. 4. de omni apparitione in imagine. Extatici enim alienati à sensibus, non vident, quæ circa se habent, & tamen multa vident. Igitur illæ visiones, in imagine, seu similitudine, atque specie fiunt. Alio enim modo accidere nequeunt; vt à sufficienti partium enumeratione concluditur.

Omnes apparitiones propheturum dicuntur.

248 Conf. ex ibi dictis de apparitionibus, & visionibus Patriarcharum, ac Prophetarum, de Visione Petri *act.* 10 de Visionibus Ioannis in Apocal. quæ omnes in spiritu, & alienatione mentis, seu extasi acciderunt, & tamen omnes in imagine factæ sunt. Idemque dicendum de alijs, quæ probis viris solent in dies accidere.

Modus omni cognoscendæ aliquid.

249 Conf. 1. Omne quod apparet, vel percipitur externo sensu, & sic etiam interno, & intellectualiter, quia omne cognitum corporaliter ab homine, cognoscitur etiam intellectualiter, vel absque concursu sensus externi cognoscitur solum per internum sensum, & sic etiam per intellectum, quia nequit aliquid sensu aliquo percipi, quin ad intellectum peruadat, vel tandem solo intellectu, quando nempe de ijs cogitat intellectus, quæ non cadunt sub sensu, cum sint merè spiritualia, vt entia rationis, vniuersalia, &c. vel a solo Deo demonstrantur, & sunt merè spiritualia. Cum autem extaticus videt aliqua, non percipit externo sensu, similiter quando audit; quia supponitur alienatus a sensibus, & ideo dicitur videre in spiritu. Ergo restat, vt vel solo intellectu, vel etiam interno sensu videat; & hoc est connaturalius; eo vel maxime, quando de visis recordatur, quia recordatio habere non potest sine specie phantastica in sensu communi. Igitur absolutè concluditur, visiones, & apparentias extaticorum non posse aliter contingere, quam per similitudines, seu imagines.

Extaticus interne tantum cognoscit.

Arg contr. vlt.

A pari de Paulo.

Ob. contra vlt. Nulla est implicantia, quin extatici, videant intellectualiter obiecta, & de eis postea recordentur: ergo. Antecedens prob. Paulus in raptu vidit Dei

es-

essentiam vt est, & non in aliqua imagine. Ergo ita de alijs dici potest.

Disparitas de Paulo.

250 Resp. neg consequ. Quidquid enim sit de visione Pauli, an fuerit intuitiua, vel abstractiua, & in specie intelligibili, de quo in suo loco diffusè dictum est; & licet concedamus fuisse intuitiuam: adhuc tamen probandum est, quod aliæ tales sint, non enim obiecta illa, quæ videntur ab extaticis sunt sibi præsentia in sua natura. Secundo, quia recordantur eorum, ergo præter speciem intelligibilem ipsorum, habent etiam sensibilem, & sic visio illa fuit imaginaria. Tertio, de necessitate est ita dicendum; nam extatici mira, & multa, ac varia vident, & postea narrant de Deo Trinitate, atque gloria. Sed dici non potest, quod videant in se, cum dictum sit *Exodi 33. Non videbit me homo, & viuet, &c.* 1. *Timoth. 6. Deum nemo videre potest*, quem locum omnes explicant de hac vita. Data autem hac sententia, valde familiaris esset Dei, ac diuinorum visio. Restat igitur, vt tales visiones sint in specie, seu imagine.

Ex multiplici capite.

Dices. Extatici vident, & narrant multa merè intelligibilia: ergo ea vident in se. Non enim illa possunt exprimi per imagines.

Arg. complectens omnē difficultatē de modo intelligendi spiritualia.

251 Resp. hoc argumentum complecti totam materiam de cognitione, seu intellectione rerum. Eo ergo prorsus modo extatici Deum, ac diuina vident, eaque memoriter tenent, & de ipsis loquuntur, sicut quilibet nostrum apprehendit Deum, Angelos, & animas, eorum omnium retinet species, ac recordatur, & de illis frequenter loquitur. Omnia enim ista ex sui naturali imperfectione, & dependentia à sensu, intellectus concipit cum aliquo accidente, saltem figurationis, splendoris, illustrationis, & similium, vt quilibet in se experitur, cum de Deo Angelis, & anima, sermonem fieri audit, vel de illis, secum ipse recogitat. Omnia enim per modum quanti subtilis splendentis, &c. apprehendit. Ita prorsus extatici faciunt; & quæ percipiunt, cum aliqua saltem figuratione splendore, & simili excellenti quantitatiua ratione apprehendunt; neque regulariter possunt aliter apprehendere; nisi speciali miraculo Deus permittat, extaticos illos intellectualiter tantum videre, ac si anima esset separata; deinde, vt de eis recordarentur, esset necessarium, vt denuo speciali concursu absq; sensus dependentia cum eis concurreret, quæ miracula adstruenda non sunt.

Intelligimus spiritualia per modum qualitatis,

## §. 7.

## *Quænam sint signa verarum apparitionum, & reuelationum.*

252 Adu. 1. Plura sub hoc titulo posse inquiri. Primum, an illa, quæ videntur sit obiecta in se metipsis existentia; an verò sint repræsentata in imagine, similitudine, seu specie aliqua, siue intellectuali, siue etiam phantastica. Secundum principalius, quod quæritur est, quomodo possimus cognoscere, dum apparent aliqua, siue solum interne, siue etiam externè, an illa apparentia sint diuinitus ostensa, vel arte dæmonis, vel tandem naturaliter effecta. Tertium consequens ad secundum est, an dum apparet aliqua persona, & loquitur, seu aliquid manifestat, vel etiam, si nulla persona appareat, sed aliquæ voces, siue internè tantum, siue externè audiuntur, quomodo discerni possit, an voces illæ, seu locutiones à Deo, vel à dæmone efficiantur; vel sint naturales hominis imaginationes, siue hæc accidant in somno, siue in vigilia; & tunc vel alienata mente à sensibus, vel per eos operante absque alienatione. Quæ quidem licet nostri instituti non sint, quia tamen agimus de communione defunctorum Sanctorum cum viatoribus, operæ pretium erit scire, quinam & quid, seu in quo communicent, ne decipiamur.

Multa inquirenda.

Omnia necessaria Theologo ad communionem cum defunctis.

253 Adu. 2. Quod reuelare ex primæua sui institutione, vt ex Scriptura habetur, aliud non significat, quam velum leuare, seu auferre. Velo enim aliqua pretiosa, vel Sancta operiebantur ne viderentur, ex libris Exodi, Leuit, Num. &c. & Moyses *Exodi* 34. vt celaret splendorem sui vultus ex consortio sermonis Domini *Ponebat velamen super faciem suam, illud ingressus ad Dominum auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia, quæ fuerant sibi imperata, sed rursus operiebat faciem suam si quando loquebatur ad eos.* Ideoque secundum translatitiam significationem reuelare significat absconditum aliquod secretum manifestare; de hoc autem significato habemus per innumera scripturæ exempla, vt *Leuitici 18. & 20.* Primo *Regum 3. & 9 & Tob. 12. Iob. Psalm. Isa. Ierem. Dan Ezechiel.* sæpissimè *Matt 10. 12. 17.* & ex alijs Euangel. Et communis loquendi vsus docet, quod manifestare secretum idem est, ac reuelare. Quæritur modo, quomodo possit quis discernere, an reuelationes sint veræ, vel falsæ, id est à Deo, vel immediate, vel per Angelos factæ: an per dæmonum artem, atque illusionem.

Reuelare significat velum leuare.

Id est secundum translationem manifestare.

Adu.

Dupliciter fit reuelatio

254 Adu. vlt. Quod reuelatio, siue à Deo fiat, siue à dæmone dupliciter fit, nempe internè, & externè, internè quidem quando nulla fonsaudita voce Deus inspirauit aliquid, seu manifestat, seu loquitur faciens speciem talis rei in intellectu solo, vel etiam in sensu interno. Quo modo ferè semper loquutus est Prophetis, qui postea externè dixerunt, quod Deus internè manifestauit; ideo de his dicitur *factum est verbum Domini ad Oseæ, Sophoniam, &c.* vel *visio Isaiæ, Aggei, &c.* de quibus omnibus, ait *Petrus epist. 2 cap. 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Sancto spiritu inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* & hoc modo Deus locutus est ij; si Petro reuelans diuinitatem Christi, *Matth 16. Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, &c.* externè verò fit reuelatio, quando signo aliquo externo Deus loquitur, siue per se immediatè formando signum illud externum, siue per aliquem Angelum; & hoc signum esse potest, vel vox, vel scriptura. Quomodo legimus in veteri testamento. Deum Patribus mysteria reuelasse, & Moysi in Sina legem dedisse, & Zachariæ per Angelum, Ioannis Baptistæ natiuitatem manifestauit, Beatæ virgini incarnationem Lucæ 1. & in Iordane, nec non in monte, diuinitatem, & filiationem Dei in Christo. Vtroque autem modo dæmon procurat hominem per reuelationes fallere, internè scilicet, species aliquas producendo, & externè, voces, aliaue signa formando. Ideoque modum discernendi eas hic inquirimus, num à Deo sint, num à dæmone, num etiam à natura.

Interna facta est Prophetis reuelatio,

Reuelatio externa pluribus modis fit.

Apparitiones aliæ diuinæ, aliæ non tales.

255 Dico 1. Ex apparitionibus, quædam sunt naturales, quædam supernaturales, seu diuinæ; & quædam dæmoniacæ. Est communis. Conclusio hæc patet ex omnibus huc vsque in præced. §§. adductis. Tamen

256 Prob. de primo, Experientia somniantium, febricitantium, ac phreneticorum, & alienatorum, seu extaticorum naturalium. nam vt *August.* docet *lib. 12. Gen. ad lit cap 2.* habetur. *Cum enim in somnis, vel extasi corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino à corporibus, nisi cum homo redditus sensibus corporis, recognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas non per sensum corporis hauriebat, quis enim cum à somno euigilauerit non continuò sentiat imaginaria fuisse quæ videbat.* & infra de se ipso ait. *In hoc tamen fallebar aliquando, quod amico meo quem insomnis videbam id ipsum persuadere conabar non esse illa corpora, quæ videbamus, sed imagines somniantium.*

Aliæ cupiosprobata est conclusio.

257 Conf. ex eodem *ibid. cap. 12.* de omnibus his apparitionibus naturalibus, sic loquente. *Cum autem, vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, vt in phreneticis, & per febrem accidere solet, vel commixtione cuiuscunque alterius spiritus, siue boni, siue mali, ita corporalium rerum in spiritu exprimuntur imagines, tanquam ipsis corporis sensibus corpora præsententur. Manente tamen etiam in sensibus corporis intentione sic videntur, quæ in spiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus, ita vt cernatur homo præsens oculis, & absens alius spiritus, tamquam oculis:* et post aliqua, ait. *Sicut etiam vigilantes, & sani, & nulla alienatione mentis multorum corporum, quæ non adsunt sensibus corporis cogitatione imagines versant.* Idem docet prolixè in *lib. 4. de anima, & eius orig. c. 21. in lib. de spir. & anima cap. 24.* vbi docet *sub C. Sunt & alia visa visitata humanæ, quæ vel ex ipso spiritu nostro multipliciter existunt, vel ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut fuerimus affecti à carne, vel animo. Non enim solum vigilantes hominis curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, verum etiam dormientes hoc sæpè somniant, quo indigent. Nam & negotia sua gerunt ex animi cupiditate, & epulis, & poculis inbianter instant, si forte esurientes, sitientesque dormierint:* et paulò infra. *Multa videt anima, & eadem natura est omnium visionum, siue in vigilantibus, siue in dormientibus, siue in ægrotantibus, quoniam non ex alio genere sunt, quæ videntur, quam ex natura spiritus, de quo, vel in quo sunt similitudines corporum, visa siquidem phreneticorum similia sunt visis somniantium; obturatas namque vias sentiendi habent, vt videant, quod somniantes vident. Visa somniantium similia sunt cogitationibus vigilantium. Dormientibus quidem in cerebro conspicitur vis sentiendi, qua intentionem ad oculos ducit. Ideoque ipsa intentio in aliud versa cernit visa somniorum, tamquam species corporales adsint, vt sibi dormientes vigilare videantur, & non similia corporibus. sed ipsa corpora intueri se putent.* hęc et alia plura *Augustin.* quæ adducere placuit in harum apparitionum naturalium declarationem.

Apparitiones, quæ ex passione nostra oriuntur.

Omnes naturales apparitiones à natura fiunt.

258 Conf. ex dictis in §. 4. 5. & 6. in quibus de quolibet apparitionum genere locuti sumus.

Alijs in locis supra est probata concl.

259 Prob. de secundo nempe de diuinis, ex dictis in eisdem §§. cum *Augustino lib 12. Gen. ad lit. cap. 2. 3. 4. 12. 24. 27. &c. de anima, & eius orig. cap. 21. de spir. & anima cap. 14.* & ex allatis supra Scripturæ locis de veris, atque diuinis apparitionibus, tam in somno factis, quam in vigilia, vt de Petro, Ioanne, &c. diximus; & de eiusmodi apparitionibus, dicitur *Ioelis 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & iuuenes visiones videbunt, & senes somnia somniabant.* de his autem abundè dictum est in anteced. §§.

Diuinæ apparitiones,

Aug. explicat omnes apparitiones naturales.

260 Prob. tandem de tertio, nempe de dæmoniacis apparitionibus, primo ex ijs, quæ dicta sunt in §. 6. Secundo, ex alijs script. locis nam *Iosue 5.* habetur, *Cum esset*

Dæmoniacæ apparitiones

*Iosue in agro vrbis Hiericò, vidit virum stantem contra se enaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait nostrer es, an adversariorum? qui respondit nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio, & adorauit eum Iosue*, timebat ergo ne diabolica esset apparitio illa. Et proinde Beata Virgo *Lucæ* 1. cum apparuit Gabriel Angelus, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

B. V. timet.

261 Conf. ex 2. *Cor.* 11. *Ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis*. Ita recte ait, *Christum vel aliquando caelestem Angelum*. Glossa Ordin. ait ad tentandum eos, quos ita erudire opus est, vel decipiendum prout iustum est: & post aliqua; ait, neque sancti, et fideles veri Dei cultores ob eorum fallacijs, et multiformi tentatione secuti sunt; et postea addit documentum, et regulam, ad ea cognoscenda, quibus decipit.

Dæmon fingit se Angelum bonum.

262 *S. Ambros.* in hunc locum ait, *transfigurat se*, &c. manifestum est, quia frequenter multos fallit Sathanas ostendens se illis, quasi Angelum Dei, vt decipiat, vnde Iesus Nauc sollicitus quæsiuit quis esset qui ei apparuit. Idem docent omnes Scripturæ interpretes in hunc Pauli locum *Hieron. Theodoretus, August. Bernardus*, &c.

Ex facto Petri timentis.

263 Conf. ex *Matth.* 14 Petrus cum alijs Apostolis *videntes Dominum supra mare ambulantem, turbati sunt dicentes, quia phantasma est*. timebat enim se à dæmone decipi sub specie Domini; ideo Saluator eos solatur dicens *Habete fiduciam, ego sum nolite timere*, imo adhuc titubans Petrus, an Dominus esset, voluit experiri *Domine si tu es iube me ad te venire super aquas*, &c. vt ibi. ergo dantur apparitiones dæmoniacæ, quibus falli possunt viatores.

264 Conf 2. Hoc modo Sathanas prætendebat Christum decipere, cum *Matt.* 4. *Luca* 4. & *Marci* 1. dum tentatione eum aggressus ostendit ei omnia regna mundi, vel referrens ea, vel species externas, vel attentans si posset internas etiam causare de omnibus mundi Regnis. sed et ipse deceptus est.

265 Conf. 3. ex doctrina Saluatoris *Matt.* 7. insta adducenda, qua monet cauendum esse à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

266 Conf. 4 ex dictis de Antichristo *disput.* 1. *art.* 11. qui multas falsas apparitiones operabitur dæmonis virtute, etc.

267 Conf. tandem ex omnibus apparitionibus, quæ contigerunt, non infidelibus tantum; sed etiam fidelibus, et Sanctis viris, arte dæmonis, ab Historicis, et Chronistis in Sanctorum gestis, allatis, quas referre ingens labor, nec tamen ad rem, esset. De quibus præ cæteris loquitur *Augustinus lib. de spir. & anima cap.* 26. & 27. & *lib. de quæst. dulcitij quæst.* 6. & *ad Simplic. quæst.* 3. *Bernardus de utilit. verbi Dom.* et nos de falsis reuelationibus, et regulis cognoscendi illas, mox dicemus; ad idem enim sunt; sed illa Samuelis adducenda in *art. vlt.* ex 1. *Reg.* 28 qui dicitur Sauli apparuisse virtute dæmonis, sollemnis est.

Tria genera reuelationū dantur.

268 Dico 2. Dantur reuelationes quædam diuinæ, quædam diabolicæ, et quædam imaginariæ naturaliter apprehensæ.

Diuinæ reuelationes ex vet. test.

269 Prob. 1. pars, ex toto textu veteris testam. in quo Deus, vel externe, vel interne locutus est alicubi manifestando, et reuelando secreta præsentia, præterita, vel futura, et ipsa reuelatio est formale obiectum fidei nostræ; nisi enim Deus reuelasset mysteria Trinitatis, Incarnationis, imò et creationis, finis mundi, gloriæ, etc. fidem diuinam non haberemus. Locutus est ergo primò cum Adamo manifestando futuram mortem, si de ligno comedisset, & post peccatum prædicendo ærumnas, &c. *Gen.* 2. Reuelauit Noe finem vniuersæ carnis per diluuium *Gen.* 8. Abrahæ reuelauit sui seminis multiplicationem, dominium in terra Cam; & ipsam met incarnationem, de qua Saluator *Ioan.* 8. ait. *Exultauit Abraham, vt videret diem meum, vidit & gauisus est*. Moysi reuelauit exitum de Ægypto *Exodi* 4. 6. 8. &c. eidem vniuersam legem ritus, ac cæremonias sacrificiorum dictauit. Iacob reprobationem Iudæorum, & vocationem gentium *Gen.* 49. idem in *Psal.* 2. &c. Per Prophetas modo internè, modo externè vniuersa futura reuelauit.

Series earū.

In nouo testamento filius Dei in carne cum hominibus conuersatus, reuelauit eis veritatem manifestam in omnibus, quæ pertinent ad salutem. Ioanni in Apocalypsi innumera reuelauit. Multa pariter Paulo, vt ipsemet de se testatur, 2. *Cor.* 12. multa Petro, multa alijs Apostolis, ac Sanctis successiuè; multa in dies, vel externè, vel internè illuminando ad cognoscendum veritatem reuelat suæ Ecclesiæ, vel in Concilijs adunatæ, vel suo capiti, cui assistentiam infallibilem promisit, quia in Petro, & successoribus tamquam in Petra fundauit Ecclesiam, & pro eo rogauit ne deficeret fides eius, vt ipse confirmaret fratres suos *Lucæ* 22. licet quæstio sit, an dum Ecclesia aliquid nouum de fide proponit, dicendum sit, quod adsit noua reuelatio, vel potius declaratio alicuius reuelationis iam factæ in Scriptura, & traditionibus, non ita clarè, sed indigeat declaratione infallibilis regulæ, ac magistri; eò quod iuxta Christi oraculum *Io.* 14. & 16. *Spiritus Sanctus docuit Apostolos omnem veritatem necessariam*. Sed quidquid sit de hoc, certum in fide est, ex *Ephes.* 3. *Innotescere Principatibus, & Potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformem gratiam Dei*. Quod autem præter reuelationes, quas Deus concedit Ecclesiæ, eiusque capiti, aliæ etiam concedantur priuatis hominibus manifestum est, & integros

Reuelat. in nouo test.

Reuelat. semper adsunt in Ecclesia.

Aliæ reuelationes priuatis hominibus factæ.

quis-

quisque inueniet earum libros, licet cautè in earum fide, & approbatione sit procedendum; aliquæ tamen sunt adeo certæ, & signis adeo euidentibus confirmatæ, vt negari non possit, nisi à proteruo, eas à Deo esse; vt mox de earum signis dicetur. Hinc mirum non est, si Ecclesia toties, & præsertim in *Concilio Later. 5. sess. 11. const. 1.* statuit nouas reuelationes non esse prædicandas, nisi in certis casibus ab Episcopo, & regulariter Papa examinentur, an veræ sint, & diuinæ; quod quidem examen diligenter fieri per Papæ prudentiam, video; quænam autem diligentiæ sint adhibendæ pro earum notitia, infra dicetur.

270 Ex quibus omnibus compendiò constat dari reuelationes factas hominibus per apparitionem alicuius Sancti, & siue in eo apparente, Deus immediatè loquatur, siue aliquis Angelus, siue ipse met apparens, cum in hoc non se immiscent dæmon; & sit aliquid supernaliter factum apparitio illa, & reuelatio diuina dicitur, seu diuinitus facta.

Dæmoniacæ reuelationes vbi legendæ.

271 Prob. secunda pars, de reuelationibus dæmoniacis. Primo ex omnibus oraculis, quibus vacabant gentiles; legendi sunt authores de his tractantes, *Plutarchus lib. de Oraculorum defectu, Celius Rhodiginus lib. 8. Antiquar. lect. cap. 16. de Apolline Delphico, lib. 27. cap. 5.* de alijs oraculis *Plinius hist. 8. cap. 26. Herodotus lib. 1. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 23. Maiolus de diebus canicul. t. 2. Dial. 2. de Vaticinijs*, & alij eiusmodi, in his autem oraculis dæmon loquebatur, & præterita, vel præsentia secreta, aut distantia, & aliqua futura licet mendaciter, & frequenter cum æquiuocatione prædicebat.

Ex S. Script. prohibitiones.

272 Conf. ex *Matt. 7.* vbi ait Saluator, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Per hos enim diabolus docet peruersa, & diabolica. De his Deus *Deuteron. 13.* ait. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut, qui somnium vidisse se dicat, & dixerit eamus, & sequamur Deos alienos, non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Deus vester, &c. Propheta autem ille interficietur, &c. cap. 18.* præcipit, ne Iudæi Pythones consulant, aut diuinos, nec quærant à mortuis veritatem.

Ex documento Apostoli.

273 Prob. 2. ex supra allato loco 2. *Cor. 11. Satbanas se transfigurat in Angelum lucis.* Interl. ait, *Christum, vel aliquando talem Angelum.* Glossa Ordinar. ait, ad tentandum eos, quos ita erudire opus est, vel ad decipiendum, prout iustum est; nec quisquam, cum Angelos bonos se amicos habere putat, habeat malos dæmones hostes amicos, eoque nocentiores, quantò astutiores, ac fallaciores patitur inimicos, & post aliqua, subdit, quod dæmon se fingens bonum, ea facit, vel dicit, quæ congruunt bonis Angelis. Ideo cauendum ait, & sollicitudo ista non est inutilis, ne cum Sathanas transfigurat se fallendo, ad aliqua pernicioſa perducat. hæc Glossa.

Io Euang. præceptum.

274 Prob. 3. ex *epist. 1. Ioan. 3. Nolite omni spiritui credere, sed probate si spiritus ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* dæmorergo, vel per se ipsum immediate per species productas in intellectu, aut phantasia, docet, ac reuelat mendacia, vel in aliquo humano corpore apparens, instruit de faciendis, vel in aliqua statua ligno, saxo, &c. vel tandem per magos sriolos, & falsos prophetas. Ergo dantur eiusmodi dæmoniacæ reuelationes.

Ex factis multis probantur diabolicæ reuelationes.

275 Prob. 4. ex factis innumeris, in quibus narrantur eiusmodi diabolicæ reuelationes, Nicephorus, & historia Tripartita, vt refert *Pineda lib. 4. Monarch. Eccles. cap. 21. §. 5.* narrant dæmonem in Insula Cretæ Iudæis in figura Moysis apparuisse, dicentem, se à Deo missum vt à captiuitate Christianorum eos liberaret, & in quasdam Prouincias vbi degerent, & imperium exercerent, transmitteret, ideoque bona sua negligerent, & ipsum sequerentur. Qui ei parentes omnia neglexerunt, eumque in montes, & rupes pergentem secuti sunt, ad mare tandem eos deducens, suasit vt in aquas sine metu se iactarent, quia per eas fœliciter erant transituri. Obediunt illi, & omnes fere submersi sunt, aliquibus exceptis qui à Christianis piscatoribus adiuti, euaserunt; falsus vero ficiusque Moyses statim euanuit, nec amplius comparuit.

De quodam Iudæorum deceptore fingente se Moysem.

Sanctos attentat decipere.

Neque malos, aut simplices tantum, vel infideles, sic decepit diabolus falsis reuelationibus, sed aliquando Sanctos viros, donec à Deo illuminati fraudes eius euidenter cognouerunt; *Cæsarius Bzouius tom. 13. annal. an. 1201. & lib. 5. Dialog.* refert, diabolum, Beatæ Geltrudi veras Dei reuelationes habenti, se in Angelum lucis transformantem sæpe apparuisse, & per quandam fenestræ cellulam intrare consueuisse, & futura prædixisse, de interrogatis instruxisse. Et si quando ad eam aliquis pro instructione accederet, & vt statum amici defuncti audiret, vel alterius rei noritiam haberet; inducias vsque in crastinum Dei famula petebat, vt Angelum suum consuleret, à quo accipiens falsa pro veris, eadem respondebat, & sic Dei permissu, donec ab eodem fuit illuminata, illusa permansit.

In legendis Sanctorum emendantur exempla.

276 Innumeræ eiusmodi diaboli strophæ, legi possunt in Sanctorum legendis; aliquando enim visibile corpus assumit, & in eo apparet, vt cum S. Martino accidit, & alijs permultis; aliquando voces externas tantum formar, & non apparet, vt fecit cum S. Patre Francisco, dum eum à pœnitentiæ rigore subducere tentauit, & ita de alijs; quos, etiam nolentes decipere voluit.

Ex Necromantiæ arte

277 Prob. tandem ex infelici statu Magorum Necromanticorum sortilegorum, & eiusmodi, qui data opera seipsos dæmonibus manciparunt, vt responsa, & revelationes de secretis præsentibus, præteritis, ac futuris accipiant, contra quos iura omnia inuehuntur, præsertim canonica, *lib. 7 const. Apost. Concil. Ancir. cap. 23. & 24. Concil. Venetic. cap. vlt. Concil. Narbon. cap. 14 Concil Aurel. 1. cap. 32. Concil. Lateran. 5. sess. 9. const. detestor. Curiæ. to. XXII. const. 13. Supra. Sixtus V. const. 17. Cæli, & terræ. &c.* ergo dantur dæmoniacæ revelationes, quamuis deceptoriæ.

Naturales revelationes

278 Prob. tertia pars, de apprehensis revelationibus, seu apprehensionibus naturalibus, ex *Ezechielis 13. 6.* vbi Deus fulminatur falsos prophetis, *Ecce ego ad vos, erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium.* Lyran. ait, vident vana, et diuinant mendacium secundum suas phantasias, quas asserunt revelationes diuinas.

Ex Script.

279 Prob. 2. ex *Deuter. 18.* in fine, vbi Deus præcipit, Prophetas falsos esse fugiendos. vt autem discernatur quando sunt falsi, dicit, *si autem tacita cogitatione responderis, quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus, hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit, & ideo non timebis eum.* Ergo dantur multæ revelationes conceptæ ab aliquo per animi tumorem, et elationem, quæ nec à Deo sunt, nec à dæmone, nisi forte tentante, non verò revelante.

Experientia naturalis id docet.

280 Prob. 3. Naturaliter quilibet in se experitur imaginationes, et phantasias quasdam per quas nedum videt aliqua noua sibi interne apparentia, sed quasi audit quendam dicentem sibi vel aliqua præsentia secreta, vel aliqua futura, vel præterita. Quibus aliquando homines ita adhærent, vt in his infantiant, et tamquam certissima, ac firmissima teneant, nulla intercedente dæmonis opera. De quibus agunt *Aristo in profect. spir. 2. p. tract. 6. cap. 17. & Guliel. Paris. 2. par. de univers. spir. p. 2. cap. 35. & S. Thom. in 2. par. quæst. 111. art. 3. in corp.* vbi de eiusmodi apparitionibus imaginarijs, naturaliter euenientibus discurrit, ex *Arist. lib. de somno, & vigilia.*

Experientia ab Augustino adducta.

281 Conf. ex *Augustin. lib. de cura pro mor. ger. cap. 11.* vbi duos notabiles narrat casus de eiusmodi apparitionibus, et revelationibus imaginarijs. *Cum Mediolani debitum repeteretur à quodam, de sancti Patris cautione prolata, quod filio nescienti à Patre fuerat persolutum, contristari homo grauissimè cæpit aliquantum, quod et Pater mortuus non dixerit, quod debebat, cum faciebat etiam testamentum. Tunc nimis anxio apparuit, idem Pater eius in somnis, & vbi esset repositum, quod illa cautio euacuata fuerat indicauit, quo inuento inuenit, atque monstrato, &c.* alius casus Carthagine accidit; cum Eulogius Augustini discipulus libros Ciceronis discipulis explicaret, *recensens autem lectionem, quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum, quo non intellecto cur potuit dormire sollicitus; qua nocte somnianti ego illi, quod non intelligebat exposui; imo non ego, sed imago mea nescienti mihi, & tam longe trans mare aliquid aliud sibi agenti, sine somniantis, & nihil de illius curis omnino curanti.* Ergo imaginatio vehemens apparitiones multas fingit, ac revelationes. Hinc est quod *Ecclesiastici 8.* habetur, *Multos errare fecerunt somnia. & Ierem. 29. Nè attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis, quia falsò ipsi prophetant.*

Duo casus notabiles de naturali apparitione, & revelatione.

Experientia quilibet hoc probat.

282 Conf. tandem ex mirisexperientijs, quæ de eiusmodi vanis, et ficus revelationibus quotidie leguntur; quas quidem non censeo dæmoniacas saltem omnes, quia personis in opinione Sanctitatis, et pro talibus veneratis acciderunt, easque posteris legendas reliquerunt, quæ quidem mala non continent, sed sunt de leuibus quibusdam, et improprijs, ac indifferentibus: et pleræque, quas ego legi, verè ridiculæ sunt; quas quidem ex apprehensione, ac imaginatione propria, conflictas censui.

Naturales apparitiones per quid cognoscuntur.

283 Dico 3. Apparitiones naturales à præternaturalibus, siue diuinis, siue dæmoniacis, regulariter per hoc solum discernuntur, quod nihil significant, neque instruunt de aliquo faciendo, vel omittendo.

284 Prob. 1. expressis *Augustini* verbis *lib 12. Gen. ad lit. cap. 12.* vbi ait. *Cum spiritalis visio, penitus alienato à corporis sensibus animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis sive in extasi si nihil significant, quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes. Sicut etiam vigilantes, & sani, & nulla alienatione moti, multorum corporum, quæ non adsunt sensibus corporis, cogitationis imagines versant. Si autem aliquid significant &c.*

Naturales nihil significant

285 Prob. 2. Experientia de omnibus apparentijs, quas naturaliter homo habet, siue in somno, siue in vigilia, siue in naturali extasi, vel alienatione; illæ enim, sicut non sunt, nec à Deo, nec à natura ordinatæ ad aliquid faciendum; ita nihil significant. Sed sunt genitæ ex commotione spirituum naturalium, qui mouent, et confundunt species in phantasia, ex quarum inordinatione, vel commixtione ortum habent illæ apparentiæ.

Ab oppositè arg.

286 Prob. 3. ab oppositè omnes aliæ apparentiæ, quæ, vel à Deo oriuntur, vel à maligno spiritu, significant aliquid, quod vel ab ipso met vidente intelligitur, vel ab alio explicante datur intelligi: ergo, si nihil significent, non sunt ab aliquo externo, Anteced. prob. de omnibus Prophetarum ap-

apparentijs, Iacob enim *Gen.*28. apparuit scala, & Angeli ascendentes, & descendentes ex ea, intellexitque quid hæc portenderent. *Exodi* 3. Apparuit Moysi rubus, qui ardebat, & non comburebatur, fuitque illi reuelatum quid significaret. *Hierem.* 1. Vidit hic Propheta virgam vigilantem, & ollam succensam, statimque fuit ei significatum quid ista importarent. Et ita de alijs Prophetarum apparitionibus, quibus Canonicus textus abundat. & tandem in nouo testamento, omnes apparitiones Ioannis in Apocal. quæ innumeræ sunt, sua habent significata notissima Ioanni, deinde Ecclesiæ per interpretes Scripturarum declarata. Apparitio lintei è cælo submissi pleni serpentibus, volucribus, &c. immundis *Act.* 10. cuius significationem percepit Petrus, statim in aduentu Cornelij. Quod quidem, nedum verum est de apparitionibus, quæ acciderunt Sanctis, & perfectis viris, sed etiam de ijs, qui peruersis quibusdam hominibus sunt a Deo immissæ, vt patet de apparitione, seu visione Pharaonis, dum *Gen.*41. vidit in somnis septem boues pulcras, & crassas, & septem alias fœdas, & macie confectas, item in alio somnio septem spicas plenas, ac formosas, & septem alias tenues, quæ somnia vnum. & idem significabant ex Ioseph declaratione, nempe annos septem abundantiæ, & alios septem penuriæ, vt in facto euenit. Similiter alia apparitio, quæ accidit Balthasari *Daniel* 5. cum vidit manum scribentem dictiones quasdam in pariete, quæ ex ipsius Danielis interpretatione significabant amissionem Regni, nouum Regem, & ipsius Balthasarris excidium, & sic de alijs Sacræ Scripturæ apparitionibus.

Multi casus.

Omnes apparitiones supernaturales aliquid significant.

Apparitio Pharaonis facta.

Apparitio Balthasarri facta.

287 Prob. 4. ex omnibus SS. apparitionibus quæ in sacris, vel Ecclesiasticis annalibus, siue de Sanctis, siue de alijs animabus, vel etiam dæmonibus narrantur, quarum aliquas retulimus in principio huius Disputationis *art.*3. in omnibus enim clarè constat, quod apparentes, propter aliquem finem, siue à Deo ad erudiendum, siue etiam à dæmone ad decipiendum intentum, acciderunt. Ergo, dum apparentiæ aliquid significant, vel faciendum, vel omittendum, vel sciendum, regulariter naturales non sunt. & è contra illæ sunt naturales regulariter, quæ præter illos aspectus veluti theatrales, ac pietas imagines, nihil innuunt; & ideo regulariter, apparentiæ præter naturam inngi solent cum aliqua locutione, vel reuelatione, vel operatione, sanitatis, scientiæ, etc.

Ex inductione arg.

288 Ita etiam accidunt omnes dæmoniacæ apparitiones, quia cum ordinatę sint ad decipiendum, semper innuunt, vel dictant, aut docent quid faciendum sit, et quid omittendum, vt tandem dæmon ad suum finem perueniat.

289 Dixi in conclusione *regulariter*, quia aliquando naturales apparentiæ in somnis, vel vigilia, vel naturali extasi, vel morbo phrenetico, vel febrili solent etiam aliquid, sed imaginariè ex phantastica hominis apprehensione, ac fixione significare, vt in præced. conclus. patuit. Et sic affecti, putant eiusmodi suas imaginationes esse reuelationes, et in ijs ita firmantur, vt per summam insaniam, nec velint, nec possint ab eis recedere. Quomodo autem tales sunt discernendæ à falsis, ac dæmoniacis, imo, et à diuinis, affero, eo prorsus modo, quo mox dicemus, diuinas apparentias, ac reuelationes discernendas esse à dæmoniacis.

Naturales apparentiæ aliquando significant.

Quomodo discernendę

290 Dico 4 Difficillimum est discernere, an apparitiones, et reuelationes quædam sint diuinæ, vel dæmoniacæ, an naturales. Dixi *quædam* illæ nempe, quæ sunt de obiecto, et fine bono nam, quæ obiecto, vel fine malo, facilè discernuntur, sed donum Dei est, id discernere.

Difficile discernitur quæ sunt diuinæ reuelationes.

291 Prob. 1. ex 1 *Cor.*12. inter gratias gratis datas ponitur *discretio spirituum*. Glossa Interl. Ver. *Discretio*, ait, *vt discernat quod audit, quo spiritu, bona, an mala dicatur, quia & diabolus bona seductorie dicit. Ambros.* in hunc locum ait, *vt intelligat, & iudicet quod dicitur, an spiritus Sancti sit, an mundani. Theodoretus ibid.* dicit, quoniam tunc erant vates, qui homines decipiebant, data est aliquibus hæc diuina gratia à diuino spiritu, vt eos discernerent, qui ab aduersario spiritu agebantur. *Hier.* in eumdem locum, ait, vt qualis, vel quo spiritu veniat, vel loquatur, intelligat.

292 Conf. ex 2. *ad Cor.*11. *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Ergo non potest discerni quando apparens, vel loquens, sit verus, vel fictus Angelus lucis; vnde *Aug. lib.* 12. *Gen. ad lit. cap* 13. mirè hoc punctum de eiusmodi apparitionibus, et imaginationibus discutit, ait enim *sub B. Discretio sanè difficillima est, cum spiritus malignus, quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest; quando etiam vera dicit, & vtilia prædicat, transfigurat se in Angelum lucis, ad hoc, vt cum illi inmanifestus hostis creditus fuerat, educat ad sua:* et concludit, *hunc discerni non arbitror, nisi dono illo, de quo ait Apostolus, alij discretio spirituum.* Ergo sine hoc Dei dono, ac illuminatione, nequit cognosci, an apparitiones sint diuinæ, vel dæmoniacæ, vel etiam phantasticæ.

Loca script. id docent.

Aug. dicit discerni Dei donum est.

293 Prob. 2. ex 1. *Ioann.* 4. habetur, *nolite omni spiritui credere; sed probate, an spiritus ex Deo sint.* Interl. Ver. *Spiritui* dicit, spiritualiter loquenti, vt eum eligatis ad imitandum, quia quædam dona spiritus sunt communia, tam bonis, quam malis. *August. serm.* 32. *de verb. Apost.* declarans hunc Ioann. locum, ait. *O sicut dixit Ioannes probate spiritus, dixisset quo pacto probandi*

Non credendum omni spiritui.

Sine Dei auxilio non possunt discerni,

*di sunt, nam quamuis addat, &c.* vbi expresè docet difficultatem maximam in discernendo omnes diaboli technas in eiusmodi apparitionibus, et reuelationibus. et *S. Thomas in 1 ad Thess. 5.* declarans etiam illud Apost. transfigurat se Sathanas in Angelum lucis, docet, non posse absque speciali Dei auxilio rem cognosci si dæmon interueniat, quod confirmat ex illo *Iob. 21. Quis reuelabit faciem indumenti eius?* quasi dicat nullus, nisi solus Deus. Igitur diabolus, ad decipiendum, vtitur aliquando spiritu bono, id est apparet, vt bonus sub specie Sancti alicuius, et docet spiritualia quædam bona, vt cum S. Patre Francisco se gessit suadendo, vt à rigore, et excessu pœnitentiæ recederet; et alijs Dei seruis, miris alijs modis etiam in Sanctorum, et crucifixi imaginibus locutus est, consulens aliquando bona; et pluries, vt mihi confessus est Dei seruus meus amicus frater Ioseph de Cupertino in peregrini habitu, et baculo genuflexus eo transeunte petijt benedictionem, quem tamen Dei seruus derisit; concludendum est, quod difficillimum est, et Dei donum, quod discretio spirituum appellatur, est necessarium ad dignoscendum, an apparitiones, ac reuelationes de obiectis bonis sint diuinæ, vel dæmoniacæ.

Dæm. etiam confingit bona in apparentia.

294 Prob 3. Incauti innumeri à dæmone falsa reuelante in habitu specie tenus Sancto apparente, illusi sunt, imò et docti, ac Dei serui, et de plerisque ego ipse mira perlegi, quæ referre tædium puto, cum non historicum agere debeam, sed Theologum. Hi autem nisi a Deo fuissent inspirati ad discernendum fallaciam, in errores intolerabiles lapsi essent. Si enim vt ait Saluator *Matth. 7.* cauendum est ã falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, et magna est necessaria illuminatio, vt veritas discernatur, quantò magis, vt discernatur, an Sanctus apparens sit verus Sanctus, falsusue impostor, ac deceptor.

Dæm. decipit.

Multi Sancti in hoc periculose fecerunt

295 Dico 5. Multa solent præscribi signa, quibus cognosci potest, an apparitiones, et reuelationes (etiam si sint de bonis obiectis, actibusque virtutum) sint diuinæ, vel dæmoniacæ quædam tamen sunt ex parte apparentis, et reuelantis; quædam ex parte rei reuelatæ; et quædam tandem ex parte eius cui fit reuelatio.

Multa signa ad cognoscendum, an apparitiones, & reuelationes sint diuinæ.

296 Primum signum sumitur ex *ep. Iacobi 1. cap. 3. 17 Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta suadibilis bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis.* Hæc ergo consideranda sunt, an adsint, cum persona aliqua apparet, et de aliquibus instruit. scilicet si omnes eiusmodi conditiones habeat.

1. si casta, pudica, suasibilis, &c.

297 Secundum, quod in hoc primo etiam continetur, est, si quod ab apparente annunciatur sit diuinæ legi conforme: an verò siue immediatè, siue mediatè illam soluat. ideo *ad Gal. 1.* habetur. *sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Sicut prædixi, & nunc iterum dico, si quis vobis euangelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Interl. ait cauendos hos pseudoapostolos. et hoc idem docet *Ioannes epist 1. cap. 4. Nolite omni spiritui credere sed probate si spiritus ex Deo sint. Omnis spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse ex Deo est; & omnis qui soluit Iesum ex Deo non est.* Qui autem instruit de aliquo contra legem Christi, ipsum soluit, et proinde, non diuina apparentia, et reuelatio est, sed dæmoniaca.

2. si legi Dei sit conformis.

298 Tertium ex Interl. in hunc locum ait Ioannis sumitur, vbi ait, spiritualiter loquenti, vt cum diligatis ad imitandum (aduertite) quia quædam dona spiritus sunt communia præter charitatem. Si secundum Deum sunt spirituales, Charitate nituntur; quia ait Apost. *Si mysteria omnia nouerim, Charitatem autem non habuero nihil sum.* hoc modo spiritus probatur, quando voce, et operatione ex charitate instruit auditores. et hoc est quod docetur *Cant. 2. v. 4. Introduxit me in cellam vinariam ordinauit in me charitatem* omnia enim, quæ à Deo sunt erudimenta, charitatis magisterio diriguntur.

3. si nitatur charitati.

299 Quartum signum, si quæ reuelantur in Dei gloriam ordinantur; nam ex *1. Cor. 10. 31. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quidquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* item *ad Philipp. 1. In gloriam, & laudem Dei.* & *2. ad Thessal. 2. In acquisitionem gloriæ Dei.* vnde ipsemet Saluator *Ioann. 8. 50.* ait. *Gloriam meam non quæro.* & *v. 54. Gloria mea nihil est.* Id ergo quod docet apparens, seu reuelans, debet ad Dei gloriam esse directum.

4. si ad Dei gloriam ordinatur.

300 Quintum signum, si is, cui fit apparitio, et reuelatio in principio timet, deinde confortatur, consolatione perfunditur, et illustratur, nam *Iob. 4. v. 15.* habetur. *& cum spiritus me præsente transiret inhorruerunt pili carnis meæ*, Iacob *Gen. 28.* apparente Deo, et reuelante multiplicationem seminis sui, et dominium, *Pauens, quam terribilis inquit est locus iste.* Idem de Daniele, et alijs Prophetis. De Zacharia Patre Ioannis, cum ab Angelo ei significaretur conceptio, et natiuitas illius, habetur quod ita fuit territus, ac stupefactus, vt mutus remanserit. et de Beata Virgine habetur, quod annunciante Gabriele filij Dei incarnationem, *turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Postea tamen isti, quibus à Deo fit reuelatio, et apparitio, consolatione replentur, vt de eisdem patet, et de se ait Maria, *exultauit spiritus meus*, vt doctissimè innuit *S. Hieronymus in Matth. cap. 28.* et cum illo *Theophylact. & Beda*, nec non *S. Antonin. in cap. 1. Lucæ.* et animus talis videntis (quan-

5. Signum si timet, in cui fit, deinde confortatur.

do apparitio, vel reuelatio est diuina) illustratur, ac firmatur in ea, certò eam cognoscens, ideo Iacob *Gen.* 28. postquam apparuit sibi Dominus, & reuelauit, semini eius dandam terram illam, in qua tunc dormiebat, & incrementum, ac dilationem, exclamans ait. *Vere Dominus est in loco Sancto isto, & ego nesciebam.* Beata Virgo certa de locutione Angeli, quod diuina esset, ait, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Petrus *Act.* 12. videns & expertus Angelum liberatorem è carcere, timens prius, & *putans se visum videre*, postea ait, *nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum.* ita de Agata visitata, & curata in carcere à Petro Apostolo, dubitante prius, cui propterea dixit Petrus *Ego sum Apostolus Christi nihil in me dubites filia*; deinde certa, & illustrata de diuina reuelatione, & curatione dicente, *gratias tibi ago Domine Iesu Christe*, inquit, *quia misisti ad me Apostolum tuum curare vulnera mea.* & *S. Gregor. Mag. lib* 28. *moral. cap.* 2. ait. *Cum per semetipsum Deus loquitur, de Verbo eius sine verbis, & syllabis eor doretur; quia virtus eius intima quadam sublevatione cognoscitur.* & *libr.* 4. *Dialog. cap.* 48. inquit, *Sancti autem ipsi viri inter illusiones, atque reuelationes ipsas visionum vocis, aut imagines, quodam tactimo sapore discernunt, vt sciant vel quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur.*

Certò cognoscitur quando est diuina.

Multa exempla.

Sapore quodam cognoscitur, quod diuina sit:

301 Sextum signum est humilitas, quæ remanet in eo, cui fit apparitio, & reuelatio; nec enim audet alicui manifestare, nisi ad consilium petendum; vel ex præcepto Pastoris, aut superioris ad Dei laudem. Hinc Apostolus 2. *ad Cor.* 12. qui ante annos 14. præcellentes habuerat apparitiones, & reuelationes, sic loquitur, *si gloriari oportet, non expedit quidem, veniam autem ad visiones, & reuelationes meas; scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, &c.* supra allata. sed postquam retulit visionem illam, ac reuelationem singularem, ait. *Pro me nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satbanæ, qui me colaphizet, &c.* de Beata Virgine post apparitionem, & reuelationem incarnationis, habetur, quod se humillimam ancillam confitetur, imò in suo Cantico ait, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.*

6. humilitas, nec audet videns eam manifestare.

Exempla de hoc,

Neque facilè manifestat quod vidit, & audiuit; *quia Sacramentum Regis abscondere bonum est. Tobiæ* 12. & hoc etiam innui videtur *Exodi* 4. vbi dum Moyses cum Deo est collocutus, quasi loqui nesciebat. *Ex quo locutus es Domine ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum*, huc pariter spectat, quod de se ait *Isaiæ c.* 6. post Domini visionē *A, a, a, Domine nescio loqui.* & proinde Zacharias *Lucæ* 1. v. 22. post apparitionem, & reuelationem Gabrielis Archangeli. *Non poterat loqui ad illos, & cognouerunt, quod visionem vidisset.* Et Moyses post consortium sermonis Domini, faciem habens splendentem, velo occultabat cum Iudaico populo conuersans; nè ab eo gloria illa videretur. *Impletisque sermonibus cum Domino in monte, posuit velamen super faciem suam, quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat, donec exiret. Qui videbant faciem Moysi cornutam esse, sed operiebat ille rursus faciem suam si quando loquebatur ad eos.* Et ad hoc maxime videtur Saluator respicere *Matthæi* 11. *Confiteor tibi Pater quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*, quod explicans *August. ser.* 8 *de Verb. Dom.* inquit. *Qui sunt paruuli? humiles. Ergo abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus nomine sapientium, & prudentium superbos intelligi posse ipse exposuit, cum ait reuelasti ea paruulis, ergo abscondisti non paruulis, quid est non paruulis? Non humilibus. quid est non humilibus nisi superbis?* & Saluator *Matth.* 17. ait, *visionem quam vidisti nemini dixeritis.* Is ergo qui diuina dignus est apparitione, ac reuelatione, ex ea non erigitur, non fit tumidus, non elatus, non cupit manifestare, vt magis existimetur, sed abscondit; nec vnquam, nisi, vt Paulus, vel Tobias *cap.* 12. ad Dei gloriam, Ecclesiæ exaltationem, & animarum salutem, apparitionem, aut reuelationem manifestat. ait enim Angelus ad Tobiam *cap.* 12. *Benedicite Deum cæli, quia fecit vobiscum misericordiam suam, etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.* Interl. ait, Mysteria tegenda, opera Dei prædicanda. Lyr. ibid. ait, *Opera autem Dei, &c.* quia cedit ad honorem Dei, & ad bonum illorum, qui reuelant, vt ad laudandum Deum alios inuitent: propter quod, vbi non apparet Dei laudatio, sed magis derisio, hic non est agendum, quia Saluator ait *Matth.* 7. *Nolite Sanctum dare canibus.*

Sancti habentes visiones vix audebant eas dicere.

Multa exempla,

Quando debet manifestari,

Et *Abul. in* 2. *Cor. cap.* 12. vt supra aduerti, notat, Paulum per annos 14. occultasse apparitionem, & reuelationem, neque post illud tempus eam reuelasse, nisi Dei gloria contra falsos Apostolos ad hoc exegisset, vnde concludit *Abulen. in quo instruuntur viri contemplativi, qui interdum à Deo accipiunt visiones, & admirabiles consolationes, quasi incipientes degustare, quam dulcis est Dominus, quod hæc non cuilibet patefacere debeant, nisi cum magna difficultate, & vbi multum prodesse senserint, aspicientes tamen, ne diuina beneficia specialia contemnantur, si ea quibuscunque vulgaribus, & imperfectis viris exponant, vel nisi de speciali Dei mandato, quia quendam laudis appetitum protestatur velle de se cuilibet propalare.* hæc *Abulen.* idem docet Simeon

Paulus ad Dei gloriam dixit suas visiones.

Meta-

Metaphrastes de Arsenio Abb. in eius Vita, &c. qui de Contemplatiuis Viris scripserunt.

7. esset miraculum comprobans, sed non necessarium pro omni visione.

302 Septimum signum, quod esset certissimum) sed non proinde omni apparitioni, aut reuelationi necessarium) est miraculum comprobans apparitionem, vel reuelationem, quia *Marci vlt* dicitur. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, sermonem confirmante, sequentibus signis*. Cum enim verum miraculum nequeat à dæmone patrari, apparitio, aut reuelatio confirmata miraculo semper est diuina. Ideo *Metaphr. Epist. to. 2. diu. coll. 3. Saga 9. Facit*, ait, regulariter ijs, quibus diuinæ reuelationes exhibentur, semper adiunguntur euidentia cælitus testimonia, quæ certò confirmant non ex ipsis nasci, aut à natura commoueri ea, sed inijci, aut proponi diuinitus. Hinc est, quod in omnibus apparitionibus, aut reuelationibus, quas in superioribus attulimus, & in alijs, fere innumeris, quæ adduci possent, siue ex Scriptura, siue ex legendis Sanctorum historijs, quę verę, seu diuinæ apparitiones fuerunt, signa diuina, vt miracula, siue saltationum, siue euentuum aliorum, quæ à creatura patrari nequibant acciderunt, saltem cum prædictione futuri, & illius euentu, & proinde aliæ, quæ non sunt ita confirmatæ, adhuc dubiæ sunt.

Præcipuæ apparitiones miraculis confirmatæ fuerunt,

Pseudomonachus deceptus à dæmone attestat miraculum,

Hinc est, quod, vt habetur in *Concil. Constantinop. 3. sed Gen. 3. act. 5.* Polichronius Monachus Monothelita, venditans, suam sententiam sibi reuelatam esse à Deo cum præcepto manifestandi illam Constantino, assumpsit onus comprobandi eam miraculo suscitationis mortui quo statim oblato coram Sancto Concilio, non potuit illum suscitare, & sic derisa est eius reuelatio; anathemate, percussus est, ac depositus. habes hoc in *tom. 3. Concil. part. 1. f 76.*

8 signum si reueletur futurus, est euentus rei;

303 Octauum signum si apparens reuelat futurum; veracitas dicti, nempe euentus rei cum eisdem circumstantijs prædictus est signum, quod apparitio fuit diuina; nam *Deuter. 18.* in fine cum Deus docet populum notas veri, ac falsi Prophetæ, interrogationem populi format, *quomodo possumus intelligere verbum, quod Dominus non est locutus*, & statim addit, *hoc habebis signum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus. &c.* Nam futurum præsertim liberum, diabolus, neque certò scit, neque potest certò prædicere, *Isaiæ 41. v. 23.* habetur *Annunciate nobis futura, & sciemus, quia Dij estis vos*. Interl. & Ordinar. Glossæ, pluribus ibi docent, hoc esse vnum signum ad dignoscendum idola, & dæmones loquentes in eis. Cum ergo apparet, quis, gerens se pro Sancto, vel Angelo, vel Deo, & reuelat aliquid futurum, si tempore decreto non aduenit, neque cum ijs circumstantijs quibus prædictum est; apparitio, & reuelatio non est diuina, sed dæmoniaca. Si verò reuelatio non sit de aliquo futuro, sed tendat ad manifestandum aliquod secretum, vel ad instruendum de aliquo; alijs supradictis signis vtendum est ad eam discernendam.

Alia signa, sed author putat non esse vniuoca

304 Alia solent afferri veratum apparitionum, & reuelationum signa: sed vt videō ista non sunt semper præcisa, & certa, sicut præcedentia. Primum est, quod in loco solitario, & remoto accidat iuxta illud *Osea 2. Ducam eam in solitudinem, & ducam ad cor eius*, & è contra in loco publico falsæ iuxta illud *1. Reg. cap. 18. Inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus*. hoc signum solitudinis non est adeo proprium reuelationis, & apparitionis diuinæ, quin nequeat esse commune etiam dæmoniacæ; in loco enim solitario deserti apparuit Christo, vt eum tentaret *Matt. 4.* sic S. Martino ægrotanti sic S. Francisco, sic & alijs Anachoretis, & Monachis in suis cellis, vel cœptis degentibus. & è contra, diuina apparitio, & reuelatio accidere potest in loco publico, & coram multis, sic *Iosue 5. Cum esset in Campo Vrbis Iericho cum exercitu, vidit Principem exercitus Domini*. Moyses in medio Populi Dominum videbat, & responsa ab eo accipiebat, legantur libri *Exodi, Num. Leuit. Deuter.* Balthasar *Dan 5.* vidit digitos scribentes in pariete, *in medio multitudinis conuiuantium*. Zacharias fungens suo munere in templo *Lucæ 1.* vidit Archangelum. Christus transfiguratus, cum Moyse, & Elia non vni, sed tribus simul conuersantibus apparuit *Matt. 17.* Spiritus Sanctus in igneæ linguæ forma apparuit, non vni, sed Apostolorum Collegio in cœnaculo congregato. Ergo hoc non videtur esse signum certum.

1. quod in loco solitario fiat, sed non cogit.

Alij in solitudine tenuati per apparitiones dæmoniacas. & e contra in frequentia visiones diuinæ accidunt.

2. neque certum quod fiat in loco sacro.

305 Secundum, quod supra alia certa solet admitti, est, quod apparitio, & reuelatio fiat in loco sacro, vel saltem orationis; quia sic factum est cum Zacharia *Lucæ 1.* & cum Maria, et cum Petro *act. 10.* sed hoc est minus certum, quam primum; tum quia non est vniuersale omni apparitioni, ac reuelationi diuinæ: tum etiam, quia est dæmoniacæ etiam commune. Nam neque Abraham, neque Iacob, neque Moyses, neque Isaias, neque Daniel, neque Ioannes Euangelista, aliique Prophetæ semper apparitiones, aut reuelationes habuerunt in templo, vel in loco authora orationis, sed in alijs locis, ac temporibus, imo, et dormientes. Secundo, quia etiam in templo diabolus se transfigurat in Angelum lucis, cum et ipsum Christum duxerit supra pinnaculum templi, vt ibi eum deciperet si posset. Et Antichristus habens dæmonem assistentem, in templo sedebit, tamquam Deus, ibique decipiet, ac dementabit. Et ille videtur aptus locus pro diaboli fraudibus, quia sub specie Sancti, vel Angeli, aut Dei loquentis, potest in mentem orantis se

Alij extra locum sacrū habuerunt,

Et in sacro accidunt dæmoniacæ.

in-

intruderę, vt de quadam met spirituali filia ego ipse Bononiæ legens, sæpe expertus sum.

3. signum, sed non est semper verum, quod fiat in quiete, vel nocte.

306 Tertium, quod supra alia dari solet signum, est, si apparitio, et reuelatio fiat in tempore quietis præsertim nocturnæ; quia sic legitur de præcipuis visionibus, vt de visione Iacob, cum vidit scalam de nocte, imò dormiens *Gen. 28. & Iob 4.* habetur *in horrore visionis nocturnæ*. De visione Iudæ Maccabæi; de duplici apparitione facta Ioseffo *Matthæi 1.* de alia Petri, *act. 12.* quando excitatus est ab Angelo. et ita accidit prima visio, et reuelatio *Gen. 2.* quando Deus immisit soporem in Adam, et cum sopore extasim, tunc enim fuerunt ei reuelata multa. Sed hæc circumstantia, neque est certum signum reuelationis diuinæ, neque illi tantum conuenit. Quia sæpe de die, et in vigilia multis acciderunt apparitiones, et reuelationes. Abrahamo enim sæpè Deus apparuit in diuersis creaturis, et de die, ac in vigilia, multaque eidem tunc reuelauit, vt *Gen. 12.* vbi ei prædixit, et promisit dominium terræ Canaam, deinde in *cap. 17.* iterum *cap. 18.* tertio apparuit Moysi *Exodi 3.* in flamma de die, ac in vigilia, et alias sæpè in toto Pentateucho. Aliæ apparitiones aliorum Prophetarum Isaiæ, Ieremiæ, Danielis, etc. Iudæ Maccabæi, Zachariæ Patris Baptistæ, Petri *act. 10.* dum vidit linteum, Pauli *2. Cor. 12.* cum raptus est vsque ad tertium cęlum; omnium Apostol. quando in die Pentecostes apparuit Spiritus Sanctus. Ioannis in tota Apocalypsi, aliorumque multorum, immò et trium Apostolorum, quibus apparuit Christus transfiguratus, Moyses pariter, et Elias; qui omnes euentus de die, et in vigilia acciderunt. Immò *Num. 12.* ait Dominus. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moysi, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquar ei & palam &c.* Ergo accidere possunt visiones, et reuelationes, tam in somno, et de nocte, quam de die, et in vigilia. E contra autem quis prohibet, quin dæmon etiam de nocte transfiguret se in Angelum lucis, et decipiat incautos ita de nocte, sicut de die; imò totus completorij hymnus ab Ecclesia ordinatur ad petendam liberationem incursuum nocturnorum per dæmonem prouenientium. Ergo hoc signum, parum, aut nihil refert ad discernendam apparitionem, aut reuelationem diuinam.

Non semper adest.

Quia de die & in vigilia sunt.

Multa exempla de hoc.

Dæmon etiã de nocte apparet.

307 Quartum, quod assignari solet signum, est splendor, aut fulgor personæ apparentis, quia *Daniel 12.* *Iusti fulgebunt quasi splendor firmamenti.* quod confirmat Saluator *Matth. 13.* *Fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris.* ideoque et ipse Saluator splendens apparuit in Thabor, quod considerans *Cyrillus catech. 18.* ait. *Lucidum dedit corpus, vt eo splenderet, vt ex apparentibus crederetur id, quod expectatur.* Proinde ne dum Beata Agnes, sic, ex Ambrosio Parentibus apparuit; sed et aliæ animæ Sanctæ, et Beata Virgo quoties apparuit, splendentissima legitur apparuisse. Sed hæc circumstantia splendoris, licet bona sit, et multum conferat ad dignoscendam apparitionem, et reuelationem diuinam; tamen non est certum signum; quia in hoc maximè verificatur dictum Apost. *2. ad Cor. 11.* *Satbanas transfigurat se in Angelum lucis.* Interl. ait, *Christum, vel cœlestem Angelum.* Imò si vult decipere necesse est, vt sub specie fulgida appareat, alioquin manifesta esset eius fraus, si tenebricoso, vel horrendo modo compareret; et sic, vt refert *Cæsarius lib. 5. Dialog.* apparebat Religiosissimæ Gertrudi in Vuesphalia, claritate nempe circumfusus. et ita de alijs, vt in Sanctorum Legendarijs est videre.

4. dicitur splendor.

Non est signum vnicum.

308 Quintum solet adduci signum; si qui apparet inuitat ad aliqua pietatis opera; quia diabolus, cui ex nominis ethymologia competit esse insidiatorem, nequit pietatem exercere. Sed neque hoc solum est certum signum quia hoc etiam modo diabolus decepturus *se transfigurat in Angelum lucis*, ideo ait Christus *Matt. 7. Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; vnde *S. Leo Magn. epist. 93. ad Turribium Episc. Assurien. cap. 15.* ait. *Quamuis sint in illis quædam, quæ videntur habere speciem pietatis, nunquam tamen vacua sunt veneni, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscunque erroris inuoluant. & D. Bernard. serm. de Dom.* inquit. *Transfigurat se in Angelum lucis spiritus ille malignus, vt virtutis simulatione plus noceat; fundet nonnullis singularia ieiunia quædam, vnde cæteri scandalizentur; non quia diligit ieiunium, sed quia scandalis delectatur.* Ita deceptus fuit doctissimus Tertullianus à Paulo Montanista paracletum se iactante, et noua quædam ieiunia, aliaque virtutum opera prædicante, contra tamen consuetum Ecclesiæ morem, vt ex *Baron.* fusè *to. 2. an. 215.* et, vt Albigenses, Illuminatos, Fraticellos, Pauperes de Lugduno, flagellantes, aliosque similis farinæ stolidos omittam, qui à dæmone sub pietatis prætextu circumuenti sectas fundarunt pernicioſissimas, vnum tantum non omittam Antichristum, qui totum ferè mundum decipiet, et vt Saluator ait electos ipsos in errorem adducere tentabit, sub pietatis operum inuolucro, vt in *1. disp art. 6.* dictum est.

5. imitatio ad opera pietatis.

Non est signum certũ.

Sæpe diabolus hoc modo decipit.

Antichristus sic faciet.

309 Colligendum tandem ex his, quod quamuis quodlibet ex omnibus adductis signis possit pati difficultatem, et dubium, excepto miraculi signo; tamen omnia simul iuncta tenerem sufficere ad dignoscen-

dam veram apparitionem, ac reuelationem à Deo factam, esset enim tot signis munita, vt non nisi à Deo esse posset.

## §. 8.

## *Corollaria pro vera, & falsa apparitione extasi, & reuelatione.*

Numquam est cum inordinatione naturæ.

310 EX dictis inferendum est primo. Quod apparitio cum reuelatione diuina, numquam est cum inordinatione naturæ, vt fit in furiosis, et arreptitijs, ita egregiè S. *Thomas* 2. 2. *quæst.* 173. *art.* 3. *in corp.* et multo minus cum inordinatione honestatis, vt optimè *Caietanus* ibi docet, cuius verba referam, quia digna sunt. *Spiritus Sanctus inquit, qui est author reuelationis, non est author deordinationis naturæ, aut moris; quia gratia secundum genus suum naturam, & morem non destruere, sed perficere nata est. Et propterea alienatio à sensibus si cum cordis salto sensibiliter vehementi, cum denudatione pudendarum partium fiat ex parte personæ alienatæ, nisi adessent operientes. Vnde oportet aduertere in huiusmodi alienationibus, si inuenerint aliquid indecens secundum motus intrinsecos, vel extrinsecos, siue sit indecentia naturæ, siue indecentia moris. Tunc non est alienatio prophetica, sed infirmitatis, vel fictionis, vel illusionis diabolicæ, aut naturaliter animalis, ex nimia meditatione alienatus.* hæc *Caietanus*. Et merito, quia *Rom.* 10. habetur. *Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Speciosos enim motus, siue externos, siue internos affectuum habet, qui à Deo illustratur. Hoc ergo intelligendum est, tam de apparente, et reuelante, quam de eo cui fit apparitio, seu qui extasim, aut visionem habet; nullum enim inordinatum, nec indecentem naturæ, aut moribus actum habet, nec qui apparet, ac loquitur, nec qui videt, vel audit, dum est in tali actu videndi, vel audiendi.

Notabile doct.

Non est diuina, quando contra legē Dei, vel damnum fit, aut proximi.

311 Infertur 2. Numquam esse diuinam apparitionem, aut reuelationem, quando apparens, vel præcipit, vel consulit aliquid contra Christi legem, vel in sui, aut proximi damnum, siue corporale prohibitum, vt membrorum mutilationem, aut mortem, siue spirituale puta peccatum, vel scandalum. et hoc facillimè euincitur, ex 1. *Ioann.* 4. *Omnis spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est.* Interl. dicit, *qui diuinitatem, vel animam, vel carnem negat, vel præcepta negligit.* Lyr. Ver. *Ex Deo non est*, ait, *non loquitur ex spiritu diuino, sed ex maligno.* et Paulus *ad Rom.* 10. vt supra habet, *quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* & *ad Gal.* 1. *Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit:* et iterum: *Etiam si Angelus de cælo euangelizet vobis, præter quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Interl. dicit, *non dico plus, sed præter.* sed euangelizatum est hominibus *seruanda mandata; quod tibi non vis, alteri ne feceris; diliges proximum tuum sicut te ipsum*, imo et *diligite inimicos vestros*; et *nemo est Dominus membrorum suorum.* Ergo quando aliquid his contrarium, siue mediatè, siue immediatè ab apparente consulitur, apparitio, et reuelatio non est diuina, sed, vel dæmoniaca illusio; vel naturalis, phantastica, et væsana apprehensio. Quamuis, et hoc etiam patiatur exceptionem, quia multi Sancti ex diuina inspiratione suæ morti causam aliquam dederunt, et se ipsos tormenta iniecerunt, vt de SS. Apollonia, et Pelagia legitur, sed tunc est Dei spiritus qui eos impellit.

Non sufficit, quod fiat personę probitate vitæ.

312 Infertur 3. Non esse censendam diuinam apparitionem, aut reuelationem per hoc tantum, quod facta sit probatæ vitæ personæ. Et si enim regulariter his contingere soleant, tamen et alijs accidunt; et illæ decipi possunt. Nam ex generali regula *Matth.* 7. Prophetia est donum gratis datum, multis viris malis competens. Multi dicent in illa die *Nonne in nomine tuo prophetauimus, virtutes multas fecimus, &c. & ego respondebo eis nescio vos.* Samuelis anima, hue Dei virtute, siue Pythonissæ magia apparuit Sauli 1. *Reg.* 28. *& Ecclesiastici* 46. et tamen tunc Saul nequam erat, ac reprobatus. E contra Sanctis Viris dæmoniaca accidit sæpe apparitio, vt de S. Martino, qui dixit quid adstas cruenta bestia; et de S. Francisco, cui suadebat Pœnitentię relaxationem, et de S. Theresia *F. Thomas esp. 6. tit. Reuelat.* refert, Dei seruam fassam esse, quod dæmon aliquando potuit se immiscere suis internis consolationibus, ita vt difficillimum fuerit eum internoscere, et ita decepit Polichronium Religiosum Monachum cum pro hæresi Monothelitarum eidem apparens præcepit, vt coram Imperatore, et Concilio se sisteret ad propugnandam suam sententiam, in cuius comprobationem mortuum debebat suscitare, et eundem quamuis probum delusit, ita ex *Concil. Constantinop.* 3. *act.* 15. Immò istos conatur frequenter decipere; non enim aliud scit in eos tendere rete, aliasque insidias, nisi titulo diuinarum apparitionum, et reuelationum eos decipiat.

Viris Sanctis dæmon apparuit sæpe

Deceptio, & error Polichronij.

313 Infertur 4. Apparitiones, et reuelationes posse accidere personis vtriusque sexus, et in qualibet ętate: tamen circa eas, quę mulieribus accidunt, et iuuenibus, et multò magis pueris, est maximè aduertendum. omnia patent. Primum quod vtrique sexui sint communes, probatur, nam Deus non est personarum acceptor *act.* 10. *& Ioan.* 3. *Spiritus vbi vult, spirat.* habe-

Viris, & fœminis accidunt.

De mulieribus patet.

mus celeberrimam B. Mariæ de Angelo Gabriele apparitionem, & reuelationem incarnationis *Luca* 1. & in veteri Testamento Maria soror Aaron, & Moysi erat Prophetissa *Exodi* 15. item Debora *vxor Lapidoth Prophetissa*, quæ Dei nomine dixit Abinoe. *Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade; & duc exercitum in montem Thabor, &c.* multa. Idem de *Anna* filia Tohù 1. *Reg.* 1. matre Samuelis prophetante in Cantico *Exultauit cor meum*. Idem de alia Anna Prophetissa *Luca* 2. quæ cum Maria, & Ioseph duxissent Iesum in templo, *vt sisterent eum Domino, hæc ipsa hora supreuniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* In nouo testamento, alias apparitiones, & reuelationes mulieribus factas non lego, quam apparitionem Angelorum mulieribus in sepulchro Domini. Ex historicis tamen Ecclesiasticis multę leguntur, & ab Ecclesia probantur, quas legendas cuilibet relinquo.

De iuuenibus patet.

314 Prob. secundum de ætate. Non enim solis senibus maturisue viris, aut iuuenibus apparitiones, & reuelationes factæ sunt, vt ex Sacra Scriptura patuit supra, sed ex eadem conspicuum est, alijs iunioribus eas accidisse. vt adolescenti *Tobiæ in lib. Tob. cap.* 5. vbi habetur *egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum stantem præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum & ignorans, quod Angelus Dei esset, &c.* & in omnibus suis negotijs, ac itineribus eum est comitatus, vt ibidem legitur, & in seqq.

De pueris etiam,

vsque ad *cap.* 12. De reuelatione facta pueris legitur *Dan.* 13. in casu Susannæ *Suscitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iuniori, cuius nomen Daniel*, eique manifestata est à Deo nequitia senum, qui calumniam intulerant pudicæ Susannæ, & coram toto populo, eorum impietatem detexit, iudicauit Susannam liberandam, & senes lapidandos. De Samuele filio Annæ, qui postea rexit, & iudicauit populum 1. *Reg.* 2. *Dum Samuel puer ministrabat coram Domino, & magnificatus est puer Samuel apud Dominum*, & *cap.* 3. *Dominus vocauit tribus vicibus Samuelem*, eique reuelauit multa, ex eodem capite. Ioanni Baptistæ nondum nato, sed in vtero existenti reuelata est Christi præsentia, ideo adueniente Beata Maria prægnante in domum Elisabeth *exultauit infans in vtero eius Luca* 1. Ex canonica autem Scriptura noui testamenti nil tale lego, neque apparitionem, neque reuelationem pueris factam, vel adolescentibus, nisi Paulo, ipse enim adolescens erat, quando lapidatus est Stephanus, hoc autem accidit biennio ante eius conuersionem; & tamen Christus, qui eum de equo cadere iussit, reuelauit illi quid oporteret eum facere. & paucis post annis obtinuit insignem illam visionem, & reuelationem eorum, quæ non licet homini loqui 2. Cor. 12. Idem de Ioanne Euangelista, in Apocalypsi, & Ioanne Baptista in Iordane Christum baptizante cum Spiritum Sanctum in columbæ specie vidit, & reuelationem habuit *Matthæi* 3. *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam super se. Et ecce vox de cælo dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Sed illi erant viri perfectæ ætatis Ex Ecclesiasticis historicis, inuenitur in *t.* 5. *ann. Bar. an.* 401. *f.* mihi 138. puerum septennem Syrum, Gazæ lingua Græca prædixisse, & præcepisse destructionem Marnij templi idolorum, & asseueranter dixisse, non se sed Christum in se loqui; hic autem, nec Græcè loqui didicerat, nec audierat; & non solum rem prædixit, ac iussit, sed & modum destruendi templum; & ita, quod numquam ante fuerat attentatum, ex pueri reuelatione fuit perfectum.

Ex historijs de pueris legitur.

315 Aliud pariter de puero mirabilius legitur, ex quo Trisagij laus aucta est, ex eodem *Baron. t.* 4. *anno* 474. *f.* mihi 303. nam die 24. Septembris Constantinopoli, puer de repente videntibus omnibus, ab incognita potentia in aerem, ita altè sublatus est, vt amplius non appareret, & paulo post cunctis spectantibus per eandem viam descendit, & coram Imperatore, atque Episcopo, ac cæteris dixit, se audisse Angelos sic Dei laudes celebrantes *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & Immortalis miserere nobis*, & statim mortuus est.

Puer de Trisagio.

316 De Puero *Armamentario* nomine refert *Greg. lib.* 4 *Dial cap.* 26 quod cum in clade domus sui Domini, seu Patris percussus ad mortem deductus est, sublatus à præsentibus, ad se rediens, Dominum suum vocari iussit, eique dixit *Ego fui in cælo, & qui de hac domo morituri sunt agnoui, illi, ille atque ille morituri sunt, tu vero ne timeas, quia in hoc tempore moriturus non es. Vt vero scias, quod me in cælo fuisse verum fatear, ecce accepi illic, vt linguis omnibus loquar*, & cum puer hic esset, ait Gregorius in Italia natus, Græcè & Bulgaricè cum alijs eius idiomatis loquebatur. quæ autem de morte eorum prædixit, acciderunt. sed ipse subdit *Gregor. die tertio, quo occulto Dei iudicio nescitur, manus, ac brachia lacertosque suos dentibus laniauit, & sic de corpore exiuit.* Alia de pueris in hac materia exempla non vidi. Ex his ergo patet, quod apparitiones, & reuelationes omnibus omnis ætatis, hominibus accidere possunt.

De alio puero Greg.

Admirabile factum.

In nouo testamento nó legitur reuelatio facta pueris.

317 Prob. modo tertium assumptum, quod scilicet circa reuelationes, & apparitiones puerorum, & mulierum est maxime animaduertendum; nam quò ad pueros spectat, verum quidem est, quod ex *ore infantium perfecit Deus laudem*, tamen non video frequenter hoc accedisse in Scriptura, & quando accidit, egregijs miraculis fuit comprobatum, à Deo processisse apparitionem, ac reuelationem. Leginus enim

Circa puerorum reuelationes maxime aduertendum.

in veteri testamento, imo & nouo, prouectis viris, & rarissimè eiusmodi casus, & pro maximis aperiendis mysterijs accidisse.

Item circa apparitiones mulieribus contingentes.

318 Idem dicito de mulieribus. Paucissimas enim vidimus in Scriptura fœminas diuino afflatas spiritu prophetasse. sed nullam inuenio in veteri testamento apparitionem habuisse. & in nouo Mariam Dei Matrem, & mulieres quæ Angelos in Iesu monumento viderunt. De reliquo aliam nullam in Scriptura inuenio. Teneo, illo tamen modo quo tenet Ecclesia, mulieribus quibusdam Sanctis, vt historiæ referunt Deum, Sanctosque apparuisse, & multa reuelasse; quæ autem, & quot, sicut dixerit Ecclesia, dicam. Non enim omnes authenticas habet, sed permittit legi. Imò multæ, neque permittuntur à Romana Ecclesia, licet per aliquas Prouincias circumferantur, sed cum ad eius notitiam perueniunt; supprimuntur, quia comperit esse illusiones, & phantasticas adinuentiones.

Constanter procedendo in admittendo apparitiones diuinas.

319 Infertur 5. Apparitiones, & reuelationes supernaturales non esse adeo frequentes in Scriptura Sacra, ac proinde cunctanter procedendum in earum credulitate, cum nouæ afferuntur. In veteri namque testamento comperimus Abrahamum Deo carum, cum centum & septuaginta annos degerit, octo tantum visionibus, seu apparitionibus, ac reuelationibus donatum. Isaac, & si Dei amicus, cum 180. annos vixerit, nullam obtinuit apparitionem, aut reuelationem. Moyses autem, qui à Deo dux populi fuit electus, vsque ad annum octuagesimum apparitionem non habuit, nec reuelationem. & sic de alijs discurrendum. In nouo autem testamento paucissimas legimus apparitiones, & reuelationes ex Scriptoribus canonicis excipies. In historijs autem Ecclesiasticis antiquis, raras etiam inuenimus. Vnde, cum nostra tempestate, libros, imò & tomos integros apparitionum, & reuelationum videmus adduci, magna cum cautela, & maiori cum suspicione debemus eas suscipere, nisi Dei digito, miraculis, scilicet vel infallibili Sedis Apostolicæ calculo sint comprobatæ; ipsa enim ex signis supra allatis prudentissimè discutit, quæ veræ, & quæ falsæ sint. Et quamuis aliquas legi permittat, eo quod malum nullum contineant, neque bonis moribus officiant, non tamen definit, veras esse, eò vel maximè, quando in aliquibus sibi contradicunt.

Abraham, & si longæus octo tantum habuit.

In nouo test. paruæ legitur.

320 Infertur 5. Quod apparitio, & reuelatio, vel dirigitur ad instructionem eiusdem personæ, quæ eam habet, vel ad instructionem aliarum, puta alicuius Ciuitatis, Principis, Episcopi, alterius ue superioris, vel Ecclesiæ totius. Si primum, tenendam existimo regulam *Caietani in 2. 2. qu. 174. art. 6. §. ad huius*. quod si reuelatio non est contraria regulis vniuersalibus Ecclesiæ, qui eam habet potest in suo sensu

Regulæ seruandæ si reuelationes instruunt de aliquo faciendo.

abundare eique credere, & illam sequi. Si verò pertineat ad aliorum instructionem, tunc etiam si non sit contraria regulis communibus, non est statim recipienda, sed vtendum regula *Concil. Later.* quæ habetur in *cap. Cum ex iniuncto de hæreticis*, sic autem ait. *Potest rationabiliter responderi, quod cum interior illa missio sit occulta non sufficit cuiquam nudè tantum asserere, quod ipse sit missus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus asseueret, sed oportet, quod ostendat illam inuisibilem missionem per operationem miraculi, vel scripturæ testimonium speciale. Sic factum cum Moyse, qui miraculis probauit missionem, & cum Ioanne Baptista, qui speciale suæ missionis testimonium protulit de scriptura dicens. Ego vox clamantis in deserto dirigite viam Domino, sicut ait Isaias Propheta.* Et optime quidem, semper enim cum Deus aliquem Prophetam misit, & reuelauit per eum aliquam publicandã ad populorum instructionem, miraculis comprobauit, legi potest totus Canonicus textus, omnesque Prophetales scripturæ, quæ his argumentis abundant; ideo de Apostolis legitur *Marci vlt. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante sermonem confirmante sequentibus signis*, quod sibi à Saluatore fuerat promissum *Marci 16. In nomine meo dæmonia ejicient linguis loquentur serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*, quod & factum est, vt experientia fuit comprobatum.

Miraculis comprobandæ spectant ad totius Ecclesiæ doctrinam.

321 Si verò reuelatio directa ad instructionem communitatis, contineat aliquid contrarium communibus Ecclesiæ regulis, ait *Caietanus loco cit.* nullo modo est recipienda; quia agere contra determinatas, & infallibiles Ecclesiæ regulas est malum, & proinde non faciendum, & ad hoc spectat, quod docet Apostolus ad *Gal. 1. Sed licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Cum ergo habeat Ecclesia suas regulas credendi, & operandi scriptas, & per manus traditas, quæ sunt Catholicis omnibus iam euangelizatæ, non est ab eis recedendum.

Si continet aliquid communibus regulis contrarium non recipienda.

322 Dices. Posset Deus dispensare in aliquo præcepto secundæ tabulæ; & aliquid de nouo ad credendum manifestare. Ergo hæc regula patitur exceptionem. Antecod. patet de primo, quia de facto dispensando præcepit Abrahæ, vt occideret filium suum Isaac; & huic inspirauit, vt sui occisioni consentiret. Sampsoni inspirauit, vt columnarum motu domum cum habitantibus innumeris præcipites daret, & se cum illis occideret. Oseæ præcepit, vt vxores fornicationum sumeret, & de alijs multis. Idem de doctrina dicendum; quia stante Moysi lege, ac doctrina ab ipsomet Deo suo digito scripta; Christus, & Apostoli eam totaliter abrogarunt, & contraria docuerunt. Igitur accidere possunt eiusmodi

Difficultas grauis.

nouæ reuelationes dispensantes circa opera, & doctrinas contrarias, vel saltem nouas adducentes, & proinde regula nuper adducta circa receptionem nouarum reuelationum, non videtur, nec adæquata, nec solida.

313 Respond. quod licet hic non sit proprius huius materiæ locus, vt tamen argumentum soluatur, dicendum, quod Deus non est author mendacij, sed verax in essendo, ac dicendo *Exodi 34. 6. Multæ misericordiæ, & verax*. idem *Psalm. 83. & Rom. 3. Est autem Deus verax, & omnis homo mendax*. Cum igitur miraculo aliquis probat reuelationem, si clarum ac verum sit miraculum, & non præstigium, seu illusio magorum, & histrionum, si hoc comprobetur per infallibilem Ecclesiæ regulam, Concilium, nempe cum Papa, vel solo Papa, cui infallibilitas docendi, & dirigendi Ecclesiam data est; tunc appareret, Deum aliquid nouum reuelare, vel in aliquo dispensare, & in casu isto possibili sua efficaci inspiratione, & clara illuminatione Concilij, & sui Vicarij mentem illuminaret, & digito quasi veritatem demonstraret. Et hinc est, quod, vt nouum testamentum hominibus insinuaret, & legem Moysi, quò ad cæremonialia, & legalia abrogaret, quod multò ante fuerat prædictum, fuit necessarium in nouæ huius legis comprobationem, tot & tam insignia edere miracula, vt ipsimet Moysi sequaces dicere coacti sint, *nemo potest facere signa, quæ tu facis, nisi Deus fuerit cum illo*, & ipsemet Christus post tot, tantaque signa edita, in semetipso mortem sustinens per humanitatem, semet suscitauit per Deitatem, in cælum videntibus cunctis ascendit; & Spiritum Sanctum in visibili signo in Apostolos misit; cunctos discipulos suæ doctrinæ promulgatores virtute miraculorum muniuit, vt mirabiles, ac Thaumaturgi apud orbem vniuersum appellarentur. Cum ergo his signis probantur nouæ doctrinæ, & aliqua Dei dispensatio in præceptis secundæ tabulæ, Ecclesia decerneret quid esset agendum; quod quidem priuatæ personæ non liceret. Et ideo omnes Sectarij, Simon Magus, Cherintus, Ebcion, Carpocras, Montanus, cæteriquæ eiusmodi Pseudo-Apostoli fictis miraculis suas doctrinas comprobare conabantur. Et illusus ille Monachus Polichronius, vt habetur in *Concil. Gener. 6. act. 15.* Monothelitarum dogma sibi reuelatum asserens, miraculo suscitationis mortui probare tentauit; sed quia falsitas doctrinæ non potest à Deo sua speciali operatione comprobari, oblatum mortuum suscitare nequiuit. Quod pariter Luthero, sed contraria stropha accidisse compertum est, hic enim in suæ Sectæ probationem, Osiuensem quendam peregrinum viuum, ex conducto cum eius vxore, mortuum fictum, ad suorum sequacium fidem suscitare tentans; Dei iudicio mortuum inuenit. Concludendum, quod in eiusmodi apparitionibus, ac reuelationibus ad publicam institutionem pertinentibus, ad Ecclesiæ superiores est recurrendum, qui ex signis veris, ac miraculis rem decernent.

Quid si Deus de nouo aliquid reuelaret,

Vt Deus legem veterem abrogaret multa facta sunt à Christo, & Apostolis miracula,

Deceptio Monachi falsitatis facere miraculum,

314 Infertur tandem consequenter ad nuper dicta, quod quamuis ex 1. *Thessal.* 5. Propheriæ, seu reuelationes spernendæ non sint, ne tamen cuiuslibet priuato spiritui in eiusmodi nouis reuelationibus credendum sit, *Concil. Later. 5. in sess. 11. const. 1.* circa nouarum inspirationum, seu reuelationum publicationem sic statuit. *Et quoniam res magni momenti est, eò quod de facili non credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus ex Apostolo, an ex Deo procedant volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspirationes antequam publicentur, aut populo prædicentur, ex nunc Apostolicæ Sedis examini reseruata intelligantur*. addit insuper. *Quod si sine mora periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet; tunc eodem ordine seruato, ordinario loci notificetur, vt ille adhibitis secum tribus, aut quatuor doctis, & grauibus viris, & huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt (super quo eorum conscientias onerauimus) licentiam concedere possint*. quod exequendum iniunxit sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, præter alias à canonibus statutas. Sic ergo faciendum, vt apparitiones, ac reuelationes in authenticarum serie habeantur. Quæ autem circumferuntur cuiuscunque esse dicantur, licet, vel tolerentur, vel permittantur, vel per manus fidelium versentur, quia in partibus, absque Sedis Apostolicæ scientia, vel approbatione sunt descriptæ, vel impressæ, vel apocrifæ sunt, vel dubiæ; neque tenetur aliquis pro veris eas recipere, donec eiusdem Sanctæ Sedis calculo sint approbatæ. Imò notat *Ioannes Baptista Larrea in decis. Granat. part. 2. decis. vlt. de Reuelationibus n. 68.* Etiam Sedes Apostolica adeo cautè in eiusmodi materia procedit, quod quamuis quorundam Sanctorum reuelationes approbauerit, numquam tamen eis fidem adhibendam iusserit, neque Ecclesiæ proposuit, vt credenda. Et sapientissime quidem, nam circa nonnulla euidentes videmus contradictiones, quæ quidem nequeunt à spiritu vnitatis, & veritatis procedere; sit pro exemplo in cuiusdam Sanctæ reuelationibus legitur fuisse sibi reuelatum, quod Deipara concepta fuerit sine peccato originali. In reuelationibus verò alterius, legitur reuelatum contrarium, & ita de alijs. Vnde *Baron. tomo 8. an. 604.* in Vita Greg. & Phocæ de eiusmodi negotio recipiendi reuelationes illas multa dicit, sed ipse sic pro se protestatur, *Veneror quidem, vt par est, Sanctos ipsos, ac color, sed de reuelationibus ipsis facilis, vel potius ipsis adscriptis ea dumtaxat re-*

Non publicari de nouo reuelatione, nisi approbata à S. Sede.

Reuelationes non approbatæ à Papa non multum æstimandæ.

Contradicunt sibi reuelationes quædam, quæ circumferuntur,

*cipio, quæ Ecclesia rubrit, quam scimus non potuisse ista probare, quæ sunt inter se adeo pugnantia*, & loquitur de liberatione animæ Traiani, &c. hæc autem obiter de apparitionum, ac revelationum natura, ac signis innuisse sufficiat.

## ARTICVLVS VIt.

### *An solum diuina, an etiam creata virtute anima aliqua possit apparere.*

Multa discutienda.

315 Adu. sub hoc titulo plura esse discutienda. Primum est, an anima cuiuslibet defuncti, siue beati, siue purgantis, siue damnati, sola Dei virtute permittente, & operante possit apparere cuicumque. Secundum, an anima ipsa ex propria virtute, quando sibi libuerit possit è loco, in quo reperitur, discedere, & viatori alicui in corpore aliquo aereo, vel ex simili materia formato apparere, & suum statum, vel alia, quæ ipsimet nota sunt, manifestare; cum legatur quosdam amicos in recessu ex mundo pactum iniisse de apparendo alteri remanenti; & sic aliquando euenisse. Tertium est, an dæmones, seu magi in dæmonum virtute possint facere, vt anima aliqua, in quocunque statu reperta possit ex eo loco discedere, & apparere alicui. Hoc autem dubium ex S. Scriptura ortum habet, eo quod Pythonissa 1. *Reg.* 28. apparere fecit animam Samuelis ipsi Sauli id exposcenti. Cum tamen Doctores, & SS. Patres in hoc non concordent; concedunt enim aliqui, tunc animam Samuelis in substantia apparuisse; alij verò negant, quia indignum putant, vt anima illius Sancti in Lymbo existens, dæmonis virtute fuerit reuocata, sed dicunt, eam apparuisse in imagine Vtriusque sententiæ authores pro, & contra, infra referemus. Hoc præmisso

Qui morientes promittunt apparere,

Ex script. oritur difficultas de Samuele.

316 Dico 1. Anima cuiusuis defuncti non potest pro suo libito de loco suo moueri, & ad aliquam mundi partem accedere, & apparere alicui. Est communis Ecclesiæ sensus.

Non potest anima ex suo arbitrio venire ad nos,

317 Prob. 1 ex *Psal* 77. 39. vbi de Deo circa homines, sic dicitur. *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens*, Interl. ait, *vadens de hoc mundo, & de corpore*. Lyr. ibi ait, spiritus per separationem à corpore vadens, & non rediens, quia spiritus separatus à corpore ad ipsum non redit virtute naturæ. *Theodor.* in hunc locum Psal. ait. *Natura eorum imbecillitatem nouit, & breui finem vitæ eos accepturos esse*.

Ex script.

318 Prob. 2. ex *S. August. lib. de cura pro mort. ger. cap.* 16. vbi de hoc ex professo agit, & sic loquitur. *Nec quoniam Lazarus resurrexit ideo mortuus omnis, quando vult surgit, aut eo modo ex animis à viuente, quomodo à vigilante dormiens excitatur. Alij itaque sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum. alia sunt quæ naturaliter; alia quæ mirabiliter fiunt; quamuis, & natura Dei adsit, vt fiat; & miraculis natura non desit. Non igitur putandum est viuorum rebus quoslibet interesse posse defunctos, quoniam quibusdam sanandis, vel admirandis martyres adsunt. Sed ideo potius intelligendum est, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interfuerint; quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus interesse non possunt.* Egregie quidem concludit, vt in potestate animarum non essent, quando, & quibus volunt appareant; sed opus diuinæ virtutis hoc esse.

Ex August. clarè,

319 Prob. 3. ex *Tertull. to. 3. libr. de anima c. 57.* infra adducendo, vbi prolixè, sed doctè, atque acutè probat, animas defunctorum, neque propria virtute, neque exorcismis, neque dæmonis arte posse ad nos reuocari, sed sola Dei virtute, cum eidem placet hoc euenire; particulam huius doctrinæ, infra in animæ Samuelis euocatione adducemus.

Tertull.

320 Prob. 4. à posteriori. Non ita facile apparent defunctorum animæ qui quidem cum in viuis essent maxime ne dicam summe suos caros filios, vxores, amicosque diligebant, quod certè facerent, si possent ex se id exequi. Quo quidem argumento video vsum *Augustinum lib. de cura pro mor. ger. cap* 13. sic, *Si rebus viuentibus interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos quando eas videmus alloquerentur in somnis; vt de alijs taceam, me ipsum pia mater nulla nocte deseruisset, quæ terra, marique secuta est, vt mecum viueret. Absit enim, vt facta sit vita felicior cruditis vsque adeo, vt quando aliquid angit cor meum, ne tristem filium consolatur, quem dilexit vnicè, quem numquam noluit mœstum videre*; ergo.

A posteriori argum.

Si possent frequenter venirent ad suos caros,

321 Prob. 5. ex *Isaiæ* 63. *Tu es Pater noster, quia Abraham nescuit nos, & Israel non cognouit nos*. Ergo si Patriarchæ isti in mundum numquam post mortem venerunt vt suos filios visitarent, & de via recta erudirent; euidens signum est, defunctos non posse pro libito ad nos accedere, quod arg. à Tertulliano vbi supra laudatur,

Patriarchæ non apparuerunt alijs

322 Conf. ex 4. *Reg.* cap. 22. & ex 2. *Paral. c.* 34. vbi postquam Ezzechias sensit comminationem, desolationum, et malorum omnium, quæ inducturus erat Dominus fecit, et pœnitentiam egit, sic ei fuit à Deo promissum. *Quia verba mea audisti, & verita es à facie mea, cum audisti, quæ locutus sum de ipso loco, & qui commorantur in eo, vt deserantur, & in maledictio sint, & conscidisti vestimenta tua, & flenisti. Ecce ego apponam te ad Patres tuos, & apponeris cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego inducturus sum in locum hunc, & qui*

Aptus Scripturæ locus.

*commorantur in eo*. Ergo ex se non possunt ad nos venire animæ defunctorum; alioquin Ezzecchias videre potuisset, quę erant futura in Iudæa. Detinentur ergo defuncti, ne, quando volunt possint ad nos accedere.

A sufficienti argum.

333 Prob. tandem à sufficienti. Vel enim animæ sunt in inferno, vel in purgatorio, vel in cælo. Vbicunque sint, non possunt venire, & apparere: ergo. Prob. de primis: tum quia si in gehenna existentes possent venire, & apparere, frustra dives ille relatus *Luc.* 16. rogasset Patrem Abrahamum toties, vt mitteret Lazarum ad fratres suos, qui eis significaret acerbitatem pœnarum, nè & ipsi in eam flammam descenderent; sed ex semetipso ad eos descendisset: tum etiam, quia omnes damnati, vt distraherentur à consideratione, & à passione, ne dum sæpe, sed semper recederent: tum tandem, quia vt Ecclesia docet in inferno nulla est redemptio, & nos de pœnis inferni diximus damnatos ibi esse immobiliter, de ijs enim dicitur *ligatis manibus, & pedibus, &c. Matth* 22. De animabus purgatorij patet etiam, quia, vt dicetur in propria Disputatione sunt ita addicti, ligati, seu vinculati pœnis illis, vt nequeant inde recedere; alioquin etiam ipsæ distractionem, & subleuamen continuum habere possent. Neque valet de vtrisque tam damnatis, quam purgantibus dicere, quod ferrent secum pœnam ignis, & alias, sicut accidit in dæmonibus extra inferos positis, vel animabus aliquando Dei virtute apparentibus ignea flamma circundatis; nam hoc est miraculum, quod à solo Deo peragi potest. Ergo nequeunt ex natura propria animæ apparere, pœnam secum miraculosè ferentes. De tertio pariter patet, tum à posteriori; quia frequentes non sunt eiusmodi apparitiones, etiam si enixè rogentur beati. Tum etiam quia nec volunt, nec possunt, naturaliter beatitudinem interrumpere. Neque valet dicere, idem sequi, cum à Deo mittuntur; quia in eo casu, sicut de Angelis extra Paradisum positis, dicimus, Deum vbicumque existentibus animabus Beatis, vel Angelis esse obiectum beatificæ visionis, & fruitionis; quod non accideret, si animæ ex suo libito, & naturali virtute possent ad mortales descendere.

Non damnati.

Neque purgandi.

De beatis probatur.

Quid de illo qui promittit apparere, & apparet.

334 Dico 2. Si datur aliquando casus, vt moriens promittat se apparere superstiti, & hoc contingat, id non est ex libito talis morientis, sed ex Dei permissione, vel ex apprehensione vehementi id accidit, vt imago eius videatur.

335 Prob. ex nuper dictis. Anima post separationem à corpore non habet hanc potestatem eundi quò velit, vel aliud corpus formandi, aut assumendi. Ergo si casus ille aliquando accidit, ex speciali Dei permissione accidit.

336 Conf. si hoc esset in potestate defunctorum, quisque hoc promittens posset exequi; imò & omnes sic promitterent, & exequerentur; & tamen non ita accidit. ergo non possunt. Neque dici potest, post mortem mutasse sententiam, vel amplius non recordari de promissione, & ideo non stare promissis; nam de recordatione in suo loco dictum est in *disp.* 24. *art* 8. Dives enim recordabatur domus, & fratrum quos in mundo reliquerat; imò pro eis rogabat Abrahamum, vt mitteret ad ipsos Lazarum: ergo. De retractatione autem non est verisimile, cum defuncti mortui in gratia virtutem fidelitatis exercere debeant, & ideo stare debent promissis. Igitur, euidens signum est, in eorum potestate non esse, vt quando velint, nobis appareant. Non enim crescit in eis aliqua virtus per hoc, quod promiserint; cum tamen aliunde, vt cum Augustino probauimus hanc non habeant potestatem.

Ex absurdo arg.

337 Prob. 2. ex *Tertulliano lib. de anima cap.* 57. vbi acriter inuehitur contra Magos, asserentes, posse dæmonum opera animas ex inferis reuocare; imo ex hoc docet (vt in seq.) per Pythonissam, quam Saul consuluit, reuocatam non fuisse animam Samuelis; quia hanc potestatem diabolus, nec alius vllus habet: & post multa, dicit *Nulli autem animæ omninò inferos patere, satis Dominus in argumento illo pauperis requiescentis, & diutius ingemiscentis, ex persona Abrahæ finxit non posse relegari renuntiatorem dispositionis inferna, quod vel tunc licere potuisset, vt Moysi, & Prophetis crederetur:* & postea generalem regulam firmat. *Sed etsi quasdam reuocauit in corpora Dei virtus, in documenta iuris sui, non idcirco communicabitur fidei, & audacia magorum, & fallacia somniorum, & licentia Pythiarum:* & post, dicit, ex miraculo diuino accidere, quod anima aliqua ad nos veniat. Et concludit resolutè. *Omnes ergo animæ pœnæ inferos inquis, velis, nolis, & supplicia tam illic, & refrigeria habes pauperem, & diuitem, &c.* vult ergo inferre quod animæ defunctorum sunt in suis locis determinatis, in quibus, vel præmia habent, vel supplicia; neque per alicuius artem, aut virtutem possunt ad nos remeare; sed sola Dei virtute hoc fit, quando fit.

Tertull. arg.

Animæ non sunt sui iuris, vt possint venire ad vos.

338 Prob. secunda pars, ex *August lib. de cura pro mort. ger. cap.* 11. vbi exactè explicat, quod pleraque ab aliquibus visa, vt mortui, & absentes, non sunt ipsemet personæ, sed earum similitudines, cum tamen mortui, vel absentes de hoc non cogitent. & adducit duos casus in superioribus alias allatos vnum Mediolani de quodam filio, qui à creditoribus perstringebatur pro cautione quadam Patris, ab hoc tamen, filio nesciente persoluta. *Tunc* ait *August. nimis anxio, Pater eius apparuit in somnis, & vbi esset repositum, quod illa cautio euacuata fuc-*

2. pars. de imaginibus, & similitudinibus per apprehensionem.

*fuerat indicauit, quo inuento inuenis, atque monstrato, &c.* Alius casus Cartagine accidit Eulogio discipulo eiusdem Augustini, ille enim Rethoricæ Lectionem discipulis super Ciceronis libros explicaturus, locum obscurum offendit; quo non intellecto, de hoc sollicitus, vix dormire potuit, qua nocte somnianti, Augustinus ei apparuit, & quod non intelligebat exposuit, ita eidem narrauit Eulogius. Imo ait *Augustinus imago mea apparuit, nesciente me, & tam longe trans mare aliquid aliud agente, siue somniante, & nihil de illius curis omnino curante:* & subdit, *quomodo fiant ista nescio, sed quomodolibet fiant, cur non eodem modo fieri credimus, vt in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit vt videat & viuum, ambobus vtique nescientibus, neque curantibus quis, vel vbi, vel quando eorum imagines somniet.*

Duo casus ab Aug. relati.

339 Conf. ex eodem in sequ. *cap.* 12. vbi de eiusmodi apparitionibus, & visionibus per imagines naturaliter etiam apparentes diffusè loquitur. Hoc ergo modo potest accidere, vt viuens, mortui apparitionem cum anxietate expectans eius phantasma, somniando, vel vigilando concipiat, & adeo expresse mortuum repræsentet, vt vix discernere possit, an verè sit amicus apparens, an verè decipiatur.

340 Ex his autem omnibus colligitur. Animas defunctorum non posse propria virtute ad nos remeare; neque etiam si id, decedens ex hoc mundo, alicui promiserant. Cum autem apparent cautè procedendum est, ne videntes decipiantur. Fieri enim potest, vt sit illusio, vel naturalis, vel dæmoniaca; quod autem horum sit ex signis in præced. allatis poterit dignosci.

## §. Vnicus.

### *An dæmonis virtute anima possit apparere; vbi de Samuele.*

Ratio dubitandi ex Scriptura.

341 ADu. motiuum dubitandi ortum habere ex Sacra Scriptura, nam 1. *Reg.* 28. Saul consuluit mulierem habentem Pythonem, id est diuinationis spiritum, dicens, *suscita mihi Samuelem*. hæc autem suas perficiens incantationes, *ait ad Saul, Deos vidi ascendentes de terra*, interrogata vero *in qua forma*, dicit, *vir senex ascendit amictus pallio. Et intellexit Saul* (ait textus) *quod Samuel esset, & inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit, dixitque Samuel ad Saul, quare inquietasti me, vt suscitarer*, deinde pluribus reuelauit Sauli excidium, amissionem Regni, & translationem eius in æmulum suum, nec non mortem sui, & filij; & exparuit. *Ecclesiastici* pariter 46. fit de hac Samuelis apparitione commemoratio. Hoc autem stante, oritur difficilis quæstio, an re vera Samuel apparuerit; & si sic, quomodo potuerit hoc præstari ope dæmonis, dum Samuel cum Sanctis Patribus in Lymbo, tunc existeret. Si verò non fuit verus Samuel, sed species, seu imago eius, ope dæmonis apparens, sicut in omnibus præstigijs accidit; quomodo textus Canonicus in duplici loco narrat hoc factum, tamquam veram historiam, & loquitur de Samuele, tamquam vero; non autem apparente, ac illusorio, & dæmoniaco simulacro.

Pitho est diuinationis spiritus.

Samuelis apparitio;

Dubium, an ipse fuerit.

342 Adu. 2. Patres, & DD. infra citandos diuersimodè de hoc facto sensisse. Quidam dicunt verum Samuelem Deo permittente apparuisse, & prophetasse. Alij dicunt; quod non verus Samuel, sed phantasma à dæmone (& alij à Deo) formatum apparuisse: quo ad prophetationem verò subdiuisi sunt; quidam dicunt, dæmonem in eo phantasmate Deo permittente ea futura scisse, & prædixisse; alij tandem, dicunt, Deum ipsum immediatè, vel per Angelum bonum ea prædixisse. quid nobis placeat mox dicetur.

PP. contrarij in hoc.

343 Dico ergo. Quamuis Patres, ac Doctores cum probabili fundamento substi. nuerint, animam Samuelis, ex Dei permissione apparuisse Sauli in magica illa Pythonissæ operatione. Probabilius tamen est non animam Samuelis, sed spectrum, seu speciem, vel imaginem eius, dæmoniaca arte formatam apparuisse, Deum tamen per eam prædixisse futura. Authores hinc inde, mox adducentur.

Licet probabile sit, quod Samuel apparuerit; probabilius tamen est, quod non sed fuisse spectrum.

344 Prob. 1. pars. Canonicus textus refert hoc factum, tamquam historiam in persona veri Samuelis, sicut & veri Saulis, vt patet legenti totam historiam: ergo.

345 Conf. *Ecclesiastici* 46. fit commemoratio plurium virorum, Dei seruorum; & in fine, sic dicitur de Samuel. *Dilectus à Domino Deo suo Samuel Propheta Domini, &c.* & postquam de omnibus eius heroicis operibus facta est commemoratio; sic dicitur. *Et post hæc dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere iniquitatem gentis.* Ergo verus Samuel in ea dæmoniaca operatione, sic Deo permittente apparuit.

In duobus scripturæ locis narratur, vt historia.

346 Conf. ex eodem textu 1. *Reg.* c. 28. Samuel illi, qui apparuit prophetauit Sauli prædicens, quod in crastino Deus traderet exercitum suum in manu Philistijm, & quod in eodem crastino ipse; & filius eius erant morituri; Nec non, quod Dominus eum dereliquerat, & transierat ad æmulum suum. Hæc autem non poterat scire dæmon; quia *Isaiæ* 41. habetur *annunciate nobis futura, & dicemus quia Dij estis*. Si igitur futura prædixit, & in veritate acciderunt, erat verus Samuel propheta Domini.

Prædictio futurorum ex Deo fit.

347 Conf. 2. Quia nisi ita dicatur: iam

non

non subsisteret veritas Scripturæ. Omnia enim in sensum alienum possent conuerti.

Patres, qui dixerunt fuisse verum Samuelem. Iustinus.

348 Prob. 2. ex Patribus Græcis & Latinis. *Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone*, vt probaret animæ immortalitatem, sic ait: *Animas superstites manere, in eo demonstrauerim, quod & Samuelis animam ventriloqua Pythonissæ, ita vt Saul petierat, euocauit.* Ergo, vera Samuelis anima dæmonis opera apparuit Sauli.

Basilius.

349 *Basilius Magnus epist. 80. ad Eustathium*, sic inquit. *Et mulier illa Pythonica, quæ Samuelem ab inferis incantationibus suis euocauit, cum videret animas, quæ requirebantur, &c.* ergo.

Theodor.

350 *Theodoretus in 1. lib. reg. in cap. 28.* mouens hoc dubium, *Quomodo intelligere oporteat de ventriloqua*, ait. *Nonnulli dicunt eam vere reuixisse Samuelem. Nonnulli hoc idem refellerunt, dicunt autem quendam dæmonem ostendisse figuram Samuelis, &c. Ego autem, &c.* vbi, vt infra dicetur id vtrunque confutat, tamquam impium. Sed dicit, Deum ipsum formata specie Samuelis, non dæmonem, sed Deum per eam prædixisse, quæ dixit apparens ille Samuel. Ex hoc ergo habetur, quod inter Græcos vigebat illa sententia de apparitione veri Samuelis.

Ambros.

351 *Ambrosius in cap. 1. Lucæ*, ait, *Samuel post mortem secundum Scripturæ testimonium futura non tacuit.*

Hieron.

352 *Hieronymus in cap. 7. Isaiæ*, declarans illud. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni*, præ cæteris habet. *Plurique putant Saulem signum accepisse de terra, & profundo inferni, quando Samuelem per incantationes, & magicas artes visus est suscitasse.* Igitur verus Samuel erat.

Augustin. varie sensit.

353 *Augustinus* modo in vnam, modo in aliam partem declinauit. Pro prima sententia locutus est pluribus in locis 1. *in lib. de cur. pro mor. ger. cap. 15.* vbi probat sic. *Missi ad viuos aliquos ex mortuis, diuina Scriptura testatur, Nam Samuel propheta defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædixit*; & subdit pro alia sententia. *quamuis nonnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum, tam malis operibus congruentem illius existimet similitudinem figurasse.* & subdit hoc idem confirmari ex *Ecclesiastici 46.*

Nunc dicit fuisse verum Samuelem.

354 Idem *August. lib. de octo Dulcitij Quæstionibus quæst. 6.* mouente Dulcitio hanc quæstionem, *Vtrum inuita bitheriam sibi Regnorum Pythonissa ipsum Prophetam Samuelem de inferno euocauerit. & vtrum spiritus immundus, qui erat in Pythonissa potuerit agere, vt Samuel à Saule videretur & loqueretur cum eo.* & multis medijs probat hoc non fuisse impossibile; *quia magis inquit mirandum est, quod Satbanas ipsum Dominum assumpsit; & constituit super pinnam templi. Quolibet enim modo id fecerit, ille etiam modus, quo Samueli factum est, vt excitaretur similiter latet.* & adducit rationem de primo, dicens, *quod sicut nos non perturbat, quod in Euangelio habetur, Christum absque diminutione suæ potestatis, à iudæis diaboli facta facientibus ligari, vinciri, flagellari, & crucifigi; ita non est absurdum credere, quod ex dispensatione suæ voluntatis fuerit permissum, vt non inuitus, nec dominante, aut subiugante magica potentia, sed volens, atque obtemperans occultæ dispensationi Dei, qui Pythonissam illam, & Saulem latebat consenturet spiritus Prophetæ Sancti se ostendi aspectibus Regis diuina cum sententia percussuri. Cur enim anima boni hominis à malis viuis euocata, si venerit amittere videatur dignitatem suam, cum & viui boni vocati ad malos veniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis seruato, atque inconcusso decore virtutis suæ, &c.* hæc & alia multa ibi *August.* pro hac sententia; sed postea ad aliam sententiam transit eique adhæret, vt mox dicetur.

Alibi dicit non fuisse impossibile.

Dat exemplum de Christo qui fuit à diabolo tentatus.

355 Idem autem prorsus docuerat in *lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3.* ad quam se remittit in *quæst. 6.* Dulcitij, & totum quod dicit in hoc secundo dixerat in primo, nullo addito, vel ablato. Ex quibus habetur, quod vtraque sententia olim vigebat, & quod vera Samuelis anima Deo permittente apparuerit. esto magica ars, & diaboli opera interceserit; & quod non vera anima, sed phantasma aliquod eam repræsentans, visum fuerit.

Vigebat olim hæc sent. quod Deo permittente per artem magicam Samuel apparuerit.

356 Glossa Ordin. in *lib. 1. Reg cap. 28.* in fine refert vtramque sententiam, & ex *Augustino* collegit.

Abulen.

*Abulensis in cit. locum Reg.* licet cum protestatione loquatur remittens se aliorum iudicio, tamen inclinat in hanc sententiam, ea motus ratione, quod Samuel semper proprio vocetur nomine.

D. Th.

357 D. *Thomas in 2. 2. quæst. 174. ar. 5. in resp. ad 4.* expresse docet animam Samuelis apparuisse, ac prophetasse; imò assignat pro ratione, quod prophetia potuit ei adhuc competere, quia non erat in statu beatitudinis; eum secuti sunt innumeri Neoterici, & Thomistæ omnes.

Iudæi multi idem docent.

358 Idem docuerunt ex Rabinis multi *Ioseph Iudæus lib. 6. antiquit. cap. 15.* vbi longo discursu id expresse firmat, scilicet Samuelis animam Regi Sauli apparuisse, & futura prædixisse. Idem docet *Rabi Eleazar in Talmud lib. Haggia 1. historia*, & alij cum eis.

2 pars, quod non fuit verus Samuel.

359 Prob. nunc secunda pars. Primo ex *Tertulliano lib. de anima cap. 57.* vbi improbans magos, qui tanta præsumptione suam artem extollunt, vt animas ab inferis reuocare posse se iactent, sic ait. *Et credo quod mendacio possint, nec enim Pythonico, tunc spiritu minus licuit animam Samuelis effingere post Deum mortuos consulenti Saulo. Absit aliquin, vt animam cuiuslibet*

Tertullianus acriter probat, & contraria confutat.

*Sancti, nè dum Prophetæ d. damonio credamus extractam, docti quod ipse Sathanas transfiguretur in Angelum lucis, nedum in hominem lucis, etiam Deum se adseuraturus: Dubitauit si forte tunc prophetam Dei se assenturare, & vtique Saulo, in quo ipse morabatur: ne putes alium fuisse, qui phantasma administrabat, alium qui commendabat, sed eundem spiritum, & in Pseudo pro fetide, & in apostata facilè mentiri, &c* & postea concludit. *Sed etsi quoddam remeauit in corpora Dei virtus in documenta iuris sui, non ideireo communicabitur fidei, & audacia magorum, & fallacia somniorum, & licentia portarum.* Ergo, per eum, non anima Samuelis, sed aliquod phantasma, in quo dæmon ipse Sauli loquebatur, apparuit, quod Samuelem repræsentabat.

Theodoretus idem dicit.

360 *Theodoretus in cap. præfatum primi Regum.* postquam vbi supra retulit aliorum sententiam, quod anima vera Saulis ex dæmonis arte apparuerit, suam profert sententiam dicens. Ego autem primum existimo esse impium; existimo enim, mulieres Necromanticas, nec quamlibet quidem reducere animam, tantum abest, vt Prophetæ, & tanti Prophetæ. Est ergo valde impium credere, ventriloquam habere vim tantam. Secundum autem (id est quod dæmon in spectro prædixerit.) Est amentiæ potius quam impietatis: & post aliqua. Hinc est ergo perspicuum, quod ipse Deus vniuersorum, efformata, vt voluit specie Samuelis, protulit sententiam, cum hoc non potuisset facere ventriloqua, sed Deus. hæc & alia plura *Theodoretus*.

Dicit esse impium.

Augustinus pariter in *lib. 2. qq. ad Simplicianum quæst. 3. & lib. de octo quæst. dulcitij quæst. 6.* postquam primam sententiam, vt supra retuli de veritate animæ Samuelis apparentis virtute magica, Deo hoc permittente *quæst. 3. ad Simpl. sub C.* ait. *Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma; & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam.* & idem *Augustinus* postquam docuit, difficilem esse dubij huius solutionem, & ad fidem non pertinere, cum potuerit vtrumque fieri; in fine illius capitis huic secundæ adhæreus, ait, *sed tamen potius existimemus, tale aliquid factum maligno Pythonissæ illius ministerio, quandiu nobis aliquid amplius excogitare, atque explicare non datur.* hæc modestè *Augustinus*.

Augustinus nunc dicit aliquod phantasma a dæmone tacitè apparuisse.

Non pertinet ad fidē.

362 Conf. ex Glossa Ordinar. & Lyrani referentium eadem prorsus Augustini verba pro vtraque sententia, & firmantium hanc secundam.

Ex canon.

363 Prob. tandem ex *cap. Nec mirum, 26. quæst. 5.* quod acceptum est ex cit. Augustini locis, in quo firmatur, non animam Samuelis, sed imaginem eius apparuisse.

Arg contr.

Ob. Omnibus argum. factis pro prima sent. ille euentus refertur, vt historia quædam, in qua verus Samuel apparuit; & semper nominatur vocabulo Samuelis. quod & replicatur in *Ecclesiastici 46.* ergo fuit verus Samuel.

sunt rationes pro prima parte.

364 Resp. eum *Augustinum ad Simplic. lib. 2. quæst. 3. & Theodoretum vbi supra*, canonicum historicum narrare, quod accidit; & quia Saul ex descriptione personæ apparentis Pythonissæ, quæ dicebatur senex amictus pallio, & quod Deos videbat, id est fulgentes aliquas personas, existimauit eum esse Samuelem, & tamquam vero Samuelis locutus est; & responsa, vt à vero Samuele putabat accipere; ideo mirum non est, quod scriptor canonicus, personam illam, quæ apparuit Samuelem vocat. Si enim somniator, vel extaticus habens aliquam apparitionem in imagine, eam narret alicui historico, dicens viddi fluuium, viddi Ciuitatem, fontem, &c. historicus eodem prorsus modo visionem illius scribit; optimum adducit exemplum Augustinus depictoris; omnia enim, quæ apparent picta propijs nominibus vocamus, vt equum, arborem, stellam, &c. & de pictis hominibus dicimus ille est Cicero, ille Salustius, ille Achilles. & qui in somnio aliquid videt non dicit se videre imaginem Petri, vel Pauli, sed Petrum, ac Paulum, sic Ioseph, quando narrauit Patri somnium, dixit, se vidisse solem, Lunam, & stellas: Pharao, quando vidit somnium narrauit se vidisse spicas, & boues, & Iacob, dum vidit scalam, &c. Imò tota Ioannis Apocalypsis plena est eiusmodi locutionibus, vidi agnum, stellas, candelabra, &c. innumera. Sic ergo, quia Saul narrauit, se, imò Pythonissam vidisse Samuelem, & se cum eo locutum, siue hoc acciderit in subsistentia, siue in apparentia, ipse non potuit discernere, sed de Samuele apparente, ac loquente ea narrat; proinde historicus scriptor narrat, Samuelem dixisse, &c. quæ est germana, & propria locutio. & per hoc ad duo prima scripturæ loca, in quibus refertur, Samuelem prophetam fuisse visum, & locutum, ac propheticè prædixisse, quæ de facto acciderunt.

Quomodo saluetur veritas textus canonici id referentis.

Scriptor retulit quæ acciderant, quia sic ei narrata.

Ex August. exemplum de historicis narrantibus visiones aliorum.

Idem de somniantibus.

Clara exempla, & notabilis doctrina, de Apocal. & alijs scripturis.

Inst. hoc modo rueret Scriptura, quia sic semper posset responderi, quando agitur de quibusdam locutionibus, & apparitionibus.

365 Resp. neg. sequelam; quia in nullo alio euentu legitur interceſſisse magicam operationem, quando eiusmodi apparitiones, ac reuelationes contigerunt.

Ob. 2. Si non Samuel, sed eius imago apparuisset, Saul non adorasset. Ergo fuit verus Samuel.

366 Resp. dupliciter. Primo ex hos colligi oppositum, quia si verus Samuel fuisset non permisisset se à Saule in terram procidente adorari, sed dixisset *Deum adora, vel ne feceris*, quia conseruus tuus sum, sicut

Quare Saul adorauit, ex hoc infertur oppositum.

ficut Raphael Angelus fecit cum Tobia, & alius cum Iacob.

367 Resp. 2. quod, vel adoratio illa fuit dulię tantum, vel etiam alia profunda veneratio, quæ maioribus, siue sanctitate, siue potestate adhiberi solita legitur in Scriptura, vel fuit Latriæ. quidquid dicatur, non sequitur intentum. Nam si dicitur primum, ideo adorauit Samuelem Saul, quia putauit esse verum Samuelem; vel etiam, quia imaginem eius censebat; & hoc non mirum, quia & nos, ne dum Sanctorum, sed & Principum venerari solemus, quamuis diuersimodè. Si dicitur secundum, in tribus errauit Saul, primò consulendo dæmonem in Pythonissa. Secundo existimando verum esse Samuelem eum, qui loquebatur sed hic error fuit ignorantiæ, & physicus, sicut accidit in omni habente apparitionem, & putante esse in substantia id, quod in imagine tantum apparet. Tertio, quia actu Latriæ adorauit creaturam. Ergo ex hoc argumento nihil contra me infertur.

Tres errores Saul.

Ob. 3. Qui apparuit prædixit futura; diabolus autem non potest ea scire. Ergo verus propheta fuit ille, qui ea prædixit, & non spectrum, seu phantasma.

Arg. ex prædictione futurorum.

368 Resp. ad hoc argumentum dupliciter primo cum *Augustino in lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3. sub D.* quod hoc mirum non est. *Cum enim Deus vult permittit etiam, infimos, & infernos spiritus aliquando vera agnoscere, temporalia dumtaxat atque ad ipsam mortalitatem pertinentia. facile est, & non incongruum, vt omnipotens, & iustus ad eorum pœnam, quibus ista prædicantur, vt malum quod eis impendit antequam veniat prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, vt quod audiunt ab Angelis pranuntient hominibus tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus, atque moderator, vel iubet, vel finit. Vnde etiam spiritus Pythonicus in act. Apost. c. 16. attestatur Paulo Apostolo, & Euangelistæ esse conatur. Miscent tamen ipse fallacias suas & verum quod nosse potuerunt, non docendi magis, quam decipiendi fine pranuntiant. Et forte hoc est, quod cum illa imago Samuelis Saulem præadiret moriturum, dixit etiam secum futurum, quod vtique falsum est.* Quamuis cum consueta ingenuitate *August.* dicat, hanc secundam prædictionem excusari posse à mendacio, quia dicens *mecum erit*, hoc dixit, *non vt ad æqualitatem fœlicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur. quod vterque homo fuerit, & vterque mori potuit.* Placuit omnia adducere Augustini verba, quia aurea sunt. Et tamen, vt supra notaui, dicit, neutram sententiam esse contra fidem, vel de fide, licet ipse secundæ adhæreat.

Diabolus aliqua futura nouit, & prædicit ex Dei permissu.

Augustini ingenuitas.

369 Resp. 2. cum *Theodoreto loco cit. in 1. Reg. c. 57.* non dæmonem in phantasmate, seu imagine Samuelis, sed Deum ipsum in ea imagine à quouis, & quomodocumque formata, fuisse allocutum, futura prædixisse, sic autem probat; *Deus ipse efformata, vt voluit specie Samuelis prosulit sententiam, cum hoc non potuisset facere ventriloqua, sed Deus, & minimè prosulit sententiam per aduersarios, audimus enim eum dicentem, si abieris ad Pseudoprophetam, ego Dominus respondebo ei. Ita etiam per Balaam benedixit populo, & per impium patrem prædixit futura, & orbis terræ pronunciauit salutem, non extraneæ eloquentis spiritu, sed sanctissimo spiritu operante.* Et quoniam aliqui, vt salvarent, quod dæmon in phantasmate sit locutus, dicebant prophetiam non fuisse adimpletam, Theodoretus ibidem multis probat oppositum, accidisse nempè, quod fuit prædictum, & proinde, Deum, non dæmonem prædixisse, quæ contigerunt.

Ex Theod. Deus prædixit,

Ex promisso Dei id probat.

Ob. 4. Alij Patres, vt patuit oppositum docent: ergo.

370 Resp. ex hoc colligo, quod non sit de fide definita alterutra sententia; imò, quod neque sit communis Ecclesiæ sensus. Imò vt videre est, Hieronymus, & ipsemet Theodoretus, dum de prima sententia loquuntur, modo quodam aduersatiuo loquuntur dicentes, *aliqui volunt, &c.*

Non est de fide alterutra sententia.

371 Ex quibus habes. Non posse dæmonem vllam, vel magum virtute dæmonis efficere, vt anima aliqua ex aliquo loco euocetur, & alicui viatori appareat, cum hoc, vt optimè ait Tertullianus, loco supra citato sit solius tantum diuini iuris. Quæ de communione defunctorum cum Viatoribus, eorumque apparitione obiter, ac breuiter dixisse, ad Dei gloriam, & proximi vtilitatem, satis sit.

Dæmon, vel magus efficere non potest, vt vera defuncti anima appareat

# DISPVTATIO XXVI.

## DE MEDIO STATV ANIMARVM, SEV PVRGATORIO.

ON abs re erit in hoc Tomo de Nouiſſimis, Diſputationem de Purgatorio inſerere. Si enim mors ad nouiſſima ſpectat, multò magis id, quod mortem conſequitur, vt eſt pœna purgatoria in alia vita.

### ARTICVLVS I.

*Quid nomine Purgatorij importetur.*

*COTVS in 4. ſent. diſt. 19 par. 2. §. Ad quæſt. notam D. & in diſt. 21. B.* & ſi Concilia Trident. ac Florentinum præceſſerit, docet cum Catholica fide *Purgatorium* eſſe locum in quo purgantur animæ decedentes in gratia, ſed adhuc pœnis aliquibus obnoxiæ. Ideo

Scoti mens.

1 Adu. Nomen hoc *Purgatorium* deriuari à verbo Purgo, quod ex Calep. ſignificat *purum ago*, idem enim eſt purgare, ac polire, ſeu ſordes abiſcere. Exempla varia ex profanis ſuppetunt *Hor. lib. ep. 7.*

*Cultello proprios purgantem leniter vngues.*

*Ouid. de Pon. eleg. 9. Nec dubitem longis purgare ligonibus arua.*

Purgatorij etymologia.

Imò ſecundum translatitiam ſignificationem importat excuſare ſe, cum quis prætenditur alicuius delicti reus, & per aliqua media oſtendit, ſe talem reatum non habere, dicitur purgare ſe, vnde totus titulus *de Purgatione canonica*. Vtrumque ſignificatum habemus in ſacro textu. *Num. 31. Igne purgabitur. 2. Reg. 4. Oſtiaria domus purgans triticum. 3. Reg. 15. Purgauitque vniuerſas ſordes. Iudic. 3. Forſitan purgat aluum. 2. Machab. 2. Purgauit ſordes. Ioſ. 15. Purgabit eam, vt fructum plus afferat.* idem dicendum de excuſatione *Eccleſiaſtici 7. 44. De negligentia tua purga te cum pancis.* Id idem habemus de expiatione, & politione à ſordibus animæ, nempe peccatis, vel reatibus, ſeu obligationibus ſequentibus ad ipſa. *Tobiæ 12.* de eleemoſyna dicitur, *ipſa eſt quæ purgat peccata. Prouerb. 15. Per miſericordiam, & fidem purgantur peccata. Eccleſiaſtici 47. 13. Chriſtus purgauit peccata ipſius. Heb. 1.* de Chriſto iam prædicto loco vbi ſupra habetur, *purgationem peccatorum faciens, &c.* Ex hoc ergo ſignificato verbi *Purgo* deductum eſt hoc vocabulum Purgatorium. Hoc ergo inquirimus, quid ſignificet hoc nomen.

Translatiuè ſignificat excuſare ſe.

Purgare ſpiritualiter,

2 Adu. 2. Quod nomen hoc Purgatorium eſt æquiuocum ad ſtatum, & locum. Dum ergo quæritur quid ſignificet Purgatorium, & an detur, poteſt intelligi, vel de ſtatu, vel de loco. Et ſenſus primus eſt, an animæ omnes cum à corpore ſeparantur habeant, vel gloriam, vel gehennam; an verò detur ſtatus medius, vbicunque ille poſſideatur. Secundus ſenſus eſt, an conceſſo hoc ſtatu medio; detur locus vnus communis omnibus illius ſtatus. Et licet vtrumque tenere debeamus, & aliquando confusè de vtroque exemplificemus: tamen intentum noſtrum pro nunc eſt de ſtatu tantum loqui, non de loco; de hoc enim poſtea.

Purgatorium æquiuocum nomen.

3 Adu. 3. Cum multiplicis generis hoſtibus à catholicis eſſe certandum. Nempe cum ijs, qui rem & nomen negant Purgatorij. Secundò cum ijs, qui rem fatentur, non verò nomen. & qui rem fatentur adhuc diuiſi ſunt. dicunt enim aliqui, poſſe hanc vitam, aliquas animas debere luere pœnas aliquas; ſed non eſſe vnum locum communem omnium, aliquæ enim ſub terra, aliæ ſupra, & vtreque in diuerſis locis hoc exequuntur. Quidam verò concedunt vnum eſſe locum, in quo pœnas illas patiuntur. Sed nolunt confiteri, talem locum dici Purgatorium; quia, inquiunt, ex ſuis Doctoribus antiquis tale nomen non habent, & illi fuerunt Græci quidam, præſertim poſt Photium, qui, vel negarunt eſſe vnum omnium locum, vel ſi concedebant, appellare nolebant *Purgatorium*, eſtò poſtea in Concilio Florentino ipſi etiam Græci, rem, & nomen confeſſi ſint. Ideo

Plures ſentiũ de Purgatorij.

4 Dico. Nomen hoc *Purgatorium* ſignificans ſtatum, & locum pœnarum pro ijs, qui poſt hanc vitam pœnas aliquas luere debent, admitti debet, vt proprium eius ſtatus, ſeu loci. Eſt communis cum catholica fide.

Admitti debet nomen Purgatorij.

5 Prob. ex *Innoc. IV. conſt. 4. ſub Catholicæ*, id expreſsè definiente, ac præcipiente, vt omnes, etiam Græci locum illum medium pœnarum ſic appellent. Ita autem loquitur in §. 23. *Cum ipſi Græci veri, ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur,*

Ex conſt. Innoc. IV.

*animas illorum, qui susceptæ pœnitentiæ, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse Ecclesiæ suffragijs iuuari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo, ac proprio nomine indicatum, illum quidem iuxta traditiones, & authoritates Sanctorum Patrum, purgatorium nominantes, volumus quod de cætero apud ipsos isto nomine appellitur.* Ergo de necessitate debemus isto nomine vti in explicatione illius status, & loci medij pœnarum.

6 Prob. 2. Ex omnibus alijs Rom. Pontif. Constit. in sequ. art. adducendis, in quibus hoc nomine appellatur.

Ex Concilijs. 7 Prob. 3. Ex omnibus Concilijs in eodem sequenti articulo adducendis, à quibus status, & locus ille pœnarum vocatur Purgatorium.

Ex SS. PP. 8 Prob. 4. Ex Sanctis Patribus in eodem art. adducendis, qui non alio vocabulo illum statum, ac locum appellant. Et tandem totius Ecclesiæ consensus idem firmat: ergo.

Arg. contr. Ob. Vocabulum hoc nouum est, & exoticum à quo abstinuerunt Patres; illum enim fœtum, aut locum in quo animæ pœnas luunt, vocarunt receptaculum: ergo.

9 Resp. neg. anteced. Ratio est, quia, vt in sequentibus dicetur, Patres à principio Ecclesiæ, ignem illum, quo tales animæ purgantur, vocarunt purgatorium. Si ergo ignis, qui purgat, expolit, seu expiat animas illas, appellatur communi vocabulo purgationis, quare non etiam status, aut locus? Adde, quod, vt dicetur, antiqui Patres ab initio, omnes eas pœnas in tali loco luendas appellant purgatorias ab effectu: ergo poterit pariter locus ipse, ac status dici purgatorius. Videó aliquos magni nominis viros dicere, dummodo Sectarij fateantur rem Purgatorij, seu locum cum pœnis temporalibus, &c. illis assentiemur appellando locum illum, quo velint nomine; hoc ergo etiam dicerem, sed terret me præceptum *Innocentij Quarti* supra relatum, quo tenemur locum illum, & statum, *Purgatorium* appellare; & eo propterea nomine Concilia illum appellant. Vnde ergo nobis tanta licentia, vt recedere possimus ab ipsa nomenclatura; quasi improprio vocabulo vsa sit, vtaturque Ecclesia ad rerum proprietates declarandas, absit omnino.

Nomen hoc est antiquissimum à principio Ecclesiæ.

*

## ARTICVLVS II.

### *An detur status, vel locus, qui dicitur Purgatorium, & vnde constet.*

Scoti mens. SCOTVS, licet Tridentinum, & Florentinum Concilia multò ante præcesserit, cum fide tamen Catholica docuit, dari statum, & locum dictum Purgatorium, in quo animæ quædam decedentes in gratia; temporalibus pœnis tamen obnoxiæ temporaliter detinentur. ita *in 4. dist. 19. par. 2. §. Ad quæstionem motam D. & in dist. 21. B.* ideo.

Titulus hic multa comprehendit. 10 Adu. 1. Quod huius quæst. titulus videtur inuoluere totum Tractatum de Purgatorio; nos tamen ad confusionem vitandam distinctè eum in plures articulos, & §§. secabimus. Hic ergo videbimus principalia fundamenta, quæ probant per modum obiecti fidei, dari statum, & locum Purgatorij pro pœnis luendis (quidquid sit de loco, vel locis particularibus) & quoniam authoritates quædam loquuntur explicitè de statu, loco, & nomine loci, quædam verò non ita, sed idem significant; prius adducemus priora fundamenta, deinde reliqua. Postea de causa finali, & de pœnis, quæ in eo loco habentur erit sermo.

Distinctè proceditur.

Aerius primus negauit Purgatorium. 11 Adu. 2. Quod omnium primi, qui nomen, & rem Purgatorij negarunt, fuerunt Aeriani, qui in alijs Arium ipsum sequebantur, & isti viuebant in quarto sæculo. Isti ergo docentes nihil prodesse defunctis, neque orationes, neque sacrificia, neque eleemosynas, asserebant animas omnes, vel in cælum recipi, vel in infernum deijci. Armenij deinde circa sextum sæculum, vt ex Castro V. Purgatorium, & Prateolo, &c. id negarunt. Ipsos postea secuti sunt quidam Græci, ex Photianis, vt authores referunt apud *Salelem to. 2. reg. 162.* successiuè idem docuerunt pauperes de Lugduno, seu Vvaldenses, ex eodem *reg. 171.* postea Albigenses, & tandem nequis fœtor suis putidis deesset officinis hanc hæresim amplexati sunt Lutherus, & Caluinus, contra quos facta sunt decreta Trident. Concilij.

Armenij. Græci Photiani. Vvaldenses. Albigenses. Lutherus, Caluinus.

Græci olim rem concedebant Purgatorij. 12 Adu. 3. quod vt optimè notat *Innocentius IV. const. 14.* mox adducenda, Græci suo tempore, rem seu locum *Purgatorij* concedebant, quia docebant animas ob peccata leuia, & pœnitentias in hac vita non completas, luere pœnas aliquas temporales, & proinde Ecclesiæ suffragijs iuuari. negabant tamen nomen *Purgatorij*, quia dicebant à SS. Patribus, id sibi non fuisse insinuatum. Ideo idem Innocentius vbi supra statuit, locum illum debere Purgatorium

rium appellari extraditione, & Patrum authoritate; & certe merito; quia est vocabulum aptum, ac proprium talis rei.

Datur status & locus.

13 Dico ergo. Datur status, & locus, qui dicitur, & est *Purgatorium*, in quo polt præsentem vitam animæ aliquæ purgantur. Est de fide. eam docent cum *Magistro Sent. Scotus locis cit. D. Bonau. in 4. dist.* 20. per sex quæstiones & *dist.* 21. per totam. & *dist.*43 pariter per totam. *D Thomas in 4. dist.* 21. *art.* 1. per quinque quæstiones.

Conc. Flor. explicite de hoc.

14 Prob. 1. ex Concilijs expresse de hoc vocabulo loquentibus. Primum Concilium, quod explicitè loquitur de nomine, & re Purgatorij est Florentinum celebratum de anno. 1419. præsentibus Rom. Pont. & Patriarcha Constantinopol. nec non Græco Imperatore in *vlt.* autem *sess. in constitut.* quæ nunc est 17. *Eugenij IV. Latentur*, diciturque concordia Ecclesiæ Græcæ cum Latina in §. 2. ait, *hoc sacro Vniuersali approbante Concilio Florentino definimus, vt hac fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur.* & statim subnectit dogmata definita credenda, & profitenda, inter quæ in §. 5. adest hoc, *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari, &c.*

Conc. Sens.

15 Secundum Concilium, licet Nationale quod hoc decreuit, fuit Senonense celebratum in Gallia sub *Clemente VII.* anno 1528. illud enim in *decr fidei cap.* 12. ait. *Hac ratione* (id est fenus illecebris) *Mahometica quondam pestis inualuit. Hoc auctore Lutherus plures illaqueat, dum simul cum culpa semper omnem eiusmodi pœnæ temporalis reatum aboleri contendit, Purgatorium tollit.* & definit dari Purgatorium, in quo peccatorum reliquiæ. id est temporales pœnæ, & venialia peccata, quæ dimissa non erant, purgantur, &c.

Conc. Mogunt. 4.

16 Tertium Concil. & Prouinciale, in quod definitur hæc veritas, est *Moguntinum* 4. celebratum sub anno 1549. hoc ergo in *can.*48. id decernit.

Conc. Trid.

17 Quartum Concilium, sed Generale vlt. quod hoc definiuit, est *Tridentinum in sess.*25. *in decr. de Purgat.* vbi ait. *Cum Catholica Ecclesia ex Sacris litteris, & antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, & nouissimè in hac Oecumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari,* præcipit vt sanam doctrinam de *Purgatorio, &c.* ergo ex Concilijs clare est definitum,

Alia Conc. hoc nomine non vtuntur, sed rem definiunt.

18 Alia Concilia his anteriora, quia non nominant Purgatorium, licet rem innuant, quia docent animas iustorum, aliquas pati pœnas, & Ecclesiæ suffragijs posse iuuari, adducam postea in §.4.

Argum. ex Rom. Pontif.

19 Prob. 2. ex Rom. Pont. sententijs, eos modo adduco, qui expressis verbis nomen, & rem Purgatorij tractant. Deinde alios *Sixtus III.* qui de anno 432. fuit electus *in tract. de malis Doctoribus, & de operibus fidei*, ait. *Ego duo tantum loca in Scriptura inueni, Regni, & gehennæ, id est vitæ, & mortis. Purgatorium tamen locum semper excipio, in quo ad tempus Piorum anima à corporibus soluta expiantur. Si tu tantum aliquem reperisti, vbi collocentur illi, qui neque in Regno, neque in gehenna fuerint, monstrare te conuenit, &c.* Sixtus III.

20 *Gregor. Mag.* qui electus fuit anno 590. *in Psal.*3. *Pœnitentialem*, habet. *Scio futurum esse, vt post hujus vitæ exitum, alij flammis expientur purgatorijs, alijs sententiam subeant damnationis, &c. & lib.*4. *Dial. cap* 39. *Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis ante iudicium esse purgatorius ignis credendus est, &c.* Greg. I.

21 *Innoc. III. in solemnit. Omn. Sanct.* sic habet. *Medius exercitus hodie reddit laudes pro exercitu, qui triumphat in cælo. Cras fundet preces pro exercitu, qui tacet in Purgatorio. Pro illo reddit laudes, qui regnat in gloria pro isto fundit preces, vt euadat pœnas.* Innoc. III.

22 *Innoc. IV. const.* 14. *sub Catholicæ* in qua quædam dogmata, & ritus contra Græcos definit, in §. 23. sic habet. *Cum ipsi Graci verè, ac indubitanter credere, ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragijs Ecclesiæ adiuuari. Nos, quia locum purgationis huiusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum Doctoribus certo, ac proprio nomine indicatum; illum quidem iuxta traditiones, & auctoritates Sanctorum Patrum Purgatorium nominantes, volumus quod de cætero apud ipsos isto nomine appelletur: illo enim transitorio igne, &c.* ergo. Innoc. IV.

23 *Sixtus IV. const.*17 *Licet*, damnat aliquas doctrinas Petri de Osma, inter quas vna est, quod Romanus Pont. non possit pœnam purgatorij remittere. Ergo, nedum stabiliuit dari purgatorium, & pœnas ibi adesse sed etiam remitti, vt auferantur cum quis decedit. Sixtus IV.

24 *Leo X. const.* 40. *Exurge*, in qua damnat præcipuas Lutheri doctrinas, in *propos.* 37 asserebat non dari purgatorium, & hanc cum cæteris, vt hæresim damnat. Leo X.

25 *Pius IV. const.*88. *In sacrosancta*, præcipit ab omnibus Episcopis, Canonicis, Doctoribus, & alijs graduandis emittendam professionem fidei, cuius formula ibi præscribitur. Id autem fuerat decretum in *Concil. Trident. sess.*24 *de refor. cap.*2. & formula ab eodem *Trident.* formata *in sess.* 3. Sed in hac formula, præ cæteris adest, *Purgatorium dari, & animas ibi detentas iuuari, Ecclesiæ suffragijs iuuari.* Fuit autem Pius IV.

intolerabilis error in Ecclesia, si crederetur falsitas, vt fidei obiectum.

Alij Pontif. hoc nomine non vtuntur sed rem asserunt,

26 Alia Rom. Pont. dicta, & authoritates, quæ non ita explicitè loquuntur, sed rem indicant, dum pro animabus ex hac vita cum obligationibus pœnarum decedentibus orandum esse docent, ac suadenti inferius adducentur.

Arg. contr.

Ob. Non potuit Ecclesia absque reuelatione aliquid nouum statuere circa ea, quæ sunt in alia vita. Nulla autem adest reuelatio de existentia Purgatorij: ergo. Maior prob. Nihil enim potest proponi, vt credendum de fide diuina, nisi sit reuelatum. Minor prob. Nullibi legitur hæc reuelatio.

27 Resp. neg. min. ad probat. dico haberi implicitè in pluribus scripturæ locis infra adducendis. Ecclesia autem potuit declarare intelligentiam earum, & firmare obiectum explicitum fidei; & ita factum est in hoc, sicut in alijs fidei decretis, quæ in Scriptura expressè non habentur.

Neq; ex hoc bene impugnatur status medius, quia sic negaretur Lymbus,

Ob. 2. Frustra asseritur status ille, & locus separatus: ergo. Anteced. prob. Nam duplex locus à Christo assignatus videtur animabus, vita æterna, vel ignis æternus; numquam autem meminit de hoc tertio loco: ergo.

Neq; SS. PP. conuincit hoc arg.

Christus assignat solum statum duplicem.

28 Resp. Nunc esse sermonem de loco formali, id est de statu medio inter gehennam, & gloriam; postea erit sermo de loco materiali. Num scilicet animæ, quæ egent purgatione ob leues culpas, & ob pœnitentias in hac vita non solutas, debeant esse in statu quodam medio inter gehennam, & gloriam, & hoc intendimus nunc stabilire, quidquid sit de loco, & situ loci, etiam si essent plura loca. Sufficit modo, quod concedatur status iste medius.

Ex dicto Christi non bene impugnatur status medius.

29 Ad argum. ergo dico Christum assignare duplicem locum pro tota æternitate, & nihil ibi dicere de statu medio, quia post iudicium status iste non aderit, nisi alius pro paruulis, de quibus postea. Si autem in loco illo *Matt.* 25. fiat vis, quomodo stabilitur, ante Christum fuisse statum medium pro Sanctis Patribus, ex alijs autem Scripturæ locis, quamuis implicite dicemus à Christo insinuari statum medium, in quo peccata quædam possunt dimitti, & pœnæ exolui, qui quidem, nec gloria est, nec gehenna.

Ex Script. arg.

Ob. 2. ex *Ecclesiastes* 11. *Si ceciderit lignum ad Austrum, vel Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Ergo non datur iste locus, seu status medius temporalis, sed omnis status hominis post mortem erit æternus.

Loquitur de æterno statu

30 Resp. ex Glossa Interl. & Ordinar. ibi, sermonem esse de statu æterno, quem quilibet sortitur per sua opera. Interl. ait, si homo ad Austrum in calore charitatis Spiritus Sancti, aut Aquilonem in frigore infidelitatis. Glossa Ordinar. ait, *si ceciderit*, quasi diceret, locum, quem hic tibi præparaueris in futuro habebis. At non dicit, quod si præparauit sibi locum gloriæ, statim quilibet sit eum habiturus. Hoc autem esset probandum. Et nullus potest sine fidei iactura sic dicere; alioquin etiam tempore Ecclesiastes post mortem statim homines, vel in infernum, vel in cælum recipiebantur, quod est hæreticum, quia Sancti ante Christi ascensionem in cælum, in Lymbo, vel sinu Abrahæ detinebantur. Sic ergo locus ille intelligitur, dum quis moritur, certò scit suum statum æternum, vel enim moritur in charitate, & scit se esse saluum, & in æternum regnaturum, licet non statim; vel moritur in peccato, & scit, se esse perpetuò damnatum. Adde, quod locus iste, neque turbauit multos Sanctos Patres, qui vt in proprio loco diximus ante *Benedictum XII.* putabant Sanctos extra cælum detineri, nec visuros esse Deum vsque ad iudicium. Ergo non statim in gloria recipiebantur secundum eos; & tamen fide tenebant, quod vbi lignum ceciderit ibi maneat. Neque debet nos turbare, qui statum medium purgatorij cum fide Catholica, & mansionem ad Austrum, vel Aquilonem etiam concedimus, quia Auster non statim recipit omnes, sed facta expiatione sordium quarumdam, ac pœnarum.

31 Cætera argum. quæ contrà existentiam Purgatorij, siue formalis, id est status medij, siue materialis, id est loci militant, in vnum redigentur, & soluentur.

Arg. alia infra soluentur.

## §. 1.

## *An ex Sacra Scriptura probetur dari Purgatorium.*

Ex S. Script. probatur existentia purgatorij.

32 Dico: Quamuis ex Sacra Scriptura per explicita vocabula non habeatur existentia purgatorij, habetur tamen per implicita, & circumstantias intrinsecas loci, seu rei purgatorij.

Ex vet. test.

33 Prob. Primus, & hic celeberrimus locus desumitur ex 2. *Machab.* 12. quem magnâ facit *August. lib. de cura pro mort. ger. cap.* 1. vbi legitur de Iuda. *Quod facta collatione duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium bene, & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis. Et quia considerabat quod bi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* hæc textus. Glossa Ordinar. quæ est *August. in Enchirid.* infra adducendi, ait. *Tempus autem, quod inter hominis mor-*

Glossæ verba

tem,

*tum, & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt, vel requie, vel æruminæ, pro eo quod ſortitus eſt in carne dum viueret*, & ſequitur, neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ, quæ in Eccleſia fiunt ſed proſunt eis qui cum viuerent, hæc ſibi vt poſtea poſſint prodeſſe meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, cui non proſint iſta poſt mortem. Eſt ergo talis in bono, vt hæc non requirat. & eſt rurſus talis in malo, vt nec is valeat, cum hæc vita tranſierit adiuuari. Quo circa hic omne meritum comparatur quo poſſit poſt hanc vitam releuari quiſpiam, vel grauari. Non igitur iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, &c. hæc ex Auguſt. Gloſſa Ord

Auguſtini iuxta ſent.

34 Gloſſa Lyr. non ſolum confirmat, quod dicit Auguſtinus, ſed grauiſſimam ſoluit quæſtionem, quomodo Iudas miſerit eleemoſynas ad ſacrificia facienda pro illis mortuis, ſi vt in textu illo patet, dum corpora traderentur ſepulturæ, inuenti ſunt habere ſecum de denarijs idolorum, quod quidem erat apoſtaſiæ genus; & ita videntur mortui in peccato, & ſic non capaces ſuffragiorum. & reſpondet ſic. Dicendum quod Iudas, & ſocij eius debebant probabiliter iudicare, quod illi pœnituiſſent in morte, & ſic orationes, & ſacrificia valebant eis, eo quod mortui fuerunt in ſtatu ſalutis. & poſt aliqua idem replicat, & ſequitur, vnde ſubdit, *quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam, &c.*

Lyr. mouet dubiũ, quod illi non erãt capaces ſuffragiorum,

Conc. Sen.

35 *Concil. Senon in decr. fidei c.* 12. hoc loco Scripturæ præ cæteris vtitur ad ſtabiliendum, quod detur locus medius, qui dicitur Purgatorium, in quo animæ pœnas patiuntur, & ab eis ſubleuantur per ſuffragia, & hoc fuiſſe perpetuum dogma in Eccleſia, etiam in veteri teſtamento.

Conc. Trid.

36 *Concil. Trident. in decr. de Purg.* cum ait in Concilijs definitum, quod detur purgatorium. in marg. notatur *Concil. Senon.* igitur Eccleſiæ ſenſus eſt, quod hic Machabæorum locus de animabus purgandis intelligitur.

37 Ex quo colligitur ex Scriptura implicitè haberi, quod detur locus in quo animæ pœnas luunt, & vbi iuuantur ſacrificijs, alijſque ſuffragijs.

Reſponſio hæreticorũ.

38 Reſpondere ſolent Sectarij. Primo, quod liber iſte non eſt authenticus, quibus fauere videtur *Auguſtinus lib.* 18. *Ciuit. cap.* 36. Secundo, quod non legitur hæc praxis in alijs libris, cum tamen libri Machabæorum ſint poſtremi. Et mirum eſt, quod hæbrei potuerint hunc vſum habere, cum in lege nulla de eo habeatur mentio. Tertio tandem, quod etiam ſi concedatur hoc, ſacrificia offerebantur in ordine ad reſurrectionem ſuo tempore glorioſiorem habendam. Sed

Clare confutantur,

39 Contra, quamuis multi hoc argumentum egregiè ſoluerint, tamen propter dicendorum ordinem, de eo aliqua dicemus. Circa primum quidquid ſit, an Iudæi habeant libros Machabæorum pro canonicis certum eſt, vt ait *Auguſtinus in lib.* 2. *contra epiſt. Gaudentij cap.* 23. quod eos tenebant, non quidem vt paris authoritatis cum libris legis, aut Prophetarum, ſed vt Chronologiam, ſic enim ipſe loquitur *ſcripturam quæ appellatur Machabæorum non habent Iudæi, ſicut legem, & Prophetas, & Pſalmos, ſed recepta eſt ab Eccleſia, non inutiliter, ſi ſobriè legatur, vel audiatur.* At quid ad nos, quod Iudæi eos libros non recipiant, vt canonicos, ſi vt tales recipit Eccleſia Catholica? Nam ab initio Eccleſiæ recepti ſunt, patet ex *canone vlt. Apoſtolorum* ex Gentiani verſione. Ex canone conflato ab *Innoc I. epiſt. decr.* 3. *cap. vlt.* ex *Gelaſio in Concil. Rom.* & tandem *in Concil Trident. ſeſſ.* 4. Ceſſat ergo dubium de authenticatione huius Scripturæ.

Libri Machabæorum in qua authoritate erant apud Iudæos

40 Ad ſecundum dico ex ipſamet Scriptura, quam hæbrei etiam recipiunt haberi praxim orandi, & alias oblationes, nec non & eleemoſynas erogandi pro defunctis; nam ex 1. *Reg. vlt.* habemus, quod Galaaditæ in Iabes audita morte Saul, & filiorum *acceperunt cadauera, combuſſerunt igne, tuleruntque oſſa eorum, & ſepeliuerunt in monte Iabes, & ieiunauerunt ſeptem diebus.* Certe pro eorum animabus hæc ieiunia fecerunt, neque eſt verſimile, quod præ triſtitia id fecerint, quia exceſſiua videtur abſtinentia, neque eos tantum contingebat Saulis mors. Idem habetur ex *Tobiæ* 4. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.*

Iudæi pro defunctis orabant, & eleemoſynas faciebant.

41 Lyr. declarans hunc locum, ait. Inſtruit filios de pietate ad defunctos eo quod in morte iuſtorum paſcendi ſunt pauperes pro animabus eorum, idem habetur *Eccleſiaſtici* 7. *Mortuo non prohibeas gratiam*, dicit Gloſſa, ora pro ea. Ergo erat apud Iudæos moſ iſte orandi, ieiunandi, & eleemoſynas erogandi pro animabus defunctorum. Ex hoc autem infertur perneceſſe, quod tenebant Iudæi aliquorum animas egere auxilio, & conſequenter eſſe alicuius pœnæ obnoxias. Quod autem in vno determinato loco, vel in pluribus maneant, & tale auxilium, ſeu refrigerium expectent, nunc non inquirimus, ſed ſolum, an detur iſte ſtatus medius inter gloriam, & gehennam ante iudicium vniuerſale, in quo ſint aliquæ animæ defunctorum.

Lyr. idem de Iudæis dicit.

42 Ad tertium dicendum, quod tex-

tus

tus ipse declarat finem talium oblationum, vt, ait, *à peccatis soluantur*. Ergo applicabantur pro effectu de præsenti habendo.

Validũ arg.

43 Dices. Locus hic ad rem non est, quia pro omnibus fiebant sacrificia, & tamen non est verisimile, quod omnes mortui essent in gratia, immò verisimilius, quod Iudas, ac socij habuerint eos pro damnatis, cum sub tunicis interfectorum reperti sint denarij, i. numismata idolorum. Secundò, quia nesciebant illos esse in Purgatorio. Tertiò, quia nulla fit ibi mentio de loco purgatorij.

Quare nos indifferenter pro omnibus defunctis oramus, &c.

44 Resp. neg. antec. Nam ex *August. lib. de cura pro mor. ger. cap vlt.* Sicut nos enim, dum Christiani moriuntur, etiam si nesciamus, an damnentur, an ad Purgatorium deferantur, adhuc tamen pro eis indifferenter sacrificia, & eleemosynas offerimus, vt si in loco salutis sint, & egeant auxilio, possint adiuuari; & ita & illi faciebant. Ad illud de denarijs iam respondit Lyr. vbi supra, Iudam putasse, quod pœnituerint de tali errore. Potest addi cum alijs quod ignorantia fortasse eos excusabat, nesciebant enim prohibitionem adesse, vel obligare sub mortali. Addi potest 3. quod nescitur an omnes, & singuli de denarijs illis haberent, neque hoc est verisimile: qua de re pro omnibus indiscriminatim offerri iussit sacrificia, vt i) qui optimam haberent repositam gratiam, fructu eorum possent frui. Ad secundum dicendum, quod neque nos scimus, an animæ amicorum sint omnes in purgatorio, & tamen sacrificijs, ac eleemosynis eas iuuamus, vt si ibi sint, eorum fructum sentiant ita & illi. Ad vlt. dicendum, quod parum refert nomen, dummodo ex facto habeamus, quod animæ defunctorum quorundam, nec in cælo, nec in inferno, sed in aliquo loco sunt, in quo possint iuuari per aliorum satisfactiones.

Quare pro iudæis cum denarijs idolorum fuerint oblata sacrificia.

2. script. locus non videtur ad rem,

45 Secundus ex veteri testam. locus, qui adduci solet sumitur, ex *Psal. 65. Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Sed fateor locum istum non probare intentum, quia vt Interlin. & Ordin. nec non Lyrani Glossæ, locum illum intelligunt de tribulationibus, & ærumnis Sanctorum in hoc mundo. Verè enim martyres per ignem, & aquam transeunt, cum per tot persecutiones ad cælum euolant. & ita de alijs, neque aliquis interpres Scripturæ, locum istum intelligit de purgatione media, quæ nunc fit. Sed aliqui de illa, quæ fiet in iudicio. vel, si aliquis interpres hoc dicat, ei consentio.

3. locus scripturæ,

46 Tertius locus qui solet adduci, sumitur ex 1. *Reg. cap. 2. Dominus mortificat, & viuificat deducit ad inferos, & reducit*. Sed neque locus iste est ad rem, quia loquitur de ærumnis huius sæculi. Si autem de alia vita loquatur intelligitur de morte, & resurrectione omnium; vel de translatione Sanctorum Patrum de Lymbo ad cælum.

Alia script. ver. loca nõ concludunt.

47 Alia solent adduci ex veteri testam. loca. sed salua pace, exceptis prælatis, vt *Tobiæ 4. & Ecclesiastici 7.* supra adductis pro praxi Iudæorum orandi pro mortuis, non concludunt.

48 Ex nouo testamento duo, vel tria, quæ ad rem sunt, & ita à Patribus intellecta, nunc sunt adducenda.

Primus est ex *Matt. 12. Quicunque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Glossa 1. Ordinar. Ver. *Neque in hoc sæculo*, ait quædam enim culpæ in hoc sæculo laxantur, quædam vero, pœnæ scilicet, etiam in futuro, quæ quidem post mortem grauant, sed & dimittuntur si homo bonis actibus, in vita, vt ibi dimittantur promeruit. & Ver. *Neque in futuro*, ait, quia sunt quædam leuia, quæ si in hac vita non dum sunt remissa, post mortem grauant, sed & remittuntur, si digni sunt. Locus iste est adeo proprius ad astruendum purgatorium, seu medium statum animarum, vt *Innocentius IV. const. 14. sub Catholicæ*, ad stabiliendum contra quosdam Græcos rem, contra alios verò etiam nomen purgatorij in §. 23. dicat, *Denique cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi, quasdam culpas in præsenti, quasdam verò in futuro sæculo relaxari* (deinde addit alium Pauli locum infra adducendũ) & ex eis concludat, purgatorium secundum rem, & nomen esse admittendum; eius verba retulimus in primo art. Eodem loco vtitur *Concil. Senonen. in decretis fidei cap. 12.* & ideo *S. Bernardus homil. 66. in cantica* hoc solo Matt. loco est contentus ad concludendum, quod animæ aliquorum post hanc vitam egent suffragijs, & possunt iuuari.

Matt. 12.

Locus à Rom. Pont. intelligitur de Purgatorio,

49 Dices hic modus loquendi Saluatoris est exageratiuus, vult enim dicere, peccata quædam adeo grauia sunt, quod numquam dimittentur, neque in hac vita, neque in alia, vel in iudicio, cum omnium peccatorum fit discussio. Non verò, quod aliqua, hic alia in futuro dimittantur, quia reuera nulla remissio fit in futuro, sed omnis in præsenti, cum in futuro non adsit meritum.

Inflantia communis hæretic.

50 Contra, etiam si demus, vt dare debemus, quod quædam peccata non remittentur in alio sæculo; non tamen sequitur, quod nulla; quia Ecclesia semper tenuit aliqua peccata in proprio sensu remitti in alio sæculo, & insuper peccata sumpta impropriè, pro reliquijs, seu pœnis debitis pro illis. Patuit ex 2. *Machab Vt à peccatis soluantur*. patet ex *Innoc IV.* vbi supra pro peccatis venialibus, & minutis, animas in Purgatorio cruciari, & per cruciatus satisfacere, seu potius satis pati. Sed de hoc infra in suo loco. & locum illum Euangelij

non exagerativè, ſed propriè ſemper intellexerunt Doctores, ac Patres Eccleſiæ, vt *Auguſt. lib.21. de Ciuit. cap.13. Greg. Mag. lib.4. Dial. cap.39. Iſidorus Hiſpal. de off. Eccleſ. lib.1. cap.18. Rabanus Maurus in lib.2. Machab. cap.12. Bernardus ſerm.66. in cant. Magiſter Sent. in 4. diſt.21. ſub A.* & cum eo omnes Scholaſtici.

Locus Matthæi ſemper intellectus propriè,

51 Secundus noui teſtam. locus, iſque etiam inſignis, eſt ex 1. *Cor.* 3. verba adducam omnia. Vbi Apoſtolus docuit, fundamentum Eccleſiæ, & omnis boni operis eſſe Chriſtum, ait. *Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ecce totus Pauli locus; qui quidem licet à multis intelligatur de probatione in hoc mundo; ab alijs etiam de probatione generali facienda de omnibus in iudicio vniuerſali, vt diximus in ſuo loco, nempe pro ijs qui purgatione egent, vt etiam patiantur; pro ijs verò, qui non egent purgari ſolum ad ſplendorem, & decorem; tamen à multis intelligitur locus iſte de probatione, quæ hoc medio tempore fit in loco purgatorij, ita Gloſſa Ordinar. quæ eſt Gregorij Magni, & Gloſſa Lyran. & alij infra in ſuo loco adducendi, docentes, quod, qui ſuperædificant fœnum, ſtipulam, ligna, id eſt faciunt opera quædam mala digna igne, patientur detrimentum, *& ipſi ſic erunt ſalui, quaſi per ignem.* & ideo *Concil. Senon. vbi ſupra, & Innoc. IV.* in cit. loco, ad ſtabiliendum nomen, & rem purgatorij, & quod pro quibuſdam leuibus, ac minutis peccatis, & pro alijs pœnis, quas animæ debebant in hac vita luere, in purgatorio torqueantur, hac alia Pauli authoritate vtuntur. Ideo quamuis alias intelligentias locus iſte habere poſſit de quibus, nec curo, nec curare debeo, ſufficit mihi, quod Concilium illud eſto nationale receptum tamen, & quod magis eſt ante illud. Magiſter fidei, nempe Papa ſic intelligendum duxerit. Quis modo dicat ad rem non eſſe, vel non ſic intelligi, niſi inſanus?

2 locus noue legis inſignis

Ex Apoſt.

Varie intellectus locus iſte,

Rom. Pont, & Concil. ſic intelligunt locũ Pauli,

52 Adde, quod ex principio Eccleſiæ Patres omnes, ita locum iſtum intellexerunt, de igne, purgatorio temporali, ita *Origenes homil.14. in Leuit. & homil.12. in Hieremiam Ephrem Syrus orat. ad Baerſionem ſuperbia. Baſilius in cap.9. Iſaiæ.* Ver. *Et erit populus igne aduſtus. Chryſoſt. homil.9. in epiſt. ad Cor. Theodoretus in cap.3. epiſt. primæ ad Cor.* iuxta lecturam S. Thomæ libro aduerſus errores Græcorum, & Armeniorum *Auguſt. in Pſal.37. &c.*

Patres ſic intellexerunt ab initio.

3. ſcrip. locus

53 Tertius noui teſtam. locus, iſque pariter inſignis eſt *Matt.5. Eſto conſentiens aduerſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Gloſſa moraliter explicat, & optimè locum iſtum, quod dum homo eſt in via, habet aduerſarium, nempe Deum, vel ſermonem diuinum, ſeu doctrinam, quæ dicit exequenda Dei mandata, *ſi vis ad vitam ingredi, &c.* cui niſi conſentiatur, per mortem in manus iudicis traditur moriens, & mittitur in carcerem, donec ſoluat quod debebat, vſque ad minimum quadrantem, ait Gloſſa, *minuta peccata*, quia nihil erit impunitum. Idem dicit Gloſſa in *cap.12. Lucæ*, in fine, vbi hoc idem Saluatoris dictum refertur. Ita Doctores, ac Patres multi locum iſtum explicant, vt *Eucherius Lugdun. hom.3. de Epiphania*, vbi diſtinguens damnatos à purgantibus, ait, illis dicetur, *ite in ignem æternum, &c. his verò, qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quod non exeunt, donec reddant nouiſſimum quadrantem, per fluuium igneum de quo propheticus ſermo, &c. per vada feruentibus globis horrenda tranſibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranſeuntis mora, &c.* multa. *Bernardus ſer. de obitu S. Humberti*, inquit, illud ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta redduntur vſque ad minimum quadrantem.

Gloſſa locũ iſtum intelligunt de Purgatorio;

54 *Ambroſius in cap.12. Lucæ*, declarans hunc locum multa dicit; ſed præ alijs, quadrantem in balneis dare ſolere reminiſcimur, cuius oblatione, vt illic vnuſquiſque lauandi accipit facultatem, ita hic accipit eluendi, quia vniuſcuiuſque peccatum ſupraſcripto genere conditionis eluitur, cum tandem exercetur noxius pœnis, vt commiſſi ſupplicia erroris expendat.

Ambroſ.

55 *Origenes homil.35. in Lucam*, ait, quantò tempore claudamur in carcere non poſſum manifeſtè pronunciare. Si enim qui parum debet non egreditur, niſi exoluat minutum quadrantem, vtique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum ſæcula numerabuntur.

Origenes,

Dices in nullo ex allatis ſcripturæ locis fit expreſſa mentio de ſtatu medio, vel de loco purgatorij; cum omnia poſſint diuerſas pati explicationes. Ex ſenſu autem myſtico, ac ſpirituali non valet concludere præciſe ſenſum literalem. Igitur determinatio huius ſtatus, vel loci non fundatur in ſcriptura.

Inſtantia de multiplici ſenſu ſcrip.

56 Reſp. neg. conſequ. Quamuis enim ſcripturæ explicitè non dicant, animas aliquas ſortiri medium ſtatum, & locum inter beatos, ac damnatos, ita tamen loquuntur, vt, cum fundamento, & Patres, & Eccleſia potuerint ſenſum illum ex ijs elicere. Fideles autem in ciuſmodi dubijs debent cre-

Patres Concilia, & Romani Pontifices ſic intellexerunt ſcrip.

credendi, & operandi regulam præscriptam ab *Innocentio I.* & habetur *in cap. vlt. d.* 20. Cum scilicet aliquid controuertitur, videndum est, an habeatur in libris veteris, vel noui testamenti, vel in scriptis Apostolorum. Quod si in illis non inueniatur solutio, canones Sedis Apostolicæ inspiciendi sunt. Si neque in istis, ad Catholicæ Ecclesiæ historias est recurrendum; si neque in illis, Sanctorum exempla quærenda. & si tandem neque in istis, Concilium seniorum congregandum. In hac autem controuersia de Purgatorio, scripturam veteris testamenti habemus claram; habemus pariter scripturam noui; & quia de hac esse poterat difficultas; quæsiuimus intelligentiam à canonibus Sedis Apostolicæ, à Conciliis, ac Patribus, necnon historijs, & omnes inuenimus concordes in scripturæ intelligentia, quoad statum medium, seu Purgatorium.

Regula soluendi quæstiones Ecclesiasticæ doctrinæ,

## §. 2.

## *An ex Patribus Græcis probetur dari statum medium, seu Purgatorium.*

57 Adu. quod quando loquimur de Purgatorio, vel est sermo de statu animarum medio, in quo multa debent purgare priusquam ad cælum ascendant; vel est de loco materiali in quo manent, seu recipiuntur. Nunc inquirimus à Græcis primum; proinde præcipuorum Patrum authoritates adducemus, quibus videntur firmare statum istum, in quo animæ purgantur. quidquid sit de nomine.

De purgatorio pro formali est sermo non de loco.

58 Adu. 2. quod à multis quæri solet, an tota Ecclesia Græca, an verò ex ea aliqui authores negauerint medium hunc statum, qui dicitur purgatorius, & video concertationem magnam hinc inde fieri. Fateor, quod vtile non minus, atque curiosum esset distinctè id scire, vt possent schismatici de suo errore circa Purgatorium conuinci. At quia ego historicum non ago, nec græcum idioma calleo, historicum punctum, an scilicet tota Ecclesia, & ex quo tempore circa hoc errauerit omitto: & suspensa hac inuestigatione, supponendo, quod saltem ex tempore Photij, vt in principio notaui, vel tota illa Ecclesia, vel aliqui de ea dogma contrarium de purgatorio tenuerint, inquiro quid antiqui Patres Græci de Purgatorio, seu statu medio senserint.

Quidam exigunt quæstionem historicam.

Sensus art.

59 Dico ergo per multos Patres, ac Doctores Græcos antiquissimos concluditur dari statum medium animarum, qui à nobis dicitur Purgatorius.

Per PP. Græcos probatur status medius.

60 Prob. *Dionys. Areopag. de Eccles. Hier. cap. 7. par. 3.* vbi præ cæteris habet, Antistes precem sacram super mortuum peragit. *Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat in regione viuorum, &c. in loco, vnde refugit dolor. Quod autem, & inferorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem ijs solis prosint qui digni sunt, scriptura nos edocet, Sacrosancta traditio.* Ergo animæ quæ dignæ sunt, precibusque iuuari possunt, illæ sunt, quæ recipi debent in locum gaudij: igitur tunc in eo non sunt, neque in gæhenna, & sic in medio statu.

Dion. Areopag.

61 *Athanasius orat. 34.* loquens de refrigerio, quod sentiunt animæ defunctorum, ex suffragijs, ait. *Quid ergo? num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ cum super illis fiunt conuentus, & per actiones bonorum operum, & oblationum? Si non aliqua beneficia participarent ex illo non vtique in cura, & exequijs fieret commemoratio.* & subsequitur cum exemplo, quod sicut, dum vitis floret in agro, odorem sentit vinum reclusum in dolio; ita, cum immolatur Christus in altari, beneficium sentiunt animæ, &c.

Athanas.

62 *Basilius in cap. 6. Isaiæ*, declarans illud, *& in manu habebat carbonem*, ait, *ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur cæleste quoddam insinuare intelligendum est, altare illud, verum locum lustrandis animabus accomodatur, à quo ignis illi purificationis per eas virtutes eximia sanctitate proditus elicitur.* & *in cap. 9.* explicans illud, *& erit populus igni aduitus*, ait, *non omnimodam internecionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem iuxta Apostoli sententiam. si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus fiet, sic tamen quasi per ignem.*

Basil. Magn.

63 *Cyrillus Hierosolym. Catechesi 5. mistagogica*, commendans fructus sacrificij, docet in sacrificio prius fieri commemorationem Apostolorum, & martyrum, vt precibus eorum Deus suscipiat preces nostras; *deinde oramus pro Patribus, pro Episcopis, pro cunctis, qui inter nos vita functi sunt maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sanctis illius, & tremendi, quod in altari positum est sacrificij*, & optimum pro hoc adducit exemplum; inquiens. *Scio enim multos dicere, quid iuuat animam in peccatis decedentem etiam si in hoc sacrificio mentio illius fiat?* & exemplificat de ijs, qui Regem orant pro exulibus. Ergo dantur mortuorum animæ decedentes cum peccatis exules à Regno, quæ possunt adiuuari, & liberari ab exilio.

Cyril. Hier.

64 Idem *Cyrillus in epist. ad Augustin. de miraculis Hieronymi*, quæ est in *tom. 4. D. Hier.* narrat, quod aderat suo tempore secta pestifera, quæ præ cæteris *asserebat nullum fore purgatorij locum, in quo animæ quæ non dum de suis peccatis pœnitentiam egis-*

Ex eodem Cyrillo,

*egiſſent purgantur.* & quod animæ Sanctorum vſque ad iudicij diem Deum non erant viſuræ, &c. & quod factis orationibus, & ieiunijs ab ipſo Cyrillo indictis, tertio die elapſo, Hieronymus apparuit Euſebio, eique prædixit, peſtiferam hanc ſectam finem habituram.

De miraculis Hier.

65 *Epiphanius hæreſi 57.* contra Aerium negantem medium ſtatum, in quo animæ defunctorum poſſunt iuuari ſacrificijs, & alijs pijs operibus, dicentem fruſtra pro defunctis orari, ne quid patiantur, neque immedicabilia peccata ab ipſis perpetrata requirantur, acriter contra eum inuehitur quaſi ille vnicus velit contradicere omnibus Patribus, qui ante nos fuerunt, quique ab alijs ſenioribus didicerunt, & iſti ab alijs per traditiones habuerunt. & poſtea ſubdit, *Quid hoc magis fuerit vtile, quid hoc commodius, aut admiratione dignum, quod credunt præſentes, quod hi, qui deceſſerunt, viuunt apud Dominum, & vt pientiſſimam prædicationem recenſeam, quod ſpes eſt orantibus pro fratribus velut, qui in peregrinatione ſint. Proſunt autem, & preces quæ pro ipſis fiunt, etiam ſi totam culpam non abſcindant:* & poſt aliqua, *Prouectis & peccatoribus facimus memoriam, pro peccatoribus quidem Dei miſericordiam implorantes, Eccleſia neceſſariò hoc perfecit traditione à Patribus accepta.* Et quod magis eſt, ſic concludit. *Quis autem poterit ſtatutum matris diſſoluere, aut legem Patris? velut Salomon dicit, audi fili ſermones Patris tui, & ne repudies ſtatuta matris tuæ, offendens per hoc, quod in ſcripturis, & ſine ſcripto docuit Pater, hoc eſt Deus.* Epiphanius ergo docet, pro mortuis, etiam peccatoribus orandum, & eos iuuari. Docet 2 Eccleſiam ſemper ſic feciſſe. Docet 3. hanc praxim à nullo conuellendam, quia eſt ſtatutum matris, & lex Patris. Ergo per eum datur medius ſtatus, in quo animæ pro peccatis quibuſdam cruciantur, & poſſunt à nobis iuuari.

Epiphanius.

Ex orationibus faciendis pro mortuis concluditur ex Epiphanio ſtatus medius.

Et ſemper id factum ab Eccleſia.

66 *Chryſoſtomus* ſolet citari in pluribus locis ſuæ doctrinæ, in quibus docet pro defunctis etiam peccatoribus orandum eſſe, & eos iuuari per oblationes, & alia pia opera. ita *in homil. 33. in Matth. Cur poſt mortem tuorum pauperes conuocaſti cum Preſbyteros, vt pro eo velint orare obſecras? Non ignoro, te reſponſurum, vt defunctus requiem adipiſcatur, vt iudicem propitium inueniat;* & poſt multa, ait. *Si barbara gentes vna cum defunctis rei eorum cremare ſolent; quanto equius tu defuncto filio ſua tradere debes, non vt in cinerem redigantur, ſed vt glorioſum magis illum reddas. Putas cum maculis inquinatum abijſſe? da ipſi ſua, vt illis ſe à maculis detergat. homil. 41. in ep. ad Cor.* ait. *Opitulemur defunctis fratribus, pro ipſis memoriam faciamus. Nam ſi tibi illius liberos, Patris victima purgauit; quid dubitas? & nobis quoque ſi pradormientibus offeramus, ſa-*

Chryſoſt. ex orationibus idem concludit.

*lutij quiddam illis acceſſurum?* idem prorſus de ſuffragijs defunctorum docet. *homil. 61. in Ioan. homil. 21. in Acta Apoſt. hom. 69. ad Pop. Antioch. homil. 3. in epiſt. ad Philipp. homil. 4. in epiſt. ad Hebr.* & alibi ſæpiſſimè. Ex his ergo concluditur, quod anima iuſti, in aliquo tempore poſt hanc vitam, eſt in ſtatu, in quo eget noſtro auxilio, vt detergantur (vtar verbis Chryſoſtomi) maculæ eorum, & vt inueniant iudicem propitium, hic autem eſt medius ſtatus, quem quærimus, qui non eſt, nec gloriæ, nec gehennæ, ſed temporalis pœnæ, quandiu durant maculæ, ſeu reatus pœnarum, quas luere in hac vita debebant.

Ex alijs Chryſoſt. locis concluditur ſtatus medius.

67 Conf. ſolet ex eiuſdem ſingulari loco *homil 9. in epiſt. 1. ad Cor. ad cap. 3.* ibi, *Ipſe autem ſaluus erit, ſic quaſi per ignem,* ait enim *hic ſignificat quod ipſe non ita peribit quemadmodum opera in nihilum redigi, ſed manebit in igne. Salutem igitur rem hanc appellat non ſimpliciter propterea addidit, quaſi per ignem. Et enim nobis conſuetudo dicendi eſt in igne ſalua eſſe, quæ non comburuntur, neque in cinerem conuertuntur. Noli igitur, cum ignem audis, in nihilum redire ardentes, arbitrari. Quod ſi ſalutem tale ſupplicium appellat noli admirari, &c.* ſed ego ſalua pace aliorum, licet Marco Epheſio in ſuis erroribus contradicam, in hoc puncto non contradico; inquit enim in ſua Apologia, quam Baſileæ pro Græcis obtulit, in hoc loco Chryſoſtomum non loqui de igne purgatorij, ſed inferni. Et puto in hoc non errare, quia ſequitur Chryſoſt. *Solet in malè ſignificantibus rebus, bonis vti nominibus, & in bene, malis, Itidem hoc loco, cum inquit ſaluus erit, nihil aliud, quam ſupplicij interimentum ſignificat, quaſi dicat ipſe perpetuò in ſupplicio permanebit.* Ergo totum illum Pauli locum explicat Chryſoſt. de adustione peccatoris in igne infernali, in quo ipſe non deſtruetur, ſed ſemper, ac perpetuo manebit viuus, & incolumis. Qua de re ex hoc loco ego non auderem concludere pro S. Doctore, nec ſtatum medium, nec temporalem pœnam, neque ignem. Sed ſtatum medium pœnarum, & indigentiæ ego colligo ex locis ſupra adductis de ſuffragijs defunctorum pro abſterſione macularum, & propitiatione iudicis, vnde in *eit. homil. 69. ad Pop. Antioch.* dicit, *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſterijs, defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Igitur egent adiutorio. & ſic non ſunt in ſtatu damnationis, quia iſti capaces non ſunt adiutorij, neque in ſtatu gloriæ, quia iſti nullo indigent; ergo in medio ſtatu.

Chryſoſt. intelligentia ſincera.

68 *Theodoretus in cap. 3. ep. 1. ad Cor.* vt citatur à *S. Thoma in libro aduer. Græcorum, & Armen. erroris*, ſub his verbis; dicit Apoſtolus, qui ſaluabitur, ſic tamquam per conflatorium ignem purgantem, quidquid

Theodor.

in-

interuenit per incautelam præteritæ vitæ, saltem pedum terreni sensus, in quo tandiù manet, quandiù quidquid corpulenti, & terreni affectus inhæsit purgetur, pro quo mater Ecclesia hostias, & dona pacifica deuotè offert. Sed quia hæc verba nunc non leguntur in Theodoreto, ait *D. Tho. non est dubium, quin à Græculis quibusdam purgatorio infensis, abrasa sint.*

Idem Nyss. alibi.

Orig. clare id docet.

69 *Origenes homil. 14. in Lenit.* declarans locum Pauli præ cæteris, *ædificant ligna, fœnum, stipulam*, ait, in quo manifestè ostenditur, esse quædam peccata, ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diù non potest immorari; alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verum aliquanto tardiùs, quam in stipulis immoretur. Alia verò esse quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum, diutinum, & grande pabulum ignis inueniat. Ita ergo vnumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum iuxta persoluit. Idem *homil. 12.* in Ezzechielem præ multis, ait, si enim non solum argentum, aurum, & lapidem pretiosum in corde tuo superædificaueris, verum ligna, fœnum, & stipulam, quid sibi vis fieri, cum anima seiuncta fuerit à corpore. Verum nam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno, & stipula, & polluas regnum Dei; an propter lignum, fœnum, & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi, vt primum propter ligna ignis tibi detur, qui consumat lignum, fœnum, & stipulam: ergo.

Idem Orig. alibi.

70 Conf. ex eod. *lib. 8. in ep. ad Rom. cap. 11.* hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur quantis temporibus, quantisue sæculis, de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne iudicium tradidit; igitur Origenes confitetur statum medium inter gehennam, & vitam æternam, donec purgata sint ea, quæ ingressum impediunt. Immò dicit soli Dei filio esse notum tempus durationis huius medij status.

Clarius alibi

71 *Greg. Nyss. lib. de Anima, & Resurrect.* Planè necesse est, vt dum vitiositas purgatorio igne absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate vnita est, in igne sit, donec id, quod insparsum est adulterinum, & materiale, &c. aboleatur igne consumptum. Pro quanta vitiositate, quain vnoquoque fuerit, cruciatus, ac doloris modus adhibetur. Non enim par est, vtrumque, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit per purgationem vitiosi habitus ex æquo discruciari, atque doleri: sed pro modo, & quantitate materiæ, vel longiore, vel breuiore temporis spatio illa flamma dolorifica quandiù fuerit id, quod eam alat, accendetur. Cum igitur, &c. multa de hoc. idem *in orat. quod dolendum non sit de obitu eorum, qui in fide dormierunt*, vbi commendat Dei sapientiam, quod permiserit homini pro sua libertate, *vt vitiorum, perturbationumque*, quæ rationi inimicæ sunt, onere depositæ, &, vel in præsenti vita precibus, sapientiæque scudio purgatus, vel post obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem. & post aliqua. Aliud el iucundum erit consilium, vt ad bonum perueniat, cum è corpore egressus, cognita, quæ inter virturem, & vitium est differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas, purgatorius ignis abstulerit: ergo.

Greg. Nyss. sæpè, & clarè purgatos probat.

Alij Græci diuersa, sed concludentia de purgatorio docent.

72 Alij possent adduci Græci Patres, qui, vel de Purgatorio igne loquuntur, vel de necessitate abstergendi defunctorum maculas, vel de indigentia suffragiorum in defunctis, et de Ecclesiæ laudabili praxi in hoc negotio sermonem habent, vt sunt *Eusebius Cæsaren lib. 4 cap. 60. in vita Constantini, Greg. Nanzianz. orat. 10 in laudem Cæsarij fratris. Basilius Seleucien in Concione de excussat. Lazari. Germanus Constantinopol. in Theoria. Procopius Gazæus in Isaiam cap. 6. Sophronius Hierosol. Patr. in Maria Ægyptiaca. Ioann. Damasc. in orat. quod qui cum fide excesserunt sacrificio missæ iuuantur. Maximus in Responsionibus de obscur. locis Sac. Scriptura.* Isti ergo, et alij ex antiquis Græcis, animas cum aliquibus peccatis detergendis morientes cruciari, et à viuis iuuari posse docuerunt; hoc excepto, quod, vt dicetur, non omnes nomen Purgatorij admiserunt; vel non omnes vnum, et eundem locum, vel tandem non omnes pœnam ignis in eo confessi sunt.

Græci post Photium.

73 Idem quoque docuerunt Græci post tempora Photij, nam Oecumenius declarans *cap. 3. epist. prima ad Corinth.* præ alijs, ait, saluabitur ipse quoque non tamen cum dolorem, vt par est eum qui eranfit per ignem, et à concretis leuioribus maculis expiatur, &c.

Oecumenius

74 *Nicolaus Cabatilas*, qui in magno honore à Græcis habetur agens *de Liturgia* multa docet de mortuorum suffragijs, et in *cap. 45.* ait, Nudæ corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quam ex, quæ viuunt in corporibus. Purgantur enim, et remissionem peccatorum accipiunt per orationes Sacerdotis, et donorum intercessionem nihilòminus, quam eorum, qui viuunt, sed non peccant amplius, &c. Ita etiam pro defunctis, sicut & pro viuis est diuinum Eucharistiæ sacrificium, &c.

Cabatilas.

75 *Gennadius scholarius in tract. de Purgatorio sect. 1.* sic habet. In tres classes defunctos omnes abire decernimus. Vnam esse Sanctorum cœtum virorum. Secundam mediorum, siue illorum, qui pœnitentes decesserunt, ac in confessione, et

Gennadius tres classes animarum assignat, inter quas medium,

cordis contritione spiritum emiserunt, sed sublata ijs facultate satisfaciendi per peccatis, vel omissis ipsorum ob repentinam, vt fit, et momentaneam demigrationem; hanc in Purgatorio esse dicimus; quodque ij non potuerunt in vita proficere, pro his, superstites ad redemptionem opem ferunt idque Sanctarum precum, beneficio, eleemosynis sacrificijs, alijsque pijs operibus. Tertiam, & vltimam constituimus eorum, qui in mortalibus peccatis ex hac vita migrauerunt.

Alij Græcis in seqq. art. adducuntur,

76 Hos autem ex Græcis adduxisse sufficiet, cæteros in sequentibus art. pro leuamine, & suffragijs, nec non & pro pœnis purgantium adducemus. Ex quibus constat, vt optimè notauit *Innocentius IV.* pluries relatus *in conslit. 14. sub Catholica §. 23.* quod Græci confitebantur quidem, & suo tempore, animas aliquorum in peccatis minutis decedentium, vel cum obligatione satisfaciendi egere auxilijs viatorum, & tamen non audebant statum illum, vel locum, in quo detinebantur, vocare *Purgatorium*, sed in hoc etiam postea consenserunt *in Concilio Florentino in sess. vlt. in decreto Vnionis*, quod nunc est *conslit. 17. Eugenij IV. in §.* enim 5. præsente Papa, Patriarcha, & Imperatore Constantinopol. hanc emittunt fidei professionem, *Confitemur, si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorijs post mortem purgari, & vt a pœnis eiusmodi releuentur prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum, sedulæ sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ ab Ecclesia fieri consuerunt, &c.* & hæc de Græcis, ad Latinos accedimus.

Græca Ecclesia cum Patriarcha in Concil. Flor. consentit in re, & nomine purgatorij,

## §. 3.

## An ex Patribus Latinis probetur dari statum medium Purgatorij.

Authoris intentus,

77 ADu. quod licet confundamus statum, cum loco communi omnium purgantium, seu purgatorum; propriè tamen pro nunc inquirimus hunc statum medium, ante iudicij tempus, & ex quo animæ recedunt à corpore. 2. not. quod hic adducemus loca Patrum, ac Doctorum, qui explicitè loquuntur de Purgatorio. Reliqua adducemus, cum loquemur de suffragijs, quæ fiunt pro animabus illis. Ex his enim tamquam ab effectu inferemus, eas talibus indigere, & in pœnis reperiri.

Patres Latini docuerũt statum medium.

78 Dico ergo Patres Latini ab initio Ecclesiæ docuerunt dari statum medium dictum *Purgatorium*.

79 *Clemens Rom. lib. 8 const. Apostol. cap. 41.* habet, *Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieuerunt, vt Deus qui animam defuncti susceperit remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium, & propitius, ac benignus ei factus collocet eum in regione Piorum cum omnibus, qui à sæculo condito Deo placuerunt, vnde fugit dolor, mœror, ac tristitia, &c. & in cap. 42.* præcipit exequias faciendas etiam tertio, ac nono die, deinde quadragesimo, & anno exacto & suppeditari eleemosynas pro defunctis. Ergo animæ, saltem aliquæ sunt in statu medio inter gloriam, & gehennam. Clemens I. Exequiæ quoties pos. sunt fieri,

80 *Cyprianus epist 52. quæ est ad Antonianum*, præ alijs habet, *aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire. Aliud missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: aliud statim fidei, virtutique accipere mercedem: Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse. Aliud denique pendere in die iudicij ad sententiam Domini: aliud statim à Domino coronari.* Ergo admittit statum illum medium. Cyprianus.

81 *Ambrosius orat. 1. ad Missam*, sic ait. Rogamus te Sancte Pater pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium, & refrigerium sempiternum hoc magnum pietatis Sacramentum. Ergo agnoscebat statum eorum extra gloriam, & ipsos in eam introducendos rogabat. Ambros.

82 *Hieronymus* sæpe de purgatorio, imò & pœna ignis loquitur. Primo in *cap. 1. Ezechielis*, declarans illud, *& vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis*, vbi ait, *ex quo ostenditur, post pœnas, atque supplicia, & purgationem peccatorum, futuram misericordiam.* In *Isa. cap. 10.* declarans illud *Propter, quod mittet dominator, &c. & ardebit quasi combustio ignis*, ait; *& sanctificabit eum igne, per quod quidam intelligi volunt, pœnas, atque tormenta ad hoc adhiberi peccatoribus, vt diuino igne purgentur. in Epist. ad Damas.* vltra medium declarans illud Isaiæ, *Seraphim stabant, &c.* ait, *quidam Græcorum in scripturis apprimè eruditus, Seraphim virtutes quasdam in cœlis esse exposuit, quæ ante tribunal Domini assistentes laudent eum, & in diuersa ministeria mittantur, maximeque ad eos, qui purgatione indigent, & ob pristina peccata, aliqua ex parte supplicijs purgari merentur. In cap. 66. Isaiæ*, in fine, vbi de damnatorum æterna pœna, & alijs loquitur, hæc, de aliquibus peccatoribus habet, *sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum opera in igne probanda sunt, atque purganda moderatam arbitrantur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis.* Sed vt videre est, hæc nec est eius sententia, nec loquitur de purgatione, quæ fit immediate post mortem, sed de purgatione facienda ante iudicium per ignem, respectu eorum, qui purgatione egent. Tandem, vt alia Ex Hieron. Sæpè purgatorium commemorat,

omit-

omittam loca, *Cyrillus Hierosol. in epist. ad Augustin. de miraculis Hieronymi*, paulò post initium, dicit, quod dum Secta quædam tunc floreret, quæ præ cæteris negabat, sanctos ante iudicium visuros Deum, *& nullum esse purgatorij locum, in quo anima, quæ nondum de suis peccatis in mundo plenam egissent pœnitentiam purgarentur*, indicto ieiunio, & precibus ab ipso Cyrillo ad impijssimæ huius Sectæ extinctionem, tertio die elapso *Hieronymus* apparens Eusebio prædixit, Sectam illam extinguendam. Ergo iam in gloria existens, & Eusebio apparens confirmauit dari medium locum, seu statum, quo animæ purgantur.

Loquitur hic de purgatione ante iudicium immediatè.

Ex Cyrillo de miraculis Hier.

83 *Augustinus* sæpè loquitur de purgatione, purgatorio, & pœnis purgantibus, sed quia sæpe est sermo de purgatione illa, quæ facienda est immediatè ante iudicium, non adducam hæc loca, quæ innumera sunt, & adducta in *disput. 11. art. 8. & 9.* sed alia, quę loquuntur de purgatione media inter egressum à corpore, & resurrectionem. Primus locus est *Enchirid. cap. 69.* vbi de cruciatibus disertè, ait. *Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est: & vtrum ita sit, quæri potest, & aut inueniri, aut latere nonnullos fideles ignem quendam purgatorium, quanto magis minus bona peruntia diluerunt, tanto tardius, citiusque saluari non tamen tales, de quibus dictum est regnum Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus ea crimina remittantur, &c. lib. 21. de Ciuit. cap. 13.* in fine, ait, *Temporarias pœnas, alij in hac vita tantum, alij post mortem; alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum patiuntur. Non autem omnes venient in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium sunt futura, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam quod in isto non remittitur, remitti in futuro sæculo, id est nè futuri sæculi æterno supplicio puniantur iam supra diximus.* hæc ibi *Augustin.* in *cap.* verò 24. diffusius de his, qui purgantur, ait, *Pro defunctis quibusdam, vel vt dicitur pro mortuis, vel Ecclesia, vel quorundam piorum exaudiri orationem tuam, licet qui in Christo renati non adeo ita malè vixerint in corpore, vt tali misericordia habeantur indigni, nec ijdem sic benè, vt inueniantur tali misericordia non egere. Talis etiam conflat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum spiritus patiuntur purgatos, receptis corporibus æterni ignis supplicijs non tradendos.* Deinde mouet dubium de illis, qui tales inuenientur in die iudicij, & soluit, cruciandos esse ante per Ecclesiam, &c. sed in *lib. 20. cap. 25.* dicit in iudicio etiam pro his, qui egent purgari, futuras esse purgatorias quasdam pœnas.

Augustin. sæpissime de purgatorio loquitur,

Alibi Aug. de pœnis temporarijs.

Ex eodem.

Aliqui non valde mali purgandi.

In *libro de cura pro mortuis ger. cap. vlt.* docet, *aliud ad mortuos non pertinere, nisi, quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificijs sollemniter supplicamus, quamuis non pro quibus fiunt omnibus prosint, sed his tantum, qui dum viuunt comparatur, vt prosint. Sed quia non discernimus, oportet ea pro regeneratis omnibus facere; vt nullus eorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, & debeant peruenire.*

Replicat idē quod aliquibus prosunt suffragia.

84 Idem *Aug. in Enchiridio cap. 109.* ait, *tempus autem, quod inter hominis mortem, & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie, vel erumna pro eo, quod sortita est in carne, dum viueret*, in *cap.* verò 110. iterum docet, animas iuuari pietate viuentium, *sed non* omnes, ait enim. *Sed eis hæc prosunt, qui dum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possint meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt ista non requirat, & est rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hac vita transierit adiuuari*, & pluribus hoc prosequitur argumentum, iterum *in Psal. 37.* ita *Deum* erat, *in hac vita purgetur me, & talem me reddat, qui iam emendatorio igne opus non sit*, alia quæ ex *Aug.* adduci possunt, in seqq. de loco, de pœnis, &c. docuentur.

Idem alibi de suffragijs.

85 *Eucherius Lugdun. homil. 3. de Epiphania*, differens de fine vitæ omnium, postquam de reprobis est locutus, ait. Hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quas sermo Dei dirigitur, quod non exeunt inde donec reddant nouissimum quadrantem, per fluuium igneum, de quo Propheticus sermo commemorat per vada feruentibus globis horrenda, transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit transeunti mora, quantum accreuerit culpæ, tantum sibi vindicabit flammæ rationabilis disciplina, &c. Ergo datur status iste medius, & locus temporalis post mortem, & ante iudicium.

Eucher. loquitur de statu, loco, & pœna.

86 *Gregor. Mag.* sæpè de hoc statu, loco, & pœnis loquitur. Primò *in Psal. 3. pœnitent.* scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum, alij flammis expientur Purgatorijs; alij sententiam subeant damnationis, &c. Secundò *in l. 4. dial. cap. 39.* Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod veritas dicit, si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam in futuro posse laxari. hæc *Greg.*

Gregor. J.

De statu, & pœna.

87 *Beda in Prouerbia Salom. lib. 2. cap. 11.* præ alijs dicit. Et si impijs post mortem spes veniæ non est, sunt tamen, qui de leuioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, possunt absolui, vel pœnis

Beda sæpè.

nis videlicet castigati, vel suorum præcibus, eleemosinis, Missarum celebrationibus absoluti. Secundò, *in Psal.* 37. sequens *Aug. sent.* ait, qui superædificant, aurum, argentum, &c. & intermiscent ligna, fœnum, stipulas, id est committunt quædam venialia peccata, grauiora, & leuiora, ideo necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, id est in purgatorio igne nunc interim, ante diem iudicij ponantur, vt, quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse, cum his, qui in dextera Dei coronandi sunt, inueniantur, &c.

Anfel. 88 *Anfel. Cantuar. in Elucid.* interrogante discipulo, quid est Purgatorius ignis. Resp. Magister, post mortem purgatio erit, aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus pœnarum, &c.

Bernardus bis de eo loquitur, 89 *Bernard in ser. de obitu S. Humberti.* ait, *Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta reddantur vsque ad nouissimum quadrantem.* Et in *ser. 66. in cant. contra hæret. Petro Brusianos*, ait, *Porro mortuos viuentium nihilominus Sanctorum, qui decesserunt suffragijs spoliantes, non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem.* Quos tamen impugnat.

Alios Patres, & Doctores ne prolixus sim, omitto, & Scholasticos adduco.

Mag. Sent. 90 *Magister sent. in 4. dist. 21. A.* declarans illud, *qui peccauerit in Spir. Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ait. Ex quo datur intelligi, sicut Sancti Doctores tradunt, quod quædam peccata in futuro dimittentur, &c. de illis etiam, qui ædificant ligna, fœnum, dicit *Augustin.* quod ignem tribulationis transitoriæ inuenient cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines cremantem. Magistrum secuti sunt omnes Scholastici nullo pœnitus excepto, (nisi hæreticis.) vt

Omnes Schol. cum eo. *Alexander Alens. p. 4. q. 8. memb. 3. ar. 5.* & *q. 15. mem. 4 ar. 4.*

Alber, Mag. 91 *Albertus Mag. in Euang. Lucæ c. 1. D. Thom. lib. 4. contra Gentiles cap. 91.* & *in quæst. disput. de pecc. venial. ar. 11. D. Bonau. in 4 sent. dist. 20.* per totam, *& dist. 21.* per totam, *& in Breuiloq. par. 7. cap. 2. Durandus in Rationali diuin. lib. 4. cap. 4. Ægidius Romanus in tract. de Inferno cap. 11. Riccardus de media Villa in 4. dist. 45 ar. 2. Lyran. in cap. 7. Eccl. & in cap. 3. epist. 1. ad Cor. & Scotus in 4. dist. 19. & ad quæstionem motam. & dist 21 B.* & tandem omnes horum Magistrorum discipuli.

Ex quibus omnibus habetur, Patres, ac Doctores Latinæ Ecclesiæ statum medium, nempe Purgatorium, ad animarum expiationem, ac purgationem admisisse.

## §. 4.

## *An ex Concilijs concludatur status medius, seu Purgatorius.*

Ex Concilijs probatur explicitè, vel implicitè. 92 DIco. Ex Concilijs multis, siue Generalibus, siue Prouincialibus explicitè, vel implicitè probatur status medius animarum, seu Purgatorium.

Aliqua addita supra ar. 2. 93 Prob. Concilia Generalia, & Prouincialia, quæ expressis verbis loquuntur, de hoc medio statu, immò, & loco de pœnis Purgatorij allata sunt in secundo articulo, & sunt Florentinum, & Tridentinum, Senonense, & Mogunt. 4.

Alia Concil. quæ implicitè illud admittunt. 94 Prob. modo ex alijs, quæ implicitè, & ab effectu, ex indigentia nempè quarundam animarum decedentium in gratia, & ex iuuamine, quod eis affertur.

Conc. Nic. 1. 95 *Concil. Nic. 1. can. 65. ex Arabico* decernit, vt mortuo Episcopo significetur omnibus Ecclesijs, & Monasterijs diœcesis, vt pro eo fiat oratio; & hoc statuit, sequens perpetuum Ecclesiæ morem. Ergo tenebat Concil. quod animæ, non omnes sunt in inferno, vel in gloria, quia in neutro statu egent iuuamine, nec possunt adiuuari. Igitur aliæ dantur, quæ eo egent, & sic status medius.

Concil. Carthag. 3. 96 *Concil. Carthag. 3. can. 29.* Statuit quo tempore orationes pro defunctis sint faciendæ.

Carthag. 4. 97 *Concil. Carthag. 4. can. 79.* sic decernit. *Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi ijs subueniri non possit memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.*

Valentinum. 98 *Concil Valentin. c. 4.* statuit, vt *Recedentium à sæculo Episcopum, post oblatum in eius commendationis sacrificium Deo, sepultura tradatur.*

Aurelian. 2. 99 *Concil. Aurelian. 2. c. 5.* sic decernit. *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti recipi censemus, si tamen non ipsi sibi mortem propriis manibus probentur intulisse.*

Tolet. 100 *Conc. Tolet. vndecimum can. 12.* statuit. *De his qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, placuit nobis, vt & memoria talium in Ecclesijs commendetur, & oblatio pro eorum delicto à Presbytero recipiatur.*

Cabil. 3. 101 *Concil. Cabilon. tertium can. 19.* Præcipit, *vt pro defunctorum spiritibus, in omnibus missarum sollemnitatibus, Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, in qua non pro cuiuslibet necessitatibus Dominus deprecetur, ita nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces in missarum sollemnibus Domino fundantur.* Et addit motiuum. *Antiquitus hunc morem*

San-

*Sancta Ecclesia tenet, vt in Missarum solemnitatibus, & alijs precibus Domino spiritus quiescentium commendet.*

Turonien. 102 *Concil. Turon. sub Formoso can.* 15. ita statuit, vt sepultura opportuno tempore morientibus detur, *vbi Canonicorum, aut Monachorum, & Sanctimonialium congregatio sancta communiter degit, vt eorum orationibus, iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet illorum intercessionibus percipiat.*

Silegustan. 103 *Concil. Salegustand. sub Bened. 8. can.* 10. statuit, vt missa pro salute viuorum, vel defunctorum celebretur, & audiatur.

104 Concilia alia permulta Prouincialia statuerunt orationes, & oblationes, ac eleemosinas pro defunctis applicandas vt in proprio §. de suffragijs existentium in Purgatorio. Ergo concluditur per Concilia, nedum ista, sed & alia adducta in *art* 2 expresse de Purgatorio tractantia, admittendum esse statum medium animarum, dictum Purgatorium.

## §. 5.

## *An ex suffragijs defunctorum probetur status medius, seu Purgatorium.*

In quo cõsista vis arg. de suffragijs 105 ADuer. breuiter, quod tota vis huius argumenti consistit in hoc. Omnes ferè Patres in præced. adductis, & præcipuè Augustinus, à quo accepit *Magister sent.* & postea *Innoc. III. in cap. Cum Martha de Celebr. miss.* in fine *quod defunctorum, alij sunt valde boni, alij valde mali, alij mediocriter boni, alij mediocriter mali vnde suffragia, quæ fiunt à fidelibus in Ecclesia pro bonis sunt actiones gratiarum; pro valde malis consolationes viuorum, expiationes verò pro mediocriter bonis, & propitiationes pro mediocriter malis*, quod ab *Aug. in Enchirid. cap* 110. acceptum est. Ex quibus patet, quod inter malos, qui non sunt capaces, & bonos, qui non egent suffragijs, dantur medij, qui egent: si ergo pro his orat Ecclesia, datur status medius: id ergo probandum, quod orauerit, & oret.

Ex Eccles. Praxi & PP. doctrinis semper fuit pro mortuis oratum. 106 Dico ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & Rom. Pontificum, nec non ex Patrum, ac Doctorum Ecclesiæ, tam Latinorum, quam Græcorum doctrinis, probatur status medius animarum, quæ illis indigent.

Ex praxi Synagogæ, 107 Prob. 1. ex Praxi Synagogæ, *ex 2. Macchab. c.* 12. vbi Iudas pro mortuis misit Ierosolymam offerri sacrificium, concludens, *sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, quem locum Augustinus expendens *lib. de cura pro mort ger. cap.* 1. ait, *in Macchabeorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium: sed & si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur; non parua hac consuetudine claret auctoritas. vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum*, et ideo eius mater Monica cum morti esset proxima, id tantum petebat, vt in altari memores sui essent.

Clemens I. refert hanc fuisse, & docuisse S. Petrum, 108 *Clemens I. in epist.* 1. refert hanc fuisse quotidianam Sancti Petri prædicationem, vt inter cætera mortuos sepelirent, diligenter eorum exequias per agerent, pro eis orarent, & eleemosinas darent, *& in lib. 8 Constit. Apostol c.* 41. ait, *pro Fratribus nostris, qui in Christo requieuerunt, vt Deus, qui animam defunct. suscepit, tremittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium, & propitius, et benevolus ei factus collocet eum in regione piorum, &c.* & in *cap.* 42. declarat, quod exequiæ defunctorum, tertio, nono, & quadragesimo die, et anno exacto fiunt.

Ex Liturgijs Eccles. 109 Ex Liturgijs omnium Ecclesiarum concluditur, semper Ecclesiam, seu fideles pro mortuis orare, et offerre, consueuisse: in Romana enim, quæ à Sancto Petro inchoata, et postea ab alijs fuit perfecta, etiam ab initio ad erant hæc verba. *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* In liturgia Hyerosol à Iacobo Apostolo disposita præ alijs habetur, *Memento Domine Deus noster spirituum, & vniuersa carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus orthodoxorum, & vestræ de fide sententiarum posti eos requiescere in regione viuentium, &c.*

Romana liturgia, Hierosolim.

Alexandria. 110 Idem habetur in Aegypti Alexandrina Ecclesia; ex liturgia à S. Marco composita, in qua lectis defunctorum diphticis, sacerdos inquit, *Horum omnium animabus Domine Deus noster dona requiem in sanctis tabernaculis tuis in regno tuo, easque eorum regno dignare.* Idem habetur in Constantinopol. liturgia, *Memento Domine, vt bonus seruorum tuorum, & quæcunque in vita deliquerunt ignosce. Nemo enim sine peccato, nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare requiem.*

Constantin.

111 Idem habent omnes aliæ Orientalium, & Occidentalium Ecclesiarum liturgiæ, & hoc ab initio fundationis earum; omnes item Ecclesiæ in litanijs orant, vt fidelibus defunctis Deus requiem æternam concedat, ergo aliqui iusti eam non habent statim, ac moriuntur.

Ex Patribus Græcis, 112 Prob. 2. ex Patribus Græcis id testantibus, Diony id refert, *l. de Eccles Hierar. c.* 7 *p.* 2. *& p.* 3. vt *in §.* 2. *Athanasius quæst.* 34. *& orat. de his, qui dormiunt. Euseb. Cæsarem lib.* 4. *vita Constant. & c.* 60. *& 71. Greg*

*Nazian. orat. in Fratrem Caſarium defunctum: Greg. Nyſſen. ſer. de defunctis. Cyrill. Hieroſol. Catbech. 5. Miſtagogica, Chryſoſt. hom. 21. ad Pop. Antioch. Epiphan. lib de hær. hær. 75. Theodoretus lib. 5. de Hiſt. Eccleſ. c. 36. & in Hiſt SS. Patrum de Iacobo Niſib. Epiſc. Damaſc. orat.* quod ij, qui cum fide exceſſerunt, miſſis, & ſacrificijs iuuentur. Maximus in *cap. 7. Eccleſ. Hier. Dionyſ. Areop.* & alij omnes, nedum antiqui, ſed & ij, qui, florebant tempore *Innocent. IV.* nempe *in ſæculo* 13. nam *in conſt. 14 ſub Catholicæ*, §. 23. dicit, Græcos tenere, quod pro defunctis orandum ſit, & quod iuuentur ſuffragijs, & tandem illi, qui tempore *Eugenij IV.* nempe in ſæculo 15. florebant, cum literis vnionis in Concilio Florentino in *ſeſſ. vlt.* ſubſcripſerint; quidquid ſit de genere pœnarum. Neque ago de particularibus authoribus Græcis, qui aliter ſenſerunt, non enim iſti in Eccleſia attenduntur; ſed illi, ſeniores nempe, & ſaniores, qui in Concilijs fuerunt.

Græcis ſemper docuerunt defuncti iuuari ſuffragijs.

113 Prob. ex relatione Patrum Latinorum. Auguſt. in toto fere *lib. de cura pro mort ger.* hoc argum. pertractat, & ex *cap. 1.* docere incipit, quibus nam proſint poſt mortem pia opera, quæ pro eis aguntur, & in calce eius capitis diſertis verbis dicit, *In Machabæi libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium: ſed & ſi nuſquam in ſcripturis veteribus legeretur non parua hæc conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad altare funduntur, & locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* In *cap* 4. ait. *bonum quidem eſt corpora defunctorum ſepeliri ad martyrum memorias: ſed hoc parum eſſet, ſi pro ſpiritibus eorum non fierent à matre communi Eccleſia ſupplicationes,* & concludit. *ſi autem iſtæ ſupplicationes, quæ fiunt recta fide, ac pietate pro mortuis, puto quod nihil prodeſſet ſpiritibus eorum quamlibet in locis ſanctis exanima corpora ponerentur,* & vt alia eius capita omittam, in vlt. capite, ait, *quæ cum ita ſint non exiſtimamus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, niſi quod pro eis, ſiue altaris ſiue orationum ſiue eleemoſinarum ſacrificijs ſollemniter ſupplicamus &c.* multa. Imò ibi obijciens, quare pro omnibus offerimus ſi omnes nõ ſunt capaces, ait, *melius enim ſuperſunt iſtis ei, quibus nec obſunt, nec proſunt, quam eis deſunt quibus proſunt* in *Enchiridio cap.* 110. abunde id teſtatur, *negandum non eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium, releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt*, & aſſignat quomodo, & quibus poſſunt prodeſſe. & quomodo nihil vanum agitur, etiam ſi illi ſpiritus pro quibus ſacrificia offeruntur non egeant, quia Sancti; vel non ſint capaces, quia damnati.

Patres Latini omnes docent orandum pro defunctis, & alia opera facienda,

Auguſt. inſtar omnis.

Quare pro omnibus oratur ſic nõ omnes ſunt capaces.

114 Ante Auguſt. id retulerat Gentilis eius Tertull. *de corona militis cap. 3. & lib. de monogamis cap.* 11. Cyprianus *epiſt. 66. ad plebem, & Clerum Furnitanorum, Ambroſius epiſt. 8. ad Faußinum, & orat. prima ad miſſam, Paulinus epiſt. 19. Primaſ. lib. 5. in Apocalip. cap. 19. Beda in cap. 2. Lucæ, Petrus Damian. ſer. de S. Nicolao Epiſc. Bernardus ſer. 66. in cant.* & Poſtea Scholaſtici omnes, vt cæteros Doctores omittam.

Tertull. ante Auguſt.

115 Prob. ex Conciliorum decretis, ſtatuentibus, preces, oblationes, ac ſacrificia pro mortuis offerenda: eorum decreta allata ſunt in *art. 2. & in §. 4.* & iterum adducentur, cum de ſuffragijs, quibus animæ purgantes iuuantur, agemus.

Ex decr. Cõciliorum orandum pro mortuis

116 Prob. ex Pontif. Rom. reſcriptis, ac relationibus, vt *Clementis I.* vbi ſupra in principio huius *§. in ep. 1. cap. 4. & lib. 8. conſt. Apoſt. cap. 41. ex Sixto III. lib. de malis Doctoribus, & operibus fidei. Gregor. Mag. lib. 4. Dial. cap. 55. Gregor. II. ep. 1. ad Bonif. Ioan. VIII. ep. 204. Nicol. I. ad Conſulta Bulgar. cap. 85. & 100. Gregor. VII. lib. 1. epiſt. ep. 6. Innoc. III. ſer. in feſtum Omnium Sanctor. Honor. III. de Miſſarum celebr.* & tandem ex omnibus indultis, ac priuilegijs, nec non indulgentijs, quæ ab initio vſque ad hodiernam diem concedi ſolent in ſuffragium mortuorum à fidelibus applicandum.

Rom. Pont. orandũ pro defunctos præcipiunt.

117 Prob. ex Scholaſticis omnibus, Magiſtro ſent. Alenſe, Alberto, D. Thom. Bonau. Scot. & omnibus eorum ſequacibus; qui de ſuffragijs mortuorum de valore, & effectu ſacrificij, ipſis applicati, tomos integros coaceruarunt.

Ex Scholaſticis idẽ docentium.

118 Prob. tandem ex manifeſta quotidiana praxi Eccleſiæ, quæ in ipſomet tremendo ſacrificio altaris, vt ab initio, ſic & nunc pro defunctis orare conſueuit, in canone .n. miſſæ cuiuſcunque habetur, *memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis,* & poſt commemorationem eorum, ſubditur, *ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur.* Ex miſſis proprijs defunctorum, ex alijs pijs operibus, quæ pro ipſis applicantur per modum ſuffragij, & hæc ab initio Eccleſ.

Ex continua praxi Eccleſiæ.

119 Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, quod præter ſtatum valde malorum, vt dicit *Innoc. III.* ex Auguſt. & ſtatum valde bonorum, quibus bona iſta, orationes, & eleemoſinæ ex incapacitate, vel non indigentia prodeſſe non poſſunt, datur ſtatus mediocriter bonorum, & mediocriter malorum, quibus iſta proſunt, & quos ſubleuare intendit Sancta Mater Eccleſia. Hic autem eſt ſtatus medius inter gloriam, & gehennam, quem inquirimus; de loco autem, in quo ſcilicet maneant animæ huius medij ſtatus, dicam infra.

Concluſio euidẽs quod detur ſtatus medius.

§. 6.

## §. 6.

### *An rationibus concludi possit status medius, seù Purgatorius.*

120 ADu. quod de hoc arg. diffusè erit sermo. cum de causa finali huius status agetur, nempe, propter quid dandus est iste medius status, & quid post vitam remanet in homine purgandum, nunc autem breuius de illo agemus.

Suppositâ elevatione animæ potest aliqua ratione probari status medius.

121 Dico. ergo, suppositâ elevatione animæ ad statum supernaturalem, & vitæ æternæ, nec non commutatiuæ, ac distributiuæ iustitiæ existentia, potest ratione aliqua probari necessitas, & existentia medij status, idest Purgatorij.

Ex commutatione pœnæ æternæ in temporalium.

122 Prob. suppositâ elevatione, dum adulto dimittitur peccatum mortale per contritionem, cum sacramento in voto, vel per ipsummet sacramentum, remittitur quidem pœna æterna, sed non omnis temporalis; si igitur iste decedat, cum obligatione talis pœnæ soluendæ, non potest habere locum iustitia, neque is ad gloriam introduci, nisi pœnas illas exoluat, nunquam enim Deus prorsus illas pœnas etiam temporales dimittere. Ergo, cum iste, nec in infernum descendat, nec in cælum ascendat in alio medio statu esse debet Anteced. iam est definitum in Concil. Trident. *sess. 6. can. 30.* vbi habetur, *si quis post acceptam iustificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio antequam ad regnum Cælorum aditus patere possit, anathema sit* idem fere dicitur *in sess. 14. can. 12. Si quis dixerit totam pœnam cum culpa remitti semper à Deo, &c.* idem in *sess. 22. cap. 2.* in fine. Cur autem remissa pœna æterna, remaneat reatus temporalis pœnæ, dicetur in art. proprio de causa finali. Cum ergo ita sit, & diuersa sint peccatorum genera, & alia alijs graviora, his maiores debentur pœnæ temporales, & cuilibet aliqua; de ratione. n. iustitiæ vindicatiuæ, quæ ad distributiuam spectat, est, vt qui absque talium pœnarum temporalium exolutione decedunt, antequam ad cælum ascendant, eas exoluant: non ergo gratis asseritur necessitas medij status, sed magna cum ratione, suppositâ tamen animæ ad supernaturalem statum elevatione, & fide vitæ æternæ. Hinc Sancta Mater Ecclesia eiusmodi defunctorum indigentiam agnoscens, pro eis semper orare, sacrificia offerre, & eleemosinas erogare consueuit. Hinc saluator toties inculcat, vt faciamus fructus dignos pœnitentiæ, vt *Matth. 3. & Luc. 3.* ad quid enim fructus pœnitentiæ requiruntur, cum dimissa est culpa, & æterna pœna, nisi quia temporalis est exoluenda? vnde, cum in hac vita non soluitur, in alia soluenda est, & sic status iste admittendus est.

Remissa æterna pœnarum remittitur semper tota temporalis.

Cum necessitate admittitur status medius.

123 Conf. Indecens. imò & iniustum videtur (suppositâ præsenti decreto) quod impius, scelestissimusque peccator in fine vitæ conuersus, statim ad cælum conuolet, sicut infans, qui nunquam peccauit, vel perfectus confessor, aut virgo, qui toto vitæ tempore Deo seruiuit. Ergo pœna aliqua temporali est cruciandus, vt iustitiæ rigor appareat; non enim conuenit, vt de iniquitate metoedem reporter.

Ex motiuo iustitiæ.

124 Prob. 2. de fide est, in cælestem patriam nihil inroire inquinatum, vel immundum *ex Apocal 21.* fieri autem potest, vt homo decedens sit in gratia, et tamen venialibus coinquinatus, quia, vel repente iustus aliquis moritur, vel de illis non cogitauit, nec pœnituit, sed nequeunt in cælis mundari; ergo alibi sicut mundanda.

Arg. ex eo quod nil inquinatum ingreditur cælum.

125 Conf. quia de omni verbo, etiam otioso reddenda est ratio, et exoluenda pœna ex *Matth. 12.* si ergo de repente quis moritur, vel non aduertens ad eiusmodi venialia; tenetur post præsentem vitam de eis reddere rationem, et hoc est reddere vsque ad nouissimum quadrantem: et sic status iste medius, in quo fieri debeat hæc satisfactio, seu redditio rationis, est admittendus.

De otiosis verbis reddenda ratio.

126 Prob. 3. In remissione peccati mortalis iniungitur satisfactio, et hæc pertinet ad partem sacramenti (quanta autem, et qualis esse debeat, huius loci non est:) et ideo canones pœnitentiales olim in Ecclesia in vsu erant, vt habetur in fine decreti Gratiani: etsi autem remissior nunc imponatur pœnitentia, non proinde tota temporalis pœna per eam exolui videtur. At si neque satisfactiones impositæ exoluantur, quomodo poterit moriens in gloriam introire? igitur alius status inter gehennam, et gloriam est admittendus.

Ex parte satisfactionis adimplendæ.

## §. 7.

### *Ex apparitionibus, an probetur status medius.*

Ex apparitionibus defunctorum probatur status medius.

127 DIco ex multis mortuorum electorum apparitionibus concluditur dari statum medium inter gloriam, & gehennam.

128 Prob. 1. ex ijs, quæ narrat *S. Greg. lib. 4. dial. cap 39.* cum enim Petrus interrogaret, an post mortem purgatorius ignis esse credendus sit, ipse respondet esse credendum ob purgationem peccatorum venialium. statim autem in *cap. 40.* adducit apparitionem Paschasij diaconi, qui in electione Symmachi fuerat ei contrarius, steteratque pro parte Laurentij; defunctus

Apparitio Paschasij diaconi in purgenti.

eaim Germano Episcopo Capnano in Angulanis thermis remedia sumenti apparuit, quo viso territus est, & quid ibi faceret inquisiuit: cui respondit Paschasius. Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi; & rogauit, vt pro eo oraret; & id dedit signum suæ liberationis, quod si cum non inuenisset amplius, erat iam liberatus; & ita accidit. ait *Greg.* cum ex ignorantia peccasse in defensione Laurentij existimati veri Papæ.

129 Idem *Greg. eod. lib. 4. cap. 55.* aliam similem narrat apparitionem in Diœcesi Centumcellarum; cum enim Presbyter quidam in aquis illis sulphureis calidis pro remedio ingrederetur, apparuit ei quidam ignotus vir, qui dixit, se ibi in loco illo, cuius olim fuerat Dominus pro culpis suis post mortem esse deputatum, eumque rogauit, vt pro sua liberatione precaretur; & sic accidit. alium ibidem narrat de Pretioso Monacho.

Alia apparitio Centûcellis,

Alia de monacho Pretioso,

130 *Petrus Damianus in Comment. de quibusdam mir.* & habetur *apud Sur. t. 7.* refert Sanctum Seuerinum Episcopum Colonienſem, qui non multò ante excesserat, in flumine quodam Clerico in equo transeunti apparuisse, & equi frenum tenuisse, ne vlterius progrederetur; & paruo temporis spatio eius cruciatus à Clerico visos. territus Clericus interrogauit, cur ita cruciaretur, cum in Ecclesia tam celebris esset? respondit, ex hac sola causa cruciatus perpeti, quod horas canonicas per distincta horarum spacia non absoluit, quia in aula Imperatoris, & alijs negotijs implicatus, eas distulerat. Rogauit, vt significaret Clero, quod pro eo oraret, & oblationes faceret; & cum factum esset liberatus est; notat *Baron. in die 23. Octobris*, errorem esse, vel in nomine Episcopi Seuerini, vel Ciuitatis Coloniæ. Quia vnus tantum fuit Seuerinus Coloniæ Episcopus; at iste obijt sexcentis annis ante tempora Damiani.

Sancti Seuerini apparitio, & cruciatur, quia horas canonicas per distincta tempora non recitauerat,

131 *Beda lib. 5. hist. Angl. cap. 13.* refert cuidam viro fide digno ostensa fuisse tria animarum loca, Cælum, Infernum, & Purgatorium.

Alia apparitio, & reuelatio Purgatorij,

132 *Cyrillus Hierosol. in ep. ad August.* scribens de miraculis Hieronymi post mortem eius, narrat, quod Hieron. apparens Eusebio, ei præcepit, vt saccum suum quo pro pallio vsus fuerat, tribus viris, qui præcedente nocte mortui fuerant imponeret, vt resuscitati narrarent, quæ viderant. Quo facto, ad vitam reuocati tres illi, coram magno cœtu, qui ad hoc videndum conuenerat confessi sunt, se vidisse beatorum gloriam, damnatorum supplicium, & eorum qui minus plenè pœnitentiam egissent purgamentum, & hoc meritis Hieronymi obtinuisse, & die vigesimo, cum ipso Eusebio se decessuros dixerunt; quod & factum est.

Tres vir fatentur visionem Purgatorij meritis Hieronymi.

133 *D. Antoninus in Summa par. 4. cap. 10. §. 4.* narrat historiam de quodam scelerate viuente, cui grauissimo laboranti morbo apparente Angelo, data fuit optio, an mallet per duos annos morbum illum pati, vel per tres dies in purgatorio manere. Qui secundum eligens in purgatorium deductus est, vbi per solam vnicam horam manens, iterum apparente Angelo conquestus est, quod per multos annos fuerat ibi detentus.

Alia visio relata à S. Antonino.

134 Idem *Sanctus in par. 4. cap. 10. §. 5.* alium similem narrat casum de mortuo apparente, & fatente, se à pœnis purgatorij liberatum,

Alia eiusd. Sancti relatio,

135 Idem *S. Anton. in Chron. 3. parte tit. 24. cap 8. §. 15.* narrat de Ioanne Aluerna Franciscano, qui assidue pro defunctis celebrans, vidit animas multas de purgatorio liberari.

Tertia visio ab eo relata

136 *Dionys. Carthus. art. 9. de quarto nouissimo*, refert de S. Patritio, quod eius intercessione homo quidam obtinuit, vt in locum purgatorij descenderet, & cruciatus ac pœnas omnes grauissimas, quas animæ ibi detentæ patiuntur, videret, easque postea alijs narraret.

137 *Anselmus*, vt legitur in *libro 1. Vitæ eius*, per annum integrum orans, & sacrificia offerens pro amico, anno elapso, hic sibi apparuit, & ab eo didicit, ipsum fuisse à purgatorio liberatum.

Visio Anselmi.

138 *Ethai*, Monachus quidam Ægyptius Beati Hieron. familiaris vidit animam Episcopi cuiusdam Anconitani ob nimium luxum ad gehennam damnari; animam verò Theodosij iunioris, eo quod B. Hieronymum semper magno honore coluisset ad purgatorij tormenta deduci, ex *Marulo lib. 5. cap. 11.*

Ecclesiæ monachi visio.

139 *Berno, Abbas* apud Surium die *4. Iulij* refert, quod S. Vldaricus Augustæ Episcopus procurabat ab Imperatore Othone, vt post suum obitum Cathedram illius Ecclesiæ Adalbero ni nepoti suo ex sorore concederet, & interim eidem procurationem illius Ecclesiæ, & propriè familiæ permitteret. Qui quidem erga nepotem affectus nec Deo, nec Ecclesiæ placuit, vt euentus docuit. Ipse enim Vldaricus de proximo moriturus factum hoc detestatus est: & ad supremum iudicium per visionem raptus audiuit ea de causa se pœnis mancipatum purgatorijs, &c.

Vldarici Episcopo visio.

140 De *Benedic. Pap. VIII.* refert Baron. *t. 11. an. 1024.* & accipit ex *Surio tom. 1. die 1. Iunij*, quod post mortem, aliquo post tempore apparuit Ioanni Portuensi Episcopo, & alijs duobus, quorum nunc ignota sunt nomina, quibus indicauit, se pœnalibus esse constitutum in tenebris; & quod Deus ex sua benignitate meritis, ac precibus Beati Odilonis ipsum liberare decreuerat; ideoque popposcit, vt ad eum se conferrent, ac rogarent, vt pro eo ad Deum preces fun-

Benedictus Pap. VIII. apparet, & à Purgatorio dicit se liberandum.

funderet, quo facto, post aliquod tempus in Capitulo Cluniacensis monasterij, vbi Odilo cum fratribus residebat, apparuit Benedictus, eique gratias egit, quod eius precibus è pœnis liberatus, cum beatis ciuibus, qui eturus supernæ Hierusalem meruerat ingressum.

Hæc, aliaque innumera adduci possent apparitionum, & reuelationum de purgantibus animabus exempla; sed hæc adduxisse, pro nunc, sufficiat.

## §. 2.

## *An ex Iudeorum Rabinis probari possit status medius Purgatorij.*

Ingennitas authoris.

141 ADu. quod hoc genus argumenti, nec à libris iudaicis, nec ab aliquo Patre, aut Scholastico mutuaui, sed à solo Iodoco Coccio in tomo 2. Thesauri Catholici; & quia optimum argumentum duxi pro hac materia, ferè ad verbum ex eo descripsi de septimo libro, in quo agit de pœnitentia.

Ex Rabinorum libris probatur status medius.

142 Dico igitur ex Rabinorum libris, nedum post Christum natum, sed ante illum scribentibus, concluditur status medius animarum, seu Purgatorium.

Rabbi Simeon.

143 Prob. ex eod. Iodoco referente Rabbi Simeon ante Christum, qui in *libro Zohar ad cap. 18. Gen.* declarans illud *Pluit Dominus super Sodomam*, ait, hoc lacus aquarum, illud verò ignis, vtrumque autem est supplicium gehennæ. Nam, qui gehennæ rei sunt, duobus his supplicijs, plectuntur, in quibus duodecim menses perdurant. At Deus sanctus, & benedictus, vbi à peccatorum sordibus purgati sunt, ascendere eos ex eo loco facit, manensque in ipsa gehenna, & aditu, vbi ostendit eis, dignos esse æterno supplicio. Itaque ibi adhuc etiam puniuntur, sed cum diuinam misericordiam interpellent, postea Deus misericordia flectitur, educitq. eos, et ascendere facit in locum illis debitum, & congruentem. Idem confirmat in *cap. 47. Gen.* super illud, *& vixit Iacob. &c.* vbi, homines post hanc vitam purgari dicit, deinde ad Dominum adduci. Idem dicit in *cap. 25. Exodi*, & in *cap. 21. Leuitici*, & tandem in Ezechielem, declarans illud, *& ego in medio transmigrationis super flumen Chobar. Iudicium fedit, & libri aperti sunt*, ait, et tunc abluuntur animæ in eo fluuio igneo à sordibus suis, quibus coinquinatæ fuerunt in mundo inferiore.

R. Menach.

144 Conf. ex *R. Menachem. Sioni in cap. 16. Ieuit.* vbi declarans illud Zachariæ *postquam mortuus est*, dicit, Doctores suos docere, quod non omnes homines eò dignitatis perueniunt, vt iustorum plantas contingant, & postea inquit, quod autem, ait, sub plantis pedum iustorum significatur venturos illos ad mansionem aliquanto inferiorem ea, in qua iusti sunt, vbi non sit eiusmodi dolor, angustia, et cruciatus, qui in ipso principio; neque ea voluptas, atque deliciæ, in quibus sunt iusti; vbi expectant, & cruciantur, & postquam pœnas debitas luerint, expurgatique sint, ascendunt ad amæniorem locum, & delicijs abundantem, &c.

R. Alphes.

145 Conf. ex *R. Alphesi, tract. Rosch. Hascbana.* Tria hominum genera sistentur in iudicio; perfectè iusti, omninò impij, & medium locum tenentes. Primi ad vitam futuri sæculi subitò scribuntur, & obsignantur. Secundi perinde etiam ad gehennam; medij, quorum paria sunt merita, et demerita, descendunt in gæhennam, ibique clamant, et ascendunt, vt scriptum est, *& adduxi tertiam partem ad ignem, ibique expurgati eos vt purgatur argentum, & probati eos vt probatur aurum*, de ijsdem Anna. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.*

Medius hominum iudicandorũ, status.

R. Nisim.

146 Conf. ex *R. Nisim Scholiaste Alphesij in eod. loco*, idem prorsus asserente, quod Alphesius.

R. Meir.

147 Conf. ex *R. Meir Ben Gabai lib. de sacro cultu p. 2. c. 11.* vbi septem mansiones, ait esse in gehenna, qui est tormentorum locus, & sua Fouea, Perditio, Puteus corruptionis, Puteus mugitus, strepitus, lutum cœni, vmbra mortis, & terra inferior.

Mansiones gehennæ septem.

R. Ioseph.

148 Conf. ex *R. Ioseph Albo lib. de Habi Karum orat. 4. c. 34.* vbi docet non omnes homines in æternum cruciandos; deinde, ait, erit enim tempus, quo supplicium illud, & tormenta finiantur, nempe cum praua illa peccandi assuetudo detersa, & perpetua quasi oblitione fuerit obtrita, &c.

R. Isaac.

149 Conf. ex *R. Isaac Abuhab in lucerna lucis conclus. 1. p. 2. c. 2.* vbi de quibusdam, qui ad tempus in gæhenna cruciantur, ait, detineri sub plantis pedum iustorum, quasi dicerent de hoc magistri, detineri eorum animas in gehenna, vt ibi pœnas luant, debitisque supplicijs expurgentur, & post expurgationem, &c.

R. Mosea.

150 Conf. ex *R. Mose Alinatini lib. Thesilsalmoseh*, vbi declarans illud: dicite iusto quoniam, benè probat eos recepturos mercedem, impios verò supplicium, aliquos autem, ita puniendos, vt postea acceptari sint requiem.

R. Bachay.

151 Conf. ex *R. Bachaye in cap. 4. deuteron.* vbi probat ex antiquis sicut R. Simeon primo loco adductus, tres hominum cœtus futuros esse in iudicio, vnum perfectè iustorum, alium omninò impiorum, tertium eorum, qui medij sunt, & hunc cœtum puniendum, & postea ad requiem deducendum.

R. Dauid Kimchi.

152 Conf. ex R. *Dauid Kimchi in Psal. 32.* vbi de Dauide, ait, anxium fuisse, si ob maxi-

maximum peccatum suum pœna fuisset sufficiens in hac vita inflicta, an aliqua alia supereſſet luenda in hac vita, vt abſtergeretur, anne, etiam in futuro ſæculo pœnam aliquam Purgatoriam deberet ſubſtinere?

Alij authores indęt. 153 Prob. 2. ex alijs authoribus Iudæis à Iodoco ibidem adductis, vt ſunt Abdias Sephami midici; Author libri, Ieſed Sirim: Author Achab. Rachel Baba meſia, & alij, qui præter iuſtiſſimos, & impios, alios fatentur iniuſtos gehenna puniendos, ſed poſt aliquod tempus liberandos.

Alij Iudaici libri. 154 Prob. 3. ex *Catena aurea Iudeorum ex doctrinali Hieroſolymitana ex Mabaſor, ex Preſtatione Iudeorum*, quam vocant *Haſcabo*, in quibus habetur animas aliquas torqueri, et cruciari, et eis deſideratur liberatio, exitus, et deductio in requiem, in locum amœnum, et terram Eden, id eſt Paradiſum.

155 Not. tamen, quod nedum allati Doctores Rabbini, ſed omnes alij ſuſtinent, aliquos iniuſtos, ac peccatores cruciandos quidem eſſe in gehenna donec purgentur, et abſtergantur, ſed in hoc decipiuntur, quia putant liberari poſt menſes duodecim. Quidquid autem ſit de hac eorum ſententia, ad abundatiorem doctrinam medij ſtatus animarum, patet, in Eccleſia fidelium, et Synagoga Iudæorum, ſemper viguiſſe ad confuſionem hæreticorum, qui nullo fundamento, nullaque facti ratione eum negarunt. Sinamus eos, quia cæci ſunt.

Error Iudæorum circa durationem pœnarum Purgat.

## §. 9.

### *Examinantur aliqua argumenta contra ſtatum medium ſeu Purgatorium.*

Arg. antiqua, & moderna. 156 ADu. quod ſicut controuerſia incœpit cum hæreticis antiquis, et progreditur cum Modernis, ita argumenta aliqua ſunt antiqua, aliqua moderna. Et certè nunc in animo non eſt omnia conſiderare, quia à Magiſtris meis de Caſtro, Belarmino, et alijs magna ex parte ſoluta ſunt: ſed aliqua tantum ob exactam huius materiæ notitiam adducentur; reliqua quilibet etiam ſciolus poterit impugnare. Inter modernos autem vnus prodijt ſub ouina Catholici pelle hæreticus Lupus, Thomas Albius acris, et turbulenti ingenij vir, qui libello proprio Pariſijs anno 1655. impreſſo ſtatum medium animarum concedit, ſed, quod ſolutis pœnis ante diem iudicij exeant inde animæ acriter impugnat. Huius Authoris argumenta poſtea in ſuis locis adducentur, nunc aliqua ex antiquis ſelecta diſcutiemus. Primo autem quæ ex ſcriptura ſumuntur: deinde reliqua.

Thom. Albius poſtea impugnandus infra de Duratione Purgat. 157 Primum, et commune argumentum eſt, quod deſumitur ex *Eccleſ.* 11. *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad Aquilonem; in quocunque loco ceciderit ibi erit.* Gloſ. tam interl. quam ord; intelligunt locum iſtum in ſenſu topologico, et anagogico de morte hominis, et vltimo eius ſtatu. Inter. V. *lignum*, ait, *homo*, V. ad *auſtrum*, ait in calore charitatis Spiritus Sancti. V. *ad Aquilonem*, ait, in frigore infidelitatis. V. *ceciderit*, ait, moriendo. Gloſ. ord. V. *ſi ceciderit*, inquit, locum, quem hic tibi præparaueris, in futuro habebis, ergo præter auſtrum, aut aquilonem, ideſt gloriam, et gehennam, non datur ſtatus medius.

Ex ſcript. arguentur,

158 Reſp. hoc arg. ſolutum eſſe in ar. 2. intelligi vtique de duplici illi ſtatu finaliter habendo. At verò, quod ſtatim vtrique habendus ſit, hoc non dicit ſcriptura, quid enim dicemus de lymbo, qui tempore Eccleſiaſtis, et vſque ad Chriſti aſcenſionem detinebat Sanctos Patres; de quibus in Cantico Zachariæ habetur *Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* habetur enim de his articulus *deſcendit ad inferos*, non quidem ad inferos damnatorum, ſed electorum, vnde *Petri* 1. c. 3. *Et his, qui in carcere erant Spiritu veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando &c.* ergo non repugnat, quin detur ſtatus medius pro electis, antequam ad cœlum in gloriam recipiantur.

Loquitur ſcriptura de ſtatu finali.

Aliter impugnaretur

159 *Hieron.* explicans hunc locum intelligit eum moraliter, quòd nempe quilibet homo, vel in Auſtro eſt, ſcilicet gratiæ, vel in Aquilone peccati, neque datur aliquis, qui aliqua ex his parte non ſit.

PP. Locum conſiderarunt, & tamen ſtatum illum admiſerunt.

160 Deinde Patres omnes ab initio Eccleſiæ ad vſque noſtra tempora locum illum perpenderunt, nec tamen à ſententia neceſſerunt, quin ſtatum medium conſiterentur.

Aliud Arg. ex ſcript.

161 Secundum arg. deſumitur, ex *Eccleſiaſt.* 9. vbi hoc datur viatoribus documentum, *quodcunque poteſt facere manus tua inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Ergo non datur ſtatus medius. Conſeq. euidens eſt, quia hic ſtatus admittitur, vt homo poſſit in eo ſatisfacere, et exoluere, quæ non potuit in via; ſed ſcriptura dicit hoc eſſe impoſſibile: ergo.

Ex eo quod in ſtatu medio nó poſſit quis operari digna ſalute.

Conf. quia ibid. paulo ante dicitur, *mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita eſt memoria eorum?* ergo.

Conf. 2. ex *Pſal.* 6. *in Inferno autem quis confitebitur tibi*; ergo nullum opus ſibi proficuum poſſunt mortui exercere.

162 Reſp. ad omnia iſta loca, neg. conſequ. quia loquuntur, vt notat Gloſ. ordin. in *locum ſecundum Eccleſ.* V. *mortui*, de operi-

operibus meritorijs; Ecclesiastes igitur voluit eorum sententiam impugnare, qui docebant post mortem posse animas mereri, contrarium docet fides, at non docet mortuos non posse satisfacere, seu, vt melius, ait, Scotus dicamus satispati; nulli reo negatur, vt per passiones, ac tormenta reatum suum soluere possit.

Scriptura loquitur de opere meritorio.

163 *Lyranus* in hunc locum, inquit, *non erunt apud inferos*, idest in lymbo Patrum, vbi descendebant omninò purgari ante Christi passionem, de quo tempore loquitur hic Salomon, & in purgatorio vbi descendebant, & adhuc descendunt, qui sunt in aliquibus purgandi. Ita enim duo loca dicuntur à Doctoribus esse in parte inferni; & ibi non est opus, nec ratio, &c. ad merendum, licet ibi sint ad alia: hæc *Lyran.*

Idem dicit Hieron.

164 *Hier.* in hunc locum, ait, fac quodcunque nunc potes, & labora, quia cum ad infernum descenderis, locus non erit pœnitentiæ; igitur de operibus meritorijs loquitur, & certè pro his non datur status medius.

Dices. Illæ satisfactiones sunt causa, vt postea detur purgatis gloria. Ergo opera meritoria sunt; quia sine eis non daretur.

165 Resp. non posse dici merita; quia non sunt actus eliciti sponte à patiente, sed sunt passiones voluntariè quidem toleratæ, sed non voluntariè susceptæ. Ratio autem cur in via etiam mala voluntariè tolerata sunt merita, non autem ibi. ea est, quia Deus statuit, *vt dum dies est, possit homo operari, Ioan. 9.* Addi tamen potest cum August quod existenti in loco illo Purgatorij, seu statu medio, ideo prosunt ea, quæ patitur, & pro eo applicantur, quia in hac vita meruit, vt ei prodessent, ita in Enchirid. c. 110. & *lib. de cura pro mor. c. 1.*

Sufferentia illa pœnarũ non est meritum.

166 Tertium arg. desumitur, ex *Ioan. 9. operamini dum dies est, venies nox quando nemo poterit operari.* Erg. consequ. patet, quia status medius affertur ad complendam operationem, quæ non potuit in præsenti vita compleri.

167 Resp. vt supra, Christum loqui de meritis, & fructibus pœnitentiæ; qui quidem post mortem haberi non possunt; ad probat. de complemento, dico compleri quidem, quæ in via erant facienda, sed in diuerso genere; erant enim prius facienda in genere actionis, & postea complentur in genere passionis, & existimarem de purgantibus esse dicendum, quod de ære alieno, vel reatu aliquo grauatis frequenter dicitur, qui non habet in bonis luat in corpore. Ita de purgantibus, cum non habeant spatium exercendi actiones, luunt in passionibus, et sic habetur complementum.

Quomodo pœnitentia in Purgatorio dicitur compleri.

168 Quartum arg est, quod Scriptura Sacra semper de duplici tantum loco pro defunctis facit mentionem, de gloria, & gehenna. Ergo: anteced. prob. *nam Marci vlt. qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, & Matth. 25. ibunt iusti in vitam æternam, iniusti verò in ignem æternum.*

Arg. de duplici tantum loco quomodo intelligitur.

169 Resp. alias solutum *in art. 2.* hoc arg. Christum loqui de loco perpetuæ mansionis; qui, vel erit gloria, vel gehenna, & status medius, quo ad hoc potius habet rationem viæ, quam termini.

170 Quintum arg. desumitur ex omnibus Scripturæ locis in quibus iustis promittitur gloria post mortem, & cohabitatio cum Christo, ideo Apost. *ad Philip. 1.* dicebat *cupio dissolui, & esse cum Christo, &c.*

Arg. de promissione gloriæ intelligitur de sanctis.

171 Resp. ad omnia eodem modo. Quod vtique cum Christo sunt, vel in spe, vel in re, & aliqui citius, aliqui serius; vt egregiè August. *in Enchir. c. 69 Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile non est, & vtrum ita sit, quari potest, & aut inueniri, aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium quanto magis minusue bona pericula dilexerunt, tanto tardius, tantoue saluari,* quod proinde de fide decretum est in Concil Florent. in literis vnionis, vt in *art. 2.* dictum est.

172 Ex Patribus verò hæc desumuntur argumenta. Chrysostomus statum medium non agnoscit: nam explicans illud *prima Cor. 3. ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem*, apertè dicit locum hunc de damnatis intelligi, sic dicens, *significat, quod ipse non ita peribit quemadmodum opera in nihilum redigens, sed manebit in igne &c. & in homil. 2. de Lazaro*, inquit, *cum hinc discesserimus, non est in nobis situm pœniteri, neque commissa diluere. Neque enim, qui in præsenti vita peccata non diluerunt, postea consolationem aliquam receperunt:* ergo.

Arg. ex Chrysost. soluitur.

173 Resp. ad 1. quod Chrysost. ita intellexit locum illum non proinde sequitur sic esse intelligendum; quia vt in §. 1. visum est, sensus ferè communis Ecclesiæ ita intelligit. Ad secundum optimè, ait, non posse hominem post hanc vitam diluere culpas læthales, neque posse fructuosè, & meritorie pœnitere; nam certè pœnitebunt, ne dum purgantes, sed ipsimet damnati ex *Sap. 5. dicentes intra se pœnitentiam agentes*, adde, *ex §. 1.* visum est, neminè melius Chrysostomo admittere statũ medium. At quidquid sit de hoc, si Concilio præsens fuisset Chrysost sicut & alij Patres Græci, etiam ipse clarioribus verbis, si modo fuisset necessarium & Purgatorium fuisset confessus, et decreto Concilij subscripsisset.

In illo loco fuit alterius sententiæ.

174 Ex S. *August.* plura solent accipi loca, in quibus videtur Sanctus Doctor negare Purgatorium, *tract. 49. in Ioann. de mortuis iustis*, ait. *Requiem, quæ continua post mortem datur, ijs dignus est, tunc accipit quisque dum moritur.* 2. negat semper

August. plurics negat Purgatorio.

August.

Augusti. tertium locum medium inter gloriam, & gehennam. 1. *ex ser.* 14. *de Verb. Apost.* 2. *ex lib.* 2. *de Nupt. & concup. c.* 36. *lib. de orig. anima c.* 11. *ex lib.* 21. *c.* 25. et tandem in lib. Hippognost. vbi post duo assignata pœnæ, & gloriæ loca ait *Tertium penitus ignoramus; immò nec esse in Scripturis Sanctis inuenimus.* Ergo non datur, nec status, nec locus medius.

Loca allata non sunt cõtra Thesin; quia Augustinus intendebat negare locum medium pro paruulis cum originali, &c.

175 Resp. ad omnia citata loca, Aug. semper arguere contra Pelagium negantem peccatum originale in paruulis, et proinde eorum damnationem; contra eum semper inuehitur, quod non detur locus medius, & optime dicit, quia paruuli damnantur, quidquid sit de eorum pœna. Duo ergo status finales, et perpetui dantur secundum eum, et secundum fidem. At de medio temporali statu, eum sæpè loquutum diximus in §. 3. immo, et purgatorias pœnas sæpe admisisse; semper tamen, vt ante diem iudicij sint finiendæ; ideoq; de Augustini mente dubitandum non est. Adde, quod Augustinus qui sæpe suis scriptis, non tantam fidem, quantam Scripturis Canonicis, & Ecclesiæ decretis præstandam esse pote status est, vt ex *dist.* 9. *c. Nolo meis, & ex cap. Negare non possum*, ibid. multa censura digna in suis opusculis esse, fassus est dato, quod explicitè non fuisset de statu medio loquutus, si Ecclesiam illum explicitis, ac disertis verbis audisset decernentem, magna cum humilitate eius sententiam professus esset, cum *in lib.* 1. *contra Crescon c.* 67. doceat in dubijs scripturæ, ac doctrinæ Ecclesiam esse consulendam, sic enim faciens falli non metuet.

3. Assignabat status finales.

176 Ex *Hyer.* deducunt hoc arg. *in c.* 9. *Amos hic scribit*, ait *Quando anima vinculis laxata corporis, volendi quo vehi sive quo ire compellitur habuerit libertatem, aut ad inferna ducetur, aut certè ad cælestia subleuabitur.* in locum verò Ecclesiastis 11. *In locum vbi ceciderit lignum ibi erit*, ait, *vbicunque enim tibi locum præparaueris futuramque, sedem, sive ad Boream, sive ad Austrum, cum mortuus fueris permanebis*; ergo per eum non admittitur status medius.

Ex Hier. &c.

177 Resp. nihil ex hoc concludi, quia status medius in infernis locis est. ad vnum ergo eorum ducitur anima exiens è corpore at in quem, et ad quantum tempus, nempe non pro æternitate, vt damnati, qui in infernum inferiorem trahuntur, an pro spatio finibili, vt animæ purgandæ, ibi non explicat Hier. Ad secundum alias responsum est, quod de perpetuo statu, ac termino, sensus est, & de Hieronymo pariter dico, quod si explicatior loquendi forma ab eo exigeretur, post Ecclesiæ Catholicæ decretum, totidem verbis suam sententiam protulisset, cum ipse *in cap. 10. Ecclesiastis. V. qui fodit foueam* dicat, *qui dissoluerit, ac præterire voluerit Ecclesiastica dogmata à serpente percutietur, & in* Psal. 123. explicans illud, *qui statis in domo Domini* dicit, *vbi est vera Ecclesia, ibi est vera fides.* Vera autem; & Apostolica Ecclesia Romana est ex eodem *in epist. ad Demetriadem*, et in symbolum Rufini post initium docet, nullam hæresim Romæ habuisse exordium.

Hieron. non contradicit thesi.

Ex Hier. Romana Ecclesia est vera.

178 Vltimum argum. genus est per causas & effectus huius status medij, primò, sic arguitur. Frustra est status hic medius post presentem vitam: ergo. Anteced prob. quilibet decedens, vel est fidelis, vel infidelis, si secundum ex *Matt vlt. condemnabitur.* Si primum, vel statim post baptismum moritur, etiamsi adultus, vel labitur in peccatum aliquod actuale. Si primum ad cœlum ascendit: si secundum, vel de eo conteritur cum voto pœnitentiæ; vel confitetur, et obtinet absolutionem, vel non confitetur, aut non conteritur; si hoc secundum pariter damnatur; si primum, saluatur. Ergo status medius admitti non debet.

Argt. ex causa, & effectio status medij.

Arg. à sufficiendi.

179 Resp. hoc arg. esse soluendum in proprio sequenti *art.* de causa finali status, et loci medij Pro nunc dico, quod per Baptismum, ne dum culpa omnis, & pœna æterna dimittitur sed etiam omnis temporalis, ex *Trid. Concil sess. 5. in decr. de pres. orig* dicens, *in baptizatis nihil remanere, quod eos ab ingressu cæli remoretur, & cõfirmat in sess 6. c* 14 ideoque si hic absque alio etiam veniali decedat (quod difficillimum ne dicam moraliter impossibile duco ex *Prou.* 4. *Septies in die cadat visus*) absque status medij experientia, in gloria recipitur. Si vero post baptismum, actualia peccata committit mortalia, et hæc per sacram. vel contritionem cum eius voto remittantur, culpa deletur, et æterna pœna remittitur, non tamen omnis temporalis ex eodem ibidem, et ex *can.* 30. nec non *ex sess* 14 *cap.* 8. et eius oppositum est hæresis ex eodem: ideoque nisi ista pœna soluatur in præsenti vita, remanet soluenda in futuro, vt idem Concil. *in cit. can.* 30. docet; alius præterea adest, finis status medij, vt peccata venialia per pœnæ solutionem ibi dimittantur, vel si in morte dimissa sunt, pœna illis debita, in Purgatorio exoluatur. Ecce, quod non frustra admittitur status hic medius, sed de hoc plura inferius.

Cur homines post baptismum ad purgatorij aliquando mittuntur;

Instab. post mortem nihil valet pœnitentia; nec vllam meritum, quia spatium merendi est tempus vitæ; igitur adhuc finem admitti non potest status medius.

180 Resp. dist. antec. Nihil valet per modum meriti, concedo: per modum pœnæ, et satisfactionis, seu potius satisfactionis pœnalis, nego, et neg. conseq. Ratio est, quia vt postea dicemus, etiam in foro mũdi reus damnatus ad triremes per pœnam illam, etiam inuolũtariè perpessam satisfacit pro reatu; quanto magis satisfaciet homo ad temporales pœnas damnatus, et voluntariè eas acceptans, et sustinens.

Post mortẽ non datur meritũ, sed satisfactio pœnalis.

181 Arg.

Arg. ex satisf. Christi.

181 Arg. 2. Christus satisfecit pro peccatis omnium hominum, ad hoc enim ordinata est redemptio: Ergo, cum nihil amplius remaneat satisfaciendum, non debet admitti status iste medius pro satisfactionibus.

Quomodo Christus satisfecit.

182 Resp. hunc locum aptum non esse ad discutiendam materiam de satisfactione Christi. Dico tamen breuiter in hoc primo, & principaliter Christi pro nobis satisfactionem consistere, vt pro culpa Adæ per quam Cælum omnibus hominibus erat reseratũ & omnes sub diaboli potestate constituti, satisfaceret eos redimendo per superabundans pretium, vt Cælum aperiretur. Secundo, vt mereret, & acquireret pro hominibus sacramenta, & media omnia necessaria ad salutem; & quod ipsorummet hominum satisfactiones temporales haberent valorem in virtute suæ satisfactionis per mortem. Sicut ergo ex hoc, quod in sacramento pœnitentiæ est necessaria satisfactio pœnitentis ad hoc, vt per illud remittatur culpa, & pœna æterna, & tamen per hoc non derogatur redemptioni, aut satisfactioni Christi, quia ipsemet hoc meruit, & instituit, ita per satisfactiones, quæ remanent adimplendæ post remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, nullum fit præiudicium satisfactioni, & redemptioni Christi; immo ipsemet meruit, vt hoc medio homines purgarentur. Alia argum. ex ratione desumpta contra statum medium in *sequ. art.* sunt discutienda.

Non fit præiudicium satisfactioni Christi,

## ARTICVLVS III.

### *De causa finali Purgatorij; seu pro quibus Personis admitti debet.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 21. q. 1.* licet prima facie duplicem videatur assignare causam, admittendi Purgatorium, nempe peccatum venialium, & pœnæ temporalis pro mortalibus purgationem; re tamen vera vnam tantum assignat, nempe pœnæ temporalis pro vtrisque peccatis satisfactionem, seu passionem.

Peccatum mortale, quare sic dicitur.

183 Adu. 1. suppono peccatum mortale illud esse, & dici, quod affert mortem æternam, nempe perpetuam carentiam visionis, & fruitionis Dei, nec non gehennam, seù pœnam æternam sensus. Veniale verò non sic; non enim priuat, nec gloria, nec gratia, sed impedit augmentum gratiæ, & per aliquod tempus retardat à gloria. Vtrumque autem peccatum, vt Scotus docet *in 4. dist. 21. q. 1.* ex communi SS. sententia habet duplicem reatum, nempè culpæ, & pœnæ; mortale quidem, grauis culpæ, & pœnæ; æternæ; veniale verò leuis culpæ, & temporalis pœnæ.

184 Adu. 2. et pariter suppono, quod omne peccatum in hac vita potest remitti, mortale per sacramentum pœnitentiæ in re, vel per contritionem perfectam cum voto sacramenti, & non alio modo post baptismum. Veniale verò, & præfatis modis, & insuper alijs medijs, nempe sacramentalibus quibusdam, aqua lustrali, tunsione pectoris, operibus misericordiæ, &c. et de hoc nulla est controuersia.

Modi delendi peccata,

185 Adu. 3. quod fides docet, & Scriptura, et Concilia adducenda declarant per remissionem, peccatorum, & præsertim mortalium remitti quidem pœnam æternam, sed non sed remitti totam pœnam temporalem, vt ego etiam dixi in *in tom. 2. de pœnit. disp. 13. qu. 5.* sed neque omnes neque vllus quẽ viderim ex antiquis assignat causam, et originem pœnæ temporalis remanentis. Certum certũ est, quod peccatori habenti mortale debetur pœna æterna, & si plura mortalia eadem æterna, sed grauior, quando ergo remittuntur peccata mortalia in hac vita, etiam est, quod æterna pœna remittitur; vnde nam postea insurgit reatus ille, seu obligatio pœnæ temporalis? Sed *Scotus in 4. dist. 15. l. & dist. 21. B. C.* & per totam dicit, pœnam temporalem insurgere ex eo, quod peccatum mortale est tantæ indignitatis, vt etiamsi peccatori dimittatur pœna æterna ei debita, adhuc remanere debeat aliqua obligatio ad aliam temporalem, et sic ait, *Scotus*, pœna æterna ex Dei liberalitate commutatur in aliquam pœnam temporalem; licet aliquando tanta esse possit in pœnitente contritio, vt tota etiam temporalis relaxetur, ex eod. *Sco. dist. 15. & 17. & in Trident. sess. 14. can. 12.* colligitur. Ex commutatione ergo illa, ob mortalis peccati indignitatem, oritur pœnæ temporalis reatus.

Omnes fatentur per remissionẽ culpæ, non semper remitti omnem pœnã.

Sed causam non assignat

Scotus assignat,

Quæstio inter Doctores quando remittãtur venialia.

186 Adu. 4. Pro peccato veniali quod fieri solet quæstio inter Doctores, an si quis moriens de venialibus non doluerit, nec cogitauerit, nec alijs medijs antea delenda curauerit, ista remittantur ei ante mortem, vel in morte, vel post mortem; et si post mortem, an per actum aliquem, siue pœnitentiæ, siue charitatis. *Scotus* duas vias indicat. *in 4. dist. 21. q. 1.* Primo dicit sub *B.* Quod cum venialis culpa consistat in reatu pœnæ temporalis, remisso illius consistit in solutione talis pœnæ; & sic hanc viam tenendo, dicendum esset, quod culpæ veniales dimittuntur in purgatorio. Sed *sub. B.* subdit, si modus iste non placet, quia SS. in omni peccato destinguunt inter remissionem culpæ, & pœnæ debitæ illi culpæ, dicendum, quod Deus venialia remittit per aliqua opera, quæ à morituro fuerãt in vita ordinata ad eorum remissionem, vel si ab eo non ordinata, à Deo tamen acceptata adhunc finem (quod diffusius explicat) et sic in instanti mortis remittuntur venialia prius non remissa. Et in fine *P.*

Duæ vias assignat Scotus.

subdit, quod si neuter modus placeat, alius inueniatur, dummodo non dicatur, quod per aliquem actum bonum post hanc vitam acquirum, tamquam dispositionem, vel meritum de congruo remittantur. Quidquid ergo sit de illa quæstione, quando dimittuntur venialia, quæ insunt morienti, de quibus pœnitet, vel nullum alium actum pro eis delendis ante mortem emittit; certum est in omni sententia, quod illa manent, vel ergo remittenda à Deo per aliquem actum faciendum post mortem vt dicit S. Th. vel per aliquem actum acceptatum à Deo ante mortem, & sic in instanti mortis remittuntur, quidquid horum dicatur, inquit Scotus, pro venialibus etiam illis dimissis esse proportionatam pœnam luendam, quia remissa culpa, remanet reatus pœnæ.

Non concedit Scotus, quod per aliquem actū bonum factum in Purgatorio venialia dimittantur.

187 Adu. vlt. Quod ex S. Scripturæ phrasi, nomine *peccati*, non solum venit, culpa, siue mortalis, siue venialis, sed aliquando reatus ipsius peccati, siue dimissi, siue non dimissi, nempè obligatio ad pœnam siue æternam, siue temporalem, transacto enim actu peccandi dicitur peccatum remanere, de eiusmodi enim pœnis peccatorum loquitur Daniel. *cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime:* in leuitico frequenter fit mentio de sacrificio offerendo pro peccato; certum autem est, quod culpa per contritionem erat delenda. Ergo oblatio fiebat pro temporali pœna; his autem stantibus.

Peccatum significat etiā reliquias ipsius culpę reatum pœnæ temporalis.

188 Dico 1. Dum in hac vita remittitur peccatum mortale, & pœna æterna ei debita, non semper tollitur obligatio omnis pœnæ temporalis, sed aliquando, & sæpè remanet. est de fide.

Dum remittitur pœna æterna non semper mittitur tota temporalis.

189 Prob. 1. ex Concil. Trid. *sess. 6. can.* 30. dicente. *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exoluendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio antequam ad regna cælorum additus patere possit, anathema sit. & in sess. 14 cap. 8.* in sacramento pœnitentiæ præcipit pœnas satisfactorias esse iniungendas, et id ex Sacra Scriptura docet colligi. Imò in fine eius capitis monet confessarios, vt proportionatas peccatis satisfactiones imponant, ne forte confitentium peccatis conniuentes, & indulgenter cum eis agentes, leuissima quædam opera imponant. & sic peccatorum eorumdem participes efficiantur. *in canone* verò 12. eiusd. *sess. 14.* sic habet, *si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehenditur, Christum pro eis satisfecisse, anath. sit*

Conc. Trid.

Pœnitentiæ proportionatæ imponendæ.

Dices: nullum habuit fundamentum Concilium hoc, vt statueret hoc dogma, quod nempe post remissionem pœnæ eternæ remaneat reatus pœnæ temporalis: ergo,

190 Resp. neg. antec. Nam in Concil. Florent. *sess. vlt. in Const. liter. vnionis* Ecclesiæ Græcæ cum Latina, in qua a Patribus vtriusque Ecclesiæ fit Professio fidei præ ceteris dogmatibus in § 5, ita habetur *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari, & vt à pœnis huiusmodi modi relaxentur, &c.* ergo habuit sufficiens, fundamentum confirmandi, quod in alio Generali Concilio fuerat decretum.

Idem docuerat Concil. Florent.

191 Idem post Concil. Florent. docuit Concil. Senon. Prouinciale in decr. *fidei c.* 12. sic docens. *Sacro approbante Concilio firmiter tenendum decreuimus; culpa per pœnitentiam abolita, frequenter superesse temporalis pœnæ reatum, veluti superstites quasdam peccati reliquias, quæ per dignas pœnitentiæ fructus venient expiandæ, idest iniquitate, & culpa peccati dimissa, peccator adhuc pœnæ temporali sit obnexius,* et post aliqua subdit, ob has pœnas luendas, si in vita hac non fuerunt solutæ, Purgatorium superesse, vt infra dicetur.

Conc. Sen. idem statuerat.

In tabis vtrumque hoc Concil. gratis etiam id docuisse, cum ex S. Scriptura non eruatur, nec ex alijs Concilijs, aut ex traditionibus, vel Patribus.

192 Resp. Vtrumque Concil. per Manus, ac traditionem id accepisse à Rom. Pontific. Concilijs, & Patribus, nam Innocentius IV. qui de anno 1254. Neapol. obijt *in Const. 14. sub Catholicæ §.* 13. id docet, vt in seq. concl. dicetur. *Ipsi autem à Concil. Later. 4. sub. Innocent. III.* & habetur *in cap. omnis vtriusque sexus de Pœnit. & remiss.* hic verò à prædecessoribus, et maximè ab *Alex. III. & Clement. IV.* vt habetur tex. *in primis c. de Pœnit. & remiss.* isti autem à suis antecessoribus, et Concilijs, sacrisque eorum canonibus, quibus statutum est, vt pœnæ, seu pœnitentiæ temporales iniungendæ in remissione peccatorum, sint proportionatæ cum prudentia, considerata qualitate personarum ex *dist. 1. de Pœnit. cap. Mensuram ex 26. q. 7. cap. Tempora, & cap. Hoc est,* qua de causa canones pœnitentiales olim fuerunt instituti, licet nunc non sint in vsu, ex Concilio *Gabilan. 3. c. 38.* Sed seruetur consuetudo Ecclesiarum, sed hi omnes, et Patres in sequenti conclusione adducendi à S. Scriptura hauserunt: ideo.

Per traditionem habeatur pœnam temporalem superesse.

Per manus semper Ecclesia id docuit.

193 Prob. 2. conclusio ex S. Scriptura. Cum Deus peccata grauiora dimittebat fidelibus, & pœnam eis debitam æternam; adhuc tamen temporali aliqua pœna ea puniebat. Ergo remanet aliqua temporalis luenda post æternæ remissionem. Anteced. prob. ex locis Script. communiter allatis à Patribus, et citatis in marg. *Concil. Trid.*

Ex S. Scriptura infertur quod remissa æterna pœna, remanet temporalis pœnæ reatus.

*Trident. sess.* 14. *cap.* 8. ex *Gen.* 3. Deus condonauit primis parentibus mortale peccatum inobedientiæ, & æternam pœnam; sed eis iniunxit pœnas temporales, *in sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua sumptus es; maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas, & tribulos germinabit tibi.* Mulieri autem alia temporalis iniuncta est pœna. *In dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Alius casus habetur 2. *Reg. cap.* 12. cum Dauid adulterium cum vxore Vriæ patrasset, & ex Nathan increpatione peccatum detestatus, & confessus esset, *Peccaui Domino*, dixit Nathan, *Dominus transtulit peccatum tuum non morieris, Verumtamen filius, qui natus est tibi morte morietur.* & ita factum est. Quod considerans Gregorius, & habetur *cap. Si peccatum, de pœnit. dist.* 1. ait. Si peccatum Dominus transtulit tam detestabile, quid est, quod post omnia, quæ de eodem peccato per Prophetam ei à Domino dicta sunt, postmodum tanta tolerauit? sed, & proculdubio Dominus delictum sine vltione non deserit; aut enim homo hoc in se penitus punit, aut hoc Deus cum homine iudicans percutit, quia nullatenus sine vindicta laxatur. hæc *Gregorius*. Alius casus habetur *Exodi* 30. vbi populus infidelitate peccauit, non credens, neque Moyses ipse, nec Aaron, se accepturos aquam de Petra; & licet condonauerit peccatum; tamen iurauit, eos, Moysem, nempe & Aaron alioſque non intraturos in terram promissionis, & ita accidit. Alius casus habetur *num.* 12. Cum Aaron, & Maria murmurarent de Moyse, & iactarent, per se ipsos quoque, & non per solum Moysem Deum esse locutum; Deus iussit eos segregari à tabernaculis: & licet peccatum eis dimiserit, *Maria tamen ex lepra apparuit candens, quasi nix.* Innumeri ex veteri testamento, & passim adduci possunt casus, in quibus populus peccans obtinuit remissionem culpæ, & æternæ pœnæ, nihilominus aliquo temporali flagello percussus est, vt in deserto sæpissimè. & de Propheta, qui 3. *Reg. cap.* 13. missus ad Ieroboam, ob inobedientiam fuit in via à Leone deuoratus, est euidentissimum exemplum, hic enim saluatus est, quia Deus remisit ei peccatum, & pœnam æternam, sed non temporalem; fuerat ei præceptum, ne comederet panem, aut biberet aquam in domo alicuius postquam prædicasset, iuxta præceptum Dei; & vocatus ab alio Propheta, cum eo comedit solum panem, & bibit solam aquam; exiens autem de Ciuitate, Leo in via eum interfecit. Quod vero Deus ei pepercit patet ex duobus; Primo, quia Leo, qui eum interfecit, asinum illius non tetigit, & cadauer Prophetæ mortui custodiuit. Secundo, quia alius Propheta, apud quem comederat, exiens è Ciuitate, eum inuenit in via cũ custode Leone, & tulit in Ciuitatem honorificè, & eum lamentis ex more sepeliuit; & suis domesticis præcepit, vt cum ipse moreretur, iuxta virum Dei eum sepelirent. Ex quibus, alijsque permultis, quæ adduci possent loca scripturæ, liquido patet. Deum ignoscentem culpam mortalem, & æternam pœnam dimittentem, pœnas aliquas temporales ab eo, cui æternam dimisit, exigere & euidentem eo videri id confirmat Sacramenti Pœnitentiæ institutio, ac natura; de necessitate enim includit satisfactionem, ex *Concil. Florent. in litteris Vnion.* & ex *Trident. sess.* 14 *cap.* 3. & *can.* 4. & nisi pœna aliqua temporalis esset luenda in dimissione culpæ, frustra, & magno cum grauamine fidelium essent institutæ pœnitentiæ, siue publicæ, & sollemnes, ex *dist.* 50. *cap. Resistentes cap. In capite.* & 24. *quæst.* 3. *cap. fin.* nec non *de pœnit. & remiss. cap.* 1. videatur noster tomus *epist. can.* Ver. *Pœniten publica*, siue pœnitentiæ priuatæ quotidianæ, vt ex Canone pœnitentiali. Ergo de fide est, remanere pœnam aliquam luendam temporaliter.

Deus sic ab initio fecit.

Exempla Scripturæ.

Greg. obseruat factum Dauidis, & concludit pro nobis.

Frequenter id accidit in vet. test.

Notabilis casus Prophetæ Sancti deuorati à Leone.

Ex satisfact. pœnit. & ex pœnitentijs publicis validum arg.

194 Prob. 3. ex *conflit.* 14. *Innoc. IV. sub Catholicæ §.* 23. in sequ. conclus. adducenda; vbi docet, quod remissis mortalibus, adhuc remanet pœnitentia peragenda; & nisi in vita peragatur, in Purgatorio est soluenda. Et quod peccata etiam sic remissa etiam post mortem grauant: ergo.

Innoc. IV.

195 Prob. 4. Nisi pœna aliqua temporalis esset subeunda, frustra Saluator præciperet, vt fiant fructus digni pœnitentiæ *Matth.* 3 *& Luca* 3. sufficeret enim, remissionem culpæ, & æternæ pœnæ obtinere, & sic saluari, ac statim post mortem in cælum recipi. Immò omnes pœnitentiæ actus facti à peccatoribus conuersis, essent pura merita, & non satisfactiones pro peccatis; quod est falsum.

Ex absurdo arg.

196 Prob. 5. ex *dist.* 7. *de pœnit. cap. vlt. §. fin.* estque *August. lib. de vera, & falsa Pœnit. cap.* 17. *Etiam si conuersus euadat, vita viuet, & non moriatur, non tamen promittimus, quod euadet omnem pœnam, nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis.*

August.

197 Dico 2. Causa finalis, cur status medius, seu locus Purgatorij sit à Deo institutus est vt anima purgetur. seu expietur à reatu pœnæ temporalis & à venialibus peccatis; vel ab alterutro, si alicui eorum ante separationem à corpore erat obnoxia. Est de fide.

Ad quid purgatio est necessaria.

198 Prob. 1. ex suffragijs Ecclesiæ, & fidelium, qui ea applicant, vt mortui, à peccatis, id est à pœnis mortalium remissorum, quæ peccatorum nomine veniunt: vel ab ipsis etiam venialibus soluantur. Nam ex 2. *Macbab.* 12. ideo Iudas misit Ierosolymam duodecim millia drachmas argenti, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium*;

Arg. ex Ecclesiæ suffragijs.

& deinde concluditur, *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*, et in nouo testamento omnes liturgiæ omnium Ecclesiarum hanc supplicationem continent. Nam Ecclesia Hierosolimit. habet *Fac Domine vt oblatio nostra grata, & accepta sit in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem, &c.* & postea *fac eos requiescere in regione viuentium in regno tuo vnde exulat dolor tristitia, & gemitus. &c.*

Ex Vitt. est.

199 *Liturgia Romana*, & alia nedum in earum missis oratur, vt in locum refrigerij lucis, & pacis deferantur mortuorum animæ, sed in multis collectis oratur, vt à peccatis soluantur, vel à vinculis peccatorum. In aqua enim dicitur *animabus famulorum famularumque suarum remissionem cunctorum tribus peccatorum, vt indulgentiam, &c. consequantur*, in alia *animabus &c. oratio proficiat supplicantium, vt eas à peccatis omnibus exuas, &c* in alia *vt anima, qua de hoc seculo migrauit hac sacrificij purgata, & à peccatis expedita indulgentiam, & requiem capiat sempiternam*, in alia, *vt si qua ei macula de terreni contagij adhæserunt remissionis tua misericordia deleantur*, in alia tandem, vt reliquas ex missali videndas, omittam, *absolue animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, & qua per fragilitatem carnis humanæ conuersatione commisit, tu venia misericordiæ tuæ benignus abstergæ, &c.* item in oratione pro patre, vel matre, *miserere clementer anima Patris mei, siqua peccata dimisit, &c.* & in Graduali pariter habetur, *Absolue Domine animas fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, &c.*

Inductio notabilis excollectis,

200 Ex quibus omnibus manifestè colligitur, quod iusti, qui capaces sunt gloriæ post mortem, aliquando extra eam detinentur in statu medio, ratione peccatorum, & vinculorum peccati, quæ quidem nomina aliud non significant, quam ipsamet peccata formalia, sed venialia tantum, vel peccata quoad effectus reliquias, seu reatus temporalium pœnarum. Ergo à primo ad vltimum concluditur, hanc esse causam finalem status medij, seu Purgatorij.

Generalis conclusio ex orationibus Ecclesiæ.

201 Prob 2. ex *Constit. 14. Innocent. IV. sub Catholica §. 23.* vbi sic dicitur *denique cum veritas in Euangelio asserat, quod si quis in Spiritum Sanctum blasphemiã dixerit, neque in hoc seculo, neque in futuro dimittetur ei; per quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti quasdam verò in futuro seculo relaxari, &c.* & post aliqua, *& ipsi Græci vere, ac indubitanter credere, & affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta pœnitentia, & non peracta, vel qui sine peccato mortali cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari post mortem*, & posse suffragijs Ecclesiæ adiuuari, & deinde statuit, hunc locum proprio nomine appellandum esse Purgatorium; & postea subdit, *illo enim transitorio igne, peccata vtique, non tamen criminalia, seu capitalia, quæ prius, per pœnitentiam non fuere remissa, parua, & minuta purgantur, quæ post mortem etiam grauant, si in vita fuerunt relaxata.*

Ex Const. Innoc. IV.

202 Conf. ex *Greg. 1. lib. 4. dial. c. 39.* sic præceteris habente, sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod veritas dicit, si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neq; in hoc sęculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari; & in fine, ait, sed lignum fœnum, stipulam, ideſt peccata minuta, aut leuissima, quæ ignis facile consumat, &c. ergo.

Ex S. Gregi Mag.

203 Prob. 3. ex *Concil. Florent. sess. vlt. const. Pro vnione Ecclesiæ Græcæ, ac Latinæ in §. enim 5.* illius const. quæ est fidei professio, sic habetur. *Item si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omisiti, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari.*

Conc. Flor.

Prob 4. ex *Concil. Senon. in decretis fidei cap. 12.* relato in præced. concl. vbi postquam decreuit ibi, post remissionem peccati, & pœnæ æternæ, remanere pœnas temporales quasdam exoluendas, ita subdit. *Cum autem huiusmodi pœna temporalis, aut venialis tantum peccati reus repente nonnunquam intereat, de omni verbo etiam otioso rationem redditurus, nec illi pateat aditus in cælestem Hierusalem, in quam nihil intrat coinquinatum; nec item gehenna subiaceat, quippe qui gratia sit particeps, ac pœna temporalis tantum debitor, fit vt primum purgetur ea ijs, quæ gesiit in corpore, saluus tandem aliquando futurus, sic tamen quasi per ignem.*

Conc. Senen

Purgatorium ob pœnam temporalẽ datur,

204 Prob ex Concil. Trid. locis in præced. concluſ. relatis, in quibus, ex hoc capite dicitur, animas in Purgatorium transmitti, vt pœnas, quas in via debebant, exoluant. Ergo hæc est finalis causa asserendi Purgatorium, & animas aliquas in eo detinendi.

Conc. Trid.

205 Prob. modo ex Patribus Dion. Areopag. *lib. de Eccles. Hierar. cap. 7. p. 3.* loquens de oratione, quæ fit pro defunctis, ait, *Precatur oratio illam diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque lucis statuat, & regione viuorum*; igitur causæ, quæ extra regionem viuorum detinet iustos, sunt peccata; siue per peccata intelligantur venialia, siue vincula peccatorum, seù reatus, & reliquiæ ex eis relictæ, pœnæ scilicet temporales.

Dion. Areo

206 *Origenes Homil. 14. in Ieuit.* declarans illud *prima Cor. 3. qui super ædificat ligna, fœnum, stipulam, &c.* ait, in quo manifestè ostenditur esse quædam peccata ita leuia,

Origenes:

leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diù non potest immorari, alia vero fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumit, verum aliquantò tardiùs, quam in stipulis immoretur. Alia verò esse quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum, & grande pabulum ignis inueniat, ita vt vnumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum iusta persoluat. Ergo etiam Origenes confitetur causam detentionis extra regnum in statu medio, esse peccata leuia, & pœnas debitas illis.

Idem Orig.

207 Conf. ex eod. *in ep. ad Rom. lib. 8. c. 11.* vbi ait hæc ipsa purgatio, quæ in pœnam ignis adhibetur quantis temporibus quantisque sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, scire potest is, *cui Pater omne iudicium tradidit*.

Clemen. I.

208 *Clemens I. lib. 8. Const. Apost c. 41.* statuit orandum pro defunctis, vt Deus remittat eis omne peccatum, *Basil. Mag. in cap. 4. Isa* dicit animas defunctorum egere, vtà peccatis emundentur, & abluantur, & in *cap. 6.* dicit, hoc fieri per ignem purgatorium. Efrem Syrus in testamento suo, ait, animas egere Deo Propitiatore, & eis orandum in Propitiatorem. Greg. Niss. infra adducendus, docet, animam è corpore egressam, non posse diuinitatis participem fieri, nisi maculas immixtas purgatorius ignis abstulerit. Ephiphanius *hæresi 75.* docet, pro iustis, & peccatoribus defunctis esse orandum. Chrisostomus *homil. de Sacerdotio cap. 4.* docet orandum Deum vt omnium peccatis sit propitius, tam viuorum, quam defunctorum. Cyprianus *epist. 52.* ait, animas post mortem egere vt per dolorem diuturnum ignis, à peccatis purgentur. Hieron. *in cap. 1. Nahum*, ait, magnum peccatum magnis diuturnisque elui cruciatibus. Aug. *in Bachirid. cap. 69.* ait, quò magis, minusue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque saluari, & in *cap 110.* ait, sacrificia, eleemosinas, &c. offerri pro non valde malis. Greg. Mag. *lib. 4. dialog. c. 39.* ait, Purgatorium ignem esse pro peccatis, quæ in futuro sæculo dimittuntur. Et numquam esset dicendi finis, si Doctores, ac Patres omnes adducere vellem, qui constanter docent, pro peccatis animas in purgatorio detineri, quod intelligunt, vel de venialibus, vel de reatibus pœnarum illis debitarum.

Greg. Myss.

Epiphan.

Chrisost.

Cyprian.

Hieron.

August.

Greg. Mag.

209 Prob. denique. Patres omnes, & antiqui Doctores docent, animas, cum è corpore è grediuntur, antequam ad cœlum admittantur, esse purgandas, vel esse expiandas (Phrasis communis Patrum hæc est.) Sed purgatio, vel expiatio nequit in eis de alio fieri, quam de reatu culpæ, vel pœnæ. Nihil enim aliud in eis inueniri potest. subsumo, non de reatu culpæ mortalis, quia nisi hæc fuerit remissa in vita, ducit ad gehennam, neqi de reatu pœnæ æternæ, quia hæc post mortem non remittitur; ergo de reatu, vel pœnæ temporalis, vel culpæ venialis; vel vtriusque. Maior potest longa inductione probari, sed sufficiant aliquæ authoritates. Ecclesia pro defunctorum animabus orat, vt à peccatis expiatæ; lucis æternæ obtineant beatitudinem. Ita Origenes *homil 25. in Num.* Basil. *in cap. 4. Isaiæ* diffusè de hac mundatione, & purgatione loquitur, in *cap. 6.* vtitur vocabulo *lustrandi*, & purificandi animas. Greg. Niss. *orat. quod non sit dolendum de obitu eorum, qui in fide decesserunt*, ait, è corpore egressus non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas purgatorius ignis abstulerit. Theodoretus *in cap. 3. primæ epist. ad Cor.* vtitur vocabulo *purgationis* Procopius Gazæus *in cap. 6. Isa.* vtitur verbo *lustrandi*. Cyprianus *epist. 51.* de his animabus, quæ non statim ad Deum euolant, ait, purgandas prius esse. Hieronymus *in cap. 66. Isaiæ*, dicit opera esse per ignem purganda, & *in cap. 1.* Nahum, vtitur verbo *eluendi* Augustin. *lib. 21. de Ciuit. c. 13. c. 16. & 24. in Psal. 37.* & alibi frequenter vtitur Verbo *purgationis, emendationis, &c.* Greg. Mag. *in Psal. 3. pœnitent. & lib. 4. dial. c. 39.* vocat purgationem, & tandem, vt finem dicendi faciam, *Innocent.* IV. sæpè cit. Concil. Florent. Senonense, ac Trident. superadducto vocabulo purgandi vtuntur. Igitur constans semper fuit Patrum, & Conciliorum sententia, quod animæ quædam, de corpore exeuntes egent purgatione, expiatione, mundatione, ablutione. Igitur, cum aliud non possit excogitari, quod in eis sit mundandũ expiandum, &c. quam vel leuia peccata, vel reatus, seu obligationes pœnarum temporalium, propter hunc duplicem finem, vel propter alterutrum animæ sunt in statu medio.

Ob. contra 1. ex *Rom. 11. sine pœnitentia sunt dona Dei.* Ergo, cum condonat culpam mortalem, & pœnam æternam ei correspondentem, nullum aliud onus imponit, & sic non remanet alia temporalis pœna luenda.

210 Resp. dist. anteced. Sine pœnitentia ex parte Dei, concedo, ex parte creaturæ nego. Ratio est, quia Glos. Interl. & Ordin. sic declarat hunc locum sine pœnitentia, ideſt sine mutatione consilij sui Deus facit, quæ ab æterno disposuit. Addit Glos. Ordin. Quod ex parte creaturæ, in baptismo tantum dona Dei sunt sine pœnitentia, sine gemitu, & planctu, Sed ego bona venia glosæ, dico, ex textu Canonico, & ex Concilijs haberi oppositum; nam etiam in baptismo, est necessaria pœnitentia in adulto, ait enim Petrus *Act. 2.* cum Iudæis prædicaret, *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini, & cap. 3. Pœnitentiam agite, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra*, & Concil. Trident. *sess. 6. cap. 6.* docet, *in iustificationis exordio necessariam esse pœnitentiam, nempe peccatorum*

Multa exempla de expiatione, vel purgatione facienda in anima post mortem.

Iste loquendi modus est PP.

Concil. pariter vtuntur verbo purgandi.

Arg. cont. 1.

Dona Dei quomodo sunt sine pœnitentia.

Ex Patribus argum. & à sufficienti.

Vnus fidelis dum vocatur.

torum detestationem. Verus ergo Pauli sensus, est primus, quod nempe Deum non pœnitet de suis decretis, quibus statuit vocare, iustificare, saluare, &c. In alio autem sensu non video semper verum, nam *Matt. 19. Saluator*, ait, *si vis ad vitam ingredi serua mandata* ecce onus volentis saluari. *Et qui vult venire post me, abneget semet ipsum tollat crucem suam, & sequatur me. Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet non potest esse meus discipulus*, & alia eiusmodi sexcenta habentur in Euangelio. Non est ergo mirum, si Deus in condonatione culpæ, & remissione æternæ pœnæ exigat aliquam pœnam temporalem pro æterna. Sicut in sacramenti pœnitentiæ institutione manifestauit, & tot exemplis ex scriptura adductis, compertum est.

Ob. 2. Videtur fieri iniuria satisfactioni Christi si remissa culpa, & æterna pœna aliquid remaneat satisfaciendum.

Non fit iniuria satisfactioni Christi.

211 Resp hoc arg. iam sæpè solutum in disp. 13. de pœnitentia, cum Concil. Trident. *sess. 14. cap. 8. can. 12. 13. & 14.* vbi contra Lutherum definit contrarium, idemque ante illud definierat *Conc. Senon. in decretis fidei cap. 12.* dicens, has esse Lutheri illusiones. Quæ enim quæso iniuria fit meritis Christi, redemptioni, & satisfactioni. si pro æterna pœna exigitur ab homine aliqua temporalis: alioquin fit etiam illi iniuria, si ad salutem hominis exigat ab illo susceptionem baptismi pœnitentiam actualium ante baptismum peccatorum, nec non obseruantiam mandatorum, & in casu profitendi fidem exigat, vt homo pro Christo vitam exponat; quæ sunt indigna homine, nedum Catholico: quis autem docuit mollem Lutherum per Christi passionem, ac satisfactionem se liberatum ab omni onere, & obseruantia legis, etiam cum vitæ periculo; quando, & vbi Christus ei significanit, se non exacturum ab eo pœnitentiam? si ipsimet Apostoli eam exigebant; & Christus ipse fructus dignos pœnitentiæ ad salutem peccatorum pœnitentium docebat, *Luc. 3.*

Sequitur quod in alijs etiam fieret ei iniuria,

Ob. 3. Ignorat Ecclesia, qualis, quantaue sit hæc pœna, quæ ex remissione æternæ adstruitur remanere. Ergo nulla remanet. Conseq. prob *Frustra* remanet, si non posset sciri quomodo esset delenda. Si autem nescitur qualitas, aut quantitas, nescitur quomodo delenda: ergo.

Parum refert quod nescitur quantitas pœnæ exigendæ,

212 Resp. ex dicendis in proprio articulo de quantitate, & duratione pœnæ, neminem, nisi solum Deum scire, qualis, quantaue pœnitentia pro illa temporali pœna relinquatur exoluenda, & quamuis Canones Pœnitentiales aliquas taxauerint, tamen, neque nunc sunt in vsu, neque mensuræ quantitatem ad amussim attingebant. Neque vnquam saluator mensuram pœnæ temporalis cuilibet mortali debitam expressit, sed *Matth. 3. & Luc. 3.* solum præcipit, vt *fiant fructus digni pœnitentiæ*. Et sicut non officit sacramento pœnitentiæ, quod pro peccatis demissis non iniungatur satisfactio competens pro temporali pœna: ita neque officit, quod nesciatur qualis quantaue sit eadem temporalis soluenda in purgatorio, quæ non fuerat soluta in hac vita; imò valde iuuat hoc nescire, vt quisque satagat hic pœnitere.

Ecclesia semper agnouit quod post peccatū remissum remanet pœna temporalis

Ob. 4. Patres in primitiua Ecclesia non agnouerunt hanc pœnam temporalem remanentem, & exigendam post remissionem: ergo. Anteced. prob. hæc doctrina videtur esse duorum, vel trium sæculorum; vel ad summum quinque.

Ex omnibus octo distinctionibus Pœnitentiæ in textu Canonico id probatur qui tamen antiqui sunt,

213 Resp. neg. antec. ex textu enim Sacro toties inculcatur pœnitentia agenda pro peccatis dimissis, vel per contritionem, vt in lege Moisi, vel per sacramentum, vt in noua, *Leuit. 5. 5. 1. Reg. 15. 33. 2. Paralip. 6. v. 24. & 57. sap. 11. 14. & 12. 16. per. 8. 6. & 188. Matth. 3. v. 2. & 8. Luc. 3. 8.* & millies id replicatur in Sacra Scriptura. in textu verò Canonico nihil reperitur magis familiare, quam inculcatio pœnitentiæ faciendæ, legatur tota *dist. tertia de pœnitentia* per capita ferè omnia nempe 99. imo, & omnes septem distinctiones, & nihil aliud reperietur, quam documenta de pœnitentia agenda, de modo, et mensura post peccata dimissa; alias nullius esset roboris. Ea autem capita, vel sunt Conciliorum antiquorum Canones, vel Patrum Priscorum doctrinæ, vt August. Hieronim. Ambros. Prosper. Chrisost. Greg. Magn. Leonis I. Cypriani, &c. isti quidem non sunt de nouissimis sæculis; sed de primis. Igitur pœnitentia soluenda post peccata, et æternæ pœnæ remissionem, non est quid nouiter, vel inuentum, vel impositum, sed cœpit in mundi exordio, cum ipso peccato, vt enim supra patuit, cõdonauit Deus Adę, atque Euę peccatum transgressionis, & pœnam gehennæ, seu æternam; at imposuit eisdem pœnas temporales, neque vnius diei, vel anni, aut sæculi, sed pro tota vita: sic et in alijs casibus pœnitentia prædicatur; eam prędicauit Baptista *Marci 1. & Luc. 3.* eamdem prędicarunt Apostoli, ac Saluator ipse. Quare hoc? nisi quia post peccatorum remissionem, temporalis pœna remanet exoluenda. Alioquin omnis pœnitentia, quam subirent fideles esset opus supererogationis, quod est falsum; quia si sic eiusdem ordinis esset pœnitentia Baptistæ Præcursoris, Beatę Virginis, et ipsius Christi, qui per supererogationem, & non pro proprijs culpis eam agebat, sicut fuit pœnitentia Dauidis, vel alterius, etiam pessimi peccatoris conuersi, quod est hæreticum; quia isti tenentur ad eam, non illi. Patet ergo post peccatorum remissionem, pœnas temporales exoluendas remanere.

Omnes prædicarunt pœnitentiam,

Alias semper esset opus supererogationis.

Ob. contra secundæ conclusionis primam partem. Pœna soluenda post remissionem

Contra primam patet secundo cõclus. quod non sit soluenda pœna

sionem peccati, & æternæ pœnæ per iniunctionem satisfactionis soluitur. ergo nulla alia remanet soluenda; igitur hæc nequit esse causa finalis, neque partialis medij status. Antec. prob. ideo iniunctio illa vocatur satisfactio, conseq. prob. nam ex Habacuh. 3. *Non consurget duplex tribulatio*, seu vt alij legunt, Deus non punit bis in idipsum.

214 Resp. dist. antec. Soluitur per satisfactionem adæquatam, concedo. inadæquatam, nego. & nego conseq. Ratio est; quia in primis nõ dicimus, quod omnis peccator, cui dimissum est peccatum, & pœna æterna debeat in Purgatorium transmitti; sed ij tantum qui remisso peccato, & gehennæ pœna, pro temporali non satisfecerunt. Potest autem id accidere multipliciter. primò: quia multi in exitu ex hoc mundo dolentes, & contriti de peccatis, decedunt vel sine Sacramento Pœnitentiæ; vel si cum eo tantum non potuit eis iniungi satisfactio, vel si iniungitur, non potest poni in exequutione, & isti omnes, cum solum votum habeant satisfaciendi, discedunt cum obligatione satisfaciendi temporaliter. 2. accidere potest, vt imponatur satisfactio, & acceptetur, sitque adæquata, & tamen ex obliuione non fuerit posita in executione, vel saltem non tota etiam hic decedit cum tali obligatione. Tertiò. & hoc frequentissimè accidit. (& vtinam non accideret, nè durius in Purgatorio cruciaremur) satisfactiones leues, & improportionatæ imponuntur; & aliundè contritio, vel charitas non est adeo intensa, vt operiat multitudinem peccatorum, tunc certè remanet obligatio alterius pœnæ temporalis. Quis enim dicet, quod adultero, vel homicidæ, vel detractatori. & simili peccatori, vel his omnibus implexo, attrito, & confesso per iniunctionem recitationis vnius coronæ, tota temporalis pœna sit remissa? gaudendum esset cum eiusmodi. Adde, quod si semper, pro omni grauissimo peccato quæuis, & imò, & dura pœnitentia imposita sufficeret ad eiusmodi temporalis pœnæ cassationem, frustra adhunc effectum essent aliæ pœnitentiæ voluntariæ, eleemosynæ ieiunia &c. Frustra indulgentiæ; & tamen fideles lucrantur indulgentias post Sacramentum Pœnitentiæ in quo fuit iam iniuncta satisfactio. Imò & pro consecutione indulgentiæ imponitur à Pontifice opus aliquod laboriosum, & aliquando plura. quorsum lex pro dimissione pœnæ temporalis, si hanc abstulit satisfactio? Vnde fatendũ, quod satisfactiones impositæ non semper tollunt omnem pœnæ temporalis reatum.

Non semper remanet tõ poralis soluenda; sed aliquando.

Pluribus modis accidit, vt remaneat pœna soluenda.

Obic. 1. Patres antiqui, etiam relati, qui purgationis necessitatem concedunt, nunquam de hac temporalis pœnæ obligatione faciunt mentionem, sed solum de peccatis, & ita omnes declarant locum illum *Pauli 1. Cor. 3. Si quis superædificauerit ligna, fœnum, vel stipulam.* & post *Opus cuiusque detrimentum patietur, ipse verò saluus erit sic tamen quasi per ignem*, & illud *Matth. 12. Si quis peccauerit in Spiritum sanctum, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro.* ergo causa finalis Purgatorij est deletio aliquorum peccatorum, non verò solutio pœnæ de alijs.

Ex negatiua multa absurda sequuntur.

Arg. quod videtur validum.

215 Resp. neg. conseq. Id enim quod Patres docent, & nos docemus. nam, vel loquuntur de peccatis formaliter, & secundum suam substantiam acceptis, vel de eis secundum eorum pœnam, seu reatum. si secundum, habemus intentum: si primum, pariter habemus; nam si propter peccata aliqua, nempe leuia, seu venialia, defunctorum animæ detinentur in purgatorio, vt eis dimittantur, ibi patiuntur pœnas, clarus est textus, *Saluus erit sic quasi per ignem*. igitur in igne reatum pœnæ pro illis culpis, & si leuibus ac minutis, exoluunt & ea soluta, vel etiam ante, culpæ illæ remittuntur, vt infra dicetur.

PP. sumunt peccatum etiam pro reatu pœnæ.

Dices. Gratis dicitur, quod Patres cum pro peccatis purgandis purgatorium admittunt, intelligantur de reliquijs, seu pœnis debitis; potuissent enim explicitè de pœnis loqui. ergo causa finalis præcisa purgatorij est deletio venialium; vel ad summum solutio pœnæ pro venialibus, imo sic debet intelligi modus loquendi Ecclesiæ cum orat Deum, vt soluat defunctos à peccatis. seu vinculis peccatorum. nempe à culpis leuibus, quæ in vita non fuerunt remissæ.

Instantia. quod reatus non significatur nomine peccati.

216 Resp. neg. antec. Ratio est, quia cum diuina iustitia exigat, vt temporalis pœna soluenda sit, dum dimittitur culpa, & pœna æterna; si iusti eam in vita non soluerunt, necesse est, vt alibi soluant. Supponamus, quod patricidæ iuncta, vel iungenda sit pœnitentia, vt toto vitæ tempore bis in hebdomada ieiunet in pane, & aqua; vel saltem per decem annos. Hic autem statim moriatur; quis pro eo pœnam hanc temporalem luet? At si omnia deficerent motiua, non ne valida videntur illa, quæ ex *Const.* Pontificum in materia dogmatica, ex Concilijs Florentino, Tridentino, & etiam Senon. habentur; cum explicitè definiant, ad hunc finem animam in Purgatorio detineri? Immo vnum ex his sufficeret.

Iustitia exigit, vt pœna temporalis remaneat.

Ob. 3. In fine mundi aderunt, qui pœnas temporales non exoluerint, & tamen in purgatorium non mittentur. ergo hic non est finalis causa Purgatorij.

In fine mundi qualis expurgatio.

217 Resp. hac argum. fuisse solutum diffusè *in disp. 12. art. 8. & 9.* vbi diximus in igne, qui totum mundum peruadet maiori cum intentione cruciante animas illas, immo cum corpore, antequam per eundem ignem interficiantur esse purgandas.

Ob. contra secundam partem. Post mortem non fit peccatorum remissio: ergo

Ante-

Arg. quod peccata in purgatorio non deleantur.

Anteced. prob. non poterit remitti peccatum, nisi homo illud retractet, auertendo se à creatura, & conuertendo seipsum ad Deum. sed post mortem non potest dari eiusmodi auersio, conuersio, & retractio. Primò, quia ex *Ecclesiaste 11. vbi ceciderit lignum, ibi erit*. Secundò, quia ex eodem Ecclesiaste *cap. 9. nec opus, nec ratio, nec sapientia, vel scientia erunt apud inferos*, eiusmodi autem actus sunt ratio scientia, & sapientia: ergo.

218 Resp. 1. cum Scoto negando assumptum, quod scilicet peccata etiam venialia remittuntur post mortem, ipse enim *in 4. dist. 21. q. 1.* docet remitti in ipso mortis instanti, vel ante illud, intuitu alicuius operis à Deo acceptati tempore vitæ pro illo instanti; Et sic argum. non vrget; quia etiam si ante dimittantur, adhuc firmum remanet, quod pro venialibus quis purgari debet, nam pro pœna illis debita, & in vita non soluta supereſſet purgatio.

Venialia peccata per Scotum non dimittuntur post mortē.

219 Resp 2. cum S. Thoma, dist. anteced. non sit remissio venialium nego. mortalium, concedo. ad probat. nego min. nam etiam damnati *ex cap. 5.* habebunt actum pœnitentiæ, licet infructuosæ, *dicentes intra se, pœnitentiam agentes, &c.* Si autem animæ purgandæ sunt in gratia, & ex charitate eliciunt actus amoris, quare non possunt elicere actum pœnitentiæ; imò fatendum est, frequenter eum elicere; cum enim peccata recogitant, ob quæ cruciantur, non possunt in eis complacere, igitur habent displicentiam, eaque detestantur. Sed an hæc detestatio, & pœnitentia, vel charitas habeant rationem meriti, siue de congruo, siue de condigno, hoc opus, hic labor. Scotus *in 4. dist. 21. q. 1. in fine P.* omnia quæ de eiusmodi venialium remissione dicuntur, concedit, hoc excepto, quod remittantur per actum post mortem meritorium de condigno, vel de congruo. At in vtraque sententia tam Scoti, quam D. Thomæ soluitur, quod etiam pro venialibus animæ purgandæ sunt post mortem, siue dicatur, remitti in morte, pœnas tamen pro eis solui post mortem; siue dicatur vtrumque fieri post mortem mediantibus pœnis.

Per D. Thomam dimittuntur post mortem.

Pœnitentia purgantium non est meritoria.

220 Ad illa Scripturæ loca alias responsum est, intelligi de statu finali, licet transeundum sit per aliquod medium, & opere, seu ratione, ac scientia meritoria: eiusmodi enim actus de lege ordinaria, post mortem non habentur.

Scriptura loquitur de statu finali.

Ob. 2. si pro eiusmodi venialibus non dimissis homo egeret purgari, sequitur, quod vsque ad diem iudicij deberent animæ in purgatorio manere, quod videtur durum; imò hæreticum prob. sequela. Si enim septies in die cadit iustus, quam ingens consurgit peccatorum cumulus.

221 Resp. forte aliquem sic esse obligatum, sed hoc soli Deo notum est, vt dicetur de duratione pœnæ. Sed existimo regulariter non sic accidere; tum quia multis medijs; nempe virtutum actibus, & indulgentijs potest homo in vita eiusmodi obligationes pro venialibus redimere, tum etiam, quia aliquis potest ab amicis, & à matre communi Ecclesia suffragijs adiuuari. Et sic aliqui alijs citius ex ijs receptaculis liberantur, & ad Dei visionem admittuntur, vi dicetur de pœnarum duratione ex August. *tract. 49. in Ioan. P.*

Forte aliquis vsque ad iudicium manebit in purgatorio.

Ob. 3. Gratis asseritur venialium post mortem remissio, & multò magis, quod sint causa finalis Purgatorij: ergo. Anteced. prob. Vel enim venialia non officiunt, quia nempe venia digna sunt, vel remittuntur in vita. Ergo ex hoc capite non debet asseri Purgatorium.

Arg. ex absurdo.

222 Resp. neg. anteced. patuit enim, quod Patres, ac Pontifices id concedunt, & omnium maximè Greg. Mag. *lib. 4. dial. 39.* vbi interrogatus à Petro, an detur post mortem ignis Purgatorij? Resp. *De quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorij ignis, credendus est, pro eo, quod veritas dicit, quia si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam verò in futuro posse relaxari. Sed tamen. vt prædixi, hoc de paruis, minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa, vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, sciant, aut in non grauibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem grauant, si adhuc in hac vita positis minimè fuerunt relaxata*, & statim declarat locum *Pauli primæ Cor. 3. Si quis superædificat ligna, fœnum, stipulam, &c* per ignem purgandum.

Greger. ex presſa sent.

Ob. 4. Eatenus admittitur venialium remissio post mortem, quia ex scriptura habetur, quod *Si quis blasphemiã dixerit in Spiritum Sanctum, neq; in præsenti, neq; in futuro sæculo ei remittetur.* Sed ex hoc nihil probatur; primò, quia loquitur Saluator per exãgerationem, quasi dicat est adeo graue delictum, vt sit irremissibile vbique. Secundò, quia si ex hoc modo loquendi inferetur dimissio peccatorum, induci etiam deberet dimissio aliorum mortalium, saltem leuiorum, quàm sit blasphemia in Spiritum Sanctum: ergo locus ille non est ad rem.

Arg. contra fundamenti concl.

223 Resp. neg. minorem, ad probationem dico, quod iam apud Ecclesiam, vt iam patuit in probationibus inualuit talis intelligentia illius loci, vt intelligatur propriè, & non exaggeratoriè: secundò, vt intelligatur de solis venialibus, quæ cum gratia, & amicitia Dei non repugnant, non verò de mortalibus, quia ista demeritoriè grati. m destruunt.

Ecclesia sic intellexit locum illum de remissione in futuro sæculo.

Ob. 5. Vel venialia dimittuntur in vita,

vel

vel statum post mortem, quidquid dicatur, non remanet amplius purgandi obligatio: ergo non possunt esse, neque totalis, neque partialis causa finalis purgationis.

Quandoque dimittuntur venialia remanent fixus pœnæ.

224 Resp. neg. min. Ratio sæpè allata est; quia si remittuntur in vita, cum scilicet homo est moribundus, vel ante; remanet reatus pœnæ levis, ait, *Scotus in 4. dist. 21. q. 1.* Si autem dimittuntur post mortem, hoc vel accidit, quia pœna eis debita substinetur, & sic ipsa abolentur, vt dicit ibidem *Scotus* pro vna sententia, vel quia post mortem habetur aliquis actus doloris, vel charitatis, ad cuius intuitum Deus ea remittit (quod Scotus non concedit,) & tamen adhuc pœna est soluenda, vel tandem, quia absque intuitu alicuius meriti de congruo, Deus remissis culpis venialibus, exigit eorum pœnam; nam distinguunt Sancti reatum pœnæ à reatu culpæ in omni peccato, ait ibi *Scotus*.

## ARTICVLVS IV.

### *Quis, quotuplex, vbi, & qualis sit locus Purgatorij.*

Scotus de his particularibus non loquitur.

SCOTVS *in 4. sent. dist. 21. q. 1. A. & P.* breuibus verbis supponere videtur vnum esse Purgatorij locum igne repletum: sed vbi & qualibus accidentibus præditum, non innuit.

Plura dubia discutiuntur,

225 Adu. plures in hoc articulo discutiendas esse difficultates prima, an purgatorij locus sit vnus tantum pro omnibus, an autè quælibet anima suum peculiarem sortiatur locum, in quo purgetur. Secundum, in qua mundi parte situm sit. Tertium, an sit locus luminosus, an obscurus alijsue accidentibus munitus & quia curiosa, sed difficilia eius modi sunt, cum Ecclesia non adeo clarè puncta ista definierit, ex Sanctorum dictis ea venabimur, & vt distinctè procedamus, vnum tantum eorum hic inuestigabimus: an scilicet sit vnus determinatus locus.

vnum hic locus soluitur.

226 Adu. 2. Quod circa locum Purgatorij, eiusque vnitatem parua est controuersia inter Græcos, ac Latinos, vt mox patebis, si eos excipias, qui Purgatorium non literaliter, sed misticè, & moraliter sumebant, hos autem refert S. Hier. *in Epist. ad Auitum*, dicebant enim, Purgatorium non esse locum aliquem determinatum, sed conscientiam cuiuscumque accusantem, & redarguentem dici Purgatorium. ita senserunt Philo Iudæus, & Origenes aliquando ex Hier. vbi supra; exceptis pariter ijs, qui docebant corpus hominis esse animæ Purgatorium, relatis ab Ireneo *lib. 5.* in in calce, qui quidem ex Origene hauserunt docente, animas in principio mundi omnes fuisse creatas, deinde peccasse, & propterea in hæc corpora detrusas esse, ibique purgari. Relictis ergo illis, omnes conueniunt, Purgatorium esse locum seù partem aliquam mundi; sed de situ fuisse controuersiam, vt infra; item de multitudine locorum, an vnus, vel plures loci.

Sententiæ aliquorum qui Purgatorium non sumebant literaliter.

Purgatorium non consistit in detentione animæ in corpore, seù non est corpus humanum, est de fide.

227 Dico ergo primò. Purgatorium non consistit in detentione animæ in corpore, seù non est corpus humanum, est de fide.

Purgatorium non est inclusio animæ in corpore,

228 Prob. 1. Si ita dicatur, omnes homines sunt in Purgatorio, immò infantes, ac innocentes. Secundo martyres, & Sancti omnes. Tertium etiam Christus, ac Beata Virgo, quod est hæreticum.

229 Prob. 2. Purgatorium est locus animarum post mortem, vt patet ex Concilijs, ac Patribus: ergo.

230 Prob. 3. Si sic, omnes homines essent securi de salute, quia existentes in purgatorio, sunt securi, vt postea dicetur,

231 Prob. 4. Sacrificia, eleemosynæ, &c. quæ offeruntur pro existentibus in Purgatorio, applicantur pro mortuis, non autem pro animabus existentibus in corpore: ergo.

Purgatorium non est synderesis.

232 Dico 2. Purgatorium non consistit in sola accusatione, seù synderesi accusante animam de peccatis: est etiam de fide.

233 Prob. de fide est, Purgatorium dari post mortem, animas ibi, & pœnis grauibus puniri, sed synderesis, & conscientia accusans sunt etiam in hac vita: ergo.

Locus debet esse in aliqua mundi parte.

234 Prob. 2 Licet de qualitate pœnæ, & situ purgatorij inter Græcos, ac latinos in Concilio Florentino fuerit concertatio, vt dicetur, non tamen de loco, quod nempe in aliqua mundi parte sit, siue terra siue aer caliginosus, &c. ergo, licet in anima, quæ purgatur adsit accusans conscientia, ipsa tamen cum tali conscientia in aliquo materiali loco detinetur.

235 Prob. 3. Locus Purgatorij debet esse aliqua mundi pars, sicut locus inferni, & Lymbi; in qua maneant animæ; & in qua adsint corporalia tormenta, ignis, &c. ergo est locus aliquis verè, & propriè, non autem metaphoricè.

Purgatorium est pars aliqua mundi.

236 Dico 3. Purgatorium est locus aliquis materialis in mundo, quo in loco animæ purgandæ detinentur: est de fide.

237 Prob. 1. ex *Innocent. IV. consil.* 14. sæpè relata *Sub catholica in 8. num.* 23 vbi dicit, *Nos locum purgationis huiusmodi iuxta traditiones, & authoritates Sanctorum Patrum Purgatorium nominantes volumus, quod de cætero apud ipsos)* ideſt Græcos) isto nomine appelletur. Ergo est pars aliqua mundi, & materialis locus.

Græci, & Latini in hoc concordes.

238 Prob. 2. Ex Concil. Flor. Ferrariæ inchoato, *sess. 1. quæst. de Purgatorio*, vbi inter Græcos, & Latinos apparet concordia in hoc, quod animæ purgandæ sint in loco aliquo medio, qui nec cœlum sit, nec

gehennam, quisquis ille ſit, verba infra adducam in ſeq. concluſione. Ergo eſt vnus locus, vnumque animarum receptaculum, & contentiuum.

Arg. à prior

239 Prob. 3. Purgatorium, vt poſtea dicetur, continet ignem materialem, vel ſaltem eſt ipſemet ignis. Ergo eſt locus materialis, ſeù ſuperficies continens animam purgandam.

240 Prob. 4. Animæ ex corpore recedentes non perguut in vacuum, ergo cum pergant, vel in infernum, vel in cœlum, vel in purgatorium, pergunt in aliquem locum.

Arg. à pari.

241 Prob. 5. Animæ SS. Patrum ante Chriſti aſcenſionẽ detentę in limbo, erant in aliquo loco materiali: ergo etiam animę purgandę in aliquo loco detineri debent.

Arg. ex Auguſt.

242 Prob. 5. Ipſemet S. Auguſtinus in *lib. 12. Gen. ad lit. c. 33.* generaliter negauit in infernis poſſe detineri animas, quia ibi non adſunt loca corporalia; tamen id retractauit in *lib. 2. retract. cap. 24. in fine*, dicens, *de inferis magis mihi videor dixiſſe debuiſſe, quod ſub terris ſint, quam rationem reddere cur ſub terris eſſe credantur, quaſi non ita ſit:* ergo dantur loca illa corporalia detentiua animarum. Alia arg. deſumenda ſunt ex ſequ. concl. & §.

Vnus eſt locus ordinarius Purgatorij.

243 Dico 1. Purgatorij locus ordinatus pro animarum purgatione, vnus & idem regulariter pro omnibus eſt.

Sententia latino um propoſita Græcis,

244 Prob. 1. Concilia omnia, & Conſt. Pontificum; quę de purgatorio verba, & decreta faciunt, loquuntur de illo tamquam de vno loco, & ſemper nomine vnius illud appellant. Ergo. Antec. prob. *ex ſeſſ. 1. Concil. Flor.* Ferrariæ habita, *quæſt. de Purgat.* in qua Latini hæc proponunt Græcis. *Nos ignem in hoc mundo credimus eſſe, quo quidem anima peccatis leuioribus, vt vulgo dicitur venialibus obnoxia &c. expiantur.* ita tamen vt tria mortuorum loca ſimpliciter ſint *Vnus Sanctorum, quod cælũ creditur eſſe. Alter delinquentium, qui ſunt inferi: Qui verò confeſſi abſque proua ſatisfactione moriuntur, bi dubio procul in ſupra dicto igne, quod Purgatorium appellari ſolet, purgantur.* Græci autem reſpondent, *Quacunque Patres ampliſſimi produxiſtis atque citaſſis orientalis Eccleſia profitetur, quamuis inter Græcos, & Latinos parua ſit differentia.* In ſeſſ autem vlt. antequam decretum, ſeù literæ vnionis firmarentur à toto Concilio, interrogante Papa, quid ipſi Græci pro omnibus comparentes ſentirent de *Purgatorio igne, de Azimo, &c.* Reſponderunt Græci, *Nos Pater Sanctiſſime ex nobis ipſis proferimus, Iuſtorum animas perfectam Lauream in cœlo tam conſecutas eſſe, ac impiorum perpetuas pœnas luere; mediis verò in Purgatorio eſſe, quod quidem, ſine igne, ſine turbo, ſine id genus aliud ſit non referre.* Et poſtea ſtatim factum eſt decretum, ſeù literæ vnionis ſubſcriptæ à Græcis, & Latinis in quibus eſt hoc dogma, quod animæ poſt mortem pœnis purgatorij purgantur; & non ſit in hoc loco mentio de igne, vel alia pœna. Ergo ex modo loquendi Concilij, locus purgatorij eſt vnus.

A Græcis approbatur.

Patentur locum materialem, ſed non determinant, quis ſit.

Concilia vnuste loci loquuntur.

245 Conſ. ex Concil. Trident *ſeſſ. 6. cap. 30.* vbi decernitur, remanere aliquando poſt remiſſionem peccati reatũ pœnæ temporalis ſoluendũ in hoc ſæculo, vel in purgatorio, *in ſeſſ.* item 25. in Decreto de Purgatorio. ait *Cum Catholica Eccleſia &c. docuerit Purgatorium eſſe* Et paulò poſt, *vt ſanam doctrinam de Purgatorio &c.* vbi ſemper ſingulari, nomine de eo loquitur. Ergo communis locus eſt ſingularis regulariter.

Innoc. IV. eſt vnus,

246 Confir. 2. ex ſæpè cit. *Innoc. IV. conſt. 14. ſub Catholica, §. 23. Nos locum Purgationis huiuſmodi iuxta traditiones, & auctoritates Sanctorum Patrum, purgatorium nominantes:* ergo ſingulare eſt.

Ex formula profeſſionis fidei eſt vnus.

247 Conſ. 3. ex formula profeſſionis fidei, quam quilibet promotus ex decreto Concil. Trid. debet emittere, & habetur in *conſt. 88. Pij IV.* In ſacroſancta, vbi præ ceteris dicitur, *Conſtanter teneo Purgatorium eſſe &c.* vbi in ſingulari creditur. Ergo, eſt vnus & ſingularis.

Omnes ſinnes ſingulariter, illud exprimunt.

248 Prob 2. ex *Conſt. 40. Leonis X. exurge* in qua contra Lutherum decernitur purgatorium eſſe: ſemper autem ſingulariter de eo eſt ſermo.

249 Prob. 3. ex omnibus Patribus, tam Græcis, quam Latinis in præced. §. adductis, & in ſeq. de pœna ignis adducendis; omnes enim aut de loco purgatorij vel de igne purgatorio loquentes, ſingulariter his vtuntur nominibus, vt patebit; ergo vnus eſt. Omnes enim innituntur loco Pauli 1. *Cor. 3. ipſe ſaluus erit ſic tamen quaſi per ignem.* vbi de vno igne fit ſermo.

Scholaſtici idem docẽt. S. Bonauent. & Thom.

250 Prob. 4. ex omnibus Scholaſticis, qui ſequentes Magiſtrum ſententiar. *in 4. diſt. 20* docent locum purgatorij pro omnibus regulariter eſſe vnum, ita S. Bonau. *in 4. ſent. d. 20. p. q. 6. nu. 14.* vbi ſic habet, locus purgatorij duplex eſſe poteſt, vnus ſecundum legem, alius ſecundum diſpenſationem diuinam. Primo modo acceptus, eſt in loco inferiori, imò à quibusdam creditur pars inferni &c. Secundus verò eſt, vbi Deus decernit, quia diuerſis diuerſa loca poſſunt concedi. Idem docet S. Thom. *in 4. ſent. diſt. 21. quæſt. 1. art. 1. Ad ſecundam quæſtionem*, hos autem cæteri Scholaſtici ſequuntur, nec alio modo loquendi vtũtur, nec quenquã video aliter ſentientẽ.

Ex Dei diſpenſatione plura eſſe poſſunt loca Purgatorij.

251 Dico 5. ex diuina diſpenſatione plura eſſe poſſent purgatorij loca.

252 Prob. ex D. Thom. & D. Bonau. locis nuper citatis, vterque autem id probat ex D. Greg. *lib. 4. dial. c. 4* vbi de Paſchaſio S. Sedis Diacono refert eum ad Angulanas thermas ad purgandum damnatum;

tum; Cum enim in eas ingrederetur Germanus Capuæ Episcopus, viso Paschasio obstupescens, & quid ibi tantus vir faceret inquisiuit, cui sic respondit. Pro nulla alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentij contra Symmachum sensi. Sed quæso te pro me Deum deprecare, atque in hoc cognosces, quod exauditus sis, si huc rediens me non inueneris, & sic accidit. Aliud simile factum refert Gregorius, ibid. *cap.* 34. de alio, qui in Diœcesi Centumcellensi in balneis aquæ calidæ à Presbytero repertus, cum sibi panis benedictus daretur à Presbytero, dixit. Iste panis Sanctus est, ego hunc manducare non possum, ego etenim huius loci dominus aliquando fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare vis, &c. orans, vt pro se offerret sacrificium, & postea amplius eum non inuenit.

Ex facto Paschasij relato à S. Gregorio. Et alterius veri.

253 Confirmatur ex Petro Damiano *de miraculis sui temporis* referente apparitionem animæ S. Seuerini, quæ in flumine quodam purgabatur. aliæ possunt de eiusmodi singularibus Purgatorij locis adduci historiæ, quæ ad rem non sunt. Imò S. Bonau. *in 4. d. 20. vbi supra n.* 34. refert historiam de sancto Patritio, eò quod cuidam morienti impetrauit locum Purgatorij determinatum.

Alius casus relatus à Petro Damiani.

254 Confirmatur ex Reuelat. S. Brigittæ *lib. 4. c. 124.* vbi habetur, animam quandam non aliam pœnam in locis Purgatorijs sustinuisse, quam dolorem ex desiderio æternæ felicitatis.

255 Confirmatur 3. ex Beda *lib. 3. hist. Angl. cap. 19.* Cum enim anima Sancti Fursei in Cælum ab Angelis duceretur, supra aerem magnos vidit ignes; sibique fuit ab Angelo dictum. eos quidem seruari ad mundi conflagrationem, interim verò inseruire, vt in eis hominũ opera examinentur: ergo alibi, quam in loco communi subterraneo Purgatorij, haberi potest locus purgandi.

Alius casus ex Beda.

256 Confirmatur 4. ex historijs multis, visionibus, & reuelationibus, quæ ad hoc argumentum solent à Chronistis adduci, de quibus non multum curaui, quia res ipsa facilis est.

257 Probatur 2. ex non repugnantia. Nulla enim est implicantia, quin Deus in diuersis locis permittat aliquem tamquam in vinculis detineri, ibique torqueri, ac si essent in loco communi Purgatorij. Sicut de facto dæmones multos permittit in aere, & alijs mundi partibus detineri, & ipsiusmet infernalis ignis particulis torqueri: alias & illi qui nos tentant, & illi, qui aliorum corpora obsident, & tandem illi qui in aere tempestates mouent, & alia incommoda inducunt à pœna infernali essent immunes: quod est falsum: hoc ergo modo animæ illæ purgantes esse possunt, Deo volente in alijs locis, quam in proprio, & cõmuni omnium purgatorio, & etiam pœna ipsius purgatorij ignis, purgari.

Arg. ex non repugnantia.

A pari de dæmonibus extra infernum.

Dices. Non videtur quomodo pœnam purgatorij pati possit, qui in Purgatorio non maneat, nisi per miraculum Deus illum ignem alibi conseruet; imò, & inuisibilem reddat; cum eiusmodi purgantes cum igne non appareant.

258 Respondetur eodem prorsus modo hoc accidere, quo in dæmonibus extra infernum positis. Deus ergo, si velit animas extra communem locum, eiusdem purgatorij igne purgare, partem ignis illius posset alio aduehere, & illo mediante eos torquere: & spectantibus inuisibilem reddere, si sic ei placuerit, sicut accidit dum anima aliqua actualiter purgans, Dei nutu in substantia apparet alicui viatori, non enim semper cum igne apparet, sicut de multis, & præcipuè de Benedicto Papa Octauo, de Seuerino Episcopo, ac de Paschasio Diacono dictum est.

Quomodo pœnã ignis qui extra purgatoriũ sustineret.

## §. 1.

## *In quo situ mundi est locus communis Purgatorij.*

259 ADu. hoc esse aliud non leue dubium, de quo Ecclesia hucusque nihil certi definiuit. Quæritur ergo num sit extra, vel intra mundum. Si intra in qua parte, num in sfæra ignis, num in aere, num in aqua, num in terra. Si verò in terra, num sit idem locus cum loco inferni; an, & quomodo ab eo segregatus?

Grauis difficultas.

260 Dico ergo, Quamuis Ecclesia non definierit in qua parte, vel elemento mundi sit locus purgatori; tamen dicendum est, eum esse in mundo, & in cauitate terræ inferioris, & inferno coniunctus, ita S. Th. *in 4. sent. dist. 21. q. 1. ar. 1.* D. Bonau. *d. 20. p. 1. q. 6* & communis inter modernos.

Purgatorij locus vt in cauitate terræ. inferno coniunctus

261 Probatur prima pars, quod sit intra mundum. Primo, quia extra mundum nihil est, nisi spatium imaginarium; quia Patres Concilij Florentini in sess. 1. habita Ferratiæ discutientes quæstionem de Purgatorio, ita concludunt: *Nos in hoc mundo credimus ignem esse, quo quidem animæ peccatis leuioribus, vel (vt dicunt) venialibus obnoxiæ, &c. expiantur.* Et huic sententiæ Latinorum statim Græci consenserunt. In sess. pariter vltima antequam literæ vnionis formarentur, dicunt, *animas mediasi in purgatorio esse, quod quidem sine sit ignis, sine obscuritas, sine turbo, sine id genus aliud sit, non refert*; ergo in mundo fatentur esse locum purgatorij.

Ecclesia non definit sint vbi sit sui locus.

262 Confirmatur, alia animarum receptacula, vt damnatorum, & ante Christi aduentum, animæ Patrum sunt in mundo; ergo & istud purgandarum.

263 Probatur 2. ex dicendis pro ſecunda parte concluſionis, quia ad idem ſunt.

264 Probatur ſecunda pars, quod ſit in cauitate terræ. Primò, Sancti ante Chriſti aſcenſionem in Cælum, in lymbo qui in cauitate terræ eſt detinebantur; eſt enim fidei articulus, quod *Chriſtus deſcendit ad inferos*, inferi autem ſunt inferiores terræ partes, vt in diſput. de Inferno diximus. Gloſa item *in pſal.* 85. *v. ex inferno inferiori*, ait ex Auguſt. *Deus lenat oculos ad Abraham, qui cum aliis iuſtis erat, quaſi in arce, & in limbo inferni, tamquam in ſuperiori, à qua liberatur qui à peccatis liberatus, illuc non mittitur.* Ex ſitu autem Limbi in inferioribus terræ partibus, cruuntur duæ conſequentiæ ad idem, vna eſt, quod locus purgatorij ſit in inferiori terræ parte, & ſub limbo, quia ſi Sancti non egentes purgatione, etiam ibi erant, vt dicendum de Enoch, Abele, Moiſe, vel ad minimum, de Ieremia, Ioanne Baptiſta, Anna Matre Virginis, de S. Ioſeph ſponſo, de Innocentibus; quantò magis animæ, quæ egent purgatione? Secunda conſeq. eſt, inueriſimile videtur, quod nullus ex iis Sanctis veteris teſtamenti eguerit purgatione aliqua, & quod nullus deceſſerit cum venialibus, vel cum obligatione temporalis pœnæ: ergo iſti etiam erant in parte inferiori terræ ad purgandum; vnde ſi locus purgandi tunc erat ſub terra, etiam nunc; vel aſſignetur ratio quare debuerit mutari.

In medio terræ eſt Purgatorium.

Ex ſitu lymbi deducitur ſitus purgatorij.

265 Confirmatur ex Gloſſa ord. in cap. 13. *Oſeæ. v. de manu mortis liberabo eos*, vbi ait, *infernus eſt locus vbi recluduntur animæ, vel ad refrigerium, vel ad pœnam*: ergo in parte inferiori terræ eſt purgatorium.

Gloſa,

266 Confirmatur 2. ex *Iob.* 14. 13. *quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus, & conſtituas mihi tempus in quo recorderis mei*, vbi loquitur Iob de ſtatu ſuo, & aliorum poſt mortem, quando effectum furoris Dei ſubſtinere debent ob peccata, vel eorum reliquias; igitur locus eſt infra.

Ex Iob,

267 Probatur 3. ex *prima Petri* 3. 19. *Chriſtus mortuus eſt, &c. in quo & his qui in carcere erant ſpiritus, veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, &c.* Sed hæc prædicatio fieri non potuit damnatis; ergo Patribus exiſtentibus in lymbo ita Lyrani gloſa ibi; quia ait manifeſtauit virtutem ſuæ incarnationis; & hoc fuit prædictum *Oſeæ* 13. *de morte redimam eos*. Interl. ait *de Inferno*. Gloſſa ord. dicit infernus eſt locus, vbi recluduntur animæ ad refrigerium, vel ad pœnam. Sed non ſolum deſcendit ad carcerem lymbi, vel ad Patres, qui erant in requie, ſeu Abrahæ ſinu; verum etiam ad carcerem purgantium; nam *Act.* 2. habetur *Chriſtum interemiſſis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, ſolutis inferni doloribus*. Ergo ſolutionem dolorum in inferno peregit; ſed non dolorum, quos patiuntur damnati; quia illi ſunt inſolubiles, & irredimibiles: ergo vel dolorum omnium Patrum, vt putat Beda ex Gloſa ord. hic, dicens Patres Sanctos non eſſe totaliter ante Chriſtum ſolutos à dolore, quia non fruebantur æternis gaudijs, vel ſaltem ſoluit Chriſtus dolores aliquorum purgantium, vel omnium, cum Sanctos omnes liberauerit. Cui explicationi ſanct mirificè Auguſtinus *lib.* 12. *de Gen. ad lit. c.* 33. *B.* vbi ait. *Et quidem Chriſti animam venuſſe vſque ad ea loca, in quibus peccatores tentantur, vt eas ſolueret à tormentis, quas eſſe ſolutandas occulta nobis ſua iuſtitia iudicabat, non immeritò creditur: quomodo enim aliter accipiendum ſit, quod dicimus quem Deus ſuſcitauit à mortuis ſolutis inferorum doloribus; quia non poterat teneri ab eis, non video, niſi vt quorundam dolori apud inferos eum ſoluiſſe accipiamus, ea poteſtate, qua dominus eſt per quam poteſtatem, etiã illis doloribus, quos ſoluit, non potuit teneri.* Ex doctrina ergo Auguſtini, & ex textu canonico colligitur Chriſtum deſcendiſſe etiam ad eos inferos, vbi quidã patiebantur dolores, eoſq; ſoluiſſe, & redemiſſe. Iſti autem nequeunt eſſe alij, quam iuſti qui doloribus purgabantur: ergo cum iſti ſint apud inferos, ſequitur, in parte inferiori terræ eſſe purgatorium, quod quidem mihi vihi videtur euidens.

Ex deſcenſu Chriſti ad inferos, & prædicatione,

Deſcendit ad carcerem purgatorij. Auguſtini ẽ probatio.

268 Probatur 3. ratione D. Bonau. ac D. Thomæ vbi ſupra ex Greg. *lib. 4. dial.* Eodem igne cruciatur in ſupplicium damnatus, & purgatus electus; ergo loca iſta ſunt vicina; & hoc etiam docuit Beda in *Angl. hiſtoria lib.* 5. *c.* 13. vbi refert viſionem cuiuſdam Britanni defuncti, & poſtea reſurgentis, ac narrantis, ſe ad inferorum loca perductum, & purgatorium inferno damnatorum vicinum vidiſſe.

Ex identitate ignis inferni, & purgatorij.

269 Probatur 4. ex Eccleſiæ oratione quæ in Miſſa pro defunctis precatur vt Deus liberet eos de *pœnis inferni, & de profundo lacu*. Hoc autem conſimili modo loquitur Zaccarias 9. prædicens ſolutionem Patrum ab inferis à Chriſto perficiendam. *In ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos tuos de lacu, &c. in quo non eſt aqua*. Lacus autem in Scriptura ſignificat infernum locum, & maximè cum additur profundus.

Ex oratione pro defuncto.

270 Probatur 5. ex dicendis de pœna ignis exiſtentis in purgatorio; omnes n. Patres explicantes locum Pauli primo *ad Cor.* 3. *ſic ſaluus erit quaſi per ignem*, docent illum ignem eſſe in cauitate terræ, immo & eundem cum igne inferni, ſed pro damnatis perpetuum, pro iuſtis egentibus purgatione, temporalem; ergo cum infernus ſit in cauitate terræ, ibi etiam eſt locus purgatorij.

271 Prob. ex Tertulliano *lib. de anima c.* 35. & *vlt.* vbi declarans illud *Matth.* 5. Tertull.

nus

*non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem*, ait Iudex se tradat Angelo executionis, & ille in carcerem te mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto morę resurrectionis expenso. & infra ait, in summa, Cum carcerem illum, quem Euangelium demonstrat inferos intelligimus, & nouissimum quadrantem modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luēdum interpretamur; nemo dubitabit animam aliquid pensare penès inferos salua resurrectionis plenitudine per carcerē quoque; ergo cum hic loquatur de loco purgandorum, hic apud inferos dicendus est.

Hermas.

272 Hermas qui in secundo seculo floruit, in *Visione tertia de triumphantis Ecclesię Structura &c.* assignato loco pœnitentiæ pro aliquibus, ait. Alio autem loco punientur non eo inferiore, & hoc cum cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorum suorum, & propter hoc trasferentur. Quoniam perceperunt verbum iustum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, &c. Illi autem sunt purgantes: ergo in loco inferiori detinentur.

273 Paulinus Nolanus *epist.* 19. ait sicut ignis accensus ab eo ardebit vsque ad inferos deorsum; ita proculdubio reos indulgentiæ eius inferna penetrabit, vt &c. æstuantes refrigeremus, &c.

Albertus Mag.

274 Albertus Magnus ex Scholasticis *in cap. 1. Lucæ* sic docet, infernorum tam hi qui in lymbo Patrum Christum expectabunt, quam illi, qui in purgatorio continuè purgabantur per ipsum sunt à captiuitate reducti: ergo, cum Christus ad inferos descenderit, sequitur, purgatorium apud inferas mundi partes reperiri.

D. Thomas.

275 D. Th. *in 4. dist. 21. q. 1. art. 1. ad secundam qu.* ait: locus purgatorij est duplex. Vnus secundum legum communem, & sic locus purgatorij est locus inferior, inferno coniunctus, in quo idem ignis sit, qui damnatos cruciat in inferno, & iustos in purgatorio purgat.

S. Bonau. ex Greg. Mag.

276 S. Bonau. *in 4 dist. 19 q. 6. n. 14.* mouet quæstum, an locus purgatorij sit sursum, vel deorsum, & post multa; ait, dicendum quod locus purgatorij secundum legem communem, sicut lymbus, infernus credendus est, & hic locus pars inferni creditur à quibusdam propter illud verbum Gregorij, sub eodem igne electus purgatus, & damnatus crematur, &c.

Ex Ecclesię precibus.

277 Probari potest ex collectis, quæ in sacrificio Missæ dicuntur in die obitus: *Vt quia in te speranit, & credidit, non pœnas inferni subiisset, sed gaudia æterna possideat.* Pœnæ illæ inferni non sunt pœnæ damnatorum; quia isti non sunt capaces redemptionis, Ecclesia autem frustra non orat; neque dicas, quod orat, ad præcauendum alias. Nam orat pro anima iam iudicata; statim enim ac separatur à corpore, iudicatur. Igitur, ne frustra oret, supponens, quod anima illa non sit in cælo, sed apud inferos, & non in inferno inferiori, orat ab illo inferno superiori liberari; ergo purgatorium est in loco inferiori.

## §. 2.

## *Qualis sit Purgatorij locus?*

278 ADu. sensum esse; qualibus accidentibus præditus sit locus purgatorij, num amœnitate, vel rigiditate, num lumine, vel tenebris. Et quia de secundo nihil videtur esse ab Ecclesia definitum ex S. Patribus, & coniecturis id resoluemus. Scrus dubij.

279 Dico 1. locus purgatorij non est locus amœnus, sed asper, & rigidus, est communis, & ex fidei principijs eruitur. Purgatorius nō est locus amenus,

280 Probatur 1. *ex Act. 2.* de Christo dicitur. *Quem Deus suscitauit à mortuis soluens inferni doloribus.* Supra autem diximus, eiusmodi solutos, non fuisse damnatos, sed Sanctos, licet non omnes in doloribus essent; ergo, cum sit locus dolorum, nequit esse amœnus. Est loco dolorum.

281 Probatur 2. Cum Ecclesia orat pro animabus purgatorij, precatur vt liberet eas de pœnis inferni, & de profundo lacu. Et in sequenti sermo de pœnis purgandorum: ergo cum sit locus pœnarum non potest esse amœnus. Ex orat. Ecclesię, est eus pœnarum,

282 Probatur 3. Lymbus non est locus amœnus, neque vmquam fit mentio de eius amœnitate; ergo multo minus locus purgatorij. Conseq. prob. dupliciter, primo ex parte habitantium, quia Sancti Patres non omnes egebāt purgatione, vt supponitur, & tamen in loco non amœno habitabant; ergo multò minus, qui ex suis culpis, & reatu pœnæ, egent purgatione. Secundò ex parte habitationis; nam lymbus, vt supra dictū est ex Augustino, & dicetur in disp. de statu paruulorum est in ora, seu superiori parte inferni; igitur si ipse non est amœnus, multò minus locus purgatorij, qui est infra lymbum, & prope infernum. A pari de lymbo.

283 Probatur 4. ex Rituali in commendatione animæ morientis, precatur minister hoc modo præ cæteris. *Constituat te Christus Filius Dei viui inter Paradisi sui semper amœna virentia, &c.* Ergo, si optatur pro mortuo, vt ponatur in amœno paradiso loco, sequitur quod locus purgatorij, ex quo eripiendus deideratur, non est amœnus. Ex Rituali in commendatione animæ.

284 Confirmatur ex visione, quam refert Dionysius Carthus. *Tract. de quatuor nouissimis, dial. de iudicio animarum art. 21.* vbi de anima Tondali, dicit eam ab Angelo ductam ad locum quendam, vbi inuenerunt cāpum floribus consitum, in quo erat multitudo innumerabilium animarum, cum hic Tondalus interrogaret, qui nam Argum. ex visionibus.

illo

Quibus probatur præter purgato iũ eſſe viſum amœnũ cãpum.

iſti eſſent, & quænam hæc habitatio, reſpondit Angelus, animarum iſta eſt requies, quæ à ſupplicijs liberatæ nondum merentur coniungi Sanctis. Hæc Carthuſ. Et de alia anima refert Gregorius *lib 4. dial.* quod poſt viſa tam ẽta reorum, & gloriam Beatorum ad corpus redijt, quæ tamen retulit, quod ponte periculoſo tranſacto viderat amœnum campum, et pratum virens, in quo hominum candidatorum manſiones erant, tantuſque ſuauitatis odor, vt vniuerſos ſatiaret. Beda autem *lib hiſt. Anglie 5.a 13.* refert, animam perſonæ fide dignæ, quæ ad corpus poſtea regreſſa eſt, vidiſſe infernum, cælum, ac purgatorium, et præter iſta pratum quoddam floridum, et omni amœnitate repletum, in quo degebant animæ, quæ nullam ſenſus pœnam ſuſtinebant, ibidem tamen ad tempus morabantur, quia idoneæ nondum erant viſioni beatificæ. Ergo ſi campus amœnus conceditur animabus à purgatorio exeũtibus, locus purgatorij non eſt amœnus. Imò Carthuſ. vbi ſupra dicit manere aliquantum in paradiſo terreſtri dũ exeunt à purgatorio.

Vt locus obſcurus.

285 Dico 1. Licet Eccleſia nihil definierit de obſcuritate, vel lumine loci purgatorij; tamen dicendum eſt, eum eſſe lumine priuatum, ſeu obſcurum.

Eccleſia hæc reſidefiniuit.

286 Prob. prima pars. Cum diſputaretur hæc controuerſia inter Patres Græcos, et Latinos, tam Ferrariæ in *ſeſſ.* 1. quam Florentiæ in *ſeſſ. vlt.* huius Concilij, ſemper Græci ſunt proteſtati ſe cum Latinis ſentire, quod poſt mortem multæ animæ ſunt purgandæ per pœnas; ſed in alijs circa locum, aliaque accidentia, diſcordare, vnde in *ſeſſ* 1. Ferrariæ, recitata à Latinis doctrina de purgatorio, quod ſit locus medius, et igne in eo animæ purgantur, Græci dicunt, *Quatunque protulittis. Orientalis Eccleſia profitetur; quamuis inter Græcos, & Latinos parua ſit differentia*: in *ſeſſ. verò vlt.* antequam firmaretur decretum Vnionis, Græci prohteutur, *inter beatas animas, & damnatas, dari medias in purgatorio:* ſed addunt, *quod quidem, ſiue ignis ſit, ſiue turbo, ſiue id genus aliud, non referre.* Et proinde in decreto vnionis, quod ſtatim ſequitur, ſtatuitur quidem dari purgatorium poſt mortem, et vt à pœnis, animæ ibi detentæ liberentur, ſacrificia prodeſſe. At nihil dicitur de alijs qualitatibus luminis, vel vmbrarum; neque aliud Concilium de hoc puncto loquutum videtur.

Græci non conueniunt cum Latinis in hoc.

obſcuritas probatur à pari.

287 Prob. ſecunda pars à pari; lymbus, et infernus non ſunt illuminati, ſed tenebroſi; ergo idem de purgatorio dicendum. Anteced. de inferno in ſuo loco probatum eſt: de lymbo patet nam in cantico Zacchariæ hoc de Chriſto prædicitur, *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.* Erat enim illuminaturus Sanctos Patres, quos liberauit, vt optimè Lyr. *in c. 1. Luæ v. 79. illuminare*, de quibus etiam dicitur Pſal. 111. *Exortum eſt in tenebris lumen rectis*; et proinde Eccleſia in reſponſorio vl. off. defunctorum canit, *viſitaſti infernum, & dediſti eis lumen vt viderent te qui erant in pœnis tenebrarum, clamantes, & dicentes, adueniſti Redemptor noſter*; igitur lymbus eſt tenebroſus. Conſequen. prima prob. primò, quia non eſt maior ratio, cur Sancti Patres, quorum multi carebant culpis, et purgatione non egebant, manerẽt in loco tenebroſo; animæ autem purgandæ manere debeant in loco luminoſo. Secundò quia, cum purgatorij locus ſit inter lymbum, & infernum, non videtur, quomodo, & vnde poſſit ad eum lumen peruadere. Tertiò quia, ſi vt dicetur, idem eſt ignis inferni, qui extenditur ad locum purgatorij, eademque cauſas ratione diuerſæ diſtantiæ à ſuperficie terræ dicatur lymbus, purgatorium, & infernus; non apparet vnde illuſtrari poſſit.

Eccleſia appellat lymbum locum tenebrarum

Aliæ coniecturæ,

Ex reuelationibus.

288 Prob. 2. ex reuelationibus. *Beatus dictus VIII.* vt refert Baronius *to 11. anno* 1204. liberatus à pœnis purgatorij, meritis, & precibus Serui Dei Odilonis, comparens Ioanni Epiſcopo Portuenſi, & alijs duobus, priuſquam liberaretur, dixit, ſe pœnalibus in tenebris eſſe conſtitutum & proinde rogauit, vt ad Odilonem ſe conferrent, eumque precarentur vt pro ſe oraret, &c. ergo purgatorium eſt locus tenebroſus.

Aug. omnia receptacula in imis partibus ſtatuit.

289 Prob. 3. ex D. Aug. *tract. 49. in Ioan. F.* vbi omnia animarum receptacula in imis partibus tamquam in carceribus conſtituit, vbi eſt lymbus, & infernus. Loca autem illa tenebroſa ſunt; neque videtur ſufficiens motiuum, cur purgatorium quod inter lymbum, & infernum eſſe tenetur, debeat eſſe ſplendens, aut luminoſum.

Arg. contra primum.

Ob. contrà 1. Eccleſia in commendatione animæ, rogat, vt Chriſtus conſtituat eum inter amœna virentia. Et Carthuſianus *lib. de quatuor nouiſſimis dial. de iudicio animarum art.* 21. de Sancta Matilde refert, quod anima eius delata fuerit in hortum amœniſſimum, in quo multitudo animarum videbatur menſæ accedentium, quibus apponebantur fercula ſuffragiorum, quæ à viuentibus offerebantur. Idemque refert de anima Tondali, vt in probationibus; ergo animæ purgantes in loco amœno ſunt.

Aliquæ viſiones de horto amœno.

290 Reſp. quod Eccleſia nihil tale tenet, nec vmquam definiuit, & viſiones iſtas permittit tradi ad conſolationem fidelium. Ad id, quod dicitur de commendatione animæ, eſt ad oppoſitum, quia ibi dicitur. *Conſeruet te Chriſtus Filius Dei viui inter Paradiſi ſui ſemper amœna virentia*; vbi rogatur, vt non ducat eam in purgatorium, ſed in paradiſum; neque mirum, quod ſic ſoleat paradiſus ſæpe deſcribi in Scriptura, quia ita capi poteſt ab homine viatore, in ſenſibilibus obiectis aſſueto.

Arg. eſt ad oppoſitum.

291 Ad illud verò de Carthuſiano, iam ſupra ex num. 284. apparet reſponſio, quod ani-

animæ illæ, in amænis illis, ac deliciarũ locis visæ erant, iam à purgatorijs pœnis liberatæ, & de proximo in cælum introducendæ. Ex quibus visionibus Carthusianus ansam sumpsit docendi ibidem, quod animæ è purgatorio liberatæ in paradisum terrestrem introducuntur, vbi aptantur ad gloriam.

Carthusiani sententia de animabus quæ exeunt à purgatorio.

293 Adde vnum maximi momenti, quod S. Augustinus *tract 49. in Ioan. sub F.* de huiusmodi transitu, licet sub nomine requiei, mentionem facere videtur; *ait*, enim, *in requie, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est. tam accipit quisque cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ, Prophetæ, Recentes Apostoli, multo recentiores Sancti Martyres, quotidie boni fideles. Et alij in ista requie tandiu sunt, alij, non tandiu alij paucioribus annis, alij recenti tempore.* Sed de hoc trãsitu animarum purgantium, neque Ecclesia, neque Doctores alij, neque Augustinus loquitur; & circa locum requiei sequitur aliam sententiam de electis, qui purgatione non egent; de quibus nunc non loquimur.

Augustini sententia.

293 Video autem Ecclesiam orare pro defunctis, vt à peccatis soluantur, & in gloriam introducantur; numquam verò, vt in paradisum terrestrem ferantur. Imò Concil Flor. in literis vnionis, vt sæpe dixi definit, quod *animæ cum sunt purgatæ, mox in cælum recipiuntur, & clarè intuentur Deum trinum, & vnum sicuti est*, & de transitu illo per terrestrem paradisum non meminit. Quidquid autem de hoc sit, certum illud est, quod purgatorij locus non est amœnus, aut deliciis præditus, sed asper, ac rigidus pœnis, & doloribus scatens.

Ecclesia orat vt à pœnis liberentur, & in cælum ducantur.

Ob. contra 2. Animæ purgantes, excepta Dei visione, in nullo differunt à Beatis: ergo incongruum est, vt concluſi loco detineantur. Eo vel maximè quia censendum est, quod iam lumen gloriæ etiam obtinuerint, & sæpe ab Angelis visitentur.

Arg. contra 2.

294 Resp. in primis negando anteced. quia excepta visione, sunt adhuc rei pœnarum, inter quas esse posset priuatio luminis. Imò idem argumentum fieri posset de existentibus in lymbo ante Christum, vt de SS. Abele, Abrahamo, Isaac, Iacob, Iosepho, Ioachimo, Anna, Ioanne Baptista, Innocentibus, &c. qui erant in gratia Dei, & tamen in tenebroso loco; ergo multò magis, qui sunt rei in cauernis, & in loco pœnarum. Ad illud de lumine gloriæ, vel dicendum, quod pro tunc non habeant, quia non adhuc est eis necessarium; vel si habent, non tamen quò ad actum secundum, ex hoc autem non concluditur loci illustratio, sed mentis.

Animæ purgantes carẽt visione Dei, & lumine gloriæ.

## ARTICVLVS V.

### *An qualis ignis sit in loco Purgatorij.*

SCOTVS in 4. *sent. dist* 21. *q.* 1. *A.* ex Magistro, docet pœnã esse grauiorẽ, quam vnquam aliquis passus est in hac vita. Et statim subdit esse pœnam ignis sic enim intelligitur illud Apostol. 1. *ad Corinth.* 3. *ipse saluus erit sic tamen quasi per ignem.*

Scotis metes,

295 Adu. hoc esse vnum ex præcipuis huius materiæ dubijs; an pœna, qua animæ purgantur, sit pœna ignis. Nam quamuis Patres Græci, vt sæpe notauimus consenserint in admittendo statum medium, in quo animæ cum venialibus, & reatu pœnæ temporalis decedentes purgari debent; tamen vniuersaliter noluerunt dicere, quod pœna ista sit ignis (estò Patres singulares ita senserint) sic patet in *sess vlt. Concil. Florent.* ante decretum vnionis, vbi purgatorium dari confitentes, dixerunt, *quod quidem sint ignis, sive obscuriores, sive turbo, sive id genus aliud sit, non referre.* Ideò videndum est an re vera sit ignis, & an idem cum igne inferni.

Principale dubium huius materiæ.

Græci non conueniunt.

296 Adu. 2. quod hic esset agendum de natura huius ignis, an sit verus, realis, & physicus; num corporeus, vel incorporeus; & si corporeus quomodo possit animas incorporeas torquere. Sed quia de vtroque actum est in *disput.* 13. *art.* 4 *&* 5. ab hoc abstinemus. quæ enim ibi dicta sunt hic etiam applicant ur.

Alias autem de natura ignis.

297 Dico verus ignis est in purgatorio, & huius ignis pœna purgantur animæ ibi existentes. Est nunc communis Ecclesiæ sensus, & Scoti vbi supra, D. Th. *in 4. sent. d.* 21. *q.* 1. *&* 2. *sent. d.* 20. *&* 21.

Verò igne purgantur animæ.

298 Probatur ex celebri illo loco *primæ Cor.* 3. cui tota Ecclesia est innixa, ibi enim loquitur Paulus de hominum iustorum præcipuè operibus. *Si quis superædificat supra fundamentum hoc* (id est Christi legem) *aurum, argentum, lapides pretiosos ligna, fœnum, stipulã, vnusquisque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur. & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Locus iste, fateor, difficillimus est; quia licet contineat doctrinam purgationis animarum: tamen aliqui vt diximus in *disp.* 11. *art.* 8. *&* 9. intelligunt purgationem, de qua loquitur Paulus esse eam, quæ facienda est in die iudicij: & proinde aliqui ansam acceperunt hæreticandi, vt docerent animas omnes in purgatorio descendentes, ex quo intrant in illud, non exituras vsque ad diem iudicij, quia tũc fit ista purgatio per ignem, quod in sequenti impugnabitur: alij concedunt,

Ex loco Pauli 1 Cor. 3. sic intellecto ab omnibus.

Hæresis de mansione vsqad diem iudicij.

cedunt, etiam tunc aliquam purgationem pro ijs, qui tunc viuunt esse faciendam, & pro ijs etiam, qui de illo tempore sunt in purgatorio; tamen de præsenti purgari eo igne, & de hac etiam purgatione per ignem intelligi locum Pauli. Ex his autem vnum firmum colligitur, quod siue nunc, & temporaliter, vt cum fide dicemus fiat purgatio, siue esset differenda vsque ad diem iudicij, vt aliqui dicebant; conceditur tamen ab vtrisque, quod purgatio sit per ignem, quod erat principale intentum. Sed.

Patres intelligunt de vero; igne quo torqueantur post mortem, qui purgantur.

299 Prob. ex Patribus, purgationem hanc per ignem statim post mortem incipere, & sic intelligi Pauli locum, quod purgatio sit per ignem. Origenes enim *hom. 25. in Num.* locũ illum Pauli diligenter discutit, de ijs qui aurum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, & stipulam super ædificauerunt: & ait, requiritur, ergo diligenter, cum abierimus illuc quid vnusquisque nostrum deferat, &c. & addit *vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. & homil. 12. in Hier.* ait. esto quippè recipio me peccata, vt compleatur, quod ab Apostolo dictum est, *si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Orig. sæpè

300 Conf. ex eod. in *Epist. ad Rom. lib. 8. cap. 11.* Hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus quantisue seculis durabit, &c.

Basilius.

301 *Basil Mag in cap. 9. Isaiæ*, explicans illud, *& erit populus ab igne adustus*, ait, non omnimodam interuectionem, & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, iuxta Apostoli sententiam, quia, *si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus fiet sic tamen, vt per ignem*: ergo in igne fit purgatio.

Efrem;

302 *Efrem. Syrus, orat. ad Beatissimam superbiæ*, præ cæteris ait An non consideras illum, per quem transibimus ignem; & statim subdit locum citatum Pauli.

Greg. Nyss.

303 Gregorius Nyssenus adducendus *in art. 7* de duratione pœnarum purgatorij, docet, flammam illam purgantem, duraturam, quandiù fuerit id, quod eam alit.

Theod.

304 *Theodoretus*, cuius locum dicit S. Thomas fuisse abrasum, in cit locum Pauli ait, qui saluabitur sic tamen tamquã per cõflatorium ignem, ignem purgantem, &c.

Greg. Mag.

305 *Greg. Magn lib. 4. dialog. cap. 39.* in fine, infra adducendus sic explicat Pauli locum de igne nempe Purgatorio: ergo.

Raph.

306 *Raphinus Aquil. in Psal. 37.* ait. Per ignem intelligi potest examinatio ignis purgatorij, in quo corripiuntur, qui modo super fundamentum Christum infructuosè ædificant; quia salui erunt quasi per ignem. Grauior autem erit ille ignis. &c.

August.

307 *August. in psal. 37.* ait. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui tam emendatorio igne non sit opus propter illos, qui saluisunt. sic tamen quasi per ignem, quare? nisi quia ædificant ligna, fœnum, stipulam. Si autem ædificarent aurum, argentum, & lapides pretiosos: essent securi de vtroque igne, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt, dicitur enim ipse saluus erit, sic tamen, quasi per ignem. Et quia dicitur saluus erit, contemnitur ille ignis, ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis quam quidquid potest homo pati in hac vita*: hæc ait, August. Fateor ingenuè, quod in *lib. 21. de Ciuit. c. 26. B.* dicit ignem illum de quo loquitur Apost. ibi, intelligi tropologiè, sed mihi sufficit prima authoritas, alia loca August. habes infra in probatione ex SS. omnibus.

Contra eos, qui contemnunt ignem purgatorij;

308 *Cæsarius Arelat. homil. super dicta Apostoli verba*, ait, in illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.

Cæsar. Arel.

309 Scholastici omnes (vt alios Patres omittam), cum Magistro sent. *in 4. dist. 21.* eodem modo declarant locum Pauli, quod nempe, pœna, qua leuia purgantur peccata, & temporalis reatus in purgatorio soluitur, in igne soluitur. Igitur ex S. Scriptura colligitur, quod adsit in purgatorio pœna ignis.

Scolastic.

310 *Innoc. IV. constit. 14. sub Catholicæ §. 23.* statuens dari locum purgatorij adducit citatum Pauli locum Magister sent. *in 4 dist 21.* quem D Thom D. Bon. & Scotus sequuntur eodem modo locum Pauli intelligit: ergo ex Scriptura habetur.

Innoc. IV.

Magist. sent, D. Thom. D. Bon.

311 Prob. 2. conclusio ex Sacris Can. *cap Qui in aliud, dist. 25* eiusque Aug. *lib. de vera, & falsa pœnit. c. 18.* dicente qui in aliud *seculum distulit, fructum conuersionis prius purgabitur igne purgationis. hic autem ignis, & si æternus non sit, &c.* vbi dicit esse pœnam grauissimam.

Ex SS. Canonibus.

312 Conf. ex *cap. vlt. dist. 7. de Pœnit. §. fin.* eiusque eiusdem August. vbi supra *cap. 17. etiam si conuersus euadat, & vita viuat, & non moriatur, non tamen promittimus, quod euadat omnem pœnam, nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis miro modo grauis est, &c.* ergo in purgatorio adest pœna ignis.

313 Prob. 3. ex sententijs, & Constit. Rom. Pontif. Greg. Magn. *lib. 4. dial. c. 39.* ait, de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod veritas dicit, &c. & circa finem, ait, si cuius opus arserit detrimentum patietur. &c. licet de igne tribulationis in hac vita possit intelligi. tamen, si quis hic de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est, quia per illum ignem dixit posse saluari, non qui ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata maiora, sed

Ex dictis Rom. Pont.

Greg. Mag.

sed lignum, fœnum, stipulam, ideſt peccata minuta, atque leuiſsima, quæ ignis facilè conſumat: hæc Greg.

Innoc. III. 314 *Innocent. III. in pſal. 3. Pœnitent.* quidam tranſibunt per ignem, & ſaluabuntur, alij tranſibunt ad ignem, & condemnabuntur, ab vtroque igne petit pœnitens libetari, ideſt non ponas me in igne purgatorio, &c. neque, &c.

Innoc. IV. 315 *Innoc. IV.* in ſæpè relata *conſtit. 14. ſub. Catholicæ §. 23.* poſt quam ſtatuit locum purgationis animarum dici debere *purgatorium*, addit *illo enim tranſitorio igne peccata vtique purgantur, &c.*

Magiſt. ſent. 316 Prob. 4. ex Scholaſticis Magiſter ſent. *in 4. diſt. 21. A.* cum Auguſt. docet ſic. Poſt iſtius ſanè corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis, & remunerationis, ſi hoc tẽporis interuallo ſpiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignum, fœnum, ſtipulam huiuſmodi ignem dicantur perpeti, quem alij non ſentiunt, qui eiuſmodi ædificia portauerunt, vt inueniant ignem tranſitoriæ tribulationis venialia cõcremantem, non redarguo, quia fortè verum eſt. & paulo poſt. ſub B. ait. In illo autem igne purgatorio alij tardius, alij citius purgantur, &c.

Alenſis 317 *Alexander Alenſis p. 4 qu. 15. m. 4. art. 4.* ſic habet. Etſi ignis purgatorius non opponatur reatui, tamen in quantu data eſt ſibi ipſi virtus purgandi animas à reliquijs peccati, ignis purgatorius, & anima ipſa habent quodammodo illud genus oppoſitionis, quæ eſt inter actiuum, & paſſiuum. Vndr ignis purgatorius, &c. multa.

S. Thom. 318 *S. Thom. in 4 diſt 21. q. 1. ar. 1. & 2.* diffusè docet pœnam purgatorij eſſe pœnam ignis. & ignis inferni, vt poſtea dicetur.

S. Bonau. 319 *S. Bonau. in 4 ſent. diſt. 21. q. 6.* idem docet, quod S. Thom. idem pariter replicat in *Breuiloq. par. 7. c. 2.* Ignis Purgatorius, eſt corporalis, quo tãtum ſpiritus, qui in hac vita non impleuerunt pœnitentiã & ſatisfactionem condignam, afficiuntur ſecundum plus, & minus. Hos DD. ſequuntur omnes moderni, nullo reclamante.

Ignis purgat & inferni idem. 320 Dico 2. Probabiliſſimum eſt quod ignis Purgatorij ſit idem met ignis inferni extenſus, vſque ad locum purgatorij: hæc concluſio poſt ſextum ſæculum à D. Greg. ſcilicet cœpit eſſe communis.

Ex Greg. Mag. 321 Prob. 2. ex *Greg. lib. 4. moral.* quem ſequuntur *S. Thom. lib. 4 ſent. diſt. 21. q. 1. ad 4. & Bonau. diſt. q. 6. n. 34. Lyran. in ep. 1. ad Cor. 3. c. 3.* ver. Quia in igne reuelatur. Ait autem Gregorius, ſicut enim in eodem igne aurum rutilat, & palea fumat; ſic idem ignis purgat electos, & damnat reprobos, ſed reprobis eſt ad ſemper; electis tantum ad tempus,

Ex Gloſſ. 322 Conf. ex Gloſſ. Ord. *in cap. 66. Iſaiæ V. Dominus in igne veniet.* ait, *in igne, qui æternus erit malis, quot inuolaet, quo purgabitur, quod in bonis erit purgandum.* Ergo eſt idem reſpectu damnatorum, & purgandorum.

Ex verisimilitudine, & non repugnantia. 323 Prob. 1. Veriſimile eſt, nullaque ad eſt repugnantia, vt ignis, qui in inferno eſt extẽdatur vſque ad illam caueę partem, quæ dicitur purgatorium; cum iam probatum ſit, vnam, & eandem cauitatem ſub terra incipere à centri terræ, & protrahi ad vſque ferè ſuperficiem, in qua parte eſt lymbus, & poſt eam purgatorium, in infima autem infernus. ergo idem ignis in vtraque parte exiſtit.

Ex idoneitate effectus. 324 Conſ. quia vtrobique animæ ab igne cruciantur. Ergo quomodocunque accidat hæc cruciatio, ab eadem virtute debet eſſe, nihil autem è contra prohibet, quin ignis inferni extendatur vſque ad purgatorium. & eodem modo circa animas operetur: & tandem quia neque Patres, neque Scholaſtici de alio igne loquuntur, ſupponentes ſub terra vnum tantum reperiri.

Arg. contr. Ob. contra 1. Eccleſia nunquam definiuit, vel alio modo innuit pœnam, ſeù tormentum, quo torquentur animæ Purgatorij, eſſe ignem: ergo non poteſt hoc aſſeueranter aſſeri.

Non eſt dogma fidei ad eſſe ibi ignẽ. ſed eſt communis. 325 Reſp. ex hoc ſequi tantum, quod non ſit dogma fidei, & hoc negans, non ſit hæreticus, at non ſequitur, quod non ſit communis Eccleſiæ ſenſus, & proinde id negans eſſet cenſendus temerarius. Quilibet enim de Eccleſia, ſiue doctus, ſiue indoctus nunc tenet, pœnam purgatorij eſſe ignem.

Ob. 2. eatenus admittitur ignis, quia ſæpè in ſcriptura de eo fit mentio cum agitur de enundatione per ignem, ſed loca illa ſeù pœnæ poſſent facilè explicari per ignem metaphoricè acceptum: ergo.

Scriptnr a debet intelligi literaliter quando non ad eſt repugnãtia. 326 Reſp. neg min. eſt enim regula DD. præſertim Sancti Auguſt. quod dum ſcriptura non poteſt intelligi literaliter propter aliquam repugnantiam tunc intelligenda eſt ſpiritualiter, ità *in lib 8. Gen. ad lit. c. 2. lib. 9. cap. 12. & lib. 11. cap. 1.* ſed non ſolum abſque repugnantia, verum maxima cum facilitate *ignis* de quo Apoſtolus loquitur intelligitur localiter; & quod opera hominis exurentur, *ipſe verò ſaluus erit per ignem*; & ſic Patres, ac Scholaſtici intellexerunt: ergo cum hac proprietate debemus loqui.

Arg. alias ſolutum. Ob. 3. Eſt imperceptibile, quomodo ignis poſſit cruciare animas. Ergo non debet admitti literaliter. Anteced. probatur, quia deberet eſſe incorporeus, alias non eſſet proportionatus.

327 Reſp. hoc argum. eſſe iam ſolutum in *diſput. 13. art. 3.* per tres §§§. de igne inferni torquente animas etiam nunc, miris, vt ait Auguſt. ſed veris modis.

## ARTICVLVS VI.

### *An præter ignem sint aliæ pœnæ in Purgatorio.*

Scotus de hoc non loquitur, neq; alij Scholastici;

SCOTVS de hoc puncto nihil dicit, sicut neque alij Doctores Scholastici; ideo aliunde videndum est, si aliæ pœnæ sensus adsint in Purgatorio.

328 Adu. Titulum clarum esse, solutionem verò dubiam, cum ex scriptura alia pœna non eliciatur.

Adest pœna temporalis damni,

329 Dico ergo primò. In Purgatorio est pœna temporalis damni, nempè visionis Dei: est de fide communis.

330 Prob. 1. ex *Concil. Florent. in literis unionis*, vbi statuitur, animas post purgationem admitti ad visionem Dei, vt est in se; ergo in tempore purgationis non vident.

Ex eo quod non sunt Beatæ.

331 Prob. 2. ex multis Sac. Scripturæ locis habetur, Deum in cælo à Beatis videri. Sed animæ Purgandæ in cælo non sunt, imò neque secundum præsentem Dei prouidentiam possunt esse in cælo, quia illuc *nihil int at coinquinatum, & immundum ex Apocal. 21.*

Ex eo quod sit status medius,

332 Psob. 3. ideo purgatorium est status medius quia in eo existentes, Deum non amiserunt finaliter, neque eum vident ad tempus aliquod: ergo.

Ex spe salutis

333 Prob. 4. Animæ purgatorij ex Concil. Senon. *in decretis fidei cap. 12.* habent fidem, & spem de Deo, & vt dicemus sunt certi de sua salute: ergo non vident actu.

Ex abundo

334 Prob. 5. Si viderent Deum, non essent in pœna; implicat enim comprehensorem esse in statu pœnali, & in hoc fuit necessaria maxima Dei dispensantio in Christo, vt posset simul esse comprehensor, ac pati. Ergo animæ purgandæ carent Dei visione; & sic patiuntur hanc pœnam damni, quæ maxima est.

Ex scriptura non colligitur esse ibi alias pœnas, sed forte sunt.

335 Dico 2. Neque ex Scriptura, neque ex traditione habetur, quod in purgatorio præter pœnam ignis, adsint aliæ pœnæ sensus: tamen non videtur improbabile, quod adsit in eo aliqua alia pœna sensus.

PP. de solo igne loquuntur.

336 Prob. prima pars, Nullibi videtur exprimi alia pœna: & omnes Scripturæ, ac Patres, qui adducuntur ad stabiliendum statum medium purgatorij, semper de igne loquuntur. Siue enim exemplificent de purgatione facienda in ipsomet iudicij die pro ijs, qui antea mortui erant, vel pro tunc viuent, semper ignis purgationem adducunt.

337 Prob. secunda pars, licet *Innoc. IV. in consil. 14.* sub Catholicæ contra errores aliquot Græcorum asserat igne illo trãsitorio purgari peccata minuta, ac venialia; & solui pœnas temporarias; tamen neque ipse ibi hoc definit, sed obiter id dicit; neque fuit id definitum in Concil. Florent. vbi quæstio exagitata est; imò vt videre est, in *sess. vltima* antequam firmentur literæ vnionis, Patres Græci hoc modo se declarant circa Purgatorij dogma, *Non fatemur inter animas iustorum in cælo, & reproborum in inferno mediasi in purgatorio esse; quod quidem sive ignis aliud sit non refert.* Et hinc est, quod stante hac incertitudine generum pœnarum, quando Cõcilium in literis vnionis, stabiliuit dogma Purgatorij, nullum prorsus verbum fecit de genere pœnarum; neque alia priora, vel posteriora concilia de illis sunt loquta: ergo de pœna primaria est dubium, an sit ignis, vel aliud, multo magis de alijs pœnis potest esse dubium. Sed verisimile videtur, vt aliæ adsint, vel mitiores, vel grauiores iuxta quantitatem, & qualitatem reatuum, & ad mensuram durationis, nam S. Bonau. *in 4. d. 21 p. 3. q. 1.* pro reatuum qualitate dicit adesse acerbiores, & minus acerbas pœnas, sed hoc Deo soli notum est, & ijs quibus ab eo reuelatur.

Nullibi defunctum est quod solus ignis, imò in Florentino Concil. etiam de igne dubitatum est,

Non est inuerisimile, quod aliæ soluat pœnæ

## ARTICVLVS VII.

### *Quandiù durant pœnæ Purgatorij.*

SCOTVS *in dist. 19. §. ad quæst. motam D. & in dist. 21. q. 1.* cum communi Ecclesiæ sensu docet, ac supponit pœnam purgatorij esse temporalem,

Scoti mens

338 Adu. quæsitum hoc duo complectì dubia. Primum de duratione omnibus communi. an. 1, pœna illa sit æterna, vel saltem vsque ad diem iudicij duratura. Secundo supposito cum fide, quod non quæritur, quantum duret vnius cuiusque animæ pœna.

Duo dubia, primum de duratione communi omnium hic soluitur.

339 Adu. 2. Circa primum dubium, duæ sunt oppositæ sententiæ, vna quidem hæretica, & de proximo nouissime pro scripta, docens pœnam purgatorij duraturam vsque ad diem iudicij in qualibet animo si illæ in purgatorio existentes sint cruciãdæ: sed quod purgatio earum facienda sit in die iudicij; ideo ex quo semel animæ intrarunt in caueas illas purgatorij, inde non exibunt, nisi in die iudicij. Ita Tomas Anglus ex Albijs *libro de medio statu anim.* sed præcisis verbis, *dem. 5. in fine* in quo libello. validis putat sententiam istam fulcire rationibus ex Scriptura, & Patribus desumptis. Altera extremè oppositæ sententia, est Catholici quidem, ac doctissimi viri, sed in hoc (quod nollem) singulariter sentien-

Vna sent. hæretica quod vsque ad iudicium quilibet purget.

Sent. Catholicæ.

ris Dominici Soto *in 4. sent. dist. 19. q. 3. ar. 2.* existimantis nullam animam manere in purgatorio plus, quam per spatium decem annorum. Nota tamen, quod hic loquimur de omnibus purgantibus, & quærimus, an vsque ad iudicium manere debeant in Purgat. quia forte aliquis manebit.

Dom. Soto

340 Dico ergo. Non omnes animæ intrantes in purgatorium debent ibi manere vsque ad diem iudicij; neque hoc est de necessitate omnis purgationis, aut purgandi, sed iuxta purgationis faciēdæ mensuram. Hæc conclusio est de fide: dixi *non omnes*; quia fortasse aliquæ ex reatu pœnarum debent ibi tandiù manere.

Non omnes animæ manebunt in purgatorio vsque ad iudicium.

341 Prob. 1. ex *Concil. Florent. sess. vlt. in literis vnionis* ibi enim post quam *in §. 5.* statutum est. *animas post mortem pœnis purgatorijs purgari; & vt à pœnis huiusmodi releuentur prodesse fidelium viuorum suffragia, &c.* in sequenti §. præ alijs sic statuitur, *Illas etiam animas, quæ post contractum peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exutæ corporibus (prout superius dictum est) purgatæ, incelum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & vnum, &c.* Ergo non est necessarium, vt vsque ad iudicium in purgatorio omnes animæ purgandæ perseuerent.

Ex Concil. Flor. decisum est.

342 Prob. 2. ex *Concil. Senon. in decreti fidei c. 12.* idem docente, quod nempe pœna temporali purgata, fient animæ saluæ per ignem.

Conc. Sen.

343 Prob. 3. ex *Const. 14. Innoc. IV. sub Catholicæ §. 23.* vbi statuitur, pœnam temporalem in igne transitorio purgatorij relaxari.

Innoc. IV.

344 Prob. 4. ex Sixto III. *lib. de malis doctoribus, & operibus fidei*, purgatorium tamen locum semper excipio, in quo ad tempus plorum animæ corporibus solutæ expiantur: ergo non vsque ad iudicium.

Ex Sixt. III.

345 Prob. 5. ex Greg. Mag *in Psal. 3. pœnitent.* Quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem.

Greg. Mag.

346 Conf. ex Greg. VII. *lib. 1. epist. 6.* Rogamus quatenus illius animam ad gaudia æternæ beatitudinis transferat, &c.

Greg. VII.

347 Prob. 6. ex 2. *Maccab.* 12. vbi habetur *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*: ergo datur animarum solutio ante iudicium. Neque valet dicere, quod suffragia; sacrificia, eleemosinæ, &c. iuuant quidem, vt pœnæ terminentur, & sic soluantur à peccatis nempè à reatibus peccatorum; at non sequitur, quod inde exeant. Contra enim est; quia Ecclesia, vt patuit in *ar. 2. §. 5.* litanijs, & orationibus pro defunctis, omnibusque precibus orat, vt animæ liberentur à pœnis, & ad patriam Paradisi ad Dei visionem, & Angelorum, ac Patriarcharum, Martirum, &c, consortium deducantur.

Ex Macc.

Ex precibus Ecclesiæ.

Igitur exeunt de purgatorio, quando finita est pœna.

348 Prob 7. ex Patribus. Origenes in *epist. ad Rom. lib. 8. cap 11.* habet, hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisue sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne iudicium tradidit. Ergo non vsque ad iudicium, sed per tempus Deo soli notum, sunt ibi animæ mansuræ.

PP. Orig.

349 *Greg. Nissen. lib de Anima, & Resurrect.* vbi præ alijs habet, non enim par est, vtrumque, tum eum, qui in malis vetlis tandiù versatus sit, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit, per purgationem vitiosi habitus exæquo discruciari, atque dolere, ac breuiore temporis spatio illa flamma dolorifica quandiù fuerit id, quod eam alat, accendetur, &c. multa.

Greg. Niss.

350 *Hieron. in cap. 7. Michea*, post cruciatus, atque tormenta, educta de tenebris exterioribus anima, & reddito nouissimo quadrante dicet, *Videbo iustitiam eius, & loquar iustificata sunt iudicia tua Deus.*

Hieron.

351 *August. lib. 21. de Ciuit. c. 13.* in fine temporarias pœnas alij in hoc vita, alij post mortem, alij nunc, & tunc, verum tamen ante iudicium illud seueriſsimum, nouissimumque patiuntur. In *Enchirid. pariter, c. 69. & tract 49. in Ioan. sub P.* in fine, ait. Tale autem inueniri post hāc vitam fieri incredibile nō est; & vtrum ita sit quæri potest, & aut inuenire, aut latere nonnullos fideles per ignem quemdam purgatorium quantò magis, minusue bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque saluari, &c. ergo ante iudicium.

August.

352 *Eucherius homil 3. de Epiphania* postquam multa de purgatione per ignem facienda dixit; ira subdit, quæ omnia hic ab anima separari per eleemosinas, & lacrimas compendij transactione poterunt; illic iusti velut per amænos gurpites, incendij naturam suam mutantibus transmeabunt, intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, &c. ergo ante iudicium.

Eucherius.

353 *Beda in Prouerb. Salom. lib. 2. c. 11.* de morientibus dicit: sunt tamen, qui de leuioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, possunt absolui, vel pœnis videlicet castigari, vel suorum precibus, eleemosinis, missarum celebrationibus absolui sed hæc quibuscunque fiunt, & ante iudicium, & de leuioribus erratis fiunt.

Beda.

354 Petrus Damianus ser. de Sancto Nicolao, postquam multa præclare dixit, quod orandum non sit pro ijs, qui in cælo sunt, neqae pro ijs, qui in inferno, sed pro ijs, qui in purgatorio reperiuntur; subdit, pro illis tantum vigilandum est in orationibus, & subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiā eorum in satisfa-

Petr. Dam.

ctionem; satisfactionem in glorificationem citò conuertat: ergo non est expectandum vsque ad iudicium.

355 Alexander Alen. *p. 4. q. 15. memb. 4. ar. 4.* Loquens de igne purgatorio, pœnam purgare, ait; deinde subdit. In illo igne citius purgatur vnus, quam alius. Qui enim diutius in peccato permansit, dignum est, vt diutius subtineat pœnam. Rursus, qui grauius offendit, dignum est, vt puniatur pœna acerbiore, & dilatione patriæ largiore, diuina hoc iustitia faciente. Alex. Alen.

356 S. Thomas in *cap. 9. Apocal.* Vna pars, quæ incepit pœnitentiam, & complenit, huic statim redderur paradisus; alia quæ incepit, & non complenit, debetur purgatorium: sed in *4. dist. 21. q. 1. ar. 1.* ad tempus dicit pœnam illius duraturam. D. Th.

357 S. Bonaventura idē docet in *4. sent. dist. 20. q. 1. & 6.* & in *breuiloq. p. 7 cap. 7.* & omnes Scholastici ipsos Sanctos, & antiquos Patres sequuntur, nullo prorsus excepto. S. Bonau.

358 Probatur 8. ex reuelationibus, & apparitionibus animarum, quæ è purgatorio exeuntes ad cælum conuolarunt; vt visum est in *ar. 2. §. 7.* Ex reuelationibus.

359 Probatur 9. ex suffragijs, & sacrificijs, quæ Ecclesia applicat pro defunctis, in quibus orat. *Requiem æternam dona ei Domine. 2 vt quia in te sperauit, & credidit, non pœnas inferni subtineat, sed gaudia æterna possideat.* Et in omnibus alijs collectis orat, vt *cui Deus dedit Christiana fidei meritum, donet & præmium*; vt *redemptionis faciat esse participem*; vt *per officia pia placiamis peruenire mereantur ad requiem sempiternam*, vt eis *Sanctorum largiri dignetur consortium*; vt *remedijs purgata cælestibus in tua pietate requiescat*: vt det *ei refrigerij, sedē quietis beatitudinem, & luminis claritatem*: vt *requiem capiat sempiternam*, vt *a peccatis exp. ata lucis perpetuæ recipiat beatitudinem*. vt *in cælesti sede gloriosa semper exultet*. vt *inter Sanctos & electos respiret*. Illæ, & aliæ similes formulæ habentur in officio, & missa defunctorum. Ex suffragijs. Formulæ precandi Ecclesiæ docente iudicū finiri pœnas.

In Rituali pariter in commendatione animæ in omnibus orationibus oratur Deus, vt eam ad se, de præsenti suscipiat, leguntur formulæ illæ, quia dignæ sunt. Ex his autem loquendi Ecclesiæ modis, ne ipsa frustra petat, quod post iudicium infallibiliter animæ fidelium sunt consecuturæ, dicendum est, quod petit, vt nunc Beatorum agmini animæ defunctorum socientur: & hinc sequitur, quod credit ex nunc posse animas è purgatorij caueis liberari. Fatuum ergo est, quod nouissimè somniauit Albius, animas purgatorij vsque ad iudicium esse in eo loco detinendas: cum Ecclesia doceat contrarium, & pro earum liberatione de præsenti, incessanter supplicet. Ex rituali in commendatione animæ.

360 Oppositæ sententiæ Author, Thomas Anglus ex Albijs, docet in toto suo libro de medio statu animarum, animas intrantes in purgatorium, ex eo non egredi ante diem iudicij, & hæresim suam infrascriptis argumentis probat. Primò ex 2. *Macchab. 12.* Liberatio, et subleuatio animarum facienda per oblationes, et sacrificia coniungitur cum resurrectione, imò ex hac causa dicit hæc esse applicanda, ait enim textus, *misit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium iuſtè, & religioſè de reſurrectione cogitans, & niſi eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum, & vanum videretur orare pro mortuis*: ergo effectus sacrificij iuuat mortuis purgandis, sed pro die resurrectionis: aliàs vanè cum ea copularetur. Sent. Albij impia. Ex 2. Macc. quod oblatio coniungitur cū resurrectione.

361 Resp. hoc argumentum maximi quidem ponderis esse; sed toties ab Ecclesia discussum non impediuit, neque Doctores, neque Patres Conciliorum, quin definirent pœnas purgatorij finire, et animas ex eo solutas ad cælum conuolare. Quod verò textus coniungat suffragium, et subleuationem defunctorum purgantiū, cum resurrectione, hoc non accidit, vt Albius putat ex eo, quod in resurrectione tantum inde sint liberandæ, sed nominat resurrectionem ad comprobandam animæ, pro qua oratur immortalitatem. Ad impugnandum ergo duos, Gentilium vnum, et Iudæorum alterum errores de mortalitate animæ, et de resurrectione non futura copulat vtrumque, quasi diceret Missæ offerri sacrificium pro animabus, quia istę viuunt, et aliquando corporibus coniungentur. Hic est germanus Patrum in hoc loco sensus, Et inde colligitur, quia si in resurrectione tantum liberandi erant, qui tempore Iudę defuncti sunt, non concluderet textus sic. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*. Quia si pro tunc non erant soluendi, et in sinum Abrahę recipiendi, frustra pro ijs orabatur; cum enim pœnæ eorum futuræ non essent æternæ, in resurrectione erant terminandæ. Pro tunc ergo orandum curauit, vt pro tunc soluerentur à peccatis, id est venialibus, & reatibus mortalium, quò ad temporales pœnas. Maximum arg. est, sed sæpe ab Ecclesia solutum. Quare oblationes cum resurrectione coniunguntur. Ad astruendam immortalitatem.

Initab. locus Pauli 1. *Cor. 15.* fauet sententiæ Albij, & confirmat intelligentiam loci Macchab. de liberatione obtinenda in die iudicij; ait enim, *quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgent?* Baptizari autem ibi idem est, ac affligi, pati, & pœnitentiam agere, tunc sic: Paulus existimat pœnitentias pro mortuis susceptas, eis prodesse, cum resurgent. Ex loco Pauli suffragia prosunt pro tempore resurrectionis.

362 Resp. conseq. esse voluntariam; totus enim Pauli conatus ibi est, vt resurrectionem mortuorum insinuet, alioquin, inquit, *neque Chriſtus reſurrexit*, & hic *inanis eſt fides noſtra*. Duo ergo docebat, & quod animæ immortales viuunt postquam à cor-

Germanus Pauli Senes. poribus discedunt; & quod aliquando vnientur corporibus. Et ex negatione resurrectionis, ad hominem inferebat mortalitatem, quasi diceret, si non creditis resurrectionem, neque creditis, quod animæ nunc viuant alioquin perpetuò deberent esse sine corpore. Si autem vtrumque, errorem habetis, quare baptizamini pro mortuis.

363 Adde ex Lyr. sensum Pauli esse, vt doceret Corinthios, quod remuneratio supereſt pro æterna vita, quæ haberi non potest à mortuis, ideſt in mortali peccato existentibus: tunc sic arguit Apostolus, si non creditis resurrectionem, in qua facienda est remuneratio, quare baptizamini, vt mundentur peccata mortalia, siue vestra, siue defunctorum? quomodocumque ergo intelligatur, non fauet liberationi faciendæ in die iudicij.

Lyrani explicatio.

Obijcies 2. ex eodem Albio *in demenſo* 3. ex eadem *epiſt.* 1. *Cor. cap.* 5. *Iudicauit tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.* Ergo liberatio purgantium, vſque ad diem iudicij protrahitur.

Ex alio Apoſtoli loco.

Confirmatur ex *ep* 2. *ad Tim. c.* 1. in fine, vbi Apostolus pro Oneſiphoro eius benefactore sic orat, *det illi Dominus inuenire miſericordiam in illa die.* Est autem certissimũ ex Phrasi Scripturæ, quod dies Domini, est dies iudicij. vt ex pluribus Scripturæ locis constare potest. *Amos* 5. 18. *Ioel* 2. 11. *Abd.* 1. 15. *Sophon.* 1. 14 & 15. *Act.* 2. 20 ex 1. *ad Cor.* 3. *ad Philipp.* 1. 10. *&c.* Ergo omne adiutorium, quod defunctis porrigitur, & viuis etiam applicatur, pro die iudicij potest prodesse, & non ante: igitur animæ purgantur vſque ad eum diem.

Ex 3. Apoſt. loco.

Ex aliis Scripturæ locis.

364 Resp. Ecclesiam, & Patres hæc loca quoque vidisse, & nihilominus docuisse, quod aliqui citius, alij serius exeunt à purgatorio; & ipsamet Ecclesia quotidie pro purgantibus orat, vt aggregentur Sanctorum consortio, vt beatitudinem, & claritatem obtineant, vt à Sanctis Angelis in Paradisum introducantur. Vt autem nostro muneri satisfaciamus, dico quod, *dies Domini*, regulariter significat diem iudicij, sed sæpe etiam significat diem mortis, vt optimè Lyranus notat in cit. loc. ad Cor. 5. *in die Domini*, quia vt Gregor. Mag. docet *lib.* 4. *dial. c.* 39. *qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præſentatur*, & quia dies mortis, est dies iudicij particularis, & occulti, cui correspondebit dies iudicij Vniuersalis, & publici: ideo vtraque dies dicitur dies Domini, quia in eis fit iudicium finale cuiuscunque decedentis. id ergo cupiebat Paulus tam pro illo incestuoso, & pro amico Oenosiphoro, vt nempe in die mortis saluarentur; & sic postea in corporibus propriis apparerent etiam toti mundo in die iudicij Vniuersalis. Adde, quod Ambrosius, et Theodoretus in locum illum *ad Cor.* dicunt per spiritum non intelligi animam, expressa sunt Theodoreti verba, sed intelligi donum, seu gratiam. nisi enim fornicarius ille ab Ecclesia ejiceretur, non fieret saluus spiritus Ecclesiæ in die iudicij explicitis verbis loquuntur Ambr. et Theodor. Adde 2. si quis optaret mihi, vel alteri, vt essem saluus in die iudicij; vnde colligeretur, quod ego debeam in purgatorio manere vſque ad diem iudicii? voluntaria certè est consequentia.

Ecclesia, & PP. videſſe hæc loca, & tamen contrarium docuerunt.

Dies Domini est, vel dies iudicij Vniuersalis, vel particularis in morte.

Theodoretus aliter declarat locũ Pauli.

Consideratio Authoris.

365 Ad 2. de Oneſiphoro Lyranus ibi dicit, Paulum optare, vt Oneſiphorus inueniat misericordiam in die Domini, quæ est, vel mortis, vel iudicii, idem dicit Ambrosius. Sed quid inde? omnes enim electi, etiam qui purgatorium non viderunt in die iudicii inuenient misericordiam, ideſt misericordia Dei in eos manifestabitur, dicet enim iis, quia dextris erunt, *esurijui, & dediſtis mihi manducare, &c.* ideo, nè dum patrem, sed incomparabilem Dei misericordiam experientur, *venite benedicti Patris, &c* ergo ex misericordia, quam fideles experientur in die iudicii, non colligitur, quod in vinculis, aut pœnis vſque ad diem illum sint omnes futuri, & sic semper intellexit Ecclesia. Adde, quod frustra peteretur, ijs præstandam misericordiam pro illa die, cum iam sint in statu salutis, eamque obtinuerint, neque possint non obtinere pro die iudicij.

Omnes electi in iudicio inuenient misericordiam Dei.

Ob. 3. ex eodem Albio *ex c.* 10. *ad Hebr.* habetur. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Ergo post baptismum, qui peccat a quali peccato, cum non sit pro eo amplius moriturus Christus, vt sua morte obtineat deletionem omnis pœnæ temporalis, hæc in iudicio per ignem consumabitur, seu delebitur; & sic vſque tunc debent expectare purgandi.

Ex alio Pauli loco.

366 Resp. hanc quoque conseq. esse arbitrariam. Apostolus enim, ibi, vt Glosa ordinaria notat, excludit secundum baptismum, non autem secundam tabulam, seu pœnitentiam, quod si Hebræi id non accipiant, sed expectent secundam hostiam, sicut erant in lege veteri assueti; eis supereſt terribilis iudicij expectatio, quæ illos est consumptura in æterno igne. Ambros. in hunc locum totidem verbis tem discutit, quomodo scilicet non reliquitur amplius hostia: declarans verò sequentia verba, *Terribilis quædam expectatio iudicij*. ait, in hoc non pœnitentiam excludit Apostolus, neque propitiationem, quæ fit per pœnitentiam, sed excludit lauacrum baptismi, & post concludit. *Et quicumque pœnitentiæ medicamentum neglexerit, ignis æmulatio deuoret eum. quapropter vnuſquiſque ad pœnitentiam, dum tempus habet, confugiat,*

Secunda baptiſmus est impoſſibilis non secunda tabula.

Locus hic nõ concludit pro Albio,

*ac igni tradatur æterno.* Idem dicunt alij Interpretes, vt Theodoretus, &c. ergo locus iste non facit ad rem Albij.

Ob. 4. ex eodem Albio *Dimenso 6.* vbi adducit famosum locum, *primæ ad Corinth. 3. Si quis superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, cuiusque operis, manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus, qualis sit ignis probabit. si cuius opus manserit, quod superædificauit mercedem accipiet: si cuius operis arserit, detrimentum patietur. ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem,* super qua doctrina fundatur hoc argumentum. omnium opera Deus discutiet, & probabit per ignē; hoc autem accidet in die Domini, quæ est dies iudicij; & qui aurum, argentum, lapides pretiosos habuerit, ideſt optima opera, ab igne non lædetur; qui verò lignum, stipulas, ideſt leuia quædam habuerit peccata, ardebit in igne, destruentur opera illa, & ipse saluus erit. cum igitur hæc probatio, & adustio per ignem, sit facienda in die iudicij, ad vsque tempus illud expectabunt homines in purgatorio, vt probentur.

Ex alio Apost. loco 1. Cor. 3.

367 Resp. in primis relinquendo pro nunc explicationem de tribulationibus huius mundi, quam adducit Glola, & est Augustini, atque Gregorij, quam Albius non admittit: & sequendo sensum literalem de vero igne, & de die iudicij: dico quod hoc argumentum probat plusquam intendit, nempe, quod comprobatio facienda sit in die iudicij per ignem, & de omnibus, siue habentibus aurum, lapides pretiosos, & argentum, siue de habentibus stipulam, ligna, fœnum, sequitur, quod nullus ante diem iudicii admittendus esset ad Dei visionem: quod certè intendit etiam Albius, sed hæc est hæresis nedum à *Benedicto XII. Const. 4* sed à Concilio Florent. &c. damnata, vt nos diximus in *disp. 4. art. 6.*

Arg. probat plus, quam intendit, quod SS. omnes omnino in die iudicij fiet purgandi per ignem.

368 Resp. ergo 2. iuxta ea, quæ diximus in *disp. 11 art. 8. 9. 10 & 11.* suppoſito, quod iudicium in igne fiet, ne dum quia *ignis ante ipsum præcedet Psal 69.* Sed quia, *Dominus in igne iudicabit. Isaiæ 66.* Vel omnes homines tam electi, quam reprobi, tam beati, quam adhuc non beati: ita tunc tam viuentes, quam antea mortui in Valle Iosaphat igne repleta comparebunt; sed cum hac differentia, vt beati, immo, & alii electi, qui purgatione non egent, in igne rutilabunt, ac splendebunt, nullum prorsus dolorem, vel læsionem accipientes, sed erunt, vt ibi diximus cùm Augustino, sicut tres viri in fornace Babilonica: qui verò tunc viuebunt, vel erant mortui, sed purgatione egebant, ignis ardore purgabuntur. damnati verò cum eodem igne in infernum ducentur. Vel, quod non omnes homines in igne comparebunt, sed electi, siue mortui, siue adhuc viuentes, & reprobi: illi quidem, si solum aurum, argentum, &c. & nullam stipulam, neque ligna, aut fœnum habent, sine dolore per ignem transibunt; qui verò illhæc habent, opera eorum comburentur, & dolorem maximum sustinebunt, & sic per ignem saluabuntur. Qui verò iam Beati erant, in loco superiori ad ignem comparebunt, vt cum eodem Augustino diximus. Quidquid horum dicatur, probabile est. at inde non sequitur, quod ratione huius purgationis faciendæ, omnes animæ purgandæ permanere debeant in purgatorio vsque ad iudicii diem: & hoc modo saluantur dicta omnium Patrum, quos Albius adducit ad probandum, quod purgatio per ignem facienda sit in die iudicii: non quod mansuræ sint animæ omnes in purgatorio vsque ad eam diem, cum Ecclesia iam definierit, & Sancti Patres docuerint, alium alio citius, vel tardius ex purgatorio exire.

Iudicium quomodo fiet in igne.

Diuersæ sententiæ ipsius Aug. an electi in igne erunt, sed sine læsione, aut passione.

At ex hoc non sequitur Albij intentum.

Ob. 5. ex eodem *dimenso 3.* Ecclesiæ omnes in suis lyturgiis orant indifferenter pro omnibus in Christo quiescentibus; ergo expectant tempus purgationis. Anteced. prob. Eccles. Hierosol. ait. *Memento Domine spirituum, & vniuersæ carnis eorum, quorum meminimus, & quorum non meminimus orthodoxorum ab Abel iusto, vsque ad hodiernum diem. Tu eos illic facias requiescere in regione viuentium in regno tuo in deliciis Paradisi:* & pro hoc argumento adducit cæteras Orientales, & Romanam lyturgiam: ergo animæ purgantes expectare debent vsque ad diem iudicii.

Ex orationibus Ecclesiæ Albij arguit.

369 Resp primo per hanc conseq. ex præmissis eius inferri, quod omnes indifferenter expectaturæ sint Dei visionem vsque ad diem iudicij. & si sic frustratoria est præcatio: tunc enim infallibiliter omnes electi Deum videbunt.

Paralogismus vtitur Albius,

Resp. 2. voluntariam esse conseq. Ecclesia enim orat pro omnibus indifferenter, nullum excludens, sed intelligit orare pro ijs, qui sunt capaces, & indigent ex Aug. *lib. de cura pro mort. c. vlt.* Non enim, vt supra diximus cum S. Aug vbi supra, & in *Enchir. c. 110.* orat pro damnatis determinatè; neque orat pro martyribus alijsue regnantibus in cælo, sed pro existentibus in purgatorio, &, quia nescit, quinam illi sunt, pro omnibus in Christo quiescentibus orat, si autem ij pro quibus orat in cælo sunt, ait Augustinus, *orationes illæ sunt gratiarum actiones; si in inferno, orationes illæ conuerterentur in fidelium consolationes.* Quodcunque ergo dicatur, nulla poterit deduci legitima consequentia, quod animæ purgantes, egressuræ non sint à purgatorio vsque ad diem iudicij; ad quid enim orare, tur pro eis.

Ecclesia orat pro ijs, qui sunt capaces,

Si sunt in cælo, vel in inferno, quid prosint orationes.

370 Alia argum. Albii de omnium etiã Sanctorum, & Deo fruentium purgatione per ignem; allata sunt in *disput. 11. art. 9. 10. & 11.* Hæc autem adduxisse sufficiat,

vt pa-

vt pateat; Vtrùm illum gratis, & sine fundamento contra Ecclesiæ decreta blaterare, & longum hunc carcerem purgandis assignare.

## §. Vnicum.

### *Quanto tempore duret cuiuslibet Purgantis pœna.*

Ignotum est quanta pœna in via correspondeat peccato mortali.

373 ADuo quod sicut exploratum non est, quanta, & quam diuturna esse debeat pœnitentia, seu satisfactio, quæ cuilibet mortali peccato in via correspondeat, vt purgetur reatus pœnæ temporalis, quam diximus post remissionem culpæ, & æternæ pœnæ frequentissimè remanere: ita, & multò minus exploratū est, primo quanta pro singulis mortalibus, vel venialibus correspondeat in purgatorio: vel si in via quis cæperat satisfacere pro parte pœnæ, quanta sibi remaneat luenda in purgatorio. Quod autè solet inter mulierculas, & simplices asseri de pœna vnius anni in purgatorio debita veniali, septem verò debita mortali, neque ex sacra Scriptura, neque ex Concilijs, neque ex traditionibus, vel Patribus habetur; sed est potius quædam exaggeratiua exemplificatio luendarum pœnarum. vnus autem diutius alio ibidem permanet.

Ita ignotum quanta correspondeat in purgatorio.

Fit prorsus ignotū quātum quisque manere debet in purgatorio.

374 Dico ergo 1. Est prorsus ignotum, quanto tempore cuiusque purgantis mansio in purgatorio debeat perdurare?

Ex Origene.

Prob. ex Origene *lib 8. in epist. ad Rom. c. 11.* sic habente. *Hæc ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisque seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne iudicium tradidit.*

Ex Concil. Mogunt.

374 Confirm. ex *Concil. Moguntino 4. c. 46.* docente de animabus purgandis, *in quo moderata, & mixta clementia severitatis vindicat ad tempus, qui, & misericordiæ suæ, & tormentorum modum, & mensuram nouit:* ergo nobis certum non est.

375 Prob. 2. De fide est, animas purgandas, è purgatorio non egressuras, donec reddat minutissimum quadrantem, idest satisfecerint, pœnam luendo; vel fideles, seu Ecclesia oblationes, sacrificia, eleemosynas, aliaque suffragia pro eis applicent, vt postea dicetur. Sed incertum Ecclesiæ est, quinam sint animarum reatus, & obligationes, quantumue auxilia ista eas iuuent, cum per modum suffragii, vel iustitiæ, vt postea dicetur, applicentur: ergo incertum absolutè est, quantum pro qualibet anima purgante ducatura sit purgatorii pœna.

Arg. ex absurdo multorum suffragiorum.

376 Prob. 3. Si vel certò, vel coniecturaliter saltem sciri posset quantitas pœnæ luendæ, non fierent à fidelibus tot legata perpetua, tot oblationes, &c. pro defunctis; vanum siquidem esset plus soluere, quam creditor exigat. Adde, quod neque fideles sunt certi de statu defunctorum; ergo multò minus de reatus, atque obligationis quantitate.

Incerta est quantitas cōtritionis.

377 Confirm. quia, vt diximus de satisfactione sacramentali; quo maior est pœnitētiæ virtus, seu contritio eò minor restat temporalis pœnitentia soluenda. Sed incertum quantum quilibet de contritione habuerit: item quot venialia, &c. ergo.

Vnus, diutius alio manet in purgatorio.

378 Dico 2. Vnus diutius alio in purgatorio manet iuxta pœnarum luendarum exigentiam; est de fide communis.

Ex iustitia.

379 Prob. 1. Id exigit iustitia Dei distributiua, & commutatiua; vt magis, minusue obligato, maior, minorue imponatur satisfactio, seu verius satispassio.

380 Confirm. sicut in via non omnes egent æquali pœnitentia, & satisfactione; ita neque in purgatorio, cum hæc illi correspondeat.

Ex Gregor. Nissen. duratio pendet à grauitate reatus.

381 Prob. ex Patribus. Greg. Nissenus *lib. de Anima, & Resurr.* vbi de purgandis per ignem præ cæteris, ait. Non est par, vtrumque tum eum, qui in malis vetitis tamdiu versatus sit, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit per purgationem vitiosi habitus ex æquo discruciari, atque dolere, sed pro modo, ac quantitate materiæ, vel largiore, vel breuiori temporis spatio illa flamma dolorifica, quādiù fugerit id, quod eam alat, accendetur. Cui igitur magnū inhæserit onus materiæ, in eo necesse est esse magnam, & diutius durantem flammam, quæ eam consumat; in eo verò, cui minori spatio tēporis ignis ille consumens adhæserit, tantum de vehementiore, atque actiore operatione pœna remittit, quantum, quod ad modum vitiositatis attinet subiectum fuerit diminutum; ergo.

Theodor.

382 Prob. ex Theodoreto. in *cap. 3. epist. prima ad Cor.* cuius locum S. Thomas, vt supra dixi, ait esse abrasum; dicit Apostolus, qui saluabitur, sic tamquam per conflatorium ignem purgantem, quidquid interuenit per incautelam præteritæ vitæ, saltem pedum terreni sensus: in quo tandiù manet, quandiù quidquid corpulenti, & terreni affectus inhæsit, purgetur, &c. ergo.

Hieron.

383 Prob. ex Hieronymo in *cap. 1. Nahum* præ cæteris habente, *magnum peccatum magnis, diuturnisque eius cruciatibus.*

Eucher.

384 Prob. ex Eucherio *Homil. 3. de Epiphania.* Hi verò qui temporalibus flammis digna gesserunt, non exeunt inde, donec reddant nouissimum quadrantem, per flauium igneum, per vada feruentibus gobis horrenda transibunt: quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseuntis

mora

mora: quantum accreuerit culpa, tantum ſibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis diſciplina; & quantum ſtulta iniquitas geſſit, tantum ſapiens pœna deſæuiet.

385 Prob. ſecunda pars. Ex dicendis in proprio art. ex Conciliis, ac Patribus, animæ, quæ in loco purgatorij manent per Eccleſiæ ſuffragia, miſſas, atque alia opera iuuantur, non ſolum in pœnæ diminutione, ſed etiam in totali liberatione, vt enim docet Petrus Cluniacenſis *epiſt. 1. ad Arrlat. Epiſc.* Remiſſiones pœnarum, quas peccata exigunt, in futuro ſæculo aliquando differuntur, quæ ſecundum nobis occultas diſpenſationes iuſtitiæ, & miſericordiæ Dei ſuffragijs operibus bonorum viuorum, aut tempore breuiantur, aut qualitate mitigantur ad remedium bonorum imperfectorum; quæ purgatio aut per occultum Dei iudicium, cum reis illis pro qualitate reatuum exhibetur, aut per inexhauſtã eius bonitatem, Eccleſiæ ſacrificijs, orationibus, eleemoſynis, & his ſimilibus recompenſatur: ergo diuturnitas reatus poteſt per hæc ſuffragia breuiari; de quo dicam poſtea.

Arg. ex ſuffragijs quæ liberant.

386 Dico 1. Verisimile eſt, quod multorum pœna vſque ad diem iudicij ſit duratura, eſt communis.

Aliqua vſq; ad iudicium durabit.

387 Prob. 1. de animabus electis, qui tempore iudicij, vel immediatè, vel paulo ante, vel cum venialibus, vel cum reatibus temporalis pœnæ deceſſerunt; hi enim tunc in purgatorio reperientur. Anteced. eſt per ſe clarum, tamen ab Auguſtino ſic inſinuatur *lib. 21. de Ciuitate cap. 24. D.* vbi poſtquam docuit, Tales (nempe purgandos) etiam conſtat ante iudicij diem per pœnas temporales purgatos non eſſe, in ignem æternum mittendos: proponit poſtea hoc dubium *quid dicendum de his, qui in ſimili vita inuenientur in die iudicij, ideſt quos huiuſmodi eis viuentes inuenerit cum quodammodo vno momento moriantur, & reſurgant, & non ſit ſpatium, vt pro eis, aut oratio. Sanctorum poſſit audiri, aut eorum ante iudicium temporalis pœna purgari.* Et reſpondet, eos etiam diuina egere miſericordia. Sed S. Thomas in *4. ſent. diſt. 47. ar. 4. ad 3.* dicit, eos per ignem eſſe occidendos, & ſic purgandos.

De mortuis in fine mundi.

388 Quod verò alij etiam, ex multo ante tempore ingreſſi in purgatorium, permanere forte poſſint ibi vſque ad diem iudicij, inde pãtere poteſt, quod pœna luenda eſſe poteſt tam diuturna. Imò Petrus Cluniacenſis ex *Dionyſio Carthuſ.* refert quemdam Decretorum Doctorem cuidam apparuiſſe, eique dixiſſe, quod vſque ad iudicij diem in purgatorio eſſet manſurus, & Beda in *lib. 5. cap. 13. hiſt. Anglic.* refert cuidam oſtenſas fuiſſe purgatorij pœnas, eidemque reuelatum, animas multas vſque ad iudicij diem in purgatorio permanſuras; licet aliquæ ſuffragijs viuentium conſequantur, vt citius liberentur.

Ex reuelati

389 Dico 4. Quantumcunque longa ſit purgantis alicuius pœna; tamen ante iudicium finietur: & poſt illud, amplius in vſu non erit purgatorium.

Omnis pœna purgatorij finietur ante iudiciũ.

390 Prob. prima pars ex Aug. *lib. 21. de Ciuit. c. 13.* in fine. *Temporarias pœnas alij in ſua vita tantum, alij poſt mortem, alij nunc, & tunc; veruntamen ante iudicium illud ſeuerißimum, nouißimumque patiuntur.* & in *cap. 24.* de mortuis iuſtis purgantibus, ait, *Tales etiam conſtat ante iudicij diem per pœnas temporales, quas eorum ſpiritus patiuntur purgatos, receptis corporibus æterni ignis ſupplicio non tradendos.*

Ex Auguſt.

391 Confirm. ex Beda in *Pſal. 37.* Et ideo neceſſe eſt, vt hi tales ita corripiantur, ideſt in purgatorio igne, nunc interim ante diem iudicii ponantur, vt quæ in eis immunda ſunt per illum exurantur, & ſic tandem idonei eſſe cum his, qui in dextera coronandi ſunt, inueniantur.

Ex Beda.

392 Prob. vtraque ex S. Textu *Matt. 25.* ſequuta mortuorum reſurrectione, & congregata omnium hominum multitudine ante Chriſtum iudicem, pronunciabitur ſententia, *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, & ite maledicti in ignem æternum.* Ergo alius locus non erit pro hominibus, quam cælum, & infernus. Hæc eſt legitima, & ab Auguſtino maximè, & ſæpè laudata conſequentia ad conuincendum Pelagium de peccato originali puerorum, quia iſti damnantur, nec dabitur pro eis medius locus, ita in *ſer. 14. de Verb. Apoſt.* vbi diffusè probat nullum aliud, præter duo futura hominum loca poſt iudicium, & nos prolixius dicemus in diſput. de ſtatu paruulorum.

Ex Scriptura.

393 Confirm. ſi admitti deberet purgatorium poſt iudicium maximè, deberet admitti pro electis, qui in ipſa die iudicij reperientur viui, & tamen cum peccatis venialibus, vel cum his, & reatu pœnæ temporalis, ſed pro his non aderit purgatorium ex Auguſt. *lib 21. de Ciuit. cap. 24. D.* relato in præced. concluſione; cum his enim Deus miſericordiam exercebit, vt abſque alijs pœnis coram Chriſto compareant; vel ad ſummum, in ipſomet igne conflagrationis probentur: ergo.

A fortiori, non admittitur pro mortuis in tempore iudicij.

394 Confirm. ex Gloſa ord. in *cap. 66. Iſaiæ. V. Dominus in igne*, vbi ait, *in igne. qui erit æternus malis, quos involuet, & ad ſupplicium adducet, quo purgabitur, quod in bonis erit purgandum.* Et ex hac forte accepit S. Th. qui in *4. ſent. diſt. 47. artic. 4.* idem docet: ergo pœna purgandorum finietur ante iudicium.

Solus ignis in inferno durabit poſt iudicium.

395 Confirm. ex eadem Gloſa ord. in *cap. 3. epiſt. 1. ad Cor. v. ignis probabit*, vbi ait, ignis etenim iudicij tandiù durabit, quouſque purgati ſint, qui ſaluandi erunt: ergo poſt diem iudicij ignis non inſeruiet amplius ad purgandum.

396 Prob. 2. ex *Apocal. 21.* vbi loquens

Ioann.

Ioann. de Visione, quam ibi habuit de faciendis in fine mundi, & post iudicium hæc vidisse, et audiuisse narrat: *Et absterget Deus omnem lachrymam ac oculis Sanctorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor, quia prima abierunt, & dixit, qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia.* Ergo cum animæ purgandorum sanctæ sint, & ad gloriam destinatæ, post terribile illud iudicium, & pœnarum sufferentiam, amplius non cruciabuntur.

Fr Apocalyp.

Arg. contra 1.

Ob. contra 1. Purgatio omnium faciendа est in die iudicij, ergo iam certum est, quantum debeāt animæ in purgatorio permanere: anteced. patet ex famoso ac sæpè allato Pauli loco 1. *Cor.* 3. *Si quis superaedificat supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, fænum, stipulā, vnius cuiusque opus, manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vnius cuiusque opus qualis sit ignis probabit. si cuius opus manserit, quod superaedificauit mercedem accipiet; si cuius opus arserit detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ecce quod describit diem iudicij, & probationem operum in igne; ergo vsq; tunc durabunt pœnæ; non enim est credibile, quod interrumpentur, deinde reassumentur.

Apparenter validum.

Aliàs soluū est.

395 Resp. hoc argum. fuisse solutum in art. præceden. vbi actum est de duratione omnium purgantium. optimè enim viderunt Patres hunc Pauli locum, inter quos Augustinus, & Ecclesia in *Concil. Flor.* & tamen decreuit aliquos alijs citius de purgatorio egredi, & ad cælum conuolare.

Argumentū hoc non cōcludit, nisi impossibile.

Resp. 2. si hoc argum. probaret, vnum de duobus concluderet, vel omnes animas, etiam, quæ ædificauerint aurum, argentum, & lapides pretiosos in purgatorio permanere, & sic purgari postea per ignem; quia textus loquitur vniformiter de tempore purgationis, hoc autem hæreticum est: vel sequitur, quod purgandi quoque vsque ad diem protrahunt suam purgationem, interim verò nihil patiuntur, vtrumque autem hæreticum est; quia ex nunc incipiunt pœnas pati; vt in superioribus dictum est; & ideo pro eis rogat Ecclesia. Patuit autem in primo articulo, quod locus ille Pauli intelligitur, vel de die mortis; vel etiam de die iudicij, sed hoc modo, quod omnes quidem in igne probabuntur, at electi non egentes purgatione, vt aurum, ac lapides pretiosi nihil ab igne patientur: qui verò egebunt purgatione, quia adhuc satisfactio, seu satispassis eorum completa non est, cum passione, seu pœna. hoc autem totum fiet in ostensionem diuinæ iustitiæ; quia ille met ignis damnatos inuoluet, comburet, & eos in infernum comitabitur, inquit Glosa ord. in *cap.* 66. *Isai.* v. *Dominus in igne.* Vnde Alcuinus *lib.* 3. *de Trin. cap.* 21. declarans hunc Pauli locum, ait de igne purgatorio, eum dixisse non est dubitandum; quem ignem aliter impij sentient, aliter sancti, aliter iusti sunt sensuri. Nullus ergo nisi Deus scit pœnarum spatium, ac mensuram; vnde Hieron. in *c.* 1. *Nullum*, inquit, *nisi Deum, vt omnium rerum, ita & supplicionum quoque scire mensuras, & non præuenire sententiam iudicis, nec illi in peccatorem exercenda de hinc pœna auferre potestatem, & magnum peccatum magnis eius cruciatibus*, &c.

Duplex cōsequēs hæc ex arg. sequitur

Qualis erit probatio facienda per ignem in die iudicij.

Alcuinus.

Hieron.

Ob. 2. Corpus simul cum anima peccauit: ergo sicut corpora Sanctorum, qui sine macula, & reatu decesserunt sunt præmianda; & corpora damnatorum puniенda post iudicium; ita dicendum est de corporibus eorum, qui purgatione indigent: cum non sit maior ratio de purgatione, quam de præmiatione, & punitione.

Arg. à paritate gloriæ.

396 Resp. neg. conseq. ad probationem, dico hoc pendere à Dei voluntate, iustè semper operante, Potuit quidem, & hoc exigere à purgandis, sed noluit, decernens vt tota anima pateretur, corporis autem pœna esset, nedum dissolutio in cineres, & pœna in mortis tempore, sed & priuatio omnium actuum, quos pro toto tempore vsque ad resurrectionem exercere potuisset. hoc autem certum est, ait Augustinus quod post iudicium duo tantum erunt hominum omnium, saltem adultorum loca, ex *Matth.* 25. Vita æterna, & ignis æternus.

Alia argumenta de duratione pœnarum purgatorij soluta tam sunt in articulo præcedenti.

## ARTICVLVS VIII.

### *Quam grauis sit Purgatorij pœna.*

SCOTVS in 4. *sent. dist.* 21. *q.* 1. sequens Augustini sententiam *de vera, & falsa pœnit.* docet, illam ignis purgatorij pœnam esse graviorem, quam quidquid potest homo pati in hac vita.

Scotimores.

397 Adu. titulum clarum esse, acerbitas pœnæ purgatorij inquiritur, quæ quidē, vt videre est apud SS. Patres, non videtur posse aptius explicari, quam per comparationem ad omnem aliam vitæ huius passionem, licet vna sit alia grauior.

Ar. sensus.

Pœna purgatorij est maior omni huius vitæ.

398 Dico ergo: pœna purgatorij in quouis gradu sit, est adeo grauis, vt superet omnem aliam, quæ possit in hac vita sustineri.

399 Prob. ex S. August. in *Psal.* 37. vbi explicans locum Pauli, ait. *Dicitur enim ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem, & quia dicitur saluus erit, contemnitur ille*

Auguſti

*ignis, quam quidquid poteſt homo pati in hac vita, & in libro de vera, & falſa pœnit. c. 18.* quod refertur in *diſt. 25. cap. penult. & in diſt. 7. de pœnit. c. vlt.* ait, *qui in aliud ſæculum diſtulit fructum conuerſionis, prius purgabitur igne purgationis. Hic autem ignis, & ſi æternus non ſit, miro tamen modo grauis eſt; excelſit enim omnem pœnam, quã vnquam aliquis paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt.*

Beda.

400 Confirm. ex Beda in *Pſal. 37.* eadem ferè verba Auguſtini referente, & aſſerente.

Bernard.

401 Prob. ex Bernardo in *ſer. de Humberti obitu.* Illud enim ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgabilibus locis centumpliciter, quæ fuerunt hic neglecta reddentur, vſque ad nouiſſimum quadrantem.

Innoc. 3.

402 Innocentius III. in *Pſal. Pœniten.* Ab vtroque igne inferni, & purgatorii petit pœnitens liberari, cum ait, *Domine ne in furore tuo arguas me.* ideſt non punias me in purgatorio igne, in quo tanta erit incendii vehementia, quod quaſi furere videberis etiam in electos; cum minor pœna, quæ erit in purgatorio cenſeatur maior quantalibet pœna, quæ eſt in hoc mundo.

S. Bonau.

403 S. Bonau. *in 4 ſent. diſt. 20. qu. 1. q. 2. n. 17.* ait, dicendum, ſicut dicit Magiſter, & Sancti etiam multi dicunt, oportet nos concedere, etiam ſi nobis non appareat ratio, quod pœna purgatoria grauior eſt omni temporali pœna, quam modo ſubſtinet anima cum carne coniuncta. Magiſtrum ſecuti ſunt omnes ſententiarij.

Taulerus dicit maior quam pœna martyrum.

404 Idem docet Ioannes Taulerus in *feſto omn. Sanct.* In purgatorio maiorem pro aliqua terrena delectatione, & vno peccato veniali pœnam luemus quam ſint omnium illorum Martyrum, quorum hodie feſta colimus pœnæ etiam in vnum conflatę.

405 Ludolfus Carthuſ. de vita Chriſti *p. 2. c. 87.* docet in purgatione duplicem eſſe pœnam, vnam damni, aliam ſenſus; & ſubdit, quantum ad vtramque minor pœna purgatorij, maior eſt, quam maxima pœna huius mundi.

Rufinus:

406 Rufinus in *Pſal. 37.* præ alijs habet, per ignem intelligi poteſt ignis purgatorij examinatio. Grauior autem erit ignis ille, quam quidquid poteſt homo in hac vita tolerare.

Granitatis pœnæ exaggeratio.

407 Prob. 3. Adeò grauis eſt purgatorij pœna, vt, qui per vnam tantum horam in eo moratus fuerit, ſibi videbitur per annos quamplurimos pœnam illam duraſſe: ſic refert S. Antoninus *4. p. ſum. c. 10. §. 4.* de viſione cuiuſdam ſceleſtiſſimi hominis, grauiter ægrotantis, & rogantis Deum, vt de carcere illo corporis ipſum educeret. Cum autem ex diuina miſeratione Angelus ei appareret, & optionem proponeret: vtrũ mallet per annos duos infirmitatem illam tolerare, & poſtea ad cælum euolare; an tunc moriendo per tres dies in purgatorio manere; ipſe elegit ſecundum. Vnde exauditus è vita excedens in purgatorium delata eſt anima eius. Poſt vnam autem horam apparuit ei idem Angelus, interrogans, ſi eum agnoſceret, & cum negaret, ait Angelus, Ego ſum, qui optionem ſibi obtuli dr tribus diebus purgatorij: reſpondit, nequaquam es Angelus Dei, quia mentitus es, manſi enim in maximis iſtis pœnis per plures annos: cui tamen dixit Angelus, ſcito quod per vnam tantummodo horam in eis fuiſti, & debes per tres dies manere; cui ille, roga Deum pro me, quia inſipiens fui in hac electione. & ſi iterum ad vitam rediero, non per duos annos tantum, ſed quantum Deo placuerit infirmitatem illam tolerabo; quod & obtinuit, & patientiſſimè morbi moleſtias toleranit: hæc Antoninus; ergo grauiſſima omnium eſt purgatorij pœna.

S. Antoninus de quodam per vnam horam exiſtente in purgatorio, & putáte quod per annos multos ibi fuiſſet.

Eligit morbum perpetuum, ac dolorum huius vitæ poſitus, quam per tres dies manere in purgatorio.

408 Dico 2. Certum in Eccleſia non eſt, an pœna purgatorij per ignem, ſiue aliæ etiam admittantur, ſicut ſunt magis, & minus diuturnæ, ſic etiam ſint magis, & minus graues in intenſione; vel potius in hoc ſint æquales, & differant ſolum in diuturnitate: tamen non videtur improbabilis aliqua diuerſitas, etiam intenſionis.

Non eſt certum an pœnæ differant in intenſione, ſed ita eſt.

409 Prob. 1. pars: neque ex Scriptura, neque ex Concilijs, neque tandem ex Patribus colligitur inæqualitas intenſionis; ergo non videtur admittenda, niſi aliter Deo reuelante ab Eccleſia iudicetur. Anteced. prob. vbicunque ſit mentio de pœna purgatorij ſemper agitur de menſura temporis, vt alius alio citius dicatur egreſſurus. Gregorius enim Niſſenus *lib de anima, & reſurrect.* ſic loquitur. *Planè neceſſe eſt, vt dum vitioſitas purgatorio igne abſumitur, anima quoque quæ cum vitioſitate vnita, in igne ſit, donec id, quod infeſtum eſt, igne conſumptum ſit;* & poſt. *Pro quantitate vitioſitatis, quæ in vnoquoque fuerit, cruciatus, & doloris modus adhibetur.* & ſequitur. *Non enim par eſt, vtrumque, tum eum, qui in malis vetitis tandiu verſatus ſit, tum eum qui in mediocria quædam delicta inciderit per purgationem vitioſi habitus ex æquo diſcruciari, atque dolere, ſed pro modo, & quantitate materiæ, vel longiore, vel breuiori temporis ſpatio illi flamma dolorifica quandiu fuerit id, quod eam alat, accendatur.* Ecce, quod omnem inæqualitatem pœnarũ conuenientium magnis, paruiſue debitis, reducit ad inæqualitatem temporis manſionis, non verò ad inæqualitatem intenſionis.

Ex Scriptura, & Concilijs non colligitur.

Patres ſemper de durtione exemplificant.

410 Prob. 2. cum Concil. Florentinum in literis vnionis declarat animas pro culpis leuibus, vel pro ſatisfactionibus in hac vita non adimpletis purgari; vel cum purgati de purgatorio exeuntes in cælum recipiuntur, nullam facit de intentionis inæqualitate mentionem. Neque id tangitur à Concilio Senonenſi, vel à Moguntino

Concilia de hoc puncto non loquuntur.

quæ

quæ exactè de hoc puncto tractarunt; neque postea à Tridentino, & tamen Florent. immediatè post loquens de damnatis, ait, *in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendos*, hic facit mentionem de pœnarum disparitate, non ibi ergo forte quoad intensionem non agnouit adesse disparitatem.

Neque Innoc. IV.

411 Confirm. *Innocentius IV.* qui omnibus clarius de re, ac nomine purgatorij, de causa finali ac pœna ignis locutus est, in *Const. 14. sub Catholicæ*, nullum prorsus facit verbum de inæqualitate intensionis pœnarum. ergo certum non videtur in Ecclesia, si adsit hæc inæqualitas.

August. de sola duratione loquitur.

412 Prob. 3. Patres, & præsertim Augustinus, qui alijs explicatius de purgatorijs pœnis est locutus, de duratione tantum inæquali, non verò de intentione videtur loqui, sed quod alij citius, alij serius liberantur.

Cyprianus etiam loquitur.

413 Confirm. S. Cyprianus in *epist. 52. ad Antonianum*, loquens de omnibus decedentibus, ait, alium missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem, alium statim fidei, virtutisq; mercedem accipere, alium pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari, & purgari diù igne, &c. vbi de sola diuturnitate pœnæ ignis atque cruciatuum, non de intensione inæquali loquitur.

Eucher.

414 Confirm. 2. ex Eucherio *homil. 5. de Epiphania*, vbi præ alijs ait, *quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertransiuntis mora: quantum asseruerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit rationabilis disciplina*, vbi, vt patet, ad solam moram reducit inæqualitatem pœnæ.

2. pars. Potuit etiam asseri diuersitas in intensione,

415 Prob. secunda pars, Ex cod. Nisseno loco vbi supra allato, nam postquam totam inæqualitatem videtur ad durationem pœnæ retulisse, mox addit. *Cui igitur magnam inhæserit onus materiæ, in eo necesse est magnam, & diutius durantem esse flammam, quæ materiam tam consumat. In eo verò, cui minori spatio temporis ignis ille consumens admouetur, tantum de vehementiore, atque acriori operatione pœna remittit, quantum quod ad modum vitiositatis attinet subiectum fuerit diminutum.* Igitur admittit in intensione etiam inæqualitatem; imò ex duplici capite, nempe ex maiori vitiositate, ideſt, vel ex culpis, etsi venialibus, tamen grauioribus; vel ex reatu pœnæ prouenientis ex culpa mortali deleta, sed graniore. Secundò, si breuius sit in purgatorio, quis detinendus. hic est germanus Nisseni sensus: ergo datur vna pœna grauior alia in intensione.

Ex Petro Cluniacensi.

416 Prob. 2. ex Petro Cluniacensi in *epist. ad Arelatinsium Episcopum contra Petrò Brusianos*, docente, pœnas in futuro sæculo differri; & addit. Quæ secundum nobis occultas dispensationes iustitiæ, & misericordiæ Dei pijs operibus bonorum virorum, aut tempore breuiantur, aut qualitate mitigantur, &c. ergo saltem non semper sunt æquales in intensione.

S. Bonau.

417 Prob. 3. ex S. Bonau. in *4. dist. 21. p. 3. q. 1.* in solut quæst. dignum est, vt qui grauius offendit, acerbiore pœna, & dilatione à patria longiore puniatur, diuina hoc iustitia faciente: ergo secundum eum datur in purgatorio in pœna etiam ignis vna acerbior alia.

Ex paritate pœnæ damn.

418 Confirm. pœna damni in purgantibus est inæqualis quò ad durationem: ergo etiam pœna sensus debet esse inæqualis, nec valet dicere esse inæqualem eodem modo, nempe quoad durationem; quia pœna damni, cum in eis non sit capax augmenti, & decrementi, neque possit pati inæqualitatem in alio, quam in duratione; at pœna illa sensus est capax augmenti, & decrementi.

Iterum ex S. Bonau.

419 Prob. 4. ratione accepta ex eodem S. Bonau. in *4. dist. 20 p. 1. q. 2.* Iustitia exigit, vt cuilibet reatui, & culpæ correspondeat pœna proportionata: ergo de necessitate admittenda est in purgatorio inæqualitas pœnarum in intensione; conseq. prob. dari possunt reatus culparum grauissimarum, vt apostasiæ, desperationis, seu peccatum in Spiritum Sanctum, oppressionis innocentium, &c. similium; & dari possunt in alio simplicis peccati mortalis, puta fornicationis, aut furti in infima summa, quæ tamen sufficiat ad mortale; si habentes horum reatus decedant, iustitia exigit, vt grauiori pœna puniatur primus, quam secundus.

Ex iustitia;

A paritate damnatorũ.

420 Prob. 5 à pari in inferno etiam datur inæqualitas pœnarum pro grauitate culparum; ergo debet pariter admitti in purgatorio pro grauitate reatuum. si enim commutatur æterna in temporalem, commutatur etiam grauitas æternæ in leuiorem quidem temporalem, sed seruata proportione pœnarum in inferno luendarum.

Ex congruitate,

421 Prob. 6. Inuerisimile, & incongruum videtur, vt habens vnum, vel duo venialia tantum, absque reatu, vel obligatione pœnæ ex mortalibus insurgente, debeat eodem prorsus modo cruciari, quo quis habens reatum ex grauissimis mortalibus, etsi dimissis, insurgentem, ergo debet admitti inæqualitas intensionis in pœna ignis.

Arg. contra primam.

Ob. contra 1. vel est sermo de pœna sensus, vel de pœna damni, quidquid dicatur, non est omnium maxima. Ergo, min. prob. Si dicitur primum, maior est pœna damni, quam aliquis patitur in via, nam hic non est certus de visione Dei, sicut existens in purgatorio; si dicitur secundum cum pœna sensus debeat correspondere pœnæ illi, quam tenetur quis luere in via, & hæc non sit semper omnium maxima. sequitur, quod neque ibi sit talis; alioquin purgandus grauaretur decedens ex hoc mundo;

Arg validũ, sed apparẽs,

plus enim ab eo exigeretur in purgatorio, quam debebat in via.

Authoritati in hac nitendum.

413 Resp. ex *Bonau. in 4. dist. 20. p. q. 2.* in corp. quæst. quod licet non appareret ratio, adhuc tamen cum Sanctis debemus concedere, quod purgatorij pœna sit maior omni alia huius vitæ, & in hoc innitendum est magis authoritati, quam rationi, quia id de quo agitur est magis supra naturam, & rationem, quam secundum eas.

Pœna dam. ni quare maior in purgato. quam in via.

Resp. tamen primo in forma ad argum. quod reuera termo est hic de pœna sensus, sed etiam si esset de pœna damni, adhuc maior esset illa purgatorum, quam viatorum, quia illi firmiter sperant, & diligunt super omnia. & tamen incerti sunt an carentia protrahi debeat vsque ad diem iudicij; at viatores sperant quidem, sed certi sunt: ideo non apprehendunt visionem Dei, vt sibi conuenientem, vel debitam proximè & sic non cruciantur, de carentia: secundò quia viatores confidunt, vel per indulgentias, vel per suffragia, quæ sibi parabunt in exitu vitæ, statim obtinere Dei visionem: ideo minus grauis est carentia in istis quam in illis.

Quare maior pœna sibi quam in via.

413 Resp. ergo ad illud de pœna sensus, quod est grauior, ad impugnat. respondet S. Bonau. vbi supra, quod Dei iustitia magis acceptat pœnas absolute voluntarias, & à nobis met ipsis electas, quam alias ab extrinseco illatas, licet acceptatas, quia in illis totum est voluntarium purum, in istis verò est aliquid de inuoluntario. Ad id autem de grauamine, & quod plus exigitur, facilis est responsio, scienti enim, & volenti nulla fit iniuria. At viator scit, quod si aliquo impetenti, ac digna pœnitentia decedit grauiorem in alio sæculo sustinebit: ergo sibi imputet, si in hoc non curauit pœnitentiam agere, vel per contritionem vehementem, vel per alia opera externa purgatiua reatus.

Non grauatur purgans & quare.

Ob. 2. Maior est pœna quando passum transmutatur, quam dum integrum manet. Sed in vita præsenti dum quis patitur, destruitur: non sic ibi.

Maior passio in purgatorio est, non maior læsio.

414 Resp. neg. antec. Alioquin damnatorum pœna non esset grauissima, dicitur ergo maior læsio, quando passum destruitur, non verò maior pœna, nam decapitatio est leuior passio, quam combustio, vel decoriatio, & tamen hæc est maior passio.

## ARTICVLVS VIII.

### *De nonnullis ad statum purgandorum spectantibus.*

Scotus causa de purgatorio dicit.

SCOTVS valdè sobriè de purgandorum statu locutus est, nō enim ex vitæ ipsius breuitate, completè potuit omnes Theologiæ difficultates percurrere, id eo ex Scriptura, Conciliis Rom. Pont. decretis, nec non Patribus, aliisque Doctoribus nonnulla ad statum illum medium spectantia, discutiemus.

Multa discutienda, & quæ.

415 Adu. igitur hæc in præsenti art. esse videnda. Primo, an à dæmonibus, vel à quo, animæ ad purgatorij locum deferantur. Secundo an à dæmonibus torqueantur. Tertio, an voluntariè patiantur. Quartò, an sciant, quæ fiunt in mundo. Quinto, an orent pro viatoribus. Sexto, an sint certi, & securi de propria salute. 7. An possint operari miracula, & alia id genus.

Non est certum, sed probabilior, quod ab Angelis animæ ferantur in purgatorio.

416 Dico 1. Certum non est, an animæ purgandæ exeuntes è corpore ducantur in locum purgatorij ministerio bonorū Angelorum, vel dæmonum. Sed probabilius est, quod ministerio Angelorum, explicite id docent S. Bonau. *in 4. dist. 20 p. 1. q. 5.* S. Thomas *pariter in 4. dist. 21. ar. 1. q.* Licet ipse addat quod dæmones etiam comitantur.

417 Prob. prima pars: nullibi in scriptura reperitur reuelatum, neque ab Ecclesia, vel à Conciliis definitum. ergo certum non est.

Arg. à pari de animabus Lymbi.

418 Prob. secunda pars, à pari de animabus quæ ducebantur ab Angelis in sinum Abrahæ, esto in lymbo essent. Ergo idem dicendum de purgandis. Anteced. prob. *ex Luca 16. factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Conseq. prob. non videtur esse maior ratio de ferendis in lymbum, ac in purgatorium, cum vtrique sint iusti, & amici Dei.

Excōgruentia.

419 Prob. 2. non videtur congruum, vt animæ iustæ, quæ dæmones superant, cum eis habeant post mortem commercium: ergo.

A pari de Beatis.

430 Prob. 3. animæ quæ ad cælum euolant, ministerio Angelorum ducuntur; vt multis visionibus comprobatum est de S. Benedicto, de Sancto Patre Francisco, & innumeris alijs. Ergo idem de purgandis dicendum est, eò vel maximè, cum ab eisdem Angelis de loco purgatorij, completa pœna, sint educendæ.

Dices, posset asseri, quod à dæmonibus deducantur, vt obsequium hoc à dæmonibus accipiant, non verò, vt ab eis aliquid mali patiantur.

431 Resp. hoc etiam esse possibile, ideo

ideo dixi non esse certum, sed præfatis DD. videtur congruentius, vt ab Angelis deducantur.

Possent etiã ferri à dæmonibus, si Deus vellet.

432 Dico 2. Probabilius est, quod animæ in purgatorio non torqueantur à dæmonibus. ità S. Bonau. & S. Thomas in locis nuper citatis.

Probabile est, quod nõ torquentur à dæmonibus.

433 Prob. 1. Non est exploratum, vt in superioribus dictum est, an aliam pœnam animæ patiantur, quam ignis; ergo non cruciantur à dæmonibus: non enim apparet, in quo deberent cruciari, cum ignis ex se suum munus exequatur.

Ex congruentia.

434 Prob 2. Incongruum videtur, vt animæ purgandæ quæ dæmones vicerunt, & de illis triumpharunt, eis postea subijciãtur: ergo: anteced. prob. *ex 2. Petri 2. à quo quis devictus est eius seruus efficitur est*, in casu autem è contra res se haberet; vincens enim, ac triumphans, victo subijceretur, quod summam Dei prouidentiam, ac iustitiam non decet.

Non habetur neque in scriptura, neque in Concilijs.

435 Prob. 3. nullibi in scriptura, vel in Cõcilij, innuitur eiusmodi cruciatus purgandorum per malos angelos, neque per bonos, sed ait Apostolus *ignis probabit*, opus eius *detrimentum patietur, ipse autem saluus erit sic tamen, quasi per ignem*. ergo non aderit dæmonum cruciatus.

436 Probat. 4. ex S. Bonau. alius punit filium, alius verò latrunculum. Ergo, cum animæ purgandæ, sint Dei filiæ, animæ autem damnatorum sint velut latrunculi; si illæ puniuntur per tortores, ac dæmones non sic illæ.

Ex indecentia.

437 Prob. 5. Indecens est, vt amici Dei per inimicos ipsius Dei exagitentur, neque vrget exemplum de Iob, qui Satana vexatus est, & de alijs nonnullis, quos permittit Deus per dæmones in hac vitã exagitari, quia hoc est ad tentationem, & agonem, vt possint in tentatione magnum facere proventum, pugnant enim Dei serui in stadio, dum dæmones inuadentes repelluntur; in purgatorio verò non adesset causa, vel occasio pugnæ, meriti, aut triumphi, sed cederet in magnum animarum opprobrium si à dæmonibus cruciarentur; sic enim suam in eos exatiarent crudelitatem, ac vindictam; & zelo inuidiæ in triumphatores suos insurgerent; quod est inconueniens quia solatium esset dæmonum in iustas animas desæuire.

Non est eadem ratio de vita, & de Purgatorio.

Dices ex S. Greg. Homines, illos habebunt tortores in pœna, quos habuerunt incentores in culpa; ergo per dæmones torquebuntur.

Quorum in inferno animæ torquẽtur à dæmonibus.

438 Resp. d. sr. nisi de ijs triumpharunt concedo, si triumpharunt, nego: de illis autem loquitur Greg. nempe de damnatis; isti enim demonibus se subijciebant; ideo ab eis torquendi sunt, non sic illi, qui ipsos vicerunt, & de eis triumpharunt.

## §. 1.

## *An pœna Purgatorij sint voluntariæ.*

Voluntarium formale, & obiectiuum

439 Adu. ex tract. *de act. hum.* voluntarium duplex esse: quodam formale quodam obiectiuum: actus potentiæ, scilicet voluntatis est formale; res autem volita, & ipsimet actus, siue imperati, siue per reflexionem cogniti & voliti, dicuntur voluntaria obiectiua: hic ergo quæritur, an animæ purgandæ velint, vel nolint, seù odio habeant pœnas illas.

Verumque duplex, absolutum, & cõditionatũ

440 Adu. 2. quod voluntarium, siue formale, siue obiectiuum duplex esse potest, absolutum, & conditionatum. Primum est quando absolutè, & non ex suppositione alicuius circumstantiæ voluntas facit actum prosecutionis, seù electionis circa aliquod obiectum, & hoc accidit quando vult aliquod obiectum bonum absque vllo incommodo, saltem apprehenso. Voluntarium conditionatum est quando voluntas secundum se nollet aliquod obiectum, tamen, vt effugiat aliquod maius incommodum, vel vt obtineat aliquod maius bonum, prosequitur illud, quod sibi commodum absolutè non est. Experientia clara est in naturalibus: infirmi enim vt effugiant mortem, vel diuturnum aliquem dolorem, eligunt sectionem alicuius membri, & sic de alijs. Patet etiam in moralibus, peccator enim, vt æternam pœnam effugiat, & sic beatitudinem consequatur, eligit pœnitentiam facere, & multa assumit incommoda.

Exempla clara.

Notandum insuper, quod voluntarium hoc conditionatum dupliciter potest contingere, nempe per electionem, & per acceptationem; i. potest aliquis ob meliorem finem, vel ad fugiendum maius malum, ex se ipso eligere aliquod incommodum, vt de infirmo, & de pœnitente notum est, & potest insuper non eligere illud incommodum, si tamen adueniat ab extrinseco aliquo, gratanter acceptare ob meliorem finem, vel ad fugiendum maius malum; & in hoc maximè versatur virtus patientiæ: hæc autem acceptatio, & sufferentia malorum voluntaria, est etiam satisfactoria, & virtuosa in hac vita, vt habetur ex *Concil. Trident. sess. 14. can. 13.*

Voluntariũ conditionatum adhuc duplex.

Ad tristitiã sufficit nolitio obiecti conditionatæ.

441 Adu. vlt. quod ex August. *lib. 14. de Ciu. c. 15. Tristitia est*, ex rebus; quæ nobis *nolentibus accidunt*, nemo enim patitur in eo, quod *vult*; sufficit autem ad eam causandam etiam conditionata nolitio ex Scot. *in 3. dist. 15. q. vn. §. Præter duos* vnde ait, Christum Dominum absolutè volentem passionem, & mortem *oblatus est, quia ipse voluit*, Isaiæ 53. adhuc passum esse tristitiam, *tristis est anima mea vsque* ad mor-

mortem, hæc autem non potuit procedere ex nolitione abſoluta mortis, ſed conditionata nolitione, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat calix iſte à me*, his autem poſitis;

Pœnæ purg. ſunt voluntariæ cõditionatæ. nõ abſolutè.

442 Dico pœnæ purgatorij ſunt animabus illis voluntariæ, non abſolutè, ſed conditionatè, eſt communis, & de fide D. Bonau. *in 4. d. 20. p. 1. q. 3. D. Thom. diſt. 21. qu. 1. q. 4.*

Sunt voluntariæ.

443 Prob. prima pars, quod ſint voluntariæ. Inter cæteras Lutheri hæreſes hæc eſt vna, *quod animæ exiſtentes in purgatorio peccant ſine intermiſſione, quia quærunt requiem, & horrent pœnas;* hanc præ cæteris damnat Leo X. *conſt. 40. §. 39.* ergo non abſolutè horrent, ſed eas volunt.

A poſteriori quia non poſſunt peccare.

444 Conſ. animæ illæ ſunt confirmatæ in gratia, nec poſſunt peccare, aut velle oppoſitum ei, quod vult Deus, ſciunt autem Deum velle, vt patiantur ibi, & ſatisfaciant pro temporali pœna: ergo,

A priori ex operatione rectâ.

445 Conſ. 2. omnis operans ſecundum rectam rationem, operatur conformiter ad regulam iuſtitiæ: vult autem iuſtitiæ regula, vt quilibet debitor ſatisfaciat: ergo, cũ animæ ille operentur ſecundum rectam rationem, volunt, & acceptant illatam ſibi pœnam.

Aliud ſimile

446 Conſ 3. quilibet operans ſecundũ rectam rationem vult minus malum ad fugiendum maius; maius autem malum eſt priuari Dei viſione, quam cruciari in purgatorio, illud autem ſequeretur, ſi hoc non ponerentur: ergo,

Non volunt abſolutè.

447 Prob. ſecunda pars, quod non velint abſolutè pœnas: pœnæ, & incommoda non ſunt obiecta proſecutionis abſolutè: hęc enim reſpicit bonum, & ſic Ariſt. ait neminem ſponte facere iacturam bonorum ſuorum, multo magis commodorum; & maximè fugit incommoda.

Cõditionatè velint.

448 Prob. tertia pars, quod velint conditionatè. Hoc modo ſunt nolita omnia mala illata, quæ conducunt ad finem aliquem bonum, vel liberant à minori malo; ſic inciſio brachij vel cruris; proiectio mercium, &c. eiuſmodi naturalia mala: ſic & omnes calamitates quæ à Deo immittũtur, per quas quidem homo ſatisfacit cum eſt liberatus ab æterna morte: ergo eodem modo ſe habent animæ illæ in pœnis;

Licet velint pœnas vt illatas adhuc voluntariè velunt,

449 Prob 3. Si quid obſtaret, maximè eſſet, quod animæ illæ non eligunt pœnas, ſed patiuntur tantum illatas. Sed hoc non obſtat: ergo, minor prob. nam, licet aliquando poſſint etiam eligi mala, vt ſunt pœnitentiæ ſponte aſſumptæ, & eiuſmodi mala ſint magis voluntaria in genere conditionatorum; tamen quando non eliguntur, ſed ab alio inferuntur, adhuc ſunt voluntaria, licet non ita perfecta ſicut priora, alioquin actus patientiæ in malis illatis non eſſent virtuoſi, quod eſt hæreticum, ait enim ſaluator *Luce 21. in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, & Hebr. 10. Patientia vobis neceſſaria eſt; vt voluntatis ea promiſſionem*, & ideo Concil. Trid. vbi ſupra, dicit, *ſatisfieri Deo per pœnas ab eo inflictas, & patienter toleratas* per actus autem non honeſtos, ſeù non virtuoſos, nequit ſatisfieri.

Actus patientiæ ſunt virtuoſi.

450 Prob. 3, Animæ illæ ſic volunt, vt ſi Deo placeret, nollent eſſe in ijs pœnis; quia tamen Deus vult, volunt & ipſæ, vt Deo ſatisfiat per earum ſufferentiam: ergo volunt eas conditionatè.

Volunt quia Deus vult.

451 Prob. 4. Nulla eſt implicantia, imò quotidie experimur in nobis eiuſmodi voluntates conditionatas, ideſt rerum volitiones in aliquibus circumſtantijs, quæ ſi non adeſſent. neque volitiones illæ eſſent. Ergo ſic etiam velle poſſunt animæ purgandæ.

Experientia docet poſſe res ſic velle

Ob. Animæ purgandæ triſtantur de pœnis: ergo iſtę non ſunt voluntariæ, quia triſtitia eſt de rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.

Arg. cont.

451 Reſp. nego conſequ. ad prob. dico ſufficere nolitionem etiam conditionatam, vt adſit triſtitia; patuit de Chriſti triſtitia, vt in notabili, Adde, quod non habent inclinationem naturalem ad pœnam, & licet ſecundum appetitum deliberatiuum, eam acceptẽt, adhuc tamen accidit triſtitia de dolore; ſicut enim martyres voluntariè ſe martyrio ſubmittunt; cum tamen mortem oppetunt, eo naturali dolore natura triſtatur, ita de animabus purgatorij; eõ vel maximè, quia adeſt nolitio illa conditionata.

Triſtitia oritur etiam ex voluntate conditionata.

Ob 2. Animæ illæ horrent pœnas. Ergo non ſubſtinent voluntariè. Anteced. prob. ſunt contra naturalem appetitum.

453 Reſp. diſt. de horrore naturali, & deliberatiuo, primo modo horrent abſolutè, nullatenus enim ad eas inclinantur, ſecundo modo, conditionatè tantum, & hoc non repugnat, ſicut neque in Chriſto horror mortis.

Naturaliter & libert, ſed conditionatè horrent pœnas.

Ob 3. Voluntarium eſt à principio intrinſeco ex 3. *Ethic. c. 5.* ergo cum pœnæ ſint ab extrinſeco nequeunt eſſe voluntariè.

Voluntarium formale eſt ab intrinſeco.

454 Reſp. diſt. de obiectiuo, & formali, vt in notab. Animę ergo purgandę circa pœnas habent voluntarium formale, quia eas ſaltem acceptant, qui actus eſt à principio intrinſeco, nempe voluntate; ipſæ autem pœnę ab extrinſeco illatæ, ſunt acceptatæ per actum illum; & hoc modo omne obiectum volitum dicitur voluntarium.

Ob 4. Animæ illæ non poſſunt non ſufferre pœnas illas. Ergo non ſufferunt voluntariè, Antec. prob. non poſſunt eſſe diformes voluntati Diuinæ detinente illas in ijs pœnis, Conſequ prob nemo operatur voluntariè in eo, quod vitare nequit.

455 Reſp. hoc arg. eſſe commune etiã beatis circa fruitionem, & Chriſto circa paſſionem. Beati enim voluntariè, & ſumma

cum

cum electione Deum diligunt, eique perenniter inhærent, & tamen nequeunt ab eius amore recedere. Christus Dominus mandatum Patris libentissimè fecit, ideſt in omnibus vsque ad mortem fuit obediens, nec potuit à volũtate Patris dissentire, quia ab intrinseco impeccabilis est: idem de animabus illis dicendum esset, quod voluntariè acceptant, estò nequeant dissentire: At quia licet hoc verum sit de omnibus, communis tamen difficultas non soluitur de nullo: dico igitur in omnibus verum esse, quod in sensu composito, & proximè nequeunt dissentire; at in sensu diuiso, ac remotè possunt; ideo voluntariò operantur. Nisi velis dicere, & etiam benè, quod ad merendum quidem, ac demerendum requiritur indifferentia proxima ad operandum, non verò ad voluntariè simpliciter agendum: & sic saluatur quidem amor Beatorum, & acceptatio pœnæ purgandorum, at per hoc non saluatur Christi operatio, quæ meritoria erat: ideo pro hoc casu, nisi ad vniuersalem operum Christi dispensationem recurramus, primæ responsioni est insistendum, de indifferentia remota ad contradictoria.

Vrget contra amorem Beatorum,

Et Christi meritum.

Remotè, & sei sensu diuiso possunt dissentire.

Argum. hoc vrget de merito.

## §. 2.

## *An animæ Purgatorij sciant quæ fiunt in mundo.*

456 ADu. quod de hoc puncto multa dicta sunt in *disp.* 19. *art.* 10. de Beatorum cognitione, ac proinde breuius res expedietur.

457 Dico ergo. Animæ existentes in purgatorio regulariter non vident, neque aliunde sciunt, quæ fiunt in mundo, nisi ea tantum, quæ vel per Angelos, vel per animas de nouo ad eas aduenientes Deus permiserit eis reuelari, vel ab ipsomet Deo immediatè sciunt: est communis.

458 Prob. totidem Augustini verbis in *lib. de cura pro mor. ger. cap.* 15. & adducitur in *cap. fatendum* 13. *qu.* 2. sic habente: *Proinde fatendum est, nescire quidem mortuos quid hic agatur; sed dum hic agitur posse à viuis audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt. Non quidem omnia, sed quæ sinuntur iudicare, qui sinuntur etiam ista meminisse: & quæ illis, quibus hæc indicant oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui hic præsto sunt, audire aliquid moriens, quod vnumquemque illorum audire debere iudicat, cui cuncta subiecta sunt*: & post aliqua. *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, non solum præterita, vel præsentia, verum etiam futura spiritu Dei reuelante cognoscere*, &c. ergo.

Animæ purgatorij regulariter nõ vident quæ fiunt in mũdo, sed ex speciali reuelatione Dei.

Augustini sententia est,

459 Prob. 2. Non videtur alius modus possibilis, quo animæ purgandæ hæc mundana videant, cum remotissimæ sint à nobis.

460 Prob. 3. à fortiori. Beati, vt *in disp.* 19. dictũ est, non vident quæ hic aguntur, nisi Deus eis reuelet in verbo. vel sinat per Angelos eis manifestari: ergo multo minus id cognoscunt animæ purgandæ.

A pari de Beatis.

461 Prob. 3. à pari. Animæ existentes in lymbo nesciebant quid hic ageretur: ergo idem de animabus purgatorij dicendum est. Anteced. prob. *Isaiæ* 63. habetur, *Abraham nescivit nos, & Israel ignoravit nos*. Item SS. PP. qui erant in lymbo non cognouerunt quid faciebat in mundo Christus, neque ipsius aduentum, nisi vel per accessum Ioannis Baptistæ animæ ad eos, vel per solum Christi descensum ad inferos: ergo.

A paritate existentium olim in lymbo.

462 Prob. 3. ex Ansel. Cantuarien. in *Elucidario*. Animæ iustorum sciunt omnia quæ hic aguntur. Quæ autem in pœnis sunt, nesciunt, nisi quæ eis Angeli, vel Sancti referunt: quæ verò in inferno sunt, non plus norunt quid hic agatur, &c.

Ansel. Cantuar.

Dices, animæ purgatorij sæpè operantur miracula, & sæpissimè fideles earum deuoti, earumdem inuocatione, maxima à Deo obtinent beneficia: ergo. Conseq. probatur. Nisi scirent, quæ in mundo fiunt, non orarent pro eorum deuotis, & sic non possunt exaudiri.

Instantia à optima.

463 Resp. neg. conseq. ad prob. dico, quod non est impossibile, neque adeo inuerisimile, quod Deus aliquando eis significet orationes fidelium, & permittat pro eis orare, & earumdem intuitu beneficia præstet, ac miracula operetur. Poterit tamen regulariter hoc contingere, absque tali innotescentia, vt Deus ipse exaudiat fideles, animas purgatorij inuocãtes, & earumdem intuitu, absque ipsarum orationibus, viatorum preces exaudiat, sicut intuitu meritorum Abrahæ, Isaac, Iacob, & Dauidis in lymbo existentium, absque eorum scientia beneficia multa populo impendebat, vt in §. 3. tangetur.

Aliquando Deus posset reuelare orationes fidelium.

Vel Deus absque earũ notitia operatur mitacula intuitu eorum.

## §. 3.

## *An animæ Purgatorij roganda sint, vt orent pro viatoribus.*

464 DIco animæ purgatorij, rogandæ non videntur, vt orent pro viatoribus: & ipsæ regulariter non orant pro nobis.

Non videntur rogandæ, vt orẽt, neque regulariter orant pro nobis.

465 Prob. 1. Frustra rogarentur, cum orationes viatorum non videant: ergo. Anteced. prob. 1. quia hoc proprium Beatorum est; vt in suo loco dictum est: nec vnquam decretum aliquod circa hoc factum

Non vident noſtras orationes

ctum eſt ab Eccleſia, ſicut de Beatis. Vnde Petrus de Aliaco *de oratione Dominica*, ait, *in purgatorio exiſtentes non oramus, quia nondum fruuntur viſione Verbi, vt poſſint agnoſcere ea quæ cogitamus, vel dicimus, ſed Beatis orationes noſtras porrigimus.*

468 Confirmatur: animæ defunctorum nequeunt aliter cognoſcere, aut videre, quam in Deo, vel in proprio genere. Sed animæ purgantes nec in Deo, quem non vident, nec in proprio genere poſſunt orationes noſtras videre, quia nec nobis ſunt præſentes, nec aliquis eas ad ipſas refert; ergo fruſtra ad illos dirigerentur orationes.

A ſufficienti quod non audiunt, nec vident.

469 Prob. 2. Animæ exiſtentes in lymbo non videbant preces, & tribulationes viatorum, vt in præcedenti viſum eſt; ideo dicebant Iudæi, *Iſaiæ 33. Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos*: ergo multo minus animæ purgandæ.

A pari de animabus lymbi.

468 Confirm. ex dictis in præced. ex Auguſt. ſi enim neſciunt, quid hic facimus, fruſtra rogarentur, vt orent.

469 Prob. 3. Numquam Eccleſia conſueuit inuocare animas purgãdas, vt orent pro nobis: ergo ſignum eſt, eas, vel non audire nos, vel non poſſe orare pro nobis.

Eccleſia eas non inuocat.

470 Dixi in concluſione, eas regulariter pro nobis non orare: nam fortè aliquando orant. Sicut enim diximus, quod Iudas Macchabæus in viſione cognouit Oniam, & Hieremiam Prophetam orare pro populo *ex 2. Macchab. 15.* Ita poſſunt & animæ purgatorij pro nobis, Deo volente, aliquando orare; tunc enim eis reuelat neceſſitates ſupplicantium, & permittit, vt pro eis intercedant.

Forte aliquando orant.

471 Confirm. quia tam mortui in Chriſto, quam viuentes, ſunt membra eiuſdem Chriſti: ergo ſe inuicem fouent: & ſicut viui proſunt mortuis, ita & mortui vtilis.

Quia ſunt membra Chriſti.

472 Confirm. 2. ex dicendis *in §. 5.* animæ purgatorij operantur aliquando miracula in beneficium fidelium; ergo ſignum eſt eas orare, ac intercedere. Quamuis hæc non ſit neceſſaria conſequ. quia poſſet Deus abſque precibus, immo & abſque ſcientia illarum, ſolo intuitu ſanctitatis, & meritorum, quæ habuerunt in via, fidelibus earum opem implorantibus beneficia impertiri.

Ex miraculo non infertur conſequentia quod orent.

479 Petes, quare Eccleſia non orat ſpecialiter animas purgatorij, vt intercedat pro nobis? Reſp. Eccleſiam orare omnes Sanctos, ac Sanctas, omnemque chorum iuſtorum promiſcuè; inter has autem comprehendit animas, quæ purgantur, quia ſanctæ, & iuſtæ ſunt, ſpecialiter verò eas non orat, quia ſcit ipſas, regulariter non videre orationes noſtras, & ideo ne fruſtra operetur, ſpecialiter ad eas non dirigit preces.

Quare ſpecialiter Eccleſia eas orat animas purgatorij.

## §. 4.

## *An animæ Purgatorij ſint certæ, & ſecuræ de propria ſalute.*

474 Dico: animæ illæ ſunt ſecuræ, & certæ de ſalute propria exiſtimo hanc concluſionem, nedum eſſe communem Eccleſiæ ſenſum, ſed etiam de fide.

Sunt certæ, & ſecuræ de ſalute.

475 Prob. 1. ex *Conſtit. 40. Leonis X. Exurge*, in qua damnat primos errores, quos Lutherus effutijt, *in §.* autem 2. *n.* 38. habetur, *Animæ in purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute ſaltem omnes.* De his autem erroribus ait Pontifex in *§. 3.* qui quidem errores reſpectiuè, quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quã piarum ouium ſeduciui, &c. nemo ſanæ mentis ignorat: & *in §. 4. Præfatos omnes, & ſingulos articulos, ſeu errores, tamquam vt præmittitur reſpectiuè hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, &c. & veritati Catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque reijcimus, & pro damnatis, &c. horum ſerie deſernimus, & declaramus*: ergo.

Ex Leone X.

476 Prob. 2. Animæ purgandæ, fidem, & ſpem non amittunt, ex Conil. Senon. in *decr. fidei c. 12.* De fide autem crediderunt, quod *vbi ceciderit lignum ibi erit, ex Eccleſ.* 11. ideſt, ſi quis in ſtatu gratiæ, ſemper in eo manebit; ſi in ſtatu mortalis peccati, ſemper erit damnatus: ergo, cum animæ illæ ſciant, ſe à Deo in corpore non eſſe damnatas, ſunt certæ, ac ſecuræ ſe eſſe ſaluas.

Non amittunt fidem, nec ſpem.

477 Confirm. Animæ illæ ſciunt, ſe in via credidiſſe, quod Eccleſia tenet, omnes purgantes ſaluari: ergo cum perſeueret in eis fides, ſciunt certo, ſe eſſe ſaluandas.

478 Prob 3. ex Concil. Senon. *in decr. fidei cap. 12.* explicitis verbis id docente, *Cum autem pœna temporalis, aut venialis tantum peccati reus repentè nonnumquam intereat, &c. fit, vt primum purgetur ex ijs, quæ geſſit in corpore ſaltem tamen aliquando futurus, ſic tamen quaſi per ignem de ſua ſemper interim ſalute, remanentibus in ea fide, ſpe, & charitate ſecurus*: ergo.

Concil. Senonen. id definit.

479 Prob. 4. ex ritu, & praxi orandi Eccleſiæ, quæ dum orat pro defunctis, inquit. *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*: deinde. *Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij lucis, & pacis, vt indulgeas deprecamur.* Sed dormientes in ſomno pacis, & in Chriſto, ſunt quietæ, & non anxiæ, quia id competit damnatis tantum: ergo.

Ex praxi orandi Eccleſiæ.

480 Prob. 5. ratione. Hæc incertitudo, ac dubitatio, vel prouenit ex eo, quod ibi poſſunt mereri, atque demereri, & ideo timens,

Ratione arguo a ſuffic.

ment, nè aliquando demereantur, vel prouenit ex eo, quod nesciunt, an adhuc lata sit contra eas sententia, vel qualis; vel tandem, quia ex granitate pœnæ absorbetur earum iudicium, nè iudicent, se esse in statu securitatis. Nullum horum potest asseri: ergo. Minor probatur non primum, quia, vt mox dicetur non possunt amplius mereri, ademereri, & sciunt se extra corpus non posse demereri. Neque secundum; quia pariter sciunt, quemque in morte iudicari, & statim in cælum, infernum, vel purgatorium duci. Neque tertium; quia pœna inferni est vtique grauior pœna purgatorij, & tamen damnati sciunt certò se esse damnatos, neque impediuntur ab eiusmodi iudicio: ergo multò minus animæ purgandæ.

Non quia dubitant, ne demereantur.

Neque quia non sunt iudicati, & timent.

Neque absorbetur ratione iudicet vbi sint.

Ob. 1. Animæ purgatorij nesciunt certò vbi sint: ergo sunt incerti de sua salute. Anteced. prob. vident se in grauibus illis pœnis, & timent, ne sint in inferno.

Arg. contr.

481 Resp. neg. antec. ad probat. dico ex circumstantijs multis cognoscere se non esse inferno; nam in inferno nullus est ordo, sed sempiternus horror, adest blasphæmia, & odium Dei: nulla anima inde exire conspicitur: in loco autem purgatorij est ordo, laus Dei, immo actus charitatis, fidei, & spei super omnia in Deum, & quælibet omnia in se experitur, adest actus pœnitendi de culpis in via commissis, quæ sunt causa illius detentionis, & iustitiæ exercendæ. Vident præterea in se habitus infusos permanere, quos sciunt auferri damnatis: vident animas permultas inde abscedere: tandem non vident alias pœnas ibi adesse præter ignem: igitur certò sciunt se non esse in inferno.

Ex multis circumstantijs cognoscunt se non esse inferno.

Instab. licet scirent, se tunc non esse in inferno possunt tamen timere, ne post aliquod tempus, iudicata causa, in infernum mittantur: ergo: antec. prob. quia multi mortui non statim damnati sunt, sed post aliquot dies: iudicium enim non statim fit, & commune est argumentum, quod adducitur desumptum ex vita S. Brunonis, quod Doctor quidam Parisiensis, cum eius iam defuncti exequiæ fierent, erecto capite prima die dixit, iusto Dei iudicio accusatus sum, sequenti die iterum dixit, iusto Dei iudicio iudicatus sum, tertia verò die, dixit, damnatus sum: ergo timent, ne iudicium per aliquod tempus differatur, & interim non habent certitudinem de salute.

Instat. quod timent ne in infernum damnentur quia iudicium non fit statim.

482 Resp. ad hæc, & similia exempla; quod non probant iudicia particularia morientium fieri cum illa successione; sed statim: illæ autem reuelationes si modò veræ sunt (quia video illas expunctas à consuetis lectionibus S. Brunonis) tres quidem fuerunt, & in tribus diebus, non autem de factis trium dierum. Ad terrorem ergo audientium permisit Deus, vt Doctor ille tribus vicibus suam manifestaret damnationem.

Reuelatio afferta non est authentica, vel si authentica esset factum, sed in tribus vicibus non esset non trium dierum facto.

Instab. ex Ecclesiæ orationibus concluditur, quod animæ separatæ à corpore, non statim iudicentur, & quod per aliquod tempus adhuc sunt in periculo, vt damnentur. Nam Ecclesia in offertorio Missæ pro defunctis sic orat, Domine libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus ne cadant in obscurum: ergo, sunt adhuc dubiæ.

Arg. validè ex Ecclesiæ orat.

483 Resp. Ecclesiam orare pro omnibus mortuis, & morituris, ita vt in sensu accomodato intelligenda sit eius precatio; vt nempe qui mortui sunt liberentur à pœnis, in quibus reperiuntur nempe à purgatorijs; qui verò morituri sunt liberentur à pœnis, in quas possent mitti, vel purgatorias, vel alias profundi lacus, seu tartari; & de ore leonis nempe diaboli liberentur, vel quod pro eis orat ita, ac si tunc decederent.

Ecclesia orat pro mortuis, & morituris,

Ob. 2. Neque est certum in via, seu in Ecclesia militante, an iudicium cuiuslibet animæ fiat statim post mortem, an paulo, vel multò post: ergo multò minus erit certum inter animas purgatorij, & sic in pœnis existentes dubitare possunt, an iudicatæ adhuc sint, an iudicandæ, & sic timere de damnatione. Anteced. prob. nullibi enim videtur hoc decisum.

484 Resp. neg anteced. Concil. enim Florent. vt habetur in *literis vnionis in fess. vlt.* docet, animas in mortali, vel solo originali decedentes mox in infernum descendere pœnis disparibus puniendas: animas verò, quæ post baptismum nullum peccatum habuerunt in cælum conscendere: illas tandem, quæ pœnis temporalibus sunt obnoxiæ, ijs purgatis, ad cælum euolare. Idem prorsus definierat Innocentius IV. *Const. 14. Sub Catholicæ, §. 23. n. 23. & 25.* Idem docuit Benedictus XII. *Const. 14. Benedictus, §. 3. & 4.* nempe, quod, *qui post Baptismum, nullum commiserunt peccatum, vel si commiserunt, & dignis pœnitentiæ fructibus pro eis satisfecerunt, statim in cælum recipiuntur; qui verò cum actuali peccato mortali decedunt, mox post mortem suam ad inferna descendūt, vbi pœnis infernalibus cruciantur.* Est ergo definitio dogmatica Ecclesiæ, quod statim post mortem iudicantur, & gloriæ, aut gehennæ, aut purgatorio adiudicantur. Et ante horum Pontificum, ac Concilij definitiones Augustinus id docuerat in *lib. 2. de Anima, & eius orig. ad Petil. c. 4.* vbi, & hoc docet, & quod ad fidem pertineat: sic enim ait, *Sed ne quid fortè aliud sit esse vtile, & ad fidem necessarium pertinere. Nam illud, quod rectissimè, & valdè salubriter creditur, iudicari animas cum de corporibus exierint, ante quam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet iam redditis corporibus iudicari, &c. hac in re tandem*

Est certum inter fideles quod morientes statim iudicantur.

Est definitio Leon. Pont. & Concilij.

*ipse nesciebat?* &c. Ergo iam, vt dogma tenet Ecclesia, quod anima in recessu à corpore statim vnum è tribus locis sortitur, nempe, vel cælum, vel infernum,, vel purgatorium. Et proinde animæ purgatorij nequeunt habere neque dubium, neque conscientiam erroneam de hoc dogmate; & consequenter videntes, se inferno cum dæmonibus, & Dei odio, ac blasphæmijs non esse, neque in cælo, quia in pœnis, & tamen cum habitibus infusis, immo & cum actibus, certitudine fidei sciunt se esse in purgatorio.

Instabis multæ circumferuntur historiæ de apparitionibus, & reuelationibus animarum, quæ dixerunt se post multum tempus fuisse damnatas; ergo cum non statim fiant iudicia particularia, sequitur, animas, quæ experiuntur pœnas purgatorij, & multò magis si in pœnis non sunt, posse timere de damnatione, aut salute.

Inst. de apparitionibus in contrarium.

485 Respond. Eiusmodi apparitionibus eam præstandam fidem, quam præstat Ecclesia, quia earum plenæque sunt illusiones, vt in *disp. 25. art. 4.* adnotaui. Et in bono sensu sunt recipiendæ, vt scilicet tempus manifestationis de sua damnatione, non autem tempus præcisum sententiæ, vel exequutionis damnationis, quia hæc secundum ordinariam Dei prouidentiam statim post mortem sortitur effectum. Concluditur ergo cum communi Ecclesiæ sensu, quod animæ purgandæ existentes in purgatorio certæ, & securæ sunt de propria salute.

Certè procedendum in reuelationibus.

Quomodo declarandæ illæ quæ significant iudicium longe post mortem factum.

## §. 5.

## *Vtrum animæ existentes in Purgatorio possint edere miracula.*

486 AD. 1. & suppono, miraculum esse opus, quod à natura etiam toto conatu operante fieri non potest; & hoc, vel ratione substantiæ, vel ratione circumstantiarum, v. g. quod mortuus resurgat, quod cælum quiescat, quod corpus penetret aliud corpus, &c. secundum substantiã sunt supra vires naturæ. Quod aqua illicò in vinum conuertatur immediatè, quod morbus siue incurabilis, siue per multum tempus curabilis, illicò curetur, &c. eiusmodi, secundum circumstantias sunt supra vires naturæ. Et diuiditur miraculum in multas species, vt suppono. Quæritur ergo, an aliquis in purgatorio existentes possit miraculum aliquod operari.

Miraculum quid sit,

Miraculum secundum substantiam, & secũdum circumstantias,

487 Adu. 2. Et suppono pariter ex proprio tract. de gratijs gratis datis, solum Deum esse causam physicè efficientem miracula; creaturas verò siue viuentes, siue non viuentes, siue bonos, ac probos homines, siue malos, ac reprobos, qui dicuntur miraculorum patratores, non esse causas physicas efficientes, sed morales, & meritorias, nempe quorum intuitu, ac precibus, vel meritis Deus operatur miracula: & ideo, tam viatoribus, quam mortuis cõpetit miracula patrare, quia intuitu virorumque potest moueri Deus ad ea patranda, sed hæc obiter dicta sint.

Solus Deus est causa efficiens miraculorum.

Sancti sunt causæ morales eorum,

488 Adu. 3. Et pariter ex eodem tract. suppono Deum ex duplici motiuo, regulariter intuitu alicuius operari miracula. Primò in confirmationem veritatis, seu doctrinæ, quam quis prædicat. Secundò in comprobationem sanctitatis illius, qui miraculum efficere dicitur. Et proinde miracula facta à viuentibus sunt æquiuoca signa respectu sanctitatis, & veritatis. & propterea habetur *Matth. 7. Multi in illa die dicent in nomine tuo dæmonia eiecimus, & virtutes fecimus; & ego respondebo eis nescio vos.* Non sic cum ad inuocationem alicuius defuncti Deus facit miraculum, quia nunc ob solam doctrinam faceret, si inuocatur Sanctus: hæc autem obiter dicta sunt: intentum n. nostrũ est inuestigare statum animarum quæ purgantur ideo inquimus, an operari possint miracula, idest, an Deus intuitu meritorum, quæ in hac vita habuerunt, faciat aliquando miracula.

Ex duplici motiuo Deus regulariter facit miracula,

Miracula facta à viuentibus ob duplicem finẽ fieri possunt,

Sensus art,

489 Dico ergo. Aliquando anima aliqua existens in purgatorio operatur miracula,

Aliquando existens in purgatorio operatur miraculum.

490 Prob ex diuersis casibus qui narrantur. S. Greg Mag. *lib. 4. dialog. c. 40.* narrat *de Paschasio Sanctæ Sedis Diacono mira Sanctis viro, eleemosynis, alijsq; pijs operibus vacante, cultore pauperum, contemptore rerum, quod cum esset defunctus, eius Dalmaticam funere superpositam dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est.* Post multum verò temporis apparuit Germano Episcopo Capuano in Angulanis thermis, eique manifestauit se manere in loco illo pœnali, ibique deputatum, eo quod in parte Laurentij contra Simmachum senserat; rogauitq; vt pro se Deum oraret; & hoc esse signum suæ liberationis ab ijs pœnis, si postea eum amplius ibi non inueniisset; & sic prorsus accidit; ergo existens in purgatorio fecit miraculum sanandi statim dæmoniacum.

Ex historijs S. Gregorij.

491 Confirm. ex eodem *cap. 41.* vbi interrogante Petro, quomodo fieri potuit, vt Paschasius in pœnali loco existens potuit illud patrare miraculum, vt veste feretri tacto, malignus spiritus ab obsesso fuerit fugatus. Greg. respondet. *Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio, & quam sit multiplex agnosci, cuius iudicio actũ est, vt idem vir Paschasius, & ipse intus ad aliquantum temporis reciperet, quod peccasset, & tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem ei quoque cognoscentibus pia opera fecisset; vt neque his qui bona eius viderunt*

Ex eodem Greg. ratio cur existens in purgatorio, fecit miraculum,

de

*de eleemosynarum eius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine vltione laxaretur culpa, quam nec culpam esse credidit*; hæc Gregorius, qui in capite anteced. cum excusat de ignorantia, quod adhæserit Laurentio in schismate contra Simmachum.

In gratiam Patriarcharum Deus beneficia populo præstabat.

492 Prob. 3. ex Petro Dam. Cardin. Episc. Hostien. in *Comment. de quibusdam mir. &c.* & habetur *in t. 7. Sanct. apud Surium*. Narrat ergo, quod Clericus Colonienſis equeſter, fluuium tranſiens, vidit in eo Sanctum Seuerinum Epiſcopum Colonienſem, qui non multò ante è viuis exceſſerat, & ſepulchro conditus multis miraculis claruerat. Hic ergo Sanctus frenum equi tenuit, & impediuit Clericum, ne vlterius progrederetur, obſtupuit Clericus, & cur ibi tantus vir detineretur inquiſiuit? Sanctus Epiſcopus petijt, vt manum extenderet, ac experiretur, quomodo res ſe haberet; & cum manum Clerici aquis impreſſiſſet, momento propter ingentem calorem carnes reſolutas diffluxiſſe, vt nuda oſſa tantum apparerent. Interrogans autem Clericus cur ita cruciaretur, reſpondit Sanctus, eam ſolam ob cauſam, quod horas canonicas per diſtincta tempora non recitaſſet, ex occupatione in aula Imperatoris; rogauit, vt Clerum adiret, & pro ſe preces fundere, eleemoſynas facere, ac ſacrificia applicare ſuaderet; ſubdens, quia his peractis mox è tormentis liberabor, & expectantibus me, ſpirituum choris, lætus adiungar: hæc Damianus; patet ergo, animas in purgatorio exiſtentes, miracula aliquando operari, quibus Deus eorum comprobat ſanctitatem.

Ex Petro Damiano.

Exemplum de S. Seuerino in purgatorio faciente miracula.

Tota hiſtoria refertur.

493 Prob. 3. ratione. Nulla eſt repugnantia, vel incongruentia, quod Deus intuitu animarum purgantium miracula faciat in comprobationem ſanctitatis illarum; fieri enim poteſt, vt aliquis Dei ſanctus heroicis præfulſerit virtutibus, & tamen cum aliquo veniali decedat, quod quidem eius ſanctitati non præiudicat. Nihil autem prohibet, quin Princeps in gratiam filij vel alterius dilecti amici, quem tamen pro purganda aliqua macula exulem, vel vinctum tenet, alicui ciuitati, vel perſonæ, aut cognatis illius beneficia aliqua impertiatur.

Ex non repugnantia.

Exemplum vi humanis.

494 Prob. 4. Deus in gratiam Sanctorum Patriarcharum Abrahæ, Iſaac, Iacobi &c. mortuorum, multa beneficia populo eſt elargitus, qui tamen in lymbo erant: ergo idem dici poteſt de animabus purgatorij. Antec. prob. ex 2. *Macchab.* 15. Iudas Macchabæus in viſione ſupernaturaliter habita, Oniam ſummũ Sacerdotem ex multo tempore mortuum vidit, & ſic dicentem audiuit, *hic eſt, qui multum orat pro populo Hieremias Propheta Domini*, & intuitu orationis illius victoriam obtinuit interfectis aliquot millibus hoſtium, & duce Nicanore. Ideo in omni neceſſitate popu-

Arg. à pari de exiſtentibus in lymbo.

Ieremias orabat pro populo in lymbo.

lus inuocabat Dominum, vt pro meritis Patriarcharum eis beneficeret. *Exod* 32. *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum*, &c. Et ſubdit textus: *Placatuſque eſt Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduerſus populum ſuum*, & hoc ſæpe reperitur in veteri Teſtamento accidiſſe, & 4. *Reg.* 8. Indignatus Dominus contra Ioram Regem Iſrael, quia feciſſet malum coram ipſo ei, pepercit, *Noluit autem Dominus diſperdere Iudam, propter Dauid ſeruum ſuum*: idemque habetur 3. *Regum* 15. De Abia n. dicitur, quod ambulauit in omnibus peccatis Patris, *ſed propter Dauid dedit ei Deus lucernam in Ieruſalem, vt ſuſcitaret filium eius poſt eum*, &c. ergo intuitu meritorum, ac ſanctitatis SS. Patrum in lymbo exiſtentium, ſiue illi intercederent, ſiue non, Deus miracula, & alia prodigia operabatur circa eorum cognatos, amicos, vel gentiles.

Conſequ. principalis probatur, quia fieri poteſt, vt animæ iuſtæ in purgatorio exiſtentes; multa habuerint merita in via, quorum intuitu Deus beneficia, & miracula in viatores operatur.

Laudantur qui inuocãt animas purgatorij.

495 Hinc mirum non eſt, ſi ſimplices, ac deotæ fœminæ immò, & ipſimet cordati, vim orationis ſuas ad eas animas diligunt, & multa beneficia ad earum inuocationem ex Deo ſibi conferri experiuntur.

Ag. contr.

Dices animæ illæ non vident, quæ nos agimus, neque audiunt quod nos petimus: ergo nequeunt operari miracula. Conſequ. prob. nam, ex ſtis Sancti, atque etiam viatores miracula operantur; quia orant Deum pro miraculo patrando, alias nullo modo, neque etiam moraliter concurrerent ad illud; & ideo Saluator *Ioann.* 11. in reſurrectione Lazari, *eleuatis oculis in cælum dixit, Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper me audis*: ergo ſi in Chriſto, vt diuinitas operaretur miraculum humanitas orabat, & merita offerebat, multò magis eſt neceſſarium in alijs orare Deum pro miraculo patrando, ad hoc, vt dicatur operatum miraculum.

Regulariter animi vident nec audiunt preces viatorum.

496 Reſp. 1. diſting. antec: regulariter non vident, concedo: ſi Deo placeat, nego: Fieri poſſet, vt Deus alicui earum manifeſtaret preces ſupplicantis, & permitteret, vt anima illa pro ſupplicante oraret, ſicut permiſit Ieremiæ, & Oniæ exiſtentibus in lymbo: & tunc ad preces illius patraret miraculum.

Etiam ſine precibus Sãcti Deus ob meritũ eius operari poteſt miracula.

497 Reſp. 2. neg. conſequ. ad probandum, quod regulariter ita accidit, vt ad preces alicuius Deus operetur miracula: ſed aliquando ex incomprehenſibili eius iudicio ad inuocationem alicuius ſerui ſui etiam viuentis, & maximè diſtantis concedat inuocanti, quod petit, etiam neſcienti inuocato, vt de tribus Tribunis liberatis à Conſtantino cum inuocaſſent S. Ni-

colaum Mirę Episcopum absentem, eo hoc nesciente refertur à Bar. *to. 3. ann. 316.* sic ergo posset Deus ad intuitum meriti alicuius animę purgatorij ab aliquo inuocatę, miraculum patrare.

## ARTICVLVS IX.

### *An animæ Purgatorij mereantur, vel demereantur.*

Scoti mens negatiua.

SCOTVS in 4. *sent. dist.* 21. *qu.* 1. *§. in ista quæst. F.* in fine omne meritū à purgatorio abijcit, ait enim, *motū aliquem bonum per quem tanquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel de condigno deletur veniale, ponere in animā post mortem, non videtur doctrinæ theologicæ consonum, quia ponit statum illum ab istis impunem.* Hæc Scotus.

Duo aduersariorum genera hæretici, & aliqui Catholici.

498 Aduersarium nobis cum duplici hoste imminere: nempe cum hæreticis, & cum aliquibus Catholicis. Nam licet nullus ex antiquis de animarum purgatorij demeritis nihil dixerit Lutherus, qui postea purgatorium omnino abrogauit, vt refert Salcides *tomo 2. reg.* 288. inter Lutheri errores; tamen quando illud in principio admisit, docuit animas ibi existentes posse & mereri, & demereri, ita idem Sabell. ibidem, sed ante annos centum idem retulerit Leo X. in *Constitut.* 40. *Bæurge. §.* 38. *& 39.* in primo enim illorum dicebat, *animas illas non esse extra statum merendi, ac augendę charitatis*, in secundo autem dicebat, *eas sine intermissione peccare, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas*: vtrumque damnat ibi Pontifex. Ex Catholicis autem aliqui, licet doceant non posse demereri, neque mereri argumentum gratiæ, aut gloriæ, per quod à Lutheri sententia maximè differunt; tamen docent, mereri posse delectionem peccatorum venialium per aliquem actum bonum, quod absolutè, vt initio patuit, Scotus negat. Vtrumque hic discutietur.

Lutheri sententia.

499 Dico ergo 1. Animæ in purgatorio existentes non possunt, neque peccare, seu demereri; neq; se mereri augmentum gratiæ, aut gloriæ, nec aliud, est de fide.

Animæ purgatorij non possunt mereri, nec peccare.

500 Prob. 1. ex præfata *Const.* 40 Leonina, in qua hic error cum alijs damnatus in *§.* 4. *sit præfatos omnes, & singulos articulos, seu errores, tanquam respectiuè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, &c. & veritati Catholicæ obuiantes damnamus, reprobamus, atque omnino reijcimus, ac pro damnato, &c. ab omnibus haberi debere, harum serie decernimus, & declaramus*: ergo. Quod autem illi errores de merito ac demerito purgandorum sine computandi inter hæreticos, mox patebit, quia sunt Sacræ Scripturæ immediatè contrarij.

Ex Const. Leonis X. sententia contraria est hæretica.

501 Prob. ergo secundò concl. ex Sacra Scriptura incipiendo à nouo Testam. opera meritoria, vel demeritoria illa tantum sunt, quæ fiunt ab homine, cum scilicet anima est in corpore; ergo. Antec. prob. ex 2. *Cor.* 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis sicut gessit siue bonum, siue malum.* Glosa ord. quæ est Augustin. V. *Propria corporis*, ait, quia nullus meretur nisi dum in corpore est: & post aliqua, non quod omnia gerantur motu corporis, sed per corpus, idest per tempus, quo quisque vixit in corpore; hic enim omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam releuari, vel grauari: idem sæpe confirmat Augustinus infra adducendus. Theodoretus in eum locum ait: Pro his, quæ in vita gesta sunt dat Deus conuenientem remunerationem. Hier. ibidem ait, Vult ostendere animam omnia per corpus operatam, siue bonum, siue malum: ergo anima separata non potest mereri, aut demereri.

Merita, & demerita cōpetunt toti conuncti ex anima, & corpore.

August. Hier. Theodor.

502 Prob. 2. ex *Luca* 12. vbi dicitur Villico, *redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare*, &c. Interl. v. *iam non poteris*, ait, *à tempore mortis*. Glosa ord. dicit allegoricè hic loqui Saluatorem, intelligitur enim, quod finita vita ista, non est ei locus, vt terram suam deuota compunctio ne fodiat ad ferendum fructum. Lyran. ait, *non poteris*, &c. quia omnia à te auferentur in morte: ita alij omnes interpretes; ergo post mortem non datur meritum, aut demeritum.

Ex S. Scripturæ.

503 Prob. 3. ex *Ioan* 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari*: omnes sacræ scripturæ Expositores per noctem intelligunt mortem.

Ioan. 9.

504 Prob. 4. ex *Ecclesiastis* 9. vbi pluribus id significatur; ait enim primò, *Mortui verò nihil non erunt amplius, nec habent vltra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum*. Glosa ord. ait, quidam asserunt etiam post mortem crescere, & & decrescere merita, quos impugnat. Glos. interl. V. *non habent vltra mercedē*, ait, *quia non proficiunt amplius*. Secundò, ait Textus, *Quodcumque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos*. Interl. ait, *dum dies est, dum tempus habes*.

Eccles. 9.

505 Confirm. ex eod. Ecclesiastæ c. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit*. Interl. ait, *bono moriendo*. Glosa ord. dicit, locum, quem hic tibi præparaueris, in futuro habebis. Lyr. ibid. ait, *ibi erit*, idest immutabiliter manebit, propter quod in vita præsenti debet homo de operibus pietatis sollicitari, quandiu potest mereri, hæc Lyran.

Eccles. 11.

506 Confirm. ex *Ecclesiastici* 14. *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas*

Eccles. 14.

*tuas in porrigens da pauperi, non defraudetis à die bono, & particula diei boni non ti præteriat: ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.* Iuteri. V. *cibum*, ait, *refectionem vitæ æternæ*. Lyr. V. *quoniam non est apud inferos*, ait, non esse ibi merendi locum.

Ex S. Scrip. habetur cõ clusio generalis quod anima post mortem nõ potest mereri, vel demereri.

507 Ex his ergo omnibus Scripturæ locis concluditur, de fide esse, quod apud inferos, ideſt post mortem anima non potest amplius mereri, aut demereri. Cum ergo Leo X. articulos Lutheri respectiuè appellauit hæreticos, falsos, &c. inter quos est articulus de merito, ac peccato animarum purgatorij, existimo hunc esse hæreticum, vt sacræ Scripturæ contrarium.

Ex Hieron.

508 Prob. 5. ex Patribus. S. Hieron. in *cap. 9. Ecclesiastæ* declarans illud, *melior est canis viuus Leone mortuo*, ait, *donec viuunt homines, possunt fieri iusti, post mortem verò nullam boni operis dari occasionem*: & paulò post, *Viuentes possunt metu mortis bona opera perpetrare, mortui verò nihil valent ad id adijcere, quod semel secum tulerunt de vita, & obliuione obsoluta sunt omnia.*

Id. Hier.

509 Idem Hier. ibid. declarans, illud omnia, *quæ inuenit manus tua fac; quia non est sapientia, &c. apud inferos*, ait, *fac, quod nunc potes, quia cum ad infernum descenderis; locus non erit pœnitentiæ, simile huic Saluator dicit Io. 9. operamini dum dies est, venit enim nox quando nemo poterit operari*. & ne quis putaret, textum, vel Hyeron. id intelligere de existentibus tantum in inferno damnatorum, subdit, *quod autem; ait in inferno, quò tu vadis illas. Nota vt Samuelem quoque in inferno vere credis fuisse, & ante aduentum Christi, quamuis sanctus, omnes inferni legs detentos*. vult docere Hier. quod omnes existentes in quouis loco inferni, siue damnatorum, siue purgandorum siue Lymbi, sunt impotentes ad operandum opera meritoria.

Explicitè de omnibus mortuis loquitur.

510 *August. Enchir. c.* 110. loquens de suffragijs Ecclesiæ, sacrificijs, eleemosinis &c. quæ pro mortuis fiunt, ait, *sed ea hæc pro sunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent meruerunt*, & paucis interiectis sequitur. *Quo circa hic anima meritum comparatur, quo possis post hanc vitam relevari quispiam vel grauari. Nemo autem sperat, quod hic neglexit, cum obierit apud Deum promereri.*

August. expresse id probat.

Idem Aug. confirmat.

511 Idem *S. August. lib. 1. de Prædest. SS. cap. 14. C.* refert, & approbat dignam Cypriani doctrinam super illud *cap. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*, & præ cæteris hæc habet, *his, atque eiusmodi sententijs author ille Catholicæ fidei luce clarissima satis apertèque testatur vsque ad huius corporis depositionem peccandi periculo, tentationesque metuendas, detrectari nullatenus quemquam esse passurum, quod & si non testaretur, quando de hac re Christianus qualiscunque dubitaret? &c.* hæc August. & concludit, quod in hac vita tantum quis potest mereri, ac demereri.

Chrisost.

512 *Chrysost. homil. 2. de Lazaro* præ alijs habet, *præsens hæc vita, tam rectè, quam contra tibi viuendi tribuit potestatem, postquam verò diem tuum obieris iudicium, & pœna consequitur.*

Arg. ex absurdo.

513 Prob. 6. arg. ex absurdo. Si merentur, vel demerentur, sequitur, quod, vel merita, & demerita æquarentur, & sic parum, aut nihil manerent in purgatorio; vel quod meritum superaret de meritum, vel è contra; & sic numquam, vel statim exirent, quæ omnia sunt absurda.

Ex alio absurdo.

514 Prob. 7. ex alio absurdo si possent mereri, etiam beati possent per totam æternitatem mereri; & damnati demereri, & sic vtrorumque præmium, ac pœna crescerent in infinitum, quia, & infinita merita, ac demerita, & infinitum durantia, quæ absurdissima sunt.

Arg. cont. quod mereantur.

Ob. 1. pro merito. Ibi sunt omnia requisita ad meritum: ergo, anteced. prob. adsunt actus fidei, spei & charitatis, patientiæ, fortitudinis, ac iustitiæ; & cum animæ illæ sint in gratia, operantur ex auxilio, vel solius gratiæ, vel etiam actuali motione Spiritus sancti: hæc omnia sufficiunt ad meritum.

Status impedit, ne actus boni sint merita.

515 Resp. neg. anteced ad prob. negomin. licet enim prædicta sufficiant ad meritum ex parte operis, non tamen ex parte status, & acceptationis Dei. Poterat quidem Deus decernere de acceptando in meritum omnia bona hominis opera, siue in corpore, siue extra illud facta: & tamen nõ sic decernit, sed acceptare solum, ea opera, quæ fiunt dum anima est corpori coniuncta; vt apertis verbis testatur Saluator Io. 9. *Operamini dum dies est, venit enim hora, in qua nemo potest operari*. Quid clarius? si autem etiam post mortem posset quis mereri, nunquam veniret hæc hora, neque vnquam deficeret dies illa.

Arg. à sufficiente quod nihil obstet.

Ob. 2. vel obstat illis, ne mereantur, quia neque etiam possunt demereri, cum sint in gratia confirmati? vel quia non omnino libere, vel non ex motiuo amicitiæ, sed ex dolore, et amore concupiscentiæ mouentur ad actus bonos eliciendos, nempe ad fugiendam pœnam: neutrum obstat; ergo. Prob. min. non primum, quia, neque Christus, neque Beata Virgo, aliaue pura creatura si esset confirmata in gratia posset peccare; et tamen mereretur ista, sicut & illi, Neque secùdum, quia etiam viatores amore concupiscentiæ, licitè nunc. et meritoriè Deo formulantur, *Inclina nos cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem*, *Psal.* 118. Præterea per sufferentiam calamitatum à Deo immissarum potest quis Deo satisfacere, et mereri: ergo.

Obstat sola Dei ordinatio.

516 Resp. ad hæc, et similia argum. nullum ex his obstare, sed Dei ordinationẽ sic

tio, quæ ſtatui viæ de-e vni ad meritum.

ſic enim hominem ad ſupernaturalem ſtatum eleuauit, vt eidem media concederet, quæ pro ſtatu viæ tantum, nempe coniunctionis animæ cum corpore inſeruirent ad merendum, et non vltra, id autem expreſsè declarauit in tot ſcripturæ locis in principio adductis.

Inſtabis. Actus illi purgantium non ſunt mali, nec indifferentes, nec tantum naturaliter boni. Ergo meritorij: dari enim nequit medium inter actum meritorium, & bonum moraliter, ac ſupernaturaliter.

Faciunt vitæ boni & ſupernaturales, ſed non meritorios ſicut beati.

517 Reſp. vt ſupra eſſe bonos ſupernaturaliter; ſed non acceptari ad meritum; & hoc ex æterno Dei decreto, quo ſtatuit opera hominis ad meritum, vel demeritum ordinare, dummodo fiant dum anima eſt in corpore, vt ait Apoſtolus. Imò idem arg. fieri poteſt de beatis in merendo, & de damnatis in demerendo, & tamen de neutris concludit.

Arg. pro demerito.

Ob. pro demerito. Animæ purgatorij non ſunt conformes Dei voluntati, nam Deus vult eas eſſe in pœnis, & cruciari: ipſe autem id renuunt, & enixè cupiunt de eis liberari: ergo.

Appetitu naturali refugiunt pœnas, ſed deliberatiuo nolunt licet conditionato nolint.

518 Reſp. neg. antecēd. ad probat. Sicut dicam de ſatisfactione, aſſero; quod appetitu naturali animæ illæ nolunt pœnas, non enim inclinantur ad eas, ſed maximam habent repugnantiam, quia hoc eſt naturæ creatæ intrinſecum, appetitu verò deliberatiuo eas conditionatè tantum nolunt, ſi nempè Deo placeret, abſolutè verò volunt, vt Deo per pœnarum ſuffurentiam ſatisfiat; hoc autem modo non ſunt difformes Dei voluntati, ſed maximè conformes: ſicut Saluator conditionatè, ſi Deo placebat, calicem paſſionis recuſabat: *ſi poſſibile eſt tranſeat*, ſed quia abſolutè volebat, quod Deus, *verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu.* actus patiendi, & acceptandi mortem, nedum fuit bonus, ſed meritorius in infinitum.

Multa dubia diſcutienda.

519 Adu. 1. in hoc artic. multa comprehendi diſtinctè declaranda. Primò. An verè animæ purgatorij poſsint ſiue à viatoribus, ſiue à beatis iuuari; pro diminutione, vel pro totali pœnarum liberatione. Secundò quomodo id contingitur. Tertio, quibus operibus, ſeù mediis iuuantur per modum ſatisfactionis, vel per modum impetrationis. ſed diſtinctionis gratia primum tantum hic diſcutietur, an ſi iuuantur.

Primam hic ſoluitur.

Aerius omnium primus negauit ſuffragia prodeſſe.

520 Adu. 2. quod omnium primus, qui negaſſe, videtur, animas defunctorum iuuari poſſe à viuis, fuit Aerius hæreſiarca relatus, & confutatus ab Auguſt. *lib. de hæreſ. c. 53.* Secundo, omnes qui negant ſtatum medium, nempe purgatorium, vt Armeni, Vvaldenſes, Albigenſes Flagellantes, Vviclefiſtæ, Lutherani, & Caluiniſtæ; notandum autem eſt, quod eiuſmodi ad iutoria, quæ defunctis proſunt communi nomine dicuntur ſuffragia, quia ſunt auxilia, quædam illis immiſſa, quibus liberentur à vinculis pœnarum his poſitis.

Animæ purgatorij iuuantur per ſuffragia eccleſiæ.

521 Dico reſolutè animæ purgatorij poſſunt per Eccleſiæ, & fidelium ſuffragia iuuari, eſt de fide. docet Scotus *in quodlib. 20. art. 1.* C. D. Th. *in 4. diſt. 45. q. 2. ar. 1.* & ſæpè alibi, vt infra D. Bon. *in 4. diſt. 45.* per totam cum Magiſtro ſent. ibid. Alenſis &c.

Ex perpetua praxi Eccleſiæ.

522 Prob. 1. Ex antiqua, & nunquam interrupta Eccleſiæ conſuetudine, qua oratur per mortuis. Fruſtra autem oraret niſi eſſent capaces fructuum orationis. Ergo. ſubſumo, ſed non poteſt orare pro damnatis, neque pro beatis: ergo pro ijs, qui in purgatorio reperiuntur; hæc autem conſuetudo etiam ante Chriſti aduentum erat in Eccleſia fidelium, nam 2 *Macbab. 15. Iudas miſit Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*, ſubdit autem textus *ſanctæ ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, à peccatis ſoluantur*, & ideo ab hoc exercitio nunquam deſtitit Eccleſia.

Ex liturgia Romana.

523 Prob. maior, ex liturgia Romana à S. Petro compoſita in qua habetur *Memento Domine famulorum, &c. qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis: Deinde ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerij lucis, ac pacis vt indulgeas deprecamur*: idem & clarius habetur in liturgia Hieroſolimit. à B. Iacobo Apoſtolo conſtata idem in Alexandrina à B. Marco, in Aethiopica à S. Matteo idem in Conſtantinopolitana à S. Andrea; idem in omnibus omnium Eccleſiarum.

Ex Conſtantinop. ex Hieroſolimit. Ex Alexa. Ex Ethiop.

524 Prob. 2. ex continuatione huius praxis Eccleſiæ, vt mortuis ſemper ſuffragata ſit, ſiue per ſimplices preces, ſiue per eleemoſinas, ſiue per venerandum miſſæ ſacrificium.

Ex Conſtit. Apoſt. de exequijs anniuerſarijs &c.

525 Ex libro 8. *Conſt. Apoſtol. c. 41.* ſtatuitur, vt oretur pro fratribus, qui in Chriſto quieſcunt; vt Deus remittat eis omne peccatum, & propitius, ac benevolus eis factus, collocet eas in regione pio-

rum

Scotus obiter id dicit.

Scotus obiter tantum tangit hanc difficultatem in *quodlib. 20. ſub. C.* vbi quærens an tantum valoremhabeat miſſa ſi offeratur pro vno, quam ſi pro multis. Reſpondet negatiuè, & præ cæteris argumentis, adducit vnum ex abſurdo, quia ſic, *ſi aliquis vellet orare pro omnibus animabus in purgatorio exiſtentibus, intendens, quod ſingulis tot valeret, ac ſi oraretur pro vna, deberet ex charitate ſic facere, &c.* quod habet pro inconuenienti.

ſum . &c. *& in cap.* 42. præcipitur, vt exequiæ fiant die tertio, nono, quadrageſimo, & poſt annum.

Concil. Nic. 1. 516 Ex *Concil. Nic.* 1. ex Arabico *can.* 5. ſtatuitur, *vt nunciatur de morte Epiſcopi omnibus Eccleſijs, & monaſterijs illius diœceſeos, vt fiat oratio pro eo, de anno* 325.

Cartag. 3. 517 Ex *Concil Cartag.* 3. *c.* 29. ſtatuitur, vt ſi pomeridiano tempore defunctorũ commemoratio facienda ſit, ſolis orationibus fiat, &c. de anno 395.

Cartag. 4. 518 Ex *Concil. Cartag. in* 4. *can.* 79. decernitur, vt pro ijs mortuis, quibus ex caſu non poſuit ſubueniri, memoria eorum orationibus, & oblationibus commendetur, de anno 398.

Concil. Valen. 519 Ex *Concil. Vaſin.* 1. *can.* 2. ſtatuitur, vt pro mortuis recipiantur oblationes funera, & fiat de eis memoria, de anno 442.

Concil. Valen. 530 Ex *Concil. Valent*, decernitur, vt pro defuncto Epiſcopo ſacrificium Deo oferatur, de anno 525.

Aurelian. 531 Ex *Concil. Aurelian.* 2i *can.* 15. habetur oblationes pro mortuis eſſe recipiendas de anno 533.

Tolet. 11. 532 Ex *Concil. Tolet.* 11. *c.* 12: habetur oblationes pro defunctis recipiendas, & memoriam pro eis faciendam de anno 666.

Cabil. 3. 533 Ex *Concil. Cabilan.* 3. *c.* 19. ſtatuitur, vt in omnibus miſſarum ſollemnitatibus fiat pro defunctorum ſpiritibus deprecatio, et ſubditur, quia antiquitus hunc morem Eccleſia Sancta renet, de anno 831.

Turien. 534 Ex *Concil Turon. c.* 15. decernitur vt commemoratio pro defunctis fiat, vt remiſſionem delictorũ obtineant, de anno 895.

Florent. 535 Ex *Concilij Florent. ſeſſ. vlt. in litteris vn. §.* 5. ſtatuitur, animas, quæ in purgatorio ſunt iuuari fidelium orationibus, ſacrificijs, eleemoſynis, alijſque pietatis officijs de anno 1439.

Senon. 536 Concil. *Senon. in decr. fidei, c.* 12. habetur idem quod in Florentino de anno 1528.

Trident. 537 Ex Concil. tandem Trid. *ſeſſ.* 25. *in decr.* de purgatorio habetur, animas illas fidelium ſuffragijs, potiſſimum verò ſacrificio Miſſæ iuuari, quod decretum factum eſt de anno 1563.

538 Concluditur ergo ex his omnibus, Eccleſiam congregatam in diuerſis Concilijs ſemper docuiſſe, defunctorum purgandorum animas Eccleſiæ ſuffragijs iuuari; & præcepiſſe, vt eiuſmodi ſuffragia pro eis exhibeantur.

Ex reſcript. Rom. Pont. 539 Prob. tertiò ex praxi, ſententijs, ac reſcriptis Roman. Pontificum, penès quos eſt veritas fidei.

Petrus. 540 Petrus primus Chriſti Vicarius, vt refert Clemens I. in Epiſtola 1. inter cætera præcipiebat quotidie fidelibus, vt mortuos ſepelirent, eorum exequias diligenter peragerent, & pro eis orarent, ac eleemoſynas darent, & ex hac Petri regula omnes Romani Pontifices edocti, idem ſunt proſequuti.

Greg. Mag. 541 Greg. Mag. *lib.* 4. *dial. cap.* 55. docet animas purgatorij ſactæ hoſtiæ oblatione adiuuari.

Nicol. I. 542 Nicolaus Primus *ad conſulta Bulgar. cap.* 88. *&* 100. pro defunctis orandum, & pro eis offerendum docet.

Ioann. VIII. 543 Ioannes Octauus (qui à Nouantibus per ſummam iniuriam dictus, eſt Papa fœmina ob facilitatem operandi) optimè, & eruditè in multis reſcripſit, at in *epiſtola* 204. hortatur, vt in oblatione altaris oretur pro anima Supponis defuncti.

Innoc. III. 544 Innoc. III. in *Serm. ſolemn. omn. Sanct.* hortatur, vt preces fundantur pro mortuis purgatorij, quibus adiuuari poſſunt: ſubdens, quis non libenter fundat preces Indiuiduæ Trinitati pro mortuis, cum & ipſe ſit moriturus, & alij faciat in hac vita, quod ſibi vult fieri poſt hanc vitam: & *ad Epiſcop. Lugdun.* & habetur in *cap. Cum Martha, de celebrat. Miſſ. §. fin.* docet, mortuos ſuffragijs fidelium iuuari, imò ibi rationem aſſignat, quare mutata ſit oratio quæ pro Sancto Leone dicebatur, *vt animæ famuli tui Leonis hæc profit oblatio*, & poſitum ſit, *vt interceſſione B. Leonis hæc nobis proſit oblatio*, dicens, *quia ſicut iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre, ita de alijs Sanctis dicendum eſt; quia* ſubdit, *cum ipſi ſint perfectè beati, orationibus noſtris non indigent, ſed omnia eis ad vota ſuccedunt.*

Honor. III. 545 Honorius 3. ſcribens ad Vniuerſos Eccleſ. Prælatos, & habetur in *cap. Cum creatura* eodem tit. *de celebr. Miſſarum*, præcipit, vt abſque negligentia defunctorum anniuerſaria perſoluantur.

Innoc. IV. 546 Innocentius IV. vt habetur in *Conſtit.* 14. *Sub Catholicæ §.* 23. docet etiam Græcos Patres tenere, quod animæ, quæ purgantur, iuuari poſſunt Eccleſiæ ſuffragijs.

547 Eiuſmodi autem continua Eccleſiæ praxis & Rom. Pontif. ſententia, tanta eſt, vt ſi nulla alia ſuppeteret ratio ſufficientiſſima eſſent motiua ad firmandum, quod animæ quæ purgantur iuuari poſſunt, & iuuantur per Eccleſiæ ſuffragia, ita Auguſt. *lib. de cura pro mort. geren. cap.* 1. in fine, vbi referens factum Iudæ Macchab. 2. *cap.* 12. ait, *ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parua hac conſuetudine clareat authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Max. arg. Eccleſiæ praxis ex Auguſtino.

Arg. Ex Patribus Græcis: Dion. Arco. 548 Prob. 4. ex Patribus Græcis. Dionyſius Areopag. in *lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap.* 2. *p.* 2. poſtquam docuit quo ritu funus defuncti ſit perficiendum; & quomodo pro eo orandum in *parte* 3. tandem concludit. *Quod autem, & iuſtorum preces in vita iſta, & ut dum poſt mortem ij proſunt, qui digni ſunt, ſcriptura nos edocet ſacroſancta traditio.*

Atha-

Athan. 549 Athanasius in *quæst.* 34. quærit an defunctis profint funeralia, & cōuentus, qui super eis fiunt, & operationes bonorum operum, atque oblationum? Respondet. *Si non aliqua beneficia participarent ex illis, non utique in cura, & exequijs fieret commemoratio*; & subnectit optimam similitudinem de vite florente in agro, et de vino odorem sentiente in dolio, sic et animæ defunctorum, dum pro eis oratur, offertur sacrificium, etc.

Greg. Naz. 550 Greg. Nazianzenus *orat.* 10. ait, *si quæ à nobis offeruntur, parua sunt, ac meritis inferiora, Deo quoque gratum est, quod fit pro viribus, atque alia quidem persoluimus, alios verò dabimus, anniuersarios, honoris, & commemorationes offerentes*, &c.

Cyril. Hier. 551 Cyrillus Hierosol. *Catechesi* 5. docet, orandum in sacrificio *pro omnibus qui dormierunt, maximum credentes esse iuuamen animarum, pro quibus offertur*, &c.

Epiph dicit est perpetuam praxim. 552 Epiphanius *hæresi* 75 nedum orandum, & oblationes pro mortuis faciendas esse, docet, sed inquit, *hæc esse à Patribus accepta, illos autem ab alijs Patribus, & sic ab initio, & semper*.

Chrysost. 553 Chrysostomus frequenter docet pro mortuis orandum, offerendum, &c. ita in *homil.* 61. in Ioan. *homil.* 32. *in Matth. homil.* 21. *in Acta Apostol.* & *homil* 61. *ad popul. Antioch.*

Theodor. 554 Theodoretus in *histor. SS. PP. de Iacobo. Nisibus Episc.* ait, *Deo preces obtulit pro mortuo, rogans, vt ei dimitteret, quæ in vita peccauerat, & cum eborum instorum dignaretur admittere*.

Alios adducam infra, cum de speciebus suffragiorum loquemur.

Arg. ex PP. Latinis. 555 Prob. 5. ex Patribus Latinis. Tertullianus *lib. de corona militis cap.* 3. *Oblationes pro defunctis facimus, earum, & hæusmodi aliarum disciplinarum, si legem expostules scripturarum nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur autrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix*.

Cyprian. 556 Cyprianus in *epist. 66. ad Plebem, & Clerum Furnitanorum*, meminit de more offerendi pro mortuis; & prohibet, ne pro viatore quodam mortuo, canonum transgressore, offeratur oblatio sacrificij.

Ambros. 557 Ambrosius in *tract.* 1. *ad Missam*, ait, *Rogamus te Sancte Pater pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium, & refrigerium sempiternum*, &c.

Augus. 558 Augustinus in *Enchirid. cap.* 110. habet, *neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viuentium relleuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia fiunt. In lib de cura pro mort. ger. cap.* 1. ait, *Ita fit, vt neque inaniter Ecclesia, vel suorum cura pro defunctis, quod posuerit Religionis impendat*, &c. *In ser.* 32. *de Verb. Apost.* ait, *orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur*, &c.

Idem sæpe Aug.

Paulinus Nol. 559 Paulinus Nolanus *in epist.* 18. ait, *vt illius defuncti animam, vel de minimo sanctitatis tuæ digito distillans gutta respergat*, & in *epist.* 19 ait, *Vt misericors Deus refrigerat animam illius stillicidijs misericordiæ suæ per orationes vestras*, &c.

Beda. 560 Beda in *Prouerb. Salom. lib.* 2. *c.* 11. Sunt tamen qui de breuioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, *vel suorum precibus eleemosynis, Missarum celebrationibus absolui*, &c.

Petrus Damian. 561 Petrus Dam. *ser. de S. Nicolao*, diuidens mortuos in tres classes, de animabus medij status, inquit, *Pro illis tantum vigilandum est in orationibus, & subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur*, &c.

Primasius. 562 Primasius *lib.* 5. *in Apocal. cap.* 19. *Neque enim piorum anima mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi: alioquin, nec ad altare fieret eorum memoria*, &c.

Theodorus Cantuar. 563 Theodorus Cantuarien. in *Pœnitent.* docet ab infirmis in periculo mortis pura quærenda est peccatorum confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda; & si fortè migrauerint amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus pondus pœnitentiæ subleuandum.

Haimo. 564 Haimo in *cap.* 3. *prima ad Cor. Qui huius peccata habent purgantur, vel in hoc sæculo vel post mortem igne purgatorio, vel alia afflictione, orationibusque hominum subleuantur*.

565 Bernardus *ser.* 66. *in Cant.* inuehitur contra Petro-Brusianos, qui, mortuos, ait, *viuentium suffragijs spoliantes non credunt ignem purgatorium restare post mortem*.

Alij adducentur in sequenti pro valore sacrificij, &c. ad iuuandum purgandos.

Ex Scholasticis, & Augus. 566 Prob. 6. ex Scholasticis, & omnium primò ex Augustino scholasticæ Theologiæ authore. Is enim præterquam in locis nuper citatis, in *libro de cura pro mor. ger. cap. vlt.* inquit, *Non existimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus peruenire, nisi quod pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificij solemniter supplicamus*, & in *lib.* 21. *de Ciuit. c.* 24.

Ex S. Tho. 567 Prob. ex S. Thoma, qui diffusè, & luculenter de hoc argumento locutus est in 4. *dist.* 45. *ar.* 1 *q.* 2. *in corp.* ait n. *suffragia viuorum dupliciter mortuis prosunt, sicut & viuis, & propter charitatis vnionem, & propter intentionem ad eos directam; valent autem ad diminutionem pœnæ, vel aliquid huiusmodi, quod horum non transmutat*, in *quæst.* 3. docet, quomodo suffragia malorum possint aliquando prodesse, de quo postea,

Multa & dist. de suffragijs defunctorum.

stea, & in ea quæstione totus in hoc est, in *art* 2. *q.* 2. exactè docet, quomodo suffragia possint prodesse, & in resolutione quæst. ait, *opera vnius prodesse possunt alijs ad satisfactionem, siue viui, siue mortui, & non est dubium quin suffragia per viuos facta, existentibus in Purgatorio prosint*, in *qu.* 3. docet non prodesse pueris existentibus in lymbo, in *quæst.* 4 dicit non prodesse beatis. In *art.* 3. per tres quæstiones, docet quæ nam sint hæc suffragia, quibus iuuantur, dicens, esse orationes, eleemosynas, sacrificia, ieiunia, &c. & tandem in *art.* 4. docet, quando suffragia prosint magis vni, quam alijs, quando nempe pro illo solo applicantur.

568 S. Bonau. *in 4 sent. dist.* 45 *par.* 2. *q.* 1. probat ex Scriptura, et pravi Ecclesiæ suffragia defunctis prodesse: et probat, ex eo, quod misericordia, & veritas in Dei operibus semper iunctæ. *Iustitia enim*, ait, *considerat dignitatem, cum anima illa in charitate decesserint. Misericordia verò necessitatem*, in *quæst.* 2. dicuntur, an etiam suffragia malorum prosint; in tertia, an magis prosint vni, quam alteri. *In dist.* 45. probat, suffragia Ecclesiæ damnatis non prodesse, sed solum ijs, qui in purgatorio sunt.

Alios autem adducere superfluum puto; cum alij Scholastici ex his didicerint, hi verò ab antiquis; antiqui ab Apostolis, illi tandem à Christo.

Ob. 1. contra hoc dogma frequenter in Scriptura habetur Deum redditurum præmia pro operibus præmiandorum, ergo opera viuentium non prosunt animabus purgatorij, vt remittatur eis pœna, & introducantur in gloriam. Antec. prob. ex *vet. test. Psal.* 61. *Reddet vnicuique iuxta opera sua*; idem habetur *Prou.* 24. & 2. *ad Tim.* 4. & tandem *Apocal* 22. Ex Apost. sæpe, *ad Gal.* 6. *Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet*, &, *qui parcè seminat, parcè & metet*, 2. Cor. 5. *Oportet nos manifestari ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum*; & alia similia loca: ergo mortuis nihil prosunt aliorum opera, sed ea solum, quæ quisque operatus est, cum esset in corpore, ideſt in hac vita.

569 Resp. 1. Iam Ecclesiam, & Patres considerasse vim huius argumenti, & nihilominus dogma tenuisse, quod bona viuentium opera prosint existentibus in purgatorio, ad arg. ergo resp. omnia scripturæ loca loqui de præmio, siue essentiali, siue accidentali hominum; non autem de satisfactione pro pœnis temporalibus. Verum igitur est, quod per opera propria quis meretur vel gloriam, vel gehennam: per eadem opera propria meretur determinatum gradum gloriæ, vel supplicij; & nullus hoc controuertit: quando autem dicimus, suffragia, orationes, eleemosynas, &c. defunctis prodesse, numquam admittimus, quod prosint pro mutatione status, nam vbi *ceciderit lignum ibi erit*. Addo, cum S. August. sæpè relato, ac referendo in *Enchirid. c.* 110 & *lib. de cur pro mor. cap. vlt.* quod animæ existentes in purgatorio, cum essent in hac vita meruerunt, vt sibi prodessent hæc suffragia, quæ à viuis postea erant offerenda; ecce, quod auxilium illud adhuc habet radicem in opere proprio, secundum Augustinum.

Ob. 2. Nullus potest demereri pro alio, seu facere, vt praua eius opera noceant alteri: ergo neque mereri pro altero; igitur suffragia viuorum non possunt mortuis prodesse.

570 Resp. 1. nego anteced. nam possunt parentes demereri pro filijs alijsque descendentibus; euidens est de hæreticis quorum filij remanent inhabiles ad dignitates, & officia publica, ex *cap. Quicunque, §. Hæretici autem de Hær. in 6.* & vtinam non potuisset Adam pro posteris demereri; sed quia hic agitur de demerito pro mortuis, non pro viuis, ideo.

571 Resp. 2. negan. paritatem, quia mortui communicant quidem cum viuentibus in fauorabilibus, nam communicant in charitate non in alijs; & quia charitas bonum eorum operatur ideò possunt viui mereri pro illis, non autem demereri, vel dicendū tertio, quod iustitia non exigit, vt quis pro alio puniatur, si in eius delicto, seu crimine non communicat, neque vlla alia reperitur virtus, quæ hoc, vel exigat, vel permittat. Sed liberalitas, quæ ad charitatem etiam reducitur, & ipsamet charitas permittunt, vt aliquis pro alio mereatur ex dispositione, seu gratia Principis. Et inde totum Christi meritum in nos deriuatur, *propter nimiam charitatem qua dilexit nos, tradidit semetipsum pro nobis*: & *sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; & *non ex operibus quæ fecimus nos, sed propter misericordiam suam magnam saluos nos fecit*. Id ergo potuit Deus ordinare, vt inter fideles viuos, ac mortuos talis esset communicatio, vt illi istis, & isti illis prodessent, ex glutino charitatis.

Inst. nullibi legitur hæc Dei ordinatio: ergo opera viuorum non valent pro mortuis, anteced. prob. quia ex Scriptura non habetur.

572 Resp. neg. anteced. nam in textu sacro *Machab.* 2. habetur eiusmodi communicatio, & suffragia, vt iam pluries visum est; & etiam si nullus scripturæ locus inueniretur, ipsa sola Ecclesiæ consuetudo, vt ex Tertulliano, & Augustino diximus sufficeret ad firmandum hoc dogma de iuuamine, quod animæ purgatorij sentiunt ex fidelium suffragijs. Augustini enim regula generalis est, quod quoties per totam Ecclesiam aliqua viget consuetudo, si non reperiatur à Concilijs instituta, ab ipsismet

Ex S. Bonau,

Arg. contr. ex script. de supra, quod sol. opera propria attribuit Deus.

Ecclesia vidit hoc arg. nullius esse roboris.

Scripturæ loquuntur de præmio, quod proprijs operibus datur, non alienis,

Arg. à pari de demerito.

Quando aliqui demerentur pro alijs.

Disparitas de demerito, & merito.

Ratione charitatis, et liberalitatis.

Hæc doctrina ex script. habetur.

Etiáſi script. non diceret praxis Ecclesiæ sufficeret.

Apoſtolis eſt deriuata.

Ob. 3. Nullum membrum participat de bono alterius membri, niſi illi ſit vnitum: ergo cum mortui ſint iam ſeparati à viuis non poſſunt de horum bono participare.

573 Reſp. vt dictum eſt in diſput. de communione beatorum cum viatoribus, mortuos in amicitia Dei eſſe membra eiuſdem corporis, & inter ſe communicare in charitate, vt docet S. Th. *4. diſt. 45. q. 1. ar. 3. quæſt. 1.* ideò Beati pro nobis orant, & nos pro mortuis non beatis, ſed beandis, vt beentur.

Mortui in Chriſto ſunt viuis conſocij.

## ARTICVLVS XI.

### *Quibus ſuffragijs iuuantur exiſtentes in Purgatorio.*

Scoti mens.

SCOTVS in *quodlib. 20. artic. 1. C.* obiter hoc punctum tangit ſupponens animam purgandã ſacrificio Miſſæ, & orationibus adiuuari, quærit ſolum, an tantum profit pluribus, quantum vni.

574 Adu. ſenſum quæſiti clarum eſſe; cum enim euidenter oſtenſum ſit, animas purgatorij poſſe à fidelibus iuuari; videndum eſt, quibus medijs id fieri poſſit: num omnibus virtutum actibus; num ſolis miſericordiæ operibus; nam de indulgentijs loquemur poſtea.

De ſpecie-bus ſuffragiorum agitur.

575 Adu. 2. quod hic non loquimur de modo, quo ſuffragia iuuant, num ſcilicet per modum ſatisfactionis; num verò per modum impetrationis; quia de hoc agetur poſtea, ſed ſolum de medijs, ſeu ſpeciebus rerum, ſeu operum, quibus dari poſſit aliquod ſubleuamen defuncto in purgatorio: num omnia virtutum opera, quæ proſunt nobis, prodeſſe poſſint & illis.

De modo agetur poſtea

576 Dico 1. Sacrificium Miſſæ eſt vnũ ex præcipuis medijs, quibus iuuantur animæ purgatorij; eſt de fide; eam defendit Scotus vbi ſupra: D. Thomas *in 4. ſenten. diſt. 45. q. 2. ar 3. D. Bonau. diſt. 45. q. 2. & 3.*

Sacrificium eſt vnum præcipuum ſuffragium.

577 Prob. 1. Paritate ſacrificij veteris legis, ex 2. Macchab. 12. *Iudas miſit Heroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*, &c. & ſic concludit textus, *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur*: ergo ſi ſacrificia illa, in quibus offerebantur carnes animalium, ex hoc erant Deo grata pro mortuis, quia erant actus latriæ, & maximi obſequij, quod pro tunc poterat Deo exhiberi, quanto magis ſacrificium, in quo, nedum ſit Chriſti mortis, ac paſſionis pro humano genere commemoratio, ſed ipſummet Chriſti corpus offertur, erit potens, ac validum ad animarum illarum iuuamen.

578 Prob. 2. Ex continua abſque interruptione Eccleſiæ praxi, quæ pro mortuis offerre conſueuit ſacrificium Miſſæ; & ita eſt proſecuta vſque ad præſentia tempora, vt ex Patrum dictis, ac factis comprobabitur.

Ex conſuetudine Eccleſiæ.

579 Prob. 3. ex Concilijs *Triburienſi can* 15. quod ſub Formoſo de anno 895. celebratum eſt; ex Salegunſtadienſi *cap.* 10. quod de anno 1022. *ſub Benedicto VIII.* factum eſt: ex Conciljo Florent. Generali in *literis vnionis §.* 5 ex Senonenſi *in decretis fidei cap.* 12. ex *Colon. 3. tit. Cenſura c.* 21. ex *Moguntino 4. can.* 46. & tandem ex Trident. *ſeſſ* 22. *c.* 2. *can.* 3. *& in decr. de purgatorio*; ſed clarius id docet in *ſeſſ* 22. *cap.* 2. vbi loquens de valore ſacrificij Miſſæ, in fine ait. *Quare non ſolum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus, ſed pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apoſtolorũ traditionem offertur*; et in *can.* 3. dicitur anathema ijs, qui dicunt *prodeſſe ſolum ſumenti, non pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & alijs neceſſitatibus*. Omnia ergo hæc Concilia decernunt Miſſæ ſacrificium pro defunctis maximè prodeſſe.

Ex Concilijs multis.

580 Prob. 4. ex Rom. Pont. ſententijs, ac reſcriptis. Petrus enim inſtituens Romanam Liturgiam pro defunctis orandum inſſit; idque de eo refert Clemens I. in *epiſt.* 1. Greg. Mag. *lib 4. dial. c. 55.* ait. *ſi culpæ poſt mortem inſolubiles non ſunt, multorum ſolet animas etiam poſt mortem ſacra oblatio hoſtiæ ſalutaris adiuuare ita vt hanc nonnunquam ipſa defunctorum anima expectare videantur.*

Ex Roman. Pont. decretis ac praxi. Petri.

581 Gregorius Secundus *epiſt 8. ad Bonifac. Sancta ſit tenet Eccleſia, vt quiſque pro ſuis mortuis verè Chriſtianis* offerat oblationes, & Presbyter illorum memoriam faciat; & addit quatuor modis iuuari, inter quos, ſacrificio, vt infra.

Greg. 2.

581 Gregorius Septimus *lib. 1. Epiſt. epiſt. 6.* pro defuncto offerendum dicit. Ioan. Octauus *epiſt.* 204. in fine ſe pro anima ſupponis ſacrificium oblaturum dicit, vt abſolutionem percipere valeat delictorum.

Greg. 7.

583 Innocentius Tertius, et habetur in *cap. Cum Martha de celebrat. Miſſarum*, Supponens Miſſam pro defunctis dicẽdam, ſtatuit, ne pro martyribus, aliiſque eiuſmodi Sanctis dicatur, quia fit eis iniuria, et ideo in Miſſa, quæ pro Sancto Leone dicebatur mutandam præcepit collectam, quæ prius ſic habebat, *vt anima famuli tui Leonis hæc proſit oblatio*, et præcepit mutandam, *vt interceſſione Beati Leonis hæc nobis proſit oblatio*, etc.

Innoc 3.

Pro Sanctis non orandũ.

584 Prob. 5. ex Patribus Græcis. Euſebius Alexandrinus in *Homil. de Dominica*, ait, *Memento in oblatione parentum, & fratrum, qui iam è vita exceſſerunt, hoc enim faciendo, magnam requiem defunctis concilias.*

Ex PP. Græcis.

Cy-

Cyrill. Hier. 585 Cyrillus Hierosol. *Catechesi 5.* præ aliis hæc habet. Pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio Sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est sacrificij.

Chrys. 586 Chrysostomus *homil. 69. ad popul. Antioch. Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs Sanctorum agatur commemoratio, sciunt enim illis multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes, sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt,* &c. & *homil. 21. in Acta Apostol. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt,* &c.

Ioan. Dam. 587 Ioann. Damasc. *orat. quod defuncti Missis iuuentur,* &c. *Et quisnam de his rebus testimonia in Sanctorum vitis, & diuinis reuelationibus sita, ordine recensere possit, quibus id perspicuè ostenditur, defunctis, etiam post mortem preces eas, ac missas, & eleemosynas, qua pro ijs fiunt maximè prodesse:* & post. *Neque enim alioqui ansam hanc nobis porrexissent, vt eorum qui è vita migrassent in incruento sacrificio meminissemus,* &c.

Ephrem. 588 Ephrem Syrus *ad Seuerum Alexandrinum.* Ex hac oblatione patefit, & sentit anima, quando pro ea offertur sacrificium, &c.

Nic. Cabas. 589 Nicolaus Cabasilas *cap. 42. de Liturgia.* Horum modorum, primus quidem est communis, quia pro vtrisque offertur sacrificium & *cap 43.* ait, quæcumque ad sacri misterij celebrationem pertinent, sunt communia viuis, & mortuis: item *cap. 45.* Ita etiam pro defunctis, sicut & pro viuis, est diuinum Eucharistiæ sacrificium, &c.

Græci in Conc. Flor. 590 Græci tandem omnes in Concilio Florent. congregati in literis vnionis, *§. 5.* professi sunt, *animabus purgatorij, vt à panu reluentur prodesse fidelium viuorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, &c.*

Ex latinis Tertull. 591 Prob. 6. ex Patribus Latinis. Tertullianus *lib. de corona militis cap. 3.* ait *oblationes pro defunctis facimus.* & post aliqua subdit, *traditio tibi prætenditur.* Ambrosius *oratione de exitu Theodosij.* Eius ergo Principis nunc diem quadragesimum celebramus assistēte sacris altaribus Honorio Principe, *& epist. 8. ad Faustinum* eodem modo loquitur, *& orat. 1. ad missam, hoc sacrificium suscipias ad salutem omnium viuorum; & mortuorum.*

Augus. 592 *August. lib. de cura pro mort. ger. cap. 16. Non æstimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire nisi quod pro eis fiunt altaris, &c. sacrificijs solemniter supplicamus, &c. & Enchirid. cap. 110.* sic habet *neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum releuari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosyna in Ecclesia fiunt &c.* Hinc est, quod eius mater Monica decedens orabat, astantes, *tantum in altari memineritis mei.* idem etiam docet *ser. 32. de Verb. Apostol.*

Primas. 593 *Primasius lib. 5. in Apocal. c. 19. Neque enim anima piorum separantur ab Ecclesia; aliquin, nec ad altare fieret eorum commemoratio.*

Isid. Hispal. 594 *Isidor. Hispalen. lib. 1. de off. Eccles. c. 18. sacrificium pro defunctorum requie offerri, vel pro ijs orare, quia per totum orbem custoditur, credimus, quod ab ipsis Apostolis traditum sit, hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, qua nisi crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus, vel eleemosinam faceret, vel Deo sacrificium offerret.*

Beda. 595 *Beda lib. 2. in Prouerbi Salom. c. 11.* ait defuncti pro leuioribus peccatis possunt absolui, vel pœnis castigati, vel suorum precibus eleemosinis, *missarum celebrationibus absoluti.*

Alcuinus. 596 *Alcuinus lib. de diuin. off. cap. 39.* orat pia mater Ecclesia pro defunctis suis, *& eas sacra oblationis interessione Deo commendat, certissimè credens quia sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est, non solum ad salutem viuentium, sed ad salutem etiam valeat defunctorum.*

Petr. Dam. 597 *Petrus Dam. serm. de S. Nicolao,* ait pro defunctis illis tantum vigilandum est in orationibus, *& subuentendum sacrificio salutari, qui locis purgabilibus emendantur,* vt benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem: satisfactionem in glorificationem citò conuertat.

Petr. Clum. 598 *Petrus Cluniacensis in Epist. ad Arelaten. Episcopum* damnans Petrum de Bruis, & sequaces, ait, mortuis ne ad vitam respirare audeant, aditum intercludunt, &c. hęc faciunt quando altaris sacrificia, oblationes, orationes, & eleemosinas, vel reliqua bona viuorum, mortuis prodesse non posse contendunt. & Ecclesia Christi tam celebrem, tam antiquum ab ipso Christo, imò ante Christum ab eius cultoribus obseruatum morem, vniuerso orbe reclamante, contemnunt.

Ex Scholast. omnibus. 599 Prob. ex Scholasticis omnibus nullo prorsus Catholico excepto, qui ex S. Augustino loco supra cit. & ex traditione vniuersali Ecclesiæ, nec non ex Concilijs id acceperunt; vnum vel alterum hic referre sufficiat, qui instar omnium, vtpote nouissimi Ecclesiæ doctores, sufficiant.

S. Thom. 600 Prob. ex S. Thom. *in 4. sent. dist. 45. ar. 3. q. 1.* vbi præ cęteris *in solut. prima quæst.* ait. Illa opera præcipuè nata sunt mortuis suffragari, quæ maxime ad communicationem charitatis pertinent, vel ad directionem intentionis in alterum. Ad charitatem autem Eucharistiæ Sacramentum præcipuè pertinet cum sit Sacramentum Ecclesiæ vnionis, continens illum, in quo

tota Eccleſia vnitur, & conſolidatur, ſcilicet Chriſtum, vnde Euchariſtia eſt quaſi quædam charitatis origo ſiue vinculum.

S. Bonau. 601 Prob. ex S: *Bonau. qui in 4. ſent. diſt. 45. dub. 3. inter.* docet Sacramentum altaris viuis, & mortuis prodeſſe. Viuis ratione Sacramenti, & cibi: mortuis verò ratione ſacrificij; in quantum enim eſt Sacramentum cibat & dat gratiam, in quantum autem ſacrificium Deum placat, hoſtiæ enim placant. *in quæſt. 2. n. 30.* ait ſuffragia facta, aut ſunt opera Sacramentalia, vt celebratio miſſæ, &c. & dicit iſta prodeſſe etiam ſi à malis fiant: non ſic dicit de cæteris (de quo poſtea) ergo ſacrificium miſſæ per eum prodeſt defunctis.

Arg. contra aparit. alio-tum ſacram. Ob. contra. Alia ſacramenta non proſunt defunctis, ergo neque Sacramentum altaris: conſeq. prob. quia non videtur maior ratio.

Conf. Sac. alt. eſt inſtitutum, ſicut cætera ad ſalutem hominis viatoris, quia confert gratiam, ſed non poteſt hoc præſtare defunctis: ergo.

Quare Euchariſtia iuuat & non alia. 602 Reſp. neg. conſequ. diſparitas à S. Bonau. loco nuper citato aſſertur, quia Sacramentum non applicatur, ſed ſacrificium, quod continet ſacramentum, in alijs Sacramentis non adeſt ſacrificium, quod quidem eſt maximus latriæ actus circa Deum. Hinc eſt, quod in veteri lege quoque ſacrificia Deo maximè placebant, & pro viuis, ac defunctis offerebantur, ac proinde, cum Sacerdos ordinatur, dicit ei Epiſcopus. *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis, & defunctis*, quod non reperitur in alijs ſacramentis, quæ pro recipiente tantum ſunt inſtituta.

603 Ad confirmat. reſp. diſt. antec. quatenus Sacramentum eſt, concedo; quatenus pars, vel materia, ſeu ſubiectum ſacrificij, nego, quia hoc modo, ſicut prodeſt viuis etiam non communicantibus, ita poteſt prodeſſe defunctis.

Arg. quod putatur validum. Ob. 2. Si ſacrificium miſſæ valeret pro defunctis, ſequitur, quod ſtultra tot miſſæ dicuntur pro vno; imò & pro multis, quia ſufficeret pro omnibus defunctis; & per vnam omnes à pœnis illis liberarentur. Sed hoc eſt falſum; alioquin Eccleſia, vel ſtultra id faceret, vel fideles deciperet.

Prob. ſequela, miſſa eſt valoris infiniti: ergo vna ſufficeret imò, & præponderaret pro omnibus ſolutionibus pœnarum, quæ faciendæ ſunt ab omnibus animabus purgatorij.

Sacrif. miſſ. ratione rei oblatæ eſt valoris infiniti, non ratione ſacrificij, ſeu actionis qua res illa offertur. 604 Reſp. neg. ſequelam ad prob. licet hoc argumentum ſupponat integrum ferè tractatum de ſacrificio, & valore eius, tam ex parte rei oblatæ, quam ex parte offerentis, ſiue conſideretur vt priuata perſona, ſiue, vt publicus Eccleſiæ miniſter. nihilominus, vt ad rem preſentem facit, dico cum Scoto, *quodlib. 20. §. de tertio N. & O.* & in calce quæſt. *§. Ad argumenta* principale, quod ſacrificiũ miſſæ conſideratur dupliciter, primo ratione rei oblatæ ſeu verius in eo contentæ; ſecundo ratione actus ſacrificandi, ſeu offerendi. Primo modo cũ ſit ipſemet Chriſtus, certè eſt valoris infiniti, & iſte valor non acceptatur à Deo quando dicitur miſſa, ita Scotus ibi ſub *O. §. ex iſtis.* Secundò autem modo conſideratum ſacrificium, vt eſt actio offerentis Euchariſtiam Deo in memoriam paſſionis, & ſacrificij cruenti facti à Chriſto, eſt valoris finiti, quia vel conſideratur, vt factum à perſona ſacerdotis priuata, vel ab eo, vt miniſtro Eccleſiæ. quouis modo accipiatur, ait ibid. eſt finiti valoris; quia ſubdit, licet in miſſa offeratur Chriſtus contentus in ſacrificio, non tamen ipſe Chriſtus immediatè offert ſacrificium, nam ex *Hebr. 9. Neque vt ſæpè offerat ſemet ipſum, ſemel enim oblatus eſt ad multorũ exhauriendo peccata &c.* Alioquin optimè concluderet argumentum; ait Scotus, quia vnius miſſæ celebratio æquinaleret paſſioni Chriſti, quod non eſt admittendum: oblatio ergo ſacrificij in memoriam Chriſti paſſionis, ſeu ſacrificij incruenti facti à Chriſto eſt, quæ à Deo acceptatur, & ita, cum actio illa ſiue ratione perſonæ, ſiue ratione Eccleſiæ, ſit valoris finiti, non valet ad liberandum omnes animas. Vnde Scotus ſub P. egregiè ſic concludit, *ſic ergo patet, quod Euchariſtia oblata acceptatur, non ratione voluntatis Chriſti, vt immediatè offerentis, ſed ratione voluntatis Eccleſiæ generalis; illa autem habet rationem meriti finitum. Et ideò, quod acceptaretur ratione voluntatis Chriſti vt offerentis, hoc eſt intuitu eius oblationem, & dantis ſibi valorem, & acceptationem*; non tamen æquivaleret, nec acceptaretur ſicut paſſio Chriſti; & ita eſſet meritum finitum, cui correſpondet bonum debitum virtute ſacrificij. multa, & digna eſſent dicenda de miſſæ applicatione, ſed extra chorum ſaltaremus. Concludamus, quod valor miſſæ ratione ſacrificij eſt finitus; & quia neſcitur gradus ſeu quantitas huius valoris, & ex alia parte neſcitur quantitas pœnæ relaxandæ; ideo multiplicantur à fidelibus ſacrificia, quæ vt poſtea dicam, alijs etiam proſunt, ex intentione vniuerſali Eccleſiæ, ſicut & cætera ſuffragia.

Non Chriſtus, ſed Eccleſia, & Sacerdos offerunt.

Miſſa non æquivalet paſſioni Chriſti.

Neſcitur gradus valoris miſſæ neſcitur etiam quantitas, pœnæ ſoluendæ.

## §. Vnicum.

### *An iuuentur alijs mediis?*

Alijs mediis anima purgatorij iuuantur. 605 Dico. Animæ purgatorij à viatoribus iuuantur, oblationibus, orationibus, peregrinationibus, ieiunijs, alijſue macerationibus, & omnibus pietatis officijs in Deum, proximum, templa, &c.

Quatuor mediis iuuatur. 606 Prob. 1. ex *cap. Animæ 13. qu. 2.* eſtque Greg. ſecũdi, ſic habentis *Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut ob-*

latio-

*lationibus sacerdotum. aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemosinis, aut ieunio cognatorum,* & ex c. *Pro obeuntibus* ibidem, vbi idem Greg. ait, *Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, &c.*

Ex Sacris Canon.

607 Conf. ex *cap. Non æstimemus* ibid. eſtq. Auguſt. vbi ſupra *in libro de cur. pro mor. c.* 18. *Non æstimemus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, nisi pro eis, hoc altaris, siue orationum, siue eleemosinarum sacrificijs solemniter supplicamus.*

Conc. Flor.

608 Prob. 2. ex Concil. Flor. *sess. vlt. in lit. Vn. §.* 5. decernente *Animas eorum purgatorijs pœnis post mortem purgari, & vt à pœnis eiusmodi releuentur prodesse eis fidelium viuorum suffragia. Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosinas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiæ instituta.*

Conc. Sen.

609 Conf. ex Concil. Senon. *in decr. fidei cap.* 12. vbi damnat ſententiam hæreticorum dicentium ſacrificia, oblationes, & omnes id genus pro defunctis orationes, recens eſſe eſſe ſacerdotum commentũ, & poſtea aſſerit eſſe Apoſtolicam traditionem, vt hæc pro defunctis applicentur.

Conc. Trid.

610 Conf. 2. ex Concil. Trident. *in ſeſſ.* 25. totum hoc decernente:

Alia cõcilio Nata ſupra.

611 Conf 3. ex omnibus Concilijs, alijſque locis allatis in art. præced. de ſuffragijs in communi.

Ex PP. Græcis Athan.

612 Prob. 3. ex Patribus Græcis, Athan. *in quæſt.* 34. quærit num ſentiant aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cum ſuper illis fiunt conuentus, & per actiones bonorum operum, ac oblationum, & reſpondet, vtique ſic eſſe.

Cyril. Hier. Chriſoſt. Baſil. Seleu. Maxim. Io. Damaſ.

613 Confirmatur: omnes alij Græci, qui de mortuorum adiutorijs loquuntur, iſta omnia, vel plura eorum commemorant, vt ſunt Cirillus Hieroſol. *Catechesi* 5. Greg. Nanzianz. *orat.* 10. Efrem. *in Testamento ſuo* Chriſoſt. *homil.* 61. Ioan. *homil.* 69. *ad Pop. & orat.* 41. *in epiſt.* 1. *ad Cor.* Baſil. Seleuc. *Concione de excuſat.* Lazari, Maximus *de Eccl. Hier. Dion. in cap.* 7. Ioann. Damaſc. *orat. quod ij, qui cum fide exceſſerunt, &c.* & alij antiqui Græci.

Theophil.

614 Theophilactus *in cap.* 12. *Lucæ*, ait, Non ſemper, qui moriuntur peccatores mittuntur in gehennam, ſed ſunt in poteſtate Dei, vt dimitti poſſint. Hoc autem dico propter oblationes, & diſtributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui ſunt.

Innoc. IV. Græcos refert tenere hanc ſent.

615 Et ideo Innocentius IV. ſententiam Patrum Græcorum vſque adhæc tempora optime colligens *in conti.* 14. *ſub Catholica §.* 23. eam adducit tamquam euidentem ſic, *Ipſi Græci verè, ac indubitanter credere, ac affirmare dicuntur animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, & non peracta, vel ſine peccato mortali cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragijs Eccleſiæ adiuuari, &c.* Hinc Nicolaus Cabaſil. qui de anno 1160. viuebat docuit, *oblationes, & dona, quæ offeruntur, nec non miſſæ ſacrificium defunctis prodeſſe* id docet *in liturgia cap.* 42. vſque ad 45. vbi dicit *Purgantur enim, & remiſſionem peccatorum accipiunt per orationes ſacerdotis & donorum interceſſionem, nihilominus, quam earum qui iuuant, &c.* Conſtans ergo apud Græcos eſt, animas purgandas iuuari oblatiouibus, eleemoſinis, & orationibus, ſicut ſi eſſent in vita.

Ex PPi Latinis.

616 Prob. 4. ex PP. Latinis, qui omnes etiam à principio Eccleſiæ, & docuerunt, & prædicarunt, eiuſmodi media pro animabus defunctorum. *Tertull. de corona militis c.* 13. ait, *oblationes pro defunctis facimus, harum, & huiuſmodi aliarum diſciplinarum ſi legem expoſtules, ſcripturarum nullam inuenies. traditio tibi prætenditur auctrix &c.* Ambroſius *epiſt.* 8. *ad Fauſtinum* de quadam defuncta inquit, *hanc non tam deplorandam, quam proſequendam orationibus tuis, & oblationibus eius commendandam Domino arbitror.*

Tertull.

Ambr.

617 *Aug. in Enchir. c.* 110. *Neque negandum eſt, animas pietate ſuorum viuentium relenari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſinæ in Eccleſia fiunt,* & infra, *cum igitur ſacrificia, ſiue altaris, ſiue quarumcunque eleemoſinarum pro defunctis baptizatis offeruntur, &c. in lib. de cura pro mor. ger. cap penult.* ait, *Non æſtimamus ad mortuos pro quibus curam gerimus peruenire, niſi quod pro eis ſiue Altaris, ſiue orationum, ſiue eleemoſinarum ſacrificijs ſolemniter ſupplicamus, & ſer.* 32. *de Verb. Apoſt. orationibus Sanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſinis, quæ pro defunctorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari* idem confirmat *in lib.* 21. *de ciu. cap.* 24. *D.*

Auguſt.

Sæuè idem docet.

Paul. Nolan. Iſidor. Hiſp.

618 *Paulin. Nolan. in epiſt.* 29. *orandum eſſe pro defunctis, dicit vt, in eos in tenebris allucaniet refrigerentur.* Iſidorus Hiſpalen. *lib.* 1. *de off. c.* 18. *Catholica Eccleſia, niſi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro earum ſpiritibus eleemoſinam faceret, vel Deo ſacrificium offerret.*

Theod. Can.

619 *Theodor. Cantur. in Pœnitentiali* ait, amicorum orationibus, & eleemoſinarum largitionibus pondus pœnitentiæ ſubleuandum, ſi forte migrauerunt, ne obligati à communione, & conſortio verè fiant alieni Beda *in lib.* 2. *cap.* 12. *in Prou. Salom.* defuncti poſſunt abſolui, vel pœnis caſtigati, vel ſuorum precibus eleemoſinis, vel miſſarum ſollemnijs abſoluti. Alcuinus *de diuinis off. c.* 39. *de celebr. Miſſ. orat. pia mater eccleſia pro defunctis ſuis, & eas ſacra oblationis interceſſione Deo commendat, &c.* Haimo *in ep.* 2. *ad Cor. c.* 3. Qui leuia peccata attrahunt, purgantur, vel à tribulationibus in hoc ſæculo, vel poſt mortem igne

Bed.

Haimo.

pur-

purgatorio, vel afflictione, orationibusque hominum expiantur. Rhabanus Maurus *in lib. 2. Mor. ad c. 12.* Post exitum vitæ præsentis pro fidelium peccatis orandum est, & eleemosinarum opus agendum, quatenus hi, pro quorum remedio res agitur, à peccatis soluantur.

Iuo Carno. 620 *Iuo Carnotensis epist.* 198. Quia incertus est status animarum, non videtur otiosum, si pro ijs intercedimus, qui iam requie perfruuntur, vt eorum requies augeatur, & pro his, qui locis purgatorij deputati sunt, vt fidelium orationibus indulgentiam consequantur. Petr. Clum. Petrus Clumiacensis *epist. ad Arelat. Epis.* acriter inuehitur contra Petro Brusianos docentes, sacrificia, oblationes, orationes, eleemosinas, vel reliqua bonorum bona viuorum bonis mortuis non prodesse, & probat ex Ecclesiæ praxi, ea omnia prodesse:

Scholast. 621 Prob ex omnibus Scholasticis Augustinum, & Concilium Florentinum firmiter sequentibus,

Rom. Pon. Syxt. III. Greg Mag. Greg. II. Nicol. I. Greg VII. Innoc. III. Innoc. IV. Syxt. IV. Leo X. 622 Prob. 6. ex dictis aliorum Rom. Pontif. vt Sixti Tertij *lib de malis doctoribus, & operibus fidei*, ex Greg. Mag. *lib. 4. dial. c. 55.* ex Greg. 2. *in epist. ad* Bonif. & Nicol. I. *ad Consul. Bulgar. c. 88. & c. 100.* ex Greg. VII. *lib 5 ep. 10.* vbi de omnibus suffragijs mentionem facit, nempe sacrificiis, eleemosinis, orationibus, atque auxilijs spiritualibus Innoc. III. *ser. in sollemn. omn. Sanct.* Innocen. IV. vbi supra Sixto IV. *const.* 17. incet. & tandem Leone X. *const. 40. Bzouius* contra errores Lutheri.

Eccles. propiæ 623 Prob 7 ex Ecclesiæ praxi perpetua; ab initio enim Ecclesia, vt ex *epist 1. Clem. I.* patuit; & ex Sanctorum dictis semper consueuit pro defunctis applicare sacrificia, orationes, oblationes, eleemosinas, afflictionesque alias, vt ieunia, macerationes peregrinationes, &c. similia: ergo omnia ista eis prosunt; alioquin frustra, vt ait, Chrisostomus ista fierent, si autem id dixit in quarto sæculo, quid dicturus esset in decimoseptimo, alioquin maximo, & intolerabili errore laborasset per tot sæcula sancta Mater Ecclesia, hæc frustratorie gerens.

Exabundo.

Ex apparitionibus reuelationibus 624 Prob. tandem ex apparitionibus innumeris in superioribus adductis, de animabus purgantibus, quæ ab amicis petierunt his suffragijs adiuuari.

Bened. VIII 625 De orationis, seu precum valore habetur nobile exemplum, *Benedicti Papæ VIII.* relatum *à Baron. t. 11. an. 1048.* ex sigeber. in Vita S. Odilonis, apparens enim Benedictus Odiloni in Capitulo cum fratribus considenti, cui se prius cõmendarat, gratias egit, quod eius, ac fratrum suorum precibus, à pœnis erat iam liberatus, & in cœlum introductus: Idem legitur apud Surium *19. Nouembris* de matre S. Elisabeth Reginæ Vngariæ ad purgatorium damnata, quæ filiæ apparuit, statumque suum nunciauit, nec non orationibus ipsius se commendauit; cui iterum postea apparens ei significauit, se eius precibus à pœnis illis liberatam: idem de alijs Surius.

Per ieunia præbiter liberatur 626 De operibus pœnalibus, ieiuniis lacrimis, eleemosinis &c. habentur innumera exemplа, legatur Surius *in hist. 4. Februarij*, de Arnulpho Præsbitero, qui apparuit S. Remberto Bremensi postea Episcopo, statumque suarum pœnarum, de vita negligenter peracta aperuit, eumque rogauit, vt ieiunijs quadraginta dierum in pane, sale, & aqua eum iuuaret, vt liber à pœnis admitti posset ad cœlum, quo tandem peracto, (vt testimoniũ de hoc facto ex Dei permissu haberetur) cuidam Dei famulæ apparuit ei imponens, vt Seruo Dei Remberto gratias ageret de pœnitentia pro se suscepta, eique significaret; se ad cœlum euolare. Aliud simile refert Ioannes Vasæus in *Chron. an 940. de Sancio primo* Legionis Rege, qui ieiunio quadragenario flectu, ac eleemosinis suæ vxoris Dudæ, cui prius in pœnis apparuerat, postea apparuit albis ornatus vestibus, & pelle, quam sacerdoti cuidam pro anima Regis ipsamet dederat, significans, se à pœnis liberatum: neque vnquam esset dicendi finis, si omnes cuiusmodi euentus essent referendi.

Sanctius Rex ieiunijs, & eleemosinis vxoris liberatur.

Ieiunij nomine intelliguntur omnes macerationes.

627 Concludendum proinde est, quod omnibus hisce medijs possunt fideles animabus purgatorij suffragari, & quod de ieiunio dicitur, de omni macerationе, & afflictatione corporis, vigilijs, disciplinis, peregrinationibus, alijsque similibus intelligendum est; quod verò de eleemosinis, pariter de omni pietatis officio, vel circa pauperes, vel circa templa, aut pia loca intelligendũ est, omnia etiam septem misericordiæ, tam corporalis, quam spirituales opera.

Eleem. sine nomine omnia alia pietatis opera.

## ARTICVLVS XII.

### *Quo modo suffragia prosunt animabus Purgatorijs.*

Scoti mens. SCOTVS *in quodlib. 20. C.* docere videtur, quod *suffragia* pro mortuis applicata, sint satisfactiones, seu compensationes, & ideo sacrificium non tantum valet pro multis, quantum pro vno, quia pœna non relaxatur, nisi aliquod æquiualens soluatur. de alio verò pũcto an prosint per modum iustitiæ nihil dicit, sed ex primo dependet istud; satisfactio enim in vniuersum accepta producit effectum per modum iustitiæ.

628 Adu. 1. hoc esse vnum ex præcipuis huis tractatus dubijs: diximus enim cum fide Catholica suffragia defunctis prodesse, nunc quærimus modum, An, eo

quia

quia sunt veluti quędã impetrationes, quia nempe Deus motus ab illis actibus, concedit pœnarum relaxationem, an ex eo, quia ipsa suffragia sunt opera satisfactionis æquivalentia pro pœnis soluendis; ideoque ijs positis, Deus infallibiliter relaxat. exemplum aptum est in humanis, si quis damnatus sit ad triremes, vel ad carceres, potest Princeps intuitu precum, vel aliorum operum amici ipsius carcerati, &c. condonare pœnam; & potest pariter per compensationem, siue in pecunia, siue in alio seruitio relaxare. in quo puncto duæ sunt opiniones. Prima est Durandi *in 4. sent. dist.* 45. *q.* 1. *num.* 6. Caietani *t.* 1 *opusc. tract.* 16. *q.* 5, & aliorum cum eis docentium suffragia prodesse per modum impetrationis. Alia sent. communior docet prodesse, vt satisfactiones, ita Scotus, vbi supra, S. Thom. & S. Bonau. locis infra citandis.

Duæ sent. vna per modum impetrationis. alia per modum satisfactionis.

629 Adu. 3. quod aliud adhuc insurgit dubium, siue dicatur, quod prosint vt satisfactiones, siue, vt impetrationes; & est, an obtineant effectum, scilicet relaxationem pœnæ, per modum iustitiæ, an per modum misericordiæ: & sensus est; an suffragia sint talis naturæ, ac virtutis, vt ijs positis, Deus infallibiliter relaxet pœnam, & vt ita dicam teneatur ex iustitia eam relaxare; an sit actus misericordiæ, & gratia quędam, quem præstat purgandis. Nota tamen, quod si dicatur, infallibiliter, & semper habere suum effectum (dummodo adsint omnia requisita de quibus postea,) cessabit quæstio, an causent per modum iustitiæ, an misericordiæ; quia nos inquirimus effectum infallibilem eorum, & non curamus de alijs formalitatibus nominalibus. In quo puncto video S. Thomam *in 4. dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiuncula* 2. *ad* 2. *& q.* 4. in fine docere, quod per modum iustitiæ iuuent, idemque doceri à S. Bonau. *in 4 d.* 20. *par.* 2. *ar.* 1. *quæst.* 3. *ad vlt. & in dist.* 45. *p.* 2. *qu.* 1. *num.* 24. quos alijs recentes sunt secuti, alios autem antiquiores istis non video expressè de hoc loqui. Et quoniam confusa esset hęc disputatio, si omnia simul discuterentur, sit.

Alia difficultas singularis, & grauis

## §. I:

## *An suffragia prosint defunctis, vt satisfactiones.*

630 DIco resolutè. Omnia suffragia, quę fiunt pro purgãtibus (si habeant alia requisita) prosunt illis, vt satisfactiones, ita Scotus *quodlib.* 20. C. S. Bonau. in 4 *d.* 20. *p.* 2. *ar.* 1. *q.* 3. *ad vlt &* 45. *p.* 3. *q.* 3. *n.* 31. D. Th. sæpè, sed præcipuè in *d.* 45 *q.* 2. *ar.* 1. *quæst.* 2. *quæst.* 2. *ad p. & q* 4. *in fine*, clarius *q.* 3. *ar.* 3. *ad* 6. *& ar.* 4. *q.* 1. *ad* 1. cuius verba adducam infra. Richardus *dist.* 45. *ar* 4. *q.* 1. *ad* 4. Recentes ferè omnes, & noster Faber *dist.* 19. *disp.* 37. *num.* 16.

Suffragia pro defunctis sũt satisfactiones.

631 Prob. 1. à pari viuentes possunt sibi inuicem suffragari per modum satisfactionis. Ergo eodem modo possunt suffragari purgantibus obligatis ad satisfaciendum. Antecd. prob. ex *Catechis. Pij V. de Sac Pœnit. num.* 61. vbi habetur, *In eo summa Dei bonitas, & clementia maximis laudibus, & gratiarũ actionibus prædicanda est, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus pro alio possit satisfacere*, & post. *Qui diuina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt quod Deo debetur persoluere, quare fit quodam pactoaliter alterius onera portare videatur.* Et assignat potissimam rationem sic. *Nec vero de hac cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum symbolo sanctorum communionem profitetur.* Ergo vnus viuens potest pro alio satisfacere: hinc peregrinationes, ieiunia, macerationes, eleemosinæ &c. pro alijs facta. & hoc quidem supponimus (ne omnia probanda sint) in disp. de suffragijs. Conseq. prob. Animæ purgatorij sunt membra corporis Ecclesiæ, nec sunt ab ea separatæ, ex Augus. *lib.* 20. *de Ciu. Dei cap* 9. *E. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi*, & Paulo post. *Cur. enim fiunt ista, nisi quia fidelis etiam defuncti membra eius sunt*, si ergo viui possunt satisfacere pro viuis sibi in charitate coniunctis, poterunt etiam viui pro mortuis pari modo sibi coniunctis.

Arg. à pari de satisfactione pro viuis.

Catechismi distincti.

Animæ purgatorij sunt membra Ecclesiæ.

632 Prob. 2. ex Petro Dam. *in ser. de S. Nicolao* præceteris sic habente. *Pro illis tantum vigilandum est in orationibus, & subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiam eorum in satisfactionem; satisfactionem in glorificationem eiũ conuertat*; ergo quod illis applicatur, seù pro illis fit, habet rationem satisfactionis.

Petr. Dam.

Dices ex hoc dicto Dam. potius infertur, quod valeat per modum impetrationis, quia dicit, *vt benignus Pater conuertat &c.* ergo opera illa non iuuant, vt satisfactio.

633 Resp. neg. anteced. in omnibus enim actibus Sacramentalibus, quibus habetur effectus ex opere operato, implorat. tur benignitas Dei; patet in sacramento pœnitentiæ, in quo ante absolutionem præmittuntur aliquæ deprecationes, item in sacramento Eucharistiæ; nam antequam fiat consecratio oratur Deus in Canone sic *quam oblationem, tu Deus in omnibus quæsumus benedictam adscriptam ratam rationabilem acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & sanguis fiat Domini nostri Iesu Christi, &c.* orat ergo Sacerdos, vt Deus conuertat oblationem panis, & vini in corpus & sanguinem Christi; & tamen si sola verba consecrationis proferret, infallibiliter Deus conuerteret, & ita dicendum de alijs, quæ infallibilem effectum habent.

Parũ refert quod suffragia sententiones, quia adhuc sunt satisfactiones.

est in

vt in confirmatione, extrema vnctione, &c. Omnium autem vnica, & fundamentalis ratio hæc est, vt recordetur fidelis, quod verba illa, & actus quos facit, de sui natura non sunt effectiui talium rerum, sed Deus est earum author; proinde in ijs efficiendis, esto medijs infallibilibus vtamur; quia tamen à Deo eam habent efficaciam infallibilem, illum, vt earum authorem benignú horũ institutorem imploramus: ita prorsus in casu, Damianus enim id agnoscit, & suffragia in satisfactionem confitetur.

Quare in suffragijs Deus oratur,

634 Prob. 3. ex Petro Cluniacensi in *epist. ad Arelaten. Epist. contra Petro Brusianos*, qui suffragia defunctis prodesse negabant, quos acriter impugnat, & duo docet; primùm, quod aliquæ animæ in purgatorijs pœnis reperiantur, vt purgentur. De ijs autem pœnis, ita loquitur. *Quæ secundum nobis occultas dispensationes iustitiæ, & misericordia Dei pijs operibus bonorum virorum, aut tempore breuiantur, aut qualitatis mitigantur ad remedium bonorum. Quæ purgatio ab æterna damnatione secernens aut per occultum Dei iudicium reis illis pro qualitate reatuum exhibetur, aut per ineffabilem eius bonitatem Ecclesiæ sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & his similibus compensatur*: ergo si suffragia illa sunt compensationes pœnarum, iam prosunt, vt satisfactiones, hæc enim est satisfactionis natura, vt sit redditio, seu compensatio æquiualen pro æquiualentialis indebiti, vt supponimus ex *tract. de satisfact. Christi*.

Petrus Cluniacensis dicit esse compensationes.

635 Prob. 4 ex Nicolao Cabasila Græco, qui in 13. *sæculo* florebat, hic enim in *Liturg. a cap.* 45. sic docet. Nudæ corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quam eæ, quæ viuunt in corporibus: purgantur enim; & peccatorum remissionem accipiunt per orationes Sacerdotis, & donorum interceßionem nihilo minus, quam eorum, qui viuunt: ergo eodem modo prosunt defunctis suffragia illa eleemosynarum, sacrificiorum, ac precum, sicut si ipsimet viui ea opera facerent, sed si viui ea facerent, essent satisfactiones, ergo etiam cum à viuis pro illis fiunt.

Nicolaus Cabasilas Græcus author.

636 Prob 5. Inter alios errores Lutheri à *Leone X.* damnatos in *Const.* 40. *Bullæ*, adest hic in §. 40. *Anima ex purgatorio liberata suffragijs viuentium iam minus beatur, quam si per se satisfeciſſent*. Omnes autem dicti errores, vt in præced. patuit sunt respectiuè damnati, vt hæretici erronei scandalosi, seductiui, piarum aurium offensiui; ergo iste recensitus, aliqua saltem minima harum censurarum afficitur; igitur animæ quæ exeunt à purgatorio per suffragia fidelium, ita se habent, ac si per se satisfeciſſent, & huius oppositum est error censuratus à Leone: ergo euidenter sequitur, quod suffragia illa sunt satisfactiones, non ab ipsis defunctis appositæ pro se, sed à viuis; quæ illatio mihi est euidens.

Colligitur hæc tenten. ex Constit. Leonis X. contra Lutherum.

637 Prob 6 ex Patrum loquendi modo. Greg. Mag. *lib. 4 dial c.* 39. in fin. postquã docuit, animas purgari, sic concludit: *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat promereatur*: igitur relaxatio illa, quæ conceditur defunctis, siue ex suffragijs fidelium, siue alio modo, est eis debita, quia meruerunt in hac vita, vt posset illis fieri tale adiutorium: & sic adiutorium illud est satisfactio in vim meriti vitæ. sed quia hoc argumentum plus probat, quam pro nunc sit necessarium, nempe quod per modum iustitiæ, & de condigno suffragia, seu satisfactiones istæ prosint: & ex Augustino illud accepit Gregorius, in seq. §. fusius discutietur.

Ex modo loquendi PP. præsertim Greg. Mag.

638 Prob. 7. ratione. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas, seu iustitia. Psal* 24 & iterum ac sæpe *misericordia, & pax osculatæ sunt*; ergo si Deus remittit pœnas purgandorum, intuitu suffragiorum, vt fides docet, debet exerceri iustitia, & misericordia. Sed nequit in alio apparere iustitia, nisi in hoc, quod acceptat æquiualens à fidelibus viuis oblatum, nempe opus pœnale; misericordia verò in hoc, quod decreuit de hoc esse contentus, vt inquit Catechismus, quod alter alterius, siue inter viuos, siue inter viuos pro mortuis, onera portent; ergo suffragia illa prosunt per modum satisfactionis, & hoc idem est argumentum quo vtitur S. Bonauentura loco cit. *q.* 1. *n.* 22.

Arg. ex iustitia Dei.

In suffragiorum effectu exercetur Dei iustitia, & misericordia.

639 Prob. 8. Nisi per modum satisfactionis prodessent, æquè iuuarẽtur purgandi, per suffragia viuentium, ac per impetrationes Sanctorum: sed hoc est falsum; ergo. Consequen. prob. eatenus orationes Sanctorum pro defunctis non iuuant, sicut nostra suffragia, quia non sunt opera pœnalia, ipsi enim non fatigantur, nec passionem aliquam sentiunt in orando, sicut patiuntur viatores: igitur, cum requiratur pœnalitas in opere suffragij signum est esse compensationem pro pœna, alioquin frustra requireretur; sed hæc requiritur, vt aliqualis intercedat proportio, ergo.

Arg. ad impossibile.

640 Prob. 9. arg. Scoti, nisi iuuarent vt satisfactiones, quodlibet suffragium æquè prodesset omnibus; nulla enim requireretur proportio: & sic vnum suffragium pro pœnis multorum applicatum, æquè multis, imo omnibus prodesset. Sed hoc est falsum, vt patebit, quia si pro vno fiat, magis illum iuuabit; quo arg. vsus fuerat nedum S. Bonau. sed S. Thomas ideo.

Arg. ex absurdo, quia omnibus prodesset æqualiter.

641 Prob. ex S. Th. *in 4. sen. d.* 45. *q.* 2. *ar.* 1 *quæstiuncula* 2. *ad primum*, vbi docet sic. *Homo dum in corpore vixit, meruit, vt hæc ei valerent post mortem; & ideo si post hanc vitam iuuatur, hoc procedit ex his, quæ in corpore gessit*; *in quæstiuncula* 4. docet, *suffragium, quod pro altero fit, potest considerari*

Ex S. Th.

*rariduplicitèr, vno modo, vt est expiatiuum pœna per modum cuiusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur, & hoc modo opus suffragij, quod reputatur, quasi eius, pro quo fit, absoluit à debito pœnæ, quia in tali recompensatione attenditur æqualitas iustitiæ*, idem dicit in *artic. 2 quæstiunc. 1.* esse, scilicet satisfactiones pro defunctis, & in *quæst. 3. art. 3. ad 6.* ait, *suffragia Ecclesiæ sunt pro defunctis, quasi quædam satisfactiones viuentium vice mortuorum, & secundum hoc mortuos à pœna absoluunt, quam non soluerunt*: & postea assignans rationem, cur Sancti in Patria id non obtineant pro purgantibus, ait, quia non sunt in statu satisfaciendi: *in art. 4. quæst. 1. ad 1.* dicit, satisfactionem esse solutionem cuiusdam debiti, ideo valet pro illo cui applicatur, etiam pro omnibus; ergo firma, & constans est Sancti Thomæ, & Scoti sententia, quod suffragia viuentium pro animabus purgatorij, sunt satisfactiones, talis naturæ, ac si fierent ab ipsis defunctis.

642 Prob. 11. ex Ricchardo de media Villa in *4. dist. 45. art. 2. q. 1. ad 4.* docente, quod sicut vnus viuus potest satisfacere pro alio, ita etiam pro defunctis existentibus in purgatorio, quia nobis charitate coniuncti sunt.

Ex Ricchardo.

643 Prob. ex S. Bonau. *in 4. dist. 45. p. 3. q. 3. n. 31.* vbi docens, quod suffragium non æqualiter prodest animabus purgatorij, sed magis ei, pro quo fit, contra Præpositiuum, assignat hanc rationem, quia suffragia sunt ad soluendum pœnam, siue reatum, & plus est satisfacere pro debito multorum, quam vnius, & facilius satisfit pro debitis vnius, quam plurium. Hæc S. Bonau. ergo prosunt per modum satisfactionis.

Ex S. Bonau. suæ satisfactiones.

644 Prob. 10. Modus iste suffragandi pro purgandis, non repugnat; ergo, conseq. prob. nihil negandum est defunctis circa communionem Sanctorum, quam in vita possunt fideles participare. Anteced. prob. primo, quia Christus omnia sua opera pro nobis per modum satisfactionis applicauit, et ex ijs principaliter Ecclesiæ thesaurus conditus est, vt postea dicam. 2. quia, vt in primo argum. patuit ex Catechismo, potest viuus, vnus satisfacere pro alio: & in Republica ciuili id idem habetur, pro viuis enim, & pro mortuis homines satisfaciunt, & hæredes pro votis testantium, pro debitis, et obligationibus eorum: cur ergo negandum est, posse fideles viuos satisfacere pro pœnis purgandorum.

Ex nõ repugnantia.

645 Prob. 11. ex dicendis infra, animæ purgandæ iuuari possunt per indulgentias: ergo non repugnat, quin per satisfactiones viuentium iuuentur: consequen. probatur. nam indulgentiæ ijs prosunt, quatenus satisfactiones, et Christi, et B. Virginis, et Sanctorum pro illis applicantur, et ex ea applicatione, pœnæ soluendæ relaxantur: ergo opera satisfactoria possunt eas iuare; non enim minoris sunt valoris opera pœnalia, quæ nunc fiunt à viuente iusto, quam ea, quæ facta fuerunt olim, et nunc recondita sunt in thesauro Ecclesiæ.

Arg. ex Indulgentijs.

646 Prob. tandem. Non potest fidelis magis impetrare alteri, quam sibi: sed nullus impetrat sibi remissionem pœnæ temporalis in hac vita, nisi competenti satisfactione præmissa; ergo, neque poterit eam impetrare alteri: si ergo suffragia obtinent remissionem pœnæ, vt infra dicetur, eam obtinent non per modum impetrationis, sed satisfactionis.

Ex impugnatione impetrationis.

Ob. contra. Omnia suffragia, quæ defunctis applicantur, siue à particularibus fidelibus, siue à matre communi, Ecclesia scilicet, per modum precum, orationum, et petitionum fiunt: ergo per modum impetrationis tantum iuuant; anteced. prob. de omnibus, siue enim quis coronam recitet, siue defunctorum officium, siue alio modo animam amici Deo commendet, precatur, vt eam à pœnis liberet, atque in cælum introducat: si missam celebrari faciat, aut celebret, omnes collectæ, et deprecatoriæ orationes, quæ in ea sunt, petunt hoc à Deo: ergo.

Arg. contr.

Confirm. Omnes modi loquendi SS. Patrum, et orationes ab eis compositæ, immò et liturgiæ eamdem habent formulam deprecatoriam: ergo sic obtinent effectum, et non per modum satisfactionis.

Ex eo quod suffragia sunt deprecatoria.

647 Respond. sicut paulò ante solutum fuit hoc argumentum: per negationem consequen. Primò, quia aliæ formæ Sacramentorum, vt Extremæ vnctionis, et apud antiquos Græcos, et Orientales etiam forma pœnitentiæ legitur deprecatoria, et tamen non per modum impetrationis, sed ex opere operato producunt effectum. Secundò, quia, etiam satisfactiones impositæ à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ aliquãdo sunt deprecatoriæ, vt coronæ, litaniæ, etc. neque per hoc faciunt suum effectum per modum impetrationis, sed ex opere operato. 3. Suffragia ieiuniorum, & eleemosynarum, &c pœnalium non sic fiunt; ergo saltem illa debent dici per modum satisfactionis. 4. Quia officia, siue missæ, siue horarum, nequeunt alio modo fieri, nisi cum Dei laudibus, veneratione, & deprecatione. At hoc inquiritur, an istæ orationes, & deprecationes sint satisfactiones, & dicimus, quod sic, quia si fierent pro viuis, siue amicis, siue pro semetipsis, essent satisfactiones; ergo per communionem cum defunctis, eodem modo valent: & tandem, quia, vt in sequenti dicetur, meruerunt in vita, vt eis prodessent: si ergo iuuamen aliqualiter est effectus meriti, non potest dici effectu puræ impetrationis.

Parũ refert. quod suffragia sint deprecatoria, & ratio euincens, ac partes.

Ob. 2. Sancti etiam orant pro defunctis, vt à pœnis soluantur, & tamen nequeunt eis prodesse per modum satisfactionis, sed solum impetrationis: ergo neque viuentes;

Arg. de suffragijs SS.

anteced.prob.ex orationibus Eccleſiæ,nam in collecta pro defunctis,*Deus venia largitor* habetur, *intercedente Beata Maria cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas*; & in collecta pro viuis, & defunctis habetur, *intercedentibus omnibus Sanctis tuis delictorum ſuorum veniam conſequantur*, &c. Conſequ. prob. non eſt maior ratio,cur ſuffragia Beatorum proſint diuerſo modo, quam viuentium.

Sancti non ſatisfaciunt, ideo ſolum impetrant.

648 Reſp neg. conſequ. diſparitas iam ſupra allata eſt ex S. Th. quia ſcilicet Sancti ſunt in ſtatu ſatisfaciendi, non enim poſſunt opera pœnalia exercere,hæc enim ſunt opera ſatisfactoria pro pœna: nam ſatisfactio, ſeu compenſatio debet habere proportionem aliquam cum re,pro qua ſatisfit,quod in Beatis reperiri non poteſt.

Arg. ex impproportione.

Ob.3. Opera viuentium nequeunt proportionari cum pœna purgatorij: ergo,conſeq. patet quia ſatisfactio eſt redditio æquipalentis alias indebiti, anteced. prob. ex ſupradictis;pœna purgatorij eſt maior,& acerbior omni alia, quam quis poteſt pati in hac vita.

Ex Dei ordinatione eſt proportionata pœna,

649 Reſp. diſt.anteced.ex natura ſua, concedo: ex Dei ordinatione nego,& nego conſeq. Sicut enim Deus ordinauit, vt qui ſine completa pœnitentia diſcederet à ſæculo, pœnam lueret in purgatorio, & tamen iſta nõ proportionatur illi;ita pariter ſtatuit vt pœnitentia facta à viatore in gratia pro exiſtente in purgatorio,ita ſe habeat reſpectu illius,ac ſi illa eſſet in vita,ob vinculum charitatis,& membrorum in eodem corpore vnionem; totum ergo in Dei ordinationem refundendum eſt. Adde, quod pœnitentiæ viuentium, ex eo, quo voluntariæ omnino, ſunt maioris valoris.

## §. 2.

## *An ſuffragia proſint defunctis ex iuſtitia, vel ex miſericordia.*

Senſus articuli.

650 ADu. vt in principio art.dixi,quod etiam ſi concedatur, quod ſuffragia ſint ſatisfactiones quædam, vel ſolæ impetrationes, adhuc reſtat dubium, an ex iuſtitia eos releuent, an ex miſericordia, & eſt ſenſus, an quaſi ex opere operato, ſeu de condigno; vel magis propriè, an ijs poſitis, Deus de potentia ordinaria teneatur ſecundum proportionem earum, pœnam relaxare, minuendo, vel totaliter abſoluendo: an verò non teneatur ex iuſtitia, ſed ſi ei placeat,aliquando, vel minuat, vel totaliter abſoluat. In quo puncto, vt dixi duæ ſunt ſententiæ: ſed non pertinent ad fidem, ideo licet opinari.

Suffragia proſunt per modum iuſtitiæ,

651 Dico ſuffragia viuentium pro defunctis purgandis proſunt illis per modum iuſtitiæ.

652 Prob. 1. ex nuper dictis, ſunt ſatisfactiones quædam, quæ ex vnitate charitatis, & eiuſdem myſtici corporis Eccleſiæ ſub eodem capite Chriſto, ita valent defunctis capacibus, ſicut valent viuis in gratia exiſtentibus: ergo proſunt per modum iuſtitiæ: conſeq. prob. Cum Princeps remittit pœnam reo per compenſationem, ſeu ſatisfactionem, exercet circa eum actum iuſtitiæ; ſuppoſita enim lege, quod pœnæ aliquæ compenſari poſſint; licet ab initio,cum fuit condita lex, actus benignitatis, & miſericordiæ fuerit in legislatore, vt compatiens humanæ naturæ, legem illam de compenſationibus acceptandis pro pœnarum relaxationibus conderet, quia hoc modo homines ad ſocietatem, & mutuam dilectionem incitare intendit, vt alter alterum in his caſibus iuuare poſſet; lege tamen condita,executio eius eſt actus iuſtitiæ: ergo ita in caſu.

A priori ratio, quia ſatisfactiones ſunt.

Exemplum in ſatisfactionibus ſolum mundanæ.

653 Prob. ex Aug in Enchir. c.110. ſic dicente. *Negandum non eſt,defunctorum animas pietate ſuorum viuentium reliefari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt*; & aſſignat, quare, & quomodo proſunt, ſic. *Sed ea proſunt, qui cum viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent meruerunt* et poſt aliqua, idem replicat, *etiam hoc meruerit cum ſibi quiſque dum viueret comparauit, vt ei poſſent iſta prodeſſe*: et poſtea de iſtis ſuffragijs omnibus iterum ait, *pro non valde malis propitiationes ſunt*.

Ex Aug. colligitur.

Idem Aug. ſecundo.

654 Idem replicat in *lib. de cura pro mor. ger. cap.1. B.* declarans, quod ſuffragia iuuant defunctos, et tamen hæc doctrina non eſt contraria dicto Apoſtoli, *omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt ferat vnuſquiſque ſecundum ea quæ geſſit in corpore*, quia inquit, *hæc Apoſtolica ſententia ante mortem admonet fieri, quod poſſit prodeſſe poſt mortem non tunc, quando recipienaum eſt, quod quiſque geſſerit ante mortem. Verum hæc ita ſoluitur quæſtio: quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent iſta defunctos: ac per hoc ſecundum ea, quæ per corpora geſſerunt, vt quæ religioſè poſt corpus pro illis facta fuerint adiuuantur*, et poſt aliqua. *Genere igitur vitæ, quod geſſit quiſque per corpus, efficitur, vt proſint, vel non proſint quæcunque pro illo pie fiunt cum exiquerit corpus*; et poſt pauca. *Vt enim hoc quod impenditur poſſit ei prodeſſe poſt corpus, in ea vita acquiſitum eſt, quam geſſit in corpore*.

Aug. tertio.

655 In *cap.4.* quæreus,an proſit defunctis ſepeliri iuxta martyris alicuius tumulum, ait iuuare in hoc, *quod dum amicus recolit animo chariſſimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus; qui cum defunctis à fidelibus chariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt his, qui in corpore viuerent*

*talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.*

656 In cap. autem vltimo eiusdem *lib. de cura pro*, *Non omnibus, pro quibus fiunt* (suffragia) *prosunt, sed his tantum quibus dum viuunt comparauerunt, vt prosint.*

Aug. quarto.

657 Ex quibus omnibus colligitur, quod suffragia defunctis collata infallibiliter, & ex iustitia prosint cum ex merito in vita acquisito debeant prodesse: quæ enim ex merito, licet ex Dei ordinatione habent effectum, iam illud habent ex iustitia.

658 Confirm. ex Gregor. Mag. in præced. allato, *lib. 4. dial. c. 39.* in fine. *Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat promereatur*: ergo effectus quē præstant suffragia, infallibiliter, & ex iustitia satisfactionis à Deo ex decreto antiquo æternitatis acceptatæ, obtinetur.

Greg. Mag. dicit idem quod Aug.

659 Confirm. ex S. Bonau. *in 4. dist. 45. p. 2. q. 1. n. 14.* vbi de purgandis habet, *status soluendi non semper coniungitur cū statu merendi, sed illum præsupponit, scilicet, qui prius meruit, quod in tali statu possit soluere, & iuuari.*

S. Bonau.

660 Confirm. ex D. Tho. in 4. *dist. 45. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 1.* vbi habet, *dicendum, quod homo dum in corpore vixit, meruit, vt ei valerent post mortem, & ideo si post hanc vitam eis iuuatur, nihilominus hoc proceditex his quæ in corpore gessit*: & in resp. ad 2. ait, *opera pro eis facta, sunt, & quodammodo eorum, vt dictum est.*

S. Tho.

661 Confirm. ex eod. D. Thom. in ead. *dist. 45. qu. 2. art. 1. qu. 4.* in fine, vbi soluens arg. cur suffragium pro vno datum non liberet omnes animas, ait: *Opus suffragij, quod pro alterò fit, potest considerari dupliciter; vno modo, vt est expiatiuum pœnæ per modum cuiusdam recompensationis, quæ in satisfactione attenditur, & hoc modo opus suffragij, quod reputatur quasi eius, pro quo fit; absolui eum à debito pœnæ, quia in tali recompensatione consideratur æqualitas iustitiæ, &c.*

Et enim S. Th.

662 Prob. tandem ex omnibus Scholasticis, vt D. Thoma, D. Bonau. Riccardo, & alijs in 4. *dist. 45.* locis postea adducendis; & ex Scoto *quodlib. 20. C.* docentibus, quod suffragium applicatum pro vno magis iuuat, quam si applicetur pro pluribus, & quod illi vni prodest per modum satisfactionis, alijs verò omnibus per modum consolationis, etiam si de illis non habeatur cogitatio: ergo iuuat per modū iustitiæ; prob. conseq. quia si per modum misericordiæ, posset quis cum eodem affectu, & charitate illud applicare pro omnibus, & sic mouere Deum ad miserendum omnium; quod tamen, vt dicunt præfati Doctores non euenit: ergo iustitia seruatur.

Omnes Scholastici docent quod suffragium pro vno magis prosit quam si pro multis applicetur.

663 Confirmari potest ex omnibus apparitionibus, ac reuelationibus allatis supra, in quibus statim ac suffragia pro animabus purgatorij applicata sunt, relaxatæ sunt earum pœnæ: & ad hoc possent adduci innumera ferè exempla quæ in Prato Spirituali leguntur de liberatione animarum per suffragia: ex quibus euidens deducitur consequentia, quod infallibiliter, seu ex iustitia habent suum effectum, alias eodem modo iuuarent, quo Sanctorum impetrationes.

Argum. ex reuelationibus.

Ob. 1. Nullibi habetur, neque ex Scriptura, neque ex Patribus, aut Concilijs, quod suffragia prosint defunctis ex iustitia, ita quod teneatur Deus pœnam remittere ad positionem talium suffragiorum: immò repugnat dicere, quod Deus ex iustitia alicui debeat.

Arg. contr.

664 Resp. dist. antec. quòd ad Scripturam concedo id non haberi, nisi implicitè, & remotè; sed ex Patribus, & Concilijs explicatius. Ratio est, quia, vt in præced. dictum est, Patres, & Concilia dicunt suffragia iuuare, pœnas diminuere, vel totaliter tollere: hic autem loquendi modus, significat iuuamen infallibile, & per modum iustitiæ: si enim per modum gratiæ hoc præstarent, possent aliquando non iuuare; & ita malè dixissent Concilia, & PP. determinatè *prosunt, iuuant*, & similiter, sed dicere debuissent, *possunt prodesse, possunt iuuare.* Immò fideles deluderentur, cū ex fide in Patres, & in Concilia, tenerentur se per sua suffragia, eleemosynas, &c. iuuare, vel iuuasse defunctos, si in purgatorio sunt, si tenetur non infallibiliter iuuare: vel dicas, quod hoc non est de fide, sed Theologica sententia.

Ex modo loquendi Patrum, & Conciliorum colligitur.

665 Ad illud de iustitia supponitur ex propriotract. inter Deum, & hominem, vtpote Dominum, & seruum non posse intercedere veram, & rigorosam iustitiam commutatiuam, sed secundum quid, & ex suppositione; ex quo enim promisit aliquid facere, ex virtute fidelitatis tenetur exequi. *Fidelis enim est Deus*, 2. *Cor.* 1. & 2. *Cor.* 1. 2. *Thessalon.* 3. de iustitiæ Dei laudibus scriptura plena est. *Psal.* 9. 14. 19. & totum Psalterium hoc testatur, alijque canonici libri, neque in his solum est sermo de iustitia, ideſt de bonitate in operando, sed in retribuendo, & reddendo, quod promisit, vnde Apostolus 2. *Timoth.* 4. *reposita est mihi corona iustitiæ*: & de iustitia, ac fidelitate in condonando pœnitentibus habentur innumera Scripturæ exempla, sed nobile est illud *Isaiæ* 1. 16. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, &c. & venite arguite me, dicit Dominus, si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, &c.* Deus ergo ex iustitia potest se obligare ad aliquid faciendum, et tunc hoc accidit, quando promisit se facturum: nulla ergo est repugnantia, quod ad positionem suffragiorum, quæ sunt satisfactio-

Inter Deū, & hominem non potest esse rigorosa iustitia commutatiua, sed secundum quid.

Exempla de iustitia Dei in condonā. de.

nes pro purgandis, ex iustitia Deus relaxet pœnam iuxta proportionem suffragiorum, et hoc ex antecedenti eius ordinatione.

Inst. Nullibi legitur hæc Dei promissio, vt ad suffragiorum applicationem, pœnam relaxaret: ergo.

Inst. quod hæc ordinatio non legatur.

666 Resp. nullibi legitur in Scriptura sed in praxi Ecclesiæ quæ suffragia applicat, certa, quod iuuent: et non sperans solum, quod possint iuuare. Imò S. Augustinus, à quo postea alij acceperunt, adeo firmiter tenet suffragia fidelium infallibiliter prodesse; vt si casus accidat, quod defunctus pro quo applicantur non sit capax eorum, sed sit damnatus, dicat, *in consolationem fidelium prodisse*: si vero sit Beatus, *esse gratiarum actiones*, ita in *Enchirid. cap.* 110. et postea concludit, *quibus autem prosunt, aut adhuc prosunt, vt sit plena remissio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio*, idest pœnarum sufferentia, et ideo 2. *Macchab.* 12. Eleemosynæ, Missæ, & sacrificia, offeruntur pro peccatis mortuorum, *vt ab eis soluantur*, textus loquitur determinatè per modum effectus certi, et infallibilis.

Ex praxi Ecclesiæ habetur quod infallibiliter habent effectum.

Ob. 2. Ipsemet modus orandi Ecclesiæ, et Patrum ostendit suffragia per modum gratiæ effectum obtinere: nam omnes ferè modi orandi, et loquendi Patrum sunt deprecatorij: ergo. Conseq. prob. Deprecatio enim est ordinata ad obtinendam gratiam, et misericordiam, non iustitiam.

Arg. ex modo orandi Ecclesiæ,

667 Resp. sicut alias sæpè ad hoc arg. primo neg. consequ. quia modus ipse deprecatiuus, est satisfactiuus, et hunc præ cæteris ordinauit Deus pro satisfactione, seu compensatione pœnarum. 2. quia alia suffragia, vt eleemosynæ, ieiunia, cæteræque corporis macerationes non sunt deprecationes, vt patet; imò & ipsummet officium, seu etiam missa, quæ pro defunctis applicantur non sunt tota deprecatoria, sed maior, imò, & maxima illorum pars est laudatiua Dei. 3. quia non implicat, vt quis deprecetur executionem iustitiæ, & in eodem actu satisfaciat per modum iustitiæ. Vel si quis horreat hunc loquendi modum, quod nempe suffragia iuuent per modum iustitiæ, sed velit, quod iuuent per modum gratiæ; dummodo concedat, illa hunc effectum obtinere infallibiliter; vitro concedemus id præstare per modum gratiæ. Sed idem nos quoq; fatemur cum dicimus iuuare per modum iustitiæ, quia iustitia hæc fundatur in Dei gratia, qua statuit acceptare tales satisfactiones, *quid enim habes, quod non accepisti?* 1. *Cor.* 4. & Conc. Triden. docet in *sess.* 6. *cap.* 16. *Quod Deus velit nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona*; & ideo non prosunt de rigore iustitiæ.

Modus deprecatorius est etiam satisfactorius,

Non omnia suffragia sint deprecatoria,

Dici etiam potest per modum gratiæ si infallibiliter id faciant,

Ob. 3. Suffragia viuentium non sunt proportionabilia cum pœnis purgatorij: ergo nequeunt obtinere relaxationem pœnarũ per modum iustitiæ: euidens est consequ. quia dum fit relaxatio ex iustitia, debet offerri æquiualens.

Ex improportione,

668 Resp. dist. anteced. ex natura rei, concedo ex ordinatione Dei, nego. Ex quo enim Deus statuit communionem viuentium cum defunctis, vtpote cum eiusdem corporis membris, statuit etiam, vt eodem modo prodessent defunctis suffragia viuentium, sicuti prosunt ipsis; & quod pœnitentiam faciente viuente pro defuncto, ipsemet defunctus existimaretur eam facere; sicut dicit Catechismus *Pij V. vt in præced. §.* fit inter ipsosmet viuentes. Et sic sunt proportionabiles: eò vel maximè, quia pœnarum sufferentia, non est absolutè voluntaria, sicut est opus pœnale suffragij in viuente; quæ quidem conditio magnifacienda est.

Ex Dei ordinatione proportionantur;

Ob. 4. Si ex iustitia prodessent; eodem modo eis prodessent indulgentiæ: sed hoc est falsum: ergo. Min. prob. nam si sic, Caput Ecclesiæ S. Pontifex, cui competit indulgentias concedere, posset euacuare purgatorium. hoc autem non euacuatur, non obstante quacunque largissima, & extensiua ad omnes indulgentias: ergo:

Arg. de indulgentijs.

669 Resp. negan. min. ad probat. dico posse quidem à Pontifice applicari indulgentias, etiam plenarias, & satisfactiones Thesauri, vel per modum suffragij, vel etiã per modum iustitiæ, sicut facit cum viuentibus; imò & pro omnibus defunctis disiunctiuè; non tamen copulatiuè; ratio adduceturinfra, dum de indulgentijs pro defunctis loquemur,

Ob. 5. Nedum SS. sed et ipsimet Scholastici distinguunt suffragia in ea, quæ ex opere operato habent effectum, & in alia quæ solum ex opere operantis: & sic dicunt, quod sacrificium missæ, à quocunque offeratur, vel fiat offerri, etiamsi à peccatore, valeat efficaciter, non sic alia, vt eleemosynæ, ac ieiunia; ergo signum est, non omnia prodesse infallibiliter, & ex iustitia.

Arg. de suffrag. quæ ex opere operato habent effectum.

670 Resp. neg. consequ. hoc autem est valde notandum cum S. Bonau. *in 4. dist.* 45. *p.* 2. *q.* 2. & nos dicemus infra, quod sacrificium Missæ siue offeratur à bono, siue malo ministro prodest ex opere operato; alia verò opera, si fiant ab existente in mortali, non sic prosunt. Si tamen hæc alia opera fiant ab existente in gratia, cùm Deus decreuerit relaxare pœnam ad positionem talium operum, ab existentibus in charitate factorum, in hoc sensu tantum, ista etiam dicuntur habere effectum ex opere operato, & ex iustitia, seu infallibiliter; non verò sicut Sacramenta, quæ quidem siue conficiantur à bono, siue à malo ministro, habent suum effectum in subiecto capaci.

Quid sit in suffragijs habere effectũ ex opere operato.

671 Resp. 2. Quod si habere effectum ex opere operato importet habere illum infallibiliter, non omnes Scholastici conueniunt in assignata differentia suffragiorum, sed illi tantum, qui dicunt, quod suffragia facta à peccatore non iuuant: si verò habere effectum ex opere operato sumatur, vt

In vno sensu omnia suffragia habent effectum ex opere operato,

Sa-

Sacramentis tantum competit, certè tunc missa tantum habet hunc effectum inter suffragia. Verum, nos non facimus quæstione de nomine, sed de re, an scilicet omnia suffragia infallibiliter, & ex iustitia supposita Dei ordinatione habeant effectum; & dicimus affirmatiuè.

## ARTICVLVS XIII.

### *An soli viatores possint animabus Purgatorij suffragari?*

Artic. sensus an. & quo modo Beati possint suffragari defunctis.

671 ADu. breuiter, quod sensus est, an fideles tantum viatores, seu in mundo existentes possint suffragari animabus illis, an etiam Beati; & quoniam suffragium esse potest, vel per modum satisfactionis, vel per modum simplicis impetrationis; ad vtrumque se extendit articuli sensus ideo.

Suffragia vt prosint requirere, sint à viuentibus.

672 Dico 1. Vt suffragia prosint per modum satisfactionis, & iustitiæ, requiritur omnium primo, vt suffragans sit viator: est communis, et est S. Thom. in 4. *dist.* 45. *q.* 3. *ar.* 3. *ad* 6. D. Bonau. ibidem, etc.

Beati non possunt facere opera pœnalia.

673 Prob. 1. communi argumen. Soli viatores possunt reddere æquiualens pro æquiualente, opus nempe pœnale; ergo.

674 Confirm. Opera, quæ possunt esse suffragia animabus purgatorij ex *Greg. 11.* et habetur in *cap. Anima* 13. *q.* 2. ex Concil. Flor. in literis vnionis ex August. in *Enchir. cap.* 110. sunt, *sacrificia, eleemosinæ, orationes, & ieiunia*. Sed hæc à viatoribus præstari possunt, et licet Beati possint preces fundere, dicemus tamen, vel non fundere, vel non sufficere, vt satisfactiones, quia non pœnales.

S. Thom. ratio.

675 Prob. ex S. Thoma vbi supra ad 6. vbi respondens ad arg. quod si Sancti orarent pro existentibus in purgatorio, omnes statim à pœnis liberarent. Respondet ad 6. disparitatem esse de viuentibus suffragantibus, & de Beatis; *quia*, ait, *suffragia Ecclesiæ sunt quædam satisfactiones viuentium, vice mortuorum, & secundum hoc mortuos à pœna absoluunt, quam non soluerunt: sed Sancti, qui sunt in patria, non sunt in statu satisfaciendi, & ideo non est simile de eorum orationibus, & de suffragijs Ecclesiæ*: ergo soli viatores possunt suffragari per modum satisfactionis.

Beati per modum impetrationis possunt suffragari defunctis.

676 Dico 2. Si sermo sit de alio genere suffragiorum nempe per modum impetrationis, & misericordiæ, etiam Beati possunt suffragari animabus purgatorij, est etiam communis.

677 Prob. 1. ex praxi Ecclesiæ, quæ in collecta Missæ defunctorum quotidiana, sic precatur. *quæsumus clementiam tuam, vt nostræ Congregationis fratres, &c. qui ex hoc sæculo trãsierunt, B. Maria semper Virg. intercedente cùm omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas*: & in alia collecta orat. comm. pro viuis, & defunctis, *quos tam exutos corpore suscepit intercedentibus omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium peruenire concedas*: item in antiphonis pro depositione defuncti sic rogatur, & est oratio Gregor. Magn. *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam eius offerentes eam*, &c. ergo B. Virgo & alijs Sancti pro defunctis orant, eisque suffragantur. Ex collectis Ecclesiæ.

Ex ratione S. Augustini laudantis, vt defuncti sepeliãtur prope martyrũ memorias,

679 Prob. 2. ex S. August. *lib. de cura pro mort. ger. cap.* 4. vbi laudat, quod mortui sepeliantur prope memorias, seu monumẽta Sanctorum, ex hoc capite, quia amici, & cari, *dum recolunt vbi sint posita eorum quos diligunt corpora, eisdem Sãctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adiuuandos orando commendant*, & paulo post, declarans, quod monumentum Græcè idem est, ac *monumentum* subdit, *cum itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus*: ergo Sancti orant pro defunctis.

Monumentũ quid sit,

S. Tho. idem confirmat.

680 Confirm. ex S. Thom. in 4. *dist.* 45. *q.* 2. *ar.* 3. *quæstiuncula* 3. vbi diffusè docet, sepulturam adinuentam esse, nedum propter viuos, vt fidem habeant resurrectionis; sed etiam propter mortuos, & replicat dictum Augustini, quod nempè *ob monumentum in loco sacro defunctus commendatur patrocinio alicuius Sancti, cuius precibus creditur tum iuuari*: ergo.

Orant pro defunctis, quia sunt membra Ecclesiæ.

681 Prob. 3. Beati in patria orant pro viuis, vt fusè in propria disput. probatum est: ergo etiam pro defunctis capacibus: non enim minus isti, quam illi sunt membra Ecclesiæ, neque minorem cum defunctis, quibus caritate coniuncti sunt, habent communionem.

Arg. ex eo, quod orant pro viuis.

682 Confir. Sancti, vt probatum supra est, possunt orare pro viuis: sed viui id possunt supplicare Sanctis, vt à Deo impetrent liberationem aliquorũ è purgatorio: ergo eam Sancti possunt à Deo petere; neque vlla in hoc est repugnantia; non enim est illis à Deo limitatum, vt hoc tantum, vel illud petant à Deo pro viuentibus.

683 Confirm. 2. Beati possunt orare, & impetrare à Deo resurrectionem alicuius mortui ad petitionem viuentium, vt rerefuscitatus pœnitentiam agat: & hoc sæpissimè accidit: ergo potest pariter orare, & impetrare, vt pœna in purgatorio releuetur, vel totaliter relaxetur.

Ex non implicantia,

684 Confirm. 3. Nulla est implicantia, quod Sanctus Martyr, vel alius, qui multa merita, vel saltem opera supererogationis, & satisfactionis habet, supplicet Deo, vt illa, vel partem illorum applicet, vel pro aliquo amico, quem ex reuelatione, aut aliter, scit esse in purgatorio; vel pro animabus illis in communi.

Con-

685 Confirm. 4. quia esset nouum, & scandulosum, imò & impium dicere, quod Sancti pro defunctis non orent, vel impetrent; eò vel maximè, quod Ecclesia eos precetur, vt pro mortuis, ac viuis intercedant: imò & in rubricis habeatur, quod dum Missa alicuius Sancti applicatur pro defuncto, praeter valorem sacrificij ex opere operato, adest etiam suffragium, seu intercessio illius Sancti, de quo fit Missa. Et idcirco nos quotidie, vel sæpe, saltem animas nostrorum parentum, aliorumque fidelium, Sanctorum patrocinio commendamus: ergo indubitatum est Sanctos defunctis in purgatorio prodesse suis orationibus, non quidem per modum satisfactionis, sed saltem per modum impetrationis, quia alius modus non est assignabilis.

Videtur impium hoc negare Sancti.

Ob. contra primum: defuncti in purgatorio possunt iuuari per indulgentias, vt fides docet, *ex Const.* 17 Sixti Quarti contra Petrum de Osma: ergo possunt suffragari per modum satisfactionis: consequ. prob. indulgentiæ enim non prosunt alio modo defunctis, nisi quia Christi, ac Sanctorum satisfactiones, quæ *ex cap. Vnigenitus extra de pœnit. & remiss.* componunt thesaurum Ecclesiæ applicantur pro satisfactionibus adimplendis à defunctis; & sic, vt dicunt Doctores fit quædam quasi compensatio: hoc posito, sic arguo: Beati, saltem illi, qui habent opera supererogationis, seu satisfactiones sibi non necessarias in thesauro, possunt, Deum orando, applicare eas satisfactiones pro defunctis amicis, vel alijs; in quo casu nihil videtur deficere, quin Sancti suffragentur per modum satisfactionis: ergo verisimile est, & eorum charitati magis consentaneum, vt ita faciant.

Arg. contr.

Arg. in apparentia valida.

686 Resp. neg. conseq. ad probat. concesso toto assumpto de compositione thesauri, & de satisfactionibus supererogatorijs; nego tamen consequentiam. Quamuis enim possint Sancti cum hac conditione orare Deum, vt si adsint satisfactiones propriæ superfluæ in thesauro, accipiantur in compensationem satisfactionum, quas soluere debent animæ purgandæ: tamen non possunt eas applicare, seu dispensare, atque concedere, quia ipsi non sunt amplius earum domini, cum enim in mundo eas satisfactiones perfecerunt, Deo donarunt: sicut etiam viri sancti in mundo existentes cum magna, & eximia opera supererogationis faciunt, quorum ipsi pro satisfactionibus suarum obligationum non indigent, postquam ea fecerunt, ac Deo consecrarùt, non sunt amplius earum domini, ideoque si antea pro alijs non applicarunt, non possunt viterius applicare: igitur ex hoc capite nequeunt suffragari defunctis cum suis antiquis operibus, per modum satisfactionis. Ad paritatem verò de indulgentijs obuia est responsio, quæ clarius patebit in sequentibus; nã in indulgentijs Dispensator thesauri, est Papa, vt ex *Concil. Trident. in decr. de Indulgentijs* habetur, & clarius in *extra. c. Vnigenitus de pœnit. & remiss.* quia Petro dictum est, *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcunque ligaueris, &c. & quodcunque solueris, &c.* & ideo ipse potest dispensare, & accipiendo de operibus illis satisfactorijs thesauri, eas applicare pro defunctis quasi offerens iustitiæ diuinæ compensationem, seu commutationem: & sic ipsemet concedendo indulgentias suffragatur per modum satisfactionis, idest dando aliorum satisfactiones: nisi velis (neque improbabiliter) dicere, quod Papa cum defunctis applicãdo satisfactiones thesauri, se gerit, sicut cum viuis, absoluendo, scilicet pœnas, ac si defuncti suo essent de foro: sed quidquid esset de hoc, de quo postea: patet disparitas de Beatis, ac indulgentiarum concessione facta per Papam.

Sancti omnes applicãtes sua satisfactiones, quæ non suffragantur per modum satisfactionis.

Quia non sunt earum domini.

Nec sunt dispensatores thesauri, vt est Papa.

Disparitas de Papa, quia est thesauri dispensator.

Quomodo Papa de thesauro iuuat defunctos, duplex sententia.

## ARTICVLVS XIV.

### *An impertiens suffragia debeat esse in gratia, vt prosint?*

SCOTVS loquens de statu pœnitentis, quando debet satisfactionem sibi impositam adimplere, in 4. *dist.* 15. *q.* 1. *ß. de quarto N.* docet quod *sint præiudicia*, satisfactio adimpleta, etiam in statu peccati mortalis, est vera satisfactio soluens pœnam, non tamen meritoria, neque placans, etsi melior esset si fieret in charitate. De statu autem satisfacientis pro existentibus in purgatorio nihil dicit, tum quia de purgatorio in toto suo opere pauca docet; tum etiam, quia forte existimauit idem iudicium faciendum de satisfactione pro alijs, & pro se.

Scoti mens.

687 Adu. grauem, sed dignam esse eiusmodi controuersiam, an fideles, vt prosint animabus purgatorij per suffragia debeant esse in statu gratiæ, an sufficiat, etiam si sint in mortali, dummodo opera, quæ pro illis exercent, sint virtutis, & pœnalia, in hoc autem art. vt distinctè procedamus certa ab incertis secernenda sunt. Primo ergo notandum, quod omnes concedunt, sacrificium missæ, etiam si offeratur, vel fiat offerri ab aliquo existente in mortali, habet vim suffragandi, quia ex opere operato, ex eo, nempe, quod continet, producit suum effectum. De alijs ergo suffragijs remanet difficultas.

Grauis de hoc dubio controuersia.

688 Adu. 2. Quod duæ in hoc sunt sententiæ, sicut & de satisfactione propria sacramentali, vt optime aduertit noster Faber in 4. *sentent. distinct.* 19. *disput.* 35. *cap.* 6. *& disput.* 37. *cap.* 3. Prima docet nullum opus virtuosum, ac pœnale esse satisfactorium, neque pro se, neque pro alijs, nisi fiat ab existente in gratia, Diu.

Duæ oppositæ sententiæ.

Thom.

Prima doc. esse necessarium statum gratiæ in omni suffragante & satisfaciente.

Thom. *in* 4. *sent. dist.* 15. *q.* 1. *ar.* 3. *q.* 2. Riccardus ibid. *ar.* 1. *q.* 1. D. Bon. ibid. *p. p. ar.* 1. *q.* 3. & ante eos idem docuerunt Henricus Gandauen. *quodlib.* 8. *q.* 18 Alens. 4. *p. q.* 24. *memb.* 4. *art* 1. à quibus postea acceperunt omnes recentiores, de operibus autem suffragiorum pro defunctis, quod fieri debeant ab existente in gratia, vt prosint, docuerunt S. Thomas *in* 4. *dist.* 45. *quæst.* 2. *ar.* 1. *quæstiunc.* 3. S. Bonau. ibid. *dist.* 45. *p.* 2. *q.* 2. quos, omnes ferè recentiores secuti sunt. Secunda sententia, de vtraque satisfactione, quod nempe pro se, & pro defunctis per suffragia fieri possit etiam ab existente in mortali docent Scotistæ cum Scoto, & Pabro *in* 4. *dist.* 19. *disp.* 35. *cap.* 6. *num.* 12. ex alijs Maior ibid. *q.* 1. Gabriel *dist.* 16. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 3. Medina *tract* 3. *q.* 5. *dub. vlt.* Nauar. *c.* 1. *de pœnit. dist.* 6. *num.* 45. & 46. & in Manuali *cap.* 3. nempe *de satisfactione*, isti omnes in dictis locis loquuntur de satisfactione propria, quod scilicet fieri possit ab existente in mortali. De satisfactione autem, seu suffragio pro mortuis applicato quod sufficiat etiam si fiat ab existente in mortali, nedum videtur per consequentiam teneri à prefatis DD. sed S. Bonau. *in* 4. *dist.* 45. *p.* 2. *q.* 2. *in resol. quæst.* & postea *num.* 28. refert, sententiam antiquorum etiam esse, quod suffragia pro mortuis prosunt, siue à bonis fiant, siue à malis, & validas pro eis adducit rationes, quas non soluit, sed insolutas relinquit, & ipse, licet non in totum, in partem tamen sequitur eam sententiam, vt mox dicetur. Eam expresse sequitur Faber *disp.* 37. vbi supra *num* 61. cui adhærent omnes Scotistæ innixi Scoti principijs de satisfactione propria. Nauar. *tract. de orat. c.* 19. *conclus.* 4. & *in cap.* 20. *num.* 39. vbi affert pro se Gabrielem *sect.* 17. & etiam Gersonem.

2. sententia dicit cõtrarium de omni satisfaciente.

Suffragia, vel fiunt à malis nomine suo, vel nomine alterius.

689 Adu. 3. ex D. Bonau. loc. cit. *dist.* 45. *num.* 30. quod alia opera pœnalia præter sacrificia, aut fiunt à malis, ieù peccatoribus ad imperium alterius, vt ipsius defuncti, vel amici viuentis existentis in charitate; vel fiunt ab homine in charitate ad imperium peccatoris, vel fiunt à pluribus, vel saltem duobus simul, quorũ alteruter tantũ sit in charitate. Vel tandem tam impetrans, quam exequens sunt extra charitatem; vel etiam vterque exequens, si vterque exequatur, vt si duo recitent officium, vel psalterium pro defunctis, quam quidem S. Bonauenturæ distinctionem moderni valdè magnificant, & secundum eam procedunt: his præmissis.

Suffragia missæ etiam a malo fiat p. odest.

690 Dico 1. suffragium missæ, siue fiat per ministrum in gratia existentem, siue in peccato, valet per modum satisfactionis pro existente in purgatorio, colligitur ex Scoto vbi supra, est explicitè S. Bonau. in 4. *dist.* 45. *p.* 2. *q.* 2. *num.* 49. D. Tho. *in* 4. *sent. dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. eam tenent omnes Thomistæ, Scotistæ, ac Neoterici, sine controuersia.

691 Prob. communi ratione, à S. Thoma, & Bonau. adducta locis cit. quam omnes recentes amplectuntur, & ego cum eis, & est, quia sacrificium missæ ait S. Thom. in *dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. absque opere operantis, ex se habet efficaciam, id est ex opere operato: ergo per quemcunque fiat, est efficax. Quod autem assumitur, & supponitur à præfatis SS. Ecclesiæ Doctoribus, scilicet sacrificium ex opere operato valere, accipitur à Dionis. de Celesti *Hierarch.* docente, sacrificium, estò à peccatore fiat, in Ecclesiæ tamen persona offertur; & potest confirmari, quod sit efficax ex opere operato ex Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 2. vbi docet. *sacrificium istud esse verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum verè corde & reuerentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur. & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, peccata etiam ingentia dimittit*, & alsignat rationem; *vna enim, eademque est hostia idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, offerendi ratione diuersa.* Duo ergo huc vsque docet Concilium, & quod viuentes contriti, & pœnitentes, virtute sacrificij obtinent eius fructus, & sic cum nulla fiat mentio de pœnitentia, vel contritione sacrificantis huius carentia, nõ impedit fructum secundum verò, quod est ratio primi, est, quod ministerio sacerdotũ Christus offert, idest virtute suæ passionis habet, vt oblatio illa facta à sacerdote, effectum obtineat, quia eadem hostia, id est idem Christus, estò incruenta offertur, deinde Concil. descendit ad effectus huius sacrificij, & ait, *quare non solum pro fidelium viuorum peccatis, pœnis satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed pro defunctis in Christo, nõdum ad plenum purgatis, rectè iuxta Apostolorum traditionem offertur*: ergo sacrificium à quocumque offeratur, est verè propitiatorium, & efficax ratione identitatis hostiæ, quæ incruento modo offertur, & sic ex opere operato prodest purgandis, quia isti in charitate sunt; & sicut valet pro viuis per modũ satisfactionis, ita etiam pro defunctis.

Sacrificium ex opere operato pro dest.

Duo notanda de fructu sacrificij.

692 Dico 2. Orationes, aliaque diuina officia, quę peraguntur pro existentibus in purgatorio, si fiant à ministris Ecclesiasticis nomine Ecclesiæ. quamuis isti sint in peccato mortali prosunt defunctis per modum impetrationis. est communis sine controuersia, quia lis est de satisfactione. eam tenent mordicus Authores citati pro secunda sententia.

Si officia fiant a ministris nomine Ecclesiæ esto sint in peccato, pro sunt,

693 Prob. 1. ratione vtrique sententiæ communi. Ecclesiæ non est sollicita, vt, qui preces offerũt pro defunctis sint in charitate, & grauis esset cõditio pro clericis, si officia mortuorũ, exequias facientes, deberent esse in gratia; imò maxima Ecclesiæ turbatio, quia, si clerici eam conditionem non habe-

Validum fundamentũ

haberent, non satisfacerent intentioni testatorum, vel aliorum fidelium soluentium eleemosinas, & legata pro talibus precibus quia isti non præsumuntur, velle per se fieri preces & orationes vanas, seu frustratorias, ex alia autem parte Ecclesia eiusmodi officia, & preces fieri, nedum permittit, sed precipit, vt in proprio loco vidimus. Ergo, cum ipsa non operetur frustra, censendum est, orationes à ministris Ecclesiæ, etiam in peccato factas, esse alicuius valoris, saltem de congruo.

694 Prob. 2 alia ratione, pariter vtrique sententiæ communi, desumpta ex politica humana, si Princeps per oratorem non gratum alicui Regi peteret ab hoc aliquod beneficium, ingratitudo oratoris, non impediret, quin Princeps meretetur exaudiri, & quotidie ista experimur (quamuis sæpè infeliciter,) quia Principes humanis passionibus afficiuntur, & non merita Principis, vt deberent, sed oratoris inuisi conditionem contemplantur. Ergo etiam Deus, qui ab Ecclesia per ministros malos oratur, intuitu suæ sponsæ dilectæ, non autem ministrorum, ipsius preces exaudit'. Qui autem, vt mox dicam, contendunt, talium preces esse etiam satisfactorias multò magis concedunt esse impetratorias.

Alia ratio vtrique sententiæ communis.

695 Dico omnia alia suffragia (præter S. sacrificium missæ) dum fiunt à personis priuatis, etiam si non vt à ministris Ecclesiæ, sed proprio nomine, si istæ existent in charitate, seu gratia, certum est, quod prosunt per modum satisfactionis. Si verò existant in peccato, dubium est, an hoc modo prosint: tamen videtur probabile quod sic. Prima pars est communis sine controuersia. Secunda est DD. quos in 2. notab. adduxi, & ex Scoto colligitur, vt ibi.

Alia suffragia si fiant in charitate possunt, si extra adhuc probabile est quod etiã prosunt,

696 Prima pars remanet probata ex *art.* 13. vbi diffusè probatum est suffragia prodesse defunctis in purgatorio existentibus, per modum satisfactionis; nunc enim aliud non quærimus, nisi conditiones satisfacientis.

Dubium est, an prosint si fiant à peccatore.

697 Prob. secunda pars, quod scilicet sit dubium. Semper enim in Ecclesia, etiam ex tempore S. Bonau. vt ipse notat *nu.* 28. fuerunt duæ sententiæ, quod omnia suffragia, siue à bonis, siue à malis fierent, iuuarent existentibus in purgatorio: ergo.

Ecclesia de hoc conditione non est locum,

698 Conf. Ecclesia ab initio, vt in suo loco dictum est, præcipit fieri officia elemosinas, & alia pietatis officia pro defunctis; & tamen de hac conditione, quod scilicet suffragantes essent in charitate, numquam fuit sollicita, quod certe maximè considerandũ est; quia efficaciter intendebat, vt à fidelibus animæ iuuarentur, & insinuabat media, & nihil dixit vnquam de statu charitatis. Ergo, vel habuit pro indifferenti, vel pro dubio, vel pro certo, huius qualitatis defectum non obesse; alias in meliori defeciisset quod non est de prouida matre asserendũ.

699 Conf. 3. Neque SS. Patres, qui vt visum est adeo diligentes fuerunt in suffragijs purgandorum, aliquid vnquam dixerunt, de hac conditione. Ergo ad minimum fuerunt dubij, an esset absolutè necessaria.

700 Prob. tertia pars 1. Omnibus argumentis quibus Scotus probat satisfactionem à Sacerdote iniunctam valere si in peccato fiat, at non esse meritoriam, sed puri satisfactoriam. Ergo eodem modo dici potest de satisfactione pro alio exhibita; cò vel maximè: quia hic, pro quo applicatur, est in charitate: sed ab his argum. nunc abstineo sufficiat adducere paritatẽ rationis. Quod autem pœnitentia, seu satisfactio sacramentalis possit vtiliter, licet non meritoriè ad impleri á viuente, dũ est in mortali, pluribus probat Scotus, primò, quia dura esset hæc doctrina, quod si alicui imposita est pœnitentia ieiunij trium dierum vel recitationis officij, vel eleemosinæ, &c. Si in sequente die committat peccatum mortale, nequeat adimplere amplius ieiunium vtiliter, & satisfactoriè, nisi confiteatur. Neque Confessarij de hoc monent pœnitentes; neque Ecclesia de hoc vmquam fuit sollicita. Addo, attritio, & confessio valent, & sunt partes Sacramenti, antequam pœnitens absoluatur. & dum adhuc est in mortali: ergo valebit etiam satisfactio.

Tertia pars, quod sit probabile non obesse peccatum,

Paritas de attritione, & cõfess. ne quę fiunt in mortali.

Consequen. principalis fundatur in eo, quod ex Dei institutione ita possumus satisfacere pro alijs, sicut pro nobis, vt visum est in *art.* 13.

701 Prob. 2. Omnes concedunt, vt in 2. *concluſ.* quod opera facta pro defunctis à Ministris Ecclesiæ in persona Ecclesiæ extra sacrificium, etiam si sint in mortali, ad huc sunt satisfactoria: ergo etiam dum fiunt à personis priuatis: consequentia probatur: nam in primo casu opus non est satisfactorium, vt Ecclesiæ, quia Ecclesia, cum non sit vera persona, quæ facit opus pœnale, & non potest pati, nec satisfacere, sed personæ illæ Ecclesiasticæ, quæ faciunt opus pœnale, satisfaciunt; & tamen, vt supponitur sunt in mortali: ergo eadem est ratio de alijs personis priuatis.

Paritas de suffragijs factis in persona Eccles.

702 Prob. 3. ex S. Thoma in 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 1. *quæstiunc.* 3. Opera suffragij, quæ fiunt à seruo, vel alio mandatario existente in mortali, si dominus, vel mandans sit in gratia valent pro defunctis: ergo saltem in hoc casu concedendum est: tunc sublumo; sed in hoc casu, opus, quod inierunt pro suffragio, non est pœnale ipsi domino, sed seruo: ergo opus pœnale factum pro defunctis ab existente in mortali valet illis.

A paritate serui satisfacientis pro Domino.

703 Confirm. si defuncti, in extremo vitæ mandent hæredibus, vel legatarijs, vt aliquas restitutiones faciant, vel vt opera alia pietatis, peregrinationes, eleemosynas, & ieiunia per se, vel per alios pro

ipsis

ipsis defunctis præstarent; tunc, si hæredes, vel legatarij hæc omnia exequerentur dum sunt in mortali, suffragia illa prodessent defunctis, vt Sanctus Thomas loco citato docet, estò ait magis valerent opera illa, si in charitate fierent, quia ex duabus partibus, (verba S. D. sunt) essent meritoria: ergo, cum opera ista eatenus essent satisfactoria, quatenus pœnalia, & tamen non obstaret status peccati mortalis, sequitur manifestè, suffragia posse valere, vt satisfactiones, etiam si præstentur à peccatore.

704 Prob. 4. Paritate. Ad satisfaciendum per compensationem in Politia humana non requiritur, vt satisfaciens, seu dans compensationem sit in gratia Principis, sed sufficit pretium, alias lege communi taxatum: ergo idem videtur dicendum in Politia, & gubernio Dei circa animas purgantes. Quod si dicatur, hoc est vnum ex requisitis in pretio, seu suffragio, vt præstetur ab existente in gratia. Contra, petitur principium; hoc enim debet probari, nullibi enim habetur hoc Dei decretum: quoties autem adducuntur scripturæ, loca in quibus dicitur, Deus non exaudire peccatores, & alia similia, facile soluuntur, quia loquuntur de actibus meritorijs, non verò de satisfactoriis. contra 3. ex æqu. ratione.

705 Prob. 5. Si hæc conditio status in gratia esset necessaria pro suffragandis defunctis, Ecclesia, Romani Pontifices, Patres Ecclesiæ, Doctores, vel Concilia aliquando saltem hoc insinuassent: ex hoc autem silentio, necessaria videtur deduci cõsequentia, quod licet sit valde bonum eam conditionem habere, non tamen sit absolutè necessarium: alioquin maxima fuisset negligentia Magistrorum Ecclesiæ, & præsertim Romani Pontificis, si id omisissent insinuare: quænam enim esset cura, & sollicitudo pro fratribus, amicis, charis, omnibusque in Christo quiescentibus in eorum suffragatione, si necessarias conditiones pro suffragiorum valore alto silentio reticuissent, & tot pia opera periculo inualiditatis, per hoc silentium exponi, oscitanter permisissent; quod, nedum asserere, sed imaginari tantum, piaculum in Religionem esse crederem. Si enim Papa curat sollicitè subuenire omnibus, etiam longinquis ex *Caiet. t. 1. ep. 2.* quantò magis mortuis, qui nequeunt ex se operari. Addo ipse S. Petrus, qui vt refert *Clemens 1. epist. 1.* quotidie docebat infirmos visitare, mortuos sepelire, diligenter eorum exequias peragere, pro ijs orare, & eleemosynas dare, neque verbum vnum de hac conditione legitur fecisse: ergo non existimauit esse necessarium; ex quibus colligo, non solum non esse improbabile, quod etiam suffragia malorum iuuent, verum etiam esse maximè probabile, quod sic facta iuuent.

706 Prob. potest vlt. valido argumento ex praxi omnium fidelium, imò, & Ecclesiæ vt sic. Cum enim fideles suffragia porrigunt suis defunctis, cõmittendo alijs, vel per semetipsos exequendo ieiunia, peregrinationes, psalmorũ recitationes, chaumenias, eleemosynas, &c. alia pietatis officia, non curant, vt, vel ipsi, vel ij, quibus committunt sint in gratia; & tamen efficaciter intendunt eas liberare à pœnis. Si autem fidelibus dicatur esse necessarium, vt ipsi, vel ij, per quos suffragia porrigunt sint in gratia, vt saltem impetratoriè iuuent; huic oneri se non subijcient, nec suffragia vnquam porrigent, ne illa prodigant. Si autem hoc esset absolutè necessarium, debuissent aliquando de hoc moneri fideles, nec decepti, bona sua, & opera perdant.

Ex praxi Ecclesiæ id nõ curantis.

Ob. contra 1. si id tenetur de sacrificio, teneri debet de omni alio suffragio: ergo, cum de his non teneatur neque de illis. Ant. prob. nam sacrificium eatenus est suffragium, quatenus est operatio pœnalis ipsius Sacerdotis, non verò quatenus Sacramentum: igitur, si status in mortali non impedit, ne valeat suffragium, non impedit in omnibus.

Argu. contra primum.

707 Resp. cum aliquibus, & præsertim Navarro in *Man. c. 20. n. 39.* Eamdem esse rationem de omnibus, imò ipse Navarr. dicit omnia suffragia habere valorem ex opere operato. & quamuis modus hic loquendi, quibusdam displiceat, quia videtur esse modus proprius Sacramentorum; tamen si operari ex opere operato, intelligatur operari infallibiliter ex Dei institutione, non videtur absonum, quod concedatur omnibus suffragijs.

Navar. dicit omnia suffragia valere ex opere operato.

708 Resp. 2. quod est dispar ratio de sacrificio, quia iam docuit Ecclesia, quod Sacerdos offert in persona Christi, seu cum eo offert Christus; & quamuis pœnalitas nõ sit in persona, vel corpore Christi, sed Sacerdotis, nihilominus oblatio illa, seu formalis, seu virtualis Christi, non caret sua efficacia, ipse enim dedit oblationi faciendæ à quocunque, vt sit efficax.

Disparitas de sacrificio, & de alijs.

Dices: idem dici potest de alijs suffragijs: non enim à se habent valorem, sed ex Christi institutione.

709 Resp. posse quidem dici, sed probabiliter, non verò cum fundamento, quo asseritur primum, quod quidem per Ecclesiam innotuit; non sic secundum, sed sub disputatione est.

Ob. 2. Deus non acceptat sacrificia polluti Sacerdotis, imò reprobat, & dicit per ipsum se despici: ait enim *Malachiæ 1. Ad vos ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, in quo despeximus te? offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? in hoc quod dicitis mensa Domini despecta est*: & post aliqua, *& nunc deprecamini vultum Dei, vt misereatur vestri? de manu enim vestra factum est hoc, si quomodo suscipiat faciem vestram*, &c. ergo sa-

Arg. ex indignitate Sacerdotis.

Arg. validũ, quod neque Ecclesia, neque Concilia, neq; PP. de hac conditione vnquã loquantur.

Numquam Romanus Pontifex, neque Petrus de hoc locutus est.

crificium mali Sacerdotis non prodest animabus purgatorij.

710 Resp. dist. consequen. non prodest per modum meriti, concedo; per modum satisfactionis, nego. Adde, quod omnia Sacramenta facta à malo ministro, licet illi noceant, prosunt tamen illis, quibus conferuntur, ex 1. q. 1. cap. *si multi*, c. *Ex Catholica*, cap. *si autem*, cap. *Nec puris*, & de Consecrat. dist. 1. cap. *Sacrificium*, & *Sacramentum*, & tandem ex Concil. Trid. sess. 7. de Sacr. can. 12.

Quare sacrificia, & Sacramenta mali ministri valent aliis non sibi.

711 Resp. 2. neg. conseq. disparitas est, quia sacrificium nouæ legis habet effectum ex opere operato, non sic illa antiquæ legis, quæ merita operantium respiciebant.

Ob. contra 2. Etiam si suffragia illa fiant nomine Ecclesiæ, tamen pœnalitas, quæ est apta ad compensationem, non exercetur, nisi in personis ministrorum; ergo nequeunt isti satisfacere pro defunctis: nam denominatio illa, seu dependentia, ac præceptum de faciendo ex imperio Ecclesiæ nihil apponit de requisitis ad satisfactionem: ergo, si non possunt validè, & cum effectu suffragari, vt personæ priuatæ; neque possunt id facere nomine Ecclesiæ.

Arg. contra 2.

712 Resp. aliqui, tales ministros nomine Ecclesiæ suffragari defunctis per modum impetrationis, si ipsi sunt in mortali; si autem sunt in gratia per modum satisfactionis. Sed ego salua pace contineor argumentum validum esse, & æquè probare de vtrisque ministris: Neque capio quomodo admitti possit ista distinctio impetrationis, & satisfactionis in casu suffragiorum. Nam in via optimè posset id concedi; in purgatorio verò nequaquam ibi enim detinentur debitores pœnarum, & iustitia est exercenda: igitur si desideratur relaxatio, vel diminutio pœnarum, offerenda est compensatio, & satisfactio. Adde, quod per indulgentias quoque ideo dicemus eas iuuari, quia satisfactiones Sanctorum illis applicantur: ergo, si ministrorum suffragia iuuarent, nequeunt aliter, quam per modum satisfactionis iuuare.

Author fatetur argumentum esse validum,

Ob. 2. Greg. Mag. in *Pastorali* c. 11. contrarium docet; ait enim, *solliciti formidandum, ne qui placare posse iram Dei creduntur, dum ipsi ex proprio reatu torquentur. Cuncti enim hoquidò nouimus; quia, cum is, qui displicet ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.* Hæc Gregor. ergo.

Instantia ex D. Gregor. Mag.

713 Resp. hoc intelligi de meritis non de satisfactionibus. Adde, quod multò magis intelligitur de impetrationibus; quod verò de solis meritis intelligatur, patet; quia ex nuper allatis canonibus mali ministri possunt ministerialiter gratiam conferre, Sacramenta valida efficere, absoluere, &c. & licet per illa opera Deus cum ministris non placetur, placatur tamen cum pœnitentibus; ita dicendum in casu.

Greg. intelligitur de meritis.

714 Resp. 2. Iuxta principia D. Thom. hoc dictum Gregorij habere locum, quando quis peccator nomine suo porrigit suffragia; non verò quando nomine alterius principalis, qui est dignior, & in gratia; quia tunc respicitur status istius principalis præcipientis, non verò ministri, qui se habet, vt instrumentum. Placet mihi hæc doctrina, sed semper inseruit ad probandũ aliam conclusionem de peccatore suffragãte nomine proprio: nam licet minister peccator dicatur instrumentum, quatenus sibi imperatur opus suffragij; tamen hoc opus non prodest ratione imperij, sed ratione sui ferentis secum pœnalitatem, seu compensationem.

Alia resp. D. Thom.

Instabis: hæc doctrina nullum habet solidum fundamentum, neque in Scriptura, neque in Concilijs, aut Patribus; ergo nequit asseri, quod si ministri Ecclesiæ sint in peccato, suffragia eorum valeant per modum satisfactionis; sed ad summum valebunt per modum impetrationis.

715 Resp. neg. anteced. ratio est, quia fundatur in praxi Ecclesiæ, & in doctrinis Conciliorum, ac Patrum, quibus innixa est doctrina de valore suffragiorum. Quæ quidem allatæ sunt in *art.* 11. 12. & 13. Cum enim Patres, Ecclesia, & Concilia docent suffragia valere, & iam intelligunt per modum satisfactionis, indifferenter loquuntur de suffragantibus, nec se restringunt ad solos iustos; alioquin, vel nihil, vel parum esset consultum defunctis, nollent enim fideles, ac ministri Ecclesiæ tantum onus subire, vt alijs prodessent; neque id est in praxi. Minus autem fundamentum habet sententia, quæ dicit suffragia illa esse impetratoria tantum; quia de hac specie suffragij, nullus est loquutus, sed de suffragijs compensatiuis omnes loquuntur; nisi per impetrationem intelligatur infallibilis impetratio; & tunc, ne quæstionem faciamus de nomine, concedimus sic habere effectum.

Sententia authoris fundatur in praxi Ecclesiæ, & Patrum.

Minus fundamentum habet alia sententia.

Ob. contra vltimam partem tertiæ conclus. si suffragia existentium in peccato, & proprio nomine porrecta valerent pro defunctis, valerent ex opere operato. Sed hoc est falsum, quia Sancti Ecclesiæ Doctores Thomas, & Bonauentura docent, sacrificium tantum hoc modo valere: ergo.

Arg. contra vlt.

716 Resp. dist. sequelam. Si per valens ex opere operato intelligitur valens infallibiliter, concedo cum Nauarro vbi supra, sic valere: si verò intelligitur modus ille specialis operantis, qui inest Sacramentis, nego. Ne ergo videamur nouum aliquid asserere, fatemur secundum hanc probabilem sententiam Fabri, imò & Scoti suffragia quorumcumque fidelium, si eo animo fiant, vt defunctis prosint, siue suffragantes sint in gratia, siue in peccato prodesse defunctis in satisfactiones, nec posse alio modo prodesse, non verò propriè ex opere operato. Ob. 2.

In aliquo sensu suffragia valent ex opere operato, non simpliciter.

Ob. 2. Eatenus Ecclesia credit, suffragia prodesse defunctis purgatorij, quia suffragantes sunt cum eis vniti in charitate: ergo si existunt in peccato deficit fundamentum communionis, & consequenter non prosunt.

717 Resp. dist. assumptum, quia sunt coniuncti in charitate, siue actuali, siue habituali, concedo: semper in habituali, & actuali, nego. Sufficit enim in hac sententia, quod suffragans ex actuali charitate, & auxilio supernaturali moueatur ad suffragia illa præstanda: neque aliter dicere potest author huius sententiæ: addere tamen poterit, quod neque inter viuentes, opera satisfactoria pro alijs facta, vt ieiunia, peregrinationes, macerationes, &c. à peccatore præstita aliquid iuuarent: imò, vt sæpè dixi hucusque decepti essent fideles, putantes, in quocunque statu se posse defunctis suffragari.

Quæ chari. tatis vnitas sufficit ad suffragandũ animabus purgatorij.

Ob. 3. si alteratur, suffragia, etiam malorum esse satisfactiones pro purgandis, oporteret asserere, id esse ex diuina institutione, & sic ex natura sua habere hunc valorem, non ex dignitate suffragantis: sed hoc nequit asseri: quia in nullius doctrina fundatur: ergo hoc modo non prosunt: min. prob. neque Scriptura, neque Concilia, neque Patres hanc institutionem insinuant.

Difficile arg.

718 Respon. vt alias dixi neg. min. ad probat. dici debet in hac sententia, eiusmodi doctrinam ex eisdem prorsus locis, siue Scripturæ, siue Conciliorum, siue Patrum, siue etiam ex praxi Ecclesiæ erui: omnia enim Scripturæ loca, quæ docent suffragia iuuare præcindunt à statu gratiæ, & peccati ipsius suffragantis. Percurrantur singula. consideretur *cap. 12. secundi lib. Machab.* dum Iudas Machabæus *misit Ieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*, & videatur, si ipse curauit esse sine peccato, vel id exegit à Sacerdotibus certè non. discutiatur documentum ibi datum, *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*, & videatur si conditionem gratiæ exigit in orantibus. Legantur alia loca allata in *art. 11.* nempe Tobiæ, Ecclesiastes, Ecclesiastici, &c. Legantur Concilia allata in *eodem art.* considerentur dicta Patrum, & præsertim Augustini, accuratissimè tradentium doctrinam de suffragijs. Obseruetur quotidiana Ecclesiæ praxis, in qua tot bona in cibos, & vestitus pauperum dispensantur pro animabus purgatorij, & totalia pietatis officia exercentur pro eisdem; & tamen nulla fit mentio de statu gratiæ. Quot quantæ legata in dies fiunt, & soluuntur in suffragium peccatorum, & siletur hæc qualitas, quæ dare deberet valorem suffragijs; et ex cuius omissione legata prodiguntur, et animæ defraudantur. Ferret ne tantum errorem Sancta, et pia Mater Ecclesia, cuius-que vigilantissimum caput, Romanus Pontifex, siluissent ne alij sanctissimi quoque Pontifices, ipsique inferiores Episcopi, ac Patriarchæ, quin suffragia redderent efficacia, insinuando qualitates necessarias in suffragantibus? abiit omnino tantum piaculum, tanta negligentia, et tanta in animas purgandas crudelitas, vt ne insinuarent quidem modum porrigendi suffragia in earum iuuamen.

Ex eisdem Scripturis, Conciliis, & Patribus col. ligitur valor suffragij, & conditio & quælibet status.

Neque PP. neque Concilia exigũt statum gratiæ.

719 Hæc dicere volui, vt ingenuitatem meam ostenderem pro hac sententia: ipse tamen quantum Dominus dabit, curabit in charitatis statu defunctis suffragari, et alijs id inculcare: sententiam verò mutare paratus sum, quoties Magister Ecclesiæ de Petri Cathedra, vel communis Ecclesiæ sensus aliud me docebit.

Magnum nefas esset in Ecclesia tacere hãc necessariã conditionem.

## ARTICVLVS XV.

### *An suffragium quodlibet omnibus purgandis prosit, vel quomodo.*

SCOTVS *quodlib. 20. art. 1.* C. loquens de sacrificio missæ applicato defunctis, docet, non æquè prodesse multis, ac vni.

720 Adu. 1. in hoc art. plura posse inquiri; primum est, an dum aliquis præstat suffragium aliquod pro Patre verb. gr. illud prosit etiam alijs defunctis, vel æqualiter, vel saltem aliquo modo. Secundum est, an suffragium præstitum pro duobus, vel pluribus, æquè prosit singulis, sicut prodesset, si præstaretur pro vno. Tertium est, à quonam determinatur, vt suffragium prosit huic, & non illi; & hæc erat alia conditio requisita in suffragante.

Scoti mens. Plura dubia discutienda.

721 Adu. 2. quod decisio huius dubij pendet aliquantum ex sequ. art. de effectibus suffragij; ideo aliqua hic supponemus, alia resoluemus.

722 Adu. 3. quod tempore D Bonau. vt ipse refert in *4. dist. 45. p. 3. qu. 1. num. 31.* Aliqui (inter quos Præpositiuus) docebant quodlibet suffragium à quocunque fideli præstitum, siue ab Ecclesia in communi, æquè prodesse omnibus defunctis, neque magis illi, cui applicatur, quam alijs, quod probant exemplis valde friuolis. Secunda, & communis senten. tam D. Bonau. quam Scoti, ac Diui Thomæ in *dist. 45.* & Scoti *quodlib. 20.* est, quod licet aliquod beneficium (de quo postea) quodlibet suffragium præstet omnibus defunctis; principalius tamen essentiale, ac maius præstat illi pro quo fit; ideo.

Antiqua sed antiquata Præpositiui sententia, quod quodlibet suffragium omnibus æquè prosit.

723 Dico 1. Suffragia principaliter, & per modum satisfactionis, ei tantum prosunt pro quo fiunt; est Scoti *quodlib. 20. art. 1.* C. D. Bonau. vbi supra, D. Thomæ in *4. dist.*

Si principaliter prosunt pro quo applicantur,

*4. diſt. 45. q. 2. ar. 4 quæſtiunc. 1. & 2. in corp.* hos ſecuti ſunt moderni omnes.

724 Prob. 1. ex S. Bonau. ibi, Eccleſia non ſemper applicat orationes, ſacrificia, eleemoſynas, &c. pro omnibus defunctis, licet aliquas orationes in ſacrificijs, & officijs diuinis faciat pro omnibus. Sed aic D. Bonauen. Eccleſia non operatur ſtultè, nec fruſtra ergo. Mai. prob. nam ſacrificia, & eleemoſynas applicat pro ijs, qui legata reliquerunt: immò & aliqua officia particularia pro determinatis perſonis facit. Si autem eodem modo prodeſſent, dum fiùt pro vno, ac ſi fierent per omnibus, fruſtra fieret hæc determinatio perſonarum.

S. Bonau. ratio ex praxi Eccleſiæ.

725 Prob. 2. in humano foro, ac politia ſatisfaciens pro vno, non ſatisfacit pro pluribus, & multò minus pro omnibus reis, ſeu captiuis: ergo: conſequ. prob. ex D. Thom. loco cit. ſuffragia ſe habent, vt ſolutio cuiuſdã debiti: ergo ſi applicantur pro vno, iſtius debitum ſoluunt, & non aliorum.

A paritate fori mundani,

626 Prob. 3. argum. Scoti *quodlib.* 10. C. ſi æquè prodeſſent multis, ſequitur, quod quilibet, ſacrificium faciens, vel orationes fundens, aut ieiunans, vel eleemoſynam largiens, teneretur applicare pro omnibus; alioquin contra charitatem faceret, cum vno, & eodem actu poſſet plures imò omnes animas, vel liberare totaliter, vel pœnas earum minuere. Sed hoc eſt falſum: nullus enim ad hoc tenetur: vel grauiſſima ignorantia, aut errore laboraret Eccleſia, quæ non ſolum id non facit, ſed prohibet, ne quis applicet pro pluribus miſſam, quam teneatur applicare pro vno, vt ſatisfaciat.

Ratio Scoti ducens ad impoſſibile.

727 Prob. 4. arg. S. Th. in *4. diſtin. 45. art. 4. q. 2. in corp.* Si ſuffragium æquè valeret pro alijs, ac pro eo, cui applicatur, Eccleſia non debuiſſet inſtituere, vt miſſa pro vno applicaretur: & tamen id fecit; ergo.

Ratio Sancti Thomæ.

728 Confirm ex eod. S. Doctore *ibid. q. 3.* vbi pro maximo abſurdo habet, dicere, quod ſuffragia facta pro vno æquè valeant pro omnibus. Omnia autem hæc argumenta in vno tantum medio fundantur, nempe, quod ſuffragia ſunt ſatisfactiones: ſed medium, ſeu opus ſatisfactorium eſt finiti, ac determinati valoris, & pro eo valet pro quo ſoluitur: ergo.

Ratio ſecunda ex eod. S. Th.

729 Dico 2. Quoties præſtatur ſuffragium pro vna ſola anima purgatorij, eſtò pro hac tãtùm ſit ſatisfactio, etiam pro alijs eſt commune gaudium, & conſolatio: eſt communis D. Bonau. loco cit. & D. Thom. in *4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 1. in corp.*

Cum fit ſuffragium pro vna anima, cæteræ habent gaudiſi,

730 Prob. argum. eorumdem communi. Virtus charitatis facit, vt omnia amicorum bona ſint communia, & habeatur ſolarium de bonis illorum. Animæ autem exiſtentes in purgatorio ſunt in charitate: ergo igitur cum aliqua ſublenatur, vel totaliter liberatur, alia de hoc conſolationem habent: ſed ſubdit Diu. Thom. cuius eſt hoc argumen. animæ poſt mortem ſi in pœnis ſint, non poſſunt effectum conſolationis ſentire niſi per pœnæ diminutionem: ergo. In huius autem conſolationis participatione, ait S. Thom. eo autem maiorem ſentiunt, quo maiore charitate ſunt prædite. Nec videtur quonam alio modo, animæ omnes purgandæ conſolationem capere poſſint de ſuffragio pro aliqua particulari applicato, niſi ex impulſu charitatis, quæ de alienis lætatur.

Ex virtute charitatis,

731 Dico 3. Suffragia, dum pro omnibus, vel pro multis purgandis applicantur, non tantum proficiunt omnibus, ac ſingulis, quantum, ſi pro panciorib, vel pro vno applicarentur: eſt D. Bonauen. & D. Thomæ, vbi ſupra. & Scoti *quodlib.* 20.

Suffragia pro pluribus non tantum proſunt omnibus quantum panciorib, vel vni

732 Prob. eiſdem rationibus ſuffragia ſunt ſatisfactiones quædam, & valoris finiti: ergo quo pluribus, aut panciorib diſtribuuntur, eo minus, aut magis debitum eorum ſoluunt: euidens eſt conſequ. exemplo in humanis: ſi enim centum debitores in carcere detineantur, & quilibet eorum debeat fœneratori centum: ſi quis pro eleemoſyna ſoluat fœneratori his mille, ſi pro viginti applicat, iſti ſtatim ſunt liberi; ſi verò pro omnibus centum, eſtò in parte omnino debitum diminueretur; nullus tamen liberaretur; quia quo magis diſtribuitur ſatisfactio, eo magis pro quolibet minuitur; quod quidem euidentiſſimum eſt. Quantum verò de pœna cuilibet dimittatur cum in communi ſuffragia fiunt, Deo ſoli notum eſt, cui pariter tantum eſt notum quãtum ſubleueat, & an totaliter liberent, quando pro vno tantum applicantur.

Ex natura ſatisfactionis argum.

Ob. contra 1. argumentis Præpoſitiui. Si candela introducatur in locum aliquem tenebroſum, æquè pro omnibus ibi exiſtentibus lucebit: ergo idem dicendum de ſuffragijs.

Arg. contra primam.

Confir. ex eodem. Cum in aliqua aula lectio fit à Magiſtro, æqualiter ab omnibus auditur: ita ſe habet ſuffragium. ergo.

733 Reſp. neg. paritatem: quia agimus de ſatisfactionibus non de obiectis phyſicè operantibus. 2. aptius exemplum eſt de cibo miſſo ad eſurientem determinatum, dum multi exiſtunt in aliquo loco. Poteſt dici tertio, quod exemplum candelæ adhuc poteſt ſecundum aliquid admitti, quatenus aliæ animæ, ex ſuffragio determinatæ perſonæ, cui mittitur, tamquam de bono communi lætantur, ratione perfectæ charitatis.

Arg. Præpoſitiui non eſt ad rem.

734 Ad confir. reſpondetur per idem, quia agitur de ſolutione debiti non de viſione, vel auditione alicuius obiecti. Adde ad hominem, quod non omnes exiſtentes in aula ſunt ita diſpoſiti ad percipiendum æqualiter lectionis ſenſum, ita neque omnes exiſtentes in purgatorio, ſed illæ tantum animæ, ad quas dirigitur ſuffragium ſ-

Retorquetur argum. Præpoſitiui.

ultæ

istæ enim, vt diximus ex August. in *Enchir. cap.* 110. cum essent in vita meruerunt, vt hic, & nunc, seu hoc modo nempe principaliter possent prodesse suffragia.

Arg. ex absurdo de pauperibus.

Ob. 2. si non æquè omnibus prodessent, malè actum esset cum pauperibus, qui eum legata relinquere non possent, parua, vel nulla pro eis fierent suffragia; & tamen *Luc. 6.* dicitur, *Beati pauperes, quoniam vestrum est Regnum Dei.*

715 Resp. dist. sequelam, quò ad hoc transeat: neque proinde sunt absolutè peioris conditionis. Nam in meritis pauperes esse possunt perfectiores diuitibus, si sint pauperes etiam spiritu, vel patienter ferentes inopiam. Quod si merita eiusmodi habuerint, permitteret Deus, vt pro animabus eorum, offerrentur suffragia à fidelibus, & ab Ecclesia Matre communi: sæpè autem accidit, vt fideles multi pro animabus oblitis offerri faciant sacrificia, eleemosynas erogent, &c. hoc enim spectat ad Dei prouidentiam. Magnum autem est pauperum in hac via solatium, scire, quod *ipsorum est Regnum Cælorum, Luc. 6.* & quod *facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum Dei, Luc. 18.* quod quidem maximum est diuitum tormentum.

Pauperes licet in aliquo sint inferiores diuitibus, in alijs sunt superiores.

Ob. 3. Nisi equaliter prodessent, videretur acceptatio quædam personarum, quæ maximè cauenda est: ergo.

716 Resp. neg. sequelam. Acceptatio enim tunc est, quando obligatus pluribus eodem modo dispositis, vnus præfertur alteri: in casu autem non adest hæc obligatio communis, neque in omnibus fidelibus, neque in Deo, qui nulli debet: cum ergo amicus, consanguineus, vel pius aliquis suffragia præstat pro aliquo sibi coniuncto, vel beneuolo nulli facit iniuriam, sicut cum in vita exercetur beneuolentia, magis in vnum, quam in alium, nulli fit iniuria. Ad Dei autem prouidentiam spectat corda fidelium, vel amicorum monere ad præstanda suffragia huic magis, quam alteri, ei scilicet, quem ab æterno disposuit in tali, vel tali tempore, in Cælum ad sui visionem, ac fruitionem admittere.

Acceptatio Personarum quando accidit.

Ob. contra 2. Suffragia ex dictis prosunt, vt satisfactiones: ergo nequeunt alijs prodesse, quam ijs, pro quibus applicantur.

Arg. contra 2.

717 Resp. dist. antec. respectu eorum, quibus præstantur, concedo: respectu aliorum, qui de eis ad amicos transmissis, lætantur, nego; diximus enim, quod respectu istorum non sunt satisfactiones, seu motiua charitatis circa proximum.

Respectu aliorum non sunt satisfactiones.

Ob. contra 3. Suffragia eatenus iuuant, quatenus sunt ex charitate, & in ea fundatæ: sed hæc virtus æquè omnibus vult prodesse: ergo æquè omnes animas iuuant.

718 Resp. hoc arg. probare plusquam intendit: concludit enim non solum prodesse omnibus, sed debere pro omnibus applicari, eo quod charitas neminem excipit: sed hoc est falsum, alioquin Ecclesia malè faceret ordinando, missas pro vno, & applicando pro vno; imò præcipiendo, nè missa dicenda pro vno applicetur pro pluribus.

Arg. multum probat.

719 Resp. ergo in forma: si y eatenus se teneat per modum causæ fundamentalis, concedo: si se teneat per modum causæ formalis, nego: declaratur; certum est, vt diximus, quod Deus decreuit acceptare pro defunctis suffragia fidelium, quatenus omnes per charitatem sunt membra eiusdem corporis Ecclesiæ: at hæc non est ratio formalis, cur decreuerit, vt habeant effectum; sed quia sunt satisfactiones, pœnales nempe operationes pro illis applicandæ. Ex iustitia ergo exigitur, vt ad proportionem debiti acceptetur satisfactio, seu solutio. Vnde, si pro multis applicentur, diminuetur solutio. Secus, si pro paucis, vel pro vno.

Ratio formalis cur suffragia habeant effectum suum.

Instab. saltem ex hoc sequitur, quod nũquam possit suffragium restringi ad vnum; & etiam si restringatur, non habeat effectum pro illo tantum, sed pro alijs, nam charitas nullum debet excludere.

740 Resp. dist. sequelam, vt in secunda conclus. ita vt eundem effectum habeat pro alijs, quem pro illo, cui applicatur, nego: ita vt habeat diuersum effectum, concedo. Nam pro eo cui applicatur habet effectum satisfaciendi, & soluendi; pro alijs verò lætificandi.

Suffragia nõ habeant eũdem effectũ pro alijs, ac pro eo cui applicantur.

Cb. 2. Eatenus defenditur suffragium, vel non prodesse omnibus, si applicatur vni, vel saltem non æquè omnibus, ac vni; quia Ecclesia solet applicare aliquando vni; & fideles singillatim, ac priuatè idem facere solent; sed hoc non obstat, nam licet vnus tantum defunctus nominetur, & ad vnum intentio dirigatur; hoc oritur ex eo, quod vult Ecclesia, vt fideles animentur ad præstanda defunctis suffragia, facilius enim quis mouetur ad iuuandum animam patris, matris, vel amici, quam aliorum, & ideo permittit Ecclesia, vt pro consolatione, & alleuiatione fidelium pro vno sæpè fiant. Sed in effectu inter omnes animas diuiduntur, & sic æquè omnibus prosunt: quia omnes coniuncti sunt in charitate, cum fideli suffragante.

741 Resp. neg. min. ad probat. dico assumptum esse falsum, & meram calumniam contra Ecclesiam eiusque Prælatos, qui sincerè, ac fideliter docent, quando per suffragia iuuentur illi, quibus præstantur, & non alij, vel saltem non eodem modo. Nescio autem, in quo libro arguens inuenerit hanc doctrinam: quod etiam illi, quibus nõ applicantur suffragia, iuuentur, sicut illi, pro quibus applicantur; & interrogarem illum, si decem amici, vel fratres detinerentur in vinculis, aut in triremibus, vnus autem extra manens solueret pretium, quod sufficeret pro solutione vnius; an Princeps distribueret illud pro omnibus, an verò deberet ac-

Falsum assumitur quod Ecclesia decipiat.

acceptare pro vno, quem vellet ſoluens pretium? Gratis ergo, & ſine vllo fundamento aſſeritur, quod Eccleſia aliter in hac materia ſentiat, quam doceat: imò maxima ex hoc ei irrogatur iniuria.

Inſt. de ſuffragio miſſæ propter valorem eius magnum.

Inſt. eſtò id verum eſſet de alijs ſuffragijs, non tamen poteſt aſſeri de ſuffragio miſſæ: cum enim ex opere operato proſit; & opus operatum pro omnibus ſe obtulerit, ſitque valoris infiniti, ſequitur hoc ſuffragiũ æquè pro omnibus prodeſſe, non enim extenuatur valor eius per hoc, quod pluribus etiam infinitis applicetur.

Sacrificium miſſæ, quod à Sacerdote fit non eſt eiuſdem valoris cum ſacrificio facto à Clerico.

742 Reſp. neg. antec. ad probat. iam in ſuo loco dictum eſt, quod licet Chriſtus offeratur, in miſſa; non tamen ipſemet offert, neque, vt ait Scotus tanti valoris eſt ſacrificium miſſæ, quod fit à Sacerdote, quanti fuit ipſamet ſui oblatio facta Patri à Chriſto: licet idem offeratur Chriſtus, quia in ſacrificio attenditur nunc valor operis, ſeu actionis ſacrificatoriæ, quæ diſpar eſt in Sacerdote incruentè operante, ac fuerit in Chriſto cruente, & cum morte propria ſe offerente: cùm ergo actio illa ſacrificatiua ſit finiti valoris, & ſi applicetur, non poteſt eodem modo prodeſſe omnibus, neque tantum cuique, quantum vni: quia quò magis diuiditur valor, eò minus ſinguli de illo perciperent: præterquãquod ex intentione ſacrificantis, vel mandantis ſacrificiũ hoc, determinatur, pro quonam debeat ſatisfacere.

Ad ſurdum quod ſequitur in contraria ſent.

743 Adde, quod niſi ita eſſet, vnum ſufficeret pro omnibus ſacrificium, & fruſtra quotidie pro ſingulis, tot offerrentur: imò quod malè, & contra charitatem faceret Eccleſia dum Sacerdori obligato ad ſacrificandum pro vno prohiberet, ne ſimul pro alijs applicaret ſacrificium, quæ inconuenientia ſunt: ergo non æquè ſingula ſuffragia proſunt omnibus, ac paucioribus, vel vni.

## ARTICVLVS XVI.

### *Quid obtinent ſuffragia pro animabus Purgatorij.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 4. ſenten. diſt. 19. §. ad quæſt. motam, & diſt. 21. q. 1. & quodlib. 20. C.* cum communi catholica ſententia ſupponit, animas in purgatorio in hoc iuuari per ſuffragia, quia pœna earum relaxatur, vel minuitur.

Facile quæſitum, & eius ſenſus.

744 Adu. facilem eſſe quæſiti huius ſenſum, quid ſcilicet operentur ſuffragia in fauorem animarum, quæ cruciantur in purgatorio: duo enim mala ibi patiuntur, vt ſupra dictum eſt, ſcilicet pœnam ſenſus, & pœnam damni: videndum modo eſt, an per ſuffragia alleuientur ab vtroque, vel aliquando totaliter liberentur; & quomodo ſciatur alleuiationis menſura.

Vel pœnam totaliter relaxent, vel minuunt.

745 Dico ergo 1. Suffragia aliquando diminutionem obtinent, aliquando totalem liberationem, eſt communis ſine controuerſia, & ex fidei principijs colligitur.

Ex ſcript.

746 Reſp. 1. ex celebri loco 2. *Machab. 12. Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*; in proprio autem loco diximus, per peccata, intelligi venialia, nec non pœnas illorum, atque aliorum mortalium in vita dimiſſorum: ergo ſacrificia, & preces obtinent ſolutionem, vel totalem, vel ſaltem partialem pœnarum.

Ex Auguſt.

747 Prob. 2. ex S. Auguſtino in *Enchir. c. 110.* & nunc habetur in *cap. Tempus, 13. q. 2.* vbi poſtquam initio docuit, *animas defunctorum pietate ſuorum viuentium releuari cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ fiunt in Eccleſia*, & in medio declarauit, quibus iſta proſint, nempe, non valde malis, & in charitate mortuis: in fine ſic concludit. *Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio, aut certè, vt tolerabilior ſit ipſa damnatio*; vbi, vt patet damnatio ſumitur pro cruciatione; quia reuera animæ purgandæ ad cruciatum temporalem ſunt damnatæ.

Ex Petro Cluniac.

748 Prob. 2. ex Petro Cluniac. *in ep. ad Arelat. Epiſc. contra Petro-Bruſianos*, vbi docens ſuffragia defunctis prodeſſe, poſt multa hæc habet, *Remiſſionem pœnarum, quas peccata exigunt in futuro ſæculo aliquando offerri, qua ſecundum nobis occultas diſpenſationes iuſtitiæ, & miſericordiæ Dei pijs operibus bonorum viuorum, aut tempore breuiantur, aut qualitate mitigantur*: ergo.

Arg. à ſufficienti diuiſione.

749 Prob. 3. à ſufficienti ſic. De fide eſt animas illas per ſuffragia iuuari; ſed nequeunt alio modo iuuari, quam per pœnæ totalem, vel partialem relaxationem: ergo; min. prob. alio enim illæ non indigent, neque aliud exoptant. Vnde pro illis recitatur ab Eccleſia illud Iob, *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*: & Eccleſia omnis in ſuis liturgijs quotidie orat Deum pro defunctis applicans pro eis ſacrificia, & eleemoſynas; poſtulat pro eis *requiem æternam*; & tamen non ſemper pro qualibet anima pro tunc obtinet: igitur, ſi totalem liberationem ſacrificia illa, & eleemoſinæ, atque preces non obtinent, ſaltem obtinent partialem, pœnæ ſcilicet diminutionem; alias in nullo iuuarentur.

Ex Euſebio Alexand.

750 Confirm. ex Euſebio Alexandrino in *Homil. de Dominica*. Memento in oblatione parentum, & fratrum, qui iam è vita exceſſerunt. Hoc enim faciendo, magnam requiem defunctis concilias, &c. Sed alia nequit requies excogitari pro illis, quam totalis liberatio, vel partialis relaxatio: ergo.

751 Prob. ex modo loquendi omnium

Pa-

Patrum. Athanasius enim *quæst.* 34. docet per oblationes, & alia bona opera, *beneficia aliqua* præstari animabus defunctorum: idem docet Ephrem in *suo testamento*, & alij cum eis. Cyrillus Hierosol. *Mistag.* per suffragia, ait Deum fieri cum animabus illis *propitium*, quam formulam alij docent. Chrysostomus *Homil.* 21. *in Acta Apostol.* ait per oblationes, eleemosynas, &c. alias *Deum cum defunctis placari*, *orat.* 41. *in ep.* 1. *ad Cor.* dicit, per oblationes animas illas *expiari*. Paulinus Nolanus *epist.* 19. dicit, defunctorum animas nostris suffragijs *refrigerari*. Eucherius Lugdun. *Homil.* 3. *de Epiphania*, dicit, *pœnas*, & cruciatus ab animabus purgatorij, per eleemosynas, & lachrymas compendij transactione *separari* posse: & tandem vt omnes alios omittam, per Concilia Florentinum, & Tridentinum, animæ purgatorij per suffragia viuentium, & præcipuè per sacrificia iuuantur. Sed illa refrigeratio, propitiatio, iuuamen, beneficium, &c. illis collata, in alio nequeunt consistere, quam in liberatione totali à pœnis, vel in diminutione earum: ergo id obtinent suffragia; vel assignetur, in quo, ne Ecclesia decepta dicatur.

Ex modo loquendi Patrum sit eiusdem illatio.

Hoc est iuuamen, quod docent Cœlia Floren. & Triden.

752 Prob. 5. ex Greg. Mag. *l.* 4. *dial. c.* 55. animæ purgatorij id expectant, nempe à pœnis liberari: adde, quod animæ, quæ apparuerunt multis, vt in suo loco dictum sit, de Paschasio, de Seuerino Episcopo, de Benedicto Octauo, & alijs, qui à suis amicis id tantum postularunt suffragia nempe, vt à pœnis illis possent liberari; quibus factis, denuò apparentes significarunt, se liberatas, ac proinde gratias egerunt.

Ex Gregor. Magn. & ex apparitionibus.

753 Prob. 6. à pari, de satisfactionibus, quas vnusquisque pro se adimplet, aliquando enim omnes sibi relaxantur temporales pœnæ; aliquando pars earum iuxta proportionem operum pœnalium, per quæ satisfacit: ergo idem dicendum de animabus purgatorij, cum iuuantur per suffragia.

Ex paritate satisfactionũ per viatoribus,

754 Prob. tandem à parit. indulgentiarum, quæ animabus illis possunt concedi; siue enim concedantur per modum suffragij, siue per modum absolutionis, de quo postea, aliquando conceduntur plenariæ, aliquando non ita, sed per determinatum tempus, vt trium, aut quatuor annorum, vel plurium quadragenarum dierum. Ergo idem de suffragijs dicendum, quod si aliquando æquiparentur pœnis ab aliquo soluendis, seu luendis, totaliter liberant; si verò sint improportionatæ, iuxta valorem pœnalitatis in suffragio, minuunt pœnam.

A paritate indulgentiarum.

755 Confirm. Nam nisi ita dicatur; vel frustratoria esset multiplicatio suffragiorũ, vel eiusdem, vel diuersæ rationis pro eadem anima: vel absolutè omnia suffragia essent vana; vtrumque est erroneum, immò hæreticum: ergo. Prima sequela probatur, si quodlibet suffragium totaliter liberat, frustra aliud adderetur: probatur secunda sequela, cum vnum, vel duo, vel quinis numerus determinatus totaliter nõ liberet; nisi saltem minuat pœnam, vana essent suffragia. Ideo cum hac spe, Ecclesia porrigit suffragia; quia scit, vel totaliter liberare, vel saltem partialiter diminuere pœnam animarum purgandarum.

Arg. ex ab. surdo.

756 Dico 2. Nemo absque Dei reuelatione scit, aut scire potest, an illa anima, cui datur suffragium, per illud liberetur totaliter; neque quantum de eius pœna diminuatur: sed hoc soli Deo, & animabus, quæ per suffragia iuuantur, notum est.

Nemo scit, nisi per reuelationem quantũ subleuet suffragium: Ab effectu arg.

757 Prob. 1. experientia. Quantumuis enim quilibet de Ecclesia, etiam sanctissimus, conetur omni diligentia hoc inuestigare, nunquam ad intentum perueniet: & sancti viri, qui de amicorum liberatione erant solliciti, non potuerunt, nisi per reuelationem hanc notitiam obtinere.

758 Prob. 2. ex Origene *lib.* 8. *in ep. ad Rom. c.* 11. sic docente. *Hæc ipsa purgatio, qua per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisue sæculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui Pater omne iudicium tradidit*: ergo, cum nesciatur mensura reatus, seu obligationis cruciatũ, nesciri poterit, quando quis totaliter liberetur.

Ex Origene.

759 Prob. 3. Nullus suffragantium, cuiuscunque sit status, scit, aut scire potest, nisi supernaturaliter valorem sui suffragij: ergo neque scire potest quantum releuet eum, cui suffragari intendit.

Nescitur valor suffragij.

760 Prob. 4. Nullus scit proportionem suffragij cum pœna dimittenda, vel diminuenda: ergo neque scit, aut scire potest quantum de illa diminuatur.

761 Prob. 5. Nullus scit, aut scire potest, an is, cui suffragatur sit in purgatorio: ergo multò minus, si inde exeat, & quando, vel in quo subleuetur, aut refrigeretur.

Nescitur proportio.

Ob. contra 1. suffragia viuentium, quæcumque sint nullam habent cum pœnis purgatorij proportionem, cum hæc sit maior omni pœna, quam quis pati potest in hoc mundo; ergo,

Arg. contra primam.

762 Resp. arg. hoc iam fuisse consideratum ab Ecclesia, & nihilominus hæc statuit, quod animæ per suffragia iuuantur, & nos in proprio art. an valeant per modum satisfactionis, & iustitiæ iterum illud soluimus, quod nempe ex natura rei proportionata non sunt, sed ex ordinatione Dei.

Suffragia ex natura rei non sunt proportionata pœnis.

Dices. Ecclesia nũquam definiuit, quod suffragia, pœnam, vel totaliter relaxent, vel minuant: sed solum diffiniuit, quod iuuent: ergo gratis dicitur, per suffragia pœnas relaxari.

Orat. valida.

763 Resp. dist. antec. numquam explicitis verbis, & dogmaticè id definiuit, concedo: numquam implicitè, & extra dogma, nego. Ratio primi, seu definitionis explicitè, verum quidem est, quod nonnuemo hoc dogmaticum decretum, quo di-

Quomodo per Ecclesiã sit definitũ, quod suffragia pœnam tollunt,

dicatur, *per suffragia pœna relaxantur defunctis*, sicut inuenio dogmaticum decretum, quod *per indulgentias relaxantur pœnæ*, vel totaliter, vel partialiter: at inuenio, implicitè hoc definiri, & ideo esse de fide; quia dum definitur de fide, quod animæ iuuãtur per suffragia, cũ nequeat assignari, in quo iuuantur, nisi in pœnæ relaxatione; restat etiam definitum per necessariam consequentiam, quod pœnæ relaxentur. 2. de fide est, quod animæ à peccatis soluantur, & per necessariam consequentiam habetur, quod per peccata intelligantur reatus, seù obligationes peccatorum, non culpæ mortales. At extra dogma explicitè in *cap. tempus* 13. *qu.* 2. habetur, quod pro suffragijs animæ sic iuuentur, vt eis sit plena remissio, vel tolerabilior cruciatus: ergo. Tertiò, cum indulgentiæ concedũtur defunctis, iuxta earũ tenorem pœnæ minuuntur quò ad durationem: & tamen indulgentiarum concessio est suffragium quoddam, quod eis mittitur; neque aliud sunt indulgentiæ, quam satisfactionum Christi, & Sanctorum alias exhibitarum, pro illis applicatio. Si ergo opera hæc pœnalia, & satisfactoria minuere possunt pœnam, & totaliter relaxare; poterunt etiam alia viuentium opera de præsenti facta, & directa ad eas animas, pœnas ipsarum relaxare. Addendum 4. quod tota Ecclesia id tradit fieri per suffragia, & per reuelationes postea sibi fuit compro. batum, quod, scilicet aliquando totaliter relaxant, aliquando partialiter: ergo.

Ex definitione, quod iuuent suffragia, & indulgentiæ, infertur, quod definitum sit tollere pœnam.

Instat. talis proportio suffragiorum cum pœnis purgatorij à Deo acceptata, nullibi legitur: ergo si nequit admitti ex natura rei, neque admitti poterit ex ordinatione Dei.

764 Resp. dist. anteced. nullibi legitur explicitè, concedo, implicitè, & ex facto, nego: ratio primi est, quia certè nullibi, neque in veteri, neque in nouo Testamento reperitur scriptum, quod Deus acceptat nostra opera pœnalia pro pœnis luendis ab animabus purgandis: sed legitur implicitè, quoties nempè, à Deo, in diuersis Scripturæ locis adductis in *artic.* 13. dantur documenta, vt fideles suffragentur mortuis: & ex facto iuuente eis 2. *Macchab.* 12. dum offeruntur pro eis sacrificia, & dicitur finis, vt *à peccatis soluantur*, hoc à Deo supponitur alicui reuelatum, & deinde per traditiones deueniisse ad notitiam Iudæorum, qui viuebant tempore Macchabæorum: immò necesse est dicere, quod erat consuetudo offerendi pro mortuis, vt à peccatis soluerentur, alioquin nouitas illa displicuisset Iudæis; imò & Sacerdotibus, qui, nedum non acceptassent eleemosynas pro sacrificijs mortuorum, sed Iudam Macchabæum grauiter reprehendissent, & castigassent, atque à Synagoga eiecissent, quod ritus nouos, nec à Lege, nec à Cabala, seu traditione præscriptos, tentaret introducere; quod maximum ijs temporibus erat piaculum, tenax enim, & obseruantissima rituum Legis, erat Synagoga.

Vnde habetur, quod Deus acceptat satisfactiones pro pœnis.

765 Adde, quod habetur etiam implicitè in Testamento nouo, dum Saluator ait, *Luca* 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: & de fide est, per satisfactiones, ac pœnitentias, siue Sacramentales, siue sponte adimpletas, remitti pœnam temporalem, quæ in purgatorio luenda: ergo ex eiusmodi doctrinis, decretis, praxique Ecclesiæ perpetua, habetur notitia de proportione suffragiorum cum pœnis ex Dei ordinatione; non enim potuisset Ecclesia sua sponte id attentare.

Definitio ista de pœnæ relaxatione per suffragia alio modo adstruitur.

Ob. 2. Si suffragia pœnas relaxarent, posset euacuari purgatorium, quod est absurdum.

766 Resp. hoc argum. magis vrgere de indulgentijs, vt infra patebit (& ibi soluetur), quam in casu de suffragijs; tum quia neque adeo pij sunt fideles, vt tantam suffragiorum quantitatem transmittant; neque tanti valoris sunt quæ transmittunt. Neque omnes purgandi habent amicos, qui transmittant, neque pœnæ purgandorum sunt adeò exigua, vt eis proportionentur; neque tandem deficiunt quotidie animæ, quæ in purgatorium tranmittantur: ideo non potest adeo facilè euacuari purgatorium, sed diffusius argumentum hoc infra discutitur.

Nõ sequitur euacuatio purgatorij ex suffragiorum valore.

## ARTICVLVS XVII.

### *Vtrum animæ Purgatorij iuuari possint per indulgentias.*

SCOTVS de hoc nihil penitus dicit, & quamuis thesaurum Ecclesiæ in 4. *dist.* 45. in fine confiteatur, cum tamen ante Clementem Sextum vixerit; ideo de applicatione thesauri pro mortuis nullum verbum feciisse videtur.

Scotus de hoc non loquitur.

767 Adu. quod decisio præsentis dubij dependet à toto tractatu de indulgentijs, si enim indulgentiarum natura ignoretur, innotescere non poterit, quomodo possint animabus purgatorij applicari. At quoniam pro hac diffusa materia locus iste aptus non est; aliqua tantum potiora, sed breuiter hic supponemus theoremata, toti ferè Ecclesiæ communia de indulgentiarum natura, existentia, & antiquitate; deinde ad nostri dubij solutionem accedemus.

Notabilis cõsideratio de praxi Iudæorũ pro mortuis offerentium.

Ali-

## §. 1.

### *Aliqua supponenda pro breui indulgentiarum notitia.*

768 SVpponendum primò, hoc vocabulum indulgentia, tam apud sacros, quam ad profanos Scriptores varia significare: aliquando enim significat condonationem culpæ, *Iudith. 8. Pœnitentiam, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus*. Isaiæ 26. *Indulsisti genti Domine*; idem habet in *cap. 61. & 63.* Aliquando significat permissionem, vt 1. Cor. 7. *Secundum indulgentiam dico*, &c. Similiter apud profanos multa significat, vt dare operam alicui rei, item obsequi, facile concedere, plus æquo permittere, molles facere, vnde dicitur, *blanda Patrum segnes facit indulgentia natos*, & Teren. in *Ejciunda est hæc animi mollities, nimium me indulgeo*. In textu can. pariter aliquando significat permissionem, vt *in cap. fin. de transl. Epis. Nec nostra indulgentia præsumptionem excusat illius*, & cap. *Dilecto de Verb. signif. declaramus, quod nostræ intentionis non fuit per ipsam indulgentiam ius periuere*, &c. item *cap. fin. de rescrip. in 6. ob importunitatem indulgentias perpetuas concessimus multis de percipiendis fructibus*, & post, *has indulgentias, personis non Ecclesijs concessas reuocamus*, & sic patet, quod concessio, & dispensatio in quauis materia appellari solet indulgentia: aliquando in ipso Sacramentorum ministerio significat deletionem culpæ, vt in Extrema vnctione, cuius forma est, *Indulgeat tibi Deus quidquid per hunc sensum deliquisti*: in absolutione Sacramentali præmittuntur deprecationes illæ, *indulgentiam, absolutionem*, &c. Sed Ecclesia ex his omnibus significatis, partem aliquam accipiens, imposuit hoc nomen indulgentia ad significandum concessionem, seu remissionem pœnæ temporalis ad quam est homo obligatus post absolutionem, & hoc per applicationem meritorum, seu satisfactionum Christi factam à Summo Ecclesiæ Pastore; declarantur omnia: diximus in *art. 3.* quod post remissionem peccati, sæpè remanet peccator obligatus ad soluendam pœnam temporalem, siue in hac vita, siue in alia: pœna autem ista potest absolui, seu condonari, ac relaxari, tam in hoc mundo, quam in purgatorio, vel eam soluendo, seu patiendo; vel per remissionem eius. Remissio autem ista vocatur *indulgentia*, quæ ex mox dicendis fit hoc modo: datur in Ecclesia thesaurus meritorum, seu satisfactionum, quas fecit Christus, non quidem pro se, sed pro nobis, quæ superabundãtes fuerunt, vt sufficerent pro infinitis hominibus, & pœnis, adsũt etiam aliæ aliorum Sanctorum, vt infra; Ecclesia, seu Papa applicat aliquas ex istis satisfactionibus pro pœnis, & satisfactionibus, ad quas fideles siue viuentes, siue mortui sunt obligati: & sic istis remittuntur pœnæ, ac satisfactiones: totum ergo complexum, nempe concessio, seu applicatio partis thesauri pro remissione talium satisfactionum, ac pœnarum, siue in totum, siue in partem, vocatur *indulgentia*: itaque includit concessionem, seu applicationem, & remissionem, tam actiuam, quam passiuam. De hac quærimus, an sit applicabilis defunctis in purgatorio?

769 Suppono 1. de fide esse, quod detur in Ecclesia thesaurus spiritualis, ex quo accipiuntur indulgentiæ; quodquidem non est nouum dogma in Ecclesia, & declaratũ ob hæresim Lutheri à *Leone X. in Const 40. Exurge, artic. 17.* in quo damnatur error Lutheri negantis thesaurum spiritualem meritorum Christi, & Sanctorum, ex quo Papa dat indulgentias, sed iam propria Cõstitutione de anno 1342. fuerat à *Clemente VI.* definitum in *Const. Vnigenitus, extra de pœnit. & remiss.* vbi non solum existentiam firmat thesauri, sub hoc explicito nomine, sed etiam declarat, ex quibus talis thesaurus sit conflatus; hæc autem præ cæteris habet; *quem in ara crucis pro nobis innocens immolatus; non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad verbum pro redemptione totius humani generis sufficeret, sed copiosè velut quoddam profluuium nosci tur effudisse: quantum ergo exinde, vt non superuacua, inanis, aut superflua tanta effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisiit, volens suis thesaurizare filijs pius Pater, vt sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt Dei amicitiæ participes sunt effecti: quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cæli clauigerum eiusque successores, suos in terris Vicarios commissum fidelibus salubriter dispensandum, & propriis, ac rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali pœnæ remissione temporali pro peccatis debita, tam generaliter, quam specialiter, prout cum Deo expediri cognoscerent, verè pœnitentibus, & confessis misericorditer applicandum: ad cuius quidem thesauri cumulum Beata Dei Genitricis, & omnium electorum à primo iusto, vsque ad vltimum merita administrabulum præstare noscuntur; de cuius consumptione, seu diminutione non est aliquatenus formidandum*. Ecce iam stabilitum de fide sub verbis explicitis Ecclesiæ thesaurum in 14. *sæculo*, licet multò ante, & ex quo indulgentiæ concedi consueuerunt, fuerit etiã implicitè definitus; indulgentiæ enim semper eædem, & de eodem cumulo acceptæ sunt: sed de antiquitate dicam infra: id ergo quærimus; an de hoc thesauro accipi possit aliquid, vt subueniatur defunctis. Non tamen dicere omittam, quod supponi-

Indulgentiæ varia significata.

Significat vt condonationem culpæ,

Vacationem permissionem.

Dispurationem.

Ecclesia vtitur hoc vocabulo ad significandũ remissionem pœnæ, per applicationem thesauri.

Concessio indulgentiæ quid sit.

Est de fide dari thesaurum spiritualem,

Quid sit thesaurus,

Clemens VI. definit.

Explicitè dicitur de compositione thesauri Ecclesiæ,

Ex meritis Christi, B. V. & aliorum Sanctorum.

tur grauis controuerſia inter Theologos, quomodo merita Chriſti, & Sanctorum poſſint inſeruire pro compenſatione ſatisfactionum, & pœnarum, ad quas ſunt obligati fideles; ſi iam ipſa merita fuerunt remunerata: vnde aliqui, vt Canoniſtę, vt reſponderent hæreticis, dixerunt non fuiſſe ad plenum remunerata, & ideo poſſe inſeruire pro compenſatione ſatisfactionum adimplendarum à fidelibus, Alij verò, vt *Petrus de Palu. in 4. ſent.* quem innumeri ſequuti ſunt, dixerunt, quod Sanctorum opera, vt meritoria iam habuerunt ſuum præmium; ſed multa fecerunt; opera ſatisfactoria, quæ excedebant obligationes eorum, & iſta pertinent ad theſaurum, opera autem Chriſti, & vt ſatisfactoria, & vt meritoria ad theſaurum pertinent, neque vnquam completè remunerari poterunt, quia infiniti ſunt valoris; & ideò poſſunt applicari pro ſatisfactionibus. Alenſis verò in *4. ſent. diſt. 20.* quem alij pariter multi ſunt ſecuti, docuit, quod merita Sanctorum, quatenus erant gratiæ argumentatiua fuerunt plenè à Deo remunerata; ſed quatenus ſatisfactoria, remanſerunt in poteſtate Eccleſiæ; quia ipſi tota illa ſatisfactione non eguerunt. At quidquid ſit de hoc, quia ad nos nunc non ſpectat hæc diſcuſſio, certum de fide eſt, dari theſaurum ſpiritualem in Eccleſia ex meritis Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum omnium conflatum, ex quo Papa educit indulgentias. Videbimus ergo an ex eodem ipſemet Papa, vel alij educere poſſint indulgentias pro animabus purgatorij, quod eſt noſtrum intentum.

Quomodo merita Chriſti, & Sanctí poſſint in ſeruire pro ſatisfactionibus noſtris

Sententiæ authorum circa hoc,

770 Suppono 3. Exiſtentiam, & vſum indulgentiarum in Eccleſia eſſe de fide: ita, vt à poſitiuo incipiam definitum eſt in Concil. Trid. *ſeſſ. 25. in decreto de Indulg.* vbi ſic habetur, *cum poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Domino cõceſſa ſit atque huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit, ſacroſancta Synodus indulgentiarum vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt eas, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.*

Indulgẽtiarum exiſtẽtia et vſus, fide actu.

Conc. Trid.

Secundo, idem docuerat Concil. Conſtantienſe damnans 45. errores Ioann. Vuicheff. inter quos, 42. erat iſte, *falſum eſt credere indulgentias Papæ, & Epiſcoporum.*

Conc Conſtantienſe.

Tertiò idem antea docuerat Concil. Later. 4. ſub Innoc III. *cap 62.* in quo hæc præ alijs decernuntur, *Ad hæc quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non erubescunt, & clauis Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentiales ſatisfactiones enervantur, &c.* & præſcribit, quibus temporibus debeant Epiſcopi concedere:

Conc, Late.

Quartò, ex omnibus conſtit. & capitibus Sacrorum Canonum, infra adducendis pro antiquitate indulgentiarum, quibus ſtabilitur, ſemper in Eccleſia fuiſſe vſum indulgentiarum,

Conſtit. Põtificum.

Quintò, ex validiſſimo Argumento, quo Auguſtinus, & eius gentilis Tertullianus firmant ſuffragiorum pro mortuis virtutem, nẽpe ex Eccleſiæ cõſuetudine. Auguſt enim *lib. de cura pro mort. ger. c. 1.* pro ſuffragiorum validitate ſic loquitur, *ſi nuſquam in Scripturis ueteribus id omnino legeretur, non parua hac conſuetudine clarere auctoritas.* Tertullianus verò *de corona militis. c. 3.* pro ſuffragijs, ait, *ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies, traditio tibi prætendetur autrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix,* idem prorſus dicendum de indulgentijs, Eccleſia per multò plura ſæcula conſueuit concedere indulgentias, quã tempore Tertulliani, vel Auguſtini conſueuerat vti ſuffragijs. Ergo ſi conſuetudo iſta breuior pro tunc, erat validum argumentum pro validitate ſuffragiorum; conſuetudo diuturnior pro vſu dulgentiarum erit fortius argumentum pro validitate earum. Eo vel maximè, quod pro his adeſt Conciliare multiplicatum decretum, quod de tempore Tertulliani, vel Auguſtini non aderat pro ſuffragijs, & verè validum arg. cum Eccleſia ſit columna, et firmamentum veritatis: ex 1. Tim. 3. Praxis autem Eccleſiæ circa conceſsionem indulgentiarum legi poteſt in *tit. de Pœnit. & remiſſ.* vbique tam in decretal. quam in 6. *Clem. & extrau. Com.* Præterea in Bullarijs in Conſtitut. Iubileorum, et Canonizationum, tandem in quotidiana conceſsione, nunc plenariariũ, nunc ſemiplenarum, quadragenarum, &c.

Arg. à portiori.

Vtil legenda antiquitas.

771 Suppono 4. Pro antiquitate vſus indulgẽtiarum, quod ſi ſtemus inuocabulo, hic vſus, licet ſit multorum ſæculorum, non tamen eſt ab initio Eccleſiæ, ſi verò ſtemus in ſignificato remiſsionis, ſeu relaxationis, et veniæ pœnarum temporalium, ſeu ſatisfactionum, quæ remanent adimplendæ poſt remiſsionem culpæ, indulgentiæ iſtæ, ſeù remiſſiones incœperunt cum Eccleſia, et ex quo tempore Chriſtus eam Petro concredidit: vt omittam diſcutere aliud graue dubium; an indulgentiæ, ſeu remiſſiones iſtæ adeſſent in lege Moiſy, ſeu tempore ſynagogæ, ſicut aderant ſuffragia pro viuis, ac defunctis, præſcindo inquam ab hoc dubio, ſed loquor de antiquitate indulgentiarum in lege Euangelica.

Antiquitas indulgentiarum ſub hac narratione.

772 Primũ autem aſſumptum, quod remiſſiones pœnarũ cum hoc expreſſo nomine indulgentiæ, ex multis ſęculis viguerit in Eccleſia, ſed non ab initio, probatur; nam ante Concil. Tridentinum video earum vſum in Concil. Conſtantienſi quod de anno 1414. cum 400. Epiſcopis fuit celebratum. ante iſtud video earum vſum ſub eodem nomine in Concil. Later. 4. ſub *Innoc. III.* quod de anno 1215. habitum eſt, ante

In ſæculo 14. & 13. erat vſus vocabuli indulgentiæ,

hoc

hoc tempus inuenio vsum earum sub nomine eodem in Concil. Later. 3. sub *Alexandro III.* quod de anno 1180. cum 300. Episcopis coactum est. Ante hoc tempus nõ lego in alio Cõcilio vsum remissionis pœnarum temporalium sub nomine indulgẽtiæ.

In seculo 7. erat etiam vsus huius vocabuli.

773 Sed ante hoc tempus inuenio vsum indulgentiarum apud Romanum Pontificem, nam *Ioannis VIII.* qui de anno 872. creatus fuit Pontifex, sub hoc vocabulo remissiones, et indulgentias concedere solebat, et ex modo loquendi, alios Prædecessores, quorum mente de earum valore declarat, vsos demonstrat. Nam *in epist. 144. quæ est ad omnes Episcopos Regni Galliæ.* et habetur *in tomo 3. Concil. in vita eius p. 2. fol. mihi 963.* sic ait, *Quia onerandæ fraternitati vestræ modestæ interrogationi scisitanti quæsimus vtrum bi qui pro defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro Christiana Religione, ac Reipublicæ in bello nuper occiderunt, aut de reliquo vt casuri sunt indulgentiã possint consequi delictorum, audenter Christi Dei nostri pietate respondimus, quoniam illi qui cum pietate catholicæ religionis in belli certamine cadunt requiei sit æternæ vitæ suscepti,* et post aliqua *ait propter Domini misericordiã, quia immensa est circa genus humanum adiptus est solium: Nostra præfata mediocritatis intercessione Beati Petri Apostoli, cuius potestas ligandi atque soluendi est in cælo, & in terra, quantum fas est absolumus, precibusque illos Domino commendamus.* ex quo non solum firmatur antiquitas indulgentiarum, sed applicatio earum pro mortuis, vt postea patebit, eandem epitolam declarando.

Epist. Ioanni 8. in qua fit mentio de indulg.

In seculo 8. sub Leon. 3.

774 Ante Ioannem VIII. indulgentias, inuenio concessa à Leone III. qui de anno 790. fuit electus, is autem concessit in Gallia pro dedicatione Ecclesiæ Beatæ Mariæ Aquigrani ita Baron. de anno 894. confirmat etiam Lugderus *cap. 9.* qui pariter narrat eundem Leonem in canonizatione Sancti Suiberti indulgentias concessisse colentibus huius Sancti festum.

In seculo 4. fit mentio de indulgẽtijs ab Aug.

775 Ante id tempus lego ab August. mentionem fieri de indulgentijs pro remissionibus pœnitentiarum iniunctarum pro lapsu ita in *ep. 30. ad Bonif.* & habetur in *c. Vt constitueretur dist. 50.* quod caput citatur à margine Concil. Trid. *in decr. de indulg.* vbi sic habetur, *ne quisquã post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore sanctæ est disciplinæ, alioquin contra claues datas Ecclesiæ, disputabitur, de quibus dictum est, quæ solueritis in terra solata erunt, & in cælo &c.*

In 3. seculo fit mentio de indulgẽtijs à Rom. Clero.

776 Ante August. video hoc nomine vsum Clerum Romanum epist. ad Cyprian. qua lapsis indulgentiam concedi monet, & habetur in *cap. Absit à Romana dist. 50.* vbi *enim potuit indulgentiæ medicina proficere, & medicus intercepta pœnitentia indulget periculi &c.*

777 Prob. nunc secundum assumptum, quod nempe relaxatio pœnarum seu remissio, quam nos vocamus indulgentiam, sub nomine remissionis, commutationis, &c. fuerit antiquissima in Ecclesia, primo ex Concil. Tridentino *sess. 25. in decr. de indulg.* docente, *cum potestas conferendi indulgentias à Christo concessa sit, atque huiusmodi potestate dignitatis sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illo vsa fuerit,* igitur, cum Ecclesia debuit habere initium. Quando autem Ecclesia vlã fuerit tali potestate licet non sub tali nomine indulgentiarum, quamuis margo dicti decreti citet multa capita de *Pœnit. & remissionibus in Clem. & in 6.* cum hæc non excedant tempora Alex. III. nempè sæculum 12. antiquiora tempora talis vsus agnoscit. Nam in primis erat commune in Ecclesijs, vt quis pœnitentias longas, & duras iuxta Canonum regulas antiquas redimere posset per compensationem elemosinarum, missarum, &c. vt è Capitularibus refert Isacius *Lugan tit. 2. c. 1.* Bruccardus, & Iuo in Pœnitent. diffusè, & ex Petro Dam. *in ep. ad Alex. 2.* & S. Raimun. *in can. Pœniten.* legi potest Synodus Anglicana Closdohouiæ celebrata, in quo diffusè de his remissioninus tractatur, de anno 747. & ex pœnitentiariæ Romanæ Regiſtris facilè habetur 2. ex stationum vsu: in his enim indulgentiæ lucrantur, stationes autem ad minimum à S. Gregorio cœperunt. vt communis fert sententia: sed antiquiores sunt, quia de illis mentionem facit Tertullianus improperando Catholicis (quos Psichicos vocat) ipsosque damnans, quod stationibus adiuncta essent ieiunia in quarta, et sexta feria, ità *in lib. aduer. Psich. c. 14.* sed si placet, vsum talium remissionum semper in Ecclesia fuisse, siue multum, siue paruum dicamus, quia semper fuit in Ecclesia, et Petro, eiusque successoribus potestas eas concedendi, vt *Trident. & Clemens 6.* in illa extrau. *Vnigenitus*, Petro enim dictum est, *Quodcunque solueris super terram &c.* Pietas autem, & misericordia semper viguit in Ecclesia. ergo & vsus remissionum, satisfactionum, seu pœnarum temporalium semper viguit. Neque omittam, quod ab alijs magistris meis, ad hanc antiquitatem comprobandam adduci solet, nempe ex Apostolorum tempore, remissiones istas pœnarum, & indulgentias concedi solitas, exemplo Pauli 2. *ad Cor. 2.* qui cum incestuosum illum iudicasset tradendum Satanæ in interitum, vt spiritus eius saluus fieret, misericordia motus, ei condonans inquit, *sufficit isti obiurgatio hæc quæ fit à pluribus, ita vt è contrario magis donetis, & cõsolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur* Baron. *to 11. 58.* fol. mihi 508. ait, Apostolos Pauli exemplo, potestate sibi à Christo concessa, concedere cœpisse indulgentias pœnarum pro delictis incurlarum, & ideo Martyres consueuerunt concedere

Sub nomine remissionis seu relaxationis pœnarum indulgentiæ cœperunt cum Ecclesia.

Semper fuit in Ecclesia vsus indulgentiarum.

Vsus antiquus ex tempore Apost.

lapsis remissiones facta ex Homologesi, de quo abunde Cyprianus *epist.* 21. 28. & 23. *Concil Nicænum* 1. *can.* 11. de lapsis decedentibus cum pœnitẽtia statuit, licere Episcopis humanũ circa eos aliquid cogitare, & Ambr. *lib. de Pœnit. c.* 7. & 8. grauiter reprehendit eos, qui damnabant Episcopos dantes veniam, ac indulgentias lapsis pœnitentibus, & vt cætera omittam, de hoc remissionum genere, tituli de Pœnit. et remiss. in Textu canonico pleni sunt. Sed, vt ingenuè loquar (salua pace, ac reuerentia,) omnia hæc loca loquuntur de remissione fori externi: nam Episcopi non poterant adeo largas concedere indulgentias pro foro interno.

Author putat non esse ad rem.

778 Suppono §. Quod principalis, & proprius, ac supremus Dispensator indulgentiarum, in toto Orbe, siue plenarum, siue semiplenarum, est solus Papa, quod multipliciter probatur, à priori: quia soli Petro dictum est, *Matth.* 16. *Tibi dabo claues Regni Cœlorum, quodcumq; ligaueris super terram &c. quodcumque solueris super terram*, &c. quod et ad impietũ est, *Io* 21. *Pasce oues meas*, tunc enim suprema potestas ligandi, atque soluendi est Petro, & eius Successoribus collata; ei siquidem data est omnis plenitudo potestatis in totã Ecclesiam, & ab ipso Episcopi vocantur in partem solicitudinis. 2. *quæst.* 6. *cap. Decreto*, estque Greg I. & 3. *q.* 6 *c. Multum*, estq; Leonis I. & 24. *q* 1. *cap Quodcunque ligaueris*, estque August. Solum autem Papam a se immediatè, à nullo impedibilem, et suprema authoritate posse indulgentias concedere, omnes Theologi imò & Canonistæ docent *in cap. Quod autem, & cap. Cum ex eo de pœnit. & remiss.* & in toto hoc *tit. in* 6. *Clem. & Extrau. comm.* Vnde *Concil. Later. IV. c.* 62. cum præscribit Episcopis facultatem modicam concedendi indulgentias in certis diebus, de Papa nihil dicit, sed solum hortatur, vt moderatè concedat: secundò colligitur à posteriori. Solus Papa concedit Iubilæum in toto Orbe: & in singulis eius partibus, ac dum tempore anni Sancti, sed in alijs Ecclesiæ necessitatibus, vt ex *tit. de pœnit. & remiss. in Extrau.* & in Bullarijs: solus Papa in Bulla Cruciatæas dispensat, & nullus infra ipsum: & continua praxis totius Ecclesiæ demonstrat. neq; vllus, quamuis Apostolicæ Sedi rebellis Episcopus, vnquam attentauit Iubilæum in sua Diœcesi, vel plenariam indulgentiam, imò neque secundò semiplenam concedere post *Later. Concil. IV.* Infra Papam verò, ij possunt eas concedere, quantum, & quomodo Papa declarat, quos ipsemet ad hoc munus delegauerit. Regulariter autem, & de iure, Legati Papæ à latere id habere solent in suis literis cũ debita formula, & taxatione. Tertiò Archiepiscopi in sua Prouincia, & Episcopi in sua Diœcesi; sed non possunt excedere quantitatem dierum 40. in suis functionibus, in dedicatione autem Ecclesiarum vnum annum, & habetur ex *Concilio Later. IV cap.* 62. & habetur ex *cap. Cum ex eo, & cap. Quod nostro, de pœnit. & remiss.* etiam *in* 6. Alij verò Prælati inferiores Episcopis, vt Abbates, & alij, siue sæculares, siue regulares, etiam si iurisdictione polleãt non possunt concedere indulgentias de iure condito; nisi adsit Papæ concessio, seu priuilegium, ex cod. *Concil. Later.* & habetur in *c. Accedentibus de excess. Prælat.* Quæ verò per suas literas solent Regularium superiores Generales concedere suis benefactoribus, non sunt indulgentiæ, sed suffragia, impartiuntur enim omnium bonorum suæ Religionis participationem.

Dispensator supremus indulgentiarũ est Papa.

Episcopi sũt vocati in partem sollicitudinis.

Papa in plenitudinem potestatis.

Papa solus concedit Iubilæum.

Qui ex Papæ concessione possunt indulgentias dare,

Legati, Archiep, Episcopi.

Alij inferiores non possunt,

Hoc autem pro Episcopis notandum, quod etiam si non sint consecrati, dũmodo possessionem habeant subditorum, imò tenent multi, quod etiam si non sit adhuc Sacerdos, quia hæc actio spectat, non ad ordinem, sed ad iurisdictionem puram, non fundatam in ordine. Et ex hoc sequitur, quod Episcopus non possit indulgentias cõcedere non subditis.

Superiores Regul. non concedunt indulg. sed sed suffragia communicant benefactoribus.

An autem Concilium Generale habeat facultatem concedendi indulgentias olim fuit controuersum, sed statim euanuit difficultas, quia scismaticũ habuit propugnatorem; quem aliqui Canonistæ, vtpote de hac materia parũ instructi secuti sunt. Sciendum ergo, quod Panorm. in *Clem. 2. de pœnit & remiss.* docuit Concil. Generale posse indulgentias plenarias concedere huic innixus fundamento: quia Ecclesia principaliter accepit à Christo potestatem ligandi, & soluendi, ex *cap. Omnibus*, estque Hierony. ex *cap. Quodcumque*, estque Augustini, *& cap. Loquitur*, estque Cypriani 24. *q.* 3. Ecclesia autem repræsentatur à Concilio. Præterea *Matth.* 18. omnibus Apostolis dictum est, *quodcumq; ligaueritis super terram, & quodcumque solueritis super terram*, etc. Quare autem id dixerit Panor. omnibus notũ est, quia ad finem vsque adhæsit Concilio Basileensi, legitimè quidem congregato, sed illegitimum habenti progressum, et finem: à quo ipse fuit pileo donatus, et postea ab Ecclesia Catholica spoliatus. Is ergo scismatico Conciliabulo adhærens contra Papam Eugenium, Papæ potestatem Concilio concedebat. Tota autem Ecclesia contradicit errori Panorm. Etenim non Concilio, sed Petro prius promissæ sunt claues, *tibi dabo claues*, et postea datæ *pasce oues*; Apostolis autem data est *Matth.* 18. potestas ligandi, et soluendi, non iurisdictionis, sed ordinis, sicuti datur Sacerdoti ordinato, accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris; et hoc, quia ita Christus locutus est *Io.* 20. quando, vt ait *Concil Triden. sess.* 14. *cap.* 1. instituit Sacramentum pœnitentiæ, vel dicas, quod ita dictum est eis non collegialiter acceptis. Quomodo enim Concilium habet claues, aut iurisdictionem sine Papa, si abs-

Concil. Generale non potest concedere indulg.

Panor. docet contr.

Panorm. adhæsit Concilio Basileæ, ideo dixit hoc.

Sed pro vno capite.

si absque eo non est Concilium: sed de hoc alias. Neq; motiua Panor. aliquid faciunt; quia vtique Ecclesia accepit claues, sed in Petro, qui ibi dixit, *tibi dabo claues*: et quãuis morteno Papa, Cardinales in Conclaui possint substituere Pœnitentiarios Maiores, *ex Clement. de elect. cap. Ne Romani, §. Et tamen*, hoc habent ex concessione Papæ. Eodem modo intelligendi sunt Sancti Patres citati, concedentes potestatem clauiũ in Ecclesia, quia certè in Ecclesia sunt, idest in communitate fidelium, non quidem in singulis, vel omnibus collectiuè, sed in capite eorum, cui Ecclesiam Deus commisit, *Tibi dabo claues, & pasce oues meas*, quæ sint obiter dicta, quia diffusioris sunt indaginis.

Motiua Panorm. non efficiunt.

779 Suppono 6. pro modo concedendi indulgentias: circa quẽ multa sunt consideranda. Primò, quod aliquando concessio est plenaria aliquando non sic. Plenaria dicitur, quando hoc vocabulo explicatur, vel alio æquiualenti, vt in concessione dicatur *omnium pœnarum, siue peccatorum* (idest reatuum, quia culpæ, vt dicemus, non remittuntur per indulgentias) *remissionem, veniam, vel relaxationem concedimus*. Sed non est plenaria, vel omnium, quando dicitur vnius, aut plurium annorum, dierum, quadragenarum indulgentiam, seu veniam, etc. cõcedimus, quid sibi velint ista, et quos effectus pariant, mox dicetur: hi autem cõcedendi modi habentur ex Bullis anni Sancti, *Extrauag. de pœnit. & remiss.* ex Bullis aliorum Iubilæorum, Cruciatæ, &c. in quibus fit mentio de plenaria: *& in Conc. Later. IV. cap. 62.* nec non *cap. Nostro de pœnit. & remiss.* in quibus locis fit mentio de indulgentia quadragena, & annuali: & hæc est Ecclesiæ praxis, vt patet in frequentibus, & quotidianis concessionibus. Secundum pro concessione notandum, est, quod Papa in concessione indulgentiæ aliquando exigit opus aliquod in eo tantum cui concedit, & sic iste faciens tale opus eas lucratur, v. g. si dicat, cuicunque confesso, vel contrito, ieiunanti, vel facienti eleemosynam pro viribus, vel visitanti Ecclesiam, conceditur plenaria indulgentia, vel decem annorum, &c. factis his operibus, faciens statim consequitur: aliquando conceditur sub hac forma, vt quis in articulo mortis, vel in alia occasione possit absolui ab omni culpa, & pœna, si talem, vel talem actum fecerit, & iste non consequitur nisi ab alio sibi concedatur; quia hæc formula videtur delegatoria, & ideo requirit dependentiam ab alio, & hæc sunt sine controuersia. Notant autem omnes Doctores cum S. Bonau. *in 4. d. 20. p. 2. q. 6.* quæ est communis sententia, quod indulgentiæ tantum valent, quantum sonant verba concessionis, non enim attenditur opus, quod imponitur, quia non datur relaxatio ex valore operis, sed ex largitate Dei, & dispensatoris indulgentiarũ; sufficit enim, quod habeat potestatem, vt sint efficaces; estò requiratur prudentia, & discretio in dispensando plenarias, vt non pro qualibet leui causa concedantur. Sed hic insurgit graue dubium pro concessione; an scilicet possint concedi, nullo præexigito opere adimplendo à lucrante indulgentias, vt si Papa habens intentionem efficacem concedendi, absque vllo opere faciendo, diceret, *concedimus Petro indulgentiam, siue plenariam, siue semiplenam, annalem, quadragenam, &c.* Et quidem tam ex formulis concedendi in iure expressis, quã ex alijs, quibus continuè vtitur Papa, compertum est, semper exigi aliquod opus, siue externum, siue saltem internam contritionem; quia semper cum hoc onere concedi solet, ac propterea Theologi omnes, & Canonistæ praxim istam videntes, requirunt semper aliquod virtutis opus: sed an Papa, siue hoc opere possit, est difficultas. Video S. Bonau. in 4. *d.* 20. *p.* 2. *q.* 5. *ad vlt. nu.* 79. quem alij omnes sunt secuti, Astensem *lib.* 9. *tit.* 36. *art. vlt.* Syluestrum *lib. de Indulg. c.* 5. in fine, & alios negatiuam partem tenere; Nam Seraphicus Doctor proponit contra se hoc argum. Quare Papa si potest in animas purgatorij, non absoluit eas omnes solo verbo, & respondet, non posse, quia sicut Deus, si per seipsum immediatè relaxaret pœnas temporales, semper cum iustitia hoc faceret, idest aliquam compensationem exigendo; multò magis sic debet facere Papa, qui est Minister, qui moderatè, & discretè dispensare debet bona Ecclesiæ etiam spiritualia; alioquin, nisi ita faceret, Deus non acceperet, &c. Hæc Bonauent. quem omnes sequuntur, & præsertim Moderni dicentes, quod actum aliquem saltem internum, vt contritionem, vel inuocationem nominis Iesu, saltem corde, si ore nõ possint, & ita fit cum ijs, qui in articulo mortis possunt eas lucrari. Et ego non intendo à communiori recedere de facto: sed solum, vt aperiam quid de possibili sentirem si Doctotibus placeret, vnum tantum argumentum in medium profero; concessio indulgentiæ est erogatio satisfactionum Christi pro satisfactionibus, quas deberent fideles, vel in hac, vel in alia vita adimplere; & non debent eas erogandas mereri, sed solum recipere: igitur, si iam sint capaces, quia in gratia, poterunt eis sine alio eorum actu concedi: vt patet de redemptionibus captiuorum, ac damnatorum, si fiant ex depositio alicuius Legati; non enim videtur pro his aliud requiri, nisi vt accipiantur pecuniæ ex depositio, & soluantur: ita dicerem in casu, & inueni postea sic docuisse Suarez *3. p. c. 4. disp. 53. sect. 3. num. 13.* Sed nolo, vt de hoc argumen. habeatur ratio: certum quidem est, quod in praxi, ac facto standum est formulæ concessionis, quæ adhuc aliquãdo fit sine impositione operis, vt dicam in *§. 3. concl. 4.*

Quomodo concedendi multa obseruanda.

Plenaria quomodo solet concedi.

Non plenaria quando est.

In concessione exigitur aliquod opus faciendum.

Diuersi modi concedẽdi.

Tantum valent, quantum sonent verba concessionis.

Dubium an possint concedi sine operum exigentia.

De facto ita est, quod sine eo non detur.

S. Bonau. est anceps.

Authoris speculatio modestè allata.

Author non curat vt ratio habeatur de suo dicto.

780 Suppono 7. ex parte recipientis, seu

seu consequentis indulgentias duo requiri ex sententia communi. Primò, vt sit in gratia. Secundum, vt impleat opus præscriptum. Ratio primi assignatur communiter, quia ex 1. *Cor.* 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed ad hoc posset responderi, Paulum loqui de opere meritorio, quod certè sine charitate nequit haberi, non autem de satisfactorio, vel de relaxatione pœnæ temporalis; sicut de satisfaciente in statu peccati mortalis, notum est. Probari solet, 2. ex eo, quod carens charitate conseruat causam pœnæ, nedum æternæ, sed etiam temporalis, & sic nisi remoueatur causa, nequit remoueri effectus: sed ad hoc etiam posset responderi, quod peccatum est causa pœnæ æternæ, & temporalis, quæ sibi competit, non aliarum, quæ erant debitæ pro alijs peccatis dimissis; & ideo, licet non posset relaxari pœna huius peccati possent tamen relaxari aliæ: sicut quando conceditur semiplena, & partialis indulgentia. Confirmari solet, 3. ex eo, quod concessiones semper fiunt sub hac formula, *Confessis sacramentaliter, vel contritis*; sed ad hoc posset responderi sic probari de facto, non verò, an possint absolutè concedi non contrito. Sed quidquid sit de eiusmodi speculatione, non est recedendum a sent. omnium, vt Alensis *p.* 4. *q.* 83. *mem* 5. D. Bonau. 4. *dist.* 20. *par.* 2. *q.* 4. D. Thom & omnibus *in* 4. *sent dist.* 20. et à praxi communi Ecclesiæ; existimo autem Deum decreuisse non concedere suo inimico actuali remissionem pœnarum; eius autem voluntatem penetrantes Romani Pontificis, numquam concedunt, nisi existentibus in gratia: ad illud de satisfactionibus, dicendum, quod si sunt sacramentales valent quidem ratione Sacramenti peracti, vt docet Scotus; si verò non sint sacramentales, sed aliæ communes, non satisfaciunt pro pœna temporali, quia non sunt fructus digni pœnitentiæ, digni enim sunt, cum pœnitēs est dignus: est ergo necessariū, vt lucrans indulgentias sit in gratiā. Secundum requisitum in lucrante indulgentias, est adimpletio operis; nam voluntas concedentis est quasi conditionalis, si fiat tale opus, sed tam promissio, quam concessio conditionalis non habet effectū non completa conditione: neque sufficit voluntas faciendi, quia hæc ad meritum tantum valet non ad consequutionem indulgentiæ: an autem indulgentias alicuius peregrinationis, vel similis lucrentur, qui in itinere, vel in medio operis moriuntur; distinguendum est; nam vel hoc est expressum in concessione, et sic cessat difficultas, quia pro his Papa exigit principium itineris, vel alterius similis operis successiuè complebilis, vt in expeditionis tenore præsent. patet. Si verò non sit expressum; quamuis aliqui in concionando prædicent populis, quod lucrentur: tamen aliter dicendum est; quia opus requisitum non est impletum: credibile tamen est, quod ex vi contritionis, et principij executionis, aliquam partem indulgentiæ consequantur. Et quoniam aliquando Papa exigit, vt qui vult eas lucrari sit confessus, vel contritus saltem, oritur dubiū, an de confessione noua loquatur; vel de illa annuali, vel etiam alia quælibet sufficiat, quæ ex alia præcedenti occasione facta sit: et ad hoc respondent graues DD. quod si pœnitens non habet mortale, quælibet præcedens sufficiat, quia hanc exigit Papa, vt recipientes sint capaces, non verò, vt partem operis. Alij verò, et, vt censeo, melius docent, esse necessariam confessionem, vel contritionem nouam, etiamsi non adsit mortale; quia Papa id exigit, vt partem operis adimplendi; optans enim, vt fideles sint in charitate, et actum aliquem conuersionis ad Deum efficiant, exigit confessionem, vel contritionem; quæ quidem erit venialium, nisi adsint mortalia. Quilibet autem deberet confessionem potius eligere in tali casu, quam contritionem, cum hæc sit difficilior, et magis dubia.

Hinc inanem existimo quorūdam disputationem: an indulgentiæ, quas quis recipit in mortali, recedente fictione, et aduenient gratia habeant effectum; nam si Papa concedens exigit confessionem, vel contritionem: tunc omnia peccata, etiam oblita comprehenduntur sub his actibus, et sub alterutro. Quomodo ergo accidere potest, vt quis in his circūstantijs sit fictus? certè non videò, nisi intelligant de ijs, qui prius exercent contritionem, vel confessionem: deinde cadunt in mortali, et post mortale exequuntur opus iniunctum: sed neque isti consequuntur indulgentiam; quia contritio, et confessio exiguntur vt recipiēs sit capax, eo quod in charitate: at si post confessionem cadit in mortale, iam iterum fit incapax: et ideò optimè videò consultum ijs, qui indulgentias lucraturi vt omnia opera præmittant ad confessionem, vel contritionem, sic enim capaces redduntur. De ijs autem, qui inhabiles sunt ad exequendum opera, vt Religiosi, Infirmi, Moniales, Carcerati, etc. iam prouidè consulunt Romani Pontifices, concedentes commutationem operum in alia illis possibilia.

781 Supp. 8. Pro effectu indulgentiarum; quod effectus earum, vt supponimus in primo notabili ex impositione nominis est relaxatio, seu deletio pœnarum temporalium, quæ remanent soluendæ post culpæ remissionem, vel in hoc sæculo, vel in alio, vt probatum est ex *disput. de Purgat. art.* 3. concedere ergo indulgentias, idem est, ac pœnas temporales relaxare, quod patet ex toto *tit. de pœnit. & remiss.* præsertim *Extrau. com. Cunct. Antiquorum*, quæ est Bonifa-

Quæ requiritur ex parte consequēs indulg. primo, vt sit in gratia.

Rationes, quod requiratur status gratiæ prima facie videntur claudicare.

Non est recedēdum à sententia communi quod requiratur status gratiæ.

2 requisitū est operis adimpletio.

quæ confess. sio exigitur,

Inanis quædam quæstio de recipiente in peccato;

Not. pro effectibus,

Concedere indulgentiæ idem est, vt pœnas temporales relaxare.

nisacij ex *Const. Vnigenitus*; ibid. quæ est Clem. VI. ex *Const. Quemadmodum*, ibid. estque Sixti IV. et ex omnibus alijs, quæ quotidie emanant in forma Iubilæi; & alio modo. ita omnes Romani Pontifices tenẽt, ita credit tota Ecclesia, ita Scholastici omnes, vt D. Thom. D. Bonau. Alensis, Scotus, & alij omnes cum Magistro Sent. in 4. *dist.* 20. etsi non assignatur, quem effectum haberent. Neque de hoc est dubium, sed circa effectum istum aliqua sunt notanda;

Multa notãda.

Primò, quod in eiusmodi concessionibus indulgentiarum, & præsertim Bonifacij, Clem. & Sixti, vbi supra, habentur istæ loquendi formulæ, *plenam immò plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum*, vel *plenariam omnium peccatorum veniam concedimus*, & formulæ istæ antiquæ sunt, & vsitatæ. Quodquidem non ita est intelligendum, quasi Papa per indulgentias remittat culpas mortales, quia istæ nequeunt neque à Papa remitti sine confessione; vel per contritionem, cum voto confessionis, ex Concilio Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. sed nomine *peccatorum* intelliguntur reatus temporales, qui sunt peccatorum reliquiæ; & est praxis Ecclesiæ sic vocare pœnarum reatus; patet ex omnibus ferè collectis, quibus in officio, & missa, nec non exequijs defunctorum vti solet, orat enim Deum, vt defunctis remittat, condonet, parcat delicta, nam in collecta *fidelium, remissionem cunctorum tribus peccatorum, vt indulgentiam quam semper optauerunt, &c.* in collecta. *Præsta: à peccatis expedita indulgentiam, & requiem capiat sempiternam*, in collecta *animabus, vt eas à peccatis omnibus exuas*, & ita de alijs, vt in Missali, sic etiam notatur in 2. *Machab.* 12. *vt à peccatis soluantur* & Glosa in cit. *Const. Bonifacy V. Peccatorum*, tam in principio, quam in fine, ait, *pœnarum pro peccatis debitarum*, & citat locum Macchab. qui supra. Alij addunt poni ly *Peccatorum*, quia regulariter Papa, cum indulgentias plenarias concedit; solet etiam concedere facultatem, vt fideles ab omnibus reseruatis absoluantur, sed mihi videtur dura hæc declaratio; dicamus ergo cum sensu communi Ecclesiæ, & ipsius Papæ concedentis, qui per ly *peccatorum* intelligit reatum *pœnarum* peccatis debitarum.

Remissionẽ peccatorum per indulgentiã quid significat.

Pœnæ temporales debitæ peccati dimissis dicuntur peccata.

Hæc est Ecclesiæ consuetudo.

Alij dicunt, quia conceditur etiam facultas, vt absoluantur à peccatis.

Secundò pro effectu indulgent. notandũ est, quod aliquando opponi solet in concessione hæc formula *iniunctarum pœnitentiarum*, vel solitariè, vel etiam, *& omnium peccatorum*, vel *pœnarum*, patet ex *cap. Cum ex eo, & cap. Romana, de pœnit. & remiss. & Clem. vn. de reliq. & vener. Sanct.* Si primum tantum conceditur, illæ tantum pœnæ remittuntur, quæ erant impositæ in sacramentali confessione, si verò vtraque particula ponitur, omnes remittuntur: si verò ponatur solum, indulgentiam concedimus omnium delictorum: tum dubitant aliqui, an comprehendantur etiam satisfactiones sacramentales, seu iunctæ; & adeo certum est, eas remitti, vt aliqui DD docuerint omnem indulgentiam plenariam ad has solum pœnitentias extendi, quia ex antiqua consuetudine, Pontifices has tantum remittebant, vt ex *eit capp.* videri potest, secundò quia concedere solebant indulgentiam septem annorum quadragenam &c. vel plures quadragenas, quæ formulæ loquendi respiciunt tempora pœnitentiarum, & ita docuerunt Dur. & Paludanus in 4. *d.* 20. *q.* 4. & Alensis 4. *p.* q. 83. nunc verò 23. *m.* 2. & id tuetur enixè Caietanus in *Opusc. de Indulg. ad Iulian. c.* 7. ex quo habetur per indulgentiam plenariam remitti etiam satisfactiones iunctas; nam re vera istæ sunt pœnæ soluendæ; & nisi in hac vita soluerentur, essent soluendæ in purgatorio, si autem indulgentiæ remittunt pœnas purgatorij, vt mox dicetur ex *Const. 17. Sixti IV. Licet*, remittunt etiam in hac vita. Quod verò falsum sit remittere solum iunctas, breuiter patet, quia sic nullius essent valoris, nunc enim rarò imponuntur diuturnæ, & asperrimæ pœnitentiæ. 2. fieri posset, vt fideles plerique nulli satisfactioni essent obnoxij; quid ergo tunc lucrarentur. 3. Non est hic sensus communis Ecclesiæ, quæ tenet, omnes pœnas temporales remittere, & si qui eas lucratus sit, euolare in cælum, si statim moriatur. 4. quia pœnæ non iunctæ possunt remitti in purgatorio: ergo etiam in vita, nisi dicamus intelligi de iunctis virtualiter .i. iniungendis. Quando ergo apponitur particula illa, *de iunctis*, concedo, quod non se extendat ad alias, quia indulgentia tantum valet, quantum sonat, vt diximus ex D. Bonau. & D. Thoma: neque audiendos existimo eos, qui dicunt, etiam tunc extendi ad non iunctas; nam est contra concessionem, & limitatio excipit alias: sed nostris temporibus cessat hæc lis, quia in concessionibus non fit mentio iunctarum, sed absolutè conceduntur indulgentiæ.

Not. 2. quod dicitur aliquando pœnitentiarum iniũctarum,

Aliqui putarũt solas iunctas remittere.

Remittant iunctas, & alias iniungendas.

Hoc est sensus communis Ecclesiæ.

Tertiò pro effectu notandum, quod quãdo indulgentia est plenaria, cessat omnis difficultas, quia omnem temporalem pœnã remittit: & nulla est differentia inter plenariam, & quæ vulgo dici solet à culpa, & pœna, est vulgi modus loquendi, quia indulgentia nũquam remittit culpam, nec etiam venialem, sed solum pœnam, neque inuenio, quod Rom. Pontifices vtantur hac formula loquendi, imò in *Clement. 1.* de priuilegijs improbatur hæc formula absoluendi à *pœna, & culpa*: vulgi ergo, & idiotarum est hic modus loquendi. Sed difficultas est, quando conceditur determinata, seu limitata decem annorum, decem quadragenarum, &c. quid remittat tunc indulgentia? & circa hoc est notandum, quod penès Dei scientiam sunt taxæ pœnarum, quæ peccatis dimissis correspondent. aliquãdo enim maiores, & aliquando minores iuxta mensurã de-

Nostro tempore non fit mentio de iunctis.

3. notandum pro effectu.

Modus dicendi a culpa, & pœna est varius.

delicti, & contritionis de eo habitæ. Sic ergo intelligitur conceſſio: ſecundum iuſtitiam diuinam, vel canones quis pro peccatis iam dimiſſis deberet pœnitere per dies centum in hac vita; vel per centum annos, &c. alioquin in purgatorio deberet æquiualentes ſuſtinere: tunc, ſi indulgentia concedit centum dies, vel decem annos, &c. remittit pœnas proportionatas centum dierũ, vel decem annorum; ideſt, quæ centum diebus, vel annis luerentur; quæ autem iſtæ ſint, Deo ſoli notum eſt.

Taxæ pœnarum Deo ſoli notæ ſunt.

Quantitas pœnæ delẽdæ quomodo digñoſcitur.

Hæc autem de indulgentiarum natura prælibaſſe ſufficiat, in ordine ad ſuffragia defunctis præſtanda; an ſcilicet, & quomodo poſſint eis communicari quod erat noſtrum intentum. Nam opuſculum integrũ, ac diffuſum de indulgentijs Deo dante, in lucem, ſuo tempore educemus.

## §. 2.

## *In quo diſcutitur, an reuera Indulgentiæ concedi poſſint animabus Purgatorij.*

SCotus, vt dixi de hoc puncto non loquitur, eo quod ſua tempeſtate ſub maxima controuerſia non erat; ideo ab alijs diſcemus.

Status de hoc non loquitur.

782 Adu. quod, nedum inter Catholicos, & hæreticos eſt, atque fuit hæc controuerſia: ſed inter ipſoſmet Catholicos, nedum Canoniſtis cum Theologis, ſed inter Canoniſtas, ipſoſque Theologos. Hoſtienſis enim in *ſum. tit. de remiſſionib. §. Quibus proſint*, apertè docet, exiſtentibus in purgatorio ſuffragia impertiri poſſe, non autem indulgentias, quia ſubdit, mihi videtur, quod poteſtas clauium ibi non habet locum: idem expreſsius, ſed mordicus defendit in *§. Vbi operantur*: vbi ait, quod indulgentiæ mortuis non proſunt; quia non ſunt de foro Eccleſiæ, ſed de foro Dei. Vnde ſi quis eleemoſynam faceret pro anima Patris, v.g. vt acquireret ei indulgentiam, eleemoſyna non valet ad indulgentiam obtinendam, ſed ſolum, vt ſuffragium, & addit, quod hi, *qui ſic populos docendo decipiũt, grauiter delinquunt*. Ioann. Andreas in *cap. Cum Martha de celebr. Miſſ.* in fine in nouella dubiè loquitur: primo enim dicit exiſtentibus in purgatorio veniæ ſunt alleuiationes ſi ſunt temporales; ſi verò ſunt plenariæ, ſunt expiationes, ideſt plenæ expurgationes: ſed poſtea remittit ſe ad Hoſtien. E contra Cardinalis, & Matthæus in *Clem. 2.* & in *cap. Quod autem de panit. & remiſſ.* docent, indulgentias prodeſſe exiſtentibus in purgatorio. Alij Canoniſtæ hos ferè omnes ſecuti ſunt, quia viderunt hanc ſententiam in Eccleſia ex Pontificum reſcriptis, & conceſſionibus innaluiſſe. Ex Theologis autem pauci tenuerunt negatiuam; imò Gabriel Biel Pariſien. Doctor, qui negatiuæ adhærebat, poſtea reuocauit. Omnes ergo tenent affirmatiuam: ſed diſcordant in modo, quo proſunt, vt videbitur infra.

Etiam inter Catholicos fuit hæc cõtrouerſia. Hoſtien. negat.

Ioan. Andr. dubiè loquitur.

Alij Canoniſtæ docẽt contrarium.

Omnes Theologi affirmant prodeſſe, dant in modo, quo proſunt, vt videbitur infra.

783 Adu. 2. Grauiorem eſſe difficultatem de modo quo indulgentiæ concedũtur, vel proſunt animabus purgatorij; an, ſcilicet, per modum abſolutionis, an per modum ſuffragij: & ſi hoc ſecundo modo, an infallibiliter habeant effectum, & ex iuſtitia, an ex miſericordia. Item num ſemper ſit neceſſarium, vt aliquis viuens per opus aliquod exequẽdum pro defunctis lucretur pro illis indulgentias; an poſſit Papa immediatè defunctis applicare indulgentias, & eorum pœnas relaxare: hæc autem in ſequenti §. diſcutientur; ſolum primum nunc diſcutimus.

De modo eſt difficultas.

784 Dico ergo. Indulgentiæ poſſunt prodeſſe animabus purgatorij, & de facto proſunt dum eis concedũtur, ſeu pro eis applicantur: ita omnes Scholaſtici in 4. *ſent. diſt.* 20. S. Bonau. *p. 2. q. 5. n. 23. & 24.* Alenſis *4. p. qu. 83. m 5.* S. Thom. *in 4. ſent. diſt 45. q. 2. ar. 3. quæſtiunc. 2.* in corpore. Ricchardus de media Villa, Aegydius, Thomas de Argent. Dur. & alij omnes in 4. *ſent. diſt.* 20. & Sylueſter (cui ego adhæreo) dicit eſſe de fide, & ita eſt.

Indulgentiæ proſunt animabus purgatorij.

785 Prob. 1. Exiſtentibus in purgatorio proſunt ſatisfactiones quę pro ijs fiunt, ſicut vſque modo probatum eſt de ſuffragijs: ergo etiam indulgentiæ: conſequ. prob. nam conceſsio indulgentiarum, eſt applicatio ſatisfactionum Chriſti pro aliquo: ſi ergo poteſt quis viuens, habens dominium ſuarum operationum, eas, vt ſatisfactiones applicare pro mortuis, poterit etiam Pontifex, qui habet poteſtatem ſuper theſauro Eccleſiæ, & ſatisfactionibus Chriſti, ac Sanctorum, partem ex eis applicare pro defunctis purgatorij.

A paritate ſuffragiorũ.

A pari de ſuffragio Papæ.

786 Confir. Papa poteſt ſuum opus pœnale, quod facit applicare pro aliquo defuncto: ergo poterit etiam pro eo applicare aliquod opus Chriſti, vel Sanctorum, ex ijs, quæ in theſauro conſeruantur.

787 Confirm. 2. ſi non poſſent applicari indulgentiæ, vel hoc perueniret ex eo, quod Papa non habet authoritatem iuriſdictionis ſupra defunctos; vel, quia ſatisfactiones theſauri non habent hanc efficaciam; vel, quia non habet poteſtatem ſuper aliorum Sanctorum meritis, ac ſatisfactionibus: nullum horum poteſt dici. Minor probatur, non primum, quia, vt in obiectis patebit, eſtò Papa non habeat poteſtatem coactiuam ſuper defunctis purgatorij, habet tamen relaxatiuam, ſeu obiectiuam, quia poteſt illos liberare, 2. etiam ſi non haberet poteſtatem per modum iudicij, & abſolutionis; habet tamen per modum ſuffragantis.

Ne-

788 Neque dici potest secundum. Impium enim est dicere, quod merita, ac satisfactiones Christi, & Sanctorum sint minus efficacia, quã nostræ satisfactiones, quibus suffragamur defunctis. Neque tandem dici potest tertium, quia Papa super thesauro Ecclesiæ habet plenissimam potestatem, vt mox patebit.

Arg. ex Cõstit. Sixti IV.

789 Prob. 2. ex *Const. 17. Sixti IV.* qua damnantur quædam propositiones Petri de Osma, inter quas hæc est vna in fine §. 3. *Romanum Pontificem purgatorij pœnam remittere non posse*, quam cum cæteris sic dãnat in §. 6. *Omnes, & singulas propositiones predictas falsas, Sanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab Euangelica veritate penitus alienas, Sanctorum quoque Patrum Decretis, & aliis Apostolicis Constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere dicta autoritate declaramus*: ergo opposita sententia est hæretica.

Ex praxi Ecclesiæ validum argumentum.

790 Prob. 3. ex praxi continua Ecclesiæ. Pontifex enim Romanus eas concedere solet defunctis in purgatorio existentibus. Nam *Nicolaus V.* anno primo sui Pontificatus per Breue amplum datum Viterbij pro Hospitali Sancti Spiritus de Vrbe, hoc inter alia concessit, adduco verba, quia notanda sunt. *Quod si forte aliquis earum predictam quantitatem* (ideſt scutum) *dicto hospitali contulerit pro animabus patris, & matris, seu aliorum defunctorum, qui in sinceritate fidei, & vnitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia nostra, & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum, contritione, ac confessione integra, si tempus affuerit, & possibilitas confidendi ab hac vita migrauerint: nos omnibus huiusmodi in Christo decedentibus, de misericordia Dei confidentes, de qua magis, ac magis confidimus in Cœlis, quam nos ipsius autoritati relaxamus in terris; omnem pœnam, quam post lucem huius sæculi pro purgandis peccatis pati merentur, autoritate predicta misericorditer in Domino relaxamus pariter, & indulgemus.* Hæc autem concessio in Hospitalis habetur Archiuio, & ego legi.

Concessio Nicolai V.

Greg. VIII.

791 Confirmatur ex Gregor. VIII. qui mortuis in bello, vel itinere ad illud pro recuperatione Terræ Sanctæ, concessit plenariam indulgentiam: ita refert Baronius *tom. 12. ann. 1187.* circa finem.

791 Confirm. Innocen. VIII. in Bulla Cruciatæ, contra Turcas concedit indulgẽtias pro mortuis. Gabriel Biel Doctor Sorbonicus refert concessas pariter per Sixtum IV. & Pium Secundum pro defunctis, omnibus qui visitarent Ecclesiã Xantion. & porrigentibus manus adiutrices pro ea.

Calistus III. & Paschalis I. aliique vndecim concedunt.

793 Galistus III. & Paschalis I. licet dictus Paschasius à vulgo, concessit quinque indulgentias plenarias animabus purgatorij, quæ ab vndecim Pontificibus fuerunt confirmatæ, & legitur in Cappella Columnæ Ecclesiæ Sanctæ Praxædis Romæ; ibi enim habetur, quod, qui missas quinque ibi celebrat, vnam animam à purgatorio liberat; & ipsemet Paschalis pro anima sui Nepotis eas celebrauit, & vidit per manum B. Virginis eam visibiliter liberatam: aliæ similes habentur in Ecclesia S. Laurentij extra muros, & in alijs Ecclesijs Romæ: ergo est praxis Ecclesiæ eas concedere.

Ex Bulla Leon. X. ad Caiet.

794 Confir. ex Bulla transmissa à Leone X. ad Cardinalem Caietanum in Alemania, vbi causa Lutheri agebatur, in qua præ alijs habetur, quod potest Papa concedere indulgentias fidelibus, siue in hac vita sint, siue in purgatorio, Apostolica authoritate thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo: & post multa, concludit, omnes, tam viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias eiusmodi consecuti fuerint, à tanta temporali pœna, secundum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ, & acquisitæ indulgentiæ æquiualet. Papa autẽ in Dogmatibus errare non potest, ergo ex quibus omnibus colligitur, hæresicum nunc esse iuxta Sixti IV. definitionem negare, quod indulgentiæ nõ prosint defunctis: quomodo autem, dicetur infra.

Hæreticum est negare quod indulgentiæ non prosint defunctis.

Ob. 1. arg. communi adducto à S. Bonau. *in 4. sent. dist. 20. p. 2. qu. 5.* quo vtitur Hostien. & alij Canonistæ ante declarationem *Sixti IV.* Indulgentiarũ concessio est actus iudicij, & iurisdictionis, sed Ecclesia militans, & caput eius non habet iurisdictionem in animas purgatorij: nam dictum est Petro *Matth. 16. Quodcunque ligaueris super terram, & quodcunque solueris super terram*: sed animæ purgatorij non sunt super terram: ergo non possunt solui; solutio autem est effectus indulgentiarum: ergo.

Arg. contr.

Argum. præcipuum.

795 Resp. ab omnibus communiter cũ ipsomet S. Bonau. ibidem, & alijs in sequen. §. adducendis ex hoc arg. sequi quod non possit Papa concedere defunctis indulgentias per modum iudicij; sed non sequitur, quod non possit per modum suffragij; at quidquid sit pro nunc de priori sententia, scilicet de concessione per modum iudicij, & absolutionis: dicit S. Bonau. ibi *num. 73.* quod Papa potest relaxare pœnas defunctorum per commutationem: cum enim applicat satisfactiones Christi pro satisfactionibus adimplendis à defunctis commutat, & hoc modo relaxat, sed totum hoc videtur, vt dicam habere rationem suffragij, quia dat illud auxilium pro commutatione facienda.

Communis resp. quod non relaxat Papa per modum iudicij: sed suffragij; & quare, declaratum à S. Bonau.

796 Respondent alij, vt Syluester *lib. de erratis, & arg. Martini Lutheri tit. de iuridica potest. Rom. Eccl. cap. 2.* & Alensis à quo accepit, & quem adducit Syluester *in 4. p. qu. 83. m. 5.* quod existentes in purgatorio

Animæ purgantes ſunt ſub iuriſdictione Papæ quoad ſolutionem.

ſunt ſub iuriſdictione Papæ, & ſunt ſuper terram, quoad ſolutionem, cum ſint de Eccleſia militante; nam per ſuffragia poſſunt ſolui, & per negationem eorum permanent ligati. 2. Sunt ſuper terram, quo ad ſolutionem à pœna, quia in terra meruerunt, vt eis ſuffragia, & indulgentiæ prodeſſent, ſicut ſupra diximus de ſuffragijs, cum SS. Thoma, ac Bonauentura, qui ex Auguſtino *in Enchir c.* 110. acceperunt. 3. Quia, vt optimè Syluester ibidem, ſunt in terris ratione delicti, quod in terris commiſerunt, pro quo datur illa pœna; reus autem quocunque ſe transferat ſemper eſt ſub iuriſdictione iudicis loci delicti, *cap. Qui crimen* 3. *q.* 6. poteſt enim reum requirere, & citare vbicunque ſit: & quamuis iudex ille non poſſit agere contra perſonam, poteſt tamen agere ad abſoluendum, & hoc modo Papa habet iuriſdictionem in animas exiſtentes in purgatorio, quia in terris deliquerunt, & ideo poteſt eas ſoluere.

Multa notanda pro hac iuriſdictione.

797 Reſpondent 3. alij exiſtentes in purgatorio eſſe ſub iuriſdictione Papæ circa abſolutionem; ad illud autem *Matth.* 16. *quodcunque ligaueris ſuper terram, &c.* dicunt ly ſuper terram non ſe tenere ex parte ligati, ſed ex parte ligantis, ideſt quidquid tu Petre, & Succeſſores tui exiſtentes in terra ligaueritis, aut ſolueretis, erit ligatum in cælis: ſed de hoc argumento iterum erit ſermo in ſequenti, vbi eſt proprius eius locus.

Alia reſp. pro iuriſdictione,

798 Concluditur ergo cũ communiori ſententia, quod Papa, ſaltem per modum ſuffragij concedere poteſt indulgentias defunctis, ideſt licet ipſe non abſolueret à pœnis, tradit tamen ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, vt compenſationes; & ſicuti, ſi daret actionem ſuam pœnalem ſatisfactoriam pro defunctis, ijs prodeſſent per modum ſuffragij; quia tunc non ipſe, ſed Deus liberaret; ita cum applicat ſatisfactiones Chriſti, vt diſpenſator theſauri, non ipſe iudicialiter liberat, ſed Deus ipſe acceptat ſuffragium aliorum, nempe Chriſti, & Sanctorum. Qui verò, vt in ſequenti aſſerunt, etiam per modum abſolutionis Papam concedere mortuis indulgentias, reſpondent, vt ſupra: & per hoc ad motiua Hoſtienſis, cuius opinio nunc non poteſt defendi, quia ſententia contraria eſt definita.

Quomodo Papa per modum ſuffragij liberet.

Ob. 2. Ex nullo Scripturæ, aut Concilij loco habetur, quod Papa habeat poteſtatem concedendi defunctis venias, ſeu indulgentias: ergo ſine ratione aſſeritur: antec. prob. quia ex Scriptura potius habetur cõtrarium, nempe caput Eccleſiæ non poſſe in mortuos, quia poteſtas data Petro à Chriſto, ſuper terram tantum exerceri poteſt. *Quodcunque ligaueris ſuper terram*: & extorſio eſt dicere, quod ly *ſuper terram* ſe teneat ex parte ligãtis; quia ipſimet Pontifices numquam ſic intellexerunt; immò ſemper declararunt, ſe non poſſe aliquid in mortuos: ita ex *cap. Legatur, & cap. Nec quiſquam* 24. *q.* 2. *& ex cap. De communione*, ibidem, quia defuncti ſine abſolutione Eccleſiæ non poſſunt abſolui poſt mortem: & quamuis defuncti in hæreſi etiam poſt mortem declarari poſsint excommunicati, non tamen poſsunt excommunicari *ex cap. Sanè profertur* 24. *qu.* 2. Tamen non poſſunt neque excommunicari eorum animæ: neque ab excommunicatione abſolui, ſed declarari tantum excommunicati, vel abſoluti, vt ſcilicet cadauera poſſint cum alijs cõmunicare, ideſt conſtitui, vel ab eis ſeparari; nullum tamen eorum vinculum poteſt de nouo in eis poni, vel ab eis auferri. Neq; in Concilijs eſt aliquid de hoc definitum: Nam Tridentinum, quod omnibus clarius vtilitatem indulgentiarum definiuit nullũ prorſus verbum facit de conceſsione defunctis facienda: et ideò ab hoc abſtinuiſſe creditur; quia eam non agnoſcebat.

Validè confirmatur.

799 Reſp. hoc argum. in ſequ. ſoluendum, quia militat contra eos, qui dicunt, Papam poſſe defunctis concedere indulgentias per modum abſolutionis. In quantum ergo hoc arg. negat omnem conceſsionem quocunque modo; dico quod quamuis ex Scriptura, vel ex Concilio aliquo non habeatur explicitè, implicitè tamen habetur; immo explicitè habetur ex dogmatica definitione Papæ, qui eſt viua Regula fidei, et ex praxi Eccleſiæ catholicæ omnia declarãtur: implicitè ex illo Matthæi, *quodcunque ligaueris, & ſolueris*, ait Alenſis, vbi ſupra, colligi poteſtatem ligandi, et ſoluendi cum ijs, qui viuunt; ſoluendi verò, cum his, qui mortui ſunt, et ligati pœnis; quia in terris meruerunt, vt poſſent ſolui. Vnde Chryſoſt. declarans hunc Matthæi locum, inquit, *Tibi dabo claues Regni cælorum, homini mortali cæli, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt poteſtatem commiſit Dominus, & Eccleſiam validiorem cælo demonſtrauit*: ex quo colligitur, quod Petrus, eiuſque Succeſſores habeant poteſtatem ſuper hominem electum quouſque ingrediatur in Regnum cælorum, et claues Pontificia poſſit ſuper ea omnia, quæ, dum quis non eſt in termino, dant, vel impediunt ingreſſum Cæli: tales ſunt exiſtentes in purgatorio: ergo poteſt eis aperire cælum, liberando à pœnis per indulgentias.

Ex Scriptura, & Concilijs explicitè non habetur, ſed implicitè.

Poteſtas Papæ in electos quouſque in cælum intrent.

Habetur pariter pluſquam implicitè in Concilijs, tam *Latr. IV.* quam *Trident.* in his enim vſus indulgentiarum *ſalutaris* definitur, & præſcribitur moderatio earum; & quomodo debeant ſegerere Epiſcopi circa quæſtores habentes indulgentiarum literas, vt, ſcilicet non ſinant eos vltra limites literarum ſe extendere: ſed in literis quæſtorum habetur conceſsio indulgentiarum, ſeu liberationis animarum à purgatorio, ſi qui fideles hoc, vel illud opus fecerint, vel manus adiutrices pro aliquo pio loco porrexerint, vt de quæſtoribus Hoſpitalis

In Concilijs quomodo habetur.

S. Spi-

S. Spiritus diximus, & de alijs dici debeat: ergo Concilia implicitè tales indulgentias pro defunctis admiserunt.

At quamuis Concilia de hoc explicitè loquuta non essent; sufficit definitio Papæ ex Cathedra, cum scilicet non loquitur vt priuatus Doctor, sed vt Magister, & in doctrina dogmatica vtitur verbo *definimus, vel declaramus*, & aliquam sententiam damnat, vt veritati Catholicæ contrariam, aut hæreticam; etiam si solus absque Concilio id definiat, *ex const. 40. Leonis X.* exurge *art. 27.* idem habetur ex *cap. Quotiès fidei*, estque Marcelli l. 24. *q.* 1. & tantumdem valet eius definitio, quantum, si ab ipsomet Papa cum Concilio fieret, ita *Leo X.* ibid; & ante eum Gregorius secundus *epist.* 12. *& S. Felix 3. in Concil. Rom. 1. in epist. Synod.* patuit autem, quod *Sixtus IV.* id definiuit, & sententiam contrariam, hæreticam declarauit. Qui autem determinationi Pontificum non acquiescebat in veteri lege, capite plectendus erat *Deuter.* 17. in lege autem canonica morte spirituali per anathema venit puniendus, qui Pontificis definitioni non parueric. ita in *cap. Per venerabilem* in fine, *qui filij sint legitimi*. Et si ergo modum, quo indulgentiæ iuuant penitus ignoraremus, adhuc earum valorem pro animabus purgatorij fateri tenemur cum catholica fide.

Papa [solus potest definire res fidei. ac si esi Concilio faceret.

Pœna non acquiescentis sententiæ Papæ.

Ob. 3. Si pro purgandis valerent indulgentiæ, sequitur, quod possent consequi etiã plenarias, & sic euacuari purgatorium. Quod videtur absonum: prima conseq. prob. Nam non est maior ratio de plena, ac semiplena indulgentia; & sicut viui possunt vtramque lucrari, ita et mortui. Prob secunda conseq. siue enim eis concedantur per modum absolutionis, siue per modum suffragij, posset Papa eas applicare omnibus purgandis, et sic animas omnes liberare. neque videtur, quomodo possit huic inconuenienti occurri, nisi per negationem valoris indulgentiæ pro mortuis: ergo.

Arg ex absurdo de euacuatione purgatorij.

800 Respo. aliqui hoc non sequi; nam Papa non concedit illis per modum absolutionis, sed per modum suffragij. Sed hoc nihil iuuat; esto enim sic, tamen suffragium hoc infallibiliter prodest, vt mox dicetur.

Resp. aliquo non satisfacit.

801 Respondent alij, hoc non sequi: quia non quælibet anima ibi existens habet in vita fidelem aliquem, qui opus faciat requisitum pro indulgentia defunctorum, sed neque hoc aliquid valet. Nam licet regulariter sic concedatur indulgentia, nempe cum exigentia operis pœnalis; tamen per opus à semetipso faciendum posset Papa indulgentiam concedere defuncto, ne dum vni, sed multis: ergo omnibus.

802 Resp. ergo ex D. Bonau. *in 4. dist. 20. p. 2. q. 3. num. 79.* Quod purgatorium non euacuatur, quia quamuis Pontifex verbo tantum posset animas liberare; tamen semper exigit aliquod opus exercendum à viuis, hoc enim modo ipsemet Deus iudicat, & relaxat culpas, ac pœnas. Præterea non potest, quia non debet Papa dissipare bona temporalia, et multò minus spiritualia Ecclesiæ, sed prudenter, ac fideliter debet in eorum dispensatione se gerere; alioquin, ait S. Bonau. Deus non acceptaret talem dispensationem indulgentiarum, & sic vitatur incommodum de euacuatione purgatorii, quia Romanus Pontifex fideliter, prudenter, ac parce concedit indulgentias pro animabus purgatorij, neque vnquam concessit pro omnibus simul, neque verisimiliter concederet, aut concedere posset secundum S. Bonau.

Ratio S. Bonau, cur nõ euacuetur pugator.

Ob. 4. Indulgentiæ solent, ac debent cõcedi cum aliquo opere adimplendo, & talis est Ecclesiæ praxis: sed defuncti in purgatorio non possunt tale opus adimplere: ergo.

803 Resp. dist. mai. cum aliquo per se, vel per alium adimplendo concedo, solum per se adimplendo nego: et nego conseq. Quia regulariter ita solent Pontifices concedere indulgentias, vt qui tale, vel tale suffragium; seu opus fecerit pro defunctis, Patre, Matre, vel alio liberet animam illius, seu, hæc consequatur plenariam indulgentiam.

Opus adimpleatũ per alium sufficit.

Inst. Opus illud non exerceretur ab anima defuncti, sed à viuo, ergo hic non illa lucratur indulgentiam, quia hic exercet opus pœnale & satisfactorium.

804 Resp. neg. conseq. Quia ex vnione charitatis oritur, quod opus factum à viuo perinde se habeat dum applicatur pro mortuo, ac si fieret ab illo.

Ex vnione charitatis hoc procedit.

Dices non potest Ecclesia facere, vt opus factum ab vno adscribatur alteri, neque id, quod debetur tali operi erogetur alteri non facienti illud. Ergo non potest hoc modo transmittere indulgentiam ad defunctos.

805 Resp. Ecclesiam præscribere modum, quo transmittendæ sunt ad defunctos indulgentiæ; & in hoc videtur declarare, qualis sit Dei voluntas in materia suffragiorum circa mortuos; et ideo Pontifex hoc modo concedit.

Eccle sia nõ dat valoré indulg. sed declarat Dei voluntatem.

Dices. Nullum adest motiuum, ex quo Ecclesia possit præsumere, quod Deus ad positionem operis facti ab alio pro anima defuncti, hanc remittat pœnam: ergo non potest hoc modo concedere; alius autem modus non videtur possibilis: ergo.

806 Resp. neg. anteced. Ex quo enim scit Ecclesia, et ex Scriptura habet, quod suffragia, seu opera pœnalia viuorum, quæ actualiter applicantur, prosunt animabus purgatorij; et fide iam constat, in Ecclesia adesse thesaurum satisfactionum Christi applicabilium, et ex quo pariter scit de fide, sub eodem capite, & eiusdem Ecclesiæ militantis esse tam viuentium quam purgantium animas, et tandem scit de fide communionem esse inter eas, fundamentaliter præsumit, à Deo opera viuentiũ pro mortuis applicata per inde se habere, ac si ab

Quibus regulis vtitur Ecclesia in hac praxi indulg. pro mortuis.

ipsis mortuis fierent, sicut de suffragijs diximus, quod à pœnas soluunt id est à pœnis 2. Machab. 12.

Hoc arg. defluit const. Sixti 4.

807 Resp. 2. Hoc argumento euerti Constit. Sixti IV. qua decernitur *Pontificem panas purgatorij remittere posse*, et sententiam contrariam hæresim manifestam continere. Cum ergo debeat sublineri hæc declaratio, quod possit; vnum de duobus dicendum est, vel quod Papa possit remittere solo verbo, quod Bonau. vbi surpra censet non esse improbè impugnandum, (et vt verum fatear mihi maximè placet, quia sic concessit *Ioan. VIII. epistol.* 44. licet nolim alijs contradicere) vel, quod possit eas remittere per opera exercenda à viuis, vel assignetur alius possibilis modus, qui possit cum doctrina fidei de valore indulgentiarum circa defunctos cohærere.

Arg. ex nouitate,

Ob. 5. sententia de valore indulgentiarũ pro defunctis est noua in Ecclesia; & aliquibus canonistis, & olim etiam Theologis exosa. Ergo non est cum tanta facilitate tenenda. Anteced. prob. nam ante aliquas concessiones paucorum sæculorum, non videtur fuisse in vsu.

Quodam vsus indulg. pro mortuis est antiq.

808 Resp. dist. antec. Est noua quo ad declarationem explicitam concedo, quo ad rem, et praxim Ecclesiæ nego. Ratio est, quia multa dogmata sunt noua quoad declarationem, quæ tamen in re sunt antiqua, vt quod Spiritus Sanctus, vel Christus sit Deus certè per tria prima sæcula non fuerat ab Ecclesia definitum. Neque proinde sequitur, quod non erat Deus: et ita de innumeris, immo et de omnibus dogmatibus ab Ecclesia definitis. Ita de indulgentijs tam pro viuis, quam pro defunctis; & licet omnium postrema sit declaratio de valore earum pro pœnis purgatorij nempe *in sæculo* 15. à Sixto Quarto emanata: non per hoc sequitur, quod Ecclesia ijs non vtebatur; nam & *Nicolaus V.* & alij à nobis adducti, & *Ioan. VIII.* eis vsi sunt: ergo non est noua res, sed antiqua.

## §. 3.

## *An defunctis indulgentiæ concedantur per modum suffragij vel ab absolutionis.*

Suffragium idem est, ac auxilium.

809 PRo dubij huius difficillimi solutione, supponendum est, quod, vt alias dictum est suffragium nil aliud significat, quam collationem auxilij ad aliquod faciendum, vel patiendum, siue hoc auxilium conferatur ex proprijs bonis, siue ex alienis. Sed obseruandum, quod aliqua auxilia, actualiter sunt suffragia, aliqua verò virtualiter, insuper aliqua sunt propria eius, qui suffragatur, et quorum est Dominus: aliqua sunt aliena, quorum quis est dispensator, singula declarantur exemplo. Testator facit legatũ, vt de suis redditibus, quotannus reponantur in deposito scuta centum, quæ tempore congruo, et in necessitate inseruiant pro redemptione captiuorum; pecuniæ istæ sunt virtualia suffragia. Alius autem de proprijs bonis redimit actu captiuos, soluendo pro illis; hæc actio dicitur actuale suffragium. Executor testamentarius pro redemprione captiuorum, vt in primo casu, actu quidem dat suffragium, cum per illas pecunias redimit, et quia non dat de suo, dicitur applicare suffragium: his exemplis positis. Certum de fide supponimus in Ecclesiæ deposito dari thesaurum, seu bona quædam applicabilia pro pœnis temporalibus, tam viuorum, quam mortuorum, nempe opera, seu satisfactiones, Christi præcipue, ac Sanctorum; antequam applicentur, virtute tantum sunt suffragia, tam respectu viuorum, quam respectu mortuorum; quia pro vtrorũque pœnarum cõpensatione possunt applicari. Et Papa qui est executor, cum indulgentiam concedit, siue mortuis, siue viuis, illa suffragia confert, & actu suffragatur, sed non de suis. Qui verò de proprijs operibus suffragantur, siue mortuis, siue viuis, actuale conferunt suffragium. Itaque concessio indulgentiarum etiam viuis, hoc modo est applicatio suffragij: hoc supposito.

Opera exẽplum de actusque,

Merita Christi conserua ta in thesauro sunt suffragia vita lia.

810 Adu. 1. Quod indulgentias prodesse animabus purgatorij *per modum suffragij*, habet quadruplicem sensum. Primus est, an indulgentiarum concessio defunctis facta, sit collatio auxilij ex bonis alienis ad redimendas, vel saltem subleuandas animas à pœnis. Secundus sensus est, an indulgentiarum concessio, sit actio quædam, qua offertur quidem Deo pretium satisfactionum Christi, aut Sanctorum pro mortuis, sed Papa offerens, non soluit, seu non liberat eas à pœnis, sicut facit cum viuis, dum eis concedit indulgentias, nam istis dat suffragium de thesauro, sed præterea eos absoluit. Tertius sensus est, an indulgentiarum cõcessio ideo sit per modum suffragij, quia effectus earum cum animabus purgatorij non obtinetur per modum iustitiæ, & infallibiliter, ac semper; sed per modum gratiæ, ac misericordiæ, & sic non semper. Quartus est, an indulgentiæ ideo prosint mortuis per modum suffragij, quia non possint habere in suum effectum, nisi aliquis viuens per opera sua pœnalia, ac satisfactoria illis applicet indulgentias. Ac proinde sub omnibus hisce sensibus videndum est, an indulgentiæ prosint animabus purgatorij per modum suffragij.

Quod est per modum suffragij quadrupliciter intelligitur.

811 Adu. 3. de primo sensu nullam esse controuersiam, omnes enim concedunt indulgentias esse collationem auxilij defunctis. Sed est difficultas de tribus alijs. Nam

Etiam tempore S. Bonau. fuerat disput. si po

circa

tuit per modum absolutionis.

circa secundum, an Papa concedens indulgẽtias mortuis, eas absoluat, an solus Deus; antiquitus etiam tempore S. Bonau. erat controuersiã, vt patet ex 4. *sent. dist.* 20. *p.* 2. *quæst.* 5. *num.* 9. quæ adhuc durat; aliqui enim tam Theologi, quam Canonistæ, docent, Papæ potestatem se extendere etiam ad purgatorium, & ita segerere cum mortuis, sicut cum viuis circa solutionem pœnarum per indulgentias: alij autem negant.

Duæ sent. oppositæ in omnibus tribus sensibus.

Circa tertium sensum DD. citati pro suffragijs ar. 12. idem docẽt de indulgentijs, quod contingenter, et ex Dei misericordia, cum sibi placuerit obtinent effectum, non verò infallibiliter, & ex iustitia. Alij è contra. Circa vltimum tenent multi, quod nec etiã viuis possit concedi indulgentia, nisi ad positionem alicuius operis pœnalis, seu pij, ac satisfactorii; sic etiam putant dicendum de mortuis, quod, scilicet, nisi viui aliqua opera faciant satisfactoria pro mortuis, his non prosint indulgentiæ, et quod Papa nequeat alterutris alio modo concedere. Authores sententiarum infra adducuntur: his positis

Indulgentiæ possint, vt auxilium, misũ mortuis.

812 Dico 1. Si prodesse per modum suffragii importat prodesse, vt auxiliũ quoddam cõsistens in satisfactionibus contentis in thesauro Ecclesiæ, et applicatum pro redemptione pœnarum defunctorum purgantium; dico quod indulgentiæ, verè, & propriè prosunt per modum suffragii, est communis sine controuersia.

Explicatio conclusionis.

813 Prob 1. Indulgentiæ ex supradictis aliud non sunt nisi concessio, & applicatio satisfactionum Christi pro satisfactionibus, quas debent fideles, viui, siue mortui adimplere, vel in hac vita, vel in alia. Ergo verè, ac propriè sunt, & dici debent suffragia, dum applicantur. Et sicut nunc non applicata, sunt virtualiter suffragia, quia possũt suffragari, et auxiliari, vel liberando, vel subleuando per pœnarum diminutionem; ita quando actu applicantur, et liberant, siue subleuant, sunt actualia suffragia.

814 Confir. opera viuentium satisfactoria pro defunctis sunt vera suffragia; & hoc, non ex alio capite, nisi quia eos adiuuant; vel totaliter liberando, vel subleuando à pœnis, sed ita se habent indulgentiæ: ergo sunt suffragia.

815 Confir. 2. Executor testamentarius accipiens ex depositio pecuniam testatoris, eamque soluens pro captiuis redimendis, verè, et propriè suffragium, estò alienum, confert captiuis. Sic se habet Papa indulgentias concedens defunctis: ergo.

Probabile etiam est. quod prosint vt absolutio. sed tenenda prima sent.

816 Dico 2. Si prodesse per modum suffragii accipiatur, vt opponitur absolutioni, quasi concedendo indulgentias Papa non absoluat, & relaxet pœnas; dico probabilissimum esse, quod non prosint per modum suffragii tantum, sed per modum absolutionis. Sed nihilominus standum est dicto doctiorum, & sensui Pontificum Romanorum, si aliter sentiant.

S. Bonau. inclinat in hanc sent. probabilem

817 Prob. 1. S. Bonau. *in 4. sent. dist.* 20. *p.* 2. *quæst.* 5. *num.* 79. dicente, *si quis autem contendat, Vicarium Iesu Christi habere iudiciariam potestatem super eos qui sunt in purgatorio, non est ei multum improbè resistendum, dum tamen hoc dicta ratio, vel authoritas manifesta, quia hoc sana fide tenendum est, quod Dominus Vicario suo plenitudinem potestatis contulit, & tantum vtique recepit potestatem, quantam dicebat homini puro dari.* Sed nedum authoritas, verum ratio manifesta dictat, Papam remittere posse, seu relaxare, & absoluere pœnas animarum purgatorij: ergo.

Const. Sixti IV. dicit quod remittit.

Prob. min. 1. ex *const.* 17. *Syxti IV. Licet* §. 3. vbi referuntur propositiones aliquæ Petri de Osma inter quas hæc est vna *Romanum Pontificem purgatorij pœnam remittere non posse*. Deinde omnes huius authoris doctrinas in §. 6. Sic damnat, *Omnes, & singulas propositiones prædictas falsas, Sanctæ Catholicæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab Euangelica veritate penitus alienas, Sanctorumque Patrum decretis, & Apostolicis constitutionibus contrarias fore, & manifestam hæresim continere dicta authoritate declaramus.* Ergo de fide est, Papam posse remittere pœnas purgatorij *Remittere* autem eidem est ac relaxare, absoluere, & indulgentias concedere, vt patet ex toto titulo de Pœnit. & remiss. *cap. quod autem, & cap. Nostro, & in cod. tit.* in *Extrau.* in quibus de indulgentijs est sermo, per quas Pœnæ viuorum remittuntur.

Ex modo loquendi Rom. Pont.

818 Prob. 2. Eadem min. & est ratio principalis. Romani Pontifices, etiam ante definitionem Syxti in cõcessione indulgentiarum pro mortuis vti consueuerant hac loquendi formula relaxamus, absoluimus. Nicolaus V. In concessione indulgen ad fauorem Hospitalis S. Spiritus de Vrbe adducta *num.* 790. ait, *omnem pœnam quam post lucem huius sæculi pro purgandis peccatis pati incrrerentur, authoritate prædicta misericorditer in Domino relaxamus.* Relaxare autem in toto textu canonico, imo & ciuili significat dimissionem, seu absolutionem pœnarum: ergo sic prosunt mortuis indulgentiæ.

Ex modo loquendi Io. VIII. qui mortuis absoluit.

819 Prob. 3. ead. min. & est ratio pariter principalis Ioannes VIII. interrogatus, an morientes in bello pro defensione Christianitatis indulgentiam possent consequi in *epist.* 144. ita habet, *quia fraternitas vestra quæsiuit vtrũ hi qui pro defensione Sãctæ Dei, Ecclesiæ &c. nuper in bello ceciderunt, aut de reliquo pro ea casuri sunt indulgentiam possint consequi delictorum; audentes Christi Dei Nostri pietati respondimus, quod qui etiã pietate religionis Catholicæ, in belli certamine cadunt requiem eos æternæ vitæ suscipiet,* et post aliqua subdit, *Nostra præfatos mediocritas, intercessione Beati Petri Apostoli, cuius potestas ligandi atque soluendi est, in cœlo, & in terra, quantum fas est, absoluimus*

preci-

*precibusque illos Domino commendamus*; absoluit ergo mortuos, & morituros, non quidem à culpa; tum quia illi non confessi erãt Papæ sua peccata, tum quia nulli erant confessi, & sic contritione erat delecta culpa; vel si erant confessi, non egebant absolutione Papæ, quia eam dare non potest pro culpa, nisi solis confessis, vel dantibus signum voluntatis confitendi: igitur absoluit mortuos, & morituros à pœna; ergo applicat indulgentias absoluendo à pœna.

Greg. VIII. concedit relaxando.

820 Confir. ex concessione *Greg. VIII.* vt refert Baron. *ann.* 1187. *Siue autem superuixerint, siue mortui fuerint, de omnibus &c. relaxationem se nouerint habituros*: eadem formula alij Prædecessores vsi fuerunt; & Eugenius III. vt refert Baron. ann. 1145. vtitur verbo *absoluimus*: eadem vsus est Gelasius II. Baron. de anno 1118.

A fortiori arg.

821 Prob. 2. conclusio ratione: alij suffragantes animabus purgatorij, siue per sacrificia, siue per eleemosynas, siue per alia pietatis opera non dicuntur relaxare, & multò minus absoluere animas illas à pœnis, quod tamen ex dictis facit Papa: ergo non per modum suffragij tantum, sed per modum absolutionis, etiam concedit illis indulgentias.

Inst. valida.

822 Dices omnes præfati modi loquendi intelliguntur in sensu accomodo, & dispositiuè eo modo quo possunt intelligi, vt scilicet Papa concedens indulgentias, quantũ est in se apponit ea, quæ sunt necessaria, vel saltem congrua, vt animæ illæ à diuina iustitia, seu authoritate absoluantur, non quod ipse iudiciariè absoluat: sicuti cum dicitur qui tale opus fecerit, puta missam celebrauerit, aut celebrare fecerit, vel manus adiutrices pro constructione, vel manutentione Hospitalis pro viribus porrexerit, vnam animam à purgatorio liberat; tunc certè non est suffragans, qui liberat formaliter, seu potestatiuè, ac iudiciariè, sed ipse solum moraliter, ac dispositiuè id facit, Deus verò iudiciariè. Exemplum aptum est de redimente captiuos, qui dicitur eos liberare non enim ipse liberat iudiciariè, ac potestatiuè, sed soluendo positiuè: ita dicendum ad omnes formulas quæ adductæ sunt, & adduci possent circa concessiones indulgentiarum pro animabus purgatorij.

Probat, quod Papa non absoluat, sed solum ponit ea per quæ Deus absoluit. ipse solus dispositiue.

823 Resp. neg. anteced. hoc enim probandum est; cur scilicet modus ille loquendi non debeat intelligi in proprio sensu. Paritas assumpta non est ad rem, quia cæteri suffragantes, sicut & in politica humana redimentes non habent potestatem iudiciariam, neque controuertitur, an habeant; & ideo modus ille loquendi non potest intelligi, nisi iuxta capacitatem subiecti, cui adhæret. At in nostro casu, hoc est, quod controuertitur, an Papa habeat potestatem iudiciariam, saltem circa solutionem in purgatorio, & nullus absolutè hucusque negauit, sed dubitauit, & S. Bonau. cui multum est deferendum, ait, huic asserenti non esse improbè resistendum; & proinde, cum modi illi loquendi in vtroque sensu possint appropriari subiecto, non cogimur eos restringere ad sensum minus proprium, & metaphoricum, seu moralem.

Disparitas de suffragãte.

824 Confirm. & est arg. à priori: indulgentia ex sui definitione est remissio, & concedens indulgentiã. concedit remissionem. Papa autem concedit illam: ergo remittit. Quod si dicas remittit in quantum offert Deo pretium, ad quod sequitur remissio. Contra: si hoc tantum; ergo alij fideles, quãdo offerunt sua suffragia pro mortuis remittunt pœnas; igitur si in hoc tantum consistit, Papam concedere indulgentias, quia offert pretium, quo oblato Deus remittit pœnam, iam omnes suffragantes concederent indulgentias. Quod si dicatur non posse hoc dici de suffragantibus, quia ipsi non offerunt de thesauro. Contra primò: si offerre pretium pro redemptione non est remittere, & indulgentiam concedere, minus est remittere in eo qui offert de alieno, quam in eo, qui offert de suo, vt patet in contractu redimendi captiuos: contra 2. si Sancti ipsi possent offerre, & applicare sua merita, quæ sunt in thesauro, non proinde concederent indulgentias, aut remitterent pœnas: contra 3. per hoc Papa differret ab alijs opere proprio suffragantibus, quia acciperet de operibus alienis, nempe de thesauro, & concederet defunctis; at non differret in remissione, & adæquato conceptu concessionis indulgentiæ, quæ importat remissionem pœnæ factam per applicationem thesauri: igitur, vt Papa differat à suffragantibus puris, dicendum est, eum soluere, & remittere pœnam.

Ex definitione indulgẽtiæ argum.

Absurdum quod sequitur.

Speculationes notabiles.

825 Prob. 3. conclusio. Tota ratio quæ adduci posset, quod non possit Papa per modum absolutionis concedere indulgentias defunctis, est, quia non sunt de eius foro, sed de foro Dei, ideoque non habet in eas iurisdictionem: quia ei sunt commissæ oues quidem Christi, sed illæ, quæ cum eo in terra viuunt, *quodcunque ligaueris super terram, & quodcunque solueris super terram*, Matth. 16. Ideo eius potestas nequit extendi extra terram: sed hæc ratio non obstat. Nam verba illa, *quodcunque ligaueris, & solueris* debent connecti cum præcedentibus, *Tibi dabo claues Regni cælorum*, deinde subdit, *quodcunque ligaueris, & solueris*. Per priora verba videtur, quod Christus concesserit Petro curam hominum quousque ingrediantur regnum cælorum; animæ autem purgatorij adhuc non sunt ingressæ, sed ingredientur: igitur sunt sub eius ditione. Et quoniam Petrus, ideſt Papa potest eis aperire cælum per pœnarum relaxationem, clauibus suæ potestatis vtitur eos soluendo à pœnis: & sic benè stat vtrũque dictũ, quod claues sint in Papa, & quod possit soluere animas omnes ingressuras in

Arg contra fundamentũ aduersar.

Quomodo intelligũtur illa verba quodcunq; ligaueris &c.

cæ-

cælum; quandiu enim sunt extra cælum egent hostiario, sicut qui extra palatium Regis sunt, ianitore egent: & sicut quandiu aliquibus negatur solutio dicuntur ligati, vt patet etiam in viuentibus non absolutis; ita quandiu Papa non soluit per indulgentias animas purgatorij, dicuntur ligatæ; quando autem cõcedit, soluuntur. Qui modus loquendi Syluestro placet *in lib. 2. de iuridica verit. Rom. Ecclesia cap. 2.* circa finem: vbi ad hæc omnia respondet, licet problematicè etiam loquatur: ad illud, quod dicitur animæ illæ sunt de foro Dei; respondet, esse etiam de foro Papæ, quo ad dispensationem thesauri; & quoad solutionẽ, quia omnes animæ in hoc mundo vsque dum ad cælum conscendunt, sunt etiã de foro Papæ: ad illud, quod dicitur, *quodcunque solueris super terram*, ait dupliciter intelligi primò, vt ly *super terram* referatur ad Papam, 1. quodcunque tu existens super terram solueris, & ita patet, quod Papa viuens potest soluere animas purgatorij. 2. vt ly super terram, referatur ad solutum, & ligatum, & sic etiam patet, quod possit soluere; quia animæ sunt super terram, eo quod non in cælo; & quia in terra existentes meruerunt, vt possent pro indulgentias solui. Addit tandem Syluester, ibidem, quod animę illæ sunt super terram ratione delicti, ratione cuius reus sortitur forum, quocunque se transferat, ita quod semper est sub iurisdictione eius, in cuius terra deliquit *3. q. 6. cap. Qui crimen*. Et ideo Iudex delicti potest eum inquirere, vbicumque sit, & eum citare potest. & licet non possit semper agere contra personam, potest tamen absoluere eum ad. huc à territorio absentem. Hoc ergo modo potest dici, quod Papa absoluere potest eos, qui sunt in purgatorio, estò extra suum territorium, quia deliquerunt in terris vbi reatum illum, quem purgant contraxerunt.

Animæ in purgatorio egent clauibus Papę, vt intrent in cælum,

Animæ purgatorij in aliquo sunt de foro Papæ.

Diplex sensus illius, quodcunq; ligaueris,

816 Addo tamen 7. vnum adnotatione, vt censeo dignum. quamuis concedamus, mortuos non esse sub potestate iudiciaria Papæ, & hunc circa eos non habere iurisdictionem; tamen de fide est, eos esse redimibiles à pœnis per potestatem dispensatiuam thesauri, quæ residet in Papa. Nam possunt dari compensationes pro eis (vt ait S. Bonau.) ex thesauro. Tunc sic arguo. Potestas dispensatiua thesauri, non est iudiciaria respectu eius cui applicatur, vt præscindit à potestate prælationis, et superioritatis, sed potius est dicenda æconomica, vel administratoria, ac dispensatiua; etenim, ita se habet quoad aliqua, ac potestas executoris testamentarij instituti, seu nominati, qui de aliquo deposito debet pauperes alere, puellas dotare, captiuos redimere: cum enim Papa concedit indulgentias ex institutione Dei, ex depositi, seu thesauro accipit valorem, & pretium, quod soluit pro compensatione; et in hoc nihil aliud facit: ista autem applicatio est administratiua, seu dispensatiua, non iudiciaria; eodem autem modo administrat pro omnibus: ergo. vel dicendum, quod omnes redemptos à pœnis absoluit, seu soluit; vel, quod solum pretium soluit, nullum verò reum ipse soluat, sed Deus. Dixi non est potestas iudiciaria respectu eius cui applicatur; nam respectu dispensationis thesauri est potestas iurisdictionis (non quidem, vt existimo) propriè iudiciaria, seu coactiua, quia nullius causa agenda est, sed administratoria; quia solus Papa habet ius administrandi, et soluendi à pœnis, et nullus alius, nisi ex delegatione eius.

Notabilis speculatio.

Potestas circa indulgẽtias est dispensatiua nõ iudiciaria,

817 Confirm. 2. pariter à priori. Omnes Catholici docent, vt debent, indulgentiam, tam in viuis non ponentibus obicem, quam in defunctis habere infallibiliter effectum, et decretum Dei de eiusmodi acceptatione non colligunt ex alio, nisi ex fidelitate Christi, qui Petro *Matth. 16.* promisit, *quodcunque solueris super terram, &c.* ergo cum hæc sit potestas clauium soluendi per indulgentias, quæcunque ista sit, siue iudiciaria, quod non censeo, quò ad hunc effectum, siue dispensatoria, (et talis propriè est), iam se extendit ad animas purgatorij. Cum ergo Papa per potestatem clauium concedat indulgentias mortuis, et eos soluat à pœnis, quid aliud desideratur, vt dicatur, mortuos iuuari ab indulgentijs per modum absolutionis. Cum nec etiam viui alio modo soluantur, nisi per oblationem thesauri per modum cõpensationis: si enim hoc tollas, non erit indulgentia.

Aliud arg. à priori ex natura potestatis clauium.

818 Hæc sunt, quæ pro hac sententia (quæ vt dixi mihi maximè placet) dici possunt: sed quia modus iste loquendi, nec antiquis, nec modernis multum placet, estò nesciant eum impugnare, dicam cum eis, nempe Alensi *in 4. p. quæst. 83.* in antiquis *m. 5.* in nouis *qu. 23.* quod Papa per modum suffragij eas soluit non per modum iudiciariæ potestatis, quem sequuti sunt SS. Bonau. & Thomas: cæterique posteriores: alium autem antiquiorem Alensę, non inueni, qui hac loquendi explicita formula vtatur, quod nempe tota potestas, quam habet Papa in solutione animarum purgatorij per indulgentias, non attingit iudiciariam, nec excedit potestatem suffragij.

Authoris ingenuitas.

819 Dico 3. Si prodesse per modum suffragij sumatur, vt dicat prodesse contingenter, ac fallibiliter, dico indulgentias non sic prodesse defunctis per modum suffragii: est communis.

Indulgentiæ prosunt infallibiliter.

820 Prob. 1. Non sic prosunt viuis: ergo neque sic defunctis: consequen. prob. vtrique sunt membra Ecclesiæ militantis; & respectu vtrorumq; applicatur idem valor: ergo eodem modo vtrisque prosunt.

Dices disparitatem esse; quia viuos Papa absoluit, eò quod habeat iurisdictionem in eos: mortuos verò non absoluit ipse, sed Deus; ipse autem offert pretium: ergo nul.

nulla adest paritas.

831 Resp. dist. anteced. absoluit potestate ordinaria, quam habet independenter à thesauri dispensatione, nego. Virtute istius, concedo: sed hoc modo absoluit etiam defunctos: declarantur omnia: iuxta nuper dicta. Certum est, quod præscindendo à dispensatiua potestate thesauri, Papa non potest, nisi sacramentaliter, sicut cæteri Sacerdotes remittere satisfactiones, seu pœnas temporales, siue iniunctas, siue iniungendas: igitur virtute dispensationis thesauri; potestas autem ista consistit in hoc, quod potest applicare merita, seu satisfactiones Christi, & Sanctorum pro fidelibus tamquam compensationes; igitur, si cum hac applicatione soluere dicitur, æquè omnes soluit, quia æquè pro omnibus dat compensationes; quamuis ergo iudicare nequeat mortuos, & ad hos non se extendat iurisdictio; de fide tamen est, quod ad eos se extendat potestatiua dispensatio thesauri: ista autem semper est vniuoca, quia est solutio pretii ex institutione Dei facienda à Papa: ergo circa omnes æqualiter suũ effectum producit.

Eodem modo videntur absoluti defuncti, ac viui, quoad pœnæ solutionem.

Mortui non iudicantur à Papa.

832 Prob. 2 a pari de suffragiis, hæc enim infallibiliter, & ex iustitia habent suũ effectum; ergo, & indulgentiæ. Prob. cõseq. satisfactiones Christi, & Sanctorum nõ fuerunt minus pœnales, neque minoris valoris, quam sit ieiunium, vel eleemosyna, quantumuis magna, vel aliud simile opus virtutis factum pro defunctis: ergo dum traduntur illa pro compensatione pœnarũ, erunt, vel magis, vel æquè efficacia pro animabus purgatorii.

A Paritate suffragiorũ.

833 Prob. 3. ex facto. Nam ex historiis habetur eiusmodi indulgentias applicatas liberasse animas, vt ex Paschalis I. cum suo nepote historia colligitur; de quo præter notitiam de eo habitam in citata Cappella S. Praxedis refertur à Gabriele Biel *lect. 57. in can. Missæ*; aliud factum legitur ex *Reuel. S. Brigittæ lib. 6 c. 102.*

Ex facto argum.

834 Prob. 4. ex modo loquendi Rom. Pontificum in concessionibus; dicunt enim, *relaxamus, absoluimus, &c.* huiusmodi; quæ quidem verba significant efficaciter effectũ poni in actu: alioquin deciperentur fideles, qui vniuersaliter ita fieri credunt: cum tamen aliter res se haberet: hæc autem deceptio admittenda non est in Ecclesia.

Ex modo loquẽdi Rom. Pont.

835 Dico 4. si prodesse per modum suffragij, significet prodesse mediante aliquo opere faciendo à viuentibus; dico, quod de facto ita prosunt, (qui tamen loquendi modus improprius est) de possibili verò absque aliquo opere à viuis faciendo posset Papa immediatè concedere indulgentiam alicui animæ purgatorij.

Vt prosint aliquod opus faciendum, tamen absolutè sine eo possunt prodesse.

836 Prob. prima pars, quod scilicet de facto per aliquod ŏpus à viuentibus factum concedantur. Nam omnes concessiones, quæ hucusque factæ sunt, & nobis innotescunt, ita sunt conceptæ, vt qui tale, vel tale opus fecerit, vnam, vel plures missas in tali altari celebrari fecerit, vel manus adiutrices pro aliquo loco, vel causa pia porrexerit, liberat vnam animam à purgatorio, & tales in indiuiduo sunt concessiones suprà adductæ Paschalis I. & Nicolai V. & aliæ multæ in diuersis, tam Romæ, quam extra, Ecclesijs sunt cõcessæ: ergo de facto sic prosunt defunctis indulgentiæ, quia per opera viuentium eis applicantur. igitur, si hic modus iuuandi dicitur per modum suffragij, iam sic iuuant.

Ita de facto applicantur.

837 Prob. secunda pars: quod scilicet modus iste impropriè dicitur *suffragij*. Indulgentiæ ideo prosunt defunctis, ait S. Bonau. loco sæpè cit. ex Alense, quia fit quædam commutatio satisfactionum, seu actionum pœnalium Christi, & Sanctorum cum pœnis ab animabus soluendis, quæ sunt vera suffragia, sed aliena, nempe Christi. Sed hæc non applicat fidelis, qui facit tale opus, sed Papa, qui dispensat thesaurum: ergo operatio illa non denominatur, neque est suffragans, respectu indulgentiarum, sed solũ respectu sui: & sic, indulgentiæ ex hoc, quod exigunt eam actionem, non dicuntur prodesse per modum suffragij, sed ex aliquo alio capite.

Isti modus non dicitur propriè suffragij.

838 Confirm. Maximè differt modus iuuandi, quem habent opera viuentium pro defunctis facta, & modus operandi indulgentiarum: illa autem iuuant propriè per modum suffragij; ergo indulgentiæ, vt coniunctæ cum illis operibus non per hoc operantur per modum suffragij.

Suffragia diuersimodè prosunt, vt indulg.

839 Prob. tertia pars, quod scilicet de possibili possent sine tali opere, si sic concederentur prodesse. S. Bonauent. *in 4. sent. dist. 20 p. 2. q. 5.* sæpè citatus arguens contra se, quare Papa non absoluit solo verbo omnes qui sunt in purgatorio. Respondet dupliciter, primo, quod Dei Minister debet in hoc se conformare Deo, Deus autem si per seipsum remitteret pœnas exercendo actũ misericordiæ, exerceret etiã actũ iustitiæ, ita & multò fortius debet facere minister. Sed respondet secundò, *si quis contendat, Vicarium Iesu Christi habere iudiciariam potestatem super eos, qui sunt in Purgatorio, non est ei multum improbè resistendum*; igitur non habet pro repugnãte, quod solo verbo absque operis impositione Papa concedat indulgentias defunctis purgatorij; quam sententiam secutus est Suarez *disp. 53. de indulg. sect. 3. num. 13.* Et certè ratio, quæ me commouit hæc est. Indulgentia consistit in applicatione meritorum, seu satisfactionum Christi, ac Sanctorum pro commutatione, seu compensatione pœnarum: igitur Dispensator, seu Oeconomus, vel Administrator huius thesauri, potest eas, seu partem illarum Deo offerre, seu pro pœnis alicuius applicare, & hoc immediatè absque interuentu operis alieni. Sicut, cum Execu-

Quod sine aliquo opere implendo possint concedi.

Notab. doctrina S. Bonau.

Ratio conuincens.

tor

tor de æratio, seu depositio accipit pretium legatum pro redemptione captiui, immediatè potest soluere sine alterius opere: non enim est de intrinseca ratione, neque thesauri, neque dispensationis eius, vt interueniat opus alicuius viuentis: & ita legimus fecisse Ioannem 8. *epist.* 144. Adde, quod si quis potest immediatè offerre Deo suas actiones pœnales, tamquam suffragium pro animabus purgatorij, cur non poterit Papa, qui est dispensator thesauri, immediatè offerre Deo actiones seu merita Christi, quæ sunt suffragia conseruata, vt per eũ mittantur ad animas, siue viuentium, siue purgantium.

A paritate suffragij.

Dices si hoc esset verum, sequitur, quod hoc etiam modo possent concedi viuentibus: quod videtur contra praxim, & stylum concedendi: & si fieri posset, iam incepissent Pontifices sic concedere.

840 Resp. ita esse, quod nempe etiam viuenti alicui, de cuius capacitate, seu dispositione Papa esset certus posset concedi indulgentia, quod egregiè vidi defensum à Suarez *in tomo 4. tertiæ partis disput. 53. sect. 3. num. 13.* Eadem enim est ratio, quia non est ligatus dispensator thesauri, vt applicet eum cum exigentia operis. Ad illud de praxi, & titulo, dicimus prudentissimè quidem facere Pontifices, vt religionem erga Deum foueant; fideles ad pœnitentiam, & fructus eius inuitent, & aliqua ex parte, vt ita dicamus fideles mereant tale beneficium; & ita semper faciendum consulerem. At circa praxim etiam habeo aliquid in contrarium. Cum enim Summus Pontifex concedere solet benedictionem in articulo mortis, ijs, qui Romæ, vel propè existentes iam decessuri sunt eam concedit nullo imposito opere, vel si imposito, dummodo possit implere intelligendus est; si autem accepta benedicendi facultate, vel concessa iam ab ipso Papa in Palatio existente, infirmus obmutuerit, vel in delirium inciderit, aut sensibus omnibus sit destitutus, iam sine vllo opere est ei concessa benedictio, seu indulgentia: huius autem sententiæ fundamentalis ratio, est, quia nec in constitutione thesauri, nec in designatione, seu institutione dispensationis, Deus imposuit hoc onus operis implendi, sed commisit eius dispensationem fideli Vicario, ac prudenti, qui in viuis exigit opus, non verò in moribundis; & ita posset cum defunctis se gerere, vt scilicet pro eis à viuis exigeret opus aliquod, ac fouendam charitatem, & communionem: & posset pariter, si necessitas ita postularet, quæ videtur impossibilis, absque opere viuorum immediatè eis applicare.

Etiam viuis prosunt sine opere concedi, & sint dispositi.

In benedictione pro articulo mortis non videtur imponi opus.

Ratio, quia Deus id non exigit de necessitate.

841 Adde vnum adnotatione dignum, quod in plerisque Religionibus concessa est indulgentia illis, qui aliquo dicti tempore statuto faciunt examen conscientiæ. Item moribundis, qui aliud nequeunt facere, & solo corde inuocant nomen Iesu, &c. Quæso, qualis est ista proportio cum effectu indulgentiæ, vt debeat de necessitate requiri ad eius efficaciam?

Notabile necessarium.

842 Confirm. concl. Satisfactio sacramentalis est de necessitate Sacramenti integraliter, vt supponimus, & ex Christi institutione; & tamen Ecclesia iam declarauit, quod si nequeat imponi ex impotentia, seu infirmitate pœnitentis, saltem ei manifestetur, ita ex *cap. primo 26. q. 7.* Imo etiam si nequeat manifestari, nec imponi, validum erit Sacramentum: ergo multò magis validæ erunt indulgentiæ, tam pro viuis, quã pro mortuis, si ex aliqua necessitate non possit imponi opus, cum hoc non sit, neque de necessitate indulgentiæ, neque ex Christi institutione.

A paritate satisfactionis Sacr. quæ potest omitti.

841 Confirm. 2. de confessione, quæ est necessaria ad faciendum Sacramentum, & hoc ex institutione, et tamen, si nequeat fieri, sed solum petatur, aduenientе Sacerdote, infirmus obmutescens, imò, & sensibus destitutus potest absolui, & compleri Sacramentum; ergo multò magis id dicendum est de opere solito requiri pro consequutione indulgentiæ, siue in viuis, siue in mortuis.

A paritate confessionis, quæ potest omitti,

844 Confirm. tandem ex sæpè allato casu *Ioannis VIII. in ep.* 144. qui de mortuis pro defensione Dei loquens, ait, *absolsimus*, & nullum ab alio pro eis faciendum opus requisiuit: ergo signum est, quod sine illo potest Papa concedere, non enim in concessione clauium Christus hoc imposuit onus.

Ex casu Ioan. Octaui.

Ob. 1. contra primam, Indulgentia ex vi nominis, imò & rei significat remissionem actiuam in concedente illam, passiuam in lucrante: implicat autem, quod remissio pœnæ sit suffragatio, et, quod remittens suffragetur: sunt enim effectus, & res diuersæ.

Arg. con. 1.

845 Resp. hoc arg. difficilè esse pro ijs, qui mordicus negant Papam remittere, seu soluere, vel absoluere pœnas purgatorii: sic autem respondere solent, quod scilicet concedens indulgentiam, virtualiter remittit, seu moraliter, ac dispositiuè, quia soluit pretium, atque cõpensationem, à qua mouetur Deus, vt remittat, & sic nõ Papa. Sed quãuis admitterem eiusmodi modum dicendi, adhuc patitur angustias in radice; quia indulgentia essentialiter est remissio: si ergo Deus formaliter remittit, Deus concedit indulgentiam. Et quia Papa in hac sententia solum offert pretium, nullo modo dici posset remittere; quia remissio est actus liberandi. Alioquin etiam suffragia præstantes pro animabus purgatorii, remitterent virtualiter; et sic deberet de eis dici, quod indulgentias concedunt; quia posito pretio à se oblato, Deus remittit, quæ quidem friuola sunt.

Hoc arg. vt get alios nõ authorem.

Non placet resp. de remissione virtuali,

Dices, etiam sententia propria patitur has

difficultates; nullo enim modo posset sub-stineri, quod prosint per modum suffragii: sed dici deberet, quod solum per modum absolutionis effectum præstent.

In sent. authori quomodo prosſunt per modum suffragia.

846 Resp. neg. anteced. nam in nostra sententia, Papa duo facit, accipit de thesauro, aliorum opera, seu satisfactiones, nempe Christi, & Sanctorum, & applicat ea pro cõpensatione pœnarum purgatorii, et remittit; saluatur ergo ratio suffragii, quia re vera accipit auxilia, & mittit ad defunctos; saluatur etiam ratio remissionis, quia cum illis auxiliis remittit; at non sic saluatur in alia sententia; quia non Papa, sed Deus remitteret; Papa verò offerret tantum, pretiũ, & sic non differret à cæteris suffragantibus, nisi in hoc, quia daret de alieno; immò in hoc Papa videretur esse inferioris conditionis; quia non daret de suo, sicut illi, sed se haberet sicut executor testamenti mittens pretium legati pro captiuis, qui tamen de suo nihil daret, vbi ergo ratio indulgentiæ, quæ in remissione consistit, estque maxima Papæ potestas?

Ob. contra secundò sensus communis Doctorum est, quod viuis prosint per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii: ergo non est ab hoc modo loquendi recedendum.

Author se sub mittit sẽsui communi DD.

847 Resp. Quod si communiter omnes ita docent, eis assentio, propter authoritatem, etiamsi disputatio hæc non sit dogmatica, sed purè Theologica: nihilominus non video, quomodo soluantur motiua adducta pro conclusione, cum Pontifex declaret se posse remittere: & de facto multi hac formula loquendi vsi sunt, imo & absoluerunt vt vidimus; nisi forte recurratur ad improprietatem loquendi, quod remittunt, seu relaxant virtualiter, aut dispositiuè sed malè quia, vt in præcedẽti argumẽto visum est, hæc remissio, & relaxatio cõpetit etiã suffragantibus: in quo ergo consisteret magna hæc concedendi indulg. potestas si cõcedens remitteret pœnas sicut suffragans, scilicet virtualiter, seu moraliter, et minus quam iste. Sed non video alium remittendi modum, quam soluendi à pœnis: ergo sic videtur de necessitate dicendum.

Alia arg. contra hunc dicendi modum in probationibus adducta sunt, & soluta.

A.g. Quod concessio indulg. est deprecanda.

Ob. contra 3. Concessio indulgentiarum est deprecatiua non autem diffinitiua, & per modum sententiæ ergo, anteced. prob. Nicolaus V. supra citatus concedens indulgentias pro mortuis, ait, *de misericordia Dei confidentes de qua magis ac magis confidimus in cœlis qua nõ ipsius authoritate relaxamus, in terris, omnẽ panam, &c.* Ipsemet *Ioann. VIII.* qui adducitur tãq; à primus sub hac forma absolutionis concedens, in sæpè allata *epist. 144.* ait, *nostra mediocritate intercessione B. Petri Apostoli, cuius potestas ligandi, atque soluendi est in cælo, & in terra, quantum fas est absoluimus, precibusque illos Domino commendamus*, & ita de alijs formulis cõcessionum dici potest. Ergo Conseq. prob. nam medium deprecatorium expectat effectum à misericordia, non à iustitia.

Deprecatio non officit infallibilitati.

848 Resp. neg. conseq. Deprecatio enim, & diuinæ misericordiæ imploratio, non officit valori infallibili, alioquin, nec etiam concessio facta viuis esset infallibilis, quia hac eadem formula concedendi Pontifices vtuntur, sic se habet concessio Bonif. VIII. pro anno Sancto, *Extra de Pœnit. et Remiss. Antiquorum: Nos de omnipotentis Dei misericordia, et eorundem Apostolorum eius meritis confisi &c.* & vt alias constit anni Sancti omittam, praxis ipsa Romani Pontificis in solemnibus benedictionibus, quibus indulgentias concedit id confirmat, nam vtitur illo capitulo *Precibus, & meritis Beatæ Mariæ semper Virginis &c.* neque per hoc sequitur, quod concessiones illæ non sint efficaces, & infallibiles.

Instab. ex nullius scripturæ authoritate, nec etiam Concilij decreto colligitur, quod sint infallibiles in causando suum effectum: ergo.

Quomodo colligitur. quod infallibiliter efficiunt,

849 Resp. dist. Non colligitur explicitis verbis, cõcedo: implicitis, nego. Idem enim iudicium, & fortius faciendum est de indulgentijs, ac de suffragijs; ex quo enim vt Sancti Ecclesiæ doctores docuerunt esse, velut compensationes pro pœnis; & Romani Pontifices per modum certi, & efficacis effectus remissionem concedunt; iam pro certo habent, eas suum effectum infallibiliter sortiri, & nullus vnquam dubitauit de hoc efficiendi modo, etiam in viuis, dummodo non sit obex ex parte recipientis. Alioquin, in quo consisteret hæc magna potestas circa indulgentiarum concessionem, & tota Ecclesia sic credit, est autem fundata in dicto Christi *Matth. quodcunque solueris &c.*

Dices. Estò pro viuis posset concedi, qui soluuntur à pœnis propter iudiciariam potestatem, quæ potest in eos exerceri; non tamen potest asseri pro defunctis, & proinde communiter omnes docent, valere per modum suffragij: ergo non infallibiliter producunt suum effectum.

Infallibilitas indulg. ita cõuenit pro mortuis sicut pro viuis.

850 Resp. neg. Assumptum, si enim dicamus cum probabilissima sententia ex S. Bonau. adducta, & ab alijs, præsertim Siluestro confirmata, quod Papa habet potestatẽ soluendi animas, quæ sunt in via ad cœlum quales sunt animæ purgatorij, eadem est de vtrisque ratio. Si autem teneatur secunda, omnes Doctores, qui ita loquuntur, adhuc sustinent effectum infallibilem; & licet dicant, animas illas non solui per modum absolutionis, asserunt tamen solui per modum suffragij. (& quamuis quæstio posset dici de nomine, dummodo idem effectus habeatur) vno tamen ore fatentur, infallibiliter id præstare, & maximè hoc probant ex verbis Const. seu bullæ, vel Breuis à Leone X.

ad

ad Caietanum transmissi, in quo præter alia hæc habentur, *Apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi, & Sanctorum dispensando, & per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragij illam transferendo, omnes tam viuos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias eiusmodi consequuti fuerint, à tanta temporali pœna secundum diuinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessa, & acquisita indulgentia æquualet.* Ecce quomodo effectus productio est eiusdem vigoris in viuis, ac defunctis: in ijs autem est infallibilis: ergo etiam in istis.

Breue Leonis X. ad Caiet.

Dices hæc promissio, seu decretum Dei de acceptando talium compensationum oblationem non habetur: ergo.

851 Resp. dist. non habetur verbis explicitis, quibus dicat, quoties applicabitur thesaurus, Deus acceptabit, &c. concedo. Non habetur verbis implicitis, nego. Nam cum Christus promiserit: *Petro quodcumque solueris super terram, &c.* & ipse sit fidelis in exequendo quod promisit, dicendum est, quod per ea verba dedit infallibilitatem indulgentijs; neque enim aliud fundamentum habemus de infallibilitate pro viuis; vt optime colligitur ex Const. *Vnigenitus Clem. VI. Extra de Pœn. & remiss.* vbi facultatem dispensandi indulgentias in Papa, docet fundari in eo Christi dicto, *quodcumque solueris &c. Matt. 16.*

Implicitè habetur pro missio infallibilis effectus indulg.

Ob. contr. 4. Vsus indulgentiarum, tam pro mortuis, quam pro viuis fundatur in praxi; hęc autem est Ecclesiæ praxis, vt mortuis, immò & viuis concedatur cum adimpletione alicuius operis virtuosi: ergo. Si autem aliter posset fieri, iam vsus ille incæpisset.

Arg cont. 4.

852 Resp. dist. maiorem vsus actualis concedo: possibilis, nego. Neque enim omne quod fieri potest in Ecclesia est frequenter in vsu, sed sufficit vt possit fieri. Patet de multis. Non enim in vsu est, vt potestas confirmandi, vel ordinandi in sacris, soleat frequenter concedi Presbiteris; et tamen aliquando fuit concessa: ita, nec facultas ducendi vxores fuit frequenter concessa diaconis vel presbiteris, & tamen concessa est, & sic de alijs. At videndum est, an possit res aliqua fieri. Quando autem Christus tradit Petro claues, & ait, *quodcumque solueris, aut ligaueris, erit solutum, & ligatum*, non adijcit aliquam conditionem, aut circumstantiam pro actu ligandi, ac soluēdi, sed committit hoc negotium prudentiæ Petri. Qui autem modo velit arctare potestatem soluendi, vt nequeat exerceri, nisi soluendus, vel alius pro se faciat aliquod opus, à Christo non exigitur. Adde, quod solutio ista per indulgentias fit per oblationem compensationis. Immo, vt diximus aliquando etiam in praxi fuit, vt fieret hæc solutio sine operet & præsertim in ijs, qui obtinent Papæ benedictionem in articulo mortis, quibus datur etiam si inhabiles sint ad aliquid faciendum; imò si sensibus careant: sufficit enim, quod possint eis applicari, ideſt vt sint viui, & eam petierint antecedenter cum, vt ex praxi constat, Papa eos non obliget ad opus aliquod peragendum, si non possint.

Esto non fuerit in vsu quod concedatur, sine opere adhuc potest concedi

Ratio duplex cur nō exigitur opus.

Ob. Si absque opere posset concedi, sequitur primo, quod posset euacuari purgatorium, nam Papa solo verbo, vel sola voluntate interna posset concedere, vt omnes mortui liberentur. Imò teneretur ex charitate ad hoc faciendum, cum animæ illæ sint in extrema necessitate; & verbo, vel actu vnico inferno Papæ possent liberari. sequitur, qnod hoc modo posset se Papa cum viuis gerere, concedendo illis indulgentiam sine vllo opere. neutrum autem est concedendum: ergo.

Arg. ex absurdis.

853 Resp. dist. sequelam, si Papa (quod absit) imprudenter operaretur, Tria possunt dici, & quod Deus non ratificaret talem concessionem, vt dicit S. Bonau. *in 4. dist. 20. p. 2. qu. 5.* in fine: & quod si vellet hoc attentare, Deus impediret, ne exequeretur, vel tandem, quod concessio illa haberet effectum. Omnia declarantur; duo prima sic; quia Deus commisit suo Vicario Seruo prudenti, ac fideli, vt dispenset bona spiritualia, et dispēsationem fidelem, ac prudentem non prodigam, ratificat; ideo *Concil. Later. IV. cap. 62.* hortatur, vt Papa moderatè dispenset indulgentias; ac proindè existimo numquam accidisse casum, vt quis Pontifex attentauerit verbotenus, vel etiam totius Ecclesiæ suffragijs, vel alio modo aliquando totum purgatorium euacuare, animas omnes liberando; quia, neq; vt puto Deus permisit, hoc in alicuius mētem venire; vel quia si cui venit, timuit ne Deus ratificaret, vel alio etiam potenti modo eum de viuis auferendo impediret. Immo ad Dei gloriam, et Romani Regnantis Pontificis sapientiam exaltandam, dicam: quod de proximo elapso contigit anno. Deuotus quidem Presbyter senex venerandus animabus purgatorii addictissimus; (cuius nomen honoris grata retineo) ad Sanctissimi pedes prostratus ita sermonem parum prudentem ausus est, *Pete Pater Sācte, vt talia concedas, quibus euacuare possimus Purgatorium?* quo audito, horruit benignus Princeps, et serenitate vultus in mœrorem mutata, improprietatem petitionis, Pastorali pietate redarguit; sed ne eumdē mœstitia suffunderet, Patris monitione, et consilio dimisit, inquiens, precibus, ieiuniis, eleemosynis, ac salutari sacrificio mortuos sedulo adiuuate, hæ siquidem, inquit, partes sunt fidelium. Ipsemet cuidam retulit, qui ex imprudentia talia ausus est.

Quid si Papa attentet solo verbo, vel actu suo omnes animas liberare.

Numquam hoc accidit & quare.

854 Ad nostrum ergo redeuntes institutum, dico, numquam sperari futurum, ex Pontificum fidelitate, ac prudentia, vt talia sint attentaturi. Non tamen desunt, qui

Aliqui dicunt quod si attentaret haberet effectum.

asserant, quod si Pōtifex id attentaret, Deus ratificaret: esto enim illicitè faceret; tamen validè, quia eius potestas limitata non est ad tantum, vel tantum numerum. Sed numquid tunc euacuandum esset purgatorium? certè non, qualibet enim hora, non vna dicam die ex toto Christiano Orbe in purgatorium animæ descendunt; sed hæc obiter dicta sint,

Ad illud de viuis iam supra diximus, posse etiam sic concedi; sed de facto non ita fit; & laudanda est praxis; quia, sicut Sancto Patri Francisco dixit Honorius Tertius, qui indulgentiam Portiunculæ concessam ab ipsomet Christo, ratificandam tamen à Romano Pontifice, confirmauit, & diem, atque alia à fidelibus implenda pro eius consecutione designauit, *Opus est*, ait, vt *is qui scelerum suorum condonationem assequi vellet, eam aliqua ex parte mereretur*: ita Honorius, & sapientissimè: sic ergo faciendum; sed numquid hoc ōumentum minuit potestatem? minimè.

Etiam viuis fine opere posset concedi indulgentia.

Quare non facit. Respōsum Honorij III.

## §. 4.

## *De requisitis ad indulgentias pro mortuis.*

835 ADu. hic inquiri omnia quæ sunt necessaria, vt indulgentiæ habeant effectum suum cum defunctis; primo, an quoties conceditur pro viuis, concedatur etiam pro defunctis; 2. an toties quoties fit opus, possit pro diuersis defunctis applicari, & quomodo fiat limitatio, vel determinatio, vt aliquoties tantum, & non vltra; 3. an in faciente opus, sit necessarius status gratiæ. 4. an solis defunctis baptizatis in re prosint indulgentiæ, an etiam cathecumenis.

Finis quæ sit.

Quæ discutienda,

856 Dico 1. Vt indulgentiæ prosint defunctis, necesse est, vt à Papa explicetur, quod per eam concessionem, quam facit, possunt etiam pro eis applicari: est communis sine controuersia.

Vt prosint defuncti debet a Papa explicari cōcessio pro illis.

857 Prob. 1. Nullum auxilium, seu suffragium in humana politica valet pro redemptione captiuorum, nisi pro illis soluatur: ergo. Consequ. est euidens, quia ex dictis, cum Papa concedit indulgentias, de thesauro accipit pretium compensatiuum, quo possunt captiui liberari. sed captiui sūt in duplici genere; quidam in hoc sæculo, quidam in alio: ergo, nisi specificet, quod pro vtrisque applicet, non prosunt nisi viuis.

A pari de captiuis,

858 Confirm. In formula concessionis semper exigitur opus aliquod faciendum, & confessio, vel contritio; neque potest aliquis hæc opera commutare, vel omittere si vult lucrari indulgentias. Sed defuncti nequeunt opera illa exequi, nec est in potestate viuorum exequentium, vt si ea faciant pro defunctis, dent illis effectum remissionis; quia nequeunt commutare pro se opera imposita cum effectu, & multo minus pro alijs.

Arg. ex formula concessionum.

859 Confirm. 2. Indulgentiæ non habent effectum, nisi ex intentione concedentis, cui, & quomodo; sed concedens non exprimit defunctos; ergo.

860 Probatur 2. hæc est Ecclesiæ praxis, vt dum conceduntur pro mortuis, explicetur; ergo.

Ex praxi.

Dices. Etiam si non explicetur, fideles eas applicant pro defunctis, exequendo pro eis opera imposita; ergo non est, vt putandum, eos defraudari.

Obiectio ex vsu fidelium applicantiū.

861 Resp. dist. anteced. applicant cum effectu indulgentiarum, nego: applicant, vt commune suffragium piorum operum, concedo. Nam licet non possint fideles dare effectum indulgentiarum, dant tamen effectum suffragij, qui scilicet competit tali operi independenter ab indulgentijs: ad illud de defraudatione, dico neminem fraudari, quia nulli promittitur effectus ille; sed ex deuotione, & affectione, simplices, & ignari putant se posse, quod non possunt.

Si fideles bona fide applicant, non dant effectū indulgentiæ, sed puri suffragij.

Dices 2. alia suffragia ob communionem cum mortuis possunt eis applicari, quia sunt inter viuos communia; ergo poterunt etiā applicari omnes indulgentiæ, quæ viuis conceduntur: alioquin non esset perfecta communio, si in aliquo non possent communicare.

Arg. ex communione.

862 Resp. neg. consequ. disparitas est; quia fideles indiscriminatim ea possunt inter se communicare, de quibus habent dominium. At non potest quis communicare, seu impartiri alteri bona non propria, sed aliena, nemo enim præter me potest meas satisfactiones, atque orationes alteri distribuere, nisi Ecclesiæ Caput, quod bona omnia ordinat in commune commodum Christianæ Reipublicæ. Ideo, quia concessio Indulgētiarum includit dispensationem thesauri, seu operum, ac satisfactionum Christi, nemo, nisi Papa poterit eas communicare; non alij fideles, qui nec sunt domini talium operum, nec dispensatores.

Quare non communicāt in hoc.

Dices. Præsumitur, quod Papa concedat pro omnibus, nam gratia, seu beneficium à Principe concessum latissimè est interpretandum ex *cap. Olim, de verb. signif. & cap. Cum dilecti, & cap. Per tuas, de donat.*

Arg. ex præsumptione,

863 Resp. neg. antec. ad probat. dico gratiam Principis recipere intellectum secundum intensionem eius si agatur de dubijs, ita textus ibidem *cap. Olim*, dicens, *nostrum aperiendum duximus intellectum*, idem habetur *in cap. Dilecto* ibidem. At certum est, quod intentio Papæ in concessione indulgentiarum pro viuis, quando scilicet imponit opera personalia adimplenda, non includit etiam mortuos: diuersa enim tunc vtitur formula; & addit, vt possint appli-

Gratia Principis recipit intellectum ab eius intētione.

Ex formula concessionis cançluditur,

applicari pro mortuis; & pro istis sunt peculiares concessiones, vt altaria priuilegiata &c. rarò autem accidit, vt aliæ indulgentiæ pro mortuis concedantur; & quando id euenit, speciali, & propria formula sunt conceptæ; quodquidem est signum intentionis diuersæ, & determinatæ in Papa.

Quando verificatur quo gratia Principis latissimè intelligitur.

864 Resp. 2. ad textum de latissima interpretatione: tunc esse verum, quando agitur de præiudicio concedentis ex *cap. Quia circa depriuileg.* Quando autem agitur de præiudicio iuris communis non est verũ illud axioma, tunc enim fit stricta interpretatio ex *cap. Relatum de prabend. & cap. Archidiaconum 85. dist.* Glosa vlt. & in hoc casu non potest extendi concessio, neque à casu ad casum, neque à persona ad personam: sic prorsus accidit in præsenti, quia concessio indulgentiarum est dispensatio quædam in iure communi de exigenda iustitia vindicatiua in solutionibus pœnarum: igitur, non censetur extendi ad personas alterius vitæ, & conuersationis.

Alias intelligentia textus.

865 Resp. tertio, textum illum habere locum in dubijs, secus verò si forma verborum sit clara, vt *Dec. cons. 113. visa tenore num. 6.* Sed in casu concessionis proprietas verborum est clara, concedit enim indulgentias ijs, qui subueniunt Ecclesiæ alicui, vel Hospitali; vel qui visitant aliquam Ecclesiam, orant pro pace; pergunt, vel mittunt ad bellum contra Turcas, &c. ad viuos autem tantum se extendit proprietas verborum. Quando autem voluerunt Pontifices ex aliqua rationabili causa concessionem ad defunctos extendere, explicarunt, vt fecit *Nicolaus V* dicens, & qui manus adiutrices porrexerit, &c. animam à purgatorio liberat; & tamen antea concedit simpliciter eis, qui manus adiutrices porrigũt: ergo signum est, concessionem viuis factam, non se extendere ad mortuos.

Indulgentia concessa pro mortuis potest toties quoties applicari,

866 Dico 2. Probabilissimum est, quod indulgentia concessa pro defunctis, potest non vna tantum vice applicari, sed toties quoties opus viuorum pro ea applicatione adimpletur, seu replicatur: ita Canonistæ cum Ioann. And. & Gemin. *in cap. 1. de filijs Presb. in 6. & cap. Non potest in 6.* Innoc. pariter, & Archidiac. *in cap. fin. de pœnit. & remiss. in 6.* Idem tenent Summa Angelica, & Rosella: qui quidem loquuntur de indulg. prouiuis. Sed ad alias pro mortuis possunt etiam adduci, ob maiorem rationem.

Declaratio, & probatio cons.

867 Prob. Cum sit concessio sub hac forma, qui vnum militem mittit ad bellum contra Turcas, vel soluit pretium sufficientem pro vno milite, liberat vnam animam à purgatorio; si quis mittat duos, vel successiuè, vel simul, duas liberat: ergo. Euidens est consequ. hoc enim est lucrari, seu applicare toties, quoties. Antec. probatur: primo, quia ex *cap. supra cit. Olim*, Gratiæ, seu beneficium Principis latissimè debet intelligi, quando non præsumitur esse contra intentionem eius, & concessio non habet alium intellectum oppositum: in casu autem, non præsumitur contraria intentio, quia neque vult impediri opus viui, neque commodum mortuorum. 2. Ex fine Papæ concedentis; supponitur enim, quod ob publicum bonum Ecclesiæ velit comparare exercitum validum; & hoc quam citò exequi: sed hoc intentum æquè benè, immò facilius, & citius obtinebit, si quis præpotens, vt plures animas liberaret, plures mitteret milites: ergo sic velle præsumitur.

Arg. à sufficienti,

868 Confirm. Ex nullo capite impeditur dans suffragium, quin plures det, vt plures liberet; non enim ex parte concedentis; quia ipse exigit plures illos milites, qui faciunt pro constitutione subsidij; quod autem mittantur ab vno, vel à pluribus per accidens censetur à Papa. Neque impeditur ex parte liberandorum; ipsis enim indifferens est, vt ab hoc, vel illo liberentur: neq; adest impedimentũ ex alia parte: ergo.

Arg. à ratione.

869 Prob. 2. Nicolaus V. in concessione sæpè allata pro Hospitali Sancti Spiritus concedit, vt qui vnum ducatum solueret in hospitalis subsidium, liberaret vnam animã: si quis autem post solutionem vnius ducati pro liberatione animæ sui patris, soluisset aliũ pro liberatione matris, certè liberasset: quia sic obtinetur finis intẽtus à Papa nimirum subsidiũ hospitalis. Neq; potest verisimiliter, aut prudẽter conijci, quod Papa velit, vt vnus vnã tãtũ liberet animã si pluries facit, quod iniungitur, seu imponitur: ergo.

A pari de indulg. pro viuis.

870 Confirm. à pari de viuis: qui enim tempore Iubilæi, vel Indulgentiæ determinatæ quo ad tempus, pluries indiget indulgentijs, si pluries facit opera iuncta, pluries lucratur; ergo: anteced. supponitur cum citatis Authoribus, si enim totum illud tempus est tempus gratiæ, cur egens gratia, non poterit eam consequi? Et consuetudo, vt notaui in Iubilæis, talis est: ergo idem pro defunctis dicendum.

Ex facto Paschalis I.

871 Confirm. Paschalis I. concessit, vt qui quinque missas celebraret, vel celebrari faceret in Cappella Sanctæ Praxedis, in qua conseruatur Sancta columna, liberaret vnã animam; & ipse applicauit pro nepote quẽ visibiliter agnouit liberari: potuit autem alias quinque pro alio applicare, & sic deinceps: quis enim dicat, quod Sacerdos, vel alius pius fidelis faciens celebrari vna vice illas quinque missas pro vno, non possit alia vice idem facere pro alio? Malè consultum esset defunctis, imò, & Sacerdotibus, ac fidelibus, qui vnam tantum possent hoc medio liberare animam. Concluditur ergo, quod indulgentia concessa pro mortuis, toties potest applicari iuxta formam concessionis, quoties exercetur opus requisitum pro tali applicatione.

872 Dico 3. Quamuis maximè curandum sit, vt applicans pro mortuis sit in sta-

tu

Bonum est si applicans sit in gratia, sed non est necessarium simpliciter.

eu gratiæ, dum saltem complet opus impositum; tamen hoc non est simpliciter necessarium: sed adhuc indulgentia prodest, etiã si sit in statu peccati: colligitur ex Scoto in 4. *dist.* 15. *q.* 2. de satisfaciente, vbi pro se hoc subsistinet: idem mordicus tenet Nauarr. *de Iubil. notab.* 22. *nu.* 30. Gabriel Biel D. Paris. *in addit. ad lect.* 57. pro qua adducit S. Thomam, & Ricchardum: hos sequuntur Recentes, vt Suar. 3. *p. t.* 4 *disp.* 54. *sect.* 4.

Agg. à congruentijs.

873 Prob. prima pars, quò magis mediator est gratus Principi, eo melius, citius, & delectabilius obtinet effectum, quem petit: ergo.

874 Prob. 2. Melius est, vt, qui pro alio satisfacit, pro se etiam mereatur: sic autem accedit ei, qui alteri suffragatur, & est in gratia: ergo, idest curandum, & fidelibus consulendum.

875 Prob. 3. ex *Psal.* 65. *Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus*: ergo ne applicans timeat de sui exauditione, & sic minori cum deuotione, atque applicatione operetur, curare debet, vt iniquitate careat.

2. pars. quia in concessionibus pro defunctis hoc non exigitur.

876 Prob. secunda pars primò à posteriori. Quia in concessionibus pro defunctis hoc non exigitur: vt inductione infertur de omnibus: si autem hæc circumstantia esset necessaria, deberet fidelibus innotescere, alias, & ipsi suffragantes, seu opera adimplentes, & ipsimet mortui defraudarentur, cum absque tali conditione applicarentur indulgentiæ.

Arg. ex ab. surdo.

877 Prob. 2. à priori. Status gratiæ in viuis lucraturis indulgentiam est necessarius, vt sint capaces illius, quia nequit pœna dimitti non dimissa culpa: at hoc motiuum cessat in mortuis, qui sunt in gratia; & viui facientes opera, non faciunt pro se, sed pro illis: ergo.

Disparitas de viuis.

878 Confirm. à pari. Pontifex concedens non est necesse, vt sit in statu gratiæ cum concedit, ad hoc, vt illæ prosint, ergo neque vt operans. Consequ. prob. eadem ratione: indulgentia enim prodest, eò quia satisfactiones quæ dantur ex thesauro in compensationem, habent valorem sufficientiem. Qui autem erogat, vel offert pretium pro redemptione, non auget, nec minuit pretium; etiam si sit maxima, vel vilissima persona; ergo, si non officit, quod Papa erogans sit in peccato; neque officit, quod faciẽs opus impositum sit in peccato, dummodo opus fiat; non enim ordinatur concessio in bonum facientium, sed in bonum mortuorum.

A pari de Pa. a concedente.

879 Confirm. alia paritate: Quoniam sacrificium missæ ex opere operato habet valorem, etiam si fiat à Presbytero in mortali, eum non perdit: ergo idem dicendum de applicatione indulgentiæ.

A paritate sacrificantis.

880 Confirm. 3. alia paritate de simplicibus suffragijs, quæ iuxta sententiam Scoti iuuant à quocunque, & in quocunque statu præsentur, quod maius est: ergo multò magis applicatio indulgentiæ; quæ quidem à valore satisfactionum Christi habet effectum, & opus viuentis se habet, vt conditio sine qua non.

A paritate suffragij.

881 Dico vltimo. Probabilissimum est, quod indulgentiæ applicari possint etiã pro Cathecumenis purgantibus: ita Faber noster *in* 4. *dist.* 19. *disp.* 38. *cap.* 8. *num.* 259. Suarez *d sp* 54. *sect.* 4. *num.* 7. vtramque sententiam putat probabilem.

Pro Catecumenis possunt applicari.

Quare capaces sunt.

882 Prob. Cathecumeni, qui sine charactere decesserunt, & in purgatorio sunt, non habent repugnãtiam, vel obicem quin possint ab illis pœnis liberari: ergo possunt iuuari per indulgentias: antec. prob. quia sunt electi, & tandem ab eis liberi erunt.

Alijs suffragijs possunt iuuari,

883 Prob. 2. Possunt eis applicari alia suffragia communia, vt eleemosynæ, ieiunia, &c. communicant enim nobiscum in charitate.

884 Prob. 3. Cathecumeni sunt redempti sanguine Christi; *Non enim est datum aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. Act.* 4. & sicut per vnum hominem omnes mortui sumus, ita, & per vnũ Christum omnes viuificamur, *ex* 1. *Cor.* 15. ergo si Cathecumenis pro principali effectu, nẽpe salutis potuerunt applicari merita Christi; pro eisdem applicari poterunt ad alium effectum, nempe liberationis à pœna.

Ex vnitate mediatoris eiusque efficacia.

885 Confirm. cum fit talis concessio, explicari solet hac formula, *vt qui pro fidelibus defunctis, vel pro existentibus in purgatorio, &c.* Sed Cathecumeni sunt fideles, & vt supponitur sunt in purgatorio: ergo non excluduntur, ne possint pro eis applicari indulgentiæ.

Cathecumeni sunt fideles.

886 Prob. 4. Nisi posset Cathecumenis applicari, Papa non haberet claues cæli pro omnibus ingressuris, qui illis egent; ergo Prob. seq. Potestas indulg. fundatur in potestate clauium, vt ait Clemens VI *Extra. Vnigenitus, de pœnit. & remiss.* & omnes fatentur tunc Petro datam, quando claues datæ sunt: igitur, si non potest eas applicare Cathecumenis indigentibus, iam eam non habuit pro omnibus.

Arg. prodest Achilles aduersar. nullũ offenditur esse,

887 Prob. 5. Ratio, quæ contra hanc sententiam adduci solet, est, quia Cathecumeni sunt extra Ecclesiam. Sed hæc non officit: ergo. Minor prob. quia aduersarij dicunt, Papam non habere iurisdictionem in animas purgatorij, & tamen de fide concedunt. eum posse per indulgentias ad modum suffragij illas iuuare: ergo parum refert, quod Cathecumeni sint extra Ecclesiã, dummodo sint fideles de ouili Christi, & proximè capaces beatitudinis, atque suffragij, vt à pœnis liberentur. Prob. 2. eadem min. Falsum non est, quod Cathecumeni in charitate fide, ac spe defuncti non pertineant ad Ecclesiam aliquo modo, Ecclesia enim est connocatio fidelium ex *cap. Ecclesia de consecr. dist.* 2. *contra de celebrat. miss.*

Cathecumeni pertinent ad Ecclesiã.

*miss. &c.* Catechumeni autem sic defuncti, sunt fideles, immò in virtute fidei, & voto baptismi saluantur. 2. quia, si non pertinent vllo modo ad Ecclesiam militantem, neque possent pertinere ad triũphantem, alioquin extra Ecclesiam daretur salus, quod est hæreticum *ex cap. Firmiter, de Summa Trinit. & fide Catholica*, in quo decernitur, quod extra Ecclesiam non potest esse salus. quod eruditè confirmat Aug. *lib. de vnico Bapt. cap. 16.* in fine, vbi docet, *extra Ecclesiam bonos esse non posse*. Catechumeni autem, bonitate supernaturali boni sunt, quia iam salui, & beatificandi: ergo sunt de Ecclesia, & intra eam.

Maximum argum.

Arg. ex absurdo de Martyre.

888 Confirm. Si Catechumeni decedentes cum Baptismo flaminis, non pertinent ad Ecclesiam, & sunt extra eam, sequitur, quod idem esset dicendum de baptizatis baptismo sanguinis; quod impium est, sunt enim de principalibus Ecclesiæ membris. Quis autem diceret, quod si baptizatus baptismo sanguinis, non statim euolaret, quia ante mortem, tamen post mortalem ictum aliqua venialia commisit, non posse si fortè sit in purgatorio per indulgentias, aliaque suffragia iuuari?

Arg. cont. 1.

Ob. contra primam. Cum conceduntur indulgentiæ, pro totius Ecclesiæ commodo fit concessio: ergo, cum animæ purgatorij pertineant ad Ecclesiam, quia licet sint in via de militante ad triumphantem, magis tamen participãt de militante: ergo sine alia explicatione possunt pro eis applicari.

889 Resp. dist. antec. fit concessio regulariter pro totius Ecclesiæ viuentium commodo, concedo; pro mortuis etiam, nego; hoc enim est probandum: & formulæ concessionum manifestè declarant, quod viuis pro se ipsis fit concessio, quia imponuntur opera quædam, quæ ab eis tantum impleri possunt: exigitur præterea confessio, vel contritio peccatorum: neque additur, vt omnia hæc possint pro mortuis applicari: igitur ad solos viuos restringitur. Præterea alia loquẽdi formula vtitur Pontifex, dum mortuis concedit, vt ex concessionibus compertum est; ergo.

Quare concessio non semper extenditur ad mortuos.

Ob. contra 2. Vsus communis est, vt vnica vice possit inter viuos lucrari indulgentia: ergo idem dicendum pro mortuis.

Arg. con. 2.

890 Resp. primo antec. esse probandum, quia secundum multos vsus est, vt qui eam assecutus est in prima hebdomada, si in sequenti incidat in mortale, & adsit tempus perficiendi opera imposita, velitque iterum lucrari, de facto lucratur, & absoluitur sicuti prima vice, quia tempus concessionis iam durat: & Pontifex id rescions, non improbat, vel si hic vsus est communis.

Etiam viui pluries consequuntur.

891 Resp. 2. disparitatem esse, quia inter viuos, qui semel lucratus est, iam beneficio spirituali vsus est; at si in concessione pro mortuis vnus amicus pro vno applicat, hic quidem sentit beneficium, non autem alij; neq; isti fiunt peioris conditionis per hoc, quod alius auxilium illud accepit à pio viuente: ergo poterunt ab eodem pariter per aliam applicationem iuuari.

Disparitas de mortuis.

Ob. contra 3. Opera peccatoris Deo non placent: ergo non possunt eum neque pro se, neque pro alijs placare.

Arg. con. 3.

792 Resp. dist. non placent, vt merita eius, & ad cõmodum illius, seu vt ita dicam ex opere operantis, concedo; vt opera operata in beneficium alterius capacis, nego: clarissimum exemplum est de administratione omnium Sacramentorum facta à ministro in mortali existente: & de sacrificio missæ; ita in casu.

Opera peccatoris ipsi non viuant, vt merita de condigno.

Ob. contra vltimam. Catechumenis viuis non possent concedi indulgentiæ; ergo neque mortuis; anteced. prob. quia potestas clauium non se extendit ad oues, quæ non sunt Christi. Soli autem baptizati sunt eiusmodi, quia per baptismum homo ingreditur in ouile, cum ipse sit ianua omnium Sacramentorum.

Arg. contra vlt.

Confirm. *ex Concil. Bracar. cap. 35.* Pro Catechumenis non possunt dici missæ.

893 Resp. ad primum quidquid sit de antecedente (quia adhuc negarem) nego consequ. disparitas est, quia regulariter ijs conceduntur indulgentiæ, qui sunt de foro externo Ecclesiæ; cum enim Ecclesia sit visibilis, membra debent esse visibilia; neque Pontifex concedere solet ijs, qui visibiliter non sint in Ecclesia per signum externum baptismi; & hoc ex duplici capite; primo, quia esset scandalum communicare spiritualia bona ijs, qui non communicant in sensibili signo. 2. quia exponerentur contemptui. Fieri enim posset, vt Catechumeni esset fictus etiam in Cathechismo; cum verò est in purgatorio cessat scandalum, & fictionis suspicio; cum verè sit capax indulgentiarum, & sic de numero Beatorum.

Disparitas de Catechumenis viuis, & mortuis.

Quare Papa non concedit indulg. Cathe. viuis.

894 Ad illud de missa resp. in primis, Concilium illud esse prouinciale, & ideo non posse obligare, nisi Prouinciam Galleciæ; non verò totam Ecclesiam. 2. respondetur per idem, vt in antecedenti; quia eiusmodi publica, & solemnia officia fieri non solent, nisi pro certis, & indubitatis Christianis, dummodo non sint hæretici ex *Gregor. III. epist. 2. & ex Concil. Later. III. c. 27.* quod quidem statuens dicendas missas pro defunctis, excipit hæreticos tantum, non autem Cathecumenos: exceptio autem firmat regulam in contrarium.

Quare missa non dicitur pro Catechumenis.

Dices Apostolus *1. Cor. 5.* ait, *quid mihi de ijs, qui foris sunt iudicare?* Catechumeni autem sunt foris: ergo.

895 Resp. hoc concludere, quod non subsunt potestati iudiciariæ coactiuæ Ecclesiæ: at possunt subesse potestati directiuæ; vt scilicet, si in foro interno communicant in fide, possint participare de omnibus

Non subsunt potestati coactiuæ Ecclesiæ.

bus bonis pro eodem foro.

Cathec. non ſunt extra Eccleſiam, quo ad finē.

895 Reſp. 2. Cathecumenos, vt dixi non eſſe extra Eccleſiam quo ad ſalutem; alioquin non poſſent ſaluari, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus: & ſicut per baptiſmum ſanguinis homo ſit de Eccleſia ex *cap. Baptiſmi vicem de conſecr. diſt. 4.* quia ſufficit ad ſalutem, quæ non extra Eccleſiam non datur, ita dicendum de Baptiſmo flaminis, qui ex Concil Triden. *ſeſſ. 7. de Sacr. can. 4.* ſufficit ad ſalutem; & non extra Eccleſiam, vt ſupponimus. Quæ de ſuffragijs mortuorum, ac de indulgentijs pro eis applicandis; immo, & de tota materia de purgatorio, ad Dei gloriam dixiſſe ſufficiat.

# DISPVTATIO XXVII.

## DE STATV PARVVLORVM DECEDENTIVM CVM ORIGINALI.

Scoti mens.

DE mundi nouiſſimis, & finali, perpetuoque omnium adultorum ſtatu hucuſque actum eſt. At per hoc nō videtur omnibus hominum conditionibus ſatisfactum; niſi proprium paruulorum cum originali peccato decedentium ſtatuamus locum: ideo ſit.

### ARTICVLVS I.

*An paruuli cum originali decedentes recipiantur in Cælo.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. ſent.* poſtquam in *diſt. 30. qu. 1.* docuit peccatum originale cōtrahi à quocunque naturaliter propagato ab Adam ſecundum communem legem, in *diſt. 33.* docet, quēcumque damnatum ex ſolo originali, habiturum pœnam perpetuæ carentiæ viſionis Dei.

1 Adu. ergo 1. & ſuppono cum fide Catholica, ſecundum communem legem; omnes naturaliter concepros, & propagatos ab Adamo, & poſteris vſque ad vltimam generationem hominum (ſi vnam excipias Mariam Virginem) contrahere in primo inſtanti conceptionis originale peccatum: ita eſt de fide ſtatutum, & habetur ex *Pſal. 50. Et in peccatis concepit me mater mea*: ad *Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum in quo omnes peccauerunt*: & poſt, *per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, & omnes naſcimur filij iræ*, &c. idem docuit Gelaſius *epiſt. 6.* Greg. 1. *lib. 7. ex reg. ep. 54.* Ioan. 4. *epiſt. 1. de pœnit. diſt. 4. cap. 13. Quid eſt*: & tandem Concil. Trident. *ſeſſ. 5. in decr. de pecc. orig.* Quod quidem peccatum contrahitur etiam ab ijs, qui à parentibus Chriſtianis, & Catholicis geniti ſunt: hoc autem ſuppoſito, quæritur; an infantes, qui cum tali peccato ſunt concepti, & nati, & moriuntur antequam eis ſit deletum originale, vel per baptiſmum, vt in lege Euangelica; vel, ante aduentum Chriſti, per aliud remedium contra illud inſtitutum, recipiantur in regno Cælorum, & ſint Beati.

Omnes ab Adamo propagati concipiuntur in originali excepta B. V.

Etiam illi qui à parentibus Chriſtianis naſcūtur.

Status quæſtionis.

2 Adu. 1. ex antiquis Theologis, imò ex antiquis hæreticis, vno excepto, neminem conceſſiſſe paruulis cum originali mortuis, regnum cælorum. Vnus tantum Vincentius ab Aug. relatus *lib. de orig. animæ c. 9.* id docuit. Sed aliqui, vt Pelagiani docuerunt, paruulos eiuſmodi extra regnum cælorum recipi, ibique vita, ac beatitudine æterna frui, ita de Pelagianis refert S. Auguſt. *lib. 3. contra Iulianum, cap. 12. lib. 4. cap. 3.* pro hac ſententia Pelagi) citantur alij à P. Florentio Carino *in tract. de ſtatu paruul. cap. 1.* de quibus non curaui. Gualterius *ſæculo 5. cap. 3 num. 11.* citat eundem Pelagium authorem huius ſententiæ: in quo autem hæc per Pelagium paruulorum beatitudo conſiſtebat, dicetur poſtea.

Vnus tātum docuit paruuli in cælo recipi.

Citari ſolet Pelagius de beatitudine extra cælū.

3 Dico ergo. Paruuli, quibus non fuit dimiſſum originale, quicunque illi ſint, aut fuerint, morientes non recipiuntur nec vnquam recipientur in cælorum regno: eſt communis de fide.

Paruuli cum originali nō recipiuntur in cælo.

4 Prob. 1. ex Io. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Gloſæ omnes declarāt de Sacramento Baptiſmi, per quod deletur originale: igitur illi, quibus non eſt deletum originale, non intrabunt in regnum cælorum.

Ex Script. noui Teſt.

5 Prob. 2. de paruulis ſic decedentibus in lege naturæ, vel ſcripta, *Geneſ. 17. 14.* ſic á Deo præcipitur, *Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Interl. ait, *v. pactum*, Adæ in Paradiſo datum, in quo omnes peccauerunt. Gloſa ord. ait, quomodo pueri incircumciſi qui pactum Dei irritum non fecerunt, peccabant? ſed pactum Dei, non ſecundum opus,

Ex Script. veteris Teſtam.

opus, sed secundum originem in primo homine irritum fecerunt, in quo omnes peccauerunt; nascuntur enim omnes non propriè, sed originaliter peccatores, ideo pereunt omnes, qui per regenerationem non liberantur, hæc Glosa, quo medio vtitur *Innocen. III. in cap. Maiores de Baptism.* ergo, cum pereant, non ascendunt in cælum.

Ratio cur pueri pereant, ex Interlin.

6 Confirm. ex dictis à nobis in primo tomo huius quarti de remedio contra originale ante legem Christi.

7 Confir. 2. paruuli Gentilium, & Iudæorum non erant melioris conditionis, quam paruuli Christianorum: ergo, si isti non recipiuntur in cælo. neque illi.

8 Prob. 3. mortale peccatum, nedum impedit ingressum in cælum, sed adducit mortem animæ, nempè perpetuum exilium ab eo, & damnationem. Sed originale peccatum est mortale ex *dist. 4. de pœnit. c. 7. peccatum*, & colligitur euidenter ex *Rom. 5. Omnes in Adam peccauerunt*, ac Corin. 15. *Sicut omnes in Adam moriuntur, ita in Christo omnes viuificabuntur*: ergo paruuli cum originali, non possunt intrare in regnum cælorum.

Originale peccatum est mortale.

9 Prob. 4. ex *cap. Nulla, & cap. Firmissimè de consecr. dist. 4.* Non saluantur, sed damnantur: ergo. Nam in regno cælorum est salus, & gloria, non damnatio.

Ex sacr. can.

10 Prob. 5. ex *cap Maiores. de Bapt. vbi Innocen. III.* de omnibus paruulis, qui ab initio mundi decesserunt, & de decedentibus in lege gratiæ loquitur, eosque excludit à regno cælorum sic. *Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat, anima cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo; ita nunc indistinctè vox intonat Euangelica, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*; ab hac generalitate, *nec sexum, nec ætatem excludens*: & post multa, addit. *Pœna originalis peccati est carentia visionis*, sed de hac postea: ergo clarè constat, nullũ ex paruulis cum originali decedentibus ingressos, aut ingressuros in regnum cælorum.

Innoc. III. eos excludit à regno cælorum.

Pœna originalis peccati quæ sit.

11 Prob. 6. ex *Const. 17. Bug. IV.* quæ est concordia Ecclesiæ Græcæ cum Latina, habita in Concil. Florent. §. 6. quæ sic habet; *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas*: ergo non recipiuntur in cælum.

Conc. Florent.

Ob. 1. *Matth. 19. 14.* Saluator ait, *sinite paruulos venire ad me; talium est enim regnum cælorum*: ergo.

Arg. contr.

12 Resp. neg. consequ. quia ij, de quibus loquebatur erant in gratia, etenim carebant originali, cum essent filij Iudæorum, qui de necessitate legis debuerant octauo die circumcidi, ipsi autem proprijs pedibus incedebant, vt ex textu colligitur: ergo locus iste non est ad rem.

13 Resp. 2. ex Glosa ord. *v. Talium*; Non ait istorum, sed talium, vt ostendat non non ætatem regnare, sed mores: & his, qui similem habent innocentiam, & simplicitatem, præmium promittit.

Ob. 2. Paruuli non delinquunt, nec extra vterum, nec in vtero: ergo non excludunt à regno cælorum: anteced. patet: nam vtrobique carent vsu rationis; consequen. prob. nihil separat à filijs regni, nisi peccatum.

14 Resp. disting. non delinquunt actu proprio, concedo: non denominantur delinquentes actu alieno, nempe primorum parentum, nego: hoc autem ex Dei antiquo decreto, atque ordinatione sufficit, vt excludantur à regno; quia originale peccatum non ex actu proprio, sed ex origine contrahitur, & absque proprio consensu ex *cap. Maiores de Baptismo, &c. §. Verum*: & hac de causa per baptismum remittitur absq; eorumdem consensu ex eodem *§. Verum*. De fide autem est, quod contrahatur, &, vt patuit est mortale ex *cap. Peccatum dist. 4 de pœnit.* ergo.

Paruuli non delinquunt actu proprio, sed ex alterius delicto dicuntur delinquentes.

## ARTICVLVS II.

### *An paruuli cum originali, extra Cælum saltem, habeant beatitudinem.*

SCOTVS *in 2. sent. dist. 33.* paruulis cum originali decedentibus negat omnino Dei visionem; imò hanc visionis Dei negationem, docet, esse præcipuam ipsorum pœnam: aliam autem beatitudinem ipse non agnoscit.

Scoti mens.

15 Adu. 1. Pelagianos, vt in præced. patuit, plura de paruulis docuisse, teste Gualterio cit. Primò, quod nullum contrahant originale peccatum, & proinde ob illud non posse ad vllam damnari pœnam. Secundò, paruulis esse necessarium baptismum, vt intrent in regnum cælorum, quia lex Christi *Ioann. 3.* est generalis. Tertiò, quod si decedant absque baptismo, non intrabunt quidem in cælorum regnum, tamen extra illud erunt beati: sed non video, de qua beatitudine loquatur, num de vera, consistente in Dei visione, ac fruitione; num verò de quadam alia, quam dicunt quidam naturalem, quæ in cognitione, ac scientia, nec non fruitione omnium naturalium sita est, omnem supernaturalem abijciens: & hanc fortasse aliquando Pelagius concedebat paruulis, si veram eis promittere non poterat; vt refert Augustinus *lib. de hæres. cap. 88.* vbi de eo sic habet, *Nam etiam si non baptizentur, promittunt eis extra regnũ quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam*; & quoniam non est fœditas sine amatore, alij secuti sunt Pela-

Pelagiani multa de paruulis docuerunt.

Esse eis necessarium baptismum, & sine eo non intrare in cælum, sed, sed extra illud esse beatos.

gium, vel alium quemuis authorem in hoc puncto beatitudinis paruulorum, nempe Ambr. Catharinus *in lib. de statu puerorum* sine baptismo decedentium, & Albertus Pighius *in controu. prima*, & ex Belarm. *lib. de amiss. gratiæ cap. 1.* Hier. Sauonarola; hi enim eiusmodi paruulis post iudicium beatitudinem quâdam promittunt naturalem, non consistentem in Dei visione, ex nostris autem Vulpes, & Gauatius *in lib. de macula disp. 2. sect. 2. cap. 7. n. 461.* Eo quod status dicat eos habere aliqualem felicitatem. Communis autem fere Theologorum, & Ecclesiæ sensus est, neq; hanc felicitatem naturalem paruulos habere, aut aliquando habituros: ideo.

Paruuli cum originali morientes non habent veram beatitudinem.

16 Dico 1. paruuli decedentes cũ originali, & omnes, qui sic ab initio mundi decesserunt, aut decedent, non obtinent, nec vnquam obtinebunt, nec in cælo, nec extra cælum veram beatitudinem; est de fide. Scoti vbi supra.

Ex Script.

17 Prob. 1. *Ioan. 3.* Christus prima vice ait, *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Interl. ait, *Non potest cognoscere me, qui sum regnum Patris, & visio veritatis*: sed regnum Dei est gloria Dei, & vera, ac æterna beatitudo; ergo, subsumo, sed non renati spiritualiter per gratiam illi sunt, qui cum originali nati sunt: ergo.

Ex Concil. Mileuit.

18 Prob. 2. ex decreto Concilij Mileuit. relato ab August. *in epist 92.* sic habente, *pueros paruulos, si nullis innouentur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam, ne quam præsumptiosè contendunt*; ergo est præsumptio sic tenere.

Ex sacr. can.

19 Prob. 3. ex Innoc. III. *in cap. Maiores de Baptismo. &c.* expressè docente in §. *sed adhuc*, *Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis Dei*; ergo.

Ex Concil. Flor.

20 Prob. 4. ex *Const. 7. Eug. IV.* quæ est concordia Græcæ Ecclesiæ cum Latina in Conc Florent. firmata, §. n. 7. habet, *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere*; ergo non obtinent beatitudinem.

21 Prob. 5. ex *dist. 4. de consecr. c. Nulla, & cap. Firmissimè*, in quibus statuitur paruulos non regeneratos non posse saluari.

Ex Gelasio, Leone I. Greg. I.

22 Prob. 6. ex Gelasio *epist. 7. ex Leone I. ep. 86. ex Greg. I. lib. 9. moral cap. 16.* & aliis innumeris Pontif. docentium, impossibilem esse salutem paruulorum decedentium cum originali.

Ex Aug.

23 Prob. 7. ex Aug. *lib. 1. de pecc. mer. & remiss c. 23.* docente. *Nulla salus æterna præter baptismum Christi promittitur infantibus, quam non promittit Scriptura diuina, humanis omnibus ingenijs præferenda*; sed baptismus delet originale; ergo.

Ex epist. ad Hebr.

24 Prob. 8. ex *Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo*: sed decedentes cum originali, decedunt sine fide; ergo nequeũt diligi à Deo, & sic neque beari.

Tales paruuli damnantur.

25 Prob. 9. ex mox dicendis, paruuli sic decedentes damnantur, si non ad pœnam sensus, de qua est magna controuersia, saltem ad pœnam damni quæ est carentia visionis, ac fruitionis Dei: ergo non possunt beatificari.

Ex Concil. Trid.

26 Prob. vltimò ex Concil. Trid. *sess. 5. in decreto de peccato originali*, vbi postquam statuit, omnes propagatos ab Adam illud contrahere, docet, *paruulos etiam in remissionem peccatorum esse baptizandos, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt, Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, sed hæc est beatitudo: ergo.

Morientes cum originali nullam aliam habẽt beatitudinẽ.

27 Dico 2. Eiusmodi paruuli cum originali decedentes, nullam aliam obtinent, aut vnquam obtinebunt beatitudinem, quæcunq; illa sit, est communior, & colligitur ex fidei principijs.

Ex Christi oraculo non datur medius status inter damnatos, & beatos.

28 Probatur 1. in futura statuum hominum distributione facienda à Christo, non datur status medius inter beatitudinẽ, & damnationem, ergo: anteced. prob. ex *Matth. 25. Cum congregabuntur ante eum omnes gentes, separabit eos ab inuicem; & statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris*. Peracto autem examine, feretur sententia, *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, &c. Ite maledicti in ignem æternum, &c.* & tandem concludit Textus, *& ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam*. Ecce duo status hominum, & duo habitantium omnium loca: ergo, si paruuli non introibunt in regnum cælorum, neque videbunt Deum, nullam aliam expectant beatitudinem.

Nulla alia beatitudo habetur in Scriptura.

29 Prob. 2. Nullus apparet Scripturæ locus, in quo de alia beatitudine, cui vis, promissa fiat mentio, nisi de vera, scilicet visione, & fruitione Dei, *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, &c. Io. 17.*

30 Prob. 3. ex dicendis in *sequen. artic.* paruuli, vt fides docet, damnantur: ergo.

August. dicit esse hæresim Pelagij:

31 Prob. 4. ex Aug. *lib. 1. de origine animæ cap. 9.* sic habente, *non baptizatis paruulis, nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum, quietis, vel felicitatis cuiuslibet, atque vbilibet quasi medium locum, hoc enim hæresis Pelagiana permisit*: ergo.

Auguſt. iterum.

32 Confirm. ex eod. *lib. 2. de orig. animæ cap. 12.* sic docente. *Nouilli hæretici Pelagianos iustissimè Conciliorum Catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnauit auctoritas, eò quod ausi fuerint nõ baptizatis paruulis dare quietis, & salutis locum etiam præter regnum cælorum.* hæc Aug.

Auguſt. tertio dicit esse contra fidẽ.

33 Confir. ex eodem *tract. 67. in Ioan. B. Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideo dictum, multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid vbi maneant beati innocentes, qui sine baptismo ex*

hoc

*hac vita migrarunt quia sine illo in Regnum cælorum intrare non potuerunt. Hæc fides, non est fides, quoniam non est vera, & Catholica fides*: ergo non obtinent beatitudinem aliquam extra cælum.

34 Confir. ex eod. *lib. 1. de pecc. mer. & remiss. c. 28.* sic habente. *Nec ullus vllis medius locus*, vt possit esse, *nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium istam, nescio quam mediatatem, quam conantur quidam paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi merito innocentiæ sint in vita æterna; sed quia non sunt baptizati non sint cum Christo in regno eius, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait, qui non est mecum contra me est.*

Aug. quarto,

35 Prob. 5. ex *lib 5. hypognosticon*, cuius author incertus est: sic autem habet. *Primum locum fides Catholicorum diuina authoritate regnum credidit esse Cælorum, vnde non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, vbi omnis Apostata, vel à Christo fide alienus æterna supplicia experietur. Tertium penitus ignoramus; imò non esse in scripturis Sanctis inueniemus. Finge Pelagiane locum ex officina peruersi dogmatis tui, vbi alieni à Christi gratia, vitam requiei, & gloria possidere paruuli possunt*: ergo non datur hic medius locus, inter beatitudinem perfectam, & damnationem.

Ex lib. hypognostic.

36 Prob. ex *Beda in Ioann. in c. 24. ex Augustino ex arante, & docente. Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant idio dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cælorum erit aliquid vbi beatè maneant innocentes, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt*: ergo.

Ex Beda.

Ob. ex *Ioan Gerson ser. de Nat. Mar. Virg.* vbi hortatur parentes, vt diligenter orent Deum, et angelos, ac Sanctos; quatenus infans nondum natus si fortè moriturus est priusquam ad baptismi fluminis gratiam peruenire valeat, dignetur ipsum Dominus Iesus summus Pontifex baptismo Spiritus Sancti præueniendo misericorditer consecrare. Quis enim scit, si forte exaudiat Deus? imò quis non deuotius sperare valeat, quod orationem humilium & in se sperantium; nequaquam despiciat: hæc Gerson. Ergo sperat, paruulos non baptizatos ad beatitudinem peruenire.

Ex Gerson.

37 Resp. Concessa tota exhortatione, nego consequ. ex ea enim non sequitur, quod moriens cum originali sit aliqua beatitudine beatus, sed potius sperandum sit quod Deus ad parentum aspiciens preces infantem Spiritu Sancto consecret; id est dimittendo originale iustificet, ac soluet, at hoc non est contra nos, qui de habente originale loquimur; sed est potius contra aliud errorem, qui ex pietate dixerunt, originale posse paruulo morienti dimitti ad parentum preces, cui adhæsisse dicitur aliquãdo Caietanus, sed hanc doctrinam validè impugnat Alfonsus de Castro *V. Baptismus nona hæresi*, quia Saluator ait, *nisi quis renatus fuerit*. vel enim re lauari quis debet flumine, vel voto, vel tandem sanguine; aliàs in vanum laboratur.

Fr illa Gersonis exhortatione non colligitur,

Ob. 2. *Scotus in dist. 33. B.* docet paruulos habituros aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuersali: ergo.

38 Resp. tantum abest, vt Scotus concedat beatitudinem paruulis vt potius neget, ibi enim loquens de cognitione paruulorum, protestatur sic, *sine assertione potest concidi, quod cum non habebunt intellectum impeditum, &c. habere possunt naturalem cognitionem veri, & discursum de ista cognitione* (de qua nos *in art. 8.*) concludit, & ita aliqualem *beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuersali poterunt attingere*. Sed non asserit id ita futurum, & ex alio capite, locus medius beatitudinis ex Augustino nequit assignari. Sed de perfectione cognitionis eorum dicam postea.

Scotus sine assertione dicit eos cognitionẽ de Deo in vniuersali habituros.

## ARTICVLVS III.

### *An eiusmodi paruuli damnentur.*

SCOTVS *in 2. sent. dist 33.* cum communi Ecclesiæ sensu apertè docet, peruulos cum originali decedentes damnari, deinde assignat pœnas ad quas damnantur.

Scoti mens.

39 Adu sensum art. clarum esse, an paruuli morientes cum solo originali, damnentur: discutietur postea quó damnationis genere. Et licet hucusque visum sit paruulos istos non esse consequuturos beatitudinem; non tamen decisum an sint damnati, & damnandi, fieri enim posset, vt nõ essent beatificandi, neque damnandi, sed in suo naturali statu in mundo relinquendi: ideo.

Scotus art

40 Dico paruuli decedentes cum originali peccato, positiuè damnandi sunt. est communis, & ex fidei principijs colligitur: eam defendit Scotus *in 2. d. 33.*

Paruuli cum originali damnantur.

41 Prob. 1. ex *Rom. 5* vbi cum dixisset Apostolus, *in Adam omnes peccauerunt*, post multa prosequitur, *Nam iudicium ex vno in condemnationem*. Ergo habens originale remanet condemnatus. Interl. Verbo *in condemnationem*, ait, ex originali corporalis, & æterna mors incurritur, si non remittitur.

Ex scripta.

42 Prob. 2. ex *Gen. 17. Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo*, Glosæ omnes, et interpretes declarãt, de populo electorum, qui autem sic delentur, damnantur.

Ex vit. test.

43 Prob. 3. Decedentes cum originali non sunt prædestinati, & ideo non scripti

in libro Vitæ, qui autem in eo ſcripti non ſunt ex *Apocal.* 20. damnati ſunt, & miſſi in ſtagnum ignis: ergo ita de paruulis iſtis dicendum eſt.

Ex Concil. Flor.

44 Prob. 4. Qui in infernum mittuntur ſunt damnati; tales ſunt decedentes cum originali. ex Concil. Flor *conſt. 17. Eugenij IV. §. 7.* aliata in art. præcedenti, deſcendunt enim in infernum: ergo ſunt damnati.

Non datur medium inter prædeſtinatos, & damnatos.

45 Prob. 5. Inter vaſa formata in honorem, & vaſa formata in contumeliam, non datur medium ex *Rom. 9.* ſed non prædeſtinati. ſunt vaſa contumeliæ, quia damnati. Ergo; nam eiuſmodi ſint paruuli cum originali decedentes ſunt damnati.

Ex marci vlt.

46 Prob. 6. *ex Marci vlt.* habetur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur.* Paruuli autem cum originali, nec baptizati ſunt, nec crediderunt actu, vel habitu per fidem infuſam, quod ſufficere, ait, *Innoc. 3. in cap. Maiores de Bapt.* neque enim paruuli baptizati credunt actu, & tamen ſi moriuntur ſaluantur, quia inquit Innoc. habitu credunt: ergo *illi* cum originali condemnantur.

Ex Euang. Matth.

47 Prob. 7. *Matth.* 25. omnes gentes iudicandæ in duas claſſes à Chriſto diuidendæ prædicuntur, vna erit ouium, & electorum, alias hædorum, et damnatorum; ſed paruuli cum originali non erunt in prima claſſe; ergo in ſecunda.

Greg. Mag.

48 Prob. 8. *ex Greg lib. 9. moral. c. 12.* de his paruulis ſic loquente. Quos, quia de culpa originis ſacramẽta ſalutis non liberant, & hic ex propria nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt, et poſt aliqua. Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt, qui autem tormentis addicuntur, damnantur: ergo.

Ex Sac. Can.

49 Prob. 9. *ex cap. Maiores de Baptiſmo &c.* in quo. nedum ſupponitur eos dãnari, ſed decernitur puniri perpetua carentiæ viſionis Dei: ergo.

Fulgentij.

50 Prob. 10. ex *S. Fulgentio lib. de fide ad Petrum c. 3.* dicente *Paruulos, quibus nulla poſſunt. vti bona, vel mala in eſſe propria merita voluntatis, inſolubili nexu æternæ damnatio retinet.*

51 Prob. 11. *ex cap. Firmiſſimè de Conſecr. diſt. 4.* vbi docetur paruulos eſſe damnandos; imò, et pœnæ ibi aſſignantur.

Auguſt.

52 Prob. 12. *ex S. Auguſt. lib. 2. ad Bonifacium* Papã. *cap. 7.* dicente, *quid reſtat quãtum ad baptizatum attinet, niſi gratia Dei, qua vaſa facilis in honorem gratis dãtur; quãtum autem ad non baptizatum ira Dei; qua vaſa in contumeliam pro ipſius maſſa meritis redditur?* ergo paruuliſti damnantur.

Idem Aug.

53 Confir. ex eod. *ſer. 14. de Verb. Apoſtol.* vbi exacte diſcutit ſegregationem faciendã à Chriſto in iudicio, & ait, *dextris dicturus eſt Venite benedicti &c. ſiniſtris dicturus ite maledicti in ignem æternum: illum regnum nominat. hanc, cum diabolo damnationem*: ergo.

Idem Aug.

54 Confir. *ex eod. lib. de orig. animæ c. 14. cum ad pœnas paruulorum ventum eſt. &c. non ſaluo eos dico, quos habes poſt hanc vitam illa damnatio, quo neceſſe eſt, trahantur, ſi de corpore exierint ſine Chriſtiana gratia ſacramento:* ergo damnantur.

Idem Aug.

55 Confir. *ex eod. lib. de Nupt. & Corrupt. c. 36.* vbi explicans verba illa, *qui non crediderit condemnabitur*, ait ad Pelagianos *voluiſti nolitis, paruulos credere confitemini in Chriſto per ora geſtantium; ergo. & ad illos pertinet dominica illa ſententia, qui non crediderit condemnabitur*: ergo.

Idem.

56 Confir. ex eod alijs in locis adducendis infra de qualitate, & natura pœnæ paruulis infligendæ: ergo.

Anſelm.

57 Prob. 13. *ex S. Anſelmo lib. de Concep. Virg. c. 27* dicente, *ſi originale peccatum eſt aliquod peccatum, neceſſe eſt omnem hominem in eo natum, non dimiſſo damnari.*

Rationc

58 Prob. 14. morientes in peccato mortali damnantur, peccatum enim mortale, ideo ſic dicitur, quia mortem æternam inducit, niſi dimittatur, ſed originale eſt mortale, *ex cap. Peccatum de pœnis. diſt. 4.* & de hoc Trident. intelligit illud Apoſtoli, *per peccatum vnius mors intrauit in mundũ, & in Adam omnes moriuntur*: ergo, qui in hoc decedunt damnantur.

Ex alijs text. Sacr. Can.

59 Prob. 15. *ex c. Regenerante de Conſecr. diſt 4.* quod eſt Auguſtini, *Recte poteſt dici, paruulos ſine baptiſmo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitiſſima futuros; multum autẽ fallit, & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apoſtolo per vnius delictum, in omnes homines ad condemnationem.*

60 Prob. 16. Nulla ſalus promittitur infantibus, qui cum originali decedunt, *ex cap. Nulla de Conſecr. diſt. 4.* ergo damnantur, non enim eſt medium inter filium regni, & filium perditionis, inter vaſa miſericordiæ, & vaſa iræ.

Arg. contr valid. ex Naz.

Ob. *ex S Greg Naz orat. in Sanctum lauacrum circa medium*, vbi de trium perſonarum nõ baptizatarum generibus loquitur, de tertio autem nempe paruulorum hæc habet. *Poſtremò denique nec cæleſti gloria, nec ſupplicijs à iuſto iudice afficiantur, vt pote. qui licet baptiſmo conſignati non fuerint, improbitatis tamen carent, atque hanc iacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint.* Ergo non damnantur; damnatio enim eſt additio alicuius ad aliquam pœnam.

61 Reſp ex hoc S. Greg. loco ad ſummum concludi, quod non ſint addicendi ſupplicijs, nempe pœnæ quam dicunt ſenſus. At ex eodem loco cõcluditur damnandos ad pœnam aliam, dum dicitur, *nec cæleſti gloria*, non enim, leuis eſt pœna perpetuò priuari Dei viſione; ſicut nec modica

pœna

pœna in hac vita est in carcere aliquo detrudi, ac luce priuari; dum ergo Deo, *qui lux est, & lucem habitat inaccessibilem*, paruuli ex Gregorio priuandi sunt, ad magnã adigentur pœnam. Si autem ex carentia nolita tristabuntur, non ne maximè erit etiã sensus pœnæ, estò ab igne liberi sint.

Arg. ex voluntatis. Ob. 1. Damnatio esse non potest, nisi ob delictum voluntarium. Paruuli autem nullum tali habent: ergo, antec. prob. Apud Deum non est iniquitas, neque vnquam damnat, aut damnare potest innocentem. damnatio enim est actus iustitiæ; & ideo propter deliberatum delictum, quidquid sit, an ex mero dominio possit annihilare creaturas; tunc enim verè; ac propriè non damnaret: ergo.

62 Resp. arg. hoc tangere difficultatem de peccato originali, quomodo scilicet paruuli absque proprio actu illud habeant, quod quidem ad rem præsentem non pertinet: sufficiant nunc scripturæ loca docentia, in Deo iniquitatem non esse, & omnes ex Adamo per naturalem propagationem conceptos, nisi à Deo specialiter præseruentur (sicut de B. Virgine dicimus) originale peccatum contrahere, & in Adamo damnari, nam ad *Rom. 5. Per vnius delictum peccatores constituti sunt multi*, et posit. *in quo omnes peccauerunt*, deinde, *per vnius delictum in omnes homines condemnationem*: condemnatio autem æterna est, ideoque Ecclesia modo locum eis assignat nempe infernum, modo pœnam nempe damni, vt in seqq. videbimus.

Omnes nascuntur peccatores,

## ARTICVLVS IV.

### *An paruuli isti damnentur ad pœnam damni.*

Scotus. SCOTVS *in 4. sent. dist. 33.* cum magistro sent. docet, paruulos decedentes cum originali damnari ad pœnam damni, quæ est perpetua carentia visionis diuinæ, ita *sub* D. quemomnes fere nostri temporis doctores sequuntur.

Parua difficultas de hoc, sed de pœna sensus. 63 Adu. paruã de hoc puncto esse difficultatem, omnes enim si Pelagium, Catarinum, & Pighium excipias fatentur paruulos pœnam damni perpetuo luituros, sed de pœna sensus erit controuersia.

Paruuli habent pœnã damni. 64 Dico ergo: paruuli ad pœnam damni perpetuam, nempe carentiam visionis Dei condemnantur. est Scoti vbi supra D. Thomæ, D. Bonau. in 2. *dist. 33. p. 3. q. 1.* ad primum principale; & videtur de fide.

65 Prob. 1. Paruuli perpetuò exulabunt à Regno Dei: ergo, antec. patuit in 1. *art.*

66 Prob. 2. ex præced. art. Paruuli damnabuntur. cum alijs reprobis, erunt vasa iræ, & contumeliæ: ergo.

67 Prob. 3. *ex cap. Maiores de Bapt. &c. 6. Sed adhuc*, vbi docet, *præterea pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis verò pœna peccati, est gehenna perpetui cruciatus*: ergo. Ex tex. Can

68 Prob. 4. *ex cap. Nulla prater, de Consecr. dist. 4* vbi habetur, *nulla prater baptismum Christi salus promittitur infantibus; quia infantes si per sacramentum, quod ad hoc est diuinitus institutum in credentium numerum non transeant, profectò in tenebris manent*: ergo diuina visione, qua illuminarentur, carent. In tenebris sent.

69 Prob. 5. *ex cad. dist. 4. cap. Piæ missimi* in sequenti referendo, in quo statuitur, paruulos cum originali de hoc sæculo decedentes in ignem sempiternum damnãdos, *in consist.* pariter 17. *Aug. IV.* quæ est facta in Concil. Florent. Statuitur, etiam cum solo originali morientes in infernum descendere, in æqualibus tamen pœnis plectendos cum alijs qui in actuali moriuntur. Sed in inferno adest pœna etiam damni, & ideo dicitur *tenebræ exteriores*, vt in *disp. de inferno* dictum est. Ergo saltem pœna damni, & carentiæ visionis Dei puniuntur. Imò aliquid durius pœna sensus torqueri.

70 Prob. 6. ex S. *Io. Chrisost.* & habetur *de Consecr. dist. 4. cap. 4. Non potest quis gratiam vitæ cælestis accipere, nisi prius purgatus fuerit per donũ baptismi salutaris Domini & Saluatoris Nostri Iesu Christi*, sed præfati pueri non sunt per eum purgati. Ergo viram cœlestem, quæ est Dei visio, et fruitio nequeunt obtinere. Chrisost.

71 Prob. 7. Paruulus cum originali decedens incurrit æternæ mortis reatum ex Ioãne VIII. & habetur *in cap. Adlumina 30. q. 1.* vbi excusatur Pater quod filium baptizauerit per hoc, *si prædictus filium suũ corpore morientem aspicient, nè animã perpetuæ morte pereuntem dimitteret sacri vnda baptismatis lauit, vt eum de potestate auctoris mortis & tenebrarum eriperet*. Sed mors æterna per hoc dicitur talis, quia includit negationem vitæ, nempe visionis Dei, quæ ex *Io. 17.* est vita æterna saltem initiatiue: ergo. Ex reatu mortis æternæ.

72 Prob. 8 Habens originale est sub potestate diaboli, ideſt, Principis tenebrorum: igitur in eius regno detinendus. ergo. mai. supponitur *ex 2. Petri 2. A quo quis deuictus est huic seruus effectus est.* vt pluribus inculcat Trident. *sess. 5 in decr. de pec. orig.* omnes scilicet natos ab Adam incurrisse pœnam mortis, *& cum morte captiuitatem sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium hoc est diaboli*, & anathema dicit asserenti contrarium: ergo. Ex subiectione diaboli.

73 Prob. 9: Non saluus, sed damnatus non potest vnquam obtinere visionem Dei. Sed paruuli cum originali non sunt salui, nam non induunt Christum; *& ex Act. 4. non est datum aliud nomen sub Cælo in quo oporteat homines saluos fieri*: igitur non erunt salui, & ideo numquam Deum videbunt. Ex eo quod damnati sunt.

74 Prob.

Ex ratione peccati mortalis.

74 Prob. 10. mortui spiritualiter morte animæ in hac vita, si ita decedant, moriuntur morte secunda: sed paruuli per originale sunt mortui in anima, nam ex *Rom. 5. per vnius peccatum mors intrauit in mundũ*, mors inquam nedum corporalis, sed spiritualis, nempe gratiæ amissio, & æternus reatus, nisi per gratiam mediatoris auferatur, vt Concil. Trid. docet *in decr. de pecc. originali*. Et ideo originale peccatum est mortale ex *cap. Peccatum de pœnit. dist. 4.* vbi habetur, *per originale omnis mors, & per gratiam regenerantem viuificari*.

Ex eo quod filij iræ.

75 Prob. 11. Filius iræ, & inimicus Dei, non potest admitti ad visionem Dei; sed existentes in originali sunt filij iræ, & Dei inimici; ex Ephes. 5 *eramus natura filij iræ*. & *ad Rom. 9.* omnes non electi vocantur *vasa iræ in interitum*: ergo.

Augustin. sæpissimè.

76 Prob. 12. ex D. Augustin *lib. 1. de pecc. mer. & remiss. cap. 34.* Paruuli cum originali detinentur in familia diaboli, idem docet in *lib. 2. de pecc. orig. cap. 40.* idem sæpissimè in alijs locis (de quibus non est curandum) & proinde paruuli ante baptismum exorcizantur, *ex cap. Sacerdotes de consecr. dist. 4. cap. Postquam*, & *cap. Sicut nostris*, vt diabolus ab eis ejiciatur: igitur, cum morientes in originali adhuc sint de eius familia, nõ possunt fieri de familia Dei, eumque videre.

Ex negatione fidei in via.

77 Prob. 13. Visio Dei succedit fidei; nam ex Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*. Saltem sine habituali, vt optimè Innoc. III. *in cap. Maiores de Baptismo, &c.* At paruuli cum originali fidem non habuerunt, nec actualem, nec habitualem: ergo nequit ei succedere visio Dei.

Mag. sent.

78 Prob. 14. ex Magistro sent. *in 2. dist. 33. §. alioquin*, docente pio originali, quod à parentibus trahitur paruuli damnabuntur; non igne, &c. nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum.

D. Bonau.

79 Prob. 15. ex S. Bonau. *in 2. dist. 33. p. 3. q. 1. num. 42.* sic docente, *quia paruuli decedentes cum originali, carent iustitia, & Spiritus Sancti gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ, priuantur in æternum Dei visione, &c.* hæc Seraphicus Doctor.

Greg. Mag.

80 Prob. 16. ex Gregor. I. *lib. 9. moral. cap. 12.* vbi considerans verba Iob, *& multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa*, ait. Quos, quia à culpa originis Sacramenta salutis non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt, quibus vnũ vulnus est corruptibiliter nasci; aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque, æterna mors sequitur, occulto eius, iustoque iudicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur, perpetua quippe tormenta percipiunt, & qui nihil ex propria voluntate peccauerunt: & post aliqua, addit. *Qui itaque nullum proprium adiungent, ex solo originis reatu premitur, quid ille in illo extremo examine, quantum ad humani sensus existimationem, nisi sine causa vulneratur?* ergo verè damnantur.

Ob. 1. ex Augustin. *ser. 14. de verb. Apost.* dicente, qui nullum peccatum habent ad damnationem pertinere non possunt: ergo, cum paruuli nullum habeant peccatum, damnari nequeunt. Aug. contr.

81 Resp. 1. neg. consequ. quia habent mortale peccatum; tale enim est originale, vnius enim peccatum fuit in omnium condemnationem. Aug. quomodo intelligitur;

82 Resp 2. illam non esse assertionem Augustini, sed inuectiuam contra Pelagianos, qui de pueris dicebant, *nullum peccatum habent & ad damnationem peruenire non possunt*; & ideo hoc eorum dictum acriter impugnat, tamquam vnam ex præcipuis Pelagij hæresibus, quod paruuli non contrahant peccatum originale, eo quod voluntariè non operantur, cum concipiuntur; & proinde non possunt per hoc damnari.

Ob. 2. Pœna damni est omnium maxima ex Chrysostomo *hom. 24. in Matth.* dicente præ cæteris, *Ego tamen illius gloriæ multo amarius quam ipsius gehennæ dico esse supplicium. Intolerabilis quidem res est, & supplicium illud horribile; tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beata illius gloria bonore repelli*; ergo hæc pœna non competit eis, qui non peccarunt. Validum argum.

83 Resp. dist antec. est omnium maxima apprehensiuè, concedo: sensibiliter, subdistinguo, si ex ea amissione causetur tristitia, concedo; si non, nego: dicemus infra, paruulos de ea amissione non fore tristandos, sed se Dei voluntati conformaturos; & hoc ex Dei benignitate, ac liberalitate. Quare pœna damni in paruulis non est maxima.

## ARTICVLVS V.

### *An prædicti paruuli aliqua pœna sensus sint cruciandi?*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. sent. dist. 33. sub A.* docet pœnã originali peccato debitam, nõ esse pœnam sensus, ergo nec ignis; & quia in omnibus vult esse Augustini discipulus, Sanctum Doctorem in hanc sententiam trahit; & de pœna damni declarat Augustini sententiam in *Enchirid. cap. 93.* vbi docet, *pœnam paruulorum fore mitissimam*.

Duo dubia declaranda essent. Sed vnum tantũ hic aperitur.

84 Adu. circa hoc dubium, duo esse videnda; primum est, an paruuli isti cum originali decedentes, sint torquendi pœna ignis, vel alia ex ijs, quibus alij damnati cruciabuntur. Secundum est, an saltem alia pœna sensus nempè tristitia, quæ orietur ex nolitione carentiæ visionis Dei; & distinctionis gratis, primum tantum hic discutietur; reliquum in sequenti.

85 Adu. 2. varias semper fuisse de paruulo-

Sententia Augustini.

Aliorum sententiæ.

Paruuli non sunt cruciandi pœna ignis.

Ex Mag. sent.

S. Bonau. dicit esse valde duram sent. contrariam.

Neque ex Scriptura, neque ex Conciliis habetur pœna ignis pro paruulis.

Licet aliqui Sancti id asserauerint, alij negarũt, vt Greg. Nazianz.

Ex Ambros.

Ex sacr. can.

Rationes ex Scriptura desumpta.

Augustinus ægrè trahitur in hanc sent.

uulorum pœnis sententias. Augustin. enim pluribus in locis manifestè docere videtur, eos esse torquendos pœna ignis, licet vna vice dicat fore mitissimam. Alij docuerunt in igne quidem futuros, sed igne non torquendos, sed de hoc postea; alij tandem, & est communis Ecclesiæ sensus, docent, nullatenus eos igne, vel alia simili damnatorum pœna esse torquendas.

86 Dico ergo, paruuli cum originali decedentes non sunt pœna ignis, aliaquè simili sunt cæteri damnati torquendi: est Scoti loco cit. A. vbi ait, *Hæc videtur Magistrorum esse sententia, quod damnati pro solo peccato originali nullam habebunt pœnam sensus exterioris, puta ignis, &c.* ita etiam S. Thomas *in 3. sent. dist. 33. q. 1. art. 1.*, D. Bonau. *in 2. sent. dist. 33. p. 3. q. 1.* omnes illi ex Magistro sent. in hac dist. *in lib. 2. sent.* ex quibus omnes moderni eam didicerunt: & ex tempore S. Bonauenturæ, vt ipse refert loco citato Magistri omnes communiter sic defendebant.

87 Prob. 1. Nullus reperitur Scripturæ, aut Concilij locus, in quo definiatur, paruulos igne æterno cruciandos: ergo, nõ enim aliquid dogmaticè asserere possumus, quod ex Scripturis, vel Conciliis non habeamus.

88 Prob. 2. Licet antiqui aliqui de hoc dubitarint, vt Augustin. & ex discipulis eius multi; tamen alii, & hi antiquiores id negarunt. Nam S. Greg. Nazianzenus, qui de anno 415. ab Eremo vocatus fuit ad Episcopatum, sic scribit, *orat. in Sanctum Lauacrum. Postremi*, idest paruuli non baptizati morientes, *nec cœlesti gloria, nec supplicijs à iusto iudice afficientur, vtpotè quibus baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carnis, atque hanc iacturam passi potius fuerint, quam fecerint*; & dignam congruentiam assignat. *Neque enim*, ait, *quisquis supplicio dignus non est, protinus honorem meretur: quemadmodum, nec quisquis honore indignus est, statim pœnam promeretur*: ergo secundum Gregor. non damnantur ad vllum supplicium.

86 Prob. 1. ex Ambrosiastro *in epist. ad Rom. cap. 5.* qui declarans ea verba, *Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, &c.* habet, *Est, & alia mors, quæ secunda dicitur in gehenna, quam, non peccato Adæ patimur, sed eius occasione proprijs peccatis requirimus, à qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erunt, sed superiori, quasi in libera*: ergo paruuli cum solo originali non cruciantur pœna gehennæ.

90 Prob. 3. ex decretali Innoc. III. in *cap. Maiores de Bapt. &c.* vbi de pœnis, originali, aut actuali correspondentibus ita definit *in §. Sed adhuc. Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis Dei actualis verò pœna peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus*; quid clarius? idem clarius docet Glosa ibid. & omnes Canonistæ. Imò Glosa ibi obijcit, quod nedum sit pœna originalis peccati, sed etiam actualis; Baptizatus enim si cum actuali moritur, nedum pœna ignis cruciatur, sed & visione Dei priuatur; & respondet ex diuersis causis eandem pœnam infligi posse; sed propter solum originale, illa tantum pœna debetur.

91 Prob. ex Magistro Sent. *in 2. dist. 33. cap. Aliquin*, vbi ait, *Non ergo pro peccatis parentum actualibus; nec etiam pro actualibus primi parentis, sed pro originali, quod à parentibus trahitur paruuli damnabuntur; pro eo nullam aliam ignis materialis, vel conscientiæ vermis pœnam sentient; nisi quod Dei visione carebunt in perpetuum*, hæc Magister Sent.

92 Prob. 5. ex S. Bonau. in 2. *dist. 33. p. 3. q. 1. num. 42.* vbi adducens sententiam illarum, qui dicunt, eos materiali igne torquẽdos; ait. *Sed tam valde durum illud dicere videtur, quod Deus tam durè, & tam asperè agat cum paruulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare, nec mortem culpæ, nec mortem naturæ*; & prosequitur, *esse magis conforme pietati fidei, dicere, quod pœna illis non puniantur: sed visione Dei priuari, & quia in carne fuit fœditas locari in loco vili, nempe infernali; sed quia non habuerant in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu, nec in carne, ideo nõ sentiunt pœnæ ignis acerbitatem*; & concludit: *hunc modum dicendi magis approbant Magistri*; & ideo ipsum subtilitet S. Doctor Seraphicus.

93 Prob. ratione ex Sacra Scriptura. Paruuli in contractione originalis peccati, nullam habuerunt delectationem, neque sensus, neque spiritus: ergo non punientur pœna sensus: Consequ. prob. ex *Apoc. 18.* damnatis promittitur pœna iuxta delectationem, *quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Interl. *v. Tormentum*, ait, *in corpore, & ver. Luctum*, ait, *in anima*, idem dicit Ambr. in hunc locum, sic quantum glorificauit se, idest in superbiam erexit, & in omnibus vitijs se implicauit, tanta, & amplioria tormenta excipiet: ergo ista tormenta sensus danda sint iuxta delectationem propriam eius, qui peccauit; ijs non subijcientur paruuli, & hoc est fundamentum Magistri Sent. Bonau. D. Th. Scoti, & aliorum qui cum Innoc. III. Papa id pro Ecclesiæ communi sensu asserunt.

94 Probari etiã solet ex ipsomet Aug. allato à Scoto, qui in *Enchirid. cap. 93.* loquens vbi de omnium pœnis post iudicium habet: *Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui propter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt; & in cæteris quæ addiderunt, tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto minorem hic habuit iniquitatem.* Ex quibus colligi à plerisque solet, quod in August. sent. paruuli non cruciabuntur pœna sensus. Sed cer-

certè decipitur, qui sic discurrit, manifestè enim S. Augustinus subijcit paruulos pœnæ alicui infernali, vt in obiectis patebit; & in citato loco ait fore mitissimam. At erit.

95 Probari solet 2. ex eodem *lib. 3. de libero arb. cap. 23.* vbi ad interrogationem quid fieret de homine, qui nihil rectè fecit, neque peccauit, & dicit hoc non esse futurum. Sed addit, *sanè superfluè quæri de meritis eius, qui nihil meruerit, non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, atque peccatum, & sententia iudicis media esse nõ possit inter præmium, atque supplicium.* Sed qui hoc medio vtitur toto cælo errat: id enim loquitur Augustin. de casu quodam metaphysico, seu possibili de homine non habente peccatũ, neque meritum. At in casu nostro paruuli haberent peccatum, quia in Adam peccauerunt, & peccatum hoc esset mortale. Secundo Augustinus inquirit de casu possibili, & noster sermo est de re futura: ideo non est ad rem. eò vel maximè, quia Augustinus est apertè contrarius.

Alius Augustini locus,

Non est ad rem,

96 Probari solet 3. ex eod. *lib. de pec. mer. c. 15. & 16.* & adducitur *in cap. Regenerante dist. 4. de consecr. Proinde rectè potest dici, paruulos sine baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, &c.* Sed estò locus iste omnibus suauior sit, possitque in sensum pœnæ damni trahi, quia hæc videtur leuissima, si absque consideratione finis supernaturalis, & tristitia eius sit futura, vt postea dicetur; tamen alia Augustini loca sunt conuincentia.

Alius locus ad rem quidem est, sed ab alijs conuellitur,

97 Probari solet 4. ex eodem *lib. 3. in Iul. cap. 11.* vbi habet, *quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum in damnatione omnium leuissima futuros?* & paulò post dicit, *non tales futuros paruulos, quod eis, vt nulli essent, quam vt sibi essent potius expediret.* Sed ex his non colligitur aliud, nisi quod pœna sensus non erit adeo grauis in paruulis, sicut in adultis; at non infertur, quod eam non patientur: fateor, me non videre, quod Augustinus pro sententia negante possit adduci.

Alius locus non concludit.

Ob. 1. Concil. Florent. *sess. vlt.* quæ est *Conslit. 17. Eug. IV. §. 7.* dicit, *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas:* ergo.

Arg. contr.

98 Resp. neg. consequ. Ex dicto enim Cõcilio de paruulis nil aliud deducitur clarè, nisi, quod descendunt in infernum: de pœna verò sensus nihil; tum quia, ait, *disparibus pœnis.* Et sic, vel fit comparatio inter ipsos, & alios, qui cum actuali decedunt, & disparitas pœnarum à nobis assignatur in hoc, quod isti pœna damni, & sensus afficientur, illi verò pœna tantum damni. Si autem comparatio fiat inter ipsolmet descendentes cum actualibus, ad nos hic non pertinet.

Ex Concil. Flor. non colligitur pœna sensus.

Ob. 2 *cap. Firmissimè de consecr. dist. 4.* quod citatur pro Aug. *de fide ad Petrum 1. cap 26.* in quo habetur, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum hominis ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui siue in vteris matrem viuere incipiunt, & ibi moriuntur: siue, cum de matribus nati sine Sacramento Baptismatis de hoc sæculo trãsierunt, sempiterno igne puniendos: quia, & si propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt:* ergo.

Difficile argum.

99 Resp. 1. cum Glosa ibi, *v. puniendos;* quod ex hoc can. habetur paruulos illos in æterno igne esse mansuros, ita vt ignis sit eorum pœna, vt locus, quia in tenebris, & carentia visionis perpetuo erunt; sed non ab illo sensibiliter cruciandos: idem ait eadem Glosa *in cap. Regenerante, eod. dist. 4. v. Mitissimam,* sic respectu aliarum pœnarum, & erit hæc pœna, quia erunt in tenebris, & carebunt visione Dei: id enim dicit eadem *in cap. Nulla eod. distinct.*

Glosa declaratur deigne vt loco, non est tormento.

100 Resp. ab alijs 2. librum illum de fide ad Petrum Diac. non esse August. sed Fulgentij: sed hæc euasio parum iuuat, estò enim locus hic non sit August. alia tamen multa sunt, quæ negari non possunt esse Augustini.

Liber ille non est Augustini.

Ob. 2. ex D. Greg. *lib. 9. mor. cap. 12.* vbi de his paruulis habet, quos quia à culpa originis sacramenta salutis non liberant, & hic ex propria nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt: & post aliqua, subdit. Sed quia post mortem quoq; æterna mors sequitur, occulto eis, iustoque iudicio, etiam sine causa vulnera multiplicãtur; imò paulò post, videns hoc durum iudicari ab hominibus, ait. *Qui itaque nullum proprium adiungens ex solo originis reatu perimitur; quid ille in illo extremo examine, quantum ad humani sensus æstimationem, nisi sine causa vulneratur:* & assignat huius iustitiæ rationem sic. *Sed tamen sub diuina distinctione iustum est, vt propago mortalis velut infructuosa arbor, & in ramis ferat amaritudinem, quam traxit ex radice:* ergo est constans Gregorij sententia, quod paruuli pœnam sensus patiantur, si cum solo originali decedant.

Argum. ex Greg. Magn. validum.

101 Respondeti posset primò, quod erunt quidem in loco tormentorum, nempe in inferno, sed aliam pœnam non patientur, nisi damni, & hoc sit maximum eorum vulnus. Sed fortasse hoc non placebit, quia videtur violenta extorsio sensus Gregorij, qui de veris vulneribus loqui videtur: sed instari posset, esse impossibilia vera vulnera; nam corpora post resurrectionem licet in damnatis per totam æternitatem patientur dolorem, tamen erunt incorruptibilia, igitur vulnerũ incapacia, ac proinde vulnus quod in Sacra Scriptura accipi solet pro

Declaratur Gregorius.

gra-

graui malo, seu incõmodo, in paruulis erit carentia visionis Dei.

Gregorius vt priuatus doctor idem docuit, quod Augustinus, & Fulgentius de pœna ignis paruulorum,

101 Resp. 1. non posse negari, quod S. Gregorius idem senserit cum Augustino, ac Fulgentio; id tamen asserit non in decretali aliqua epistola, vel rescripto ex cathedra pronunciato, sed, vt priuatus Doctor commentans librum Iob neque enim omnia, quæ in illis libris moralium in Iob, aut in alijs suis operibus continentur, sunt omnia dogmata fidei huic ergo Pontificis, vt priuati Doctoris sententiæ, opponimus dictum decretalis Innocentij III. *in cap. Maiores*, quo statuitur, pœnam originalis peccati esse carentiam visionis Dei perpetuam, actualis verò, gehennæ perpetuæ cruciatũ. Patet ergo, Ecclesiæ non placuisse duram illam sententiam de pœna sensus paruulorum pro originali.

Arg. pro authoritate Augustini.

Ob. 1. In hac materia non videtur relinquẽdus S. Augustinus eximius Magister, & Ecclesiæ Doctor, cuius doctrina a tot Pontificibus Romanis est commendata eique Ecclesia innixa; *& Gelasius cap. 6.* Augustinum, & Hieronymum vocat Ecclesiæ lumina. *Ioann. II. ep. 3.* ait eius doctrinam ab Ecclesia obseruari *in cap. Vt. de Relig. & vener. SS. in 6.* de quatuor Doctorum doctrina, (inter quos recensetur Augustinus) dicitur, *Ecclesiam fulciri, & per eam difficultates solui.* Is autem, ex quo ad fidem venit numquam ab Ecclesia Romana recessit ex *Galest. I. ep. 1. cap. 2.* & tamen, qui multa, et parui momenti retractauit hanc sententiam de paruulorum pœnis numquam legitur retractasse. Et quod maximè obseruandum est, non semel, aut bis, sed sæpe hoc inculcat: nam *in Enchir. cap. 23.* dicit, *firmissimè tene, & nullatenus dubites, qui sine Sacr. Baptismatis de hoc sæculo transeunt æterni ignis supplicio puniendos. 2. in ser. 14. de verb. Apost. cap. 3* docet, duo tantum omnium hominum futura loca, post iudicium, & in inferno ponit paruulos, sic. *Similiter dicturus est, ite maledicti in ignem æternum, &c. dexteris dicturus, venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum. Nullus relictus est medius locus vbi ponere queas infantes;* & post. *Qui ibi non est in dextera, in sinistra est: quid erit in dextera? in dextera ad Regnum vtique æternum, in sinistra in ignem æternum. Qui non in dextera procul dubio in sinistra. Ergo qui non in regno, procul dubio in ignem æternum:* & quia posset quis respondere, Augustinum loqui de loco paruulorum contra Pelagium asserentem esse tertium quendam, non cælum, neque infernum; ipsemet confutat hanc euasionem: ibidem enim ait, *Extremus autem sententiæ, vt doceret, quid sit regnum, & quid sit ignis æternus, Tunc,* inquit, *ibibunt isti in combustionem æternam; iusti autem in vitam æternam.*

Vrget, quod numquam eam retractauit sententiam.

Opera dicit ardentes in igne no futura.

Et loquitur non tantum de loco, sed de pœna.

Idem in *epist 28.* loquens de pœnis paruulorum, ait. *Sed cum ad pœnas tantum esse pertinere paruulorum, magnis, mihi credo coercior angustijs, nec quid respondeam prorsus inuenio, non solum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damnatio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine Christiana gratia Sacramento &c.*

Idem *lib. 6. contra Iul. cap. 3.* declarans verba illa, *qui non crediderit, condemnabitur,* ait, *Vt elitis nolitis, paruulos credere confitemini in Christum per corda, & ora gestantium; ergo, & ad illos pertinet dominica illa sententia, qui non crediderit, condemnabitur:* & ne quis putet de condemnatione ad pœnam damni eum loqui, obseruet Augustinum duos ordines iudicandorum futuros asserere in iudicio. Vnus eorum erit qui in dextera sunt collocandi, alius eorũ, qui in sinistra, primis autem dicturus est, *venite percipite regnum, &c.* Postremis, *ite in ignem æternum.* Et, ne quis arbitretur, Augustinum non intelligere, quod ignis sit combusturus existentes in eo, sed solum futuros in eo, vt in loco; aduertere debet, quod ea phrasi loquendi, *ite in ignem æternum*, intelligit cruciatum futurũ per ignis tormentum, ita *in lib. de fide, & operibus cap. 13.* vbi ait, *Neque illud dici hic poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam, &c. Cum & hoc prænidens Dominus sententiam suam concluserit, ita dicens: sic ibunt illi in combustionem æternam, erit ergo æterna combustio sicut ignis.*

Multa Augustini loca, quibus tribuit paruulis pœnam sensus.

De igne eruditè paruulos loquitur.

Et quamuis tribus in locis limitet suam sententiam de mitissima pœna: tamen non recedit à pœna ignis. Nam in *Enchir. c. 93.* vt à Scoto obseruatur, habet, *Mitissima omnium pœna erit eorum, qui præter peccatũ, quod originale traxerunt nullum insuper addiderunt;* & *in lib. de pec. mer. cap. 16. Potest proinde rectè dici, paruulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros in lib. 5. contra Iul. c. 11.* habet, *paruulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur in damnatione omnium leuissimo futuros,* neque potest dici, quod loquatur de pœna damni quam vocat leuissimam; quia protestatur, se nescire, quæ, & quanta futura sit, & subdit, *non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli essent, quam, vt ibi esse sint potius expediret.* Si autem esset sola pœna damni determinatè, eam sciret: concluditur ergo, esse apertã Augustini mentem, quod eiusmodi paruuli pœnam ignis sint subituri.

Quando dicit mitissima semper loquitur de pœna ignis.

Nõ loquitur de pœna dãni vt putat Scotus, & alij

103 Resp. solet ad hæc à grauibus Theologis, vt S. Bonauentura *in 2. dist. 33. par. 2. q. 1. ad primum*, & S. Thoma *in quæst. disp. q. de pœna peccati orig. ar. 2.* Augustinum loqui per excessum sic autem loquitur S. Bonau. sub *num. 43. Dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod paruuli sensibiliter crucientur, sed intendit eorum pœnam manifestare quantum ad ca-*

SS. Thom. & Bonau. declarant Aug. de pœna damni.

SS Thoe. & Bonau. declarant Augustt de pœna damni.

*rentiâ visionis Dei, & etiam quantũ ad vilitatẽ loci. Nec fine causa loquitur sic, hoc enim fecit ad extirpandam illam hæresim, quæ docebat paruulos nullã pœnã pati: vnde, sicut in moribus documentum est quod qui vult ab vno extremorum peruenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum. Sic etiam Beatus Augustt. vt illam hæresim extirparet, quæ docebat paruulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, docuit panam carentiæ visionis simpliciter asseruit cum alijs peccatoribus æternaliter damnari. Idem autem suum intellectum explicauit in Enchiridio, vbi dixit panam eorum esse mitissimam.* Idem prorsus dicit D. Thom. loco cit. *art.* 1. explicans Aug. circa hanc mitissimam pœnam. idem Scotus 2. *distinct.* 33. Alensis *in prima par. quæst.* 49. *mem.* 3. *artic.* 4. Ricchard *in* 2. *distinct.* 33. *artic.* 3. *quæst.* 1. Durand. *art.* 3. Marsil. *in* 2. *qu.* 19. *art.* 3. Catharinus *in opusc. de pœna paruul. rationi orig* Et ita nunc tota Ecclesia sentire videtur nullo penitus excepto, nisi contentioso aliquo affectante Augustini doctrinam secundum apicem mordicus substinere.

S. Th. explicatio.

Alij omnes ita explicat licet violenter.

104 Respondendum ergo ad omnia præfata loca: Augustinum paruulis cum originali defunctis infernalem locum assignasse; non autem ignis cruciatum; quando verò ait idem importare ignem, ac ignis combustionem, intelligendũ esse in sensu accomodo, iuxta capacitatem subiecti mittendi in ignem: eam autem esse Augustini mentem ex suo contextu apparet, cum ait pluries, pœnam paruulorum mitissimam fore, & iuxta D. Thom. Bonau. ac Scoti mentem, vt alios omittam hæc mitissima pœna, cui paruuli illi subijciuntur, est carentia visionis Dei. Nec puto aliter dici posse pro fidei pietate, & Augustini doctrina semper veneranda, abiit autem, vt dicamus cum Gennadio Massilienſi Presbytero in Cathalogo Virorum Illustrium, Augustinum ex Multiloquio, in hoc errasse. benignè enim est interpretandus tantus Magister.

Declaratur Augustinus de loco non de cruciatu.

Benignè intelligendus Augustinus.

Instab. Impossibile est, per pœnam mitissimã intelligi carentiam perpetuam visionis Dei; ergo de alia loquitur August. nempe de pœna sensus, & ignis. Antec. prob. ex Chrysost. *hom.* 24. *in Matth.* docente carentiam visionis Dei esse maiorẽ pœna gehennæ, his verbis: *Noui, quod plurimi pertimescant tantum gehennam, ego tamen illius gloriæ omissionem multò amarius, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium*; & post multa ait, *si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beata illius gloria homore repelli*: ergo supposita hac pœna in paruulis omnibus damnatis communi, Augustinus loquens de pœna ignis, ac sensus, ait, paruulorum esse mitissimam.

Validum argum.

Carentia visionis, quomodo est grauissima pœna.

105 Resp. Visionis carentiam vtique esse maiorem pœnam appretiatiuè, & magis cruciare eos, qui reflectunt ex suis demeritis eam incurrisse, & de ea tristantur. At respectu paruulorum, qui non sua, sed primi parentis culpa eam incurrunt, non sic se habebit; & ideo vermis etiam dolore carebũt, vt postea dicetur. Secus dicendum esset de tristitia talis carentiæ, quæ quidem maxima omnium est, & de ea loquitur Christus, vt *in seq. art. dicem.*

Ob. 4. ex *Matth.* 26. pro meritis, ac demeritis, duo tantum sunt retribuenda, regnum, & ignis: *Venite benedicti percipite Regnum; ite maledicti in ignem æternum*: ergo consequen. prob. vniformis est modus loquendi pro omnibus damnandis: ergo si alij in igne cremandi sunt, etiam paruuli. 2. quia sequeretur dari medium locum inter damnatos, ac beatos iuxta sententiam Pelagij ab Augustino impugnatam, vt hæreticam.

Ex sententia Christi in iudicio quare non inferatur paruulos passuros esse pœnã ignis. Sed solum futuros in inferno, & igne. vt in loco.

106 Resp. Sanctos nostros Doctores Thomam, & Bonauen. nec non, & alios insignes Theologos, Alensem eorum Magistrũ, & Scotum, &c. hoc argumentum vtpote obuium tam præuidisse, & tamquam non conuincens, de eo non curasse. Nam probatur ex eo, quod duo tantum erunt omnium hominum loca, Infernum, scilicet, & paradisum. At non ex hoc probatur, quod omnes exitientes in inferno, omnes debeãt pati pœnas, neque omnes æquè intensas; sic neque ex habitatione paruulorum in eo loco infertur pœnam sensus esse passuros. Erũt ergo, ibi ait S. Bonau. vbi supra, vt in loco vili, ac tenebroso, solam damni pœnam patientes: & hoc modo ad omnia similia loca erit respondendum, *Angeli separabunt malos de medio iustorum, & mittent illos in caminum ignis, &c.*

Euidens est ratio huius dicti, quod paruulos non includat.

107 Neque putetur id gratis dictum. Sicut enim ad paruulos non dirigetur illud Christi sermo, *Esurijui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & non dedistis mihi bibere*, quia paruuli nunquam fuerunt in statu eis bandi, potandi, & vestiendi pauperes; ita neque ad eos totius sententiæ rigor dirigetur. Adde, quod doctrina etiam Pauli, 2. *ad Cor.* 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi. vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit*, nihil enim in corpore gesserunt paruuli; & sic de alijs, quæ minimè eis aptari possunt, & tamen de paruulis pro die iudicij enunciantur; ergo sententia cum ea distributione intelligenda est, vt adultis pœnæ gestorum aptentur; paruulis autem pœna originis.

Arg. contra fundamentũ concluſ.

Ob. 5. Eatenus pœna ignis, aliæque sensibiles paruulis negantur, quatenus esset contra æquitatem, ac iustitiam cruciare eos, qui propria actione non deliquerunt: sed hoc non obstat. Nam vt putuit Greg. *lib.* 9. *mor. cap.* 12. ait, *quantum ad humani sensus æstimationem iudicantur sine causa vulnerari: sed tamen iub diuina distinctione iustum est, vt propago mortalis velut infructuosa arbor, & in ramis ferens amaritudinem, quã*

*ir-*

*traxit ex radice*. 2. quia eadem ratio conuinceret de contractione originalis, amissione gratiæ, de morte alijsq; malis, & ipsamet pœna damni; & tamen Deus iustissimè illos his modis punit; non enim est apud eum iniquitas.

Iuxta decreta præsentis prouidentiæ esset contra æquitatem si paruuli igne torquentur.

108 Resp. dist. anteced. de his, quæ iam decreta sunt, concedo esse contra æquitatẽ, si ita dicatur, absolutè, et de possibili, nego. Nos autem loquimur cum siltemate misericordiæ Dei superexaltantis iudicium, & iustitiam, et sic dicimus contra æquitatem apparere, quod talibus pœnis addictos dicamus paruulos, qui nihil earum dignum gesserunt, et ad eas Deus ipsos in fœdere Adæ non destinauit, sed ad sui visionis carentiam tantùmodo. Absolutè verò potuisset Deus, et has pœnas exigere ab omnibus, qui irritum Dei fœdus fecissent: id autem præsentis speculationis non est.

## ARTICVLVS VI.

### *An Paruuli isti saltem tristitiam aliquam patiantur.*

Scoti mens.

SCOTVS *in 2. sent. dist. 33. sub A.* ita docet. *Paruuli nullam etiam habebunt panam interiorem, vt tristitiam, nec de statu suo, nec de carentia visionis, &c.*

109 Adu. Nonnullos Theologos ægrè recedentes à sententia, quam putant Augustini de cruciatu puerorum per ignis cõbustionem, videntes eum dotere, pœnam eorum futuram mitissimam, nè totaliter eũ deserant, inquiunt pœnam hanc mitissimã, dici posse tristitiam de statu suo, vel de carentia visionis Dei, vel de vtroque.

Sent. aliquorum affirmatiua, & ratio,

110 Adu. 2. Paucos admodum Theologos me vidisse, qui in hanc sententiam inclinant; Moderni autem ferè omnes video amplexos sententiam negatiuam Alensis, S. Thomæ, S. Bonauenturæ, ac Scoti, docentem, excepta pœna damni, nullam aliam à paruulis esse luendam, neque tristitiæ, neque alterius generis. Estò autem præfati Doctores in sententia conueniant, tamen in ratione assignanda discordant: ideo singulorum motiua in progressu adducemus.

Negatiuè omnes tenẽt post D. Bonau. D. Tho. & Alensem, Scotum,

111 Dico ergo. Paruuli, cum solo originali decedentes, non patientur pœnam interiorem tristitiæ: est Scoti loco cit. Alens. *p. p. q. 39. mem. 3. art. 4.* D. Thom. *in quæst. disp. quæst. de pœna pec. orig. art. 1. & 2.* D. Bonau. *in 2. d. 33. p. 3. qu. 2.* & ferè communis, si perpaucos excipias.

Paruuli non patiẽtur pœnam tristitiæ.

112 Prob. 1. Tristitia est pœna sensus: sed paruuli non sunt ex dictis torquendi pœna sensus: ergo.

Prob. 2. omnibus argumentis in præced. art. allatis, ad idem enim sunt.

113 Prob. 3. principaliter ex *cap. Maiores de Bapt.* vbi sola pœna damni assignatur pro originali peccato: ergo. Conseq prob. *in cap. De quibus dist. 10.* assignatur hæc regula ad soluenda dubia quæ circa fidei negotia occurrunt; *quod si authoritas in libris veteris Testamenti quatuor Euangeliorum, cum totis scriptis Apostolorum non apparent ad diuina recurre scripta Græca. Si neque in illis, canones Sedis Apostolicæ intuere. Si nec in illis, ad Catholica Ecclesiæ historias Catholicas à Catholicis Doctoribus scriptas manum mitte, &c. & in cap. præced. si decreta*, dicitur. *Si decreta Romanorum Pontificum habetis, & non obseruatis, de temeritate eis corripiendi.* Sed iam adest decretum Ecclesiæ Romanæ declarans, pœnam originalis esse carentiam visionis Dei; actualis verò gehennæ cruciatum: ergo absque temeritatis periculo ab eo recedi non posse videtur.

Nulla assignata pœna in scriptura, vel textu canonico repertur taxata, quam pœna damni,

114 Prob. 4. Si paterentur tristitiam, inuoluntariè suum statum sustinerent, & murmurarent contra Dei dispositionem; & sic inordinatè vellent: sed hoc est falsum, & absurdum. Min. prob. ex Dei dispositione decretum est, vt in eo actu volendi, seu in eo morali maneant omnes, in quo ex hac vita decedunt, ex Ecclesiastes 11. *Vbi ceciderit lignum, ibi erit.* Sed paruuli non decesserunt cum voluntate inordinata: ergo non possunt deordinari: ex quo sequitur, nullam interiorem de suo statu tristitiam eas habituras: ita Scotus sub *A.*

Arg. ex absurdo, etiq; Scoti.

115 Prob. 5. ex eodem ibidem. Si tristarentur de carentia visionis, seu beatitudinis cum desperarent de ea, haberent pœnam grauissimam inter omnes pœnas damnatorum: & hi non mitissimè, sed seueriss. mè punirentur: quod est absurdum, & contra ipsummet Augustinum: ergo. Sequela probatur dupliciter, primò ratione naturali ipsiusmet Scoti. Maior absolutè, & simpliciter est pœna voluntatis, quam sensus externi, puta tactus, quia voluntas est magis appetitus hominis in quãtum homo, quam appetitus sensitiuus; & quidquid agit, & patitur secundum voluntatem, simpliciter magis, & patitur in quantum homo, quam secundum aliquem alium appetitum, & ita simpliciter magis patitur, si tristatur, quam si doleat. Secundò, eadem sequela prob. ex Chrysostomo *homil. 24. in Matth.* vbi ait, *Nouo, quod plurimi pertimescant tantum gehennam; ego tamen illius gloriæ amissionem multò amariùs, quam ipsius gehennæ dico esse supplicium. Intolerabilis quidem res est, & supplicium horribile; tamen si mille aliquis ponas gehennas, nihil tale dicturus est, quale est à beata illius gloriæ bonore repelli.* Et in Parænesi prima ad Theodorũ ait, *Sunt quidam absurdi iudicij; qui dumtaxat amant effugere gehennam; contra ego, multò durius esse tormentum quoddam affero, quam gehenna est; hoc est non esse assecutum tantam gloriam, & illum elapsum esse: nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ,*

Aliud absurdum quia grauissimam sumerent.

Quare grauissima,

Chrysost. tẽtentia, quod tristitia sit grauior, quã gehennæ.

Et maior quam mille gehennæ.

*quanto necesse est casum deplorare, quod de cœlis excidimus, qui est animarum cruciatus omnium durissimus.* Hæc Chrysost. quæ de tristitia contemplantis talem amissionem, quam potuerat quis acquirere intelligenda est: non verò de simplici denegatione illius; hæc enim, vt in præcedenti diximus mitissima est ex D. Bonauen. D. Thoma, & Scoto.

Arg. à priori.

116 Prob. 6. Pœna sensus ex proportione delectationis actualis mensuratur: ergo vbi nulla infuit eiusmodi delectatio, nulla inerit sensus pœna: antec. prob. ex *Apoc. al.* 18. *Quantum se glorificauit, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Arg. contra tia.

Ob. 1. Paruuli habebunt perfectum vsum rationis, & cognoscent se ordinatos ad vitam æternam: ergo ordinatè appetent; & tamen, quia, nec obtinebunt, nec se obtenturos sperabunt tristabuntur: nam tristitia ex Aug. *lib* 14. *de Ciuit. Dei cap.* 15. est de rebus quæ nobis nolentibus accidunt, ita sibi obijcit Scotus *in* 2. *dist.* 33.

Scotus dicit paruulos, vel nó cognituros eleuationem hominis ad beatitudinem, vel cognoscétes nó appetituros illam esse impossibilem sibi.

117 Resp. ex Scoto *sub C.* Vel eos non habituros cognitionem de ordinatione hominum ad beatitudinem supernaturalem, quia hæc cognitio est supernaturalis, & non conceditur, nisi intellectui supernaturaliter eleuato, qualis non erit intellectus paruulorum. Vel si eis conceditur, adhuc tamen non tristabuntur, quia non appetent illam cognitam sibi impossibilem. Et scientes Deum sic disposuisse, erunt contenti de statu suo: ita Scotus.

S. Bonauen. idem dicit.

118 S. Bonauen. eodem fere modo respondet, *in q.* 2. *num.* 48. vbi postquam retulit diuersos dicendi modos, ait, animæ paruulorum carebunt actuali dolore, & afflictione, non tamen carebunt cognitione: & assignat congruentiam; quia illi cum solo originali decedentes, tenent quasi medium inter gratiam, & culpam actualem. Et quoniam status retributionis respondere debet statui vitæ præsentis, in tali statu debent animæ paruulorum poni, vt quasi mediũ teneant inter bonos, & æternis ignibus cruciatos: quoniam igitur Beati carent malo pœnæ sensibilis, & habent Dei visionem; damnati verò sunt in tenebris, & puniuntur pœna sensibili; paruuli secundum ordinem æquitatis debent communicare in vno cum damnatis, in alio cum Beatis: sed non possunt communicare in habendo diuinam præsentiam, quia tunc in nullo communicarent cum damnatis: ergo communicant cum beatis in non habendo pœnam sensus, cum damnatis verò in carentia visionis. Hæc Seraphicus Doctor. Et prosequitur, quod, sicut in beatis ostenditur diuina misericordia, & in damnatis iustitia; ita in paruulis vtraque.

Statum medium ait eos habituros inter beatos, & damnatos, & cum vtrisq; communicaturos.

Dices, stare non potest prima Scoti responsio, negans cognitionem beatitudinis, quia paruuli apparebunt in iudicio, & audient sententiam Christi vocantis ad Patris Regnum, & Christum videbunt in gloria apparentem: ergo postea recordabuntur de beatitudine, qua ipsi priuantur.

Instat, quod cognoscent status beatorum,

119 Resp. ex auditione sententiæ colligere non poterunt beatitudinem in particulari, huius enim cognitio est supernaturalis, sed ad summum colligent dari statum quendam suo feliciorem, sicut & alium infeliciorem, at non cognoscent, in quo sita sit perfecta illa iustorum, seu benedictorum felicitas.

Quare non cognoscent beatitudinẽ in particulari.

Instabis 1. qualiscumque sit ista cognitio, scient acquisita scientia in Beatorum conscientijs intuẽdo eos cogitare de perpetua visione, & fruitione Dei, ad quam in proximo sunt vocandi. 2. estò beatitudinem in generali solum cognoscant, hæc cognitio sufficere potest ad tristitiam.

Non cognoscent statum beatorum in conscientijs eorum, in iudicio.

120 Resp. quod ex cognitione cõscientiarum, non poterunt nisi ad summum abstractiuè percipere, quid sit visio Dei: siue ergo id percipiant, siue beatitudinem in generali concipiant, non tristabuntur, quia, vt inquiunt Scotus, & Bonauentura, erunt de suo statu contenti, & eorum voluntas non erit deordinata. Nisi malis dicere, impediendos esse, ne sic, vel sic beatitudinem apprehendant.

Vrg. frustra multiplicantur hęc miracula, vel impediendi cognitionem, vel impediendi tristitiam suppositа cognitione: ergo cognoscent, & tristabuntur.

Non permittet Deus, vt cognoscant statum beatorum.

121 Resp. neg. anteced. Ordo enim diuinæ iustitiæ exigit, vt ita fiat; et, qui propria operatione non peccarunt, doloris, seu tristitiæ pœnam non sentiant: quæ ergo ad hoc exequendum sunt necessaria, non gratis, aut frustra, sed cum fundamento asseruntur.

Ob. 2. si cognoscent se visionis Dei capaces, in pœnam originalis priuari, cum fomes in eis non sit extinctus, poterunt inordinatè eam sibi concupiscere; et ea non habita tristari: ergo.

Non erit in eis fomes.

122 *Resp. ex Scoto sub D.* negando secundam partem de fomite: sicut enim ait in via nullum in eis fomitem excitauit, sic neque ibi, non enim fient peioris conditionis per separationem à corpore, vel per nouam vnionem cum illo.

Ob. 3. si daretur homo in puris naturalibus, et sic moreretur, careret Dei visione, et in hoc esset æqualis paruulis: ergo, cum illi supra illum haberent etiam originale peccatũ, aliquod aliud habere debent præter carentiam visionis: id autem nequit aliud esse nisi tristitia secuta pro carentia: ergo.

Homo in puris naturalibus moriens negationem physicam visionis haberet paruuli moralem, & quare.

123 Resp. ex Scoto in calce *dist.* 33. distin. anteced. homo in puris naturalibus moriens careret visione, carentia mere physica, concedo: morali, et in pœnam, nego; in hoc ergo est ista differentia harum carentiarum inter hominem in puris naturalibus existentem, et paruulum cum originali; quia

iste careret in pœnam pro culpa, ille autem merè physicè: vel iste esset priuatus Dei visione, ille negatus: quia paruulus, cum originali est debitor iustitiæ; existens in puris naturalibus nequaquam. Et assignat Scotus aptum exemplum, si Princeps aliquem non eligit ad honorem, vel donum accipiēdum; alium verò eligit, sed hic demeretur, ne illum obtineret; maxima esset inter hos duos honore carentes differētia, vnus enim careret ex culpa, & ideo ignominia ei esset hæc carentia, alius verò non. & ideo non esset imputabilis; vnus ergo priuaretur vt reus, alius non. Etsi, inquit Scotus, nunquam erit de facto talis productus in puris naturalibus; Deus enim naturam rationalem, quam produxit, semper ordinat ad finem, si ex parte illius non fuerit impedimētum, vel defectus. hæc Scotus.

Exemplum inhumanæ politiæ clarum.

Ob. 4. Etiam SS. Patres ante Christi aduentum visione Dei carebant in limbo, & tamen ab omni peccato erant immunes: ergo, cum paruuli sint peccato obnoxij, aliquod aliud onus habent præter carentiam visionis.

114 Resp. neg. conseq. in Sanctis enim carentia illa fuit temporalis, vsq; ad ianuæ cæli aperitionem per Christum: at in paruulis erit perpetua, & æterna. 2. quia SS. Patres spe futuræ visionis, ac fruitionis gaudebant; non sic paruuli, qui omni spe, ac fiducia visionis carent.

Differentia carentiæ visionis Patrū in limbo. & paruulorum.

Ob. 5. Maximum est hominis dolor priuari summo bono absq; causa propria: sed paruuli cognoscent, se ita priuari: ergo.

115 Resp. neg. min. nam si cognoscent eleuationem, bene cognoscent, se ex causa beatitudine priuari quatenus sunt rami, frutices, aut membra massæ damnatæ, sicut enim iustè contrahunt eisq; imputatur originale, nec sine causa; ita, & pœna illius.

Si cognoscent, causa etiā cognoscent.

Ob. 6. hæresis Pelagij est dicere, quod paruuli locum quendam medium habeant inter damnatos, ac beatos, ideo Aug. *lib. 1. de orig. Anima cap. 9.* ait, paruulis non baptizatis, *nemo promittat quietis, aut felicitatis cuiuslibet, atque vbilibet inter damnationem, regnumque cælorum quasi medium locum*: id autem sequeretur, nisi vllam tristitiam, aut dolorem sentirent: ergo.

Arg. quod sit hæresis Pelagij status medius.

116 Resp. dist. antec. est doctrina Pelagij asserere, quod, nec in inferno sint, & vbi sunt extra cælum, Beati sint, concedō: asserere, quod sint in inferno priuati perpetuo beatitudine, & omni felicitate, nego: id autem asserunt Magister Sententiarum, D. Thomas, D. Bonauen. & Scotus. medius ergo locus, & felicitas sunt eis deneganda, vt à Pelagio recedatur.

Hæresis Pelagij est, quod sint extra cælū, sed beati,

Ob. 7. Paruuli in iudicio sunt iudicandi, & condemnandi: ergo ad aliquam pœnam, internam saltem.

117 Resp. damnandos publica sententia coram omni hominum multitudine ad perpetuam pœnam damni.

In iudicio ad pœnam damni damnabuntur.

## ARTICVLVS VII.

### *Quinam sit Paruulorum locus; an infernus, & qui.*

SCOTVS *in 2. sent. dist. 33. q. vn.* quamuis conetur paruulos à pœna ignis omniq; alia sensus contra morem suum ab Augustino recedens liberare; tamen *in solutione argum. ad primū* de pœna ignis admissa ab Augustino, respōdet cum S. Bonau. Augusti. excessiuè fuisse locutum, vt longissimè à Pelagio recederet. At, quia fortè videbat hanc esse extorsionem mentis Augustini, ait, *Aliter posset dici, quod æterni ignis supplicio in sensu diuisionis, idest in illo supplicio, quod est in æterno igne sunt cremandi*; & non fore passibiles per ignem ex diuina institutione. hæc Scotus. quibus concludit, in loco ignis eos futuros, non tamen ab eo passuros.

Scoti mens.

118 Adu. Plures olim, imò & nunc esse sententias. Prima, vt ex primo art. fuit Pelagij, qui paruulos sine baptismo decedentes extra Cælum eos ponebat, ex lege Christi *Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. non introibit in regnum cælorum*, & beatos vera beatitudine asserebat; interrogatus autem de loco, in quo futuri essent post iudicium, dicebat, *quò non sunt scio, sed quò sunt, nescio*. Secunda sententia recedens ab ista in multis, docet, paruulos cum originali decedentes, nunc quidem recipi in limbo, qui est in sinu terræ; sed post iudicium habituros super terram iam innouatam; ita Ambr. Catharinus *in libro de statu pur.* Pighius, Paludanus, Salmeron, Suarez, *3. p. t. 2. disp. 50.* Faber noster Fauent. *de pœnit. disp. 36. cap. 2.* & Gaudius *lib. de macula disp. 2. cap. 7. sed vlt.* At nescio vnde hauserint eiusmodi nouitatem. Tertia sententia est in Ecclesia fere communis, & vt existimo in Concilio Flor. iam definita, quod paruulorum locus sit in inferno At quia plura sunt in inferno loca, adhuc est controuersia, in quo loco sint mansuri.

Plures sententiæ de loco paruulorum.

Pelagius nescit locum.

Alij qui docent in terra mansuras.

Sent. communior.

119 Adu. 2. ex dictis *in disp. 13. de Inferno.* Plura in inferioribus terræ cauitatibus assignari loca, vt Sancta nos admonet Scriptura *Psal. 85. Eruisti animam meam ex inferno inferiori*; vbi Gl. Ord. quæ est Aug. ait *Per hoc intelligimus tamquam duo inferna esse, inferius, & superius*, & post aliqua ait, *in inferno inferiori est pars damnatorum, vnde diues leuat oculos ad Abraham, qui cum alijs iustis erat quasi in ora, & quasi in limbo inferni tanquam in superiori, à qua liberatur qui à peccatis liberatus, illuc non mittitur*, idem pluribus docet S. Doctor in eum psal. de his autem pluribus locis inferni, seu cauitatis terræ alia diximus in disp. præced. de purgatorio, hic ergo quærimus, si in inferno recipiun-

In inferno plura sūt loca.

recipiuntur, & commoraturi sunt paruuli, de qua nam eius parte intelligitur.

Lymbus quid significat.

130 Adu. 3. Vocabulum *lymbus* vt ex calepino significare extremitatem vestis muliebris, & ex similitudine quadam locum Sanctorum Patrum ante Christi aduentum appellari limbum, quia scilicet est pars extrema ex superiori situ cauitatum terræ, in quibus est infernus damnatorũ, vt ex Glosa Augustin. nuper citata apparuit. Hoc ergo stante quæritur an in illo met lymbo, seù ora inferni, in qua erant Sancti Patres; an in parte alia inferiori, ad terram; sed remota ab inferno damnatorum, erunt paruuli S. Bonau. *in 4. dist. 45. p. 1. q 1.* tenet sinum Abrahæ esse quid diuersum à lymbo, & proinde sinus ille non potest propriè dici infernus, quia hoc nomen ex Augustino, *de Præsent. Dei ad Dardanum c. 2.* rarò in scriptura accipitur in bonam partem; & tamen, qui erant in sinu Abrahæ habebant certã spem gloriæ. Ipse ergo hic videtur inclinare in sententiam, quod paruuli isti futuri sint in lymbo.

Dubia Scripturæ quo modo declaranda.

131 Adu. vlt. circa doctrinarum veritatem vt in præced. innuimus, quando de ea non constat *ex cap. de quibus dist.* 20, inuestigandam esse sacram Scripturam, Concilia rescripta Pontificum, vel SS. Patres, nec temere esse aliquid nouum in Ecclesia ingerendum, quod ex aliquo illorum non colligatur. Nouitates enim circa dogmatum explanationem, ab Ecclesia damnantur, ita *ex Concil. Later. sub Martino I. consuli 5. c. 20. & ex Concil. Francfordiensi in decr.* circa finem, *noua quæstionis. cauenda sunt.* neque mirum: nam, vt eruditè admonet Augustinus *hæresis nouitia semper est*, ex nouitatibus enim hæresis nascitur, à qua vt à peste cauendum est: his præmissis.

Paruuli cum originali in inferno recipiuntur, ibique manebunt.

132 Dico, Paruuli cum originali decedentes in inferno recipiuntur, ibique mansuri sunt; est contra Pelagium, & alios qui extra infernum eos collocant. est Scoti vbi supra, D. Bonau. *in 2. d. 33. p. 3. q. 2. & in 4. d. 45. p. 1. q. 1.* D. Thom. *in 2. d. 33. & in quæst. disp. q. de pœna orig. pecc.* Alens. *p. p. quæst. 39. memb. 5. ar. 4.* & omnium qui sequuntur Magistrum sentent.

133 Prob. 1. ex *Matth.* 25. Duæ tantũ sententiæ, & duæ mansiones pro hominum vniuersitate præscribuntur. *Venite benedicti percipite regnum, & ite maledicti in ignem æternum, & ibunt illi in vitam æternam, mittit autem in ignem æternum*, sed paruuli isti non ibunt in locum priorum: ergo in locum posteriorum: hic autem est infernus: ergo.

Ex Con. Fl. videtur esse deticum.

134 Prob. 2. ex Concil. Flor. sess. vlt. in Concordia Eccles. Græca cum Latina, & est *const. 17. Eug. 4. §. 7. Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernũ descendere pœnis tamen disparibus puniendas*, ergo iã definiuit Ecclesia locum paruulorum esse inferuum. Quod autem à quibusdam dicitur, Concilium loqui de loco eorum vsque ad iudicium, non verò de loco æterno post iudicium, est mera fictio, & nouitas; Concil. enim loquitur de proprio loco talium damnatorum, & nescio quid amplius eis inesset boni, vt post iudicium deberent esse melioris conditionis. nõ curo nouitatem.

135 Prob. 3. ex *cap. Firmissimè de Consecr. dist. 4.* vbi tradum locus inferni, sed pœnæ damnatorum sunt eiusmodi paruulis taxatæ.

Ex Simbolo Athan.

136 Prob. 4. ex Simb. Atan. *qui bona egerunt ibunt in Vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum*, paruuli non bona, sed mala, esto in Adamo, egerunt, ob quæ damnantur: ergo in Inferno.

Ex August. Ex pariate

137 Prob. 5. ex *August. lib. de orig. anime c. 9.* vbi prolixè docet, non esse promittendum paruulis locum medium inter locum beatitudinis, & damnationis; sed hic est infernus: ergo.

138 Confir. ex eod. *lib. 1. de Nup. et concup. c. 20.* vbi habet, *eos qui nondum tali regeneratione redempti sunt, etiam paruulos filios redemptorum sub eiusdem esse potestate captiuos*, sed locus Principis, seu potestatis, est locus tenebrarum: ergo.

139 Prob. 6. Animæ SS. Patrum ante Christi aduentum estò innocentes, & in gratia, in inferno, licet superiori, seù limbo detinebantur; ideò ad inferos credimus Christum descendisse, ad illuminandum eos qui in tenebris & vmbra mortis sedebant: ergo à fortiori in inferno poni debent, qui peccatum originale, quod mortale est, habent, cum absque spe gratiæ, aut gloriæ perpetuo sint damnati, neque vlla pro eis speretur redemptio.

140 Prob. tandem ex seq. conclusione, quæ de inferni damnatione est ideo.

Est probabilius quod in inferno damnatorum.

141 Dico 2. Probabilissimum est, ac veritati Scripturæ magis consentaneum dicere, quod paruuli isti (licet sine conbustione, aliquè sensus pœna) in inferno damnatorum recipiendi sint, est DD. supra cit. sed non est de fide.

Ex script.

142 Prob 1. Scriptura, cum hominibus finalem habitationem, atque perpetuam designat, Regnum, & ignem nominat, ergo alius nequit paruulis assignari in inferno locus. Antec. prob. *Matth. 26. & ibunt hi in vitam æternam, in ignem verò in ignem æternum. Apocal. 20.* in fine. *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis*: hic autem, vt clarè textus loquitur, sermo est de peragendis in resurrectione, ac iudicio vniuersali. Isti verò paruuli non sunt scripti in libro vitæ, nempe prædestinationis, vt ait Interl. & Glosa ord. hi ergo in stagnum ignis nempe in infernum damnatorum mittentur omnes non prædestinati: ergo etiam paruuli.

Alius script. locus.

143 Prob. 2. ex *Matth. 13. In consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos*

in

*in terminum ignis ardentis*: ergo, cum non assignetur alius locus pro malis, nisi caminus ignis, in eum locum mittentur paruuli cum originali.

144 Prob. 3. ex S. Augustin. *ser. 14. de verb. Apost.* vbi impugnans Pelagianos docentes, quod paruuli qui nullum peccatum habent, ad damnationem pertinere non possunt, vt hoc effugium omnino remoueret, ait, *Venturus est Dominus iudicare viuos, & mortuos, & duas partes facturus est dexteram, & sinistram, sinistris dicturus, ite in ignem aternum, &c. à dextris dicturus, venite benedicti Patris mei, &c. bene regnum nominat; illam cum diabolo damnationem. Nullus medius est locus, vbi ponere queras infantes*; & post aliqua subdit. *Quid erit in dextra? regnum aternum. Quid in sinistra? ite in ignem aternum: qui non in dextra, proculdubio in sinistra: ergo qui non erit in regno, proculdubio in ignem aternum*; alibi pluries Augustinus replicat hanc de paruulorum loco doctrinam; imò asserit pœnam ipsius ignis, esto mitissimam, eos cruciandos; licet in hoc non simus secuti Augustinum, sed eum declarauimus de pœna damni, absque tristitia: ergo locus paruulorum sempiternus, erit in inferno damnatorum.

Ex Augustino clarè.

Clarè loquitur Augustinus.

145 Prob. 4. ex S. Fulgentio *lib. de fide ad Petrum cap.* 18. Licet D. Augustino tribuatur, vbi ait, *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solum hominis ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui sine in veris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, sine eum de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis aterni sempiterno supplicio puniendos, &c.* & quamuis hanc vltimam partem sententiæ de punitione per ignem, non teneamus; adhuc tamen constat, locum eorum esse illum ignis, futurum.

Ex S. Fulgen.

146 Confirm. ex eod. *lib. 1. de veritate Prædest.* vbi considerans parentum sollicitudinem pro filij baptismo, & ait; *quorum tamen filius antequam baptizaretur morte præuentus, aternis est ignibus deputatus*: ergo firma est Fulgentij de loco paruulorum in inferno sententia.

Idem Fulgent.

147 Prob. ex S. Greg. I. *hb 9. mor. c. 12.* vbi explicans quædã Scripturæ loca, id clarè confirmat, primo illud *Nahum. 1. in tempestate & turbine via eius*, ait, *Perpendat, quam districtus appareat, qui quosdam tanæ reatu culpæ originalis adstrictos etiam sine operibus damnat.* Secundò explicans illud *Iob. 9. & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa*, ait, Nonnulli prius à præsenti luce subtrahuntur, quam ad perferenda bona, malauè merita vitæ perueniant; quos, quia à culpa originis Sacramenta non liberant, & hic ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta perueniunt: & post aliqua. Sed quia post mortem aterna quoque mors sequitur; occulto eis, iustoque iudicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quippe tormenta percipiunt, etiã qui nihil ex propria voluntate peccauerunt: & post alia, sequitur. Qui itaque nullum proprium adiungit, ex solo originis reatu perimitur, quid iste in illo extremo examine, quantum ad humani sensus æstimationem, nisi sine causa vulneratur; & multis prosequitur, atque ita concludit, si & illos in æternum percutit, quos reatus arbitrij non addicit? hæc Greg. ex quibus constat paruulos per eum non solum in damnatorum in inferno esse, sed pœnas eorum pati; sed hoc non recepimus.

Greg. Mag.

Dura S. Gregorij verba; quia Augustinum secutus est, vt doctor.

148 Prob. ex S. Bonau. *in 2. sent. dist. 33. par. 3. q. 1. n. 42.* circa finem: quia paruuli decedentes cum originali carent iustitia, & Spiritus Sancti gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ priuantur Dei visione: quia verò in carne fuit fœditas, ponentur in loco vili, vtpote infernali; sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem. hæc S. Bonau. ergo in inferno, vbi est ignis ponentur.

S. Bonau. in inferno eos ponit.

149 Prob. 6. ratione deducta ex sacra Scriptura, qui non possidebit regnum æternum, mittetur in infernum: sed paruuli isti cum originali, non possidebunt regnum æternum; hæc min. & si sæpè probata sit ex Aug. vbi sup. adhuc tamen probatur ex eodem *in lib. 21. de Ciuit. cap.* 25. vbi declarans illud ad Gal. 5. *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, præ cæteris, habet, *& sine regni Dei possessione nunquam erunt, aterna supplicia tenebuntur, quoniam non est locus medius, vt non sit in supplicio, qui illo non fuerit constitutus in regno*: ergo.

Ratione deducta ex scriptura.

150 Prob. 7. alia ratione: morientes morte secunda in infernum mittuntur: sed paruuli decedentes cum originali hac secũda morte moriuntur: ergo. Maior prob. ex *Apocalyp. 20.* in fine, *infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis: hæc est mors secunda: & qui non est inuentus in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis.* Min. probatur. Mors secunda est damnatio eorum, qui prædestinati non sunt; hæc dicitur secunda mors ex Augustino *lib. 13. de Ciuit. cap. 2. & c. 1. & tract. 41. in Ioan. Mortem secundam, mortem aternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum diabolo, & Angelis eius*: ergo locus proprius morte secunda morientium, est locus gehennæ, seu infernus damnatorum.

Alia ratione ex script.

151 Prob. 8. Cum ex Concilio Floren. vt in præced. concl. cum solo originali decedentes, sint in infernum descensuri, & non possit assignari, quinam alius locus sit in parte inferiori terræ, quam infernus damnatorum, hic est eis assignandus, consequ. prob. sit enim. *Loris imparibus pœnis puniendos* ergo est locus pœnarum; hic autem est infernus damnatorum: ergo.

Colligitur ex Concil. Flor.

Ob. 1.

Arg. contr. Ob. 1. Incongruum videtur, vt in eodem prorsus loco sine nequissimi peccatores, & innocentes, cum pœna etiam quo ad locum proportionanda sit delicto: ergo.

152 Resp. dist. anteced. si cum eadem pœna, & afflictione vtrique essent in eodem loco, concedo: si peccatores nequissimi cum grauissima pœna sensus, innocentes verò, sed cum solo originali, sine illis; nego.

Arg per impugnat. fundam. Ob. 2. si aliqua esset ratio huius assertionis, maximè essent loca Scripturæ allata: sed illa non euincunt; nam declarari possunt de inferno superiori, ergo assumptum probatur: multa sunt Scripturæ loca, in quibus quælibet capitas, seu sinus, aut receptaculum animarum sub terra vocatur infernus, vt *Gen. 37. descendam ad filium meum lugens infernum*, Psal. 15. *non derelinques animam meam in inferno*, & Psal. 29. *eduxisti ab inferno animam meam*, & alia innumera, in quibus fit mentio de descensu SS. in infernum, & symbolum Apostolorum habet, *descendit ad inferos*; & tamen ad partem illam superiorem inferni descendit Christus, in qua sancti detinebantur, & *Lymbus* appellari solet: ergo idem dicendum de inferno, in quo paruuli sunt recipiendi.

Multa loca dicuntur inferna.

153 Resp. negan. min. ad probat. dico, quod si de inferno tantum loqueretur scriptura, facillimè acquiescerem huic sententiæ, quæ quidem pia est, & mihi maximè placet: sed rarò in scriptura fit mentio de hoc inferni vocabulo, cum agitur de perpetua habitatione dãnatorum omnium, sed semper locus ille appellatur vocabulo, ignis æterni, vt visum est, *ite maledicti in ignem aternum, & ibunt inuisti in ignem aternum* Altus autem locus medius, aut Augustinus, non datur; ideoque qui à dextris non sunt, à sinistris erunt. & sicut illi perducentur ad regnum æternum, ita isti ad iguem æternũ. Ignis autem æternus non patitur aliam explicationem, quam de loco, & de combustione. Ergo, si paruuli non erunt à dextris, & mittentur in ignem æternum, non potest dici, quod mittantur ad partem inferni, in qua ignis non est: neque video, quomodo possit hoc argumentum euadi.

Infernus dãnatorum dicitur etiam ignis æternus.

Arg. ex absurdo. Ob. 3. si mittuntur in locum inferni, in quo est ignis: sequitur eos damnari ad pœnam ignis. Ergo, cum communis sententia nunc sit, eos non sic puniri; sequitur, quod neque ad locum ignis mittantur; & proinde, sicut dicitur, quod loca scripturæ non includunt paruulos quò ad combustionem, neque includunt quo ad locum habitationis: sed sententia illa, *ite in ignem aternum, & ibunt inuisti in ignem aternum*, intelligatur de adultis, quibus dictum est, *esuriui*, &c. & sic non adest fundamentum solidum, vt asseratur, habitationem paruulorum esse infernum ignitum.

Disparitas cur excludãtur ab igne comburente non lucente.

154 Resp. neg. sequelam, ad probat. assignatur disparitas, cum enim dicat Scriptura, *mittens in ignem aternum*, &c. est capax explicationis de igne tamquam locatiuo, vel afflictiuo, & sic saluari potest, quod ab igne non patiantur. At non est capax explicationis de loco, siue igne, quia est contradictorium Scripturæ. Neque valet effugium de sententia adultorum: quia in ijs locis. præsertim *Matth. 26.* est sermo de agendis in iudicio, et omnium primo dicitur. esse congregandas ante Tribunal Christi omnes gẽtes: igitur; et paruuli, qui in generali resurrectione corpora assumpserunt, ibi comparebunt: deinde narratur separatio totius multitudinis in partem dextram, et sinistrã, et sic nullus restat locus medius pro paruulis: cum ergo à dextris non sint futuri, erunt à sinistris: tandem his, qui à sinistris erunt, dicetur, *ite maledicti in ignem aternum. & ibunt inuisti in ignem aternum*. Hinc non video quomodo possit hæc sententia ad solos adultos restringi; et hoc est validum Augustini argumentum.

Non potest scriptura intelligi de solis adultis.

Inst. Per Augustinũ idem significat ignis æternus, et combustio æterna. Ergo, sicut hoc non obstante, saluatur, quod paruuli non comburentur, et scripturæ veritas non infringitur: ita salua veritate scripturæ, dici poterit, quod in locum ignis non mittentur. Antec. prob. ex Aug. *serm. 14 de verb. Apost. Nonnulli seipsos seducunt, ignem aternum dictum, non combustionem aternam, sed prauidens hoc Dominus sententiam suam concluſit. dicens. sic ibunt illi in combustionem aternã, erit ergo aterna combustio sicut ignis.* hæc Augustinus contra Pelagianos, qui admittebant tertium quendam locum pro paruulis.

Validum argum.

155 Resp. dist anteced. secundum Augustinum idem est ignis æternus, & combustio æterna pro adultis. & quibus dictum est esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. concedo. Pro paruulis, quibus, secundum eum mitissima, seu leuissima est pœna præscripta, nego: & neg. consequ. Ratio est in primis hoc significatum combustionis, & ignis ab Augustino tantum habetur pro eodem; & tamen puri spiritus in igne positi, vt dæmones, & animæ separatæ à corporibus in igne nunc sunt, & miris quidem modis ab eo cruciantur tamquam ab obiecto solito, non tamen comburuntur: secundò Augustinus, vt notauimus ex D. Th. & Bonau. per excessum contra Pelagium, beatitudinem ijs paruulis tribuentem locutus, etiam paruulos comburendos dixit; tamen sua sententia est, quod mitissima, & leuissima erit eorum pœna, quam quidem cum præfatis SS. Doctoribus diximus esse tantum damni. At quidquid sit de mente Augustini circa hoc, certum est posse ignem à combustione separari, & adstruere primũ, absque secunda; sed nõ potest adstrui ignis sine igne. Cum igitur tota damnatorum turba sit in ignem mittenda, in eundem locum ignis mittentur, & paruuli, eitò non comburendi.

Secundum Augustinum pro adultis idẽ est ignis æternus, & combustio æterna.

Augustinus per excessũ locutus est.

Ob. 4.

Ob. 4. Si reciperentur in loco ignis, comburerentur: sed hoc negatur in hac sententia: ergo. Sequela probatur, talium corpora non essent impassibilia, quia non beata: ergo passibilia per ignem.

156 Resp. neg. sequ. ad probat. resp. ex Scoto *sub D.* non fore impassibilia per dotem impassibilitatis, sed ex dispositione diuina, ideſt ex subtractione concursus: quod quidem congruum est diuinæ prouidentiæ, respectu eorum, qui actualem culpam non habent.

Inst. Esset necessarium continuũ. & æternum miraculum, quod non videtur asserendum circa damnatos; ergo.

157 Resp. neg min. sicut enim Deus æterno miraculo adultorum corpora conseruabit ne corrumpantur, & totaliter ab eo igne destruantur: ita vel eodem, vel alio impediet ignem, nè in corpora paruulorum combustionem exerceat; vel ne ipsa iam sentiant, quæ quidem diuinæ iustitiæ, atque pietati sunt maximè consentanea.

Non implicat asserere æternum miraculum circa paruulos non combustendos.

Ob. 5. *Ecclesiastes* 4. habetur, *feliciorem vtroque reputauit, qui nondũ natus est*. Ergo non erunt paruuli in inferno damnatorum, sed felicitatem aliquam habebunt: quia, ait Lyranus, ibi textum loqui de morientibus in originali.

158 Resp. neg. sequ. indignum autem ego existimo, vt vis aliqua in hoc argumento siat. Nam Eccl. ibi deplorat omnia mala, quæ homines in hoc mundo patiuntur: & ait, *Laudaui magis mortuos, quam viuentes, & feliciorem, &c.* ait Glosa. *Feliciorem, quia nec vidit hæc mala, nec expertus est: melius est itaque non esse, quam malè viuere. Vnde melius illi erat si natus non fuisset homo ille, quam pati pœnam æternam.* Quis autem ex his Christi verbis argueret, quod non natus sit in aliqua felicitate, aut gaudij loco: insipida certe, & ignaua esset conseq. ita prorsus in casu, Ecclesiastes enim exagerat miseriam hominum, et ait felicior est, qui natus non est, et hæc mala non vidit, sed quid inde?

Argum. hoc non est ad rem.

159 Fateor meam insciciam, non potui aliquem Scripturæ locum vel Sanctũ, antiquumq; Patrem inuenire, qui paruulos cũ originali collocet extra infernũ, in loco tertio: libenter ei adhærerem, et maximè si loco Scripturæ esset innixus. Quod dicunt nostri moderni, hucusque censeo inane nouum, et ridiculum, nempe de statione, habitaculo, ac deambulatione super terram; vnde id habent; quis eis reuelauit?

Protestatio authoris, cur nõ sequatur recentes in hoc.

160 Tolerabilior mihi videretur sententia de inferno superiori, seu, vt dicit Augustinus, ora inferni, ac lymbo, quia minus recedere videtur à Scriptura; & si antiqui alicuius Patris vel Ecclesiæ DD. mihi innuatur sententia, quibus alij antiquiores nõ refragentur libenter ei acquiescam. At neque in hoc puncto superioris, seu oræ, ac limbi inferni aliquid inuenio apud antiquos Ecclesiæ Doctores. E contra autem scripturam vbique de loco ignis, & inferno pro omni damnato loquentem obseruo; & Patres primæ notæ idem confirmantes, & Ecclesiam ipsam pro solo originali infernũ decernentem: ideò non possum in conscientia ab hac (quam puto veram) sententia recedere, nisi aliud me doceat Sancta Mater Ecclesia, cuius Magisterio innotescit Principatibus, & potestatibus multiformis gratia Dei.

Sentẽtia de lymbo videtur authori tolerabilior

## ARTICVLVS VIII.

### *De perfectione intellectus, ac voluntatis talium paruulorum.*

SCOTVS *in 2. sent. dist. 33. §. Et si quæratur*, loquens de cognitione rerum, quam habebunt paruuli isti, aliqua docet de illorum perfectione, sed protestatur se loqui *sine assertione:* ideo. Scoti mens.

161 Adu. sensum art. esse, quidnam cognoscent tunc paruuli, quam scientiam de rebus, & de quibus habebunt; & quomodo inerit eis talis scientia. 2. An inerit eis fomes cuiuslibet concupiscentiæ, cum adhuc peccato sint obnoxij. Art. sensus.

162 Adu. 2. & suppono ex materia de peccato originali, eiusque pœnis, plura damna incurrisse hominẽ ex peccato Adæ, quædam autem respiciunt animam ratione intellectus, & voluntatis, quædam verò totum coniunctum ratione partis sensitiuæ. Primum damnum in intellectu est, & hoc est ignorantia, quæ ad plura se extendit. nempe ad nescientiam, seu carentiam obiectorum; ad difficultatem discendi; ad ignorantiam vltimi finis, & mediorum ad illud; ad difficultatem percipiendi rerum quidditates, & quod omnium pessimum est ad impossibilitatem cognoscendi seipsum quidditatiuè; nescit enim homo quid, & qualis sit propria anima, quid sit in suo corpore, quot partes sunt in minimo digito, &c. Secundũ damnum est in voluntate, et est amor proprius, seu amor concupiscentiæ inordinatus; difficultas ad opera virtutum; negligentia in ijs, quæ prosunt ad salutem. Sollicitudo circa temporalia, et caduca; inconstantia; fastidium status proprij; peruersitas, ac obstinatio in malis; et difficultas ad vitanda peccata. Tertium damnum est in toto coniuncto, vbi vt cętera omittam, adest sensualis concupiscentia, irascibilis, infirmitas, impotentia, passibilitas etiam ab extrinsecis; et alia his affinia, quæ longum esset enarrare. Quærimus ergo, an reassumptis corporibus, paruuli cum originali, his omnibus defectibus erunt obnoxij: Interim autem animæ, an animæ eorum adhuc animæ imperfectiones patiantur. Damna quę incurrit homo ex peccato originali. In intellectu. In voluntate. In toto coniuncto.

163 Adu. 3. quod sicut in præced. art.

In dubijs fidei quid agendum.

innuimus de obscuris, secretis, ac dubijs in materijs dogmatum, nihil est absolutè, et affectiuè pronunciandum, quod ex Sacra Scriptura, vel Conciliis, vel Roman. Pontific. rescriptis, vel ex S. Ecclesiæ Doctoribus habeatur, ex *cap. De quibus dist.* 20. Videndum ergo, quid in hoc puncto ex præfatis habeamus; et sic sobriè in his dubijs procedamus, et cum Augustino *lib.* 20 *de Ciuit. Dei cap.* 30. in fine dicamus. Post iudicium euentus nos docebit, quid tunc fiet. his præmissis.

Probabile est, quod paruuli naturaliter acquirent scientiam.

164 Dico 1. sine assertione; Probabile est, quòd paruuli cum originali decedentes acquirere poterunt scientiam seu cognitionem omnium rerum naturalium naturaliter cognoscibilium excellentiori modo, quã habere possit aliquis Philosophus in via: est Scoti loco cit. in fine *B* Baccolti *d. ſt.* 33. *q* 1. sed Catharinus, Pighius, Salmeron. *disp.* 48. *in epist. ad Rom.* 5. Sauonarola, de Triumpho Crucis. Alcuinus 3. *moral. c.* 19 Suar. 3. *par. to.* 2. *disp.* 50. *sect.* 5 *&* *disp.* 52. *sect.* 6. necnon *to.* 4. *disp.* 35. *sect.* 2. et tandem noster Vulpes, non solum probabile dicunt, sed asserunt, et ideo naturalem lætitiam eis concedunt, quod nos nullatenus asserimus.

A priori ratio.

165 Prob. ex Scoto ibidem. Paruuli post iudicium nullum habebũt impedimentum, quin scientiam rerum naturalium acquirãt perfectius, quam Philosophi nunc in via: ergo. Maior prob. Intellectus eorum non impedietur à corpore, quia corruptibile non erit, hoc autem *aggranat animam ex Sapien.* 9. Secundo non impedientur à tormentis ne possint naturalia contemplationi vacare. Tertiò non repugnat statui eorum, vt aliquid de nouo sciant, siue contingens, siue necessarium; multa enim facta contingentia cognoscent: ergo poterunt pariter alia necessaria etiam in genere proprio cognoscere. Cum igitur ex nullo capite id repugnet, videtur probabile sic futurum.

Gerson.

166 Prob. 2. *ex Gerſone Alfabeto* 16 *M.* docente, paruulos istos futuros doctiores Philosophis, ex multitudine succestiua experientiarum.

Durand.

167 Prob *ex Durando in* 3. *d* 33. *S. Ideo aliter*, vbi docet eiusmodi paruulos vigere cognitione naturali non tamen fidei.

Probabilius est, quod nõ augebitur Paruulorum scientia.

168 Dico 2. Sine assertione probabilius videtur, paruulorum scientiam etiam circa naturalia non esse augendam; neque est certum quid nam cognoscere debeant de naturalibus ex S. Bonau. habetur *in* 2. *dist.* 33. *p.* 3. *q.* 2. eam autem defendunt quicunque in inferno eos collocant.

A sufficienti exclusione,

169 Prob. 1. Paruuli isti ex dictis, in tenebris, et in inferno, siue inferiori siue superiori erunt: ergo, cum ibi obiecta præsentia habituri non sint, non poterunt in scientia proficere.

170 Prob. 2. Paruuli non sunt post iudicium præmiandi. Ergo, si ante iudicium talem, non habent scientiam, neque post. Sed ante non habent; non enim cum ea decedunt, cum nec aquisierint à parentibus, aut à magistris, nec infusam habuerint, cum in loco in quo modo recipiuntur obiecta naturalia non habeant, neque naturaliter habere possint. Per coniunctionem, cum corporibus, scientia non acquiritur, nec infunditur: ergo.

Arg. ex proprietate peccati originalis.

171 Prob. 3. Ignorantia sequitur peccatũ originale: ergo si perpetuò hoc erit in pueris, videtur perpetuò in eisdem futuram ignorantiam. Anteced. prob. ex *Augustin. lib.* 22. *de Ciu. Dei cap.* 22. *quidquid induxit horrenda quadam profunditas ignorantiæ ex qua omnis error existit qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu susceperit, &c.* idem docet *lib. de Præsentia Dei cap.* 11. *in lib.* 3. *de libero arb. c.* 18. 19. *&* 20. & in Enchir *cap.* 24. sic habet *hoc primum est creaturæ rationalis malum, ideſt prima priuatio boni deinde etiam iam nolentibus subintrauit ignorantia &c* Confirm. prob. ex Ecclesiastes 11. *vbi ceciderit lignum ibi erit*, ergo in eo statu, in quo decedent paruuli, quo ad naturales perfectiones, prosequentur: alioquin præmium expectarent in alia vita.

S. Bonau. doctrina vt de paruulis notanda.

172 Confir. ex S. Bonau. loco cit. *an.* 64. Vnde si tu quæras quid paruuli faciant, vtrũ addiscant; vel conferant, vel aliud opus exerceant, breuiter ego respondeo quod diuinæ iustitiæ æquitas, et immutabilitas in eodem statu quantum ad corpus, et quantum ad animam, siue quoad cognitiuam, siue quoad affectiuam perpetualiter eos cõsolidat, vt nec proficiant, nec deficiant, nec lætentur, nec tristentur, sed semper sic vniformiter maneant.

Arg. ex S. Aug. à portioni.

173 Prob. 4 In sent. S. Augustini S. Fulgentij S. Gregorij, & aliorum sequentium licerat S. Augustini tantum abest, vt pueri illi cognitione proficiant, vt per eos cruciandi sint igne (quod nos nõ admittimus) ergo nulla talis perfectio secundum eos in ipsis est admittenda.

Probabile est, quod si notitiam habent naturalem, Deum & alia amẽ

174 Dico 3 Probabile aliquibus videtur, vt paruuli supposita notitia illa naturali, siue Dei, siue aliorum, Deum aliaque obiecta ament, ijsque delectentur. Est Scoti abique assertione *S. & si quæratur* vbi supponit illa cognitione, ait. *& ita aliqualem beatitudinem naturalem de Deo cognito in vniuersali poterunt attingere.*

175 Probant sicut primam. Voluntas eorum non est à sensibus impedita, neque à tormentis, ne applicet ad amanda obiecta, quæ aliquam præferunt rationem boni: ergo ea ordinatè amare possunt.

Ex pœna præscripta arg.

176 Prob. 2. ex *cap Maiores de Bapt.* nulla alia præscribitur pœna pro originali, nisi carentia perpetua visionis Dei, non autem impedimentum potentiarum, ne in obiecta præsentia iuxta horum meritum, seu exigentiam tendant, ea ergo obiecta, quæ cognoscere poterunt, poterunt pariter & amare quanto amore digna sunt, & ipsi

possunt secundum Naturæ vires.

177 Confir. homines cum originali, imò & cum actualibus etiam peccatis viuentes non incurrunt hanc calamitatem, vt nequeant cognita amare: ergo neque id denegandum est paruulis: non enim fiunt peioris conditionis, dum resurgunt, cum corporibus incorruptibilibus.

*Arg. à pari de viuentibus cum originali.*

178 Confir. Eatenus aliquæ operationes eis negantur, quia excedunt vires naturæ, & indigent supernaturali adiutorio: sed ista dilectio merè naturalis, non superat vires naturæ: ergo.

*Non est certum an habituri sint notitiam beatitudinis supernaturalis & si haberent nó erit tristandum de carentia illius.*

179 Dico 4. Non est certum, an paruuli isti habituri sint notitiam beatitudinis super naturalis, qua priuantur. At estò haberent, de illa carentia non tristarentur est expresè Scoti *in dist.* 33. vbi supra *§. Sed si quaratur*, & secunda pars est cõmunis omnibus Theologis, qui negant in eis pœnam sensus, siue interiorem, siuè exteriorem.

*A priori arg.*

180 Prob. 1. pars. Cognitio beatitudinis in particulari exigit auxilium supernaturale, ad eam siquidem nequit peruenire natura. Alioquin vltimus finis in particulari posset naturaliter cognosci. Ex alia autem parte, cum in iudicio futuri sint paruuli, poterunt notitiam aliquam acquisitam habere de beatitudine, quam ipsi, & alij damnati amittunt, & Beati acquirunt, audient enim alijs dici venite benedicti, &c. Et hoc maximè in sententia eorum, qui asserunt, eos aliquam tristitiam habituros de amissione beatitudinis; non enim possunt tristari de obiecto, quod nesciunt se perdidisse, quia possent de eo non curare, *quod enim quis non eligit profectò non diligit, quod autem non diligit facilè contemnit*, ait S. Augustinus, diligi autem, & eligi non potest, quod non cognoscitur, imò facilè contemnitur.

181 Prob. secunda pars: ex Scoto, et Bonauen. ibid. Paruuli, etiam si cognoscant beatitudinem, quam amiserunt non tristabuntur, quia erunt contenti de statu suo, scientes, Deum ita disposuisse, nec actu suo se illam demeruisse. Assumptum confirmatur ex *cap. Maiores de Baptism. &c. §. sed adhuc quæritur*, vbi definitur. *Præterea pœna originalis peccati est carentia visionis*, si autem tristitiam de ea essent habituri, iam alia esset eorum pœna. Scotus autem *sub A.* vt diximus in *art. 6.* inquit, *eos paruulos nullam habituros pœnam interiorem, neque tristitiam de statu suo.* Et quidem pœna hæc tristitiæ de amissione beatitudinis, esset omnium maxima, et supra ignis cruciatum, vt cum Chrysost. *hom. 24 in Matth. in ar. 6.* notauimus: quæ certè incompetens est paruulis sine actuali culpa decedentibus.

*Secunda pars quare non tristabuntur.*

*Tristitia de carentia visionis esset maxima pœna.*

Et hæc de statu paruulorum, pro viribus, dixisse sufficiat; cætera quæ de eis dici possent, ad fidem non spectant; et nobis quidem ignota sunt, sciemus autem in alia vita, vt cum Augustino loquar de futuro in iudicio loquente *lib. 20. de Ciuit. c. 30.* Quæcunque enim dixerimus, inuentiones nostræ sunt: si quis autem ex Scriptura, Concilijs, vel Patribus alia præter dicta eduxerit, si mihi communicauerit, humiliter, ac libenter cum gratiarum actione discam. Interim verò Deo optimo maximo bonorum omnium authori, gratias refero humillimas, qui me ad huius tomi finem cum gaudio, et salute perduxit. Cui sit gloria in sæcula. Amen.

Quæcunque in hoc cæterisuè alijs meis quatuor Libris dixi, Sanctæ Romanę Ecclesiæ magisterio, et correctioni subiecta profiteor.

# FINIS.

# INDEX ALPHABETICVS SINGVLARIVM RERVM,

## Quæ his Commentarijs continentur.

*Primus Paginam, ſecundus Numerum indicat.*

# A


ABRAHAM quot reuelationes habuit. pag. 708. num. 319. Abrahæ ſinus quis. 838. 130.

*Abortus.*

Non omnia ſunt animata. 102. 26. Fauentes ſententiæ. 103. 38. ad 42. Eccleſia etiam abortiua diſtinguit. ibid. 26. Fœtum ſemper animatum eſſe anima in actu primo, error. 105. 49. Per quid fœtus animatus diſtinguatur ab inanimato. ibid. 46. Abortum procurantium pœnæ canonicæ. 102. 26. ad 30. Graniores à Deo taxatæ. 105. 49. Abortum procurantes veri homicidæ ſunt. ibid. 49. Cur ſubiacent pœnæ homicidij, & non irregularitatis generaliter. ibid. 48.

*Abyſſi.*

Etymologia. 234. 1. Triplex acceptio. 236. 33.

*Accidens, Actus, Academici.*

Accidens ſine aliquo determinato gradu nequit produci. 534. 248. Actus quando perfectior habitu. 354. 45. Actuum vitalium differentia vnde deſumenda. 397. 169. & 178. Actus, diuerſitate organorum diuerſi. 110. 49. Actio intellectiua fit in omni parte corporis. 645. 174. & 200. Academici, quare ſic appellati. 287. 31. & 32. Quis eorum Princeps. ibid. vbi beatitudinem reponant. ibid.

*Adam.*

In inſtanti fuit à Deo formatus. 123. 31. In ſtatu innocentiæ qualiter beatus. 301. 190. ad 194. Adæ extaſis. 691. 216. Ante lapſum ſpeciem Dei impreſſam habebat. 303. 194. Cur eam amiſit. 464. 386.

*Aer.*

Tempore iudicij qualiter deſtruetur. 230. 218. ad 226. Poſt iudicium qualiter renouabitur. ibid. 228.

*Agens.*

Si agens idem, & materia eadem, effectus idem prob. 83. 13. Agenti creati ad increatum proportio in agendo. ibid. 12.

*Amor.*

Quomodo amantem transformat in amatum. 351. Amor concupiſcentiæ, & amicitiæ quid, & qui actus. 354. 99. ad 101.

*Angeli.*

In ſui creatione imperfectè beati. 314. 295. & 296. qualiter ante lapſum naturaliter beati. 303. 194. Qualiter Deum videre deſiderant. 379. 170. Quare non cognoſcunt omnia in Deo. 489. 117. & 118. Quæ ſecreta cordium naturaliter ſcire poſſunt. 508. 97. Nequeunt impedire actiones cauſarum naturalium. 554. 30. ad 34. Virtutes admittuntur in eis etiam propter actus. 615. 83. Angelis negatur aureola, & quare. 597. 67. & 599. 85. Angelorum apparitiones qualiter fiant. 631. 154. Angeli ab anima rationali differentia. 397. 170. In iudicio vniuerſali quæ agent. Primò, canent tuba. Secundò, cineres colligent. Tertiò, reſuſcitatos ad iudicium adducent. 97. 113. ad 141. & 144.

*Anima.*

Exiſtentia animæ rationalis in homine nô eſt naturaliter nota. 75. 56. Anuerroes negat animâ intellectiuam in homine, ibid. 56. Concilium Vienenſe definiuit vt articulum fidei, ibid. Vnam animam eſſe in homine eſt de fide. 110. 102. Cur appellatur diuina. 635. 56. Eius definitio. 643. 160. Eius origo Patribus incerta antiquitus. 636. 101. ad 104. Animam fœtus in ſemine parentum contineri, hæreſis. 103. 43. Antiqui PP. tenentes animam hominis produci à parentibus, cur non ſuſpecti de hæreſi mortalitatis animæ. 640. 137. Animæ hominum à Deo creantur. 637. 124. ad 127. Op-


Cur

positura ex quo tempore est hæresis. 640. 135. Cur eius productio appellatur naturalis. 119. 14. In Sac. Scriptura accipitur pro tota persona. 637. 129. Animæ hominum non sunt pars substantiæ Dei. 633. 59. ad 69. Neque Deo coeternæ. ibid. 69. ad 77. Non fuerunt simul productæ ab initio mundi. 634. 77. Nõ corporeæ vel diuisibiles. 645. 178. ad 196. Non migrant de corpore in corpus. 641. 143. Tot sunt animæ quot homines. 641. 152. & 153.

*Anima vt forma corporis.*

Est per se forma corporis etiam secundum gradum intellectiuum. 643. 161. ad 167. & 644. 173. ad finem art. Opiniones multorum. 641. 142. Quomodo est naturaliter notum. 75. 63. Existentia animæ intellectus in homine vt per se formæ eius, non est demonstrabilis per intelligere, & scire. 75. 57. neque per intelligere, vt est operatio inorganica. ibid. 58. Neque vt est operatio in corpore, & in extensa, ibid. 59. Neque vt est operatio omninò immaterialis, ibid. sed ab intelligere vniuersalia & insensibilia, itẽ à perfecta hominis libertate, ibid 60. 61. 62. Potest esse in homine per assistentiam, & nõ per informationem. 644. 171. De tempore conceptionis, seu infusionis animæ plures sententiæ, 101. 23. Cum Embrio est ouum, anima infunditur op. confutatur. ibid. 44. Animam rationalem organizzare ipsum corpus perfectè, Op. improbatur. ibid. 43. Animæ infusio in instanti. 123. 53. & 54.

*Anima immortalitas.*

Non est naturaliter demõstrabilis. 76. 67. ad 76. & a 619. 33. ad 46 ex Philosophorum doctrina probatur oppositum. 77. 75. & 80. 92. & 8. 97. Nec esse spiritualem, est propositio per se nota. 631. 50. Ratio infatigabilitatis intellectus in operando animæ immortalitatem non demonstrat. 76. 69. & 631. 54. nec impassibilitatis eiusdem ab excellentibus intelligibilibus. ibid. 69. Nec naturalis desiderij ad semper esse, aut perfectæ fœlicitatis. 76. 72. & 630. 43. & 44. Neque carentiæ contrarij corruptiui. 77. 74. & 631. 53. Neque eiusdem spiritualitatis. 631. 50. Neq; independentia à corpore in operando, neque independentia iniri. ibid. 49. ad 51. Spes naturalis retributionis operum neque demonstrat. 630. 431. & 44. Neque naturale dictamen ad exponendum se morti pro Republica. 76. 73. Neque quia homo est pars perfectissima vniuersi. 631. 48. Sola fide nota est animæ rationalis immortalitas. 625. 3. ad 19. Quare dicitur immortalis per gratiam. 628. 28. Qualiter differt ab immortalitate Dei 627. 23.

*Anima separata.*

Non est naturaliter notum animam hominis habere esse per se, seù propriam subsistentiam pag. 77. num. 74. Neque ei nihil deficere ad existendum extra corpus. ibid. 74. Respectu corporis mortalis non est in statu violento. 647. 203. ad 205. in quo statu potius. 648. 205. ad 211. Qualiter ad corpus glorioſum inclinata. 649. 219. Respectu corporis glorioſi qualiter est in statu violento. ibid. 221. & 222. Potest intelligere res prius scitas. 650. 226. ad 233. Res etiam materiales prius ignoratas 660 289. ad 300. Recordatur præteritorum. 654 253. ad 267. Potest mouere suũ corpus. 661. 166. Potest ex se transferre obiecta materialia de ordine in ordinẽ. 663. 311. ad finem art. Non potest omnia simul intelligere. 652. 245. & 661. 306. Non recipit in separatione à Deo vel ab Angelis species vt possit intelligere. 660. 311. Animarum apparitiones vide Beati, &c. Non potest naturaliter corpori vniri. 88. 1. per totum. neque seipsam neque ab alia creatũra, ibid.

*Anima potentia.* Aliqua est simul organica, & inorganica. 561. 161. & 167.

*Annus, Anomœi.*

Annus magnus Platonis qui. 82. 1. Anomeorũ stultitia de visibilitate Dei. 385. 82.

*Antichristus.*

Nominis Etymologia. 1. 1. multæ acceptiones, ibid. multi Antichristi existimati, ibid. & 4. 22. erit vna certa, & singularis persona, ibid. à num. 4. ad 20. circa finem mundi venier, ibid. Nulla in Patribus de controuersia, ibid. num. 2.

*Antichristi genealogia* erit verus homo. 211. 56. ad 170. ex patre. & matre genitus ibid Dubitatur, an filius fornicationis, ibid. sub n. 169. De natione Iudeorum. ibid. 170. ad 178. Persona vilis. 21. 161. De tribu Dan. ibid. 178. ad 187. Nascetur in Babylone. 22. 188. ad 196. In conceptione possidebitur à Diabolo. 22. 197. Ex vtero matris habebit Diabulum assistentem. ibid. 197. ad 207.

*Aduentus Antichristi, & tempus.* est incertum. 7. 40 Opinione de tempore aduentus Antichristi. 7. 41. ad 461. Famosa opinio de sexto millenario. 5. 23. & 24. Aliæ quæ opiniones confutantur. 6. & 7. à n. 33. ad 38. Excommunicatio papalis super hoc. p. 8. nu. 49.

*Aduentus signa.* Est decessio Romani imperij. 15. 94. ad 100. Eiusdem totalis decessio. 10. 56. & 57. de Imperio seculari intelligitur non Ecclesiastico 13. & 14. 81. ad 89. De translatione Imperij ab Vrbe. 12. 77. & 79. Nec de recessu à Christiana fide. ibid. 72. ad 75. Nec ab obedientia Papæ, ibid.

*Antichristi vita, & mores.* Ascendet Hierosolymam, & le circumcidet. 21. 189. Erit simulator, hypocrita &c. 121. 211. & 222 ad 225. In principio bonus deinde pessimus. 23. 211. Adorabit occultè diabolum sibi assistentem. 25. 226. & 227. Ædificabit Diabolo aream Maozim. 26. sub 226. Reponet diuitias, maximas ibid. Diaboli potestate vretur adlibitum. 41. 401. Crudelissimus erit contra non credentes in eum. 39. 384. ad 391. Iudeos honorabit. 24. sub num. 211. Studiosissimum

mum se ostendet restaurandi illorum Templum. p.28.n.251. ad 254. & p.35.n.343.

*Antichristi Doctrina*. Tria præcipuè continebit. 1. se esse Deum 2. Esse Messiam in lege promissum. 3. Christum non esse Deũ. p.31. & 32. n.271. ad 300. Legem quoq; Moysis esse obseruandã p.33.n.301. ad 309. Victorũ libertatẽ concedendam ibid. 309. ad 313. Mittet discipulos ad prædicandũ p.25.n.218. ad 221. Sedebit in templo ostendens se Deũ. 34. 315. Quodnam erit hoc templum, ibid. p. 320 ad 344. Quos dies præcipiet sanctificari. 59. 581. In qua ætate incipiet se manifestare. 43. 436. ad 434. Prædicabit se Regem cœlestem. 27. 238.

*Antichristi prælia*. Decem Reges subiugabit. 29. 266. ad 266. & p.15. n.94. ad 100. Reges etiã Aegypti, Aethiopiæ, & Lybiæ ibid. 256. ad 262. Multa prælia committet. 27. 234. ad 237. Post prælia in Iudea Sedem Regni collocabit. 28. n. 245. ad 254.

*Antichristi Regnum*. Per totum mundum diffundetur. 29. 266. ad 268. In principio erit modicum, ibid. 256. Dilatabitur deinde, & quomodo, n. 256. ad 262. Erit reuera Rex. ibi. 229. In effectu regnabit, ibid. A Iudæis eligetur Rex, & à Gentilibus. 28. 244. Per vniuersum mundum temporale, & spirituale imperium habebit. 30. 266. Quanto tempore durabit. 45. 436. ad 452.

*Antichristi adoratores*. Primò Iudæi. 41. 405. ad 415. Secundò reprobi omnes ex omni secta, & natione. p.42. & 43. n.425 vide Gog. & Magog. 53. 505. omnem cultum sibi exhibendum imperabit. 56. 535.

*Antichristi character*. Incertũ quid erit. 47. 455. ad 460. Eius nomen, vel numerus nominis. ibid. vel Scriptura Sigilli NEGO, vel PX. Eo signabit suos sequaces in fronte, vel in dextera. ibid. n. 455. ad 464. Quare sic signabit. ibi. 470. Tunc Angeli signabunt inuisibiliter sequaces Christi, ibid. n. 461.

*Antichristi nomen*. Ex 666. constabit. 48. 474. ad 478. vel literis, vel numeris ibidem; incertum est quodnam erit, ibid. 478. ad 482. Causa etiam incerta. ibid. Afferuntur multa nomina summam illam continentia. ibid. 478. ad 482. Num Græcum erit, vel Hebraicum, incertum. ibid. 483. Quod Hebraicum probabilius. ibid. Quod Nomen redolens diuinitatem. ibid.

*Antichristi miracula*. Multa mirabilia per se, & per suos faciet. 36. 350. ad 366. Arbores subito florere, & arescere. ibid. 360. & 361. mare turbari, & tranquillari. ibid. Naturas in diuersas figuras mutari. ibid. Mortuos palam resuscitare, leprosos mundare, paralyticos sanari. ibid. 360. & 361. Dæmones expellet, montes transferet, futura prædicet, super mare gradietur. ibid. Diem conuertet in noctem, solem quo volet, circumager. ibid. Statuas loqui, ignem de Cælo descendere, solem non moueri faciet, &c. ibid. Dæmones visibiliter in forma Angelorum cum timore sibi ad stare. ibid. 365. Quæ signa erunt vera, & quæ fallacia. 37. 369. ad finem. Cur Deus permittet ei tot signa facere. 42. 418.

*Antichristi durauo*. tribus annis mundo imperabit, & mensibus sex. 57. 548. & 549. 580. & 578. In omnibus Christum imitari conabitur. 59. 581. & p. 47. 469. Simulabit se mortuum. ibi, n. 581. Tertia die resurrexisse. ibid. n. 581.

*Antichristi interitus*. In Cœlum ascendere tentabit. 59. 581. A monte Oliueti ad Cœlum eleuabitur à Diabolo. ibid. Statim vox Christi audietur, & corruet. ibid. Fulmine percussus à Michaele peribit. 57. 542 561 &c. In Monte Oliueti occidetur n. 578. 576 568. &c. In suo papilione, ac solio. ibid. n. 562.

*Antichristi post mortem*. Bellum cum residuis. 57. 550. Septem mensibus mundabitur terra. 61. 593. Iterum homines peccatores. 60. 583. Iterum spatium pœnitentiæ. ibid. 588. & 589. Deinde iudicium, verbo Iudicium.

*Apparitio*.

Apparitiones aliquæ recensentur, 677. 152. & & 153. Quandoque sunt à Deo, vel Angelis immediatè. 681 157. Nec sequitur deceptio, nec illusio, nec præligium, ibid 161. ad 164. Nec loquens apparenter in persona defuncti, diceret falsum. ibid n. 165. Apparitionum genera. 687. 171. Possunt animæ immediatè apparere sine corpore. 677. 135. Regulariter cum corpore apparent 674 142. Tale corpus non est corpus proprium. 680. 148 Apparitiones huiusmodi possunt esse in sola specie intelligibili sine concursu phantasmatum. 684 167. ad 175. & pag. 684. n. 189. & 191. Regulariter non ita fiunt. ibid. Si per solam speciem intelligibilem fierent, qualiter remaneret de viso memoria 687 191. Apparitiones Ioannis in Apocalypsi quales. ibid. n. 176. & 181. Visiones Prophetarum quales. ibid. 174. & 181. Apparitiones quandoque sunt solum in specie intelligibili, & sensibili interna, & non externa p. 684. n. 176 ad 182. Iam facultet discernitur apparitio, an interne dumtaxat fuerit. 686. 182. ad 188. Apparitio per speciem, quam visionem generat. 687. 193. Apparitiones per speciem dumtaxat, & nõ per obiecta regulariter fiunt 686. 181. Nihil refert ad veritatem visorum si apparitio sit in specie, & non in suo obiecto. 688. 198 Quare sic videns non decipitur. ibi n. 196. Qui sic videns possit decipi. ibid. n. 197. Apparitiones per speciem possunt esse illusiones. 686. 194. Quæ verè, et nõ deceptoriæ. 688. 195

*Apparitiones in somnijs*. Quæ genera visionum in somnijs. p. 689. n. 219. Quandoque sunt præter naturæ ordinem. ibid. n. 199. ad 213. Qualiter solum per imagines fiant, ibi. n. 213. ad 221. Apparitionibus in somnijs subiecti, qui decipiuntur. ibid. n. 222.

*Apparitiones quando illusiones*. Apparitiones aliquando diuinæ, aliquando dæmoniacæ, et aliquãdo imaginariæ naturales. p. 698. n. 269. ad 283. Apparitiones omni modo à dæmone fieri possunt. p. 697. n. 254. Naturalium à supernaturalibus, siue diuinis, siue dæmoniacis discrimen. p. 700. n. 281. Quando sunt de obiecto, et sine bono

bono difficulter discernuntur. 702. 190. Regulæ, et signa discernendi illusiones à reuelationibus in apparitionibus. 702. à num. 296. et deinceps. Signa certiora. ibid. à num. 296. ad 304. Minus certa. 704. à n. 304. ad finem. Qui subijciantur illusionibus. 686. 194. Cur Deus permittit fallas apparitiones. 689. 221. in fine. Apparitiones diuinæ etiam malis personis fiunt. 607. 313. Omnis ætatis, et sexus. Personis reuelationes, et apparitiones, qualiter accidere possunt. 707. 313. ad 317. Apparitiones, et reuelationes difficulter admittendæ. 708. 318. Mulierum præsertim, et puerorum. ibid et n. 317 Reuelationes, et apparitiones etiam ad institutionem pertinentes, quando respuendæ. 708. 320. ad 324.

*Apparitionum, & reuelationum approbatio.* Ad Summum Pontificem spectat. 709. 524. Regulariter Sedes Apostolica permittit reuelationes, et apparitiones aliquas, sed non approbat. 709. 524. Nec proponit, vt materiam fidei. ibid.

*Appetitus. Attingentia, Aqua, attritio.*

In humana natura duplex appetitus. 316. 1. Naturalis appetitus in omnibus entibus quid sit. ibid. 2. vide Beatitudinis appetitus. Attingentia immediata duplex. 354. 50. Aqua dupliciter impura. 193. 80. Attritio quid sit. 280. 517. Ex motiuo gehennæ, an ad salutem sufficiens. ibid. 518.

*Aristotelis.*

Asseruit non demonstrauit animæ immortalitatem. 76. n. 68. & 70. nec intellectum esse formâ manentem post corruptum. ibid. 70. Neque esse formam de foris aduenientem. ibid. 71. Nec declarauit animæ intellectiuæ causam efficientem. ibid. 71. Quid probat de animæ immortalitate? 629. 31. ad 41. Arist. non omnia probauit. ibid. 35. Aristotelis absurda ponentis Deum neccessariò ad extra agere. 343. 173.

*Ascensio, Assumptio.*

Christi ascensio in Cœlum naturalis non miraculosa. 563. 169. Assumptionis Beatissimæ Virginis ab ascensione Christi differentia. ibid.

*Augmentatio, vide Nutritio.*
*Aureola, vide Beatorum aureola*

# B

*Babylon* futura Antichristi Patria. 22. 189. ad 196. Multi Iudæi ibi. 23. 207. Inibi Messiam expectant. ibid. A Babylonijs honores emunt. ibid. Principis captiuitatis nomen, ibid.

*Beatitudo.*

Beatitudinis nomen. 285. ar. 1. per totum. Multæ descriptiones. ib. n. 4. 14. Multæ acceptiones? p. 289. n. 50. p. 327. n. 18. p. 327. n. 18. p. 329. n. 38. p. 326. n. 2. & p. 312. n. 276. Ab omnibus confusè saltim cognoscitur. p. 328. n. 30. p. 285. n. 1. 9. & 10. & p. 286. art. 11. per totum, et p. 287. nu. 19. ad 25. Beatitudo confusè cognita quid sit. ibid. 17. & p. 328. 25. Beatitudinem in aliquo creato consistere dupliciter intelligitur. 287. 27. In quo multæ nationes, & scholæ beatitudinem statuant. ibid. 29. ad 35. Ponentes beatitudinem in præsenti vita. Qui. 289. 61. ad 69. Philosophus vbi beatitudinẽ statuat. 285. 4 ad 8. & p. 288. n. 39. & 40. & p. 80. n. 93. Secundũ Phylosophum quid sit. 302. 187. ad 168. Non potest ab illo attingi, nec positiuè, nec negatiuè. 314 293. Sine immortalitate non est vera beatitudo. ibid. 73. Veræ beatitudinis possibilitas indemonstrabilis. 80. 94

*Beatitudo in præsenti vita*, est impossibilis de facto. 289 76. quare n. 71. Virtutes non tribuunt beatitudinem, ibid. n 75. Nec Dei cognitio, aut dona in hac vita, ibid. n. 77. & 78. Perfecti qualiter in hac vita beati. ibid. nu. 79. & p. 35. n. 218. Beatitudo Christi in hac vita qualis. ibid. n. 80. Naturalis beatitudo quid sit p. 302. n. 192. Quare dicitur naturalis. ib. n. 194. Beatitudinis naturalis plures sensus. p. 302. n. 174. ad 176. Beatitudo in via quæ & quotuplex. p. 303. n. 195. ad 198. Quid. ibid n. 197. et 205. In via beatitudo in spe. ibid. n. 200. ad 205. Quot beatitudines in via. ibid. n. 198. et 206. ad 209. Quare dicuntur beatitudines. n. 209 ad finem art. Qualiter admittunt miserias. p. 305. nu. 218. Si status innocentiæ duraſſet, omnes fuissent naturaliter beati. p. 302. n. 190. ad 194. Non repugnat beatitudo naturaliter in via. ibid. n. 190. ad finem art. Beatitudo, et mortalitas non repugnant, et qualiter. p. 321. n. 343. Beatitudo in hac mortali vita communicari non potest, et qualiter. p. 320. n. 329. Quæ causa impossibilitatis. ibid. n. 335. Potest tamen ad tempus comunicari, p. 321 n. 337. ad finem. Potest Deus omne necessarium conferre, et omne impedimentum superare. ibid. n. 337. et 338. Deus multipliciter in hac vita visus est. p. 321. n. 345. In specie corporea aliquando. ibid. n. 342. et p. 322. n. 348. An Deus in sua essentia sit visus affirmatur. p. 322. n. 350. ad 359. Negatur. nu. 359. ad 368. Author protestatur. p. 325. n. 368.

*Beatitudo vera.* Datur in alia vita. p. 291. art. 5. per totum. Non potest naturaliter demonstrari. ibid. et p. 80. n. 94. multis nominibus nũcupatur. p. 315. n. 308. ad 314. In Sac. Script. qualiter. p. 355. n. 58. et p. 358. n. 83. Beatitudo formalis in operatione consistit. p. 352. n. 24 ad 37. Beatitudo alia potẽtiarũ alia naturarum p. 399. n. 180. Ratio formalis beatificans quæ? p. 481, n. 80. Beatitudo formalis nõ consistit in illapsu Dei ad essentiam animæ sed ad potentias. p. 350. nu. 5. ad 11. et 16. Est operatio optima et quare. p. 314 n. 294. Ratio optimi essentialis in beatitudine. ibid. n. 290.

n.196, Quid sit de beatitudinis substãtia. ib. n. 197. Beatitudo vt tentio quatruplex p.312. n. 276. Quid sit tentio in patria. p. 314. n. 297. Est absoluta operatio. p. 353. n. 42. Non potest esse sine tendentia ad obiectu. ibid. In quot operationibus consistat plures sententiæ. p. 354. n. 49. Quare nequit in vna consistere, aut vnius potentiæ. p. 355 n. 52. ad 64. In duabus adæquatè consistit. ibid. Definitio Ecclesiæ. ibid. n. 64. & 70. Ex quo tempore veritum est dicere in vna operatione consistere, ibid. n. 67. In sola operatione intellectus essentialiter nõ consistit. p. 354. n. 71. ad 77. In beatitudine intelligere est propter velle nõ è contra ibid. n. 79. & n 105 & 108. Exempla consimilium, ibid. Qualiter est actus perfectissimus in omni genere actuum. p. 360. n. 96. Non est actus voluntatis qui est nolle. ibid. nu. 94. ad 97. Neque qui est velle concupiscentiæ, ibid. n. 97. ad 102. In fruitione principaliter consistit. ibid. n. 101. ad 109. Non in omni fruitione, sed Dei clare visi. p 361. n. 109. Non omne quod succedit virtutibus Theologicis est formalis beatitudinis ratio p. 363. num. 122. Beatitudo cur dicitur fructus, p. 364. nu. 125. cur requies æterna. pag. 445. num. 238. Qualiter gratia consumata. p. 351. num. 19. Est vltimum bonum non vt passio, sed vt operatio. p. 368. n. 163. Nequit formaliter esse totum ex fruitione, & delectatione aggregatum. p. 369. n. 169. Beatitudo formaliter est perfectio perficiens, & informans, non assistens sicut illapsus. p. 351. n. 17.

*Beatitudinis appetitus*. Beatitudo est summum bonum. 257. 264. Est summum commodum. ibid. Appetitus ad eã duplex. 326. 1. &p. 346. 185. Omnes homines naturali appetitu eam appetunt. ibid. 4. ad 8. Quid sit huiusmodi naturalis appetitus. ib. n. 13. & 14. Non est actus elicitus. ibid. 9. ad 12. Non importat meritũ, nec dispositionem ad eam. ibid. 17. in fine, Quæ, & qualis proportio illius ad beatitudinem. ibid. 14. & 16. Naturaliter beatificabile, & naturaliter capax beatitudinis non sunt idẽ. ibid. 17. Appetitu naturali Beati appetũt summam beatitudinem. 348. 204. Necessitas admittendi naturalem appetitum circa beatitudinem. 349 211. Appetitu elicito omnes quoque appetunt. 328. 21. ad 29. Etiam damnati. n. 32. Est appetitus vniuersalis non necessarius. ibid. 33. Potest esse meritorius. ibid. 33. & 34. Beatitudo odio haberi non potest, sed non amari. ibid. 35. Beatitudinem in vniuersali apprehensam voluntas liberè appetit. 329. 40. ad 48. Potest dici, & qualiter, quod necessario. 331. 55. Beatitudinem veram, seu in particulari apprehensam voluntas liberè appetit. 331. 59. ad 65. Apprehensio veræ beatitudinis non producit qualitatem determinantem in voluntate. ibid. 62. Apprehendens beatitudinem, nec semper, nec summè producit actum amoris. ibid. 63. & 65. Quid possit voluntatem retrahere ab amore beatitudinis apprehensæ. ibid. 67. Appetitu elicito non omnia appetuntur propter beatitudinem. 336. 202. ad 205. Appetitu naturale omnia. ibid. 206. A Deo omnia ordinata sunt propter beatitudinem appetitibilia. ibid. 108. Non appetens omnia propter beatitudinem, quando non peccans. 337. 109. Deum clare visum in via voluntas liberè amaret. 332. 71. ad 73. Nec lumine gloriæ necessitaretur. ibid. 72. Nec habitu charitatis ad amorem. ibid. 74. ad 76. Appetitus Beatitudinis in viatore qualis. 334 85. ad 88. & 96. Viatoris amor circa Deum clarè visum sine charitate posset esse supernaturalis. 334 89. ad 91. Eiusdẽ amor cũ habitu charitatis potest esse naturalis. 335. 91. & 96

*Appetitus satietas*. Quilibet beatus est satiatus beatitudine, & quomodo 347. 188. ad 202. Appetitus deliberatiuus satiatur non naturalis. ibid. 203. ad finem art. Omnes pro meritis satiantur. ibid. 205. Nemo tristatur de maiori quam non habet. ibid. 208. ad 209. Nec de appetitu naturali non satiato. ibid. Nemo habet voluntatem conditionatam de maiori. 208. & 210. Beatus qualiter potest velle suum appetitum naturalem satiari beatitudine. 408. 239.

*Beatitudinis consecutio*. Non potest ab homine naturaliter adipisci. 338. 122. ad 136. De fide. 337. 118. & 119. Beguinarum hæresis. 339. 135. Catholicorum in ratione dissidium. 337. 120. Ad beatitudinem homo quam potentiam habet, ibid. 137. Si potentia remota cur appetitus naturalis non frustra. ibid. Per quid fit in potentia proxima. p. 340. 140 Impotentia videndi Deum naturaliter non aliunde quam ex Deo, & quare, p. 343 n. 168. ad 172 & p. 345. n. 180. et p. 346 nu. 183. Non oritur, quia Deus non potest esse in intellectu viatoris secundum modum cognoscentis. 340. §. 1. per totum. Nec quia Deus non est eiusdem ordinis cum intellectu. p. 342. n. 157. ad 173. Neque quia non potest in esse intellectui secundum naturalem exigentiam cognoscendi intellectus p. 341. §. 3. per totum Sed quia ad extra est agens liberum. 343. 173. ad 177. Impotentia naturalis videndi Angelũ in qno differt ab impotentia naturali videndi Deũ. 345. 179 Sensus, & intellectus proportio circa attingentiam sui primi obiecti. 339. 138.

*Beatitudinis consecutio ante Iudicium*, quando incepit esse de fide. 294. 115. & à n. 120. ad 156. Probationes ex bullis canonizatorum. n. 123. Ex inuocatione Sanctorum ab initio Ecclesiæ. 297. 155. Ex Patribus. ibid. n. 128. ad 140. Ex reuelationibus. ibid. nu. 145. ad 156. Patres negantes beatitudinem ante iudium. 294. 115. Fundamentum illorum. ibid. 110. & 156. ad 162. Qualiter exponantur generaliter, & specialiter. ibid. 162. ad 169. Hæretici negantes beatitudinem ante iudicium, 294. 118. Bernardus negans beatitudinis consequutionem ante iudicium. 298. 161. Qualiter exponatur. 298. Ioannes XXII. consimiliter negans exponitur. p. 300. n. 172.

*Beatitudinis obiectum*. Nequit esse non habitũ. 353. 34. Est Deus vt vltimus finis per fruitionem attingibilis. 361. 106. & 107. Vide *visio & frui-*

& fruitio. Beati distantes à Christo qualiter eum vident. 558. 137.

*Beatitudinis inaqualitas*. Beatitudo Michaelis perfectior beatitudine animæ Christi opinio singularis. 397. 170. Intellectus agens non producit beatitudinem in suo ordine. 417. 25. ad 29. Oppositum probabilius. ibid. 25. ad 32. & 32. ad 40. Intellectus agens ad beatitudinē qualiter actiuus. ib. n. 37. Vide visio.

*Beatitudo vi visio, & fruitio*. Beatus si videret, & non frueretur an esset beatus. 355. 54. & 56. Visio Dei potest dici conditio, & Beatitudo. 356. 68. Beatitudo est vnius finis in duplici actu. ibid. n. 65. Visio non est principalis pars beatitudinis n. 78. ad 82. Visio est tota merces quomodo 358. 85 Beatus perfectius coniungitur Deo & satiatur per actum voluntatis quam intellectus 350. 87. & n. 88. ad 90. Beati à non beato distinctio ratione fruitionis. 361. 114. ad 117. Non implicant plura optima diuersæ speciei. 356. 66. Partes beatitudinis quot 549. 30.

*Beatitudinis accidentia*. Gaudium, lætitia & delectatio accidentia beatitudinis naturaliter inseparabilia. 368 145. ad 153. & ad 160. à Deo possunt separari. 369. 165 Beatitudo *est gaudium &c.* causaliter. ibid 161. gaudium in beatitudine quomodo est perfecta quies ibid. 162. Perpetuitas, æternitas, securitas etiam beatitudinis accidentia. 309. 245. ad 255.

*Beatitudinis perpetuitas*. Beatitudo horaria esset vera beatitudo. 313. 291. & 292. Perpetuitas & securitas sunt accidentia beatitudinis. ibid. Apprehensio perpetuitatis beatitudinis est actus reflexus ibid. 290. Certitudo beatitudinis in intellectu quid supponit et quid causat. 313. 289. Beatitudo electorum in æternum durabit. 306. 223. ad 234. Si beatitudo non esset æterna, non esset beatitudo. ibid. 234. Item Beati essent magis miseri, quam in via. ibid. 233. Sententiæ de causis perpetuitatis beatitudinis. 308. 240. Non est de intrinseca ratione beatitudinis. 309. 245. Nec ratione potentiarum nec habituum. ibid. 245. ad 255. Neque securitas. 313. 288. ad 292. Duratio beatitudinis non est perfectior duratione suarum potentiarum 310. 264. Beatitudo creaturæ extrinsecè dumtaxat æterna. 310. 256. 257. et 260. Intrinsecè durat æuo, ibid. 261 ad 265. Beatitudo creaturæ etiam in summo vel infinita, omnem auferens priuationem adhuc intrinsecè destructibilis. 311 267.

*Beatus*.

*Beatus est, qui habet, &c.* qualiter intelligitur. 311. 269. & p 353. nu. 35 & 39. habet quicquid vult per suas operationes. ibid. etiam possessionem omnium bonorum. ibid. 40. Quid distinguat beatum à non beato. 365. 137. Beatus, qui sit. 513. 33. Beatorum gaudium quid. 367. 143. Beatorum functiones in cœlo. 387. 90 et 91. Beatus sciens beatitudinem suam non esse æternam, quare non esset miser. 311. 269 Beatus in sensu diuiso posset esse miser. ibid.

*Beatorum scientia*. Cognitio matutina, & vespertina in Beatis. quid. 509. 300. Quæ secreta cordium naturaliter scire possunt. 508. 297. Possunt in Deo omnes creaturas videre. 487. 114. ad 118. De facto non vident omnia quæ videt Deus. 488. 124. ad 131. Qualiter vident mentem seù cogitationem Dei. 490. 142 Qualiter vident Dei omnipotentiam. 491. 143 & 144. & p. 500. 211. Qualiter vident in essentia tanquam in speculo. ibid. 148. Non repugnat quod omnia quæ Deus videt ipsi videant in Deo. 491 150. ad 159. Causa non repugnantiæ. ibid. 151. & 152. Non sequeretur ex hoc comprehensio. ibid. 160. & 166. Esset vna visio nec infinitæ perfectionis. 493. 161. ad 176. Beatus videt suam visionem. 496. 178. & 179. Ex vi visionis essentiæ Beati non vident creaturas. 497. 188. ad 198 Vident in Deo pœnas damnatorum. 509. 303. ad 309. Vident pœnas positiuas, et priuatiuas. ibid. 309. ad 311. Non tristantur de visis, & quare. ibid. 313. Vident omnes rerum species. 503. 238. ad 243. Aliqua etiam vel omnia individua illarum. ibid. 244. ad 248. Vident omnia ad ipsos pertinentia. 504. 249. ad 255. Exempla. ibid. vident quicquid decet, & delectat. ibid. 254. Non vident omnia quæ credidernnt. 500. 210. Congruentia quare non vident omnia. 504. 256. Patres docentes oppositum exponuntur. ibid. Nec vident omnia habitualiter. 505. 259. Non vident creaturas semper actu, sed prohibito ibid. Creaturarum reuelatio in essentia quare non est fides, nec quid obscurum. 500. 214.

*Beatorum libertas, & impeccabilitas*. Beatus si dimitteretur suæ libertati, an posset nonamare Deum. 544. 326. Quam libertatem habeant beati. 543. 315. ad finem art. Non habent libertatem de nomine tantum. ibid. 327. Qualiter sunt impeccabiles. 514 329.

*Beatitudo corporis*. Ad essentialem beatitudinē quare impertinens. 549. 39. ad 42. Qualiter tamen beatis necessaria. ibid. 42. ad finem; corporis beatitudo pars præmij ibid. 44. & 46. Est maxima gloria beatorum. ibid. n. 53. Beatorum corpora qualiter beatificabilia. 545. 2. ad 6. Qualiter beatificabuntur per elongationem ab omni malo. ibid. 6. ad 20 qualiter beatificabuntur fruitione bonorum. ibid. 21. ad finem art Non erit concupiscentia in membris. ibid. 19 Sensus quibus obiectis delectabuntur. ibid. n. 10. Dona corporis gloriosi quare dicuntur dotes. 551. 58. Beatorum corpora qualiter possunt dici imperfecta. 558. 35. In beatis nec generatio, nec nutritio. 582. 310. ad 316. In beatis visus & auditus. 585. 310. ad 340. In beatis tactus. 585. 340. Odoratus, & gustus in beatis incertum. ibid. n. 344. ad finem.

*Beatorum corporum Impassibilitas*, quid sit. p. 555. n. 100. à ad 104. & p. 556. n. 101. Non est forma positiua p. 555. n. 101. & 102. Absurda quæ sequerentur, ibid. n. 107. ad 108. De impassibilitate corporum beatorum plures modi dicendi p. 551 n. 60. et p. 553 n. 81. ad 100. Præseruatio à corruptione quid sit. pag. 555 n. 103.

nu. 103. & 104. Non solum erunt immortalia, sed etiam impassibilia. p. 552. n. 70. ad 81. Secundum PP. ab intrinseco, & ab extrinseco impassibilia, ibid. n. 87. Quæ causa impassibilitatis. p. 553. Non carentia qualitatum mixti, aut contrarietatis earum. ibid. n. 8 . ad 83. Nec status medius contrariarum qualitatum, ibid. n. 87. Nec impotentia ad recipiendum contraria. ibid. n. 88 ad 91. Nec virtus in illis ad resistendum contrarijs, p. 554 n. 91. ad 94. Neque cessatio motus cœli. ibid. n. 94. ad 97. Neque ex imperio animæ beatæ supra corruptiua, ibid. n. 97. ad 100. Sed sola diuina voluntas, & qualiter ibid n. 100. ad 104. Impassibilitas per quid differt ab incorruptibilitate. p. 556. n. 111. Qualiter naturalis, & qualiter miraculosa. ibid. n. 112. Corpora beatorum erunt perpetua quamuis constantia ex elementis. p. 556 n. 107. & 109. Erunt palpabilia, & non corruptibilia. p. 555. n. 105 Sensus beatorum non patientur à sensibilibus ibid. n. 106.

***Beatorum corporum Agilitas & motus.*** Agilitatis etymologia. p. 557. n. 113 Essentia in positiuo, & negatiuo consistens p. 558 n. 132. ad 134 Effectiuè animæ formaliter corpori conuenit ibid. n. 123. ad 129. Non est qualitas supernaturalis. ibid. n. 129. ad 132. Corpora beatorum verè erunt agilia. p. 557. n. 117. ad 123. Et semper agilia, & Inæqualiter agilia. ibid n. 136 et 39. Duplex motus in beatis organicus, & in organicus probab. p. 560. n. 146. ad 16. Motus localis in organicus beatorum qualiter naturalis. p. 561. n. 168. Corpora beatorum etiam ponderosa. p. 556. nu. 108. et p. 563. n. 171. ad 179. Licet grauia non tamen manent violenter in Cœlo. p. 556. nu. 108. et p. 563. n. 176 ad 178. & 182. ad 184. Grauitas ista non impedit agilitatem. ibid n. n. 180. Quæ grauitas à SS. PP. denegetur beatorum corporibus, ibid. n. 185. Corpora beatorum sedeant ne an stent in Cœlo? secundum est magis probabile. p. 566. n. 189. ad 194.

***Beatorum corporum dos Claritatis,*** quid sit p. 569. n. 203. in fine, multæ acceptiones claritatis, ibid. Corpora Beatorum habebunt dotem claritatis, ibid. n. 205. ad 210. In quo dos ista consistit ibid. à n. 110. Cur lucida, & non luminosa. p. 570. n. 225. Cur densa et opaca, & non diaphana seu pertpicua. ibid. n. 225. ad 228. Qualiter possunt dici pertpicua. p. 573. n. 237.

***Beatorum corporum dos Subtilitatis.*** Subtilitas, & spiritualitas corporum beatorum qualiter sunt idem p. 576. n. 258. ad 263. Corpus gloriosum esse subtile idem est, ac esse penetratiuum, comunis doctrina. p. 578. n. 270. Beatorum corpora habebunt dotem subtilitatis. p. 574. n. 242. ad 250. Subtilitatis dos ista non consistit in diminutione partium. p. 575. n. 251. Sed in penetratione corporum solidorum. ibid. Subtilitatis dos ad penetrandum corpora nõ gloriosa tantum conceditur. ibid. n. 251. ad 254. Beatorum corpora erunt ascendentia, & descendentia de cœlo per penetrationem non per scissionem. p. 574. n. 246. Corpora Beatorum non carebunt grossitie. p. 578. n. 277. ad 283. Grossities corporis quid sit. p. 578. n. 282. De causa subtilitatis huiusmodi plures opiniones. p. 578. n. 270. Non est forma positiua superaddicta, ibid. n. 271. ad 277. Nec carentia grossitiei, ibid n. 277. ad 283. Nec carentia quantitatis, p. 580. num. 295. Nec carentia situs, p. 579. nn. 284. ad 288. et 296. Subtilitatis dotis corporum beatorum causa intrinseca, & extrinseca assignatur. p. 579. n. 288. Corpora beatorum esse spiritualia quid sit. p. 581. n. 301. ad 307. Spiritualitatis corporum Beatorum à spiritualitate corporum damnatorum differentia. p. 582. n. 308. Impassibilitas & subtilitas dotes in indiuisibili consistunt, pag. 587. num. 360.

***Beatitudinis corporis inæqualitas Beatis***, pag. p. 586. n. 355. ad 360. & n. 367. Non parit inuidentiam. p. 588. n. 368. Beatorum corpora qualiter vltimatè perfecta. p. 586. n. 366.

***Beatorum Aureola,*** Etymologia, p. 588. n. 1. In Beatis corona aurea omnibus comunis ibid. n. 3. In Beatis etiam aureola admittenda. ibid. à n. 5. ad 11. Quid est aureola hæc p. 589 n 11. et 12. & n. 15. et 66. Qualiter animæ, & corpori concedatur, ibid n 13. Quod fundamen. tũ habet in scriptura ib. n. 14. Coronæ aureæ & Aureolæ differentia, ib. n. 14. Nec Angelis, nec omnibus Beatis conceditur, ibid. n. 16. & 17. Aureola quotuplex. p. 590. n. 18. Aureola Virginibus, Martyribus, & Doctoribus dumtaxat conceditur. p 590. n. 19 ad 47. Dignior Aureola est martyrij, deinde virginitatis. p. 593. n. 48. & 49. In aureolis inæqualitas gradualis, ibid. n. 50.

***Beatorum aureola martyrij*** quibus martyribus conceditur. p. 595. n. 59. Qualiter Beatissimæ Virgini conueniat. p. 599. n. 88.

***Beatorũ aureola virginitatis,*** cur virginibus et nõ viduis concedatur, p 593. n. 51. Quibus Eunuchis, & frigidis donetur. ib. n. 53. Inuitè stupratis qualiter debetur, p. 595. n. 56. Beatis Virgini duplex aureola conuenit virginitatis & martyrij, p 597. n. 70. ad 77.

***Beatorũ aureola Doctoratus,*** an & quibus Doctoribus, Magistris, & Episcopis debeatur aureola, p. 596. n. 61. et 63. Iesu Christo omnis aureola debetur. p. 598. num. 77. ad 84. et pag. 600. num. 89.

***Beatorum fructus.*** fructus quid sit & an speciale præmium. p. 601. nu. 96. ad finem art. Vide *Fructus. Fruitio. &c.*

***Beatorum habitus permanentia.*** Post viam in Beatis remanent virtutes morales. p. 613. n. 66. ad 75. Actus earum in patria qui. pag. 614. n. 69. et 71. et, nu. 85 ad finem. Pueri et Rustici qualiter virtutes istas habebunt, pag. 615. num. 78. Etiam in Deo, & Angelis morales virtutes conceduntur, et qualiter, pag. 616. n. 87. Vita actiua cessabit in Beatis, pag. 615. n. 77. & p 620. n. 116. Dona Sp. Sancti, in Beatis remanent, p. 617. n. 93. Fructus quoq; Sp. Sancti, p. 618. n. 109. Habitus scientifici re-

manent. p.622. n. 134. ad 145. Nec tamen otiosi. ibid. nu. 146. Qualiter per eos cognoscent. p.624. n.150. ad 152. Qualiter non repugnantes cum scientia in verbo. p.623. n. 147. ad 150. In beatis memoria præteritorum. p. 656. n. 271. Quare non tristantur de memoria peccatorum, nec complacent, p.656. n 273. ad 275 In pueris, & rusticis habitus scientifici infunduntur in patria, Opinio. p.624. nu. 151. In beatis nec error, nec opinio remanebit, p. 621 n.125. ad 133.

*Beatorum comunio*, quid significet. p.664. nu. 15. In veteri testamento cur Sancti, & Angeli non inuocabantur, p 666: n. 34. et 37. Sancti sunt orandi, p.664. Est de fide, ibid. n. 1. ad 13. Est doctrina tradita à Sancto Petro, ibid. n. 5. & n. 17. Quomodo sunt orandi, p 668. n. 39. Sanctorum cultus non minuit obsequium Dei, ibid. Nec Dei reuerentiam per recursum ad illos, ibid. Nec occasionem præbet idolatriæ, p.668. n. 41 Beati orant Deũ pro viatoribus, p 669. n. 43. ad 69. Est de fide, ibid. n. 50. Ab exordio Ecclesiæ, ibid. n 68. Non solum orant vniuersaliter, sed etiã particulariter, p.671. n.70 ad 79. Etiã si nesciant se exaudituros, p. 672. n. 81. Diuersimode orant pro omnibus & pro aliquibus. p.673. n. 84. Oratio eorum an meritoria pro viatoribus, ibid n. 83. Quare non semper exaudiuntur, ibid. nu. 84. Quomodo audiunt orationes inuocationes, & preces nostras ad ipsos directas tam maximè distantes. ibid n. 85.

*Beatitudinis Encomia & Magnitudo*, legantur Sanctorum Patrum discursus, p. 292. num. 99. ad 113. et p. 314 n 300. ad n. 307 et ad finem art. 11. Beatorum dona et comoda. pag. 319. num. 327.

*Beatorum Apparitiones, vide* Apparitio *Defunctorum apparitiones, &c.*

*Bonum*, naturæ intellectualis quotuplex, p.257. n.264. Omne honestum est comodum non è contra ibid. Species boni honesti. ibid.n.265. Multæ species boni comodi, ibid.nu.266. Bonum commune esse magis appetendum quam proprium ex quo principio deducitur, p.77. num 73.

# C

C*Alumnia* dicit Antichristum esse Romanum Pontificem. p.1. nu. 2. Caluini hæreles hic tactæ, vide Hæresis.

*Canonizatio Caro.*

*Canonizatio*, Sanctorũ a quo Pontifice incepit, p. 664 n.14. caro nata est fluere & minui per actionẽ caloris. p.110. n.106. Aliquæ partes carnis cõuertuntur in excrementa, ibid. Caro nulla in homine est incorruptibilis, nec corruptibilis, quæ restaurari non potlit, ibid. n.101. Caro purior magis conseruatur, & contrarijs resistit. ibid. p 111. n 12. Caro secundum speciem, et caro secundum materiam quæ, ibid. nu. 12. Caro secundum speciem augetur, & manet, & non caro secundum materiam qualiter intelligitur, ibid. n. 12.

*Capilli. Chatecumeni.*

Capilli resurgent & nõ aliæ superfluitates, quare. p 115. n 155. In qua quantitate, p.116. n. 157. Qualiter participant esse humanum, ibid. nu. 156. Cathecumeni non sunt extra Ecclesiam qualiter verum, p.823. n.887. ad finem §.

*Causa.*

Causæ diuersæ speciei ad vnũ specie effectum concurrentes, p.232. n.533. Causa superioris ordinis quando est causa secunda respectu inferioris, p.537. n.275. Causæ principalis principalitas in quo consistit, p.91. n.80. Causa magis principalis quæ, p.436. n.179. & 177. & p.437. num.181. Causa præcisa alicuius effectus quæ. p.438. n. 189. Causa æquiuoca partialis potest esse imperfectior effectu, p.353. nu. 48. Causæ liberæ necessariæ & naturalis differentia, pag. 319. num. 40. ad 45. Causa superior cur nequeat ab inferiori, necessitari, p.330. num. 46. Causa prima vniformiter agente causa secunda nequit difformiter agere p.246. num. 135. Causa cognita qualiter cognoscitur effectus, p.491 n.145. et p 499. nu. 209. Causa qualiter ab effectu cognoscitur, p.493. n.161. & 162.

*Causa exemplaris*, causalitas quæ. p.93. n.102.

*Cælum.*

*Cælorum*, multiplex in scriptura acceptio, pag. 217. num. 87. Item duplex, p.197. num. 158. Cælos veterascere, & senescere quid sit apud PP. p 221. n. 128. *Cælorum* numerus ex scriptura, p.325. n.365. & 366. Cælum empyreum vnde dictum, p.325. n.366. Cæli qualiter indefectibiles, p. 311. n. 267 Cæli materia habet priuationem cæterarum formarum, pag. 533. n. 90.

*Cælorum motus.* Cæli cur mouentur, p.226. num. 171. & 172. Cælorum motus cur neuter, pag. 224. n 179. Cur non perfectio eorum intrinseca, p.226. n.169. Philosophi error de æternitate motus cæli, ibid n 171 ad 174. & 176. Cæli stellati motus secundum Ptholomeum pag. 82. n. 2. Eiusdem motus secundum Thebit, ibid. n. 6. Cæli motus semper redit idem numero, p.132. n.125.

*Cælorum motus cessatio.* Cælo non repugnat non moueri, p.235. nu. 156. Quies cæli perfectior motu, p.226. n.177. & p.178. Motus cæli quandoque cessauit, p.227. n.181. & p 449. nu.173. Post iudicium omninò cessabit. p. 224 n.159. ad 170. Sublunarium motus non dependet essentialiter à motu cæli, p.218. num.183. Cessante motu cæli non necessario cessaret motus sublunarium, p.553. num 95. & 96. & rota figuli moueretur, pag. 249. num. 173. Nec cælorum influxus immittes pag. 227. nu n. 182

Tota terra illuminabitur etiam si sol non mouebitur post iudicium, p. 288. n. 184. Cœli post iudicium an quiescent in eodem situ creationis, nulla necessitas. p. 228. n. 185.

*Calorum mutatio, & renouatio*, tempore vniuersalis iudicij fiet, p. 217. n. 87. Sententiæ diuersorum, ibid. Quod substantialiter destruentur opinio. p. 220. sub. n. 123. Oppositæ, ibid. n. 124. & 125. Cœlum æthereum conflagrabit in iudicio, opinio. p. 197. num. 140. & n. 141. Cœli syderei seu planetarij non mutabûtur substantialiter, p. 224. n. 150. ad finem art. & p. 217. n. 89. ad 112. Cœli aerei conflagrabunt, p. 197. n. 142. ad 155. Cœli syderei acquisitiuè mutabuntur per augumentum luminis, p. 219. n. 113. ad 123. Quare, p. 222. n. 134. Cœlos vt fumum debere euanescere qualiter intelligitur, p. 221. n. 128. Cœlum quoad influentias in fine mundi atteretur non quoad substantiam, p. 72. n. 37. & 38.

*Charitas.*

*Charitatis*, habitus non legitur explicitè in scriptura, p. 528. num. 190. Magister senten. illum negauit, ibid. Quo sæculo & à quo Concilio definitum, ibid. nu. 194. & 195. Non est solum animæ ornamentum, p. 529. num. 198. & 203. Nec sola dispositio, ibid. nu. 203. ad 209. Nec solum pondus quoddam animæ, ibid. nu. 210. ad 214. Charitas est causa actiua, ibid. n. 214. ad 217. Si non esset actiua esset otiosa, ibid. n. 225. Est causa formalis, simul & efficiens, ibid. n. 228. Actus charitatis in via qualiter est fruitio, p. 515. num. 64. Charitatis proprietates actiuæ, p. 531. n. 221. Charitatis præcellentia, ibid. n. 227. Charitas non tribuit potentiæ actiuitatem simpliciter, p. 533. nu. 236. & nu. 238. ad 247. De actiuitate charitatis opiniones, p. 532. n. 235. Quare charitas dicitur auxilium, p. 535. n. 254. & 255. Charitas, & voluntas qualiter se habeant in agendo, p. 535. num. 256. ad 265. Charitas etiam summa non necessitat voluntatem, p. 309. nu. 251. et p. 312. nu. 272. & 273. Charitas Beatorum in Patria potest in hac vita à Deo comunicari, p. 321. n. 337.

*Christus.*

*Christus*, quomodo impeccabilis, p. 543. num. 214. Cur ei conuenit summa beatitudo, pag. 539. n. 195. Christi corpus in Monte Thabor lucidum, p. 571. nu. 231. ad 234. Cur post resurrectionẽ apparuit sine dote claritatis, ibid. Cur propterea non illudens, ibid. nu. 235. et 236. Christi humanitas esse organum diuinitatis qualiter intelligitur, p. 94. n. 108. Christi humanitas non concurrit ad creandum &c. physicè, ibid. Christi potestas sub authoritati. ua quid sit. p. 75. n. 109. Christi ascensio, vide Ascensio.

*Christus.*

*Christi hæretici*, mores, p. 307. num. 235. et 237.

*Cognitio.*

*Cognitio*, intuitiua, & abstractiua quid sint, pag. 460. num. 338. Differentia. p. 468. n. 389. Cognitio eadem vel diuersa simul intuitiua et abstractiua de eodem qualiter repugnant, p. 468. n. 391. Intuitiua per speciem quare implicat, ibid. nu. 394. et 395. Abstractiua ab obiecto immediate per se ipsum præsente quare implicat, ibid, n. 396. Intuitiua ab obiecto simul et specie quare implicat, ibid, n. 397. Cognitio intuitiua per speciẽ præsente obiecto qualiter possibilis, p. 469. num. 400. Cognitio abstractiua de omni eo de quo est intuitiua qualiter possibilis. p. 570. n. 412. Cognitio matutina, et vespertina quæ p. 509. n. 300. Conatus maior ad cognoscendum plura obiecta quando necessarius, p. 495. n. 171. ad 173.

*Concilia.*

In Concilijs Diabolus nõ potest illusiones efficere, p. 706. num. 312. Concilliorum authoritas quod omnes ante iudicium morientur nullo excepto. p. 63. n. 9. De vniuersali iudicio futuro, p. 146. n. 15 et 17. De fine Dei in vniuersali iudicio, p. 149. num. 40 et 41. De persona iudicis in fine mundi, pag 156. num. 10. et 11. De Beatitudinis assecutione ante vniuersale iudicium. p. 293. n. 131. et 137. De obligatione ad pœnam post remissionem culpæ, p. 738. n. 189. De suffragijs defunctorum, p. 775. n. 526. De excellentia suffragij missæ pro defunctis, pag. 778. n. 579. De damnatione paruulorum decedentium cum originale, p. 816. nom. 18. 20. 26. et p. 818. nu. 49. 59. 90. et 78. De animæ immortalitate. p. 626. n. 6. De tempore creationis, et origine animæ p. 634. n. 79. Concilij non habent authoritatem concedendi indulgentias, p. 805. n. 778 Concilia damnantes nouitates dogmatum, aut nouas explanationes, et quare, p. 838. n. 131. Concilia de inuocatione Sanctorum, p. 664. num 4. Concilia loquentia de purgatorio, p. 718. n. 14. et p. 738. §. 4. per totum. Concilia loquentia de duratione pœnarum purgatorij, p. 755. num. 341. Concilij Nicen. decretum vt literæ numeris consignentur, p. 48. n. 473.

Concilij Vien. decretum de existentia animæ rationalis in homine. p. 75. num. 56. Eiusdem de necessitate luminis gloriæ; p. 423. num. 76.

Concilij Toler. authoritas de resurrectione eiusdem numero corporis, p. 130. n. 109. Eiusdem de incorruptibilitate corporum omnium resurgentium, p. 136. n. 5.

Concilij Senonensis authoritas de scientia Beatorum, p. 509. n. 300.

Concilij Lateranensis authoritas de fine vniuersalis resurrectionis quis sit, p. 143. n. 31. Eiusdem regula circa reuelationes, p. 708. n. 320. et 324 Eiusdem decretum quod non prædicetur tempus determinatum aduentus Antichristi, p. 8. num. 49.

Concilij Florent. authoritas de infantibus ad infer-

fernum damnatis, pag. 234. num. 3. Eiusdem de inæqualitate pœnarum, p. 256. num. 246. Eiusdem de pœna debita peccato mortali, p. 261. nu. 343. Eiusdem de pœna decidentium cum mortali, vel solo originali, p. 301. n. 178.

*Comprehensio, vide Visio.*
*Concursus. Corruptio. Conservatio.*

Concursus Dei cum creaturis in quocumque ordine liber, p. 448. n. 262. Concursus Dei in ordine gratiæ seu supernaturali duplex, p. 448. n. 257. Concursus Dei cum libertate creata impedit misericordiam divinam vide misericordia. Corruptibilitas non est radix reparationis, sed negationis existentiæ, pag 574. n. 52. Corruptio substantialis qualiter ad substantiam terminatur, p. 69 n. 17. Conservatio rei quid sit, p. 68. nu. 7.

*Corpus. Contraria.*

Corpus organicum componitur ex multis partibus. pag. 108. n. 28. Eiusdem partes Aetherogeneæ ex homogeneis componuntur, ibid. Qualiter crescant, et decrescant, ibid. n. 79. Quæ partes corporis sint de veritate naturæ. Opiniones, ibid. n. 80. Non sola pars seminalis à parentibus accepta pertinet ad substantiam corporis humani et ad veritatem naturæ, p. 110. n. 97. ad 103. Totum corpus quod informatur ab anima est de veritate naturæ, pag. 111. n. 108. Corpus carneum totum est venis, et poris circumdatum, p. 112. n. 115. Corpus humanum simpliciter corruptibile, p. 137. n. 22. et 23. Corpus cum sua extensione est per se pars hominis, pag. 111. n. 103. et 198. Corporis humani plures partes, p. 107. n. 61.

*Corporis conceptus nutritio, & Augumentatio.* Omnium generationis conceptum incipit primo nutriri, et augeri, pag 109 n. 81. Corporis identitas non mutatur ætate, p. 131. nu. 118. et 129. Partes quæ nutriuntur, et augentur, an eiusdem rationis, ibid. De conversione partium in naturam aliæ discordes sententiæ, p. 118. n. 80. Partes aliæ necessariæ ad nutritionem aliæ ad augumentationem, ibid. n. 81. Augetur corpus usque ad annos 33. nutritur verò usque ad mortem, ibid. si status Innocentiæ duraret eadem corpora electorum fuissent producta ab aliis parentibus, pag. 85 num. 36. Corpus potest à natura reproduci, sed nō sicut in resurrectione à Deo, p. 86. et 87. num. 41. et deinceps Plus requiritur ad construendum quam ad destruendū in his quæ non fiunt à sola natura, ibid. nu. 54. Corpus passibile, et gloriosum qualiter repugnant, p. 204. nu. 233. Species contrariorum in summo non sunt contrariæ, pag. 248. n. 162. Contraria non habentia qualiter necessaria, p. 309. n. 246.

*Creatura.*

Creatura per naturam impeccabilis implicat, p. 452. art. 13. initio. Non potest ens creatum esse intrinsecè necessarium, p. 309. n. 245. et 246. Nullum ens creatum est intrinsecè indefectibile, p. 310. n. 265. et 267.

# D

*Damnati*, omnes verè cruciantur igne corporeo, pag. 245. §. 3. per totum, et p. 247. art. 6 per totum. Perpetuò detinentur in consideratione ignis noliti, p. 246. num 35. Non possunt aliud ab igne, et pœnis considerare. ibid. Damnati considerant quid et quãtum meruissent per actus bonos, ibid. n. 309. Damnatis cogitare bonũ permittitur, vt habeant materiam, tristitiæ, p. 261. ibid. Damnatorum voluntas in ordinata semper ex affectione comodi, p. 246. n 137. Non potest exercere actus virtutis, p. 259. n. 277. et 286. Est incontinua desperatione, pag 259. n. 279. Damnatorum vita in æternum quare non dicitur vita æterna, p. 260. n 296. Damnati detestantur peccatum suum quatenus est causa pœnæ, p. 260. n. 303. Quare ex consideratione non delectantur suorum peccatorum, p. 261. n. 308. et p. 246 n 137. Exemplum, ibid. Damnatorum animæ cur non habent naturalem inclinationem ad corpus, p. 649. num. 219. Damnatorum pœna quotuplex, p. 309. n. 301. Circa damnatorum punitionem pauca miracula admittenda, p. 248 n. 161. Damnatorum pœnæ, punitio &c. vide etiam Infernus. Ignis Inferni &c.

*Dicta Haretici*, qui p. 67 n. 1.

*Defuncti.*

Defunctorum animæ an omnes statim iudicentur, p. 769. sub n. 481. et 484. Videtur de fide quod statim iudicentur, et sententientur, ibid. n. 484. ad finem §.

*Defunctorum apparitiones.* Anima defuncti nō potest pro suo libito de suo loco moueri, et apparere, p. 710. n 327. ad 334. De promittēte se apparere post mortem quid tenendum, p. 711. 334. ad finem art Defuncti viatoribus quandoque apparent. p 675. num. 90. Apparitiones ubique recensentur, ibid. ad n. 112. et p 680. nu. 147. Defuncti anima quot modis apparere potest, p 677. n. 123. Defuncti anima immediatè seu sine corpore potest nobis apparere, p. 677. n. 126. ad 134. De facto nō sine corpore seu corporali modo apparet, p. 677. n. 134. ad 137. Defuncti animam immediatè videns, qualiter recordaretur visionis, ibid. num. 138. Defuncti anima immediatè apparens qualiter possit loqui, et audiri, pag. 679. n. 139 Defunctorum animæ non possunt arte dęmonis apparere, p. 715. n. 71. Samuelis

lis apparitio per incantationem Pythonissæ, an veri Samuelis, examinatur, p.712. §. vnico. Quod verus Samuel apparuerit prob ibid. n.344. ad 359. Opposita sententia prob. ibid. à n.359. ad 363. Cur scriptura non rueret si teneatur sententia negatiua, ibid. nu. 364. & 365. Quid author putet probabilius, ibid. n. 359. ad 364.

*Defunctorum*, Suffragia quot & quæ animas adiuuant, p.780. num.604. Defunctis comunio Sanctorum negari non potest, pag.785. n.644. Pro defunctis quare plures missæ, p. 780. nu. 604. Defuncti in bello pro defensione fidei quid lucrantur, p.813. n.819. Vide reliqua verbo *Purgatorium*, *Suffragia*, *Indulgentia* &c.

*Delectatio, Dolor.*

Delectationis obiectũ vt nolitum causat tristitiam, pag.246. num. 136. Delectatio & dolor realiter causari possunt ab obiecto absq; reali immutatione in corpore, p.248. n.159, 160. et 162. Dolor quid sit, et per quid à tristitia differat, p.243. n. 105. Dolor appetitus sensitiui quid sit & qualiter causetur, p. 248. num 160.

*Demon.*

Demon aliquis in carne seu incarnatus futurus erit Antichristus. Op. p.1. n.2. & p.20. n.155. Demones sunt magnæ virtutis, p.118 n.6. Demon non potest mortuum resuscitare, p.706. num.318. Demon peccauit appetendo illicitè beatitudinem op. p.360. n.98.

*Demonum apparitiones*. Demon à P. Iosepho de Cupertino petebat benedictionem, p.702. num.293.

*Demonum apparitiones*. Vide *etiam Præstigium*.

*Demonstratio.*

Demonstratio duplex, à priori, & à posteriori, p. 73. n.41. Demonstratio à priori procedit ab intrinsecis rei demonstratæ, ibid. num 42. Demostratio est ex proprijs non ex comunibus, p.74. n. 51. Modus probandi apud Philosophos duplex, ibid.

*Deus, in Diuinis, Diuina Essentia.*

Deus qualiter est aliquod ens indeterminatum, p.463. n.351. Deus non est vna simplex formalitas sed vna res simplicissima, p 270. nu. 409. et 410. Deum operari propter finem, qualiter intelligitur, p 515. n.61. & 63. Deus solus scrutator cordium qualiter intelligitur, p.508. n.297. Dei simplicitas, quæ, & quanta, p.491. n.146. vide etiam in diuinis, &c. Dei misericordia, Vide Misericordia. Dei Iustitia, &c. In diuinis actualis distinctio ex natura rei necessaria, p.471. num. 30. & 31. & 47. In Diuinis non ponentes actualem distinctionem ex natura rei, qualiter faueant hæresi Sabellianorum, p.474. n. 47. Quare Trinitatem destruant, ibid. nu.52. In diuinis ordo productionum, pag.474. n. 39. In diuinis naturalis ordo cognoscendorum, ibid. nu.42. In diuinis quanta simpliciras, ibid. num. 44. & p. 270. n. 410. Quæ compositio repugnans, ibid. n.46. In diuinis distinctio formalis attributorum nullam dicit imperfectionem, p. 270. n.409. Nec vllam ponit compositionem, ibid. n 399. In diuinis ordo intellectus et voluntatis circa agibilia ad extra, p.267. n.383. In diuinis differentia intellectionis, & volitionis circa obiectum primarium, & secundarium, ibid. In diuinis decreta affirmatiua. et negatiua de eodem, ibid. Diuina voluntas. summa libertate agit ad extra, ibid. In diuinis qualiter essentialia præcedant notionalia, p.500. n.213. In diuinis personis auctoritas, & sub auctoritas declaratur, p.95. n. 109. In diuinis Pater facit omnia per filium qualiter intelligitur, ibid.

*Diuina Essentia*, qualiter continet omnia creabilia. p.486. n.113 Diuina essentia quare dicatur speculum omnium visibilium, pag. 486. ibid. In diuina essentia creaturæ omnes qualiter existant, p.487. nu. 119. et 120. Diuina essentia qualiter est speculum beatorum, p. 491. nu. 148. Diuina essentia qualiter est ens indeterminatum, p.510. n.314.

*Dies, Diuturnum.*

Dies Domini in Scriptura quotupliciter accipitur, p.757. n.364. Diuturnum non diuturno perfectius qualiter est verum, p.354. n.46.

*Diluuium, Discursus.*

Diluuij aqua quo ascendit, p.192. nu. 72. Non peruenit ad sphæram ignis, p.193. nu.77. Discursus scientificus est abstractiuus non intuitiuus, p.386. n.85.

*Donum.*

Donum quid, et quotuplex, p.617. n. 89. et 90. Doni etiam duplex acceptio, ibid. n.91. Dona Dei qualiter sunt merita, p.536. n.268. Dona Sancti Spiritus in Patria remanent, p.617. n. 93. ad 108. Donum timoris, et consilij qualiter remanent in Patria, p.620. n. 117. et 119. Donum timoris minimum inter dona, p. 618. num.103. Donorum effectus duplex, pag.619. num.111. et 112. et 115. Donorum effectus in Patria, ibid.n.109, et 115.

*Dubium.*

In dubijs duplex modus solutionis in quacumque materia, p.210. nu.3. et 4. In dubijs fidei regulæ, vide *Fides*, *Ecclesia* &c.

*Duratio.*

Duratio quotuplex, p.309. n. 243. Duratio omnis entis creati necessariò à Deo dependet

pag.

pag.310.num.257. Duratio omnis entis creati secundum se intrinsecè contingens, p. 310. nu. 256. Duratio ad essentiam entis creati impertinens, pag. 314.n. 296. Duratio qualiter non potest variare entitatem rei, p.69.n.18. Duratio entium permanentiũ quæ sit, p.310. n.261. ad 266.

# E

Ecclesia nomen declaratur, p. 53. num. 506. Ecclesiæ caput duplex, p.54.nu.521. Ecclesiæ Regula soluendi quæstiones credibilium,p.713 num.59.

*In Ecclesia*, antiquitus dubitatio de animæ hominis origine, p.636.n.100. ad 104. et p. 639. p.133. & 114.Ecclesia Romana vsque ad finem cit mũdi duratura,p.54 n.522.Ecclesia acquiescentiæ quod omnes ante iudicium morientur nemine excepto, p.64.n. 17.

*Ecclesiæ Thesaurus*, quis sit, pag.790. nu.686. Ex quibus componitur. p. 803.n.769 Quis dispensator, ibid:n.666. et p.804.n. 778. Vide Papa, Indulgentiæ &c.

*Ecclesia suffragia*, quare indifferenter pro omnibus defunctis, p. 758. n. 369. Ecclesia qualiter docet suffragia iuuare animas defunctorum non liberare, p.799. n. 763. Vide *Purgatorii* Ecclesia nõ definiit in quâ parte determinata sit locus Purgatorij. p.747. n. 260. Ecclesia semper timet nouitates Dogmatum, & quare, p.838. n.131.

*Ecclesia tempore Antichristi*. Ecclesia suos persecutores quandoque Antichristos vocat. p. 4. n.22. Ecclesia non tenet sententiam de fine mundi in sexto millenario, p.6. n.36. Si teneret posset conuinci de falsitate, p.6.nu. 36. Ecclesia nescit diem iudicij & tempus aduentus Antichristi,pag.8.num.46. ad 55. & pag 61. num. 590. Ecclesiæ sensus ab initio est Antichristum ex tribu Dan nasciturum, pag.21. nu. 185. Ecclesiæ sacrificia, & officia publica tempore Antichristi cessabunt,p.56. n 528. ad 547. Ecclesiæ sacrificia, & officia priuata tempore Antichristi non deficient probabile.ibid, n. 546. Ecclesiæ seù Templa Christianorum Antichristi imperio destruentur opin.p.57. nu. 544. Ecclesia tempore Antichristi ad deserta confugiet, p.49. n.508. Ecclesia scit Antichristum post tres annos & dimidium esse occidendum, p.61. n.590. Ecclesia sciens tempus occisionis Antichristi adhuc nesciet diem iudicij p.61.n.590.Ecclesia tempore Antichristi pascetur in desertis à Pastoribus, p.54. nu.525. Sedes Apostolica, vide *Papa*.

*Ecclesiæ donationes*, à Constantino, et Ludouico I. factæ tanguntur, p.13.n.78.

*Elementa, Elisij Campi.*

Elementa cur conflagrabunt in iudicio, pag.198. n.147. et n.148.et 149. Elemẽta sunt quæ extra totum partes manere possunt, p.78.n 75.

*Elysij Campi*, à Gentilibus in Beotia ficti,p.187. num. 23.

*Emanatio, Embrio.*

*Emanatio*, ordinem importare potest non perfectionem, p.365. n. 335. Emanatio potentiarũ ab anima non est generatio, ibid.

*Embrio*. non statim formatur deciso semine,p 101. n.23.Embrio facta in matrice mixtione seminũ incipit formari,ib.Quid primò formatur. ibid. Formato embrione subtili pellicula cõtegitur ibid.111. Tres tunicæ producuntur, et quæ, ibid. iv.Tria veluti vuæ grana in medio, & quæ ibid. v. Filamenta extenduntur totius organizationis ex illo, ibid. Embrio in sui prima formatione instar ouui ponderis 3.1.circiter, ibid. Embrio in sui prima formatione placenta, et genitura dicitur, ibid.

*Enoch, & Elias,*

*Enoch, & Elias*, Viuunt in terrestri paradiso, p. 16. nu.102. ad 120. Enoch, et Elias in terrestri paradiso, nec senescunt nec debilitantur, ibid. Enoch et Elias quando apparebunt, pag.151. num.96.

*Enoch, & Elia prædicatio*. Enoch, et Elias apparebunt tempore Antichristi ad prædicandũ còntra eius doctrinam, p.18. num.122. ad 133. Enoch,et Elias Iudæis fidem Iesu Christi prædicabunt, ib.n.133.Pœnitentiã quoq;omnibus prædicabunt, ibid. nu. 143. ad 150. Mensibus 40. et amplius prædicabunt, ibid. Non prædicabunt determinatus tempus iudicij,pag.61. num.590.

*Enoch, & Elia mors*. In Hierusalem post prædicationem occidentur, p. 20. num. 151. et 152. Enoch et Eliæ martyrium, p.29. nu.136.139. et 140. Elias duplex vnus in persona alter in officio, p.18. n.124.

*Ens.*

*Ens*, bonum, et verum eiusdem perfectionis, p. 365. n. 134. et 136. Enti magis propinqua sunt magis potentialia, et imperfecta, ibid. num.136.

*Epicurei.*

*Epicurus*, quis fuerit, pag.625.num.1. Epicureorum quis princeps, p. 187. n. 30. Epicurei per quid differant à Mahumetanis. ibid. num. 33. Epicurei quid sentiant, ibid.et verbo *Hæresis*.

*Errores. vide Hæreses.*
*Ætas, Euangelium, Eucharistia.*

Ætas virilis, quæ pag. 132. nu. 133. Aetatis diuersitas non mutat corporis identitatem, p.131. num.128. et 129. *Euangelium*, toto orbe diffusum tempore D. Hieronymi.p 152.nu. 79. *Eucharistiam* instituens Christus quare orauit, p.90.n. 70.

# INDEX


*Extasis, Extasiei.*

*Extasis* quid et quotuplex p.692. n.224. Extases aliquæ recenſentur, ibid.n.226. ad 233. Extaſes naturales dantur, p.694.num.237. ad 243. Extaſes diuinæ et ſuper naturales quandoque, p.692.n.226. ad 233. Extaſes etiam demoniacæ.ibid. n. 234. ad 237. In extaſi apparitiones per ſpeciē fiunt, p.695.n. 244. ad 251. Modus videndi Extaticorum, ibid.n.251.

# F

*Fœmina.* Sexus fœmineus non eſt vitium. pag. 127. n. 82. et 87. Sexus fœmineus reſurget, p. 126. Non erit inutilis reſurrectio &c. Vide *Reſurrectio*.

*Fides.*

Fidei definitio explicatur, p. 608. n. 29. et 30. Latentia qualiter eſt de ratione fidei, p 604. n.3. Naturaliter notum non poteſt eſſe obiectum fidei. p.74.n.48. Fidei obiectum neceſſario eſt obſcurum, et reuelatum.ibid.Fidei in via quid ſuccedit in Patria, p.313. n.282. Credibilium triplex differentia, pag. 603. num.5. Fidem infuſam in Patria euacuari qualiter poteſt intelligi, p.604. n. 7. ad 13. Fides habitualis in Patria non otioſa p.606. nu.22. & 24. Fides in Patria remanet, ibid. et num. 23. Fidei habitus cum beatifica viſione qualiter non repugnat. p.607. n.33. Fides qualiter cū lumine gloriæ non repugnat, p.608.n.28.

*Fidei* dubia ſoluendi regula canonica, pag.835. n.113. Circa fidei credibilia Regulæ, pag. 777. num.568. et 572.

*Finis.*

Finis Dei in agendo non eſt creatura, pag. 141. n.1. et p.148. n.2. et n.24. Finis Dei in agendo quis, ibid. Finis perfectioris nequit eſſe aliquod imperfectum, p.225. nu.158 Finis vltimus quotuplex, p.357. nu. 72. Finis vltimus per fruitionem propriè attingitur,& quare,p. 361. num 106.et pag.514. n.61. et p.518.n.95.

*Forma.*

Forma, et efficiens non coincidunt, p.88. n. 47. Formam exigere ſubiectum aptum quid ſignificet, p. 426. n. 105. Forma non conſtituit ſubiectum, ſed totum, p.645. nu.173. Formæ denominatio toti intrinſeca,& ſubiecto extrinſeca, quare, p. 643. nu. 164. Forma infinita ſi daretur non contineret materiam, p. 111. nu. 267. Formæ ſoli competere quando poſſunt operationes competentes toti, p.653.n.247.

*Fruitio, Frui, & Vti.*

Frui, et vti definitio, et differentia, pag 360. n. 43: et p.364. num.122. Fruitionis etymologia p.510. n.2. Fruitionis formale ſignificatum, p 511.n.4. ad 11. Frui quid propriè ſit. ibid.nu 7. et 12. Fruitio cur talis dicitur à fructu,p. 364 n.125. et p.511. n.19. et 20. Frui, & fructus, et fructu frui differentia, et ſenſus, pag. 512. nu. 22. & 23. Quæ fruitio ſignificat beatitudinem ibid.n.116. et 119.Fruitionem q uid neceſſario conſequatur, p.512, n.25. et 28.

*Fruitionis obiectum.* Fruens, & obiectum fruitionis non neceſſariò diſtinguuntur, pag.514. n.61. Fruitionis in comuni obiectum quodnā ſit,p.517.num.87. ad 97. Fruitionis obiectum qualiter eſt ratio vltimi finis, p.518. n.95. & n. 98. ad 102. & p.514.nu.63. Fruitionis obiectū qualiter eſt ſummum bonum, p.514. num.62. Fruentem habere finem qualiter intelligitur, ibid. n. 62. Fruitioni neceſſariam eſſe ordinationem ad vltimum finem qualiter intelligitur, ibid. n.63. & 72. Fruitio obiecti abſentis, quæ, p.515. num.64. et 66. Fruitionem obiecti abſentis conſequitur delectatio, ibid. num.65; Obiectum fruitionis eſt tota Trinitas de facto p.521 num 114. ad 123. & à nu. 135. ad 138. Vide Inferius *fruitio Beatorum*.

*Fruitionis diſtinctiones.* Fruitio quotuplex,p. 513. n.30. et p 517. n.85 Fruitio perfecta, et imperfecta, p. 362. n. 115. Fruitionis viatoris, & comprehenſoris differentiæ improportio, pag. p.362. n.118. et 117 et p.515. n.67. Fruitionis à delectatione. p. 364 num. 123. et pag. 369. num. 168.

*Fruitio quis actus, & qualis.* Frui eſt actus voluntatis conſequente paſſione. pag.511. nu.11. ad 18. Quia amor eſt fruitio, p. 513. num. 64. et 67. & 71. Ad fruitionem ordinatur viſio, & non è contra, p.361. num.102. Fruitio cur, & qualiter in Beatitudine immediatior viſione p.362. n.113. Quando fruitur voluntas.p.513. num.59. Fruitio per accidens ſuccedit ſpei. p. 514. n.60. Quietatio in fruitione qualiter neceſſaria, p.516. n.69. Fruens quietatur in ultimo obiectiuo non formali, et quare. pag. 520. n.110. Fruitio beatorum in Patria etiam libera, p.542. nu.115. ad 123. Fruitionis libertati in patria non repugnat impotentia an non fruendum. p.542. n.324. Nec impotentia ad recedendum ab amore, ibid. n.315. Nec impeccabilitas, p. 544.n.329. Nec aliud extrinſecum, ibid. n.330.

*Fruitio quibus conueniat.* Deo primo conuenit frui ſeipſo. p 513. 11. ad 36. Omni agenti intellectuali per ſe conuenit frui.ibid. n. 37. ad 41. Fruitio viatoris quare non eſt beatitudo, p.513. n.67. Beatis per ſe conuenit frui, p.521, n.114. ad 123. Beatorū fruitionis de facto obiectum, ibid. et n.139. et 140. Beatorum fruitionis quale obiectum eſt Trinitas, p. 521. nu. 135. ad 138. Beati in Patria fruuntur creaturis, et qualis eſt iſta fruitio, ibid.n. 123. ad 134 Frui Deo etiam viatori poſſibile, p.513. n. 42. ad 47. Frui quibus impropriè conueniat, pag. 512. n.26 et 27. Frui peccatoribus conueniens quale, pag.514.n.48. ad 53. et n.101. &p.516. n.68 In fruitione peccatoris.quæ ordinatio ad

Dei, p. 516. n. 70. et 71. Inordinatione in fruitione Peccatoris quæ ibid. num. 70. et 71. Peccans omnis fruendo creaturis, quid existimat Deum et qualiter, pag. 521. n. 112. Frui Beatorum quale, p. 514. n. 53. ad 59. et 73.

*Fruitio de facto, & de possibili.* Frui potest viator ordinatè essentia non fruendo personis; p. 524. n. 144. ad 148. Frui potest viator vna persona non fruendo alia, ibid. n. 149. et 150. Fruitio Dei de facto supponit habitum charitatis, p. 527. n. 179. ad 189. Est de fide, num. 184. et 164. et 197. Fruitio quantum ad substantiam non est à sola voluntate, p. 554. num. 248. ad 251. nec intensio à sola charitate, ibid. De causalitate charitatis in fruitione opiniones. p. 529. n. 196. et p. 532. n. 235. Ad fruitionem charitas qualiter auget actiuitatem potentiæ pag. 514. num. 151. ad 156. In fruitione voluntas, et charitas qualiter se habent. p. 535. nu. 256. ad 265. In fruitione voluntas an charitas causa principalior, et respectu cuius realitatis, pag. 535. n. 263. et 264.

*Fruitio de possibili.* Frui potest Beatus essentia non fruendo personis, p. 525. num. 151. ad 158. Frui potest Beatus vna persona nō fruendo alia, p. 525. nu. 159. ad 162. Ad fruendum vna persona non fruendo alia, non obstat ratio relatiuorum in personis ibid. n. 163. et 164. Nec quia fruitio est creatura, ibid. num. 166. Fruitio essentiæ sine personis, qualiter non esset falsa beatitudo, p. 526. nu. 169 Fruentes essentia tantum qualiter beatificè quietarētur ibid. n. 172. Frui potest voluntas Deo clarè viso sine charitate, p. 538. nu. 278 ad 288. Ad Deo fruēdum sine charitate non esset necessarium aliud supplementum, p. 539. nu. 288. ad 292. Fruitio Dei sine charitate, an esset beata, p. 539. n. 296 ad 301. Fruitio Dei sine charitate, an esset naturalis vel supernaturalis, p. 538. n. 285. et p. 540 n. 304. Fruitionis Dei cū charitate, et sine charitate differentia. p. 539. nu. 292. ad 296 et 306. ad 310. Fruens Deo voluntas sine charitate etiam suo toto conatu an esset beata, & quare, p. 540. n. 306. et 310.

*Fructus.*

*Fructus* multæ acceptiones, p. 600. nu. 90. et 91. Fructus non est speciale præmium beatorum p. 601. nu. 96. ad finem art. Fructus acceptio pro præmio, qualis, p. 603. n. 105. Fructus Spiritus Sancti numerus, causa, et actus, p. 618. n. n. 109. Fructus Spiritus Sancti, an in Patria remaneant, et qualiter, ibid. n. 109. et 110. et p. 621. n. 120.

G

*Gaudium* à delectatione non distinguitur, p. 366. n. 142. Gaudium quid & quotuplex, pag. 367. n. 142.

*Gehenna.*

*Gehenna* quid, et quotuplex, p. 234. num. 1. Vide *Infernus.*

*Gerberus.*

Gerberus primus proclamator de certitudine temporis aduentus Antichristi post annos mille, pag. 5. num. 25.

*Gloria.*

Gloriæ adeptio naturæ viribus impossibilis, pag. 88 n. 52. Gloriæ adeptio eiusdem difficultatis, ac animæ ad corpus vnitio. ibid. Vide *Beatitudo, Fruitio, Visio, Beatifica &c.*

*Gog & Magog.*

*Gog, Magog. Gomer*, quod significent, pag. 41. num. 425. & pag. 50. n. 468. Gog & Magog vnde dicuntur, pag. 49. nu. 491. & 492. Gog. & Magog variæ expositiones, pag. 49. num. 485. et num. 490. ad 505. Gog Antichristus, Magog Exercitus eius Op. pag. 50. n. 491. ad 495. Gog persona ab Antichristo distincta, Rex nationis Magog. pag. 51. n. 495. ad 506. Gog, & Magog Gothi existimati. ibid. n. 485. Gog et Magog Getæ & Messagetæ, quare existimati, ibid. Magog filius Iapheti Magogigis nomen dedit, p. 52. n. 503. Magogigi sunt Scythæ, & Scythia est vtraque tartaria, ibid. nu. 503. Gog est Princeps terræ Magog scilicet Scythiæ, p. 51. n. 505. Magog nationes subditæ Gog, p. 51. n. 500. Gog & Magog aduentus circa finem mundi, pag 50. n. 487. & 490.

*Gratia, Gratuitum.*

Gratia ad meritum qualiter necessaria, pag. 441. num. 204. Gratia efficax ad voluntatem qualiter se habeat pag. 537. n. 271. et 274. Gratiæ causatio à Sacramentis qualis est. p. 441. num. 210. Gratiæ causalitas qualis sit p. 530 nu. 202. Vide *etiam Charitas.* Gratia à Principe concessa latissimè esse interpretanda qualiter intelligitur, p. 810. nu. 863. ad 866. Gratuitum esse quid sit, p. 455. n. 303. ad 306.

*Granitas.*

Granitas quid, & quotuplex, pag. 563. n. 171.

H

H *Abitus* definitio et necessitas, pag. 431. num. 143. et p. 530. n. 216. Habitus quicumque proportionantur modo connaturali operandi potentiæ, p. 512. nu. 272. Nullus habitus etiam supernaturalis dat simpliciter operari, p. 434. n. 162. et p. 545. nu. 324. Nullus habitus potest esse causa principalior po-

ten.

tentia respectu actus, pag.437. num. 181. Habitus omnes sunt actiui præsertim practici, p.530. n.215. et 218. Habitus & potentia qualiter eundem actum causant licet sint diuersi ordinis & actiuitatis, p.537.n.271.& 272. Habitus qualiter sunt de genere relatiuorum, p. 532. nu. 229. Habitus non sunt imagines seu semina obiectorum, pag.418 nu.116. Habitus nullus gerit vicem speciei impressæ. ibid.num. 114. Ab habitu eodem respectu eiusdem obiecti formalis qualiter possunt diuersi actus prouenire, p. 612. nu. 61. Habitus quomodo est causa intensionis actus. p.536. num. 270. Habitus voluntatis perfectiores sunt habitibus intellectus etiam Sapientia, p.365.num. 131. et p.366. n. 138. Habitus in via acquisiti, qui remanebunt in Patria, pag. 621. per totum art.

*Habitus supernaturales* existere seù infundi quãdo fuit de fide decisum, pag. 610. num. 48 Habitus supernaturales propter quos actus & propter quem finem admittuntur, p.258.nu. 277. Habitus supernaturales imperfecti qui sunt, & quare, p.611.n. 54. Habitus supernaturalis qualiter est causa naturalis, p.537.nu. 272. Habitus omnes supernaturales sunt actiui, pag.432. num. 149. & 151. Habitus supernaturales non sunt intrinsecè æterni, pag. 311. num. 278. Habitus supernaturales eiusdem diuturnitatis in Patria cum actibus, pag. 353. num.47.

*Hæresis, Hæretici*

Hæreses ex nouitatibus doctrinarum nascuntur, pag.838. num. 131. Hæreses nouitia semper est nouitas, ibid. num. 131. Hæresis Anthropomorphitarum quod Deus sit corporeus, pag. 408. n.242. Hæresis Arnaldi de excellentia humanitatis Christi, pag 495. nu.177. Hæresis Beguinarum, et Begardorum circa Beatitudinem, pag.337. num.119. & pag. 421. num.51. et 78. et 135. Hæreses Caluini de persona Antichristi, p.1. n.12. Hæresis Carpocratianorũ vide *Gnosticorũ*. Hæresis Deistarũ negantium possibilitatem resurrectionis pag. 67. num.1. Hæreses Epicureorum ponentium beatitudinem in voluptatibus corporis, pag. 287. n.30. Hæresis Gnosticorum de essentia animæ hominis, pag.632. n.57. Hieronymi de Praga, error de fide Beatorum in Patria, p. 604. nu. 2. Iansenij error in materia demerito, & libertate, pag.542. num.312. & p 544. nu 318. Ioannis Vvicheff. hæresis in materia de Indulgentijs, p.801. sub nn. 770. Hæresis Lutheri de animabus Purgatorij quod semper peccent pag.766. nu.443. Hæresis eiusdem quod animæ purgatorij non sint securæ de ipsarum salute, pag.768. num.475. et pag.772.num.498. Hæresis eiusdem quod mortui non possint iuuari à viuis, p.784. num 638. Hæresis eiusdem in materia de indulgentijs, pag. 801.nu.n.769. Hæresis millenariorum quæ & quando cœpit, p. 307. n. 235. Hæresis mahometanorũ quod Deus sit corporeus, pag.408. num.242. Hæresis Pelagianorum in materia de Iustificatione pag. 337. In initio art. Hæresis eorumdem circa paruulos non baptizatos, pag.825. n.2. et p. 837. num. 128. Hæresis Samaritanorum Epicuriana, p 615. num 1. Hæresis Sabellianorũ, & Patripassianorum quod in Diuinis sit vna persona &c. p.476. num. 47. et pag. 484. num. 99. Hæresis Seleucianorum quod Deus sit corporeus, p.408. nu. 242. Thomæ ab Albijs error de duratione pœnarum Purgatorij. p.756. nu. 360. Hæresis quamplurium in materia de suffragijs Sanctorum, pag.506. n.262. Hæresis multorum de animabus hominum p. 641. num 140. et 141. Hæreses multorum circa comunionem Sanctorum, p.663. nu.1. Hæresis negantium Purgatorium, p.717.num.11. Hæreses de statu paruulorum decedentium cum originali, p. 824. num. 2. Hæreticorum conuenientia et disconuenientia de aduentu, & persona Antichristi, pag.1. num.2. & p.5.nu. 26. et pag.54. nu.516. Hæresis negantium resurrectionem pag 145. num 4. et p. 71. nu.26. Hæresis negantium beatitudinem ante vniuersale iudicium, pag.294. num. 118. Hæresis negantium vniuersale iudicium, pag.145.n.4. Suspectus de hæresi quis censendus, pag.640. num.136. Hebrei, vide *Iudæi*.

*Hierusalem*.

Hierusalem non est geometricè in medio terræ pag.9. num. 53. In Hierusalem occidentur Enoch, et Elias, p 20.n.150.

*Homo*.

Homo realiter non est anima nec corpus, p. 69. num.17. Homo est perfectior anima, et omni alio composito creato, p. 88 num. 49. Homo prius viuit vita plantæ &c. *Philosophus 2. de gener. animal.* qualiter intelligitur, pag. 101. num. 23.

*Humor, Humiditas*

Humor, et humiditas quid sint, pag.114. n. 138. Per quid differant, ibid Humores qualiter viuunt, pag.115. nu.151. Qualiter ad vitam necessarij. ibid.

# I

*Identitas*, non repugnat cum temporis interruptione, pag.69. nu.18. Vide *Interruptio*. Identitas rei non dependet à coexistentia ad idem tempus non interruptum, ibid. Identitas numerica rei solum ab eisdem prædicatis numero dependet. ibid. num.18. Exemplum identitatis numericæ ignis in vase, p.84.n.23.

*Ignis*.

Ignis elementaris non æget purgatione, p.192. num.75. Ignis quicumque dupliciter actiuus

pag.147. num.146. Ignis conflagrationis tẽpore iudicij quis? pag.195. num. 105. ad 114. Ignis sodomorum quis? ibid. num.109. Ignis vniuersalis conflagrationis eiusdem speciei cũ elementari, ibid. num. 111. ad 114. Ignis inferior et superior in vnũ vnientur opin. p.196. n.118 Ignis conflagrationis quantitas seu magnitudo est incerta, ibid.num.115. ad 122. Initium conflagrationis etiam incertum, ibid. Ignis cõflagrationis erit fluuius igneus instar maris opin. ibid. num .115. Ignis elementaris tempore Iudicij substantialiter non destruetur pag.231. nu.245. Ignis artificialis iudicij tempore destruetur prẽter inferni ignem pag.232. num. 241, ad 244. Ignis elementaris iudicij tempore innouabitur, & qualiter, ibid. num. 244. ad 249. Vide *Inferni Ignis, Mundi conflagratio &c.*

*Illapsus.*

Illapsus nomen, et definitio, pag. 349. num.2. Illapsus Dei ad creaturam quotuplex, ibid. & p 350. n 3. Illapsus qualiter est operatio, ibid n. 3, & 14. Illapsus Dei ad creaturam non est perfectio perficiens, sed assistens, pag. 351. num 17. Illapsus Dei ad creaturas est perfectio substantialis assistens non actuans, pag. 351. num.17.

*Imperator,*

Imperatorum primitus in Vexillis signum P. X. pag.47 num 459.

*Impossibilitas.*

Impossibilitas rerum vbi fundatur, p.68. n. 5.

*Indulgentia.*

Indulgentiæ nomen & acceptio. pag.801. nu.768. Indulgentiæ nomen qualiter nouum, pag 802 n. 771. ad 777. Indulgentiæ nomen quando incepit, ibid. Ab initio Ecclesiæ quo nomine nuncupabantur, pag. 803. num. 777. Indulgentia quid sit, & quid includat, pag. 801. num.768. et pag. 814 num.814. Indulgentia quotuplex, et quid, pag.805. num 779. Indulgentiarum existentia de fide, pag.802. n.770. Indulgentiarum vsus ab initio Ecclesiæ sub alio nomine, pag.803. num 777. Indulgentiarum Thesaurus ex quibus conflatus, pag. 801. num.769. Indulgentiarum potestas Ecclesiæ à Christo tradita, p. 802. n.770.

*Indulgentiarum Dispensator* solus Papa, p. 804. n.778. Indulgentias dispensare qui nam possunt ex concessione Papæ & qualiter. pag 804 num.778. Indulgentias dispensare Concilia generalia non possunt, ibid. Circa indulgentias Papæ potestas iudiciaria an Economica, p 815. num. 826. Indulgentias Deus largitur formaliter, et Papa offert prætium opin. pag. 813. à n. 814. Impugnatur, ibid. et p. 818. nu. 46 et 47.

*Indulgentiarum valor*, tantum valet indulgentia, quantum sonant verba concessionis, pag. 805. num.779 Indulgentia plenaria, et remissio omnis culpæ & pœnæ idem sunt. pag. 807. Indulgentia quælibet intra tempus determinatum toties lucrari potest quoties conditio adimpletur. p. 821. num 870. Ad Indulgentias lucrandas quot conditiones requiruntur, pag. 806. num.780. Indulgentiæ sine opere iniuncto an largiri possint, p. 805. num. 779. circa medium. Inter efficaciam indulgentiarum & impositionem alicuius operis adimplendi nulla necessaria connexio, pag. 818. num. 843. & pag. 821. num 803. Indulgentias Papa largiri potest nihil imponendo ad implendum, pag. 816. num.835. et 840. Indulgentiæ regulariter sine opere adimplendo non conceduntur, ibid.

*Indulgentiarum incapaces.* Existens in peccato mortali est incapax lucrandi indulgentias, p. 806. num 780. Confessus & contritus, antequam opus iniunctum adimpleat, peccans mortaliter nihil lucratur, ibid.

*Indulgentiarum Formulæ.* Modi loquendi ob aliquas particulas quæ apponi solent in concessione indulgentiarum expositio, pag 807. n. 781. Modus quidam loquendi de largitione indulgentiarum non est Ecclesiæ, sed vulgi, p. 807. ibid.

*Indulgentiæ pro Defunctis*, Vide *Purgatorium.*

*Infinitum,*

Infinitum in actu si daretur adhuc esset contingens, pag. 311. num. 168. Infinita continens quando, & qualiter est infinitum. pag 494. n. 165. ad 173. Infinitum in relationibus qualiter admittitur, ibid.n.169.

*Influentia.*

Influentia causæ primæ in secundam quid sit, p. 83. num.16. Influentia si esset aliquid causatum in causa, quid sequeretur, p.83. ibid.

*Innocentiæ status.*

In statu innocentiæ homo intrinsecè erat potens mori, pag. 138. num 25. ad 28. Non tamen infirmatus esset et mortuus ex necessitate naturæ. ibid.

*Instrumentum.*

Instrumentum seù causa instrumentalis physica quotuplex, pag. 91. num.80. Viuum non potest esse instrumentum non viui. pag. 435. nu. 163. Viuum non viui instrumentum esse non potest neq; de per Dei potentiam. ibid. n. 70 Instrumentum in agendo qualiter se potest habere, ibid. n.171.

*Intellectus, & intelligere.*

Intellectus separatur à cæteris sicut perpetuum

à cor-

# INDEX


à corruptibili 2. de anim. q. 1. puto Philos. p. 76. num. 68. & 69. Intellectus postquam intellexit summa magis intelligit inferiora, pag. 77. num. 69. Intellectus non debilitatur in operando sicut sensus, ibid. Intellectus, et voluntatis ordo in operando, pag. 130. num. 49. Intellectus ad obiectum necessaria proportio non est per modum cognoscentis, pag 340. per totum §. Intellectus ad obiectum proportio in vllo modo intrinseco vel extrinseco consistit, pag. 341. num. 150. et 151. Intellectus ad obiectum proportio nulla est geometrica, ibid. nu. 151. Intellectus ad obiectum proportio qualis, ibid num. 147. et 148. Intellectus obiectum quodnam sit, pag. 365. num. 136. Intellectus creati actiuitas in suis actibus, pag. 415. num. 4. ad 7. et 12. Intellectus differentia inter dicere & intelligere, num. 11. Intellectus agens & possibilis quid sint, et quæ eorũ munera, pag. 417. num. 21. ad 24. et num. 33. Intellectus agens non efficere intellectionem affirmatur, ibid. nu. 29. et 32. Intellectus agens efficere intellectionem opin. ibid. num. 25. ad 29. et n. 31. ad 40. Intellectus num agens vel possibilis sit pars memoriæ, ibid. num. 34. Intellectus agens & possibilis an connotatiuè, et non formaliter distincti incertum, pag. 419. nu. 36. et 47. Intellectus agens quid efficit in possibili, pag. 419. num. 38. Intellectus possibilis actiuitas qua? ibid. num. 41. ad 43. et n. 46. Intellectus agens cur dicitur lumen, ibid. num. 44. Intelligere formaliter quid sit, pag. 426. num. 107. Intellectus à phantasmate dependentia qualis, pag 651. num. 234. ad 240. & pag. 661. num. 301. et num. 304. &c. Intellectus qualiter vniuersalium et non singularium, pag. 656. n. 269. Intellectus pro statu isto quæ cognoscit intuitiuè, p. 655. n. 264. et 270. Intellectus consideratus in ordine ad visionem Dei Vide *Lumen gloriæ. Visio beatifica &c.*

*Interruptio.*

Interruptio temporis non repugnat identitati, p. 68. n. 10. et pag. 69. n. 18. ad 21.

*Infernus.*

Infernus damnatorum carcer pluribus nominibus appellatur, pag. 234. num. 1. Inferni Etymologia, ibid. num. 3. Inferni multæ acceptiones, ibid. num. 4. et p. 840. num. 152.

*Inferni existentia.* Datur infernus damnatorum carcer, pag. 235. num. 6. ad finem art. De inferni existentia multæ hæreses, ibid num. 4. De inferno modus loquendi Sacræ Scripturæ pag. 237. num. 44. Inferni existentia, 15. argumentis probatur, pag. 235. num. 6. ad finem art. Infernus in visceribus seu centro terræ existit, pag. 237. num. 38. ad finem art. In inferno plura pœnarum loca existunt, pag. 837. num. 129. In inferno damnati incertum est an moueantur localiter, p. 281. n. 537. ad 540.

*Inferni qualitates loci,* pag. 250. num. 181. In inferno maximæ tenebræ, p. 281. n. 520. ad 528. Vide *Inferni pœnarum numerus.*

*Inferni ignis* Per totum infernum est ignis, pag. 239. num. 68. ad finem art. Inferni ignis corporeus est. comunis sententia, pag. 241. nu. 89. ad 101. Inferni ignis à PP. quandoque spiritualis dicitur et quare, pag. 241. num. 101. De igne inferni aliquorum dubitatio, pag. 241. nu. 85. Inferni ignis incorruptibilis, pag. 247. nu. 149. et 151. et 153.

*Infernalis ignis causalitas in spiritus.* Infernalis ignis agit in spiritus, pag. 242. num 103. et p. 249. num. 107. ad 113. DD. varietas de actione ignis inferni, ibid. num. 103. ad 104. Ignis inferni per solam apprehensionem nõ cruciantur spiritus, pag. 244. per totum §. Ignis inferni sola apprehensio in damnatis non ponit realem cruciatum, ibid. num. 115. Ignis inferni sola apprehensio si spiritus cruciaret quid sequeretur, ibid. num. 116. Ignis inferni corporalis cruciatus, spiritus non sunt receptiui per habitum superadditum, pag. 244. per totum §. Huiusmodi habitum in spiritibus ponentium impossibilitas et absurda, ibid. num. 121. et 122. Ignis inferni per solam localem detentionem non agit spiritus, p. 245. n. 127. Neque vt obiectum disconueniens causatiuũ tristitiæ, ibid. Spiritus esse præditos corporibus aereis vt patiantur ab igne Opin. pag. 243. n. 104. et p. 249. n. 167. Ab infernali igne corporeo dupliciter cruciantur spiritus, ibid. nu. 129. et p. 247. n. 146. ad 158. Infernalis ignis spiritus torquet vt detinens definitiuè, & immutans obiectiuè. ibid et num. 131. Ignis inferni vt detineas nolitum causat in damnatis tristitiam, ibid. num. 132. Ignis inferni spiritus formaliter detinet & Deus effectiuè, pag. 246. num. 133. Ignis detentio formalis etiam causat in damnatis tristitiam et qualiter, ibid. Soli spiritus actione intentionali solum cruciãtur ab igne, p. 248. num. 164.

*Infernalis ignis causalitas in corpora.* Post iudictũ homines in anima, et corpore igne cruciabũtur, pag. 247. num. 140. ad 145. Infernali eodem igne corpora cremantur & spiritus p. 243. num 107. Infernalis ignis (si Deus non impediret) corpora destrueret, pag. 247. num. 146. et 149. et 157. Ab infernali igne sola actione intentionali crucianda esse corpora. Opin. pag. 248 num. 159. ad 163. Infernalis ignis, intentionalis sola actio ad sensibilem dolorem, et veram tristitiam sufficit. ibid. nu. 159. et 160. Infernalis ignis sola intentionalis actio sensibilem dolorem in corpora causare posse exemplum, ibid. num. 159. Infernalis ignis vtraque actione damnatorum corpora post iudicium esse crucianda non est euidens, pag. 248. num. 164. et 165. Infernalis ignis si reali actione etiam in corpora ageret multa miracula circa damnatos necessariò ponerentur Opin. pag. 248. num. 164. et 165. Infernàlis ignis si sola intentionali actione incorpora ageret, pœna ignis esset phãtastica et ferè nihil, ibid. nu. 170. et 171. Infernalis ignis vtraque actione in corpora damnatorum agere probabilius est per Auctorem. pag. 249. num. 171. et num. 178. & 169.

# INDEX.


& 169. Vbi oppositas rationes soluit.

*Infernalis ignis qualitates*, pag. 247. num. 143. & n. 146. ad 158.

*Inferni pœnarum causa*. Pœnæ ignis causa est detentio nolita, pag. 246. num. 133. Non possunt damnati non odire detentionem in igne, ibid. num. 135. Punitio damnati meritorie est ab ipso, pag. 271. num. 417. ad 426. Pœna obdurationis in peccato meritorie est ab ipso damnato, & quare, pag. 272. num. 427. Pœna carentiæ bonorum supernaturalium meritorie est à damnato effectiuè à Deo ibid. num. 429. & 430: Pœna detentionis in igne formaliter est ab igne effectiuè à Deo, ibid. num. 431. Pœna sensus in inferno effectiuè est à Deo instrumentaliter à tormentis ibid. Omnis pœna damnati effectiuè est à Deo, pag. 273. n. 438.

*Inferni pœnæ*. In inferno pœna vermis quid & quotuplex, p. 254. num. 210. & 236. In inferno vtraque pœna vermis datur, ibid. num. 221. ad nem art. In inferno pœna damni quid & quotuplex, pag. 258. num 267. & pag. 260. num. 297. & 298. In inferno pœna damni omnium corporalium delectationum, ibid. num. 269, ad 276. In inferno pœna damni omnium habituum supernaturalium, ibid. n. 277. ad 283. In inferno pœna damni omnium grauissima priuatio beatitudinis, pag. 259. num. 288. ad finem art. Carentia boni vt sit pœna damni quid requirat, pag. 260. num. 297. In inferno pœna damni formaliter non consistit in carentia Dei visi, sed visionis. p. 261. n. 307. In inferno pœnæ sensus præter ignem quæ, p. 253. num. 208. et pag. 250. nu. 181. & deinceps In inferno pœna sensus, & delectatio corporalis repugnant, p. 258. num. 269. In inferno exiuêtes non omnes cruciantur pœna sensus, pag. 832. num. 96. et n. 105. & 106. In inferno vermis conscientiæ pœna damnatorum quis sit, pag. 283. num. 338.

*Inferni pœnarum numerus*, Multæ inferni pœnæ corporales, pag. 241. num 90. Inferni pœnæ in generali ex Sac. Scriptura referuntur, p. 253. num. 208. Vmbra mortis & horror, num. 181. Ignis & vermis, num 183. Ignis & nix, num. 181. Grando glacies spiritus procellarum, nu. 184. Mallei percutientes, num. 185. Animalia horribilia, num. 188. Sulphur & fumus, num. 192. Animalia venenosa carniuora innumerabilia, num 194. Sartagines &c. num. 195. Stridor & lacrimæ, ibid. Pudor & confusio, ibid. Desperatio sempiternitatis pœnæ, ibid. Tormenta innumerabilia & luctus, num. 196. Barathrum & tenebræ, num. 194. Diuersa stagna lacus & putei, num. 197. Sitis, fames, frigus, calor, timor, fætor, num. 199. Quot & quas tristitias patiantur damnati, pag. 278. n. 457. Miseriarum numerus damnatorum. pag. 284. num. 571. ad finem art.

*Inferni pœnarum diuersitas*, Causa diuersitatis pœnarum quæ, pag. 257. num. 255. ad finem art. Vide *Inferni pœnarum numerus*.

*Inferni pœnarum acerbitas*. In toto corpore damnati, & in singulis membris affligentur, pag. 250. num. 205. Acerbissimus ignis dolor omnem in inferno excludit corporalem delectationem, pag. 258. num. 269 In inferno nullum est obiectum delectabile, ibid, num. 272. In inferno acerrimi dolores. ib. n. 279. In inferno dãnati omni punitione puniuntur, p. 271. n. 413. et 414. In inferno damnati multas tristitias patiuntur, pag. 271. num. 437. In inferno damnatorum pœnæ numquam interrumpuntur, pag. 277. num. 487. In inferno damnati nullam habent requiem in doloribus. pag. 281. nu. 529. ad 536. In inferno si videretur Deus nulla pœna sentiretur, pag 260. n. 295.

*Inferni pœnarum incomparabilitas*. Inferni pœnæ innumerabiles, pag. 250. num. 174. ad 180. Inferni pœnæ correspondent gaudijs paradisi, pag. 251. num. 198. Inferni pœnæ nulli comparabiles. ibid. num. 200.

*Inferni pœnarum cum peccatis proportio*. In inferno pœna sensus qualiter peccatis proportionetur, pag. 274 num. 461. et 462. Temporale quodcumque inclusum in peccato qualiter proportionatur æternitati pœnæ, pag. 275. num. 463. et 465. Vide *In inferno, iustitia, & inferni pœnarum duratio*.

*Inferni pœnarum inæqualitas*. In inferno detentio in igne æqualis & tristitia inæqualis, quare, p. 246. n. 134. In inferno pœna sensus est inæqualis & quare, pag. 253. per totum art. In inferno pœna damni obiectiuè æqualis & subiectiuè inæqualis & qualiter, pag. 260. num. 300. et num. 302. et 305. et pag. 261. nu. 305. et 306 Infernalium pœnarum causa inæqualitatis duplex, culpa & conatus, pag. 261. sub num. 307.

*In inferno damnatorum, actus & habitus*, In inferno nullum donum supernaturale remanet in damnatis, et quare, pag. 274. num. 451. In inferno damnati possunt elicere actus naturaliter bonos pag. 279. nom. 524. ad 507. et nu. 519. In inferno damnati actus moraliter bonos qualiter possunt elicere. ibid. nu. 507. ad 516. In inferno damnati odio habent beatos, pag. 280. num. 515. Illis inuident &c. ibid. In inferno damnati cognitionem habent de Beatitudine et quare, pag. 282. num. 541. ad 552. In inferno damnati habent memoriam de illicitis, et quare. pag. 283. num. 552. ad 559. In inferno damnati se inuicem recognoscunt & quare. ibid. nu. 561. ad 568. In inferno damnati liberare se summè conantur et non possunt, pag. 284. num. 569.

*In inferno iustitia*. Iustè Deus statuit hominis post hanc vitam statum esse incommutabilem, pag. 265. num. 361. Inferni pœna æterna cur iusta? ibid. num. 362. In inferno damnatis Deus cur iustè denegat tempus retractationis, ibid. nu. 361. & pag. 275. num. 466. Inferni pœna æterna cur iusta si non proportionatur cum delectatione percepta in peccato? ibid. num. 362. Iusta est, obstinationis pœna in damnatis, pag. 273. num. 440. ad 448. Ad obstinationis pœnam in damnatis Deus negatiuè tantum concurrit, p. 272. n. 427. Iustæ obstinationis pœnæ causæ assignantur multæ. pag. 274 n. 445. ad n. 447. Iusta est pœna damni in damnatis, ibid.


num.

nu 450 ad 455. Iusta est pœna sensus in damnatis, pag. 274. num. 456. ad 462. Iustus esset Deus etiam si totam pœnam dimitteret, dãnatis pag. 277. num. 490.

*In inferno misericordia*, pag. 276. num. 469. ad 481. Misericordia Dei in æternum erga damnatos, ibid. num. 480. Misericordia Dei erga damnatos in quo consistat, ibid. nu. 481. ad 486. Misericordia Dei erga damnatos an iusta? pag. 277. num. 489. Iudicium sine misericordia in Deo ex Sac. Scriptura de quo & cũ quibus intelligitur, pag. 278. num. 493. et 492.

*In inferno pœnitentia*, pœnitudo, et dolor peccatorum in inferno quare infructuosus, pag. 280. num. 517.

*Inferni pœnarum duratio, & causa*. Damnati sẽper detinentur in consideratione & nolitione ignis, pag. 246. n. 135. Nec possunt ad aliud se conuertere considerandum, ibid Nec in primo instanti apprehensionis ignis possunt non tristari de igne apprehenso & quare, ibid. nu. 137. Inferni pœna est æterna, pag. 202. n. 323. ad 329. De fide, ibid. comunis sensus Ecclesiæ ibid. nu. n. 328 Inferni pœna cur æterna sententiæ. pag. 263. num. 331. Inferni pœna æterna cur peccato determinata, pag. 263. nu. 333. ad 344. Inferni pœna non, est æterna quia peccator præuisus est quod in æternum peccauisset si in æternum vixisset, pag 263. nu. 345. ad 349. Inferni pœna est æterna, quia peccator cum suo peccato non retractato est æternus, pag. 264. num. 350. ad 355. In inferno cur peccator cum suo peccato non retractato est æternus? ibid. num. 357. ad 361. Vide *In inferno, iustitia*.

*Inferni horribilia*. Legantur descriptiones, et discursus SS. PP. pag. 251. n. 194. ad 209.

*Ioannis Baptistæ.*

Ioannes Baptista dupliciter Elias erat, et qualiter, pag. 18. num. 124.

*Iudei.*

Iudei in Babylone innumeri, pag. 23. num. 207. Iudei in Babylone putant retinere Principatum Dauidis, ibid. Iudei ab Antichristo maximè honorabuntur, pag. 41. num. 409. Iudeorum Opinio de Gog et Magog, p. 49. n. 485. et 491. Iudeorum omnium ad Christum conuersio, pag 19. num. 133. 135. 138. 140, et 141. & p. 61. nu. 594. & 595.

*Iudicium, Iudex, Iudicandi.*

*Ante iudicium vniuersale*, ab Antichristo deceptis pœnitendi tempus concedetur, pag 60. n. 585. ad 590. & num. 591. ad 594. An 45. dierum, incertum, ibid. num. 592. ad 593. Ante iudicium tantum pœnitendi tempus concedetur quod totus mundus conuerti possit ad Christum, ibid. nun. 594. et 595. Ante iudicij homines erunt sicut in diebus Noe, ibid. Ante iudicij diem homines quibus vitijs vacabunt, pag. 66. num. 24. Ante iudicium mundi conflagratio, Vide *Mundus*.

*Iudicij vniuersalis tempus*, Post dies 45. ab Antichristi occisione. Opin. pag. 60. nu. 584. ad 590. Iudicij vniuersalis tempus incertum est, ibid. n. 590. ad 595. & pag. 150. num. 66. ad 74. Soli Deo est notũ, ib. Iudicij vniuersalis futuritio naturaliter nõ est notior resurrectione, pag. 145. num. 4. Est dogma fidei, pag. 145. num. 6. ad 10. & p. 146. num. 18. In fine mundi fiet, iudicium, pag. 150. num. 57. ad 65. Iudicij vniuersalis certum tempus prædicantes qualiter excomunicati, p. 150. n. 71.

*Iudicij vniuersalis signa remota* i. Romani Imperij totale exitium, pag. 151. num. 74. ii. Predicatio Euangelij in toto orbe, ibid. num. 76. 78 et 83. iii. minus remotum aduentus Antichristi, pag 153. num. 92. ad 94.

*Iudicij signa proxima* i. Apparitio Enoch, & Eliæ, pag 154. num. 95. et 96. ii. Alterationes magnæ in Elementis, ibid. num. 104 et 105. iii. Passiones in cœlestibus corporibus pag. 154. n. 89. ad 103. Signa quindecim erunt 15. diebus ante iudicium Opin. ibid. num. 106. Iudicij tempore casus stellarum, Vide *Stellæ*. Iudicij tempore ignis conflagrationis, Vide supra *Ignis*.

*Iudicij tempore conflagratio per ignem*, ab aere incipiet Opin. pag. 196. num. 121. An Cęli conflagrabũt, Vide *Cœlum*, Mundi conflagratio Vide *Mundus*. Iudicij tempore Reprobi viuentes igne conflagrabunt, pag. 199. per totũ art. Iudicij tempore Reprobi viuentes per ignem morientur, pagina 200. numer. 175. ad finem art. Iudicij tempore electi etiam per ignem morientur ad purgationem. p. 200. num. 184 ad 195. Iudicij tempore Electi igne conflagrabunt sine dolore. Opin pag. 201. nu. 198. Iudicij tempore Beati post resurrectionem igne conflagrabunt sine dolore, pag. 207. num. 256. ad 267.

*Iudicij vniuersalis Etymologia & significatio*. p. 144. num. 1. & 2. et pag. 162. num. 115. Quare dicitur iudicium finale, pag 144. num. 3. Iudicij vniuersalis acceptiones, & distinctiones multæ, ib. et p. 147. n. 19. ad 24. & p. 168. n. 198. Quare dicitur iudicium vniuersale, pag. 169. n. 206. et pag. 173. nu. 180. Iudicium cuius potentiæ actus, intellectus an voluntatis, pag. 162. ibid. Iudicare eripliciter accipitur, pag. 166. num. 138. Iudicandi modi quot sint pag. 167. num. 196.

*Iudicij vniuersalis locus*, erit vallis Iosaphat. pag. 155. num. 109. ad 114. In valle Iosaphat Reprobi iudicandi solum erunt in terra, ibid. n. 115. ad 118. In valle & circa vallem Reprobi. ibid. Supra vallẽ à terra eleuabuntur electi ad aerem, ibid n. 118. et p. 156. n. 127.

*Iudex seu persona Iudicis* erit Christus Dominus pag. 156. art. 1. per totum, et pag. 94. num. 103. In forma humana Iudicabit, pag. 94. num. 107. et pag. 160. num. 85. Iudex erit tota Trinitas authoritatiuè, et Christus executiuè, ibid. Iudex Christus quare in forma humana iudicabit.

bit, pag. 161. num. 119. ad 122. Christum in humana forma iudicaturum fore est de fide, ibid. Christus authoritatiuè iudicabit vt Deus & sub authoritatiuè vt homo, pag. 163. n. 125. ad 134. & p. 164. num. 135. ad 149. Christus vt homo est Dominus & Iudex, & quomodo pag. 165. num. 151. ad finem art. Iudiciaria potestas non est superflua in Christo vt homine, pag. 166. num. 155.

*Iudicij finis*, Dei finis in huiusmodi iudicio publico, & vniuersali totius hominis quis? pag. 148. num. 25. ad 48. Cuius attributi ostensio, ibid. num. 26. ad 44. Iudicis finis quoque an separatio bonorum à malis, ibid. num. 45. ad 48. Iudicij finis in vniuersali iudicio non vnus ibid.

*Iudicij assessores seu Iudices inferiores.* Apostoli iudicabunt iudicio discussionis vt Assessores, p. 166. num. 160. ad 166. Angeli iudicabunt iudicio discussionis, ibid. num. 167. ad 177. Sancti non omnes iudicabunt iudicio discussionis, p. 167. num. 178. ad 189. et num. 190. ad 193. Sancti omnes seu electi iudicio approbationis iudicabunt, ibid. n. 194. ad finem.

*Iudicis apparitio* repentina erit, pag. 60. n. 590. In Iudicis apparitione qui reperientur viui morientur, pag. 66. num. 21. et 44. Primo apparebit signum Crucis. p. 157. n. 15. ad 23. Post Crucis apparitionem tamquam fulgur subito apparebit Christus, ibid. num. 23. ad 44. Visibiliter apparebit, pag. 161. num. 97 ad 109. & pag. 183. num. 389.

*Iudicis modus & locus apparitionis.* Christus iudex apparebit cum maiestate, pag. 158. num 44. Christus cum maximo Angelorum comitatu aduenier & Tubarum clangore magno, ibid. & num. 55. & 56. Circa montem Oliueti. & vallem Iosaphat apparebit. pag. 159. num. 158. ad 64. In aere, & non in terra apparebit. p. 159. num. 65. ad 71. Sedens in trono apparebit, p. 160 n. 85. ad 96.

*Iudicij methodus.* Iudicium duplex discussionis causæ, & pronunciationis sententiæ, pag. 172. num 354. Iudicium de omnibus operibus fiet bonis & malis internis & externis, pag. 172. & 173. per totum art. In iudicio Iudex vtetur testibus, qualiter, & quibus, pag 180 nu. 361. & 362. In iudicio Iudex vtetur Accusatoribus et quare, pag. 181. num. 364. In iudicio Iudex disceptabit cum Iudicandis, ibid. num. 367. In iudicio Iudex cum Iudicandis an disceptabit vocaliter, vel intellectualiter, ibid. num. 369. ad 173. In iudicio Iudex cum aliquibus disceptabit vocaliter Opin. pag. 182. num. 371. ad finem art. In iudicio Iudex, sine prolixitate sermonis disceptabit, ibid. num. 378. In iudicio meritorum discussio, et sententiæ prolatio &c. modico tempore absoluentur, pag. 182. n. 383. ad 385. et pag. 183. num. 385. ad 390. et pag. 184. num. 393. In vniuersali iudicio Iudex libris vtetur, et quibus, Vide verbo *In iudicio libri aperiendi.*

*Iudicandi.* Quot ordines erunt iudicandorũ, p. 147. num. 23. et pag. 166 num. 157. et pag. 168. num. 191. et 193. Iudicandi omnes videbunt Iudicem etiam reprobi, pag. 161. num. 97. ad 109. Iudicandi qui erunt Reprobi non videbunt diuinitatem Christi in iudicio, pag. 161. num. 110. ad 115. Personarum quatuor ordines in iudicio, pag. 168. nu. 199. Omnis creatura rationalis comparebit iudicanda pag. 168. num. 200. ad 207. Mali Angeli comparebunt iudicandi, pag. 169. num. 215. ad 218, Mali Angeli etiam de datis tentationibus, et scandalis iudicabuntur, ibid. n. 217. Iudicabuntur omnes iudicio retributionis vniuersaliter, ib. nu. 219. ad 225. & p. 172. & 173. Iudicio damnationis Reprobi dumtaxat, & Demones, pag. 170. nu. 226. ad 237. iudicio discussionis Angli, Apostoli & Viri perfectissimi non iudicabuntur Opinio, pag. 170. num. 237. ad 241. Iudicio discussionis infideles non iudicabuntur. Opin, pag. 171. num. 246. ad finem art. Iudicio discussionis minus perfecti iudicabuntur à perfectis. Opin. pag 171. nu. 242. ad 246. Iudicabuntur omnes homines absque discrimine pag. 172. et 173.

*Iudicandorum Accusatores.* Omnes Angeli, pag. 179. num. 342. ad 346. Electi accusabunt Reprobos, ibid. Etiam diabolus accusabit, ibid. num. 347. ad 351. Accusator præcipuus erit propria conscientia & quomodo. pag. 180. nu. 351. ad 360. et pag. 182. num. 373. Accusationes in iudicio non fient vocaliter sed intellectualiter, pag. 181. num. 364. Auditis accusationibus Christus cum iudicandis disceptabit et quomodo ibid. à num. 365. ad 378.

*In iudicio libri aperiendi*, pag. 184. num. 396. ad 401. In vniuersali iudicio libros esse aperiendos est de fide, pag. 184. ibid. In iudicio libri aperiendi non erunt libri materiales. ibid. In iudicio qui libri aperientur, ib. n. 402. ad 409. In iudicio liber quoque vitæ aperietur, pag. 185. num 418. et 419. et 434. In iudicio liber vitæ aperiendus quis, pag. 185. num. 419. Liber vitæ duplex, pag. 186. num. 436. In iudicio liber vitæ aperiendus est liber prædestinationis, pag 185. num. 422. ad 435. In iudicio alter liber aperiẽdus est liber diuinæ præscientiæ, ibid.

*Iudicandorum publicatio omnium operum.* In iudicio omnium malorum opera ab omnibus aspicientur, pag. 174. num. 286. ad 297. In iudicio etiam bona malorum opera omnibus patebunt, pag. 175. per totum §. In iudicio omnia Electorum peccata publicabuntur, p. 176. per totum §. In iudicio publicatio peccatorum suorum an contristabit electos? pag. 177. n. 317. In iudicio vniuersali quis finis Dei de manifestatione operum? p. 176. nu. 315. In iudicio manifestatio operum iudicandorum pluribus modis est possibilis, pag. 177. n. 319. An in propria conscientia quis videbit omnia? ibid. num. 323. ad finem. An pro vna vice tantum? ibid. num. 338. In iudicio modus manifestandi iudicandorum opera possibilis proponitur, p. 179. n. 339. Certus nescitur ab Authore, ibid.

*Iudicij appellatio* A Christo homine ad Christũ Deum non datur appellatio, pag. 166. n. 154.

*Post iudicium*, nec dies nec nox, pag. 225. n.160. Post iudicium cessante motu Cœli aliqui motus non cessabunt, pag.277. num.180. Post iudicium an mundus dissoluetur, vide *Mundus*. Post iudicium an Cœli renouabuntur, vide *Cœlum*.

*Iustitia.*

Iustitia quid sit, pag.266. num.365. Iustitia duplex commutatiua seu retributiua & distributiua, ibid. num. 366. Iustitia item habitualis & actualis ibid. num. 367. Iustitia quomodo est ad alterum, pag. 266. num. 365. Ad iustitiam quæ æqualitas sit satis, ibid. num. 372. & 378. Iustum est quandoque non seruare iustitiam, & qualiter, p.268. nu 384. Actus iustitiæ vindicatiuæ est minimus inter virtutes & quare, pag. 276. num. 478. Iustitiæ vendicatiuæ magna electio declinat ad crudelitatẽ, ibid. num 478. Iustitiæ est improportionata, pœna non commensurata demeritis, pag.276. num.488. Iustitia omnis suam habet latitudinem extra quam est iniustitia, pag.277, nu. 489. Contra iustitiam quando est pœna non proportionata, ibid. nnm.488.

*Iustitia in Deo*, omnis iustitia est in Deo, pag. 267. num. 376. et 377. Iustitia perfectissimè est in Deo, ibid. num.369. ad 377. Iustitia in Deo sine imperfectione discursus &c. ibid nu. 382. Iustitia in Deo comutatiua quando distinguitur à distributiua, ibid. nnm. 181. Iustitia Dei ad seipsum tamquam ad alterum, pag. 166. num.370.

*Iustitia Dei ad Creaturas* In Deo est iustitia ad alterum simpliciter, pag.266. num.371. Obligatio Dei ad creaturas qualis, pag.267. num. 380. Iustitia inter Deum & hominem quæ & qualis, pag.787. num 665. In iustitia Dei retributiua, *tantum, & quantum*, qualiter intelliguntur, pag. 278. num. 494. Decreta affirmatiua, & negatiua de eodem in Deo ambo iusta, pag.268. num. 384. Non est naturaliter notum quod Deus homines gubernat secundum regulas iustitiæ retributiuæ, pag. 78. num.81.

# L

*Lactantij* de fine mundi & certo tempore aduentus Antichristi, opinio, pag. 6. num. 31. Eiusdem opin. confutatio, pag.7. num.41. Lactantij authoritates, vide in indice *Authoritatum*.

*Lex.*

Inueteri lege resurrectio vniuersaliter non credebatur, pag.79. num.86.

*Liber, Libertas, Liranus, Litaniæ.*

Liber vitæ quis, pag. 185. nu. 419. ad finem art. Liber vitæ quotuplex, pag.186. num.436. De libro vitæ Prædestinatum posse deleri vide *Prædestinatio*, Libri aperiendi in iudicio, vide *Iudicium*,

*Libertas* Dei ad extra, pag. 118. num. 4. *Libertas*, vide *Voluntas*.

*Liranus* doctissimus, quis fuerit, pag 58.n. 565.

*Litaniæ* Sanctorum antiquissimè in vsu Ecclesiæ, pag.664, num.7.

*Locus.*

Locus logicè. Locus arguendi à commutata proportione, quando efficax, pag. 84. nu. 25. & p 26. n.28. Locus arguendi à commutata proportione quam fallaciam generat, & quando, ibid.

*Locus physicè*. Plura corpora qualiter requirunt plura loca, p. 577. num. 264 & 267. 269. & pag.580. num.291. Nullus locus potest effectiuè detinere locatum, pag. 272. num 432. Ad locum nullus spiritus naturalem inclinationem habet, pag.245. num.127. In eodem loco duæ quantitates qualiter repugnant, pag. 577. num.265. & 267. In eodem loco plura corpora non pluries illum replent, ibid. num. 266. In eodem loco plura corpora plures haberent situs, ibid, num. 269.

*Lucidum, Lumen, Lux, Luminosum.*

Lucidi & luminosi discrimen, & descriptio, pag. 569. num.204. et pag.561. num. 225. Luminis et lucis susceptiua sunt diuersa, p. 570. nu. 215. Luminis & coloris susceptiua diuersa, ibid.

*Lumen Gloriæ.*

Quid sit & quotuplex, pag.421. num.49. Lumen gloriæ, quare ita appellatur, ibid. in fine. Lumen glotiæ post Concilium Vienense deside est quod sit supernaturalis qualitas, pag.423. num.75. ad 81. et num.91. Per lumen gloriæ ante Concilium Viennense quid intelligebant PP. pag.421. num.54. ad 54. ad 75. Lumen gloriæ probabilius est, quod sit qualitas habitualis, pag 423. num 85. ad 89. Ecclesiæ fundamentum in doctrina de lumine gloriæ, quod sit, ibid. num. 90. Lumen gloriæ obiectiuale, an saluet authoritatem Concilij Viennensis, ibid. nu.91. et 92. Lumen gloriæ beatificam visionem præcedere debet, & quare, pag.425. num.108. Luminis gloriæ à lumine materiali discrimen, pag.432. nu.151. Lumen gloriæ nequit esse species impressa diuinæ Essentiæ. pag.438. num.190. Lumen gloriæ non est præmium et quare, pag. 459. num.333. Lumen gloriæ potest in hac vita comunicari, pag.321. num.337.

*Luminis gloriæ actiuitas, & causalitas.* Ex necessitate luminis euidenter causalitas eius infertur et quæ, pag.438. num.194. Lumen gloriæ actiuè ad visionem concurrit, pag. 431. num. 142. ad 150, Ex parte obiecti & ex parte potentiæ se tenet & quomodo, pag. 431. nu. 139.

Lumen gloriæ eleuare intellectum quid sit, pag.431 num. 147.& p.437. num. 185. Lumen gloriæ virtutem intellectus augere quid sit, p. 433. num.154. Luminis gloriæ actiuitas. & necessitas qualiter connexa, pag.431. num. 146. Sine lumine beatifica visio non esset supernaturalis intrinsecè, pag.432. num. 150. Lumen gloriæ etsi non vitale ad vitalem visionem actu concurrit, ibid. num. 152. Lumen gloriæ qualiter æquiuocè concurrit, ibid. num. 153. Lumini gloriæ qui Authores ad visionem totam actiuitatem tribuunt pag 433. num.157. Qualiter inter se diuisi, ibid. Sententiæ eorum dem efficax impugnatio, ibid.nu.158. ad 167. & pag.435 nu. 167. ad 175 Lumen gloriæ qualiter est causa principalis & qualiter est causa minus principalis respectu visionis, pag. 433. num.115. et pag.436. num.175. ad 182. Luminis gloriæ circa beatificam visionem causalitas quæ, et qualiter per accidens,pag.437. nu. 184. Luminis gloriæ causalitas moralis ad visionem quæ, pag.438 num.188. et 190. et n. 194. Lumen physicè nullo modo est causa obiectiuæ præsentiæ Dei . pag.438. num.190, et 192.Lumen gloriæ Dei præsentiam physicè nõ potest continere, ibid. Lumen gloriæ quomodo Dei præsentiam causat, pag.439 num. 193. Lumen gloriæ intellectui actiuitatem tribuere ad visionem qualiter impossibile, pag. 441. num. 211 De causalitate luminis gloriæ efficax discursus, pag. 439. num. 194. Lumen non est causa intrinsecè determinata ad productionem visionis, pag. 442.num.216. Lumen non est virtus nec potentia videndi simpliciter sed instrumentum, pag 443. num. 221. et 223. Lumen gloriæ quomodo concurreret cum intellectu perfectiori, pag 404. num.212.

*Luminis gloriæ necessitas.* Lumen gloriæ in quo sensu ad beatificam visionem potest dici necessarium, pag. 421. num. 50. Luminis gloriæ necessitas semper ab Ecclesia admissa, ibid. num 53. Luminis gloriæ necessitas ad Deum videndum ex Concilio Vienensi contra Beguardos et Beguinas quæ sit, pag.343. n. 164. Luminis gloriæ necessitas in quo sensu à Scoto negatur, pag. 420. sub initio art.111. De necessitate luminis gloriæ Scoti discursus, pag. 425.num.109. Luminis gloriæ necessitas non est pro receptione visionis beatificæ in intellectu creato, pag.425. num.95. ad104.Luminis gloriæ necessitas non est ad proportionandum creatum intellectum cum visione vel obiecto, ibid. num. 105. Luminis gloriæ necessitas non est ad supplendam vicem speciei impressæ, pag.426, num 113.ad123. et p.429. num.122. Luminis gloriæ necessitas non est vt Deus recipiatur in intellectu sicut obiectum cognitum in cognoscente, pag.430. num. 129. ad 136. et pag.431.num.140. Nec modus ille capitur ab Authore, pag.430 num.132.Luminis gloriæ necessitas si pro receptiene, et informatione afferatur nullo modo posset Deus videri,ibid.num.135. Sine lumine intellectus qualiter est in potentia remota ad visionem, pag.438.num.186. et 438. num.327. Sine lumine intellectus qualiter habet totam actiuitatem,pag. 443. num. 225. Sine lumine non repugnat Deum beatificè videri, pag.440 nu. 198. ad 306, Sine lumine si videretur Deus non necessitaretur per aliud supplere defectũ luminis, ibid. num.206.ad 212.Sine lumine ad quid exigeretur aliud supplens vicem luminis,pag 442 num. 213. ad 215. et 221. Sine lumine, aut supplente vicẽ luminis si videretur Deus adhuc visio esset supernaturalis,pag. 445.num. 242. et pag. 442. num. 218. et pag. 447. num.255. Sine lumine per quid ad ordinem supernaturalem eleuaretur intellectus, p. 443. num. 219. Lumine gloriæ posito posset Deus non videri si vellet, ibid. num.221. Posito lumine qualiter necessitaretur Deus producere visionem, pag.448.num 261. Luminis intensio ad intensius seu perfectius videndũ Deum, qualiter necessaria, pag. 459. nu. 334. et 335.

*Luminis gloriæ effectus*, pag. 443. num. 224. Qui nam primarius, et qui secundarius, pag. 404 nu.214. Nihil in visione est ab intellectu quod non sit simul à lumine, p.432. nu. 153. Primus effectus luminis quis et qualiter,p438 & 190, & 192. Secundus effectus luminis qui, ibid, num.192. Luminis gloriæ effectus physicus à Deo supplebilis, pag.442.num. 216. A lumine gloriæ visio quot modis dici potest intellectui connaturalis, pag.444. num. 227. A lumine gloriç intellectus perlustratus qualiter visio sibi connaturalis est, pag.444. num.230. ad 236. et p.446.num.150. & 52. et 53. & p. 445.num.236. ad 240. A lumine gloriæ intellectui qualiter visio non est connaturalis, pag. 445. num. 240. ad 246. et num.249. ad 250. et pag.447.num.254.& 256. Lumen gloriæ connaturale creato intellectui repugnat, pag. 451. num. 290.ad 300. Ratio Authori plausibilis,pag.455. num.301. Lumen gloriæ creabili intellectui connaturale cur repugnet, pag. 455. num. 303. & 304. & 307. et 308. Lumen gloriæ non esset connaturale intellectui creabili illius actiuitatem continenti, p. 456.num.309.Cum æquali lumine perfectior intellectus Deus perfectius videre potest, p. 457.n.313.ad 321.Difficultas de supernaturalitate graduum excessus absoluitur,ibid.n.319. et p.404. num. 215. An ex inæqualitate luminis de facto inæqualitas oriatur visionum. incertum,pag.457.num.322. et 323.Lumen gloriæ tribuere intellectui supernaturalitatem ad visionem quid sit, pag.458. num. 329. et 331.

*Luna.*

Luna post iudicium renouabitur et quomodo, p.219.n.114. à 113.ad 118.

*Lutherus, Luxuria.*

Lutheri hæreses in his Commentarijs tactæ, vide *Hæresis*.

*Luxuria* vitandæ modus facilis, pag.247.n.145.

# INDEX


*Lymbus.*

Lymbi etymologia, pag.838. num. 130. & pag. 281. num.512. Lymbus locus qualis sit, pag. 749. num.282. & 287. In lymbo animæ SS. PP. nesciebant quæ fiebant in mundo, pag. 767. num. 461. In lymbo SS. PP. non erant rogandi vt pro viatoribus orarent, ibid num. 468. et 469. In lymbo SS PP. existentes qualiter poterant operari miracula, ibid.nu.463. et pag.771. num.494.

# M

*Magdalena* peccata in vniuersali iudicio publicabuntur, pag.176. num.309.

*Mahometani, Maozim.*

Mahometanorum beatitudo, pag. 287. nu. 33. Mahometi astutia de Angelorum visione, pag. 662. num. 309. *Maozim*, quid sit, pag. 25. num.227.

*Magog. Magus.*

Magog, vide *Gog.* Magorum præstigia et illusiones, pag.693. n.234. ad 237.

*Maria Virgo.*

Maria Virgo in die iudicij formidabit. *Hilarius*, pag.207. num.150. Exponitur, pag. 208. nu. 269. Mariæ Virginis relatio maternitatis ad Christum post resurrectionem eadem redit, p. 131. num.124. Mariæ Virginis Aureola, vide *Beatorum Aureola.*

*Martyr, Materia prima.*

Martyr quid significet, pag.598. num.82.

*Materiam* primam nunquam esse destruendam non est naturaliter notum, pag.74. nu.50.

*Memoria, Reminiscentia, Recordatio.*

Memoria quid sit et quæ potentia, pag.419. nu. 34. et 43. Memoriæ pars vel est species vel obiectum, et qualiter, p.469. n.402. Memoria quotuplex, p. 653. n.250. & p.658.n. 281. Memoriæ existentia de necessitate cõcedenda, p. 655. num. 262. ad 267. Memoria intellectiua singularium vt singularium, pag.656.num. 270. Memoria sensitiua in Brutis, qualiter admittenda, pag.657. supra n. 276. ad 279. Prima radix memoriæ quare non insit in sensitiua ibid. nu.280. in fine.

*Reminiscentia* quid sit et quæ requirat, p. 653. num. 249. Reminiscentia qualiter ab organis dependeat, pag.657. num.279.

*Recordatio* à sensibus independens, pag.655. nu. 263. et 269. Recordatio qualiter Deo conueniat, pag.656. num.272.

*Mensura, Mensuratum.*

Mensuratum potest esse sine mensura, pag. 227. num.181.

*Meritum.*

Merita qualiter sunt etiam Dei dona, pag. 536. num. 258. Ad merendum quæ libertas necessaria, pag. 542. num. 312. Meritum qualiter est ens supernaturale, pag.445, num 243. Meritum non est effectiuè à solo principio supernaturali, pag.435. num.165. Meritum de possibili potest esse sine gratia, pag.441.num.204. et pag.443. num.225. Opera meritoria qualiter connaturalia iusto vel iustificando, pag. 444. num. 234. Mereri quis potest pro alio, sed non demereri, quare, pag.777. num 571 Merita Sanctorum, qualiter in seruire possunt pro satisfactione nostra, pag.801. num.769.

*Michael.*

Michael cum Angelis multis Antichristi tempore in Christianorum auxilium exurget, pag. 58.nu.565. Michael Princeps Sinagogæ, nunc Ecclesiæ Dei ibid.

*Mille Millenarij.*

Mille anni quid significent in Sacra Script pag. 307. num.235. et 236.

*Millenariorum* hæresis, pag.307. n.335. Eiusdem confutatio, pag.308. num.236. ad 238.

*Misericordia.*

Misericordiæ etymologia, et definitio. pag.268. num.385. Misericordia quid principaliter includat, et quid concomitanter, ibid. Misericordia vel liberans vel diminuens. pag. 277. num.491. Misericordia ordinata in Iudice, qualis, pag. 278. num.495. Misericordia datur in Deo, pag. 268. num.387. ad 389 Misericordia in Deo non est tristitia de miseria, pag. 68 num.390. ad 394 Misericordia Dei est solum notitia de miseria creaturarũ, ibid. num.393. Misericordia non conceditur damnatis ad habendum bonum velle supernaturale, pag. 278, num. 499. ad 503. Misericordia damnatis non donat auxilia, ibid. nu.500. Misericordia in Deo quotuplex, pag.269. nu. 397. Deus non liberans à miseria adhuc diues in misericordia ibid. num 395. Misericordia qualiter inclinat ad liberandum à miseria, ibid. Misericordia Dei in voluntate consequente relucet, ibid. sub num. 396. Misericordiam Dei qualiter impedit decretum cogendi cum libertate creata, ibid. num.396. in fine. Misericordia & iustitia eadem res in Deo pag.270. num.405. et 406. Misericordia et iustitia in Deo sunt distinctæ formalitates à parte rei, pag. 270.num. 401. ad 405. Misericordia et iustitia diuersa habent obiecta, ibid

num.402. Diuersos quoque effectus et distincta principia, ibid. num.403. & 408.

*Miraculum.*

Miraculum quid sit, pag. 36. num. 346. et pag 770. n.486. Miraculi multæ acceptiones, ibid. Miraculi veri, & non veri differentia, ibid. n. 347. & 348. Miracula effectiuè operabatur Diuinitas Christi, & humanitas deprecatiuè de condigno, pag.90. num.70. Miracula omnia sunt æqualia, et quomodo, pag.434. num. 361. Miraculorum causa efficiens quotuplex, pag.770. num.487. Finis Dei in operatione miraculosa, ibid. num.488. Miracula in somno qualiter contingunt, pag. 692. §. 5. in fine.

*Missa.*

Missa pro defunctis quale suffragium est, pag. 778. à num. 576 Missa quare valet pro defunctis et non Sacramenta, pag.780 num.601. Vna missa pro defunctis quare non sufficit, ibid.num. 604. in calce. Missæ valor qualiter finitus, ibid.num.604.

*Moyses.*

Moyses quid videre cupiebat, pag.323. nu. 356. Moysi Deus non loquebatur sed Angelus authoritate eius, ibid. n.357. Moysi Deus in sua essentia visus est. authoritates, ibid. nn. 359. ad 361.

*Monstrum.*

Monstrum quid, quare, et quotuplex, pag. 106. num.56. Monstra diuersa referuntur. ibid. In monstris duplex defectus, ibid.

*Mori, Mortuum, Mosch.*

Moritur homo, non anima nec corpus, pag. 69. num. 17. Morientur omnes ante iudicium etiam tunc electi viui, et qualiter, p. 61. n 4. ad 23. et pag.201. num.199. ad finem art. De morte & resurrectione omnium sententia quando incœpit esse de fide, pag 70. num.25. & à num.29. Non est naturaliter notum quod fortis debet se morti exponere pro Reipub. p. 72. num.73. Mortuorum resurrectio qualiter à Deo, & qualiter à Christo, pag.90. num.66. et 67. Mortis naturalis causa, pag. 109. nu. 95. Nihil nisi solus Deus potest mortuos resuscitare, pag.118. num. 6 ad 15.

*Mortuum* Demon non potest resuscitare, pag. 706. num.312. Mortui qualiter sunt membra Ecclesiæ, pag.778. num.573.

*Mosch* quid significet, pag.30. num.368.

*Motus, Mobile, Potentia motiua.*

Motus aliquis redit semper idem numero, pag. 131. nu.125. Motus quando est perfectio mobilis, pag.227. num.178. Omne mobile præsupponit aliquod immobile qualiter intelligitur, pag.331. num. 56. Motus localis duplex in animali. pag.557. num.114. Ad motum indeterminate qualitas inclinans non est dabilis pag. 558. num. 131. Motum progressiuum causa impediens, pag. 559. num. 134. Motus elementi prædominantis, & progressiui differentia, pag.557. nu.114. Motus localis organicus quid sit, pag.560. num. 140. Potentia motiua organica, et in organica in anima est eadem. pag.561. num.161. ad 165.

*Mundus.*

Mundus quo tempore creatus. in certum, pag. 7. nu.40. De mundi Epocha, et Christi quot Opiniones. ibid. num.40. Mundi finis in sexto millenario Opinio, pag. 5. num. 23. & 24. Confutatur, pag.6. num.35. et 36. Mundi finis omnino incertus, pag.7. num.40. ad 45 & pag.8. num.46. ad 55. De fine mundi multorum deceptio, pag.7. num.41. ad 46. In fine mundi ad Christum totius mundi conuersio, pag.61. num.594. & 595. Mundus est æternus ergo species humana est æterna quàlis est cõsequentia, pag 80. nu.95. Mundus secundum Philosophos est intrinsecè indestruibilis, pag. 209. nu 2. Mundus secundum Theologos destruibilis, & destruendus, ibid.

*Mundi conflagratio* circa tempus iudicij incipiet ante Iudicis aduentum, pag. 189. et 189. art.1. per totum, & num.16 et 32. ad 47. Omnia quæ sunt in mundo conflagrabunt, et qualiter, pag.191. art.111. per totum, et p. 192. num.69 & 2 num.70. ad 79. et pag.193. num. 80 ad 89. et pag.194. num 101. et art. V. per totum. Tantum ascendet in toto mundo ignis vniuersalis conflagrationis quantum ascendit aqua vniuersalis diluuij, pag. 192. num. 73. & 77. et pag.194. num.99. et pag.196. num.122. et deinceps Finis vniuersalis conflagrationis quotuplex, pag. 190. num. 49. & 75. et pag. 196. num.127.

*Mundi destructio, & renouatio.* Mundus post iudicium dissoluetur, pag. 210. num. 5. ad 25. Mundi destructio non erit totalis, pag. 211. à num.37. et pag.219. num.105. et 106. Mundi destructio qualis erit. pag. 214. à num. 56. ad finem art. Mare post iudicium non destruetur probab. pag. 232. num. 249. ad finem artic. Mundus totus renouabitur, et quare, pag.220. num.222. et 223.

# N

*Natura, Naturale, Naturaliter.* Naturaliter notum dupliciter intelligitur, pag. 32. num.40. Naturaliter demonstrabile dupliciter esse potest, ibid. Principia naturaliter nota sunt inuariabilia, pag.37. num.44. Naturale desiderium quid sit, pag. 80. num. 90. et 91. Naturale desiderium etiam ad impossibilia qualiter, ibid. num.91. Natura vniuersalis est magis

gis principium naturalitatis, quam naturalis particularis, pag.555.num. 107. Naturale est nomen æquiuocum, p. 118. num. 1. Naturale accipitur tripliciter, ibid. Naturale in principio actiuo à quo contradistinguitur, ibid. Naturale in principio passiuo distinguitur contra violentum, ibid. Comune omnibus in eadem specie in quo sensu naturale, pag 119. num.17.et 18. Naturale qualiter potest respicere terminum supernaturalem, pag.407. num.236.

*Necessarium, Negatio.*

Necessarij duplex acceptio.pag.308 num.241.
*Negatio* rei est eiusdem rationis siue rem præcedat siue sequatur, pag.68. num.5. et pag 69. num.15.

*Notitia.*

Notitiæ identitas et distinctio vnde desumenda, pag.396. num.169. Notitia. Notum &c. vide *Cognitio, Intellectus &c.*

*Numerus, Idem numero.*

Numerum facit interruptio, et identitas excludit illum qualiter intelligitur, pag. 68. n.9. Numerus millenarius in scriptura quid significet vide mille, pag. 822. nu. 37. ad 42. Numerus indeterminatus pro vniuersali in Scriptura, pag. 100. num.1. et 17. Ad identitatem numericam quæ identitas partium sufficit, p. 113. num.127.

*Nutritio, Nutritum.*

Nutritio est generatio substantialis. pag.109. n. 84. ad 85. In nutritione alimentũ transit in substantiam aliti, et amittit propriam,ibid. nu. 84 Nutritio quare dicitur aggeneratio, n.85. In nutritione pars aggenerata est noua, ibid.n.87.ad 90. In nutritione quis finis alimenti, ibid. n.89. Partes acquisitæ per nutritionem faciunt vnum per se cum nutrito, pag. 109. n. 95. Per nutritionem semper caro impurior generatur, et homo impurior euadit, p.109. num. 92. et 93 Nutritio est productio vniuoca,ibid.n 91. Partes per nutritionem acquisitæ in quo similes, et in quo dissimiles præcedentibus, ibid.num. 91. ad 96. Partes per nutritionem acquisitæ in homine verè sunt animatæ anima intellectiua,pag.110.nu. 102. Partes per nutritionem acquisitæ non se habent vt solum fomentum caloris naturalis. ibid. num. 97. ad 103. Nutritio hominis et Bruti similis, ibid. num.99. Nutritio non fit quia materia nutrimenti informatur à forma carnis præexistentis, ibid. n 104. ad 107. Per nutritionem quot quot partes acquiruntur sunt de veritate naturæ, pag. 111. n. 108. ad 111. Per nutritionem omnes partes acquisitæ per se integrant idem corpus et ab eadẽ anima informantur,ibid. Totum corpus quod homo habet est formatum per nutritionem. ibid. num. 110. Partes corporis Christi per nutritionem acquisitæ erant de veritate naturæ Christi, ibid. Nutritio quomodo fiat, pag. 112. num.115. In nutritione quot mutationes accidunt, ibid. n.116. Nutritionis finis quis sit, pag. 113. n.124.
*Nutritum* est vnum per se vnitate integrali non essentiali, p.112. n.114.

# O

*Obstinatio* in peccato est iusta pœna à Deo inflicta, pag.274 num.445. ad 448. vide *Inferni Pœna & in Inferno Iustitia.*

*Obiectum.*

Obiectum esse in potentia per modum informantis quid sit, pag.341.nu. 153. Obiectum esse in potentia per modũ cognoscentis quid sit, pag.340. num 145. Obiectum esse in potentia per modum intrinsecum vel extrinsecum competentem quid sit, pag.341. nu. 150. et 151. Obiectum cognitum esse in cognoscente quid reuera sit, p.430. num.137. Obiectum cognitum esse in cognoscente, an possit esse receptio obiecti in potentia et informatio potentiæ ab obiecto. p.430. n.131 et 132. obiecti identitas, & modi tendendi in obiectũ qualiter inferunt identitatem specificam actuum, peg.400.n.1.85.

*Oculus, Operatio.*

Oculus corporeus an possit videre Deum, vide *Visio beatifica.* Operabilium et speculabilium ordo, p.330.n.49. vide *Cognitio.*

*Oratio. Orare.*

Orat Ecclesia ad retardandum Antichristi aduentum, pag.11.num.69, Orat Ecclesia indifferenter, & quare, p.758. Vide *Ecclesia.* Oratio Sanctus Deus, Sanctus fortis &c. per miraculum manifestata, pag.707 num.315 Orationes fidelium vere Beati audiunt, pag. 506. num.266.Orationes fidelium quot modis audiri possunt à Beatis. pag.506.nu.261. et 263. & 286. Orationes etiam mentales fidelium beati audiunt, pag 508. num.297. Orationes fidelium in proprio genere non semper Beati vident & quare, pag. 508. num. 293. Orationes fidelium Beati vident per reuelationem in Deo à num. 270 ad 294. Orationes fidelium Deus reuelando non semper reuelat quid determinatè futurum, pag.509. nu. 298. & 299. Orationes fidelium videre seu audire non est de necessitate Beatitudinis, pag.506. sub initio art.

*Orare an conueniat Christo*, pag. 90. num. 66. Orandæ an sint animæ Purgatoti) vide *Purgatorium.*

*Organizatio. Organum.*

Organizatio perfecta à Deo formatur non à virtute seminis, pag.103. num. 39. Organizatio prius maris quam fœminæ perficitur, Comunis sententia, ibid. nu.40. De tempore organizationis, Hipocratis, & Aristotelis dissimilis opinio, ibid.

*Organa* non sunt ab anima sed præcedunt illam, p. 69. num.31.

*Origenes.*

Origenis error de pœna damnatorum, pag. 261. num.310. & pag.262. num.322.et 323. Origenis error de tempore creationis animarum, 634. num.87. Origenes an sit habendus hæreticus, pag.634. num.79. & 86.et 93.Origenis authoritates, vide *in Indice Auctoritatū.*

*Originalis Peccatum.*

Originalis peccati damna, pag. 841. num. 161. Originale peccatum quale delictum, pag.825. num.14. Cum Originali decedentium qualis status, vide *Parvuli.*

*Ouum.*

Ouum generationis quid, pag.101. num. 23. vide *Corpus.*

P

*Papa* est viua regula fidei, pag. 810. num. 799. Papa quando loquitur ex cathedra vt magister, & quando non pag.811. num.799. Circa medium. Papæ potestas circa Thesaurum Ecclesiæ quæ sit et qualis; pag. 815. num. 826. Papæ determinationi nō acquiescentis quæ pœna in vtraque lege, pag.811. num. 799. in fine, Papa habet claues regni etiam pro catechumenis qualiter est verum, p.822. n. 885. & à 783. &c.

*Papa tempore Antichristi.* Ab obedientia Papæ tempore Antichristi omnes recedent Opinio vnius, pag.54. num.516.Papa non erit sub iugo Antichristi et qualiter, pag. 54. per totum art. Vide *Ecclesia tempore Antichristi.*

*Papa potestas circa indulgentias*, Papa potest largiri indulgentias vni per opus adimplendum ab alio, pag.811. num.803Papæ potestas circa largitionem indulgentiarum quotuplex, p. 810. num.798. et pag.818.nu.846.Papa potest indulgentias concedere sine vllo opere adimplendo. pag. 816. num. 839. & 840. in fine. Nulla indigentia nec necessaria connexio inter efficaciam indulgentiæ & executionem operis, pag 817. nu.841. ad 844. vide sequen. & verbo *Indulgentia pro animabus Purgatorij.*

*Papa iurisditio in Purgatorio.qua & qualis* quam potestatem habet Papa super animas Purgatorij, pag. 809. num.795. ad 798. Papa non potest iudicare mortuos, pag. 816. num. 831. Animæ purgatorij qualiter egent clauibus Papæ ad ingressum cœli, pag. 815. num. 825. Animæ in purgatorio existentes qualiter sunt de foro Papæ, ibid. Quod Papæ potestas in Purgatorio sit per modum suffragij tantum, comunis ferè Opinio, pag.815. n.829 Quid sit potestas per modum suffragij & per modum absolutionis vide infra *Indulgentia pro animabus Purgatorij.* De foro Papæ sunt ita mortui sicut viui qualiter est verum, pag.816. nu.831. Papa pro liberatione animarū purgatorij non potest nisi offerre prætium de Thesauro Ecclesiæ Opinio. Confutatur, p. 817. num. 845. et 846. Papa habet etiam potestatem iudiciariā in purgatorio, pag. 814. num. 823. et 824. Papa solo verbo potest euacuare purgatoriū Opin. pag.812. n. 807. vide infra *Indulgentia pro Animabus purgatorij.*

*Paradisus. Pars.*

Paradisus terrestris erit immunis ab vniuersali incendio tempore iudicij. Opin. pag. 214. nu. 55.

*Pars* extra totum imperfecta quæ sit, pag. 78. num.78.

*Parvuli. Pueri.*

Parvuli sunt capaces gloriæ & supplicij, pag.100. num.15. Pueri quantæ ætatis resurgent et cuius staturæ, pag. 132. num.143. ad 150.et pag. 134. per totum art. Parvuli decedentes sine baptismo non fruuntur naturali beatitudine, pag.301. num 178. ad 190. Parvuli decedentes cum peccato originali nunquam ingredientur Cœlum, pag. 824. num. 3. ad 11. Est de fide, num.9. ad 10. Parvulorum quæ causa damnationis. p.825.n.8. et 14.

*Parvulorum pœnæ.* Parvuli sine baptismo decedentes puniuntur pœna ignis. Opin. p. 301. num.179. Parvuli sine baptismo decedentes Deum nō vident nec vnquam videbunt. ibid. num.180. et 182. Parvuli vel adulti cum solo originali decedentes nec in cœlo, nec extra cœlum obtinebunt beatitudinem, pag. 826. num.16. ad 27. et num. 28. ad 36. Parvuli vel adulti cum solo originali decedentes positiuè damnantur, pag.827. num. 41. ad 62. Patres oppositum docentes qualiter exponuntur, p. 828. num.61. Parvuli aut alij cum solo originali decedentes damnantur ad pœnam damni æternam, pag. 829. num 64. ad 80. Parvuli vel quicumque cum solo originali decedentes an etiam ad pœnam sensus damnantur dissidium, pag. 831. num. 85. Non cruciabuntur pœna ignis nec alia pœna sensus sicut cæteri damnati. ibid. num.86. ad 100. Patres oppositum docentes qualiter exponuntur, pag.832. num.99. ad 105. Damnabuntur tamen ad tenebras, pag. 829. num. 68. Ad ignem sempiternum, ibid. num.69. Erunt subiecti diabolo, et de eius familia. num.72. & 76. Erunt in tenebris & igne &c. tamquam in loco et non

non cruciabuntur pœnis sensus, pag.832.n.98. et 104. et 106. Paruuli vel quicumque cum solo originali decedentes an contra æquitatẽ punirentur pœnis sensus, pag. 835. num.108. Sententia de immunitate paruulorũ ab omni pœna sensus non comunicat cum hæresi Pelag. ij, p 837. num. 126.

*Paruulorum status*, est medius inter damnatos et beatos. p.835 num.117. Decedentis cum originali & in puris naturalibus differentia status pœnalis, p.836. num.123. SS.PP. in lymbo & paruulorum in inferno status differentia.p.837. n.124. Paruuli sine baptismo decedentes an cognoscent se priuatos beatitudine pag.301.num.184. et p.843. num. 180. Appetunt videre Deum, & non obtinent. ibid. nu. 185. Non habebunt tristitiam de suo statu, p. 835. num. 111. ad 116. Non tristabuntur de carentia visionis seu ammissione beatitudinis et quare ibid. et num.117. et p 843. num. 181. In die iudicij de sententia damnationis non tristabuntur et quare. p.836.num.117.et 120. Non habent fomitem nec voluntatem inordinatam, p.836 num 122.

*Paruulorum status post iudicium*, paruuli post iudicium vbi manebunt? plures opiniones, p. 837. num. 128. Paruuli post iudicium super terram habitabunt, opin. pag.837. num. 128. respuitur, pag.841.num.159. Paruuli post iudicium in lymbo SS.PP. habitabuut opinio tollerabilis, ibid.nu.60. Paruuli post iudicium in inferno manebunt cum damnatis, p.838.n. 131. ad 140.et n.141. ad 151. Paruulos innocentes in inferno cũ nequissimis reprobis habitaturos in æternum, quare non incongruũ pag.840.num. 152. Paruuli erunt in eodem igne damnatorum vt locante tantum, ibid. n. 155. Paruulorum corpora post iudicium in igne non comburentur, pag. 841. num.156. et 157.

*Paruulorum naturalis perfectio siu aptitudo*, Paruuli omnem scientiam naturalium scibilium sibi acquirere poterunt, affirmatur, pag. 842. num.164. Negatur idem tamquam probabilius, ibid. num.168.ad 174. Paruulorum intellectus non erit impeditus prob. num.165. Nec impedita erit voluntas. ibid. num. 175. Paruuli poterunt Deum & alia obiecta naturaliter amare, et de eis delectari, prob. pag. 842. num.174. ad 179. Paruuli naturalem beatitudinem & felicitatem obtinebunt prob. p.842. n.164. ad 168. Author huic sententiæ dissentit ibid. n.164. in fine.

*Passio animi. Paulus.*

Passio animi quid sit,& quot in animo passiones, pag 367. num.143.

*Paulus Apostolus* in raptu vidit essentiam diuinam, pag.324. num.363. ad 368. Paulus Apostolus prædicans resurrectionem existimatus est insanire et quare p.73.n.45.

*Peccatum.*

Peccati detestatio quãdo est actus supernaturalis et bonus p.280. n.517. et 518. Peccatũ in Scriptura accipitur quandoq; pro pœna debita peccato.p.738.n 183. Peccati mortalis et venialis expositio ibid. Peccatum originale quale delictum est,p 825.num.14. Peccati originalis pœna, vide *Paruulorum pœnitio.*

*Perfectio, Perpetuitas, Persona*

Perfectio omnis inferioris entis posse in ente superiori contineri qualiter est verum. p. 340. num.142. et 143. Posteriora generatione esse priora perfectione, qualiter est verum, p.365, n.135. et p.369. n.164.

*Perpetuitas*, quid sit et quotuplex. pag. 308. nu. 242.

*Persona*, Personarum acceptatio quando contingit, p.795.n.733.

*Pœnitentia, Pœnitere.*

Pœnitendi tempus etiam ab Antichristo deceptis concedetur p.60.nu. 583. ad 594. Pœnitentia Christi, Beatissimæ Virginis, Sancti Ioannis Bap. &c.fuit super erogationis, pag. 742. num.213.

*Pœna,*

Pœna et lesio non sunt idem, pag. 764. num. 424. Pœnam temporalem posset Deus iuxtè propunitione peccati mortalis taxare, p.264. num 331.Cur remissa tota pœna æterna remanet soluenda pœna temporalis, pag.738.num. 185. Non semper cum remissione peccati mortalis remittitur obligatio omnis pœnæ, ibid. num. 188. ad 196. Pœnam temporalem remanere soluendam post absolutionem peccatorum,antiquissima doctrina Ecclesiæ, pag. 742. num,213. Pœna damni est omnium maxima appretiatiuè non sensibiliter, pag.830 n. 85. Pœna sensus propter inordinatam delectationem sensus datur, pag 831. num. 93. & p. 836.num. 116. Pœna damni quare grauior est pœna sensus, pag. 835. num.115. Vide *Infernis pœna. Purgatorij pœna &c.*

*Philosophi. Plato.*

Philosophorum rationes non semper sunt demonstratiuæ, p.79. num,89.

*Plato* Achademicorum Princeps in quo beatitudinem reponebat, p.287. num.31. & 32. Plato qualiter posuit animam hominis immortalem pag.615. num.1. et p.670 num.46. Plato solus inter Philosophos docuit resurrectionem & qualiter. pag.73. num.46. Vide *Resurrectio futura naturaliter indemostrabilis.*

# INDEX.


*Potentia, Principium potentiale,*

Potentiæ tot sunt in principio potentiali à principio creationis, quot sunt formæ receptibiles, pag. 70. num. 22. & pag. 85 num. 29. Potentiæ plures sunt ad eamdem formam, ibid. Omnipotentiæ passiuæ correspondet potentia activa, qualiter verum, pag. 83. num. 17. et pag. 339 num. 139. Potentia redit eadem si forma redit eadem, qualiter intelligitur, pag. 85. nu. 29. Potentiæ ad obiectum proportio. Vide *Proportio, Obiectum*. Potentia aliqua dupliciter potest dici remota, pag. 458. num. 327. Potentiæ conatus ad cognoscendum plura quando necessarius, pag. 495. nu. 171. ad 173. Potentia obedientialis figmentum est in materia visionis, pag. 460. num. 335.

*Præxis, Scientia practica.*

Præxis et notitia practica quid sint, pag. 386. n. 86. Scientia practica dupliciter sumitur, ibid. num. 87. Scientiæ practicæ obiectum duplex. pag. 387. num. 93. Ad scientiam practicam, quæ requiruntur, ibid. n. 87. et 89.

*Prædicatio. Præseruatio.*

Prædicationis necessitas, pag. 56. nu. 518.

*Præseruatio* rerum à corruptione quid sit, p. 551. num. 103. et 104. Deus quomodo res à corruptione præseruat, ibid.

*Prædestinatio. Præmium.*

*Prædestinatio*, Prædestinatum posse deleri de libro vitæ, de quo, & quomodo intelligitur, p. 187. num. 439

*Præmium*. Deus non præmiat bona opera possibilia, sed facta, pag. 264. num. 347. et 348.

*Præstigium. Privatio,*

Præstigium quid sit et quid includat, pag. 683. num. 164. Præstigia Simonis Magi et aliorum, pag. 693. num. 234. et 235. In præstigijs illusiones, ibid. et num. 236, Præstigia & illusiones à Demone fieri possunt, pag. 697. num. 260. ad 268. et p. 699. num. 271.

*Privatio*, A privatione ad habitum impossibilis est regressio, qualiter intelligitur, pag. 84. num. 21.

*Principium.*

Principiorum non totalium diuersitas quando infert diuersitatem actuum, pag. 399. num. 181.

*Processus.*

*Processus* resolutiuus, et compositiuus non necessario se concomitantur, p. 83. n. 18.

*Productio, Prouidentia, Proportio.*

*Productio* A productione ad productum, et ab hac productione ad hoc productum non potest commutari proportio, idemque de similibus. et quare, pag. 85. num. 27. et 28. Productio in tempore est propter imperfectionem agentis, p. 123. num. 48.

*Prouidentia*. Deus vtitur ministerio creaturarũ ad regendas alias inferiores, pag. 97. nu. 131.

*Proportio*. Inter potentiã & obiectũ quæ proportio sufficit, pag. 340. num. 146. ad 149. et pag. 494. num. 164. et 171. Vide *Obiectum, Potentia &c.*

*Pulchritudo, Pulsus.*

Pulchritudinis definitio, pag. 571. num. 227. *Pulsus, Pulueri*, vide *Resurrectio*,

*Punitio.*

Punit Deus mala opera non possibilia sed facta, pag. 264. nu. 347. et 348. Punitio quid sit, & quotuplex, pag. 271. num. 403. et 411. Punitio. num plura genera, pag. 271. num. 413. vide *Pœna. Inferni Pœna Purgatorij pœna. In inferno iustitia &c.*

*Purgatorium.*

Purgatorij nomen, et significatio, pag. 716. n. 1, ad 4. Purgatorium ab Antiquis Receptaculũ animarum vocabatur, ibid. num. 8. Purgatorij acceptiones, pag. 719. num. 31. De purgatorij significatione plures sententiæ, pag. 745. num. 226. Purgatorium non est conscientia remordens sed locus materialis, pag. 746. num. 232.

*Purgatorij existentia, & necessitas* De purgatorio antiqui PP. quare non multam faciũt mentionem, pag. 719. num. 30. Purgatorij existentia probatur, pag. 718. num. 14. ad 26. De existentia Purgatorij Scripturæ loquentes, p. 719. per totum §. De purgatorio Scripturæ explicitè non loquuntur, ibid. num. 56. De purgatorij existentia PP. Græci loquentes, p. 723. per totum §. De purgatorij existentia, cur aliqui PP. non loquantur distinctè, pag. 735. num. 173. ad 178. Reuelationes de existentia purgatorij, p. 727. num. 82. & p. 731. num. 127. per totum §. Concilia de existentia purgatorij, p. 728, per totum §. Purgatorium admittitur à Iudeis, p. 733. per totum §. Purgatorium à Iudeis qualiter admittitur ibid. num. 143. et 155. Purgatorij existentia non repugnat cum satisfactione Christi, nec illi facit iniuriam, p. 737. num. 182. et p. 741. n. 211. Finis Dei in institutione Purgatorij, p. 739. n. 197. ad 210.

*Purgatorij necessitas* probatur rationibus, p. 731. per totum §. Purgatorij necessitas ex auctoritatibus PP. pag. 741. n. 208. et 209.

*Purgatorij locus* non est corpus hominis, p. 745. num. 227. Nec conscientia remordens, ibid. num. 232. Purgatorium est locus aliquis materialis in mundo, ibid. num. 236. Purgatorij locus vbi sit, p. 747. nu. 260. Purgatorij locus


quis

quis sit, ibid.num.261. ad 264. ad finem 5.

*Purgatorij locus qualis.* Purgatorium est locus asper, & rigidus, pag. 749. num. 280. Obscurus &c. num. 285. Purgatorium est locus pœnarum, ignis &c. vide infra *Purgatorij pœnæ.*

*Purgatorij pœnæ.* In purgatorio est verus ignis, pag.751. num.297. ad 320. Est idem met ignis inferni ad eum locum extensus, ibid. Purgatorij igne verè animæ cremantur, ibid. & p. 753. num.317. In purgatorio præter pœnam ignis non est certum de alia pœna sensus, pag. 754. num. 336. ad finem art. In purgatorio est pœna damni temporalis, pag.754 nu. 319. Purgatorij pœnis quare non cruciantur corpora, pag.761.num.396.Ad Purgatorium ducuntur animæ ab Angelis, probabilius, 764. nu. 428. ad 432. In Purgatorio animæ non torquentur à Demonibus, probabilius, pag. 765. num.433. ad finem.

*Purgatorij pœnarum quantitates*, quanta pœna in purgatorio remanet soluenda post hanc vitam, et quare, & quando solus Deus scit, pagin. 741. num. 212. 214. et 216. Quanta, et quæ pœna detur purgantibus, incertum est, pag.759. num.373. ad 386.Purgatorij pœnæ, quam grauis sit, pag. 761. num. 399. ad 408. et pag.763. num.421. & 423. Purgatorij pœna est in æqualis & qualiter. pag. 759. num 373. ad 386. Purgatorij pœnæ inæqualitas in sola duratione consistit. pag.761. nu. 409. ad 415. Pœnarum purgatorij inæqualitas etiam in intentione. Opin. ibid.ad n. 422.

*Purgatorij pœnarum duratio.* De duratione pœnarum. Opiniones. pag 754 num.319.Aliquæ animæ vsque ad diem iudicij purgabuntur, p. 759. num 388. Non omnes animæ in Purgatorio vsque ad diem iudicij purgabuntur, p. 755.nu.340. ad 360. Est de fide, ibid.

*In Purgatorio iurisdictio Papæ*, vide supra *Papæ iurisdictio in Purgatorio*, & infra. *Indulgentiæ pro animabus Purgatorij, &c.*

*In Purgatorio satisfactio* est sine merito,pag.735. num.165. & 180.

*Suffragia pro animabus Purgatorij* vide *Suffragia.*

*Indulgentiæ pro animabus Purgatorij.* Indulgentiæ an possint prodesse animabus Purgatorij de re, et de modo dilidium. pag 808 nu.782. et 783.Indulgentiæ animabus Purgatorij possunt prodesse, et de facto prosunt, est de fide. ibid.num.784. ad 794. et num.799 Indulgentiarum vsus pro defunctis quam antiquus, p. 812.num.808. Indulgentiarum valor pro defunctis, pag.811.num 803. ad 807. Exempla, pag.816. num.833. et pag. 821.num 871. Indulgentiarum formula pro defunctis à 55.Pontificibus vsitata, pag. 813. num.818. ad 820. Indulgentias largiri pro animabus Purgatorij per modum suffragij et per modum absolutionis quid sit, pag. 818. num. 846. Indulgentias largiri per modum suffragij, et non iudicij quid sit, pag.810 num.748. Indulgentias pro animabus Purgatorij qua potestate possit Papa largiri,comunis modus loquendi, pag. 815. num.819.et pag.815, num.847. Indulgentias Defunctis prodesse per modum suffragij quot modis potest intelligi, pag. 812. num. 810. et pag. 813. num. 811. ad 844. Indulgentias pro defunctis etiam per modum absolutionis potest Papa concedere, pag.814. num 814. 815. 827. Indulgentias defunctis prodesse per modum suffragij. in quo sensu est falsum,pag 815. num.829. Indulgentiæ sicut prosunt viuis ita defunctis,pag.815. num. 827. ad 831. Indulgentias pro defunctis potest Papa concedere sine operis impositione, pag 819. num. 852. & pag.816. num.839 De facto non ita concedit & quare, ibid.num.840.Modus deprecationis non officit infallibili efficaciæ indulgentiarum pro defunctis, pag.818. num. 848. Indulgentiarum infallibilis efficacia etiam pro defunctis vbi fundatur & vnde colligitur, ibid. nu. 849 ad 851. Indulgentiæ & suffragia quare non euacuant Purgatorium, pag.811. à n. 802. & pag.820. num.765. Si Papa attentaret omnes animas Purgatorij liberare quid eueniret? Pag.819.num. 853. et 844.

*Indulgentiarum applicatio pro Defunctis.* Indulgentias nemo applicare potest pro animabus Purgatorij si Papa non concedit, pag. 820. à num. 856. Indulgentias applicans Defunctis sine concessione Papæ qualiter eis prodesset, pag.820.num.861. & 862. Indulgentias si Papa expressè non dicit posse applicari pro defunctis, interpretatio seù implicita concessio non sufficit, ibid. num. 863. Indulgentiæ non semel, sed toties quoties conditio adimpletur, tam pro viuis, quam pro defunctis lucrari possunt intra tempus concessionis pag. 821. à num.867. Indulgentias applicans pro mortuis ad quis necesse est vt sit in statu gratiæ, pag. 812. num.873. ad 881.Indulgentias potest Papa concedere pro defunctis Cathecumenis, ibid. num.881.

*In Purgatorio animarum status.* In purgatorio animæ habent fidem, & spem, pag.754. num. 311. Purgatorij pœnæ animabus qualiter voluntariæ, & qualiter inuoluntariæ, pag.766. num.441. ad finem. et pag.774. num.518. In Purgatorio animæ qualiter tristantur de pœnis nolitis, ibid. num.451. Qualiter illas horrent, ibid.num.453 In Purgatorio animæ qualiter sciunt, quæ in mundo fiunt, pag.769 per totum §. In Purgatorio existentes non possunt mereri, nec demereri, pag.772. num. 497. Est de fide, ibid. num. 507. & 513. et 514. Quid obstat in Purgatorio ne detur merita, pag. 773. n.515.& 516. In Purgatorio sūt actus boni supernaturales, sed non meritorij, et quare, ibid. num.517.

*Purgatorij Animarum securitas*, Animæ purgantes sciunt se esse Purgatorio, et non in inferno. pag.769. num.481. Sunt de sua salute securæ, ibid. §.4. per totum. Non possunt de sua salute dubitare, pag.769. num.481. ad finem §. Oratio illa Ecclesiæ pro animabus Purgatorij *Ne absorbeat eas tartarus ne cadant in obscurum*, qualiter intelligitur, ibid. num. 483.

*Purgatorij anima an oranda.* In purgatorio animæ in tormentis non orant semper pro viatoribus, pag.767. per totum §. An sint à nobis orandæ vt orent, et qualiter, ibid. Ecclesia quare non orat animas Purgatorij, pag.769. num.473. Purgatorij animæ quandoque pro viatoribus orant, pag.771. n.494. & 495.

*Purgatorij animarum miracula.* Animas in Purgatorio existentes miracula operari non repugnat, pag.770. num.489. ad finem §. Non repugnantiæ causa et exemplum, ibid.nu.493. Exempla miraculorum, ibid. num.491 & 492. et 494. Qualiter ipsis nescientibus, vel scientibus Deus eorum intuitu operatur miracula, ibid.n.496. et 497.

*Purgatorium eorum qui morientur in iudicio*, pag. 743. num.217. pag.758. num.368.et pag.759. num 387.

*Purgatorij desitio seu finis.* Omnis pœna Purgatorij in iudicio finietur, pag 760. num.390. Post iudicium non erit Purgatorium, ibid.nu.392. ad finem §.

## Q

*Qualitates corporis* sunt actiuæ, pag.531.nu.220. Qualitates deformantes duplicis generis, p. 216. num.159. Quæ qualitates resurgent in corporibus, vide *Resurrectio.*

### *Quantitas, Quies. Quæstio.*

Quantitas qualiter repugnat cum alia In eodem loco, pag. 577. num.265.

*Quies* in appetitu rationali quid, et quotuplex.p. 361. num.112. Quies intellectus à quiete voluntatis distinguitur circa idem obiectum, p. 362.num. 114. Quies in visione Dei est Dei vt obiecti non vt vltimi finis, p.362.n.113.

*Quæstiones* Ecclesiasticæ quomodo soluendæ, pag. 723. num.56.

## R

*Relatio. Respectus.* Respectus ad Deum terminati qualiter possunt naturaliter cognosci,p.407. nu.235. Respectus si destruitur non destruitur potentia,p.69. nu.22. Relationes infinitæ non arguunt infinitam perfectionem in fundamẽto.p.494 n.168.Relatiua esse simul cognitione qualiter potest intelligi, p 482.n.81. et nu. 92. 93. et 106.

### *Reproductio. Reparatio.*

*Reproductionis possibilitas.* Ad preteritum non est potentia Philosophus.6.Ethic,qualiter intelligitur,p.69 n.24. Quorum substantia perit nõ reuertitur idem num. 2. de Gen. qualiter intelligitur, p.84. nu. 21. et p.71. n.39. Hoc solo priuatur Deus ingenita facere &c. qualiter intelligitur, pag 84. num.21. A priuatione ad habitum non datur regressus,qualiter intelligitur, ibid.

*Reproductionis possibilitas naturalis.* Reproductio aliquorum indiuiduorum non est naturaliter impossibilis, p.82.num.10. ad 13. et p.85. nu. 19 et 23. Ad reproducendum idem numero sufficit similis influentia, p.83. num.16. Reproducitur idem si agens est idem, & materia eadem, ibid. num. 21. & 31. Reproductio eiusdem ab vnitate actionis vel mutationis, aut Agentis qualiter non dependet,p.84.num.14. et p.86. num.36.Reproducere potest natura, sed difficiliter, idem corpus humanum,pag.86 n.34.ad 39. Reproductionis humani corporis modus naturalis, p.86. num.37. Reproductionem humani corporis Deus impedit,& quare, ibid. num.39.et 40.

*Reproductionis impossibilitas,* Reproducere omnia natura nõ potest suis viribus. et quare.p.83.n. 20.et 311. Reproducere humana corpora sicut Deus in resurrectione est naturæ impossibile, pag 87.nu. 41.et 44. Reproductio hominis est naturæ impossibilis, p.88. num.48. ad 55.vide *Resurrectionis impossibilitas qualis.*

### *Resurrectio.*

Resurrectio quid sit, pag.129.nu. 94. Resurrectio duplex actiua, et passiua, pag.118.num.4.& 6. In resurrectione quot consideranda, p.118. n.2. et pag.123. num. 41. et 43. In resurrectione hominis principalius est animæ ad corpus venio, pag.88. num.51. In resurrectione ex parte obiecti plura requiruntur, ibid.num.56. In resurrectione ex parte Agentis, quæ potentia requiritur, p.90 n.74.et p.91.num.85.

*Resurrectionis possibilitas qualis.* Resurrectio hominis est pothibilis, pag. 67. num 3. ad 7. Resurrectio hominis ex nullo capite repugnat, pag.69.num.16. et p.67. num.5. ad 7. In possibilitate resurrectionis Catholicorum discordia in rationibus, p.67.num.2. Resurrectionis Brutorum possibilitas negatur ab aliquibus,p. 69.n.12. et reprobatur Opin.n.19 Resurrectio non est Deo impossibilis,p.67. 8. vide sequen. Reproduci possunt omnia virtute diuina.p.69. n.14. ad 21.Ad resurrectionem pulueres,& cineres quam potentiam habent, p. 120. nu.22. Resurrectio actiuè sumpta non est naturalis, sed libera,p.118. nu.4. Resurrectio siue actiuè, siuè passiuè in ordine ad agens est supernaturalis,ibid.n.6.Resurrectio passiuè est naturalis, et qualiter.p.119.n.16.et 19.

*Resurrectionis hominis impossibilitas* Resurrectio hominis est naturaliter impossibilis,p.67.nu.8. Resurrectionẽ natura numquã experta est suis viribus.p.73.n.47. Anima hominis non potest seipsa vniri corpori, p.88. nu.48. & 50. Anima hominis à nulla creatura potest vniri corpori, ib n.49.ad 55. Animę hominis ad corpus vnio in resurrectione,qualiter erit naturalis,ibid.n. 53.Nulla creatura cuiuscũque virtutis potest efficere resurrectionem, p.90.n.68. Ad resurrectionem physicè efficiendam est necessaria omnipotentia,p.90. nu.74. Omnia ad resurrenem exigita requirunt omnipotentiam, p. 91. n.85. Resuscitatio seù resurrectio, nec principaliter,nẽc dispositiuè potest à natura attingi, p.119.n.14.

# INDEX


*Resurrectio futura*, est articulus fidei, pag. 71. n. 25. et 1 num. 28. ad 34. Resurrectio futura ante Christi aduentum non erat fidei articulus, ibid. Resurrectionem qui hæretici negant p. 67. n. 1. & p. 71 n. 26 Resurrectio futura per fidem dumtaxat innotescit pag. 79 nu. 84. ad 85. Resurrectio futura ex principijs fidei euidenter concluditur, pag. 79. num. 87. & 88. Resurrectiones duæ sunt futuræ, error multorum p. 120. n. 24. et n. 27. et 28.

*Resurrectio futura an demostrabilis*. Philosophos sapientissimos latuit resurrectio pag. 84. n. 21. et pag. 71. num. 39. Plato solus docuit resurrectionem & qualiter, pag. 73 num. 46 Platonis opinio de resurrectione futura impugnatur, pag. 82. num. 4. ad 8. Platonis opinio de resurrectione naturaliter futura à Scoto funditus improbatur per incommensurabilitatem motuum cœlestium, ibid. num. 6, Futura resurrectio nec à priori, nec à posteriori demostrari potest, aut necessariò probari, pag 72. sub initio art. et pag. 73. num. 46. et num. 44. ad 49. et pag. 74. num. 53. et pag. 79: num 88. Resurrectio futura non demostratur per incorruptibilitatem materiæ primæ, pag. 74 nu. 50. Neque per corruptibilitatē materiæ secūdæ, ibid. num. 52. et 53. Neque per immaterialitatem animæ rationalis, pag 76. num. 64 Neque per immortalitatem eiusdem pag. 78. nu. 76. Neque ex obiecto & modo operandi eiusdem, pag. 76. num. 64. Neque ex naturali desiderio ad esse, p. 79 n. 90. & 93. Neq. ex naturali inclinatione seu appetitu ad corpus, 77. n. 76. et p. 80. n. 8. Resurrectio futura per rationem iustitiæ retributiuæ, non demostratur, p. 78 n. 81. Resurrectionem futurā SS. Patres conantes se naturaliter probare, numquam demostrauerunt. ibid. num. 82. Gentiles defunctorum cineres seruabant non ob futuram resurrectionem sed ob memoriam defunctorum, pag. 81. num. 97.

*Resurrectionis causa*. Resurrectionis causa efficiens principalis solus Deus, ibid. num. 58. ad 68. Resurrectionis causa efficiens non potest esse Christus vt homo, ibid. num. 66. & 67 et pag. 95 num. 109. Resurrectionis causam efficientem esse Christum quot modis potest intelligi, pag 90. num. 69. Resurrectionis causa physica Christus vt homo non erit, pag. 91. n. 72. ad 79. Nec concipi potest quomodo humanitas Christi possit esse causa physica resurrectionis, p. 91. nu. 75. et p. 95. n. 111. Imò neque causa instrumentalis esse potest, num. 80, ad 86. Non potest assignari quomodo, & in quo humanitas Christi possit esse instrumentum Dei in resurrectione, ibid. num. 81. et 85. et p. 94. num. 108. Qualiter concedi potest humanitatem Christi esse instrumentum Dei in resurrectione, p. 91. n. 87. et p. 94. n. 108. Ad resurrectionem, Christi humanitas nō habet tantam causalitatem quantam eius passio ad nostram iustificationem p 92. num 97. Ad vniuersalem resurrectionem corporum magis concurret humanitas Christi, quam concurrat ad animarum iustificationem, pag. 95. nu. 111. Resurrectionis futuræ Christus erit causa imperatiua, & qualiter pag. 92. num 87. ad 90. et p 90. sub initio art. et pag 95 num. 111. Resurrectionis causa meritoria est Christus, p. 92. num. 91. ad 100. Resurrectionis causa exemplaris est etiam Christus, pag. 93. num. 101 ad 105.

*Resurrectionis obiectum seu quid, & qui resurgent* Resurrectionis obiectum est idem numero quod fuit corruptum, pag 69, num. 22. Resurrectionis hominis identitas in identitate animæ adæquatè non fundatur, ibid. num. 21. In resurrectione quid sufficit vt dicatur idem numero homo resurgere, pag. 113. num. 127. In resurrectione quodlibet corpus humanum resurget idem numero, pag. 119. num. 96. ad 112. In resurrectione resurget totus idem numero homo, pag. 120. num. 113. ad 120. In resurrectione partes redibunt & collocabuntur ad eadem priora loca, pag. 135. num. 168, ad 171. et pag. 150. num. 128. In resurrectione si idem numero non resurgeret, nec diuina iustitia, nec resurrectionis formalitas sustineretur, pag. 129. num. 111. et pag 130. nu. 120. In resurrectione quod resurget idem numero est de fide, ibid. in fine art. In resurrectione hominis omnia accidentia corrupta redibūt, ibid. num. 20. In resurrectione omnes potentiæ omnimodè redibunt, etiam cum respectibus, ibid. num 22. In resurrectione eadem numero priuatio redibit ad reditum formæ quam concomitatur, ibid. In resurrectione ex parte obiecti plura sunt requisita, p. 88. n. 56. Resurgent omnes ad iudicium tam boni quam mali, pag. 99. num. 4. ad 11. Resurgent omnes etiam paruuli siue baptizati siue non pag. 100. num. 11. ad 15. In vniuersali resurrectione quare adultos tantum dicit Scriptura resurrecturos, ibid. num. 18. In resurrectione abortiui inanimati non resurgent, p. 105. nu. 52. ad 56 In resurrectione monstra resurgēt, pag. 106. num. 57. ad 61. In resurrectione homo resurget cum omnibus partibus essentialibus humani corporis, pag 107. nu. 63. ad 66. In resurrectione resurgent omnes corporis partes, quæ principaliter homini inseruierunt ad peccandum vel merendum, ibid. num. 65. In resurrectione omnia membra integrantia resurgent, ibid. num 68 ad 78. et pag. 115. num. 156. ad 151. In resurrectione non omnes partes quæ fuerunt de veritate naturæ in quolibet homine resurgent, pag 112. num. 118. ad 121. In resurrectione mortuorum ante perfectam ætatem, non nouæ producentur partes sed deperditæ restaurabuntur, ibid. In resurrectione non omnes partes resurgent, & quare, pagin. 113. numer. 125. In resurrectione partes in conceptione à Parentibus acceptæ resurgent et quare, pag. 113. num. 122. ad 125. In resurrectione pinguis non resurget pinguis gracilis nec gracilis, p. 112. n. 119. In resurrectione qui morientur in raptu cum quibus partibus resurgent, pag. 113, num. 116. In resurrectione quando idem fuit de veritate naturæ in pluribus, quid agendum, ibid. num.

num.130. In resurrectione humores ad integritatem naturæ necessarij resurgent, pag. 114. num.135. ad 139. Resurgent capilli, et vngues in debita proportione, ibid. num. 139. ad 145. Non resurgent aliæ superfluitates & quare, p. 115. num.155. Resurgent membra, & sexus qui numquam habebunt actum suum. ibid. num.147. In resurrectione quæ deformitates non resurgent et in quibus. pag.116.num.161. ad 166. et pag.117,num.167. ad 173. et num. 177. ad 183. In resurrectione cum vulneribus resurgent martyres et qualiter. pag. 117, num.173.ad 176. et pag.135.num.168. In resurrectione cum suis imperfectionibus & defectibus resurgent Reprobi & qualiter, pag. 135. num.168.

*Resurrectionis tempus*, Resurrectio fiet in instanti pag.90.num.65. In resurrectione quid fiet in instanti & quid in tempore, pag.123. num.44. ad 55. In eadem hora, & in eodem momento omnes resurgent, pag.121.num.26.ad 33. Resurrectio vniuersalis erit de die, pag.124.num. 57. ad 64. Resurrectio in qua die & hora erit nihil de fide, ibid. nu.55. et 63. in fine. Resurrectio vniuersalis in qua hora fiet, tres Scoti responsiones ibid.num 56.

*Resurrectionis locus* erunt sepulchra, vel in quo erunt mortuorum cineres, pag.125. per totum art. vel locus in quo faciendum est iudicium, ibid nu.66. Si cineres in pluribus locis reperientur in quo loco fiet resurrectio, ibid. num. 65. & 76.

*Resurrectionis ordo*, pag.125. num.68. Mortui ante iudicium resurgent primi, pag.121.num.34. ad 36. Vide sequent.

*Resurrectionis ministri*. Resurrectio vniuersalis fiet ministerio Angelorum, pag.95. num. 114. Resurrectionem vniuersalem faciendam esse per Angelos quot modis potest intelligi, pag. 95. num.12. In resurrectione primum Angelorum ministerium erit Sonus tubæ, ibid. à num. 118. ad 124. Archangeli Custodes Regnorum vel Prouinciarum clamabunt fortiter ad resurrectionem in illis, pag 99. num. 159. Quæ tuba, et qualis vox erit illa, pag.98. art. 3. per totum. In resurrectione secundum Angelorũ ministerium erit collectio cinerum, pag. 96. num.125. ad 132. Quid per cineres intelligatur, ibid. num. 125. et 126. et p.95. num.112. et p.125. num.64. A quibus locis et ex quibus rebus colligent. ibid. In resurrectione tertiũ Angelorum ministerium erit resuscitatos electos ad locum iudicij adducere. pag.97. n.133. ad 141. Reprobi resuscitati ad locum iudicij adducentur à malis vel potius bonis Angelis, ibid. num.142. ad 145.

*Resurgentium quantitas, qualitas, distinctio &c.*

*Resurgentium ætas* Resurgent omnes ætatis 30. vel 33. annorum, pag.133. num. 135. ad 142. Resurgent pueri in habitudine ætatis 30. vel 33. annorum, ibid. num. 143. ad 150. Resurgent Reprobi constitutionis ætatis 30. vel 33. annorum, ibid. num.151. ad 154.

*Resurgentium statura*. Non omnes electi resurgent in eadem statura, pag. 134. per totum art. Omnium resurgentium statura erit decens, ibid.

*Resurgentium sexus*. Quilibet in proprio sexu resurget, pag. 126. per totum art. Oppositæ sententiæ error & sapit hæresim, ibid. num.77. Quorum error ibid. Resuscitatio sexus feminei non est quid indecorum, ibid. nu. 87. Resuscitatio sexus feminei non erit inutilis, ibid. num.92.

*Resurgentium corporum qualitates* Resurgentium corpora omnium erunt incorrupta, & incorruptibilia, pag.136. per totum art. Est de fide, pag.137. num. 21. Resurgentium omnium corpora quare, & qualiter resurgent incorruptibilia, pag.136.num.6. & pag.137.num.25. Resurgentium corporum incorruptibilitatis causa quæ et quotuplex. pag.138. num.29.ad finem art. Resurgentium omnium corpora erunt spiritalia, & non animalia, pag.119.n.37. ad 49. Quid sit hoc. ibid. n. 49. ad finem art. Resurgentium omnium corpora erunt post resurrectionem palpabilia. pag.139. n. 36. & 50. vide supra *Beatorum corporum dotes, &c.*
Resurgentium partes, membra, capilli, deformitates &c. vide supra *Resurrectionis obiectum.*

*Post resurrectionem* electi resurgentes igne conflagrabunt, pag. 203. per totum art. Post resurrectionem electi resurgentes quicunque purgatione indigentes in igne conflagrationis purgabuntur, non reliqui, p.208. n.256 ad finem art. vide supra *Ignis conflagrationis &c.*

*Resurrectionis causa finalis* quæ? pag. 144. num.4. ad 25.

*Resurrectio Christi*. Resurrectionis Christi causa non fuit Christus sed Deus, pag.89. n.65. & pag.91. n.72. ad 79. Christus vt Deus resuscitauit se, vt hominem, ibid. n. 77. vide supra. *Resurrectionis causæ*, Ad Christi resurrectionẽ anima Christi non fuit instrumentum verbi, p.91. n. 81. Christus cũ omnibus partibus, cũ capillis & vnguibus surrexit & quare, p. 115. n.144. et p.113.n.126.

*Reuelatio, Rex.*

*Reuelatio* multipliciter accipitur, pag.500. num. 214. Reuelatio quid & quotuplex, pag. 696. num.253. & 254. Reuelationum tria genera. pag.697. num.255. ad 268. Reuelationes omnium generum qualiter omnes à sola apprehensione possunt naturaliter procedere, pag. 698. num.268. ad 283. Reuelationes etiam à Demone esse possunt. pag.697.n 254. Reuelationes quædã factæ Pueris, p.707.n.314. ad 317 vide *Apparitio. Defunctorum Apparitiones. Demonum Apparitiones &c.*

*Rex.* Reges ab Antichristo superandi, pag. 222. n.191. & p.19. n. 259. ad 262. et 264. ad 266. vide *Antichristi præda.*

# INDEX


*Roma. Romanum Imperium. Romanus Pontifex.*

Romani imperij calamitates à 387. ad 1453. tanguntur, pag. 13. num 81. Romanum imperium perpetuò durabit Opinio vnius. pag. 14. num. 90. Romanorum vltimus Imperator & Maximus erit Rex Franciæ. Opinio, pag. 11. nu. 64. Romanorũ Imperator in initio Ecclesiæ Gog, Romanum Imperium Magog. Opin. pag. 47. nu. 485. Romani imperij diuisio, defectio &c. p. 15. num. 100. vide *Aduentus Antichristi figura*.

*Romanus Pontifex*, vide *Papa, Ecclesia &c.*

## S

*Sacramenta*. Ad Sacramenti susceptionem, quæ dispositiones necessariæ, pag 426. num. 106. Sacramenta qualiter per accidens ad salutem necessaria, pag. 437. num. 184. et p. 441. n. 210. Sacramentorum connaturalitas in causatione gratiæ quæ? pag. 444. n. 233.

*Sacrificia, Samuel, Sanguis.*

*Sacrificia*. Quare sacrificium Missæ valet pro defunctis & non reliqua Sacramenta? pag. 780. num. 602.

*Samuel* resuscitatus, an erat verus Samuel &c. pag. 118. num. 8. Vide *Defunctorum Apparitiones*.

*Sanguis* non totus resurget. p. 115. n. 154.

*Sancti. Satietas.*

*Sancti*, vide *Beati*.

*Satietas* quid significet, p. 146. n. 186.

*Scientia. Scibile.*

Scientia practica. vide *Praxis*. Scientia comprehensiua, vide *Visio Beatifica*. Scientia animæ Christi de sua diuinitate, quæ, et quanta, pag. 390. num. 115. et 124. Scientia animæ Christi quanta, et qualis, p. 492. num 154. et p. 495. n. 173. ad 175. De scientia animæ Christi Scotus non firmauit sententiam, et quare. ibid. num. 175. Plures scientiæ de eodem obiecto scibili qualiter esse possunt, pag. 623. num. 147. et 148.

*Scotus.*

In Scoto quædam reperiuntur quæ non sunt ipsius, pag. 126. sub initio art. Scoti doctrina, qualiter discernenda. ibid. Multi Scoti libros non viderunt, nec legerunt & citant. et quare p. 427. num. 110. in fine Scoto calumnia imposita circa necessitatem luminis. p. 440. initio art. Scoto impostura adscripta de errore Iansenij, p. 541. n. 312. Scoti censura in Aristotelem, p. 556. n. 109. In Scotum Authoris cauillum, p. 534. num. 150.

*Scriptura.*

In Sacra Scriptura Antichristum venisse et non venisse, qualiter intelligitur, pag 4. num. 21. et 22. Sacræ Scripturæ authenticatio non à priuatis DD. sed à fidei magistra est desumenda, p. 65. n. 19. Regula intelligendi Sacram Scripturam, p. 753. n. 326. Vide *Ecclesia*.

*Scythia.*

Scythia est vtraq; Tartaria, p. 53. n. 505. Scythiæ breuis descriptio, p. 52. sub num. 503. Scythæ sunt Magogoges. pag. 52. n. 503. Scythæ sunt Tartari à Iudæis propagati, ibid. n. 504.

*Securitas, Semen.*

Securitas quid sit, et cui conueniat, pag. 312. nu. 274. & 289.

*Semen* idem numero potest naturaliter reproduci, pag. 86. num. 34. ad 38. Modus reproductionis, ibid. n. 37.

*Sedes Apostolica.*

Sedes Apostolica, vide *Papa, Ecclesia &c.*

*Sensus. Sensatio. Potentia Sensitiua.*

*Sensus* nullo modo cognoscit vniuersalia, p. 76. n. 60. Nulla sensatio est distinctiua sui primi obiecti, ibid. Nulla potentia sensitiua est super actum suum reflexiua, ibid. Nulla potentia sensitiua potest ad non sensibile aut non existens se extendere ibid. Nulla potentia sensitiua potest habere indifferentiam in operando et modo operandi, ibid. n. 62. Sensus ab excellente sensibili corrumpitur, et quare. pag. 77. n. 69. Sensus licet sint instrumenta animæ intellectiuæ, non tamen possunt intelligere. p. 94. n. 108. Cur sensus in agentem et possibilem non distinguitur, p. 420. n. 46.

*Sepulchra, Sepelire.*

Sepulchra quare in Ecclesia admittuntur, p. 789. n. 680. Sepelire mortuos in Sepulchris Sanctorum ad quid iuuet, p. 786. n. 655.

*Signa. Similitudo. Sinus.*

Signa, vide *Miracula*.

*Similitudo* in visione quotuplex, pag. 382. num. 61.

*Sinus* Abrahæ quis, et an Lymbus, pag 838. num 430.

*Sol. Solus.*

Solis radij iidem numero possunt reproduci à Soie, pag. 82 num. 10. Solis, et Lunæ obscuratio ante tempus iudicij qualis erit. pag. 154 num. 100, Sol post iudicium renouabitur, et quomodo

do, pag. 219. num. 114. & à num. 115. ad 117. Dominici Soti Ordinis Prædicatorum Opinio singularis de duratione pœnarum Purgatorij, pag. 755. num. 339.

*Spes.*

Spes qualiter potest dici habitus à charitate indistinctus, pag. 609. initio art. Spei obiectum quodnam, & quale, ibid. nu. 33. Spes ad quos actus inclinat, ibid. nu. 34. et 611, n. 57. Spem in Patria remanere prob. pag. 610. num. 48. ad 53. Spes in Patria si remanere asseratur, nulla ratio ad oppositum conuinceret, ibid. nu. 49. ad 60. A spe, & charitate diuersimodè producitur actus complacentiæ de bono quod possidetur, pag. 611. num. 59. Actus spei in patria sunt diuersæ rationis ab actibus eiusdem in vita, pag. 612. num. 61.

*Speculabile.*

Speculabilium, & operabilium ordo, pag. 330. num. 49.

*Species.*

Species vt ad visionem pertinet quotupliciter accipitur. p. 380. n. 39. Per speciem visio dupliciter fieri potest, p. 427. n. 112. Speciem sui potest Deus in intellectu causare, p. 429. num. 126. Species representatiua quotuplex, pag. 463. num. 352. & p. 464. num. 359. Species qualiter representat obiectum cum modis suæ entitatis pag. 464. nu. 356. Species extrinsecè continet intelligibilitatem obiecti, pag. 465. num. 365. Species omnes perfectiores qualitet sunt de obiectis perfectioribus, p. 464. n. 357.

*Species intelligibilis seù impressa necessitas*, pag. 466. num. 369. et nu. 372. ad 387. Species qualiter non necessaria ad cognitionem. pag. 428. num. 115. Absque specie potest obiectum causare visionem, pag. 429. num. 127. Speciei impressæ determinatio quæ et quanta, pag. 461. num. 351. Speciei impressæ necessitas ad intuitiuam cognitionem qualis, pag. 394. n. 157. Speciei & obiecti adæquatio quæ necessaria, p. 461. num. 349. & 350.

*Speciei impressa causalitas*. Species impressa potius impedit quam ad iuuat cognitionem intuitiuam, pag. 468. num. 390. Species impressa qualiter assimilat intellectum obiecto, p 469. num. 405. Species impressa qualiter vnit cum obiecto potentiam, pag. 429. num. 124. Species impressa quomodo potest inse ipsa intuitiuè cognosci, pag. 470. num. 410. et 411. Nulla species impressa actiuè ad intuitiuam cognitionē concurrit, pag. 470. n. 409.

*Speciei impressa munera*, pag. 428. nu. 119. & 121. et pag. 460. num. 336.

*Species* intelligibilis seù impressa Dei, vide *Visio Beatifica*.

*Spiritus, Spirituale.*

Spiritualis multæ acceptiones & declarationes, p. 581. num. 298. Spirituale esse immortale nō est propositio per se notas p. 631. num. 50.

*Stella. Stoici.*

Stellæ tempore iudicij cadent de cœlo, pag. 222. num. 136. De stellarum casu tempore iudicij variæ opiniones, ibid. Stellæ tempore iudicij an substantialiter separabuntur à cœlo, & cadent in terram. incertum est, ibid. num. 138. ad 153.

*Stoici* qui, et quis eorum Princeps, pag. 287. nu. 29.

*Successio.*

Successio non est vbi resistentia non adest qualiter est verum, p. 123. num. 53.

*Suffragia.*

*Suffragia pro Defunctis*. Suffragia Defunctis prodesse ex Sacra Scriptura certum non est, sed ex Ecclesia, pag. 788. num. 666. Quot sunt genera suffragiorum pro Defunctis, pag. 789. num. 675. Suffragia quid operantur pro animabus, pag 798. num. 745. ad 756 Suffragia viuorum Defunctis prosunt per modum iustitiæ, p 786. num. 651. Suffragia pro Defunctis an eis prosint, p. 788. num. 666. Suffragia per modum deprecationis, qualiter defunctis iuuant per modum satisfactionis, p. 788. nu. 667. Suffragia viuorum cum pœnis purgatorij quā proportionem habent, ibid. nu. 668. Suffragia pro defunctis eis prodesse ex iustitia, et ex opere operato an sit idem. ibid. num. 670. et 671. Suffragia prodesse per modum satisfactionis, et ex opere operato qualiter est idem, pag. 793. num. 716. Suffragia ei tantum prosunt cui applicantur, p. 795. num. 723. ad 729. Suffragia pro vno qualiter est solatium cæterorum, ibid. num. 730. Suffragia paucioribus magis prosunt quam pluribus, p. 796. nu. 731. et 733. 741. 742. Charitatis virtus non efficit vt suffragia pro vno applicata equè omnibus prosint, p. 798. nu. 741. ad finem.

*Suffragiorum differentia*. Suffragij missæ valor & discrimen ab alijs suffragijs, p. 793. num. 708. Suffragiorum antiquæ et nouæ legis differentia, ibid. num. 710. & 711.

*Suffragiorum differentia ratione suffragantium*. Soli viatores possunt defunctis prodesse per modum iustitiæ, pag. 789. num. 673. Suffragia viuorum an Defunctis magis prosint quam orationes Sanctorum, p. 786. n. 648. et 649. et p. 809. n. 788. Suffragia Beatorum Defunctis prodesse possunt per modam impetrationis dumtaxat, p. 789. n. 677. Beati habentes opera et merita supererogationis non possunt ea defunctis applicare per modum iustitiæ seu satisfactionis, p. 790. n. 686.

*Suffragiorum certitudo effectus.* Per exhibitum suffragiũ anima de Purgatorio an liberata sit vel quantum ei de pœna dimissum nemo scire potest absque reuelatione. p. 799 à num. 756. Suffragiorum cum quantitate pœnæ proportionem sine reuelatione nemo scire potest, p. 759. num. 758. ad 761. Suffragia quare non euacuant Purgatorium, p 800. num. 766. Suffragiorum proportio cum pœnis purgatorij non ex natura rei, sed ex ordinatione Dei, p. 780. n. 762. ad 765.

*Suffragia malorum.* Suffragium missæ mali sacerdotis prodest defunctis ex iustitia per modum satisfactionis, p. 791. num. 691. Suffragia aliæ prætermissam à malis nomine Ecclesiæ si offerantur non solum per modum impetrationis, sed etiam satisfactionis prosunt ex iustitia, pag. 791 num. 692. &c. et p. 794. num. 710. et 715. Suffragia malorum, nomine proprio præter missam, probabile est quod prosint Defunctis ex iustitia licet non sint meritoria p. 792. nu. 700. et 712. Ad satisfaciendum pro Defunctis status gratiæ non est necessarius, pag. 793 nu. num. 705. Suffragans vt suffragetur qualiter debet esse in charitate, p 795. num. 717 Suffragia à malis applicata Defunctis prodesse, qualiter est determinatio Ecclesiæ, p ag. 795. n. 723. ad 729

*Suffragia indulgentiarum* pro Defunctis, vide *Indulgentia pro animabus Purgatorij*, verbo *Purgatorium.*

*Supernaturale.*

Supernaturalitas est nomen æquiuocum, pag. 342 num. 156. Effectus supernaturalis vnde dicatur et quot modis, pag. 346. num 182. Supernaturalitas in actu quid sit, et quot requirat, pag. 334. num. 91. ad 94. Actus supernaturales in duplici differentia, pag 278. num. 499. Actus supernaturalis potest esse à non habente supernaturali, et quomodo, pag. 334. num. 98. et p. 441. num. 204. Supernaturalitas ex obiecto dumtaxat desumpta quænam sit ibid. num. 97. Supernaturalia auxilia propter quid offeruntur, p. 278. num. 500. Vt effectus sit supernaturalis quæ causalitas requiritur in principio, p. 442. num. 217. Esse supernaturale vel ordinis supernaturalis quid sit, et naturalis, pag. 453. num. 188. Supernaturale secundum substantiã solus Deus, ibid. num. 294. et 296 A solo Deo producibilia qualiter sunt supernaturalia, ibid. Supernaturalium auxiliorum distinctio, pag. 535. num. 254. Cur dicuntur auxilia, ibid. nu. 255. Supernaturale qualiter est ens naturale, pag. 537. num. 272. Ad supernaturaliter denominandum quid sufficiat, pag 536. num. 266. Supernaturale qualiter est ens naturale, pag. 537. num. 272. Ad supernaturalem actum potest concomitari actus naturalis, p. 540. n. 302.

*Supplicium.*

Supplicium quid sit, p. 271. n. 415. vide *Pœna. Inferni pœna. Punitio &c.*

# T

*Talmuth.* Hebreorum vbi compositus, pag. 23 num. 207.

*Tartari.*

Tartari etymologia, pag. 234. num. 1.

*Templum.*

Templum Salomonis Antichristus reædificabit vt prius, p. 24 sub num. 21 1. verbo *S. Augustinus.* Templa, vide *Ecclesia.*

*Tempus. Temporale. Tenebræ.*

Tempus quid et quotuplex, pag. 227. num. 180. Tempore extrinseco cessante non necessariò cessat intrinsecum, ibid. num. 181. Temporis diuersitas non semper adducit diuersitatem numericam in causabili, p. 83. num. 15. Temporale et æternum quomodo proportionantur, p. 275. num. 463. et 465. Tenebra exterior quid significet in Scriptura, p. 819. n. 69.

*Terra.*

Terra inclusa in aliquo vase si verteretur in aquã, et hæc iterum in terram, eadem numero esset, p. 83. num. 11. Terra nec ante, nec post iudicium totaliter destruetur, p. 228. num. 188. ad 201. Terra post iudicium innouabitur, & qualiter, p. 229. n. 201. ad finem art.

*Tertullianus.*

Tertulliani error quod Deus sit corporeus, pag. 408. num. 241. Tertulliani error quod anima hominis sit corporea, pag. 645. num. 175 Tertullianus à quo deceptus, pag. 705 num. 308. *Tertulliani authoritates*, vide in secũdo Indice.

*Testamentum.*

Noui testamenti Scripturæ Canonicæ græcè conscriptæ fuerunt, et quare, p. 48. n. 473.

*Timor.*

Timor Dei quotuplex, pag. 620 num. 117. et 118. Timor Dei qualiter remanebit in Patria, ibid.

*Trinitas.*

De Sanctissima Trinitate tres articulos fidei distinctos habemus, p. 482. num. 84. Potest vna persona Trinitatis cognosci non cognitis alijs ibid. per totum art. Potest vna persona Trinitatis inuocari et adorari sine alijs, pag. 484 nu. 94. Trinitas qualiter est obiectum beatificũ, p. 485. num. 105. et pag. 521. num. 135. ad 138. Trinitas in lege Moysi, quibus nota, pag. 514. n. 147.

num. 147. Trinitatis fides qualiter ad salutem necessaria, pag. 526. nu. 167.

*Tristitia.*

Tristitia quid sit, & per quid differat à dolore, pag 243. num. 105. Tristitia à qua causa sit, p. 765. num. 441.

*Tuba. Tubal. Turca.*

Tuba in Scriptura magnam vocem significat, p. 98. num. 158. Tubal in Scriptura Ezech. quid significet, pag. 30. num. 268. Turcæ seu Saraceni Gog, et Magog existimati Opin. pag. 50. num. 485.

# V

*Vbi. Vbique, seu Immensitas.*

Vbique Christus non est, pag. 91. num. 75. Vbique esse seù immensitas humanitati Christi non competit. ibid.

*Vegetatiuum.*

Vegetatiua non est minus perfecta in homine, quam in Brutis, pag. 100. n. 97.

*Verbum.*

*Verbum diuinum*, cur non producitur ex cognitione creaturarum, pag. 391. num. 127. et pag. 497. num. 185. Cur in diuinis dicitur verbum, et non spiritus Sanctus, pag. 394. num. 169.

*Verbum mentis* quid significat & vnde sit dictum, pag. 394. num. 156. et 159. Verbum mentis in rigore quid sit, p. 395. num. 161. et 162. De verbo mentis, Scotistarum & Thomistarum iurgium, pag. 394. num. 157. Verbum mentis dici potest cognitio Dei in viatore, pag. 395. n. 164. ad 166. Visio beatifica an sit verbum mentis, vide *Visio Beatifica*. Visio creaturarum &c.

*Veritas.*

Veritas in Sacra Scriptura qualiter accipitur, pag. 273. num. 441.

*Vinum.*

Vini materia si adesset eadem, & idem agens, ex aceto posset reproducere idem vinum, pag. 84. num. 21.

*Violentum.*

Violentum quid sit, p. 118. num. 1. Violentum potest esse æternum per Dei potentiam, pag. 120. num. 21. Violentum nullum durabile ex Philosopho, qualiter est propositio falsa, pag. 536. num. 107.

*Virgo Mater Dei.*

Virginis Beatissimæ charitas in via quanta fuerit, pag. 309. num. 252.

*Vir, Virtus, Virtuosi.*

Vir in Scriptura non semper significat masculum, p. 127. n. 88. & 89.

*Virtutis* bonum etiam momentaneum quare melius est quam multum viuere sine virtute, p. 77. nu. 75. *Virtuosi* quare grauiores lucrant pœnas quam vitiosi, pag. 78. num. 81. A duplici virtute actus proueniens perfectior est, & quis, pag. 276. num. 778.

*Virtutes morales in Beatis.* p. 613. n. 66.

*Virtutes morales in Angelis*, pag. 615. num. 83. 86. 88. et p. 610. nu. 87.

*Virtutes morales an in Deo*, p. 616. n. 87. Virtutes qualiter in Deo, p. 267. n. 179. et p. 610. n. 87.

*Visio, Beatifica.*

Visionis vocabulum, quid significet, pag. 377. num. 2. Visionum tria genera, p. 378. num. 26. Visio Dei baatifica est visio intuitiua, p. 383. num. 64. ad 75. Est de fide, nu. 69. Visio beatifica propriè nec verbum mentis est, nec causatiua illius, p. 394. num. 161. et 162. Ad Beatificam visionem creatus intellectus qualiter concurrat. Opiniones, p. 415. num. 2. Ad Beatificam visionem creati intellectus actiuitas. ibid. num. 3 ad 13. Ad Beatificam visionem creati intellectus actiuitas in efficaciter probatur à multis, ibid. nu. 9. ad 12. Visio Beatifica dicitur facialis, et quare, p. 427. num. 122. Visio beatifica vitalitatem magis principaliter includit quam supernaturalitatem, p. 436. num. 174. Ad Beatificam visiouem intellectus absolutè est causa principalior, et quare, p. 436. n. 177. ad 182. Ad beatificam visionem intellectus omnem habet in suo ordine actiuitatem, p. 437. num. 183. Ad beatificam visionem quot modis Deus concurrit, p. 448. nu. 257. & 259. Ad beatificam visionem Dei concursus quomodo liber, ibid. et n. 260. & 261.

*Visionis beatificæ obiectum.* Visionis beatificæ obiectum essentiale, et primarium, est Deus, pag. 571 num. 4. ad 18. Visionis beatificæ Personalitates diuinæ sunt obiectum secundarium, pag. 478. num. 69. qualiter etiam concedi potest illas ad rationem obiecti primarij pertinere, pag. 471. num 77. et 28. Nomine obiecti primarij beatitudinis quid intelligitur, p. 473. num. 36. Exempla, num. 27. Visionis beatificæ obiectum primarium de facto est Deus vt existens in tribus personis, pag 471. nu. 18. ad 26. Trinitas qualiter est obiectum beatitudinis, p. 480. nu. 71. Naturalis ordo cognoscendorum in Diuinis, p. 473. n. 39. et 42.

*Visionis beatificæ possibilitas.* Deus in sua essentia est à creatura intellectuali visibilis, p. 377. n. 4. ad 19. Visio Dei possibilis creaturæ est intellectualis, p. 378. nu. 21. ad 28. Authores erroris inuisi-

inuisibilitatis Dei in sua natura, p. 380 nu. 37. Visionis beatificæ possibilitas, vide *Beatitudo vera.*

*Visionis beatificæ impossibilitas naturaliter ab intellectu creato.* Deus in Sacra Scriptura qualiter dicitur inuisibilis, p. 379. n. 29 & 30 & p. 382. nu. 59. Visio beatifica creato intellectui naturaliter est impossibilis, pag. 416. n. 13. ad finem art. Visionis beatificæ impossibilitas etiã per speciem impressam, pag. 468. num. 389. ad 397. Visionis beatificæ impossibilitas naturaliter, vide *Beatitudinis consecutio.*

*Visionis beatificæ impossibilitas naturaliter ab intellectu creabili.* Non est creabilis intellectus qui ex suis naturalibus Deum videre possit, p. 450. n. 270. ad 273. Creabilis intellectus æqualis, aut maioris actiuitatis lumine gloriæ, non posset naturaliter Deum videre, ibid. nu. 274. ad 278. Nullus creabilis est intellectus respectu cuius Deus non esset obiectum voluntariũ, ibid. Nullus creabilis intellectus etiam infinitus, aut cum infinito lumine cuius viribus posset videre Deum pag. 451 num. 278 ad 280. Nullus intellectus creabilis ex hypothesi infinitus naturaliter adequaretur Deo in ratione mortui & mobilis, ibid. num. 281. Disparitas assignatur in multis, ibid. num. 283. 285. 286.

*Visionis beatificæ impossibilitas cum oculis corporeis.* Beati post resurrectionem non videbunt Deũ oculis corporeis, p. 409. n. 245. Visio Dei cum oculis corporeis repugnat, p. 410 n. 255. ad 257. Causa repugnantiæ, ibid. nu. 256. & 257. Impossibilitatis videndi Deum, inter intellectum, & oculum corporeum disparitas, p. 413. n. 273. & 275. In impossibilitate videndi Deũ oculis corporeis, de visione corpus Christi in Eucharistia, disparitas, ibid. num. 277. Impossibile est oculum corporeum videre Deum etiam si Deus visionem sui in oculo corporeo causaret, p. 413. n. 276.

*Visio beatifica in hac vita.* Multis modis de facto in hac vita visus est Deus, pag. 380. num. 38. Visiones Dei multis in hac vita concessæ, non fuerunt beatificæ. sed quales, ibid. num. 35. & 36. Visio in hac vita, vide *Beatitudo in præsenti vita.*

*Visio beatifica de facto an discursiua.* Visio beatifica secũdum aliquos actus est discursiua, prob. p. 384. num. 75. ad 81. Visio beatifica de prædicatis quiditatiuis Dei non est discursiua, sed de alijs, p. 386. num. 84. Visionem beatificam esse discursiuam non repugnat ratione actuum reflexorum, ibid. nu. 76. nec locutionis beatorum, num. 77. nec pluralitatis actuum, num. 78. nec ex ipsa ratione discursus, nu. 79. nec ex natura cognitionis scientificæ, nu. 80. neque simplicitatis Dei, p. 386. n. 84. In beatifica visione Dei quibus modis Beati discurrunt ibid. In Beatifica visione Beatorum discursus non est à noto ad ignotum, p. 386. n. 85.

*Visio beatifica an practica.* Visio, seu scientia Dei in Beatis est puro practica, p. 387. n. 88. ad 94. Prædicata practica in Deo, p. 387. n. 8. & 95. Visio Dei in Beatis tota ad Dei amorem ordinatur, ibid. nu. 92. est directiua praxis, ibid. num. 993. Visio scibilium omnium etiam similiter speculabilium est practica in Beatis, ibid. n. 94. Visio tota beatorum dici potest ars amandi Deum, ibid. n. 97. Visio beatorum si non esset practica non quietaretur beatus, ibid. n. 96.

*Visio beatifica an comprehensiua*, Deus in Scriptura modo dicitur comprehensibilis, & modo incomprehensibilis, & quare, p. 392. nu. 141. ad 148. In rigore nequit dici comprehensio, p. 389 num. 101. ad 119. Comprehensionis nomen est equiuocum, & accipitur pro tenere cum intellectu, ibid. num. 99. & 100. Visio vt sit comprehensio in rigore quid requirat, ibid. num. 100. Visio beatorum in rigore nequit dici comprehensio, pag. 389. num. 102. ad 119. Visio beatorum quare non est comprehensio, pag. 391. n. 130. ad 140. et p. 390. num. 119. ad 130. Visioni beatorum quæ conditiones rigorosæ comprehensionis deficiunt, pag. 391. nu. 148. & 152. In visione Dei necessitas assignandi comprehensionem largè acceptam, p. 392. num. 141. 146. & 147. In visione excessus potentiæ cognoscitiuæ non obstat comprehensioni, pag. 393. num. 154.

*Visio beatifica qualiter infinita.* Visio Beatorum est Dei infiniti. & modo infinito qualiter, pag. 393. num 151. & 155. Visio beatifica qualiter adæquatur obiecto, ibid. num. 153. Visio qua Beatus videret omnia in Deo non esset comprehensiua, pag. 493. nu. 61. et 62. Visio qua Beatus videret omnia in Deo esset vna ad omnia terminata, & qualiter infinita, ibid. nu. 163. ad 173.

*Visio beatifica qualiter supernaturalis.* Ad visionis supernaturalitatem qualiter requiritur supernaturale inhærens, pag. 443. num. 220. Visio sine lumine quomodo esset supernaturalis, p. 404. num. 211. Supernaturalitas in gradibus visionis ex excessu perfectionis intellectus vnde oriretur, ibid. num. 215. vide *Lumen gloriæ.*

*Visio beatifica qualiter libera.* Visionis beatificæ libertas vide *Beatorum libertas.* Visio beatifica liberè producta qualiter est similitudo naturalis Dei, pag. 469. num. 406. Visio beatifica à voluntate Dei producta effectiuè, quare cõsimiliter nequit produci à specie Dei impressa. pag. 470. numer. 413. Voluntas Beatorum in Patria est intrinsecè libera, et essentialiter immutata, p. 542. nu. 316.

*Visio beatifica de possibili.* Deum videri non visis personis non implicat de possibili, & quare, pag. 473. num. 33. ad 43. Ad videndum Deum, et non diuinas personas non obstat Dei summa simplicitas, p. 476. num. 44. Nec infinita Dei perfectio, p. 476 num. 51. Nec realis identitas, p. 477 num. 53. Nec diuinæ essentiæ comunicabilitas, pag. 478. n. 55. Nec ratio cognitionis intuitiuæ, pag. 476. num. 48. et 49. nec naturalitas visionis, num. 50. Discursus irrefragabilis, pag. 477. num. 52. Diuinæ personalitates quare à diuina essentia ex natura rei actualiter sunt distinctæ, p. 473. num. 30. & 31. et p. 476. num. 47. et 52. Tanta distinctio est inter, diuinam essentiam, & personas vt possit videri

& ostendi sine personis, p.481.n.76.

*Visio essentiæ sine personis de possibili qualis.* Visio diuinæ essentiæ non visis personis esset beatifica. & quare, pag.478. nu.59. ad 65. Visio diuinæ essentiæ non visis personis qualiter à visione essentiæ et personarum differret, pag.479 n.65. ad 70. et pag.482. nu.78. Visio essentiæ non visis personis cur non esset abstractiua, p. 471. num.70. Videns essentiam sine personis cur non remaneret inquietus, ibid.nu.71. Videns essentiam non videndo personas non videret Deum aliter ac est in se, p.481.nu.75. Ad videndum beatificè Deum non visis personis non requiritur visio intuitiua, vel distincta eminentialis vel virtualis continentiæ, vel ita contentorum in essentia, p.481 nu.74. Visio essentiæ sine personis qualiter esset inadequata, pag.482.n.77.

*Visio vnius personæ sine alia.* Non implicat vna persona diuina videri non visa alia, pag.482. n. 82. ad 87. Causa non implicantiæ assignatur, ibid.num 87. Ratio relatiuorum inter diuinas personas quare non impedit, pag.482. nu.91. & 93. et 108. Nec identitas in essentia, nec circumincessio personarum obstat p. 484. nu. 101. et 102. Visio vnius personæ diuinæ sine alia esset beatifica, p. 482. n. 89. ad 91. Visio vnius personæ sine alia non esset confusa, pag. 485.n.106.& 107. Videns vnam personam sine alia non remaneret inquietus, ibid.

*Visionum differentia.* Visionis Dei, et Beatorum de Deo differentia, p 367.n.98. Visio Michaelis perfectior est visione animæ Christi Opinio vnius, p.397. nu. 170. Visio et tota Beatitudo Christi, et Beatissimæ Virginis non sunt imperfectiores beatitudine Angelorum, pag 397. n.174 ad 179. Visiones hominum, et Angelorum non differunt specie etiam si intellectus specie different, ibid. n.171. ad 180. et p.399 n. 182. et 183. Visio Dei & Angeli non sunt eiusdem rationis specificæ, et quare, pag.400. nu. 185. Visionis Christi, et cæterorum beatorum differentia, p.497. n.188.

*Visionum inæqualitas.* Visiones beatorum de facto sunt inæquales, p.401.nu.190. et 191. Visionum inæqualitatis causa triplex, ibid.201. Visionum inæqualitatis causa moralis est inæqualitas meritorum, num. 194. Effectiua de facto an luminis vel intellectuum, incertum est, ibid.n.195. et 196. De lumine est probabilius, nu 197. ad 200. Modernorum ratio inanis, ibid. Visionum inæqualitas ob meritorum inæqualitatem non necessario infert inæqualitatem luminis, pag.459. n.332. & 333. Visionũ inæqualitas ex sola inæqualitate intellectuum quomodo oriretur, p.403.nu.212. In visione inæquali ex sola inæqualitate intellectuum, supernaturalitas ingradibus excessus quomodo saluaretur, ibid.n.215. In visione inæquali ex inæqualitate intellectuum cum æqualitate luminis iustitia distributiua quomodo saluaretur, ibid. n. 213. In visionibus inæqualitas est intensiua non extensiua nisi in ordine ad obiecta secundaria, p.403.n.201. & 207. Visiones possunt esse æquales, & fruitiones inæquales, p.403.n.205.

*Visio creaturarum in Deo* non est verbum mentis, p 396.n.167, initio art. Visio creaturarum in Deo ad beatitudinem qualiter imperrinet, p.497.n.182. ad 188. et p.499.nu.209. Eadem vel diuersa visione Beati vident Deum & creaturas, vtrumque probabile, p.498. nu.198. ad 206. Probabilius quod diuersa, ibid n.204. ad 206. Si eadem visione Beati viderent Deum, et creaturas qualiter eadem visio inuariata ad diuersa terminaretur, p 391. n.215.

*Visionis seù videntium satietas.* Beatus quocumque gradu visionis absolutè satiatur et quare, p.406 n 228. ad 234. Satietas in beatifica visione ad duplicem appetitum comparatur, p. 405.n.218. Naturalis appetitus Beatorum omnium non satiatur beatitudine, et quare, p.405 n.217. 221. 223. 224. et p.406.num.224. ad 228. Naturalis appetitus beatorum non satiatus quare non manet violentus, ibid.n.222. Quare non remanet inquietus, & murmurans, pag. 408.n.238. Quare nec frustra, p.407. nu. 235. Naturalis appetitus Beatorum est ad summam gloriam, pag.405.n.217. 220. et 224. Appetitus naturalis quid sit, p.407. n.236. Appetitus deliberatiuus quando rectus, et quando non rectus vt consensus appetitui naturali, p. 405. n.222. Naturalis appetitus intellectus non est dictamen naturale eiusdem, p.408. n.240. Visionis satietas, vide *Appetitus satietas* verbo *Beatitudo*.

*Visio Dei per speciem impressam, seù species impressa Dei*, Deus de facto à Beatis videtur immediatè & non per speciem, pag. 381. num.40. ad 58. Est de fide, ibid. nu. 57. Visio Dei qualiter dicitur similitudo, & per similitudinem, ibid. n.61. De specie impressa Dei quæ dubitanda, p.460.n.339. Species impressa Dei non repugnat, p.461.n.342. ad 348. Non repugnantia demonstratur, n.342. 343. 346. et p.464. n.357. et 358. Speciei impressę ad obiectum, quę adequatio necessaria, ibid.nu.349. et 350. Species impressa Dei qualiter esset imago Dei perfectior Angelo, p.463. n.351. Species impressa Dei, infinitatem etiam Dei representaret, & qualiter, ibid. n.355 et 356. Species impressa Dei representans infinitum cum sua infinita, qualiter esset infinita. pag. 464. num. 357. Species impressa Dei liberè producta representaret naturaliter, n.359. Speciè huiusmodi impressam videns quã non naturaliter videret Deũ, p.465. n.361. Species impressa representans infinita, si repugnaret, non inferret repugnare etiã speciem impressam Dei, et quare, ibid.n.362. ad 364. Species impressa Dei quã Dei intelligibilitatem cobtineret, n.365. Speciei impressæ necessitas & effectus, p. 466. nu. 373. ad 378.

*In visione beatifica an species impressa Dei de facto* De specie impressa Dei in Sacra Scriptura nõ fit mentio, p.469.n.401. Species impressa Dei in Beatis de facto an detur vtrumque probabile, p 466.n.367. per totum §. Contradictio apparens in Authore, p.461.num.345. Species impressa Dei de facto ex hypothesi in Beatis ad beatificam visionem nequit concurrere,

p.468 n.389 ad 397. Causa implicantiæ. ibid.

*Visio animæ Christi.* Anima Christi in verbo videt omnia quæ videt Deus, & qualiter, p.393. n.153. Visio animæ Christi imperfectior est visione Michaelis, Opinio vnius, p.397. nu. 170. Confutatur, ibid.174. ad 179. ad 179. Visionis animæ Christi & cæterorum beatorum differentia, p.497. n.188. et p.502. n.225.226.

*Vita. Vivum.*

Vitam aliã dari, in qua fiat remuneratio et punitio non est naturaliter notũ sed fide, p.78.n.81. Vitalis actus à Deo si causaretur, solum respectu suæ potentiæ esset vitalis. p. 436. n.178.

*Vivum* non potest esse instrumentum non viui neque per Dei potentiam, p.435.n.169. et 170.

*Vnitas. Vnio.*

Vnitas rei non dependet ab vnitate mutationis, vel actionis, sed partium. p.84.n.24.

*Vnio* interrupta potest redire eadem numerò, p. 131. n.124. Actio vnitiua est causæ efficientis, pag.88. per totum §.

*Voluntas. Volibile siu Appetibile.*

Voluntatis appetitus duplex, p. 136. n. 1. Voluntatis appetitus naturalis quid sit, ibid. num. 13. et 14. Voluntatis appetitus naturalis non est actus elicitus. ibid num.8. ad 12. Voluntatis appetitus elicitus non potest voluntatem latere, ibid.nu.10. Voluntatis & naturæ, seù liberi & naturalis differentia, p.119. n.45. Voluntas qualiter ad verbum mentis concurrit, p.109. n. 251. Voluntatis, & necessitatis, seù liberi, & necessarij oppositio qualis, p.319. n.42. Voluntas à charitate necessitari non potest, p.309.n.252. et 254. et p.312. n.272. Neque à lumine gloriæ, p.312. n. 72. Voluntatis, et intellectus in operando quanta sit similitudo, p.330. n.49. Voluntati necessariò conuenit finis qualiter verum, p.333.nu.78. In voluntate efficiens & finis non proportionantur, ibid.n.77. Voluntas vt potentia appetitiua per quid differt à cæteris potentijs appetitiuis p.363. n.121. Voluntas dupliciter potest considerari, p.367.num.144. Voluntarium quid et quotuplex, p.765.n.439. et 400.

*Voluntatis appetitus*, quicumque circa beatitudinem, vide *Beatitudo.*

*Volibilium seu appetibilium*, ordo essentialis, pag. 286. n.17. et 18. In volibilibus appetibilibus processus in infinitum non datur, ibid.

*Voluntatis libertas*, libertas est prædicatum intrinsecum voluntatis, p.332.n.76. Liberè operari voluntati conuenit vniuersaliter, qualiter intelligitur, p.329.n.40. Liberè voluntas quot modis potest respuere obiectu. p.333 n.79. Libertas voluntatis erga summum bonum, quæ sit. p.330. n.50. & 54. et 66. Libertas voluntatis circa beatitudinem, & miseriam sibi propositam, quæ? ibid. nu. 52. et 53. Voluntatis libertas quotuplex. p.541.n.312. Voluntatis libertas accidentalis quando proxima, et quando remota, p.542.n.313. Voluntatis libertati, determinatio quæcunque qualiter opponitur. p.545.n.330. Voluntatis libertas in Patsia, vide *Beatorum libertas.*

*Voluntatis nobilitas, & imperium*, Voluntas est causa superior omnibus potentijs. p.330. n.46. In voluntatis potestate qualiter sunt actus cæterarum potentiarum, p.329. n.41. Voluntatis nobilitas supra intellectum ex quibus capitibus, pag. 364. num.128. ad 134. Voluntas qualiter ab intellectu dependens in operando, p.366. nu. 139. Voluntas in operando dependens ab intellectu quare non imperfectior illo, ibid.n.140.

*Voluntatis actus, & actiuitas*, Actus voluntatis quotuplex, & velle quotuplex. pag. 360. n.92. Voluntas circa credibilia quomodo operari potest, p.334. n. 90. Voluntas cum habitu supernaturali si potest naturaliter operari circa obiectũ supernaturale, p. 335.n.94 et 96. Voluntas sine habitu supernaturali an potest operari supernaturaliter, ibid. Voluntatis actus circa media & circa finem collatiuus, vnus includens duos. p.337. nu. 113. Voluntas circa supernaturalia quam actiuitatem habet, p.540. num. 305. Voluntas non potest suis viribus opus supernaturale elicere qualiter intelligitur, p.531.n.224. et 230.

*Voluntatis passiones*, quot et quæ, p.367.n.143.

*Vulgus.*

Vulgus quid existimat esse hominis beatitudinem, p.288. n.34.

# Z

*Zeno* Stoicorum Princeps, in quo hominis beatitudinem reponebat, p.287.n.29. Zeno animã hominis posuit mortalem, p.625.n.1.

*Zodici* motus cœli stellati secundum Platonem, p.81. sub initio art. Eiusdem motus secundum Ptolomeum, & Thebit, ibid. n.6.

*Omnia, quæ in hoc Tomo sunt Sanctæ Rom. Ecclesiæ correctioni subijcio.*

# FINIS.

# ERRATORVM CORRECTIO

| Pag. | Col. | Lin. | Errata | Correcta |
|---|---|---|---|---|
| 86 | 1 | 19 | fit | fic |
| 87 | 1 | 20 | fine fine | fiuè fiuè |
| 100 | 1 | 64 | perfectiſsima | perfectiſsimi |
| 107 | 1 | 40 | & | ex |
| 109 | 1 | 6 | homine | in homine |
| 116 | 2 | 18 | mentem | mortem |
| 121 | 1 | 63 | vti | illi |
| 133 | 1 | 54 | paſsibile | paſsibile |
| 145 | 1 | 24 | 3 cap. 13. | cap. 3. et 13. |
| 145 | 1 | 43 | Aſpice eam | Aſpiciebam |
| 173 | | | 179 | 279 |
| 174 | | | 384 | 284 |
| 174 | 2 | 52 | ab | ad |
| 185 | | | 417. 418. 419. | 407. 408. 409. |
| 186 | 2 | 54 | tarò | caro |
| 301 | 1 | 42 | Abraam | Adam |
| 302 | 2 | 34 | nolebat | volebat |
| 323 | 2 | 50 | ore adeo | ore ad os |
| 324 | 2 | 7 | mens | meus |
| 326 | 2 | 57 | remiſſe | remiſsè |
| 335 | 1 | 38 | deſiriunt | deficiunt |
| 348 | 2 | 36 | ſe | ſi |
| 351 | 1 | 32 | perſonali | perſonaliter |
| 356 | 1 | 49 | ſe | ſed |
| 357 | 2 | 8 | a | ad |
| 360 | 1 | 55 | concucifcentiæ | concupiſcentiæ |
| 383 | 1 | 48 | ſelebili | ſcibili |
| 405 | 1 | 3 | ad concurſum. | adeſt concurſus |
| 405 | 1 | 15 | recodam | recedam |
| 413 | 2 | 43 | ſacramentaliter excitentor | Chriſti Sacramentaliter exiſtit |
| 419 | 2 | 2 | ſint | ſiſtit |
| 420 | 2 | 33 | verumque | vtrumque |
| 429 | 1 | 63 | manſeſtantis nego | manifeſtantis concedo |
| 435 | 1 | 21 | inamine | inanime |
| 440 | 2 | 13 | ſine | ſiue |
| 441 | 1 | 57 | diſpoſito | diſpoſitio. |
| 443 | 2 | 18 | à ſole | a ſolo |
| 443 | 2 | 19 | ſed ex | ſed à ſole & ex |
| 444 | 2 | 32 | ſubcrahit | ſubtrahit |
| 446 | 2 | 29 | naturalem | ſupernaturalem |
| ibid. | 2 | 38 | prædeſtinatoto | prædeſtinato |
| 447 | 2 | 56 | ſummis | luminis |
| 469 | 1 | 54 | profectione | perfectione |
| 450 | 2 | 14 | intenctum | intentum |
| 456 | 2 | 83 | in tit. art. cum | cum |
| 457 | 2 | 38 | actiuorum | actiuorum |
| 458 | 2 | 57 | ab eo | à toto |
| 461 | 2 | 42 | Prob. 5. | Probatur 3. |
| 466 | 1 | 49 | intellectum | intellectus |
| 469 | 1 | 30 | pulchritudo | pulchritudinem |
| 473 | 2 | 40 | dens | Deus |
| 475 | 2 | 39 | multiplicati | multiplicitati |
| 478 | 2 | 36 | voluntatum | voluntatem |
| ibid. | | 49 | ſoluit | ſolius |
| 479 | 2 | 44 | videat | vident |
| 490 | 1 | 43 | actionem | actionum. |
| 491 | 1 | 24 | ira | ita |
| 494 | 1 | 3 | reuelationes | relationes |
| 498 | 2 | 38 | 1. Scoto | à Scoto |
| ibid. | | 40 | modernis | moderni |
| 504 | 2 | 37 | creadra | creatura |
| 508 | 2 | 62 | non | nunc |
| 513 | 2 | 55 | fauſtam | fauſtum |
| 516 | 1 | 1 | 67 | 69 |
| 519 | 2 | 58 | frutio | fruitio |
| 523 | 1 | 43 | dilectum | dilectio |
| 528 | 2 | 40 | ens | eam |
| 532 | 1 | 52 | vita | via |
| ibid | | 65 | mottua | motiua |
| 537 | 1 | 59 | quia | quia |
| ibid. | | 61 | ſe habet | gratia ſè habet |
| 539 | 1 | 51 | carent | carens |
| 541 | 1 | 31 | coram | caram |
| ibid. | 2 | 54 | fidei | fidæ |
| 542 | 1 | 2 | qui | quidem |
| ibid. | 2 | 54 | ſi | ei |
| 543 | 1 | 63 | obic. 3. | Obicies 1. |
| 546. | 1 | 9 | ſecundum | ſecundum quid |
| ibid. | | | & corpora | & ita corpora |
| ibid | 1 | 10 | prima pars | vtraque pars. |

| Pag. | Col. | Lin. | Errata | Correcta |
|---|---|---|---|---|
| ibid. | 1 | 25 | ſen | ſeù |
| 553 | 1 | 19 | doctiuis | doctrinis |
| ibid. | 2 | 36 | maneat | maneant |
| 571 | 1 | 13 | poteſt | non poteſt |
| 572 | 2 | 1 | Chriſtum | Chriſtus |
| 577 | 1 | 40 | poteſt | poſſe |
| 604 | 1 | 51 | doctiores | doctores |
| 607 | 2 | 15 | nabitibus | habitibus |
| 610 | 1 | 39 | contor dicant | contradicant |
| ibid. | | 55 | coniuncta | coniuncta |
| 611 | 2 | 25 | complacétia duo | complacendum |
| 631 | 2 | 21 | ſeſi | ſed |
| 636 | 2 | 38 | veniene | veniant |
| 639 | 2 | 20 | pare | corpore |
| 648 | 1 | 23 | viuenda | vnienda |
| 649 | 1 | 36 | ſine | ſiue |
| 653 | 2 | 10 | 247 | 249 |
| 659 | 2 | 11 | perpoſitiones | propoſitiones |
| ibid. | 2 | 38 | recor. | recordari |
| 657 | 1 | 63 | acumen | acumen |
| 658 | 1 | 58 | ſrnitionem | functionem |
| 676 | 1 | 63 | exanimita | examinis à |
| 677 | 2 | 85 | accedere | accidere |
| 679 | 2 | 52 | n 121. | n. 141 |
| 681 | 1 | 60 | quid ego | quod ego |
| 682 | 2 | 28 | ipſus | ipſius |
| 686 | 1 | 62 | intremuit | intrauit |
| 667 | 2 | 58 | nos in muneris | noſtri muneris |
| 695 | 1 | 32 | diſcemus | diſcernens |
| 697 | 1 | 4 | ſons | ſoris |
| ibid. | | 9 | inſpirauit | inſpirat |
| 709 | 2 | 21 | more | mortis |
| 712 | 1 | 53 | tuam | ſuam |
| 725 | 2 | 6 | ſtudio purgatus | ſtudio purgatus |
| 729 | 2 | 53 | requierum | requiem |
| ibid. | 2 | 56 | ſita: gix | liturgiæ |
| 731 | 1 | 30 | ica | ita |
| 734 | 2 | 43 | neceſſerunt | receſſerunt |
| 735 | 1 | 20 | n 364. | n. 164. |
| 737 | 1 | 41 | peccacum | peccatorum |
| 738 | 2 | 26 | ob nexios | ob noxius |
| 740 | 2 | 61 | remooralis | temporales |
| 741 | 2 | 61 | Domina | Domini |
| 745 | 1 | 1 | ttatum | ſtatim |
| ibid. | | 47 | patebis | patebit |
| ibid. | 2 | 59 | appelictur | appelletur |
| 754 | 1 | 24 | Peob | Prob. |
| ibid. | 1 | 48 | animo | anima |
| 755 | 2 | 62 | illis | illis |
| 758 | 1 | 51 | natum | nam tunc |
| ibid. | 2 | 18 | c um | diem |
| 761 | 1 | 11 | ſuſſerentiam | ſuſtentiam |
| ibid. | | 59 | ſatiſpaſsis | ſatis paſsio |
| 762 | 2 | 6 | dr | dè |
| 765 | 1 | 38 | qua | qui à |
| 766 | 1 | 61 | vountla | zoſuntaria |
| 768 | 1 | 7 | 468 | 466 |
| ibid. | | 54 | 479 | 473 |
| 770 | 1 | 23 | plenæque | plerequè |
| ibid. | 1 | 51 | exiſtentes | exiſtens |
| ibid. | 2 | 6 | virorumque | ſtrorumque |
| ibid. | 2 | 19 | ſuo | tuo |
| 771 | 1 | 4 | cum | eum |
| ibid. | 2 | 18 | Cordat | cordati |
| 772 | 1 | 18 | argumentum | augmentum |
| ibid. | | | n. 505 | n. 503 |
| ibid. | | | n. 503. | n. 504 |
| 773 | | | n. 535 | n. 515 |
| ibid. | 2 | 58 | formulantur | ſamulantur |
| 779 | | | num. 396. | n. 196 |
| 782 | 1 | 19 | mortuiſi | mortuis |
| 783 | 1 | 45 | aiios | alios |
| 784 | 1 | 31 | equiualen pro equiualentialis | Equiualétis pro equiualenti alias |
| 785 | 1 | 61 | effectu | effectus |
| 786 | 1 | 13 | ſunt in ſtaitu | non ſunt in ſtatu |
| ibid. | 1 | 58 | iſtis | illis |
| 797 | 2 | 62 | vuus | vnus |
| 809 | 2 | 9 | cam | eam |
| ibid. | 2 | 59 | anxilium | auxilium |
| 838 | 1 | 94 | inſernus | inſernus |

*Leuioris momenti errata, & marginum ſcholia dedita opera prætermiſimus.*